image not available

Tomus Secundus

BIBLIOTHECÆ

HISTORIÆ SACRÆ

VETERIS TESTAMENTI,

BIBLIOTHECÆ HISTORIÆ SACRÆ VETERIS TESTAMENTI,

SEU

EXERCITATIONUM HISTORICARUM

IN

SACRAM SCRIPTURAM ET JOSEPHUM

Per modum commentarii in Historiam Sacram

SULPICII SEVERI.

Tomus Secundus

AUTORE,

CHRISTIANO SCHOTANO,

Sacrarum literarum Doctore.



FRANEQUERÆ,

Ex Officina JOHANNIS WELLENS, Illustrium Frisiæ Ordinum, & eorundem Academiæ Typogr. Ordinarii. ANNO 1664.

Amplissimis Nobilissimis Novem-Viris

Illustrium Ordinum Frisiæ

DEPUTATIS

D. DOMINICO ab AYLVA,
Prætori in Leeuwerderadeel:

D. CAROLO à ROORDA,
Prætori in Idaerderadeel:

D. ONIÆ à GROVESTINS,
Prætori in Hennaarderadeel:

D. ELCONI à GLINSTRA,

D. JOHANNI à SCHELTINGA,
Prætori in Gaester-landt:

D. MARTINO FOCKENS,
Prætori in Opster-landt:

D. CORNELIO HAUBOIS,
Consuli Snecani:

D. SCHELTONI à RISPENS,
Consuli Ylstano:

D. ALLARDO à BURUM,
Consuli Leoverdiensi:

A Secretis Collegio NOVEM-VIRUM *Deputatorum*

D. GISBERTO à VIERSEN J.U.D.

NEC NON

Amplissimis & Nobilissimis viris

Rationum Cameræ

PRÆFECTIS.

D. AULO HAERSMA,
Expraetore in Smallingerlandt:

D. SUFRIDO ABINGA
AB HUMALDA:

D. DANIELI DE BLOCQ à SCHELTINGA,
Prætori in Schoterlandt.

D. EDSARDO GERROLSMA,
Consulari Franeq.

Tum illi Cameræ à Secretis

D. ISBRANDO à VIERSSEN, J. U. D.

Viri Amplissimi:

OFfert se vobis secundus tomus historiæ sacræ, qui populi Israël res exsequitur ab vocatione Mosis & exodo, fundataque religione & republica usque ad Herodis dominationem. Tres hic pemptades librorum: prima à Mose vocato usque ad regnum Saul, altera à Saul usque ad captivitatem Babylonicam, tertia inde ad finem principatus Hassamonæorum. Prima

liberi

liberi populi & creſcentis res continet, altera ſub regno florentis, tertia alienis imperiis obnoxii, donec hæres Davidis in regno ſpiritali ſuccederet. In prima fuit θεοκρατία, quia Deus quod nulli genti contigit, hanc voluit ſibi immediato ſubeſſe moderamine. Quæſivit enim ſibi ejus dominium: Primò Abrahami poſteros (gentem cælo cognatam) permiſit fame & inopia ſubactos, in aliena ſede, ſub peregrino rege, alimoniam & manſionem habere. Illic primò liberalius habiti, poſteà duriſſima tyrannide & ſervitute preſſi & ſub jugum miſſi, Dei opem implorant: de regio jure nihil quicquam detrahi Deus ſed ſummæ æquitatis debito proceſſu pergere voluit. Jubet Deo ſuo (quid æquius?) ſacra facere cum venia domini, ſub quo tenebantur. Renuit rex rejicitque Dei legatos. Novem plagis novies ad permiſſionis veniam coactus, toties Deo illuſit: tandem cæde primogenitorum expellit potius, quam veniam eundi facit. Ita manumiſſum populum (qui centum annorum patientia obſequium probaverat, nunquam arma & defectionem circumſpectaverat) redeunte contumacia revocare ſub jugum conatus Deum hoſtem habuit, qui vias inſolitas populo ſuo apertas auſum inire, cum omnibus copiis penitus delevit. Æquiſſimo Dei poſtulato, toties indulto, & tandem libertati conceſſæ repugnans meritas dedit pœnas. Populum ſibi vindicavit Deus. Nubis ductu & tegmine tan-

quam alis portat, ſabbato ſeparat, perenni aqua & manna cæleſti paſcit totis annis quadraginta. Sed & legibus format, quas partim ſua voce, partim per Moſen tulit ad montem Sinai. Sacerdotio Aaronem, miniſterio univerſam tribum Levi deputat. Hinc in Cananæam ituros, cum vocibus exploratorum intumuiſſent in Moſen, quadraginta annorum erroribus addicit: quibus labentibus, decies rebelles compeſcuit, precibus tamen Moſis delinitus ſuſtinuit. Tandem circumductos finibus Idumææ, Moab & Ammon, intulit in Seon & Og; potentiſſimos Perææ reges, quibus cum omni populo cæſis deletiſque primam vacuę terrę poſſeſſionem duabus & dimidiæ tribubus tradit. Hactenus Moſes ducatum populi obtinuit, qui eum ex Ægypto, per mare & ſolitudines deduxerat, & Divinis legibus munierat, in quarum admirationem provocat omnium gentium humanam ſapientiam: qui ad ripas Jordanis populum collocaverat, nec inducere populum in terram repromiſſionis nec ingredi ipſe potuit in pœnam incredulitatis, qua humanam infirmitatem tot divinis operibus inſignis notaverat. Moderamen ſuſcepit Jeſus, fortitudine bellica, prudentia, vigilantia, pietate, & moderatione animi, magnis virtutibus [quas rarò in unum coïre videas] admirandus. Conferant quicquid magnificum fuit in cæteris ducibus, quorum res geſtæ celebrantur, omnes ſimul unius magnitudini pares haudquaquam fuerint. Virtute

ſua

ſua & Dei auxilio, potentiſſimas & ferociſſimas ſubegit gentes ſimulque delevit: urbes in cælum operibus editas expugnavit: nihil ejus robori obſiſtere potuit. Quodſi objicias Alexandrum univerſam Aſiam, Cæſarem Galliarum populos eodem fermè annorum ſpatio domantes, quo Jeſus fuit occupatus in ſubjicienda una Cananæa, auſim dicere, facilius fuiſſe Aſiam reliquam univerſam, & Galliarum indomitas nationes ſubigere quam unam ejus tempeſtatis Cananæam. Regulis terra tenebatur plurimis, ſed qui in aciem educere potuerunt innumeras ſinguli copias. Et Cananæa (judicio meo) toto oriente & numeroſior, & fortior & munitior haberi debuit: niſi aliquis Aſſyriorum è Græculorum fabulis opponat magnitudinem. Hominum corpora ingentia & durata laboribus, aſſiduiſque armis exercitata, armorum genera acerrima & habilia, urbes inexpugnabiles & ingenti numero. Alexandrum in Aſia bellantem paucorum oppidorum obſidio diutius detinuit & laborioſius fatigavit, quam multarum gentium per prælia una hora certanda, ſubjugationes. Fregiſſet vires ipſius unus Cananææ pagus oppidatim expugnandus: difficilius minimum ejus præliorum ſuſtinuiſſet, quam Darium trahentem Aſię vires; id eſt immenſum quidem ſed molle & effœminatum agmen. Poſuit igitur in poſſeſſione Abrahamo promiſſa duodecim tribus & tantæ hæreditatis procurator, vili oppidulo donatus, ætatem

tem factam laboribus, in æqualitate exegit. Inde ſub Senatus gubernatione ſolutis moribus Prætorum inſpectionem Deus dedit: qui in pace jus dicerent, in bello imperium adminiſtrarent. Quoties enim cunque in pœnam vicinæ gentes regeſque populum ſubegêre, ſemper malis ſubacti & ſupplices ad Deum confugiunt. Hic nimia indulgentia decies relapſos ſublevat dato Prætore, qui libertatem reſtitueret victo pulſoque uſurpatore. Ita ſub Deo & Prætoribus res ſtetit publica uſque ad Samuelem. Obſervabit lector nec Moſen nec Joſue nec Judices poteſtatem & jus in populum habûiſſe ſummum ſed delegatæ functionis à Deo, qui in gente illa ſolus regnum tenuit. Alibi à Deo jus per populum regibus traditum eſt, qui homines erant, hic Deus ipſe jus illud per ſe obiit: ita prophetæ fuerunt ſæpe & alias Angelico alloquio excitati, qui duces in bello, & judices in pace eſſent, nomine Dei immediatum inperium tenentis. Cum populus libertatem aut potius θεοκρατίαν petulanter abjeciſſet, datus rex eſt, qui in ipſis primordiis mutatæ reip. pœnitentiam ſuggereret. Moderatum virum potentia in faſtum extulit, ſpretum Dei obſequium ſolio evertit. Succeſſorem divinitus datum, tot malis exercitum, cum feliciſſimos ſucceſſus, tot victorias & ampliſſimis finibus imperium, ac in pace florens otium, adulterio & homicidio inquinaſſet, miſeriarum cumulus excepit. Inceſtus filiæ à filio, parricidium fratris

tris à fratre, rebellio filii, patris exsilium: quæ superat Deo benedicente: sed dirarum hæsere reliquiæ. Reliquit filio regnum toto orbe validissimum, auri argentique vim incredibilem, reliqua ædi Dei viventis necessaria. Generi illius regnum sine fine in domo Israël promissum est: quia ex eo Messias, rex æternus proditurus. Ejus in pace & opibus effigiem fidelibus dedit Salomon, regum opulentissimus. Quæ de ejus opibus veritas narrat, fidem superant. Divitiis sapientia accessit, quantum nemini mortalium contigisse traditum est: Non tantum prudentia civilis sed & rerum naturalium sine modo erat. Nam vastum ingenium quocunque se verteret, mirabili acumine penetrabat. Sapientia ejus & magnificentia in tantis opibus orbem universum admiratione & stupore repleverant. Reges unanimi consensu submissis fascibus agnovere superiorem missu munerum & delatione honoris. Ædem Deo struit immensi operis & opulentiæ in quo Dei nomen se terris & seculo ostenderet. Sapientiam illam (proh dedecus) idololatriæ stupor & neglectus numinis infatuavit, quæ etiam externis regibus ante formidabilem, servis suis contemptibilem reddidere. Ab ejus morte scissum est regnum, divisus populus & ut rebellis populum in potestate haberet Deum spernere non dubitavit: prorsus quasi humana prudentia sine numine potentiam firmaret. In vaccis cul-

tus Dei præcipites dedit homines ad idola gentium. Regum familias unam poſt aliam delevit Deus, donec gentem prophetarum mirabili ſcholæ & vaticiniis operum magnitudine terribilibus contumacem, Aſſyriis regibus in prædam, & Cananææ extorrem perpetuo exilio traderet. At in Judęa familia Davidis in poſteros continuata regum quoque ſucceſſionibus uſque ad Babylonicam ſuffecit tranſmigrationem. Gens autem ſæpius caſtigata & ſemper rebellis, inter adverſa & proſpera pro regum pietate aut perfidia fluctuat. Tandem data eſt Chaldæis in ſervitutem, ſed poſt ſeptuaginta annos reditura. Mireris de tam florenti regno nihil aut parum in profanis ſcriptoribus traditum legi. Id vero mirandum non eſt, quia ubi regnum Iſraël conſenuerat, quæ à Græcis autoribus noſcuntur & celebrantur imperia, ortus ſuos habuere. Stupor eſt & judicii defectus Cteſiæ fabulis de imperio Aſſyriorum fidem adhibere. Imperium illud ultra Tigrin ſuis finibus ſane anguſtis continebatur, ante ultima tempora regni Iſraël & Juda: mendaciorum ille architectus, cui homines Chriſtiani credere malunt, quam admittere veritatis hiſtoriam, ſcribit ante Abrahamum & proximè poſt diluvium univerſæ Aſiæ uſque ad fines Libyæ imperaſſe tranſmiſſa ad Sardanapalum tanta amplitudine. Credo in Epicuri intermundiis ſolium ſuum habuiſſe, ubi eſt illa ad Eufratem Ninus, quam

nemo

nemo hominum, nisi magus, oculis suis usurpavit. Herodotus pater historiæ, licet seductus & errans in minutiis, complexum tamen rerum tenuit. Hactenus omnes chronologi ab ipso pene Cataclysmo imperium illud somniarunt, cum magnitudinem imperii Israël omnibus ejus temporis regnis eminentioris lusciosi noluerint agnoscere. Solet scriptor scriptorem sequi, ut vacca vaccam in pascuis. Plures enim longè aliorum scripta describunt, quam expendunt. Prius enim est quorumvis, alterum eminentium. Priores illi eruditionem disseminant, qui de secundo sunt genere, literarum regnum ampliant. Cæterum, qui vulgato discedunt à tramite, quod levi de causa faciendum non est, molestias experiuntur & insultus priorum. Sunt enim longe plurimi, qui non concoquunt nisi publicum saporem. Hos sive æmulatio agitat, sive tarditas premit. Tandem patientia Dei fatigata, post vatum monita & tot Castigationes rebellem populum Judæorum, quem nequidem fratres abducti sapere docuerant, tradit in captivitatem & servitutem regi Babylonio. Exilium illud septuaginta annos implet, ut prædictum fuerat à Jeremia, vatum afflictissimo. In exilio Deus favorem suum non removit in universum sed regum clementia, & prophetarum solatiis sustentavit. Vatibus non annumero Danielem, si munus spectes, quod obiit in humana re, prædictiones tamen ejus historiam

rerum gestarum scribere videtur non futura canere. Summa in orbe imperia usque ad sera secula delineavit. Imperia enim famulantur Deo in Ecclesiæ bonum. Cyrus igitur eversa dominatione Chaldæorum, libertatem & reditum in patriam, urbis templique instaurationem liberaliter concedit, ut Jeremiæ ore & nominatim in exilium abeuntibus dictum fuerat. Rediere pauci numero duce Zorobabel, cœptum templi opus & urbis longo tempore tarde processit aut substitit: donec prophetarum monitis & favente Dario notho, rediere ad templi fabricam eamq; feliciter perfecere. Artaxerxes Esdram & Nehemiam mittit, quorum ille sacra, hic rempublicam ordinat & mœnia urbis restituit. Ab hoc initio denuò refloruit gens, Asiæ & Ægypti regibus liberaliter foventibus: donec ex ambitione & perfidia pontificalem dignitatem auro & defectione scelestissimi mortalium mercarentur. Ita enim excitatus Antiochus Epiphanes immutare religionem & Græcos inducere mores adnititur. Hic fæda facies rerum fuit. Templum violatum gentili profanitate, endelechismus toto triennio & semestri siluit: rivi sanguinum terram repromissionis inundarunt; capital erat circumcidere liberos aut gentilitatis cultum non assumere. Afflictissimam gentem & immania passam ad meliorem spem erexit Hassamonæus Matathias: qui impetu heroïco regiis militibus resistere ausus, in solitudinem concessit: quo sequacium turbam coëgit. Eum in primo conamine defunctum suscepit Judas

Maccabæus, vir belli pacisq; artibus instructissimus: qui continuo victoriarum supra fidem insignium cursu animatus, templo purgato, cultum Dei reddidit. Victricem tandem spiritum in prælio Deo & patriæ tradidit. Fratres Jonathan & Simon eadem felicitate & fortitudine, rem Judæorum defensam in sublime extulere. Commune fratrum fatum fuit hostili gladio absumi. At Simon præsidium regium urbe ejecit, plenamque à gentium jugo populo Judæo liberationem confecit. Ejus filius Hyrcanus, languentibus Syris & in sua viscera conversis fines protulit. Tum felicitas & prosperi successus malum reddidere. Aristobulus enim Hyrcano genitus regium nomen & insigne rapuit. Ipse & successores, fratrum & propinquorum neces, fugas civium, aliaque solita regibus ausi & inter se divisi, Romanos pro sociis & amicis dominos constituere: qui Herodis industriam & fidem prætulere ignaviæ & perfidiæ Hassamonæorum. Regnum igitur obtinuit in populo, cui nullus de stirpe Davidis imperavit, post reditum è Babylone: quia in Christum respiciebant secula, spirituali dominatione sine fine, ut verissimum Davidis filium, ipsumque Davidem, in regno spirituali Davidis regnaturum. Ipse enim figuram in corpus mutavit cælipotens & spiritualis in cordibus imperii dominus: quem ego vestræ gubernationi adspirare & omnia bona affatim elargiri opto voveoque.

Vester ad omnia

CHRISTIANUS SCHOTANUS.

TOMI SECUNDI,

Pemptas prima.

Pemptas secunda.

Pemptas tertia:

DE

DE
Eductione populi Dei ex Ægypto ad montem Sina.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI. I.

Cap. XX.

AT Hebræi multiplicato servitutis malo pressi, querelis in cælum conversi spem auxilii à Deo exspectabant. Tum Moysi pascenti oves, repente rubus ardere visa: flammis tamen, quod erat mirabilius, innoxiis. Qua novitate obstupefactus, rubo propius accessit, statimque ad eum istiusmodi ferè verbis Deus locutus est: Dominum se esse Abraam, Isaac & Jacob: quorum progeniem Ægyptiorum dominatione depressam, ereptam malis cupiat. Iter ergò susciperet ad regem Ægypti, ducemque se populi in libertatem restituendi præstaret. Cunctantem potestate confirmat, virtutem ei signorum faciendorum impertiens.

Drusius.

SPEM AUXILII à DEO EXSPECTABANT] Vis in hoc sermone, ut si diceret: cum spe exspectabant à Deo auxilium; vel potius exspectabant, ut illis spem auxilii adferret. Spem exspectare Cicero quoque dixit. Siquidem ad Atticum scribens, *Ego quidem*, inquit, *aut rem aut ne spem quidem exspecto*.

REPENTE RUBUS ARDERE VISA] Mirabile erat videre ignem in interiore deserto: mirabilius videre rubum ardentem. Nam lignum viride non facilè ignem concipit. Sed nihil tam admirabile, quam quod ardens rubus non consumeretur. Hoc significat, cum ait:

FLAMMIS INNOXIIS] Flamma innoxia, quæ minimè nocet: hoc est, quæ materiam, quam semel corripuit, non consumit. Sic *leo innoxius, saltus innoxius*: à quo & in quo nullum periculum. Est etiam innoxius, cui minimè nocetur.

RUBO PROPIUS ACCESSIT] pro ad rubum. Sic Livius dixit, *accedere mœnibus*. Supra, *turrim, quæ cælo accederet*, cap. 4.

DOMINUM SE ESSE ABRAHAM] malim *Deum se esse Abraham.* Nam vocatur אלהי אברהם; quod reddunt, θεὸς Ἀβραάμ &c. Sed novum non est huic autori, ut Dominum pro Deum usurpet. Exempla passim obvia.

AD REGEM ÆGYPTI] Vocatur in Divinis monumentis Pharao. Quod tamen non proprium ei nomen, sed commune regum Ægypti, ut diximus. Autores Manetho Ægyptius & Josephus Ebræus. Dices, Quodnam ergò nomen proprium habebat? Cenchren appellat Eusebius in Chronico: Amosin sive Amasin Clemens stromat. 1. Omosin sive Amasin Justinus, Orosius Plutarchus. Bocchorim (aliàs Occhorim) Tacitus lib. 5. historiarum.

CUNCTANTEM POTESTATE CONFIRMAT] Cunctabatur primum, quia se, quod disertus non esset, minus ad eam rem idoneum judicabat: deinde, quia non credebat posse hoc popularibus persuaderi. Ergò Deus ei se adfuturum dicit & socium dat Aharonem fratrem: tum etiam signis instruit: quibus fidem sibi conciliare posset apud suos. Signa hæc faciebat initio per virgam, manum & aquam fluminis, cum annum ageret ætatis octogesimum, tribus annis minor Aharone, qui tum agebat annum 83.

Series regum Ægypti descripta ex Chronico quodam regum Arabiæ.

PRimus Ægyptiorum rex vocabatur Mesraim filius Cham; & secundus Cabtim; unde denominati sunt cophtii: tertius Caphthorim: quartus Bodisir: quintus Adim: sextus Sadaath: Septimus Menacaos; octavus Menaos: nonus Manacios: decimus Mercura: undecimus Blatas: duodecimus Athib; decimus tertius Calimon: decimus quartus Carson. Tunc translatum fuit regnum à filiis Caphtorim ad filios Bencaphtim cujusdam, cui nomen erat Saombani. Filii ejus Marcobis, & secundus Absar, & tertius Sa, & quartus Thararas, & quintus Malic, & sextus Charbetha, & septimus Chalban, & octavus Malia, & nonus Totis. Hic fuit Pharao primus, qui temporibus Abrahami & mortuus est & reliquit filium parvulum, regnavitque ejus loco mater ejus Nachoria, quæ ancillam suam Hagar dedit Saræ. Regina ista fugavit à se proximos regni ad regionem Atharo: qui constituerunt sibi regem & posteà interfecerunt eum: sic ut nemo relictus fuerit ex hæredibus Athar, præter unam filiam è semine regio, quæ Dalipha nominabatur, filia Mumam. Posteà regnavit Iman: & posteà Valid, filius Doma [דומע] cui successit filius ejus Riam Benvalid. Hic est Pharao Josephi. Post regnavit [מעדאן] Medan, cognomine Talma; qui fuit Pharao Mosis doctoris nostri & in mari rubro periit.

SCHOTANUS.

POst diutinam afflictionem Deus populum ex Ægypto evocat & legibus format tum quadraginta annorum errore castigatum per Jesum in promissæ terræ possessione collocat. Hæc narrata quatuor Mosis libris, his partibus continentur: Moses à Deo vocatus, post multiplicem cum Phraone colluctationem & varia signa educit populum per mare Rubrum & usque ad montem Sinai. Quæ exposita sunt à tertio capite Exodi usque ad decimum nonum. Hinc Deus populum formare incipit edocetque Mosen in monte Sinai, quæ ad populum perferenda erant: à decimo nono capite Exodi usque ad finem libri. Erecto jam tabernaculo Deus in hoc Mosi loquitur: & quidem in solitudine Sinai populus cum tabernaculo mansit usque ad Numerorum decimi capitis

capitis verſ. 33. Hinc ſuis itineribus pervenere Rithmam in deſerto Pharan. Sed illic ſeditione concitata Deus iratus introductionem in terram promiſſam ad quadrageſimum annum voluit differri. Hæc à cap. XI. uſque ad finem cap. XV. Longa deinde mora in deſerto circumducti ſunt, cujus temporis triginta octo annorum abſolutorum exigua eſt memoria in cap. XVI. XVII. XVIII. XIX. In cap. XX. incipit annus quadrageſimus & ultimus oberrationis, poſt quem populus ingreſſus eſt in Cananæam.

Exodi cap. 3. v. 1. *Moyſes autem paſcebat oves Iethro ſoceri ſui ſacerdotis in Madian: cumque minaſſet gregem in interiora deſerti* (poſt deſertum) *venit ad montem Dei Horeb.* Populus Iſrael flagellis ſervitutis Ægyptiæ coactus ad Deum reſpicere cœpit, Deum Abraham & patrum ſuorum. Ille igitur gemitibus & ſuſpiriis clementer aurem aperiens, recordatusque fœderis ſui cum Abraham ad liberationem properavit. Jam quadrageſimum annum in Madian agebat Moſes mirifica Dei providentia: qui per tres teſſeracontadas Moſis ævum diviſit. Primam in Ægypto egit, ſecundam in Madian, tertiam in ducatu populi. Non prius Deus populum educere voluit & Moſen mittere, quam jam terminus ille Abramo prædictus adveniebat. At quærunt interpretes quæ fuerit mens tam diutinæ detentionis Moſis in exilio & vita paſtorali? Quid tanto tempore egerit, & quibus rebus otium impenderit? Quantum ad primum Philo ſupra modum vitam paſtoralem extollit: Μετὰ δὴ τὸν γάμον, παραλαβὼν τὰς ἀγέλας ἐποίμαινε, προδιδασκόμενος εἰς τὴν ἡγεμονίαν. Ποιμενικὴ γὰρ μελέτη καὶ προγύμνασμα βασιλείας μέλλοντι τῆς ἡμερωτάτης τῶν ἀνθρώπων ἐπιστατεῖν ἀγέλης, καθάπερ καὶ τοῖς πολεμικοῖς τὰς φύσεις τὰ κυνηγέσια. Pergit deinde: Καί μοι δοκεῖ, μὴ πρὸς δόξας τῶν πολλῶν, ἀλλὰ πρὸς ἀλήθειαν ἐρευνωμένῳ τὸ πρᾶγμα (γελάτω δ᾽ ὁ βουλόμενος) μόνος ἂν γενέσθαι βασιλεὺς τέλειος, ὁ τὴν ποιμενικὴν ἐπιστήμην ἀγαθὸς, ἐν ἐλάττοσι ζώοις παιδευθεὶς τὰ τῶν κρειττόνων. ἀμήχανον γὰρ τὰ μεγάλα πρὸ τῶν μικρῶν τελεσθῆναι. Merito ridetur hæc ſententia Philonis, qui nimio amore Moſis gentiſque ſuæ ita ſenſit. Nam etſi finis ſcopuſque idem & quædam ſimilitudo quoad ſummam rei nihil tamen affine conjunctumque, ut ex unius exercitio alterius modi rationesque perſpici & cognoſci poſſint. Xenophon initio de inſtitutione Cyri obſervat omnis animalium generis greges, ire quo paſtores ducant; in paſcua, quo immiſerint ſe conferre, abſtinere quibus arceant; permittere ut de ſe fructibus, quomodocunque velint, utantur; ἔτι τοίνυν οὐδεμίαν πώποτε ἀγέλην ᾐσθόμεθα συστᾶσαν ἐπὶ τοὺς νομέας, οὔτε ὡς μὴ πείθεσθαι, οὔτε ὡς μὴ ἐπιτρέπειν τῷ καρπῷ χρῆσθαι. ἀλλὰ καὶ χαλεπώτεραί εἰσιν αἱ ἀγέλαι πᾶσι τοῖς ἄλλοις ἢ τοῖς ἄρχουσί τε αὐτῶν καὶ ὠφελουμένοις ὑπ᾽ αὐτῶν· ἄνθρωποι δὲ ἐπ᾽ οὐδένας μᾶλλον συνίστανται ἢ ἐπὶ τούτους οὓς ἂν αἴσθωνται ἄρχειν αὐτῶν ἐπιχειροῦντας. *Igitur nullum gregem unquam intelleximus coiiſſe adverſus paſtores, ne obedirent aut ne permitterent fructum carpere. Quin greges infeſtiores ſunt aliis omnibus quam regentibus & utilitatem ab ipſis capientibus: homines autem in nullum potius inſurgunt, quam quos intelligunt ſibi imperare molientes.* Unde concludit: ὅτι μὲν δὴ ταῦτα ἐνεθυμούμεθα, οὕτως ἐγιγνώσκομεν περὶ αὐτῶν ὡς ἀνθρώπῳ πεφυκότι πάντων τῶν ἄλλων ζώων εἴη ῥᾷον ἢ ἀνθρώπων ἄρχειν. *Cum hac mente volveremus, ſtatuebamus ita de ipſis: quod homini nato facilius eſſet omnibus aliis animalibus imperare quam hominibus.* De hac igitur diuturna Moſis detentione ſub paſtorali vita ita ſentio: Primò Deum patientiam fidemque Moſis experiri voluiſſe, qui ex Dei revelatione ſciret ſe ducem & liberatorem populo ſuo deſtinatum eſſe. Eò temporis protracti mora facit. Deinde paſtoralem vitam ei contigiſſe è more gentis apud quam degeret. Joſephus: τῶν τε θρεμμάτων· ἐν τούτοις γὰρ ἡ πᾶσα κτῆσις τὸ παλαιὸν ἦν τοῖς βαρβάροις· ἀποδείκνυσιν ἐπιμελητὴν καὶ δεσπότην. In vitæ genere igitur,

quod Ægyptiis exosum erat, quorum in aula fuerat educatus: quod δὶς διὰ πασῶν videbatur distare & admodum abhorrere ab illa dignitate, ad quam Dei voluntas eum destinaverat. Quamvis in eo potuerit typus esse pasturæ hominum ipsi obventuræ. Societas Ecclesiastica & politica pascitur: ut frequens in Scripturis translatio & comparatio habetur. Rivetus: *Sed alia fuit etiam ratio, cur eum Deus voluit tamdiu, in eo ministerio detinere, non solum ut oves pasceret, sed etiam ut alienas atque adeò servire cogeretur. Videtur enim Deus voluisse hac ratione, ut aulicæ vitæ delitiis, quas quidem animose abjecerat, plane contrario vitæ genere dissuesceret, & huic duriori assuesceret, ut posteà tot laboribus, quibus eum destinabat aptior esset. Disceret etiam mansuetudinem, in qua adeò profecit, ut ipso Deo judice, supra omnes homines hujus virtutis laudem reportarit Num. 12. 3. Quæ maximè necessaria erat rectori populi Dei, quem ab omni tyrannide alienum esse oportuit. Præterea quamvis munus pastoritium apud plerasque gentes honestum esset, abominabile tamen apud Ægyptios fuisse anteà didicimus & infrà etiam videbimus. Voluit ergò Deus eum ad hanc vitam, aulæ Ægyptiacæ abominandam, adigere, ut vel hoc ipso suis probaret, quam alienus esset ab Ægyptiorum moribus, quamvis apud eos tamdiu fuisset educatus. Denique ut quæ ab eo, nomine Dei, erant præstanda, inter Ægyptios & gerenda, non hominis autoritati sed Dei potentiæ tribuerentur, qui evehit humiles & potentes de sede dejicit.*

Secundum quæsitum est de occupationibus in isto otio. Diligentem fuisse in muneris sui partibus obeundis & benedictionem numinis sensisse facile credimus. Accipimus igitur quod asserit Philo: γενόμενος οὖν τῶν καθ' αὑτὸν ἀγελαρχῶν ἄριστος καὶ ποριστὴς, ὅσα πρὸς τὴν τῶν θρεμμάτων συνέτεινεν ὠφέλειαν ἱκανὸς ἐκ τοῦ μηδὲν ἀποκνεῖν ἀλλ' ἐθελουργῷ καὶ αὐτοκελεύστῳ προστασίᾳ εἰς δέον τῇ προθυμίᾳ χρῆσθαι, μετὰ καθαρᾶς καὶ ἀδόλου πίστεως ηὔξησε τὰς ἀγέλας· ὡς ὑπὸ τῶν ἄλλων νομέων ἤδη καὶ φθονεῖσθαι, μηδὲν ὁμοιότροπον ἐν ταῖς ἰδίαις ποίμναις ὁρώντων, αἷς εὐτυχὲς εἶναι ἐδόκει ἡ ἐν ὁμοίῳ μονὴ, ταῖς δὲ τὸ μὴ τὸ βελτιοῦσθαι καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐλάττωσις διὰ τὸ μεγάλας εἰωθέναι λαμβάνειν ἐπιδόσεις ἐκ μὲν εὐσαρκίας καὶ πιότητος εἰς κάλλος, εἰς δὲ πλῆθος ἐξ εὐτοκίας, καὶ τῆς περὶ δίαιταν ὑγιεινῶν. *Cum igitur esset omnium ætatis suæ pastorum optimus & utilitatis pecorum providentissimus, dum nullum laborem fugitat, sed ultrò & injussus alacriter eis prospicit, promptè bonaque fide auxit gregum copiam: adeò ut jam invidiosus esset apud pastores cæteros, nihil simile videntes in suis gregibus, qui præclare secum agi putarent, si nihil detrimenti acciperent: cum illis indies non crescere videretur esse imminutio, cum solerent magna incrementa sumere, & ob pinguedinem bonumque habitum ad pulchritudinem & ex fecunditate ac salubritate pastus ad multitudinem.*

Sed non est existimandum, tandiu vixisse Mosen cum grege soceri sui, ut nihil aliud mente agitaverit, quam pecorum curam, qua socero se probaret, suæque familiæ consuleret: majora animo versavisse, de tali & tanto viro par est credere. Nec enim hæc talia erant, quæ tantam capacitatem possent explere. In omni Ægyptiorum sapientia eruditum fuisse accepimus, ejus nihil recoluisse non est verosimile. Ea igitur meditando, potissimum vero quæ ad Dei notitiam pertinent tempus terebat pascebatque mentem. Tum etiam cognoscere potuit quæ ad Jobum pertinebant, scripsisse tamen non crediderim nec Genesin nec Jobi librum, quia Sp. Dei afflatum habuisse ea tempestate non est vero simile. *Sed* (inquit Rivetus) *viro tam erudito & qui in luce hominum vixerat, multarumque rerum pollebat scientia & experientia vitam pastoralem in desertis & solitariis locis, maximo fuisse adjumento ad graves & sanctas meditationes, non dubitamus. Num autem eo animo* (pergit) *quæsiverit Moses loca deserta, inquirendum est. Nempe quod amaverit solitudinem, ad rerum Divinarum contempla-*

templationem. Hoc nonnulli *putant, quibus temporum illorum consuetudines non videntur satis nota. Alendis gregibus numerosis non sufficiebant loca ab hominibus habitata, nec id fieri potuisset sine litium & contentionum segete. Experientia hoc docuit in pastoribus Abrahami & Loti. Ideo audivimus, sape filios Iacobi deserta loca petiisse & procul à parentis habitatione suos greges deduxisse, ut sufficerent eis pabulum. Quin hoc idem fecerit Moses, dubitandum non est & loca subinde mutasse pro ovium commoditate, qualia multa erant in desertis; qua etsi sterilia essent rebus ad homines alendos necessariis, pascuis tamen abundabant, quod sape accidit in montium radicibus & vicinis convallibus. Hanc fuisse primam secessus Mosis causam res ipsa ostendit. Vsum tamen fuisse occasione & pavisse animam suam intereà dum oves decerperent herbas, juxta cum aliis sentimus. Nec in genere improbamus, quod notant solitudinem contemplationi & precibus aptam esse, quia tum melius cum Deo colloquimur, quo magis à mundanarum rerum aspectu & cogitatione mens nostra avocatur. Ideo sape magnos viros secessus quasivisse, imò Christum ipsum praivisse exemplo, qui ad orandum deserta loca frequentavit. Hæc sunt extra dubium posita. Sed hac occasione data excurrunt Pontificii in Laudes vita solitaria, veterum & novorum Anachoretarum extollentes propositum, qui abjecto omni hominum consortio, in locis desertis contemplationi per totam vitam vacare voluerunt. Nulla tamen ratione, talia instituta ex Mosis aut similium exemplo orta esse probare possunt. Vt enim demus, quod verum est, secessum ad tempus utilem esse: ut tamen quis solitariam vitam voveat, & ab hominum consortio se in perpetuum separet, ut contemplationi vacet, planè alienum est à charitate, quam supra omnia nobis commendavit Christus: ad quam si examinentur Anachoretarum facta, qua in historiis aut legendis quibusdam commendantur, nemo sanus erit, qui judicet eos ex Christi prascripto hoc vita genus elegisse. Hoc autem Mosis exemplum plane alienum est: Etsi enim ad tempus secesserit, ille tamen familiam aluit; in secessu oves pavit & post aliquot dies ad suos redire solitus fuit, non autem hominum societatem deseruit, vel munus suum abjecit. Isti autem, qui solitudinem vovent, ab omnibus muneribus tam politicis quam Ecclesiasticis: etiam œconomicis abhorrent; perfectionem in hoc vita genere constituunt, in eo collocant Dei cultum adduntque voti necessitatem. Qua omnia à Mosis instituto planè fuerunt aliena.*

אחר המדבר] Rasi: *Vt elongaret à populatione; ne pascerent in agris alienis.* Junius & Tremellius: *Post quoddam desertum.*

Mons Dei] Rectè ita dictum esse censet Rasi, Ob id quod postea evenit κατὰ πρόληψιν: sed quod ex igne illo rubi id deducat illi non accedimus potius est ut sit ab Dei apparitione frequenti ad instituendum populum, quæ posteà contigit. Nam apparitio illa in igne rubum cognominare poterat non montem, quia non erat in monte. Chaldæus: *Venit in montem Horeb ubi revelata est gloria Dei.* Josephus putat locum illum antehac sacrum fuisse, numine inhabitatum, ideo inaccessum pastoribus & indepastum. Χρόνῳ δ' ὕστερον νέμων ἐπὶ τὸ Σιναῖον καλούμενον ὄρος ἄγει τὰ ποίμνια· Τοῦτο δ' ἐστὶ ὑψηλότατον τῶν ταύτῃ ὀρῶν, πρὸς νομὰς ἄριστον ἀγαθῆς φυομένης πόας, καὶ ἀπὸ τοῦ δόξαν ἔχειν ἐνδιατρίβειν αὐτῷ τὸν θεόν, οὐ κατανεμηθείσης πρότερον, οὐ τολμώντων ἐμβατεύειν ἐς αὐτὸ τῶν ποιμένων. Ralbag putat locum Deo sacrum fuisse, illi influentiam Dei affixam fuisse: fortassis Mosen illic prius prophetiam habuisse: E futuro etiam sic dici potuisse ob eminentiam. Philo sic loquitur: Ἄγων τὴν ποίμνην εἰς τόπον εὔυδρόν τε καὶ εὔχορτον, ἔνθα συνέβαινε καὶ πολλὴν πόαν προβατεύσιμον ἀναδίδοσθαι. *Minansque gregem in locum riguum & herbidum ubi eveniebat etiam multam herbam pecuariam prodire.* Hæc ita sonant, quæ Gelenius contractius reddidit. Mons dictus est Horeb juxta Aben-esdram, quod חרב vastus sit à magno æstu מחרב

החום

החום *quod illic non descendat pluvia, quia vicinus est Ægypto itinere trium dierum, quemadmodum Moses loquitur, & quoniam fluentum procul distat, non est illic humor & prædominatur siccitas.* Horeb & Sinai (ut dicunt) duo contigui montes in deserto Pharan, quorum Horeb depressior, Sinai altior. Et notat Adrichomius Horeb fuisse feracem optimarum herbarum eoque pascuis commodissimum. Ego sic existimo montem à deserto cognominari montem Sinai, propriam autem ejus appellationem esse Horeb.

v. 2. *Et apparuit angelus Domini ipsi in flamma ignis de medio rubi: & videbat & ecce rubus ardebat nec comburebatur.*

In Hebræo habetur בְּלַבַּת אֵשׁ] Aben-esdras: Sunt qui exponant בלבת אש per בלהבת אש: *at mihi placet, quod sensus ejus sit in corde ignis, quia sic invenimus* [Ezech. 16. 30.] Quam debile est [לבתך] cor tuum. *At R. Ednis dicit, Si sic esset, diceretur* בלבת *per Chirec sub Lamed*, sicut (Cantic. 6. 11.) *In hortum nucum descendi.* אֶל גִּנַּת. Et ecce oblitus est (Es. 61. 11.) *Et sicut hortus seminata sua facit germinare* וּכְגַנָּה. Aben-esdras igitur arbitratur, reddendum in corde seu medio ignis, nec putat obesse Phathach. Cl. Buxtorfius, lapsu memoriæ R. Aben-esdram citavit in sententia R. Ednis, quam impugnat. Communiter interpretes accipiunt pro flamma. Rasi utramque sententiam adoptat: *In flamma ignis: corde ignis sicut* cor cælorum (Deut. 4. 11.) cor quercus (2. Sam. 18. 14.) *Et ne admireris de Thau, quia est nobis simile* (Ezech. 16. 30.) Quam debile est cor tuum. Rubus Hebraice dicitur סנה, unde deserti istius nomen esse videtur, quod nihil præter spinas rubosque ferret. Philo: Γενόμενος πρός τινι νάπῃ, θέαμα ἐκπληκτικώτατον ὁρᾷ. Βάτος ἦν, ἀκανθῶδές τι φυτὸν ἀσθενέστατον οὗτος οὐδενὸς πῦρ προσενεγκόντος ἐξαίφνης ἀνακαίεται. *Cum esset ad quandam sylvam, videt spectaculum maximè stupendum. Rubus erat, spinosa stirps, admodum infirma: hæc nullo ignem inferente subito inardescit &c.* Videbat rubum ardere, non viderat ignem inferri. Id non admiratur rubum incensum esse, quod in aridis & calidissimis locis facile fieri poterat. Cæterum quod illi admirationem movebat, erat, rubum ardentem non consumi. Id ita exprimit: Καὶ περισχεθεὶς ὅλος ἐκ ῥίζης εἰς ἀκρέμονα πολλῇ φλογὶ, καθάπερ ἀπό τινος πηγῆς ἀνομβρούσης, διέμενε, οἷα τις ἀπαθὴς οὐσία, καὶ οὐχ ὕλη πυρὸς αὐτὸς ὢν, ἀλλὰ τροφῇ χρώμενος πυρί. *Et circumfusus totus à radice ad cacumen, multa flamma, tanquam è fonte scaturiente, manebat integer, neque comburebatur, ut substantia, quæ nihil pateretur, neque materia ignis esset, sed aleretur igni.* Josephus: Πῦρ γὰρ θάμνου βάτον (leg. θάμνον βάτου) νεμόμενον, τήν τε περὶ αὐτὸν χλόην τό τε ἄνθος αὐτοῦ περιῆλθεν ἀβλαβῆ καὶ τῶν ἐγκάρπων κλάδων οὐδὲν ἠφάνισε καίτοι τῆς φλογὸς πολλῆς καὶ ὀξυτάτης ὑπαρχούσης. *Ignis enim fruticem rubi pascens, virorem ipsius & florem illæsum sinebat neque quicquam fructiferorum ramorum exterminabat, quamvis flamma esse magna & vehementissima.*

Hoc primum fuit signorum, ut Aben-esdras dicit, scriptorum in lege, quæ Deus fecit per prophetam suum Mosen. Atqui non est signum factum per Mosen, sed quo apparuit Deus & vocavit Mosen. In eo dicitur visus esse Angelus Dei. An autem Angelus Dei separata specie apparuerit, an ostentum hoc solummodo ut posteà vox, ejus præsentiam, indicaverit, dubitari potest. Nam tantum dicitur angelus apparuisse seu visus esse, in igne (quod explicari potest per ignem) hic & Act. 7. 30. Philo describit speciem: Κατὰ δὲ μέσην τὴν φλόγα μορφή τις ἦν, περικαλλεστάτη τῶν ὁρατῶν, ἐμφερὴς οὐδενὶ, θεοειδέστατον ἄγαλμα, φῶς αὐγοειδέστερον τοῦ πυρὸς ἀναστράπτουσα, ἣν ἄν τις ὑπετόπησεν εἰκόνα τοῦ ὄντος εἶναι. Καλείσθω δὲ ἄγγελος ὅτι σχεδὸν τὰ μέλλοντα γενήσεσθαι διηγγέλλετο, τρανοτέρᾳ φωνῆς ἡσυχίᾳ, διὰ τῆς μεγαλουργηθείσης ὄψεως. *In media flamma forma quadam erat, pulcherrima*

ma earum quæ videntur, nulli adsimilis, Deo simillimum simulachrum, lumen splendidius igne emicans, quam quis suspicari posset imaginem Entis esse. Vocetur autem angelus, quia fere futura annuntiabantur, silentio clariore quam vox est, per mirificam visionem. Josephus ita loquitur ut appareat sensisse eum, quod nulla angeli species adfuerit. Nam spectaculo attonitum magis obstupuisse dicit, quum vocem ex igne emissam audivit. φωνὴν τὸ πυρὸς ἀφιέντος, *Cum ignis vocem emisisset.* Rivetus Josepho calculum adjicit: *Melius Iosephus, qui nudæ meminit vocis, nec ullam formam, ex qua mitteretur, invexit.* Nos cum illis sentimus, qui putant speciem ab igne distinctam esse visam: quæ multorum sententia est, ut posteà patebit: Nam dicitur v. 6. Timebat intueri Deum at injuriam facit vir eruditus Philoni aliisque, quod id de simulachro divino additum esse putat in gratiam simulachra colentium. Deus enim humana specie sæpe apparuit & quidem augustissimo gloriæ splendore amictus.

Ille, qui apparuit, vocatur in historica exegesi à Mose primò angelus v. 1. deinde vocatur *Dominus* & Deus v. 4. Id notat Aben-esdras à Mose sic historice appellari, quod aliud sit, quam si ipse angelus sub legati persona, nomen Dei assumat, seque Deum appellet aut יהוה. Nam ita dicit: *Etiam hæc sunt verba Mosis in fine: Et appellatur angelus nomine Dei benedicti juxta hoc* (Exod. 23.21.) Quia nomen meum in medio ipsius: *Et illic id exponam. Et sic angelus qui loquebatur Gedeoni & illic scriptum est* (Judic. 6.16.) Et dicebat ipsi Dominus: *Aut Deus videns, quod se conferret ad videndum, præcepit angelo ut inclamaret illum, propterea adhibita est vox Dei: Et hoc nomen non est nomen proprium sed appellativum ut exponam, & comprehendit omnem sanctum, qui non est corpus nec facultas in corpore, ut scriptum est* (Dan. 2. 11.) Nisi dii, quorum habitatio non est cum carne: *qua est corpus: Et ecce in loco hoc est angelus qui commemoratur.* Nos ita tenemus, Non posse Dei ut Dei nomen præcipuè illud proprium angelo attribui ab historico, nec ab ipso angelo loquente nomine Dei aut Deum repræsentante assumi. Deinde nullum angelum unquam sibi arrogasse Dei propria.

Ignis in rubo repræsentatio fuit rei præsentis, ut explicant Hebræi. Philo: Σύμβολον γὰρ ὁ μὲν καιόμενος βάτος τῶν ἀδικουμένων· τὸ δὲ φλέγον πῦρ τῶν ἀδικούντων· τὸ δὲ μὴ κατακαίεσθαι τὸ καιόμενον, τοῦ μὴ πρὸς τῶν φθαρήσεσθαι (leg. φθαρήσεσθαι πρὸς τῶν) ἐπιτιθεμένων τοὺς ἀδικουμένους, ἀλλὰ τοῖς μὲν ἄπρακτον καὶ ἀνωφελῆ γενήσεσθαι τὴν ἐπίθεσιν, τοῖς δὲ τὴν ἐπιβουλὴν ἀζήμιον· ὁ δὲ ἄγγελος προνοίας τῆς ἐκ θεοῦ, τὰ λίαν φοβερὰ παρὰ τὰς ἁπάντων ἐλπίδας κατὰ πολλὴν ἡσυχίαν εὐμαρίζοντος. Τὴν δὲ εἰκασίαν, ἀκριβῶς ἐπισκεπτέον· ὁ βάτος, ὡς ἐλέχθη, φυτὸν ἀσθενέστατον, ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ἄκεντρον, ὡς εἰ καὶ μόνον ἐπιψαύσειε, τιτρώσκειν· οὔτ᾽ ἐξανηλώθη τῷ φύσει δαπανηρῷ πυρὶ, τοὐναντίον δ᾽ ἐφυλάχθη πρὸς αὐτοῦ, καὶ διαμένων ὁποῖος ἦν πρὸς τῷ μὴ ἀνακαῆναι, μηδὲν ἀποβαλὼν τὸ παράπαν αὐγὴν προσέλαβε. Τοῦθ᾽ ἅπαν ὑπογραφή τις ἐστὶ τῆς ἐθνικῆς ὑποθέσεως ἣ κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἐπεῖχε μονονοὺ βοῶσα ἐν συμφοραῖς, μὴ ἀναπίπτετε, τὸ ἀσθενὲς ὑμῶν δύναμίς ἐστιν, ἣ καὶ κεντεῖ καὶ κατατιτρώσκει μυρίους· ὑπὸ τῶν ἐξαναλῶσαι γλιχομένων τὸ γένος ἀκόντων διασωθήσεσθε μᾶλλον ἢ ἀπολεῖσθε, τοῖς κακοῖς οὐ κακωθήσεσθε, ἀλλὰ ὅταν μάλιστα πορθεῖν νομίσῃ τις ὑμᾶς, τότε μάλιστα πρὸς εὔκλειαν ἐκλάμψετε. Πάλιν τὸ πῦρ φθοροποιὸς οὐσία, διελέγχουσα τοὺς ὠμοθύμους, μὴ ταῖς ἰδίαις ἐπαίρεσθε, τὰς ἀμάχους ῥώμας ἰδόντες καθαιρουμένας, σωφρονίσθητε· ἡ μὲν καυστικὴ δύναμις τῆς φλογὸς ὡς ξύλον καίεται, τὸ δὲ φύσει καυστὸν ξύλον, οἷα πῦρ ἐμφανῶς καίει. *Symbolum enim ardens rubus est eorum qui affliguntur: urens autem ignis affligentium; quod autem non comburatur quod ardet, significat læsos non esse perdendos ab iis, qui imminent, sed his quidem infectum & inutilem fore impetum, illis verò incursum innoxium. Angelus autem symbolum est providentiæ Dei, qui sum-*

summopere terribilia præter omnium spem, secundum multam quietem expedita reddit. Assimilationem autem diligenter considerandum est: Rubus, quod dictum est, frutex admodum debilis, sed non sine spinis, si quis tantum attigerit, eum vulnerat: non est absumptus ab igne, qui per naturam depascit, sed ex opposito conservatus ab eo, permanensque qualis erat, ut ne combureretur, nihil omnino deperdens, splendorem acquisivit. Hoc omne delineatio quædam est gentilis argumenti, quod illo tempore imminebat tantum non clamans in calamitatibus, Ne concidatis animo: Infirmitas potentia est, quæ plurimos pungit & vulnerat. Ab invitis illis, qui cupiunt genus vestrum perdere, conservabimini potius quam interibitis; malis non lædemini, sed ubi quis maxime se vos subversurum esse existimabit, tunc maxime ad gloriam effulgebitis. Rursum ignis, substantia perdere solita, reprehendens sævos animo, Ne attollamini vestris viribus, videntes, quod inexpugnabile robur dejiciatur, sapite. Ecce urens vis ignis, tanquam tignum comburitur, at lignum natura cremabile, ut ignis, manifeste urit. Aben-esdras: *Ratio hujus signi, quod hostis assimiletur igni & Israël rubo, propterea non comburitur.* Eadem Ralbag habet fusius. Illi non animadvertunt ignem significare gloriam Dei, cum qua apparet, ejusque vim adversus hostes. Innoxiæ flammæ indicant Ignem naturali modo nec accensum esse nec agere. Quidam dicunt Rubum esse gentem Judaicam, ignem esse legem, quæ luceat quidem, sed non penetret. Item Rubum esse humanitatem nostram, ignem Deum cui conjuncta sit non consumpta. Vel Rubum notasse Virginem Mariam, Ignem Spiritum S. qui in ea formavit humanum corpus illæsa virginitate. Hæc sane scopum non attingunt, quamvis sint subtiliter excogitata. Rivetus dicit Philonis interpretationem à plerisque interpretum veterum & recentiorum approbari nec immeritò: quia scitum sit ignem poni pro omni tribulatione. At cur in rubo potius quam alia stirpis specie? Rivetus: *Videtur autem talia arbusta Deum elegisse, quia facile cremari solent, & quia mos est pastorum, qui etiamnum perdurat, ut dumetis injiciant aliquando hyeme, ut se calefaciant: alio etiam tempore quocunque, quia postea sub combustis illis dumetis, crescunt herbæ delicatissimæ. Itaque mirum videri non potuit, quod rubus arderet, nisi fortassis, quia id fiebat in loco, in quo nemo adesset. Id mirum meritò visum est, quod arderet rubus, nec tamen ab igne damnum pateretur: eoque majus erat miraculum, quod spinæ facillimè flammas concipiunt: maximè quia hoc habet rubus, quod semper ramis viridibus miscentur multi sicci, qui alios incendere possunt: quod si usu veniat in nostris regionibus, multò magis in calidioribus, qualis fuit Arabia illa deserta. Hanc autem inter alias rationes afferunt veteres quidam, quod in rubo apparuit Deus & in flamma ignis, ne si in alio ligno apparuisset, Judæi ad idololatriam proni, ex eo conflarent idolum. Ubi etiam notant Deum nihil commune habere voluisse cum dæmonibus, quos autor est Alexander Magnus in epistola ad præceptorem Aristotelem, quam Cornelius Nepos Latinam fecit, in India locutos esse per arborem. Glossa etiam similem dant rationem de igne, quia ejus figura non est imitabilis.*

v. 3. *Dixit ergò Moses, Vadam & videbo visionem hanc magnam quare non comburatur rubus.*

Fuerit ne verus ignis an species ignis in rubo repræsentata, quæsitum est. Apparet Mosi visum esse, quod verus ignis esset. *Majus miraculum erit, si verum ignem fuisse dicamus* (inquit Rivetus) *non solum quia excitatus fuit à Deo immediatè, sed etiam quia vi comburendi præditus, qualem habuit ignis ille miraculosus, qui filios Aaronis devoravit, & ignis è cœlo delapsus, qui sacrificiis comburendis inserviebat, non tamen vim suam exercuit in rubum. Nempe, quia actionem in illud arbustum Deus prohibebat, sicut in Babylonica fornace, in socios Danielis. Ex*

quo

quo non sequitur, quod Bellarminus & alii Pontificii volunt posse unum corpus simul esse in pluribus locis aut suis carere dimensionibus, quia calida possunt non calefacere. Calefacere enim non est igni interna qualitas sed calefacere posse & in se calidum esse. Quod etsi semper maneat, non tamen necessarium est, ut actu semper urat. Objicit Bellarminus rationem, cur Deus possit facere, cur calidum non calefaciat, eandem esse in magnitudine & occupatione loci: quia magnitudo est causa, occupatio loci est effectus: posse ergo vi Divina magnitudinem esse sine loco. Respondemus effectum causæ efficientis à sua causa posse separari, non autem effectum causæ formalis: ratio est, quia causa efficiens, qua talis, id quod facit, extra se facit: sic calefactio passiva est extra ignem. At formatum non est extra formam: nec corpus magnum est, quia potest extendi & habere suas dimensiones, sed quia extensum est in se & hoc habet ut formam & essentiam magnitudinis suæ. Calefacere autem actu non esse internam igni qualitatem, sed externum effectum & accidentale ex eo constat, quod non calefacit; nisi sit quod calefiat: unde apparet impediri posse effectum absque ulla contradictione: quia ignis non desinet esse calidus etsi nihil comburat, sed tantum calor non aget in externa corpora. Quod etiam aliquando vi naturali inhiberi posse constat. Plinius dicit lignum perfusum ovo non ardere, ac ne vestem quidem contactam aduri *lib. 29. cap. 3. Hoc verum sit nec ne, etsi præstare nolim, id tamen constat experientia quotidiana, lintea illita vino adusto, aut destillato, quod aquam vitæ appellant, ab igne non lædi, quandiu ardet aqua. Quodsi talia fiant naturaliter, non debet videri naturam rerum destrui, si circa quædam objecta Deus vim ignis impediat, quod in rubo factum est, si ignis ille fuerit verus ignis. Lorinus in hunc locum scribit aliam quandam rubo affixam materiam aluisse flammas.* Hactenus Cl. Rivetus: Ubi distincte ista: Primò quærit, Fueritne verus an repræsentatus ignis? Verum fuisse potius arbitratur. Hæc est communis opinio. Secundò si verus fuit, miraculose non combussit rubum. Tertiò, In hoc miraculo calor non est separatus ab igne, quia ipsa forma & essentia ignis est aut ei inseparabiliter cohæret. Quartò, Calefactio sive combustio fuit inhibita; quatenus Deus actionem caloris in rubum impediit. Quintò, cum tamen flammæ fuerint, alibilem materiam iste ignis non tantum habuit sed & consumpsit. Nam flamma nihil est aliud quam oleosæ substantiæ in materia combustibili accensæ & ardentis lux. Potest Deus vim ignis cohibere, quis negat? Ignem sine calore, corpus sine magnitudine facere non potest. Nam ignis calidus erit, eoque ignis, licet non possit agere in subjectum corpus, corpus non est sine magnitudine. Salianus: *Fuisse porro verum ac germanum in hoc rubo ignem, non speciem ignis, qualis in ea columna, quæ noctu super Israëlitarum castra apparebat, minimè dubitandum est. Ardebat quippe sed consumentem ejus actionem in illud arbustum prohibebat Deus, sicut in fornace Babylonica in socios Danielis. Qua de re pleraque de more disputat Abulensis in hunc locum, quem majore otio consules. Interim audi Sedulium:*

Ignibus innocuis flagrans apparuit olim
Non ardens ardere rubus, nec juncta calori
Materies alimenta dabat; nec torrida vivens
Sensit damna frutex, sed amici fomitis æstu
Frondea blanditæ lambebant robora flammæ.

Hoc viso Deus Mosis animum præparare voluit, ut attentius dicenda audiret, quia ipsius rei figuram visibilem oculis usurpabat. Simul ut confirmaretur initio vocationis suæ. Videt enim rubum igni inflammatum ardentemque non absumi:

 sumi:

sumi: significatur, populum, cui Deus ipsum præficere destinabat, in media calamitatum flamma incolumem futurum, & emersurum Dei tutela. *Hinc est* (inquit Rivetus) *quod Deus oblata hac visione, eum etiam movet ut rem omnem exactius cognoscere desideraret. Non putem enim eum aliqua curiositate inductum abdita naturæ rimandi, de propiori accessu deliberasse, sed potius animum ejus aliqua religione & divino instinctu fuisse impulsum, ut in hoc spectaculo mysterium aliquod sibi non negligendum denotari putarit: itaque studio discendi propius accedere statuit. Unde est, quod visionem illam* magnam *ab initio censuit; quia nihil vulgare videbat significare.* Posteà: *Non putandum ergò verba Dei ad Mosen* (v. 5.) *esse reprehendentis sed monentis de religione loci & honore exhibendo propter præsentiam Dei. Non igitur probanda est sententia Iesuitæ à Lapide, qui Mosen hic redarguit, quasi* per modum naturæ, *ut loquitur*, audalter, curiose ac parum religiose, ad scrutandum hoc mysterium, vellet accedere. Recte Rivetus. Nam quia *magnam* rem esse animadvertebat, altius aliquid, quam natura edere potest, concipiebat animo. Rivetus iterum: *Certò non temere irruebat*, sed deliberans apud semetipsum, visionem religiose admiratur, *nedum ut contemnat.* Non tamen negandum est, Divina denuntiatione attentiorem *factum & cautiorem.*

v. 4. *Cernens autem Dominus, quod pergeret ad videndum, vocavit eum Deus de medio rubi, & ait Moyses: qui respondit, Adsum.*

v. 5. *At ille, Ne appropinques, inquit, huc; Solve calceamentum de pedibus tuis: Locus enim, in quo stas, terra sancta est.*

Hic primo notandum, quod qui v. 2. dictus est Angelus, hic vocetur Dominus (יהוה) & Deus. Quomodo id eludant Judæi superius diximus. Christiani etiam interpretes (& quidam ex orthodoxis) putant Angelum, qui Deum repræsentat, aut legatione fungitur pro Deo, Dei nomen & facta sibi posse sumere & attribuere; quod alienissimum est à vero. Si Legatio daret nomen etiam ita posset dici homo, ut Sossinus cum sequacibus urget. Pontificii hic argumentum quærunt cultui angelorum, quamvis etiam eo dato, hoc tantum sequeretur, dum & qua repræsentant, coli & adorari posse. Salianus: *Sed remanet etiam illud non satis explicatum, à Deone ista vox, an ab angelo profecta sit. Quod plerique patrum eum, quem D. Stephanus interpretatus est angelum, ipsi magni consilii angelum, id est filium Dei esse velint, omnesque propemodum V. T. visiones à verbo Dei carnem suscepturo factas arbitrantur. Communis tamen nunc est doctorum sententia, eas ab angelo aliquo fuisse factas, qui etiam aliquando proprio nomine appellatur, ut Gabriel apud Danielem & Lucam; Raphael apud Tobiam: non autem ab illo, qui nunquam simpliciter* Angelus *dicitur, sed cum adjecto aliquo sive* magni consilii *sive* testamenti. *Quæ est etiam D. Dionysii sententia. Neque officit huic sententiæ, quod tum Deus, tum Dominus appelletur, addita etiam voce* יהוה: *quia licet reipsa fuerit Angelus, Divinam tamen authoritatem ac majestatem repræsentabat; & non suo sed Dei nomine loquebatur. Quo pertinet illud Exodi; ubi Dominus jubet observari* Angelum suum, Quia, *inquit*, nomen meum in illo est, *id est nomine meo loquitur, ait, quia in medio ejus sum. Quod si qua unquam fuit apparitio, ut notavit Abulensis quam ab ipso Deo immediatè factam fateri fas esset hic honos illi visioni utique tribuendus esset in qua tanto apparatu Mosi data est lex: at id factum ab angelis Paulus ipse testatur. Quis autem fuerit hic Angelus, certò affirmari non potest. Probabiliter existimat Pererius, fuisse Archangelum Michaelem, qui nunc in rubo, posteà in monte Sina Moysi apparuit; & deinde Iosue successori ejus, cum introducturus esset Hebræum populum in promissam terram. Nimirum, quia hæ apparitiones non privatim ad illas personas pertinebant,*

sed

quo non sequitur, quod Bellarminus & alii Pontificii volunt posse unum corpus simul esse in pluribus locis aut suis carere dimensionibus, quia calida possunt non calefacere. Calefacere enim non est igni interna qualitas sed calefacere posse & in se calidum esse. Quod etsi semper maneat, non tamen necessarium est, ut actu semper urat. Objicit Bellarminus rationem, cur Deus possit facere, cur calidum non calefaciat, eandem esse in magnitudine & occupatione loci: quia magnitudo est causa, occupatio loci est effectus: posse ergo vi Divina magnitudinem esse sine loco. Respondemus effectum causæ efficientis à sua causa posse separari, non autem effectum causæ formalis: ratio est, quia causa efficiens, quà talis, id quod facit, extra se facit: sic calefactio passiva est extra ignem. At formatum non est extra formam: nec corpus magnum est, quia potest extendi & habere suas dimensiones, sed quia extensum est in se & hoc habet ut formam & essentiam magnitudinis suæ. Calefacere autem actu non esse internam igni qualitatem, sed externum effectum & accidentale ex eo constat, quod non calefacit; nisi sit quod calefiat: unde apparet impediri posse effectum absque ulla contradictione: quia ignis non desinet esse calidus etsi nihil comburat, sed tantum calor non aget in externa corpora. Quod etiam aliquando vi naturali inhiberi posse constat. Plinius dicit lignum perfusum ovo non ardere, ac ne vestem quidem contactam aduri *lib. 29. cap. 3. Hoc verum sit nec ne, etsi præstare nolim, id tamen constat experientia quotidiana, lintea illita vino adusto, aut destillato, quod aquam vitæ appellant, ab igne non lædi, quandiu ardet aqua. Quod si talia fiant naturaliter, non debet videri naturam rerum destrui, si circa quædam objecta Deus vim ignis impediat, quod in rubo factum est, si ignis ille fuerit verus ignis. Lorinus in hunc locum scribit aliam quandam rubo affixam materiam aluisse flammas.* Hactenus Cl. Rivetus: Ubi distincte ista: Primò quærit, Fueritne verus an repræsentatus ignis? Verum fuisse potius arbitratur. Hæc est communis opinio. Secundò si verus fuit, miraculose non combussit rubum. Tertiò, In hoc miraculo calor non est separatus ab igne, quia ipsa forma & essentia ignis est aut ei inseparabiliter cohæret. Quartò, Calefactio sive combustio fuit inhibita; quatenus Deus actionem caloris in rubum impediit. Quintò, cum tamen flammæ fuerint, alibilem materiam iste ignis non tantum habuit sed & consumpsit. Nam flamma nihil est aliud quam oleosæ substantiæ in materia combustibili accensæ & ardentis lux. Potest Deus vim ignis cohibere, quis negat? Ignem sine calore, corpus sine magnitudine facere non potest. Nam ignis calidus erit, eoque ignis, licet non possit agere in subjectum corpus, corpus non est sine magnitudine. Salianus: *Fuisse porro verum ac germanum in hoc rubo ignem, non speciem ignis, qualis in ea columna, quæ noctu super Israëlitarum castra apparebat, minimè dubitandum est. Ardebat quippe sed consumentem ejus actionem in illud arbustum prohibebat Deus, sicut in fornace Babylonica in socios Danielis. Qua de re pleraque de more disputat Abulensis in hunc locum, quem majore otio consules. Interim audi Sedulium:*

Ignibus innocuis flagrans apparuit olim
Non ardens ardere rubus, nec juncta calori
Materies alimenta dabat; nec torrida vivens
Sensit damna frutex, sed amici fomitis æstu
Frondea blanditæ lambebant robora flammæ.

Hoc viso Deus Mosis animum præparare voluit, ut attentius dicenda audiret, quia ipsius rei figuram visibilem oculis usurpabat. Simul ut confirmaretur initio vocationis suæ. Videt enim rubum igni inflammatum ardentemque non absumi:

angelus Dei Deus est. Sed fortè non verus est. Nunquid non verus est Deus Abrahæ & Deus Isaac & Deus Jacob? *Horum enim angelus de rubo loquens Deus in æternum est. Et ne adoptivi nominisutereris occasione, loquitur ad Mosen,* Deus ille qui est. *Ita enim scriptum est:* Dixit autem Dominus ad Moysen: Ego sum, qui sum. Et dixit, sic dices filiis Israël: Qui est, misit me ad vos. *Cæptus ab angelo Dei sermo est, ut sacramentum intelligatur humanæ salutis in filio. Idem Deus Abrahæ & Deus Isaac & Deus Iacob est, ut ei naturæ nomen sit. Mittit deinde ad Israël Deus qui est, ut verè intelligeretur esse quod Deus est.* Tertullianus lib. 4. adversus Marcionem: *Si non est ille, qui de rubo ardenti vocem suam emisit, viderit quem ignem intelligendum contendas.* De Christo manifestè accipit.

Calvinus: *Visibilem porro formam induere necesse fuit, ut conspiceretur à Mose, non qualis erat in sua essentia, sed qualem capere poterat humanæ mentis infirmitas. Sic enim tenendum est, quoties apparuit Deus olim sanctis patribus descendisse quodammodo ex sua altitudine, ut illis se patefaceret, quatenus utile erat & ferebat eorum captus. Idem & de Angelis dicendum, qui etsi sunt spiritus invisibiles, ubi Deo visum fuit, faciem aliquam sumpserunt, in qua agnoscerentur. Videndum tamen quisnam fuerit hic angelus, quia paulò post non modo se Iehovam nominat sed gloriam sibi vendicat æternæ & unicæ Divinitatis. Etsi autem excusabilis est illa loquendi ratio, quod angeli transferant in se Dei personam, quatenus obeunt partes sibi ab ipso injunctas: quia tamen notum est ex pluribus locis, præsertim ex primo Zachariæ capite inter angelos statui unum principem & caput, qui aliis imperat, rectè senserunt veteres Ecclesiæ doctores, æternum Dei filium ita vocari respectu personæ Mediatoris, quam licet vere, demum una cum carne susceperit, figuram tamen gestavit ab initio. Et Paulus hujus mysterii nobis idoneus est interpres, qui palam asserit Christum fuisse ducem populi in deserto. Quanquam ergò tunc propriè loquendo, nondum nuntius Patris erat, prædestinatio tamen ad officium jam tunc ita vigebat, ut Patribus sub hoc habitu cognoscendum se exhibuerit. Nec sane alia unquam sanctis fuit communicatio cum Deo quam per Mediatorem promissum. Itaque nihil mirum si æternus Dei sermo unius cum Patre Deitatis & essentiæ, nomen Angeli mutuatus sit, futuræ legationis respectu. De visione magna est opinionum varietas. Nimis violenti sunt allegoristæ, qui ex rubo faciunt corpus Christi, quod cælestis majestas non consumpsit, quum sibi elegit pro domicilio. Coactè etiam alii hoc torquent ad præfractum gentis ingenium, quod similes fuerint Israelitæ spinis, quæ igni non cedunt. &c. Conveniunt autem optimè hæc visio & altera prior, quæ oblata fuerat Abrahæ. Vidit ille lampadem fulgentem in medio fornacis caliginosæ. Ratio exprimitur, quod Deus populum suum in tenebris exstingui non sinet. Eadem analogia respondet rubo suam integritatem retinenti in media flamma. Rubi species erat in humili & contempto populo. Igni non absimilis erat tyrannica oppressio, quæ consumptionem secum traxisset nisi mirabiliter obstitisset Deus.* Calvinus tolerabilem sive excusabilem loquendi rationem esse putat, ut angeli transferant in se Dei personam, quatenus obeunt partes sibi ab ipso injunctas, Ego intolerabilem, inexcusabilem esse puto & sine exemplo. Illud primò notandum Deum sui honoris zeloten esse & vindicem acerrimum & severissimum: quia est ipsa sua sublimitas cui soli regnum & gloria. Si hominibus & creaturis deroges nihil est, si Deo vel quicquam, ipsa impietas. Deinde tanta est intercapedo creaturæ & Dei, ut nulla comparatio dari possit. Jam nunquam inter homines auditum est, ut legatus principis, sibi titulum Principis & propria adscribat: nedum ut aliquis legatione fungens Dei nomine, ipsius nomen & facta sibi possit arrogare. Præsertim cum hominum legati repræsentare majestatem sui principis possint ejusque personam suscipere, at Dei omnes creaturæ tantum præcones & nuntii sint.

ſint. Hinc videmus angelos, qui tales erant natura, diligenter ubique inculcare ſe Dei nomine miſſos loqui: Hæc Deum dicere, & annuntiari velle per ſe. Ubicunque igitur iſta angelis Dei conveniens humilitas & demiſſio non comparent, Deum ipſum eſſe qui loquitur, exiſtimandum eſt. Exiſtimo illum qui ad homines venit, figura viſibili, non fuiſſe alium quam Dei ſermonem. Hic etiam Moſi & populo Iſraël legem & populo elocutus eſt. Objicitur, Atqui legem acceperunt *εἰς διαταγὰς ἀγγέλων* Act. 7. 53. Hinc *νόμος διαταγεὶς δι' ἀγγέλων ἐν χειρὶ μεσίτου.* Gal. 3. 19. Et *ὁ δι' ἀγγέλων λαληθεὶς λόγος*. R. Ad angelos effective oracula vetera in aëris efformatione pertinuerunt, ſed terminative ad Dei filium. Deinde *οἰκονομικῶς* legis promulgatio tribuitur angelis, quia minoris præſtantiæ eſt. Quod nomen Dei eſſe dicant quidam in medio Angeli creati, id affine eſt blaſphemiæ. Admittendum minimè eſt, quod dicit Gregorius m gnus homil. 1. in Euangelia: *Quia enim cali rex terram noſtra carnis aſſumpſit, infirmitatem noſtram illa jam angelica celſitudo non deſpicit. Ad pacem noſtram angeli redeunt, intentionem prioris diſcordiæ poſtponunt & quos prius infirmos abjectoſque deſpexerant, jam ſocios venerantur. Hinc eſt enim quod Lot & Ioſue angelos adorant, nec tamen adorare prohibentur: Iohannes verò in apocalypſi ſua adorare voluit ſed tamen idem hunc angelus ne ſe debeat adorare compeſcuit &c. quod naturam noſtram quam prius deſpexerant, poſtquam hanc ſuper ſe aſſumptam conſpiciunt proſtratam ſibi videre pertimeſcunt. Nec jam ſubſe velut infirmam contemnere auſi ſunt, quam ſuper ſe videlicet in cœli rege venerantur. Nec habere dedignantur hominem ſocium qui ſuper ſe adorant hominem Deum* &c. Nunquam religioſæ adorationis honor angelis potuit deferri, ſine idololatriæ crimine. Joſias Simlerus: *Quare Hebrai tres partes viſionis hujus faciunt, Rubum ardentem, angelum & Iehovam: quod paulatim quaſi per gradus Deus homines in ſui cognitionem extollat. Noſtri interpretes non alium faciunt angelum & Iehovam, ſed ajunt Filium Dei nominari angelum, ſicut à Malachia angelus teſtamenti & ab Eſaia magni conſilii angelus nominatur: & apud Zachariam princeps inter angelos ſtatuitur: Angelus autem non natura ſed officii nomen eſt &* nuntium, legatum *ſignificat: teſtatur vero ſapiſſimè Chriſtus Dominus ſe à Patre in hunc mundum miſſum. Etſi autem hoc ad carnis aſſumptionem referatur, qua definito tempore facta eſt, tamen antea quoque futura incarnationis reſpectu Angelus nominatur. Chriſtum autem Moſi in rubo viſum, non angelum creatum hinc colligimus, quod Deut. 33. Ioſepho optat benedictionem illius, quem in rubo vidit. Item non alius illi viſus eſt, quam qui populi dux fuit in deſerto: Chriſtum autem hunc eſſe teſtatur Apoſtolus 1. Cor. 10. Praterea ea deinceps audiemus dicta Moſi ab angelo, qua nulli creatura competunt, quando apertè ſibi vindicat gloriam aterna & unica Divinitatis. Apparuit autem filius Dei non in ſua ſubſtantia ſed ad tempus aſſumpta viſibili forma: ſicut Sp. S. in baptiſmo ſumpta columba adſpectabili ſpecie viſus eſt: ſicut angeli ſpiritus incorporei, humana autem forma ſape patribus apparuerunt. Vnde autem formam ſumpſerint, ſeu corpora ad tempus mutuati ſint & quo depoſuerint, ipſe novit, qui admirabilia facit ſolus. Porrò cum opera Trinitatis ad extra ſint communia, effectio harum formarum non uni perſona eſt adſcribenda quamvis repraſentatio diſtinctè ad perſonam filii referatur. Conveniebat huic, qui veram humana carnis ſubſtantiam aſſumpturus erat in unam hypoſtaſin, ut jam ante quoque Patribus ſe forma humana, non hypoſtaticè unita ſed ad tempus aſſumpta conſpiciendum exhiberet & ita futuram incarnationem hoc quaſi praludio illis adumbraret.*

Secundò hic conſiderandum eſt, quod poſtquam Deus bis nomine Moſen ſuo inclamaſſet isque reſpondiſſet animo imperterrito & præſente, ſe adeſſe, juſſerit calceamenta exuere, quod locus ſanctus eſſet in quo conſiſteret. Inclamat

angelus Dei Deus est. Sed fortè non verus est. Nunquid non verus est Deus Abrahæ & Deus Isaac & Deus Jacob? *Horum enim angelus de rubo loquens Deus in aeternum est. Et ne adoptivi nominis utereris occasione, loquitur ad Mosen*, Deus ille qui est. *Ita enim scriptum est:* Dixit autem Dominus ad Moysen: Ego sum, qui sum. Et dixit, sic dices filiis Israël: Qui est, misit me ad vos. *Cœptus ab angelo Dei sermo est, ut sacramentum intelligatur humanæ salutis in filio. Idem Deus Abraha & Deus Isaac & Deus Iacob est, ut ei natura nomen sit. Mittit deinde ad Israël Deus qui est, ut verè intelligeretur esse quod Deus est.* Tertullianus lib.4. adversus Marcionem: *Si non est ille, qui de rubo ardenti vocem suam emisit, viderit quem ignem intelligendum contendas.* De Christo manifestè accipit.

Calvinus: *Visibilem porro formam induere necesse fuit, ut conspiceretur à Mose, non qualis erat in sua essentia, sed qualem capere poterat humanæ mentis infirmitas. Sic enim tenendum est, quoties apparuit Deus olim sanctis patribus descendisse quodammodo ex sua altitudine, ut illis se patefaceret, quatenus utile erat & ferebat eorum captus. Idem & de Angelis dicendum, qui etsi sunt spiritus invisibiles, ubi Deo visum fuit, faciem aliquam sumpserunt, in qua agnoscerentur. Videndum tamen quisnam fuerit hic angelus, quia paulò post non modo se Iehovam nominat sed gloriam sibi vendicat æternæ & unicæ Divinitatis. Etsi autem excusabilis est illa loquendi ratio, quod angeli transferant in se Dei personam, quatenus obeunt partes sibi ab ipso injunctas: quia tamen notum est ex pluribus locis, præsertim ex primo Zachariæ capite inter angelos statui unum principem & caput, qui aliis imperat, rectè senserunt veteres Ecclesiæ doctores, æternum Dei filium ita vocari respectu personæ Mediatoris, quam licet vere, demum una cum carne susceperit, figuram tamen gestavit ab initio. Et Paulus hujus mysterii nobis idoneus est interpres, qui palam asserit Christum fuisse ducem populi in deserto. Quanquam ergò tunc propriè loquendo, nondum nuntius Patris erat, prædestinatio tamen ad officium jam tunc ita vigebat, ut Patribus sub hoc habitu cognoscendum se exhibuerit. Nec sane alia unquam sanctis fuit communicatio cum Deo quam per Mediatorem promissum. Itaque nihil mirum si æternus Dei sermo unius cum Patre Deitatis & essentiæ, nomen Angeli mutuatus sit, futuræ legationis respectu. De visione magna est opinionum varietas. Nimis violenti sunt allegoristæ, qui ex rubo faciunt corpus Christi, quod cælestis majestas non consumpsit, quum sibi elegit pro domicilio. Coactè etiam alii hoc torquent ad præfractum gentis ingenium, quod similes fuerint Israelitæ spinis, quæ igni non cedunt. &c. Conveniunt autem optimè hæc visio & altera prior, quæ oblata fuerat Abrahæ. Vidit ille lampadem fulgentem in medio fornacis caliginosæ. Ratio exprimitur, quod Deus populum suum in tenebris exstingui non sinet. Eadem analogia respondet rubo suam integritatem retinenti in media flamma. Rubi species erat in humili & contempto populo. Igni non absimilis erat tyrannica oppressio, quæ consumptionem secum traxisset nisi mirabiliter obstitisset Deus.* Calvinus tolerabilem sive excusabilem loquendi rationem esse putat, ut angeli transferant in se Dei personam, quatenus obeunt partes sibi ab ipso injunctas, Ego intolerabilem, inexcusabilem esse puto & sine exemplo. Illud primò notandum Deum sui honoris zeloten esse & vindicem acerrimum & severissimum: quia est ipsa sua sublimitas cui soli regnum & gloria. Si hominibus & creaturis deroges nihil est, si Deo vel quicquam, ipsa impietas. Deinde tanta est intercapedo creaturæ & Dei, ut nulla comparatio dari possit. Jam nunquam inter homines auditum est, ut legatus principis, sibi titulum Principis & propria adscribat: nedum ut aliquis legatione fungens Dei nomine, ipsius nomen & facta sibi possit arrogare. Præsertim cum hominum legati repræsentare majestatem sui principis possint ejusque personam suscipere, at Dei omnes creaturæ tantum præcones & nuntii sint.

ſint. Hinc videmus angelos, qui tales erant natura, diligenter ubique inculcare ſe Dei nomine miſſos loqui: Hæc Deum dicere, & annuntiari velle per ſe. Ubicunque igitur iſta angelis Dei conveniens humilitas & demiſſio non comparent, Deum ipſum eſſe qui loquitur, exiſtimandum eſt. Exiſtimo illum qui ad homines venit, figura viſibili, non fuiſſe alium quam Dei ſermonem. Hic etiam Moſi & populo Iſraël legem & populo elocutus eſt. Objicitur, Atqui legem acceperunt *εἰς διαταγὰς ἀγγέλων* Act. 7. 53. Hinc *νόμος διαταγεὶς δι' ἀγγέλων ἐν χειρὶ μεσίτου*. Gal. 3. 19. Et *ὁ δι' ἀγγέλων λαληθεὶς λόγος*. R. Ad angelos effective oracula verera in aëris efformatione pertinuerunt, ſed terminative ad Dei filium. Deinde *οἰκονομικῶς* legis promulgatio tribuitur angelis, quia minoris præſtantiæ eſt. Quod nomen Dei eſſe dicant quidam in medio Angeli creati, id affine eſt blaſphemiæ. Admittendum minimè eſt, quod dicit Gregorius magnus homil. 1. in Euangelia: *Quia enim cæli rex terram noſtra carnis aſſumpſit, infirmitatem noſtram illa jam angelica celſitudo non deſpicit. Ad pacem noſtram angeli redeunt, intentionem prioris diſcordiæ poſtponunt & quos prius infirmos abjectoſque deſpexerant, jam ſocios venerantur. Hinc eſt enim quod Lot & Ioſue angelos adorant, nec tamen adorare prohibentur: Iohannes verò in apocalypſi ſua adorare voluit ſed tamen idem hunc angelus ne ſe debeat adorare compeſcuit &c. quod naturam noſtram quam prius deſpexerant, poſtquam hanc ſuper ſe aſſumptam conſpiciunt proſtratam ſibi videre pertimeſcunt. Nec jam ſubſe velut infirmam contemnere auſi ſunt, quam ſuper ſe videlicet in cæli rege venerantur. Nec habere dedignantur hominem ſocium qui ſuper ſe adorant hominem Deum* &c. Nunquam religioſæ adorationis honor angelis potuit deferri, ſine idololatriæ crimine. Joſias Simlerus: *Quare Hebræi tres partes viſionis hujus faciunt, Rubum ardentem, angelum & Iehovam: quod paulatim quaſi per gradus Deus homines in ſui cognitionem extollat. Noſtri interpretes non alium faciunt angelum & Iehovam, ſed ajunt Filium Dei nominari angelum, ſicut à Malachia angelus teſtamenti & ab Eſaia magni conſilii angelus nominatur: & apud Zachariam princeps inter angelos ſtatuitur: Angelus autem non natura ſed officii nomen eſt &* nuntium, legatum *ſignificat: teſtatur vero ſæpiſſimè Chriſtus Dominus ſe à Patre in hunc mundum miſſum. Etſi autem hoc ad carnis aſſumptionem referatur, quæ definito tempore facta eſt, tamen antea quoque futuræ incarnationis reſpectu Angelus nominatur. Chriſtum autem Moſi in rubo viſum, non angelum creatum hinc colligimus, quod Deut. 33. Ioſepho optat benedictionem illius, quem in rubo vidit. Item non alius illi viſus eſt, quam qui populi dux fuit in deſerto: Chriſtum autem hunc eſſe teſtatur Apoſtolus 1. Cor. 10. Præterea ea deinceps audiemus dicta Moſi ab angelo, quæ nulli creaturæ competunt, quando apertè ſibi vindicat gloriam æternæ & unicæ Divinitatis. Apparuit autem filius Dei non in ſua ſubſtantia ſed ad tempus aſſumpta viſibili forma: ſicut Sp. S. in baptiſmo ſumpta columbæ adſpectabili ſpecie viſus eſt: ſicut angeli ſpiritus incorporei, humana autem forma ſæpe patribus apparuerunt. Unde autem formam ſumpſerint, ſeu corpora ad tempus mutuati ſint & quo depoſuerint, ipſe novit, qui admirabilia facit ſolus. Porrò cum opera Trinitatis ad extra ſint communia, effectio harum formarum non uni perſonæ eſt adſcribenda quamvis repræſentatio diſtinctè ad perſonam filii referatur. Conveniebat huic, qui veram humanæ carnis ſubſtantiam aſſumpturus erat in unam hypoſtaſin, ut jam ante quoque Patribus ſe forma humana, non hypoſtaticè unita ſed ad tempus aſſumpta conſpiciendum exhiberet & ita futuram incarnationem hoc quaſi præludio illis adumbraret.*

Secundò hic conſiderandum eſt, quod poſtquam Deus bis nomine Moſen ſuo inclamaſſet isque reſpondiſſet animo imperterrito & præſente, ſe adeſſe, juſſerit calceamenta exuere, quod locus ſanctus eſſet in quo conſiſteret. Inclamat

clamat eum Deus suo nomine bis: Id ut animum perturbatum confirmaret, ut quidam volunt: potius ut pro imperio obsequii necessitatem indicaret: & ut ad discendum attentior sit, tanquam ad Dei tribunal citatus. Jubetur discalceare se. In deserto erat calceatus ne pedes læderentur à scrupis & spinis. Josias Simlerus: *Videtur autem indicari aliquid humanæ curiositatis religiosæ contemplationi Mosis immixtum fuisse.* Riveti observatio notabilis est: Prohibitionem non appropinquandi vel absolute sumi posse vel conditionaliter. *Absolute* ut prorsus prohibeatur ei propior accessus: *conditionaliter* ut prohibeatur tantum, *donec fecisset, quod jubebatur: ut sit sensus, Ne appropinques priusquam solveris calceamenta tua, quasi posteà liceret accedere.* Existimat absolute intelligendum esse, ut denuntietur ne propius accederet. Voluisse igitur Deum ut sisteret gradum, in eo loco, in quo non tam procul aberat, quin videre posset vel audire. Id enim ei necessarium erat. Nec tam prope accesserat, ut videretur velle scrutari curiosius majestatem. In monte Sina postea jussus est Moses terminos sepimento definire, capitali pœna sancitos. Quando igitur vetatur propius accedere, inanis curiositas prohibetur: ne propius accedamus & Dei gloriam scrutemur, quam necesse est. Sic Maria Magdal. prohibetur Christum tangere ne curiosius scrutetur habitum corporis resuscitati Joh. 20. Nisi hoc eum sensum habeat, quod non debeat se illi (qui nondum habebat plenitudinem gloriæ) voto & animis alligare, sed in ejus exaltatione spei summam ponere.

Quod autem calceamenta exuere jubetur, id variè accipiunt interpretes. Nam primò, inferiores affectus subjici debere rationi. Hos scilicet ad terram & terrestria depressos esse. Secundo, Mortua opera deponenda esse, quia calceamenta fiunt è pellibus animalium: (Refert & improbat Theodoretus) quamvis Hebræi Mosis calceamenta, quibus in solitudine utebatur pastor, straminea seu juncea fuisse velint (uti notat D. Rivetus) Tertiò, significari vincula cupiditatum terrenarum, quia calceamenta corrigiis vinciuntur. Quartò Argumentorum formulas & syllogismos, quos ratio humana torquet adversus doctrinæ cælestis veritatem. Quintò, Quiescendum esse in tractatione rerum cælestium, illique indormiendum. Nam cubitum euntes calceos deponunt. Sextò, juri suo eum cedere oportere, seque totum Deo tradere, qui ad eum accedit: quemadmodum calceum tradebat, qui cognati uxorem & hæreditatem cedebat alteri. Septimò, Puritatem animi corporisque requiri in eo, qui Deo appropinquat. Nam calceamentis sordes & pulvis inhærescunt. Octavò, quod Theodoretus etiam de quorundam opinione refert, ἵνα γυμνοῖς τοῖς ποσὶν ἁγιάσῃ τὴν γῆν. Hoc ipse etiam improbat. Ultimò, Notari, quod in cultu Mosaico & templo nudis pedibus ministrandum esset. Cæterum ut videamus, quænam harum speculationum similiumque possit subsistere ut rei conformis, age discutiamus illum ritum discalceationis, quibus rebus & usibus adhiberi solitus sit. Primò notandum quod alienum sit illud verbum Johannis baptistæ (quod tamen D. Rivetus pro exemplo laudat) dicentis se dignum non esse, *ut Domini calceamenta portet*: οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς τὰ ὑποδήματα βαστάσαι Matth. III. 11. Aut (ut Marc. I. 7. concipitur) *ut incurvatus solvam corrigiam calceamentorum ejus*: οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς κύψας λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ. Hoc posteriori modo etiam proponitur Luc. 3. 16. & Joh. 1. 27. Nam Johannes loquitur de vilissima specie ministerii, quod hic locum non habet. Proinde nudatio pedum primò ritus fuit lugentium, sicuti patet Ezech. XXIV. 16. 17. Dicit Deus se illi ablaturum oculorum suorum voluptatem, id est conjugem suam, ipsum tamen nullum luctus mærorisque signum admissurum, non lachrimas non planctum neque ploratus. *Corona tua*

na tua circumligata ſit tibi & calceamenta tua erunt *in pedibus tuis.* Secundò, ſignum contumeliæ & opprobrii, quemadmodum jubetur propheta Eſaias (cap. 20.) nudus & diſcalceatus incedere, documento futuri de Ægyptiis & Æthiopibus, quos Aſſyrius erat ſubjugaturus & eo habitu in captivitatem abducturus. Tertiò, Qui jus ſuum alteri cedebat de hæreditate fratris, quod defuncti viduam nollet ducere, detractum alteri pedi calceum proximo ducturo tradebat (Ruth. 4.) Quem ipſi prius ſpreta mulier exſolverat Deut. 25. Cujus domus dicebatur domus diſcalceati. Quartò, ſervuli accedentes hero, & ſupplices domino caput hodie nudant, olim etiam pedibus detrahebant calceamenta ut nudipedes adſtarent. Quinto, Sacra & miniſteria divina nudis pedibus obibant in tabernaculo ſacerdotes. Servius: *Sane flaminica non licebat neque calceos neque ſoleas morticinas habere.* Licuit igitur ſoleas habere ſed non morticinas: cum calceus omnino eſſet interdictus. Chriſtus etiam diſcipulis ſandalia permiſit, cum prohiberet calceos, qui totum pedem tegunt & muniunt. Confer. Matth. 10. 10. & Marc. 6. 9. Diſcrimen expreſſit Belgica nova interpretatio **Schoenen / Schoenſolen.** Sextò. Sacra loca adibantur pedibus nudis, ut apud Turcas eorum oratoria. Id de Æthiopibus etiam refert Damianus à Goes. *Nobis,* inquit, *non datur poteſtas adeundi templum, niſi nudis pedibus; neque nobis licet in ipſo ridere, loqui, obambulare; quia templa ſimilia ſunt monti Sinai, ubi Dominus dixit Moyſi: Solve calceamentum.* Sic & Pythagoræ ſymbolum fuit, *Nudis pedibus rem ſacram facito & adorato.* Septimò, Accubituri ad menſam deponebant calceos, ſumebant ſoleas. Munditiæ cauſa id factum. Ad plenitudinem veſtiendi etiam calceamenta pertinent, quemadmodum pater indulgens filio prodigo imperat etiam calceamenta dari in pedibus. Et Deus ſynagogam veſtierat univerſa plenitudine, *Calceavi te Hyacintho,* (Ezech. 16. 10.) Sic habet Vulgata Latina editio, quæ cum Græca conſonat: *Ὑπέδυσά σε ὑάκινθον:* legendum *ὑπέδησά σε.* In Hebræo תחש *meles, taxus & pellis* ejus animalis. Ulpianus de alimentis legatis: *Diariis vel cibariis relictis neque habitationem, neque veſtiarium neque calcearium deberi palam eſt.* Pauperes & ſtrictæ vitæ ſine calceo Cic. 5. Tuſcul. *Mihi amictui eſt Scythicum tegmen, calceamentum ſolorum callum, cubile terra.* Moſen exui jubet calceis, נעליך plurali, Joſue נעלך numero ſingulari poſita voce. Senſus idem eſt. Fruſtra enim in eo Judæi quærunt myſterium. Soleaſne an calceos habuiſſe Moſen dicimus? Quodcunque ſit, juſſus eſt pedem nudare & nudo pede terræ inſiſtere ob loci reverentiam & Dei. Locum ſanctum ſacerdotibus ſeparatum calcare non licuit niſi nudis pedibus. Etiam omnia quæcunque aliquis geſtaret deponenda ante ingreſſum templi univerſi. Dominus non permiſit ut aliquis inſtrumentum per templum ferret Marci XI. 16. Subjectio ſimul fuit & ſummæ humilitatis demiſſio; unde ſe compoſuit in eum morem, quo ſolebant ſacra facturi. Non enim puto opus fuiſſe, ut calceos deponerent, qui laicis conceſſa non egrediebantur, niſi ſacrum facerent. Commemorat Joſephus de Berenice ſorore Agrippæ, quæ nudipes & ſupplex ad tribunal Flori adſtitit. *Ἐπεδήμει δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις, εὐχὴν ἐκτελοῦσα τῷ θεῷ. τοὺς γὰρ ἢ νόσῳ καταπονουμένους ἤ τισιν ἄλλαις ἀνάγκαις ἔθος εὔχεσθαι πρὸ τριάκοντα ἡμερῶν, ἧς ἀποδώσειν μέλλοιεν θυσίας οἴνου τε ἀφέξεσθαι καὶ (μὴ) ξυρήσεσθαι τὰς κόμας. ἃ δὴ τότε τελοῦσα Βερνίκη γυμνόπους τε πρὸ τοῦ βήματος ἱκέτευε τὸν Φλῶρον καὶ πρὸς τὸ μὴ τυχεῖν αἰδοῦς* &c. Quæ ita Latinè ſonant: *Verſabatur autem Hieroſolymis* votum *Deo perficiens. Moris enim erat Laborantes morbo aut aliis quibuſdam neceſſitatibus, vovere, triginta diebus ante ſacrum, quod facturi, & vino ſe temperaturos & non depoſituros comam. Quæ cum perficeret Berenice nudo pede ante tribunal ſupplex fuit Floro & quum nulla*

nulla illius reverentia esset, periclitata vita. Hic non apparet, qua de causa Berenice nudata fuerit pedibus, an quia è sacro recens erat & eo habitu venerit ad Florum, an quia moris erit supplices nudis pedibus esse. Lego autem ξυρήσασθαι pro ξυρήσεσθαι. Apud Tertullianum de corona militis legimus: *Speculatoriam morosissimam pedibus absolvit, terra sanctæ insistere cupiens.* Alludit ad hanc historiam in milite qui habitu militari denudabatur. Theodoretus putat significari εὐλάβειαν & προπαιδείαν γυμνοποδίας sacerdotum in templo: Διὸ τοίνυν ἡγοῦμαι διὰ τούτου δηλοῦσθαι· πρῶτον μὲν γὰρ εὐλαβέστερον αὐτὸν τῷδε τῷ λόγῳ καθίστησιν, ὥστε μετὰ δέους τῶν προστατομένων ἀκοῦσαι· ἔπειτα προπαιδεύεται πῶς χρὴ τοὺς ἱερέας ἐν τῇ σκηνῇ λειτουργεῖν. γυμνοῖς γὰρ κἀκεῖνοι ποσὶ τὰς λειτουργίας ἐπετέλουν, καὶ τὰς θυσίας. *Duo igitur arbitror per hoc significari: Primum enim religiosiorem hac ratione illum reddit, ut cum metu audiat, quæ imperanda essent: deinde præinstituitur, quomodo oporteat sacerdotes in tabernaculo ministrare. Nam nudis pedibus etiam illi ministeria obibant & sacrificia.* Quia ob reverentiam Dei & loci, in quo Deus, calceamenta deponenda erant & nudis pedibus agendum, hinc non sequitur, γυμνοποδίαν omni tempore & loco religione suaderi, aut Deo opus in se gratum esse & meritorium: quod volunt Franciscani, de quibus versiculus est:

> *Cordula nodosa, pes nudus, cappa dolosa:*
> *Hæc duo nudipedes ducunt ad tartara fratres.*

Alia tempora alios mores postulant & quod in sacris fit reverentiæ causa, extra sacra locum non habet, nec in sacris per se Deo placet. Locorum sanctitas nulla est nisi per relationem, quæ locum facit ἱερὸν sacrum. Gentilium est existimare à natura fontes, fluvios, montes, sylvas sacras esse. Pontificii nobiscum sentiunt hactenus, sed quos semel locos Deus sua præsentia sacravit aut alloquio, semper sacros esse. quasi non deserat Deus eos locos, quibus suam præsentiam noluit alligatam esse. Nam è *Bethel* (in qua aliquando apparens Jacobo portam cœli fecerat) fit *Bethaven*. In N. T. locum sibi nullum Deus consecrat, sed ubicumque convenit Ecclesia, in qua Deus habitat, dum illa coitio durat, locus sacer est. Sub V. T. loca eligebat Deus, nunc Ecclesia sumit locum, quem dat occasio. Actiones sacræ locis erant alligatæ, quibus etiam suo modo sanctificabantur seu potius consecrabantur, nunc actiones sacræ omni loco licitæ locum pro eo tempore sacrum faciunt.

Josephus locum parum feliciter interpretatus est: καὶ παραινῶν λόγους, οἷς ὅτι θάρσος αὐτοῦ τολμήσαντος παρελθεῖν εἰς χωρίον, εἰς ὃ μηδεὶς ἀνθρώπων πρότερον ἀφῖκτο διὰ τὸ εἶναι θεῖον, ἐσήμαινεν καὶ συνεβούλευε τῆς φλογὸς πορρωτάτω χωρεῖν, καὶ ἀρκεῖσθαι μὲν οἷς ἑώρακεν, ἀγαθὸν ὄντα καὶ μεγάλων ἀνδρῶν ἔκγονον, πολυπραγμονεῖν δὲ μηδὲν τούτοις περισσότερον. *Et facientis verba, quibus fiduciam ejus, ausi procedere in locum, in quem nullus hactenus homo advenerat, quia Divinus esset, indicabat & consilium dabat ut longissime à flammâ discederet, essetque contentus illis, quæ viderat, cum bonus esset & magnis viris prognatus, nihil autem ulterius curiosè inquireret.* Insistit suæ opinioni de insita loco sanctitate, putat nimium processisse, vidisse hactenus non visa ulli mortalium, quæ videtur arbitrari illo loco perpetua esse. Deum ipsi parcere ob suam majorumque virtutem, sed ab ulteriore inquisitione uti se contineret. Quod de majorum virtute dicit, respicit ad verba v. 6. Ubi ille Angelus se esse dicit Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi: quasi eorum merita Mosi prodessent, ut ob ea, parceretur illi, qui non videnda viderat. Hinc, quia majorum virtutibus Mosen haud inferiorem esse putabat, adjicit & ipsum bonum virum esse dignumque qui videret & veniam

haberet. Aben-esdras: *Sensus est, Consiste in loco tuo & ne appropinques ad rubum, quia illic ignis est: & sic accedens amplius huc vir est.*

v. 6. *Et dicit, Ego Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob: & abscondit Moses faciem suam, quia timebat intueri Deum.*

Aben-esdras: *Postquam dixerat, Deus patris tui, exponit qui nam illi sint, Abraham, Isaac & Iacob & incipit ab Abraham, quia iste incepit invocare nomen Domini ædificando aram Deo: quia pater ejus & etiam fratres fuerant cultores idolorum. Commemorat istos tres, non commemorat propinquos, Levi, Cauth, Amram, quoniam tres illi, quorum meminit, fuerunt prophetæ soli: porro quia tres illi, quorum meminit fuerunt patres universi Israelis & nec Levi* (כולל) *universim omnes comprehendit: quod Moses ex adverso ponitur toti Israëli, quando dicit Mosi ego Deus patris tui, quasi dicit toti Israëli, quia loquitur Mosi loco eorum.* Nihil ista sunt consulantur Christiani interpretes. Moses abscondit faciem suam præ timore. Non erat timor iste pœnæ sed offensæ. Abenesdras: *In eundem modum:* [Gen. 32. 30.] Quia vidi Deum facie ad faciem & erepta est anima mea. *Et pretium oculi est præ pretio cœli, quia uno momento videt figuras multas, longinquas cum propinquis: & non sic pretium aurium, narium, palati, manuum: & propter metum abscondit faciem suam.* Deinde addit de sermone Angeli: השליח ידבר כלשון שולחו Hæc est cantilena ipsi communis cum Pontificiis & Sossinianis. Abscondit faciem suam Rebecca præ pudore & reverentia, cum adduceretur ad Isaacum sponsum suum Gen. 24. 65. Seraphim alis suis facies suas obtegunt ne intueantur faciem gloriæ Dei Esai. 6. Solent etiam subjectionis & humilitatis causa faciem tegere. Progrediente Turcarum Imperatore, obvii vultus suos obtegunt. Illud etiam quærunt interpretes, Cur Moses non adoraverit, ut legitur de Josue & aliis. Solet tribui nimiæ humilitati. Quemadmodum publicanus non audebat faciem & oculos attollere versus cælum, ut vulgo solent orantes: Et majus fuisse dicunt animo prosterni quam corpore. V. 7. 8. 9. 10. Narrat Deus causam descensus sui impulsivam & finalem: Dicit: *Et nunc ecce clamor filiorum Israël venit ad me.* Quæ verba non significant antehac non implorasse Deum & ingemuisse ob pressuram, aut Deum prius non animadvertisse: sed quod nunc præsenti auxilio ostensurus esset ad se penetrasse implorationem. Aben-esdras ludit in voce descendendi, cui opposita sit vox sequens *ut eum faciam ascendere. Nam sicuti ego habito in loco excelso, sic faciam eos habitare in loco celsiore omnibus terris.* In gentium Cananæam possidentium enumeratione Gergesæi omissi sunt (hic & v. 17.) quia gens fuit exigua, ut annotat Aben-esdras. Finali causæ medium se abhibiturum, ministerium Mosis: quem destinaverit mittere ad Pharaonem.

Hinc sequitur prolixum Dei cum Mose colloquium, usque ad v. 18. capitis sequentis: in quo Deus tergiversantem & multa causantem erigit, instruit signis & mandatis. Judæi illic agnoscunt גודל ענות משה / Humilem de se opinionem. At eam humilitatem fuisse mixtam cum מיעוט האמנה quis negaverit?

v. 11. 12. Excipit Moses imparem se esse huic mandato, ut Pharaonem adeat, educatque ex Ægypto populum Israël: Duo dicit, quibus impar sit, ut eat ad Pharaonem & educat Israël. Deus respondet, Se ipsi fore adjutorem. Signum autem hoc fore missionis, quod populo ex Ægypto educto immolaturus sit in isto monte. Sic vulgò verba accipiuntur: at Rasi, dividit verba, *Et hoc tibi signum te*, quasi ad superiora respiciant. Nam sic interpretatur: *Et hæc visio, quam vidisti in rubo; tibi signum, quod ego te miserim: quatenus sufficiens ego ad eripiendum quemadmodum vidisti rubum facientem missionem meam, & non est consumptus: sic ibis in legatione mea, nec læderis. Quod rogasti de merito Israëlis,*

Israëlis, ut egrediantur ex Ægypto, res magna mihi est super hac eductione, quoniam futurum est ut legem accipiant in monte hoc post tres menses. A. S. Quia ero tecum & hoc tibi signum erit, quod sis prospere acturus in legatione mea ob aliam promissionem, quam ego tibi promitto: quod postquam eduxeris eos ex Ægypto, servietis mihi in monte hoc, quia accipietis legem super eo: & hoc est stans meritum Israelis. Documentum hujus modi loquendi invenimus in Esaia (cap. 37. v. 30.) *Et hoc tibi signum, Ede hoc anno, quæ sponte nascuntur &c. Casus Senacheribi erit tibi signum de alia promissione, quoniam terra vestra nuda fructibus & ego benedicam illis, quæ sponte nascuntur.* Aben-esdras: *Et dicit Ego ero tecum, ut ingrediaris ad Pharaonem & educas filios Israel, Ecce pono sibi signum, quod ego miserim te: Sensus ad educendum eos quia servient mihi super monte hoc, in quo tibi hanc magnam visionem ostendi. Sic Scriptura dicit:* Qui eduxit vos è terra Ægypti ut esset vobis in Deum: *Et sic dixit Moses Pharaoni,* Via tridui ibimus in deserto & immolabimus Domino Deo nostro: *quia tantum itineris est inter Ægyptum orientalem & montem Sinai. Nam Israelitæ in egressu suo non sunt profecti via terræ Palæstinorum: deinde etiam in loco uno pluribus diebus commorati sunt, sicuti exponetur. Hoc etiam est quod dicit Moses* [Exod. 24. 4. 5.] Et ædificavit aram sub monte: & obtulerunt holocausta & immolarunt pacifica. *Tunc pepigit fœdus cum Israele, ut esset Deo in populum: & ipse in Deum.*

Signum hoc ita interpretantur Judæorum plerique ita ut significetur, Ignis visum signum esse ereptionis. Ut enim rubus non erat consumptus, ita nec ipsum igne molestiarum & difficultatum consumi. Cum hoc videatur longius esse petitum & minus quadrare, ita Aben-esdras accipit, ut Sensus sit, Quemadmodum ignis à me in hoc loco accensus est mirificè ita populus eductus aram mihi struet in monte ut illic immolent. Confirmari igitur poterat de futura liberatione, quia jam Deus signum extulerat. Alii ita: Meâ ope tibi præsens ero, ut populus educatur & hic mihi sacra faciat. Ego ero tecum, hæc promissio impleta in signum erat, quod aliam sim præstiturus, nempe ut populus mihi cultum in hoc monte præstet. Hæc postrema interpretatio aliunde petita à R. Salomone non improbatur. Hæ Judaicæ sunt expositiones, in quibus etiam illud quod Mosis difficultatem credendi ex eo etiam ortam esse & huc respicere arbitrentur, quod Judæi digni non essent, quibus Dei providentia adhæresceret. In his responderi Mosi, Non esse ut diffidat & nimis abjecte sentiat de Israëlitarum perfectione quia futurum esset, ut Deum colerent in ara ad montem Sinai. Hoc sane Divinæ providentiæ assistentis maximum argumentum, indicare evidenter eorum meritum. Hoc fuse à Ralbag expositum est. Nam necdum tempus fuisse ut hæreditatem Cananææ accipiant. Eò magis diffidebat Moses de eductione: non arbitratus tantum populi meritum, ut antè terminum educerentur. תעבדון את האלהים על ההר הזה זה לך לאות שכבר יהיו ישראל באופן מהשלמות בצאתם ממצרים שיהיו ראוים שתדבק בהם השגחתי בדרך שאוריש להם ארץ כנען קודם שיגיע הקץ וזה שכבר יסכימו כלם לעמוד אותי ולשמור מצותי תכף שיצאו ממצרים וכו׳ Harum expositionum ista, quæ priorem promissionem signum appellat, sequentis accommodari potest loco illi celebratissimo, qui est. Esai. 7. 44. Nam Judæorum hoc argumentum rejicientium de virgine matre Messiæ, in eo vis oppositionis vertitur: negant signum esse post rem, quia fidem firmare debet de futuro. Alias etiam futura promittit Deus ut certi simus de antecedentibus: ubi est argumentatio à majori ad minus. Ut sciatis me hoc facturum esse, en promitto majora. Et non tam valet ut probetur potentia Dei quam voluntas. Pauli Burgensis hic alia expositio

est:

est: Improbat duas expositiones à Lyrano positas. Quarum primam, quod visio sit signum missionis, ex eo rejicit 1. Quod Moyses non petierit tale signum, sed tantum Deo fragilitatem suam proposuerit. 2. Si dubitasset audiens verba divina & viso miraculo, fuisset modicæ fidei & redarguendus ut alii leguntur ob exiguam fidem reprehensi esse. Alteram, quod signum referatur ad immolationem futuram à populo in monte Sinai, ex eo refutat: quod debuisset hoc signum Mosen certificare de duobus: quorum alterum erat præteritum, Deum scilicet fuisse cum Mose in eductione populi de Ægypto. Sic fuisset superfluum: nam id per experientiam cunctis manifestissimum erat. Alterum futurum: Deum per Mosen eos esse introducturum in terram Canaan. De quo nihil dixerat Deus, sed tantum ut populum educeret ex Ægypto. Ideo ipse exponit, Deum infirmum hominem elegisse & modicæ reputationis, ut per eum tanta efficeret: quo virtus & potentia liberationis ipsi soli attribueretur. Sensum igitur esse, Quod inhabilitas seu debilitas, quam Moses Deo ostendebat ad excusationem suam, fuerit intenta à Deo ut signum esset, à Deo factam fuisse eductionem & quod sibi soli immolandum esset.

v. 13. 14. Secunda Mosis exceptio fuit, quia ad filios Israël mitteretur, nomine Dei patrum suorum missum se venire dicturus, & forte quæsituri essent, quo ille Deus nomine appellaretur in indicium veri: quid vellet responderi? Aben-esdras: *Nunc quærit Moses, quod nomen de nominibus Dei Israelitis diceret quia in nomine* שדי *non esset facturus signa sed in nomine venerabili? Dixit R. Iesua, quod traditio esset Israeli à patribus, Servatorem Israelis revelaturum esse nomen novum, inauditum: & quando vidit locum* (Gen. 15. 7.) Ego Dominus, qui eduxi te ex Ur Chaldæorum, *exposuit de eo, quod sint verba Mosis: sed verbum firmum non est, quia ecce in principio legis, in parasa* בראשית | *non est scriptum nomen venerabile sed* אלהים *usque ad* (cap. 2. 3.) לעשות *hinc & deinceps scriptum* יהוה אלהים *& à quo natus est Cain* [Gen. 4. 1.] *scriptum est nomen solum & nunquam invenitur in verbis Mosis nomen* אלהים *sed nomen* יהוה *nisi in uno loco, propterea quod dixerat Pharao* [Exod. 8. 8.] Supplices orate Dominum, *Et major est, quam ut sit simpliciter Deus, ideo dicit Mose* (Exod. 9. 30.) à facie Domini Dei. *Et amplius in tota lege non invenitur sic.* Quæritur, Cur inquisierit de Dei nomine, videtur sufficere, quod eum hoc elogio aperiret, *Deus Abrahami Isaaci, Iacobi patrum vestrorum?* Interrogationis causa & scopus, Divinæ etiam responsionis modus difficultate non carent. Quæ potuit Mosi esse causa quærendi de Dei nomine? Existimarunt quidam, Mosen nomen Dei ignorasse, quod esset Ægyptia fœditate pollutus, adeoque ipsum Deum verum non cognovisse. Ut ergo nosset eum, cujus nomine ad israëlitas locuturus esset, tanquam ab ignoto sibi Deo quæsivisse. *Quæ sententia* (inquit Cl. Rivetus) *durior & odiosior est quam ut mihi se probare possit.* Nam non est credibile tantum prophetam, qui Christi probrum elegerat præ opibus Ægypti, ita penitus omni fide & Dei notitia excidisse. In nominibus filiorum, quos genuerat in exilio, testatus etiam fidem suam fuerat. Et populus Israël, quamvis inique habitus graviterque pressus, operum servilium onere, non ita ut par erat, cultui Dei vacare potuerit, non tamen Dei penitus oblitus erat, ut etiam nomen & promissiones tam amplas non amplius tenuerit. Nam ad Deum clamasse ejusque opem implorasse superiori capite dictum est. Nec illud admiserim, curiositate quadam penitiorem Dei ejusque naturæ & naturam exprimentis nominis cognitionem penetrare voluisse supra ea, quæ patres acceperant & reliquerant. Credimus eum discendi cupidum fuisse & novimus ob imperfectionem, in qua dum hic sumus, hæremus, quotidie contendisse

tendisse ad majora: absit tamen ut vana curiositate actum fuisse concedamus. Ineptum est quod hic Judæos proferre intelleximus. Ineptum quod Aben-esdras dicit, Quæsivisse quod nomen usurpari vellet quia in nomine Saddai non posset signa facere, cui nomen tetragrammaton (uti vocant) conveniret. Ineptum quod R. Jesua, quasi traditionem πατροπαράδοτον respiceret, quæ haberet Σωτῆρα in novo Dei nomine venturum esse: ostendit Aben-esdras in frequenti usu fuisse Mosi. Non etiam dicendum, quod attonitus & stupefactus non satis intelligeret, quæ loqueretur: ut evenit inopinato casu perculsis aut ex ἐκστάσει ad se redeuntibus. Verba sunt ratiocinantis & ponderantis rei difficultatem. Rivetus: *Dicimus ergò Mosen his verbis intellexisse, quæ antea audivit, Deum velle eum mittere ad Israelitas nomine suo, tanquam legatum. Sciebat autem necessarium esse ei, qui legationem est obiturus, ut instructus sit de omnibus, quæ ad legationem suam spectant; inter quæ præcipuum locum tenent ea quæ dicturus est mittentis nomine, ne quid de suo addat, ne quid etiam subtrahat, quod ipsi demandatum fuerit. Id esse etiam in more positum, ut ii, ad quos legati mittuntur, inquirant, An quicquid dicunt, illud habeant in mandatis &c. Unde est quod nomen mittentis, dicatur esse in misso, quia mittentis nomine agit & loquitur. Quo refertur dictum illud Exod. 23. 21.* Cave tibi à facie Angeli; nomen meum in medio ejus; *id est legatus meus est & quæ dicet nomine meo dicet. Sic ergò potest resolvi Mosis petitio: Quandoquidem vis nomen tuum esse in me, id est ut sim legatus tuus & nomine tuo loquar; illi à me interrogaturi sunt de nomine tuo, id est de mea instructione vel commissione: Itaque velim scire, quid sim responsurus & qua ratione nomine tuo locuturus: ne aliquid de te proferam, quod à te non habeam. Quod enim requiris, æquivalet literis Credentiæ, ut vocant & instructionibus, quibus legatis autoritas conciliatur. His rite expensis, nihil absurdi erit in interrogatione Mosis, quæ potius prudentiæ nomine laudanda est. Favet autem huic sensui responsio Divina, si integra consideretur: quia Deus dictat Mosi verba, quibus compellaturus est Israëlitas suo nomine. Quod autem in omnibus legatorum instructionibus usu venit, ut primo tituli & nomina præmittantur, principis delegantis, addantur autem posteà mandata, idem etiam hic fit à Deo. Primum enim seipsum describit duobus nominibus, quorum unum est essentiæ, alterum autem gratiæ; postea explicat plenius, quid Moses suo nomine dicturus sit & facturus, imò ipsa verba suggerit, quibus & ad seniores Israël & apud ipsum Pharaonem uteretur.* Egregiæ quidem inventionis ea solutio est & majoris ponderis, quam superiores illæ: in qua tamen quædam desidero. Nam ut nomen Dei significet legationis fiduciam & mandata non possum persuaderi. Si ita posset accipi, non tamen huic loco conveniens est, in quo apparet quæri de appellatione mittentis deferenda & præferenda à legato, non ut sibi faciat fidem, sed ut fiduciam creet populo. Omninò Moses non quærit sui causa ne vanus habeatur (quod postea quæritur per signa & miracula ostentanda populo & Pharaoni) sed quærit populi causa, ut in Dei nomine tanquam memoriali promissionis Divinæ, ad sustentandam fidem acquiescere possint. Id expresse dicitur v. 15. in fine. *Hoc nomen meum in æternum & hoc memoriale meum in generationem & generationem.* Deus igitur sui interpres est. Significat Moses se populumque fide in Deum שדי hactenus sustentatum, qui omnipotens esset & posset præstare promissam terram. Nunc vocari ad aliud memoriale, quum Deus de ipsius illius terræ possessione danda loquatur. Quo respicit cap. VI. v. 2. Et quod dicitur de angelo illo principe & domino angelorum, *Nomen meum est in medio ipsius*, nimis dilute & tenuiter (venia dicto sit) explicabimus de legationis veritate. Nomen Dei est, quo agnoscitur, quoque prædicatur: unde in nomine mortalium, potis-

potissimum in medio ejus, nomen Dei esse potest. Supra mortales sit, cui hoc tribui Deus vult, quod de se prædicat, quoque ipse vult agnosci. Proinde, Nomen meum est in medio ejus, idem est ac si diceret, *Est alter ego.* Idem in re, hypostasi sola distinctus. Quod D. Rivetus dicit legationis mandata nomine hoc contineri; quia ad totam Dei orationem qua Mosi respondet, referendum sit, patet ex textu aliud. Nam alia oratio Dei est & alia continet, quæ à v. 15. ad capitis finem habetur. Nam in ea mandata sua & eventum rerum Deus exponit, hic agitur, de solo nomine, sub quo missio peragenda erat. Paulus Burgensis etiam fuse inquirit in sensum interrogationis Mosaicæ. Primò improbat de notitia nominis Dei quæsito sive ignorato aut Mosi aut populo. Nam objectionibus insolubilibus eam sententiam gravari, à R. Mose & aliis. Lectori non ingratum erit in bibliotheca nostra eam dissertationem insertam legi, ut componi possit, cum sententia nostra jam proposita. Comparatio enim veritatem facit illustriorem. *In quo passu*, inquit, *ad literam fiunt quædam objectiones. Primò enim objicitur sic: Aut nomen Dei erat notum Mosi ante revelationem hujusmodi; aut non erat notum antea. Si sic, superflue quærebat hoc iterum scire. Si autem non, quare quærebat hoc ipsum in persona filiorum Israel & non potius in sua persona, dicens* Notum fac mihi nomen tuum. *Si autem dicatur, quod hoc nomen erat ei notum ante hujusmodi revelationem, non tamen erat notum filiis Israël, & ideò quærebat à Deo, ut posset eis indicare nomen Dei, ut ipsi crederent Moysi in dicendis. Contra hoc objicit R. Moyses in prima parte de directione cap. 72. Ubi de hac materia prolixe tractat, dicens: Quod aut filii Israel hoc nomen sciebant, antequam à Mose audirent illud aut non. Si sic, superflue eis istud nomen notificaret cum jam ipsi scirent, sicut & ipse. Si autem ipsi non sciebant antea, sequeretur, quod ex hoc, quod sibi notificaretur à Moyse, non magis crederent ei, cum ipsi nescirent, utrum hoc esset nomen Dei vel non. Item contra hanc interrogationem Moysi objicitur à quibusdam: Nam filii Israel in Ægypto existentes, antequam eis mitteretur Moyses, aut erant fideles scil. habentes fidem unius veri Dei, aut non habebant fidem de Deo vero. Non est dicendum filios Israel non habere fidem de Deo vero, quia tunc non essent populus Dei, nec de eis dixisset Deus,* Vidi afflictionem populi mei in Ægypto. *Nullus enim reputatur Dei populus seu de populo Dei, si sit extra veram fidem. Si autem erant fideles scilicet veram fidem habentes de Deo vero, non requirebatur alia nominatio Dei. Sufficiebat enim, quod Moyses dixisset eis: Ille enim quem vos creditis esse Deum, ille misit me ad vos. Præsertim cum eis insuper declarasset: Deus Abraam &c. sicut fuerat dictum Moysi in prima allocutione: Omnes enim erant de ritu circumcisionis, quæ fuerat data Abrahæ in signaculum fidei, Gen. 17. Quod patet infra cap. 4. ubi propter incircumcisionem filii Moysi volebat Deus interficere eum.* Sic Burgensis luculenter destruxit sententiam de nuda & simplici notitia nominis Dei, quasi nec de nomine notus esset. Suam sententiam solutionis ita exponit: *Ad quorum declarationem videtur alterius aliquid dicendum. Circa quod attendendum est, quod ex his, quæ dixerat Dominus Moysi super sua missione videntur oriri duo, quæ ab ipso Moyse meritò erant inquirenda. Quorum primum est, quod licet Dominus expresse dixisset Moysi, quod descenderat ut liberaret populum Israel de manibus Ægyptiorum, ad quod volebat mittere Moysen ad Pharaonem ut educeret populum &c. non tamen eidem declaravit, utrum hoc volebat facere per aliquas vias occultas, ut puta inclinando cor Pharaonis & suorum ad dimittendum populum, seu per aliquas plagas occultas, quæ etiam secundum cursum naturalem fieri possunt, sicut fecit in facto Sarai uxoris Abraæ* Gen. xx. cap. *Similiter de Abimelech eodem cap. quià etiam ipsam Saram dimisit propter revelationem divinam quam habuit in somnis. Similiter & Laban*

dimisit

dimisit Iacob cum gregibus suis propter revelationem Divinam eidem in somnis factam, quod indubiè potuisset etiam in hoc casu fieri per voluntatem Divinam, cui nemo potest resistere. Aut forte Deus voluit populum educere cum signis & prodigiis supra naturæ cursum communem publicè factis, prout in effectu fuit ostensum. Hoc enim pertinebat ad Moysen scire, quià forte si Deus voluisset primo modo educere populum Moyses reputasset se aptum ad hoc, quià hoc fieret sine contentione & contradictione, prout in prædictis gestis patet. Secus autem si secundo modo, quià tunc requirebantur magnæ instantiæ & controversiæ, sicut contigit in hoc casu, ad quod non reputabat se Moyses dignum, ut jam dixerat. Similiter hæc inquisitio pertinebat ad eum ex parte filiorum Israël, eo, quià fortè facilius & suavius venirent ad credendum Divinis prognosticis & mandatis per internam inspirationem seu monitionem Divinam quam per miracula vel suasionem Moysi. Vnde propter hoc petebat Moyses nomen Domini, sub quo debebat filiis Israël ista nunciare: nam nomina Divina communiter imponuntur Deo secundum operationes quæ ab eo procedunt, sicut cum dicitur: Dominus vir pugnator, omnipotens nomen ejus: *infra xv. cap. Esa. LV.* Et erit Dominus nominatus in signum æternum; *& sic ex hoc quod sibi revelaretur nomen divinum, sub quo ista liberatio debebat fieri, Moyses deberet habere certificationem de hoc quæsito. In qua quidem interrogatione videtur non tenere Moyses modum quodammodo beatæ virginis interrogantis.* Quomodo fiet illud? *Non enim dubitabat de efficacia Divinæ voluntatis, sed quærebat modum. Secundum quod ex dictis Domini oriebatur inquirendum ipsi Moysi est hoc: Nam Dominus dixerat ei, quod ipse & populus immolaret Deo supra montem prædictum. Vnde volebat Moyses scire nomen Divinum, sub quo talis immolatio debebat fieri. Hoc enim nomen* Deus *verè intellectum, licet non sit communicabile alicui creaturæ secundum rem, est tamen communicabile secundum participationem, ut dii dicantur qui participant aliquid divinum per similitudinem, juxta illud Psal. LXXXI.* Ego dixi Dii estis *&c. Similiter est communicabile secundum opinionem, unde supra illud ad Gal. 4.* His qui natura non sunt Dii serviebatis, *Glo.* Non sunt Dii naturâ, sed secundum opinionem hominum. *Et quia sacrificare seu immolare est actus soli Deo vero debitus, unde infra XXII. cap.* Qui immolat Diis occidetur, nisi soli Domino: *Idcirco, Moyses quærebat aliquod proprium nomen Divinum, quod esset omnibus modis incommunicabile, ut sic populus ille qui pronus erat ad idololatriam, secundum quam leviter vocabant creaturam nomine Dei, ut infra XXXII. cap. de vitulo dicebant:* Hi sunt Dii tui Israël; *ut in hac immolatione seu sacrificio non deviaret à via recta. Qua quidem expositione sic posita cessant objectiones prædicta. Nam ad primam objectionem dicendum: Quod hoc nomen Divinum quod Moyses quærebat, nec erat notum Moysi nec etiam aliis filiis Israel, prout infra dicetur. Quærebat autem hoc Moyses in persona filiorum Israel, & non in sua persona in sua humilitate & reverentia. Videtur enim quodammodo temerarium seu præsumptuosum, præsertim viro tam humili dicere Deo, quod est nomen tuum? Nam non erat ignarus, quod Iacob petenti nomen angeli fuit responsum increpative;* Cur petis nomen meum? *Gen. XXXII. cap. Et ideo Moyses petebat in persona populi cui mittebatur, de quo præsumebatur, quod saltem aliqui eorum hoc peterent. Ad secundum dicendum; quod Moyses non petebat cognitionem hujus nominis, ut per hoc filii Israel crederent ei, sed hoc quærebat propter rationes prædictas. At tertiam dicendum; quod licet filii Israel & à fortiori Moyses haberent fidem de Deo vero; qui est Deus Abraam &c. Non tamen hæc notitia seu cognitio sufficiebat ad certificandum Moysen de aliis supradictis.* Hactenus Burgensis.

Deus nomen suum Mosi explanat, אהיה אשר אהיה. Deinde in subjecto seu supposito axiomatis de tertio, יהוה *misit me.* Interpretes communiter nomen Dei proprium dicunt exprimi quo Dei æternitas & immutabilitas (adde

independentia) significantur. Id non placet Burgensi, existimanti, quod Deus Mosi ostendat, Interrogationem ejus non esse necessariam. *Cujus ratio: Nam sufficiebat filiis Israel & etiam ipsi Mosi: quod Deus patrum suorum sc. Abraham, Isaac, Iacob, quem ipsi per fidem cognoscebant esse unum Deum, volebat esse cum eis, ad educendum eos de servitute: sive hoc fieret per miracula potentia sive non id est aliter. Et hoc est, quod dicit* Ero qui ero. *Et est sensus*, Ero, cum eis quia ero tecum. *Statim enim supra dixerat Mosi* Ego ero tecum &c. *ac si diceret,* Ego dixi tibi, quod ero tecum in hac liberatione, similiter dico, quod ero cum eis. *Et quia utrumque erat super eodem facto, idcircò tantum semel concludit*: Qui erit, misit me ad vos, *quasi dicat: Non debetis vos curare quo modo: sed sufficiat vobis, quod ero vobiscum sc. cum Moyse & cum populo ad implendum prædicta. In quo Deus satisfaciebat Mosi etiam de secundo motivo suæ interrogationis, scilicet, quod ad immolandum Deo sufficiebat populo immolare Deo vero, quem patres coluerunt: qui etiam Deus redimeret eos à servitute Ægyptiaca, etiamsi aliquod nomen Divinum eis non innotesceret: quia hoc quod est esse Deum Abraham, Isaac & Iacob, qui educeret populum Israel de Ægypto, non est communicabile alicui creaturæ. Et nota, quod antiqui Hebræorum non exponebant hoc, quod dicitur,* Ero qui ero, *de aliquo nomine Divino: sed dicunt, Deus in responsione offerebat se populo, seu promittebat eis, quod esset cum eis in hac tribulatione Ægyptiaca, & in alia, quando contigisset. Et notandum quod hæc dictio* Ehje, *quæ in hoc loco ponitur, quæ significat* Ero, *ut dictum est, nunquam in tota sacra scriptura ponitur pro nomine Divino. Vnde si nomen Divinum esset rationabile esset, ut alicubi Deus hoc nomine nominaretur.* Alios interpretes, respicientes versionem Latinam quæ interpretatur in præsenti *Sum qui Sum* bene interpretatos esse de immutabilitate Dei, non Lyram qui Hebræa respiciebat. Tribus rationibus adversus postillatorem contendit, frequenter in sacris literis positum sed nunquam nisi eo sensu suoque illo: nec esse nomen Divinum. 1) Est verbum substantivum primæ personæ τὸ אהיה. 2.) Quod nunquam pro nomine Divino occurrat. Si esset nomen Dei, alicubi Deus eo appellaretur. 3) Veteres Hebræi acceperunt in sensu verbi substantivi. Respondemus ad primam, Verum hoc essè, sed in omni loco, pro materia subjecta voces accipi. Nullus locus scripturæ est, ubi ista materia habetur. Nusquam enim Deus testamentum vetus primò suscitaturus, mediatorem ejus mittit, ut hic. Ad secundam: Hic (in versus fine) אהיה nominaliter capitur. Fatemur nullum nomen proprium Dei cum א primam personam notante exprimi sed cum י quemadmodum pleraque nomina propria componuntur. Ratio est quod nominibus propriis utamur potius loquentes de aliis quam de nobis ipsis. Hinc יהוה & אהיה idem sunt, mutatis formativis literis, ratione loquentium. Deus dicit de se אהיה Moses & populus de Deo יהוה. Ridiculum est (quod tamen doctissimus Simlerus probat) futurum tempus respicere ad incarnationem Domini aliquando futuram. Forma est futuri temporis Hebraica, quæ significat tres differentias temporum. Provocat ad veteres Hebræorum. Rasi: Ehje aser Ehje *Ero cum illis in hac angustia, qui ero cum illis in servitute reliquorum regnorum. Dicebat apud eum, Princeps mundi: Quomodo ego memorabo aliam angustiam sufficit ipsis in hac angustia?* Vide quomodo ubique deprehensi hæreamus in Judæorum περιεργίᾳ. Cum Deus primò dixisset *Ero, qui Ero* postea autem concludens tantum dicat *Ero* (sc. cum illis) inde eruunt Deum primò meminisse simul futuræ subjectionis, in qua nunc sint sub regnis mundi. Promittentem scilicet se nunc fore in hac angustia adjutorem, ut futurus esset in illa servitute sub gentibus. Mosen autem judicasse, id non quadrare, ut in præ-

præsenti tanta angustia mentionem injiceret, de alia adhuc futura. Hoc judicium Mosis probasse & secutum esse Deum, ideo unum אהיה (de præsenti sc. angustia) voluisse illi nuntiari. Aben-esdras posterius Ehie prioris expositionem esse dicit. Nullo commodo sensu. *Ehje aser Ehje* significat rationem ob quam nomine suo velit dici אהיה. Si Burgensis tantum vellet primum illud, Ero qui Ero, non esse nomen Dei, illi adstipularemur, sed non valet ut ille exponit: significat, *Sum qui sum* vel, *Ero qui ero.* (In præsenti non malè exprimitur) Immutabilis, æternus sum, promissa præsto & esse facio, ideò non possum rectius me appellare aut aliud de me nomen edere, quam אהיה. Abito igitur & dicito, אהיה *misit me ad vos.* Multa hic interpretes de necessaria & immutabili Dei existentia, nihil de certa effectione promissionum, quam tamen è prima illa existentia consequentem fides Mosis & Israelitarum potissimum respiciebat, in applicatione ad rem præsentem. v. 15. &c. Versu hoc iterato sermone Deus servum suum mandatis plenissime instruit. Nomen Dei prælaturum, qui mitteret se, proprium ab existentia quam faciat & possideat solus: *Adjectivum* à fœdere, quo patrum Deus est. Hoc suum in æternum nomen esse, hoc memoriale. Cum id ad totum complexum referatur, malè Judæi restringunt ad primum nomen. Hebræa veritas dicit, זה שמי לעלם. Ubi deest Vau. Hic Rasi: חסר וי״ו לומר העלימהו שלא יקרא ככתבו. *Deficit Vau, quo significatur, Occulta illud ne legatur juxta scripturam suam. Ideò in scriptura deesse Vau, ut indicaretur abscondendum esse ne nomen id pronuntiaretur.* Nugæ. Aliud nomen proprium Deus hic indicat, יהוה. Aben-esdras: *Aliud nomen & est è sensu prioris, sed unum è sermone loquentis & istud singulare, quod nullus loquitur, & rationis ejusdem* יה. *Hæc tria nomina propria sunt.* Iterum Rasi: Et hoc meum memoriale] Docet quomodo pronuntietur: Et sic David dicit [Ps. 135. 13] DOMINE *nomen tuum in seculum; Domine, memoria tua in generationem & generationem.* Sed Rasi vocem יהוה accipit pro supposito Enuntiati, cum sit extra Enuntiatum in vocativo (ut loquimur) accipiendum: deinde si maxime suppositum esset, non juxta vocem sed sensum seu rem significatam prædicatum intelligendum esset. Sensus esset, Tu in æternum tueris istius nominis vim, hoc de te omnis generatio agnoscet. In textu ab antiquo lectio à scriptura diversa fuit, etiam ante tempora versionis septuaginta interpretum, quia ipsi per κύριος sive κύριε ubique reddiderunt, etiam ubi opus erat distinctione, ut hic & Exodi cap. 6. 2. Vulgata Latina adhibet Ex. 6. 3. *Adonai*: unde significatur & tum ita lectum fuisse. Summam pertinaciam eorum, qui contendunt puncta vocalia esse juxta analogiam literarum & scripturæ quis satis admirari queat? Certum est nullum ita Judaeum sentire aut sensisse unquam. Disputant illi quare non legatur secundum scripturam, למה לא נקרא ככתבו ut explicat hoc loco Aben-esdras in prolixa digressione: ex hypothesi certa, quod non soleat legi justa scripturam, id est punctatio à scriptura diversa sit. Deinde Analogia Grammatica ignorari non potest, vel admisis solum in vestibulum hujus literaturæ. Nomina à Jod inchoata futuri normam sequuntur: ut אֶהְיֶה ita יִהְיֶה & יַהְוֶה Quis id potest ignorare? Ita Samaritæ expresserunt, uti indicio est Ἰαβέ quod habetur apud Theodoretum. Solent enim Hebræi breve pronuntiare per A, ut in Samson, Balha & similibus patet. Quodsi regeras primò, partes hujus nominis legi per (:) & Holem, quæ in principiis propriorum nominum exstant, יהושע / יהושפט יהויקים &c. Id indicio esse quod totum rectè legatur JEHOVA, responderim ignorantiæ summæ esse, particulas in compositione sub eandem vocalium rationem cum integris nominibus cogere. Compositio in omnibus linguis vocem mutilat & aliis vocalibus enuntiat.

Si secundo id objiciatur, anomaliam esse videri in hac voce, ut abeat à communi vocum regula, dixerim, anomaliam postulare ut consonantes mutentur, mutatæque vocalium & pronuntiandi habitum secum trahant. Deinde ut hæc vox illæsa & integra maneret Hebræi nusquam vocem יהוה extra Dei notionem usurparunt, ne in communi sermone profanaretur, quæ Deo appropriata est. יהיה & אהיה adhibent, quia nullus in eis metus profanationis, quod nec sacræ essent Deo in hominum usu. Nam primam personam de se solus Deus usurpat, tertia alia est ex media litera Vau pro Jod. At ubi hanc vocem Deo sacram usurpare in homine voluerunt, mutarunt in יהוא ubi ה pro ו aliam vocalium lectionem toti voci importat. Æquum, & moderatum theologum amo, qui unicuique scientiæ tribuat suum. Talis fuit Calvinus, qui fervens zelo Dei adversus veritatis divinæ corruptores & spatia suæ artis libera relinquens siderum & naturæ peritis, scripturæ phrasin, populo accommodatam ejusque captui, arcana sensum transcendentia circumscribere non putabat. Talis fuit Cl. Rivetus, qui etiam hic Grammaticis concessit, ut de vera & legitimâ suisque regulis conveniente vocis lectione judicarent. Eorum judicio accedit qui ex analogia & regulis Grammaticæ judicabant. Non contemnenda est eorum conjectura, qui hoc nomen nihil aliud esse credunt, quam tertiam personam futuri verbi substantivi יהיה Iihjeh vel הוה Havah יהוה Jeheveh: quæ significat, Erit, Erat sive Est. Itaque eadem est vis in hoc nomine, quæ in אהיה de quo ante dictum est. De vocis hujus pronuntiatione disputatur. Ego quidem sententia illorum subscribo, qui agnoscunt vocem hanc non habere in codicibus Ebraicis puncta sua vocalia sed puncta nominis Adonai; aliquando nominis Elohim, sequente Adonai: sic etiam legisse Græcos interpretes, sic Latinos veteres. Pronuntiationem Jehova esse novam, postquam Patrum nostrorum ævo excitata fuerunt Ebrææ linguæ studia. Veram & genuinam pronuntiationem certam non esse, nec de ea posse quicquam definiri. Sed cum certum sit scrupulum Iudæorum, qui hoc nomen ineffabile censent, saltem vulgò, causam fuisse, cur puncta aliena huic nomini fuerint addita, existimo nobis, qui eadem superstitione non tenemur, digladiandum de eo non esse, an sit pronuntiandum nec ne. Nec video etiam eos, qui contendunt pronuntiandum esse secundum vocales Adonai vel Elohim, in re dissentire. Omnes novimus eandem vim nominis & significationis, ubicunque reperitur; sive legatur sive non legatur; sive hoc sive illo modo legatur. Itaque inter bonos facile convenit. Existimo tamen etsi nesciamus hujus vocis propria vocalia, commodius esse docentibus apud nos, si efferatur, ut apud auditores, qui non vident semper quomodo scripta sit, possit ex ipsa pronuntiatione constare, esse vocem τετραγράμματον, sic per excellentiam, appellatam: quod fieri non potest, si Adonai pronuntiemus vel Elohim; quæ sunt alia Dei nomina & quorum alia est significatio. Ergo non pronuntiamus Jehova, ut significemus eam esse veram pronuntiationem: sed docendi gratia, ut significemus in illis locis esse proprium Dei nomen; quod alii pronuntiarunt Jave, alii Jahave, alii olim Jao, Arias Montanus Jeheve. Id perinde nobis est, si modo adhiberi possit talis distinctio in pronuntiando, quæ ab aliis omnibus Dei nominibus ita distingui possit, ut quilibet auditor intelligat esse nomen illud primarium. Quamvis enim aliter fortasse pronuntiatum fuerit aut pronuntiari debuerit, cum literæ radicales maneant, etsi variatio sit in vocalibus, nullum majus video incommodum, quam in multis aliis nominibus propriis, quæ in alias linguas derivata ita transformantur, ut longè recedant à pronuntiatione propria: sed quia nomina sunt rerum signa, nec in characteribus vel vocalibus est vis aliqua, quod superstitiosi putant, sed tantum in vocibus, significatio ex instituto, si eadem significatione usurpentur, quæ primum instituta fuit: & si ab homine blæso aut balbutiente pronuntientur, qui vitio linguæ unam aut alteram

literam

literam elidit, nullum erit in re periculum. Ea est ratio, cur non libenter rejicio pronuntiationem nominis Jehova, *quum nunc sit usitata, ita scribatur & nemo sit, qui non intelligat de quo dicatur.* Hoc est Cl. Riveti judicium: nos fatemur usum tyrannum esse & scientiam sæpe ab usu separandam. Idem observat, si memoriale sit Dei hoc nomen, non potuisse à Deo mandatum occultandi ejus Mosi impositum esse. Memoriale vulgo notum esse debet & in usu communi: quamvis ab abusu discriminari. Philo & Josephus ostendunt se nihil solidæ veritatis nosse, cum in vocabulo ita hæreant ut fidem eo sustentari Divini fœderis & promissionum ne quidem somniaverint. Philo interpretatur recte vim vocabuli, Josephus dicit esse *ἄῤῥητον. Καὶ ὁ θεὸς αὐτῷ σημαίνει τὴν ἑαυτοῦ προσηγορίαν οὐ πρότερον εἰς ἀνθρώπους παρελθοῦσαν, περὶ ἧς οὔ μοι θέμις εἰπεῖν.*

Cum Deus nomen & titulum suum indicasset, mandabat ut adiret seniores Israel. זקני ישראל non simpliciter accipiendum de ætate, quasi omnes grandævi in toto Israël convocandi essent, quod in tanta multitudine fieri non poterat: eos intelligit qui præerant populo. Senatus fuit populi universi, distinctus (ut quidem ego existimo) à phylarchis & primoribus familiarum. Rivetus: *Quamvis enim in servitutem essent redacti, non dubium est, quin cum ab Ægyptiis discreti essent, nec eadem uterentur in omnibus politia, instituerint inter se aliquem ordinem, & in unaquaque tribu habuerint quosdam præ cæteris autoritate pollentes: quam formam εὐταξίας introductam fuisse à patriarchis non dubitandum est: quæ etsi fortassis suos paulatim contraxerit nævos & defectus, non fuit omninò sublata, etsi tyrannide grassante; cujus etiam intererat, ut populus ille non careret ductoribus suis.* Cornelius Bertramus eos seniores putat numero LXX. fuisse pro numero capitum in Ægyptum ingressorum idque posteà à Deo sancitum in lege. Hi erant à Mose compellandi & nuntiandum Dei verbo: Se vidisse afflictiones & venire liberatum populum eductumque in terram Canaan. Cum eis ad regem iturus dicturusque: Dominus, Deus Hebræorum occurrit nobis jussitque ut sacrificium faciamus in solitudine, loco, qui trium dierum distat itinere. Da igitur id faciendi veniam. Scio, addebat Dominus, regem vos dimissurum non esse nisi vi majore subactum. Extensa igitur manu, Ægyptum mirabilium operum plagis percutiam. Tandem dimittemini. Ego etiam gratiam dabo populo coram Ægyptiis, ut quælibet mulier Israëlitis à vicina hospitaque vasa argentea & aurea ac vestes facillime impetret: quibus spoliis onusti Ægypto emigrabitis: filiis filiabusque vestris ornatui erunt. Hæc oratio Dei ad Mosen. Cum Mosi prædixerit Deus promptam obedientiam, qua eum excepturi essent Seniores Israël, & contumaciam Pharaonis, ostendit in sua manu hominum corda esse, ut flectat ea, quocunque velit, atque hanc esse causam certissimæ præscientiæ futurorum, etiam eorum quæ ab hominis voluntate pendent, etiam peccatorum. Peccavit Pharao, (quis negare potest) qui justissimam petitionem Israëlitis denegavit: Laudabilis fuit obedientia & fides Seniorum Israël, quamvis utrumque præscitum esset à Deo. Quamvis sciret Pharaonis inflexibilem animum, voluit tamen Deus mandata proponi & ab eo exigi, quæ certò sciebat eum non esse facturum.

Terram Canaan describit Deus ab opulenta fertilitate, tanquam terram omnium feracem; fluere dicit lacte & melle. Quæ duæ res in usu optimæ sunt eas ad voluptatem etiam & lucrum sufficere oportet. Deuteronomii VIII. 7, 8, 9. plenius describitur: sed proverbio communi hanc periphrasin fecunditatis usurpatam fuisse sciamus. Eandem describit à possessoribus populis, qui sex hic iterum recensentur, ut superius. Deut. VII. 1. Gergesæi adduntur. Josias Simlerus: *Omissi sunt Gergesæi, vel quod sponte cesserint Israelitis, ut Hebræi*

volunt. Refert Augustinus Afros rusticos interrogatos, cujus gentis sint, respondisse se esse Cananaeos: vel quod gens forte non potens fuerit, ut non magna eorem ratio habita fuerit. Forte ex Cananaea in Africam migrarunt. Cum se vocat Deum Hebræorum significat Ægyptios idolis ea tempestate inserviisse. An autem Deos ex hominibus jam tum coluerint, an hactenus θεοὺς φυσικοὺς, id est sidera aliaque rerum naturalium adoraverint, in ignoto est: Majorum memoriam in nimia veneratione fuisse quis neget: eos tamen ex hominibus Deos, quos pro maximis supremisque posteritas colere cœpit, circa hæc tempora in terris egisse arbitramur.

Quod Deus tantum à Pharaone Dei nomine qui se obtulisset, idque dedisset mandati, posci jubet veniam tridui ad faciendum sacrum, cum tamen scopus esset educere populum ex Ægypto in alias sedes, ut etiam significatum Mosi & per Mosen populi senioribus, hic observandum, potuisse eos absolute dimissionem suam petere, cum jure hospitii tantum se ad tempus Pharaonibus subjecissent: *Sed quia* (inquit Rivetus) *pro ratione temporis & rerum constitutionis, in qua Israëlitæ jam à longo tempore, mancipati erant Ægyptiis, ea res fuisset obnoxia multis exceptionibus, necessarium fuit non directè id petere & absolutè sed in uno aliquo minus difficili experiri, quo animo esset. Si enim quod minus erat rejiceret, facile conjici poterat non consensurum in eo quod majus erat* &c. Ego sic arbitror, Israëlitis emigrare Ægypto fas non fuisse invito Pharaone, nisi Deus vocasset. Subjectum fuisse populum ditioni Pharaonis & factum subditum tanti temporis inhabitatione & alimonia, sed Deus omnium dominus emancipat quos vult. Potuit igitur jubere, ut dimitteret, cæterum noluit in suam gratiam populum dimitti, qua ratione ingens Deo obsequium præstitisset, cujus mandato tantam multitudinem subditorum imperio suo eximi pateretur. Laus ingens Pharaoni deberetur, obscurior fuisset Divini nominis gloria, qui sibi nomen quæsivit contusa & subacta regis contumacia, & Israëlitas majore (saltem evidentiore) beneficio devinxit. Æqua igitur petenda erant, quibus jure in populum Pharao excideret & juste plecteretur. Non probo igitur quæ dicit Cl. Rivetus, qui Mosen & Israëlitas à fraude & dolo ita excusat: *Quod spectat Mosen & Israëlitas, noverant illi quidem propositum sibi esse petere terram Canaan, sed tamen non sunt reprehendendi in eo quod Pharaoni consilium suum totum non exponunt: non enim hoc jure tenebantur, præsertim præeunte instructione divinâ, qua non jussi erant ulterius illud exponere. Quamvis autem jussi fuerint dicere Pharaoni populum iturum viam trium dierum ad Sacrificandum, non jussi sunt tamen negare ulteriorem viam, nec etiam reditum polliceri. Itaque cum de eo dubitaret Pharao, Exod. 8. vers. 27. nihil ad hoc respondit Moses, qui neque mentiri voluit, neque æquivocationibus, aut reservationibus uti, potius elegit tacere, quam contra mentem loqui.* Augustinus non idem sentit, quia dicit, id futurum prius, quod Moses & Seniores primitus dicerent, si Pharao dimitteret. Audiamus ipsum qu. 13. *Quæritur, quomodo populo dicatur quod mandavit Deus educturum se eos de Ægypto in terram Chanaan: Pharaoni autem dicatur, quod trium dierum iter exire vellent in desertum & immolare Deo suo ex mandato ejus. Sed intelligendum est, quamvis Deus sciret, quid esset facturus, quoniam præsciebat non consensurum Pharaonem ad populum dimittendum, illud primò dictum esse, quod etiam primitus fieret, si ille dimitteret: ut enim sic fierent omnia, quemadmodum consequens scriptura testatur, Pharaonis contumacia meruit & suorum. Neque enim mendaciter Deus jubet, quod scitat non facturum cui jubetur, ut justum judicium consequatur.* Hactenus Augustinus. Rectè, meruit illa consequentia & eductionem populi per contumaciam, ideò non subticuere mandati partem, totam exposuerunt,

&

& mente illa omninò, quam ex verbis suis sciebant Pharaonem intelligere. Animus redeundi erat, & Deus (si Pharao paruisset) Ægypto non eduxisset gentem Israël. Non stabilitur hinc scientia media seu conditionata, quam vocant, ut Molina & alii Jesuitæ volunt. Nam Deus non mutavit sententiam neque statuit ex contingentibus hominum factis:decretum suum exsecutus est mediis decretis. Calvinus hic multa rectè animadvertit. Primò, Deum imperasse & voluisse mandatum suum præferri, ne propria libidine viderentur agere, in qua repulsa peccaminosa non fuisset, at petitio merito suspecta. *Iam* inquit, *suggeritur illis prætextus, quo suspicionem & invidiam à se avertant. Neque enim liberi discessus, unde gravis jactura instabat tyranno, unquam permissa fuisset facultas.* Secundò: Idem: *Adde quod tam æquum postulatum negando, regio jure imperioque se privavit, quum Deo summo regi suum honorem eriperet. Etsi enim sub ejus ditione erant Israëlitæ, non tamen hac lege in eos dominabatur, ut Deum justo cultu fraudaret.* Tertiò: idem: *Atque utile fuit non nisi optima de causa, populum invito rege egredi, ne in futurum tempus daretur subditis quibuslibet excutiendi jugi libertas.* Quartò, idem: *Aliud quidem suspicatus est Pharao, nempe meram esse fallaciam, quod de sacrificio obtendebat: quia tamen diffidentia hæc ex tyrannide oriebatur, satis in eo convicta fuit ejus ingratitudo, quod sibi male conscius Deum coli vetuit. Iam quicquid illi in mentem venerit, miraculis tamen, quæ verbo addita erant edoctus ignorare non debuit à Deo profectam esse legationem.* Quintò, idem: *Præmunit suos Deus ne repulsam primo congressu passi labascant: & desperatione fracti injunctum sibi opus deserant. Durum quidem auditu fuit frustra se expeditionem suscipere: perinde ac si verba apud stipitem facerent, quia nulla spes erat proficiendi apud aures obstinatas: sed longè hac tentatione durius perculsi fuissent, si ex inopinato deprehensa fuisset regis contumacia. Prædicit ergò Deus nihil verbis suis effecturos, sed ex adverso denuntiat se admirabili virtute fore superiorem.* Sextò, idem: *Sicut videtur esse absurdum: supervacuo labore fatigari miseros homines, ut cum ludibrio & contumelia repellantur: respondeo spectasse hoc ad exemplum & utile fuisse ad illustrandam Dei gloriam, ut rex humaniter rogatus impiam contumaciam proderet: quia nihil justius fuit quam extorqueri ab invito, quod injuste negabat.* Septimo, idem: *Hoc etiam liberalitatis cumulo Israëlitas allicit ut animosius contendant ac nitantur.* &c. Octavo: *Verum, quia res erat difficilis creditu, Ægyptios infestissimos populi hostes, tam comes & benignos fore, ut quicquam beneficentiæ præstarent, admonet Deus sui arbitrii esse flectere quocunque velit hominum corda. Facturum igitur se pronunciat, ut Ægyptii repente ex lupis fiant oves: & qui solebant rapere ac vorare, nunc lac ex suis uberibus & lanam ex tergo suppeditent.* Nonò, justitiam deprædationis Ægypti expendit. Objectioni respondet: *Dei est, tueri jus suum cuique, prohibere furta, damnare fraudes & rapinas.* R. *Quis suum esse jactabit, nisi quod à Deo datum est?* Eum pro libertate donare & adimere. *Si Ægyptii querantur factam sibi injuriam, expostulent cum Deo.* Fatetur debitam Israëlitis mercedem subtraxisse Ægyptios, unde justam fuisse illam deprædationem, quando Deus jussit: Sed illam defensionem inanem esse. *Sed*, inquit, *nihil opus est ex lege communi æstimare Dei judicium, quando jam visum est ipsius esse mundi copias, ut singulis eroget, quantum libuerit. Neque tamen hoc modo eum facio exlegem: etsi enim suprà omnes leges eminet ejus potestas, quia tamen voluntas ejus certissima est perfectæ æquitatis regula, rectissimum est quicquid facit: atque ideo legibus solutus est, quia sibi & omnibus lex est. Neque etiam simpliciter dico cum Augustino*, mandatum Dei esse, de quo non est judicandum, sed cui est obtemperandum, quia novit quam juste mandet: servi autem obedienter facere, quicquid mandet: *Verè quidem hoc dicitur, sed tenendum est illud altius princi-*

principium, quum sola Dei liberalitate singuli possideant, quod suum vocant, nullum esse justiorem possidendi titulum, quam ex ejus donatione. Aben-esdras notat alio loco (Exod. 11. 2.) De maribus & feminis simul dici quod petituri essent. *Nunc* (inquit) *quia consuetudo est mulierum petere à vicinis mulieribus magis quam à viris instrumenta mundi muliebris, auri argentique, ut ponant super colla filiorum filiarumque & nezamim in auribus & naribus, asadam, saharonim & achasim. Et hic mos in terra Ismael, non ita in terra praputiatorum: Et sic recordatur Maga* (Exod. 22. 18.) *quod mulieres pra viris operam dent magia.* Ab hospitis jubentur petere: ומגרת ביתה. Rationem dat Aben-esdras, כי אחוזה היתה להם. Calvinus: *ubi verti hospitam, quidam cohabitatricem ponunt: nec magnopere ad rem pertinet, quia ex altera voce colligitur permixtos fuisse Hebrais Ægyptios.* LXX. reddiderunt σύσκηνος. Belgæ: **de Weerdinne van haeren huyse.** Constat illa quæ ab Ægyptiis Hebræi petiere, partim ad mundum muliebrem, partim ad ornatum domesticum supellectilis & utensilium pertinuisse. Simlerus: *Nominantur hic tria, vasa argentea, aurea vasa & vestes, sed sub his multa alia comprehenduntur, gemmæ, hyacinthus, purpura, coccinum, byssus, pelles varia, ligna sittim, aromata, oleum, odoramentum. Hac enim & hujus generis donaria ad exstructionem tabernaculi contulerunt. Verisimile autem est, hac ex Ægyptiorum prada fuisse. Nam vix in servitute hac acquirere potuissent, multò minus in deserto.* Aben-esdras factum defendit: *Sunt qui improperent* (מתאוננים) *dicantque majores nostros fures fuisse: at isti nonne vident, praceptum Divinum esse* [מצוה עליונה] *nec rationem quarendi* (ואין טעם לשאול) *quare? Quia Deus creavit omnia, ipse dat divitias cui vult: capit eas ab illo & dat alii: nec hoc malum est: Nam ipsius sunt omnia,* כי הכל שלו הוא.

Cap. IV.

Nondum his dictis Dei Moses in plenissimam rei fiduciam adduci potuit. Ille, qui tantam videbatur animo concepisse spem, antequam ex Ægypto fugeret, nunc mirifico tenetur timore. Animus promptus erat nec Deo fidem abrogavit loquenti at arduæ difficultates caliginem offudere è qua lucta emergere non potuit antequam tergiversando effugia omnia tentasset. Calvinus: *Prudenter discernere necesse est inter timiditatem, qua cursum impedit & recusandi audaciam, cui adjunctus est contemptus* &c. *Videtur quidem Moses obstrepere ipsi Deo & cum eo altercari: sed hac sive audacia sive simplicitas, plus in se modestia habuit, quam si latebras in silentio captasset* &c. *Hic enim certe scopus fuit, ut deinde expeditior esset ad pergendum.*

Objicit Deo: *Non credent mihi* &c. Calv. *Angebat sanctum virum hac cura, quod populares suos expertus fuerat pravos & fere intractabiles: hac cura se exonerans in sinum Dei, nova promissione erigi cupit, ut hoc impedimento solutus acriter curras.* Objicit sibi Aben-esdras: *Ecce Deus dixerat, quod credituri essent ei seniores:* sed *non* expresserat modum, (Audient vocem tuam) *fortassis non credent corde.* Frigidum est. Melius solvit Cl. Rivetus: Dei illam prædictionem esse generalem, non dicere, quod primo occursu fidem essent adhibituri, tantum quod credituri: si post multas molestias frequentesque pulsationes crederent, constare Dei dicto veritatem. Deinde non excludere signum & medium. Credo eos mihi fidem adhibituros esse, at mihi medium monstra, quo debeam ipsis persuadere. Vocatio enim extraordinaria signum requirit. Ita potius promptitudinem testaretur quam petit instrui, & modum poscit, quo promissum suum Deus executurus esset. Josephus admodum emollit hanc objectionem Mosis

Mosis cui subjicit: ὁ δὲ θεὸς αὐτῷ περὶ πάντων συνεβούλευε θαρρεῖν ὑπισχνούμενος αὐτὸς παρέσεσθαι· καὶ ἐὰν δέῃ μὲν λόγων πειθὼ παρέξειν, ἐὰν δ' ἔργων, ἰσχὺν χορηγήσειν. In unum contrahit dicta Dei in colloquio divisa, & de verborum suadela deviat à textu, ut infra apparebit.

De prodigio baculi mutati in serpentem.

TRibus signis Deus ejus missionem & ministerium extra ordinem impositum munit. Omni ministro extra ordinem, inducenti novam formam à Deo Legesque quæ necdum fuere opus esse concedimus, miraculis & signis, ut suam vocationem confirmet: qui autem provocat ad leges datas, quamvis immediata vocatione missus, opus non habet. Moses induxit novam formam Ecclesiæ, omnia fere mutavit aut certè composuit, non potuerunt se illi tradere, nisi ostenderet miracula. Ita Christus & apostoli abrogaturi Mosis πολιτείαν, aliamque daturi Ecclesiæ faciem, miraculis confirmabant potestatem Divinitus concessam. Hinc legimus populum credidisse Deo & Mosi non tantum sed & in Mosen tinctum esse, I. Corinth. 10. 2. Ideò etiam Christus ad opera sua provocavit Joh. 5. 36. Et voluit Deus Apostolorum verbum confirmare subsequentibus signis Heb. 2. 4. Johannes missus extra ordinem ut de novo cœli regno prædicaret, nulla tamen signa fecit Joh. 10. 41. quia monstrabat alium, qui novum regnum inchoaret: eum adirent. Hæc significant ipsi Judæi, *Iohannes quidem nullum signum fecit, sed quicquid de ipso dicebat verum erat.* Rivetus: *Concedimus ergò tum miracula edi oportere, vel cum antiquanda sunt ea, quæ prius à Deo fuerunt constituta; vel stabilienda sunt aut addenda, quæ prius non fuerant audita.* Iterum: *Alia ratio est instituendarum legum novarum, alia restituendi ordinis collapsi, juxta leges veteres, quarum autoritatem nemo potest in dubium revocare. Qui primum illud faciunt ostendere debent, quo jure illud suscipiant. Qui secundum si Reip. cujus partem faciunt, culpam indicent, suam etiam agnoscant & corrigantur; satis suum factum probant, si publicis legibus illud tueri possint.* Cum igitur Moses, ignotus & exul se inferat ut ductorem populi Israël, tam in politicis quam in Spiritualibus, ut eos asserat à jugo regis, cui suberant, in libertatem temporalem: ut cultum Dei instituat, novis legibus politicis & cerimonialibus evulgatis, omninò ipsi opus fuit miraculis, Calvinus: *Hic de usu miraculorum ex professo disserere longum esset: hoc breviter tenere sufficiat, nonnunquam illa valere ad fidei præparationem, aliquando verò ad confirmationem* &c.

Quæritur autem cujus efficaciæ & sufficientiæ sint miracula ad fidem & vocationem testandum? Pontificii nimium miraculis tribuunt, nos dicimus primò difficile esse judicium inter vera & ficta, quum vix quicquam tale fieri possit, quod Satanæ ludibria non imitentur, permittente Deo. Deinde miraculorum fidem etiam è qualitate doctrinæ examinari oportere: an ad gloriam salutemque populi tendant, an conveniant cum certis dogmatis & verbo, quod jam receptum est. Mosis doctrina potuit examinari, è verbo non scripto, in quo simul ostensum liberationem ex Ægypto exspectandam esse: cui quum se Moses juxta Dei promissionem olim factam offerret, personam suam ad hoc destinatam & missam esse miraculis debuit probare. Non igitur sola miracula sed comparata cum verbo noto, fidem instruere potuerunt. Ita Christi personam non fidem de Christo significarunt. Ostensa persona fidem habuit apud suos, uti faceret, quod futurum esse promissis oraculorum continebatur.

Primum signum fuit baculi mutatio in serpentem. Imperabat Deus ut pedum pastorale abjiceret in terram, quo facto in draconem mutatur. Quod videns Moses fugam capessit, at jussu Dei apprehensa cauda, pristinam formam baculo restituit. Hic ille baculus est, quo instrumento usus, miracula illa famosissima posteà patravit. In Mose notatur timor & consternatio, quia fugam arripuit, viso dracone: rursus fides, cum ad Dei vocem, virulenti & noxii animalis caudam, deposito priore metu, apprehendere & premere sustineret.

Analogiam mutati in serpentem scipionis ita explicat Calvinus: *Pedum pastorale, quod in manu gestabat projectum in terram convertitur in serpentem, rursus in manum receptum naturam suam recuperat: Mihi non dubium est quin docere voluerit Deus, quamvis abjecta & despicabilis esset Mosis conditio, formidolosum fore tamen regi Ægypti. Baculus enim ille pastoris insigne erat. Quid autem magis contemptibile quam prodire ovium custodem è deserto, & pedum suum quo vix se & gregem tueri à feris bestiis potest, opponere sceptro potentissimi regis? Cæterum admonet Deus quanvis destituatur splendore terreno, opibus & potentia, fore tamen horribilem Pharaoni: quasi diceret, timendum non esse ne hominem rusticanum spernat Pharao, vel pro nihilo ducat: quià baculus in serpentem conversus plus terroris afferet quam mille gladii. Quod dicit Moses se perterritum fugisse, voluit haud dubiè Deus percellere metu servum suum, ut melius æstimaret ex animi sui sensu qualis futura esset Dei virtus ad terrendum superbum illum regem. Hic ergo fuit miraculi finis, non esse opus magnis copiis, quia ad conspectum unius baculi expavesceret Pharao: neque opus esse baculum agitari & validè concuti, quia proprio motu & jactatione satis incuteret timoris. Altera pars miraculi, quum rediit baculus in pristinam formam, huc tendebat ut sciret Moses, quod per se infestum ac damnosum erat, sibi adjumento & præsidio fore. Idem itaque baculus Mosen instruxit fortitudine, hostem verò dejecit ac prostravit* &c.

Tyrinus: *Ad cujus intellectum considerandum, quod ista signa erant ordinata ad hoc, quod filii Israel crederent Moysi, quantum ad exitum de terra Ægypti de mandato Domini: & ideò ista signa fuerunt proportionata ad hoc designandum, sicut in præcedenti capite fuit dictum de visione rubi. Status autem filiorum Israël in Ægypto, potest considerari quantum ad ingressum populi in Ægyptum; quod fuit per dominium ipsius Ioseph in Ægypto: & ad hoc principaliter refertur signum virga per quam designatur principatus ipsius Ioseph: unde Gen. 47. Vbi translatio nostra habet:* Adoravit Israël Deum, conversus ad lectuli caput: *translatio 70. habet:* Adoravit Israel fastigium virgæ ejus: *quod exponunt aliqui doctores nostri de virga vel sceptro Ioseph, quod portabat in signum dominii: super quod sceptrum Iacob innixus adoravit Deum. Ista autem virga fuit in terram projecta, quando, post mortem Ioseph filii ejus cum populo Israel fuerunt compulsi ad opus terrenum in luto & latere: & tunc conversa est in colubrum, quod est animal venenosum & homini insidiativum: unde Gen. 3. dixit Dominus serpenti:* Tu autem insidiaberis calcaneo ejus. *Quia rex Ægypti filiis Israel imposuit, quod venenum malitia concepissent adversus ejus regnum; & quod insidiabantur, qualiter se possent jungere adversariis Ægyptiorum, ut debellatis Ægyptiis egrederentur de Ægypto, ut dictum est supra 1. cap. Sed apprehensa cauda colubri versa est iterum in virgam: per quod designatur, quod finaliter filii Israel egrederentur de illa vilitate ad magnam libertatem & dignitatem, secundum quam dicitur Deut. 4.* Nec est alia natio tam grandis &c.

Procopius Gazæus: *Quare adeò diligenter interrogatur? Vt sua confessione pateat esse virgam, ne ubi ipsam viderit abiisse in serpentem, putet se prius non virgam sed serpentem gestasse. Pulchrè verò, ubi virga, ibi visitur & serpens: sic ubi lignum*

lignum, ibidem inſidiator & hoſtis. Vbi intuitus eſt ſerpentem Moſes horrens refugit; admonitus calamitatis, quæ à ſerpente tranſiit in univerſum mortale genus. Cæterum Deus confirmat perterritum & tali virtute munit ut caudam ſerpentis corripere non exhorreat. Hoc vero ſignum erat humano corpore in crucem ſive lignum ſuffixo interficiendum ſerpentem. Ejus autem qui incarnatus eſt, ad nos deſcenſus, innuitur per baculi abjectionem. Dicitur enim Chriſtus baculus, quod omnes ab ipſo ſuſtinemur & confirmamur. Sermone namque Domini confirmati & conſolidati ſunt cœli. *Fulcit quoque ſermo Dei juſtos. Et per filium quaſi baculum portamur ad patrem. Ait enim,* compellam ſive cogam ipſos ſub baculum meum. *Baculus ſive virga regni ſymbolum eſt. Imperat ſiquidem per filium omnibus Deus pater. Ad hunc inquit David:* Virga tua & baculus tuus conſolata ſunt me. *Hæc eſt* virga quæ progerminat ex radice Jeſſe. *Hæc eſt virga Aaronis florida. Sed quantiſper manſit in alto & quaſi in manu patris id quod erat manſit, nec de ipſo dictum eſt:* Exinanivit ſe ſervi ſcilicet forma aſſumpta &c. *Vbi vero paternam reliquit dignitatem, delapſus cælo in terra moratus eſt, conformis factus eſt nobis malis & quaſi venenatis belluis, ad quas dicitur:* Si igitur vos, cum ſitis mali, noviſtis dona bona dare filiis veſtris. *Serpens factus haud abs re traditur propter humanam naturam, quam aſſumpſit, ipſe extra peccati aleam conſtitutus.* Poſtea fuſius ad Chriſtum ἀλληγορεῖ. R. Abraham (citante Riveto) vult baculum repræſentaſſe Pharaonem; qui tempore Joſephi fuit inſtar virgæ, mollis & ad nutum Joſephi flexilis, poſtea mutatus eſt in ſerpentem inſidiando Hebræis, eiſque exitium machinando: iterum factus eſt virga, dum per plagas Dei domitus, Hebræos Ægypto exire permiſit. Alii igitur Chriſtum alii Pharaonem, alii Moſen, alii populum putant adumbratum eſſe. Convenit ut ejuſmodi quæramus comparationem, qua Moſis vocatio ſeu adminiſtratio adumbratur: ut eſt in Calvini expoſitione. Rivetus: *Aptiſſima mihi videtur ſerpentis iſtius allegoria, quod virga id eſt adminiſtratio illa, ad quam Moſes vocabatur, primum viſa fuerit illi, tanquam ſerpens, ideoque fugiebat eam, velut beſtiam nocentem: ſed poſtquam verbo Domini confirmatus eam prehendit, cognovit ſe divina præditum eſſe potentia, & adminiſtrationem illam ſuſcepit, quam horrebat.* Diſtingui igitur debet ipſa propria ſymboli ratio ab applicatione tropologica ſive anagogica. Κατ᾽ ἀναγωγὴν de Chriſti incarnatione ita explicari poteſt, ut eſt apud Procopium, ſecundum Eccleſiæ habitum & hominum in hoc ſeculo baculus ille repræſentat nobis diſciplinam Dei, quæ initio horrida nobis apparet inſtar ſerpentis, ſed in fine cum ejus fructum experimur, agnoſcimus eſſe virgam paternam & paſtoralem. Aut uti ſerpens à Moſe apprehenſus in virgam tranſit ita maximè noxia & damnoſa per fidem attrectata, mutantur in adjumenta ſalutis &c. Raſi annotat interrogationem à Deo factam Moſi, quid eſt hoc? eſſe exprimendæ confeſſioni, quod eſſet revera baculus: ut ſi quis ſocio dicat: Hæc res, quam cernis, confiteris eſſe lapidem? illo autem reſpondente (הן) ſic eſt, dicat, Ecce facio eſſe lignum. Mutatio in ſerpentem fuit (inquit) *ſignum* ſive *indicium* (רמז) *quod narraſſet calumniam de Iſrael & apprehendiſſet opificium ſerpentis.* Quaſi hæc pœna eſſet calumniæ de Iſrael, cum ſit indicium rei eventuræ confirmandæ. Aben-eſdras notat hoc ſignum non eſſe datum ut ipſe crederet, quia jam confirmatus eſſet ſigno rubi, ſed ut ita faciendo fidem faceret Iſraëlitis. Factum id eſſe jugiter in occurſu: fuiſſe enim ſcipionem ſuſtentationis, quo uti ſenes ſolent, non pedum paſtorale, cum habitu paſtoritio non ſit ingreſſus ad Pharaonem. Rectè increpat eos, qui rationem naturalem hujus immutationis ſe invenire & reddere poſſe exiſtimabant: דעת חכמי המחקר איך יתכן זה והוצרכו לומר להסיר הנחשות וכל דבריהם רוח כי

הוא דרך מפת ואינו על דרך התולדות: Miracula non cadunt sub rationes physicas, ut quæ generantur. Subjicit: *Dixit Ieferh hoc prodigium indicat, initio verbum fuisse molle, sicut est baculus, conversum autem esse in serpentem ut scriptum; draco magnus: in fine* ut prius fuerat, rediisse. *Factum esse sicut non fuerat.*

Quæsitum etiam est, an vere & re ipsa scipio in serpentem versus sit an secundum apparentiam & imaginationem? Idem de aliis transformationibus quæri potest, manus & aquæ: maxime de aqua, ut judicat Rivetus. Interpretes reipsa in formas illas transiisse existimant: quia non conveniat Deo falsa specie & decepta imaginatione ludere, agere autem ipsis rebus, quia conditor est. Miraculis veris veritatem vocationis confirmari voluit. Facillimum ei est rerum naturas, quas statuit, immutare; præstigiis ludit Satan, qui ultra speciem & imaginationum ludibria non potest efficere: Æqualis apud Deum facilitatis est, naturas in aliam formam actu transferre & imaginationem inani specie suspendere. Illud maluit, quia conveniebat illi potius: *maxime,* (inquit idem ille Rivetus) *in hoc negotio tam arduo, in quo Moses ea debuit præstare, in quibus illusiones dæmonum confunderet. Itaque sicut in Cana Galilææ Christus aquam in verum mutavit vinum, sic etiam baculum in verum mutavit serpentem & aquam in verum sanguinem & è converso.* Hujusmodi miraculosæ transformationes nil faciunt ad probandam transsubstantiationem elementorum panis & vini in sacramento Eucharistiæ. Nam in sacramentis Deus non facit miracula. Si in hoc sacramento id flagitet communis ratio sacramentorum, eodem modo erit in baptismo. Atqui non in baptismo. Si miraculum credi vellent sacræ literæ, dicerent, ut hoc, quod affirmant, crederemus, Denique omnia miracula sui veritatem sensibus approbant. Porrò *nunquam* (Verba D. Riveti) *auditum est hactenus in ulla alia mutatione, rem aliquam existentem manere in natura sua propria & tamen in aliam disparatam naturam simul converti: aut rem aliquam converti in eam quæ ante fuit & quæ manet, quod semper fuit, etiam quando convertitur. Audimus quidem virgam mutatam fuisse in serpentem, sed non audimus virgam illam fuisse simul virgam & serpentem: nec audimus fuisse mutatam in serpentem prius existentem, qui simul alibi existeret, qualis anteà fuerat & nihilominus de novo factus esset ex virgæ substantia.*

De prodigio manus lepra infectæ & subitò restitutæ: item de conversione aquæ in sanguinem.

VT magis convinceret populum & Ægyptios illisque suam vocationem probaret, Dei jussu, manum in sinum recondit; quæ subito vitiligine tota, instar nivis inalbuit: iterum in sinum reposita, sanitati pristinæ restituta est. Ita in manu infecta sanataque duplex miraculum fuit. Vitiliginem subitò nasci sine prava dispositione miraculi fuit: quemadmodum & infici manum solam, reliquis partibus in suo statu manentibus. Species quædam lepræ curabiles erant, sed adhibitis remediis & longo temporis lapsu, Manus in sinum reconditione vitiliginem nasci & pelli miraculosum fuit. Ejusmodi causa nihil tale valuit nec eadem causa naturalis contrarios producit effectus. Significationem historicam Lyranus ita explicat: *Secundò consideratur status populi, quantum ad egressum de Ægypto, sub cura ipsius Moysis: & ad hoc refertur signum manus: quæ primò posita intra sinum facta est leprosa: secundo ibi reposita, sanata est. Per quod designabatur, quod filii Israël, quando primo repositi sunt cura Moysi (quæ cura per sinum designatur, unde Num. XI. dicitur:* Porta eos in sinu tuo) *per hoc fuerunt magis abominabiles Ægyptiis, & quasi in conspectu eorum fœtidi. Vnde dixerunt*

dixerunt Mosi: Fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone & servis ejus, *ut habetur infrà V. cap. Sed per manus sanationem in sequenti repositione designabatur consolatio eis futura per curam Moysis, sicut patuit in transitu maris rubri & aliis beneficiis per orationem Moysi à Deo sibi collatis.*

Calvinus: *Hoc signo edoctus fuit Moses, quod maximè vegetum est arescere protinus ad Dei nutum & rursus, quod aridum est restitui pristino vigori: denique comprobata fuit illa Pauli sententia, Deum vocare ea, quæ non sunt, tanquam sint. Hæc fuit species lepræ, quum ex aula relegatus fuit Moses in deserta Madian: ubi gregem circumegit per tesca & aspera, inter sentes & rubos. Postquam annos quadraginta similis semimortuo transegit: quum nulla esset in eo dignitas, nullum nomen, quasi postliminio recepit, quod amiserat. Itaque nunc ei promittit Deus, se quod abstulerat, mox redditurum:* Hactenus Calvinus, qui addit hanc simplicem analogiam esse cum suo effectu, qua contentum fore modestum lectorem, valere jussis aliorum argutiis: quia necessarium esset cognitu, stare & cadere Dei arbitrio cunctos mortales: robustos marcescere repente ac tabescere, rursum in florentem ac nitidum statum ex deformi & tabido redire. Ita ipsi, qui Dei manu in solitudinem conjectus esset ab hominum consortio, non esse desperandum quin eadem manu fieret novus homo. Hanc conditionem ad totum populi corpus aliquatenus pertinuisse: sed melius quadrare Mosis personæ. Rivetus hoc miraculum pertinere vult ad confirmandum Mosen non tantum, quo Calvinus restringit sed & populum: cujus etiam conditio vilissima erat & habebantur apud Ægyptios viles & abominabiles; cum tamen postea gratiam invenerint & receperint libertatem. Subjicit: *Quid si nomine manus intelligamus vim agendi & potestatem, quæ primum in sinum Mosis reposita lepram contraxit nec apta fuit ad opus aliquod suscipiendum: unde etiam Moses conscius infirmitatis suæ cunctabatur & refugiebat? Sed eadem manus postea à Deo sanata & quasi vivificata ac novis quasi viribus aucta, significat Deum velle etiam sanare Mosis infirmitatem, eumque reddere aptum ad eam vocationem, ad quam eum destinaverat.* Rasi iterum pœnam putat fuisse calumniæ: *Etiam in signo hoc indicium, quod calumniam* (לשון הרע) *enuntiaverit, dicendo: Non credent mihi: ideo percussit eum lepra, quemadmodum percussa est Mariam ob calumniam.* Notat in præcedenti versu, ubi de eductione manus è sinu, ad lepræ ostendendam infectionem, non adjici vocem מחיקו, ut hic ubi reducitur ad integritatem. Hæc est *πλεονεξία*, in qua causam reddit diversæ scripturæ scilicet celerrime reduxisse è sinu, quasi gaudentem reddita sanitate: מכאן שמדה טובה ממהרת לבוא ממדת פורענות. Abenesdras: *signum primum fuit baculus, qui inveniebatur in manu ejus, secundum in manu ejus. Dixit Iepheth, quoniam suspectaverat Israel, quod non essent credituri, manus ejus infecta est lepra. Si ita esset, conveniret ut hoc primum signum fuisset. At R. Iesua dicit, quod hoc indicium fuerit Israëlis, qui fuerant in principio liberi & percusserat eos Dominus servitute: ipse etiam sanavit eos & reversuri erant liberi.* Docet inde quid sit חיק. *Haggaon dicit, quod* חיק *sit domus brachii* id est manica, *atque ita* dici [Esai. 40. 11.] In sinu suo portabit: Et [Num. 11. 12.] Porta in sinu tuo: *alii dicunt, quod sit vestis propinqua pectori.* Anagogen ad Christum extulit Procopius: *Hoc indicium fecit posteà legislatoris dextera. Prolata siquidem sinu, vertitur in diversum à natura sua colorem. In sinum retracta genuinum recuperat. Sic unigenitus Dei qui est in sinu patris & est dextera altissimi, cum venisset ad nos, quasi è sinu productus, mutationi subjacuit. Prætereà existimatus est æque ac nos lepra id est peccato infectus: Omnis enim justitia nostra est ut pannus menstruata. Quapropter impudenter ipsum Iudæi vocaverunt peccatorem, vinosum & Samaritanum. Reversus autem ad suum pa-*

tremi, cujus ipse perhibetur dextra, recuperat pristinam gloriam, quam habuit ante creationem mundi apud Patrem. Idem habet & alia significata historiæ à Deo hoc loco intenta ergà Mosen, sed ἄλις τύτων ὡς ὀψιε. Non est inconcinna allegoria tropologica apud Estium: *Allegoricè,* inquit, *significatur, quod multi, qui sibi mundi videntur, si manum in sinum mittant, id est, si diligenter anima sua latebras scrutentur: instar nivis retrahent illam leprosam, id est, invenient magnam immunditiem*; maxime si operum suorum scrutentur intentionem. *Iterum autem si manum suam in sinum mittant id est, si iterum atque iterum hoc pacto suam scrutentur conscientiam, tandem proferent eam mundam & similem carni reliquæ, id est, mundabunt conscientiam seu animam suam, ut similis sit animabus sanctis, quæ sunt in corpore Christi quod est Ecclesia.*

Tertium signum ex superfluo, quasi additum quo usurus, si duobus prioribus fides eorum non posset obtineri. v. 8. 9. Si non credant dicit ad Mosen Deus non quod ipsi ignotum esset futurum: loquitur כנגר משה / *convenienti ad Mosen sermone.* Si quidam non crediderint primo, fac secundum, si nec secundo moveantur, tertium adhibe. Armat igitur instruitque eum sufficientissimè. Hujus signi historicam notationem Lyranus interpretatur de statu populi intermedio. Primum enim signum de ingressu in Ægyptum & dominio Joseph ejusque consequentibus, alterum de eductione & præfectura Mosis, ultimum de statu intermedio, in quo fuit populus à morte Joseph usque ad præfecturam Mosis. *Status autem,* inquit, *populi intermedius fuit post mortem Ioseph & antequam Moses curam populi susciperet. Et in aliqua parte illius temporis intermedii fuit illud edictum crudele de pueris masculis Hebræorum submergendis in flumine. Et ad hoc refertur tertium de aqua fluminis* versa in sanguinem: per quod designabatur, quod Deus requireret ab Ægyptiis in gravibus plagis sanguinem puerorum in flumine exstinctorum. Calvinus primò observat *insigne documentum indulgentiæ Dei, quod tam liberaliter signa signis addere dignatus est, ut cum populi malitia certaret, donec torpentes forti manu traheret ad credendum.* Signum ita explicat: *Iam vero sicut duobus miraculis ostendit Deus potentiam, quam volebat per manum Mosis exercere, ita hoc tertio docuit qualis ergà Ægyptios futurus esset. Ac proinde intus & extra confirmatus fuit Moses cum toto populo. Summa igitur est, ubi Deus manum suam contra Ægyptios extulerit, adeo nihil illis virium ad resistendum fore, ut munitiones, quibus confisi superbiebant, sibi adversas esse sentiant ac noxias. Scimus quam multa & varia commoda ex Nilo perciperent. Erat enim regio ab una parte, quasi opposito claustro tuta & inexpugnabilis: multi portus mutuo commeatu ad merces exportandas & importandas gentem ditabant: ex inundatione agrorum fertilitas: denique Ægyptus præcipuam felicitatis suæ partem locabat in Nilo: Nunc autem admonet Deus non modò nihil profuturum Ægyptiis sed in manu sua esse commoditates omnes vertere in noxas: ac si fluvius ipse, qui terram sua irrigatione secundam reddere solebat, eam sanguine fœdaret atque operiret.* Hæc comprobat Rivetus, additque: *Et quia Hebræorum infantes hoc flumine fuerant absorpti, indicabat etiam tempus venisse, quo sanguinis eorum clamor vindictam petebat.*

Hujus signi, quod simul pœnam continebat, potestas Mosi data fuit, non fuit specimen datum in deserto, ubi Deus cum illo loquebatur: quia illic aqua Nili non erat præstò: nec apud Israël erat faciendum, sed in pœnam primam Ægyptiis exhibendum. Deus autem primis duobus signis attribuit קול vocem: quia sermoni testimonium exhibebant in ipso visu & oculis hominum. Si non attenderent voci duorum signorum plectendi erant sensu tertii, cui ideo non tribuitur vox, ut annotat Aben-esdras. Rasi pergit in suo delirio de

de Mosis punitione. *Quia dixeris ipsis*, causa vestri vapulavi quoniam enuntiaveram de vobis calumniam, credent tibi, quia olim didicerunt sic quia conjugati ipsis vapulabant plagis, sicut *Pharao & Abimelech propter Saram.*

Bis reperitur, והיו *Et erunt* sc. aquæ. Rasi dicit sibi videri, quod significetur aquas non prius in sanguinem vertendas esse, quam in terram decidissent. Verba textus: *Accipies de aquis fluenti & effundes in siccum. Erunt aquæ quas accipies è fluento, erunt in sanguinem in sicco.* Rasi: והיו והיו *duabus vicibus. Videtur mihi si dictum esset*: Et erunt aquæ, quas accipies è flumine in sanguinem, in arida, *intelligerem ego, quod in manu ejus convertendæ essent in sanguinem: eædemque ubi forent in terra, futuræ essent in substantia sua: at nunc docet nos quod non erunt sanguis, donec erunt in sicco.*

v. 10. *Ait Moses ad Dominum* (בי) *obsecro Domine. Non sum vir verborum, etiam ab heri, etiam à nudius tertius, etiam à quo loqueris ad servum tuum quia gravis ore & gravis lingua sum.*

Moses instructus de nomine Dei mittentis, de re ob quam: munitus potestate signorum ad faciendam fidem missionis adeo ut nihil desiderari posset, ad legationis plenitudinem, nunc de sua legati persona sermonem injicit apud Deum. Conqueritur enim de impedita lingua & tarditate sermonis. Rasi: גם תמול וגו *Docet nos, quod septem diebus fuerit Dominus, persuadendo Mosi intentus in rubo, ut iret in legatione sua.* מתמול / שלשום מאז דברך *Ecce tres & tres gammin multiplicati sunt sex, stabatque ipse in die septimo, quando dicebat ei hoc amplius, mitte quæso per ministerium ejus, quem missurus es, donec iratus est ipsi & suscepit in se. Et totum hoc, quod nollet tollere majestatem super Aaronem fratrem suum, qui erat major ipso & erat propheta.* Q. D. (1. Sam. 2. 27.) Nonne revelando revelavi me domui patris tui, cum essent in Ægypto. *Hic est Aaron. Et sic in Ezechiele* (XX. 5. 7.) Notum me faciebam vobis in terra Ægypti & dicebam vobis, projicietis quisque deos stercoreos oculorum suorum. *At hæc fuit prophetia Aharoni dicta.* Quod Deus cum Aharone locutus sit aut per eum, ante vocationem Mosis, ejusque cum fratre conjunctionem, ex illis locis probari non potest. Et computatio illa nihili est. Aben-esdras: Vir verborum, *Sciens loqui elegantia, qui non est tardus lingua in loquendo, aut hæsitans, aut cujus super ore graves non sunt literæ notæ. Est mos Hebræorum, quando volunt æquiparare duas res aut tres, addunt dictionem* גם *in principio, ut* [Jud. 8. 22.] Dominare nobis, etiam tu, etiam filius tuus, etiam filius filii tui. *Et sensus,* שלשום *non dicit heri, sed in diem hunc, quo loquitur: & ecce est tertius qui præteriit, in diem hunc, quo loquitur. Mem per modum pluralis numeri, propter hunc diem & hesternum: & quamvis* ש *non sit cum* Camets *secundum morem, aut* ם *additum in postremo, sicut est additum in principio, ut* (Gen. 38. 37.) ויהי משלש חדשים. גם מאז דברך A tempore quo loqueris: *sicut* (Exod. v. 23.) Et à quo ingressus sum ad Pharaonem, ut loquerer in nomine tuo. *Quia non recessit gravitas linguæ sed relicta est quemadmodum fuit. Qui dicit, quod oblitus linguam Ægyptiam, non est verus, quia dicit duobus verbis, gravis ore & gravis lingua: porro discimus è responso Dei*: Quis posuit homini os, aut quis ponit mutum? *quod non loquatur de lingua Ægyptiorum: sed sic natus fuit, ut fuerit gravis ore, qua non poterat pronuntiare literas labii & omnes literas linguæ sed quasdam earum pronuntiabat difficulter. Et hic sensus est*, Ego ero cum ore tuo & docebo te, *quod docturus esset eum, ut loqueretur dictiones, in quibus non essent literæ ori ejus graves.* Postea: *Ecce non promittit ei, quod amoturus esset difficultatem linguæ, sed docturus, quid loqueretur.* Dicti istius, *Etiam ab heri, etiam à nudius tertius, etiam à quo &c.* alius sensus non est, quam se fuisse impeditum & tardum

sermone

ſermone ut præterita ætate ita & nunc, poſtquam cum Domino loqui cœpit. Non eſt ſignificatio de incremento tarditatis ob ſermonem cum Domino ex timore. Aben-eſdræ diſſertatio, quod Deus non promiſerit emendationem linguæ ſed illa manente difficultate, ſuggeſtionem verborum, in quibus literæ difficulter pronuntiabiles non occurrerent, Judaica etiam eſt. Nam, quum ſe oris & ſenſuum conditorem eſſe ſuggerat, promittatque fore ſe cum ore ejus abeat modo & obſequatur, nihil aliud intelligi poteſt, quam expeditam fore loquelam. Raſi verba Dei, *quis* poſuit os &c. exponit de fabula, ſupra producta, circà judicium ob cædem Ægyptii.

Sed, cum Deus Moſi, promptè obſequenti promittat os expeditum & ſuggeſtionem rerum mandatarum, cum poſterius dederit, poſtquam vocationem ſuſcepit, cur non præſtitit prius? D. Rivetus reſpondet Deum propoſuiſſe quid poſſet; & quid facturus eſſet quoad rem ipſam, non tamen abſolutè, modum determinaſſe. Potuiſſe Moſen reddere facundum, ſed ſatis fuiſſe, ſi verbis ejus, quantumcunque impeditis *eam efficaciam tribueret, qua eloquentiſſimorum orationes vinceret.* Nos arbitramur Deum, ſi Moſes huic promiſſioni acquieviſſet, eam facultatem daturum fuiſſe, quæ opera facundiſſimi Aaronis non habuiſſet opus. Moſes autem electus ad id munus & tantis operibus, docet Deum voluiſſe ipſum ob hos defectus in humilitate continere, & ſuam potentiam oſtendere in inſtrumento infirmo.

v. 13. *Et dicebat, obſecro Domine, mitte, per quem miſſurus es.* Rivetus: *Nondum excuſationum finis eſt, pergit adhuc Moſes & poſt retuſas objectiones de Iſraëlitarum incredulitate & linguæ impedimento, abſolutè petit, ut alii demandetur hæc provincia.* Vocula בי hic & v. 10. eodem ſenſu. Aben-eſdras: כל המפרשים פה אחד אמרו כי פירוש בי לשון בקשה׃. *Omnes interpretes uno ore dicunt, quod expoſitio* בי *notionem habeat petitionis.* Huic conſenſui dicit non aſſentiri R. Juda, qui vult eſſe dictum per brevitatem: *In me Domine ſit iniquitas*: Quaſi diceret, irroga mihi pœnam, quam velis, dummodo non miſeris. Exiſtimat Aben-eſdras Moſen admirari quod fratrem Aharonem non mitteret. Illum enim ſermone promptum, aſſuetum prophetiæ, ut indicetur apud Ezechielem & ex eo pateat, quod Deus ipſi loquatur, jubendo ut eat obviam fratri: Eum etiam annis majorem fuiſſe. *Forte,* inquit, *iratus eſt illi, quod futurus eſſet Moſes legatus ad Pharaonem: propterea dicit Deus, videbit te & lætabitur in corde ſuo. Ecce Moſes non abnuerat ire ſed in principio dixerat ipſi: Non verborum vir ego ſum: quia difficile eſt loqui apud regem, eum qui gravis ore eſt: & cogitabat quod Deus novum ſignum daturus eſſet ad removendam oris difficultatem: cumque reſpondiſſet Deus,* & docebo te, *cognovit quod difficultatem oris non eſſet ablaturus: Ecce admiratur Moſes, quare Deus non mitteret Aharonem ad Pharaonem, Et propterea dicit,* Mitte quæſo per quem miſſurus es. *Et è reſponſo Dei,* An non Aaron frater tuus Levita, *evidens nobis ſit totum hoc.* Raſi: *Per manum ejus, quem ſoles mittere, qui eſt Aaron: A. S. Per manum ejus, quem placet mittere.* | אין ספי | *Meum omnino non eſt, eos introducere in terram, ut ſim eorum liberator in futurum; ſunt tibi legati multi.* Poſterior interpretatio verior. Nam Aaronem prophetam fuiſſe in populo ante hæc tempora, priuſquam Moſes vocaretur, quis credat? Ineptum eſt Moſen reveritum eſſe fratris magnitudinem ne illi æmulus eſſe videretur: omninoque illum præferri voluiſſe quamvis id probet Lyranus. Sententia illa ſecunda à Raſi allegata putat, ex prima revelatione, Moſi non eſſe attributam introductionem in Canaan, tantum ut ad Sinai ſacrificatum educeret. Moſen igitur precari, ut ille mitteretur qui Redemptor plenarius futurus erat. *Calvinus reddidit:* Mitte per manum, per quam mittes. Interpretantur qui-

tur quidam patres (cum iis Jesuitæ) de Christo: quasi diceret Moses ejus virtute opus est ad tanti operis magnitudinem. Calvinus dicit hoc *coactum esse & longe petitum & refelli proximo contextu, quia ad hanc precationem non tantopere excanduisset Deus. De Aharone,* inquit, *cur alii dictum accipiant, non video.* Frustra sunt, qui Mosen ab omni peccato immunem in ista excusatione tam pertinaci facere volunt. Deus enim in eum excanduit. Candide adversus Pererium fatetur Salianus culpam fuisse in Mose. Id ex textu planum esse & ex confessione doctorum, Abulensis, Lyrani, Dionysii, Cornelii, imò & Augustini. Laudat etiam Cajetani verba: *Si culpa vacasset petitio Mosis, nequaquam iratus fuisset Deus, sed eo ipso, quod iratus describitur, manifestatur culpa Mosis. Nam ira Dei justitia est punitiva. Et verè culpa fuit, post omnes excusationes suppletas, adhuc instare ut non mitteretur* &c.

Quamvis succenseret Deus, tamen ejus infirmitati occurrit. Partitur operas inter ipsum & fratrem Aharonem. Hunc appellat הלוי *Levitam.* Id quidam putant significare, quod Aarones plures essent, ideo hunc definitè notari. Rasi nugatur, ob hanc tergiversationem Deum Mosi ademisse sacerdotium destinatum, & dedisse Aharoni, qui alias Levita fuisset, ut filii & posteri Mosis ob hoc ipsum facti sunt. Calvinus innui solatium Dei, qui tam arcto cognationis vinculo conjunctum Mosi sociaret quo promptius operas conjungerent. Pars igitur honoris alii cedit sed fratri, quamvis Mosis tergiversatio merita esset, ut omnino repelleretur & alieno mandaretur provincia. Deus addit, effecturum se ut Mosi in Ægyptum proficiscenti obviam fieret & occursu Mosis toto corde lætaretur. Sic a. partitur operas ut Moses imponat Aaroni, quæ esset elocuturus: ut instar prophetæ obtineat Aaron, Moses vicem Dei fungatur. Ultimò monet Deus, ut ne obliviscatur baculi, quo signa illa facturus erat. Hic jam quæri potest, cum Moses tantam suam infirmitatem manuum & sermonis fateatur, tantamque ostendat diffidentiam quomodo in actis Stephanus dicat, potentem fuisse ante exilium, verbis & operibus (Act. 7. 22.) R. Prudentia & efficacia sermonis, potius quam facundia polluit. Josephus colloquium Dei è rubo cum Mose sicco pede transit. Mosen tantum de modo rei efficiendæ dubitare, ut homo privatus, nullis opibus, cogere possit regem quo dimittat populum, cujus labore & opera ejus felicitas constet: aut persuadere populo, ut se ducem sequatur? Deum promisisse suadelam in ore, vim in operibus: mox id confirmasse tribus signis. Aquæ enim mutationem in sanguinem illic fuisse factam putat. Jussum esse Mosen properare, uti ne cunctatione miseriam populi protraheret. Tum fiduciæ plenum de Dei mittentis nomine quæsivisse: didicisse illud nomen ineffabile. Mox ingentem spem de felici successu concepisse. Philo propius ad sacrarum literarum narrationem accedit, sed Mosen à lapsu immunem esse arbitratus, à via aberravit. Ex igne locutum Deum, se auditis supplicationibus populi, ad eum educendum Mosen inhortari, ducem futurum liberatoremque. Non igitur interpretem agit sermonis Dei, sed pro animi lubitu evagatur. Ἴθι δὴ παρὰ τὸν βασιλέα τῆς χώρας μηδὲν φοβηθεὶς τὸ παράπαν, ὁ μὲν γὰρ πρότερος τέθνηκεν ὃν &c. Alium nunc regnare, qui nihil mali meditaretur, μηδενὸς τῶν πραγμάτων σοι μνησικακῶν. Assumpto senatu populi adeat regem, Deum poscere à gente, ut tridui itinere extra regionem, distante loco, sibi sacra faceret. Hinc Mosen rogato Dei nomine audivisse: Τὸ μὲν πρῶτον λέγε αὐτοῖς, Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν· ἵνα μαθόντες διαφορὰν ὄντος τε καὶ μὴ ὄντος προσαναδιδαχθῶσιν, ὡς οὐδὲν ὄνομα ἐπ' ἐμοῦ τὸ παράπαν κυριολογεῖται, ᾧ μόνῳ πρόσεστι τὸ εἶναι· ἐὰν δὲ ἀσθενέστεροι τὰς φύσεις ὄντες ἐπιζητῶσι πρόσρησιν δήλωσον αὐτοῖς, μὴ μόνον τοῦθ' ὅτι θεός εἰμι, ἀλλ' ὅτι καὶ τριῶν ἐπωνύμων ἀνδρῶν ἀρετῆς θεὸς Ἀβραάμ, καὶ θεὸς Ἰσαάκ, καὶ θεὸς Ἰακώβ ὧν ὁ μὲν τῆς διδακτῆς, ὁ δὲ τῆς φυσικῆς, ὁ δὲ τῆς ἀσκητικῆς σοφίας κανών

ἐστιν. ἐὰν δὲ καὶ ἔτι ἀπιστῶσι τρισὶ σημείοις ἀναδιδαχθέντες μεταβαλοῦσιν, ἃ πρότερον οὔτις εἶδεν οὐδ' ἤκουσεν ἀνθρώπων. *Primum dic illis Ego sum ὁ ὤν: ut cognita differentia entis, præterea doceantur, quod nullum nomen de me omnino proprie dici possit, cui soli adsit Esse: Si autem infirmiores naturâ, quærant etiam appellationem, indica ipsis, non solum hoc, quod Deus sim sed quod etiam virorum à virtute cognominatorum, Deus Abraham, & Deus Isaac & Deus Iacob; quorum primus regula est sapientiæ doctrina quæsitæ, alter naturalis, tertius exercitativæ. Si adhuc increduli sint, tribus signis edocti flectentur quæ ante neque vidit neque audivit quisquam hominum.* Signa illa recenset: dicit autem draconem, τῶν ἀπόδων τὸ ἡγεμονικώτατον, *pedibus carentium principem* quasi hæc significatio fuerit. Deinde de tertio signo: Ταύτης μὲν οὖν ὑπὸ μόνης μόνος ἐπαιδεύετο, ὡς παρὰ διδασκάλου γνώριμος, ἔχων παρ' ἑαυτῷ τὰ τῶν πρώτων ὄργανα τήν τε χεῖρα καὶ τὴν βακτηρίαν οἷς προσεφωδιάσθη· τρίτον δὲ ἐπιφέρεσθαι μὲν οὐκ ἦν, οὐδὲ προδιδάσκεσθαι, ἔμελλε δὲ ἐκπλήττειν οὐκ ἔλαττον, τὴν ἀρχὴν τῆς γενέσεως λαβὸν ἐν Αἰγύπτῳ. Sanguinem rubicundissimum, αἷμα ξανθότατον fore aquam quam è flumine haustam in terram effunderet, πρὸς τῇ χρόᾳ καὶ τῇ δυνάμει ἐπιρρωσθὲν εἰς ἀλλαγὴν παντελῆ. Hoc Mosi credibile visum propter veritatem dicentis & ostensa jam θαυματουργήματα in manu & baculo. Πιστεύων δὲ ὅμως παρῃτεῖτο τὴν χειροτονίαν, *Quamvis crederet tamen deprecabatur, electionem.* Se enim dicebat ἰσχνόφωνον καὶ βραδύγλωσσον *gracili voce & tardioris lingua.* καὶ μάλιστα ἀφ' οὗ λέγοντος ἤκουε θεοῦ. In comparatione ad Dei veritatem, humanam facundiam, reputabat ἀφωνίαν esse: simul natura timidior (καὶ ἅμα τὴν φύσιν εὐλαβὴς ὤν) subterfugiebat (ὑπεστέλλετο) τοῖς ὑπερόγκοις τὰ λίαν μεγάλα κρίνων, οὐ κατ' αὐτόν, *excellentibus valde magna adjudicans, non pro modo suo.* Versus 13. istam dat expositionem: καὶ παρεκάλει ἕτερον ἑλέσθαι τὸν εὐμαρῶς ἕκαστα τῶν ἐπισταλέντων διαπράξασθαι δυνησόμενον. Responsionem Dei intercisam exceptionibus Mosis conjungit post continuam orationem ita Mosi datam. Ὁ δ' ἀποδεξάμενος αὐτὸν τῆς αἰδοῦς, *miratus ejus pudorem* (nihil de Dei ira) Anne ignoras, *inquit, Eum qui hominibus os dedit & paravit linguam & guttur* (ἀρτηρίαν) *& omnem sermocinatricis vocis structuram?* (πᾶσαν λογικῆς φωνῆς ὀργανοποιΐαν) *Ego ille sum. Nihil metuas. Me enim annuente omnia expedientur* (ἀρθρωθήσεται) *& vertent in melius, ut sine ullo jam impedimento fluat volubilis* (εὔτροχος) *& levis è puro fonte sermocinationum latex. Si autem tibi opus fuerit interprete* (ὑποδιακονικὸν στόμα τὸν ἀδελφὸν ἕξεις) *ministrum os habebis fratrem, ut ille multitudini annuntiet à te quæ acceperis, tu autem illi Divina.*

SUL-

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

CAP. XXI.

ITa Moyses in Ægyptum profectus, signis prius apud suos editis, assumpto fratre Aaron, regem adiit; missum se à Deo prodit, verbisque se Dei dicere, populum Hebræum uti dimitteret. At ille negans se Dominum nosse, parere imperio abnuebat. Cumque Moyses in testimonium mandatorum Dei ex virga draconem fecisset, mox aquas omnes in sanguinem convertisset: Itemque terram ranis opplesset: facientibus similia Chaldæis: magicas esse artes, quæcunque per Moysen fierent, potius quam Dei virtutem, pronuntiabat, donec superductis ciniphibus terra oppleta est, Chaldæis fatentibus majestate Divina ista fieri. Tum rex malo coactus, advocato ad se Moyse & Aaron dat populo discedendi potestatem; modo ut superductam cladem averterent. Sed ubi clades exempta est, impotens sui animus, in se reversus, exire, ut convenerat, Israëlitas non patiebatur. Ad extremum, decem plagis corporis & regni sui contusus & evictus est.

DRUSIUS.

AARON] Græca consuetudo scribit Ἀαρὼν, Ebræa verò Aharon cum aspiratione. Cæterum Ægyptius Moses in More part. 3. cap. 50. ab Adamo ad Mosen numerat annos circiter bis mille & quingentos. Ubi *circiter* posui, codex Hebræus habet בקרוב, quod sonat verbum è verbo, *in propinquo*. Notatum autem erat manu nescio cujus in margine 2513. Expende.

MISSUM SE à DEO] Est cur hic malim; *à Domino Deo Israel*. Quæ in textu Ebræo per Tetragrammaton expressa.

POPULUM HEBRÆUM UTI DIMITTERET] Ad festum Domino agendum in deserto.

EX VIRGA DRACONEM FECISSET] Hoc quia Aaron fecit jussu Mosis, Exod. 7. 9. ideò Moses fecisse non male dicitur.

VIRGA] Vocatur virga Mosis Exod. 4. 17. & Aharonis 7. 10. Et Dei. Vide Nicolaum de Lyra ad locum, *Tolle virgam tuam*.

AQUAS OMNES] Sunt qui censent aliquam aquam integram remansisse, quæ posteà conversa sit in sanguinem à Chaldæis: alii aliter de hac re opinantur.

TOTAMQUE TERRAM] Universam regionem Ægypti. Sic in sacris

terræ nomen de illa debet accipi regione, de qua ſermo eſt.

CHALDÆIS] Id eſt magis Ægyptiorum. Maximus epiſcopus in ſermone de Epiphania, *Hodie ſalvator à Chaldæis eſt adoratus.* Juvenalis, *Cum grege Chaldæo.* Interpres, *cum magis aut mathematicis.* Cato de re ruſtica: *Haruſpicem, augurem, hariolum, chaldæum ne quem habeat*, Rusticus videlicet: Et eſt ſenſus ne habeat aſtrologum aut mathematicum. Chaldæi enim certè, qui ex natalitio ſidere futura præſagiunt: quod illa natio ſiderum obſervandorum peritiſſima fuerit. Præcipuè autem in ea ſcientia excellebant Chaldæorum ſacerdotes: quocirca & Chaldæi vocabantur. Vide quæ ſcripſimus obſervat. lib. 8. cap. 12. Hinc dici arbitrantur Ur chaldæorum, ut non gentis ſit vocabulum ſed artis. Certè alio nomine *Camarina* dicebatur, in quo ſignificatio *Chamarim*, id eſt, ſacerdotum: propriè ſignificat ſacerdotes deorum falſorum. Notavi alias.

FACIENTIBUS SIMILIA] De hoc facto magorum videndi ſunt Auguſtinus qu. 21. Et in tertio de Trinit. cap. 7. & 8. Et in libro ſententiarum 2. 4. Thomas 1. 2. quæſt. 17. art. 2. in coroll. quæſt. & ſuper Matthæum cap. 24. Lippomanus in catena patrum & alii. Magorum autem principes Jannes & Mambres, Apoſtolo nominati 2. Tim. 3. 18. quorum Numenius quoque meminit philoſophus Pythagoricus. Mentio eorum & in Thalmud tract. de oblationibus cap. 9.

CINIPHIBUS] Legitur & ſciniphibus. De his Origenes: *Hoc animal pennis ſuſpenditur per aëra volitans, ſed ita ſubtile & minutum, ut oculi viſum, niſi ante cernentis, eludat. Corpus tamen cum inſederit, acerbiſſimò terebrat ſtimulo, ut quem volantem videre quis non valet, ſentiat ſtimulantem*: Quæ verba paulo aliter leguntur apud S. Auguſtinum ſerm. 89. Vide Sigonium. Oroſius lib. 7. cap. 18. *Tertia vexatio habuit ſcinifices* (putarim legendum *ſcinifes*) *muſculas ſcilicet parviſſimas ac ſæviſſimas: quæ mediis ſæpe æſtibus per loca ſqualida ſe coadunando ac vibrando denſata, nonnullo volatu allabi ſolent capilliſque hominum ac pecundum ſetis cum urente morſu interſeri.* Philo Judæus. *ζῶον εἰ καὶ βραχύτατον, ἀλλὰ ὅμως ἀργαλεώτατον. οὐ γὰρ μόνον λυμαίνεται τὴν ἐπιφάνειαν κνησμοὺς ἐμποιοῦν ἀηδεῖς καὶ βλαβερωτάτους, ἀλλὰ καὶ εἰς τὰ ἐντὸς βιάζεται διὰ μυκτήρων καὶ ὤτων. σίνεται δὲ καὶ κόρας ὀφθαλμῶν εἰσπετόμενον εἰ μὴ φυλάξαιτό τις.* Quidam ſcribunt cyniphes & pediculos caninos interpretantur. Rupertus: *Sunt igitur Cyniphes muſcæ minutiſſimæ aculeis permoleſtæ.* Vox Ebræa eſt כנים, quam *pediculos* reddunt. Sanè à mulierculis Judæorum pediculus hodièque *Chinna* vocatur. Quod eo ſignificatu legitur in Nomenclatura Eliæ Levitæ Germani. Fagius arbitratur tale genus pediculorum fuiſſe, quale hodieque filtſleus vocamus, Belgice Platlups à latitudine. Eſt autem pediculus inguinalis, ita dictus, quod pubem & inguina infeſtet. Sunt qui ab Ebræa voce Latinam derivant: quos falli puto. Κνὶψ & Σκνὶψ vermiculus eſt culici ſimilis. Plinio certè culices ſunt, qui à Græcis. *κνῖφες* ſive *σκνῖφες* vocantur. Inde *ciniphes* & *ſciniphes*. Ita mihi videtur. Lexicon vetus. Σκνὶψ curculio *ἢ μύρμηξ, ἄκαρις ἢ κώνωψ.*

MAJESTATE DIVINA ISTA FIERI) Sic interpretatur, quod apud Moſen, *digitus Dei eſt.* Paulo ante dixit, *virtutem Dei*, eodem ſenſu: quod magis ſe probat mihi.

SED UBI CLADES EXEMPTA EST] Id poſt ranas immiſſas eveniſſe Scriptura prodidit.

IMPOTENS SUI ANIMUS] Non potens animo ſuo moderari.

IN SE] ad ingenium ſuum.

DECEM PLAGIS] Has decem plagas metro comprehenſas invenies apud Johan-

Johannem Sarisbeienſen in Polycratico lib. 8. cap. 12. *Prima rubens unda* &c. Quarum ſymbolum apud Ebræos ד'צך ע'דש באח'ב.

Explicatio hujus ſymboli:

Plaga 1 דם ſanguis, in quem aquæ omnes converſæ. Quidam omnes exponunt pleræque ut in illo, *Omnes gentes habent præputium.*
2 צפרדעים ranæ.
3 כנים cinifes: hos alii pediculos fuiſſe tradunt.
4 ערב Arob, mixtio inſectorum.
5 דבר Deber, peſtilentia, pecorum interitus.
6 שחין ulcus, puſtula.
7 ברד grando mixta horrendis aliis meteoris
8 ארבה locuſtarum omne genus.
9 חשך tenebræ palpabiles & triduanæ.
10 בכורות primogenita,

In precibus Ebræorum laudatur Rabbi quidam Juda, ut autor hujus ſymboli. Videndus Oroſius lib. 1. cap. 12. & lib. 7. cap. 18. Ubi has decem plagas comparat cum decem vexationibus, quas perſecutiones vulgò vocant.

SCHOTANUS.

Hujus capitis continentia habetur Exodi cap. IV. à v. 18. ad finem, tum totum cap. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. Dimittitur è Madian & valedicit ſocero v. 18. 19. Iter ejus v. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. Occurrit Aaroni v. 27. 28. Convocat Senatum populi Iſrael. 29. 30. 31.

Dimiſſionem petens, ſocero dicit, ſibi propoſitum redire in Ægyptum ad fratres, ut de eorum ſtatu cognoſcat. Nullam mentionem facit, quod quidem textus oſtendit, apparitionis Dei in rubo. Aben-eſdras לא נגלה לו סוד. Sed ſcriptura non omnia ſemper exprimit. Quidam putant Moſen non feciſſe ex æquo, cum retro iret ad ſocerum: quia Deo parendum ſit prompte, ſine reſpectu ad ſua ſuosque. Sine ratione damnant, qui ignorant an non ſimul id in præceptis ſit datum, ut aſſumpta familia, non neglectis affinibus, proficiſceretur: alia enim ratio vocatorum quorundam ad prædicandum pro illo tempore in Euangelio. Jacob inſalutato ſocero diſceſſit, quem iniquum erat expertus. Rivetus: *Sed ex hac hiſtoria & conſequentibus patet Moſen nullam habuiſſe cauſam ſuſpicandi aliquid iniquum de ſocero ſuo cum quo vixerat conjunctiſſimè. Notavimus etiam ſuo loco, cum Moſes fidelis eſſet & liberationem exſpectaret etſi nondum ei revelatum eſſet tempus vel indicata ratio,* quam Deus inire vellet, ſibi hoc reſervaſſe, ut aliquando cum bona venia ad ſuos redire poſſet. Joſephus: Καὶ πυθόμενος τὸν τῶν Αἰγυπτίων τεθνάναι βασιλέα Φαραώθην, ἐφ' οὗ περ αὐτὸς ἔφυγε, δεῖται Ῥαγουήλου συγχωρῆσαι κατ' ὠφέλειαν αὐτῷ τῶν συγγενῶν εἰς Αἴγυπτον ἀπελθεῖν. In Madianitide habuit aliud oraculum ab illo, quod in rubo audierat, quo monitus Ægypti reges deceſſiſſe qui ipſi mortem moliebantur. Sive id ante viſum in rubo, ſive poſt evenerit, ut de tempore abitus, prius ſignificati, admoneretur. Verba erant: *Mortui ſunt omnes, qui quærebant animam tuam.* Poteſt ſignificari unus rex, poſſunt plures ſucceſſive intelligi, qui eundem erga Moſen animum habuere. Raſi dicit eos viros Moſi inimicos fuiſſe Dathan & Abiron, eosque mortuos dici, quod excidiſſent facultatibus העני חשוב כמת *Pauper pro mortuo reputatur.* Aben-eſdras: אין מוקדם ומאוחר בתורה: *Eſtque ejus expoſitio,*

Iam dixerat: Sicut: Et germinare fecerat Deus è terra *& similia multa. Ecce nunc dum reducit pecus Iethro ad ipsum; erigit eum Deus ut iret sine metu in Ægyptum, quia mortuus erat Pharao & servi ejus, qui noverant negotium Ægyptii. Est istud est:* Mortuus est rex Ægypti: *quia omnibus diebus, quibus in vivis erat, non erat tutum Mosi ut esset legatus ad Pharaonem.* Cæterum Jethro generum prompto paratoque animo dimittit, adprecatus Dei benedictionem & omnia prospera: usus humanitate solita & Deo omnia dirigente: in cujus manu corda sunt.

Rivetus: *Id mirum videri potest, quod suo loco in Iacobi Patriarchæ historia notavimus, cum non tam procul dissiti essent Madianitæ ab Ægyptiis, cum quibus etiam commercia habuisse, in venditione Iosephi audivimus, tam diu apud eos vixerit Moses, & de statu rerum Ægypti, maximè suorum fratrum nihil inaudiverit ut ei revelatione ad eam rem extraordinariâ, fuerit opus. Oportet tunc non fuisse in usu morem illum cum absentibus colloquendi per Epistolas, cujus etiam nullam mentionem legimus in Patriarcharum historia; cum tamen dubium esse non possit, quin tum elementa sua habuerint, & libros conscribere potuerint. Sed morem signatis tabellis aut litteris agendi, non video apud eos fuisse usitatum. Sed cum Moses in eâ familiâ viveret, quæ apud Madianitas aliquo loco esset, nec sit verisimile eum caruisse famulitio, non minus videtur mirandum quod neminem in Ægyptum ex suis delegaverit, qui saltem cum Aarone fratre suo ageret, & de statu rerum inquireret. Crederem id totum speciali providentiæ divinæ deputandum esse, qua Mosi omnis præclusa est via ordinaria, Deumque effecisse, ut nec ipse de eâ re ante visitationis tempus esset sollicitus, nec propinqui ipsius animum antea tentarent, quam plenius de voluntate Dei, ipsi constaret. Nam certè videtur aliquid extraordinarium esse, maximè cum non essent homines stupidi & quos nulla suorum cura tangeret. Intereà, agnoscenda est benignitas divina erga nos, quos voluit in ea tempora incidere, in quibus, quamvis sæpè à nostris, non aliquot dierum itinere dissiti, sed aliquando annorum, possumus tamen eorum qui à nobis longè absunt statum & conditionem sæpius & exactè discere, illi vicissim nostram. Sanè, inter magnas Dei benedictioneo numerandum est, commercium illud litterarum tam frequens, & tot usibus corporis & animæ necessarium, quo qui tam procul absumus ab Ægypto & Palæstina, quid ibi negotii gerant amici, & quomodo habeant, bis terve in anno addiscamus. Cum Moses, qui paucorum dierum itinere distaret, juxta cum ignarissimis, per annos quadraginta videatur ignorasse, quæ in Ægypto gererentur.* Iter capessens, (assumpta familia cum impedimentis) imposuit vexitque matrem cum duobus filiis (ut textus habet) asino. Hic notant singularem numerum Judæi, quasi necessario de uno recipi debeat. Rasi: חמור המיוחד הוא שחבש אברהם לעקידת יצחק והוא שעתיד מלך המשיח להגלות עליו שנ׳ עני ורוכב על המור: *Asinus peculiaris est, quem subjugavit Abraham ad colligationem Isaac: & iste super quo revelabitur rex Messias, Q. D.* (Zachar. 9. 9.) Pauper & equitans super asino. Scilicet propter ה quod vocant הידיעה & quia robustum graudemque fuisse oportet, qui gestare simul tres potuerit. Sed recte Lyranus: *Sed istud apparet omnino fictitium: ideò dicendum, quod ibi accipiatur singulare pro plurali:* Super asinum, *id est,* asinos: *quia unus non sufficeret ad portandum tot personas.* Aben-esdras in ויקח *Nescimus an Gersom natus sit in diebus juventæ ejus & cum fugeret in Madian, an in senectâ ejus. Ne attendas ad Chronicon Mosis; nam vanitas est, quicquid in eo scriptum est. At filius ejus iste secundus Eliezer nunc natus est: cum prophetiam acciperet & cogitaret ducere uxorem & filios suos in Ægyptum idque ut egressuri essent pariter cum Israel. Non fuit consilium bonum: quia ipse veniebat ed educendum populum & illi timebant quod veniret cum uxore & filiis,*

filiis, ut illic peregrinum, ageret. Et ne mireris, quomodo cogitaverit propheta in rebus seculi verbum quod non erat stabile: quia ecce invenimus Davidem rogasse Nathan prophetam : Estne rectum ut ædificem domum Deo? Ipsumque respondisse, Fac quicquid est in corde tuo & Dominus tecum : at nocte dictum est ipsi in prophetia: ut diceret Davidi, Ne ædificaret domum. Addit: והוכנו הזקנים *Et studia seniores* (intelligit versionem Græcam) *interpretati sunt*, super asinum, super ferentem hominem (*ἐπιζύγιον*). *quoniam esset modus imminutionis, si uxor prophetæ veheretur asino uno, ipsa & duo filii ejus: at Iapheth dicit, quod sit nomen speciei, Q. D.* Et fuit mihi bos & asinus: *quod verum non est. Quia hic non est locus memorandi speciem, sed est ut sonat. Nam asini in Ægypto pretiosi & præstantes præ mulis. Nec est mirandum, si equitaverit Gersom filius ejus post eam (parvulus erat) fueritque Eliesér in sinu ejus: quia nondum erat circumcisus.* Deinde: *Et sensus* (Rediit in terram Ægypti) *quod ipse solus redierit. Nam postquam occurrit Deus Mosi circumcisus est Eliezer: & cum sanaretur, reversa est Sepphora cum filiis suis ad patrem: & Mose sivit eos reversusque est in Ægyptum.* Dixit etiam de Baculo, baculus Dei propter signum quod eo factum: Baculus Dei est baculus Mosis itidemque baculus Aaronis: quia in manu ejus fuit cum faceret signa.

In v. 21. 22. 23. narratur Deum Mosi dixisse, ut faceret illa prodigia, quæ in potestate ejus posuerat coram Pharaone. Se autem illius cor induraturum, ut non dimitteret. Tum Pharaoni denuntiaturum esse : Dominum dicere, quod Israël suus esset primogenitus : quia eum dimittere nollet, ejus primogenitum se occisurum. An hoc sit novum oraculum an potius repetitio prioris oraculi ampliorque expositio, ex occasione ejus, quod baculi meminerat, ut causam redderet assumpti baculi, in medio relinquimus. Posterius videtur amplexandum nostro judicio & hic Aben-esdras שב עתה לפרש בעבור שהזכיר מטה האלהים מה שאמר השם למשה וכול. Adeo putat versum vigesimum quartum immediate cohærere cum fine versus vigesimi. Cæterum in hac repetitione ostenditur Deum rationem posuisse, ob quam æquum esset, ut à Pharaone populus dimitteretur ad faciendum sacrum. Israëlem enim esse suum primogenitum. Qui Dei filium primogenitum impediret à Deo colendo, se ejus primogenitum occisurum. Hic Cl. Rivetus fuse disserit de speciali jure Dei in istum populum: quo in filium esset assumptus præ cæteris gentibus. Ex eo concludi putat, quod Pharaoni, non possent subjici nec ulli Domino externo. Audiamus & examinemus illam diatriben. *Opponit* (inquit) *itaque Deus jus suum, quod in illum populum sibi reservaverat, iis omnibus, quæ Pharao proferre potuisset ut eum diutius tanquam sibi mancipatum detineret. Et certe ubi Deus loquitur, & aliquid sibi asserit, omnium hominum jura cedere debent, cum & ipsi Dei sint, cui nihil denegare justè possunt. Nihilominus, nisi hæc ratio dextrè accipiatur, posset universaliter intellecta, arripi in argumentum vel defectionum vel libertatis indebitæ, quæ regna & respublicas turbaret; nempe si quæcunque Dei filiatio, assereret eos qui filiorum Dei nomine gaudent, in libertatem temporalem, eximeretque eos à subjectione principum, & coactione legum. Sic hoc nostro tempore Pontificii Ecclesiastici disputant de suis immunitatibus, & ubi agitur de* exemptione Clericorum *à Secularibus judiciis eam à jure Divino arcessunt, quià ad jus Dei peculiariter se pertinere dicunt, Illud subinde in ore habentes, quod à Domino dictum est,* filii sunt liberi, *Matth. 17. 25. Quasi verò omnibus idem jus esset quod Christo Dei filio, à quo cum peterent didrachma, quod solvi debebat ex lege, in usum Templi, ostendebat quidem Petro id se non debere ex jure, quià eßet filius Dei, & templi Dominus: etsi de facto solveret, ne scandalum inde oriretur. Sed nemo est Dei filius eo jure, quo Christus, itaque ab eo quod sequitur à filiatione Christi, non argumentandum est, ut omnes qui filiorum Dei nomine censentur, sibi eadem adscribant privilegia.* *Id certè*

Id certè periculosum esset, siquis ita argumentaretur, Qui sunt filii Dei debent manumitti, nec subjici potestati Regum aut Principum. Omnes in Christum credentes sunt Filii Dei, ergo &c. Hoc fundamento abusi sunt qui inter Christianos magistratuum autoritatem omnem conati sunt evertere. Cum tamen Evangelium non abroget politias & ordinem civilem. Nam ut vita æterna non tollit vitam præsentem, ita quoque promissio vitæ æternæ, justitia fidei, adoptio filiorum &c. in Evangelio proposita non abolent statum vitæ præsentis, etiam civilem, & obedientiam magistratibus debitam.

Quænam igitur erit ratio, cur in Israëlitis valeat hæc consequentia apud Regem Ægyptium, Israël est filius meus, ergo dimittere eum debes nempe liberum, ut mihi serviat? Resp. 1. Israëlem non fuisse liberum factum hac filiatione, ut suam non habuerit politiam, in qua Deus constituit judices & populum judicibus subjecit: Sed verum est Deum, quamdiu in fœdere perstiterunt, voluisse eos eximi ab omnium exterorum subjectione, ut suam haberent αὐτονομίαν, & liberi viverent ab omni servitute propriè sic dicta. Quinimò Deum singulari ratione inter eos regnare voluisse ex eo constat, quod cum Regem sibi dari peterent, Deus Samueli respondeat, cap. 8. 1. Sam. v. 7. Non spreverunt te solum, sed spreverunt me, ne regnem super eos. Quibus verbis significatur, populum illum immediatè fuisse subjectum: unde est, quod eo usque Deus eum gubernaverit, per eos quos immediatè afflabat spiritu suo. Hinc est quod Gedeon Iud. 8. Cum ipsi ejusque posteris summam rerum detulissent Israëlitæ, respondit: Non ego dominabor in vos, nec filius meus, sed dominabitur in vos Dominus Deus vester. Unde Theodoretus, quæst. 17. in 1. Regum, rectè hoc animadvertit, quod antea apud Israëlitas, Dominus Deus, Domini & Regis implevit munus. Propheta autem erat administer, & velut quidam præfectus, aut dux & Imperator. Ergo antè quam sibi Regem importunè petivissent, judices, quos anteà habuerant, non tam ipsi regnabant, quam per eos Deus. Non enim ad suum arbitratum seu libidinem rem administrabant publicam, sicut Reges & Principes, sed juxta modum à Domino præscriptum.

Agnoscendum ergò peculiarem fuisse populi illius rationem, ob quam etiam hic vocatur Dei filius primogenitus, quod certè neque referendum est ad omnium hominum filiationem, qui quodammodo filii Dei dici possunt; nec etiam ad adoptionem æternam uniuscujusque electi, quià hic agitur de toto populo, in quo multi erant non electi, & alii erant Filii Dei ratione adoptionis illius, qui ad populum illum non pertinebant: sed id spectabat fœdus illud initum cum Abrahamo, quatenus Deus constituerat per eum Israëlitas hæredes terræ Canaan, in qua volebat instituere Rempublicam Israëlis & cultum divinum, usque ad Messiæ adventum, ad quem præsertim respiciebat tota hæc Divina œconomia. Si autem Pharaonis tyrannide pressi mansissent, non potuisset rata esse peculiaris illa electio, ut essent populus Dei & peculium, tum enim nullam potuissent constituere Rempublicam, aut publica Religionis exercitia, neque frui promissionibus divinis. Primogenitus autem dicitur Israël, quoniam inter reliquos populos primatus prærogativarum ei delatus fuerat, qui quemadmodum notat Apost. Rom. 9. præ cæteris omnibus, multis privilegiis à Deo fuerat ornatus. In quo etiam radix primogenituræ consistebat in eo, quod ex illo populo nasci debebat primogenitus omnis creaturæ; Quem elegerat Deus in eum finem, & ante alios omnes populos adoptaverat; nullum enim sibi Deus populum peculiariter elegerat antè Israëlitas. Ergo, primogenitus, potest intelligi dilectus, & præ cæteris gentibus electus; habitusque ut primogenitus. Item primus inter populos Dei fide & cultu adunatus.

Cum ergò tale esset jus Dei in Israelitas de quo diximus, Hoc mandatum Deus dat Mosi ut nomine suo dicat Pharaoni, Dimitte filium meum ut serviat mihi.

Addit

Addit autem prophetiam de eo quod facturus erat Moses, quam prophetico more enuntiat, tanquam impletam, & noluisti dimittere eum. *Unde est quod addit sententiam adversus eum*, ego interficiam filium tuum primogenitum. *Quasi diceret, quià filium meum primogenitum injustè detines, ego justè interficiam tuum. Satis constat, non hoc primum fuisse, quod Moses dicere debebat Pharaoni: Nam præcedere debebant aliæ Mosis petitiones, & Pharaonis denegationes, alioqui dicere non potuisset,* noluisti dimittere eum. *Voluit ergo Moses ex illa postrema suæ instructionis parte, indicare, se etiam antecedentia omnia in mandatis habuisse, ut hac sequentia, & nihil tentasse, nisi post acceptum Dei mandatum. Finis dimissionis quem proponere jubet, optimè quadrat cum titulis filii primogeniti. Tales enim servire debent parentibus, maximè ubi de adoptivis, agitur, quorum filiatio fuit voluntaria, & plane gratuita. Qui ergò vindicantur in libertatem filiorum Dei, in eum finem agnoscere debent se esse liberatos, ut Deo serviant, Hunc finem proposuit in Cantico suo Zacharias*, ut sine metu è manu inimicorum nostrorum liberati, serviremus ipsi, cum sanctitate & justitia, in ipsius conspectu, *omnibus diebus* vitæ nostræ. *Luc. 1. 74. 75. Hac autem Dei comminatione de occidendo primogenito, quæ ita Regem spectavit, ut etiam in omnes alias Ægyptiorum familias derivata sit, talionis lege in populi sui hostes, Deus animadvertit: cum enim illi tyrannide Israelem primogenitum Dei oppressissent, & multos eorum infantes suffocari curassent, voluit vicissim Deus, ut suorum primogenitorum amissione mulctarentur.* Hactenus Rivetus.

In hac dissertatione extra controversiam est, omnia omnium hominum jura cedere, cum Deus sibi aliquem populum asserit: sed & illud certum esse & sciri debet, Deum neminem suo jure mulctare, nisi qui commeritus sit sua iniquitate & impiis factis. Existimat autem Deum prima mox jussione seu denuntiatione imposuisse Pharaoni ut populum suum, tanquam primogenitum suum, in libertatem dimitteret: eoque jus Pharaonis in ipso principio solvisse, quod in hunc populum habuisset: punitum esse Pharaonem, quod contra voluntatem Dei populum detinuisset. Ego in ea sententia non sum. Nam puto Deum potius jus Pharaonis in populum probasse & adstrinxisse Mosis denuntiatione. Præcipit enim Pharaoni, ut populum triduanæ profectioni ad sacrum faciendum dimitteret, non ut daret libertati. Qui triduanam dimissionem petit, servitutis jus agnoscit & promittit se sub jugo relicturum populum, ut sacro perfecto ad officium redeat. Non fuit ista tantum mens primæ denuntiationis sed & sequentium. Id apparet passim, evidentissimè post quartam plagam Ægypti, cap. VIII. 25. 26. 27. 28. 29. Ubi Pharao concedit, ut populus eat sacrificatum in solitudinem, ea lege, ne nimis procul à finibus discedat, quam legem Moses accipit, promittens deprecationem plagæ. Eidem denuntiationi seu petitioni insistit Moses post plagam octavam cap. X. Nam (*v. 11.*) solis viris ire concedit, remanentibus conjugibus & liberis, ultra negat. Post plagam nonam in eodem capite, concedit ut eant cum conjugibus & liberis relicta pecude (*v. 24.*) Moses id iniquum esse respondet, nec fieri posse, quia immolandum esset Deo: se autem nescire quid & quantum, ideò nec ungulam pecudis remansuram. Supellectilia sanè relinquenda esse concedit qui de solis pecoribus ad sacrificium stipulatur. Hic præfractè negat, denuntiat Mosi & Aaroni, ne ad se redeant unquam. Cum igitur denuntiationis obtinendæ nulla amplius spes esset, Deus jure suo usus est, sed compulit Pharaonem ut populum cum suis pecoribus expelleret verius quam dimitteret cap. XII. v. 31. 32. 34. Cum igitur Pharao ad ingenium reversus, contrà veniam datam populum vi armata retrahere

moliretur, Divina ultione interiit, jure, quod in populum Ægyptus habuit, amiſſo. Videmus, igitur, quomodo Deus principum jura probet, defectionem & rebellionem improbet! Non ante jure ſuo uti voluit, quam ipſe Pharao adverſus ſuam conceſſionem vi in Deum ipſum agere inciperet. Non ſolvit Deus jura principum in ſubditos etſi iniquiſſimè premantur. Nemini datur gladius in principem, ſuſpiria ſola ad Deum permiſſa ſunt jure Divino, quod nemo tollere poteſt. Si omnibus populis tyrannide preſſis exſpectandum ſit ita auxilium Dei, ut Iſraëli Deus oſtendit, nulla rebellio metuenda eſt. Prophetam miſit Deus, populus rebellionis ducem nou elegit ſibi. Æquum Deus ipſe præcipit Pharaoni, ut dominationem retineret: quam noluit ullo modo laxatam aut luxatam, qui in omnes dominatur, & ſuo jure præcipere poteſt, ut ſuo jure omni decedant, quoties lubitum eſt. Nullus igitur populus juſtè dominationem excutit, niſi Deus prophetam è cælo ducem mittat: qui etiam prius jus dominationis agnoſcet, eamque venerabitur, nec educet populum priuſquam ſpe omni æquitatis obtinendæ amiſſa & contempta pertinaciter Dei voce ſæpius repetita, Deus oraculo ſuo jus ſe dominii tollere profiteatur, nec tam utatur manu ſubditorum in regem, quam mera ſua percuſſione. Deus precibus & ſuſpiriis victus dabit exitum, poſt longam patientiam & innoxias preces. In ejus enim manu corda regum & Spiritus omnis carnis. Longa etiam populi patientia in furorem vertitur, cui tamen ſe nemo pius immiſcuerit. Principum imperium definitum ſuiſque limitibus circumſcriptum, ubi ad ordinum & procerum ſenatum & tribunal vocari poteſt, ſubjectum eſt ſuperiori ſe poteſtati. Firmum autem illud Apoſtoli eſto: Πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω. Non utar igitur illa reſponſione, qua alii uſi ſunt adverſus Eccleſiaſticos Pontificiorum, quam Calvinus & Rivetus ſuggerunt, aliam fuiſſe rationem populi Iſraël, quam cæterarum gentium, quia in illum populum nemo exterus legitimè dominari poterat: habuiſſe tamen politiam & regimen, cui ſubeſſe ipſi ſacerdotes debuerunt. Nam Iſraël ſubditum fuiſſe Pharaoni dico, nec licitum illis fuiſſe ſine crimine rebellionis exire poteſtate, ne quidem ſine regis venia triduano otio Deo operari in ſolitudine. Deus Dominium ejus præcepit Pharaoni, cui ſubjecti ſunt principes æquè ac privati. Cum id Deo præcipienti denegaret, cumque datam veniam revocaret, quia Deo repugnabat & dominationem & vitam juſtiſſime amiſit. Deus id pro jure non tantum ſuo ſed & merito Pharaonis revocavit. Fateor hoc, populi iſtius conditionem ſub judicibus non tantum, ſed & inde poſtquam Pharaonis dominium Deus ſolvit, aliam fuiſſe, quam aliarum gentium, usque ad principatum Saul. Deo enim immediate ſubjectus erat, quæ verè θεοκρατία dicta eſt. At ea conditio non fuit perpetua, quemadmodum ab exitu ex Ægypto cæperat. Deus populum regno ſuo immediatè tenuit, quo pertinet, quod dictum eſt, *Non te Spreverunt ſed me.* Duces etiam judicesque ipſe immediatè mittere ſolebat. Sed poſtquam Deo concedente populus regem conſtituit inque eum omne jus ſuum contulit, regibus iſtis parendum fuit etiam iniquis & tyrannica dominatione prementibus. Reges iſti jus ſuum ab exteris victi amiſere & his parendum fuit populo ipſisque regibus, ut hiſtoria docet & ſuo loco dicetur. Deus vinci armis non potuit, ut reges Judæ & Iſraël, populum quidem ſub judicibus afflixit per externos reges, at, quoties populus reſipuit, arma in iſtos expediit, iisque ejectis, aſſertoque jure ſuo, dominationem exterorum terminavit. Populum iſtum Deus pro filio ſuo primogenito habuit habetque, quia vocavit vocatione firma & ſtabili: quamvis enim ob incredulitatem quidam abjecti ſint & induratio pro parte evenerit, tamen ſtirps Deo grata eſt & fœdus manet: fidem

Dei

Dei non evacuat perfidia hominum. Aliæ gentes, cum excidissent, reassumptæ per fidem & oleæ eidem insitæ filii minoris & prodigi revertentis ad patrem implent parabolam. Adoptio ista non solvit regum & principum dominationem ac jus: sive sit primogenitus sive secundus filius. Primogenituræ privilegia Spiritualia nihil quicquam derogant juri potestatum supereminentium. Deus quidem rationem dat sui præcepti, quia Israël suus esset primogenitus: at ratio hæc non significat jus speciale regni, sed fœderis spiritualis: quo eum populum assumpserat ut suus esset & ipse ejus Deus, dum reliqui populi suis sub numinibus stolido errore fatuati vagarentur. Argumenti igitur vis est: Unusquisque populus ad præceptum numinis sui tenetur, nec in eo debet ei rex impedimentum objicere. At hic populus meus est, reliquis aberrantibus & abjectis ad vana numina. Debes igitur concedere, ut mihi immolatum eat: quod ego ipsis præcipio. Nisi concesseris, ut mihi primogenitus meus cultum præstet & obediat: ego jure utar meo: tu plecteris privatione tui primogeniti. Hoc æquissimum est, ut in eo puniaris, in quo mihi facis injuriam. Ideo ista fuit ultima plagarum, tum demum infligenda, cum spes omnis emollitionis & obsequii quæsiti aliis plagis, evanuisset. Rasi: *Hæc fuit plaga ultima* deque ea *monet principio, quia est gravis. Et hoc est quod dicit in Iob* (Job 36. 22.) Ecce Deus exaltat virtute sua, ideò quis est doctor sicut ille. *Caro & sanguis quærens ultionem sumere de socio suo, occultat verba sua ne quærat evasionem; sed Deus benedictus exaltat virtute sua, nec datur evasio à manu ejus, nisi conversione ad eum, ideo ipse docet eum & commonefacit de eo ut convertatur.* Aben-esdras: *Sensus est: Filius meus primogenitus est iste populus, quia coluerunt me patres eorum primò & ego miseror ejus, sicut pater miseratur filii colentis ipsum: at tu rapuisti ipsum in servum perpetuum, ideò occidam filium tuum primogenitum.* Iterum: *Ecce dixi ad te sæpius* (פעם אחר פעם) *ut dimitteres filium meum, ut serviat mihi, ut offerat mihi victimas: at tu recusasti, propterea puniam te: at amentes putant quod cum Mose loquatur: & est iste error & porro quod Eliezer non sit primogenitus.* Putat Rasi hanc denuntiationem comminatoriam de morte primogenitorum factam post contumaciam Pharaonis plenam, cum post omnia tentata perseveraret. Dicit Primogeniti vocem significare גְּדֻלָּה; sed ignorat spiritualem & essentialem ejus rationem. Medras docere, quod Deus approbaverit vel obsignaverit emptionem Jacobi ab Esau: כאן חתם הקב״ה על מכירת הבכורה שלקח יעקב מעשו: Vides Judæos somniare merita patrum, ob quæ assumpti sunt in populum, quemadmodum primogenituræ & filiationis rationem extendunt ad corporalem libertatem.

v. 24. 25. 26. In via Deus occurrit Mosi, minitans mortem: quo metu coacta Sepphora filium circumcidit. Res hęc facta in *hospitio*. Hospitium hoc sive primi diei sive sequentis, incidebat in id tempus, quo octavus dies, ultra quem Deus differri circumcisionem noluit, præterierat. Recens præteriisse puto, quia Deus in duce populi dilationem non tulit aut hactenus neglectam hic tolerare non potuit, quia in legationem Dei ibat. Qui occurrebat, fuit Deus יהוה Audaciam igitur Chaldæi interpretis & Græcæ versionis hic non probamus, qui interpretantur de angelo (nempe creato) Nulli enim nomen יהוה dari potest. Calvinus: *Qua autem forma apparuerit nescitur: nisi quod verba satis clarè indicant Mosen de ejus ira certiorem fuisse factum, ut mortem sibi propinquam esse cognosceret. Nisi enim oraculo vel per angelum fuisset edoctus, nihil profuisset ostendi periculum, quod instabat.* Rivetus: *Qua ratione autem id factum fuerit, an immisso morbo subitaneo an stricto gladio ei imminens dubitatur. Primum illum modum nonnullis placuisse video: sed rationes, quæ id probent, non audio: oportuit*

tuit autem occursum illum Divinum manifestum fuisse & talem, quo exterrita fuit uxor Mosis. Multò igitur probabilius est speciem aliquam minitantem fuisse visam, quemadmodum Balaamo & Davidi apparuerunt angeli, tenentes strictos gladios: etsi de gladio hic nulla mentio: plures modos habuit Deus in sua potestate. Calvinus: *De ipso etiam flagelli genere nimis audacter* (Rabbini) *pronuntiant gravi scilicet morbo fuisse afflictum, ut de vita periclitaretur. Nobis sufficiat oblatum fuisse terrorem ac si certa esset pernicies & simul rationem mali fuisse ostensam ut de quærendo remedio satageret, Nunquam enim vel ipsi vel uxori in mentem venisset placandi Dei causa puerum circumcidere.* At quem Deus voluit occidere? *Eum*, in textu quod est, quidam ad Mosen alii ad ejus filium referunt. Apud Tertullianum adversus Judæos, Judæus antagonista ad filium retulit. Sic enim Tertullianus scribit: *Sed & filius, inquit* (Judæus ille) *Moysi tum ab angelo præfocatus fuisset, si non Seffora mater ejus calculo præputium infantis circumcidisset. Vnde, inquit, circumcisionis maximum periculum est, si præputium carnis quis non circumciderit. Et ideo si salutem circumcisio omni modo affert, etiam ipse Moses in filio suo non intermisisset, quo minus octavo Die circumcideret eum, quando constet Sefforam coactam ab Angelo id fecisse in itinere. Consideremus itaque quod non potuerit unius infantis coacta circumcisio omni populo præscribere & quasi legem hujus præcepti condere in salutem. Nam providens Deus, quod hanc circumcisionem in salutem non in signum esset daturus populo Israël, ideircò filium Moysi ducis futuri instigat circumcidi, ut quum cœpisset per eum populo dare præceptum circumcisionis, non aspernaretur populus, videns exemplum istud in judicis filium jam celebratum.* Augustinus qu. 11. in Exod. *Primum quæritur, quem volebat angelus occidere, utrum Moysen, quia dictum est,* Occurrit ei angelus & quærebat eum occidere? *Nam cui putabitur occurrisse, nisi illi, qui universò suorum comitatui præfuit & à quo cæteri ducebantur? An puerum quærebat occidere, cui mater circumcidendo subvenit: ut ob hoc intelligatur occidere voluisse infantem, quia non erat circumcisus, atque ita sancire præceptum circumcisionis severitate vindictæ? Quod si ita est, incertum est prius, de quo dixerit:* Quærebat eum occidere &c. Nostris non videtur puero occurrisse, qui nec minas intelligere potuit, nec culpam dilatæ circumcisionis habuit. Salianus: *Quamvis puer non esset in culpa omissa circumcisionis, amissa tamen circumcisione adhuc erat in culpa & filius iræ & morte dignus, non solum temporali sed etiam æterna.* Ita errat, existimans circumcisionem ex opere operato (ut loquuntur) salvare, cum tantum sigillum sit liberationis: cujus non privatio sed contemptus damnat. Fatetur tamen communiorem & probabiliorem esse sententiam, de Mosi intelligendum esse, quia de eo continenter Scriptura locuta fuerat. Ita sentire Theodoretum, Isidorum Pelusiotam, Diodorum, Eusebium utrumque, Rupertum, Gajetanum, Lipomanum & Hebræos passim omnes. Item Abulensen, Vatablum, Pererium, Cornelium, ab Oleastro, Sa &c.

Intentati periculi causam fuisse omissam circumcisionem sequentia indicant, quia ea facta Deus conquievit. Calvinus: *Cur enim arrepto lapide vel cultro filium circumcidisset Sepphora, nisi quod sciebat Deum præputio offensum esse? Stulte ergo divinant quidam Rabbini, Mosen hanc in se Dei vindictam provocasse, quod filios & uxorem secum traheret, inutilem sarcinam, & quæ impedimento futura esset.* In quo autem filio dilata est circumcisio? Calvinus: *Notandum autem, quum duos filios Moses duceret, hic tantum unius fit mentio: Vnde probabilis elicitur conjectura, alterum è duobus fuisse circumcisum. Quidam existimant fuisse primogenitum Eliezer* (legendum Gerson) *quia non ausus fuerit Moses tam citò religionem suam fateri & sibi odium accersere. Ego autem potius existimo, postquam in uno expertus fuerat domesticos sibi infensos, in secundo supersedisse, ut soceri vel uxoris indigna-*

gnationem vitaret. Nam si temporis successu redditus fuisset animosior, non dubitasset modo priorem defectum corrigere: sed domesticis jurgiis fatigatus ab officio tandem discessit. Quæ autem causa & culpa dilationis? Negligentiam Mosis fuisse Calvinus dicit gravioribus vitiis implicitam. Non enim vel oblivione vel inscitia vel incuria duntaxat prætermisisse, sed quod expertus esset uxori vel socero esse odiosam: quibus gratificari maluit, quam turbis, dissidiis & simultatibus dare occasionem. Intereà vero in hominum gratiam Deo parere neglexisse. Huic fuisse adjunctam diffidentiam & ingratitudinem. Quia si pretium tenuisset Dei gratia nullo metu ob hoc officio pietatis fuisset prohibitus. Theodoretus quæst. in Exod. 13. ubi quæritur, Διατί ἐβουλήθη ὁ ἄγγελος ἀνελεῖν τὸν Μωσῆν; R. Ἡ γυνὴ μὲν ἐπέπεισε τὸ θάτερον τῶν παιδίων μὴ περιτμηθῆναι κατὰ τὸν τῶν Ἑβραίων νόμον· παραυτίκα γοῦν αὐτῷ τὴν περιτομὴν προσενήνοχε. Τινὲς δέ φασιν, ἐπειδὰν πεμφθεὶς ἐπ᾽ ἐλευθερίᾳ τῶν ὁμοφύλων κοινωνὸν εἶχε τῆς ὁδοῦ τὴν ὁμόζυγον. οὓς ἐχρῆν συνιδεῖν ὅτι πρὸς τὸ πεῖσαι τὸν κηδεστὴν, ὡς οὐ καταφρονήσει τῆς γυναικὸς, οὐδὲ ἑτέραν αὐτῆς προτιμήσει, λαβεῖν αὐτὴν ἠναγκάσθη, ἀλλ᾽ οὐ καταφρονητικῶς διακονῶν τῷ θείῳ προστάγματι. Αὐτίκα γοῦν λαβὼν τὴν ἀφορμὴν ἐκ τοῦ ἀγγέλου, τὴν γυναῖκα πρὸς τοὺς οἰκείους ἀναστρέψαι προσέταξε. καὶ ὅτι τοῦτό ἐστιν ἀληθὲς, ἡ ἱστορία διδάσκει. Μετὰ γὰρ τὴν ἔξοδον τὴν ἐξ Αἰγύπτου, διαβάντων αὐτῶν τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν, καὶ εἰς τὸ Σίναιον παραγενομένων ὄρος ἀφίκετο σὺν τῇ γυναικὶ πρὸς αὐτὸν ὁ κηδεστὴς, &c. Τοίγαρτοι ἄλλο τι κατασκευάζων ὁ ἄγγελος ἔδειξε τὴν ῥομφαίαν γυμνήν. Ἐπειδὰν γὰρ ὁ μέγας Μωσῆς ἐδεδίει τὸν Φαραώ· καὶ πολλάκις τοῦτο τὸ δέος ἐδήλωσε· νῦν μὲν λέγων, τίς εἰμι ἐγὼ, ὅτι πορεύσομαι πρὸς Φαραὼ βασιλέα Αἰγύπτου; Νῦν, προχείρισαι ἄλλον δυνάμενον, ὃν ἐξαποστελεῖς. Καὶ πάλιν. Ἰσχνόφωνος καὶ βραδύγλωσσος ἐγώ εἰμι. Ἀπειλεῖ αὐτῷ τιμωρίαν ὁ Ἄγγελος. φόβῳ φόβον ἐξελαύνων, τῷ μείζονι τὸν ἐλάττονα. Μονονουχὶ λέγων διὰ τῆς γεγυμνωμένης ῥομφαίας, Εἰ τὸν Φαραὼ δέδοικας μᾶλλον δεῖσον ἐμέ, τὸν καὶ ἀοράτως σοι τὴν πληγὴν ἐπενεγκεῖν δυνάμενον. Tres causas recenset, quarum duas priores rejicit. Prima est, Omissa circumcisio: Hanc suspicatam fuisse Sefforam, quamvis vera causa non esset. Ideo hanc non admittere pro vera arbitror, quia non admittit nec concedit Judæis tantam circumcisionis necessitatem. Altera est. quod secum impedimenta & uxorem traheret, moram Divinæ jussionis executioni. Hic eum excusat Theodoretus. coactum fecisse, non in vilipendium aut ex neglectu divini mandati. Debuisse ita persuaderi socerum, quod filiam, uxorem suam non aspernaretur. Hinc ubi data fuit bella occasio, remisisse cum puero circumciso, Specie quadam necessitatis, sed quam adesse sibi gratularetur, ut sine hac sarcina Dei mandatum exsequi posset. Tertiam causam probat: Angelum Dei metum voluisse incutere Mosi, ut hoc majore timorem illum, quo nimium timebat Pharaonem, vinceret. In Sepphora aut Jethro impedimentum fuisse voluntati Mosis putant doctissimi interpretes, cum tamen Madianitæ ex Abraham oriundi, circumcisionem in usu habuisse videantur. Si fuisset à socero impeditus, non hic solus incircumcisus fuisset sed & alter. Et Sepphoram oportet ritum modumque circumcidendi novisse, quæ arrepto silice expeditissimè filium circumcidit. *Credibilius ergo est*, inquit Salianus, *quod habet communis opinio, Mosen circumcisionem hanc, dum in Ægyptum perventum esset, differre voluisse, ne quid ex ea periculi in itinere infanti crearetur. Quæ causa fuit postea cur Israëlitæ, in quadraginta annorum peregrinatione, incircumcisi perseverarent.* Rivetus hanc sententiam impugnat & tuetur, quod soceri aut uxoris voluntati sit obsecutus. Si omisisset justa de causa, grandem non habuisset culpam, ob quam ei minitaretur Deus intentata morte. Dari enim circumstantiam temporis, quæ excuset ut peregrinantium in deserto fuit. Nec fuisse conveniens, ut uxorem suam Moses

nondum octavum à partu agentem diem vitæ daret. Quod si expectandum fuerit donec vires repararet, etiam puerum potuisse à vulnere circumcisionis convalescere. Si studio vocationis suæ obeundæ festinaverit, non videtur Deum ei interminaturum fuisse. Respondent adversæ sententiæ defensores, aliqualem fuisse negligentiam. Quæ autem? Dic Abulensis. Si aliqualis tantum unde tam sæva comminatio? Salianus ducis & amici culpam graviorem haberi putat, quia aliis bono exemplo debet præire. Opponi sibi tria posse videt. 1. Madianitas fuisse circumcisos: cum Abraham etiam vernas & concubinis natos circumciderit. 2. Si fuisset uxori aut socero in hoc gratificatus, non uni soli sed & alteri filio circumcisionem delaturam fuisse. 3. Sepphoram peritam fuisse modi quo circumcisio fieret. Hæc sunt Saliani argumenta. Ad primum Rivetus dicit, etsi immediatè nati Abrahamo, circumcisi fuerint, non videri tamen id in eorum posteris fuisse observatum, quia illic fœdus suum non ita confirmabat Deus repetitis admonitionibus ut in Jacobi familia. At regessero non videri, quod in Jethronis domo defecerit Dei institutum tam citò, cum etiam in gente illa post multa secula remanserit. Hoc tamen pro Riveto regeri posset, videri defecisse octavi diei definitum tempus, quemadmodum hodie Arabes anno decimo tertio peragunt. Ad 2. Sepphoram permisisse in primo, cujus periculo, quod viderat, monita, in secundo noluerit concedere. Rasi: *Propterea quod non circumcidisset Eliezer filium suum: & quia segnis fuerat, punitus est morte. Traditio* (תניא) *dicit R. Iose* (חס ושלום) *Non fuit signis sed cogitabat; Circumcidam & egrediar in viam; periculum est infanti usque ad triginta dies: Cirtumcidam at tardabo tribus diebus: Deus benedictus præcepit mihi: Age, redi in Ægyptum. At propter quid punitus est? Ob id quod primo se ipsum occupatum habuerat in diversorio: Hac ex Massecheth Nedarim. Angelus factus est ipsi instar serpentis: absorbebat eum à capite, usque femora ipsius, rursum id faciebat. Intellexit autem Sepphora, quod id fieret ob circumcisionem.* In tractatu Nedarim, quem laudat Rasi ita habetur: *Traditio: R. Iosue filius Corcha dicebat, Magna est circumcisio, quia nullum meritorum, quæ fecit Moses Magister noster, stetisset ipsi quando segnis fuit in circumcisone,* Q. D. Occurrebat ipsi Dominus & quærebat eum occidere. *Dicebat R. Absit, quod Moses magister noster segnis fuerit in circumcisione: sed sic cogitabat. Si circumcidam & egrediar periculum erit* Q. D. [Gen. 34. 25.] Factum est in die tertio, cum essenr dolentes &c. *Circumcidam at tardabo tres dies. Deus benedictus dixit mihi, abi redi in Ægyptum. Sed quare punitus est Moses? Propter id in quo occupatus fuerat in principio in diversorio, Q. D.* Et factum est in via, in diversorio. *Rabban Simeon, ben Gamaltel dicebat, Non Mosen magistrum nostrum quærebat Satan occidere sed ipsum infantulum.* Q. D. Nam sponsus sanguinum es mihi. *Egredere & vide quis vocetur sponsus: nempe dicit de hoc infante. Commentatus est R. Iuda, bar Biuna: Tempore, quo segnis fuit Moses magister noster à circumcisione, venerunt Af & Hema, & absorpserunt eum, neque reliquerunt nisi pedes ejus: confestim accepit Sepphora silicem & amputavit præputium filii sui: confestim dimisit ab eo: in eadem hora quæsivit Moses magister noster eos occidere,* Q. D. (Psalm. 37. 8.) Desiste ab ira & relinque excandescentiam &c. In R. Salomonis commentario male שלשים pro שלש usque ad triduum periculum est infanti. Voluit antequam exiret à socero triduum morari post octavum diem, sed non patiebatur id vis Divini mandati. In Glossis Thalmudicis ideò dicitur in periculo fuisse, quia occupatus fuit in aliis deinde circumcisioni operam dare voluit היה לו להתעסק במילה תחלה ואותו מלון סמוך למצרים ולא היה סכנה ואותו התינוק לא היה באותה שעה אלא בן שמנה ימים:
Debuisset occupari in circumcisione prius, & illud hospitium vicinum erat Ægypto, unde

unde periculum non erat infanti: & ipse ille infans non fuit in illo tempore nisi octo dierum. Nulla igitur excusatio fuit Mosi, & ipse Dies octavus eum admonebat officii. Observamus etiam Rabban Simeon filium Gamalielis, quod de domino dicitur, interpretari per Satan. Satan intelligitur appellative pro adversario; vel causam instrumentalem immediatam innui putat ex proprietate effectus, quamvis tantum mediata princeps exprimatur. Quo tamen non est facile descendendum. Aben-esdras: *Fuit traditio in manu eorum, quod non esset circumcidendus filius in die octavo, si ægrotaret aut esset in itinere, quod non posset in ducendo moram ducere: Et quoniam Moses non posset moram ducere in legatione Dei, visum fuit ipsi in consilio suo, ut non circumcideretur puer quia periclitaturus esset si duceret eum in via. Ecce autem misit Deus angelum, qui commonefaceret Mosen, ut deponeret consilium suum, ut circumcideretur puer & iret ipse solus & puer esset cum matre donec sanaretur. Ecce autem* ✝ ויפגשהו *significat, quod venerit morbus super Mosen à Deo, quia non ascenderat super cor ejus: Et* hoc est, *quæsivit eum occidere, si non circumcideretur filius ejus: Quoniam autem eum prehenderat tremor, non poterat ipse circumcidere & circumcidit eum Sepphora quia ipse indicaverat ei hoc arcanum. Et ne mireris, quod scriptum est:* Et occurrit Dominus, *quoniam angelus Domini fuit. Tale est* (Exod. 31. 21.) Et angelus Domini ibat ante eos interdiu: *at illic* (Exod. 14. 19.) Et profectus est angelus Dei. *Rab Samuel ben Hofni dicebat: Absit ut Deus quæsiverit occidere Mosen, qui ibat in legatione sua ad educendum populum suum sed quæsivit occidere Eliezer: Hoc indicat* ויפגשהו *etiam* המיתו: *postea explicat quod fuerit Eliezer: ideo scriptum est:* Præputium filii sui: *non meminerat ejus in principio quia adhuc non appellatum erat nomen: Ita etiam* (Gen. 38. 28.) Factum est, cum pareret, extendebat manum. Ralbag similiter culpam Mosis elevat, sed quia dux erat, quem reliqui intuerentur, Deum id acrius ab ipso exegisse. Ipsum percussum esse in ipso ascensu in Ægyptum magna morbi plaga ob exiguum peccatum. Cognovisse percussum, quod id eveniret ob neglectum circumcisionis. Voluisse Deum ut remitteretur uxor cum filiis quos ipse ducebat, quia putabat id Deo gratum esse, & facilius credituros Israëlitas, quod eos eductum veniret: quia cum ipsis suam totam familiam exire vellet. Ostendisse hic Deum aliter sibi visum esse: nam signis sufficientem inesse persuadendi rationem.

Sepphora, arrepto צור/ præputium filii amputat. Aben-esdras צור ש׳ interpretatur דבר חד/ instrumentum acutum, ut (Josue 5. 2. 3.) חרבות צורים id significat gladios acutos. Et ita (Ps. 89. 44.) Etiam convertisti [צור] aciem gladii ejus. Similiter Ralbag, צור interpretatur gladium. Non est negandum (inquit Rivetus) *posse fragmenta quædam silicum talia reperiri, quæ non minus ad secandum apta sint quam cultri nostri ex chalybe, præsertim ubi materia dura non est, ut in humana carne. Ego ipse talia sæpe fragmenta vidi, quæ prudenter erant contrectanda, nec minus scindebant, quam fragmenta vitri.* Lerius de Americanis refert ante illatum illic ab Europeis usum ferramentorum, usos ipsos esse lapidibus acutis in fabricandis arcubus & clavis parandis è ligno durissimo. Sacerdotes Cybeles utebantur in genitalium amputatione Samia testa, quam commendabat acumen. Hinc Juvenalis sat. 6. *Mollia qui rupta secuit genitalia testa,* Quia Attis Cybelejus.

Devolvit illa acuta sibi pondera silice.

Mater Deum (ut est apud Arnobium) *adulterum infeliciter placitum, quoniam ipsa deformis & vetula & multorum Deorum mater ad stuprum illicere non poterat, exsecuit, ut Deum scilicet faceret eunuchum. Propter hanc fabulam Galli eam &*

eam & semiviri sui corporis supplicio colunt. Arias Montanus nunquam aliter factam esse circumcisionem, quam cultro lapideo putat Andr. Masius disputat in Galgalis lapideis cultris usos fuisse, qui circumcidebant: nec unquam aliter vocem צור nisi de petra poni. Aciem eo significari Ps. 88. sed ex similitudine acuminis in silice seu testa. Hinc Chaldæum vertisse טנרא: in Genesi magna haberi גלבן דטנרי *novacula saxea.* Græci habent ψῆφον, Latini, *acutissimam petram.* Concludo antiquissimis temporibus testæ aut silicis usum fuisse in scindendo cum Chalybis & ferri notitia non esset: aeneis enim armis utebantur. Æs autem nocentius vulneribus, quam ferrum. Deus in lege non determinavit usum metalli, aut materiam instrumenti: & hinc petere significationem Christi, qui rupes nostra sit, absonum, quamvis dicat doctissimus Masius: *Ego verò hanc sententiam & verbi* צור *notionem eò pertinacius tutandam mihi putavi adversus Iudæos propter scitam illam atque aptissimum anagogen qua Petra Christus dicitur.* Salianus ex Hugone, Abulensi, Pererio, Barradio, Cornelio putat petram corripuisse, quæ primum occurreret festinanti. *Lapidem*, inquit, *intelligo quales sæpe occurrunt in regionibus & agris squalidioribus, sectiles, nigro fere colore, qui tegularum loco usurpantur & instar vitri secant, Ardosiam vulgo dicimus, scandula lithostilbea vocari possunt. Isti porro cultri neque ex lege fuerunt neque ex usu communi, quia culter magis erat in promptu, sed ex casu vel ex singulari jussione ut hoc loco & Iosue 5.*

Quæritur an Sepphora recte fecerit circumcidendo filium? R. Constat mulieris officium non fuisse ut circumcideret: parrum familios erat ea cura, ut ipsi suis manibus, aut adhibita artificis opera, id facerent. Necessitatem ei injunxisse & per necessitatem Deum, qui Mosen morbo aut metu detinebat, dubitandum non est. Rectè igitur fecit, quia facienda res erat, quam non poterat maritus, nec artifex ad manum erat. Quæras à me an inde doceamur in casu necessitatis licere feminis ut tingant? R. Non sequi. Nam circumcisio & pascha publicæ administrationi ministrorum commissa non erant ea tempestate quandiu publice servitus Mosaica & legis ministerium à sacerdotibus debuit obiri. Cum igitur nec publicæ administrationis nec ministrorum officii esset circumcisio, mulier, quæ non publice sed in domo loqui potest, potuit circumcidere suum filiolum: quamvis exordine & decentius vir faceret, qui familiæ caput erat: at capite languente fecit materfamilias obitque quæ marito bene habenti & vegeto incumberent. Vir enim & uxor simul familię imperant, non simul præsunt Ecclesiæ. Rem domesticam & suam privatam curare mulier potest non publicam Ecclesiæ Dei. Sic igitur defendi potest factum Sepphoræ & dici externam obedientiam fuisse rectam. Faciebat enim impedito marito & consentiente. In ædibus Israëlitarum id evenisse quotidie existimo, ut matres viris absentibus, languentibus, aut negligentibus, circumciderent octavo die filiolos.

Cum indignatione quadam & (uti patet) non modesto erga Deum obsequio filioli præputium circumcidit. Hinc factum & verbum impotentis animi. Factum: *Tetigitque pedes ejus:* Cujus autem, alii de infantulo, alii de Mose, alii de Angelo persecutore accipiunt. De infantulo, ut vulneris recentis sanguine pedes ejus tinxerit aut tetigerit cum miseratione pedes infantuli, ad quos sanguis defluebat. De Mose, ut cum indignatione festinanter abscissum ad pedes ejus, qui causa erat & autor, projecerit. De Angelo, ut ante ejus pedes id projicendo enim placaret. Convenientius est ut pedes Mosis intelligamus, & Mosen vocari appellatione sponsi sanguinum. In Hebræo non est וַתִּגַּע in Cal, sed וַתַּגַּע in Hiphil: non est *tetigit*, sed *fecit ut tangeret.* LXX. καὶ προσέπεσε πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ. Legerunt in Cal, quia provoluti genibus aut in faciem adoran-

adorantium more pedes tangunt, aut ad pedes procumbunt. Chaldæus קריבת לקדמוהי *accessit* sive *obtulit ante eum* sc. Angelum, cum hoc voto: בדמא דמהולתא הדין אתיהב חתנא לנא *ob sanguinem circumcisionis hujus detur sponsus noster nobis.* Hæc non consonant Hebræo textui, quod miror. Longe enim aliud est כי חתן דמים אתה לי Enimvero sponsus sanguinum mihi es. Minus Græca: Ἐστὶ τὸ αἷμα τῆς περιτομῆς τοῦ παιδίου μου. Rectè alius: *ὅτι νυμφίος αἱμάτων σύ μοι.* Rasi: *Projecit ante pedes Mosis. Tufuisti in causa, quod sponsus meus sit occisus* &c. Aben-esdras: *Secundum opinionem meam ad pedes Mosis, ut:* (Exod. 12. 23.) Videbit sanguinem in superliminari, non permittet Exterminatori: *Ideo, Destitit ab Mose, quoniam recessit morbus & tremor. Rab Samuel dicit, ad pedes Eliezer: Ita etiam,* Destitit ab eo. *Si ita est, potest ipsi responderi: Si fuit morbus super Eliezer, quomodo circumcidis eum, ut adderet ei dolorem super dolorem: Est autem mos mulierum, cum circumciditur filium appellare* חתן*: Et sensus* דמים, quia vir sanguinum tu mihi, *quoniam propter te vir meus morietur.* דמים נורך in lingua sancta de duabus rebus, Una, effusio sanguinum: ut vir sanguinum tu mihi: Qui exponit de vita, ea phrasis linguæ non est. Altera, plurali numero è דם simpliciter, ut, (Ezech. 16., 6.) in sanguinibus tuis, Vive. Ecce dicit, cum videret quod recederet morbus à Mose. Non tu fili mi, Sponsus sanguinum in significatione occisionis sed tu sponsus conculcatus sanguine circumcisionis. Hierosolymitanus: *Et præscidit præputium filii, applicuitque ante pedes Angeli devastatoris, dicens: Sponsus meus volebat circumcidere, at socer ejus non permittebat ei. Nunc ergo propitius esto propter sanguinem circumcisionis istius, peccatis sponsi mei &c.* Miror, quod Judæi communiter Sponsum referant ad Eliezer, contrà sententiam Thargumim. Ita & ad pedes Mosis aut Eliezeri accipiunt, cum Thargumim accipiant de Angelo. Fagius: *Sententia istius loci hac videtur omnium simplicissima: Irascitur Dominus Mosi quod filiolum ex gentili uxore susceptum, nimium indulgendo illi non circumcidisset. Deinde quod iter non maturaret, sed in ipso diversorio, in quod diverterat, etiam hac in parte cum uxori tum puero nimium indulgendo moram traheret, non strenuè munus ac functionem suam, ad quam ab ipso Domino vocatus fuerat, exsequendo. Qua de re Dominus ita in eum commotus fuit, ut illum propterea per angelum suum interficere voluerit. Quod ubi intellexit uxor ejus Seppora, mox arrepto saxo acuto, præputium filioli sui amputavit, haud ignara hoc malum sibi inde impendere.* Resectum ergò præputium mox ad mariti pedes advolvit, dicens: Quoniam sponsus sanguinum mihi es: quasi diceret sanguine te redimere & retinere cogor, nempe sanguine filioli mei, quem nisi circumcidissem, ac sanguinem ejus fudissem actum erat de vita tua. Judæi consensu unanimi Sponsum de puero dici volunt: quia circumcisione in legem in remp. & religionem Mosis copulatio & consociato fit. Monitu Dei sive per angelum sive immediate sive per somnium sive visionem, sive apparitione sive per filiam vocis, (non explicatur à Mose) obviam procedit Aaron. Occurrit ipsi in solitudine ad montem Dei. Forcassis eodem tempore Aaron è Gosen, Moses è Madian exierunt: medio itinere positus est mons Dei. Consalutant se invicem. In textu dicitur Aaron osculatus esse Mosen, non dicitur quod Moses osculatus fuerit Aharonem. Hic non putabis latere mysterium: nam est figura *συνεκδοχῆς*, qua manetur in eadem persona & forma verbi, quamvis res latius pateat. Hoc tamen observari potest, quod Aaron dicatur salutasse Mosen, non uxorem & filios ejus. Fieri potest quod ob dolorem & sanationem filioli circumcisi morata fuerit in diversorio cum filiis Sepphora atque inde redierit in patriam. Unde remissa sive reducta est à parente Exodi 18. Non existimabimus Dei jussu retrò rediisse,

H quasi

quasi ad expediendum mandatum Dei Moses liber & solus festinare debuerit: nec est verbum וירף eò trahendum. Moses dimisit eam (ajunt) postquam videret sibi oneri esse. Alii enim aliter illud וירף exponunt. Lyranus indignatum recessisse dicit, Burgensis contendit à Mose dimissam esse. Cæterum ex eo quod Deus dicitur locutus esse ad Aharonem, arguunt eum prophetam fuisse: Et huc respicere, quod habetur 1. Sam. 2. 27. *Annon revelatus sum domui patris tui, cum essent in Ægypto, in domo Pharaonis. Et eum elegi* &c. Aben-esdras: *Non prophetavit Aharon, quia necesse non esset, quoniam Moses erat Legatus ad Pharaonem: at Aharon fuit legatus antehac ad Israëlem & Mariam ad mulieres. Ideo dictum est* (Mich. 6. 4) misi ante te Mosen, Aaronem & Mariam. Cum inter se convenissent fratres, Moses Aaroni exposuit Dei verba & datam signorum potestatem. Hinc simul adierunt seniores Israël, quibus coactis Aaron omnia narravit, quæ Deus locutus erat Mosi: faciebatque postea illa signa coram populo (conversi baculi & infectæ manus) Annotat Aben-esdras: *Seniores erant* יועצים בכל דור ודור *consiliarii omni ætate: quia non poterant loqui cum sexcentis virorum millibus: sed seniores loquebantur ipsis.* Et loquebatur] *Quia erat* (מליץ) *orator, ideò Moses nunquam loquitur cum Israele, nisi ministerio Aharonis: post mortem autem Aharonis fuit Eleazar filius ejus orator loco illius.* Populus in concione coactus, visis signis credidit: Cum audissent Deum visitasse filios Israël & respexisse eorum afflictionem, inclinatis verticibus, item prostratis corporibus venerati sunt Deum ejusque legatos.

CAP. V.

Postquam cum senatu populoque Israël locuti essent, eisque rem aperuissent, adiere Pharaonem, id quod caput erat legationis. Cæterum, cum superius auditum sit, Deum præcepisse, ut Moses præter Aharonem assumeret seniores Israël, iisque comitantibus iret ad Pharaonem, hic ipse solus cum Aaron narratur ivisse. Hic Rasi scribit seniores cum se dedissent viæ cum Mose & Aharone, unum post alterum se surripuisse, donec omnes diffluxissent, antequam perventum esset ad palatium, quoniam metuebant regem adire. Hinc in Sinai solum Mosen admissum esse ad Deum. Jussi sunt recedere, Exod. 24. 14. Fusius apud Thanchum. D. Rivetus existimat, Seniorum quosdam fuisse comites, sed Mosen & Aaronem exprimi solos, quod legationis capita essent. Deus fiducia animavit fratres, qui legationis summam regi proposuerunt: *Ita dicit* יהוה *Deus Israël, dimitte populum meum, ut mihi sacrum faciat in solitudine. Id dictum superbe & arroganter rejecit: Quis est iste* יהוה, *ut ejus dicto obediens Israelem dimittam. Non novi* יהוה *nec dimittam Israel. Respondent legati: Deus Hebræorum nobis obviavit: Dimitte igitur nos tridui itinere, ut Deo nostro faciamus sacrum, ne peste aut gladio nos puniat.* Aben-esdras: *Hoc nomen non audierat Pharao, ideò addit Deus Israel.* Non tam ille quærit de isto Deo, quis sit quem hoc nomine velint indicare quam superbè renuit agnoscere superiorem aut numen illius. Verosimile est orationem Aaronis ad regem fuisse argumentis probe munitam & comprehendisse preces, uti Deo monenti obsequium exhiberet, sed summam recitat Moses. Tridui iter petierunt: quam distantiam Aben-esdras esse dicit inter Ægyptum & montem Sinai. Illic Deo voluisse festum agere & sacrum facere, quod deinde factum est וזה המרחק להלך בדרך ישר ושם זבחו. Subactus plagis sensim veniam dat per gradus. Nam in plaga ערוב concedit ut immolent sed in terra Ægypti. Cum inductæ essent locustæ parti Israëlitarum concessit, ut irent extra fines Ægypti. In plaga tenebrarum concedit omnibus sed relicto pecore. Tandem

dem in plaga peſtis & percuſſione primogenitorum expulere eos. Superbum, & durum reſponſum Pharaonis erat: Moſes & Aaron, cur populum abſtrahitis ab operis ſuis? Abite ad onera. Porro: Nimio excedit numero iſte populus: & vos ab oneribus eum faceretis otiari ?. Significat ideo populum preſſum eſſe oneribus, quia multitudine abundaret: jam ſuperabundare: malè igitur facere, quod ad otia eum traherent.

R. Japhet apud Aben-eſdram exponit ita: *En multi nunc populus terra, ut metuendum non ſit ſi veniat peſtis aut gladius ſuper vos, quia multi ſunt, qui portent.* Quomodo populum dicit numero abundare, & excreſcere cum infantes ſubmergerentur maſculini generis? Patet id edictum ante longum tempus revocatum fuiſſe & abolitum. Moſi etiam & Aaroni imperat, ut ad ſua onera abeant. Id quidam ita accipiunt quaſi ad ædium negotia remittantur, ne curent gubernacula Ægypti, non data tribui Levi; alii, ut & ipſis ſua velit in lateribus faciendis aut curandis impoſita eſſe onera, ut ſubditis & Iſraëlitis. Lyranus exiſtimat numerum certum toti populo Iſraël impoſitum eſſe, ideò dixiſſe regem: *Ite ad onera veſtra.* Populum autem eis aliisque ſenibus peperciſſe de labore manuali. *Numerus enim* (inquit) *determinatus laterum imponebatur populo per ſingulos dies ut patet ex ſequentibus: & communis populus majori labori ſe ſupponebat ad reddendum numerum, ut Moyſes & alii eſſent à labore liberi.* Pharaonis animus iſta petitione irritatus ſævitiam intendit. Nam נגשים בעם & שוטרים (Primi illi Ægyptii erant, ſecundum Hebræos, ſecundi è populo Iſraël) mandat: Non eſſe dandum ſtramen, ad faciendos lateres uti priùs: ſed ut id ipſi colligant ſibi. Nihil tamen de numero laterum imminuendum. Otium enim cogitationem hanc genuiſſe, qua dimitti ſe petant, ut Deo ſuo immolent. Premendos labore eſſe ne ad vana reſpiciant. Stramina ſive paleæ erant neceſſariæ ad lateres: ut interſternenentur ordinibus laterum in cumulum compoſitorum, cum coquendi eſſent. Quis fuerit uſus palearum inquirit Cl. Rivetus fuſa diſquiſitione: *Sunt*, inquit, *qui paleas dicant ad id fuiſſe neceſſarias, ut immiſcerentur luto, illudque aſtringerent & unirent, atque ita tenaciores eſſent lateres: quam ſententiam firmare videtur, quod Vitruvius de archit. lib. 2. cap. 3. vetat de arenoſo vel calculoſo & ſabuloſo luto duci lateres; quia cum imbribus in parietibus aſperguntur, dilabuntur & diſſolvuntur, paleaque, quæ in his ponuntur non cohæreſcunt propter aſperitatem. Tales autem lateres non fuerunt coctiles ſed longo tempore ſiccabantur, aliquando per biennium, aliquando per quinquennium, ut ibidem innuit autor. Si ergò Ægyptii uſi ſint talibus lateribus non igne excoctis ſed ſole induratis & exſiccatis, nulla dubitatio erit, quin palea ad id fuerint opus: ut materia illa lutoſa melius adſtringeretur: quemadmodum nunc in multis locis, in quibus lapides non habent, utuntur argilla cum paleis aut fœno macerata & colligata, quam baculis quibuſdam æqualibus inducunt eoſque poſtea inter duo ligna recta invicem ſupponunt, atque ita interſtitia cubiculorum, unctis hiſce lutoſis baculis ſeparant, ut poſtquam acceſſit calcis incruſtatio, parietes videantur lapidei. Sed ei uſui non poſſunt inſervire palea ſi lateres ſint coctiles, id eſt, ſi igne excoquantur; quia palea tunc magis nocerent, quæ vim ignis ferre non poſſent. Lateres quibus ædificata fuit turris Babel, fuiſſe igne excoctos liquet ex cap. 11. v. 3. Fuiſſe etiam coctiles, quibus in Ægypta uſi ſunt, oſtendunt veterum ædificiorum veſtigia. Præferrem ergò alios uſus paleæ in lateribus: primum, ut poſtquam efformati ſunt & nondum ſicci, operirentur paleis ad eam rem aptis, ne ſolis radii nimium penetrantes priuſquam ſiccarentur eos rimoſos redderent & inutiles: quod etiam in his regionibus uſurpatur; in officinis lateritiis. Secundum, in regionibus, in quibus non eſt lignorum aut ceſpitum copia, palea autem abundat, ut in Ægypto, fertiliſſima aliàs.*

 regione,

regione, usum fuisse palearum ad coquendos lateres absurdum existimari non debet. Sunt enim etiam apud nos loci aliquot, in quibus ad furnos incendendos, nulla alia materia utuntur quam culmo: quod fit in Gallia, in illa regione, quam Belsiam vocant. Certè in multis locis ad usum furnorum lateritiorum vidi commodissimè coqui lateres; lapides etiam in calcem redigi, adhibito igne tantum ex humilibus myricis. Non mirum ergo si idem paleis fieri potuisset: nec certè videntur quæ hinc inde ab Hebræis dispersis colligebantur, ad aliud utiles fuisse præterquam ad ignem. נגשים erant ἐργοδιῶκται, operis præfecti, ut exigerent, quod imperatum erat. Israëlitæ habuerunt suos שוטרים *pratores.* Cum autem id mandatum Israëlitis enuntiassent, sparsi tota Ægypto stramen quærunt & stipulas. Hinc factum ut non potuerint numerum laterum conficere. Ἐργοδιῶκται igitur prætores Israelitarum quos operis præfecerant, acerbe increpitos cædunt. Prætores hac injuria moti querelas ad Pharaonem detulere. A quo duriter excepti sunt: Otiosi estis: ideo dicitis, Dimitte nos ut immolemus. Stramen non dabitur, numerus laterum plenissime præstandus erit. Apparet Pharaonem, cum id mandatum de non præbendo stramine daret, solos ad se vocasse Ἐργοδιώκτας Ægyptios, qui regium jussum enuntiarunt prætoribus Israëlitarum. Hi cum putarent ἐργοδιωκτῶν eam esse crudelitatem, questum ivere ad regem.

v. 20. dicitur: *Occurreruntque Mosi & Aaroni qui stabant ex adverso, egredientes à Pharaone*] Hic putant quidam, quod egredientibus ex aula Mosi & Aaroni occurrerint Prætores, alii τὸ *Egredientes* referunt ad prætores, qui ex aula egressi obvios habuerint Mosen & Aaronem. Et accipiendum est posteriori sensu. Nam edictum Pharaonis de stramine non dando, editum est post abitum Mosis & Aaronis ex aula. Hinc edicti enuntiatio ad prætores & populum: Executio diei aut dierum, & flagellatio post non præstitum numerum. Hebræi דרשו de Dathan & Abiram. Nam axioma est: כל נצים ונצבים דתן ואבירם הוו. Cum igitur viderent eos, acriter in eos invecti sunt, quod malum suum duplicassent. Videat Deus in vos & judicet, quoniam fœtidum reddidistis odorem nostrum in oculis Pharaonis & servorum ejus, ut gladium traderetis in manu eorum ad occidendum nos. Nempe Pharaoni & Ægyptiis dederant ausam cogitandi, quod populus novandis rebus studerent seque subducere dominio & ditioni regis. Hanc occasionem affligendi arripiebant, ut partim subigerent contumaciam, partim rebellionem meditatam punirent. Hic fuit eventus primæ legationis: sævitiam Pharaonis odiumque excitarunt in populum, semetipsos exosos populo reddidere, nullo exitu se prodente ad liberationem. Iniqua tamen fuit expostulatio. Nam nulla culpa erat in servis Dei, qui suo officio ex intentione serviendi Dei voluntati & Israëlitarum liberationi defuncti erant. Deique vocationem ostenderant miraculis: ideò non ipsis tantum sed Deo ipsi faciunt injuriam. Debuerant in modesta subjectione opperiri eventum, quem Deus promiserat. Patronum etiam malæ causæ Deum advocant & vindicem adversus servos suos fideles. Argumentum hic magnum incredulitatis & impatientiæ. Agnoscenda est bonitas Dei, in tanta hominum ingratitudine & incredulitate promissa sua implentis.

Mosis querelam exponunt v. 22. 23. Reversus vel conversus esse dicitur Moses ad Deum. Rivetus: *Cum autem ita egerit cum Deo ut responsum acceperit & oraculo confirmatus fuerit, ut ex seqq. apparebit, accessus ille ad Deum debet intelligi non de ordinario, qualis est omnium piorum qui preces suas & querelas coram eo effundunt, sed de extraordinario & speciali illo, quo quæsierunt viri Dei consilium Domini per revelationem. Id enim supponendum est, Mosen acceptata divina*

Divina hac vocatione, cum promissionem accepisset à Deo, quod secum futurus esset cap. 3.v.4. Adero ori tuo, & docebo te, quæ loquaris, *quotiescunque opus esset, Divina allocutione frui potuisse.* Quod quomodo factum fuerit sane per visiones diurnas vel nocturnas sive per internam inspirationem, *nostrum non est definire.*

Locum ubi cum Deo locutus est, aut quo rediit ad Deum, non designat nomine Sp. S. Non rediisse ad montem Sina, sed in Ægypto mansisse, videtur doceri cap. 2. v. 27. ubi missio in Ægypto, à missione ad montem Sina videtur distingui. Duo queritur Moses, Quare afflixisti populum & misisti me? Nam ex quo intravi &c. Augustinus: *Non contumacia verba sunt vel indignationis sed inquisitionis & orationis. Quod ex his apparet, quæ illi Dominus respondit: Non enim arguit infidelitatem ejus sed quid sit facturus aperuit.* Luctam fuisse fidei cum imbecillitate carnis in ipso quis neget? Respondet Deus: *Iam videbis, quid Pharaoni facturus sim. Nam manu valida eos dimittet: Imo manu valida eos expellet.* Significat Deus, se eo redacturum esse Pharaonem, ut non tantum populum Israel dimitteret sed & expelleret. Rasi ita interpretatur hoc responsum, quasi Deus iratus infidelitati & contumaciæ Mosis, minatus fuerit, visurum eum, quæ Pharaoni, non visurum, quæ septem regibus in Canaan Deus esset facturus. Id est non ingressurum esse Cananæam ob hanc contumaciam. הרהרת על מדותי *Contumax fuisti super meis proprietatibus, non ut Abraham: quando dixeram ipsi, in Isaac vocabitur semen, sic dixi ipsi, offer eum in holocaustum, nec fuit contumax, ideo nunc videbis: quod fit Pharaoni videbis, non autem factum* regibus septem populorum, ubi eos *introduxero in terram.* Hic sine dubio verior est Augusti: sententia.

Cap. VI.

Secundò vocatus missusque est Moses primò ad populum Israël secundò ad Pharaonem. Missio ad populum describitur versibus primis octo. Deus tres tanquam causas impulsivas proponit missionis Mosis ad liberandum populum. I. Se esse יהוה. II. Promissionem Canaan. III. Exauditi gemitus è pressura Ægyptiorum. Quantum ad primam attinet, quia nunc vellet suæ benignitatis monumentum eorumque fidei fulcrum esse vocabulum יהוה ἔξ ὄντ☉. & *essentiantis* ut ita loquar, hinc præstandum esse, quod olim promiserat. Patriarchis illis nomen שדי dedisse & sub eo locutum esse, uti omnipotentiæ suæ intuitu fidem sustinerent. Admodum anxiè inquirunt Judæi quid sit, quod dicitur, non apparuisse sub hoc nomine, cum ita legatur in federe segmentorum cap. xv. 7. *Ego* יהוה ad Abraham: & cap. 28. 13. ad Jacob: *Ego* יהוה *Deus patris tui Abrahami?* Delirant illi, de quo alias: vera ratio est, quam dixi. In textu habetur וָאֵרָא *visus sum* Abrahamo, Isaaco, Jacobo. Hic Aben-esdras: *Prophetia patrum fuit in* visionibus noctis, ideo est dictio וארא. Rasi: יהוה Ego] *Fidelis ad retribuendam mercedem bonam ambulantibus coram me: Nec frustrà misi te sed ad stabiliendum verba, quæ locutus sum patribus primis: & in sensu hoc reperimus quod expositum sit in pluribus locis. Ego Deus fidelis ad puniendum, quando dicitur de pœna. Sicut Et profanasti nomen Dei tui ego* יהוה. *Et quando dicitur de stabilimine præceptorum. Sicut Et custodistis præcepta mea & fecistis ea, Ego* יהוה *fidelis ad dandum mercedem.* Quantum ad secundam: Terram patribus in qua illi peregrinati erant, se promisisse ipsis Promissa erat patribus, nunquam in dominium venerat. Fœderis hanc fuisse continentiam. Quantum ad tertiam: Suspiria plorantum ob Ægyptiam pressuram audivisse se & recordatum esse

 fœderis.

fœderis. Ob has causas se jubere, ut nuntiet filiis Israël suo nomine: *Ego* יהוה *sum, eripiam vos ab oneribus & servitute Ægyptiorum valida extensaque manu magnisque judiciis. Assumam vos in populum meum, & ero vobis in Deum. Vos agnoscetis me esse* יהוה *Deum vestrum, qui eduxerum vos è pressura onerum. Introducam vos in terram, super quam manum meam elevavi, me illam* daturum esse Abrahamo, Isaco, Jacobo: Eam dabo *vobis in hæreditatem. Ego* יהוה. Quia sit ὁ ὢν & omnibus esse tribuens ac veritatem suis promissionibus attribuens, ideo se promissionem patribus factam esse præstiturum. Ejus præstationis tres gradus esse notabis 1. Eductionem ex oneribus & servitute, quibus vocibus conditio Israëlitarum in Ægypto universaque ejus ratio tanquam depingitur. 2. Assumptionem in fœdus & populum Dei ut θεοκρατίαν in illa gente excitaret; in qua ipse Dominus rex esset. 3. Terræ Canaan actualem possessionem, ut populo liberato & in populum sibi ac dominationem assumpto de solo & habitatione prospiceret. Dicas: Israelitæ in fœdere Dei non fuerint nec Dei populus, ante hanc eductionem ex Ægypto? respondeam, Externam illam conformationem sub politia Mosis formam dedisse isti populo sub principe Deo. Hoc Euangelium secundò detulit Moses ad populum, qui non susceperunt ob animorum mœrorem & gravitatem servitutis, qua premebantur.

A v. 9. ad 12. continetur iteratum mandatum factum Mosi de adeundo rege: Mosis excusatio duobus argumentis militat: Primum est, Filii Israël me non audiunt, quomodo Pharao audiret? Alterum, quod incircumcisus labiis id est lingua minus promptus esset. Hic nulla etiam mentio Aaronis occurrit. Sciendum, Hoc mandatum soli Mosi primò datum esse, sed cum iterum ut prius causaretur Moses tarditatem linguæ, Deus Aaronem secunda hac missione ipsi adjecit. Adeò quæ in textu habentur à v. 12. usque ad 27. inserta sunt ad explicationem, nec pertinent ad continuam historiæ seriem. v. 12. Explicatur Dei benignitas, qui populum Israël respicere & Mosi ac Aaroni voluerit legationem mandare, de eorum liberatione: quamvis ea aspernatione indignos se præstiterint. Hinc exponitur familiarum in tribubus primis tribus enumeratio. Non ita filiorum quam familiarum, πατριῶν:

E Ruben: Henoch, Phallu, Esron, Charmi.
E Simeon: Jemuel, Jamin, Ohad, Jachin, Sohar, Saul.
E Levi: Gersonitarum: Lebni & Simei. Caathi filii fuerunt Amram, Ishar, Hebron, Uziel. Ex Ishar nati Core, Nepheg, Sichri. Ex Uziel; Misael, Elsaphan, Zithra. Core tres familias propagavit, Assir, Elcana, Abiasaph.

Josephus primam & secundam missionem Mosis confudit in unum: & orationi Mosis ad Pharaonem immiscuit exprobrationem de rebus suis bene gestis pro publico bono Ægypti, ut est in fabulis, quas superiore tractatu protulimus. Nihil habet de secundâ missione ad populum, in qua rejectus fuit Moses.

CAP. VII.

SEcundam legationem hinc incipit describere, quam frequentatis ad regem accessibus Moses & Aaron obierunt. Unde decem plagæ, una post aliam, indurato regi illatæ sunt. Mosi igitur causanti (quod dictum) linguæ tarditatem, ait Deus: *Constitui te Deum Pharaoni, Aaron pater tuus, erit propheta tuus. Tu loqueris quæcunque tibi præcepero: Aaron frater tuus dicet Pharaoni, ut veniam det Israëlitis è terra sua egrediendi.* De eventu illius legationis præmonet: Indurabo

durabo cor Pharaonis & signa ac prodigia mea in Ægypto multiplicabo. Pharao non auscultabit vobis: ego manum meam apponam Ægypto: educamque copias meas, populum meum, filios Israël ex Ægypto, magnis judiciis. Inde scient Ægyptii me esse יהוה. Posui te Deum Pharaoni] Rasi שופט ורודה לרדותו במכות ויסורין *judicem & dominatorem, ut domineris ei plagis & castigationibus.* Aben-esdras: Sensus: *Vide: quod fecerim tibi* מעלה גדולה *magnam eminentiam, quia eris reputatus in oculis Pharaonis secundum eminentiam angeli: Id est* אלהים *Deus.* De propheta ita Rasi: *Omnis significatio* נבואה *homo prædicans & audire faciens populum verba increpationum. Quo sensu* ניב שפתים (Esai. 57. 19.) Eloquium labiorum. *Et* תנוב חכמה (Prov. 10. 31.) Eloquetur Sapientiam. *Et* (1. Sam. 10. 13.) Cum absolvisset à prophetando. *Vernaculo sermone vocant.* Prediger. Aben-esdras: *Et ille* (Deus) *loquitur ad prophetam & propheta loquitur ad viros generationis suæ.* Sane נביא significat *interpretem, ἑρμηνέα*, qui ea, quæ à Deo accepit, eloquitur & defert ad populum. Hic igitur similitudo quædam Mosis, cum Deo, quatenus quæ Pharaoni voluit enuntiari & suo nomine edici, Aaroni fratri suo aperuit privatim. Aliud est Deum esse absolutè & sine adjecto, aliud Deum Pharaonis esse relative ad illum. Qui natura sua & essentia non erat Deus poterat Pharaoni esse Deus, certo respectu & intuitu. Nam numina sua coluit Pharao, Deus illi Mosen imposuit, qui se in hoc instar Dei gereret & Pharaoni mandata sua denuntiaret per Aaronem. Moses igitur participatione quadam Divinæ eminentiæ Deus fuit, tam Pharaonis quam Aaronis (Exod. 4. 16.) Relata sunt Deus & propheta, item Deus & ille, cui per prophetam seu internuntium cælestia jussa proponuntur & denuntiantur. Rivetus: *Videtur ergò hic esse sensus: Times ne possis vincere regem illum, ejus potentia & crudelitate perculsus, An tibi regium nomen & dignitas oculos præstringit? Responde, Quis fortior est rex an Deus? Rex quidem est Pharao, at si quis sit illi Deus, certe ei suberit. At tu vide, ego te constitui Pharaoni Deum: non est igitur, cur ab eo tibi metuas: quia quantumvis magnus sit tu eris major & fortior.* Deus Pharaonis, qui Divina potentia & sublimitate armatus per Aaronem mandata enuntiaret & miracula faceret. Quicquid Deus Mosi præciperet, locuturus erat Aaroni, ille autem enuntiaturus Pharaoni. Hinc putant Mosen sine Aarone nunquam egisse cum Pharaone, quamvis ubique Aaronis mentio non fiat. Aben-esdras: ואף על פי שלא נזכר אהרן בכל פעם בבוא משה אל פרעה ידענו מלעולם יהוה באו. In prima legatione solis verbis ad Pharaonem egerant, nunc addere jubentur signa, Deus præcipit, ut Moses Aaroni mandet signi factionem. Hic Lyranus dicit, id eo factum, quia Moses longo tempore extra Ægypti fines absens videri potuisset artem magicam didicisse, perque eam ista facere: at id non poterant Ægyptii suspicari de Aarone, quem sciebant artem illam nunquam didicisse. Vera ratio, (quam sibi non constare dicit Calvinus) quia Aaron Mosi ut propheta suberat, qui verba sua miraculis confirmaret. Observandum autem Deum dicere, si petat miracula seu signa Pharao, qui non petierat in prima legatione. Petenti signum, signum baculi conversi in colubrum ostendendum esse. Signa petere miraculosa aliquando est reprehensioni obnoxium. Si petantur ad prætextum infidelitatis ut fecit Pharao, qui elabendi quærebat vias; si animo curioso, impietas est. Sed & pii signa petierunt, in fulturam fidei animo sincero: quamvis hic etiam subesse oportuerit divinum instinctum. Petere signa, jubente Deo, qui rem vult conspicuam esse, pium est, ideo renuenti Achazo exprobrata fuit impietas. Aaron scipionem illum Mosis θαυματουργὸν plenissima fide in terram projecit, qui in serpentem conversus est. Absque omni dubio scipio ille vere & realiter

muta-

mutatus est in serpentem. Mutatus est igitur *non tantum secundum apparentiam* (verba sunt Lyrani) *sicut virga magorum, ut dicetur infra, sed secundum veritatem. Conversio enim virgæ Aaron, quæ facta est ad declarationem Divinæ virtutis debuit esse dissimilis conversioni virgarum ipsorum magorum non solum quantum ad virtutem facientis sed etiam, quantum ad rei factæ veritatem.* Calvinus: *Quod moveri quæstio solet, an vera fuerit & substantialis conversio (ut loquuntur) de virga Mosis? Id mihi certò persuasum est. Neque enim Deo magis est difficile rerum formas mutare, quam difficile fuit cælum & terram creare ex nihilo. Quanta sit conversionum varietas in natura non ignorant philosophi, imò idiotis etiam patet: sed quia insolito more & præter naturæ ordinem baculus in serpentem conversus fuit, idem de hoc miraculo judicium facere convenit, quod de uxore Lot in statuam salis conversa: nisi quod baculus paulopost ad pristinam naturam rediit.*

Tyrannus in certamen cum Deo ruere non dubitat, conspicuæ Dei virtuti obluctatur. Vocat חכמים Ægypti sophos & מכשפים. Hi inde appellantur חרטמים. Rasi primam vocem explicat, sapientes signorum Cælestium חכמי מזלות alteram משנים דבר התולדות למראה העין / *mutantes naturas in speciem*, id est, qui præstigiis ludunt. Tertiam: *Hi sunt, qui sciunt arcanum naturæ. Vox quadrilitera, fortassis sermonis Ægyptii aut Chaldæi quia non invenitur in scriptura, nisi verbis amborum.* Utramque vocem ultimam Chaldæus vertit per חרשים. Modus, quo illi magi egere appellatur, Hebræo להט / Chaldæo לחש. Horum magorum, qui sine dubio celebriores reliquis erant, nomina & numerum non notat Moses. Fuere inter hos Jannes & Jambres, quos nominatim Apostolus proposuit 2. Tim. 3. 8. Eorum etiam meminit Numenius lib. 3. de bono apud Eusebium præp. 8. 8. Τὰ δ' ἑξῆς Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς Αἰγύπτιοι ἱερογραμματεῖς, ἄνδρες οὐδενὸς ἥττους μαγεῦσαι κριθέντες εἶναι, ἐπὶ Ἰουδαίων ἐξελαυνομένων ἐξ Αἰγύπτου. Μουσαίῳ γοῦν τῷ Ἰουδαίων ἐξηγησαμένῳ, ἀνδρὶ γενομένῳ θεῷ εὔξασθαι δυνατωτάτῳ, οἱ παραστῆναι ἀξιωθέντες ὑπὸ τοῦ πλήθους, τοῦ τῶν Αἰγυπτίων, οὗτοι ἦσαν, τῶν τε συμφορῶν, ἃς ὁ Μουσαῖος ἐπῆγε τῇ Αἰγύπτῳ, τὰς νεανικωτάτας αὐτῶν ἐπιλύεσθαι ὤφθησαν δυνατοί. *Deinceps Iannes & Iambres Ægyptii scribæ sacrorum, viri nemini cedere judicati in arte magica, cum Iudæi expellerentur ex Ægypto. Musæo igitur duci Hebræorum, viro, precibus ad Deum potentissimo, qui se opponerent digni habiti à multitudine Ægyptiorum, hi erant, visique sunt calamitatum, quas Musæus Ægypto induxit, gravissimas dissolvere posse.* Hos Kessæus Arabs in vitis patrum apud Cl. Hottingerum appellat Varan & Zeman. In Thalmud etiam eorum mentio est, ut Cl. Drusius aliique annotarunt. Nomina ista magorum ex historiæ sunt veritate, sed ex antiquis nugis interpretationum fluxit πολυωνυμία Mosis: ut apparet è quæstionibus sive traditionibus Hieronymi in lib. 1. Chronicorum. Quam cap. 4. v. 17. & 18. mirifice è nugis Judæorum interpretatam vide. Nam Pharaonis filiam Bithiam non esse aliam volunt, quam matrem Mosis. Hi igitur Magi, advocati à Pharaone, scipiones quisque suos projectos convertere in dracones. At scipio Aaronis devoravit eorum baculos. In quo vis major se ostendit at lævam mentem regis stupor induraverat.

Qualis illa fuerit conversio virgarum in dracones facta à magis Ægyptiorum.

QUadruplex tantum modus excogitari potest, quo magi è virgis exhibuerint serpentes. Nam fuerunt veri aut apparentes. Si veri aut per conversionem aut substitutionem. Conversio facta fuerit virtute Divina, aut Diabolica: Audiamus hic dissertationes eruditorum. Calvinus: *In baculis mago-*

magorum major est ambiguitas, quia probabile est fallacibus eorum præstigiis delusos fuisse impii regis oculos. Nihil tamen absurdi, si dicamus tantum licentia illis à Deo fuisse permissum, non ut crearent ex uno corpore aliud, sed ut arcanum Dei opus, quasi suum proferrent. Nam certe ingenii nostri fines longe superat efficacia erroris: quam affirmat Paulus Satanæ dari ad puniendos incredulos, ut credant mendacio, quia veritati obtemperare nolunt. Dicit quidem adventum Antichristi fore in signis & prodigiis mendacibus: sed potentiam adjungens ostendit fallaciam vel illusionem, non tam in externa rerum forma, quam in perverso signorum abusu sitam fore. Ideo Christus simpliciter pronuntiat falsos doctores signa & prodigia magna edituros. Fieri ergò potest, ut Deus baculos magorum justa vindicta mutari voluerit in serpentes: sicuti posteà videbimus aquas fuisse illorum incantationibus versas in sanguinem, terram coopertam fuisse ranis & pediculis, agros fuisse grandine percussos & obtenebratum aërem. Tenendum tamen est ne muscam quidem nisi à solo Deo creari posse: sed quæ arcano Dei judicio fiunt, Satanam rapere ad suas imposturas. Riverus subjicit: *In quibus verbis nihil tale est, quale Iesuita* (Cornelius à Lapide) *affingit Calvino. Non etiam aliquid simpliciter affirmavit Calvinus: sed quid dici possit, exposuit duabus sententiis. Prima est eorum, qui volunt quæcunque magi fecerunt, fuisse meras illusiones & ad eam partem operationes dæmonum pertinere, quam* præstigiatricem *dicimus: ita ut fuerit tantum sensuum illusio; nempe quod dæmones objecerint tantum simulachra quædam & imagines draconum, quæ ab ipsis moverentur in similitudinem modumque serpentum. Cum enim ipsi corpora quædam ex aëre aut aqua efformare possint, quibus etsi vitam non dent, ea tamen movent ac si vere viverent, dubium non est, quin suis præstigiis ita decipere potuerint non tantum oculos sed etiam alios sensus ita immutando objectum. Quam sententiam secuti sunt inter veteres nonnulli magni nominis viri, ut Iosephus historicus, qui serpentes magorum vocat βακτηρίας, αἳ δράκοντες ἐδόκουν. Autor quæstionum apud Iustinum Martyrem Resp. ad qu. 26.* Quæ *inquit*, incantatores edidere, dæmonum &c. *Eadem fuit Tertulliani sententiam in lib. anima cap. 57.* Non magnum illi, *inquit*, exteriores oculos circumscribere, cui interiorem mentis aciem excæcare facile est. *Sic Hieronymus ad Algasiam: Gregorius Nyssenus in vita Mosis: & alii, inter quos Sedulius lib. 4. Carminum ait:*

Visibus humanis magicas tribuere figuras.

Hanc sententiam putantium hos magorum serpentes ac ranas, prodigiosas duntaxat fuisse, defendi posse censet Delrio lib. 2. disp. Magicarum quæst. 6.

Qui contrariam sententiam magis probant, hæc afferunt argumenta. 1. Quia dicuntur magi sic fecisse, quemadmodum Moses, sed ipse veros serpentes, veras ranas produxit. 2. Si magorum apparentes tantum fuerunt, cur Moses fraudem non detexit? Non est enim probabile, Deum voluisse permittere, ut in re tam gravi falleretur. 3. Cur magi conati cinipbes producere non potuerunt, si tantum præstigiis egerint? Sed hæc argumenta talia non sunt, ad quæ exceptio dari non possit. Ad primum responderi potest. Sic quidem fecisse magos, sed illud Sic, non esse veritatis rei, sed tantum similitudinis. Alioquin sentiunt omnes magos id non fecisse per verum miraculum ut Moses fecit. Sed hoc fecerant, quod spectatoribus visum fuit idem cum facto Mosis. Ad secundum dici potest, Mosen satis detexisse fraudem, cum serpens Mosis devoravit Ægyptiorum serpentes: tum enim apparebat prævalere miracula Divina & id potius demonstrandum fuisse effectu, quam verbis, quibus Ægyptii non adhibuissent fidem. Ad tertium, Deum cohibuisse magorum artes, ne possent imagines illas cinipbum oculis hominum objicere.

Nec certe carent difficultate modi, quibus voluerunt serpentes magorum veros fuisse, qui in alia sunt sententia. Duo sunt, quorum existimant alterutrum fuisse adhibitum. Primum est, Si dicatur magos illos per dæmones maxima celeritate fuisse usos & virgas oculis spectantium ita subtraxisse, ut serpentes aliunde allatos vel ad id paratos substituerint in earum locum. Hanc sententiam, quæ Lyrani fuit, Abulensis & Pererii, sequitur etiam Calumniator Calvini Iesuita. Adversus quam pugnant omnia argumenta, quæ post alios contra priorem sententiam adduxit. Tunc enim nulla fuisset conversio, nec fecissent, quod fecerat Moses. Quæri etiam posset, an hac celeritate permisisset Deus falli Mosen: & cur Moses, si fraudem novisset, non eam detexisset. Item cur non potuerunt etiam dæmones cinyphes aliunde adductos eadem agilitate & celeritate exhibere? Nam quod respondet scripturam loqui more vulgi, cum dicit magos fecisse similiter ac fecerat Aaron, quia qui hæc videbant & magiæ fraudes ignorabant, putabant magos æque ac Aaronem virgas suas in serpentes convertisse, idem etiam applicari potest ad sententiam illam de præstigiis.

Est igitur alius modus, qui placuit Cajetano, post Thomam suum, quem sequitur Delrio in Magicis suis; veram & realem fuisse conversionem virgarum incantatarum, in veros serpentes. Sed conversionem illam non fuisse supra naturam: quia opera dæmonum facta fuit per naturales causas: applicando, ut loquuntur, activa passivis, cum ea promptitudine, ut quæcunque necessaria sunt ad alterationem & ad generationem animalis ex præjacente materia, ea omnia in nictu oculi fuerint facta, ita ut projectis virgis, ex eis veri serpentes facti fuerint: quod quidem hominibus mirum fuit, qui causas non videbant, nec videre poterant, verum autem effectum oculis cernebant. Dicunt autem imperfecta hujusmodi animalia, potuisse dæmonem brevi tempore, ex putrefactis virgis producere, neque id ejus vires superare. Quod enim sol & aqua possunt aliquibus diebus efficere, potuisse illum citius præstare, mediis, quæ novit, in tota rerum natura efficacissimis adhibitis. Petrus Martyr locorum communium classis prima cap. 9. in eandem sententiam magis inclinat revera fuisse à dæmone per virgæ conversionem productos: quia Diaboli noverant, quibus initiis & seminibus serpentes fierent, & ea quæ alioqui longo tempore opus habent, possent statim efficere. Sed cum ad producendam rem naturalem spatio sit opus, mirandum agnoscit, quomodo tam celeriter talia possint facere. Et certe maxima pollere celeritate in agendo dæmones negari non potest: & veros effectus posse producere per applicationem illam de qua dictum est, qui etiam nobis mirandi videantur: sed tales conversiones, quales hic ponuntur, à dæmonibus fieri posse, ita ut vitam producant sensitivam & animal verum ex baculi materia mihi credibile non est. Nam inter virgam & serpentem est longa distantia, nec videtur ulla causa naturalis posse immediatè virgam in serpentem convertere: oporteret enim virgas prius corrumpi & in alias atque alias res converti. Cum autem virgæ, cum à Magis projicerentur, nullam mutationem subjissent & statim pro virgis apparuerint serpentes, vix credi potest, ulla vi creata, potuisse tam cito & immediatè ex virgis effici. Quod si factum est reipsa, necessariò agnoscendum erit, Deum etiam aliquid extra ordinem operatum fuisse in eo actu, non quidem ad mendacii confirmationem, sed, quemadmodum aliquando miracula fecit, per mala instrumenta ad promovendam gloriam suam, sic etiam per magos istos, non in eum, quem sibi proponebant finem, sed quod eam, quam sibi proposuerat, justam Pharaonis punitionem voluerit procurare. Quo referri possunt verba Theodoreti quæstione 12. in Exod. Nam quia à Deo punitus Pharao &c. *Huc referri etiam possunt verba Calvini, quæ Iesuita depravavit, ut ei calumniam blasphemiæ impingeret:* Aut quod Deus baculos magorum, justa vindicta ita mutari voluerit &c. *Sed quia Magi hæc omnia dicuntur effecisse suis incantationibus, quibus intelligimus eos invocasse dæmonas: etsi ne dæmones quidem possint operari sine concursu Dei ut tamen*

Deus

Deus se immiscuerit eorum operationi, ita ut illis concesserit aliquid ultra potestatem, quæ creaturæ competere potest: fateor esse difficile explicatu. Cum ergò nullus reperiatur modus, qui suas difficultates non habeat: aut dicerem, si veri fuerint serpentes, conversionis illius modum divinum non fuisse, sed tamen nobis non explicabilem: aut magis inclinarem in sententiam aliorum, qui meras præstigias fuisse sentiunt, quæcunque magi operati sunt: quia minoribus incommodis mihi videtur obnoxia & multò facilior est explicatu. Quidquid sit: Hæc ita fuerunt facta, permittente Deo, ut Regi & Ægyptiis imposuerint: qui existimarunt vera esse, quæ videbant. Hactenus Rivetus: sententiam Lyrani & Burgensis censuram subjiciam: Lyranus: *Ad majorem intellectum prædictorum, quæritur, utrum virtute dæmonum, qua magi utuntur, potuit fieri conversio virgarum in dracones? Et videtur quod non: Quia aut hoc esset secundum veritatem, aut secundum apparentiam tantum. Non primo modo, quia materia corporalis non subest virtuti dæmonis, quantum ad transmutaiionem ipsius ad formam: secundum quod dicit Augustinus 3. de Trinit. dicens:* Non est putandum istis transgressoribus angelis ad nutum servire hanc visibilium rerum materiam, sed soli Deo: *Nec secundo modo: quia sensus naturaliter & ordine naturæ immutatur à sensibilibus. Sed dæmon vel angelus non potest propria virtute naturæ ordinem immutare, quia tunc posset facere vera miracula: quod est falsum. Ergo &c. Respondeo virtute dæmonum non potuerunt converti virgæ in dracones secundum veritatem. Cujus ratio est, quia in compositis ex materia & forma, materia non fit per se nec forma sed totum compositum: & ideo totum transmutatur in totum ut ex toto aëre fit totus ignis; quando aër convertitur in ignem: ut dicitur in lib. de generatione. Effectus autem assimilatur agenti & in ipso praexistit saltem vertualiter: & ideo compositum ex materia & forma naturali non potest produci nisi ab agente composito ex materia & forma, vel nisi habeat totum compositum in virtute sua. Angelus autem est forma simplex non habens materiam partem sui, nec etiam habet eam in virtute sua: sed solus Deus potest eam producere. Et in virtute dæmonis non potest aliquid compositum ex materia & forma produci licet in eo remanserint naturalia integra. Conversio autem virgæ in serpentem includit compositum ex materia & forma naturali productione. Ergo &c. Potuit tamen conversio fieri secundum apparentiam. Quia licet materia corporalis non subjiciatur virtuti angelicæ, quantum ad transmutationem prædictam, subjicitur tamen ei, quantum ad motum localem, ut ab omnibus conceditur. Et ideò dæmones propria virtute dimissi potuerunt virgas à magis projectas per motum localem imperceptibiliter sensui humano tollere & loco earum serpentes aliunde importatos vel ibidem generatos non virtute dæmonis sed agentis naturalis, sicut dicetur infra. Videmus enim quod aliqui mimi per subtilitatem manuum & localem motum aliqua sic transmutant, quod homines non percipiant: & multo fortius dæmones, quorum subtilitas & celeritas in motu locali major est, quasi incomparabiliter, hoc possunt & multò majora. Item quia abeuntibus sensibilibus remanent fantasia & imaginationes, ut dicitur 2. de anima, inde est, quod ex motu locali formarum sensibilium remanentium in virtute fantastica cum humoribus in quibus sunt ut in subjecto apparent aliquando quæ non sunt. Vnde dicit Philosophus lib. de somn. & vigil. quod descendente plurimo sanguine ad principium sensitivum, similiter descendunt formæ imaginatæ, & sic videntur aliquando quæ non sunt, sicut accidit somniantibus. Et isto modo possunt Dæmones commovere humores interiorum sensuum & exteriorum, & sic possunt ad organa sensuum aliquas formas reducere ac si venirent ab extra, non solum in dormientibus sed etiam vigilantibus, & sic videntur eis aliquando esse extra, quæ tamen non sunt: Et hoc modo poterant facere quod viderentur virgæ conversæ in Dracones, & tamen de hoc nihil esset extra, secundum veritatem. Tertium autem modum addunt aliqui, dicentes:*

Quod dæmones per motum localem possunt applicare activa naturalia passivis. Et sic sequentur effectus naturales, sicut applicatis lignis ad ignem per manum hominis generatur ignis in materia lignorum, illa tamen generatio est ab igne sicut ab agente proprio, ab applicante ligna ministerialiter tantum. Sed licet hoc sit verum, tamen hoc non habet locum in proposito, quià licet ex virgis possent generari serpentes per agens naturale, hoc tamen esset per multas transmutationes & longo tempore & non ità subitò. Poterant tamen Dæmones materiam existentem in propinqua dispositione ad formam serpentis supponere proprio activo & sic citò generaretur & in loco virgarum per Dæmones supponeretur. Ex prædictis patet ad illud quod objiciebatur. Quià per modos prædictos Dæmones non transmutant materiam ad formam naturalem nec mutant naturæ ordinem.

Hanc dissertationem carpit censor: *Nullus, inquit, illorum modorum, quos postillator assignat, consonat litera. Nam si Magi Pharaonis serpentes aliunde virtute Dæmonum apportaverunt, vel ibidem generatos non ex virgis, sed ex aliis rebus supposuerunt, tunc virgæ eorum non fuerunt versæ in dracones, quod tamen littera protestatur, dicens:* Projeceruntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones. *Similiter si illi serpentes erant tantum secundum apparentiam, & non secundum rem, non est verum, quod virgæ fuerunt versæ in serpentes. Unde melius videtur dicendum, quod Dæmones Deo permittente subitò talia seminalia rerum adhibuerunt, per quæ virgæ sine multis transmutationibus & sine temporis morâ perceptibili verterentur in dracones & hoc virtute naturali talium seminalium rerum, à quibus talis conversio sicut ab agente proprio creatur, à Dæmone tamen applicativè & ministerialiter tantum: Et sic est verum, quod littera sonat, scil. quod projecta virga singulorum scil. magorum conversæ sunt in dracones. Si autem dicatur quod non reperitur in creaturis aliqua virtus naturalis quæ virgam convertat in serpentem sine multis transmutationibus intermediis, quæ requirunt magnam moram temporis. Ad hoc dicendum secundum sanctum Thom. in 1. parte quæst. CX. art. ul. in respons. ad 11. arg. Quod non omnis virtus naturæ creatæ est nobis nota, & ideo cum aliquid fit præter ordinem naturæ creatæ nobis notæ, sicut in hoc loco modo prædicto, miraculum possit dici, non simpliciter cum non sit contra ordinem totius naturæ creatæ nobis notæ, sed quoad nos qui hujusmodi virtutes in elementis mundi, latentes ignoramus. Et hoc videtur sentire Augus. qui in hoc loco in glo. sic dicit:* Quod Dæmones dum per incantationes eorum malefici aliquid efficere conantur discurrunt per mundum & subito eorum semina, de quibus hoc agitur afferunt, sicque ex illis permittente Deo novas rerum species producunt. *Hæc ille. Si autem contra prædicta dicatur, quod ex hoc tolleretur efficacia miraculorum ad veritatem fidei confirmandam, quod est contra Marci ult.* Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis: *Nam illa quæ per dæmones fiunt præter naturam nobis notam, sic sunt miracula quo ad nos, sicut illa quæ fiunt virtute divina. Ad hoc dicendum secundum Aug. in lib. LXXXIII. quæst. quod cum talia faciunt magi, qualia faciunt sancti, diverso tamen fine & diverso jure fiunt. Isti enim faciunt quærentes gloriam suam, illi verò quærentes gloriam Dei. Similiter isti faciunt per quædam privata commercia, illi autem publica administratione & jussu Dei, cui cuncta creatura subjecta est.*

Lyranum defendit Doring: *In eodem capite,* inquit, *ubi postillator disputat de conversione virgarum in serpentes videtur inclinare ad hoc quod conversio virgæ magorum fuit solum apparens non existens. Burgensis contradicit sed rationibus postillatoris non satisfecit, & ratio quam Burg. adducit non valet. Arguit enim sic: Si virgæ magorum solum secundum apparentiam versæ sunt in serpentes, igitur non est verum, quod dicitur in littera:* conversæ sunt virgæ in dracones; *Resp: quod verum*
est

rium est quod dicitur in littera: Ideo stant bene simul: verum est virgas versas in serpentes, sed non verè, sed apparenter. Hunc modum videtur juvare textus; dicens: Fecerunt autem malefici per incantationes Ægyptiacus & arcana quadam, similiter, sed non dicitur simile, ut innuatur modus similitudinis in apparentia, sed non similitudo in existentiâ; non enim semper littera est falsa quæ narrat apparentiam non existentiam. Luc. XXIV. dicitur quod Iesus non peregrinus existens, peregrinus apparuit, existens in specie propria apparuit in aliena. Nec tamen subfuit falsum propter mysterium, sicut nec in fictione quando fingebat se longius ire. Cum Burg. etiam sentiendo majorem partem Scripturæ falsificaremus, quæ est de apparitionibus angelicis & divinis. Deus enim ignis corporalis non existens & columba, apparuit in igne & columba, & sic de aliis. Quid igitur mirum si Dei permissione hæc mutatio virgarum in serpente apparuit? quæ tamen secundum rem mutatio non fuit propter rationes postillatoris & aliorum doctorum à Burgensi non solutas.

Audiamus etiam Gulielmum Estium in hunc locum: *Non igitur putandi sunt Magi virtute Diabolica subitò virgas in serpentes commutasse (neque enim extendenda est sine causa permissio illa quam aliquando Deus dæmonibus facit) sed existimamus dæmonas virgas à magis projectas, fascinatis adstantium oculis, subitò abstulisse & in earum locum serpentes aliunde acceptos substituisse.* Existimat autem tribus rationibus ostensum esse à Deo & declaratum, verum esse quod per Mosen & Aaron agebatur, falsum & illusorium quod per magos. Primò quia virga Aaron magorum virgas devoravit. Secundò quia in tertio signo impedita est operatio dæmonis. Tertiò, quia quod factum fuerat à viris Dei, destruere & abolere non potuerunt magi, sed ad hoc impetrandum, Pharao implorabat opem Dei per viros Dei. Imò cap. 9. dicitur ipsos magos stare non potuisse coram Pharaone propter ulcera. Post quædam subjungit: *D. Thomas quidem 1. part. qu. 114. art. dicit magos Pharaonis per virtutem dæmonum veros serpentes & ranas fecisse: & idem habet 2. 2. quin. 1. art: 1. ad 2. itemque alii ipsum secuti. Sed non est credibile tum ob jam dicta, tum ob rationes sequentes. Si enim naturaliter arte dæmonum hujusmodi generatio serpentum ex virgis fieri posset: multò magis id dæmones facere possent ex serpentibus mortuis; (quia dispositiones ibi sunt propinquiores accedente etiam membrorum omnium compositione) & ita serpentes mortuos vivificare. Etenim quis non judicet facilius esse, ut serpens mortuus fiat serpens vivus, quam ut lignum aridum in vivum serpentem convertatur? Item si dæmones possunt ita repente lignum aridum mutare in serpentem, poterunt etiam facere ut lignum aridum floreat: quod tamen pro magno miraculo factum est in virga Aaron, licet non fuerit factum in instanti. Item lignum non est aliquid seminale respectu serpentis, nec in eo est ratio seminalis ad serpentem sed benè ad vermes, qui ex ligno putrefacto nascuntur: quod tamen non potest fieri repente sed justa successione temporis. Et quidem semina à dæmonibus adhibita possunt verti in serpentes licet non ita subitò, sed ut semina adhibita faciant lignum verti in serpentes ratio naturalis non patitur. Item si dæmones ex ligno arido possint facere serpentes ita subitò, poterunt ex quocunque alio corpore corruptibili, ut ex lapide, ex libro, ex cultro &c. Sed hæc sunt absurda. Item dæmones non possunt equum mortuum vivificare, multò minus aridum lignum vertere in vivum serpentem. Non potest etiam dici, quod magi tantum illuserint sensibus, ita ut serpentes apparerent, qui non erant: quia serpens serpentes devoravit, non autem virgas seu baculos sicut pisces magni devorant parvos. Nam baculos à serpente devorari, quamvis Deo sit possibile, naturaliter tamen fieri nequit: ut autem magnus draco devoret minores, fit naturaliter: non sunt autem multiplicanda miracula sine necessitate. Item non est putandum, quod magi vel dæmones fuerint permissi illudere sensibus Moysi & Aaronis: ut pro baculis viderent*

derent serpentes. Nam si dicas eos non aliud, quam baculos vidisse, debuissent indicare adstantibus imposturam illusionis. Porro interpretatio, qua virgæ dicuntur versa, id est, commutata suppositione unius pro alio non est aliena à loquendi consuetudine scripturæ. Sic enim dicitur Iob. 38. Conversa est in luctum Cithara mea, *quia videlicet gaudio luctus successerat. Sic 2. Reg. 19.* versa est victoria in luctum. *Iohann. 16:* Tristitia vestra vertetur in gaudium. *Et Thren. 5.* Versus est in luctum chorus noster. *Nec propterea quis rectè dixerit, quod supra dictum est virgam Aaronis versam fuisse in colubrum similiter posse intelligi. Nam Scriptura aperte monstrat dissimilitudinem, cum dicit istos magos per incantationes & arcana quadam fecisse similiter.*

Augustinus quæst. in Exodum 21. Et absorbuit virga Aaron virgas illorum. *Si dictum esset, Absorbuit draco Aaron virgas illorum: intelligeretur verus draco Aaron fantastica illa figmenta non absorbuisse sed virgas. Nempe potuit absorbere, quod erant non quod esse videbantur & non erant.* Sed eo nomine appellata res, unde versa est, non in quo versa est quia in id etiam reversa est: ideo hoc vocari debebat, quod principaliter erat. *Quid ergò dicendum est de virgis magorum: utrum & ipsa veri dracones facta fuerint, sed ea ratione virga appellata sint qua & virga Aaron? An potius videbantur esse, quod non erant ludificatione venefica? Cur ergo ex utraque parte & virga dicuntur & dracones, ut de figmentis illis nihil differat loquendi modus? sed demonstrare difficile est quomodo etiam, si veri dracones facti sunt è virgis magorum, non fuerint tamen creatores draconum, nec magi nec angeli mali, quibus ministris illa operabantur. Insunt enim corporeis rebus per omnia elementa mundi quadam occulta seminaria rationes, quibus cum data fuerit oportunitas temporalis atque causalis, prorumpunt in species debitas suis modis & finibus. Et sic non dicuntur angeli, qui ista faciunt, animalium creatores, sicut nec agricola segetum vel arborum vel quorumcumque in terra gignentium creatores dicendi sunt: quamvis noverint prabere quasdam visibiles oportunitates & causas ut illa nascantur. Quod autem isti faciunt visibiliter, hoc angeli invisibiliter: Deus vero solus creator est qui causas ipsas & rationes seminarias rebus ipsis inseruit.* Augustinus idem fusius de his disputavit lib. 3. De Trinitate. Gubernationem mundi hoc ordine dicit contineri. Primo voluntatem Dei præsidere universo. Nam in patriâ cælesti Dei voluntatem, *in Spiritibus summa pace atque amicitia copulatis & in unam voluntatem quodam Spirituali charitatis igne conflatis tanquam in excelsa & sancta & secreta sede prasidere velut in domo sua & templo suo.* Hoc probat loco Ps. 104. *Qui facit angelos suos spiritus & ministros suos ignem flagrantem.*

II. *Inde se quibusdam ordinatissimis creatura motibus primò spiritalibus deinde corporalibus per cuncta diffundere & uti omnibus ad incommutabile arbitrium sententiæ sua, sive incorporeis sive corporeis rebus, sive rationalibus sive irrationalibus spiritibus sive (bonis) per ejus gratiam, sive malis per propriam voluntatem.*

III. *Sed quemadmodum corpora crassiora & inferiora per subtiliora & potentiora quodam ordine reguntur: ita omnia corpora per spiritum vita rationalem, pium & justum & ille per ipsum Deum, ac sic universa creatura per creatorem suum; Ex quo & per quem & in quem etiam condita atque instituta est. Ac per hoc voluntas Dei est prima & summa causa omnium corporalium specierum atque motionum.*

IV. *Nihil enim fit visibiliter & sensibiliter quod non de interiore, invisibili atque intelligibili aula summi imperatoris, aut jubeatur, aut permittatur, secundum ineffabilem justitiam pramiorum & pœnarum, gratiarum & retributionum, in ista totius creatura amplissima quadam immensaque republica.*

V. Quæ consueta sunt, cum fiunt præter ordinem consuetum, dici etiam mira-

miracula. *Ita omnium annorum certis diebus advocari aquas maris & effundi super faciem terræ. Sed cum hoc orante sancto Elia factum est: quia præcesserat tam continua & tam longa serenitas, ut deficerent fame homines: nec ea hora, qua ille servus Dei oravit, aër ipse aliqua humida facie mox futuræ pluviæ signa prætulerat, consecutis tantis & tam velociter imbribus, apparuit vis divina, quibus illud dabatur dispensabaturque miraculum. Itaque Deus operatur solennia fulgura atque tonitrua sed quia in monte Sina inusitato modo fiebant, vocesque illæ non strepitu confuso edebantur, sed ex eis quadam signa dari certissimis indiciis apparebat, miracula erant. Quis attrahit humorem per radicem vitis ad botrum & vinum facit nisi Deus, qui & homine plantante & rigante incrementum dat? Sed cum ad nutum Domini aqua in vinum inusitata celeritate conversa est, etiam stultis fatentibus vis divina declarata est. Quis arbusta fronde ac flore vestit solenniter nisi Deus? Verum cum floruit virga sacerdotis Aaron, collocuta est quodam modo cum dubitante humanitate divinitas. Et lignis certe omnibus & omnium animalium carnibus gignendis atque formandis communis est terrena materies. Et quis eam facit, nisi qui dixit, ut hæc terra produceret, & in eodem verbo, quæ creavit, regit atque agit? Sed cum eandem materiam ex virga Moysi in carnem serpentis proximè ac velociter vertit, miraculum fuit, rei quidem mutabilis sed tamen inusitata mutatio. Quis autem animat quæque viva nascentia, nisi qui & illum serpentem ad horam sicut opus fuerat animavit? Et quis reddidit cadaveribus animas suas, cum resurgerent mortui, nisi qui animat carnes in uteris matrum, ut oriantur morituri? Similiter & de communi materia, quæ in causis mundialibus consistit, subitò ad tempus prodire arietem* (Abrahamo in sacrificium Gen. 22. 13.) *& columbam* [figuram Sp. S. Matt. 3.] *constituit, quibus unus vigor carnem & in tempore & ex tempore accessionis & recessionis, non dispar sed inusitatus apparuit.*

VI. In communi & prima materia animas & corpora gignentium putat contineri, sed continua usitatæ commutationis via ire naturam, quæ inusitato modo ex ista caligine materiæ, excitantur, miracula esse. Intelligere lubet Physicam Augustini: *Sed cum*, inquit, *fiunt illa continuato quasi quodam fluvio labentium manantiumque rerum & ex occulto in promptum, atque ex prompto in occultum, usitato itinere transeuntium*, naturalia *dicuntur, cum vero admonendis hominibus inusitata mutabilitate ingeruntur* magnalia *nominantur.* Eam materiam ejusque vim porro enucleat: *Omnium*, inquit, *quippe rerum, quæ corporaliter visibiliterque nascuntur, occulta quædam semina, in corporeis mundi hujus elementis latent. Alia sunt enim hæc jam conspicua oculis nostris ex fructibus & animantibus, alia vero occulta istorum seminum semina. Unde jubente creatore produxit aqua prima natatilia & volatilia: Terra autem prima sui generis germina & prima sui generis animalia. Neque enim tunc hujuscemodi fœtus ita producti sunt, ut in eis quæ producta sunt, vis illa consumpta sit: sed plerumque desunt congruæ temperamentorum occasiones, quibus erumpant & species suas peragant. Ecce enim brevissimus surculus semen est: nam convenienter mandatus terræ arborem facit. Hujus autem surculi subtilius semen, aliquod ejusdem generis granum est & huc usque nobis visibile. Iam vero hujus etiam grani semen quamvis oculis videre nequeamus, ratione tamen conjicere possumus: quia nisi talis aliqua vis esset in istis elementis, non plerunque nascerentur ex terra, quæ ibi seminata non essent: nec animalia tam multa nulla marium feminarumque commixtione præcedente, sive in terra, sive in aqua: quæ tamen crescunt & coëundo alia pariunt, cum illa nullis coëuntibus parentibus orta sint. Et certe apes semina filiorum non coëundo concipiunt, sed tanquam sparsa per terras ore colligunt. Invisibilium enim seminum creator, ipse creator est omnium rerum: quoniam quæcunque nascendo ad oculos nostros exeunt, ex occultis semi-*

seminibus accipiunt progrediendi primordia & incrementa debita magnitudinis distinctionesque formarum ab originalibus tanquam regulis sumunt.

His positis fundamentis existimat angelos malos adhibitis forinsecus accidentibus causis, ea quæ secreto naturæ sinu abdita continentur, foras educere. Eo modo permissu Dei angelos malos, advocatos à magis Pharaonis fecisse veras ranas & serpentes. Hanc dissertationem nostra Bibliotheca admiserit. *Hic video*, inquit, *quid infirmæ cogitationi possit occurrere, cur scilicet ista miracula etiam magicis artibus fiant? Nam & magi Pharaonis similiter serpentes fecerunt & alia similia. Sed illud amplius est admirandum quomodo magorum illa potentia, quæ serpentes facere potuit, ubi ad muscas minutissimas ventum est, omnino defecit. Cinipbes enim muscula sunt brevissimæ, qua tertia plaga superbus populus Ægyptiorum cædebatur. Ibi certè deficientes magi dixerunt, Digitus Dei est hic.* Nota Augustinum existimare, quod permittente Deo, magi vera miracula facere potuerint, scilicet talia qualia & ipse Deus ejusque ministri prophetæ fecerunt: quæ sint magnalia, sed educantur è materiæ sinu per adhibitam artem & scientiam; præter cursum naturæ solitum, sed secundum naturam, eique congruenter. Id in sequentibus evidentius patebit. Illius igitur sententia à Calvini admodum distat. Nam Calvinus ea quidem contineri in naturæ sinu, at ut Diabolus educere possit, planè negat sed Divinam virtutem justo judicio sic magis famulatam esse. Permissu Dei hanc potestatem angelos exercere. *Vnde*, inquit, *intelligi datur, ne ipsos quidem transgressores angelos & aëreas potestates in imam istam caliginem tanquam in sui generis carcerem, ab illius sublimi æthereæ puritatis habitatione detrusas, per quas magicæ artes possunt, quicquid possunt, non valere aliquid nisi data desuper potestate. Datur autem vel ad fallendos fallaces, sicut in Ægyptios & in ipsos etiam magos data est: ut in eorum Spirituum seductione viderentur admirandi, à quibus fiebant, à Dei virtute damnandi: vel ad admonendos fideles, ne tale aliquid facere pro magno desiderent; propter quod etiam nobis scripturæ authoritate sunt prodita: vel ad exercendam, probandam, manifestandamque justorum patientiam. Neque enim parva visibilium miraculorum potentia, Iob cuncta, quæ habebat, amisit, & filios & ipsam corporis sanitatem. Nec ideò putandum est istis transgressoribus angelis ad nutum servire hanc visibilium rerum materiam, sed Deo potius, à quo hæc potestas datur, quantum in sublimi & Spiritali sede incommutabilis judicat. Nam Damnatis iniquis etiam in metallo serviunt aqua & ignis & terra, ut faciant inde, quod volunt sed quantum sinitur: nec sane creatores illi mali angeli dicendi sunt quia per illos magi resistentes famulo Dei ranas & serpentes fecerunt: Non enim ipsi eas creaverunt &c.* Hactenus de potestatis permissu Augustinus. Non posse autem ideò creatores dici fuse docet. *Sicut ergo*, inquit, *nec parentes dicimus creatores hominum, nec agricolas creatores frugum, quamvis eorum extrinsecus adhibitis motibus ista creanda Dei virtus interius operetur: ita non solum malos sed nec bonos angelos fas est putare creatores, si pro subtilitate sui sensus & corporis, semina rerum istarum nobis occultiora noverunt & ea per congruas temperationes latenter spargunt atque ita gignendarum rerum & accelerandorum incrementorum prabent occasiones. Sed nec boni hæc, nisi quantum Deus jubet, nec mali hæc injustè faciunt, nisi quantum juste ipse permittit* &c. Deinde: *Sicut ergo in ipsa vita nostram mentem justificando formare non potest nisi Deus, prædicare autem Euangelium extrinsecus & homines possunt, non solum boni per voluntatem sed etiam mali per occasionem: ita creationem rerum visibilium Deus interius operatur, exteriores autem operationes sive bonorum sive malorum vel angelorum vel hominum, sive etiam quorumcunque animalium secundum imperium suum & à se impertitas distributiones potestatum & appetitiones commoditatum, ita rerum naturæ adhi-*

adhibet in qua creat omnia, quemadmodum terra agriculturam. Inde Pater ille exemplum Jacobi apponentis virgas, quas in conceptibus intuerentur pecudes, explicat. Non posse dici, quod Jacob creator *colorum fuerit in agnis & hadis. nec ipsa anima matrum qua conceptam per oculos corporis phantasiam varietatis, seminibus carne conceptis, quantum natura passa est, asperserunt:* multo minus dici *posse ranarum serpentumque creatores angelos malos, per quos magi Pharaonis tunc illa fecerunt.* Hinc rem enodat, quomodo angeli illa facere potuerint. *Aliud est enim,* inquit, *ex intimo ac summo causarum cardine condere atque administrare creaturam, quod qui facit, solus creator est Deus. Aliud autem pro distributis ab illo viribus & facultatibus aliquam operationem forinsecus admovere, ut tunc vel tunc, sic vel sic exeat quod creatur. Ista quippè originaliter ac primordialiter in quadam textura elementorum cuncta jam creata sunt, sed acceptis opportunitatibus prodeunt. Nam sicut matres gravida sunt fœtibus, sic ipse mundus gravidus est causis nascentium: qua in illo non creantur, nisi ab illa summâ essentia, ubi nec oritur, nec moritur aliquid, nec incipit esse, nec desinit. Adhibere autem forinsecus accidentes causas, qua tametsi non sunt naturales, tamen secundum naturam adhibentur, ut ea qua secreto natura sinu abdita continentur, erumpant & foris creentur, quodammodo explicantes mensuras, numeros & pondera sua, qua in occulto acceperunt ab illo, qui omnia in mensura & numero & pondere disposuit, non solum mali angeli, sed etiam mali homines possunt, sicut exemplo agricultura, supra docui. Sed ne de animalibus quasi diversa ratio moveat, quod habent spiritum vita cum sensu appetendi, quæ secundum naturam sunt, vitandique contraria: etiam hoc est videre, quam multi homines noverunt, ex quibus herbis, aut carnibus, aut quarumcunque rerum quibuslibet succis aut humoribus, vel ita positis, vel ita obrutis, vel ita contritis, vel ita commixtis, qua animalia nasci soleant, quorum se quis tam demens audeat dicere creatorem? Quid ergo mirum si, quemadmodum potest nosse quilibet nequissimus homo, unde illi vel illi vel illi vermes muscæque nascantur: ita mali angeli pro subtilitate sui sensus in occultioribus elementorum seminibus norunt, unde rana serpentesque nascantur & hac per certas notasque temperationum opportunitates occultis motibus adhibenda faciunt creari, non creant: sed illa homines qua solent ab hominibus fieri, non mirantur. Quod si quisquam celeritates incrementorum fortè admiratur, quod illa animantia tam cito facta sunt: attendat, quemadmodum & ista pro modulo facultatis humana ab hominibus procurentur. Unde enim fit ut eadem corpora citius vermescant æstate quam hyeme, citius in calidioribus quam in frigidioribus locis? Sed hæc ab hominibus tanto difficilius adhibentur quanto desunt sensuum subtilitates, & corporum mobilitates in membris terrenis & pigris. Unde qualibuscunque angelis vicinas causas ab elementis contrahere, quanto facilius est, tanto mirabiliores in hujusmodi operibus eorum existunt celeritates: sed non est creator, nisi qui principaliter ista format. Nec quisquam hoc potest nisi ille, penes quem primitus sunt omnium, qua sunt, mensura, numeri & pondera: & ipse est unus creator Deus, ex cujus ineffabili potestate fit etiam ut quod possent hi angeli, si permitterentur, ideo non possint, quià non permittuntur. Neque enim occurrit alia ratio, cur non potuerint facere minutissimas muscas, qui ranas serpentesque fecerunt, nisi quià major aderat dominatio prohibendi per spiritum sanctum, quod etiam ipsi magi confessi sunt, dicentes:* Digitus Dei est hic. *Quid autem possint per naturam, nec possint per prohibitionem: & quid per ipsius natura sua conditionem facere non sinantur, homini explorare difficile est, imò verò impossibile, nisi per illud donum Dei, quod Apostolus commemorat dicens,* Alii dijudicatio spirituum. *Novimus enim hominem posse ambulare, & nequaquam hoc posse si non permittatur: Sic & illi angeli quadam possunt facere si permittantur ab angelis potentioribus ex*

imperio Dei: quadam verò non possunt, etiam si ab eo permittantur: quià ille non permittit, à quo illis est talis natura modus, qui etiam per angelos suos & illa plerunque non permittit, quæ concessit ut possint. Hanc Augustini sententiam meritò rejicit Estius. Nos non agnoscimus in materiæ communitate posita, quæ multis magnisque mutationibus intermediis transeunt, posse congruentiis naturæ adhibitis subitò effici. Nunquam ex aqua vinum fecerit Diabolus, extra vitem, nunquam serpentem sine ovo aut semine proximo. Deinde non tantum semina sed & conceptacula seu uteri requiruntur fovendis vegetandisque seminibus, ut animalium fœtus procudi possint. Sunt & alia, quæ adversus Augustinum (quem Thomas sequitur) dici possunt, sed prætervehimur, quia in altum evecti sumus. Nobis placet præstigias fuisse, quia ludere & illudere malis spiritibus proprium maximè est: & illudi ac imponi illis debuit, justo Dei judicio, qui spreta veritate mendacium amplectebantur. Judæi & Christiani veteres ludibria fuisse existimant. Philo non existimat arte magica veros serpentes productos fuisse. Verba ejus sunt: Σοφισταὶ δ᾽ ὅσοι καὶ μάγοι παρετύγχανον, τί καταπεπλήγατε, εἶπον, οὐδ᾽ ἡμεῖς τῶν τοιούτων ἀμελετήτως ἔχομεν, ἀλλὰ χρώμεθα τέχνῃ δημιουργῷ τῶν ὁμοίων εἶθ᾽ ἑκάστου βακτηρίαν, ἣν εἶχε, ῥίψαντος, δρακόντων πλῆθος ἦν, καὶ περὶ ἕνα τὸν πρῶτον εἱλοῦντο· ὁ δ᾽ ἐκ πολλοῦ τοῦ περιόντος ἀναστὰς πρὸς ὕψος, τὰ μὲν στέρνα εὐρύνει, τὸ δὲ στόμα διοίξας, ὁλκοῦ πνεύματος ῥύμῃ βιαιοτάτῃ καθάπερ βόλον ἰχθύων πάντας ἐν κύκλῳ σαγηνεύσας, ἐπισπᾶται· καὶ καταπιὼν εἰς τὴν ἀρχαίαν φύσιν τῆς βακτηρίας μετέβαλεν. Ἤδη μὲν οὖν ἐν ἑκάστου τῇ ψυχῇ τῶν ἐθελοκακούντων, τὸ ὕπουλον διήλεγξεν ἡ μεγαλουργηθεῖσα ὄψις, ὡς μηκέτι νομίζειν ἀνθρώπων σοφίσματα καὶ τέχνας εἶναι τὰ γινόμενα πεπλασμένας πρὸς ἀπάτην, ἀλλὰ δύναμιν θειοτέραν τὴν αἰτίαν, ᾗ πάντα δρᾶν εὐμαρές. Ἐπειδὴ δ᾽ ὁμολογεῖν &c. *Sophistæ vero quotquot & magi aderant, ne percellamini, inquiunt, nos etiam talium imperiti non sumus, sed artem tenemus similium opificem. Hinc cum quilibet baculum projecisset, multitudo draconum erat, qui se volutarent circa unum primum illum. Ille autem ex longa distantia, in sublime erectus, pectus dilatat, aperto autem hiatu oris, tractus spiritus admodum violento impetu, tanquam bolum piscium omnes in ambitu velut sagena comprehensos attrahit, iisque absorptis in pristinum baculi habitum rediit. Iam igitur in cujusque ad malitiam deditorum animo suspicionem redarguerat magnorum operum visio, ut non amplius arbitrarentur ea quæ fierent hominum sophismata & artes esse, fictas ad deceptionem, sed causam esse virtutem divinissimam, cui facile est omnia facere. At postquam confiteri* &c. Non existimavit Philo, ut patet ejus verba examinanti, quod magi veros serpentes de baculis fecerint, qui Ægyptios convictos esse vult quod Aaronis serpens, esset verus serpens, non sophisma, quia magorum virgas devoravit. Si devoratio devorantis arguit veritatem, devoratorum ostendit ludibria. Aben-esdras dicit fuisse אחזות עינים *fascinationem oculorum.* Ralbag id fusius enucleat. Justinus martyr quæst. ad orthod. 26. Καὶ τὰ μὲν ὑπὸ Μωσέως γινόμενα θαύματα, ἅτε κατὰ τὴν θείαν γεγενημένα ἐνέργειαν κατὰ μεταβολὴν γεγένηται φύσεως τῆς προκειμένης εἰς τὴν φύσιν τῆς ἐκπληρουμένης· Τὰ δὲ ὑπὸ τῶν ἐπαοιδῶν γινόμενα κατὰ τὴν ἐνέργειαν ἐγένετο τῶν δαιμόνων, φαντασιούντων τὰς ὄψεις τῶν ὁρώντων, τὸ μὴ ὄφιν ὁρᾶν ὡς τὸν ὄφιν, καὶ τὸ μὴ αἷμα ὡς αἷμα καὶ τοὺς μὴ βατράχους ὡς βατράχους. Ambrosius lib. 3. De bono, dicit magos putasse, quod magicis artibus, *virtuti Dei, qua per Mosen operabatur, æmulatione commentitia resistere* possent. Tertullianus in lib. de anima: *Nec magnum illi exteriores oculos circumscribere, cui interiorem mentis aciem excæcare perfacile est.* Corpora denique videbantur Pharaoni & Ægyptiis, magicarum virgarum dracones: *sed Mosei veritas mendacium devoravit.* Gregorius Nyssenus de vita Mosis: Τοῦ δὲ Φαραὼ (τοῦτο γὰρ ἦν ὄνομα τῷ τυράννῳ τῶν Αἰγυπτίων) τοῖς θεόθεν παρ᾽ αὐτοῦ γινομένοις σημείοις ἀντισοφιστεύειν διὰ τῆς τῶν γοήτων μαγγα-

γείας, ἐπιχειροῦντος, ὅτι πάλιν τοῦ Μωϋσέως ἐν ὀφθαλμοῖς τῶν Αἰγυπτίων τὴν ῥάβδον ἑαυτοῦ θηριώσαντος τὸ ἴσον ἐνομίσθη θαυματοποιεῖν ἡ γοητεία ἐν ταῖς τῶν μάγων ῥάβδοις καὶ ἠλέγχθη διὰ τῆς ἐνεργείας τὸ σόφισμα δείξαντος τοῦ δράκοντος τοῦ ἐκ τῆς Μωϋσέως ῥάβδου μεταβληθέντος ἐκ τοῦ διαφαγεῖν τὰ γοητικὰ ξύλα, τοὺς ὄφεις δῆθεν, ὅτι οὐδεμίαν ἀμυντικὴν οὐδὲ ζωτικήν τινα δύναμιν εἶχον αἱ τῶν γοήτων ῥάβδοι. πλὴν τοῦ σχήματος, ὃ τοῖς ὀφθαλμοῖς τῶν εὐεξαπατήτων ἡ γοητεία σοφισαμένη παρέδειξε. *Cum autem Pharao (Hoc enim nomen erat tyranno Ægyptiorum) signis ab ipso divinitus factis per magiam ex adverso Sophisticari niteretur, quando iterum Mose in oculis Ægyptiorum virgam suam transformante in serpentem, idem miraculum facere videbatur præstigiarum fallacia in magorum virgis & actuali operatione convictum est sophisma: cum ostendisset draco è Mosis virga commutatione factus, è comestione magorum lignorum, qui scilicet serpentes erant, quod nullam vim defensionis neque vitæ magorum virgæ haberent præter figuram, quam oculis eorum, qui deceptioni oportuni erant, sophisticata magia exhibuerat.* Sedulius lib. 4. carm:

Sic tempore Mosis,
Carminibus quidam vanis Memphitis in oris
Signa dabant, non sponte Dei sed imagine falsa
Visibus humanis vanas tribuere figuras.

De Mosis virga cecinerat:

Mitis in immitem virga est animata Draconem.
Per flexos sinuata globos, linguisque trisulcis
Squamea colla tumens inimicos ore chelydros
Sorbuit & proprii redit in virgulta rigoris.

Hieronymus, Rupertus, alii similiter senserunt. Hanc veterum sententiam reliquere posteriores. In quibus Augustini & Thomæ sententiam amplexi sunt Cajetanus, Sa, Delrio, Dionysius Carthusianus, Burgensis, Salianus. At putant serpentes aliunde advectos esse, Estius, Abulensis, Pererius, Lyranus Cornelius à Lapide. Sententia vetus de ludibrio oculorum ideò rejecta est, quia scriptura serpentes factos esse dicit: quasi non ad apparentiam loquatur. Quia non apparet Mosen & Aaronem agnovisse aut illo verbo detexisse fraudem: quasi clamor Mosis potuerit accipi ab Ægyptiis, qui credebant quod se putabant videre. Non solent sacri scriptores omnia scribere: fieri potest, & est verosimile, quod cum ipsa devoratione, qua baculus Mosis eorum baculos devoravit, ejusmodi oratio, quæ reprehenderet & argueret præstigias, conjuncta fuerit. Salianus ut veram conversionem factam fuisse fiat credibile, conjicit aliquod spacium temporis inter vocationem Magorum (qui vocati sunt cum Mosis baculus in serpentem transiisset) & projectionem virgarum intervenisse: aut Pharaonem antequam signa peteret à Mose, præscisse virgam ejus coram Hebræis in draconem fuisse conversam & ad idem prodigium exhibendum suos præparari jussisse. Scilicet ita ipsos potuisse producere imperfectum animal, quale serpens est. Sed demus tibi spatium, quantumvis, ego tamen nunquam crediderim eos serpentes coquere potuisse, aut baculos in serpentes transformare, qui furnos non haberent.

De plaga prima aquæ in sanguinem conversæ.

REx Ægypti convictus rebus manifestis de numine Dei, qui Mosen & Aaronem miserat, sprevit tamen mandatum ideò à signis & verbis itum est ad verbera. Decem plagis percussa est Ægyptus, quas Philo digerit & suis rationibus applicat. Causam impulsivam narrat prius: Ἐπειδὴ δ᾽ ὁμολογεῖν ἀναγκασθέντες ὑπὸ τῆς τῶν γινομένων ἐμφανοῦς ἐνεργείας, οὐδὲν ἧττον ἐθελοκακοῦντες τῆς αὐτῆς ἀπανθρωπίας καὶ ἀσεβείας ὥσπερ ἀγαθοῦ τινος ἐπειλημμένοι βεβαιοτάτου, μήτε τοὺς καταδουλωθέντας ἀδίκως ἐλεοῦντες μήτε τὰ διὰ τῶν λόγων προσταττόμενα δρῶντες, ἅτε δὴ τοῦ θεοῦ τρανοτέραις χρησμῶν ἐπιδείξεσι ταῖς διὰ σημείων καὶ τεράτων τὸ βούλημα δεδηλωκότος, ἐμβριθεστέρας ἐπανατάσεως ἔδει, καὶ πληγῶν ἐσμῷ οἱ ἄφρονες νουθετοῦνται, οὓς λόγος οὐκ ἐπαίδευσε. *Postquam autem coacti evidenti, eorum quæ fierent, operatione, nihilo minus audacter agerent, eidem inhumanitati & impietati, tanquam bono cuidam firmissimo inhærentes, neque miserentes eorum, quos nullo jure in servitutem redegerant, neque quæ sermonibus præciperentur, facientes, cum Deus manifestioribus declarationibus, quam sunt oracula, per signa & prodigia voluntatem manifestasset, opus fuit graviori molimine, unde plagarum examine erudiuntur, quos sermo non emendaverat.* Has pœnas decem fuisse numero perfecto: Δέκα δ᾽ ἐπάγονται τῇ χώρᾳ τιμωρίαι κατὰ τῶν τέλεια ἡμαρτηκότων τέλειος ἀριθμὸς κολάσεως. Perfectus numerus pœnarum in illos, qui perfecta deliquerant. Etiam consuetum pœnarum modum transgressam esse punitionem, cum quatuor elementa è quibus salutariter mundus constat, Dei potentia in perniciem impiorum converterit. Ἡ δὲ κόλασις παρηλλαγμένη τῆς ἐν ἔθει. Τὰ γὰρ στοιχεῖα τοῦ παντὸς, γῆ καὶ ὕδωρ καὶ ἀὴρ καὶ πῦρ ἐπιτίθενται δικαιώσαντος θεοῦ, ἐξ ὧν ἀπετελέσθη ὁ κόσμος, τὴν ἀσεβῶν χώραν φθαρῆναι, πρὸς ἔνδειξιν κράτους ἀρχῆς ἧς κέκτηται· Τὰ αὐτὰ καὶ σωτηρίας ἐπὶ γενέσει τῶν ὅλων σχηματίζοντος, καὶ τρέποντος ὁπότε βουληθείη πρὸς τὴν κατὰ τῶν ἀσεβῶν ἀπώλειαν. *Pœna consuetum modum supergressa est. Nam elementa mundi, aqua & terra, & aër & ignis, incubuerunt, ita judicante æquum esse Deo, è quibus confectus est mundus, ut perderetur regio impiorum, ad ostensionem roboris imperii, quo utitur: qui eadem etiam salutariter ad generationem omnium figurat & vertit quandocunque vult in perniciem impiorum.* Decem illas pestes ita digerit: Διανέμει δὲ τὰς κολάσεις, τρεῖς μὲν τὰς ἐκ τῶν παχυμερεστέρων στοιχείων, γῆς καὶ ὕδατος, ἐξ ὧν ἀπετελέσθησαν αἱ σωματικαὶ ποιότητες, ἐφεὶς τῷ Μωσέως ἀδελφῷ. τὰς δ᾽ ἴσας ἐξ ἀέρος καὶ πυρὸς τῶν ψυχογονιμωτάτων, μόνῳ Μωσεῖ· μίαν δὲ κοινὴν ἀμφοτέροις ἑβδόμην ἐπιτρέπει. τρεῖς δὲ τὰς ἄλλας εἰς συμπλήρωσιν δεκάδος ἀνατίθησιν αὑτῷ. *Distribuit autem pœnas, tribus quæ evenerunt è crassiorum partium elementis terra & aqua, è quibus confecta sunt corporales qualitates permissis Mosis fratri: totidem ex aëre & igni, animarum maximè genitricibus, Mosi soli: unam septimam communem ambobus dat: tres autem reliquas, ad complementum denarii sibi reservat.*

Mandavit Deus Mosi, ut Pharaoni mane exituro ad flumen se sistat in ripa fluminis, cum virga sua θαυματουργῷ: minetur pertinaciter retinenti populum, aquarum fluminis conversionem in sanguinem: ut fæteant & pisces emoriantur. v. 20. dicitur: *Elevabat* virgam & percutiebat aquam fluminis: id accipitur vulgo de Aarone, cui id Moses imperaverit v. 19. At præceptum, quod Moses Aaroni dat, videtur esse diversum à præcepto, quod Mosi Deus injunxerat. Nam Mosi Deus præcepit ut flumen id est Nilum percutiat v. 17. 18. Aaroni Moses præcepit, ut omnes cæteras Ægypti aquas verteret etiam quæ in vasis ligneis & lapideis haberentur v. 19. Ea afflictio admodum Ægyptios pressit, quibus aqua Nili toto septiduo potabilis non erat.

Si

Si eadem & una fuit percussio, quam Moses Aaroni nomine Dei imposuit, quæritur, Cur Moses hic percutere ipse non debuerit, sed injungere fratri ut percutiat? Lyranus causam assignat, quia de Magica arte non poterat Aaron ita suspectus esse ut Moses, quod merito rejicit Burgensis. Profert autem Lyranus, aliam causam à Judæis assignari: quoniam salvatus erat & extractus è flumine Moses, non debuisse ipsum sua propria manu percutere flumen & in sanguinem convertere. Nos supra veram causam dedimus. Textus de Pharaone dicit: הנה יוצא המימה / Hic Judæi quærunt causam maturini egressus, quem Pharao de more solito videtur fecisse. Rasi: *Ad foramina, quæ fecit ipse, deducam & dicam, quod non sit opus foraminibus: Mane surget & exibit ad Nilum, ut illic faciat natura necessitatem.* Aben-esdras: *Mos est regum Ægypti usque hodie exire in Thamuz & Ab, quia tunc crescit flumen, ut videant, quot gradibus ascenderit. Præcepit Deus Mosi, ut mane exiret staretque coram fluento & faceret signum, quod erat percussio fluenti, coram Pharaone: præcepit ipsi ut sumeret virgam quæ in serpentem conversa fuerat, ministerio Mosis, antequam iret ad Pharaonem, eamque daret Aharoni ut extenderet eam ad aquas Ægypti, ut videret Pharao, quod à momento, quo percusserat Aaron virga super fluentum, conversum esset in sanguinem.* In versu 15. (id obiter noto) triumphant illi, qui legato nomen ablegantis volunt convenire: *Ita dicit DOMINVS: Ex eo cognosces me esse* יהוה*: Ecce ego virga, quæ in manu mea est, percutiam in aquam* &c. Hic Aben-esdras: השליח legatus *loquitur secundum os legantis: Et sermo est ellipticus, quia deest vox missi: Et sic: Ecce ego missus ejus percutio virga, quæ in manu mea est. Et dicit in manu mea, quamvis fuerit in manu Aharonis: quia duo illi æquales & socii in signo.* Id facile solvitur. Nam tria commata 16. 17. 18. cohærent. In versu 15. præcipit Deus, quid sit faciendum Mosi, in his quid dicendum ad Pharaonem: *Deus Hebræorum,* יהוה*, misit me, dicendo: dimitte populum meum, ut colant me in solitudine: Ecce hucusque non fuisti obediens. Ita dicit* יהוה*: In hoc scies me esse* יהוה*, Ecce ego* (Moses qui hæc omnia ad te enuntio) *percutio* &c. Ego percussione mea flumen in sanguinem mutabo, inde (ut Dominus dixit) ipsum esse יהוה cognosces. Rasi ideo putat in aquis Nili punitos esse Ægyptios, quia pluviæ in Ægypto non descendunt, cum Nilus ascendat terramque irriget: Ægyptios autem coluisse Nilum, ideo primò Nilum, postea ipsos esse percussos. Mosen non percussisse quia exceptus à Nilo fuerat. לפי שהגן היאור על משה כשנשלך לתוכו לפיכך לא לקה על ידו לא בדם ולא בצפרדעים ולקה על ידי אהרן׃

Plagam hac universalem fuisse existimant interpretes ex v. 19. universalitatem Philo exaggerat: *Τοῦ Μωσέως ἀδελφοῦ προστάξει θείᾳ καταπηγνύντος τὴν βακτηρίαν ἐπὶ τὸν ποταμὸν, ὁ μὲν εὐθὺς ἀπὸ Αἰθιοπίας ἄχρι θαλάσσης εἰς αἷμα τρέπεται· συνεξαιματοῦνται δ᾽ αὐτῷ λίμναι, διώρυχες, κρῆναι, φρέατα, πηγαὶ, σύμπασα ἡ κατ᾽ Αἴγυπτον οὐσία ὕδατος· ὡς ἀπορίᾳ ποτοῦ τὰ παρὰ ταῖς ὄχθαις ἀναστέλλειν, τὰς δ᾽ ἀνατεμνομένας φλέβας, καθάπερ ἐν ταῖς αἱμορραγίαις, κρουνηδὸν αὐλοὺς ἀκοντίζειν αἵματος, μηδεμιᾶς ἐνορωμένης διαυγοῦς λιβάδος. Ἐναπέθνησκε δὲ καὶ τὰ γένη τῶν ἰχθύων ἅπαντα, ἅτε τῆς ζωτικῆς δυνάμεως εἰς φθοροποιὸν μεταβαλούσης, ὡς δυσωδίας πάντα διὰ πάντων ἀναπεπλῆσθαι, τοσούτων σηπομένων ἀθρόων σωμάτων· Πολὺς δὲ καὶ ἀνθρώπων ὄχλος ὑπὸ δίψους διαφθαρεὶς ἔκειτο σωρηδὸν ἐπὶ τῶν τριόδων, οὐ σθενόντων ἐπὶ τὰ μνήματα τῶν οἰκείων τοὺς τετελευτηκότας ἐκκομίζειν. Ἐπὶ γὰρ ἡμέρας ἑπτὰ τὸ δεινὸν ἐνεργάσατο.* *Cum Mosis frater Dei jussu virgam flumini impegisset mox ab Æthiopia usque mare in sanguinem convertitur. Cumque eo sanguinantur stagna, fossa, lacus, putei, fontes, universa aqua in Ægypto substantia: adeo ut penuria potus, quæ ad ripas erant, refugerent & vena aperta, tanquam in hæmorrhagiis, scatebrarum in modum directos*

jactus ejacularentur sanguinis, cum nulla videretur limpida gutta. Immoriebantur etiam omnia piscium genera, cum vitalis vis in pestiferam mutasset: unde fœtore omnia universim replebantur cum tot conferta putrescerent cadavera. Magna etiam hominum turba siti confecta acervatim jacebat in triviis, cum non possent sui mortuos ad monumenta exportare. Nam septem diebus id malum tenuit. Josephus, qui Mosi apud regem adscribit orationem persuasoriam, quam textus non habet, in hunc modum loquitur de prima plaga: ὁ γὰρ ποταμὸς αὐτοῖς αἱματώδης, θεοῦ κελεύσαντος, ἐρρύη, πίνεσθαί τε μὴ δυναμένοις καὶ πηγὴν ἑτέραν ὑδάτων οὐκ ἔχουσιν. Οὐχὶ δὲ τὴν χρόαν μόνον ἦν τοιοῦτος, ἀλλὰ καὶ τοῖς πειρωμένοις ἀλγήματα καὶ ὀδύνην προσέφερεν. Ἦν δὲ τοιοῦτος μὲν Αἰγυπτίοις, Ἑβραίοις δὲ γλυκὺς καὶ πότιμος, καὶ μηδὲν τοῦ κατὰ φύσιν παρηλλαγμένος. Soli flumini manifestè attribuit commutationem, sed eo arctatos esse Ægyptios, cum alium aquarum fontem non habeant. Non colore tantum rubrum fuisse & sanguinolentum sed & potu perniciosum ac dolorificum. Cum talis esset Ægyptiis, fuisse Hebræis dulcem & potabilem, neque quicquam à naturali modo recessisse. Dicitur, quod magi similiter aquam in sanguinem commutaverint: ideò regis animus magis induruit. At si universa Ægypti aqua in sanguinem versa fuit ab Aarone & Mose, unde habere magi aquam potuerunt, quam in sanguinem suis carminibus mutarent? Respondet Aben-esdras, Aaronem non convertisse aquas, nisi quæ in aperto essent, magos autem fodiendo inventas mutasse. Esse discrimen magnum (הפרש גדול) inter opus Aaronis & magorum. Nam Aaronem vertisse totum fluvium qui erat ante ipsum omnesque aquas Ægypti, in omnibus ejus finibus quas non videbat: præterea non solum stantes sed & currentes jugiter euntesque alias: Plagam etiam tenuisse diebus septem. Magos tantum mutasse aquas exiguas, quæ in vase stabant, idque brevi momentò, donec Pharao domum venisset. Notat etiam multos dicere quod aquæ in manu Ægyptiorum rubicundæ fuerint instar sanguinis, sed eas in manu Israëlitarum inalbuisse. *Si ita est* inquit, *cur id signum non est proditum in lege: Secundum sententiam meam plaga sanguinis ranarum & pediculorum fuit communis Ægyptiis & Hebræis.* Id è scriptura ostendi, nempe capitis octavi v. 22. 23. Has tres plagas fuisse leviores, sed duram fuisse ערוב / ideò Deum discriminasse inter Hebræos & Ægyptios: Sic etiam in pestilentia & grandine ob eorum pecora: non ita in plaga ulcerum neque locustarum, quia egressæ sunt ex Ægypto. Quemadmodum foderunt Ægyptii ita & fodisse Hebræos. Plagam hanc sanguinis tenuisse septiduo, non ita reliquas, ideo nominatim exprimi. Lyranus narrat Hebræos dicere aquam solam fluminis fuisse mutatam à Mose, quæque inde manabat in paludes & rivos, haustaque esset vasis: fuisse autem aquam in fontibus quibusdam, quæ non fuerit conversa. Hoc tamen videri contrarium esse textui, scilicet v. 19. Deinde & Josepho. In quo nisi Philonem intelligat, errat. Porrò si fontes habuissent, aliamque aquam potabilem, non esse verosimile, quod fossuri essent. Porrò ita loquitur: *Doctores autem nostri communiter dicunt, quod fuerit apportata de terra Gessen ubi habitabant filii Israël: & quià prædicta plaga non fuit ibi: Sed hoc est contra hoc, quod dicit hic Josephus, quod ille fluvius ita ibi conversus fuerit in sanguinem sicut alibi. Et hoc videtur verum, quia aliter Ægyptii, qui cum Hebræis manebant in terra Gessen, non fuissent afflicti illa plaga. Quod autem Ægyptii manerent cum Hebræis, videtur ex hoc, quod dicitur in 12. cap.* Quia acceperunt vasa aurea & argentea mutuo à vicinis. *Erat tamen potabilis filiis Israël, quia statim cum hauriebant, revertebatur in naturam propriam. Et ideò melius videtur dicendum, quod ministerio dæmonum fuit apportata ipsis magis de terra, quæ est extra terram Ægypti,*

quod

quod possunt facere mira celeritate. Augustinus existimat aquam terræ Gessen non fuisse mutatam in sanguinem. Id etiam Cl. Riveto probatur ex analogia aliarum plagarum: nec mirum esse si cohabitantes Israelitis, aquam puram, ut lucem habuerint. Dicunt quidam mare non fuisse mutatum, cujus aqua non est potui, inde igitur sive è terra Gessen afferri potuisse. Hic Cl. Rivetus: *Sed cum id omne acciderit in urbe regia, à qua longe distabat Israelitarum habitatio, vix probabile est exspectasse Pharaonem, donec aqua inde afferretur.* Quasi dæmonum opera (quod dictum est) mira celeritate afferri non potuerit. Quidam putant virtute divina subito aquas puras & nitidas apparuisse, quæ ab iis in sanguinem conversæ fuerint sed de hoc ita judicat Rivetus: *Sed credibile non est Deum talem mutationem procurasse, qua fuisset elevata fides præcedentis miraculi.* Adde, Non debere sine necessitate miracula multiplicari: nec virtutem Dei *θαυματουργὸν* famulatam esse videri magis. Duo putat dici posse in conjecturarum & opinionum tanta variantia: Unum (inquit) *flumen primum fuisse mutatum in sanguinem inspectante rege, sed non alias omnes aquas immediate. Postquam autem magi idem tentassent & ostentassent in aliquo rivulo aut aquarum receptaculo; tum Deum per servos suos, addidisse in pœnam corruptionem omnium aquarum. Hæc si dicamus successivè fuisse facta, nulla erit difficultas.* Alterum *etsi momento omnes aquæ Ægypti, quæ in flumine & rivulis &c. erant, fuissent conversæ in sanguinem, tamen in fossis & puteis post miraculum factum excavatis, repertas fuisse aquas colatas & puras, quibus uti potuerunt Ægyptii in potum, inde autem occasionem sumpsisse magos, similia faciendi iis, quæ in aliis aquis facta fuerint.* Huic postremo confirmando putat ויחפרו in v. 24. facere: *Et foderant*: ut sensus sit redditio rationis, Cur Magi ita fecerint. Hoc est quod Aben-esdras voluit & satis commodè dicitur. Riveto tamen prior sententia magis arridet, successive factum esse. *Primò à Mose in flumine, à magis posteà in aliquo rivulo: sed quemadmodum in primo miraculo virga Mosis devoraverat virgas magorum, ita in hoc altero miraculo absorptam fuisse magorum illusionem, accedente omnium aquarum Ægypti corruptione: ut magi ipsi incommodum sentirent qui non possent conversas aquas vi Divina, suis præstigiis, ad potum aptas reddere & priori naturæ restituere.* Ego malim cum Aben-esdra & postrema sententia sentire. Nam (quod & D. Rivetus notat) aquas effossas in sanguinem mutatas esse non admittit sacra historia, multò minus, ut Philo scribit, sanguinem è venis apertis affatim emanasse. Duas mutationes successive factas esse judico, Primam per Mosen in flumine, alteram per Aaronem in cæteris aquis Ægypti. Aaron non percussit aquas, ut Moses flumen percussit (v. 17.) sed extenta manu versus aquas cæteras (v. 19.) eas mutavit. Judæi distinguunt quidem inter percussionem fluminis & extensionem virgæ versus reliquas aquas, sed utramque actionem tribuunt Aaroni: nec est quisquam interpretum, qui percussionem det Mosi: quod tamen simplicitas expositionis exigit. Existimo tamen & Mosis & Aaronis actionem præcessisse magorum ludibria, servorum Dei factum imitantia. Textus videtur innuere v. 21. quod continuæ fuerint actiones: quas (v. 22.) repræsentant magi. Non potest dici, quod aqua à magis in verum sanguinem momento conversa fuerit, quia nec magi id poterant, nec opus erat, sufficiebat tincturam & colorem itemque fœtorem induci, quo sanguinem referebant aquæ. Hoc autem facile etiam homini est. Causæ variæ aquarum mutationis assignari solent. Prima, quod Ægyptii Nilum coluerint. Theodoretus: *Πρῶτον ἐπειδὰν μέγα ἐφρόνουν ἐπὶ τῷ ποταμῷ καὶ θεὸν αὐτὸν ἐνόμιζον, τὴν τῆς τροφῆς αὐτοῖς παρέχοντα χρείαν.* Alteram, quod sanguinis puerorum in flumine mersorum exigeret pœnam. Iterum Theodoretus: *ἔπειτα καὶ διὰ τὰ βρέφη*

τῶν

τῶν Ἰουδαίων εἰς τοῦτον παραπεμφθέντων· μεταβληθεὶς γὰρ εἰς αἷμα τῆς γεγενημένης κατηγορεῖ παιδοκτονίας. Hanc causam autor sapientiæ refert annotatque in aquis punctos esse Ægyptios, in iisdem cum e rupe profluerent, beatos fuisse Israëlitas: *Ἐδίψησαν καὶ ἐπεκαλέσαντό σε καὶ ἐδόθη αὐτοῖς ἐκ πέτρας ἀκροτόμου ὕδωρ, καὶ ἴαμα δίψης ἐκ λίθου σκληροῦ. Δι' ὧν γὰρ ἐκολάσθησαν οἱ ἐχθροὶ αὐτῶν, διὰ τούτων αὐτοὶ ἀπορούντες εὐεργετήθησαν. Ἀντὶ μὲν πηγῆς ἀενάου ποταμοῦ αἵματι λυθρώδει ταραχθέντος, εἰς ἔλεγχον νηπιοκτόνου διατάγματος, ἔδωκας αὐτοῖς* &c. Hæc Sapientiæ libri cap. XI. v. 4. 5. 6. 7. Autor libri de mirabilibus Scripturæ: *Primitus vindicta Ægyptiis cum rege suo convenienter evenerat, ut qui populi infantes in flumen jactare preceperat, ejusdem fluminis aqua in sanguinem versa excidium bibentibus insereret & non bibentibus pœnam præstaret.* Pisces mortuos esse legimus, homines siti exstinctos non legimus, quod ad rem nimio augendam confictum est à Philone. Pisces exstincti indicant aquas penitus corruptas esse. Pisces fortassis voraverant infantulos Hebræorum, in iis Ægyptii puniuntur, tanquam sua possessione & instrumento impietatis. Tertia causa, quod Nili aqua Ægypti gloria esset & salus, in eo maximè puniri debuerunt. Hanc etiam causam reddere possumus, quod in eo fuerit prima afflictio. Philo autem ita ratiocinatur: *καὶ πρώτας ἐπιφέρειν ἄρχεται τὰς ἐξ ὕδατος. Ἐπειδὴ γὰρ τὸ ὕδωρ Αἰγύπτιοι διαφερόντως ἐκτετιμήκασιν, ἀρχὴν τῆς τῶν ὅλων γενέσεως τοῦτο εἶναι νομίζοντες, αὐτὸ πρῶτον ἠξίωσε καλέσαι πρὸς τὴν τῶν ἀποδεχομένων ἐπίπληξίν τε καὶ νουθεσίαν. Et primam inferre incipit ex aquis. Cum enim Ægyptii aquam admodum extollant, principium universitatis arbitrati esse, hanc primam voluit vocare ad admirantium perterrefactionem & admonitionem.* Vocem ἀποδεχομένων non intellexit & ideò omisit Gelenius.

De secunda plaga Ægypti, quæ fuit ranarum.

Cap. VIII. Exodi.

In hoc capite tres describuntur plagæ: Ranarum, v. 1---15. Pediculorum 16-----19. ערוב/ 20. ad finem. In prima & secunda Dei jussu & verbis Moses Pharaonem præmonet uti dimittat populum, ni faciat plagam immissurum, quam exprimit. Ranarum multitudinem minatur, quam sit editurus Nilus, quæ domum regis domosque omnes aulicorum & populi sit impletura: in cubiculis & cubilibus; in furnis & mactris. Notant Judæi, quod dicatur v.4. *In te & populo tuo.* Hinc putant effici, quod Israëlitas non afflixerint. Ita existimavit R. Japheth, quem laudat Aben-esdras. Aben-esdras hanc probationem non admittit, quia dicitur ascendisse in ipsum & universum ipsius populum ואין צורך· לחזכיר ישראל *Nec erat opus meminisse Israëlis.* Proinde vult id non ad exceptionem dictum esse sed comprehensionem potius. Subtilius est quod refert Rasi ה׳ ב in בך ובעמך significare, quud per meatus corporis ingressæ fuerint ranæ viscera eorum, atque inibi coaxaverint. בתוך מעיהם נכנסין ומקרקרים. Aaron mandato Dei & Mosis extulit virgam versus fluenta, rivos & paludes. Scilicet versus quatuor cardines cæli, ut Aben-esdras interpretatur. Hinc ebulliere ranæ, quæ egressæ universam terram intexerunt. V.6. dicitur singulari numero ותעל הצפרדע *rana ascendebat*, quasi una fuisset. Hinc occasio fuit Medras. Rasi: *Rana una fuit, quam percussere: ea autem diffusa est in multa examina.* Fatetur id esse Medras, at פשוט esse quod שרץ הצפרדעים progerminatam multitudinem ranarum significet: ut infra dicitur ותהי הכנם. Aben-esdras notat interpretes non unum & idem sentire circa vocem צפרדע. Multos dicere, quod significetur genus piscis

Ægyptii,

Ægyptii, quod Arabicè appellatur אלתמסח. Id egressum laniasse homines. Alios, quod sit illud genus quod in fluminibus passim inveniatur, quod vocem suam facit audiri, idque sibi probari & notum esse. Crocodilus Arabicè appellatur تِمْسَاح quod alludit ad Ægyptium vocabulum χάμψη. Herodotus lib. 2. *Καλέονται δὲ οὐ κροκόδειλοι ἀλλὰ χάμψαι. κροκοδείλους δὲ Ἴωνες ὠνόμασαν εἰκάζοντες αὐτῶν τὰ εἴδεα τοῖσι παρὰ σφίσι γινομένοισι κροκοδείλοισι τοῖσι ἐν τῇσι αἱμασιῇσι.* Græcum igitur vocabulum est crocodilus animalis alterius, quod reperiebatur apud Jonas in sepibus, cujus formæ illud Ægypti monstrum adsimile esset, quamvis magnitudine nimium superaret. Ranarum è fluminibus prodeuntium plagam applicant etiam justitiæ Dei vindicanti infantulos aquis fluminum submersos. Magi etiam carminibus suis ranas produxere, falsas, apparentes, quamvis proxima ranarum materia sit in lino fluminis fecundissimi & fœtiferi. Referunt enim refluentibus Nili aquis animata itidem perfecta corpora murium ranarumque videri, quæ paulatim consummentur. Spatio autem opus fuit & receptaculis debitis mutationi: unde non accedo illis, qui artificio naturam imitante, & applicatione agentium ad patientia veras ranas factas esse ab illis arbitrantur; Pharao tandem tœdio turpium bestiolarum, quæ omnia pererrabant inquinabantque, subactus, Mosen & Aaronem ad se vocat rogatq; uti ad Deum supplices pro se intercedant, quo ab ista peste liberari possit: Se dimissurum esse populum ut Deo immolet. Moses non tantum id se facturum esse accipit, sed & quo evidentius Divina manus pateat, Pharaoni offert, ut ipse statuat eligatque tempus, intrà quod ex ædibus totoque sicco Ægypti emortuæ ranæ solo flumine supersint. Crastinum mane rex dixit. Ad Mosis preces confertim in ædibus, in agris, vicisque emoriebantur. Hinc cumuli ingentes coacervati, universam Ægyptum fœtido odore repleverunt. Moses ad Deum mox oravit, ut intra crastinum diem liberata esset Ægyptus. Non videtur id significari, differendum esse tempus delendarum ranarum in crastinum, sed fixum esse terminum acceleratæ doletionis & liberationis. Cum mirum esset tantam multitudinem uno die interire posse, ut nulla extra ripas fluminis rivorumque reperiretur. Vanus igitur est Rab. Samuel ben Hosni apud Aben-esdram, qui dicit: *Non solet homo petere nisi ut recedat plaga confestim: at putabat Pharao, quod dispositio stellarum cœli induxisset in Ægyptum, quodque illud Moses novisset: Nunc autem cogitabat, Adesse tempus abitus ranarum, ideo explorabat eum, prolongabatque & dicebat, in crastinum.* Lyranus: *Videtur, quod Moyses hic tentavit Dominum, ponendo tempus determinatum, secundum quod dicitur Judith. 8.* Qui estis vos, qui tentatis Dominum & posuistis tempus miserationis &c. *Item promisit, quod non erat in potestate sua: quod videtur fatuum & præsumptuosum. Dicendum, quod non fuit ibi Dei tentatio: quia Moses à principio per revelationem Dei fuit certificatus, quod talia fierent ad nutum ejus: unde dixi ei:* Ego constitui te Deum Pharaonis *supra 7. cap. & per hac patet, quod non fuit promissio indiscreta vel præsumptuosa.* Cur autem in arbitrio Pharaonis terminum constituit? Lyranus putat suspicionem artis magicæ aut constellationis excludi, accedens sententiæ Samuelis ben Hosni. Ideo etiam putat Pharaonem non petiisse, ut mox liberatio fieret. Si enim maleficium esset, per se defecturum. *Et ideò*, inquit, *hoc aliquantulum experiri voluit, non tamen multum distulit propter necessitatem.* Res est, quam dixi.

Ranarum plagam eò graviorem facit Josephus, quod universam terram fuerint depastæ: quod de flumine aquam puram haurire nequiverint. *Ὡς διαφθειρομένους τὸ ποτὸν τῷ τῶν ζώων ἰχῶρι κακουμένον λαμβάνειν, ἐναποθνησκόντων καὶ*

συνδιαφθειρομένων τῷ ὕδατι. In his verbis notandus est usus elegans verbi *δια-χρώμενοι*, quod significat *utor, in usum assumo.* Sanie morientium & intereuntium in aqua ranarum potum hausisse vitiatum, cum fluminis usum capere vellent. Præterea universam regionem refertam fuisse limo nascentium & intereuntium: *κακῆς ἰλύος γενομένων τε καὶ ἀποθνησκόντων.* Quartum à ranis malum: *Τάς τε κατ' οἶκον διαίτας ἠφάνιζον ἐν βρωτοῖς εὑρισκόμενοι καὶ ποτοῖς καὶ ταῖς εὐναῖς αὐτῶν ἐπιπολάζοντες.* Et hic observa vim verbi *ἀφανίζω.* Sensus est: *Victum in ædibus fœdabant, cum invenirentur in potulentis & esculentis & cubilibus insiderent.* Quartum teter odor tota regione, cum morerentur & interirent. Duo posteriora expromit Moses, superiora ex imaginatione rei Josephus expressit. Tertium ineptum est nempe limum tota fuisse Ægypto, quasi limum invehi oportuerit, è quo ranæ nascerentur & in limum morientes resolutæ sint. At non adeò propinqua materia ranarum limus est, ut lignum statuarum. Philo hypotyposi exaggerat multitudinem ranarum: *βατράχων πλῆθος ἐσμὸς τοσοῦτος, ὡς μὴ μόνον ἀγορὰς καὶ πᾶσαν τὴν ὕπαιθρον, ἀλλὰ πρὸς τούτοις ἐπαύλεις, οἰκίας, ἱερὰ πάντα, ἰδιωτικὸν καὶ δημόσιον τόπον πεπληρῶσθαι καθάπερ εἰς ἀποικίαν ἓν γένος τῶν ἐνύδρων τῆς φύσεως ἐκπέμψαι διανοηθείσης πρὸς τὴν τῶν ἐναντίων χώραν, ἐναντία γὰρ χέρσος ὕδατι.* Bene quidem ob oculos ponere & quasi depingere multitudinem ranarum laborat, quas etiam angiportus occupasse dicit ut transitus & egressus ex ædibus prohiberetur & intus altissimas ædium partes occupasse, sed errat in eo, quod contra naturam siccum replevisse putet, cum sit animal amphibium, molestum quoque in ædibus cælo & loco humidiore. Benè etiam observat morientium fœtorem non fuisse molestum Ægyptiis, antequam plaga eximeretur. Eas autem, cum Moses Deum exorasset, partim in flumen rediisse, partem exstinctas subito & congestas cumulatim fœdo odore Ægyptum inquinasse. *Τῶν δὲ εὐθὺς διαφθαρέντων κατὰ τὰς τριόδους θημῶνες ἦσαν, σωρηδὸν ἐπιφερόντων καὶ τὰς οἴκοθεν, διὰ τὰς ἀνυποίστους ὀσμὰς, αἳ ἐκ νεκρῶν σωμάτων καὶ τούτων ἀνεφέροντο, ἃ καὶ ἔμψυχα ὄντα πολλὴν ἀηδίαν παρέχειν ταῖς αἰσθήσεσι.* Quærunt quidam quomodo ranæ intima conclavium & cubilia penetraverint, quum januis & fenestris clausis potuerint arceri. Ranas autem quidam significare dicunt, quod Ægyptii falsos doctores habuerint, qui strepitum vocum habere possunt non autem insinuare doctrinam veræ sapientiæ. Recte quidem falsi doctores cum ranis comparantur, strepentibus incondito clamore: quibus etiam id convenit, quod dicit Cl. Rivetus: *Quemadmodum,* inquit, *face noctu accensa obmutescunt ranæ ita sophistæ & falsi doctores & hæretici visa veritatis luce.* At nullo modo ranis Ægyptiis accommodari potest ea significatio, quasi intenta fuerit à Deo. Potius Deus per omnia animalculorum genera, omniumque plagarum cæli & terræ & aquarum ire voluit, ut regem contunderet & Ægyptum.

De tertia plaga Ægypti, quæ fuit sciniphum, sive pediculorum.

Cum respiratio data esset, rediit ad ingenium Pharao, negans dimissionem populo, tertiam igitur plagam, Aaron jussus à Mose nomine Dei, intulit, percusso solo. Ineptum est, quod habet Rasi: Ideò non conveniens fuisse ut Moses percuteret, quia Ægyptium percussum arena obruerat. Ideo percussisse Aaronem unde pulvis tota Ægypto mutatus est in vilis & molesti animalculi genus, quod Hebræi appellant כנם. Eam vocem alii aliter reddunt. Nam quidam ciniphem, alii pediculum. Ciniphem LXX. & vulgatus Latinus: pediculum, *φθεῖρα*, Josephus cum Judæis interpretibus. Singulare כנה non inve-

invenitur in textu ſed apud magiſtros; textus collectivum כנם habet. Diſtinguunt magiſtri inter רחשות & קופצת / ſerpentem & ſalientem. Salientem dicunt, qui pulex appellatur; Chaldæi reddunt קלמתא / ut etiam à Druſio annotatum eſt. Vatablus dicit vocem Hebræam & Chaldæam ſignificare exigua quædam genera beſtiolarum, quæ infenſiſſimæ eſſe ſolent, lædentes cutem & penetrantes per nares atque aures &c. In Septuaginta ſententiam imprudens delabitur ex Philone atque Origene hoc genus animalculi deſcribens, quod ipſe vertit *pediculum*. Syrus dicit ܩܠܡܐ, ut Chaldæus: unde eſt Arabicum قمل. Ita pediculum & pulicem appellant. LXX. interpretibus placuit vertere σκνῖπας; quod aſſumpſere Vulgatus, Philo & patres Græci Latinique. Recentiores, qui Hebræum textum ſequuntur (quos Salianus aliique Hebraizantes appellant) de pediculo intelligunt plagam & vocem Hebræam. Si à me quæras cui ſententiæ accedam, præferam Hebræorum, cui video ſe adjungere quotquot è ſeptuaginta illis non hauſerunt, Hebrææ linguæ periti cum eſſent. Septuaginta enim illis parum fidimus, quod eos ſciamus levibus rationibus ſæpe deflexiſſe ab Hebræa veritate. Quia enim è pulvere id animalculi genus excitatum eſt, putarunt culicum genus eſſe, quod è terra & pulvere ſolet oriri. Deinde, quia hoc genus in Ægypto admodum infeſtat homines pecudesque. Philo ſecutus ſeptuaginta, quia aliter non poterat, hanc poſtem, ita explicat: ὁ πάλιν κατὰ τὸ προσταχθὲν τῇ βακτηρίᾳ τοὔδαφος παίσαντος, φορὰ σκνιπῶν ἐχώθη (leg. ἐχύθη) καὶ πλῆθος καθάπερ νέφος, ἅπασαν ἐπέσχεν Αἴγυπτον· τὸ δὲ ζῶον εἰ καὶ βραχύτατον, ὅμως ἀργαλεώτατον: οὐ γὰρ μόνον τὴν ἐπιφάνειαν λυμαίνεται κνησμοὺς ἐμποιοῦν ἀηδεῖς καὶ βλαβερωτάτους, ἀλλὰ καὶ εἰς τὰ ἐντὸς βιάζεται διὰ μυκτήρων καὶ ὤτων. Σίνεται δὲ καὶ κόρας ὀφθαλμῶν εἰσπετόμενον, εἰ μὴ φυλάξαιτό τις· φυλακὴ δὲ τίς ἔμελλε πρὸς τοσαύτην ἰσχύειν φορὰν, καὶ μάλιστα θεοῦ κολάζοντος. *Qui* (Aaron ὁ κολαστὴς) *cum iterum ex imperio ſolum percuſſiſſet, multitudo ſciniphum profuſa eſt quæ nubis inſtar extenſa univerſam obtexit Ægyptum: Hoc autem animal, licet breviſſimum, tamen eſt moleſtiſſimum: Non tantum enim ſuperficiem lædit, pruritus faciens difficiles & nocentiſſimos, ſed etiam urget in intera per nares aureſque, Nocet etiam involatu pupillis oculorum, niſi quis caverit: quæ autem cautio fuit adverſus tantam multitudinem maximeque Deo puniente?* Joſephus, qui ſemper Hebræum textum & alios autores præter propriam ratiocinationem ſequutus eſt, ſic ediſſerit: Φθειρῶν γὰρ τοῖς Αἰγυπτίοις ἐξήνθησεν ἄπειρόν τι πλῆθος, ἔνδον ἀναδιδομένων: ὑφ' ὧν κακοὶ κακῶς ἀπώλλυντο, μήτε λουτροῖς μήτε χρίσεσι φαρμάκων διαφθεῖραι τὸ γένος αὐτῶν δυνάμενοι. *Pediculorum enim Ægyptiis effloruit ingens multitudo, intus progerminantium: à quibus mali male affligebantur, cum neque lavacris neque unctionibus medicaminum id genus poſſent exſtinguere.* Salianus Joſephum notat, quod dicat adverſus ſcripturam in ipſis hominibus effloruiſſe pediculos, cum pulvis percuſſus in id animalculum converſus ſit. Scriptura ita habet: *Percuſſit pulverem terræ: fuitque pediculus in homine & beſtiis: univerſus pulvis terræ factus eſt pediculi, in tota terra Ægypti.* LXX. Καὶ ἐπάταξε τὸ χῶμα τῆς γῆς· καὶ ἐγένοντο οἱ σκνῖφες ἐν τοῖς ἀνθρώποις ἔν τε τοῖς τετράποσι, καὶ ἐν παντὶ χώματι τῆς γῆς ἐγένοντο οἱ σκνῖφες. Vulgatus Latinus preſſius ad textum: *Percuſſitque pulverem terræ & facti ſunt ciniphes in hominibus & injumentis: pulvis terræ verſus eſt in ciniphes per totam terram Ægypti.* Hebræus textus diſerte univerſum pulverem vertiſſe in pediculos ſeu ſciniphes: at non exprimit ſatis diſerte, An in ſolo pulvis in id animalculi genus mutatus ſit, ita ut inde tantum hominibus & beſtiis peſtis illa prodierit, an verò ſimul in pulvere ſoli & hominibus pecudibusque nata ſit ad percuſſionem pulveris. Accuratè tamen inſpicienti videtur prius dicere, (quod & Aben-

 eſdras

esdras probat) quamvis LXX. posterius expresserint. Copulativa in Hebræo nulla est, quam LXX. interposuerunt. Existimamus igitur quoddam genus pedunculorum è pulvere procreatorum virtute Divina, exstitisse ejusmodi, quod hominibus pecoribusque simul infestum sit. Fueritne igitur serpens an saliens קלמא definire non possumus. Rasi ותהי הכנם expressit חרחישה פרוליירא כלעז; indicat serpentes pediculos fuisse; salientes potius alius arbitraretur.

In hoc animalculo producendo defecit magorum conatus. Textus: Et fecerunt sic magi cum carminibus suis ut producerent pediculos at non potuerunt. Percusserunt similiter ut Aaron terræ pulverem, adhibitis suis carminibus magicis, sed non successit, ut in superioribus plagis imitatio successèrat. Subtilius est quod vocem להוציא Rasi interpretatus est, *ut transferrent ex loco alio.* Aben-esdras exponit: *Ut eos gignerent è terra, ut fecerat Aaron.* Dixerunt igitur Pharaoni hunc esse Dei digitum. Rasi מכה זו אינה על ידי כשפים מאת המקום היא *Hac plaga non est per magos à Deo est.* Tandem fatentur non esse magicas præstigias sed Dei manum, אצבע אלהים היא. Aben-esdras futilis, id est, profunde Judæus hic est, arripiendo vocem אלהים, quæ hic est non יהוה. *Dicunt Pharaoni, non venit hac plaga propter Israëlem ut dimittatur, sed plaga Dei est secundum dispositionem stellarum, juxta genesin* (מזל) *terra Ægypti. Nam supra exposui, quod Pharao non negaverit creatorem sed Deum, quem memorabat ipsi Moses: idque similiter donec manus ejus tetigit ejus filium. Hac scriptura evenit nobis è calo. Ideo induravit Cor Pharao. Cur autem induraverit indicat hac expositio: Quia dixerat* digitus Dei est, *& non dixerat* digitus יהוה *qui est Deus Israëlis: quemadmodum dicebat Pharao in plaga ranarum, Precamini* יהוה. *Et hoc nomen memorat in sequentibus plagis: & amplius, quando Moses dicit Pharaoni negotium plaga fluenti antequam esset & sic plaga ranarum, at non in principio plaga pediculorum.* Verum est, Moses in superioribus duabus plagis, commonefecerat Pharaonem, idque nomine Domini, talem plagam imminere, quod hic factum non fuerat: eoque Domini nulla mentio facta: at inde non sequitur, Id potuisse Pharaoni opinionem facere, quasi ab illo Deo Israëlis ea clades non esset. Si fassi sint magi Ægyptii plagam istam à Deo esse, ad nutum sive momentum percussionis Aaronis, quomodo illius famulum esse Aaronem ejusque jussum adferre pòtuerunt negare? Hic effugium est, quod observato motu & constitutione cæli id effecerint. Vide Astrologiæ perdeditum hominem & mathematicorum cælo? Nec fuit ista causa indurationis Pharaonis hac vice: quia in Scriptura axiomatis discreti (diversa enuntiantis) non connexi (relationem consequentiæ dicentis) vis est. Dicebant magi Pharaoni, *digitus Dei est*: attamen Pharaonis cor induruit. Augustimus quæstionibus super Exodum: *Cum itaque magi faterentur, quorum Pharao potentia præsidebat, digitum Dei esse in Mose, in quo superabantur & eorum veneficia frustrabantur: tamen induratum est cor Pharaonis nunc mirabili omninò duritia.* Quod gloriæ Mosis & Aaronis detractum voluerint hac professione, non crediderim: quia fatebantur eos Dei veri cultores & famulos esse: ejusque virtutem cum eis operari. Quamvis non concesserint artium magicarum vi & peritia (quod laudi ducebant) Mosen superiorem esse. Augustinus iterum: *Quoniam non potuerunt educere cyniphes, senserunt profectò cum artium suarum nefariarum scirent potentiam, non talibus artibus, velui potentior in eis esset Moses, suos conatus esse frustratos, ut non possent educere cyniphes, sed digito Dei, qui utique operabatur per Mosen.* Per digitum Dei Augustinus intelligi dicit Spiritum S. quod verum est materialiter & interpretative (ut loquuntur) non ex proposito.

Nam

Nam magi Trinitatem & Sp. S. non agnoverunt. Ralbag Aben-esdræ sententiam lubens amplectitur: quod derogatum voluerint Mosi & causam attribuerint cælo. Rationem reddit, cur non potuerint hic, ut in superioribus præstigiis suis agere magi? Verba ejus: *Videtur* qnod non fuerit facultas in opere hoc ad decipiendum (להחטיא) *sensum visus* (בכמו אלו ההויות הקטנות) *in creaturis illis minimis: Ideò dicunt in Bresith Rabba, quod dæmonium non habeat potentiam in creaturam minorem hordeo.* Digitus Dei est: *Sensus est, quod hæc sit plaga Dei benedicti non opus factum per magos: eoque magi non potuerint facere secundum hoc opus. Sic exponunt in Bresith Rabba: quadrat, quod ipsi dixerint hanc plagam esse Dei secundum dispositionem cæli. nec esse factam per manum Mosis & Aharonis, ut scripsit sapiens Aben-esdras: & quasi dictum sit, ut doceatur quod nulla esset præstantia Mosis & Aharonis præ ipsis.* Lyranus dicit irrationabiliter dictum esse ab Hebræis, dæmonem non habere potestatem in corpus minus grano hordei. *Quod enim* (inquit) *habet potestatem super majus, habet potestatem super minus: sed non è converso. Et ideò causa hujus est, quod dæmones nihil possint, nisi quantum permittit voluntas Divina: in hoc autem à Deo fuerunt impediti, ut magi qui Moysi resistebant essent magis confusi in hoc quod rem minimam facere non potuerunt, ut & dixerunt*: Digitus Dei est hic, *id est, virtus divina nos impediens. Vnde coacti sunt recognoscere divinam virtutem. Et hæc expositio est communis apud Catholicos & Hebræos. Sed quia dicti magi non cessaverunt propter hoc resistere. Mosi & astare Pharaoni, ut habetur seq. Capit. ideò posset aliter exponi, sine præjudicio tamen quid non confessi sunt virtutem divinam, dicentes:* Digitus Dei est hic: *Sed virtutem alicujus dæmonis superioris impedientis per artem magicam operationem inferioris, sicut Christo Pharisæi imponebant expulsionem Dæmonum per principem eorum, dicentes*: In Beëlzebub principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia *Lucæ XI. cap. & sic non confitebantur Moysen Dei servum sed magum: Et secundum processum textus, videtur ad hoc tendere intentio ipsorum & Pharaonis, quod crederetur Moyses facere signa artibus magicis, quæ faciebat.* Paulus Burgensis rationem Lyrani negat procedere: nisi id præsupponatur, quod dæmones nullam formam producant, nisi applicatione activorum ad passiva: alias multò majus esse artificium in quantitate modica seu minima quam competenti eadem organa fabricandi. Augustinus aliam causam assignat, cur hoc facere non potuerint magi. *Cur autem*, inquit, *in tertia ista plaga magi defecerunt (Nam plagæ cœperunt, ex quo aqua in sanguinem versa est) & sentire & explicare difficile est. Poterant enim & in primo signo deficere, ubi in serpentem virga conversa est: & in prima plaga, ubi aqua in sanguinem commutata est: & in secunda de ranis, si hoc voluisset digitus Dei id est Sp. S. Quis enim nisi dementissimus dixerit, digitum Dei in hoc signo potuisse conatus magorum impedire & in superioribus nequivisse? Omnino ergò certa causa est quare illa facere hucusque permissi sunt. Commendatur enim fortassis Trinitas: & quod verum est summi philosophi gentium, quantum in eorum literis indagatur, sine spiritu sancto philosophati sunt, quamvis de patre & filio non tacuerint: quod etiam Didymus in libro suo meminit, quem scripsit de spiritu sancto.* Quod autem Pharao & Ægyptii putaverint ab aliqua superiori virtute, quæ Deus non est, venisse, quod fiebat: atque ita Adonai Mosis Deum non esse seu causam supremam, ut tenent Lyranus & Burgensis, non consonat vero. Nam fatentur digitum Dei, qui adesset Aaronis ministerio. Lyranus eam sententiam confirmat ex eo, quia magi non cessaverunt abhinc resistere Mosi, quod fecissent, si Deum esse agnovissent qui Mosi aderat. Quæritur, An magi in posterum restiterint Mosi, Non restitisse docet Burgensis. *Nam*, inquit, *ut patet ex decursu literæ, nunquam in*

aliqua septem plagarum sequentium fit mentio de magis nisi tantum in septima plaga scilicet de ulceribus & vesicis. Ubi dicitur: Nec poterant malefici stare coram Moyse, propter ulcera, quæ in eis erant. *Ubi non dicitur, quod malefici fuerint conati facere similia, sicut dictum in tribus plagis primis; sed quod verecundia vel horrore non comparuerint. Unde dicendum, quod in tertia plaga fuerint magi omninò victi à Deo. Quæ quidem plaga fuit facta per manum Aaron; qui erat minor in gradu eò quod reputabatur tanquam propheta ipsius Moysi: prout dictum fuit supra:* Aaron frater tuus erit propheta tuus. *Et in hoc magis ostendebatur divina potentia, in quantum per minorem servum vincebat maleficos. Item notandum, quod si considerentur effectus harum plagarum in convincendo Ægyptios, potest in eis talis ordo attendi, scilicet, quod plagæ inflictæ per Aaron, sc. tres primæ attigerint ad convincendum magos, qui in tertia plaga dixerunt:* Digitus Dei est hic. *Non tamen attingunt ad mollificationem cordis Pharaonis in toto nec in parte. Dicitur enim ibi,* Induratumque est cor Pharaonis & non audivit eos *sc. maleficos profitentes Divinam virtutem esse, ut dictum est. Sex vero plagæ subsequentes, factæ per Moysen attigerunt ad hoc ut devincerent omnes servos Pharaonis, qui in octava plaga dixerunt ei:* Usque quo patiemur hoc scandalum? Dimitte eos ut sacrificent Deo suo. *Quorum consilio non acquievit Pharao nisi in hoc tantum, quod dimitteret viros remanentibus familia & pecoribus. In nona vero plaga per Moysen inflicta condescendit Pharao ad hoc, ut irent cum familia, non tamen cum armentis & ovibus. Decima verò plaga à Deo inflicta, sc. primogenitorum attingit ad ultimum effectum sc. ut totaliter eos dimitteret & etiam compelleret exire, ut infra Exod. 12.* Adhuc una plaga tangam Pharaonem & Ægyptum & post hoc dimittet eos & exire compellet. *In quibus ordo Divinæ providentiæ relucet, quia per minores facit minora, & per majores majora: & per se ipsum, quod ultimum & perfectum est. In cujus respectu præcedentia licet disponant, tamen quodammodo quasi nihil reputantur, juxta illud* 1. Cor. 3. Nec qui plantat, nec qui rigat, est aliquid sed qui incrementum dat. *Secundum quam considerationem plaga decima primogenitorum Ægyptiorum fuit à Deo immediatè inflicta, prout Hebræi tenent: quod plane sonat litera infra 12. ubi dicitur.* Nam ibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omnem primogenitum in terra Ægypti, *licet tamen secundum doctores nostros hæc plaga per angelum fuit facta, quod etiam in eo cap. habetur, ubi dicitur:* Et non sinet percussorem ingredi domos vestras. *Ex quo patet, quod percussor immediatus non erat ipse Deus, sed angelus Deo subditus, quod potest etiam intelligi de malo Angelo, quià secundum gloss. mali angeli tales pestes facere solent permissione Dei. Unde de hac materia in Psalm. dicitur:* Misit in eis iram indignationis suæ &c: *immissione per angelos malos: Nihilominus tamen appropriatur hæc plaga decima immediatius Deo quam alia, quià in ea mediator erat invisibilis, non autem in aliis, ubi Moyses & Aaron erant ministri, quâ ratione hæc plaga appropriatur Deo tanquam immediato autori, & etiam quia erat completiva intenti, scil: de liberatione populi.* Ad hæc replicat Doring: *Item in eo capite hoc dicit postillator quod Magi post tertiam plagam non cessaverint resistere Moysi, Burg. dicit esse minus verum, sed ad hoc non adducit rationem nisi ab auctoritate negativè, quod non valet, sed postillatoris est bona ratio fundata in littera. In sequenti enim cap. dicitur de Magis quod in septima plaga ulcerum & vesicarum turgentium non poterant stare coram Moyse. Ex quâ littera patet, quod usque ad illud tempus steterunt coram Moyse non ad juvandum sed resistendum, quià alias injustè fuissent puniti septima illa plaga. Quamvis enim post tertiam plagam propter confusionem, quià non poterant facere similiter, de cætero non attentaverunt resistere Moysi per facere aliquid similiter, tamen astiterunt Pharaoni pravis consiliis propter quæ puniti sunt. Si enim in tertia plaga confessi*

fessi fuissent Dei Israël divinitatem ut dicit Burg. destitissent utique à malo & Regi bonum persuasissent, & sic septimâ plagâ puniti non fuissent. Exemplum hujus habetur in eo capite IX. de plaga grandinis, quam evaserunt hi servi Pharaonis, qui timuerunt verbum *Domini, & fecerunt confugere servos suos & jumenta* in domos: *Qui autem verbum Domini neglexerunt plaga* grandinis interierunt. *Ita Deus pronior ad miserandum quam ad perdendum, maleficis in septima plaga pepercisset, si in tertia confessi divinitatem Dei Israël ab iniquis resistentiis abstinuissent. Falsum igitur est quod Burg. dicit, in primis tribus plagis Magos convictos ad confitendum Deitatem, nam primò in septima sunt convicti, quando præ vulneribus coram Moyse stare non potuerunt. Item idem Burg. pro confirmatione dictarum suarum ineptiarum ponit comparationes plagarum factarum per Aaron & Moysen & Deum immediatè, dicens: In eis relucere ordinem divinæ providentiæ cum per minores facit minora, per majores majora, & maxima per seipsum, quod dicit in decima plaga consistere. Sed hic ordo Burg. multipliciter deficit. Primò quià dicit decimam plagam factam à Deo sine aliquo medio, cujus oppositum patet ex litera dicente eam factam à percussore. Dicitur enim XII. cap. de Domino:* Et non sinet percussorem ingredi domos vestras & lædere. *Vnde patet quod illa decima plaga facta sit à Deo mediante percussore, sicut aliæ mediante Moyse & Aaron: Et hæc est sententia sanctorum doctorum & communiter Catholicorum, sicut post idem Burg. dicit. Secundò deficit quia distinguit primas plagas factas ab Aarone tanquam minores, & sex sequentes factas à Moyse tanquam majores, & decimam tanquam maximam factam immediatè à Deo. Secundum hæc dicta quarta non distingueretur à decima, quià in ea non legitur Aaron vel Moyses aliquid fecisse, sed dicitur in hoc octavo cap.* Dominus fecit, *& venit* musca gravissima. *Nec videtur catholicè dictum, Deum immediatè talia signa non fecisse effectivè, quià per Moysen & Aaron & angelos tanquam per instrumenta fecit. Nam instrumenta creata ad tales effectus supernaturales se non extendunt effectivè, quià non oriuntur ex potentia naturali sed obedientiali, quæ quodlibet potest fieri ex quolibet, quià solum Dominum respicit pro immediate efficiente. Sententia enim est beati August. IX. supra Gen. & Tertio de trinitat. cap. VII.* Nam etsi sancti sicut Moyses & alii dicantur signa facere, hoc catholicè intelligendum est quod Deus per eos, qui per se ipsum. *Tertiò deficit, quia si minora per minores &c: sequitur quod Dæmones tanquam majores debent Moysi & Aaron præferri: nam decimam plagam, quam reputat Burg. maximam, facit Deus ministerio Dæmonum, ut etiam Burg. ponit auctoritate sartorum doctorum: Et tales etiam plagæ dicuntur in scripturâ immissiones per angelos malos. Cum igitur illa maxima sit per eos facta non per Moysen nec Aaran sequitur eos esse potiores Moyse & Aaron, non solum natura, quod verum est, sed & potestate & auctoritate quod falsum est. Et si verum est pestes & mala pœnæ infligi ministerio malorum angelorum, probabile est dicere quod omnes plagas Ægyptiacas Deus fecerit ministerio eorum, quamvis ad nutum & exteriorem designationem Moysi & Aaron elevatio & projectio virgæ facta esse dicantur. Non enim virga & elevatio se extenderent ad eruptionem ranarum, muscarum & cæterorum tam subito, nisi ministerio angelorum dictorum per Deum deputato ad designationem & prænuntiationem Moysi & Aaron concurrente. Frustra igitur Burg. hic se fatigavit.*

Philo quærit cur Deus regionem punire voluerit tam vilibus generibus animalculorum, non usus immanibus ursorum leonum similiumque, quæ humanas carnes vorant, aut saltem familiaribus Ægypto aspidibus. Διὰ τί τοῖς οὕτως ἀφανέσι καὶ ἠμελημένοις ζώοις ἐτιμωρεῖτο τὴν χώραν, παρεὶς ἄρκτους καὶ λέοντας καὶ παρδάλεις καὶ τὰ ἄλλα γένη τῶν ἀνημέρων θηρίων, ἃ σαρκῶν ἀνθρωπείων ἄπληστα, εἰ δὲ μὴ ταῦτα, τάς γε Αἰγυπτίας ἀσπίδας, ὧν τὰ δήγματα πέφυκεν ἀνυπερθέτως ἀναιρεῖν.

Respon-

Respondet duplici responsione. Primò, voluisse Deum incolas castigare, non tollere: alias usurum non animalium opera, sed fame ac pestilentia, quas ipse immittere solet. *πρῶτον μὲν ὅτι τοὺς οἰκήτορας ὁ θεὸς νουθετῆσαι μᾶλλον ἐβούλετο ἢ διαφθεῖραι. βουληθεὶς γὰρ ἀφανίζειν, εἰσάπαν, οὐκ ἂν ζώοις ἐχρῆτο πρὸς τὰς ἐπιθέσεις ὥσπερ συνέργοις, ἀλλὰ τοῖς θεηλάτοις κακοῖς λιμῷ τε καὶ λοιμῷ.* Secundum responsum hoc est: *Μετὰ δὲ ταῦτα κἀκεῖνο προσδιδασκέσθω μάθημα πρὸς ἅπαντα τὸν βίον ἀναγκαῖον. Τί δὲ τοῦτ' ἐστι; Ἄνθρωποι μὲν γὰρ ὅταν πολεμῶσι, τὸ δυνατώτατον εἰς συμμαχίαν ἐπικουρικὸν ἐξετάζουσιν, ὃ τὴν αὐτῶν ἀσθένειαν ἐκπληρώσει, θεὸς δ' ἡ ἀνωτάτω καὶ μεγίστη δύναμις, οὗ οὐδενὸς χρεῖος, ἐάν που βουληθῇ, καθάπερ ὀργάνοις τισὶ χρήσασθαι πρὸς τὰς τιμωρίας, οὐ τὰ ἐρρωμενέστατα καὶ μέγιστα αἱρεῖται, τῆς τούτων ἀλκῆς ἥκιστα φροντίζων, ἀλλὰ τοῖς εὐτελέσι καὶ μικροῖς, ἀμάχους καὶ ἀηττήτους δυνάμεις ἐγκατασκευάσας, ἀμύνεται δι' αὐτῶν τοὺς ἀδικοῦντας καθὰ καὶ νῦν. Τί γὰρ εὐτελέστερον σκνιπός; ἀλλ' ὅμως τοσοῦτον ἴσχυσεν, ὡς ἀπαγορεῦσαι πᾶσαν Αἴγυπτον, καὶ ἐκβοᾶν ἀναγκασθῆναι. ὅτι δάκτυλος θεοῦ τοῦτ' ἐστι· χεῖρα γὰρ θεοῦ μηδὲ τὴν σύμπασαν οἰκουμένην ὑποστῆναι ἀπὸ περάτων ἐπὶ πέρατα, μᾶλλον δὲ οὐδὲ τὸν σύμπαντα κόσμον. Post hæc & illud addiscatur documentum tota vita profuturum. Quod autem illud est? Homines quidem, quando bella gerunt, auxilia sibi asciscere potentissima, quæ ipsorum infirmitatem suppleant, Deum autem, supremam & maximam potestatem, nullius indigentem opera, quandocunque velit, tanquam instrumenta quædam adhibere ad exigenda supplicia, non validissima & maxima eligere, horum robur, minime curantem, sed vilibus & parvis copias inexpugnabiles & invictas instruere, perque eas eos, qui lædunt, plectere, ut nunc. Quid enim vilius sciniphe? At tantum valuit, ut tota Ægyptus animum abjecerit & coacta fuerit exclamare,* Digitus Dei hoc est. *Manum enim Dei neque universum orbem terrarum, ab extremo ad extremum imò nec universum mundum posse ferre.* Recte locutus est, nisi quod male Digitum Dei manui ejus putet ex adverso tacitè opponi. Digitus enim simpliciter vim virtutemque Dei notat nec Ægyptii comparationem majoris minorisque Dei pressuræ aut exercitii virium hic instituunt. Nihil quicquam motus fuit Pharao hujus pestis malo, ideò scriptura quasi digito ejus pertinaciam notat. Josephus igitur hic aliud egit, qui narrat eousque motum fuisse Pharaonem, ut ire concesserit, at mox cessante malo, viris solis ire permissis, liberos & uxores obsides voluerit retinere. *Ἐξ ἡμίσους ἠναγκάζετο συγχωρεῖν· τέκνα καὶ γυναῖκας ὅμηρα τῆς ἀποστροφῆς αὐτῶν καταλιπεῖν αὐτοὺς ἠξίου.* Hac dimidiata concessione & circumscriptione Deum magis fuisse offensum tanquam ita agentis quasi Moses non Deus supplicio afficeret Ægyptios & ulcisceretur Hebræos. *Προσεξαρχειάσαι δὲ τὸν θεὸν νομίσας ἀπατήσειν αὐτοῦ τὴν πρόνοιαν ὥσπερ Μωϋσέως, ἀλλ' οὐκ ἐκείνου τιμωροῦντος τὴν Αἴγυπτον ὑπὲρ τῶν Ἑβραίων.* Similiter Josepho errat noster Sulpicius. Narrat enim regem malo ciniphum coactum, populo dedisse discedendi potestatem, modo ut Moses & Aaron superductam cladem averterent. Sed clade exempta, in se reversum esse. Aliud egerunt. Nam ciniphum plaga nihil quicquam operata est ad regis animum. Hanc cladem simpliciter contempsit: quamvis magi Dei virtutem faterentur.

De Quarta plaga Ægypti, quæ Hebraicè vocatur ערב.

DUricervicum hominem magis confusurus Deus plagam graviorem & in qua evidentius pateret ultioni Israëlitarum Deum incumbere, immittere parat. Præcipit Mosi ut Pharaoni ad fluentum mane crastini diei prodituro, obvium se faciat, eique Dei nomine denuntiet, populum suum ad se colendum dimitteret. Si neget facere excitaturum se colluviem animalium in ipsum

ipsum, famulos, populum, domos: ut agri ædesque repleantur. Facturum vero, ut in Gosen, ubi Israëlitæ incolerent, nihil tale conspiceretur: quia inter suum & Pharaonis populum discriminaturus esset. Regem mane exiturum ad flumen prævidebat Deus. Aben-esdras: *Consuetudo regum egredi mane ad flumen, quia videre aquas conducit oculis.* Cap. VII. v. 15. ante primam plagam etiam egrediebatur Pharao ad flumen. Lyranus varias causas ponit variasque expositiones, cur Pharao matutinis horis ad aquas egressus fuerit. Aliquos dicere causa spatiandi. Hebræos autem quod Idololatriæ causa sed diversimodè. Nam quidam coluisse Nilum, quia terram Ægypti sua irrigatione fecundabat; alii quia Aps maximum Ægyptiorum numen, aliquando ibi appareret specie tauri è flumine emergentis. Subjicit deinde: *Aliter autem potest dici, quod hoc erat causâ purgationis. Credebat enim forte, quod sicut aqua purgat feces corporales ita & mentales. Vnde & de filia Pharaonis dictum fuit, 2. cap. quod descendebat, ut lavaretur in flumine. Cujus causa potuit esse eadem. Ad hoc autem est argumentum: quia Saraceni, qui modo terram Ægypti inhabitant, talibus ablutionibus utuntur ad emundationem peccatorum. Et forte tenent hoc ex ritu antiquorum Ægyptiorum; sicut aliqui Christiani inclinant in ortu solis, se versus illam partem, retinentes in hoc modum paganorum, qui eos in eadem terra præcesserunt, quod dicit Leo papa.* Hanc Lyrani sententirm carpit Paulus Burgensis: *Quod Sacraceni ablutionibus utantur ex ritu antiquo Ægyptiorum, non videtur rationabiliter dictum. Tum quia à tempore, de quo hic agitur, usque ad Mahometum, qui sectam Saracenorum incepit, fluxerunt plus quam mille & septingenti anni. In quibus in Ægypto multa & varia dominia intervenerunt: sicut in aliis partibus mundi: ut puta Chaldæorum, Medorum, Græcorum, Romanorum & hujusmodi. In quibus verosimile est, quod non servabatur hujusmodi ritus, sicut nec in aliis nationibus. Tum, quia Saraceni, non solum habitantes in terra Ægypti, sed etiam citra mare mediterraneum, usque in partes orientales mundi ablutionibus hujusmodi utuntur. Fundamrntum autem eorum, in hujusmodi ablutionibus licet falsum & erroneum, aliud tamen est: Pro quo sciendum quod ipsi præcipiuntur à suo pseudopropheta, scil. Mahometo custodire legem, sed Mosaicam, & Evangelicam ut in suo Alchorano expressè continetur. Ipsi verò simulando observationem Mosaicæ legis, in qua præcipitur ut quilibet masculus circuncidatur, quod quidem præceptum est initium totius observantiæ legalis, circuncidunt se, erroneè tamen, quià non in octavâ die sicut Gen. XVII. & Lev. XII. cap. sed post lapsum cujuscunque temporis indifferenter. Simulando etiam observationem Euangelii, in quo primum sacramentum est baptismus, ipsi se baptizant seu abluunt, erronee tamen in multis, specialiter in hoc, quod baptismus ille falsus iteratur apud eos & frequentatur multoties ad libitum, in qua iteratione sequuntur multos alios errores suos, & specialiter duos: Vnus est quià non credunt mortem Christi, nos autem credentes quod una Christi mors unum baptismum consecravit, ut in gloss. ad Heb. VI.* baptismum non iteramus; *Illi verò, hanc mortem negantes baptismum frequentant. Secundus error eorum circa hoc est, quià non credunt originale peccatum esse, sed peccata actualia tantum, & quià ista scil. peccata actualia multotiens iterantur ipsi sua baptismata seu ablutiones frequentant: nos verò credentes quod per unius delictum omnes homines damnationem incurrerunt, ut patet ad Rom. v. contra quod delictum, scil. originale, principaliter fuit baptismus ordinatus, tantum unum baptisma profitemur. Et licet ista ad expositionem literæ non requirantur, interponuntur tamen hic ad instructionem fidelium, qui quandoque cum Saracenis de similibus disputant seu ratiocinantur. Vnde si eis imponeretur quod hujusmodi ablutiones haberent ex ritu Pharaonis & aliorum Ægyptiorum tanta antiquitatis, verteretur eis in derisum.*

M Vocem

Vocem הפליתי ita exponit Aben-esdras: *Quidam dicunt quod exciderit Aleph, at certum est quod sit è desinentibus in He*(מבעלי ההא) *Sensus est*. Separabo. *Et probabiliter*(מדרך הסברא)*tunc incepit Pharao alleviare se à cultu Israël, quando videbat quod distingueret Deus inter Israël & Ægyptios; metuit ipsis facere malum, quia necesse erat ipsi ut dimitteret eos ad immolandum ne mortalitate afficerentur. Nonne vides, quod nunc det ipsis potestatem immolandi in terra?* Pharaonis animus nullo respectu Dei motus, malo victus est. Quidam ita discriminatū esse putant inter Ægyptios & Israëlitas, ut si Israëlitæ intra fines Ægypti reliquæ invenirentur, non infestarentur tamen ab hoc genere. Ideoque in verbis versus vicesimi secundi esse טעם/ הכפל ut est in Michlol Jophi, *Sensum geminatum*. Nam etiam Ægyptii, qui in terra Gosen erant affligebantur. Augustinus putat separationem hic expressam extendi ad omnes plagas. Quod non video, qui dici possit. Cur enim huic plagæ peculiariter adscriberetur, quod commune esset? Aliquid mali propter vicinum malum, in superioribus plagis; quamvis Dei medica manus suis adfuerit. Deus se ait ostensurum, quod ipse *esset in medio terræ*. Id interpretatur idem: *Per modum similitudinis (ἀνθρωποπαθῶς) Quia, mos regum est, ut consistant in medio regni, ut propinqui sint finibus. Quemadmodum creavit Deus cor hominis, quoniam imperat toti corpori, in medio. Et Spiritus hominis est in medio corporis, sicuti scriptum est* [Zachar. 12. 1.] Qui spiritum hominis format in medio ipsius, *Ad hoc sunt multa rationes è natura, Ideo scriptum est* (Ps. 50. 5.) E Sion summa pulchritudinis illuxit Deus: *quia est in medio orbis habitabilis & regnum Dei conspicitur in orbe habitabili.* Quasi & hodie dici possit in Sione Deum conspiciendum se exhibere, id est in terrestri Hierusalem: quia certum est & quandoque apparet Dei regnum & gubernatio in terris? Quemadmodum Græci Delphos, ita Judæi Hierosolymam umbilicum orbis esse finxerunt. Rasi aliique ita accipiunt: Quamvis mea שכינה in cælo sit, decrevi ut consistat in inferioribus. Quia hæc in medio universi. Sequenti Die Moses ut jussus erat, Pharaonem allocutus est, cumque parere recusaret, Deus implevit minarum suarum veritatem. Aben-esdras: ותבוא מכה מעצמו. Non est hic Deus usus indicio seu opera Aaronis aut Mosis virga percutientium aut eam extendentium. E tribus plagis quas Deus (notante Philone) sine ministerio Mosis & Aaronis inflixit, fuit hæc prima, quam ordine quartam numeramus, duæ cæteræ sunt interitus pecudum & primogenitorum. Plagam hanc quartam textus vocat ערוב/ quam Josephus & Rasi cum Hebræis vulgò interpretantur, variarum ferarum incursum. Josephus: *θηρίων γὰρ παντοίων ϗ πολυτρόπων, ὧν εἰς ὄψιν ὐδεὶς ἀπηντήκει, πεπλήρου τὴν χώραν ἐγέμισεν. ὑφ᾽ ὧν συνέβη ἀπόλλυσθαι καὶ ἡ γῆ τῆς ἐπιμελείας τῆς παρὰ τῶν γεωργῶν ἀπεστέρητο. εἰ δέ τι ϗ διέφυγεν τὴν ὑπ᾽ ἐκείνοις ἀπώλειαν, νόσῳ τοῦτο καὶ τῶν ἀνθρώπων ὑπομενόντων ἐδαπανᾶτο. Primum enim bestiis omnis generis & multiformibus, quas nemo vidisset, regionem implevit: à quibus & ipsi interibant incolæ & terra cura agricolarum destituebatur. Si quid autem hominum perferentium effugeret exitium ab illis, morbo illud, absumebatur.* Sic videtur reddendum esse. Ut non significet morbum, à feris aliud malum, incubuisse Ægypto. Rasi: *Omnes species malarum bestiarum & serpentes & scorpiones mixtim, quæ ipsis exitium inferebant.* Medras R. Thanchuma: *Cur* ערוב? *Quia Ægyptii dixerunt Israëli, Agite, inducite nobis ursos & leones, ut ab illis affligamur: ideo induxit Deus benedictus ipsis bestias confusas. Unde dicitur*: Et venit mixtura gravis. *Verba sunt R. Iuda. R. Nehemias dixit: Species crabronum & muscarum: Placent verba R. Iuda. De ranis scriptum est:* Collegerunt eas acervatim: *at de* ערוב *scriptum est:* Et fecit Deus secundum verbum Mosis & removit הערוב. *Ranarum, alia ratio est. Nam de ranis scriptum est,* Mortuæ sunt & fœtere fecerunt

cerunt

cerunt Ægyptum: *de mixtura illa*, non eſt de illis relictus unus. *Quodſi fuiſſent muſcæ & crabrones, mortui fuiſſent & fætore repleſſent Ægyptum. Et mixtura gravis venit in domum Pharaonis primò, quia ipſe autor fuit conſilii mali adverſus Iſraëlitas. Quod d.* Et præcepit Pharao toti populo ſuo: *Et poſtea etiam in terra Ægypti*, Corrupta eſt terra &c. *Cur ita factum eſt? Quia poſuerunt Iſraëlem paſtores boum & paſtores ovium & paſtores camelorum in montibus & vallibus & ſolitudinibus, ut ne fatiſicarent. Dicebat Deus Ego inducam vobis paſtorem pulchrum:* Q. D. [Exod. 9. 3.] Ecce manus Domini erit &c. Sic omnia ſuis fabulis contaminant Judæi. Græci interpretes appellant *κυνόμυιαν*. Ita Patres & Philo. Latinus reddidit *Omnè genus muſcarum*. Refert enim Philo id genus muſcæ eſſe *ζῶον τῶν ἐν τῇ φύσει πάντων θρασύτατον*, *audaciſſimum animalium, quæ in rerum natura ſunt.* *ἣν ἐτύμως ἐκάλεσαν οἱ θετικοὶ τῶν ὀνομάτων (σοφοὶ γὰρ ἦσαν) ἐκ τῶν ἀναιδεστάτων ζώων συνθέντες τοὔνομα, μυίας καὶ κυνός, τοῦ μὲν τῶν χερσαίων θρασυτάτου, τῆς δὲ τῶν πτηνῶν. Ἐπιφοιτῶσι γὰρ καὶ ἐπιτρέχουσιν ἀδεῶς, κἂν ἀνείργῃ τις, εἰς τὸ ἄπληστον ἀντιφιλονεικοῦσιν, ἄχρις ἂν αἵματος καὶ σαρκῶν κορεσθῶσιν, Ἡ δὲ κυνόμυια, τὴν ἀφ' ἑκατέρου τόλμαν προσειληφυῖα δηκτικὸν καὶ ἐπίβουλον ζῶόν ἐστι. Καὶ γὰρ πόῤῥωθεν μετὰ ῥοίζου καθάπερ βέλος εἰσακοντίζεται, καὶ ἐμπεσοῦσα βιαίως, ὅτι μάλα ἐγχρίμπτεται. Τότε δὲ καὶ θεήλατος ἦν ἡ προσβολὴ, ὡς διπλασιασθῆναι τὴν ἐξ αὐτῆς ἐπιβουλὴν, οὐκέτι μόνον τοῖς φυσικοῖς κεχρημένης πλεονεκτήμασιν, ἀλλὰ καὶ (ταῖς) ἐκ τῆς θείας ἐπιφροσύνης, ἣ τὸ ζῶον ὥπλιζε καὶ πρὸς ἀλκὴν ἀνήγειρε κατὰ τῶν ἐγχωρίων.* *Quam, qui nomina rebus poſuerunt, vere appellarunt (ſapientes enim erant) compoſito nomine ex impudentiſſimis animalibus, cane & muſca: illo quidem inter terreſtria, hac inter volantia. Invadunt enim & incurrunt ſine metu, & ſi quis prohibeat, non cedunt pervicacia, donec ſatientur ſanguine & carnibus. Cynomyia autem particeps amborum audaciæ, mordax & inſidioſum animal eſt. Nam è longinquo cum ſtridore inſtar ſagittæ ſeſe injicit, cumque violentia ubi incidit, valide infigitur. Tunc autem & divinitus erat immiſſus impetus, ut duplicata eſſet ejus invaſio, non ſolum utentis naturalibus viribus, ſed & illis quæ erant è Divina molitione; quæ armabat animal & incitabat ad robur adverſus indigenas.* Lyranus: *Omne genus muſcarum, quarum aliæ habebant aculeos venenoſos. Dicunt Hebræi & Ioſephus, quod per iſtam commixtionem non intelligitur multitudo muſcarum ſed multitudo animalium diverſorum generum, quæ erant terribilia aſpectu & nociva morſu: ita quod homines & animalia interficiebant. Et ſecundum hoc iſta plaga fuit ex elemento terræ, quia talia animalia de cavernis terræ exibant. Secundum primam expoſitionem fuit ex elemento aëris ex cujus corruptione generantur muſcæ diverſi generis. Et reſpondet iſta plaga ex multitudine diverſarum muſcarum, vel diverſorum animalium culpæ Ægyptiorum, qui afflixerant Hebræos in multis modis ſervitiorum vilium: quia non ſolum afflixerunt eos in lateribus ſed etiam in immunditiis extra villas deportandis & in foſſatis faciendis circa villas, ne fluvius inundans ſubintraret & ut eſſent fortiores contra adverſarios invadentes.* Dionyſius Carthuſianus: *Duæ hæ plagæ, quibus afficiebantur Ægyptii ab iſtis cyniphum & diverſarum muſcarum punctionibus, inquietudinibus, tædioſiſque ſonis, correſpondent impietatibus Ægyptiorum, quas exercuerunt in Hebræos, impellendo, trudendo, pungendo & cum cachinno ſubſannando eoſdem.* Non malè. Syrus in bibliis Anglicanis vertit ערובא: quod, neſcio cur, vertêre cyniphem. Scribitur autem ܥܪܘܒܐ ܕܟܠ ܓܢܣ *Aruba miſtio omnis generis.* Arabs in eiſdem bibliis habet بلط الوحوش *colluvies ferarum ſeu animalium ſylveſtrium.* Poſtea 24. وحش كثير *belluamulta.* Eodem modo Arabs Erpenianus. Ut credamus muſcarum crabronum ſimiliumque inſectorum volatilium colluviem fuiſſe perſuadet

ſuadet hoc, quod non legamus laniatos eſſe homines,) id quod ſcriptura expreſſiſſet, ut miſeriam intelligeret lector) quodque ablata iſta colluvies ita eſſe dicatur, ſc. vento Dei, ut nullum animalculum reliquum fuerit.

Hoc malo concuſſus Pharao, vocato Moſe & Aarone, conditionem fert, ut immolent in Ægypto. Eam conditionem Moſes non acceptat. Periculoſum enim eſſe, nec poſſe fieri ut Ægyptiis indignantibus non lapidarentur: quia eorum viderent abominationes ab Iſraëlitis immolari. Abominationem Ægyptiorum dicit animal, quod ſacrum erat & pro numine colebatur: ita *Milchom* dicitur תֹּעֲבַת בְּנֵי עַמּוֹן Apud Aben-eſdram obſervat R. Jeſua, à Moſe ita ſcriptum & in literas relatum eſſe לגנות ע״ז / cæterum coram rege non aliter appellaſſe quam Deum Ægyptiorum. At quæ ratio, ut non ſentiamus ita locutum eſſe, ut narrat? Moſes enim Dei præſidio tutus fidensque cum deteſtatione locutus eſt de idolo. Cl. Rivetus etiam exiſtimat non eſſe conſentaneum ut Moſes ſine neceſſitate ſacra eorum diceret abominanda: Itaque ſibi videri ſenſum activum vocis תּוֹעֵבָה commodiorem eſſe, quem eſt ſecutus Cajetanus: ut abominatio Ægyptiorum dicatur, id quod Ægyptii abominarentur. Quærit etiam unde ſcire potuerit Moſes nondum de ea re habens præceptum, quod Deus animalis genus in ſacrificia eſſet electurus? Reſpondet, noviſſe diſcrimen mundorum & immundorum animalium: nec dubitaſſe, quin holocauſtum accipiendum eſſet ex alterutra ſpecie vel majorum pecorum vel minorum. Nos diximus ſupra in principio ſecundæ ætatis Noë immolaſſe de omni ſpecie purorum animalium, quæ lex deinde pro ſacrificiis circumſcripſit. Nondum lex erat: at fortaſſis Deus poſt Noë limitaverit. Quodſi dicamus penè nullum genus purorum animalium fuiſſe, quod apud Ægyptios ſacrum non eſſet. Narrat Aben-eſdras eundem dicere, quod Ægyptiorum Deus fuerit ſub forma arietis: quia locabantur ſub ſigno arietis: cum is in eorum terram imperium teneret. Ideo non ediſſe carnem ejus. *Si ita*, inquit Aben-eſdras, *cur non veſcebantur carne bubula aut hœdina? Secundum opinionem meam, quoniam viri Ægypti tempore Moſis tenuerunt ſententiam virrum Lindiæ, qui ſunt dimidium mundi, atque illi omnes ſunt filii Cham. Illi non edunt carnem uſque hodie, prætereà nec ſanguinem nec lac, nec piſcem, nec ova; nec univerſum quod egreditur è vivo. Illi abominantur eum, qui illis veſcitur eſtque opus aſpernabile in oculis eorum paſcere oves: Et ſic ſcriptum eſt* abominationem eſſe Ægyptiorum omnem paſtorem ovium. *Vſque hodie non ſinunt eſſe in terra ſua hominem, qui veſcatur carne & ſi unus de illis veniat in terram peregrinam, fugit ex omni loco, in quo editur caro: neque edit ullam rem, quam attigerit carniphagus: & vaſa ejus immunda habentur ipſis. Et ſic ſcriptum*: Non poſſunt Ægyptii edere cum Hebræis panem. *Ecce Ioſeph, quandiu fuit in ædibus Potifar, omnium poteſtatem habebat præterquam panis, quem ipſe edebat. Nam non attingebat eum, quia erat Hebræus. Nec ratio eſt quærendi, ſi ita, Cur fuit ipſis pecus? Quia ſic mos eſt viris Lindiæ. Nam agni, aſini, Cameli ad onus & inequitandum: & boves ad arandum: & oves ad lanam.* Poſcit Moſes iter in ſolitudine, ut illic à Deo ſuo audirent, quid vellet fieri. In hoc veniam dat, tantum, ut ne ulterius abirent & ut pro ſe deprecarentur. Moſes ſpondet ſe deprecaturum, ut in craſtinum ea peſtis ceſſaret. Serioque monet regem, uti ne fraudulenter ageret. Textus dicit, Nec unum reliquum fuiſſe. Raſi: *Non fuerunt mortua, ut ranæ: quod ſi mortuæ* (feræ) והיה להם הנאה בעורות / *utilitatem ceperunt è pellibus.* Joſeph, ut notavimus, in ſuperiori diattiba, dixit plagam tertiam eouſque adegiſſe Pharaonem, ut concederet viros ire, relictis pueris & mulieribus in obſides, ita hic narrat conceſſiſſe ut mulieres cum viris irent, relictis pueris.

Ego

Ego divinare non possum, quid Josephum in tantam aberrationem à narratione sacri textus abduxerit: nisi hic memoriæ confisus Mosen neglexit consulere.

Notant interpretes Mosen metuisse lapidationem ab Ægyptiis, sacra animalia si forte mactarent Israëlitæ: unde observant ab antiquo illis gentibus lapidationem fuisse pænam ἀσεβείας. Ab Hebræis id didicisse Ægyptios non est verisimile mihi. An in Ægypto Hebræi Deo nunquam immolaverint quæras? Si unquam immolarunt, abstinuerunt illis animalibus, quæ Ægyptii pro sacris habuerunt. At vix ullum est animalis genus puri, quod Ægyptii non consecraverant. Nec dicas ita non fuisse primis temporibus, cum Josephus in vivis esset. Nam abominationi illis fuisse pastores ovium legimus; antequam Israël in AEgyptum descenderet. Deinde pastores quid sacrificarent nisi de suo grege: ut de suo communicarent Deo? Lyranus dicit AEgyptios Apin in specie tauri, Jovem in specie arietis coluisse, qualia animalia ab Hebræis immolanda essent. Sane non potuerunt alia animalia immolare, quam quæ in usu & fructu haberent.

De Quinta plaga Ægypti, quæ fuit pecorum mortalitas.

CAP. IX.

IN hoc capite Exodi tres sequentes plagæ. Quinta à v. 1. ad v. 7. Sexta 8--12. Septima in reliquis. Pharaoni ad ingenium reverso negantique populo, quam promiserat, exeundi veniam, minatus Deus est interitum pecudum & jumentorum: quorum species recensentur: Equorum, asinorum, camelorum, boum & minorum pecudum. Iterum discriminatio inter Israëlitas & AEgyptios facta est. Dies, quo id fieret indicatus pridie à Mose regi: qui cum illam cladem AEgyptus pateretur, misit exploratum de pecore Israëlitarum. Deprehensumque est, nullum interiisse.

Hæc plaga etiam facta est sine ministerio Mosis & Aaronis ἄνευ συμπράξεως ἀνθρωπίνης, ut loquitur Philo. Josephus eam præteriit, non commemoravit. Pestis erat, qua correptæ emoriebantur pecudes. Philo eam ita describit: Βουκόλια γὰρ καὶ αἰπόλια καὶ ποίμνια μεγάλα καὶ ὅσαι ὑποζυγίων καὶ ἄλλων θρεμμάτων ἰδίαι, πᾶσαι, μιᾷ ἡμέρᾳ, ὡς ἀφ' ἑνὸς συνθήματος ἀγεληδὸν διεφθείροντο. Textus dicit: *Manus Dei erat super pecudes vestras, quæ in agris sunt.* Hic Lyranus: *Ex quo patet, quod illa pestis fuit solum super animalia: quæ erant in campis. Qualiter autem fuerit illa pestis in textu non exprimitur, nec Josephus de hac peste loquitur. Et ideo dicit Andreas, quod fuit ex voluntate Divina, non per corruptionem aeris. Alii autem dicunt, quod fuit ex corruptione aëris divinitus causata, cadente super pascua: & ideo animalia pascentia corrupta sunt. Et secundum hoc pestis dicitur à pastu.* Notandum, quod rex in hac plaga miserit exploratum de Israelitis, cum non legatur misisse in superiori plaga, quamvis & illic Deus ejusmodi discriminationem indicasset. Lyranus dicit: *Dicendum quod non poterat* (in plagis superioribus) *quia in plaga præcedenti immediatè, nuntii non poterant ire propter muscas, quæ erant in itinere; vel propter animalia, quæ erant horribilia secundum aliam opinionem. Similiter dicendum de cyniphibus & ranis.* Burgensis aliam causam à quibusdam Hebræorum assignari dicit magis literæ consonam: *Quia sc. mirabilius erat, quod ex animalibus Ægyptiorum, quæ in eisdem campis pascebantur, morerentur illa, quæ erant Ægyptiorum, non autem quæ erant Hebræorum.* Terram Gessen quidem immunem fuisse in superiori plaga, ut textus exprimit; at hic dici: *Mortua sunt animalia Ægyptiorum, & de animalibus filiorum Israël nihil*

hil omnino periit: ſcilicet ubicùnque eſſent etiam in terra AEgyptiorum, quod mirabilius & dignius inquiſitione. In duabus primis plagis non curaſſe Pharaonem, quid fieret in terra Goſen & apud Iſraëlitas, quia magi ſimilia fecere. In tertia non legi diſtinctionem fuiſſe. Putat igitur ranas & ſanguinem non fuiſſe in Goſen, quia diſerta eſt comminatio in AEgyptios. At in tota AEgypto tamen fuiſſe dicuntur. In aditu Moſis ad regem non fit hic mentio, ut ſuperius, egreſſus regis ad flumen, ideò putat Aben-eſdras, Moſen ad regem in palatium ſe contuliſſe. Narrat è R. Juda Levita diſtributionem plagarum, ſecundum elementa & orbes: *Duæ plagæ fuerunt in aquis, una qua aquæ in ſanguinem rubuerunt, piſceſque interiere, altera, qua aſcenderunt ex illis ranæ. Duæ in terrâ, una è pediculis, altera ex Arob, quæ fuerunt animantes confuſaneæ: ſcriptumque eſt*, Edat terra animal vivum. *Duæ in aëre. Quia peſtis non eſt niſi calor aut frigus præter morem & uno momento moriuntur innumerabiles; quoniam ſpiritus omnium viventium, qui in corde, ſuſpenditur ab aëre. Secunda plaga ulcerum, quia ſcriptura appellat firmamentum, quod ſuprà caput eorum eſt cælum. Septima plaga mixta fuit ex orbe procellarum & orbe ignis. Et ſic ſcriptum:* Ignis interceptus in medio grandinis. *Octava plaga fuit locuſta, quæ venit à longinquo, mediante vento. Nona plaga fuit admirabilis: quia defuit lux duorum luminarium è terra AEgypti: Decima fuit deſcenſus ἐξολοθρευτοῦ ex orbibus gloriæ ad occidendum primogenita.* Philo mirè hallucinatur, qui hanc plagam peſtilentiæ pecorum penultimam fuiſſe putat: quaſi illam ab ipſo excogitatam ſeu obſervatam plagarum digeſtionem Deus ſecutus ſit in ipſa inflictione. Ille enim plagas, ut ſupra intelleximus digeſſit: in eventu & temporis ordine hanc ponit conſequentiam.

1	Sanguis,	Ex elementis craſſioribus, terra & aqua, Aaroni commiſſa.
2	Ranæ,	
3	Scripes.	
4	Grando	Ex igne & aëre per Moſen.
5	Locuſtæ	
6	Caligo.	
7	Ulcera, Per Moſen & Aaronem ſimul.	
8	Cynomyia,	à Deo immediate.
9	Interitus pecudum,	
10	Primogenitorum cædes	

Atqui Moſis ſcriptura in hiſtoriæ ſerie ita collocat, ut habent vulgati verſus:

Prima rubens unda, ranarum plaga ſecunda:
Inde culex triſtis, poſt muſca nocentior iſtis:
Quinta pecus ſtravit, veſicas ſexta creavit:
Poſtque ſubit grando, poſt bruchus dente nefando:
Nona tegit ſolem, primam necat ultima prolem.

Ulcerum plagam ſeptimam facit, quæ ſexta eſt: Cynomyiam octavam, quæ quarta eſt &c. Pecorum interitum nonam, quæ quinta eſt. Ita connectit pecudum interitum cum peſte primogenitorum. Nempe in mortalitate ſolet præire pecudum interitus. *Λέγεται προάγγελον εἶναι λοιμικῶν ἀῤῥωστημάτων ἡ ζώων ἀλόγων αἰφνίδιος φθορά.* Joſephus Scripturæ ordinem ſecutus eſt tenetque ſed (ut diximus) quintam præteriit indictam. Nugantur Hebræi Moſen, cum reri præ-

gi prædiceret diem eventuræ cladis, lineam in pariete fecisse, cum dicto: Crastino die, cum sol attinget lineam istam, fiet plaga ista. Idque factum esse ad ostendendum certitudinem Divinæ providentiæ. Sic Lyranus. Qui etiam dicit hanc plagam analogam fuisse culpæ AEgyptiorum, qui afflixerant Hebræos & non solum in corporibus ipsis sed & animalibus per gravium onerum bajulationem. Chronicon Alexandrinum vult hanc pecorum cladem (*θάνατον πάντων τῶν τετραπόδων*) evenisse AEgyptiis, *διὰ τὴν πρὸς αὐτὰ ποιήσιν.*

De sexta plaga, quæ fuit ulcerum.

QUinta plaga nihil movit Pharaonem, ut tertia, quamvis missis nuntiis explorasset, pecora Israëlitarum Divinitus fuisse defensa & tuta. In sexta non legitur admonitionem ad Pharaonem præmissam esse. Mandatum est Aaroni & Mosi ut pugnos impleant cinere è fornace. Uterque igitur pugnum implere debuit & foras efferre. In Hebræo est פיח כבשן. Rasi: *Res flatu excitata è prunis obtectis, combustis in fornace. Vernacule* ulbas. פיח notatione הפחה flatus, quia ventus efflat & erumpere facit. Cinerem igitur sive favillam nondum penitus exstinctam jubentur tollere è camino. Proinde indicatum ignis modo ulcera ista ruborem & inflammationem datura esse. *Respondet hac plaga,* ut Lyranus dicit, *culpa Ægyptiorum, qui afflixerant Hebraos in decoctione laterum in igne fornacis.* Quamvis uterque jussus sit favillam sumere pugnis, sive quantitate pugilli, מלא חפניכם tamen Moses solus præceptum accipit, ut spargat eam cælo coram Pharaone. Rasi iterum: *Quicquid sparsum est in virtute, tantum una manu sparsum est. Ecce signa multa. Vnum, quia comprehendit pugillus Mosis, implementum pugnorum, quod ipse habuit & quod Aaron. Secundum, quod misit pulverem super totam terram Ægypti.* Quasi sit necesse uno jactu sparsum esse. Lyranus ideo à Mose sparsum esse dicit, quia versus cælum spargi debuit. Aaronem enim ordinatum esse in his, quæ ad populum pertinebant, Mosen in illis, quæ ad Deum. Textus dicit *Eritque pulvis super totam terram Ægypti.* Multiplicati igitur illi duo pugilli, ut pulverulenta nube universam Ægyptum inundaverint. Moses sua vi non potuit ita ejaculari, ideò alii ventum alii angelorum operam volunt intervenisse. Judæi valde prædicant manus Mosaicæ vim. *Nam si homo* (inquit autor Ilammedenu) *insigniter* (ולפי מעלוז) *ejaculetur sagittam non ibit ad centum cubitos.* Deinde *Si* homo cabum pulveris spargat, non ibit ultra quatuor cubitos: at Moses sustulit pugillum & sparsit *eum per totam terram AEgypti* שהיתה ת' פרסה על ת' פרסה *quæ erat quadrigentarum parasangarum supra quadringentas parasangas.* Longam & Latam fuisse tot parasangas dicit. Pulvis iste ardens attingens homines pecudesque effecit illic maligna ulcera, aut tantum signum & indicium fuit progerminantium exanthematum. Textus dicit: *Et erit super hominem & jumentum, in ulcus* (לשחין) *erumpens in pustulas in tota terra AEgypti.* Dira ista ulcera in pecoribus fuerunt & hominibus. Quæritur, Si omnia Ægyptiorum pecora peste interierunt, ut dicitur v. 6. unde pecus, in quo ulcera fuerunt? Rasi. לא נגזרה גזרה אלא על אותן שבשדות *Decretum hoc tantum decretum fuit super illis, qua erant in agris.* Nam v. 3. ita determinatur. Notat etiam qui metuentes Dei erant, hujus verbi timore, pecora stabulis tenuisse. Et sic tradi in Mechiltha. Legitur posteà percussa esse pecora & tamen Pharao in persecutione habuit sexcentos currus selectos, quibus assecutus est Israëlitas ad mare Rubrum.

Homines affecit ulceribus Deus. Intactum fuisse Pharaonem videtur signi-

significari, quia non exprimitur. Salianus: *Credibile est ipsum quoque regem, qui unus maxime in culpa erat, his quoque ulceribus afflictum fuisse: sed cum molliter sederet in throno, tacitum dissimulasse apparet, ideoque Mosen rem tacitam prateriisse. Cajetanus tamen scribit Deum nulla plaga Pharaonis personam lesisse, nisi quando eum submersit in mari, sed tantum cor ejus affecisse tristitia. Non assentior autem Abulensi, ex quo Pererius, fuisse hasce vesicas turgentes aqueas, ex attactu scilicet igniti pulveris, quales enascuntur in manibus igneo calore afflatis. Hujusmodi enim vesica nec admodum molesta sunt, nec in ulcera convertuntur sed facile exsiccantur. At ista quam molesta essent, etiam coram rege Magi dissimulare nequiverunt. Voluisse tamen credere par est, ne vel inurbani coram rege vel testes potentia adversarii sui fierent.* Exprimit Scriptura, *magos non* potuisse *consistere coram Mose, quia in ipsis essent ulcera & omnibus Ægyptiis.* Aben-esdras: *Oportet ut magi non vapulaverint in plaga ranarum & Arob ob sapientiam suam. Quasiverunt modum è scientia Physica ut lenitionem haberent at nunc obbrutuerat eorum sapientia; ideo id commemorat. Quia autem hac plaga diu non stetit, non petiit Pharao ut deprecarentur. Et quia plaga prima constitit septem diebus, non discimus ex eo, per modum literalis sensus, quod sic steterit omnis plaga, maxime, quia aliud scriptura consequens habet. Et notum, quod plaga pestis fuerit hora una & plaga tenebrarum triduo. Ideò non possumus scire ullo modo, in quo mense venerit Moses & inceperint plaga tantum si esset Cabbala in manu sapientium nostrorum sanctorum eam admitteremus & audiremus.* De magis Rupertus: *Ecce tertiò victi sunt, unde & deinceps nulla fit mentio maleficorum: periit enim memoria eorum. Primò virgis suis non sine confusione exarmati sunt; quia virga Aaronis devoravit virgas eorum. Secundò confusi, quia non potuerunt sciniphes educere, dixerunt: Digitus Dei hic est. Hoc jam tertiò superati sunt, ne possent spe ullius victoria respirare. Vlcerosi quippe & ipsi, nec jam poterant stare coram Mose. De simili confusione certi sunt, quicunque resistunt veritati.* Salianus ad hæc: *Verum quarto etiam & sapius ignominiose confusos, ex supra dictis apparet: quando aut Pharaonis aut aliorum rogatu, populi plagam nec impedire, nec minuere neque terminare unquam potuerunt.* Neque enim dubitandum videtur eos multis ad eam rem precibus fuisse vulgò fatigatos.

Josephus de plaga ulcerum: *ἀλλὰ γὰρ δεινῶς αὐτοῖς ἐξηλκοῦτο τὰ σώματα τῶν ἐντὸς διαφθειρομένων, καὶ τὸ πλὺ τῶν Αἰγυπτίων οὕτως ἀπώλλυτο. Caterum graviter ipsis exulcerabantur corpora, interioribus corruptis: Et magna pars Ægyptiorum ita interiit.* Non memorat scriptura è scabie, sive ulceribus quenquam interiisse. Philo accuratior: κελευσθέντες γὰρ τέφραν ἀπὸ καμίνου λαμβάνουσι ταῖς χερσὶν ἣν Μωϋσῆς κατὰ μέρος εἰς τὸν ἀέρα διέσπειρεν. Ἐπειδὴ κονιορτὸς αἰφνίδιον ἐπινεχθεὶς, ἀνθρώποις τε καὶ ἀλόγοις ζώοις ἀγρίαν καὶ δυσαλγῆ κατὰ τῆς δορᾶς ἁπάσης ἕλκωσιν εἰργάζετο, καὶ τὰ σώματα εὐθὺς συνῴδει ταῖς ἐξανθήσεσιν, ὑποπύους ἔχοντα φλυκταίνας, ἃς ἐτόπασεν ἄν τις ἀφανῶς ὑποκαιομένας ἀναζεῖν, Ἀλγηδόσι τε καὶ περιωδυνίαις κατὰ τὸ εἰκὸς ἐκ τῆς ἑλκώσεως καὶ φλογώσεως πιεζόμενοι, μᾶλλον ἢ οὐχ ἧττον τῶν σωμάτων τὰς ψυχὰς ἔκαμνον, ἐκτετρυχωμένοι ταῖς ἀνίαις. Ἐν γὰρ ἄν τις ἀπὸ κεφαλῆς ἄχρι ποδῶν συνεχὲς ἕλκος ἐθεάσατο, τῶν κατὰ μέλος καὶ μέρος ἐσπαρμένων, εἰς μίαν καὶ τὴν αὐτὴν ἰδέαν ἀποτελεσθέντων. ἕως πάλιν, ἱκεσίαις τοῦ νομοθέτου ἃς ὑπὲρ τῶν πασχόντων ἐποιήσατο, ἡ νόσος ῥᾴων ἐγένετο. κοινῇ μέντοι τὴν νουθεσίαν ταύτην ἐπετράπησαν δεόντως ὁ μὲν ἀδελφὸς, διὰ τὸν ἐπινεχθέντα κονιορτὸν, ἐπεὶ τῶν ἀπὸ γῆς συμβαινόντων τὴν ἐπιμέλειαν ἔλαχε, Μωϋσῆς δὲ διὰ τὸν ἀέρα μεταβαλόντα πρὸς κάκωσιν τῶν οἰκητόρων ταῖς δ' ἀπ' ἀέρος καὶ οὐρανοῦ πληγαῖς οὗτος ὑπηρέτει. *Dei jussu cinerem è camino manibus capiunt, quam solus Moses versus calum sparsit. Hinc pulvis continuò illatus, hominibus belluisque universa cute, feram & dolorificam efficit exulcerationem, corpora confe-*

stim

ſtim intumuerunt exanthematis, quæ purulentas habebant puſtulas, quas poſſes arbitrari ex aduſtione effervescere. Doloribusque & cruciatibus, ut par eſt, exulceratione & inflammatione preſſi, magis aut non minus animis quam corporibus laborabant, confecti mærore. Unum enim videres à capite ad pedes continuum ulcus, his quæ membratim ſparſa erant, in unum eundemque habitum excretis. Donec iterum ſupplicatione legiſlatoris, quam pro afflictis faciebat, morbus miteſceret. Communiter ipſis hæc caſtigatio commiſſa eſt idque convenienter, fratri quidem ob excitatum illatumque pulverem, cum eorum curam haberet, quæ è terra contingerent: Moſi autem ob aërem mutatum ad afflictionem habitatorum. Hic enim miniſtrabat plagis ab aëre & cælo. Quam fatuum eſt dicere, Aaroni terram, Moſi cælum commiſſum eſſe & hanc cauſam, cur ſimul hanc plagam admiſtraverint? Non intelligo, quid hic aër effecerit magis quam in percuſſione pulveris, unde pediculi orti ſunt. Auguſtinus notat tria ſigna facta fuiſſe virga, quam extenderit Aaron: In Cynomyia & peſte pecorum neutrum aliquid operatum eſſe manu. Hic juberi Moyſen ut favillam ſpargat cælo. *Tanquam Aaron* (inquit) *qui datus erat ad populum, terram percutere deberet vel in terram ſive aquam manum extendere: Moſes vero, de quo dictum eſt* (Eritque tibi in iis, quæ ad Deum) *in cælum jubetur favillam ſpargere. Quid duo illa ſuperiora ſigna, ubi nec Moyſes nec Aaron manu aliquid operantur? Quid ſibi vult iſta diverſitas? Neque enim nihil.* Judæi ideo hoc ſignum Moſi datum eſſe dicere poſſint quia pulverem jactare debuit uſque ad ſolium gloriæ. Plagam hanc graviſſimam fuiſſe oportet, quæ videtur locum dediſſe proverbio: quo ſcabiei ſive exulcerationis Ægyptiæ malignitas notata eſt. Nam Deuteron XXVIII. 27. minatur Deus ſi deflectant in devia, ſe ipſos puniturum בשחין מצרים *ulceribus Ægypti.* Raſi dicit ſcabiem illam Ægyptiam fuiſſe humidam intus, at extus aridam. Videtur exiſtimare, quod familiaris Ægypto morbus ſcabiei fuerit, ſive idem ſit quem hic Deus præter ordinem immiſit, ſive alius.

De Septima plaga Ægypti, quæ fuit grando.

INduratum cor Pharaonis gravioribus deinceps plagis debuit premi & tandem pro merito everti. Cum jam ſextam plagam aſpernaretur, Deus vocato Moſi præcipit ut craſtina die mane Pharaoni ſe objiciat & hunc ſermonem eloquatur:

v. 13. *Ita dicit Dominus, Deus Hebræorum: Dimitte populum meum, ut mihi cultum faciat.*

14. *Nam hac vice omnes meas plagas mittam ad cor tuum & in ſervis tuis & in populo tuo: ut ſcias non eſſe ſimilem mei in tota terra.*

15. *Nam nunc miſi manum meam, ut te & populum tuum percuterem peſtilentia: ut delereris è terra.*

16. *Et profecto ob hoc feci ſtare te, ut, oſtenderem tibi robur meum: utque memoretur nomen meum in tota terra.*

17. *Adhuc te effers contra populum meum, ut eos non dimittas?*

18. *Ecce pluo, ſecundum craſtinum hoc tempus grandinem valde gravem: cujus ſimilis non fuit in Ægypto, à die quo fundata eſt, uſque nunc.*

19. *Et nunc mitte, coge pecus tuum & quicquid tibi in agro eſt: omnis homo, jumentumque quod invenietur in agro nec colligetur intra ædes, deſcendet grando ſuper ea, ut moriantur.*

20. *Timens verbum Domini è ſervis Pharao, faciebat fugere ſervos ſuos & pecus ſuum ad domos.*

21. *Et qui non apponebat cor suum ad verbum Domini, etiam relinquebat servos & pecus suum in agro.*

Pharao non dicitur hic exiisse, cum ei Moses occurreret, ad aquas, אולי היה לי צורך אחר inquit Aben-esdras: *Fortassis ei fuit alia necessitas.* v. 14. *Omnes meas plagas.* Aben-esdras hanc septimam plagam ideò plurativo numero exprimi putat, quia junctim fuerunt tonitrua, grando, pluviæ, nec videmus quod in omnibus superioribus plagis ita expaverit Pharao, ut ex hac. Rasi notari vult plagam primogenitorum: *Discimus,* inquit, *hinc quod plaga primogenitorum æquivaleat omnibus plagis.* Cæterum illud, *Hac vice mittam omnes meas plagas,* possumus ita accipere: Pergam plagas usque ad plenitudinem effundere: & gravius te accipiam, quam quidem hactenus factum est. v. 15. Nam nunc mihi] Rasi: *Nam si voluissem, cum fuit manus mea in pecore tuo, quando percussi ea pestilentia, misissem eam & percussissem te & populum tuum cum bestiis.* Id placet hac textus expositione: *Nam nunc misissem manum meam, ut te populumque tuum perenterem illa pestilentia, qua interiit pecus tuum &c. At profectò &c.* Ex hoc ipso, quod te non percusserim populumque simul cum pecoribus, doceri potes, quid de te statuerim. Hac vice, id est, modo id patet, ex illo pestilentiæ modo. Hanc expositionem amplexi sunt eruditissimi interpretes. v. 18. Ecce *pluo*] Aben-esdras: *Notum est, quod usque hodie pluvia & grando in terra AEgypti non descendat. Cujus causam exponere non est necesse. Sic in locis aliis usque hodie: ideo timuerunt timore magno: quia non descendit illic nisi in similitudine roris.* Secundum crastini hoc tempus] *Rasi: Incidit ipsi incisionem in pariete: In crastinum, quando huc attigeris Sol, descendet grando.* Similem grandinem in Ægypto non fuisse dicit textus nec fore. Dei benignitas iræ & justitiæ exercitio conjuncta monet uti pecus intra stabula cogant & famulitium intra ædes vocent. Quidam paruerunt, fide non salvifica, sed illa historica & generali, ut Ninevitæ. Ubi timor non filialis sed servilis.

v. 22. *Dixit Deus ad Mosen, Extende manum tuam versus cœlum, ut sit grando in omni terra AEgypti, super hominem & jumentum & omne virgultum agri in terra AEgypti.*

v. 23. *Extendit Moses virgam suam cœlum versus: Deditque Dominus tonitrua & grandinem, ac ignis discurrebat versus terram: & Dominus pluebat grandinem super terram AEgypti.*

v. 24. *Factaque est grando & ignis interceptus grandine admodum magna: cujus similis non fuerat in tota terra AEgypti, à quo fuerat in gentem.*

v. 25. *Et percussit grando in tota terra AEgypti, quicquid erat in agro, ab homine ad jumentum: & omne virgultum agri percussit grando & omnem arborem agri fregit.*

v. 26. *Tantum in terra Gosen, ubi erant filii Israël, non erat grando.*

Lyranus: *In illa regione, quæ est versus austrum pauca pluvia & grandines fiunt & parvæ quantitatis: sed tunc fuit grando ita magna in multitudine & quantitate & major, sicut fieri solet in partibus borealibus.* Idem dicit tonitrua data esse, ad terrendum Ægyptios; grandinem ad consumendum terræ nascentia & etiam homines & animalia, quæ erant in agris; ignem sive fulmina, ad percutiendum ea, quæ grandinem evadebant. Sequitur apud ipsum: *Patet etiam ex hoc, quod ista plaga fuit ex tribus elementis. Scil. Aqua ratione grandinis, quæ est aqua congelata: aëre, ex commotione ejus vehementi, ratione tonitruis & igne ex fulgure discurrente. Correspondet etiam ista plaga, per quam terræ nascentia fuerunt contrita & in modum palearum redacta, culpæ AEgyptiorum, quæ Hebræos afflixerunt in palearum congregatione.* Jelammedenu dicit ideo percussas esse arbores, quoniam

niam Iſraëlitas adegerant, ut hortos & arbores ac paradiſos plantarent. Raſi dicit ſecundum Medras Aggada Deum exaltaſſe Moſen in illa extenſione virgæ ſupra cælum. Aben-eſdras monet per cæli vocem intelligi אויר *aërem:* ut in illo Geneſ. 1. 20. *Super* faciem expanſi cælorum. Idem notat non commemorare Moſen quod Pharao miſerit hic exploratum, quid evenerit in terra Goſen, ut videatur id non curaſſe. Dicemus potius, Non potuiſſe mitti ob infeſtum aëra: quia non quievit antequam Moſes Deum precibus leniiſſet.

v. 27. *Miſit Pharao & vocavit Moſen & Aaronem, dixitque ad ipſos. Ego hac vice peccavi: Dominus juſtus eſt, ego autem & populus meus improbi.*

v. 28. *Supplices orate Dominum (nam ſatis eſt) ut ne ſint ſoni Dei & grando: tum dimittam vos & non ultrà manebitis.*

v. 29. *Dixit verò ei Moſes, Quum egreſſus fuero ex urbe, expandam manus meas ad Dominum: tum tonitrua ceſſabunt & grando non erit amplius, ut experiaris Domini eſſe terram.*

30. *Tu autem & ſervi tui; novi, quod nondum timeatis à facie Domini Dei.*

Aben-eſdras putat metuiſſe regem ne peſte interiret qood ipſi Moſen minatum eſſe putat in v. 15. Vocem ורב omiſit Vulgata editio in v. 28. Eam exponit Raſi: *Sufficis illi eo, quod deſcendere jam fecit.* Aben-eſdræ obſervatio argutatur: *Memorat* (Pharao) שם תכבד *at dicit tonitrua Dei* [אלהים] *quemadmodum memini. Et quoniam non dixerat tonitrua Domini, conſocias Moſes nomen ſubſtantia & forma: dicitque* à facie Domini Dei. *Et ſignificat, quod Deus ille* (השם הוא) *ſit ſolus Deus. Nec invenies ſic in verbis Moſis, in tota lege. Non potes mihi opponere è dictione* [Deut. 3. 24.] יהוה אלהים אתה החלות. *Hoc enim ſcribitur per Alef Daleth.* Nuſquam Moſen Deum appellaſſe יהוה אלהים Obſervatio iſta de non conjungendis vocibus אלהים & יהוה non eſt bona. Nam ſæpe conjunguntur immediatè. At vult Moſen non conjungere, quando ſuis verbis ſuoque ſermone utitur. Cum Moſes hiſtoriam ſcribens narrat aliquid de Deo factum eſſe aut à Deo, eſtne idem ac ſi ipſe ad alium ſermone uteretur? Sic Gen. 3. 8. A facie Domini Dei Adam & uxor ejus ſe abſcondebant &c. In v. 29. Dicit Moſes ſe oraturum ad Deum, extenſis manibus (ut habebat mos) quam primum civitate exiiſſet. Putant Hebræi & ex ipſis Chriſtiani interpretes, Ideo intra mœnia & inter ædes noluiſſe Deum precari, quia urbs plena eſſet idolis. Effectus hujus plagæ in ſegete erat, ut ſubjicitur:

v. 31. *Linum autem & hordeum percuſſum erat, quia hordeo ſpica erat mutica & lino culmus.*

32. *Triticum autem & far non erant percuſſa, quia latentia erant.*

Hordeum jam germinabat ſpicam, השעורה אביב Raſi: *Iam habebat primitias viridium ſpicarum & ſtabat in ſtramine: quæ confracta ſunt & ceciderunt, ſic etiam linum grande jam erat & increverat ut conſiſteret in culmis ſuis.* Triticum autem & far אפילות. Raſi: מאוחרות (Quaſi Belgice diceres, Quamen achter naer) *& fuerant hactenus tenera nec potentia ſtare* (בפני קשה) *in culmo ſuo. Quod dictum eſt* Omne virgultum (עשב) agri percuſſit grando, *oportet ſtare literalem ſenſum ſcripturæ de herbis ſtantibus caule ſuo, quæ cæpiunt vapulare grandine. At medras R. Thanchuma eſt è magiſtris noſtris, qui diſſentiunt ſuper hoc. Commentantur quod miracula miraculorum facta fuerint illis, quod percuſſa non ſint.* Aben-eſdras putat ſignificare: *Quæ ſub caligine, ſine ſplendore ſunt: nempe, quæ adhuc ſub terra eſſent nec conſpicerentur.* Lyranus: *Ex prædictis patet, quod tria iſtam plagam evaſerunt: ſcilicet, illa quæ erant in domibus, quia in agris tantum fuit iſta peſtilentia, ut patet ex prædictis in textu. Item illa, quæ non erant primitiva, quæ non in tantum pro tunc creverant,*

quod renascentia esset inutilis. Item illa, quæ erant dura, ut lignea, quæ non fuerant fracta. Et eadem ratione illa, quæ non erant in tuellis: quia non resistebant grandini sed cedebant percussioni.

v. 33. *Itaque Moses à Pharaone egressus ex urbe, expandit manus suas ad Dominum: cessaveruntque tonitrua & grando & pluvia non est effusa in terram.*

34. *Pharao autem videns cessasse pluviam & grandinem & tonitrua, perrexit peccare: Aggravavit enim cor suum ipse & servi ejus.*

35. *Itaque obfirmatum fuit cor Pharaonis, nec dimisit filios Israël: quemadmodum prædixerat Dominus per Moysen.*

Hic exitus fuit cladis septimæ, quæ ad ingenium reverso rege, octavæ dedit principium: quomodo clades cladem peperit, donec pertinacia regem pessum dedit. Stragem illam arborum & segetis mense Februario contigisse probabiliter colligunt autores. Sed quia hæc clades damnum dedisse narratur hordeo & lino, illæsis farre & tritico, quæ nondum assurrexerant in culmum, quærit Salianus: *Quomodo præ lino & hordeo, triticum & far serotina erant, cum hæc jam adulta sint, quando illa seminari solent? Nam triticum ineunte autumno, hordeum veris initio mittuntur in terram.* Respondet: *An dicendum aliam esse Græcia & AEgypti rationem, ab hisce nostris regionibus?* Quo tempore, *ait Benjamin Iudæus in suo itinerario*, fluvius non exundat, nihil in Ægypto seritur, atque ex hoc sterilitas & fames consequitur. Seruntur agri Marchesuan mense, id est sub Septembrem, Nilo jam in alveum suum recepto: hordea vero metuntur mense Adar, id est, Februarii fine: triticum autem proximo post mense, hoc est Nisan, eodemque mense cerasa matura sunt & amygdala &c. *Sic ille. Plinius diserte scribit in Græcia & Asia omnia Vergiliarum occasu seri. Idem autem de AEgypto intellexisse argumento est, quod ibidem tradit hordeum in AEgypto, sexto à satu mense, frumenta septimo meti, illa scilicet Martio, hæc Aprili. Quodsi Martio seminaretur hordeum messis ejus ad Augustum pertineret: quod nemo dixerit, neque tum vigens Nili restagnatio id permitteret. Denique lib. 10. cap. 18. ait AEgyptios Novembri mense seminare, Majo messem peragere. Facta ergò semente hordei & tritici eodem tempore in AEgypto, nil mirum adolevisse jam hordeum, cum triticum nihil adhuc præter herbescentem haberet viriditatem. Quoniam vero Scriptura linum exæquat hordeo, de lino AEgyptio non acceperim: quod ait Plinius* (lib. 19. cap. 1.) *verè satum, æstate velli, sed multò ibi maturius seri velli que, præsertim cum Nilus ibi agros occupet à solstitio æstatis usque ad Autumni AEquinoctium, lib. & cap. 18.* Josephus admodum leviter & perfunctorie tantam describit calamitatem. Tantum narrat grandinem evenisse, insolitam alias cælo Ægypti & graviorem, quam soleat Septentrionalibus regionibus evenire. Eam verò fructus veris corrupisse, nihil scribit de hominum animaliumque interitu. Philo prolixè eam calamitatem depingit: Ἤρξατο δὲ τὸν ἀέρα διακινεῖν. Αἴγυπτος γὰρ μόνη σχεδόν τι παρὰ τὰς ἐν τῷ νοτίῳ κλίματι χώρας, τῶν ἐτησίων ὡρῶν μίαν τὴν χειμερινὴν οὐ παραδέχεται· Τάχα μὲν, ὡς λόγος, διὰ τὸ μὴ πόῤῥω ζώνης διακεκαυμένης εἶναι ῥέοντος τοῦ πυρώδους ἐκεῖθεν ἀφανοῦς καὶ τῶν κύκλῳ πάντα ἀλεάνοντος· Τάχα δ' ἐπεὶ καὶ ταῖς θεριναῖς τροπαῖς πλημμυρῶν ὁ ποταμὸς προαναλίσκει τὰς νεφώσεις. Ἄρχεται μὲν γὰρ ἐπιβαίνειν θέρους ἐνισταμένου, λήγει δὲ λήγοντος: ἐν ᾧ χρόνῳ καὶ οἱ ἐτησίαι καταῤῥάττουσιν ἐξ ἐναντίας τῶν τοῦ Νείλου στομάτων, δι' ὧν ἐπικωλυόμενος ἐκχεῖσθαι, τῆς θαλάσσης ὑπὸ βίας τῶν ἀνέμων αἰρομένης, καὶ τὰς τρικυμίας ὥσπερ μακρὸν τεῖχος ἀποτεινούσης, εἴσω εἰλεῖται· κἄπειτα τῶν ῥείθρων ὑπαντιαζόντων τούτῳ κατιόντι ἄνωθεν ἀπὸ τῶν πηγῶν, καὶ τοῦ θύραζε χωρεῖν ὀφείλοντος ταῖς ἀνακοπαῖς ἀνατρέχοντος, ἀμφοτέρωθεν μὴ δυναμένου· αἱ γὰρ περὶ ἑκάτερα ἐκθλίβουσιν ὄχθαι· μετεωριζόμενος, ὡς εἰκὸς, ἐπιβαίνει· Τάχα δ' ἐπεὶ καὶ περιττὸν ἦν ἐν Αἰγύπτῳ χειμῶνα

χειμῶνα γενέσθαι. πρὸς ὃ γὰρ αἱ τῶν ὄμβρων φοραὶ χρήσιμοι, καὶ ὁ ποταμὸς λιμνάζων τὰς ἀρούρας, εἰς καρπῶν ἐτησίων γένεσιν. Ἡ δὲ φύσις οὐ ματαιουργὸς ὡς ὑετὸν χορηγεῖν μὴ δεομένῃ γῇ, καὶ ἅμα χαίρει τῷ πολυτρόπῳ καὶ πολυειδεῖ τῶν ἐπιστημονικῶν ἔργων, τὴν συμφωνίαν τοῦ παντὸς ἐξ ἐναντιοτήτων ἐναρμοσαμένη. καὶ διὰ τοῦτο τοῖς μὲν ἄνωθεν ἐξ οὐρανοῦ, τοῖς δὲ κάτωθεν ἐκ πηγῶν τε καὶ ποταμῶν παρέχει τὴν ἐξ ὕδατος ὠφέλειαν. Οὕτως οὖν τῆς χώρας διακειμένης ἐαριζούσης τροπαῖς, καὶ τῶν μὲν πρὸς τῇ θαλάττῃ μόναις ψεκάσιν ἀραιαῖς λιπαινομένων, τῶν δὲ ὑπὲρ Μέμφιν, τὸ βασίλειον τῆς Αἰγύπτου μηδὲ νιφομένων τὸ παράπαν, ἐξαίφνης οὕτως ἐνεωτέρισεν ὁ ἀήρ, ὡς θ' ὅσα ἐν τοῖς δυσχειμέροις ἀθρόα κατασκῆψαι, φορὰς ὑετῶν, χάλαζαν πολλὴν καὶ βαθεῖαν, ἀνέμων συμπιπτόντων καὶ ἀντιπαλαιόντων βίας, νεφῶν ῥήξεις, ἐπαλλήλους ἀστραπὰς καὶ βροντάς, συνεχεῖς κεραυνούς, οἳ τερατωδεστάτην ὄψιν παρείχοντο. Θέοντες γὰρ διὰ τῆς χαλάζης, μαχομένης οὐσίας, οὔτε ἔτηκον αὐτὴν οὔτε ἐσβέννυντο, μένοντες δ' ἐν ὁμοίῳ καὶ δολιχεύοντες ἄνω τε κάτω διετήρουν τὴν χάλαζαν. Ἀλλ' οὐ μόνον ἡ ἐξαίσιος φορὰ πάντων τοὺς οἰκήτορας εἰς ὑπερβαλλούσας δυσθυμίας ἦγεν, ἀλλὰ καὶ τὸ τοῦ πράγματος ἄηθες. Ὑπέλαβον γὰρ ὅπερ καὶ ἦν, ἐκ μηνιμάτων θείων κεκαινουργῆσθαι τὰ σύμπαντα, νεωτερίσαντος, ὡς οὔπω πρότερον, τοῦ ἀέρος ἐπὶ λύμῃ καὶ φθορᾷ δένδρων τε καὶ καρπῶν, οἷς συνεφθάρη ζῷα οὐκ ὀλίγα, τὰ μὲν περιψύξεσι, τὰ δὲ βάρει τῆς ἐπιπεσούσης χαλάζης, ὥσπερ καταλευσθέντα, τὰ δὲ ὑπὸ τοῦ πυρὸς ἐξαναλωθέντα· ἔνια δ' ἡμίφλεκτα διέμεινε, τοὺς τύπους τῶν κεραυνίων τραυμάτων εἰς νουθεσίαν τῶν ὁρώντων ἐπιφερόμενα. *Incepit autem aërem movere. Nam Ægyptus penè sola, inter regiones in meridiano tractu sitas, ex anni temporibus unam hyemem non admittit vel quia (ut fertur) non longe abest à zona torrida, igne illinc manante occultè & omnia circum tepefaciente: vel quia æstivo tempore exundans fluvius præoccupat nubificationes. Incipit enim æstate ineunte, desinit finiente, quo tempore etiam Etesiæ irruunt ex adverso ostiorum Nili, per quæ porrò prohibitus effundi, mari vi ventorum in sublime elato & decumanos fluctus, tanquam longum murum, objiciente, intus volvitur. Atque hinc fluentis occurrentibus, tum his quæ superne descendunt à fontibus, tum illis, quæ exire deberent, recurrentibus ob repulsam: etiam cum se diffundere non possint (utrinque enim prohibent ripæ) in altum elatus, ut par est, inundat campos: vel quia etiam supervacaneum est in Ægypto hyemem esse. Nam ad quod conducunt imbrium proventus, etiam fluvius inundans arva, scilicet ad fructuum annuorum generationem. Natura autem non operatur in vanum, ut pluvias terræ non indigenti largiatur, simulque gaudet multiformi varietate artificiosorum* operum, *contentu universi è contrarietatibus temperato. Ideo aliis superne è cælo, aliis infernè è fontibus & fluminibus præbet aquarum commoda. Cum igitur ita se habeat regio, quæ vernat (*τροπαῖς*) circa brumam, cumque partes quidem maritimæ tantum tenuibus pluviis fecundentur, quæ autem supra Memphin, regiam Ægypti, sunt, nullo modo è nubibus irrigentur, subitò novam faciem aër sumpsit, ut hybernis regionibus consuetæ tempestates confertim ingruerent, impetus pluviarum, grando multa & crebra, ventorum unà incidentium & confligentium violentia, nubium fragores, prementia se fulgura & tonitrua, continua fulmina, quæ visum sui prodigiosissimum præbuerunt. Nam currentia per grandinem, adversam essentiam, eam neque liquefaciebant neque ipsa exstinguebantur, at consistentia in eodem & decurrentia sursum ac deorsum intactam relinquebant grandinem. Sed non solum immanis incitatio omnium incolas in vehementem animorum conturbationem egit sed & rei insolitum. Arbitrabantur enim, quod & erat, ex ira numinis omnia novari, novo modo se incitante aëre (ut nunquam antehac) in noxam & corruptionem arborum fructuumque, cum quibus una interibant animalia non pauca, alia perfrigeratione, alia pondere irruentis grandinis, tanquam lapidata, alia igne absumpta: quædam etiam ambusta in vivis remansere, vestigium fulmineorum vulnerum admonitioni viden-*

tium portantia. Philo, ut solet, admodum diserte & eleganter rem istam edisserit. Duo istius plagæ narrat horrorem incutientia Ægyptiis. Quorum primum quod Ægyptus non soleat imbribus è cælo rigari: eoque immunem esse à tempestatibus quæ aquam è cælo sive liquidam sive concretam terris inferunt. Ideo etiam desunt tonitrua & fulmina. Alterum quod illæ etiam tempestates horrendæ fuerint cælo asperiori. Discimus hinc non universam Ægyptum sed quæ supra & circà Memphim est, omnino carere pluviis, inferiorem tenuibus pluviis rigari. Vocabulum ἐπιφερόμενα significationis est potentioris, quam ut una voce possit reddi, notat: *Palam & quasi supra se ostentui ferentia.* Id rei convenit.

Octava plaga Ægypti, quæ fuit locustarum.

Cap. X. Genes.

Plaga octava narratur à v. 1. ad 20. Nona à v. 20. ad finem. Deus Mosi præcipit ut adeat Pharaonem, v. 1. 2. Moses & Aaron agunt cum Pharaone ejusque auliciis à v. 3. ad v. 12. Plaga inducitur v. 12. 13. 14. 15. Pharao pænitens impetrat ut removeatur 16. 17. 18. 19.

Dominus ita ad Mosen. Ingredere ad Pharaonem (nempe cum fratre individuo comite) Rationem dat, quia ejus cor induraverit & servorum ejus: ut sua signa in eo edat: quæ Moses & Israëlitæ ad posteros per manum tradere debeant: Unde sciant dominum esse Deum. Hæc hic repetuntur, quia tot plagæ illatæ, necdum tamen consummatus numerus aderat.

Ingressi sunt ad regem, non operiuntur ejus egressum ut prius: quia admonitio seria nec differendæ rei adferenda erat, post tot præmissas elusasque admonitiones & plagas. Dei igitur verbis loquuntur.

v. 3. *Sic dicit Dominus, Deus Hebræorum: quousque negas humiliari à facie mea? Dimitte populum meum, ut me colat.*

v. 4. *Quod si neges dimittere populum meum, En cras locustam finibus tuis inducam.*

v. 5. *Quæ teget faciem terræ, ut terra nequeat videri: & comedet residuum, quod evasit, quod relictum vobis est à grandine, & comedet omnem arborem, germinantem vobis ex agro.*

v. 6. *Implebuntque ædes tuas & ædes servorum tuorum & ædes omnium Ægyptiorum: quales non viderunt patres tui & patres patrum tuorum, à quo tempore fuerunt super terra, usque tempus hoc: Convertit se & egressus est à Pharaone.*

Deferunt ad regem Dei mandatum, idque elocuti, quia non respondebatur (ut videtur) egressi sunt. Notat Aben-esdras ארבה esse שם מין / nomen generis seu speciei, ut vulgo dicimus. Additque: *Fortassis ita vocatur, quia grandior est aliis speciebus: Et scriptum est* (Joel. 1. 4.) Residuum erucæ comedit locusta הארבה *deque locusta scriptum est* (Joel. 2. 25.) copiæ meæ magnæ. *Si ita sit, erit* א *servile* נוסף. Erucarum, bruchorum, locustarum similiumque insectorum, herbas & germina exedentium familiare malum illis regionibus fuit, Ægypto, Syriæ, Palæstinæ, Arabiæ, Africæ: at potissimum celebrantur examina locustarum. Ps. 104. 34. significatur una specie mali synecdochicè alias conjunctas à Mose indicari. Nam illic dicitur cum ארבה conjunctum fuisse ילק quod vulgo reddunt *bruchum*, illam vocem Trem. & Jun. reddiderunt *Melolontha*, quæ species est Scarabæi, colore viridi ut dicit Rivetus. Sed nec ילק melolontha est, nec melolontha species scarabæi, colore virens. Notandum

dum Deum non comminari novam speciem mali, sed inusitatum nec unquam visum dici ob multitudinem & damnum. Nahumi 3. 15. 16. 17. ita scribitur: *Ibi comedet te* ignis, disperdet te gladius & comedet te quasi כילק: Multiplicare כילק / multiplicare ut locusta ארבה. *Multiplicasti negotiatores tuos præ stellis cœli,* ילק *extendit & evolavit. Coronati tui ut locusta* (ארבה) *duces militares* (טפסרך) *sicut* גוב גובי: *quæ castra metantur in sepimentis, in die frigoris: Sole exoriente avolat, nec scitur locus ubi fuêre.* Hunc locum LXX. ita reddidere: Ἐκεῖ καταφάγεταί σε πῦρ, ἐξολοθρεύσει σε ῥομφαία, καταφάγεταί σε ὡς ἀκρὶς καὶ βαρυνθήσῃ ὡς βροῦχος. Ἐπλήθυνας τὰς ἐμπορίας σου ὑπὲρ τὰ ἄστρα τοῦ οὐρανοῦ· βροῦχος ὥρμησε καὶ ἐξεπετάσθη. ἐξήλατο ὡς ἀττέλαβος ὁ σύμμικτός σου, ὡς ἀκρὶς ἐπιβεβηκυῖα ἐπὶ φραγμὸν ἐν ἡμέρᾳ πάγους· ὁ ἥλιος ἀνέτειλε καὶ ἀφήλατο καὶ οὐκ ἔγνω τὸν τόπον αὐτῆς: οὐαὶ αὐτοῖς. Hieronymus (ut obiter id dicam) טפסרך vertit parvuli tui, LXX. ὁ σύμμικτός σου. Hieronymus in commentario. *Et hic ergo, ut ita dicam, mixtitius Nineve, confertur exilienti attelabo & locustæ, quæ in die frigoris, eo quod avolare non possit, resident in sepe & ad alias regiones avolans nequaquam meminerit sepis, in qua tempore frigoris sederat* &c. Deinde: *Quod bruchus nihil aliud faciat, nisi semper in terra sit & absque alis cibo & ventri serviat: Attelabus autem saltem modicas assumat alas & cum in altum volare non possit, tamen de terra exilire nitatur* &c. De locusta dicit, *Volitat quidem, sed non est perpetuus volatus ejus. Deficientibus enim pennulis & contractis frigore etiam locusta considet.* Si non volat bruchus, non est ילק: nam de ילק dicitur פשט ויעף *Expandit alas & avolavit.* Tria nomina apud hunc prophetam ילק (quod Hieronymus reddidit bruchus cum septuaginta) גוב גובי locusta locustarum (quod LXX. vertunt ἀττέλαβος) ארבה quod redditur *locusta ἀκρίς.* ילק etiam alas habere, inde patet quod cum ארבה vento illatum & elatum genus hoc fuerit. Augustinus in locum Psalmi (105.) bruchum, id est, ילק & locustam non aliter differre putat, quam parentes & fœtum. Quod etiam videtur firmare Hieronymus in loco illo Nahum. Dicunt autem ventris nimii pondere premi, posteà alas assumere. Sed non nasci è brucho tali locustam, inde patet, quia post locustam proditurus esse ילק dicitur & quatuor plagarum distincta esse nomina patet è Joël. cap. 2. 25. Et constat, ut jam diximus alas habere. Constat etiam pilosum esse ילק ex Jerem. 51. 27. Est igitur insectum volatile, hirsutum, locustarum & erucarum similitudinem referens, quasi medii generis. Quod genus bruchos appellarunt Græci ob similitudinem cum eruca. Etiam locustam, quæ recenter ex ovo prodiit, antequam alas habeat, bruchum vocarunt. Suidas Βροῦχος ἡ κάμπη. Scaliger Exercit. 36. *Cum eis Brucum in terra nasci sterili. Quoniam nescires, hanc esse Theophrasti atque Dioscoridæ Ericam. Sanè Lombardis Bruc, à nostratibus vicinis Brecole, à Rutenis, qui sunt in Gallia, Brughiera: Vasconibus Brana. Brucus autem in terra frugum fecunda nascitur ex ovis, quæ parens ibi deposuit, post quam segetes ibi consumpserit.* Ita Bruchi vox duo significata habet. Varinus: Βροῦχος ἡ κάμπη, ἢ ἡ νεογενὴς καὶ ἄπτερος ἀκρίς. Quidam existimarunt Bruchum Attelabum, Locustam tantum gradibus & progressu differre, ut Albertus, Glossa ordinaria &c. Alfonso Tostato apud Ulyssem Aldrovandum est animal nigerrimum, muscæ quantitate, quod demolitur vineas & idiomate Hispanico dicitur *Pulgon* sive *Brugo.* Levitici XI. quatuor species inter munda insecta volatilia recensentur, ארבה / סלעם / חרגל / חגב / inter quas cum ילק non sit, sequitur, ut immundam, non fuisse permissam esui. Unaquæque istarum specierum saltabat. Sic enim dicit Scriptura: *Hoc comedetis* (מכל שרץ העוף) *ex omni quod incedit quatuor pedibus: Cui non sunt crura* supra pedes suos ita ut saliat illis *super terra.*

Ex

Ex illis hæc comedetis, Locustam ארבה *in speciem suam, Solam in Speciem suam, Hargol in speciem suam, & Hagab in speciem suam.* Hic commentatur Rasi, שרץ העוף] *Sunt parva, depressa, reptantia super terra, qualia sunt muscæ, vespa, culices, & hagabim.* Deinde ממעל לרגליו] *prope collum ejus est ipsi tanquam species duorum pedum, tantum quatuor ejus pedes. Et cum vult volare & sublilire à terras sustentat se illis duobus cruribus & evolat. Multa alia, quæ vocamus* לנגישטא. *Sed nos non sumus experti in illis, quoniam quatuor signa munditiei dicemus de illis quatuor pedibus & quatuor alis & malleolis illis, scriptis hic & aliis obtegentibus amplitudinem ejus (maximam partem) Et hæc omnia signa inveniuntur, in quibusdam eorum sed caput quibusdam oblongum, alia non habent caudam: Estque necesse ut sit nomen* חגב. *Ideò nos non novimus discernere inter illa.* Vocem לא putant scriptam esse pro לו. Sic Chaldæus, Piscator, alii: Aben-esdras: העיקר להיות לו עם וי"ו Chaldæus די ליה קרחלין מעלוי לרגלוהי. *Cui malleoli supra pedes.* Speciem illam, quæ vocatur חגב, Aben-esdras notam esse dicit è lingua Ismaël. Chaldæus ארבה vertit גובא / at סלעם vertit רשונא: duæ ultimæ species manent in nominibus suis. Dicunt Hebræi, quod סלעם habeat gibbosum corpus, careat cauda & sit longo capite, in Michlol Jophi, at hoc improbat in concessis Rasi. Cæterum nullum nocentius malum segetibus & herbis omnique virori & germini, quam locustæ. De quo malo multa passim. Locustarum accuratam descriptionem Plinius habet qua quæ diximus & hujus plagæ historia illustrantur, Lib. XI. cap. 29. *Hæ pariunt demisso spina caula* (Dalecampus legit, *dimisso spiculo cauda*, al. *Spina aculeo*) *ova condensa autumni tempore: ea durant hyeme sub terra: subsequenti anno exitu veris emittunt parvas, nigrantes, & sine cruribus pennisque reptantes: itaque vernis aquis intereunt ova, sicco vere major proventus. Alii duplicem earum fœtum geminumque exitum tradunt: Vergiliarum exortu parere: Deinde ad Canis ortum obire & alias renasci: quidam Arcturi occasu renasci. Mori matres cum pepererint, certum est, vermiculo statim circa fauces innascente, qui eas strangulat: eodem tempore mares obeunt. Tam frivola ratione morientes, serpentem cum libuit, necant singula faucibus ejus apprehensis mordicus. Non nascuntur nisi in planis & rimosis locis. In India ternûm pedum longitudinis esse traduntur, cruribus & fœminibus serrarum usum prabere, cum inaruerint. Est & alius earum obitus, gregatim sublata vento in maria aut stagna decidunt: forte hoc casuque evenit, non (ut prisci existimavere) madefactis nocturno humore alis: iidem quippe nec volare eas noctibus propter frigora tradiderunt, ignari etiam longinqua maria ab iis transiri continuata plurium dierum (quod maximè miremur) fame quoque, quam propter externa pabula petere sciunt. Deorum ira pestis ea intelligitur: namque & grandiores cernuntur & tanto volant pennarum stridore, ut aliæ alites credantur, Solemque obumbrant, solicitè suspectantibus populis ne suas operiant terras. Sufficiunt quippe vires & tanquam parum sit maria transisse, immensos tractus permeant, diraque messibus contegunt nube, multa contactu adurentes: omnia vero morsu erodentes & fores quoque tectorum. Italiam ex Africa maximè coorta infestant, sæpe populo ad Sibyllina coacto remedia confugere inopia metu. In Cyrenaica regione lex etiam est ter anno debellandi eas, primò ova obterendo, deinde fœtum, postremò adultas, desertoris pœna in eum qui cessaverit. Et in Lemno insula certa mensura præfinita est, quam singuli enecatarum ad magistratus referant: graculos quoque ob id colunt adverso volatu occurrentes earum exitio. Necare & in Syria militari imperio coguntur. Tot orbis partibus vagatur id malum. Parthis & hæ in cibo gratæ. Vox earum proficisci ab occipitio videtur: eo loco in commissura scapularum habere quasi dentes existimantur, eosque inter se terendo stridorem edere: circa duo æquinoctia maximè,*

maximè, ſicut cicadæ circa ſolſtitium. Coitus locuſtarum, qui & inſectorum omnium, quæ coëunt, marem portante fœmina, in eum fœminarum ultimo caudæ reflexo, tardoque digreſſu: minores autem in omni hoc genere fœminis mares. Hermolaus Barbarus inveniebat in vulgatis codicibus ſui temporis, *Pariunt in terram dimiſſo ſpinæ caule*: legendum eſſe monuit *demiſſo*: idque ex Ariſtotele lib. 5. de hiſtoria animalium. Ex Ariſtotele Plinii locus magna parte deſumptus eſt, eum igitur audiamus: Αἱ δὲ ἀκρίδες ὀχεύονται τὸν αὐτὸν τρόπον τοῖς ἄλλοις ἐντόμοις, ἐπιβαίνοντος τοῦ ἐλάττονος ἐπὶ τὸν μείζονα· τὸ γὰρ ἄρρεν ἔλαττόν ἐστι. Τίκτουσι εἰς τὴν γῆν· καταπήξασαι τὸν πρὸς τῇ κέρκῳ αὐλόν· οἱ δὲ ἄρρενες οὐκ ἔχουσι. Ἀθρόως δὲ τίκτουσι καὶ κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον· ὥστε ἂν εἶναι καθαπερεὶ κηρίον. εἶθ' ὅταν τέκωσιν, ἐνταῦθα γίνονται σκώληκες ᾠοειδεῖς, οἳ περιλαμβάνονται ὑπό τινος γῆς λεπτῆς, ὥσπερ ὑφ' ὑμένος· ἐν ταύτῃ δὲ ἐκπέτονται· γίνεται δὲ μαλακὰ τὰ κυήματα οὕτως, ὥστε ἄν τις ἅψηται, συνθλίβεσθαι. Ταῦτα δὲ οὐκ ἐπιπολῆς, ἀλλὰ μικρὸν ὑπὸ γῆς ἐστιν. Ὅταν δὲ ἐκτίκωσιν, ἐκδύουσιν ἐκ τοῦ γεώδους περιέχοντος ἀκρίδες μικραὶ καὶ μέλαιναι. Εἶτα περιρρήγνυται αὐτοῖς τὸ δέρμα, καὶ γίνονται εὐθὺς μείζους. Τίκτουσι δὲ λήγοντος τοῦ θέρους (Gaza malè legiti ἔαρος) καὶ τεκοῦσαι ἀποθνήσκουσιν ἅμα. Ἅμα γὰρ τικτούσαις σκώληκες ἐγγίνονται περὶ τὸν τράχηλον. Καὶ οἱ ἄρρενες δὲ ἀποθνήσκουσι περὶ τὸν αὐτὸν χρόνον. Ἐκδύουσι δὲ ἐκ τῆς γῆς τοῦ ἔαρος. Οὐ γίνονται δὲ αἱ ἀκρίδες ἐν τῇ ὀρεινῇ οὐδ' ἐν τῇ λυπρᾷ, ἀλλ' ἐν τῇ πεδιάδι καὶ καταρρωγυίᾳ. Ἐν ταῖς ῥωγμαῖς γὰρ ἐντίκτουσι. Διαμένει δὲ τὰ ᾠὰ τὸν χειμῶνα ἐν τῇ γῇ· ἅμα δὲ τῷ θέρει γίνονται ἐκ τῶν περυσινῶν κυημάτων ἀκρίδες. *Locuſtæ coëunt ſimiliter reliquis inſectis, inſcendente minore majorem. Nam mas minor eſt. Pariunt autem in terram defixo caule, qui eſt ad caudam: quem mares non habent. Confertim pariunt & in eodem loco, ita ut quaſi favus eſſe videatur. Deinde ubi peperere, hinc naſcuntur vermes ſpeciem ovi gerentes, qui ambiuntur tenui terra tanquam membrana. In hac autem evolant* (ſuſpecta mihi vox eſt puto legendum ἐκπέττονται) *Tam mollis fœtura hæc, ut tactu dirumpatur: nec eſt in ſuperficie ſoli ſed paulum infra terram. Ubi autem excluſa ſunt* (leg. ἐκπέψωσι) *exeunt ex illo terreno amiculo locuſtæ parvæ & nigræ. Deinde rumpitur ipſis pellis & mox majores fiunt. Pariunt autem fine æſtatis: & poſt partum mox obeunt. Nam parientibus ſimul ingenerantur vermes circa collum. Mares etiam obeunt eodem tempore. Vere terra emergunt. Locis montanis & pinguibus, non oriuntur ſed planis rimoſiſque. In rimis enim excludunt. Permanent autem ova, per hyemem, in terra, ſimul cum æſtate naſcuntur locuſtæ è fœtura anni præteriti.* Secundum Ariſtotelem igitur locuſtarum ova in cavis depoſita, principio, foventur tota hyemè. Deinde excluſæ prodeunt nigræ, mox rupta cute majores emergunt è cavis verno tempore. Hinc igitur gregatim avolant. Sub vernum tempus illatæ in Ægyptum fuerunt, tanta calamitate. Convertit ſe ויפן Aben-eſdras: *dicit R. Ieſua, quod* ויפן *pertineat ad Moſen, qui honorem detulerat regiæ majeſtati* (הולך כבוד למלכות) *quod ad regem obverſa facie inter egrediendum, averſus inceſſerit. At Iaphet dicit, cum abſolviſſet neceſſitatem: Et ſic* (Deut. 16. 7.) ופנית בבקר. *At quid facies de dictione* (Exod. 2. 12.) ויפן (reſpexit) huc & illuc: *At ſenſus eſt* ויפן *ſenſu* פנים, *quaſi diceret*: Et videbat & ecce Moſes egreſſus eſt à Pharaone *non ſponte ſua. Hoc autem memorat Scriptura, quia indignatus eſt Pharao præcepitque eos expelli, poſtquam introducti eſſent.*

Cum Moſes & Aaron ſinè dubio vultu & verbis male excepti exiiſſent, precibus & ſeria admonitione aulicorum impulſus eos revocat rex. Dicebant enim, *Quandiu erit nobis iſte in laqueum ſive offendiculum; Dimitte viros* (ſeu homines iſtos) *ut colant Dominum Deum ſuum. An nondum ſcis Ægyptum periiſſe?* Revocatis igitur Moſe & Aaraone rex, *Ite*, inquit, *colite Dominum Deum veſtrum: qui ibunt?* Tum Moſes, *Ibimus cum pueris, ſenibus, filiis filiabusque*

busque, ovibus (בצאננו) *& bobus: Quia festum Domini nobis est.* Ad hoc verbum Pharao intumuit. *Esto*, inquit, *Dominus vobiscum, quemadmodum dimittam vos & parvulos vestros.* Significat non permissurum se ut cum parvulis proficiscantur. Ita Dominus vobis propitius sit, ut ego vos cum parvulis sinam abire. *Videte* (addit) *quia malum coram facie vestra est. Non ita: abite vos viri & colite Dominum, quia hoc vos petiistis.* Ad ea Rasi: *Secundum Thargum & Medras Aggada, Audivi stellam esse, cui nomen* רעה. *Dicit eis Pharao. Video ego secundum Astrologiam meam illam stellam ascendentem in occursum vestrum in deserto, qui est signum sanguinis & occisionis. Cumque peccasset Israël in vitulo & quæreret Deus benedictus eos occidere, dicebat Moses in precatione sua* (Exod. 32. 12.) Cur dicerent Ægyptii, dicendo, In malo eduxit eos. *Hoc est, quod quod dicebat ipsis* (Pharao) Videte, Quia malum est coram facie vestra. *Confestim pœnituit Dominum super malum: Et convertit sanguinem in sanguinem circumcisionis, quo eum circumcidit Iosue. Hoc est, quod dicitur:* Josue v. 9.) Hodie avolvi à vobis probrum Ægypti: *quo dixerant vobis*, Sanguinem videmus super vos in deserto. Ralbag paulo aliter: Nempe cum Ægyptii putarent Deum esse alium malorum & alium bonorum, videretque Pharao ista miracula & signa malum infligere, existimasse regem, quod Deus ille Israëlitarum mala tantum inferret, ideò monuisse Mosen & Aaraonem caverent sibi. Nam malum esse ante faciem eorum. Eam Ægyptiorum ominationem non esse veram voluisse Deum ostendere sanatione aquæ & verbis quæ habentur Exodi XV. 26. Nugatur uterque. Aben-esdras: *Sensus est: Videte quia malum coram facie vestra: quia malum propinquum vobis & coram facie vestra est. Et cum hoc sensu cohæret*: Quia vos id petiistis: *Quia jus est, ut sic faciam. Nunc autem cogitat Pharao, quod vellent fugere. Scito, quod Moses, dominus noster, non dixerit Pharaoni, quod reversuri essent amplius, quia fuisset mentitus. Tantum dixerat quod abituri essent longe via tridui. Opinio Ægyptiorum fuit, quod reversuri essent, ideo commodato dederant ipsis. Et propter verbum aliud, quodsi dedisset ipsis Pharao potestatem abeundi nec fuissent reversi, non fuisset ipsos persecutus. Deus præceperat sic facere, donec persequeretur eos & submergeretur.* Et hoc manifestum est. (Exod. 14. 2.) Ut revertantur & castra metentur coram Phi-hahiroth. *Non est contentiose inquirendum post opera Dei. nam omnia facit sapienter, quamvis sit occultum ab oculis sapientum. Et ecce in verbis David* (2. Sam. 5. 24.) Cum audies vocem ititationis in cacuminibus mororum, tunc movebis te; quia tunc progredietur Dominus ante faciem tuam ad percutiendum in castris Palæstinorum. Bene monet de non solicite exigendis factis Domini, quia in sapientia facit, etsi sapientes non capiant, amplectimur: אין להרהר מעשי השם. Id quæsiitis vel petiistis, sic exponit Aben-esdras, ut ad malum referatur pœnæ, quod Pharao comminabatur; id ipsos sibi effecisse: ad id festinasse. Alii accipiunt ita, ut intelligatur, ipsos illos antehac non ulterius petendo progressos esse. Non quod id expressis verbis dixerint: sed quia videbatur ipsa sacri faciendi ratio nihil ultrà flagitare: quid enim pueris cum sacro? Sic Rasi: ואין דרך הטף לזבוח. Aben-esdræ expositio in hoc non est admittenda, quia verba ista sejuncta sunt à sermone pœnæ. Indigne & contumeliose ejecti sunt ex aula. Tum Deus præcepit Mosi, ut protenderet manum super Ægyptum בארבה. Hoc Rabbi Moses sacerdos ita accipit, quasi Locusta fuisset in scipione: at Aben-esdras id meritò rejicit cum sensus sit בעבור שיבא *ut veniat locusta*: quæ consumptura erat residuum relictum à grandine. Sic Rasi: בשביל מכת הארבה. Cum igitur Moses virgam extendisset, Dominus immisit ventum קדים qui toto die totaque nocte cum vehemens fuisset, mane ipso sequentis diei elatum

tum locuſtarum agmen intulit Ægypto. Ventus ille appellatur קדים. Audi Aben-eſdram: *Nomen Thoar: quia in plaga orientali eſt ortus ejus: & vocatur* קדים *quia ante eſt in angulis* (cardinibus) (בפאות) *Nam inde incipit ſol oriri: propterea quod retro eſt vocatur occidens. Vt cum dico:* Ecce (קדם) antrorſum ambulabam & non erat & (אחור) retro Nec intelligebam de eo. E deſertis Arabiæ in Ægyptum delatæ ſunt locuſtæ. LXX. interpretes notum (Νότον) interpretati, ſunt conſtat tamen Notum non eſſe קדים. Gloſſarium, Νότος *auſter*; Νοτιός *auſtralis*. Et Ariſtoteles docet Νότον ἀπαρκτίᾳ ἐναντίον: Itemque Plinius. Ariſtoteles etiam notat vocabulum Νότου ſignificare ἀντὶ ἰδιαίτῃ τὸν ἀπὸ μεσημβρίας καὶ τὸν Λίβα.

Ovid.

Eurus ad auroram Nabathæaque regna receſſit,
Perſidaque & radiis juga ſubdita matutinis:
Veſper & occiduo quæ littora ſole tepeſcunt
Proxima ſunt Zephyro: Scythiam ſeptemque triones
Horrifer invaſit Boreas: contraria tellus
Nubibus aſſiduis pluvioque madeſcit ab Auſtro.

Herodotus lib. 3. cap. 25. oſtendit Notum non alium eſſe quam auſtrum, qui flat à meridie: Καί εἰσι οἰκότως οἱ ἀπὸ ταύτης τῆς χώρας πνέοντες, ὅ, τι νότος καὶ ὁ λίψ, ἀνέμων πολλὸν τῶν πάντων ὑετωδέστατοι. Credibile eſt auſtrum Ægypto inferre id genus inſectorum, quemadmodum (ut Diodorus teſtatur) Æthiopum ἀκριδοφάγοις Favonius & Africus inferunt, nubes totas locuſtarum, quibus victitant. Locuſtæ illa loca ſupervolantes tendenteſque ultra intercipiuntur aſtu, ut ſint in cibum. Cum Cyrenaica admodum infeſtetur hoc inſectorum genere, non infertur niſi auſtri flatu. Idem Auſter Italiæ Græciæque eam peſtem invehit. Raſi ad illud, quod Scriptura dicit, nunquam ita fore, annotat quod habeatur in Joël (cap. 2. 2.) *Non fuit ſic à ſeculo.* Conciliat in hunc modum: Joelis illam infeſtationem graviorem fuiſſe propter varietatem ſpecierum, quæ erant quatuor, Joelis 1. v. 4. cum Moſis tempore una ſpecies tam gravis fuerit: ut ſcilicet pro ſe quælibet ſpecies tam gravis non fuerit, tempore Joël. Non meminerat Raſi in pſalmis cum ארבה conjungi ילק & חסיל de plaga hac Ægyptiorum octava. Quod ipſi opponit Ralbag. Crediderim, cum Ralbag in Ægypto nunquam tam gravem plagam locuſtarum incubuiſſe & id ſignificari prophetice, על פי נבואה ut loquitur Aben-eſdras. Nubes illa incubuit in omnes Ægypti fines. Tales nunquam fuiſſe locuſtas aut futuras eſſe dicit ſcriptura, id intelligendum de multitudine magis quam quantitate & mole corporum, quamvis admodum grandes eſſe potuerint. Quod habetur (v. 24.) de obtectione & obtenebratione, Aben-eſdras explicat de volatu, quo ſolis radios intercipiebant, כי הארבה הבדיל בין השמש ובין הארץ כי לעולם הארץ חשך היא. Ita nimium addictus eſt Aſtronomiæ, quod ubique prodit. Pharao ictus plagæ gravitate, quæ reliquum agri arborumque virorem tollebat, ſolumque Ægypti univerſum contexerat, feſtinanter Moſen & Aaronem jubet vocari. Fatetur ſe in Deum & ejus miniſtros graviter deliquiſſe, Petit ſibi condonari, utque Dei iram ſuis precibus tollant. Factum: Deus vento contrario admodum vehementi agmen illud locuſtarum tollit mergitque ſinu Arabico. Ventus hic appellatur רוח ים, Locutio hæc deſumpta eſt à ſitu terræ Canaan, cujus ſermone Moſen hiſtoriam ſuam expoſuit.

Interpretes notant semel voce ים notari austrum Psalmi 107. 3. Is locus cum referatur ad orbem universum nec ad Cananæam peculiariter respiciat, mare Rubrum videtur assumere pro meridie. Ibi enim illis gentibus oceanus maximè appropinquat. LXX. videri possunt respectum Ægypti habuisse, quibus mare magnum sive mediterraneum est ad septentrionem. Cum igitur ventus, qui abstulit, adversus fuerit inferenti, oportet inferentem fuisse austrum. Hanc conjecturam confirmat Philo, *ἐκ τ͂ θαλάττης ἄνεμο*. LXX. *Μετέβαλε κύριος ἄνεμον ἀπὸ θαλάσσης σφοδρόν*, In Hebræo est רוח ים non רוח מים: quæ sunt diversissima. Moses non scripsit populo in Ægypto peregrinanti, sed commoranti in deserto, nec adeò procul à finibus Cananææ. Rectè Hebræi רוח מערבי/ Rasi: *Dico ego, quod Sinus Arabicus* (ים סוף) *sit à fine ejus in occasu contrà omnem ventum australem & etiam ad ortum ejus terra Israel: ideò ventus occidentalis mersit locustam in mari Suf ex opposito. Sic invenimus in materia terminorum, quod ille respiciat ad latus ortus: Q. D. A mari Suf ad mare Palæstinum: ab ortu ad occasum. Quia mare Palæstinum est in occasu:* Q. D. (Sophon. 2. 5.) de *Palæstinis*: Habitantes terminum maris, gens Crethæorum. Aben-esdras: *Occasus vocatur* ים *in sancta lingua; quia mare magnum progreditur ab Hispania & transit juxta Ægyptum ad terram Israel. Hoc est ad cardinem occidentis. Non est autem Oceanus, quia Israel eum non obtinuit* (כל כך) *omnino. At Mare Hispaniæ vocatur mare magnum quia latitudo ejus complectitur trecentas parasangas, reliqua autem maria, quæ in terra Israel, ut Mare Suf & mare Chinnereth & mare salis, nusquam superant triginta parasangas.*

Philo LXX. interpretes secutus austrum Ægypto incubuisse scribit *βιαιότατον, ὅλην τὴν ἡμέραν καὶ νύκτωρ συνεπιτεινόμενον καὶ σφοδρυνόμενον*. Noxium illum esse per se, *ξηρός τε γὰρ ὢν καὶ κεφαλαλγὴς καὶ βαρυήκοος, ἄσης τε καὶ ἀδημονίας ἐμποιεῖν ἱκανὸς καὶ μάλιστ᾽ ἐν Αἰγύπτῳ, κειμένῃ κατὰ τὰ νότια δι᾽ ὧν αἱ περιπολήσεις τῶν φωσφόρων ἀστέρων, ὡς ἅμα τῷ διακινηθῆναι, τὸν ἀφ᾽ ἡλίου φλογμὸν συνεπισύρεσθαι καὶ πάντα καίειν*. Austrum dicit esse siccum, maxime in Ægypto: oportet igitur etiam siccum esse in aliis regionibus. Ita in Palæstina siccus fuit & Syria & Arabia. At poëtæ Latini pluvium faciunt.* Aquilo nubes dispellit apud nos & in Italia: unde Ovidius de aquarum diluvii remotione: *Nimbisque Aquilone remotis Et cælo terras ostendit & æthera terris.* Nam & de inductione dixerat.

Protinus Æoliis Aquilonem claudit in antris,
Et quæcunque fugant inductas flamina nubes.
Emittitque Notum: madidis Notus evolat alis,
Terribilem picea tectus caligine vultum.
Barba gravis nimbis, canis fluit unda capillis:
Fronte sedent nebulæ: rorant pennæque sinusque.

* Plinus notat lib. 2. cap. 47. *Permutant & duo* (venti) *naturam cum situ: Auster Africæ serenus, Aquilo nubilus.* Eodem capite prius dixerat. *Ventorum frigidissimi sunt quos è Septentrione diximus spirare & vicinus his Corus: ii & reliquos compescunt & nubes abigunt. Humidi Africus & præcipue Auster Italiæ; Narrant & in Ponto Cæcian in se trahere nubes.* Si Italiæ magis quam Græciæ humidus Auster est, Syriæ humidum non esse credi par est: cujus hic eadem ratio, quæ Africæ. Proverbiorum XXV. 13. legimus: רוח צפון תחולל גשם. Chaldæus: רוחא גרביתא בטנא מטרא. *Ventus Boreas parturit pluviam.* Ralbag:

הגרן

הנה כמו שהרוח הצפונית תברא הגשם בירושלם כי היא תביא שם האדים העולים מהים כי הים הוא צפוני לה *Ecce quemadmodum ventus aquilonaris excitat pluviam in Ierusalem, quia adducit illuc vapores ascendentes è mari quoniam mare illi septentrionale est.* LXX. etiam reddiderunt ἐξεγείρει. Aben-esdras tamen quem alias sequi solet & admirari iste Ralbag, contrario sensu interpretatur: Abendras deducit à sensu phraseos חלילה לך absit tibi: unde exponit תמנע *prohibet.* Subjicit autem: Expositio alia, è (Jobi 29. 4.) חולל אילות *parturitudinem cervarum*: secundum, (2. Reg. 3. 19.) תכאיבו באבנים *perdetis lapidibus.* Et [Ps. 97. 4. ראתה ותחל הארץ] *Videt & contremiscit terra*: Et (Ps. 29. 8.) *Dominus tremefacit desertum Cades. Quasi diceret*, Apprehendit robur. *Et sic sensus: Ventus Aquilo affert vim pluviæ & humiliat eam donec consumatur: & non descendit in terram quia dispergit nubes per cardines.* Adversus primam expositionem vehementius insurgit autor Michlol Jophi: פירשו ענין יצירה ושרשו חול והריקם בשרש חלל ענין מניעה מענין חלילה לך שהוא ענין מניעה: *Sensus est formationis à radice* חול: *Inepius ille exponit à radice* הלל *significatu prohibitionis, è sensu* חלילה לך (Absit tibi) *quia habet sensum prohibitionis.* Quemadmodum in Ponto Cæcias in se trahit nubes, ita & alibi. Nam Aristoteles lib. 2. Meteorologic. cap. 6. Ὁ δὲ καικίας οὐκ αἴθριος ὅτι ἀνακάμπτει εἰς αὑτὸν, ὅθεν καὶ λέγεται ἡ παροιμία, ἕλκων ἐφ' ἑαυτὸν, ὥσπερ καικίας νέφος. Deinde Τ'χεὶ Λὶψ καὶ καικίας ὃν ἑλλησποντίαν ἔνιοι καλοῦσι. Iterum: Νέφεσι δὲ πυκνοῦσι τὸν οὐρανὸν, καικίας μὲν σφόδρα· Καικίας μὲν διὰ τὸ ἀνακάμπτειν πρὸς αὑτὸν καὶ διὰ τὸ κοινὸς εἶναι βορέου καὶ Εὔρου· ὥστε διὰ μὲν τὸ ψυχρὸς εἶναι πηγνὺς τὸν ἀτμίζοντα ἀέρα εἰς νέφη συνίστησι· διὰ δὲ τὸ τῷ τόπῳ ἀπηλιωτικὸς εἶναι ἔχει πολλὴν ὕλην καὶ ἀτμίδα, ἣν προωθεῖ. Quare in loco Proverbiorum si intelligamus Cæciam, jam cognoscimus esse pluvium illis locis etiam in Græcia & quamvis in Græcia Libs & Auster pluvii fuerint, non tamen in Palæstina. In Ægyptum nullus ventus pluviam inducit: nec cum pluviis locustæ transferri possunt. Ex illis, quæ diximus, patrocinium erit versioni Junii & Tremellii in loco isto proverbiorum probatæ Piscatori adversus Vulgatam Latinam: quamvis illam amplectantur Tigurini, Munsterus, Castalio, & pleræque vernaculæ Vulgatam sequantur. Judicium Sixtini Amamæ vide in collatione, qua veterem versionem Belgicam examinat. Mercerus accedit vulgatæ versioni, quia (ut ait) *Rabbi Immanueli non placet Aquilonem in Iudæa pluviam creare, neque ego* (inquit) *id crediderim.* Ego id crediderim & R. Immanueli oppono authoritatem Aristotelis. Deinde תחולל malim reddere, *procreat* quam dissipat. Hoc enim longè petitum. Hæc obiter, de loco illo Proverbiorum, sed quomodo verum esse potest, quod notat Plinius: *Et Austros in Ægyptum penetrare negat Fabianus:* si LXX. interpretes & Philo non aberraverint toto, quod ajunt, cælo.

De nona plaga Ægypti, quæ fuit caliginis.

CUm nec ita cederet Pharao, negando & nunc, quod paulo ante concesserat, penultimæ plagæ fores aperuit. Jussu Dei Moses baculum illum θαυμαστὸν extendit cælo: mox orta caligo admodum densa & profunda universam terram Ægypti obruit, toto triduo; cum intereà Israëlitis lux esset solito & usitato modo in suis habitationibus. Caligo illa appellatur, חֹשֶׁךְ אֲפֵלָה Id est (ut Josephus loquitur) σκότος βαθὺ καὶ φέγγους ἄμοιρον. Prodigiosam istam caligionem habuisse suum initium cum ortu lucis & diei putant, qui Chaldææ versioni inhærent. Nam Dei verba ad Mosen erant: *Extende manum tuam versus cælum, ut sit caligo super terram Ægypti* וימש חשך. Hæc ultima verba

Chaldæus interpretatur: בתר דיעדי קבל ליליא: Postquam transierit caligo noctis. Hic enim ו difficultatem fecit, cum prius dictum fuerit, *Sit caligo*. Hinc igitur notante Rasi, Medras aggada elicitur, quæ dicit, Tenebras paulatim condensatas fuisse, ut palpabiles essent. Aben-esdras: *Dicit Iapheth, quod* וימש חשך *sit dictum, sicut* וימש *& recessit. Nempè quod caligo omnis recesserit, ut esset ipsis notum: posteaque adveneris densior. Quidam dicunt deficere Alef: & dicto* אמש *in lingua sancta* est nox quæ præteriit, *ut* (Genes. 31. 29.) Hesterna nocte dixit ad me: *& in lingua Arabica* אמס*, quia* ש *mutatur in* ס *in multis dictionibus, ut* שמש *in* שמס*. At nullus sensus est in horum expositione. Secundum opinionem meam, quod* וימש *sit tanquam* ימשש*. Hic objici non potest quod sit è verbis geminantibus, quia sicut illud in hoc sensu* (Ps. 115. 7.) Manus illis & non palpant. וימש (כ"ל) *ut mihi videtur, refertur ad* מצרים (*Ægyptum*) *quia invenitur singularis numeri*, Et dictum est, Ægyptus violata. *Tum sensus est. Quod palpaturi sint manibus suis tenebras, quia plane densa erunt*, quoniam *lux ignis non lucebit neque lychnus: ut probatur:* Non videbunt alter alterum: *neque in luce diei neque in luce lucernarum.* Tenebræ palpabiles erant ob nubilum & crassum aëra. Triduo toto istæ tenebræ densissimæ & nebulæ fuerunt: quibus non prodibant ex ædibus. Rasi putat sex dies fuisse: Primo triduo, quo alter alterum non videbant: altero, quo loco suo non surgerent. ולא קמו איש מתחתיו Id est *Non surgebant quisque ex eo, quod sub eo erat.* Commodius fuit sedere aut decumbere, quam pedibus insistere. Cum non nisi palpando idque ægre ob nebulæ densitatem domorum conclavia obire possent, multoque difficilius extra ædes progredi, remansere in loco quem quisque ante illam caliginem occupaverat. Illam divisionem Rasi non admittimus nos neque communis consensus. Illud מתחתיו de ædibus communius accipit Aben-esdras ut Exodi 16. 29. שבו איש תחתיו. Ubi communius notat locum habitationis. Coacti igitur intra ædes manere, cum foras prodire non possent ob densissimum aëra, nullis facibus aut lucernis illustrabilem. Pressius Rasi accipit: Sedens, inquit non potuit surgere, nec stans considere: quod non est in vi verborum textus.

Exemplo probat Aben-esdras tam densas tenebras ad plures dies posse incumbere: *Ecce in mari Oceano venit caligo densa, ita ut non possit homo discernere inter diem & noctem: consistitque aliquando ad quinque dies. Ego illic aliquando fui.* Josephus nebula illa oppressos occubuisse multos & in metu fuisse Ægyptios ne similiter omnes absorberentur ὑφ᾽ οὗ (σκότους) τάς τε ὄψεις ἀποκλειομένους ὑπὸ παχύτητος οἰκτρῶς τε ἀπεθνήσκον, συνέβαινε καὶ δεδιέναι μὴ καταποθῶσιν ὑπὸ τοῦ νέφους.

Philo narrat sereno die (λαμπρᾶς τῆς ἡμέρας οὔσης) repente offusas fuisse tenebras sive ex defectione solis solito majori, aut densitate & multitudine nubium, ὡς ἀδιαφορεῖν ἡμέραν νυκτός, *ut dies à nocte nihil distaret.* Τότε φασὶ τοὺς μὲν ἐρριμμένους ἐν ταῖς εὐναῖς, μὴ τολμᾶν ἐξανίστασθαι, τοὺς δ᾽ ὅτε τι κατεπείγοι τι τῶν τῆς φύσεως ἀναγκαίων, ἐπαφωμένους τοίχων ἤ τινος ἑτέρου καθάπερ τυφλοὺς μόλις προέρχεσθαι· καὶ γὰρ τοῦ χειροίδους πρὸς τὸ φέγγος, τὸ μὲν ὑπὸ τοῦ κατε... ἐσβέννυτο, τὸ δὲ τῷ βάθει τοῦ σκότους ἀμαυρούμενον ἠφανίζετο ὡς τὴν ἀναγκαιοτάτην ὄψιν τῶν αἰσθήσεων ὑγιαίνουσαν πηρὸν εἶναι μηδὲν ὁρᾶν δυναμένην· τετράφθαι δὲ καὶ τὰς ἄλλας οἷα ὑπηκόους πεσούσης τῆς ἡγεμονίδος· οὔτε γὰρ λέγειν τις οὔτε ἀκούειν, οὔτε προσενέγκασθαι τροφὰς, ἀλλ᾽ ἡσυχίᾳ καὶ λιμῷ παρέτεινον ἑαυτοὺς, οὐδεμιᾷ τῶν αἰσθήσεων σχολάζοντες, ἀλλ᾽ ὑπὸ τοῦ πάθους συνηρπασμένοι.

Rasi etiam inquirit causam quare tenebras Deus induxerit: *Cur*, inquit, *induxit super eos tenebras? Quia fuerunt in Israële in illa generatione impii, qui noluerunt exire, moriuique sunt in triduo caliginis, ut ne Ægyptii viderent eorum casum,*

casum, dicerentque etiam hi vapulant, ut nos. Prætereà ne scrutarentur Israël & viderent suppellectilia, cumque egrederentur & peterent ab ipsis ipsique dicerent non est in manu nostra quicquam, diceret ipsi, ego vidi in ædibus tuis in tali loco. Existimat igitur antequam caligo Ægyptum obrueret, vasa mutuò petita esse & usque eo tenebras durasse, donec exirent Israëlitæ. De quo posteà videbimus, Sapientiæ Salomonis autor dicit Ægyptios meritò privatos fuisse luce & tenebris tanquam carceri mancipatos, quia Dei filios clausos tenuissent, per quos seculo incorruptibile lumen legis dandum esset cap. 18. v. 4.

Quæ Sapientiæ illius autor de hac plaga disseruit, proponamus: componamusque latinam versionem, quam Pontificii voluerunt esse Canonicam. Caput decimum septimum ita habet.

1. Μεγάλαι γάρ σου αἱ κρίσεις καὶ δυσδιήγητοι· διὰ τοῦτο ἀπαίδευτοι ψυχαὶ ἐπλανήθησαν.

2. Ὑπειληφότες γὰρ καταδυναστεύειν ἔθνος ἅγιον ἄνομοι, δέσμιοι σκότους καὶ μακρᾶς πεδῆται νυκτὸς κατακλεισθέντες ὀρόφοις, φυγάδες τῆς αἰωνίου προνοίας ἔκειντο.

3. Λανθάνειν γὰρ νομίζοντες ἐπὶ κρυφαίοις ἁμαρτήμασιν, ἀφεγγεῖ λήθης παρακαλύμματι ἐσκορπίσθησαν, θαμβούμενοι δεινῶς καὶ ἰνδάλμασιν ἐκταρασσόμενοι.

4. Οὐδὲ γὰρ ὁ κατέχων αὐτοὺς μυχὸς ἀφόβους διεφύλασσεν· ἦχοι δὲ καταράσσοντες αὐτοὺς περιεκόμπουν καὶ φάσματα ἀμειδήτοις κατηφῆ προσώποις ἐνεφανίζετο.

5. Καὶ πυρὸς μὲν οὐδεμία βία κατίσχυε φωτίζειν, οὔτε ἄστρων ἔκλαμπροι φλόγες καταυγάζειν ὑπέμενον τὴν στυγνὴν ἐκείνην νύκτα.

6. Διεφαίνετο δ' αὐτοῖς μόνον αὐτομάτη πυρὰ φόβου πλήρης· ἐκδειματούμενοι δὲ τῆς μὴ θεωρουμένης ἐκείνης ὄψεως, ἡγοῦντο χείρω τὰ βλεπόμενα.

7. Μαγικῆς δὲ ἐμπαίγματα κατέκειτο τέχνης, καὶ τῆς ἐπὶ φρονήσει ἀλαζονείας ἔλεγχος ἐφύβριστος.

8. Οἱ γὰρ ὑπισχνούμενοι δείματα καὶ ταραχὰς ἀπελαύνειν ψυχῆς νοσούσης, οὗτοι καταγέλαστον εὐλάβειαν ἐνόσουν.

9. Καὶ γὰρ εἰ μηδὲν αὐτοὺς ταραχῶδες ἐφόβει, κνωδάλων παρόδοις καὶ ἑρπετῶν συριγμοῖς ἐκσεσοβημένοι, διώλλυντο ἔντρομοι, καὶ τὸν μηδαμόθεν φευκτὸν ἀέρα προσιδεῖν ἀρνούμενοι.

10. Δειλὸν γὰρ ἰδίως πονηρία μαρτυρεῖ καταδικαζομένη.

11. Ἀεὶ δὲ προσείληφε τὰ χαλεπὰ συνεχομένη τῇ συνειδήσει.

12. Οὐθὲν γάρ ἐστι φόβος, εἰ μὴ προδοσία τῶν ἀπὸ λογισμοῦ βοηθημάτων.

13. Ἔνδοθεν δὲ οὖσα ἥττων ἡ προσδοκία, πλείονα λογίζεται τὴν ἄγνοιαν τῆς παρεχούσης τὴν βάσανον αἰτίας.

14. Οἱ δὲ τὴν ἀδύνατον ὄντως νύκτα, καὶ ἐξ ἀδυνάτου ᾅδου μυχῶν ἐπελθοῦσαν, τὸν αὐτὸν ὕπνον κοιμώμενοι.

15. Τὰ μὲν τέρασιν ἠλαύνοντο φαντασμάτων, τὰ δὲ τῆς ψυχῆς παρελύοντο προδοσίᾳ· αἰφνίδιος γὰρ αὐτοῖς καὶ ἀπροσδόκητος φόβος ἐπῆλθεν.

16. Εἶθ' οὕτως, ὃς δήποτ' οὖν ἦν ἐκεῖ καταπίπτων, ἐφρουρεῖτο εἰς τὴν ἀσίδηρον εἱρκτὴν κατακλεισθείς.

17. Εἴτε γὰρ γεωργὸς ἦν τις, ἢ ποιμὴν, ἢ τῶν κατ' ἐρημίαν ἐργάτης μόχθων προληφθεὶς τὴν δυσάλυκτον ἔμενεν ἀνάγκην. μιᾷ γὰρ ἁλύσει σκότους πάντες ἐδέθησαν.

18. Εἴτε πνεῦμα συρίζον, ἢ περὶ ἀμφιλαφεῖς κλάδους ὀρνέων ἦχος εὐμελὴς, ἢ ῥυθμὸς ὕδατος πορευομένου βίᾳ.

19. Ἢ κτύπος ἀπηνὴς καταρριπτομένων πετρῶν, ἢ σκιρτώντων ζώων δρόμος ἀθεώρητος, ἢ ὠρυομένων ἀπηνεστάτων θηρίων φωνὴ, ἢ ἀντανακλωμένη ἐκ κοιλότητος ὀρέων ἠχὼ παρέλυσεν αὐτοὺς ἐκφοβοῦντα.

20. Ὅλος γὰρ ὁ κόσμος λαμπρῷ κατελάμπετο φωτὶ, καὶ ἀνεμποδίστοις συνείχετο ἔργοις.

21. Μόνοις δὲ ἐκείνοις ἐπετέτατο βαρεῖα νὺξ, εἰκὼν τοῦ μέλλοντος αὐτοὺς διαδέχεσθαι σκότους, ἑαυτοῖς δὲ ἦσαν βαρύτεροι σκότους.

Hac

Hæc vulgata editio ita expressit, ut sæpe sensum non sit assecuta & sæpius barbara sit: quod patebit è collatione. Illa enim editio non raro fallitur in exprimendis Græcis.

1. M*Agna sunt enim* judicia tua, Domine, & inenarrabilia verba tua, propter hoc indisciplinatæ animæ erraverunt.

2. Dum enim persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctæ: vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt.

3. Et dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebrosoq oblivionis velamento dispersi sunt, paventes horrendè, & cum admiratione nimia perturbati.

4. Neque enim qui continebat illos spelunca, sine timore custodiebat: quoniam sonitus descendens perturbabat illos, & personæ tristes illis apparentes, pavorem illis præstabant.

5. Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec syderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam.

6. Apparebat autem illis subitaneus ignis, timore plenus & timore percussi illius quæ non videtur, faciei, æstimabant deteriora esse quæ videbantur.

7. Et magnæ artis appositi erant derisus & sapientiæ gloria correptio cum contumelia.

8. Illi enim qui promittebant timores & perturbationes expellere se ab anima languente, hi cum derisu pleni timore languebant.

9. Nam & si nihil istos ex monstris perturbabat transitu animalium & serpentium sibilatione commoti, tremebundi peribant: & aërem quem nulla ratione quis effugere posset, negantes se videre.

10. Frequenter enim præoccupant pessima redarguente conscientia.

11. Cum enim timida sit nequitia dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæva perturbata conscientia.

11. Nihil enim est timor nisi præsumptionis adjutorium, proditio cogitationis auxiliorum.

13. Et dum intus minor est expectatio, majorem computant scientiam ejus causæ, de qua tormentum præstat.

14. Illi autem qui impotentem vere noctem, & ab inferis & ab Altissimis inferis, supervenientem eundem somnum dormientes.

15. Aliquando monstrorum agitabantur timore, aliquando animæ deficiebant traductione. Subitaneus enim illis, & insperatus timor supervenerat.

16. Deinde ex illis si quisquam decidisset, custodiebatur in carcere sine ferro reclusus.

17. Si enim rusticus quis erat, aut pastor, aut agri laborum operarius præoccupatus esset: ineffugibilem sustinebat necessitatem.

18. Una enim catena tenebrarum omnes erant colligati. Sive spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos auium sonus suavis, aut vis aquæ decurrentis nimium.

19. Aut sonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium cursus invisus, aut mugientium valida bestiarum vox, aut resonans de altissimis mentibus Echo: deficientes faciebant illos præ timore.

20. Omnis enim terra limpido illuminabatur lumine, & non impeditis operibus continebatur.

21. Solis autem illis superposita erat gravis nox imago tenebrarum, quæ super-

ſuperventura illis erat, ipſi ergo erant ſibi graviores tenebris.

Vulgata verſio ſæpe non bene reddidit Græca: Fugitivi perpetuæ providentiæ φυγάδες τῆς αἰωνίου προνοίας ἔκειντο. Significat ipſos caruiſſe Diuinæ providentiæ communis & ordinariæ adjumento: Eo excluſos tanquam exules & relegatos. v. 3. ἐσκορπίσθησαν, male redditum *diſperſi ſunt*. Significat enim mente conturbatos confuſosque fuiſſe, quomodo vox διασκορπίζω aliquando ſumitur. Eveniſſe ipſis per tenebras viſa & terribilia ſpectra, quibus conturbati fuerint.

v. 4. διεφύλασσεν *cuſtodiebat*. Sinus ille abditus, in quem ſe abdiderant, non poterat eos præſtare ſecuros. ἦχοι καταῤῥάσσοντες αὐτοὺς περιεκόμπουν, Reddi debet, *Voces deorſum ruentes eos circumſonabant*. Καὶ φάσματα ἀμειδήτοις κατηφῆ προσώποις ἐνεφανίζετο, Reddi debet: *Et ſpectra tetricis triſtia vultibus apparebant*. v. 6. Hic obſcurus eſt & ſine dubio in mendo: nec Græca nec Latina commodum edunt ſenſum. *Intimidati autem, pejora putabant, quæ videbant, illa viſione quæ non videbatur*. Forte vult eos ſpectra horrenda facie, magis metuiſſe, quam Dei faciem inadſpectabilem. v. 7. Vulgatus Latinus, *Et Magicæ artis appoſiti erant deriſus*: Græca verterim: *Et magicæ artis ludibria jacebant*. Nec magis benè alteram partem verſus reddunt Latini: Reddi debet: *Et reprehenſio arrogantiæ ob ſapientiam contumelioſè traducebatur*. v. 9. κνώδαλα beſtiæ. Beſtiarum tranſitu & ſerpentium ſibilis terrebantur magi, qui apparitionum monſtris aſſueti cum eſſent, nihil illis movebantur. Terrore autem correpti negabant ſe aſpicere aërem, qui evitari nequit. Cum nempe per intermicantes ignès (ut vult ille Judæus) viderentur in aëre talia monſtra. v. 11. Verba illa (Præſumptionis adjutorium) non ſunt in Græco nec conveniunt.

v. 13. *Majorem computat ſcientiam*, in Græco eſt ἄγνοιαν ignorantiam & rectè. Nam putat ignorata eſſe majora. Nec debet dici: *de qua tormentum præſtat, ſed quæ tormentum præſtat*. Quod adhuc ignoratur in cauſa tormentum præſtante, id majus eſſe putat, & graviora exſpectat. v. 15. Lat. *traductione*, legendum *traditione*. Nam duo mala ipſos conficiebant monſtrorum aſpectus & animæ deſpondentis abjectio. Ægyptios caligine ſubita occupatos, dum in opere eſſent ruri, aut forte prolapſum aliquem, illic detinuiſſe tenebras & horruiſſe ac trepidaſſe, qualibet voce & ſono qui evenire quotidie ſolet. Principio capitis decimi octavi notat Iſraëlitas, qui in lumine eſſent, lamenta & ejulatus Ægyptiorum audiviſſe, quum ipſos non viderent. Judaico more & fabuloſe rem hypotypoſi quadam exponit.

Pharao miſit ad Dei miniſtros, ut textus refert. Sed quomodo miſit, ſi nemo loco ſuo progredi potuit? Putant multi miſiſſe cum jam tenebræ diſceſſiſſent. Id mihi non videtur. Nam plaga ceſſante nunquam ſe demiſiſſet eo: ut peteret veniam & concederet, quod prius obſtinate negaverat & toties coactus addicere, nunquam liber præſtare voluit. Illi igitur quos Pharao miſerat, ad Moſen & Aaronem ægrè pervenerunt, per tantas tenebras, quæ omnia occupaverant. Ridiculum eſt, quod quidam dicunt, Iſraëlitis quocunque incederent, lumen comes fuiſſe: etſi in iiſdem ædibus eſſent cum Ægyptiis. Nam Scriptura tantum dicit lucem ipſis fuiſſe in ſuis habitationibus. Pharao igitur diſceſſu caliginis reſtitutus ſibi & luci tantum permittere voluit, ut Hebræi cum uxoribus liberisque irent immolatum & ſacra facturi, at ut remanerent pignori boves & oves. Moſes autem ſe indigere dicebat victimis, quarum indicatio exſpectaretur, facienda à Deo in ſolitudine. Propterea omnia ſecum ſumpturos ut nihil nec ungulam domi relinquerent, incertos ſcilicet quid quantumque Deus præcepturus eſſet. Pharao id ita interpretatus tanquam fugam meditarentur:

rentur: asperè Mosen Aaronemque excepit: Interminatus mortem, si oculis & aspectui suo se ulterius offerrent. Hic exitus fuit penultimæ plagæ id est caliginis: De cujus causa disputat Burgensis adversus Lyranum. Lyranus putat ex defectu cæli luminarium (quæ non influebant lumen Ægyptiis) evenisse. Burgensis è densatione aëris. Burgensis: *Non videtur necessarium dicere, quod ista plaga, scilicet tenebrarum, facta fuerit mediantibus cæli luminaribus. Sufficit enim, quod fuerit solum in aëre & ubi Ægyptii habitabant tantum. Unde aër ille fuit ingrossatus & densatus virtute Divina, in tantum quod perdidit diafaneitatem, sic ut non esset capax lucis: quod patet manifeste ex hoc quod dicit:* Tribus diebus nemo vidit fratrem suum. *Nam si aër fuisset capax luminis, potuissent se videre invicem cum lucernis sive lampadibus igneis, quibus homines communiter illuminantur, etiam in nocte, quantumcunque obscurissima. Hoc etiam videntur sonare verba, quæ dicuntur de his tenebris, scilicet,* ut palpari queant. *Ex qua quidem grossitie tam palpabili contingebat, quod dicitur,* Nemo movit se. *Quia tanta erat grossities, quod impediebat motum. In sola enim obscuritate, quantumcunque careat luce, homines moventur, præsertim in locis sibi notis. Unde etiam in nocte obscurissima nonnulli proficiscuntur: Et ideo oportet, quod hujus, quod dicitur* (Nemo movit se) *causa fuerit grossities palpabilis aëris tenebrosi. Unde in hac plaga cæli luminaribus suo more influentibus aër Ægyptiorum non recipiebat lumen ratione prædicta, aër vero Hebræorum illuminabatur ut solebat. Est enim hæc expositio magis consona rationi: quia secundum philosophum,* Frustrà fit per plura, quod potest fieri per pauciora: *Et eadem ratione,* quod potest fieri per minora non requiritur quod fiat per majora. *Et ideo non oportet dicere, quod Deus in hac plaga influentiam cælestium luminarium mutaverit: sicut nec litera hoc dicit. Sed solum fuit mutatio in natura aërea elementari, modo prædicto.* Hic Doring replicat: *Burgensis notat Postillatorem dicentem plagam nonam, quæ erat tenebrarum, fuisse mediantibus luminaribus cæli, in quibus Deus suspendit actum secundum, scilicet, illuminare: nulla mutatione facta, in eorum natura, quoad actum primum, qui est lucere. Sicut etiam dicit suprà Danielem de igne trium puerorum, in quo fuit suspensus actus secundus, qui est calefacere & comburere: primo actu scilicet calore manente. Quem modum dicendi rationabilem & intelligibilem Burgensis hic nititur corrumpere, dicens, quod illa plaga scilicet tenebrarum, sit facta per condensationem aëris tantam, ut perderet diafaneitatem. Et hoc probare nititur ex eo, quod dicitur in litera, quod* Tribus diebus nemo vidit fratrem suum. *Asserens, si aër fuisset diafanus & capax lucis, potuissent accendere lucernas, & sic se mutuò videre. Item secundò ex eo, quod tenebræ dicuntur* palpabiles. *Quod contingebat ex hujusmodi ingrossatione, quæ tanta fuit, ut etiam motum impediret. Quia dicitur in litera:* Quod nemo movebat se de loco. *Et confirmat factum duplici ratione. Prima, Quia frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora. Secunda ratio, Quia frustra fit per majora, quod per minora fieri potuit. Cujusmodi est aër respectu lucis. Sed hæc videtur grossa & ruralis imaginatio, militans contra rationem & naturam rerum. Nam destruit naturam, rationem & nomen plagæ. Ipsa enim plaga dicitur in litera* Tenebræ. *Tenebra autem est privatio lucis in subjecto apto nato: quæ privatio imaginatione Burgensis locum non habet: quia nihil aptum est illuminari, nisi diafanum: qualis non erat aër Ægyptiorum pro tunc secundum Burgensem. Et sic secundum eum non potest dici plaga tenebrarum sed condensationum: quod est contrà literam. Secundo destruit naturam & rationem aëris. Nam aër de sua natura est corpus interminatum terminis propriis & ideò diafanum. Condensatione igitur Burgensis posita, quod aër non sit diafanus, sequitur aerem non esse corpus interminatum: & sic sequitur aerem non esse aerem. Tertiò destruit motum naturalem, quia posita tali densitate aeris ut impedisset motum*

anima-

animalem, etiam impediisset metum naturalem: & ideò in tali aëre grave positum non moveretur deorsum nec leve sursum. Nec apud Ægyptios tribus diebus fuisset in tali aëre inspiratio & respiratio. Et sic novo miraculo sine spiraculo tribus diebus vixissent. Et multa alia inconvenientia contingunt sic grosse imaginanti. Nec rationes eum moventes ad sic dicendum cogunt. Non prima, quia supponit contra literam, quod potuissent accendere lucernas. Nam in litera dicitur quod nemo se movebat de loco, tempore illarum tenebrarum: ideò nemo poterat accendere lucernam. Et breviter potest dici, quod eodem miraculo, quo Deus suspendit actum secundum luminarium cæli, quoad Ægyptios, ita etiam luminarium quorumcunque. Et sic nec ignis nec candela illuminationis habuissent officium, sed remansissent in suis naturis & actibus primis. Nec oporteret ibi assignari secundum miraculum. Nec secunda ejus ratio movet, cum dicit tenebras fuisse palpabiles. Hoc enim dicitur hyperbolicè secundum glossam interlinearem: quia tenebræ palpari non possunt: sed significat magnitudinem tenebrarum. Secundum enim virtutem sermonis, si talis aer densatus per literam prætenderetur, potius diceretur tenebrosum palpabile, quam tenebræ. Secundum autem illam positionem aer tenebrosus poni non potest: quia cum non esset diafanus, non fuisset capax lucis, igitur nec privationis opposita: sicut lapis non potest dici cæcus, quia non est capax visus &c. Confirmationes autem hujus positionis sunt contra ponentem. Quando enim primò dicitur: Frustra fieri per plura &c, manifestum est ex dictis, quod oportet apud Burgensem plura assignare miracula, apud postillatorem autem unicam suspensionem actus secundi cujuscunque lucis. Innititur igitur paucioribus. Quod secundò additur: Frustra fieri per majus &c. contra eum est, quia per aerem & ejus dispositionem, tenebræ fieri non possunt, luce præsente secundum omnem sui actum. Densitas enim aeris facit nubilum non tenebras ut patet temporibus nebulosis. In exordio namque mundi ante lucis creationem dicitur, Tenebræ erant super faciem abyssi. Post creationem autem lucis nunquam legimus tenebras, nisi luce deficiente secundum actum secundum scilicet illuminare: per actum autem primum nunquam defecit lux, quando in se ipsa luceret.

Confidenter Moses Pharaoni dixit (cap. 10. v. 29.) Rectè dixisti, Non amplius videbo faciem tuam, tamen loquitur cum illo in capite XI. à v. 4. ad 9. Hinc interpretes ita disponunt (Aben-esdras & Rasi aliique eos secuti) caput XI. Existimant in principio, tribus versibus, causam assignari confidentiæ Mosis, quod scilicet ante finem plagæ nonæ, priusquam Pharao Mosen vocaret petiturus ejus plagæ amotionem, Deus Mosi locutus sit, significans unam plagam residuam esse: qua evictus Pharao populum non tantum dimitteret sed & exturbaret. Cum autem Deus vellet ut pro laboribus suis mercedem haberent ab Ægyptiis, præcepisse, ut mutuo ab ipsis peterent, quæ vellent & pretiosissima quæque. Hoc autem faciendum antequam decima illa plaga eveniret: quia festinatio ejectionis eam moram non esset habitura. Promisit simul se gratiam daturum, ut apud Ægyptios in pretio & admiratione essent, quo facilius petitionibus annuerent.

Deinde à v. 4. ad 9. Continuat Moses sermonem cohærentem cum fine capitis decimi. Comminatio est eventuræ plagæ:

v. 4. *Ita dicit Dominus: Media nocte egrediar per mediam Ægyptum.*

v. 5. *Et morietur omnis primogenitus in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis sedente* (jamjam sessuro) *super solium ejus usque ad primogenitum ancillæ post molam: & omnis primogenitus pecudis.*

v. 6. *Eritque clamor magnus in tota terra Ægypti, qualis non fuit neque erit.*

v. 7. *At apud omnes filios Israel non movebit canis linguam suam, ab homine ad pecudem: ut sciatis quod Dominus discriminaverit inter Ægyptios & Israël.*

v. 8. *Et descendent omnes hi servi tui ad me & adorabunt me, dicendo: Egredere tu totusque populus, qui est in pedibus tuis: post id egrediar. Tum exiit à Pharaone in æstu ira.*

Cum Pharao minaretur Mosi, si oculis suis se iterum objiciat, Moses excipit: Se non iterum sub conspectum ejus venturum esse. Sciebat enim, quid ipsi Divinitus indicatum esset, antequam à Pharaone ob hanc plagam ejusque amovendæ causa vocaretur. Sed, enuntiabat simul quid Deus pro extremo ipsius contumaciæ minitaretur. Ultima plaga fuit primogenitorum interitus. Verba Dei, quæ Moses recitat, minantur Deum egressurum per Ægyptum nocte media (scilicet subsequente. Nam intervallum majus interesse non debuit ante pœnam tantæ contumaciæ, qua servos Dei jam ejiciebat sub comminatione mortis seque omninò auditurum esse negabat) percussurum Ægyptiorum primogenita, hominum pecudumque, parsurum Israëlitis, qui in alta pace & tranquillitate interim acturi essent. Hinc eventurum, ut hi, qui Pharaoni in aula adstabant & nunc ejus crudelitati blandiebantur, conturbati, paventes trementesque se (Nam v. 8. Mosis non Dei verba habet) prostratis in terram corporibus oraturi essent, uti cum populo suo egrederetur. *Media nocte,* כחצות הלילה] Rasi: *Secundum divisionem noctis:* כחצות ut (Ps. 124. 2. 3.) Secundum ascendere, in accendi iram eorum in nos. *Hic est simplex ejus sensus* לישבו על אופניו. *Quoniam non est nomen, ut* חצי. *Magistri commentantur* כחצות/ דמשמע סמוך לו או לפניו או לאחריו) כחצות *dicuntque quod Moses dixerit* הלילה כמו) *significatione prope aut ante post: neque dixerit* בחצות: *Fortaßis erravissent Astrologi Pharaonis & dixissent Moses mendax est.* Aben-esdras: *Quidam subtiliter exponunt, quod dixerit* כחצות/ שם הפעל (infinitivus pro nomine verbali actionem notante) *ut sensus sit, Cum fuerit medium noctis* [כשוה] *præcise. Nam volunt esse ut* (Et fuit in medio noctis) *At notum quod non poßit sapiens scire momentum medii diei, nisi magno labore per instrumenta magna ænea; quanto minus dimidium noctis, quia id difficilius. Secundum opinionem meam omnibus his opus non est: Nam sensus* (כחצות הלילה) *est, quando transierit pars media noctis prima & sic in medio noctis reliquo. Cui firmando liquidum illud* (Ruth. 3. 8.) Et fuit in medio noctis & tremuit vir & circumquaque apprehendit. *Et* (Ps. 119. 62.) [secundum] dimidiari noctem, surgo, ut tibi confitear. Aben-esdras illud אני/ quod Deus pronuntiat, exponit de decreto Dei: על הגזרה היוצאת מאת השם. Bene notat Deum inter primogenitos exprimere הנכבד והנבזה/ *spectatissimum & vilissimum:* significet neminem esse excipiendum. Tantam tranquillitatem apud Israëlitas fore Deus promittit, ut nec canis (quod genus ad omnem strepitum præcipue nocturno tempore, latrare solet) linguam moveat. Hyperbolice igitur, summam notat tanquillitutem, cum interim in Ægypto discursationibus, lamentis, tumultu & canum hominumque latratibus & ululatibus terra cælumque quaterentur. Quare, inquit Rasi, vapularunt filii ancillarum: שאף הם היו משתעבדים בהם ושמחים בצרתם. Rem non capiebat Judæus ille, ut se haberet in veritatis suæ complexu. Moses significat exorandum se esse precibus, ut educeret populum, qui nunc indignis modis à conspectu regis expelleretur eoque sub interminatione mortis interdiceretur, quia peteret dimissionem istius populi. Notat Rasi Mosen honorem hunc habere regiæ majestati, quod ipsum regem non exprimeret, sed de servis ejus tantum, quod ipsum supplices rogaturi essent: cum eventus docuerit, id etiam ab ipso rege factum esse, cap. 12. v. 30. 31. 32. Cum indignatione Moses & Aaron egressi sunt à rege, indignati quod Dei verbum tanto contemptu exceptum esset, rege instar feræ ad tot monita plagasque magis magisque exacerbato. Mireris non esse

esse ipsi manus injectas per vim: cæterum hoc ipso die, quo spolianda Ægyptus & spoliabatur Israelitis exsequi jam incipientibus, quod Dei nomine Moses præceperat, tanta gratia erant Israelitæ apud Ægyptios, ut nihil earum haberent, quod ipsorum gratiæ vellent denegatum. Hinc Moses apud eam gentem in summa veneratione erat: *Etiam vir Moses magnus valde in terra Ægypti in oculis servorum Pharaonis & oculis populi.* Cum igitur ipsum omnes suspicerent & venerarentur, haberentque, uti erat, pro Dei summi propheta & legato, Pharao non potuit eum pro crudelitate & immanitate sua tractare. Metuens seditionem desistere coactus est.

Josephus, qui vocatum Mosen esse putat post discussas tenebras, benè conjungit etiam verba cap. xi. v. 4. 5. 6. 7. 8. cum fine capitis x. ὁ δὲ βασιλεὺς, ὀργισθεὶς ἐπὶ τοῖς προειρημένοις ἠπείλησεν αὐτοῦ τὴν κεφαλὴν ἀποτεμεῖν εἰ πάλιν περὶ τούτων ἐνοχλῶν αὐτῷ προσέλθοι. Μωϋσῆς δὲ αὐτὸς οὐκ ἔτι ποιήσεσθαι περὶ τούτων λόγους ἔφησεν· αὐτὸν δὲ ἐκεῖνον αὐτῷ καὶ πρώτους τῶν Αἰγυπτίων παρακαλέσειν τοὺς Ἑβραίους ἀπελθεῖν.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

Cap. XXII.

Sed priusquam Ægypto populus est egressus, mandatis Domini instruitur, rudis adhuc temporum, mensem illum, qui tum erat, primum omnium mensium esse recognosceret: sacrificium autem diei illius in solennitatem consequentium seculorum ita esse celebrandum, ut quarta decima die mensis agnus immaculatus anniculus victima cæderetur: ejusdem sanguine postes illinerentur: carnem penitus exedendam, os autem non conterendum: septem diebus fermento obstinerent, azymis uterentur, ritumque hunc posteris traderent.

Drusius.

Rudis Adhuc Temporum] Erras Severe. Nam prius annum ordiebantur à Thesri, qui ex parte septembri nostro respondet. Accidit ergo tibi, quod aliis multis viris doctis probisque, qui dum res Ebræorum negligunt, in magnos & graves errores incidunt. Videndus ad hunc locum Josephus, item Nicolaus de Lyra & alii. Quanquam Paulus pro hac Sulpitii sententia disputat. Addit. 1. ad cap. 12. Exod. Vide, si vacas. Sunt qui mundum in autumno conditum autumant, quam opinio-

opinionem sequuntur frequentes Ebræi, etiam Christiani doctiores. Minus audiendi, meo judicio, qui ejus originem referunt ad æquinoctium vernum. Qua de re dicam alias.

MENSEM ILLUM QUITUM ERAT] cum Ægypto egrederentur: qui partim Aprili nostro, partim Martio respondet, quem Nisan vocant vocabulo Syriaco an Persico? Dicitur etiam mensis novorum, Græcè νέων, hoc est, novarum frugum. Stephanus Gobarus apud Photium, ἐν τῷ μηνὶ τῶν νέων, εἴτουν Ἀπριλλίῳ, ἐν ᾧ ἰβραῖοι νεῶν καλοῦσι, Macarius Ægyptius eum appellat mensem florum, Hom. 47. ἐν τῷ μηνὶ τῶν ἀνθῶν ἐξάγει αὐτοὺς ἐξ Αἰγύπτου: *In mense florum educit eos ex Ægypto.* Mensis novorum incipiente veris exordio meminit Hieron. in comment. Hag. 2.

SACRIFICIUM AUTEM DIEI ILLIUS] intelligit Pascha: quod Josephus quoque sacrificium appellat, Orig. Jud, lib. 3. cap. 4. *Sacrificium*, inquit, *quod tunc exeuntes fecisse diximus, Pascha nominatum, quotannis instaurare lege jubemur.* Cænam puram vocant Augustinus & Chrysostomus.

IN SOLENNITATEM CONSEQUENTIUM SÆCULORUM] usque ad tempus Messiæ, in quo finem accipiebant omnes cerimoniæ legis. Græcè est, Exod. 12. 14. εἰς πάσας τὰς γενεὰς ὑμῶν νόμιμον αἰώνιον ἑορτάσετε αὐτήν; & apud interpretem nosttum, *celebrabitis eam in generationibus vestris cultu sempiterno.*

SECULORUM] secula dixit, quas Ebræi דורות/ Græci γενεὰς appellant, Latini autem ætates aut generationes. Alioqui seculum definitur spatium triginta vel centum annorum. Generatio seu ætas hominum est simul orientium & occidentium. Quod spatium vitæ humanæ continet anno 70. aut 80. secundum Davidem.

AGNUS IMMACULATUS] expressit quod in plerisque Græcis codicibus ἄμωμον, Exodi 12. 5. Sic etiam Hier. agnus absque macula, id est, sine ullo vitio corporis. Quod noto, ne quis existimet hic sermonem esse de maculis, quæ in pelle μῶμος macula, Ebraice מום. Jam est תמים in fonte, quod reddunt integer; τέλειον.

AGNUS] Ibid. ἀπὸ τῶν ἀρνῶν καὶ τῶν ἐρίφων. Unde Lyra dicit שה etiam hædum significare. Sed hoc negat Paulus Burgensis Episcopus.

ANNICULUS] filius anni, ἐνιαύσιος. Quidam, filius anni sui. Quod in idem recidit. Quanquam nonnulli discriminent. Aben-esra, *Dicit R. Iosua discrimen esse inter filius anni & filius anni sui, Nam de quo dicitur filius anni ei ascendit annus: filius autem anni sui significat id quod sonat. Et ecce in oblatione principum legimus, agnus unus filius anni sui, & post scriptum est, agnus filius anni.* Hic agnus sumebatur ex ovibus aut ex capris. Quod in Ebræo, *& ex capris:* quale illud, *qui percusserit patrem aut matrem*, ubi similiter (&) in fonte. In Hieron: *juxta quem ritum tolletis & hædum.* Quæ versio errandi causam nonnullis præbuit, ut existimarent una cum agno hædum immolatum fuisse. Sanè hac de re Theodoritus, *præcipit non ut utrumque simul immolent, sed ut is qui ovem habeat agnum immolet: qui verò careat ove immolet hædum.* Memoria proditum est hunc agnum anniculum usque ad 14. diem quo mactabatur, ad fulcrum spondæ alligatum fuisse, ut omnium aspectui pateret, atque ita illis de redemptione sua inter se conferendi occasionem daret. Autor Fagius in notis ad Oncelon.

CARNEM PENITUS EXEDENDAM] in aliis epulis partes mittebant amicis & pauperibus. Quod hic fieri non poterat. Tota enim cæna absumebatur. De carnibus loquor: nam reliqua comburebantur, ne quid remaneret. Vide Thargum Jonathæ, Exod. 12. 46.

POSTIS]

Postes] portæ domus, non cubiculi, in quo agnum edebant. Quorsum hæc? An ut angelus viso sanguine sciret esse domos Israëlitarum quas transiliret? Aut potius hoc factum in contumeliam Ægyptiorum qui arietem pro Deo colebant? prius verius videtur. Nam cum tenebræ essent, sanguis ille videri non poterat ab Ægyptiis, nisi postridie. Theodoretus, *Notandum quod Deus postes jusserit sanguine tingi, ut cum exterminator transiret ad Ægyptiorum primogenita perdendum, sanguinem super postes aspiciens, Ebræorum domos illæsas transiliret. Non quod his natura illa corporis expers indigeret, sed ut illi hoc signo docerentur quanta erga illos essent Dei cura & providentia.* Cæterum illinebatur præter postes etiam limen superum, quod Græci ὑπέρθυρον καὶ αὐτόφλιν.

Os Autem Non Conterendum] nempe ut eo celerius abire possent. Nam tempus requiritur ad confringenda ossa. Quod fit cum ex illis medullam educimus. Nam tum confringi solent.

Azymis Uterentur] id est, infermentatis panibus quos ἀζύμους Græci vocant, καὶ τὰ ἄζυμα. Hos edebant cum lactucis agrestibus, si modo πικρίδες & מרורים sunt lactucæ agrestes, quemadmodum Hieronymus interpretatur. Cyprianus vocem Græcam retinuit, referens, cum picridibus: etiam Faustus apud Augustinum lib. 32. cap. 3. nisi quod in eo cum picridiis, tanquam à recto picridia. Vulgo πικρὶς exponitur intybum seu cichorium. Sed Gaza πικρίδας alicubi lactucas agrestes & alibi amaragines transtulit. Plinius lib. 13. cap. 8. Ubi de lactucæ generibus, *pessimum autem genus cum exprobratione amaritudinis appellavere picrida.* Sed est qui negat lactucas amaras esse, Hieronymum reprehendens: frustra. Nam sylvestrem lactucam habere folia amara, homines rei herbariæ periti prodiderunt. Qua de re fusè diximus in notis magnis ad Exodum.

Schotanus.

Priusquam Ægypto Populus Est Egressus] Quidam inter quos Lyranus, existimant institutionem primam agni Paschalis datam esse inter nonam plagam & decimam. Cum autem videatur Deus Mosi locutus esse cum principio mensis illius, adeoque in ipso novilunio, quem deinceps voluit pro anni primo mense haberi, & decimo quarto die exodus facta sit, toti dies quatuordecim inter nonam decimamque plagam interjecti fuerint. Nos arbitramur mox à fine nonæ plagæ, id nocte subsequente aut post sequentem diem evenisse decimam. Nam Moses, Pharaoni minato mortem, si iterum molesti essent, denuntiat paulò post eventuram plagam, quæ ipsum cogeret mentem mutare: ut non ipsum Dei monitu adiret ex se Moses sed ab ipso supplice vocaretur. Concedo & placet sub initium mensis factam esse primam institutionem Paschatis, quæ commemoratur cap. 12. à v. 1. ad 27. incluse. Scaliger observat anno illo, quo Pascha instituit Deus & populus ex Ægypto est egressus, Neomeniam Nisan & æquinoctium vernum incidisse in eundem diem, nempe secundam Aprilis in anno Periodi Julianæ 3217. Nicolaus Mullerius in tabulis Frisicis pag. 214. æquinoctium vernum collocat in quinto die Aprilis ejusdem anni: in novilunio ipsi convenit cum Scaligero. Anne antehac menses Lunares in usu fuerint apud populum Hebræum, dicere non habeo, quamvis videatur esse probabile: cum in institutione non dicatur, Posthac menses Lunares & novilunia observabitis, sed tantum hic mensis vobis primus erit. Exod. 12. 2. Atqui si in usu quod non erat, prima illa institutione datum est & jussum, cur non exprimitur? Scaliger lib. 5. de Emendat. temporum. *Merito igitur Deus*

pro veteribus mensibus dierum aquabilibus Lunares instituis & pro septimo primum, in quo & servitutis jugum à cervicibus Hebraorum depulit & cujus neomenia cum neomenia æquinoctiali concurrebat. Negandum non est annum solarem in usu post Exodum mansisse, sed id firmo argumento non est, nullum lunarem fuisse in usu ante Exodum. Id tantum videtur sequi in sacris habuisse usum mensium lunarium observationem, cum in computo annorum & usu civili solarium haberetur usus & ratio mensium annorumque. Post multa secula desiit apud Hebræos usus anni solaris, post tempora Salomonis; usu ad sacra ad civilem paulatim extenso. Vide diagramma dierum istorum, quibus ad exodum se præpararunt & exierunt Ægypto.

Anno M.C. 2453.

Aprilis	II.	Nisan (mensis Lu-	I.	Feria V.	Deus Mosi loquitur
	III.	naris) primus	II.	Feria VI.	de prima institutio-
	IV.	mensium anni in	III.	Feria VII.	ne Paschatis.
	V.	sacris inde ab	IV.	Feria I.	
	VI.	Exodo.	V.	Feria II.	
	VII.		VI.	Feria III.	
	VIII.		VII.	Feria IV.	
	IX.		VIII.	Feria V.	
	X.		IX.	Feria VI.	
	XI.		X	Feria VII.	Separari debuit a-
	XII.		XI.	Feria I.	gnus à grege. Exod.
	XIII.		XII.	Feria II.	12. 3. Triduum te-
	XIV.		XIII.	Feria III.	nebrarum.
	XV.		XIV.	Feria IV.	Agnus sub vesperam mactatus in primum Pascha.
	XVI.		XV.	Feria V.	Media nocte egreditur populus cum
	XVII.		XVI.		cæsa essent primogenita.

De preparatione populi ad exitum.

PRæparavit se populus duabus præcipuè rebus: Commodato sumentes vasa & res Ægyptiorum, & Paschalis agni usu. Spoliarunt Ægyptum. Commodato petierunt, quæ reddere in animo ipsis non erat. Augustinus quæst. super Exodum 39. *Non hinc quisque sumendum exemplum putare debet ad exspoliandum isto modo proximum. Hoc enim Deus jussit, qui noverat, quid quemque pati oporteret: nec Israëlitæ furtum fecerunt, sed Deo jubenti ministerium præbuerunt. Quemadmodum cum minister judicis occidit eum, quem judex jussit occidi: profectò, si id sponte faciat, homicida est, etiam si eum occidit, quem scit occidi à judice debuisse. Est etiam alia nonnulla quæstio. Si seorsim habitabant Hebræi, in terra Gessen, ubi nec plagæ fiebant* (Existimat cum Philone & aliis nullam plagam in Gessen apud Israëlitas evenisse) *quibus regnum Pharaonis affligebatur, quomodo quisque petit à proximo vel à proxima aurum, argentum, & vestem, præsertim, quia ubi primum mandatur hoc per Mosen sic positum est:* (Exod. 3. 22.) Et mulier à vicina sua & concellaria vel concellanea (*si ita dicendum est*) vel coha-

cohabitatrice ſua. *Vnde intelligendum eſt etiam in terra Geſſen non ſolos Hebræos habitaſſe, ſed eis aliquos Ægyptios in illa terra cohabitatores fuiſſe ad quos potuerunt merito Hebræorum etiam illa divina beneficia pervenire, ut hinc eos diligerent iidem Ægyptii cohabitatores, ac quod petebant, facile commodarent: nec tamen Deus judicavit illos ita alienos fuiſſe ab injuriis & contritionibus, quas populus Dei pertulit, ut nec iſto damno ferirentur, qui plagis illis propterea quod terræ illi parcebatur, percuſſi non erant.* Cæterum in eo nodus videtur hærere, quod commodato petentes verbis animum habuerunt retinendi. Lyranus, *Dicunt Hebræi, quod in exitu populi de Ægypto dominus dedit eis tantam gratiam, quod liberaliter offerebant & dabant eis jocalia pretioſa: ſed hoc non videtur concordare literæ.* Nam in litera eſt *Poſtulabit* &c. Proinde ipſe putat petiiſſe per modum mutui: ſed Ægyptios non repetiiſſe quia erant intenti ſepulturæ primogenitorum & perturbati luctu metuque. Sed nec ita difficultas amota eſt: Nam qui commodatò petiit, reddere ſponte tenetur & alienum reſtituere, tanquam ſi oneri eſſet. Simberus: *Porrò videntur mendacio uſi Iſraëlitæ, petentes mutuò, quod tamen nunquam reſtituerunt: non autem dicere poſſumus, Deum præcepiſſe illis mendacium, qui veritas eſt. Veroſimile eſt vaſa in uſum ſacrificii & ad feſtum diem celebrandum petiiſſe. In eo autem non ſunt mentiti. Nam ex his opibus poſteà contulerunt dona ad ornatum & ſtructuram tabernaculi & ſacrificii. Quod ſi mentio facta fuit, ut commodato vel mutuo darentur hæc: tamen conditio hæc ſubintellecta eſt, poſt reditum. Cum igitur non redierint neque id licuerit, Deo jubente progredi: item cum non minima pars Ægyptiorum cum rege in mari rubro perierit ſponſione ſua liberati ſunt.* Placet ſane animum retinendi non fuiſſe Iſraëlitis niſi poſtquam Deus oſtendit, nolle reditum & reſtitutionem. Atqui dixeris, Jam Moſi dixerat Deus Exod. 3. 21. 22. ad montem Sina, ita ſpoliandam eſſe Ægyptum? Reſpondeo, Hoc Moſi dictum non innotuit Iſraëlitis, ſaltem non innotuit jam & ita implendum eſſe. Petierunt igitur tanquam reſtituturi poſt reditum. Niſi dicendum ſit, Petiiſſe tanquam mandato Dei ſui, qui juſſerit ea ſibi petere, ſe autem neſcire cui fini aut uſui. Auguſtinus ex verſione LXX. interpretum (Exod. XI. 2.) putat id præceptum juſſu Dei quaſi ſecretò inſuſurratum eſſe, ne Ægyptiis propoſitum pateſceret. Id non habetur in textu: hoc tantum ſignificatur palam populo audiente non ad ſolos ſeniores Dei mandatum exponendum eſſe. Non eſt otioſum etiam וישאלום quod habetur cap. 12.36. *Fecerant eos petere.* Ut obtulerint & invitaverint ad petendum: unde non fuit opus ſolicita ſponſione de reddendo. Gratiam Deus populo dediſſe dicitur, qua facile obtinebant, quod ab Ægyptiis petiere. Anne hanc gratiam procuravit beneficium protectionis, qua immunes fuerunt habitatores terræ Goſen à plagis quas reliqua Ægyptus ſenſerat? Sic conjicit Auguſtinus: at Philo, qui etiam nullam de plagis attigiſſe Iſraëlitas opinatur, exiſtimat tamen incolas terræ Goſen Ægyptios afflictos omnibus fuiſſe. Τοσαύταις μὲν δὴ πληγαῖς καὶ τιμωρίαις Αἴγυπτος ἐνουθετεῖτο. ὧν οὐδεμία τῶν Ἑβραίων, καίτοιγε ἐν ταῖς αὐταῖς πόλεσι καὶ κώμαις καὶ οἰκίαις συνδιατριβόντων, ἥψατο, γῆς, ὕδατος, ἀέρος, πυρός, ἃ μέρη τῆς φύσεώς ἐστιν, ἣν ἀμήχανον ἐκφυγεῖν, ἐπιτιθεμένων. ὃ δὴ καὶ παραδοξότατον ἦν ὑπὸ τῶν αὐτῶν κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον καὶ χρόνον, τοὺς μὲν διαφθείρεσθαι, τοὺς δὲ σώζεσθαι. Ὁ ποταμὸς εἰς αἷμα μετέβαλεν, ἀλλ' οὐχ Ἑβραίοις. ἡνίκα γὰρ βουληθεῖεν ἀρύσασθαι τροπὴν ἐλάμβανεν εἰς πότιμον. Βάτραχος ἐκ τῶν ὑδάτων ἐπὶ τὴν χέρσον ἀνερπύσας, ἀγορὰς καὶ ἐπαύλεις καὶ οἰκίας ἐπλήρωσεν· ἀλλ' ὑπὸ τῶν Ἑβραίων ἐξανεχώρει μόνων, καθάπερ διακρίνειν ἐπιστάμενος, οὕστε χρὴ κολάζεσθαι καὶ τοὐναντίον. Οὐ σκνῖπες, οὐ κυνόμυια, οὐκ ἀκρίς, ἣ καὶ φυτὰ καὶ καρποὺς καὶ ζῷα καὶ ἀνθρώπους μάλιστα ἔβλαψε, τούτοις προσεπέλασεν. Οὐχ ὑετῶν οὐ χαλάζης οὐ κεραυνῶν αἱ

γενόμεναι συνεχεῖς φορᾶι, μέχρι τούτων ἔφασαν. Ἑλκώσεως τῆς ἀργαλεωτάτης εἰς τὸ παθεῖν, οὐδ' ὄναρ ἐπῄσθοντο· βαθυτάτου σκότους τοῖς ἄλλοις ἀναχυθέντος, ἐν αὐγῇ καθαρᾷ διῆγον, τοῦ φωτὸς ἡμερησίου ἐπιλάμποντος· ἀναιρουμένων τῶν παρ' Αἰγυπτίοις πρωτοτόκων, ἐτελεύτησεν Ἑβραῖος οὐδείς. Οὐδὲ γὰρ εἰκὸς ἦν ὅπου καὶ ἡ τῶν ἀμυθήτων φθορὰ θρεμμάτων ἐνδημίαν τῆς παρὰ τούτοις ἀγέλης συνεπισπάσαιτο πρὸς ἀπώλειαν &c. Concedimus Philoni quasdam plagas non tetigisse Israëlitas, ut pecudum pestem, ערוב / grandinem, caliginem, cædem primogenitorum, de quibus expresse Scriptura id pronuntiat: concedimus etiam Augustino cohabitantes in terra Gosen Ægyptios interim luce fruitos, dum cæteram Ægyptum tenebræ premebant. Ut Ægyptios cohabitatio non potuit à grandine, pecudum interitu & primogenitorum tutos præstare, quamvis potuerit à ערוב & caligine, ita Israëlitæ & Gosen non fuere liberi à quinque aliis plagis. Aliud enim est terram Gosen liberam fuisse, aliud solos Israëlitas. Mosis admiratio etiam gratos acceptosque fecit Israelitas. An ipsis affuderit Deus speciem quandam qualitatemque supernaturalem pulchritudinis in corpore, venustatis in verbis & gestu modoque agendi? Id vult Abulensis. Supra omnia corda flexit, qui format animam in medio hominis. Dices mihi, quomodo in tanta gratia esse potuerunt denuntiata jam plaga? Nam id emanasse ex aula quis dubitet? R. Deo corda ut diximus, flectente. Dei hanc voluntatem non fuisse ἄλογον neque ἄδικον certum est. Nam & hic videre possumus æquitatem. Voluit eos divites exire Ægypto, ut in solitudine tabernaculum cultumque Dei adornarent. Item laborum tot annis & ærumnarum mercedem compensationemque quandam eis retribui.

Hac freti gratia Hebræi non petiere pecunias, ut Abulensis observat: Petiere aurum, argentumque in utensilibus, in ornamentis: petiere vestes pretiosas (quæ duo textus exprimit Exod. 3. 22. & 11. 2. & 12. 35.) materiam quoque pretiosam omnis generis, ut indicat structura tabernaculi ejusque vasorum in deserto. Petierunt viri & mulieres, ut nihil deesset, quod uterque sexus vulgo terit amatque.

An à solis Gosenitis petiere? Non videtur, quamvis sic velit Abulensis. Nam dicuntur spoliasse Ægyptum. Oleaster apud Salianum ancillas Hebræorum Ægyptiis serviisse putat & ab heris petiisse. *Quemadmodum*, inquit, *apud nos Æthiopes & Saraceni servituti addicti. Dicit autem Moses hujusmodi ancillas Hebræas petituras à suis dominabus, in quarum domibus morabantur, vasa. Quoniam solent dominæ, cum festum celebrant servi aut ancillæ, ornare & induere eos, arbitrantes se in ornatu ancillarum ostendere divitias & ornamenta sua, ut apud nos fieri solet* in festo D. Virginis de Rosario: quando omnes *Æthiopes sericis induuntur. & torquibus & jocalibus aliis, ornantur à dominis suis.* Biduum igitur insumptum vasis omnibusque rebus pretiosis convehendis, utensilibus convasandis, cogendisque pecoribus: seque suisque instruendis: quod factu facile erat.

Lubeat audire Philonem, qui mavult dicere gentem Hebræam vi & jure suo prædatam esse Ægyptum, quam ut divinitus donata ea fuerint. Nec id fecisse priusquam expellerentur. Οἱ δὲ ἐλαυνόμενοι καὶ διωκόμενοι τῆς αὐτῶν εὐγενείας εἰς ἔννοιαν ἐλθόντες, τόλμημα τολμῶσιν, ὁποῖον εἰκὸς ἦν τοὺς ἐλευθέρους, καὶ μὴ ἀμνημονοῦντας ὧν ἐπεβουλεύθησαν ἀδίκως. Πολλὴν γὰρ λείαν ἐκφορήσαντες, τὴν μὲν αὐτοὶ διεκόμιζον ἐπαχθισάμενοι, τὴν δὲ τοῖς ὑποζυγίοις ἐπέθεσαν· οὐ διὰ φιλοχρηματίαν, ἢ ὡς ἄν τις κατηγορῶν εἴποι, τὴν τῶν ἀλλοτρίων ἐπιθυμίαν. πόθεν; Ἀλλὰ πρῶτον μὲν ὧν παρὰ πάντα τὸν χρόνον ὑπηρέτησαν, ἀναγκαῖον μισθὸν κομιζόμενοι· εἶτα δὲ ὑπὲρ ὧν κατεδουλώθησαν ἐν ἐλάττοσι καὶ οὐχὶ τοῖς ἴσοις ἀντιλυποῦντες. Ποῦ γὰρ ἴσθ' ὅμοιον ζημία χρημά-

τῶν καὶ στέρησις ἐλευθερίας. ὑπὲρ ἧς οὐ μόνον προΐεσθαι τὰς οὐσίας οἱ νοῦν ἔχοντες, ἀλλὰ καὶ ἀποθνήσκειν τολμῶσιν. Ἐν ἑκατέρῳ δὲ κατώρθουν, εἴθ' ὡς ἐν εἰρήνῃ μισθὸν λαμβάνοντες, ὃν παρ' ἀκόντων πολὺν χρόνον, οὐκ ἀποδιδόντων ἀπεστεροῦντο· εἴθ' ὡς ἐν πολέμῳ τὰ τῶν ἐχθρῶν φέρειν ἀξιοῦντες νόμῳ τῶν κεκρατηκότων. Οἱ μὲν γὰρ χειρῶν ἦρξαν ἀδίκων, ξένους καὶ ἱκέτας, ὡς ἔφην πρότερον, καταδουλωσάμενοι τρόπον αἰχμαλώτων· οἱ δὲ καιροῦ παραπεσόντος, ἠμύναντο δίχα τῆς ἐν ὅπλοις παρασκευῆς, προασπίζοντος καὶ τὴν χεῖρα ὑπερέχοντος τοῦ δικαίου. *Ad hunc modum expulsi protrusique, memores ingenuitatis suæ, ausi sunt facinus conveniens ingenuis nec oblitis quæ injustè passi essent. Multum enim prædæ cum extulissent, partim ipsi perferebant humerorum onere, partim jumentis imponebant: non ob cupidinem pecuniæ, aut (ut obtrectatores dicerent) alienarum rerum concupiscentiam: Quæ enim esse poterat? Sed primum ut diuturni laboris necessariam mercedem reportarent; deinde ut pro acceptis tempore, quo servierant, injuriis, exiguum damnum non ex æquo reponerent. Non est enim par jactura opum & libertatis: pro qua non solum, quibus mens sana est, facultates perdere sed & mori sustinent. In utroque igitur rectè ab illis factum est sive ut in pace mercedem receperunt, quo inviti longo tempore, cum non redderetur, privati fuerunt: sive ut in bello, hostilia rapere arbitrati more vincentium. Illi enim violentiæ autores primi fuerunt, qui hospites supplicesque suos (ut ante dixi) quasi captivos in servitutem redegerant. Hi autem cum occasio daret, ulti se sunt sine apparatu armorum, protegente & manum interponente justitia.* Josephus non facit mentionem petitionis, sed dicit Ægyptios donis afficeisse Hebræos partim ut maturius exirent, partim ob consuetudinem γειτνίαν. Hoc modo titulo donationis illa omnia spolia possedissent. Nos supra diximus, noluisse Deum, ut rebellione aut seditione populus jugum excuteret, quod, quamvis iniquum esset liberis, hospitibus & supplicibus imponi, postquam tamen præscriptio longi temporis jus firmasset, solvi non potuit, nisi ipsius Dei immediatò jussu: qui non nisi longissima patientia eo deveniri voluit. Servos autem & mancipia populum Hebræorum in Ægypto fuisse, quem sibi Deus in libertatem asseruit, passim testatur Sp. S. Sed Judaicum supercilium in Philone de majoribus suis servitutem non potuit confiteri. Marcion Spiritu illo, quo Manichæi ducebantur, antitheses formabat inter Christum & Deum veteris testamenti. *Christus enim nec virgam discipulis in viam ferre præscripsit, at creator profectionem filiorum Israëlis, etiam illis spoliis aureorum & argenteorum vasculorum & vestium præter oneribus conspersionum offarcinatam eduxit ex Ægypto.* Respondet Tertullianus, considerandam esse causarum offerentiam & intellectum iri *unam eandemque potestatem, quæ secundum penuriam & copiam, expeditionem suorum disposuit: proinde per civitates abundaturam circuiens sicut & egituram per solitudinem struxerat.* Proinde (verba Tertulliani & hæc sunt) *qui diversitatem causarum non respexit, facile eam potestatum existimavit.* Tertullianus Dei causam egit non Israëlitarum: *Quod si & Christus,* inquit, *dignos pronuntiat mercede operarios excusavit præceptum illud creatoris de vasis aureis & argenteis Ægyptiorum auferendis. Qui enim villas & urbes operati fuerint Ægyptiis digni utique operarii mercede, non ad fraudem sunt instincti sed ad mercedis compensationem, quam alias à dominatoribus exigere non poterant.*

Toto igitur biduo convasandis spoliis rebusque suis cum fuissent occupati, agnum Paschalem mactavere sub vesperam diei decimi quarti, cujus sanguine postes illevere, ut tuti essent ab exterminatore.

De Plaga decima Ægypti, nempe cæde primogenitorum.

Ægyptum fœdissimam (inquit Tertullianus) *superstitiosam, amplius bestiis populi conflictatricem, decemplici castigatione percussit* Deus. Ultima fuit cædes primogenitorum. Æquitatem hujus plagæ Deus superius demonstraverat, quia populum Israël primogenitum suum afflixerat: ideo percuti debuit primogenitus Pharaonis. Exod. IV. 22. 23. Clades miserabilis, quæ jam non in possessiones & corporum afflictionem sed vitam ipsam hominum grassabatur. *Περὶ γὰρ μέσας νύκτας* (inquit Philo) *οἱ πρῶτοι πατέρας καὶ μητέρας προσειπόντες καὶ ὑπ' ἐκείνων υἱοὶ πάλιν πρῶτοι ὀνομασθέντες, ὑγιαίνοντες καὶ τὰ σώματα ἐρρωμένοι πάντες ἀπ' οὐδεμιᾶς προφάσεως ἡβηδὸν ἐξαπιναίως ἀνῄρηντο καὶ οὐδεμίαν οἰκίαν ἀμοιρῆσαί φασι τότε τῆς συμφορᾶς.* Causa impulsiva, ob quam Deus primogenita percussit, non fuit alia, quam quod omnes morte dignos habens & quasi exitio destinatos pro cunctis primogenitos substituit, quorum morte cæteri redimerentur. Cumque Ægypti subditi incolæque essent & Israëlitæ, eos idem involverat fatum (ab exterminantibus angelis tota regione transituris) quod Dei benignitas avertit substitutione agnorum paschalium, qui filium Dei redemptorem figurabant. Ideo postibus illitus sanguis exterminationem ab ædibus avertit. Ægyptus igitur universi orbis habebat effigiem, in quo alii pro se luunt, alii in Messia. Cæterum dispensatio, quæ locum habuit in corporali morte non invenit locum in gehennæ supplicio. Philo cæcutit: *ἔτι πάντων· ἔτι γὰρ ἐρημῶσαι τὴν χώραν προῃρεῖτο ὁ θεὸς ἀλλὰ νουθετῆσαι μόνον ἔτι τῶν πλείστων ἀνδρῶν ὁμοῦ καὶ γυναικῶν ἐξ ἁπάσης ἡλικίας, ἀλλὰ τοῖς ἄλλοις ζῆν ἐφεὶς μόνων τῶν πρωτοτόκων κατεψηφίζετο θάνατον, ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ πρεσβυτάτου τοῦ βασιλέως παιδὸς, καὶ λήξας εἰς τὸν τῆς ἀφανεστάτης ἀλεθρίδος.*

Cladis magnitudinem Scripturâ indicat, scribendo: *Nullam fuisse domum, in qua mortuus non esset* cap. 12. 30. Hoc quidam accipiunt simpliciter & *κατὰ τὸ ῥητὸν*, alii *καθ' ὑπερβολήν*. In posteriori sensu Aben-esdras: על חרוב ידבר הכתוב. Ad priorem ut verus sit alii aliter computant. Rasi: *Ubi primogenitus erat, moriebatur, ubi primogenitus non erat, maximus natu vocabatur primogenitus. Q. D.* Etiam ego primogenitum eum constituam. *A. S. Ægyptiæ scortantes sub maritis suis: & impregnatæ sunt à juvenibus calibibus, fueruntque ipsis multa primitiva: aliquando erant quinque uni feminæ, quorum quilibet erat primogenitus patri suo.* Judaicæ nugæ & argutiæ. Abulensis putat se rationem invenisse, qua facile intelligi possit, in qualibet Ægyptiorum domo fuisse aliquem primogenitum. *Et sciendum,* inquit, *quod non solum vocantur hic primogeniti filii familias, qui sunt sub custodia patrum suorum & primo nati sunt: sed omnes homines in* Ægypto sive senes, sive juvenes, sive habentes tunc patres sive non habentes, qui apud patres suos primogeniti fuerunt; & sic multi senes centum aut plurium annorum mortui sunt in Ægypto, quia primogeniti erant: etiam contingebat, ut in eadem domo moreretur pater & filius, quia uterque erat primogenitus patri suo & pater ejus alteri patri suo primogenitus exstitit. Idem ille non adeo refugit fœmellas primogenitas hac clade involvere. Sic utriusque sexus primogenitos mactatos esse putant quidam, simulque computata omni ætate magnam multitudinem efficiunt: ut & permultos in eadem domo primogenitos fuisse oporteat. *Nam* (ut inquit Salianus) *pater & mater familias poterant ambo esse primogeniti, & si vir vel uxor bis aut ter fuerant juncti conjugio & ex unoquoque matrimonio liberos susceperant, qui primus exortus fuerat in singulis conjugiis occidebatur: sicque fieri poterat, ut in eadem domo sex septemve funera reperirentur.* Et facile aliqui horum, Dei ordinante providentia, ad

amico-

amicorum vel cognatorum commigraverant domos: in quibus ea nocte reperti, effecerunt, ut nulla omnino domus funere vacaret. Quod si plures familiæ in amplioribus ædibus diversabantur tanto plures in eadem domo reperti sunt mortui: cum nulli omnino primogenitorum parceretur ut ait Dionysius. *Iudicium* nostrum de cæsorum designatione.

I. Ad fœminas hæc res non pertinet. Salianus: *Ægre assentior de primogenitis fœminei sexus, cum Lorino nostro.* Tria argumenta suspensi assensus habet. 1. Deus cum consecrari sibi voluit primogenitos Israëlis pro primogenitis Ægypti, tantum masculos voluit. Quam rationem afferri à Comestore in historia Scholastica & à Dionysio. 2. Respondebat cædes primogenitorum cædi parvulorum Hebræorum secundum sapientem. Atqui soli masculi Hebræorum quæsiti ad necem. 3. Ubicunque mentio est hujus historiæ, solius masculini sexus fieri mentionem. *Locutiones autem universa*, inquit, *non adhibentur ad comprehendendas feminas sed primogenita jumentorum.* Certum est in hac substitutione feminas locum non habuisse. Hic sexus dignior locum habet & Messias denotabatur per primogenitos Israëlis, qui ejusdem rationis cum primogenitis Ægyptiorum.

II. Non potuerunt intelligi, qui ipsi familiam habebant & domum ducta uxore separati à paterna familia. Eorum relatio ad paternam familiam nulla hic est, uti videtur. Nam quælibet familia debuit agnino sanguine apud Israëlitas servari secundum primogenitum natum non parentem. Cum igitur de familiis ageretur & domibus, qui illis non includebantur domibus, eo nihil pertinebant. Nugamenti Judaici igitur est: Pharaonem etiam fuisse primogenitum, cui parsum sit, ut in mari periret.

III. Primogeniti à matre notantur non à patre, ut manifestum est: primo, quia consecratio eos voluit non hos. 2. Expresse dicitur primogenitus ancillæ non primogenitus servi, in opposito ad primogenitum Pharaonis. Excipies: Cur igitur non dicitur Primogenitus reginæ vel uxoris Pharaonis sed Pharaonis? Respondeo: Pharaonis ille primogenitus simul fuit uxoris κυριδίας ἀλόχου primogenitus. Etsi Pharao pluribus matrimoniis fuerit implicitus, & plures fuerint primogeniti (quot nempe masculini sexus partus primi) unus tamen fuit primogenitus à Pharaone, cui jure πρωτοτοκίας à patre regni successio debebatur. Ita Pharaonis primogenitus duplicem locum sustinuit. Primò venit pro Israël Dei primogenito tanquam patris; secundò pro hac substitutione, quæ filium Dei à virgine nasciturum demonstrabat.

IV. Qui erant matrum suarum maximi natu filii, si ante eas femella edita esset, hac designatione non includebantur. Nam non aperiebant uterum, quod scriptura requirit.

Hinc igitur cepit Primogenitura à matre æstimari in figura agni paschalis & primogenitorum consecratione, quæ nullum locum habuit in primogenituræ civilis æstimatione, ad illa privilegia, quæ dedit jus ab antiquo.

Dum inclusi ædibus epulantur Israëlitæ, quemadmodum Deus vetuerat ne foribus egrederentur (Non vult enim Deus ut judiciorum grassantium modum curiosius scrutemur) percussor המשחית tota grassatur Ægypto. Sapientiæ cap. 18. v. 9. ita legitur: κρυφῇ γὰρ ἐθυσίαζον ὅσιοι παῖδες ἀγαθῶν, καὶ τὸν τῆς θειότητος νόμον ἐν ὁμονοίᾳ διέθεντο. τῶν αὐτῶν ὁμοίως καὶ ἀγαθῶν καὶ κινδύνων μεταλήψεσθαι τοὺς ἁγίους, πατέρων ἤδη προαναμέλποντες αἴνους, Ἀντήχει δὲ ἀσύμφωνος ἐχθρῶν βοὴ καὶ οἰκτρὰ διεφέρετο, θρηνουμένων παίδων. Id Vulgata reddidit: *Abscondite enim sacrificabant justi pueri bonorum & justitiæ legem in concordia disposuerunt: similiter & bona & mala recepturos justos, patri omnium decantantes laudes. Resonabat*

autem inconveniens inimicorum vox & flebilis audiebatur planctus ploratorum infantum. Nec Latina nec Græca mendo carere videntur.

Quamvis singulari numero dicatur המשחית / tamen videtur plures angelos percussisse, cum in omnibus Ægypti terminis eadem hora cædes peracta fuerit. Dicamus etiam bonos potius quam malos in hac re Deo ministerium fecisse. In v. 19. ויהי בחצי הלילה ויהוה הכה: Quia τὸ Vau repetitur ante nomen Dei hinc putat Rasi cum Deo conjunctum fuisse בית הדין *domum judicii:* quemadmodum פלוני ופלוני / *ille & ille.* Cæterum hoc non procedit. Nam ea est connexio temporis superiore membro notati, ut Ruth primi versu primo & sæpe.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

CAP. XXIII.

ITa populus egressus, Dives suis copiis & Ægypti spoliis cumulatior. cujus numerus ex quinque & septuaginta Hebræis, qui primum Ægyptum descenderant, ad millia virorum sexcenta pervenerant. Ab eo autem, quo primum Abraham terram Chananæorum accesserat, anno tricesimo & quadringentesimo: à diluvio autem mille quingentis, quinque & septuaginta.

DRUSIUS.

SUIS COPIIS] Id est facultatibus. Sic Cicero, *copiis locuples.*

ÆGYPTI SPOLIIS] Exod. 3. 22. *Et spoliabitis Ægyptum:* quod Græce reddiderunt in edit. Rom. καὶ σκυλεύσετε. Rursum Exod. 12. 36. Καὶ ἐσκύλευσαν τοὺς Αἰγυπτίους.

EX QUINQUE ET SEPTUAGINTA] Secutus est Græcos, qui ad numerum, qui in codicibus Hebræis, quinque addiderunt. Quod studione ab iis factum sit an errore nondum mihi compertum. Hoc scio in alio loco quodam illius editionis legi septuaginta tantum. Quod suspicionem de mendo non minuit, sed auget potius, cum sint, qui πέντε factum putent ex πάντες levicula immutatione. Sane eadem vox superat in Josepho, ubi Isahacum decessisse ait natum annos centum octoginta quinque.

ÆGYPTUM DESCENDERANT] cap. 16. *in Ægyptum descendit* addita præpositione, quæ hic desiderari videtur, ut supra, *mox annonæ inopia Ægyptum concessit.*

AD MILLIA VIRORUM SEXCENTA] LXX. εἰς ἑξακοσίας χιλιάδας: quod ab

ab Hieron. verſum *ſexcenta ferè millia.* Sed alius elegit *ad ſexcenta millia:* in quo ſermone (ad) valet circirer. In Ebræo eſt Chaph, qua litera utuntur pro circiter ſive fermè, id eſt, μικροῦ δεῖ: & cum aliquid ita affirmant ut de eo dubitari non poſſit. Vocant Chaph ἀληθινὸν, cujusmodi forte hoc loco.

VIRORUM] peditum, præter imbellem turbam & vulgus promiſcuum innumerabile. Quæri poteſt an tam brevi tempore, quo fuerunt in Ægypto, in tantam multitudinem excreſcere potuerint? Qua de re vide ſodes Auguſtinum, quæſt. 43. Sed inprimis Chronologiam Temporarii, lib. 2. pag. 42. ubi ſchema propagationis Jacobæorum in Ægypto. Vide quoque quæ notavimus ad cap. 18.

QUO PRIMUM ABRAHAM TERRAM CHANANÆAM ACCESSERAT] imo quam primum egreſſus eſt Ure Chaldæorum. Egreſſus autem eſt anno ætatis LXX. Venit in Chananæam quinquennio poſt, hoc eſt, anno ætatis LXXV. Nam quinque annis hæſit in itinere, videlicet apud Carras oppidum Syriæ interamnis. Quinto & vigeſimo anno poſt natus ei fuit Iſahac: à quo tempore computari debent anni quadringenti, de quibus cap. 6. & alibi.

TRICESIMO ET QUADRINGENTESIMO] hic numerus habetur Exod. 12. 40. & in Epiphanii Ancorato, & in quadam pervetuſta editione, Actor. 7. 6. Proinde apud Lactantium Firmianum, lib. 4. cap. 20. ubi vulgo *poſt annos trecentos triginta*, legendum aio, *poſt annos quadringentos triginta.* Sane quidem erravit Lactantius ſi aliter ſcripſit.

A DILUVIO AUTEM MILLE QUINGENTIS QUINQUE ET SEPTUAGINTA] hic numerus concipitur & ſubducitur hac ratione. A diluvio ad ortum Abrahæ anni ſunt 1070. cap. 4. Ab ortu Abrahæ usque ad in greſſum Abrahæ in terram Chanaan 75. Gen. 13. 4. Inde ad egreſſum ex Ægypto anni 430.

	1070
	75
	430
Summa.	1575

SCHOTANUS.

COmploratio & planctus Ægyptum replevere, poſtquam ſubita morte primogenita hominum pecudumque interiiſſent.

Luctus ubique, pavor, & plurima mortis imago.

FEriebat enim המשחית tanquam tempeſtas, quicquid primogenitorum erat per totam Ægyptum, eodem momento. Credibile eſt tactos plaga ingemuiſſe nec alienatos mente aut ſuffocatos antequam doloris ſenſum edere poſſent. Cum parceretur canibus felibusque & omnigenis animalibus, quæ neque inter jumenta neque pecudes hominum uſus habet, pecora illa interiere, cum cariſſimis pignorum. Philo exiſtimat ita interiiſſe illa nocte pignora, ut animadverſum non fuerit, antequam prima luce ſurgentes mortuos eſſe viderent, quos cubitum ſanos valentesque dimiſerant. Sic etiam Iſraëlitæ ejecti non fuerint, antequam ſequens dies illuceſceret. Audiamus ejus deſcriptionem: Ἅμα δὲ τῇ ἕῳ, κατὰ τὸ εἰκὸς, ἕκαστοι θαυμαζόμενοι τοὺς φιλτάτους ἀπροσδοκήτως τελευτήσαντας, οἷς ὁμοδίαιτοι καὶ ὁμοτράπεζοι μέχρι τῆς ἑσπέρας ἐγεγένηντο, βαρυτάτῳ πένθει κατασχεθέν-τες,

τες, οἰμωγῆς πάντα ἐνέπλησαν. Ὥστε συνέβη καὶ διὰ κοινοπραγίαν τοῦ πάθους ἁπάντων ἀθρόως ὁμοθυμαδὸν ἐκβοησάντων, ἕνα θρῆνον ἀπὸ περάτων ἐπὶ πέρατα συνηχῆσαι τῆς πάσης τῆς χώρας. Καὶ μέχρι μὲν ἐν ταῖς οἰκίαις διέτριβον, ἀγνοῶν ἕκαστος τὸ τοῦ πλησίον κακὸν, ἐπὶ τῷ ἑαυτοῦ μόνον ἔστενε· προελθὼν δὲ καὶ γνοὺς τὰ τῶν ἄλλων διπλοῦν πένθος πρὸς τῷ ἰδίῳ καὶ τὸ κοινὸν εὐθὺς ἐλάμβανεν, ἐπ᾽ ἐλάττονι καὶ κουφοτέρῳ μεῖζον καὶ βαρύτερον, ἅτε καὶ τὴν ἐλπίδα τῆς παραμυθίας ἀφῃρημένος. Τίς γὰρ ἔμελλε παρηγορεῖν ἕτερον αὐτὸς ὢν τοῦδε χρεῖος: ὅπερ δ᾽ ἐν τοῖς τοιούτοις φιλεῖ τὰ παρόντα νομίσαντες ἀρχὴν εἶναι μειζόνων, καὶ περὶ τῆς τῶν ἔτι ζώντων ἀπωλείας καταδείσαντες, συνέδραμον εἰς τὰ βασίλεια δεδακρυμένοι καὶ τὰς ἐσθῆτας περιερρηγμένοι κατεβόων τοῦ βασιλέως ὡς πάντων αἰτίου τῶν συμβεβηκότων δεινῶν· εἰ γὰρ ἔλεγον, εὐθὺς ἐν ἀρχῇ, Μωσέως ἐντυχόντος, εἴασεν ἐξελθεῖν τὸ ἔθνος, οὐδενὸς ἂν τῶν γεγονότων πειραθῆναι τὸ παράπαν, Εἴξαντος δ᾽ αὐθαδείᾳ τῇ συνήθει, τὰ ἐπίχειρα τῆς ἀκαίρου φιλονεικίας ἐξ ἑτοίμου λαβεῖν: εἶτ᾽ ἄλλος ἄλλον παρεκάλει τὸν λεὼν μετὰ πάσης σπουδῆς ἐξ ἁπάσης τῆς χώρας ἐξελαύνειν· καὶ τὸ μίαν ἡμέραν, μᾶλλον δὲ ὥραν αὐτὸν μόνον κατασχεῖν, πρὸς ἀνήκεστον τιθέμενοι. *Simul cum prima luce ut est verosimile, quisque suos charissimos inopinata morte videns sublatos, quibus cum fuerant uno victu eademque mensa usi usque ad vesperam, gravissimo luctu apprehensi, comploratione omnia implevere. Adeò ob miseria communem affectionem pariter & confertim exclamantibus unam contigit lamentationem per omnem regionem à termino ad terminum unà reboare. Donec in ædibus versabantur, ignorans quisque proximi malum, ob suum tantum gemebat. Progressus autem & cognitis aliorum malis geminum mœrorem, cum proprio communem mox accipiebat, cum minori & leviori majorem & graviorem, tanquam frustratus spe consolationis. Quis enim posset alium consolari, qui ipse consolatione indigeret? Quod enim in talibus usu venire solet, præsentia majorum primordia existimantes esse, metuentesque de eorum, qui adhuc in vivis erant, interitu, concursum in regiam faciunt. Lachrymis perfusi, vestibusque scissis clamabant adversus regem tanquam omnium malorum, quæ evenerant, autorem. Si enim* (inquiebant) *mox in principio, Mose intercedente, permisisset egredi populum, nullum eorum quæ facta essent, ipsis eventurum fuisse: at quia consuetæ difficultati morem gesserat, pœnas importunæ contentionis ex parato luisse. Deinde alius alium incitabat, populum, cum omni festinatione, ex universa regione ejicere, etiam unum diem, quin & unam horam ipsum tantum detinere, pro irremediabili supplicio reputantes.* Josephus proximos regiæ confluxisse dicit ad regem & dedisse consilium ut Hebræos dimitteret: at fuit sine dubio petitio turbulentior.

Rex vocat ad se Mosen & Aaronem ipsa illa nocte (Exod. 12. 31.) Larga concessione imperat penè abitum ipsorum (Mosis & Aaronis) & totius populi, cum omni pecore: jubetque ut sibi etiam benedicat. Nugatur Rasi fuisse à Pharaone missum quendam, qui ostiatim circumiverit: היכן משה שרוי היכן אהרן שרוי Aben-esdras: *Probabile est, quod Moses & Aaron non fuerint in nocte decima quinta in terra Ramesses cum Israël, sed in Ægypto, quæ fuit locus regni, ubi erat Pharao: & ecce egressi erant ex ostio domus suæ præcepto Dei media nocte: & dedit ipsis potestatem Pharao, ut iret Israël ad cultum Dei: & ecce ivit Moses cum servis Pharaonis Ramessen ad educendum Israël. Notum autem hodie est, quod inter Ægyptum veterem, ubi erant Iosephi reconditoria nota usque hodie, & inter Ramessen sint sex parasangæ: Et ecce inceperunt egredi matutino tempore. Et hoc est tempus ascensionis columnæ auroræ: quando incipit ostendere lucem Sol in nubibus: & ecce est inter principium hujus momenti & ortum Solis hora æquabilis & tertia pars horæ: & ecce est nobis mane, quamvis profundæ tenebræ, ut Ruth. III. 14.* Et cubuit à pedibus ejus usque mane: *est tamen illic scriptum,* Antequam agnosceret alius alium. *Et ecce fuerunt ex Israel, qui exibant in principio columnæ auroræ, cum adhuc*

adhuc nox esset, secundum modum legis usque ad ortum solis: hi erant propinqui Ægypto at alii longius positi, egrediebantur die ipso: quia congregatio magna erat. Porrò est à principio Ramesßis usque ad finem ejus plus octo parasangis. Propterea scriptum est: (Deut. 16. 1.) Eduxit te Dominus Deus tuus ex Ægypto, noctu. *Et alia scriptura* (Exod. 13. 4.) Hoc die vos egredimini. *Amplius*: (Num. 33. 3.) Et filii Israël egressi erant in manu excelsa. *Etiam illic scriptum est*: Et Ægyptii sepeliebant: *At de die sepeliunt: quod jam exposui.* His argumentis contendit Aben-esdras egressum factum esse, partim nocte, partim de die. Sed & noctem illam celebrandam esse Deus præcepit: qua Deus eos eduxerat cap. 12. 42. Constat eos mensis primi die decimo quinto egressos esse Ægypto Num. 33. 3. Sive id de nocte ejus diei sive luce intelligendum sit: sive ita, ut componit Aben-esdras. Unum tamen videtur obstare Aben-esdræ conciliationi, quod non licuerit ea nocte egredi usque mane Exod. 12. 22. Sed illud בקר latius patet. Egressi igitur ante oculos Ægyptiorum Num. 33. 3. claro die è Ramesse regionis metropoli. Rex voluit ut sibi benedicerent, sibique bona precarentur. Hic Rasi iterum nugatur שלא אמות·שאני בכור.

Coiit universa multitudo in Ramessen, locum in terra Gosen ita appellatum. Josephus putat eò coactos fuisse, antequam Pascha ederent. *Καὶ ὁ μὲν ἑτοίμους ἔχων ἤδη τοὺς ἑβραίους πρὸς τὴν ἔξοδον καὶ διατάξας εἰς φρατρίας ἐν ταὐτῷ συνεῖχεν. Ἐνστάσης δὲ τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης πάντες πρὸς ἔξοδον ἔχοντες, ἔθυον* &c. In procinctu igitur stabant. Decima tertia die se paraverant, suaque omnia. Ita facilis & expeditus exitus fuit cum ab Ægyptiis urgerentur. Sed & hinc patet non rectè Josephum existimare, quod Spolia Ægypti demum collegerint aut acceperint post cædem primogenitorum. Tanta enim sarcinarum moles quibus Ægyptum dicuntur spoliasse, brevi colligi non potuit. Ante eam convasationem non erant *ἕτοιμοι πρὸς τὴν ἔξοδον.*

Innumeram multitudinem exiisse scriptura testatur, adeò ut videretur tota Ægyptus sedibus excita suis abitum parare. Nam virorum Israëlitarum origene (*στρατεύσιμον ἐχόντων ἡλικίαν*, Josephus dicit: *ἀνδρὸς ἡλικίαν* Philo) sexcenta millia fuere, præter imbellem sexum & ætatem. Philo: *ὁ δ᾽ ἄλλος ὅμιλος πρεσβυτέρων, παίδων, γυναικῶν οὐ ῥᾴδιος ἀριθμηθῆναι.* Præter sexum muliebrem, item pueros senesque, fuit multitudo promoscua, ערב רב / item pecudum immensa agmina. Illam multitudinem exponit Rasi: תערובת אומות של גרים Aben-esdras: מאנשי מצרים שהתערבו עמהם והם האספסף שנאספו עליהם *E viris Ægypti, qui se illis conjunxerunt, qui fuerunt turba collectanea, quæ collecta fuit cum illis.* Non tantum ex Ægyptiis sed & aliis populis, ut vult Ralbag. Philo: *Μιγάδων τε καὶ συγκλύδων καὶ θεραπείας ὄχλος συνεξῆλθεν, ὡσανεὶ νόθον μετὰ γνησίου πλῆθος. Οὗτοι δ᾽ ἦσαν οἱ ἐκ γυναικῶν γεννηθέντες τοῖς ἑβραίοις Αἰγυπτίων, καὶ τῷ πατρῴῳ γένει προσνεμηθέντες· Καὶ ὅσοι τὸ θεοφιλὲς ἀγάμενοι τῶν ἀνδρῶν ἐπηλύται ἐγεγόνεσαν· καὶ ἤδη τινὲς τῷ μεγέθει καὶ πλήθει τῶν ἐπαλλήλων κολάσεων, μετέβαλλοντο σωφρονισθέντες. Mixtorumque & confluentium & servitiorum turba unà exiit, tanquam notha multitudo cum genuina. Hi autem erant, qui nati Hebræis ex Ægyptiis mulieribus & patrio generi attributi: & quotquot virorum favorem Divini numinis diligentes advenæ facti sunt: Et jam quidam magnitudine & multitudine accumulatarum punitionum, animum mutabant, sapientiores redditi.*

Cum ejecti fuerint potius quam dimissi, dicuntur coxisse è farina, quam Ægypto extulerant עגות מצות / placentas infermentatas. Festinatio enim eam præceps tempus fermentandi excluserat. Rasi: חררה של מצה בצק שלא החמיץ קרי מצה *Placenta infermentata: massa quam non fermentarunt vocatur* מצה. Aben-esdras: *Ecce massam, quam extulerant ex Ægypto, non fuit in ea* (שאר)

R *fermen-*

fermentum, neque coxere, donec castra metati sunt in Succoth. Festinata expulsio non permiserat, ideo nec viaticum paraverant. Exod. 12. 39.

Philo dicit ideò Mosen divinitus, omnibus volentibus, datum esse ducem & regem; quia regium Ægypti diadema, in cujus spem alebatur, reliquisset. Accepisse igitur potestatem, non armis & copiis militum, neque per vim, sed delatam divinitus. Παρ' ἑκόντων ἔλαβε τὴν ἀρχὴν βραβεύοντος καὶ ἐπινεύοντος τοῦ θεοῦ. Per consensum populi electus non est, sed divinitus datus, ut plerique eorum, qui usque ad Saul principatum tenuere.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI PRIMI.
CAP. XXIV.

IGitur properè egressis columna nubis interdiu, noctu columna ignis præferebatur. Sed cum ob interjectum sinum Rubri maris, præter terram Philistim via duceret, ne postea Hebræis eremum aspernantibus redeundi in Ægyptum continentibus terris noto itinere facultas panderetur, nutu Dei aversi, in Rubrum mare illati sunt, castraque ibi cunctantes constituerunt. Quod ubi regi nuntiatum est, Hebræum populum, viæ errore, in objectum mare devenisse, nullum ei esse exitum obsistente elemento, furens animi, quo angebatur tot hominum millia regno & potestati decedere, exercitum properè educit. Iamque eminus arma signaque & protentæ patentibus late campis acies visebantur, cum Hebræis metu trepidis & cælum aspectantibus, Moyses à Deo monitus, percussum virga mare discidit. Ita populo cedentibus in latera aquis, velut in continenti iter pervium fuit. Nec cunctatus rex Ægyptius cedentibus insequi, mare, qua patebat, ingressus: mox coëuntibus aquis, cum omni exercitu deletus est. Tunc Moyses incolumitate suorum, exitio hostium virtuteque exultans, canticum Domino cecinit: idemque omnis turba virilis ac muliebris sexus fecit.

DRUSIUS.

COLUMNA NUBIS INTERDIU] Magis ut viam demonstraret, quam ut umbram præberet adversus æstum. Nam non tegebat castra Israëlitarum sed præcedebat ea. Noctu autem præferebatur prælucendi causa. Scire licet in deserto Arabiæ nulla vestigia hominum apparere, unde nec viæ ullæ. Ideo gnomone utuntur qui per illa loca iter faciunt,

faciunt, perinde ut qui in mari navigant. Quod aliàs probabo, si Deus voluerit.

Sinum Maris Rubri] qui Arabicus dicitur & Oceanum influit maris Indici. Hoc mare duos sinus habet: quorum alter, videlicet is, qui ab oriente est Persicus vocatur. Plinius lib. 6. cap. 23. Cur autem Rubrum dicatur, docet Brodæus Miscel. lib. 3. cap. 9. Ebræi vocant mare Suph, id est, algosum aut caricosum.

Præter Terram Philistim] ita locutus est cap. 11. *cum præter terram Edom iter destinaret.* Terram autem Philisthim appellat regiunculam, Philisthæorum, quæ Palestina vocatur, nomine strictius accepto, Ebraicè פלשת olim à Chaphthoræis habitata.

Philistim] rectius Philisthim, cum T. aspirato. Nam est Thau in scriptura Ebraica. Legitur & Philisthiim Græci Allophylos vocant, nomine generis ad certam speciem restricto.

Eremum Aspernantibus] nempe propter rerum omnium penuriam. Poterant etiam bellum aspernari, quod eis impendebat à Philisthæis, si per eorum regionem iter fecissent. Josephus Orig. lib. 2. cap. 6. *Duxit eos per mare rubrum, ne Palæstini quos ob veterem simultatem infensos habebant, de hac profectione certiores fieri possent.* Vide sis, Exod. 13.

Ibi] ante Beelsephon. Exod. 14. 2.

Nutu Dei] voluntate, imo jussu Dei.

Exercitum] curruum sexcentorum (700. Josephus) Exod. 14. 7. Equitum 50000. & peditum scutatorum 200000.

Mare Discidit] in scissiones, ut quidam volunt, duodecim: ut alii, duas tantum: quarum una in latum, altera in longum facta, Psal. 136. 13. *Qui scindit mare Suph in scissiones.* Vide Davidem Camium ad hunc ultimum locum & Nicolaum à Lyra, Exod. 14. 22.

Iter Pervium Fuit] per medium mare siccis pedibus transeuntes egressi sunt, ut Josephus ait, in adversum littus; ut alii putant, in idem littus. Siquidem Num. 33. 7. ingressi leguntur mare ad fauces Hahiroth, quæ in solitudinem Etham. Ibid. vers. 8. egressi dicuntur è mari in solitudinem, & ambulasse tribus diebus per desertum Etham. Qua de re consule Lyram, Exod. 14. & imprimis Burgensem in additionibus.

Cum Omni Exercitu Deletus Et] Osorius lib. 1. cap. 12. *Extant etiam nunc certissima horum monumenta gestorum. Nam tractus curruum rotarumque orbitæ non solum in littore, sed etiam in profundo, quousque visus admittitur, pervidentur*, &c. Cum exercitu etiam rex ipse periit. Fallit ergo nos Manetho Ægyptius scribens Themosin regem post expulsos pastores (ita vocabant olim Ebræos) regnasse annis viginti & mensibus quatuor, ut refert Josephus adversus Appionem lib. 1.

Virtuteque Exultans] cujus quæso? hostiumne an suorum. Atqui hic nulla Israëlitarum virtus: minus hostium, qui ad unum omnes in mari perierant. Quidam emendant, *virtuteque Dei.* Quid si, *exitio hostium interituque exultans?*

Schotanus.

Hujus capitis gesta continentur Exodi XII. à v. 37. ad finem; Hinc capp. XIII. XIV. XV. usque ad 22. Josephus explicat lib. 2. fine capitis V. tum capp. VI. & VII. usque ad finem illius libri.

PROPERE] Festinata egressio superius exposita est: sed præterit autor quod massas panum infermentatas ob festinationem coacti sint secum assumere, absque viatico: quod ossa Josephi extulerint secum: quod præcepta ipsis quædam hac occasione Divinitus data sint. Hæc tria consideremus: De primo notat Josephus, quod fecerit ipsis in itinere angustiam. Nam cum triduo festinatis itineribus pervenerint Beelsephontem positum ad sinum Arabicum, ubi per solitudinem ivêre: triginta totis diebus, donec ipsis Deus de manna prospiceret infermentatis panibus vitam sustinere coacti sunt. *πεφυραμένοις τοῖς ἀλεύροις καὶ πεπηγόσι μόνον ὑπὸ βραχείας θερμότητος, τοῖς ἀπ' αὐτῶν ἄρτοις διετρέφοντο.* Optimè id observatum à Josepho, hanc penuriam in septem diebus azymorum quotannis repræsentatam esse. Quamvis Deus ipsos pro sua opera mercedem habere voluerit in spoliis Ægypti, noluit tamen commeatum exportare ex Ægyoto, quia adducebat eos ut ipsos aleret. Mannæ etiam cælestis & aquæ de rupe desiderium accendi debuit præcedente inopia & defectu. Jusserat Deus ut septem diebus azymis vescerentur (Exod. 12. 15.) antequam exirent, hoc autem jussum voluit confirmari consequente defectu, ut altera causa azymorum esset memoria illius penuriæ.

Ossa Josephi (ex morientis jussu & adjuratione) secum extulere: Exod. 13. 19. In eum versum ita Rasi: *Quare non adjuravit filios suos, ut eum tollerent in terram Canaan confestim, sicut adjuravit Iacob. Dicebat Ioseph. Ego dominator fui in Ægypto & fuit sufficientia in manu mea ut ita facerent, at filii mei, non sinent eos Ægyptii ut faciant. Ideo adjuravit eos, ut quando liberarentur & exirent, inde tollerent.* Deinde: *Hinc discimus, quod etiam ossa* כל השבטים *| omnium patriarcharum asportaverint secum.* Aben esdras: *Commonefecit supra, ascendisse filios Israël viventes, in ætate illa, etiam extulerunt secum* הנכבר *illum venerabilem, qui fuit inter illos, quod per manum ejus descenderant in Ægyptum; & ipse adjuraverat eos ante mortem suam, ut ita dicerent filiis suis & filii hi filiis suis. Et ecce Moses studuit stabilire juramentum, ne veniret reatus super Israël. Nam videmus quòd principes Israël juraverint Gabaonitis & illi non juraverant eis nisi sub conditione, quod essent longinqui sicut dixerant; & postquam inventi sunt esse propinqui fuit rectum ut custodirent juramentum suum neque trans-gredcrentur ipsi & totus Israël præceptum* (Deut. 20. 16.) Non sines vivere illam animam: *sed propter reverentiam Dei ut non profanarent nomen ejus. At post multos annos punivit Deus filios Israël, quia Saul ausus esset occidere Gabaonitas, quierant in Nob civitate Sacerdotum. Recordatur autem ossium, quia tota caro & cutis extulit se vermibus & computruit, neque intra annos paucos relictum aliquid est præter ossa.* Hæc sobria sunt sed vanitates Judaicas audi, si placet, è Thanchuma: *Unde sciebat Moses, ubi sepultus esset Ioseph? Dicunt: Sare filia Aser, superstes erat ex illa generatione, qua indicavit Mosi, ubi sepultus esset Ioseph. Steterant Ægyptii & fecerant ipsi arcam fusilem merserantque eam Nilo: Venit Moses, sustulit capillum sculpsitque in eo: Ascendit bos & clamavit, dixitque, Ioseph, Ioseph: Appropinquavit hora, qua Deus benedictus redimit filios suos & (השכינה) majestas moratur tibi & Israël: & nubes honoris morantur tibi. Si tu reveles te bene est, at si non, ecce nos immunes à juramento tuo. Confestim supernatavit & ascendit arca Ioseph. Ne mirare. Nam dicit* (2. Reg. 6. 5. 6.) Accidit autem, ut cum unus materiam succidisset, caderet ferrum securis in aquam exclamavitque ille & ait, Heu domine mi & hoc ipsum mutuo acceperam. Dixit autem homo Dei ubi cecidit? At ille monstravit ei locum: præcidit ergò lignum & misit illuc natavitque ferrum. *Et ecce* דברים קן *(argumentatio à minori ad majus) Quid enim? Elisa discipulus Eliæ fecit natare ferrum, Moses magister Eliæ quanto magis?*

R. Na-

R. Nathan dicebat: In ſepultura regum fuit Ioſeph ſepultus, Q. D. (Gen. 50. 26.) Et condierunt ipſum. *At unde novit Moſes, ubi arca Ioſephi eſſet. Nempe venit ſtetitque inter arcas & clamavit dixitque: Ioſeph, Ioſeph, Advenit hora, qua Deus benedictus liberat filios ſuos; Majeſtas moratur tibi, & Iſrael & nubes gloriæ morantur tibi: Si tu retegas te ipſum, bene eſt, ſi non, nos immunes erimus à juramento. Confeſtim commovit ſe arca: Ideo ſuſtulit eam & abiit. Vnde diſcis:* Menſura, qua homo metitur, metiuntur ipſi. *Ioſeph ſepeliit patrem ſuum Q. D.* (Gen. 50. 7.) Et aſcendit Joſeph ad ſepeliendum patrem ſuum. *Nec erat inter fratres major ipſo, qui rex fuit. Et ſcriptum eſt:* Et aſcenderunt cum eo currus etiam equites. *Et meritus eſt exire è monumento per Moſen. Moſes eduxit oſſa Ioſeph ex Ægypto, nec erat in mundo major illo, eratque ille rex, Q. D.* (Deut. 33. 5.) Et fuit rex in Jeſurun. *Ideo meritus eſt Moſes ut in eo laboraret Majeſtas, Q. D.* (Deut. 34. 6) Et ſepeliit ipſum in valle: *nec amplius. Sed cum Iacob aſcenderunt ſervi Pharaonis & ſeniores domus ſuæ & ſeniores terræ Ægypti: at cum arca Ioſephi aſcenderunt Majeſtas & arca & ſacerdotes & Levitæ & ſeptem nubes gloriæ: Et arca Ioſeph ibat cum arca teſtimonii in deſerto & populi mundi dicebant: Quæ præſtantia illarum duarum arcarum? Iſrael dicebat: Hæc eſt arca mortui & hæc eſt arca viventis in ſecula. Illi dicebant, Nunquid mos eſt mortui ut eat cum arca viventis in ſecula: At hi regerebant dicebantque illis, Mortuus qui quieſcit in arca ſtatuit quicquid ſcriptum eſt de hoc.* Hactenus ille. Lyranus: *dicunt autem hic aliqui, quod Nilus plus ſolito inundaverat: & ſic locum, ubi erant oſſa Ioſeph, operuerat. Sed Moſes ut inveniret locum, ſcripſit nomen Domini tetragrammaton in lamina aurea; & illa proceſſit ſuper aquas quouſque ſtetit ſuper ſepulchrum Ioſeph. Alii autem dicunt quod ovis natando & loquendo miraculoſe oſtendit ei locum: propter quod vocata eſt ovis Ioſeph: ſecundum quod dicitur Pſ. 70.* Quæ deducis volut ovem Joſeph. *Sed iſta videntur fictitia, tum quia gloſſa Hebraica nec Ioſephus talia dicunt: licet imponatur eis ab illis, qui libros eorum non viderunt: tum quia una de cauſis, quare oſſa Ioſeph remanſerunt in Ægypto, fuit, ut per ejus ſepulchrum memoria beneficiorum apud Ægyptios diutius remaneret: & ſic populus Iſraël mitius tractaretur, ut ſupra dictum Geneſeos ultimo. Et ideò non eſt veroſimile, quod oſſa Ioſeph eſſent repoſita in pratis vel campis, ubi aqua poſſet inundare. Maxime, cum tempore ſuæ mortis eſſet potentiſſimus & à rege Ægypti & à populo dilectiſſimus. Nec id quod aſſumitur de Pſ. 79. valet pro eis, quia li Ioſeph non eſt genitivi caſus, ut determinet li ovem ſed eſt accuſativi caſus.* Hactenus Lyranus, qui fruſtra defendit Judæos, cum veriſſimum ſit eos iſta fingere. Quæritur autem quo ordine & loco oſſa fuerint portata? In codice Peſachim, cap. 6. fol. 67. 4. *Mortuum eſt impurus, at licitus ut ingrediatur in caſtra* (לויה) Levitarum. *Nec tantum mortuus eſt impurus, dicunt, ſed etiam mortuus per ſe. Q. D. Et accepit Moſes oſſa Ioſephi ſecum: Secum, id eſt,* במחיצתו *in ſepimento ſuo.* Gloſſæ in hunc locum: זב (γονοῤῥοιὼς) *ejus ſepimentum* (מחיצתו) *Mons domus, quoniam prohibitus ingredi* (במחנה לויה) *in caſtris Levitarum, ſicut prius: quoniam omnes polluti non emittuntur niſi ex atrio ſolo præter gonorrhoicum & caſus nocturni hominem, qui emittuntur etiam è monte domus & leproſus emittitur etiam è caſtris Iſraël, quod eſt tota urbs. Caſtra Levitarum univerſus mons extra murum atrii.* Secum] *Moſes Levita erat.* In caſtris igitur Levitarum licuit eſſe cadaver & oſſa, quæ nemo attingebat. Tactu enim polluunt oſſa & quicquid cadaveris eſt, non polluunt portata in capulo ſeu urna.

Quædam præcepta Deus Moſi dedit: Primò de perſonis eſuris Paſcha; Non eſſe eſurum inquilinum, inquilini filium nec mercenarium, niſi circumciſus eſſet. Univerſam congregationem Iſraël teneri, intellige de maſculis,

R 3 filiis

filiis præcepti. Secundo, per sodalitia edendum in domibus, nec frangendum os. Tertiò, Omne primogenitum masculinum, hominum & bestiarum (scilicet quæ in hominum usu ad cibum & laborem) Deo consecrandum. Quartò diligenter observandum esse Pascha, ubi ingressi essent in Cananæam & ea occasione inculcandum memoriam Divinæ liberationis, quam ex Ægypto fecisset majoribus suis. Cap. XIII. 16. mentio est signi in manibus & inter oculos; è quo præcepto Judæi suas תפלין hauserunt. Propere egressi sunt, quantum patiebatur coitio & impedimentorum convasatio tractioque quæ longi temporis moram habuissent, nisi pro se quisq; discurrendo, comportando, agendo, ferendoque laborasset. Impedimentorum maximam partem faciebant Ægypti spolia quibus onusti ornatique regione excedebant. Apud Tertullianum legimus defensionem Dei ista jubentis volentisque, in qua meminit legationis ab Ægyptiis missæ ad res repetendas cui ita, reposita petitione, satis factum sit, ut has res è justitia sibi renuntiaverint Ægyptii. Lib. 2. contra Marcionitas ita disputat: *Sed & per istas caligines sequemur nequitiam & in lucem extrahemus ingenia tenebrarum, objicientia creatori vel maximè fraudem illam & rapinam auri & argenti, mandata ab illo Hebrais in Ægyptios. Age infelicissime Hæretice, teipsum expostulo arbitrum, cognosce in utranque gentem prius, & ita de authore præcepti judicabis. Reposcunt Ægyptii de Hebrais vasa aurea & argentea, contra Hebræi mutuas petitiones instituunt, allegantes sibi quoque eorundem patrum nomine ex eodem scripturæ instrumento, mercedes restitui oportere illius operariæ servitutis, pro laterinis deductis, pro civitatibus & villis ædificatis. Quid judicabis optimi Dei elector? Hebræos fraudem agnoscere debere, an Ægyptios compensationem? Nam & ajunt ita actum per legatos utrinque Ægyptiorum quidem repetentium vasa, Judæorum vero reposcentium operas suas: & tamen has justitia renunciaverunt sibi Ægyptii. Hodiè adversus Marcionitas amplius allegant Hebræi, negantes compensationi satis esse, quantumvis illud auri & argenti, si sexcentorum milium operæ per tot annos vel singulis nummis diurnis æstimentur, quæ autem pars major repetentium vasa, an incolentum villas & urbes? Querela ergò major Ægyptiorum, an gratia Hebræorum? Ut solo injuriarum judicio Hebræi Ægyptios repercuterent, liberi homines in ergastulum subacti: ut solas scapulas suas scribæ eorum apud subsellia sua ostenderent flagellorum contumeliosa atrocitate laceratas: non paucis lancibus & scyphis pauciorum utique divitum ubique sed totis & ipsorum facultatibus & popularium omnium collationibus satisfaciendum, Hebræus pronunciasset. Igitur si bona Hebræorum causa, bona jam & causa, id est, mandatum, creatoris, qui & Ægyptios gratos fecit nescientes, & suum populum in tempore expeditionis angusto aliquo solatio tacitæ compensationis expunxit. Planè minus exigi jussit: Hebrais enim etiam filios Ægyptii restituere debuerant.* Hactenus Tertullianus, qui non asserit eam legationem missam esse & remissam: nec est verosimile. Nam abeuntes retardare noluerunt, cum autem animis mutatis eos persequi vellent, ex improviso, non monitis supervenere.

Cap. XIII. v. 18. Exodi dicitur egressos esse חמשים. Id vertunt LXX. *ἐν πέμπτῃ γενεᾷ*: Vulgatus, *Armati*. Theodotion, *πεμπτάζοντες*. Hoc sensu: quo & Symm. *καθωπλισμένοι*. Vide Drusium in fragmentis Veterum interpretum ad hunc locum. Belgæ nostri, By vijven/ quod agmina processerint aciebus & turmis quarum densitatem quinque homines constituebant. Vel quod divisi fuerint in quinque acies sive agmina. Judæorum fabulas hic præterimus.

Egres-

EGRESSIS] Prima ſtatio fuit in Rameſſe. Unde coitione facta omnibusque paratis, progreſſi ſunt in Sochoth: è Sochoth profecti ſunt in ſolitudinem Etham. Crediderim columnam illam viæ monſtratricem & ductricem ipſis primò datam adjunctamque, cum in Sochoth perveniſſent. Id enim ſignificare videtur textus, qui prius non fecit mentionem columnæ. Sed id in medio relinquo.

COLUMNA NUBIS INTERDIU] Columna in aëre Deus populum ſuum duxit, quæ noctu lucem dabat non interdiu: Sivè illa una eademque ſive duæ fuerint. Judæi fingunt ſeptem nubes gloriæ. Ita enim Jelammedenu: *Septem nubes gloriæ hæ fuerunt*: Et Dominus ibat ante eos in columna nubis interdiu: *Ecce una.* Et (Num. 14. 14.) nubes tua ſtabat ſuper eis, *Secunda.* Et in columna nubis, *Ecce tertia.* Et (Num. 9. 19.) Et cum protraheret nubes, *Quarta.* Et (Exod. 40. 36.) Et cum elevaretur nubes, *Quinta.* Et ſi non aſcenderet nubes, *Sexta.* Quia (Exod. 40. 38.) nubes Domini ſuper tabernaculo, *Septima.* Hæc ſcilicet Judaici moris probatio, hauſta è ſacris literis. Accipe modum quo illæ ſeptem nubes conſtitere: *Quatuor è quatuor ventis, una inferne, una ſuperne, una antecedens eos: Hæc depreſſum aggerabat & altum deprimebat, & comburebat ſerpentes ac ſcorpiones, everrebat & conſpergebat viam ante ipſos.* Hoc officii genus Deum ipſis præſtitiſſe ex merito Abrahæ, quia Abraham angelos deduxerat, Gen. 18. Lyranus: *Dicunt aliqui, quod eadem fuit columna, quæ obumbrabat per diem & illuminabat per noctem. Vocatur tamen duplici nomine propter duplex officium, Hebræi autem dicunt, quod fuit duplex. Vna per diem, quæ in veſpere recedebat, peracto officio, & tunc columna nubis ſubintrabat. Quid autem verius ſit, non benè apparet de textu. Certum eſt tamen, quod utroque modo potuit eſſe, quia totum illud fiebat Divino miraculo.* Philo: Τεράστιον δέ φασι συμβῆναι κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον, μεγαλούργημα τῆς φύσεως, ὃ μηδείς πω μέμνηται πάλαι γεγονός. Νεφέλη γὰρ εἰς εὐμεγέθη κίονα σχηματισθεῖσα προῄει τοῦ πλήθους, ἡμέρας μὲν ἡλιοειδὲς ἐκλάμπουσα φέγγος, νύκτωρ δὲ φλογοειδὲς, ὑπὲρ τοῦ μὴ πλάζεσθαι κατὰ τὴν πορείαν, ἀλλ' ἀπλανεστάτῃ ἕπεσθαι ἡγεμονίᾳ τῆς ὁδοῦ. Τάχα μέντοι καὶ τῶν ὑπάρχων τις ἦν τοῦ μεγάλου βασιλέως ἀφανὴς ἄγγελος, ἐγκεκαλυμμένος τῇ νεφέλῃ προηγητὴς, ὃν οὐ θέμις σώματος ὀφθαλμοῖς ὁρᾶσθαι. Philo unam eandemque nubem ſeu columnam duplici officio diurno & nocturno putat ſatisfeciſſe. Angelum Dei autem in illa nube fuiſſe docet diſerte & paſſim textus ſacer, ſed non fuit τῶν ὑπάρχων τις, verum ipſe Deus λόγος. Hic miror Philonem non aſſurgere ad ſuum illum λόγον. In Joſepho altum ſilentium eſt de Angelo, obſcura mentio nubis. Clemens Alexandrinus Thraſybulo Athenienſi idem eveniſſe narrat lib. 1. Stromatum: Ἀλλὰ καὶ Θρασυβούλῳ τοὺς ἐκπεσόντας ἀπὸ Φυλῆς κατάγοντι καὶ βουλομένῳ λαθεῖν, στῦλος ὁδηγὸς γίνεται διὰ τῶν ἀτριβῶν ἰόντι καὶ τῷ Θρασυβούλῳ νύκτωρ, ἀσελήνου καὶ δυσχειμέρου τοῦ καταστήματος γενομένου, πῦρ ἔμπροσθεν προηγούμενον, ὅπερ αὐτοὺς ἀπλανῶς προπέμψαν, κατὰ τὴν Μουνυχίαν ἐξέλιπεν, ἔνθα νῦν ὁ τῆς Φωσφόρου βωμός ἐστι. Πιστὰ τοίνυν τὰ ἡμέτερα καὶ ἐντεῦθεν γενέσθω τοῖς Ἕλλησιν ὅτι ἄρα δυνατὸν τῷ παντοκράτορι θεῷ, προηγεῖσθαι ποιῆσαι τοῖς Ἑβραίοις νύκτωρ στῦλον πυρὸς τὸν καὶ καθηγησάμενον αὐτοῖς τῆς ὁδοῦ. Λέγεται δὲ καὶ ἐν χρησμῷ τινι.

Στῦλος Θηβαίοισι Διόνυσος πολυγηθής.

ἐκ τῆς περὶ Ἑβραίους ἱστορίας. Ἀλλὰ καὶ Εὐριπίδης ἐν Ἀντιόπῃ φησίν,

Ἔνδον δὲ θαλάμοις βουκόλον
Κομῶντα κισσῷ, στῦλον εὐίου θεοῦ.

Σημαίνει δὲ ὁ στῦλος, τὸ ἀνεικόνιστον τοῦ θεοῦ· ὁ δὲ πεφωτισμένος στῦλος, πρὸς τῷ τὸ ἀνει-

ἀνεικόνιστον σημαίνειν, δηλοῖ τὸ ἑστὼς καὶ μόνιμον τοῦ θεοῦ, καὶ τὸ ἄτρεπτον αὐτοῦ φῶς καὶ ἀσχημάτιστον. Πρὶν γοῦν ἀκριβωθῆναι τὰς τῶν ἀγαλμάτων σχέσεις, κίονας ἱστάντες οἱ παλαιοὶ, ἔσεβον τούτους ὡς ἀφιδρύματα τοῦ θεοῦ. Γράφει γοῦν ὁ τὴν Φορωνίδα ποιήσας.

> Καλλιθόη κλειδοῦχος ὀλυμπιάδος βασιλείης,
> Ἥρης Ἀργείης, ἣ στέμμασι καὶ θυσάνοισι
> Πρώτη ἐκόσμησεν περὶ κίονα μακρὸν ἀνάσσης.

Ἀλλὰ καὶ ὁ τὴν Εὐρωπίαν ποιήσας ἱστορεῖ τὸ ἐν Δελφοῖς ἄγαλμα Ἀπόλλωνος κίονα εἶναι, διὰ τῶνδε.

> Ὄφρα θεῷ δεκάτην ἀκροθίνια τε κρεμάσαιμεν
> Σταθμῶν ἐκ ζαθέων καὶ κίονος ὑψηλοῖο.

Ἀπόλλων μέντοι, μυστικῶς κατὰ στέρησιν τῶν πολλῶν νοούμενος, ὁ εἷς ἐστι θεός· ἀλλ' οὖν τὸ πῦρ τὸ δι' ἀβάτου, σύμβολόν ἐστι φωτὸς ἁγίου, τοῦ διαβαίνοντος ἐκ γῆς, καὶ ἀνατρέχοντος αὖθις εἰς οὐρανὸν διὰ τοῦ ξύλου. δι' οὗ καὶ τὸ βλέπειν ἡμῖν νοητῶς δεδώρηται. *Sed & Thrasybulo deducenti eos, qui tribu exciderant & volenti latere, columna dux viæ fuit eunti per non calcata: & Thrasybulo noctu, cum sine luna & tempestatibus fœda constitutio esset, ignis videbatur antecedens, qui cum ipsos inoffense deduxisset, juxta Munychiam defecit, ubi nunc est ara Luciferi. Hinc igitur etiam nostra credibilia sint Græcis: quod possibile sit omnipotenti Deo, fecisse ut Hebræis noctu præcederet columna ignis, quæ eis dux viæ fuerit. Dicitur etiam in oraculo quodam:*

> Columna Thebanis Bacchus hilaris.

Ex historia apud Hebræos: sed & Euripides in Antiope inquit:

> Intus in thalamis bubulcum
> Hedera comantem, columnam Euii Dei.

Significat autem columna, quod Dei imago effingi nequeat: at illuminata columna, præterquam quod id significet, notat stabilitatem ac firmitatem Dei, ejusque immutabilem & ineffigiabilem lucem. Priusquam igitur accurate conficerentur statuarum habitus, columnas statuebant veteres easque colebant ut Dei statuas. Ideò scribit autor Phoronidos:

> Callithoe clavigera olympiacæ reginæ,
> Junonis Argivæ, quæ sertis corollisque
> Prima exornavit longam columnam reginæ.

Sed & qui Europiam fecit, scribit statuam Apollinis in Delphis esse columnam: per hæc:

> Ut Deo decimam & primitias feramus,
> Sedibus è sanctis & alta columna.

Apollo mysticè, ex privatione πολλῶν, multorum, est unus ille Deus: cæterum ignis ille adsimilis columnæ, figura est lucis sanctæ, transeuntis è terra & sursum ascendentis in cælum per lignum, per quam etiam videre intelligibiliter nobis datum est. Videtur statuere unam columnam fuisse quemadmodum solam igneam agnovisse, qua duce ferè nocturnis temporibus iter fecerint Israëlitæ. Constat Clementem sæpe Philonem sequi. Philo maluit de una quam de duabus columnis seu nubibus Mosen interpretari: vocat eam μεγαλούργημα τῆς φύσεως, quod ita accipiendum non est, quasi ex naturæ cursu evenisset, cum potius magnificum in natura Dei opus fuisse intelligat. Philonis iste jam grandior error est, quod nubem illam tantum lucidam esse putaverit, die instar solis,

noctu

noctu instar flammæ, quasi solis lumen ipsis omnino abstulerit, ejusque loco interdiu fulserit. Gregorius Nyssenus rem bene expressit, quamvis unam columnam sive nubem interdiu & noctu fuisse arbitretur. De vita Mosis ita: Νεφέλης δὲ τοῦ λαοῦ θείᾳ δυνάμει καθηγουμένης οὐ κατὰ τὴν κοινὴν φύσιν (οὐδὲ γὰρ ἐξ ἀτμῶν τινῶν ἢ ἀναθυμιάσεων ἡ σύστασις αὐτῆς ἦν, παχυνομένων τοῖς ἀτμοῖς τοῦ ἀέρος, διὰ τῆς ὁμιχλώδους συστάσεως καὶ πρὸς ἑαυτὴν συμπιλουμένων τοῖς πνεύμασι) ἀλλὰ κρεῖττόν τι καὶ ὑψηλότερον τῆς ἀνθρωπίνης καταλήψεως, ἐκείνῃ τῇ νεφέλῃ τῆς γραφῆς μαρτυρούσης, τοιοῦτον τὸ θαῦμα ἦν, ὡς καὶ τῆς ἡλιακῆς ἀκτῖνος θερμῶς ἐπιλαμπούσης, διατείχισμα πρὸς τὸν λαὸν εἶναι, σκιάζουσάν τε τὸ ὑποκείμενον, καὶ λεπτῇ δρόσῳ τὸ φλογῶδες τοῦ ἀέρος ὑπονοτίζουσαν· καὶ διὰ τῆς νυκτὸς πῦρ γίνεσθαι, ἀφ' ἑσπέρας εἰς ὄρθρον τῷ ἰδίῳ φωτὶ τοῖς Ἰσραηλίταις δᾳδουχοῦσαν τὸ φέγγος. Id ita vertit interpres: *Nubes enim, quæ Dei jussu, non natura præcedebat, non presso aëre vaporibus aut ventorum impetu densato constituta, sed aliud quiddam Divinius, atque altius quam humana mens percipere valeat: siquidem ut Scriptura testatur, tale miraculum apparebat, ut dum ardentes solis radii fulgerent, populum quasi septo interjecto protegeret atque umbra tenuique rore diffuso, aëris illi ardorem mitigaret & noctis vero tempore in ignem versa, jam inde à vespera usque Solis ortum suo lumine Israëlitis facem præferret.* Unam nubem & noctu & de die mutato habitu seu facie altera obversa castris fecisse umbram & lucem existimat. Plerique interpretes distinctam columnam faciunt, quarum una alteri succederet, quod scripturæ verbis videtur consonum esse, quæ diserte ignem & nubem distinguunt. Sed quidam etiam doctissimi interpretes de die duplicem nubem fuisse volunt, aliam quæ protegeret ab æstu Solis, aliam quæ ante castra stabat dux viæ quandocunque progrederetur. Duæ igitur nubes, una columna ignea, quæ proprie nubes dici non potest. Rationes pro hac sententia è Saliano I. Num. 14. 14. *Quod Domine oculo ad oculum conspiciaris, quod nubes tua super ipsis resideat, & tu in columna nubis ante faciem eorum incedas de die, & noctu in columna ignis.* Sic in libro Sapientiæ 10. 17. ὡδήγησεν αὐτοὺς ἐν ὁδῷ θαυμαστῇ, καὶ ἐγένετο αὐτοῖς εἰς σκέπην ἡμέρας καὶ εἰς φλόγα ἄστρων τὴν νύκτα. II. Columnaris figura angustior est, quam ut obumbraret castra contra æstum diurnum, quæ per decem millia aut duodecim in solitudine diffusa essent, cum facile tricies centena hominum millia continerent. Objicitur in contrarium Ps. 105. 39. *Nubem expandebat in tegmen & ignem ad illustrandam noctem.* Et Psalmo 78. 14. *Ducebat eos interdiu nube, tota nocte luce ignis.* Sed possunt illa dirimi, ut psalmus prior nihil dicat de ductu diurno per columnam nubis, alter nihil de tegmine per nubem expansam. Notabit lector, Nubem protegentem ab æstu nunquam columnam dici. Hinc apparet nubem & columnam nubis non esse idem. Nec antecedere potuit, quæ solis æstum arceret. Columna igitur fuit quæ ante castra stabat, cumque tabernaculum erectum esset, illud obumbrabat, sed nubes, quæ universa castra protegebat ab ardore solis. Ego existimo nubem illam semper castra inumbrasse simulque columnam sive igneam sive nubis ante castra seu super tabernaculo stetisse totis quadraginta annis, quibus in solitudine obhæserunt. Cum Apostolus dicat ipsos nube & mari baptizatos esse in Mosen id est statum istum cultumque, quem inducebat Moses, ejusque ministerium non cultum: ut Domino consecrati fuerint ut Deo, Mosi tanquam illius famulo, id non debet intelligi de columna; sed de nube superne inumbrante & irrorante ac mitigante aëris intemperiem. Mirabilis fuit ille baptismus & extra ordinem, respondens navigationi Noë in arca & spiritus baptismo è cælis per apostolos, qui consecrabat N. Testamento & Apostolicæ doctrinæ. Inter illa χαρίσματα principem locum obtinuit Spiritus prophetiæ & linguarum sub visibili specie ignis. Tyrinus: *Una eademque*

erat (Columna nubis) *cum columna ignis, quæ mota & directa ab angelo quasi à nauclero, interdiu speciem nubis, noctu ignis seu flamma referebat: & instar altissima columna ad cælum protensa, ut à totis castris cerni posset, præcedebat universum agmen, cum iter faciendum esset: cum vero quiescendum, supra locum tabernaculi immota hærebat. Tantum vero luminis noctu subministrabat ut, cum omni alia luce carerent Hebræi, solis radiis illius sat juvarentur, etiam in suis tentoriis, ad omnia, quæ necessaria essent, videnda & peragenda. Et totis quadraginta annis hoc modo adfuit continuò Hebræis, usque ad mortem Mosis: cum nempe jam in proximo esset, ut Iordanem trajicerent. Nam tum defecisse columnam, vel ex eo patet, quod in trajectione Iordanis jubeantur Hebræi, non jam amplius columnam ducem viæ aspicere & sequi, sed arcam à sacerdotibus bajulatam, eminus præeuntem: cum alioquin longe facilius fuisset columnam ducem intueri & sequi, quam arcam. Ita sanctus Augustinus, Abulensis, Masius, Serarius. Neque sine mysterio: Nam cum Iosue, figura & antitypo Christi, cessare debebant nubes & velamina Mosaica. Quanquam & hæc columna typus quoque fuerit Christi uti & Sp. S. ut fuse demonstrant Ambrosius, Gregorius & Rupertus.* Concludimus nos columnam (sive unam sive duas fuisse) & distinctam nubem, quæ nunquam discesserit nec mutata fuerit successu alterius formæ, seu nubis. Cl. Rivetus judicat ex Num. 9. 21. unam columnam dirigentem fuisse, quæ nubes esset, sed ignis fulgorem in parte accipiebat de nocte. Nam dicitur, quod nubes aliquando steterit à vespera ad mane (id est tota nocte) aliquando de die aliquando de nocte elatam fuisse ut præiret. Sic Exodi. 14. 20. diserte videtur dici quod ea nubes simul fuerit tenebrosa & noctem illustraverit. Salianus admodum fusus est qua docet Columnam nubis diversam fuisse à nubibus, quæ sic proprie appellantur his discriminibus. I. Fuisse puriorem & lucidiorem. II. Densiorem & solidiorem. III. Basi angusta, celsissimi verticis. IV. Figuræ constantis, quam nubes frequenter mutant. V. Motam non à ventis sed vi assistente. VI. Supernaturali modo productam. VII. Cujus finis non dare pluvias sed monstrare iter. Rivetus: *Ex forma difficultas aliqua oritur, quomodo columna potuerit ardorem solis de die ab Ebræis repellere. Cum enim maxima esset multitudo & latè extenderetur oportuit figuram nubis de die protegentis & castra eorum obumbrantis fuisse expansam. Id etiam testatur Ps. 105. Expandit nubem in protectionem eorum. Ideò sunt, qui aliam fuisse nubem protegentem volunt, aliam dirigentem: quod mihi sane non displicet: nisi dicamus nubem illam ita fuisse à Deo directam, ut noctu exsurgeret in figuram pyramidalem igneam; diè vero, eadem Dei virtute, expanderetur in modum nubis. Et certe sine aliqua mutatione situs, forma & motus illuminantis & obumbrantis nubis, uni & eidem non potest competere.*

Quærunt etiam de igni illo, seu columna ignis, qualis ignis fuerit, an verus vel tantum ignis speciem referens. Verum ignem non fuisse ex eo docent, quia nullus usus ardoris, qui incommodasset potius. Dicere autem, quod Deus vim calefaciendi & urendi perpetuo prohibuerit, continuo miraculo & repressam vim ignis, ne provolaret ad orbem suum, videtur absonum. Numer. 9. 15. dicitur etiam *Erat super tabernaculum* כמראה אש tanquam aspectus seu species ignis. Similitudo videtur rem negare. Existimant igitur fuisse rutilantem fulgorem, qualis apparet in nubibus densioribus, in quas se radii solares insinuant. Ita Salianus ex Abulensi, Cornelio à Lapide &c. fulgor qui est ex repercussione, requirit corpus lucidum, quod radiis suis incidat & fulgorem gignat: non fuit igitur è radiorum reflexione, sed originariò lux ista insidebat suo corpori, in quo videbatur. Fuisse similem stellis sua luce fulgentibus volunt, quæ tamen calore destituuntur. Originariam lucem posse esse

sine

sine calore certum est, quia gemmæ quædam splendent non urunt. Fuerit igitur gemmeus splendor, qui noctem illuminabat, creatus à Deo, insigni miraculo.

Cum procederent castra anteibat columna vel ut insideret vexillo tribus ut vult Tostatus, vel ut paulo ante id prægrederetur, alias insidebat tabernaculo. Insignem ejus oportet fuisse splendorem, qui universa castra illuminaret, excluderetque necessitatem & usum lucernarum, tanquam si clara dies esset, ut Abulensis & Pererius disputant. Ita etiam noctu iter facere potuerunt. Quæsitum est an noctu iter fecerint Israëlitæ? Id videtur doceri & expresse dici Nehem. 9. 12. *In columna nubis ductor eorum fuisti per diem & in columna ignis per noctem, ut appareret via per quam ingrediebantur.* Exod. 13. 21. *ut irent die & nocte.* Quamvis igitur nox quieti destinata sit & incommodum vaporis solaris prohibuerit de die nubes, tamen data occasione noctu progrediebantur. Sed, cum quies alias longior alias brevior esset, & columna se moveret tam noctibus quam diebus, & noctium dierumque alio & alio tempore, semper debuerunt esse in excubiis & parati accinctique degere, nisi extra ordinem significaretur mansionis mora. Vide Num. 9. 17. 18. 20. 21. 22. 23. Salianus è Genebrardo: *In Saracenicis illis desertis, virorum nulla exstant vestigia, ob arenas levi ventorum flabello mobiles & delebiles adeoque viatores in illis ut nauta in mari uti coguntur instrumentis quibusdam, quasi nauticis quadrantibus.* Hic enim est arenarum mare, ut vulgò vocant. Ludovicus Romanus Navigat. lib. 1. cap. 12. *Nollem tamen oblivioni tradere, quæ comperi in mari cognomento Arena: id à nobis prius repertum est, quam Iudæorum montem nacti essemus. In mari igitur hujusmodi arenoso iter quinque dierum & noctium habuimus. Iamjam vobis innotescet, cujusmodi mare existat: Ea sunt arva patentia, quæ arenis strata sunt albicantibus pollinis instar. Si quo sinistro pede usu veniret, ut ii, qui illac iter agunt austro ferrentur, ut septentrione aguntur, sabulo obruti occumberent omnes. Nam etsi prosperis vehebamur flatibus, atro tamen turbine sabuli adeò involvebamur, ut ademptiè conspectu intervallo decem passuum alter alterum non conspicerent. Ob id incolæ camelis utuntur caveis inclusis ligneis, inque iis vitam trahunt: ducibus tamen pilotis, qui non aliter quam in undabundo mari pyxide ac pagina ducuntur: & ibi siti exanimati sunt complures: alii interiere ob haustos plus justo latices, Quum fontis facta fuisset potestas, tantum aquæ biberunt, ut crepuerint medii. Et illic fit Momia. Ubi vero à septentrione flant Etesiæ, tunc arena tollitur in altum, in montem conglobata fertur. Is mons Sinai montis est brachium.* Aloysius Cadamustus Navig. cap. 56. *Inde* (Mecha) *ad Babylonem, id est, Cairum Nili contendunt, transeunt ad radices montes Sinai & demum per siccam arenam, ubi turbo quandoque adeò sævit pulveris, ut vento pulvis agitatus viatores obruat.* Solitudo Etham & Sur & Sinai cæteræque Arabiæ solitudines, per quas oberrarunt Israëlitæ quadraginta annis ejusdem fuêre naturæ. *Tertia statio Israëlitarum fuit solitudo Etham,* איתם quod videtur contractum esse ex איתנים, *heroes.* Hinc ἡρώων Græcis. Illa solitudo terminat Sinus Arabici intimum procursum. Adeo Israëlitæ fuerunt in illo deserto, antequam mare Rubrum ingrederentur, rursus egressi solitudinem illam tenuerunt. Num. 33. 8. Urbs Ægypti Heroum, ad quam Israëlitæ pervenerant sita erat, in solitudinis illius finibus: inde Arabia sequitur. Jussi à Deo per Mosen retrocedere, deflexerunt iter versus Troglodytas. Circa urbem Heroum via in Palæstinam erat, qua Deus eos noluit progredi, ut Pharaonem & Ægyptios, justa ultione puniendos eliceret. Cito enim egressis Israëlitis animi mutati, doluere tot hominum millia imperio decedere. Dei igitur jussu Quarta statione occurrere in sinum Arabicum: quod errore viæ

S 2 factum

factum esse Pharao putabat. Philo, qui Mosi adscribit dominatum, cum tantum Dei minister esset in *θεοκρατίᾳ* (qualis vere erat gubernandi forma in hóc populo) refert Mosen proprio ductu noluisse populum recta & compendiaria via ducere, *εἶτ᾽ ἦγεν αὐτοὺς οὐ τὴν ἐπίτομον, ἅμα μὲν εὐλαβηθεὶς, μήποθ᾽ ὑπαπαντώντων τῶν οἰκητόρων, διὰ φόβον ἀναστάσεως καὶ ἀνδραποδισμοῦ, καὶ γενομένου πολέμου, πάλιν τὴν αὐτὴν ὁδὸν ὑποστρέψωσιν εἰς Αἴγυπτον, ἀπ᾽ ἐχθρῶν ἐπ᾽ ἐχθροὺς νέους ἐπὶ ἀρχαίους, γέλως καὶ χλεύη γενησόμενοι, καὶ χείρω δεξάμενοι τῆς προτέρας ὑποδμωσεώτις· ἅμα δὲ καὶ βουλόμενος αὐτοὺς δι᾽ ἐρήμης ἄγων καὶ μακρᾶς, δοκιμάσαι πῶς ἔχουσι πειθαρχίας, ἐν οὐκ ἀφθόνοις χορηγίαις, ἀλλ᾽ ἐκ τοῦ κατ᾽ ὀλίγον ὑποσπανιζούσαις.* Similiter errat quando dicit invenisse obliquum tramitem quem putabant ducere in mare Rubrum: quasi non Dei jussu & nubis monstratu iter fecerint. Sed putat postquam illum tramitem ingressus populus esset, columnam illam ipsis primò apparuisse. Erroris origo, quia Moses, postquam dixisset de itinere in Etham, inde loquitur de ductu columnæ Exod. 13. 20. 21. Atqui narrat quid factum fuerit antecedentibus stationibus, quemadmodum refert de ossibus Josephi post secundam stationem, quæ tamen à prima in secundam portata fuerant. Josephus etiam Mosis arbitrio attribuit hanc deflexionem, cujus duas causas habuerit, Primam, ut Ægyptii si mutatis animis insequi pararent, pœnas darent malitiæ & *παραβάσεως τῶν ὡμολογημένων violati pacti*: ita enim scribit. Alteram, quia suspectam habebat Palæstinorum veterem inimicitiam, ne illi in se duci animadverterent. Voluisse igitur circumducto populo per lóca deserta & invia proficisci, atque intermedio tempore ac loco sacrificare in Sinæo monte. Quarta statio fuit ante פי החירת, inter Migdol & mare, ante Baalsephon ad mare. Sic describitur Exod. 14. 2. Josephus dicit eos iter fecisse per Latoposim (Moses scribit Sochoth pro secunda statione) hinc triduo pervenisse *Βελσεφῶντα, χωρίον τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης. Λητοῦς πόλιν* ea tempestate fuisse desertam: posteà Babylonem illic conditam esse, Cambyse Ægyptum vastante. Per Babylonem & Heroum urbem amnis Trajanus deferebatur, teste Ptolemæo. Plinius deserti Etham meminit lib 6. cap. 29. *Situs autem ita se habet: A sinu Ælanitico alter sinus, quem Arabes Æant vocant, in quo Heroum oppidum est.* Pro Æant, scribendum Ætham. Eodem capite narrat Plinius iter triplex terra esse à mari Ægyptio ad Rubrum. *Vnum à Pelusio,* inquit, *per arenas, in quo nisi calami defixi regant, via non reperitur, subinde aura vestigia operiente. Alterum verò duo millia passuum ultrà Casium montem, quod à sexaginta millibus passuum redit in Pelusiacam viam. Accolunt Arabes Autei. Tertium à Gerro, quod Adipson vocant, per eosdem Arabes sexaginta millibus passuum propius, sed asperum montibus & inops aquarum. Ea via omnes Arsinoen ducunt, conditam sororis nomine in sinu Charandra, à Ptolemæo Philadelpho: qui primus Troglodyticen excussit, & amnem, qui Arsinoen præfluit, Ptolemæum appellavit.* In lib. v. cap. XI. *Heroopoliticus vocatur alterque Ælaniticus sinus Rubri maris in Ægyptum vergentis. CL. M. passuum intervallo inter duo oppida, Ælana & in nostro mari Gazam. Agrippa à Pelusio Arsinoen Rubri maris oppidum, per deserta CXXV. M. passuum tradit.* Philo ex Ægypto in Palæstinam iter esse tridui scribit. Rasi de Phi Hahiroth: *Est Phithom & nunc vocatur Phi hahiroth, quod facti illic* (בני חורין) *liberi: suntque duæ rupes altæ erectæ: & vallis inter eas vocatur os petrarum.* Abenesdras: *Vocabatur* פי החירת *& sic vocatur, quia os est in facie.* Baal-sephon: Rasi: *Ille relictus fuit ex omnibus diis Ægypti, ut faceret errare eos, qui dixerant gravis est timor eorum: & de hoc exponit Iob* (12. 23.) Multiplicat gentes & perdit eas. Hoc idolum dicit autor כלי יקר inde habere nomen, quod putarent ab eo sibi affluenter provenire aurum in multitudinem opum. Hoc probat

bat ex eo quod dicatur (Jobi 36.22.) *Ex ſeptentrione* [מצפון] *venit aurum.* Id idolum relictum eſſe ſolummodo cum primogenita & dii Ægyptiorum perderentur (Exod. 12. 12.) ut ſeduceret eos, qui dicebant, quod idolum illud requiſiturum eſſet afflictionem ſuam, quoniam Iſraël abſtuliſſet opes eorum, quod non ſecundum jus. Nam omnes reliquas juſtas eſſe pronuntiaverat Pharao, dicendo, quod jure ei eveniſſent: at opes ab Iſraële injuſtè ablatas eſſe. Ideo relictum eſſe Baalſephontem, quoniam dicerent: Gravis eſt eorum timor & requirentur ab Iſraël divitiæ, quas commodato petierunt. In hoc igitur idolo ſpem ultionis repoſuiſſe Pharaonem & Ægyptios. Aben-eſdras dicit Baalſephontem dictum fuiſſe, imaginem aëream, quam magi (בדבר המזלות) arte aſtrologica feciſſent, in eum finem: ut nullus ex Ægypto ſervulus profugeret. Hinc ſcilicet veniſſe in ſpem, quod Iſraëlitas fugitivos eſſet retenturus. Ipſe autem putat non fiducia idoli motum eſſe Pharaonem ad perſecutionem: at quoniam dixerat Moſes, tridui itinere ſe ituros in deſertum. Hinc putabat Pharao Moſen viæ peritum eſſe. Cum inaudiſſet quod Iſraël incepiſſet ire viam deſerti & poſteà quod itinere retro flexo aliam viam inirent, cogitabat quicquid dixiſſet Moſes per fraudem dictum eſſe. Sive mens ejus fuiſſet ad immolandum ſive fugiendum: Fugitivum deprehenſum eſſe nec ſcire viam, qua eſſet pergendum. Scriptura nullam aliam cauſam commemorat, quam facilem modum reducendorum & ſubigendorum, quos dimiſiſſent: quoniam eos errore viæ in mare incidiſſe putabant. Locus ille, in quo Iſraëlitæ caſtra poſuerunt, fuit haud procul eo loco, ubi Arſinoen oppidum poſteris temporibus condidit Ptolemæus Philadelphus. Quicquid curruum equorum hominumque cogi potuit, coactum eſt, magniſque copiis profecti Iſraëlitas deprehendere ad mare Rubrum. Equites curruſque ingenti numero fuere, ſed dicuntur currus ſexcenti fuiſſe electi: Ægyptum admodum abundaſſe equis oportet, in qua poſt clades illatas à grandine & peſtilentia tantus equorum numerus potuit ſupereſſe. Sexcenti currus electi diſcriminantur à curribus Ægypti nempe communibus: In Hebræo, שש מאות רכב בחור וכל רכב מצרים; LXX. ἑξακόσια ἅρματα ἐκλεκτὰ καὶ πᾶσαν τὴν ἵππον τῶν Αἰγυπτίων. Philo: αὐθ' ἅμα-σω τὴν ἱππικὴν δύναμιν παραλαβὼν, ἀκοντιστάς τε καὶ σφενδονήτας καὶ ἱπποτοξότας καὶ τοὺς ἄλλους, ὅσοι τῆς κούφης ὁπλίσεως· καὶ τὰ κάλλιστα τῶν δρεπανηφόρων ἑξακόσια τοῖς ἐν τέλει δοὺς ἵνα μετὰ τοῦ πρώτου ἀξιώματος ἐπακολουθῶσι καὶ τῆς στρατείας μετέχωσιν &c. Regem igitur vult cum equitatu, jaculatoribus, funditoribuſque & hippotoxotis cæteriſque qui levis armaturæ erant, præceſſiſſe: ſequens agmen tenuiſſe currus falcatos, quos purpuratis commiſerit. Joſephus: ἑξακόσια γὰρ αὐτοῖς ἁρμάματα εἵπετο, σὺν ἱππεῦσι πεντακισμυρίοις καὶ ὁπλιτῶν μυριάδες ἦσαν εἴκοσι: Sexcenti enim illos currus ſequebantur, cum equitibus quinquagies mille; & peditum ſcutatorum (gravis armaturæ) erant ducenta millia. Quis Philoni dixit fuiſſe currus falcatos, & Joſepho tantum numerum equitum peditumque? De copiis Pharaonis ita ſcribunt, quaſi de ſuorum temporum regibus & more militiæ. Præfecti appellantur שלישים; Græci reddidêre τριστάτας; Philo τοὺς ἐν τέλει.

Aſſecuti ſunt Hebræos in caſtris poſitis ad mare, ad Pihahiroth, ante Baalſephon: עליהם / על פי החירות sic ſcriptura loquitur, at dicit לפני בעל צפן; quemadmodum ſupra לפני פי החירת dixerat. Sic igitur ſe res habet. Ante caſtra erat mare, à tergo Migdolum: A latere uno Baal-ſephon & Pihahiroth. In Bibliis Anglicanis Syrus τὸ פי החירות reddidit ܦܘܡܐ ܕܚܝܪܬܐ. Arabs فم الجبلات *os gebalath*, LXX. vertunt, ἀπέναντι τῆς ἐπαύλεως. החירות vocant ἔπαυλιν. Eſt autem ἔπαυλις *villa, caſa, ſtabulum.* Concluſerant Ægyptii Hebræos: Joſephus: Ταύτῃ ὁδοὺς ἀπεφράγνυσαν, οἷς ἐμφύξαντες τοὺς Ἑβραίους ἀπο-

λάμβανον, μεταξὺ κρημνῶν αὐτοὺς ἀπροσβάτων καὶ τῆς θαλάττης ἀπολαμβάνοντες. Τελευτᾷ γὰρ εἰς αὐτὴν ὄρος ὑπὸ τραχύτητος ὁδῶν ἄπορον. Καὶ φυγῆς ἀπολαμβανόμενοι πηγνῦσι ἐν τῇ προσβολῇ τῇ πρὸς θάλατταν τοῦ ὄρους τοὺς Ἑβραίους ἀντιφράττοντες τῷ στρατοπέδῳ κατὰ στόμα, τοῦτο ἱδρυσάμενοι, ὅπως τὴν εἰς τὸ πεδίον ἔξοδον ὦσιν ἀφῃρημένοι. *Obsepivere vias, quibus evasuros esse Hebraos existimabant, inter inaccessa pracipitia & mare eos includentes. Desinit enim in mare mons ob asperitatem via invius. Et fugam intercludentes igitur in projectu montis ad mare* (id est qua parte mari imminet mons) *Hebraos obsepiebant castris positis ad os illud, ut exitu in campum prohiberentur.* Mons igitur una parte in ipsum mare procurrebat procursu quodam, ab altera pylæ erant, quibus in campos dabatur exitus. Ea parte sedebat exercitus Ægyptiorum. Si fides Josepho, Ægyptii eos compulerant in illam vallem, seu planitiem quæ inter montem & mare tanquam sinus quidam intercipiebatur, capax tantæ multitudinis. Eam inclusam planitiem voce ἐπαύλεως notare videntur LXX. Philo supervenisse Ægyptios dicit tempore prandii cum in eum locum primum advenissent, refecturi corpora: οἱ δὲ ἔτυχον ἤδη παρὰ τὴν ἠϊόνι τῆς θαλάττης στρατοπεδεύοντες. μελλόντων δ' ἀριστοποιεῖσθαι, τὸ μὲν πρῶτον κτύπος ἐξήχει πολὺς ἅτε τοσούτων ἀνθρώπων ὁμοῦ καὶ ὑποζυγίων, μετὰ σπουδῆς ἐλαυνόντων, ὡς ἐξεληλυθότας τῶν σκηνῶν περισκοπεῖν καὶ ὠτακουστεῖν ἀκροβατοῦντες. εἶτ' ὀλίγῳ ὕστερον ἐπὶ λόφου μετέωρος ἡ ἀντίπαλος καταφαίνεται δύναμις, ἐν τοῖς ὅπλοις ἐκτεταγμένη πρὸς μάχην. Ἐπὶ δὲ τῷ παραλόγῳ καὶ ἀπροσδοκήτῳ καταπλαγέντες, καὶ μήτε πρὸς ἄμυναν εὐτρεπεῖς ὄντες διὰ σπάνιν ἀμυντηρίων· οὐ γὰρ ἐπὶ πόλεμον, ἀλλ' εἰς ἀποικίαν ἐξῄεσαν· μήτε φυγεῖν δυνάμενοι: κατόπιν μὲν γὰρ πέλαγος, ἐχθρὸς δ' ἄντικρυς, τὰ δὲ παρ' ἑκάτερα βαθεῖα καὶ ἀτριβὴς ἐρήμη &c. *Illi jam castra posuerant ad littora maris. Cum autem pransuri essent primo personabat ingens strepitus ut pote tot hominum simul & jumentorum, festinatò progredientium, unde progressi circumspicere & auscultare, summis pedum digitis insistentes, Paulò post in tumulo sublimis conspicitur hostilis exercitus, in armis instructus ad pugnam. Inopinato & inexspectato casu perculsi: & neque ad defensionem parati ob defectum armorum (non enim ad bellum sed coloniam exierant) neque fuga copiam habentes: Nam post tergum pelagus, à fronte hostes, ab utroque latere vasta & invia solitudo* &c. In hoc terrore dicitur quidem populus Deum inclamasse: sed (ut recte Calvinus) *neque ex fide neque serio vel rite composito affectu.* Nam confuso impetu exortus fuit iste clamor: *sicuti natura sensus cunctos mortales impellit, ut promiscuè in rebus miseris vota sua ad Deum convertant, tametsi neque misericordiam ejus amplectantur neque recumbant in ejus potentiam. Minimè ergo mirum est* (ita pergit) *si in extremam anxietatem redacti Israëlita preces & vota interposito Dei nomine conceperint: prasertim quum paulo ante suam illis gloriam patefecisset tot miraculis: & haberent semper in conspectu nubem vel columnam igneam. Sed insani eorum strepitus contra Mosen claro documento fuerunt, temere velut ecstaticos prorupisse ad invocandum Dei nomen. Nam quod exponunt quidam interpretes, quosdam pie fuisse precatos & alios ex turba impie tumultuatos esse contra Mosen ratione caret: quia conjunctim hac duo recitantur, ut nequeant ad diversos homines transferri.* Ut distinguamus, quamvis in conjuncta recitatione, videtur suadere, quia Josue, Caleb, Aaron & multi alii tumultus illius in Mosen minime accusandi sunt. Interim credo multos inclamasse Deum, qui tamen in Mosen concitati fuêre. Ideo distinguendus clamor cordis & oris, Ille est serius & ordinatus cordis affectus ergà Deum, qui oritur ex fide, iste ex impetu inefficaci, quo vulgò impii in malis Dei opem implorant. Rasi ita interpretatur, quasi incitati exemplo trium patriarcharum, Deum convenienti omnes modo invocaverint. At hoc est Judaicæ arrogantiæ, &

igno-

ignorantiæ. Hujus clamoris neque Josephus neque Philo meminerunt. Sequitur in textu (cap. 14.)

v. 11. *Et dixerunt ad Mosen, quid, quia non erant sepulchra in Ægypto, tulisti nos ut moreremur in deserto? Quare sic fecisti nobis, ut educeres nos ex Ægypto?*

12. *Nonne hoc est verbum, quod diximus tibi in Ægypto, dicentes, dimitte nos, ut serviamus Ægyptiis? Melius enim erat nobis servire Ægyptiis, quam mori in deserto.*

Paraphrasin horum verbum dat Philo: Τὸν ἄρχοντα ᾐτιῶντο φάσκοντες, διὰ τὸ μὴ εἶναι μνήματα ἐν Αἰγύπτῳ, οἷς ἀποθανόντες ἐνταφησόμεθα, ἐξήγαγες ἡμᾶς, ἵνα ἐνταῦθα κηδεύσῃς ἀποκτείνας; ἢ οὐ πάσης δουλείας κουφότερον κακὸν θανάτου; δελεάσας ἐλευθερίας ἐλπίδι τὸ πλῆθος, τὸν χαλεπώτερον περὶ τοῦ ζῆν ἐπικρέμασας κίνδυνον. ἠγνόεις τὴν ἡμετέραν ἁπλότητα, καὶ τὴν Αἰγυπτίων πικρίαν καὶ τὸ βαρύμηνι; Τὸ μέγεθος τῶν ἀφύκτων κακῶν οὐχ ὁρᾷς; Τί πρακτέον; πολεμῶμεν ἄνοπλοι πρὸς ὡπλισμένους; ἀλλὰ φεύγωμεν καθάπερ ἄρκυσι κυκλωθέντες ἀπηλεέσιν ἐχθροῖς, ἐρημίαις ἀβάτοις, ἀπλώτοις πελάγεσιν; εἰ δὲ δὴ καὶ πλωτά, τίς εὐπορία σκαφῶν εἰς περαίωσιν; *Ducem criminabantur, dicentes: Quod non essent monumenta in Ægypto, quibus mortui sepeliremur, eduxisti nos. ut hic inhumares occisos? An non omnis servitus levius morte malum est? Inescata spe libertatis multitudini fecisti ut gravius de vita periculum impenderet. Ignorabas nostram simplicitatem & Ægyptiorum amaritudinem ac iræ gravitatem? Nonne vides magnitudinem malorum inevitabilium? Quid faciendum est? Anne bellabimus inermes cum armatis? Num fugiemus, tanquam retibus inclusi, immitibus hostibus, inviis solitudinibus, mari innavigabili? Quid si navigabile esset, unde comparabimus scaphas ad trajiciendum?* Mirum quod non meminerit montium & rupium inaccessarum. Addit Josephus, non potuisse obsidionem præ inopia tolerare, & nihil superfuisse, nisi ut turpi deditione saluti consulerent. Hinc concitatos esse in Mosen, ὡς καὶ τὸν προφήτην παρορμῶντα καὶ τὴν σωτηρίαν αὐτοῖς ἐπαγγελλόμενον ὑπὸ ἀπιστίας λίθοις ἐθελῆσαι βαλεῖν παραδιδόναι τε σφᾶς τοῖς Αἰγυπτίοις διεγνωκέναι. πένθος τε ἦν καὶ ὀδυρμὸς γυναικῶν καὶ παίδων πρὸ ὀφθαλμοῖς ἐχόντων τὸν ὄλεθρον ὄρεσι καὶ θαλάττῃ περικεκλεισμένων καὶ πολεμίοις καὶ φυγὴν οὐδαμόθεν ἐκ τούτων ἐπινοούντων. At quomodo dicuntur dixisse Mosi in Ægypto, ut desisteret? Putat Rasi respici ad id, quod v. 21. *Videat Dominus & Iudicet.*

v. 13. 14. Moses populum solatur: Ne timerent, firmi fide consisterent: exspectarent salutem Domini eo die præstandam. Nam quos nunc viderent Ægyptios, eos non iterum visuros esse. Ipsis quietis Deum pro ipsis præliaturum. Josephus Mosi affingit orationem Scripturæ verbis dissonam. Nam monstrat Dei potentiam & favorem, quem in præcedentibus ostendisset, non dat simplicem directamque promissionem de præsenti ope. Philo duplicem Mosi orationem tribuit, in quarum priori similiter ut Josephus habet locutus sit, sed in posteriori, quum jam Dei afflatus esset numine (ἔνθους τε γίνεται καταπνευσθεὶς ὑπὸ τοῦ εἰωθότος ἐπιφοιτᾶν αὐτῷ πνεύματος θεσπίζει προφητεύων) ita cecinit: Ἣν ὁρᾶτε στρατιὰν ἐνοπλοῦσαν, οὐκ ἔτ' ἀντιτεταγμένην ὄψεσθε. πεσεῖται γὰρ προτροπάδην πᾶσα, καὶ βυθῷ ἀφανισθήσεται ὡς μηδὲ λείψανον αὐτῆς ὑπὲρ γῆς ἔτι φανῆναι, καὶ οὐ μήκει χρόνου ἀλλὰ τῇ ἐπιούσῃ νυκτί.

Moses igitur in hoc rerum articulo deprehensus ardentibus intus votis Deum precabatur: qui jubet ut progredi agmen faceret versus mare. Josephus scribit Ægyptios fatigatos festinatis itineribus eam noctem quieti dare voluisse. Præcipit etiam Deus ut baculum attolleret versus mare, dividendum, ut medium iter Hebræis aperiret. Se vero ita obduraturum Ægyptios, &

insequi

insequi ausos obruturum, ut inde gloria sua manifestaretur.

Promoto agmine Angelus Domini, qui præibat mutata statione & relicta fronte, á tergo se posuit: simulque columna nubis in eandem partem discessit: ut intermedio quasi sepimento Israëlitarum & hostium copias disjungeret: Eadem autem illa nubes tenebras & lucem præbebat. Philo narrat eam noctem fuisse obscuram caligine nec sideribus illustrem: *ἀστὴρ προὐφαίνετο οὐδεὶς ἀλλὰ πυκνὸν καὶ μέλαν νέφος ἅπαντα τὸν οὐρανὸν ἐπεῖχε, γνοφώδους τῆς νυκτὸς οὔσης εἰς κατάπληξιν τῶν διωκόντων.* Idem habet Josephus. Nubem discessisse Philo putat, postquam jam mare fissum esset, quod non videtur: Josephus de nube silet: affingit autem Mosi adstanti ad mare orationem, qua Deum invocavit: quaque enuntiata virgam impegit mari.

Videamus quid Rabbini hic dicant? Aben-esdras miratur timorem Israëlitarum ab Ægyptiis, cum tamen tanto essent numero & Ægyptiis (uti videtur) longe numerosiores. *Admirari,* inquit, *licet quomodo timuerit exercitus in gens sexcentorum millium à persecutoribus & cur non inierint prælium pro se & liberis? R. Quia Ægyptii fuerunt domini Israël & hæc generatio egressa ex Ægypto didicerat ferre jugum Ægyptiorum à pueritia & anima ejus humilis, quomodo nunc posset præliari cum dominis suis: obstupuerant Israëlitæ nec erant edocti ad bellum. Nonne vides quod Amalec prodierit cum exiguis copiis at nisi fuisset precatio Mosis debilitasset Israëlem, & Deus solus qui faciebat magnalia: atque ob ipso dispositæ fuerunt machinationes (עלילות) in circuitu: quibus mortuum est universum populus, qui egrediebatur ex Ægypto, masculini sexus: quoniam nulla erat in ipsis facultas ad bellandum cum Cananæis, donec exsurgeret generatio alia, generatio deserti, qui non viderant captivitatem, quibus erat animus excelsus sicut exposui in verbis Mosis in Pharasa Velle Smoth.*

Mosen stetisse & orasse Clamando doceri nos dicit Rasi, quia Deus ipsum increpat, nunc esse maturato opus, nec tempus orationis, quia Israël in angustiis deprehensus teneretur. Aben-esdras Mosen non orasse, quia ad illum locutus sed ad Mosen referri, quod totum ad Israëlem pertineret. Nam dici quidem seu scribi מה תצעק at הפך וצעקו בני ישראל. Esse igitur Hypallagen. In Dei verbis ad Mosen, postquam clamorem Mosis prohibuisset, sequitur: *Dic filiis Israël ut proficiscantur.* Rasi: *Non erat ipsis nisi ut proficiscerentur, quia nullum mare consistere poterat in facie ipsorum propter meritum patrum & ipsorum & fidem, qua credunt in me, qua egrediuntur ut findant ipsis mare.* Ut proficiscantur] Aben-esdras. *Paulatim donec attingant littus maris.* Et tu] *dixit Deus Mosi attolle baculum tuum & finde mare, priusquam proficiscerentur; quia non dixit ipsi, ut percuteret mare, sed ut extenderet manum suam versus mare cum baculo, ut:* Et extendit Moses baculum suum versus cælum, *&c. novimus, quod baculus non sciderit mare, sed à momento, quo Moses extendebat manum suam versus mare, fecit Deus ire mare vento orientali valido, tunc findebantur aquæ, ut scriptum est.* Et ego] *Novimus quod mare Suf non sit inter Ægyptum & terram Israël nec erat necesse ut ingrederentur in mare, sed præcepit Dominus ut ita facerent propter ea ut ingrederentur. Ægyptii post eos & mergerentur: E deserto Etham ingressi sunt Israëlitæ in mare & in desertum Etham egressi sunt, ut exponam.* Versum XIX. & XX. existimat pertinere ad superiorem locum ante versum XV. Nempe Angelum & Nubem divisisse priusquam jussi sunt progredi. Tres versus XIX. XX. XXI. singuli habent literas septuaginta duas, ideo sunt signum nominis Tetragrammati apud Rabbinos. Illum angelum notat fuisse principem magnum, euntem in nube, de quo etiam scriptum sit: *Et Dominus ibat ante eos interdiu: & quando proficiscebatur columna] nubis cum eo.* Pergit: *Qui dicit,*

dicit, quod Angelus Domini sit nubes, dispiciat nobis, ubi inveniamus columnam nubis vocari angelum Dei: & si angelus est ipsa nubes, cur dicit secundò. Et profecta columna nubis à facie eorum? *quod si regeras* (הטעם כפול) *esse synonymiam, idem bis dici: Non est mos scriptura geminare nisi prophetias & increpationes tantum enarranti, quod sic fuit historia rei gesta, non convenit duplicare.* Iste Canon Abèn-esdræ dignus est, qui observetur. Rasi dicit Nubem se interposuisse, ut divideret inter utrumque exercitum, utque exciperet sagittas & ובליסטראות lapides balistarum. *Ubique* (ait) *dicit Angelus Domini, at hic Angelus Dei. Deus* (אלהים) *nullibi est nisi judex: unde discimus, quod Israëlita dati fuerint in judicium in illa hora, ut sive eriperentur sive perderentur cum Ægyptiis.* Et venit inter castra Ægyptiorum] *Parabola de itinerante in via & filio ejus itinerante ante eum: Veniunt latrones ut eum caperent, tollit eum ante se, ponit post se: Venit lupus post eum, ponit eum ante se: Veniunt latrones ante eum & lupi post eum, ponit eum super brachio & pugnat. Sic* (Hos. XI. 3.) Ego assuefeci Efraim: accipiebat eos super brachiis suis.

Cum Moses extenderet baculum, Deus immisit Eurum vehementissimi spiraminis, qui aquas abigeret: deinde abactas longè à littore divisit, ut mediam aperirent viam. Tota illa nocte ventus ab illo cardine flabat nec ponens flabra nec mutans stationem. Hunc ventum Rasi dicit esse, quo Deus solet punire impios. Ad hoc adducit varia Scripturæ loca, Jerem. XVIII. 17. Hos. XIII. 15. Ezech. XVIII. 26. Esai. XXVII. 8. Ea loca docent ventum illum vehementissimum fuisse in illis locis. Noxium & adurentem sata Jon. 4. 8. Ezech. 19. 12. Philo Austrum fuisse dicit: quod ita esse nequit. Nam sinus Arabicus versus Austrum exit in Oceanum Rubrum. Καταδύντος δ' ἡλίου, νότος εὐθὺς ἤρξατο κατασκήπτειν βιαιότατος, ὑφ' οὗ τὸ πέλαγος ὑπαναχωρῆσαν, εἰωθὸς μὲν ἀμπωτίζειν, τότε δὲ καὶ μᾶλλον ὠθούμενον τὸ πρὸς αἰγιαλοῖς ὑπεσύρη, καθάπερ εἰς χαράδραν ἢ χάρυβδιν. Tum Mosen jussum esse virga aquas ferire: ἡ δὲ ῥαγεῖσα διίσταται καὶ τῶν τμημάτων τὸ μὲν πρὸς τῷ ῥαγέντι μέρει μετέωρον πρὸς ὕψος ἐξαίρεται, καὶ παγὲν τρόπον τείχους κραταιῶς ἠρέμει καὶ ἡσύχαζε, τὰ δ' ὀπίσω σταλέντα καὶ χαλιναγωγηθέντα τὴν εἰς τὸ πρόσω φορὰν καθάπερ ἡνίαις ἀφανέσιν ἀνεχαιτίζετο. Τὸ δὲ μεταίχμιον, ἐν ᾧ ἡ ῥῆξις ἐγένετο, ἀναξηρανθὲν, ὁδὸς εὐρεῖα καὶ λεωφόρος γίνεται. Hoc viso Mosen suis animum addidisse & jussisse ut prognederentur. Tum se novum obtulisse miraculum, nubem scilicet, quæ solita fuerat præcedere, mediam se interposuisse inter copias Israëlitarum & Ægyptiorum. Hoc viso perterritos fuisse Ægyptios & in fugam se conjecisse: tum refluas undas hausisse universos, ut nec nuncius cladis superfuerit. Aberrat multum. Nam consequentia rerum hæc est:

1 Nubes dissepit copias Ægyptiorum & populi Dei.
2 Moses confirmatus jussusque Divinitus virgam attollit versus mare.
3 Vento [Euro non Austro] abiguntur undæ.
4 Residuæ ab utraque parte ad modum murorum solidatæ constitère.
5 Media via patuit.
6 Ingrediuntur Israëlitæ, noctu seu vespera.
7 Persequuntur Ægyptii.
8 In Vigilia matutina cum in media illa fissura longe promovissent agmen Ægyptii Divinitus conterrentur.
9 Moses iterum manum & virgam extendit.
10 Refluæ undæ, quæ à ergo erant in occursum fugientium relapsæ eos obruere, cum jam aurora appropinquaret.

Existimat igitur nubis inter utrasque copias interpositionem non evenisse ante vigiliam illam, qua Deus conterruit & absorpsit Ægyptios. Uterque & Philo & Josephus è Mose ventos adjuvisse dicit refluxum redeuntium aquarum. Scriptura dicit Hebræos ingressos esse בתוך הים *in medio maris*. Hic monet Abenesdras non denotari præcise medium, quia quod intra mare sit, medium appelletur. Nugatur Rasi, qui dicit omnes aquas mundi fissas esse, cum hæ in sinu Arabico finderentur. Aquæ utrinque constitere firmæ, solidorum instar parietum, non quod concretæ fuerint, ut naturam fluiditatis exuerint, sed divina virtute tanquam aggeribus cohibitæ. Et hic errat Philo existimans inferiores aquas versus Oceanum continuo abitu alveum destituisse, sicuti in Jordane factum est, transeunte populo, sub gubernamine Jesu filii Nun. Nam non sunt transgressi per transversum mare, ab littore Ægyptio in Arabicum, ut quidam arbitrantur, sed egressi in idem littus, postquam Ægyptii periissent. v.24. dicitur Deus, qui idem est angelus Dei respexisse copias Ægyptiorum easque conterruisse. Hoc erat circa vigiliam matutinam, nocte apud veteres in tres vigilias (ut dicit Rasi) divisa. Onkelos בממרת ספרא. Rasi: *Dico ego, quo divisa nox sit ad custodias cantici angelorum ministerii, caterva post catervam in tres partes* &c. Intuebatur eos Deus è columna ignis & nubis. Una fuit sed iterum nugatur Rasi: *Columna nubis descendebat & faciebat eum tanquam lutum & columna ignis accendebat eum* & ungulæ equorum luxabantur (decidebant) In illa conturbatione removebat Deus (tempestatibus rotas &c. Aben-esdras: Et removit rotas curruum (מרכבותיו) *Sunt qui dicant sensum esse, quod solverint ligamen rotarum ab equis ad fugiendum, ut essent leves; at conturbatio Dei scripta superius cecidit super eos & equos eorum, nec potuerunt eos regere nisi difficulter: at alii dicunt, quod sit sensu* סוּר | *quod voluerit ambulans ante eos, evertere currum.* Rasi igne rotas esse combustas dicit & currus adustos, sessorumque inter fugiendum membra esse dirupta Ægyptii igitur trementes agnoscebant Deum pro Israële pugnare. Serò fugam capessentes mari refluo omnes interiere. Josephns: *ὅπως οὖν ὁ τῶν Αἰγυπτίων στρατὸς ἅπας ἐντὸς ἦν, ἐπιχεῖται πάλιν ἡ θάλασσα καὶ περικαταλαμβάνει ῥοώδης ὑπὸ πνευμάτων κατιοῦσα τοὺς Αἰγυπτίους. ὄμβροι τε ἀπ' οὐρανοῦ κατέβαινον καὶ βρονταὶ σκληραὶ προσεξαπτομένης ἀστραπῆς· καὶ κεραυνοὶ δὲ κατηνέχθησαν· ὅλως δ' οὐδὲν ἦν τῶν ἐπ' ἀπωλείᾳ κατὰ μῆνιν θεοῦ συμπιπτόντων ἀνθρώποις, ὃ μὴ τότε συνῆλθεν. καὶ γὰρ νὺξ αὐτοὺς ζοφώδης καὶ σκοτεινὴ κατέλαβεν.* Omnia igitur concurrebant per iram numinis ad evertendum non tantum sed & conterrendum Ægyptios. Ita deletus est universus exercitus cum rege, equis curribusque. Nec cladis nuntius superfuit: Josephus: *ὡς μηδ' ἄγγελον τῆς συμφορᾶς τοῖς ὑπολελειμμένοις ὑποστρέψαι.* Philo, *ὡς μηδὲ πυρφόρον ἀπολειφθῆναι, τὸν ἀπαγγελοῦντα τοῖς ἐν Αἰγύπτῳ τὰς αἰφνιδίους συμφοράς.* Interim, dum Deus cum Ægyptiis pugnat Israëlitæ sicco itinere inter cumulos undarum progressi salvi & incolumes littus tenuère. In quo visa ab ipsis hostium cadavera. Arma quoque æstu & vi venti (boream Philo ausus est appellare) in littus expulsa esse scribit Josephus: quæ tanquam Dei providentia data & viritim distributa sumpsere, cum inermes Ægypto exiissent. Notant Aben-esdras & Julius Cæsar Scaliger à quibusdam hoc miraculum imminui & eludi. Aben-esdras: *In pulverem redigantur ossa, Havi calebitæ, qui dicit, quod Moses noverit tempus imminuti maris in recessu ejus & tempus aucti maris in ascensu in consecutione sua: & traduxerit populum suum, imminutis aquis juxta morem suum, Pharao autem non noverit consuetudinem maris, propterea que mersus sit. Hæc sunt verba dementiæ: Nam consuetudo maris in descensu non siccat alveum: & facti fuerunt muri aquarum à dexteris & sinistris ejus, quod totum aruerat. Porro, quia non patet finis descen-*

descensus maris & principium ascensus ejus nisi post horas: amplius, quia non perfecerat Israël transire antequam mersus esset Pharao & exercitus ejus. Scaliger de subtilitate exercit 52. In *Erythræo tantus* (æstus) *ut osores sacrarum literarum temere mentiti sint: Mosen in sicco transmisisse, nactum refluxionis occasionem. Quod tamen fieri non potuit. Propterea, quod ad Sues usque, quod in intimo recessu jacet, mare operit litus illud, neque unquam regrediens ita nudat, ut inferiores partes, quà transierunt Hebræi, sua decessione aperiat.* An eodem littore Ægyptio egressi fuerint, quod Aben-esdras putat, disputant Lyranus, Burgensis & Doring. Lyranus: Et viderunt Ægyptios mortuos ad litus maris] *Ex hoc dixerunt aliqui doctores, quod filii Israël transeuntes per mare, non venerunt ad litus oppositum, sed ad litus, per quod intraverant: ita quod mare fuit eis divisum, quousque transierunt montem asperum: de quo supra dictum est: quia pro magna parte intrabant mare. Et tunc divisio per modum semicirculi rediit ad litus, sed ultra montem. Cujus rationem assignant, quia natura maris est ejicere mortuos ad litus propinquius. Ægyptii autem fuerunt submersi prope litus unde intraverant: quia non fuerunt multum elongati à litore, ut dicunt isti. Et ex hoc concludunt, quod filii Israël redierunt in idem litus: quia dicitur hic quod Ægyptios viderunt mortuos super litus maris. Ad hoc autem inducunt illud, quod habetur Num. 33. quod post transitum maris Rubri filii Israël fuerunt in deserto Etham: & illud desertum erat ad litus, quod est ex parte Ægypti, ut dictum est cap. præced.* Tenet autem Lyranus ivisse per mare ad litus Arabiæ oppositum, idque probat partim authoritate Josephi partim ratione; quæ est, *quod non sit verisimile, quod Deus reduxerit eos ad terram adversariorum.* Rationem sententiæ adversæ de mortuis non multum valere; *quia non habetur de textu, quod essent propinquiores uni litori quam alteri. Item quia, sicut dicit Josephus, Dei ordinatione factum, ut ejicerentur ad litus oppositum, ad consolationem filiorum Israël*, ut eos de cætero non timerent & ut haberent arma ad defensionem contra hostes insurgentes. Ad secundum ex Num. 33. dicit illud desertum Etham, quod ibi dicitur, aliud esse ab eo, quod in cap. præced. habetur. Dici in cap. seq. XV. non quod filii Israël appropinquaverint Ægypto, sed quod ingressi sint desertum Sur. Unde apparere, quod Etham, in quod exiere, aliud desertum sit, quamvis ejusdem nominis. Burgensis opinionem Postillatoris & Josephi impugnat. Ratio: Oportet ex ea dicere, quod Etham duplex sit, id quod non consonat textui. Postillatoris argumentum, quod ex adversa opinione dicendum sit eos appropinquasse terræ hostium, dicit non sequi. *Nam mare Rubrum erat*, inquit, *in partibus propinquis terræ Ægypti: ut patet ex hoc, quod in tribus diebus ad id accesserint filii Israël licet fessi & onerosi: & extendebatur usque ad terram promissionis, terminando eam secundum plagam orientalem ut habetur infra* (cap. 23.) *in textu & in postilla. Et sic filii Israël transeuntes per littus maris secundum ejus longitudinem semper elongabantur ab Ægypto & appropinquabant terræ promissionis: Et sic verum est quod post transitum maris filii Israël non appropinquaverunt Ægypto sed magis elongaverunt se. Unde desertum Etham intelligendum est esse idem ut dictum est: & totum existens citra & prope mare Rubrum: & est magnum desertum. Cujus una pars est remotior ab Ægypto, in qua parte continetur desertum Sur, tanquam quadam particula in quodam toto. Et ideo dicitur in sequenti cap. Quod egressi de mari Rubro ingressi sint desertum Sur. Et Num. 33. quod cum transissent per medium maris Rubri iverunt in desertum Etham.* Hic replicat Doring: *In cap. XIV. disputat materiam de ingressu & egressu maris: quibusdam dicentibus, quod ex eadem parte, qua ingressi sunt, egrediebantur; aliis dicentibus quod ingredientes ex una parte, à parte opposita egressi sunt. Primam opinionem acceptat Burgensis, secundam Postillator cum*

Iosepho: Et postillator solvit rationes factas pro opinione contraria sed Burgensis non solvit Iosephi & Postillatoris. Opinio Burgensis tendit ad duo satis dubia: unum quod mare rubrum non dividat inter Ægyptum & terram promissionis, sed sint sita in uno & eodem littore: Et puto Iosepho ibi nato & noto contrarium sentienti de hoc melius constare quam Burgensi, qui nunquam fuit ibi. Secundum dubium, quod filii Israël nunquam mare rubrum pertransierint in latum, quamvis in eo per aliquod spatium longitudinis ambulassent: quicquid sit moralitas glossa ordinaria huic sensui cum Burgensi non videtur convenire. Glossa namque ordinaria mare rubrum baptismum dicit, Ægyptios sequentes usque ad mare peccatum dicit: Fugientes igitur ad mare rubrum relictos à tergo vident mortuos, quià per baptismum præterita peccata delentur prodeunt Ægyptii usque ad mare, & peccata usque ad baptismum &c. quæ in glossa continentur. Si igitur ingressi mare regressi sunt ad eandem partem littoris, ad litteram, accedentes ad baptismum reversi sunt ad peccatum per moralitatem, & sic filii Israel post transitum maris figurarent ad vomitum redeuntes, quod tamen non videtur conveniens, quià hi & illi dicuntur transito mari cantasse hymnum Deo gloriosè. Hæc in glossa in effectu.

Exiisse in illam partem, qua intraverunt, docet finis transitus maris, qui erat ut absorberentur aquis Ægyptii, eaque ratione gentibus circumsitis patefieret Dei gloria, in terrorem nominis Israël. Ideo in illam partem proximi litoris ejecti, quod proximum Ægypto, ut Dei judicium regno illi manifestum redderetur. In desertum Etham egressi sunt, quod Ægyptò adsidet, nec est ejus pars desertum Sur. Nam Sur est inter montana Ægypti & Pharan. Montana Ægypti terminant Arabiam & desertum Etham. Exod. XV. 22. habetur ויצאו אל מדבר שור *Et egressi sunt* (scilicet è loco, ubi carmen Deo cecinerant) *usque ad desertum Sur*. Proinde desertum Sur non erat, ubi è mari pedem inferebant sicco terræ, sed Etham, ut expresse Num. XXXIII. 8. Inter montes deprehensi, mare ingressi sunt & alveum maris calcavêre longo tractu, donec pervenirent ad littus deserti Etham, quod ab loco ingressus satis remotum erat. *Et profecti sunt* מפני החירות *à facie Hahiroth & transierunt per medium desertum versus*. Errat igitur mappa Geographica Judæorum Amstelodamensium, qui recta ă littore Ægyptio ad Arabicum transiisse notarunt. Notat Geographus Arabs prope Jethram litoris Arabici esse locum maris periculosissimum nautis, in quo Pharao submersus esse feratur. Hoc figmentum est ex loci periculo non bonis rationibus. Psalmo 136. 13. dicitur mare divisum esse in diuisiones, quod figmento dedit occasionem. Lyranus enim testatur aliquos doctores Catholicos dicere quod duodecim divisiones fuerint pro numero tribuum, ut unicuique sua esset. Hebræos autem scribere, quod una tantum fuerit. Id ex eo esse probabile, quod communiter Hebræi & Catholici referant: *quod filii Israel formidabant intrare mare post Mosen, & tunc tribus Iuda, quæ erat constantior, prima intravit post Mosen & alia consequenter consecutæ sunt & quod tribus Iuda ibi meruit regnum. Si autem qualibet tribus habuisset suam divisionem magis formidassent intrare: maxime illæ, quæ non habuerunt Mosen in sua divisione præeuntem. Probabile est etiam, quod Moses intrasset cum tribu Levitica & non cum tribu Iuda.*

Canticum Domino Cecinit] Israëlitæ Pæana Deo cecinerunt. Carmen hoc versu hexametro constabat, ut testatur Josephus: ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ. Totam noctem insequentem Deum laudavere autorem tam insperatæ salutis, in hilaritate, ἐν ὕμνοις ϗ παιδιαῖς sic lego non παιδείαις, quod habetur vulgo.

Idemque Omnis Turba Virilis Ac Muliebris Sexus Fecit] Moses cum viris carmen ab ipso compositum præcinebant, mulierum chori seque-

ſequebantur præeunte Maria ſorore Moſis, quæ prophetis erat. Maria tympanum manu tenebat, quam ſequebantur mulierum chori cum tympanis. Primum verſum carminis reſpondebat viris Maria: *Cantemus Domino; admodum exaltatus eſt; Equum cum equite præcipitavit in mare.* Philo: δύο χόρους, τὸν μὲν ἀνδρῶν τὸν δὲ γυναικῶν, ἐπὶ τῆς ἠϊόνος στάντες εὐχαριστικοὺς ὕμνους εἰς τὸν θεὸν ᾖδον, ἐξάρχοντος μὲν Μωϋσέως τοῖς ἀνδράσιν, ἀδελφῆς δὲ τούτου ταῖς γυναιξίν. Quidam putant totum carmen Moſis repetitum fuiſſe à mulieribus, quod non videtur. Judæi apud Raſi nugantur Mariam prophetin appellari & ſororem Aaronis potius quam Moſis quod prophetaverit ante natum Moſen: item quod Aaron pro ea ſteterit, cum lepra eſſet percuſſa. Unde habuerunt tympana? Eduxerant ex Ægypto tympana, confiſæ de miraculis quæ editurus eſſet Dominus. Dicit Moſen viris præcinuiſſe, viros ipſi ſuccinuiſſe, ita Mariam mulieribus præcinuiſſe, mulieres Mariæ reſpondiſſe. Autor de mirabilibus Scripturæ putat, improviſo afflatu Dei arreptos pueros ſeneſque, puellas & mulieres ſeniores ceciniſſe non edoctos prius: nos ſcimus Moſen compoſuiſſe & tradidiſſe.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI PRIMI.
CAP. XXV.

SEd ingreſſus eremum, cum jam per triduum iter agerent, aquæ penuria urgebat, repertaque, ob amaritudinem, uſui non erat. Ac tum primum impotentis populi contumacia apparuit, jamque in Moyſen ferebatur, cum edoctus à Deo, lignum aquis intulit, cujus hæc vis fuit ut dulcem ſaporem fluentis redderet. Exin promotum agmen, apud Elim duodecim fontibus aquarum & ſeptuaginta arboribus palmarum repertis, conſedit. Rurſum populus famem conquerens, Moyſem increpabat, Ægypti ſervitium cum ſaturitate ventris deſiderans, tum grex coturnicum ſuperne miſſus caſtra opplevit. Poſtero autem die animadvertunt, qui extra caſtra proceſſerant, parvis quibuſdam ſiliquis oppletum ſolum: quarum ſpecies in modum coriandri ſeminis glaciali albedine erat, ut crebro hybernis menſibus ſuperductis pruinis tegi terram videmus. Tum per Moyſen populus admonetur, panem hunc eis munere miſſum Dei, unumquemque in id paratis vaſculis uſurpare debere, quantum in diem unum pro numero ſingulis ſatis eſſet, ſexto tamen die, quia Sabbato colligi non liceret, duplum præſumerent. Verum

rum populus, ut semper, parum dicto audiens, more humani ingenii, non refrenavit cupiditatem, ex reconditis in posterum quoque diem consulens. Sed reposita, fervore diro, in vermes effervescebant; cum die sexto in Sabbatum reservata, integra permanerent. Hoc Hebræi per quadraginta annos cibo usi sunt, cujus sapor melli proximus: nomen Manna traditur. Testimonium autem Divini muneris, reservasse Gomor plenum in vase aureo dicitur.

DRUSIUS.

SED INGRESSUS EREMUM] assentior Sigonio legenti, *Sed ingressos.* Nam populus subaudiri non potest, cum sequatur *urgebat.* Dixisset enim certè, *sed ingressum.*

AGERENT] *egissent* malim. Nam tridui iter confecerant, cum aquæ penuria laborarent.

USUI NON ERAT] bibere eam non poterant ab amaritudinem: ex quo etiam locus ille Mara dictus est.

AC TUM PRIMUM, &c.] Imo antea contumaces fuerant. Vide Sigonium.

LIGNUM AQUIS INTULIT] Sirach. 38. 5. *nonne à ligno dulcuit aqua, ut cognosceretur virtus ejus ab homine?* Ex his verbis apparet ea vi præditum fuisse hoc lignum ut aquam ex amara dulcem redderet. Nam agit ibi de proprietatibus naturalibus eorum quæ è terra nascuntur. Josephus autor fuisse frustum ligni casu ibi repertum, quod medium per ejus longitudinem scissum in aquam immisit Moses, qui etiam jusserit robustissimum quemque certatim puteum exhaurire, dicens, majore parte evacuata reliquum potabile fore, Orig. Jud. lib.3.cap.1. In historia Ecclesiastica relatum, de sententia quorundam Ebræorum, lignum hoc fuisse gustu amarissimum. Autor libri qui dicitur Mechiltha fol. 18. col. 2. *R. Iosue dicit esse lignum salicis: R. Eliezer Modeita lignum oleæ, quo nihil amarius: R. Iosua filius Corcha lignum Harduphne sive Hardiphne.* Jonathan ei firmando esse potest, qui hoc loco edidit, *arborem amaram Ardiphne.* A quo non dissentit autor Jerosolymitanæ referens, *indicavit ei Deus arborem Ardiphne.* Quid Ardiphne? In scriptura variante est Hardiphne, cum aspiratione. Lexicon Chaldaicum Eliæ, *Arbor est quæ flores profert similes liliis, & sunt illi flores amari valde.* Moses Gerundensis annotat scribens lignum hoc natura, id est, vi ac proprietate sua, fecisse aquam dulcem ex amara. Quod probat ex significatione verbi הורה *docuit. Nam non legitur,* inquit, *nisi in sensu* למוד *doctrinæ.* Idem annotat de doctoribus, qui asserant lignum amarum fuisse. In Thanchuma sive Ilmedennu, *Mos Dei benedicti ut dulce reddat amarum per id quod amarum est.* Tolle ambiguitatem & lege, ut dulce reddat quod amarum est, per id quod amarum est. His adde quod in Medras Mechiltha loco superius allegato, col. 3. *R. Nathan dicit esse lignum cedri. Sunt qui dicant esse radicem ficus & radicem malogranati.* Eadem habentur in Ilmed 30. 1. Meminit & Albo, Ser. 4. cap. 41.

CUJUS HÆC VIS FUIT] id est, *natura, facultas.* Augustinus, *Genus ligni erat istam vim habens* ex glossa ordinaria. Videtur hoc lignum naturali vi ac facultate aquas fecisse dulces vel secernendo adustas terræ partes quarum admixtione fit aquæ sapor; vel certè attrahendo & alliciendo ad sese imbibendoque amaras aquæ partes, si modo credimus Ebræis dicentibus fuisse

fuiſſe lignum amarum, ut jam nunc probatum eſt. Adito ſis ad Franciſcum Valleſium de ſacra Philoſophia cap. 15.

Apud Elim] Manſio ſexta, cujus meminit Euſebius de locis per hæc verba, *Elim caſtra filiorum Iſrael, & locus in deſerto, in quo duodecim fontes, & ſeptuaginta palmarum arbores Moyſes de mari rubro exiens repperit.* Cæterum arbores iſtæ non admodum erant proceræ propter loci ariditatem. Nam nè à fontibus quidem rigabantur. Neque multum fructum ferebant propter eandem aquarum inopiam. Joſephus Orig. lib. 2. cap. 7.

Fontibus Aquarum] Fontes iſti non ita largi erant ut emiſſis rivulis humiditatem terræ ſubminiſtrarent. Quare ad egerendas arenas verſi ſunt, &c. Vide Joſephum.

Aquarum] dulcium. Nam ut Ebræi annotant, palmæ non creſcunt niſi ſecus aquam dulcem.

Arboribus Palmarum] prius legebatur arborum palmarum, in quo manifeſtus à manu, ut reor, aberrantis librarii ſolœciſmus. Arbores palmarum genus eſt loquendi, ut *herba lapathi, urbs Roma, Flumen Euphratis.* Sic *arbor palma. Hæ arbores,* inquit Sulpicius, *tantum in eremo, licet rarò habentur.* Vide ſodes ejus dialogos, pag. 257. Strabo lib. 16. *Poſidio continuum eſſe palmetum quoddam aquis abundans, & in magno honore haberi, propterea quod circumſtans regio æſtuoſa ſit & arida & umbrarum expers. Ibi, ut ait Artemidorus, mirum in modum ſunt feraces palmæ.*

Rursum Populus Famem Conquerens] Hoc accidit non in Elim, ſed cum inde profecti veniſſent in deſertum Sin, poſitum inter Elim & Sinai, Exod. 16. Eo pervenerunt 15. die menſis ſecundi, ex quo Ægyptum reliquerant. Porro noſter videtur Joſephum ſecutus, qui eodem modo hanc hiſtoriam narrat.

Grex Coturnicum] πλῆθος ὀρτύγων, Joſephus: hoc eſt, magna vis aut multitudo coturnicum. Locus eſt lib. 3. cap. 1. quem ſic Latinum fecit Gelenius, *Nec ita multo poſt magna vis coturnicum, quod genus avium præ cæteris Arabicus ſinus alit, ſuperato interjacente mari longo volatu feſſarum, qui alioquin etiam non eſt ſublimis, in Ebræos defertur.* Diodorus lib. 1. de incolis Rhinocoruræ: Ταύτας δὲ παρὰ τὴν αἰγιαλὸν ἐπὶ πολλοὺς σταδίους ἱστάντες, τὰς θήρας τῶν ὀρτύγων ἐποιοῦντο (φέρονται γὰρ οὗτοι κατ' ἀγέλας μείζους ἐκ τοῦ πελάγους) οὓς θηρεύοντες ἤθροιζον πλῆθος ἱκανὸν εἰς διατροφὴν ἑαυτοῖς. Non eſt omittendum in Græcis voluminibus haberi ὀρτυγομήτρα quod Auguſtinus diverſum quid eſſe dicit à coturnice. In Theſauro Linguæ Græcæ ὀρτυγομήτρα coturnicum matrix exponitur. Heſychius interpretatur ὄρτυξ ὑπερμεγέθης. Plinius lib. 10. cap. 29. *Aura vehi volant* (coturnices migrantes) *propter pondus corporum, vireſque parvas. Aquilone ergo maximè volant, ortygometra duce.* Vide Ariſtotelem in hiſtoria animalium lib. 8. cap. 12.

Postero Autem Die, &c.] Hæc paulò aliter Joſephus. Narrat enim, cum Moſes precabundus palmas attolleret, rorem è cœlo delapſum fuiſſe, qui manibus ipſius hærens concreverit, quemque deguſtaverit ſuſpicatus à Deo in alimoniam dimiſſum, &c.

Parvis Quibusdam Siliquis] Manna tegebatur duplici rore, ut communiter tenent Ebræi. Hunc rorem ſiliquas appellat: Nam ſiliqua folliculus eſt ſeu integumentum, quo veſtiuntur legumina, λέβος, καρύκιον, θήκη, id eſt theca. Dicitur & concha, valvulus. Vide Lexicon Latino-Græcum.

Quarum Species In Modum Coriandri Seminis] Fumus in oculis meis hæc verba. Nam ſi per ſpeciem aſpectum intelligas, falſum

ſalſum videtur, Aſpectus enim ad ſimilitudinem Bdellii accedebat, non ſeminis coriandri, cui ſimile erat manna quantitate duntaxat, hoc eſt, magnitudine. Sic dico, ſemen coriandri nigrum eſt. Non ergo colore referebat hoc ſemen, ſed figura (nam figuram habebat rotundam) item quantitate, ut dictum eſt: ſapor autem erat qualis placentarum ex melle, ſive cruſtuli melliti. R. Salomo, *Semen coriandri rotundum eſt, non album. Man autem erat album: neque aſſimilatur ſemini coriandri, niſi quatenus rotundum eſt. Nicolaus de Lyra, Quale ſemen coriandri. quantum ad quantitatem & figuram; non quantum ad colorem: unde ſubditur album* (Exod. 16. 31.) *ſemen autem coriandri nigrum eſt.* Aliter alii, & in his R. Levi.

In Modum Coriandri Seminis] ὡς σπέρμα κορίου, ut ſemen coriandri. Sequitur autem λευκόν. Unde ſuſpicor Sulpicium in ea opinione fuiſſe, ut exiſtimârit hoc ſemen album fuiſſe. Quod de Gad vocabulo Ebraico aſſerit R. Levi. Ut ut ſit, pro Græca interpretatione faciunt interpretes Chaldæi duo Jonathan & Jeroſolymitanus. Nam כוסבר eſt coriandrum, quod Arabes כסבור vocant teſte Aben-ezra. In gloſſis Arabicis reperio Kusbor & Kasbara, & Kusbara & Kuſibara. Adito iis ad notas magnas in Exodum.

Glaciali Albedine Erat] λευκὸν ὡσεὶ πάγος ἐπὶ τῆς γῆς, Exod. 16. 14. pro quo in ſcholio πάχνη, id eſt, pruina. Quomodo ex Ebræo interpretantur, *ſicut pruinam ſuper terram*, ſive ut vulgatus interpres habet, *in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram.* Quod noſter expreſſit his verbis, *ut crebro hybernis menſibus ſuperductis pruinis tegi terram videmus.*

Munere Missum Dei] à Deo datum ad vitam ſuſtentandam in deſerto. Hinc quidam arceſſunt etymon τοῦ Man. Nam מנה / portio, donum, munus. Vide Quæſtiones meas.

Tantum Usurpare Debere, &c.] *ex aquo aſſaronis menſuram colligebant, nec licebat plus colligere. Hoc eo factum ne infirmioribus deeſſet, dum robuſtiores per avaritiam plus ſatis colligunt.* Joſephus.

Pro Numero] videlicet gomor in ſingula capita, inita ratione numeri eorum, qui erant in cujuſque contubernio. Gomor autem continet decimam partem Ephi; ut habetur Exod. 16. 36. Id ſonat aſſaron apud Joſephum, ſi modo vocabulum Ebraicum eſt עשרון in quo ſignificatio numeri denarii. Decem enim ſive δέκα, עשר dicunt.

Sexta Tamen Die] pridie Sabbathi, qui nobis eſt dies veneris & ſexta. Atque hinc adagium, *Qui colligit veſpera Sabbathi, veſcetur in Sabbatho.* Vide proverbia mea.

Quia Sabbato Colligi Non Liceret] eſt cur malim Sabbathum, cum T. aſpirato. Nihil tamen mutavi quià in Græcis voluminibus Σάββατα, quod nunc ſecutus mihi videtur.

Integra] neque fœtebant, neque in iis vermes erant.

Per xl. Annos] Exod. 16. 35. Deficiebat primum cum Jordanem tranſiiſſent, poſt celebratum Paſcha in Galgalis. Tunc enim cœperunt veſci frugibus terræ Chanaan, Joſ. 3. 12. Hujus cibi ea natura erat, ut qui eum haberet, alium non deſideraret, inquit Joſephus.

Cujus Sapor Melli Proximus] Sapor erat qualis cruſtuli ex melle, ut ſupra diximus. Igitur ſuavitate ad mellis dulcedinem proximè accedebat.

Nomen Manna Traditur] Nam cum illud primum viderent, dicebant, Man-hu, id valet antiqua declaratione, *quid hoc eſt?* Sed è recentioribus alii donum ſive munus interpretantur, id eſt, *manna*: alii deducunt à verbo

verbo *menna* præparo, quasi panem à Deo præparatum dicas. Adhibe quæstiones meas.

Gomor Plenum,] quantum gomor caperet. Est autem homer sive Omer, (nam Ebraicè עמר) genus mensuræ decimam partem Ephi continens, quod & *Issaron* dicitur unde ἀσσαρὼν Josephi, cujus antea mentionem fecimus, pro quo Rufinus assarium edidit. Glossarium Philonis, *Gomor mensura est Atticorum chanicum trium.* Hieronymus, *Gomor tres chanicas Atticos continet.* Josephus autor, τρεῖς ἡμικοτύλας tres hemicotylos continere. Vide Theodoreti Quæst. in Exod. quæst. 20. Nicolaum Brabantinum, Exod. 6. Augustinum Eugubinum, & alios.

In Vase aureo] στάμνον χρυσοῦν, appellant Græci LXX. quos hic noster secutus est, adstipulante Apostolo in Epist. ad Ebræos. Errant ergo qui vas testaceum aut fictile fuisse tradunt, inter quos R. Salomo & Jonathan is, cujus portentosa extat in Mosen paraphrasis. Abenezra fictile vel æreum fuisse scribit, ut alii vitreum, si modo צלוחית / quod in editionibus Chaldaicis, est vas vitreum, quemadmodum Judæi hodiè interpretantur. Cæterum στάμνος non tam latè patet quam vas Latinorum. Lexicon vetus, στάμνος, matella, urceus, urna. Quidam hydriam exponunt. Vocem Ebræam צנצנת phialam alii, & alii scutellam reddunt. Sunt etiam qui à צנן deducunt, unde צנה Sinna, parma, scutum. Ad ea quæ de Gomor supra notavi, addunt ex Oncelo, *decima pars trium satorum*, pro quo in Græca editione legitur, τὸ δὲ γόμορ τὸ δέκατον τῶν τριῶν μέτρων. R. Salomo, *Epha continet tria sata, & satum sex cabos; & cabus quatuor logos, & logus sex ova.* Sequitur hanc decimam partem Epha continere 43. ova, cum parte quinta. Perperam igitur Lyranus ad hunc locum, *R. Salomo, dicit quod continet quantitatem XLII. ovorum.*

Schotanus.

Quæ capitis hujus sunt, continentur Exodi XV. à v. 22. & toto capite XVI. & apud Josephum cap. 1. libri tertii.

Eremum] Quia in Hebræo textu est ויסע, putat Rasi invitos ab illo litore extractos esse Israëlitas, ubi spoliis Ægyptiorum se ditabant. Volunt enim prædam maris ditiorem fuisse præda qua onusti exibant Ægypto. Josephus eremum describit: ἡ χώρα πλέως οὖσα ἔρημος καὶ ταύτῃ πρὸς τροφὴν αὐτοῖς ἄπορος, σπανίζουσα δὲ ὕδατος εἰς τὸ ἔσχατον. καὶ μὴ μόνον ἀνθρώποις τι παρασχεῖν ἐνδεὴς, ἀλλὰ μηδ' ἄλλο τι τῶν ζώων ἱκανὴ βόσκειν· ψαφαρὰ γάρ ἐστι καὶ νοτερὸν ἐξ αὐτῆς οὐδὲν, ὅτι καὶ φῦσαι καρπὸν δύναιτο. Desertum hoc erat Etham, quod montibus Ægyptum terminantibus à deserto Sur disterminatur.

Aquæ Penuria] Josephus narrat aquam secum portasse, Mosis jussu, cum maris Erythræi litus relinquerent. Ea consumpta fodisse puteos, difficulter invenisse aquam διὰ σκληρότητα τῆς γῆς. Eam quam invenere amaram fuisse & minimè potabilem. Tandem ad vesperam (περὶ δείλην ὀψίαν) in locum devenisse, qui Mar diceretur, ob aquæ malitiam. Scriptura dicit post triduum venisse in Mara, locum ita appellatum, vesperæ aut temporis diei nulla mentione: Josephi lapsus est, qui existimavit unius diei itinere eò pervenisse. Hic puteum invenere, qui primo conspectu mentes exhilarabat, sed aquam experiendo amaram esse deprehenderunt. Unde loco nomen factum est מרה / LXX. reddunt Μεῤῥᾶ.

Ac Tunc Primum] obliti beneficiorum, quæ tanta recens acceperant, ingratis animis in Deum & Mosen insurrexere. Ἀεὶ γὰρ, inquit Philo, ἡ τοῦ παρόντος περιβολὴ δεινοῦ, τὰς ἐπὶ τοῖς προτέροις ἀγαθοῖς ἡδονὰς ἀφαιρεῖται. Peccatum

catum imminuit: dicit enim infantium & teneræ ætatis vicem doluisse: quosdam extra lineas prosiluisse, qui præterita incusaverint: quasi præstitisset hostili manu periisse, quam siti confici. Scriptura tantum clamasse ad Mosen refert, *Quid bibemus?* Anxius igitur Moses cum videret populum animis concidisse & grave esse malum: οὐ γὰρ (inquit Josephus) ἐχθρὸς ἦν στρατὸς, ὥστε τῷ βιαζομένῳ τῆς ἀνάγκης ἀντιτάξαι τὸ ἀνδρεῖον, ἀλλὰ διεφθείρετο τὸ γενναῖον παιδίστε καὶ γυναικῶν ὄχλος ἀσθενέστερος. *Non enim hostilis erat exercitus, ut violentia necessitatis posset opponere fortissimam partem viros scilicet: sed interibat pars nobilissima puerique & mulierum turba imbecillior.* Sequitur: τῆς ἐκείνων διδασκαλίας ἐν χαλεπωτέροις ἦν, τὴν συμφορὰν τῶν ἁπάντων ἰδίαν αὐτοῦ ποιούμενος. Hæc nisi fallor, ita verti debent: *Ob eorum magisterium in difficillimis erat rebus, calamitatem omnium suam esse arbitratus.* Ad Deum precibus confugit Moses: precum formulam Philo scribit. Narrat scriptura Deum Mosi monstrasse lignnm, quod injectum aquæ reddebat dulcem & potabilem. Sic etiam Philo & simpliciter, tantum addit: τάχα μὲν καὶ κατεσκευασμένον ἐκ φύσεως, ποιοῦν δύναμιν, ἣ τάχα ἠγνοεῖτο, τάχα δὲ καὶ τότε πρῶτον ποιηθὲν εἰς ἣν ἔμελλεν ὑπηρετεῖν χρείαν. *Sive præparatum à natura, exerens vim, quæ forte ignorabatur, sive etiam tunc primum factum, in quem debuit inservire usum.* Josephus abit à textus simplicitate. Dicit enim Mosen (scilicet divinitus edoctum) arripuisse ἀποτμάδος τὸ ἄκρον ἐν ποσὶν ἐρριμμένης, *summam partem scissuræ ligni ante pedes projectæ.* Ea per longitudinem divisa, missaque in puteum, dixisse Deum voto annuisse, Si sedulo partem aquarum exhauriant, reliquam usui idoneam fore. Incubuisse robore vegetos, atque aquam à motu & agitatione, redditam esse potabilem. Hoc vero est historiam pervertere. Nam Scriptura testatur ligni illius injectu aquam esse immutatam, Josephus frequenti agitatione & exhausta parte impuriori evasisse utibilem. Τὸ δὲ ὑπὸ συνεχῶν πληγῶν γεγυμνασμένον καὶ κεκαθαρμένον ἤδη πότιμον ἦν. Nullam vim medicam ligno adscribit Josephus, tantum indicium rei faciendæ fuisse putat. Aben-esdras: *Nescimus lignum hoc, quod nam fuerit: sed res mirabilis fuit: Etsi aquæ hæ stantes fuerunt, significat per modum sanationis factum esse: Et verum est quod sapientes b. m. dicunt.* Vine ligni an miraculo sub indicio ligni aquæ mutaverint saporem, quæritur? Fagius: *Referunt sapientes Hebræorum hoc lignum natura amarum fuisse, ideoque projectum in aquas illas, adhuc amariores eas reddidisse. Contra ergo naturam istius ligni fuisse dicunt, quod aquæ inde dulcoratæ fuerint. Sed Deum asserunt ita voluisse exercere potentiam suam, ad ostendendum se superiorem natura esse, contraque illam quidvis posse.* Rivetus: *Hæc sententia* (Hebræorum) *placuit multis recentioribus, cujus fundamentum est, quod non solum hac ratione miraculum præsens illustrius evadat; sed quod etiam Deus in miraculis magnis soleat ita procedere, ut daturus effectum vel sanitatem suprà naturam, id faciat per media, natura sua non solum non idonea, verum etiam contraria; ut patet in illuminatione cæci Ioh. IX. Et ex eo quod 2. Reg. II. Elisæus aquas impotabiles per salem potabiles reddidit, cum tamen salsugo in potu non sit grata.* Franciscus Vallesius sacr. Philosoph. cap. 15. *Cum hoc* (de ligno quod aquas edulcavit) *legimus magna subit dubitatio. An lignum in aquas missum, naturali quapiam facultate dulcedinem intulerit, an id voluntate Dei & miraculo effectum sit, in figura majoris cujuspiam sacramenti. Atque plerisque hoc videtur probabilius: Primum quidem, quia nemo neque medicorum, neque qui naturalem historiam scripserunt; talem facultatem unquam videtur agnovisse: neque facile videtur dici posse aut excogitari quam passionem inferat id lignum aquæ, ut amaritudinem elevaret: cum præcipuè in Historia Scholastica, ex sententia Hebræorum, dicatur id lignum fuisse amarissimum & mortiferum: de inde, neque si talem vim habere potest lignum,*

lignum, potest ex in magnum flumen aut ingentem lacum uti. Habet enim modum quendum facultas omnis naturalis, eumque secundum magnitudinem ejus, quod facit & accipientis. Non enim, si magnes trahere potest ferrum, continuò possit trahere montem ferreum: neque ferri exiguum quantulumcunque lapis, sed tantus tantum: omnes autem naturæ fines videtur excedere tantam aquæ molem, à ligno non majori quam ut à Mose posset comprehendi, & in aquas mitti, tantam recipere alterationem: nihilominus videtur necessarium fateri secundum naturalem aliquam facultatem illud esse effectum, quandoquidem cap. 39. Ecclesiastici in conformationem operum medicinalium & commendationem artis dicitur, Nonne à ligno indulcata est aqua amara? Nisi autem naturali aliqua ligni facultate id factum esset, quale obsecro esset argumentum? certe tale, ac si diceres: magna vis medicinæ est, quia infusio aquæ benedictæ, & admotio crucis, & reliquiarum sanctorum ad omnes morbos prodest, immò verò ob hoc ipsum dicent multi, opus non esse medicina: quod scilicet vita & mors, sanitas & morbus penes Dei voluntatem esse videntur; non penes artem ullam. Respondent à contraria sententia Ecclesiasticum proferre illud exemplum, ut ex eo quod miraculosè Deus fecit per lignum, indicaret omnia etiam illa quæ naturaliter efficiuntur per creaturas, ad Deum esse referenda. Mihi verò videtur id exemplum indicaturum, non solum à Deo esse tributas rebus virtutes sed suspicionem etiam illorum, nullas omnino esse naturales ipsarum rerum, sed à Deo ipso effici quidvis; ut immisso ligno in aquas facta sunt dulces. Quapropter censendum potius videtur, naturali aliqua ligni virtute effectum esse illud. Iuvat plurimum hanc sententiam, quod Hebraicæ linguæ periti dicunt, juxta suum idioma legendum potius fuisse, Clamavit ad Dominum, qui docuit illum lignum, quod quid aliud est, quam docuisse illum ligni facultatem, & virtutem? Certè cum Deus ostenderit Mosi lignum, quo aquas dulces efficeret, necesse est indicasse illi lignum tali præditum facultate, aut simul indicasse lignum & illi tamen facultatem indidisse, cùm eam nullatenus haberet anteà, aut nulla facultate data ligno, ipsummet Deum, cum injectum à Mose est, aquas reddidisse dulces: hoc ultimum nihil penitus haberet cum medicina, neque ullum argumentum in artis laudem, aut fidem capi posset. Nam mera Dei voluntate res esset acta. Supersunt igitur priora duo. Rursus si lignum tali præditum erat facultate, aut tali tantaque erat præditum, ut naturaliter nilque denuò apponente Deo, posset tantam, adeo amaram aquam reddere potui aptam, aut eam Deus, naturalem alioqui ligni vim, novo quodam intuitu auxit, atque fortiorem fecit. Quod horum fecerit Deus, non possum ulla monstratione indicare. Nam his omnibus modis solet in homines beneficia conferre: atque qui docet, Deum tribuisse ligno facultatem, qua antea caruerit, argumentum fidei artis medicæ, ita concludet: Quandoquidem Deus tribuere potuit ligno facultatem adeo mirabilem, alterandi scilicet magna flumina, non est diffidendum quin herbis, lapidibus ac metallis alterandi nostra corpora dederit vires, ut, scilicet, argumentum sit à majori, multò autem firmius argumentum & ad rem ipsam propius accedens sit, ab exemplo, ita scilicet, non contemnenda est medicina, quasi magnam vim non habeat transferendi ægrotantium corpora in pristinam sanitatem: maximas enim vires habent res quam plurimæ, pluribus modis afficiendi res alias. Exemplo est lignum, quod aquas amaras reddidit dulces. Ob hæc mihi videtur magis consentaneum, lignum illud naturali vi aquas fecisse dulces. Atque de ea facultate dixerim ego duorum alterum, aut esse secretricem aquæ & exustæ terræ, similem ei quæ acetum findens lac, serum secernit (nulla enim ratione posset aqua ex salsa dulcescere, quàm secreto sale, atque ita neque ex amara quam secretis terræ valdè exustæ partibus: talium quippe admistione fit amarus sapor: aut esse tractricem partium amararum, gratia similitudinis (si modo credimus dicentibus fuisse amarissimum lignum) atque alliciendo ad sese, imbibendoque amaras aquæ partes, illam dulcem & potui aptam reddidisse. Crediderim sanè

eam facultatem, quacunque in ligno fuerit, plus solito tunc, annuente Deo, valuisse: velut medicamenta existimo nonnunquam, plus quam aliàs valere, ob gratiam Numinis: nimirum Deus prima causarum est, quare aliarum quacunque ita moveri poterit, ut ipse exordiatur motum. Ita enim evenit in causis omnibus, qua ordine posita sunt. Autor de mirabilibus Scripturæ: *Sed Moysi à Domino lignum ostenditur, cujus tactu amara fluminis aqua indulcoratur, ejusque dehinc dulci sapore populus sitis ardorem debriatus* (inebriatus) *deposuit, quem illuc usque incessabiliter fervor fatigavit. Sed qualiter natura investigator naturaliter esse factum approbabit, quod amara aqua in momento ligni attactu protinus indulcantur? Cujus ergò natura, ut tanta dulcedinis lignum fuisse videretur, quo semel intincta fluminis unda amarissima, suavis & sapida fit? Etenim si favum mellis aliquis nunc in amaram undam jecerit, nonne potius, favus amarus quam unda sapida erit? Ex quo intelligitur, non tunc lignum contra naturam aquam effecisse dulcem, sed pracepto conditoris & natura gubernatoris lympham mutavit in saporem. Nam & virga illa, qua à Moyse mare rubrum percutitur, & flumen & calum & terra flagellantur, quando terra Ægypti diversis plagis maceratur, non hanc in se natura virtutem habuit, cum eam Moyses & Aaron ad hac facienda elevavit, vel ut aquam fluminis in sanguinem verteret, vel etiam ciniphes de pulvere suscitaret, vel tenebras duceret de calo. Si enim aliquis prater Moysen, & non cum Dei pracepto mare iterum* (ex) *illa virga percussisset pro certo ejus percussioni Thetys nequaquam cederet: Et si iterum aquas fortuitò percuteret, profecto illas nunquam in sanguinem mutaret. Sic & illam arborem per quam in Marath aqua falsa indulcatur; si in amarum liquorem aliquis intingeret, & non idem Deus & primitus imperaret, pro certo non (nisi) salsuginem in suavem saporem commutaret. Vnde pervidendum est quod* (non) *ideo Deus hac ligna, vel etiam de fornace pulverem in his mirabilibus interesse praceperat, ut aliquod in illis per eorum naturam vel administrationem effectum fuisse quis credat: sed per hac futurorum mysteria prasignata esse instituit, ut quod in his nunc mergere provectibus ista faciant, sapiens doctor figurali expositione discernat. Dum autem lignum nihil in hoc (naturaliter) fecisse probavimus, restat nunc ut quomodo per naturam factum sit exponamus. Quodcunque ergò per studium quamvis longi temporis in re aliqua invenitur, non aliunde in eadem per industriam ex aliena natura conducitur, sed cum in natura abdito recessu occultatur, prius hoc perplexi temporis industria, & alterius natura adjumentum reddit: Et quod per humanum seu etiam rerum effectum longo cultu efficitur, hoc Dei voluntate cum necesse habet ipsa natura operatur. Aquas igitur amaras, vel etiam salsissimas in dulcem saporem verti posse, frequenter nauta comprobant qui illis per humum optima terra infusis, & hoc artificio etiam indulcoratis, sape sitim temperant. Nubes quoque de marinis finibus vapores levant salsi liquoris, sed easdem dulces quando pluunt, terrenis usibus ministrant, quoniam salsuginis vitium quod in semet ipsis aquis insitum capiunt per infusionem terra aut nubium deponunt. Similiter quoque & dulces aqua, cum eas homines per marinorum olerum cineres hauriunt, salsum & plus quam Oceani saporem reddunt. Hanc ergo imitationem insitam sibi naturaliter aqua habent, sed celerius per praceptum conditoris illam quam per efficaciam humana diligentia, & ipsarum rerum ministrationem exhibent. Per alterius enim rei adjumentum humana diligentia, vel ipsa cujusque rei ministratio alicujus natura superficiem mutat. Ipse verò creaturarum conditor & gubernator, naturam occultam qua per aliam rem manifestanda fieret, in re ipsa sola denudat. Sic & nunc amara aqua ut dulcedinem quam in occulto natura sua continuerat, per humum aut nubem ab amaritudine purgata ostenderent, ita jussu gubernatoris potentissimi naturam per se solam, absque alterius rei juvamine exhibet.* In Ecclesiastico Jesus Syrach cap. 38. ostendit se putasse, quod naturalis proprietas in ligno

fuerit

fuerit edulcandæ aquæ. Κύριος ἔκτισεν ἐκ γῆς φάρμακα καὶ ἀνὴρ φρόνιμος οὐ προσοχθιεῖ αὐτοῖς· οὐκ ἀπὸ ξύλου ἐγλυκάνθη ὕδωρ, εἰς τὸ γνωσθῆναι τὴν ἰσχὺν αὐτοῦ. Calvinus: *Poterat* (Deus) *initio dulcibus aquis eos potare, ſed amaris voluit in medium proferre amaritudinem, quæ in eorum cordibus latebat. Poterat etiam ſolo nutu vitium corrigere in aquis, ut ſponte dulceſcerent. Cur lignum adhibere maluerit, incertum eſt: niſi ut coargueret impiam eorum ſocordiam, oſtendens multa ſibi in promptu eſſe remedia quibuscunque malis. De ligno & jam quæſtio naſcitur, an vim, quæ tunc exſerta fuerit, habuerit ingenitam. Etſi autem probabiles in utramque partem rationes adduci poſſunt, magis in hanc ſententiam inclino, vim occultam naturaliter in ligno fuiſſe & tamen miraculo correctum fuiſſe aquæ ſaporem: quia difficile fuiſſet tantam ligni copiam momento congerere, quæ fluvio purgando ſufficeret. Neque enim exiguo fonte contenta fuiſſent ſexcenta millia hominum cum uxoribus, liberis & pecoribus. Quod autem hanc proprietatem ligno prius fuiſſe inditam exiſtimo, ratione non frivola adducor: quia certam unam ſpeciem Moſi fuiſſe oſtenſam patet. Neque id tamen obſtat quin major ſolito efficacia exſtiterit, ut ſubitam dulcedinem injecto ligno aquæ acquirerent.* Naturalem illam vim Sulpicius agnoſcit, agnoſcunt Cajetanus, Liranus & alii. Patres eosque ſecuti doctores ſic putant fuiſſe figuram crucis: quo ligno potus aquarum (id eſt omnium rerum uſus) redditus eſt ſaluber. Voluit Deus aquarum amaritudine & penuria potus populo oſtendere, quod ſe ſubminiſtrante, in ſolitudine potum habiturus eſſet, ut agnoſceret ſe à Domino dependere. In textu ſequitur: *Ibi poſuit ei ſtatutum & judicium ibique tentavit eum.*] Præceptum de Sabbato & vacca rufa tum datum eſſe putat Raſi itemque judicia. De vacca rufa admittere non poteſt Burgenſis, quia id neceſſarium adeò non erat; de Sabbato admittit motus cap. XVI. Exodi relatione. Quicquid ſit, oportet fuiſſe datas quaſdam leges poſitivi generis quarum obſervationem Deus tum primum impoſuit, & ſeveriſſime præcepit. Dicitur enim חוק ומשפט. Judiciales quaſdam leges datas eſſe omnes interpretes fatentur. Nam tantus populus non potuiſſet durare uſque ad dationem legis, niſi habuiſſet aliquas conſtitutiones, quibus regerentur in judicialibus. Raſi: *In Mara dedit ipſis partem paraſarum legis, ut occuparentur in illis* (nempe otioſi erant, quia otium eſt ſentina malorum) *Sabbatum & vaccam rufam & judicia.* Tentavit eum] *Populum & vidit duros eſſe cervice, quod non eſſent reges facti præ Moſe. Lingua pulchra petiit pro nobis ut eſſet nobis aqua ad bibendum ſed murmuremus.* Si audiendo audies] *Hæc eſt Cabbala, quam ſuſceperunt ſuper ſe.* Facies] *Eſt factura.* Et auribus percipies] *Inclinabis aures ad accuratè inquirendum in illis.* Omnia ſtatuta ejus] *Verba quæ non ſunt niſi decretum regis ſine poſitione rationis aut figmenti mali litigantis de illis ſicut veſtitio hetrogeneorum, eſus ſuillæ, vacca rufa & ſimilia.* Cum ex illis anguſtiis Deus populum liberaſſet, ipſi quædam præcepta poſuit, promiſitque, ſi obedirent, ſe illis fore medicum, ut ſanaverat aquas, nec ullum morborum Ægypti, quos illi nationi malignos frequentesque incumbere viderant, ipſis immiſſurum eſſe.

E Mara profecti ſunt in Elim. Hic locus videtur Geographis dici Ælana unde ſinui Ælanitico nomen, qui in Arabiam vergit. In Joſephi codicibus hodie legitur Ἰλιμ: quod videtur corruptum eſſe pro ἤλεμ, Hanc manſionem Joſephus cum ſequente, quæ fuit in סין confundit. Philo non refert nomen loci Sin, ſed tamen diſtinguere videtur ab Elim. In Elim fuere duodecim fontes & ſeptuaginta arbores palmarum. Aben-eſdras: *Dicit Haggaon ſeptuaginta ſpecies palmarum fuerunt & alii addunt unicuique tribui, & alii dicunt cuilibet viro? Non eſt opus illis verbis. Nam fontes qui fuerunt duodecim, & ſeptua-*

ginta palmæ non sunt creata nunc propter Israël, nec erat hoc tempus maturitatis palmarum. Secundum opinionem meam Israël tantum uno die commoratus est in Mara, at moram traxerunt in Elim, quasi viginti diebus: ideò dicit Scriptura & castrametati sunt ad aquas: propterea dicitur in versu sequente, quod in decimoquinto die mensis profecti sint ex Elim: & ecce in quindecim diebus castra metati sunt in quatuor locis, quæ sunt desertum Sinai, Dafca, Alus & Raphidim, quia principio mensis venerunt in desertum Sinai. Locum irriguum & aquis abundantem indicant fontes illi duodecim, pro numero duodecim tribuum. An autem unaquæque tribus ad fontem distinctum castra posuerit, in medio relinquo. LXX. etiam palmæ fuere pro numero seniorum populi, ut notant interpretes. Arbores illæ non solent provenire nisi ad fontes & flumina. Aben-esdras: *Et recordatur palmarum, ut indicet aquas fuisse dulces in opposito ad aquas Mara: quia palmæ non proveniunt feliciter in terra, cujus aquæ amaræ sunt.* Philo dicit è Mara discessisse, postquam epulati essent festivissimo convivio, ob insperatam aquæ mutationem, & hydrias ex aquis illis replevissent. Ἀφικνοῦνται δὲ εἰς σταθμὸν δεύτερον, εὔυδρόν τι καὶ εὔδενδρον, Αἰλεὶμ ὀνομάζεται· πηγαῖς κατερρεόμενον δώδεκα· παρ᾽ αἷς φοινίκων στελέχη νέα εὐερνέστατα ἦν τὸν ἀριθμὸν ἑβδομήκοντα· τοῖς ὀξὺ τῇ διανοίᾳ βλέπειν δυναμένοις ἀγαθῶν τῶν ἐθνικῶν ἐναργῆ σημεῖα καὶ δείγματα. Duodecim fontes dicit significare duodecim tribus, è qvibus tanquam fontibus pietatis præclara opera indesinenter profluerent. Septuaginta γενάρχας gentis significari palmarum arboribus. Esse enim palmam arborum præstantissimam aspectu pulcherrimam, fructu optimam, ὅπερ καὶ τὴν ζωτικὴν ἔχει δύναμιν, οὐκ ἐν ῥίζαις, ὥσπερ τὰ ἄλλα, κατορωρυγμένην, ἀλλ᾽ ἀνώφυτον, καρδίας τρόπον ἐν τῷ μεσαιτάτῳ τῶν ἀκρεμόνων, ἱδρυμένην, ὑφ᾽ ὧν οἷα ἡγεμὼν ὄντως ἐν κύκλῳ δορυφορεῖται, *quæ vitalem vim habet non in radicibus, ut aliæ arbores, defossam, sed sursum sitam, modo cordis, in ramorum medio, à quibus tanquam satellitibus stipatur.* Eam naturam mentis esse, quæ sursum respiciat, divinis contemplationibus occupata. Voluit Deus indicare se illis duodecim tribubus uberes fontes esse provisurum & tanquam palmas eorum seniores irrigaturum. Convenientissimo symbolo rei & tempori, quo solitudinem illam calcare incipiebant, rejecti in Dei alimoniam & curam. Josephus confundens in unum Elim cum Sin dicit illas palmas plus primo aspectu promisisse, quam recessu dederint: quia erant squalidæ & humiles: fontes exigui, qui non scaturirent aquarum ebullitionibus at dabant solummodo ὀλίγας ἰκμάδας. Cum arenas everrerent (διαμωμένοις) nihil humidi occurrebat. Cumque quod stagnarent, manu haurirent, turbidum erat. Quare etiam arbores fructus edere nequibant ob humoris penuriam. Hinc querelæ in Mosen, maximè cum alimenta, quæ secum attulerant Ægypto, defecissent.

Exod. XVI. de mansione Israëlitarum octava, coturnicibus, manna & institutione Sabbati.

RURSUM POPULUS FAMEM] v. 1. In deserto Sin. Antequam in hoc desertum pervenirent, castra metati fuerant ad Mare Suph, ut habetur Num. 33. v. 10. 11. Quæ fuit sexta mansio. Hinc versus mediterranea progressi in desertum Sin pervenerunt, quod interjacet inter Elim & desertum Sinai. In hoc desertum pervenêre 30. die ab exitu ex Ægypto id est decimo quinto die mensis secundi. Rasi: *Exponitur* [in textu exprimitur] *dies mansionis hujus, quod in eo ipso defecerint placentæ quas extulerant ex Ægypto & opus habuerint Manna: ut doceat nos quod ederint è reliquiis frustorum, sexaginta uno conviviis & descenderit ipsis Man; in decimo sexto Iar & die primo Sabbati fuit.*

Aben-

Aben-esdras: *Dicit Gaon Rab Saadia, quod ratio, cur meminerit decimiquinti mensis secundi sit ut indicet, quod die quinto septimanæ Israël ex Ægypto egressus sit: Et ecce dies primus mensis Nisan fuit dies quintus & Iar dies sextus & Sabbatum. Et ecce in die Sabbati venerunt in desertum Sin & commoti fuerunt cum castra metarentur. Et dicebat ipsis Mose, quod in vespera comesturi essent carnem & mane descensura esset manna: & ecce convenit, quod sit dies primus, propterea quod dicat,* Et erit in die sexto *(v. 22.) quia fuit dies sextus & fuit dies sextus descensus Manna. Quod dicit Gaon, accipiamus propter Cabbalam & non propter expositionem ejus. Quis enim indicavit ei, quod postero die adventus eorum in desertum Sin, descenderit Man, forte morati erant illic quatuor diebus aut ultrà & incepit Man descendere in die primo, quia à die descensus incepit numerare quia omnes populi pendent ab Israële* (סומכים על ישראל) *in hoc numero & ecce præputiati appellant nomina dierum septimanæ juxta nomina ministrantum* (planetarum) *at dies Sabbati non ita. In lingua Arabica appellant quinque dies juxta modum numeri at sextum* Elgome (אלגומע) (يوم الجمعة) *juxta appellationem societatis eorum, quia est ipsis dies venerabilis in septimana: at diem Sabbati appellant ipsum Sabbatum, (per Samech) quia Sin & Samech apud ipsos sunt literæ permutabiles. Qui de Israël sunt, docent, quod Indi non confitentes opus creationis, principium septimanæ habeant in die quarto, propterea quod stella diei sit stella* (חמה) *cui est dominium in ipsos, ut dicunt.* Puto supervacuam esse vocem (חמה) Nam Sol non est quarti diei planeta sed Mercurius, qui κατ' ἐξοχὴν apud Rabbinos appellatur כוכב. Traditio igitur apud Judæos est primum diem Jar seu mensis secundi fuisse Sabbatum item decimum quintum quo advenere in Sin, altero die Mannam pluisse prima vice: cum præcedente vespera scilicet subbati coturnices accepissent. Huic Judæorum traditioni Scaliger calculum adjicit lib. V. de emendatione temporum, capite, cujus lemma est de Exodo Hebræorum *Egressi sunt igitur Hebræi ex Ægypto quarta decima Nisan, qua incidebat in XV. Aprilis, feria quarta XVIII. Pharmuthi: sequente vespera, à qua cœpit XIII. Nisan, mactatus agnus τῆ[?] ... victima.* Est ἁμάρτημα μνημονικόν. Nam Hebræi egressi sunt (feria quinta) post mactationem, postquam cæsa essent Ægyptiorum primogenita, id est, nocte diei decimi quinti Nisan. *XXI. Iar* (ita pergit Scaliger) *quæ incidit in XXII. Maij, observatum primum Sabbatum, quæ erat XIV. Ziu, in anno prisco dierum Exodi XVI. 27.* (Male excusum aut est lapsus memoriæ, quales in eo libro creberrimi, Geneseos) *& per totum caput: ex quo deprehensum etiam à Iudæis neomeniam Iar illius anni incidisse in Sabbatum & proinde Neomeniam Nisan feria V. contigisse. Quæ est egregia observatio, quæ frenat licentiam Chronologorum, qui nullum modum faciunt novos annos, novos reges, novas epochas comminiscendi. Mirum vero exstitisse qui adversus verba Mosis negent secundi mensis Neomeniam in Sabbatum incidisse. Hebræi pervenerunt in desertum Sin XV. mensis secundi, Exodi XVI. 1. Sexta die ab illa jubetur populus colligere duplum dimensum Manna comm. 5. Ea dies igitur erat XXI. mensis. Atqui erat parasceue & prosabbatum, commate 22. 23. Ergò Neomenia mensis erat Sabbatum. Atqui Hebræi non migrassent die Sabbati. Egregiam animadversionem. Quid est magis contra Sabbatum, quam Sabbato colligere manna? Atqui multi profecti sunt colligendi causa, die Sabbati, commatibus 27. 28. Isti critici non meminerunt adhuc legem datam non fuisse. Dicant mihi: Quomodo 22. mensis est Sabbatum, ut est in commate 26. & tamen neomenia mensis non est Sabbatum. Valeant ergò & commenta sua imperitis venditent. Neomenia igitur secundi mensis fuit Sabbatum & neomenia primi feria quinta, eadem cum Neomenia mensis æquinoctialis. Quæ est luculenta observatio. Quamvis autem hæc epocha characterem suum non habuisset feriam quintam,*

tam, tamen ex epocha Nabopollassari facile indagari potuisset, aut ex observatione anni Sabbatici. Qui aliter hoc tempus indagarunt, mire hallucinati sunt. Convenit Scaligero cum prisca Judæorum traditione, quam hic non licet rejicere. Unde etiam annum Exodi certo applicat Period. Julianæ anno 3217. Aben-esdras putat non liquere quo die primum manna dari cœperit: adeò ut murmuratio populi potuerit evenire aliquot ab adventu in desertum Sin diebus, non præcise primo die. Unde sequeretur Sabbati illum diem, quo murmuraverunt, non fuisse eundem cum XV. mensis Jar. Hic respondeo annum Exodi colligi etiã ex anno κληρυχίας & observatione anni Sabbatici, ut docet Scaliger capite sequenti. Sethus Calvisius mentem Scaligeri interpretatur Isagoges Chronologicæ c. 37. Annus Exodi absque dubio fuit annus tertius Hebdomadis annalis à præcedente autumno, quadragesimus sextus ante annum κληρυχίας: errat igitur eruditissimus Usserius, qui annum Exodi facit à Mundo condito 3513. qui est sextus in hebdomade annali & annum κληρυχίας non permittit esse Sabbaticum. Nam additi ad 46. efficiunt 52. qui est tertius Semittæ & Jubilæum mundi transilit: cum Jubilæi exactè convenire debeant cum principio Mundi. Si Sabbatum primum nõ fuit 22. mensis Jar, fuerit 29. si murmuratio non incidit in XV. mensis Jar, incidit in XXII. aliter fieri non potuit: atque ita brevissimum tempus fuerit inter primum Sabbatum & latam legem, tantum unius septidui. Hoc fieri nequit. Nam tres stationes seu mansiones Dophca, Alus, Raphidim, ad minimum absumpsere triduum in itinere conficiendo: rursum tres dies fuere dati præparationi ad accipiendam legem. Unus dies restat, quo adminimum indiguerunt, ut ex Raphidim pervenirent in Sina. Excludentur igitur gesta capitis XVII. Necessario igitur ad XV. diem murmur populi & ad XXII. primum Sabbatum refertur. Inter XV. diem Jar & Sextum mensis Sivan sunt 20. dies, qui septimanæ ante primum Sabbatum & sequentibus mansionibus attribui debent. Neomenia Jar Sabbatum in eo anno esse debuit ut exactè respondeat hebdomadarum & Sabbatorum computatio Mundi exordio. Anni igitur Sabbatici observatio & septimi diei hebdomadis ἀναντιῤῥήτως annum Exodi statuit in anno M. 2452. Frenat (ut verissimè dictum à magistro temporum) licentiam Chronologornm. Eruditissimus Usserius XV. secundi mensis conjicit in Junii diem quartum, feriam quintam. Ergò biduo post murmurat populus, decimo septimo mensis secundi: quomodo Sabbatum primum fuerit 24. die ejusdem mensis. Id quidem non adeò incommodum biduo tantum subtracto tempori intermedio ante legem sed non potest conciliari cum anno κληρυχίας & primo Sabbatico. Hinc enim mumerati anni 46, dabunt annum M. 3559. qui Sabbaticus non est. Removet ipse numerationis initium ad annum M. 3554. quem vult esse primum Hebdomadis annalis primæ primum γεωργίας & radicem annorum Sabbaticorum. Sed nec ille primus annus Hebdomadis annalis fuit nec convenit radicem annorum Sabbaticorum figere ante distributam terram imò devictam. Annum enim 3583. si per 7. diviseris, residui erunt 4. unde quintus est sequens annus non primus. Non minus autem anni Sabbatici indicare debent primum annum Mundi, quam dies in septimana primum Sabbatum. Tabulam dierum ab exitu usque ad latam legem delineemus.

April.	Nisan		
XVI.	XV.	Feria. 5.	Media nocte cæsis primogenitis cogitur exire populus.
XVII.	XVI.	Fer. 6.	Secunda statio Sochoth.
XVIII.	XVII.	Sabb.	Tertia mansio principium solitudinis E-
XIX.	XVIII.	Fer. 1.	[illegible] (tham.

XX.

XX	XIX	Fer. 2.	Quarta Phi-hahiroth
XXI	XX	Fer. 3.	
XXII	XXI	Fer. 4.	Transit populus per mare Ru-
XXIII	XXII	Fer. 5.	(brum, juxtà Hebræos.
XXIV	XXIII	Fer. 6.	Ambulant in deserto Etham.
XXV	XXIV	Sabb.	
XXVI	XXV	Fer. 1.	
XXVII	XXVI	Fer. 2.	Quinta statio in Mara.
XXVIII	XXVII	Fer. 3.	
XXIX	XXVIII	Fer. 4.	
XXX	XXIX	Fer. 5.	
Maij	Nisan		
I	XXX	Fer. 6.	
II	Jar I	Sabb.	
III	II	Fer. 1.	Sexta statio in Elim.
IV	III	Fer. 2.	
V	IV	Fer. 3.	
VI	V	Fer. 4.	
VII	VI	Fer. 5.	Septima mansio in Arabici sinus
VIII	VII	Fer. 6.	(litore.
IX	VIII	Sabb.	
X	IX	Fer. 1.	
XI	X	Fer. 2.	
XII	XI	Fer. 3.	
XIII	XII	Fer. 4.	
XIV	XIII	Fer. 5.	
XV	XIV	Fer. 6.	Advenit populus octava man-
XVI	XV	Sabb.	sione in des. Sin: murmurat: da-
XVII	XVI	Fer. 1.	tæ coturnices.
XVIII	XVII	Fer. 2.	
XIX	XVIII	Fer. 3.	Manna incipit descendere.
XX	XIX	Fer. 4.	
XXI	XX	Fer. 5.	
XXII	XXI	Fer. 6.	
XXIII	XXII	Sabb.	Primum Sabbatum Mosaicum.
XXIV	XXIII	Fer. 1.	
XXV	XXIV	Fer. 2.	Nona Mansio in Dophca.
XXVI	XXV	Fer. 3.	Decima in Alus.
XXVII	XXVI	Fer. 4.	Undecima in Raphidim: ubi ge-
XXVIII	XXVII	Fer. 5.	runtur ea, quæ habentur in
XXIX	XXVIII	Fer. 6.	cap. 17. Exodi. & forte 18.
XXX	XXIX	Sabb.	
XXXI	Sivan I	Fer. 1.	
Jun. I	II	Fer. 2.	
II	III	Fer. 3.	Advenit populus in desertum Si-
III	IV	Fer. 4.	nai, quæ est mansio duode-
IV	V	Fer. 5.	cima.
V	VI	Fer. 6.	Lex decalogi datur.

Murmuratio populi dedit occasionem dando cibo mannæ & coturnicum, quo Deus miraculose populum pavit. Philo & Josephus murmurationem excitatam esse putant è penuria non tantum cibi sed & aquæ. Et putant Judæi cum Josepho integri mensis cibaria ex Ægypto allata hactenus suffecisse. Illis igitur deficientibus successit Manna. Populus insurgebat in Aaronem & Mosen, cum prius in solum Mosen incitatus fuisse tradatur. Incusabant eos, quod in istam ab ipsis educti essent solitudinem, ut fame omnes conficerentur. Præstitisse ut Divina manu interempti vitam amisissent, apud ollas carnium in Ægypto, ubi panis copia erat. In voce וילינו dicit Rasi eam vim esse, quod viri concitaverint uxores filiosque & filias. Lamed habet Dages, Jod Phathach, in קרי est Jod post Lamed non Vau. Putat Aben-esdras non panem solum sed & carnem desiderasse, quamvis mentio fiat solius לחם. Sed ejus vocis notionem ampliorem esse. Indicat res ipsa, id est datio carnis & panis simul, quod carnem etiam desideraverint. Deinde in sua invectiva faciunt etiam mentionem carnis ollarum, quas in Ægypto habuerant. Philo causas concitatorum animorum exaggerat, Josephus attribuit Mosi orationem prolixam, quæ ipsi convenire tempori visa est, quam non exhibet textus. Commemorat quædam superiorum in Ægypto miraculorum: in quibus, quod fluvius Ægyptiis fuerit sanguis & potui noxius, ipsis vero potabilis ac dulcis. Tum θαλάσσης ἀναφυγούσης mari refluo (addere debuit & scisso) viam patefactam, ubi periere Ægyptii: quos ipsi spoliaverint & armorum copiam sibi comparaverint. Deum paratum semper, eorum nunc explorare fortitudinem & amorem libertatis. Non adeo se timere mortem, (dicit eum eos lapidationem minatos esse) quam ipsorum delictum, qui facta & consilia arguerentur damnavisse. Hac oratione mitigasse animos & excussisse de manibus saxa, quæ sustulerant, versumque precibus ad Deum (in alta quadam specula) impetrasse solatium. Deus Mosi solamen aperuit. Philo: τοῦτο μὲν, διὰ τὴν σύμφυτον ἐπιείκειαν καὶ φιλανθρωπίαν, τοῦτο δὲ βουλόμενος, ὃν ἐχειροτόνησεν ἡγεμόνα τιμῆσαι καὶ ἔτι μᾶλλον ὡς εὐσεβείας ἔχει καὶ ὁσιότητος ἐν τοῖς φανεροῖς καὶ τοῖς ἀδήλοις ἅπασι διαγνωσθῆναι, ὁ θεὸς ἐλεήσας τὸ πλῆθος ἰᾶται.

In textu Deus ad Mosen (solum cum Deo) Pluam vobis panem è cælo, populus exibit, quolibet die mensuram collecturus, ut explorem an in mea lege ambulet, annon. At sexto die duplum erit. Inde Moses & Aaron ad populum: Vesperi scietis, quod Dominus vos ex Ægypto eduxerit: Et cras videbitis gloriam Domini. Quia audivit murmurationes vestras adversus se. Nos enim quid sumus, quod in nos inferamini? Moses edixit ipsis, quod ad vesperam esuri essent carnem. Ad vesperam בין הערבים id est, *intra vespertinum tempus*. הערבים est diei tertium & ultimum membrum. Diem dividebant in בקר manu, צהרים meridiem, & ערב seu ערבים vesperam. Tertium hoc membrum incipiebat ab hora secunda nostra post meridiem: inclinante jam die. Sicut alterum quatuor ferme horas habet in isto climate à decima ad secundam. Tempus hoc igitur, quo sacrum vespertinum immolabatur, quo Pascha mactandum erat. Aaron collegit & ad Deum evocavit universam populi congregationem. Cum igitur faciem versus solitudinem convertissent, ad Dominum properantes, ejus gloriam in nube conspexerunt. Hic viderunt Mosen esse cum Domino. Dominus repetiit verba superiora. Est enim secunda prophetia (ut benè observat Aben-esdras) quæ habetur in v. 12. alia à v. 4. 5. Eodem tempore coturnices innumerabili copia castra replevere: sequenti mane manna inventa est. Existimat Philo ejusdem diei vespera conturnices advolavisse, cujus matutinum tempus mannam primò effuderat: cæterum textus indicat

vespera

veſpera præcedentis diei coturnices datas eſſe. Joſephus evidentius errat, qui putat eodem die prius coturnices, mox mannam veniſſe: quaſi Moſi ſecundò precanti aut Deo gratias agenti ros ille in palmis ad cælum elatis concreverit: ſitque guſtu illius agnitus & populo indicatus. Duo hic ſigna quibus Deus ſuam majeſtatem comprobat & curam in ipſos. De coturnicibus Joſephus: Καὶ μεθ' ὀλίγον ὀρτύγων πλῆθος. τρέφει δὲ τοῦτο τὸ ὄρνεον ὡς οὐδὲν ἕτερον ὁ Ἀράβιος κόλπος· ἐφίπταται τὴν μεταξὺ θάλασσαν ὑπερελθὸν καὶ ὑπὸ κόπου ἅμα τῆς πτήσεως καὶ πρόσγειον μᾶλλον τῶν ἄλλων ὤν, καταφέρεται εἰς τοὺς Ἑβραίους. *Et paulo poſt coturnicum multitudo (Alit hanc avem, ut nullam aliam Arabicus ſinus) advolat, interjectum mare tranſgreſſarum, & feſſarum volatu, & juxta humum volare maximè ſolitarum, defertur in Hebræos.* Philo: Ἀλλὰ γὰρ καὶ τῶν εἰς ἁβροδίαιτον βίον οὐκ εἰς μακρὰν εὐπόρει ὥσπερ ἐν οἰκουμένῃ χώρᾳ καὶ εὐδαίμονι, βουληθέντος τοῦ θεοῦ καὶ τὰ πολλῆς περιουσίας ἄφθονα χορηγεῖν ἐν ἐρημίᾳ. Ταῖς γὰρ ἑσπέραις ὀρτυγομητρῶν νέφος συνεχὲς ἐκ θαλάττης ἐπιφερόμενον πᾶν τὸ στρατόπεδον ἐπεσκίαζε τὰς πτήσεις προσγειοτάτας ποιούμενον εἰς τὸ εὔθηρον. Συλλαμβάνοντες οὖν καὶ σκευάζοντες ὡς φίλον ἑκάστοις κρεῶν ἀπέλαυον ἡδίστων ἅμα καὶ τὴν τροφὴν παρηγοροῦντες ἀναγκαίῳ προσοψήματι. *Sed & eorum, quæ ad delicatum victum pertinent, poſt breve tempus, copiam habuere, tanquam in habitata regione & fecunda, cum placeret Deo, in magna abundantia ſuperflua ſuppeditare in ſolitudine. Sub veſperam enim coturnicum denſa nubes à mari illata, tota caſtra obumbrabat, volatu humili ad facilem capturam. Cum igitur cepiſſent & præparaſſent, ut cuique libitum carnibus ſuaviſſimis veſcebantur, ſimul & alimoniam mitigantes neceſſario obſonio.* Gelenius poſtrema reddidit ne deſiderarentur obſonia: male. Senſus patet: Hoc obſonio lenitam & ſuavem redditam fuiſſe alimoniam, qua utebantur. Manna erat τροφὴ (ut ipſe in ſuperioribus ſignificavit) ejus προσόψημα coturnices. Hoc avium genus in Hebræo appellatur שלו. Voce eadem utuntur Syra, Arabica & Samaritana verſiones. Rabbini exponunt de avium genere pinguiſſimo & delicatiſſimo, quales ſunt perdices, coturnices & phaſiani. Unde Pſ. 105.40. Targum habet פסיונים. De coturnicibus communior interpretatio & veroſimilior. Sequitur de manna, quam poſtridie ſummo mane depluit Deus inſtar roris aut pruinæ. Tempus deſcenſus fuit illud quo ſolet ros demitti. Ideò qui primi caſtris exierant ſurgente die animadvertere. Joſephus (ut ſupra monuimus) falsò putat concreviſſe ad palmas à Moſe in cælum extenſas, cum Deo gratias ageret. Nempe ſuſpicatum tale quid, guſtaſſe, lætumque re deprehenſa, indicaſſe populo Dei beneficium. Nam populum defluentem cælo alimoniam, Divini muneris, conſpicientem, exiſtimaſſe, quod cælum ningeret, καὶ τὸν ἀέρα εἶναι τὸ ὕον τὸ γινόμενον. Quod ea tempeſtate anni, id eſt, menſe Majo ningat in illis locis eſt extra omnem veriſimilitudinem. Joſephus aliud agebat, quum iſta ſcriberet. Cum rore deſcendebat Manna. Textus dicit, שכבת הטל. Raſi: *Ros cubuit ſuper mannam. In alio loco dicit*, In deſcenſu Roris: & (Num. 11.9.) *Ros deſcendit ſuper terram & manna deſcendit ſuper eum: iterum ros deſcendit ſuper eam. Et ecce tanquam repoſita in arca erat.* ותעל שכבת הטל] *Cum ſol oriretur, aſcendebat ros, qui ſuper manna erat, in occurſum ſolis, ut ſolet ros in occurſum ſolis: Si etiam impleas teſtam ovi rore & occludas foramen ejus ponasque eam in ſole, aſcendit ob eum in aëre. Magiſtri noſtri commentantur, quod ros aſcenderit è terra in aërem: ſecundum aſcendere decubitum roris, apparebat Man & viderunt.* Et ecce ſuper faciem deſerti, tenue, מחספס] *retectum, nec eſt illi ſimile in Scriptura. Et exponi debet* מחוספס *notione ſacculi* (חפוס) *& gloſſocomi, quod eſt in lingua Miſna. Quando retegebatur à decubitu roris, videbant quod eſſet res tenuis, clauſa inter duos decubitus roris; Onkelos reddit* מקלף (nudatum) *ſenſu* מחשוף הלבן (Gen. 30.37.)

X 2 nuda-

nudatione candoris. ככפור. כפור *jelida vernaculo sermone.* דעדק כגיר (in Onkelo) *Tanquam lapides* (Lapilli) *tectorii* (Esai. 27. 9.) *Estque* [גיר] *species coloris nigri: sicut dicunt, Super vestimento sanguis, tectorium & arsenicum.* In Onkelo sequitur: דעדק כגיר כגלידא על ארעה. Rasi ad ea: *Tenue fuit, ut tectorium & jacuit concretum, ut glacies, super terra. Et sic sensus ejus, Tenue ut pruina, expansum, attenuatum & consociatum, instar pruinæ.* דק tenvis *vernaculo sermone: quia contraxerat crustam tenuem superne: Et tanquam calx, ut reddidit Onkelos, additio est ad linguam Hebraam. Nec exstat hac dictio in textu.* Aben-esdras: שכבת הטל] *Sicut* [Job. 38. 37.] ונבלי שמים *lagenas cæli* quis faciet cubare? *Sensu descensionis. Et in alio scriptum est* [Num. 11. 9.] וברדת הטל. *Putrescet nomen Havi, qui dicit, quod Man in lingua Persica appelletur* Tereniabin *& in lingua Arabica Man, & in lingua vernacula* Manna. *Nam* (קושיות רבות) *multa argumenta stant adversus illum. Unum, quod non descendat hodie in deserto Sinai. (Nam mons ille notus est:) ego vidi hoc simile manna in regno* Essachir. *Descendit autem in mense Nisan & Iar, non in aliis mensibus. Porro si id ponas ad solem, non liquescit: Deinde, Noctu non putrescit. Insuper non est durum; nec opus est ut id conterat homo; quo faciat ex eo placentas. Porro, si in lingua ponatur, liquescit. Deinde, quod non saturat ut gignat sanguinem bonum, tantum ingreditur in medicinas. Etiam quia in die sexto duplicatum descendebat. Iterum, quod descenderit in omni loco, in quo castra ponebant. Tandem, quia transiit cum ipsis Iordanem, nec cessavit usque ad medium Nisan &c.* ותעל] *Sensus, quod sublatus sit. Quemadmodum* (Gen. 49. 4. אז חללת יצועי עלה, *Quia sensus est, à quo tempore profanasti lectum meum sublatus est à me & abscissus est. Et sicut illud dicitur* (Psal. 102. 25.) Deus mi, ne tollas me (אל תעלני) in medio dierum meorum. *Et ros descendebat in principio ad mundandam terram; & cum discederet ros, descendebat Man: Et sic scriptum* [Num. XI. 9.] In *descendere rorem super castra noctu, descendebat Man super eum.* דק מחספס] *Quasi rotundum. Non occurrit in alio loco Scriptura. Quod dictum est, quod sit tanquam* מחשוף *quod est per* ש *verum non est. Quia mos linguæ, ut duplicentur Prima & Secunda sicut* יפיפיה; *aut secunda & tertia ut* ירקרק; *aut Tertia sola, ut* סגריר: *sed Secundam solam non reperimus nisi in defectivis Tertia He, ut* הגגיני. *Nam postquam defecit He, apparet Gimel tanquam si tertia esset, ideò duplicant eam: sed in literis apparentibus non invenimus secundam duplicatam.* Est igitur contra analogiam Grammaticam (משפט הלשון vocat Aben-esdras) & vocem מחספס interpretari ex מחשוף הלבן. חספס verbum quatuor literarum, non geminatum, ut docet Aben-esdras: ignotæ notionis. Duplici interpretatione, ut apparet ex dictis, vertunt interpretes hoc participium. Decorticatum Chaldæus Onkelos, quod Syrus in Anglicanis Bibliis exprimit מתקלף. Arabica versio in illis bibliis habet: مُتَقَرِّح, Erpeniana مقشر Prius *rotundum* sonat, alterum *decorticatum*. Postremam expressit Vulgatus, *Et quasi pilo tusum:* Primam fere recentiores interpretes, secuti Aben-esdram & Kimchi. Quod autem apud Rasi est & communiter Hebræi tenent, tanquam arcula inclusum fuisse, duplici rore, id ineptum est. Num. XI. 9. narratur cum rore descendisse Mannam; Exod. XVI. 14. visam esse & conspectui datam cum ros in altum sublatus esset, solis supra Horizontem elevatione paulò provectiore. Munsterus; *Habuit autem manna istud rorem supra & infra, ut Hebræi dicunt & Sabbato id indicio quodam mensæ demonstrant, ponentes scilicet panem inter duo mensalia. Situs autem roris superioris, per radios solis tollebatur & apparere cœperunt infinita quadam granula tenuia & orbicularia. Exponit enim Kimchi* מחספס *pro* עגול *id est, rotundum: sicut quoque infra dicetur*, Erat figura ejus sicut semen coriandri.

De

De magnitudine, figura, colore, ſapore, uſu Mannæ Scriptura exprimit. Magnitudinem & figuram docet, quando dicit ſimile fuiſſe Coriandro. Minutiem quoque indicat vox דק, reddita Arabibus رقيق & دقيق. Textus כזרע גד Exod. xvi. 31. Num. xi. 7. Michlol Jophi: כוסברתא בלשון רז"ל וכן בערבי ואין סמיכתו אל הגד בעבור עינו כי אין הגד לבן כי אם לתכונתו והיותו נגרים קטנים וטעמו והוא כזרע הגד בתכונתו אבל המן היה לבן: *Cusbartha in lingua magiſtrorum b. m. & in lingua Arabica* كزبرة & كسبرة *Nec eſt propinquitas ad coriandrum propter colorem, quia Coriandrum non eſt album, ſed ad figuram, quod ſint grana exigua. Et ſenſus ejus: Eſt ut ſemen coriandri in figura, ſed Man erat album.* Raſi: גד] *olus, cui nomen Coliandri, & ſemen ejus rotundum: Non eſt autem album, at Man fuit album. Non comparatur ſemini Gad, niſi ſenſu rotunditatis; ſicut ſemen* גד *fuit, at Man erat album.* Aben-eſdras: *Quidam dicunt, quod ſemen* גד (לבן *album) ſit* כוסברתא *& vocetur Arabice* כס"ביר. *Alii dicunt, quod ſit* חרדל *(ſinapi) At ego non novi, quia non exſtat amplius in Scriptura, niſi in negotio Man & ſic* צפיחית &c. Colore album erat quo aſſimilatur cum ברולח Num. xi. 7. Hic Raſi: Rotundum ut גדא ſemen Coriandri. ברולח] Nomen pretioſi lapidis. Cryſtallus Arabs Anglicanus & Erpenianus vertit لولو *margarita.* Syrus retinet vocem ברולחא Græci ὁ ἄνθραξ, Hieronymus *Bdellium.* Conſtans Judæorum ſententia eſt, quod fuerit lapidis pretioſi genus: at Franciſcus Junius & Marcus Marinus Brixianus argumentantur lapidem non fuiſſe, quia Gen. 2. 12. voci ſequenti additur quod fuerit אבן lapis, ut eo videatur ſeparari ab antecedente ſpecie. Marinus putat eſſe Ebenum, Junius Bdellium cum Hieronymo ex vocis affinitate. Plinius lib. 12. cap. 9. ita de Bdellio arbore ejusque gummi: *Vicina eſt Bactriana, in qua Bdellium nominatiſſimum. Arbor nigra eſt, magnitudine oleæ, folio roboris, fructu caprifici naturaque. Gummi alii Brochon vocant, alii Malacham, alii Maldacon. Nigrum verò & in offas convolutum, hadrobolon. Eſſe autem debet tranſlucidum ſimile ceræ, odoratum & cum fricatur, pingue, guſtu amarum, citra acorem. In ſacris vino perfuſum odoratius. Naſcitur & in Arabia Indiaque & Media ac Babylone. Aliqui peraticum vocant ex Media advectum. Facilius hoc & cruſtoſius, amariusque: at Indicum humidius & gummoſum. Adulteratur amygdala nuce. Cætera ejus genera cortice Scordaſti. Ita vocatur arbor æmulo gummi. Sed deprehenduntur (quod ſemel dixiſſe & in cæteros odores ſatis ſit) odore, colore, pondere, guſtu, igne. Bactriano nidor ſiccus, multique candidi ungues. Præterea ſuum pondus, quod gravius eſſe aut levius non debeat. Pretium ſincero in libras x. terni.* Dalecampius notat Plinium erraſſe: qui putaverit in Bdellio candidos viſi ungues, quod ita non ſit: ſed lapſus occaſionem eſſe, quod præſtantiſſimum bdellium appellatum ſit βδέλλα ὄνυξ. Verba Dioſcoridis ſunt, ἰσονὸς τῷ ὄνυχι quæ Plinius reſpexiſſe videtur. Vide autem Matthiolum pro Plinio diſputantem in Dioſcoriden cap. de Bdellio. Plinii verba videntur dicere, quod Bdellium vilius ſit nigrum, præſtantius ſimile ceræ, id eſt, cerei coloris: at nec cereus color (לבן) albus dici poteſt. Erit igitur Bdellium aliud à ברולח, niſi & Bdellium aliquod candidum fuerit. Hoc videtur: nam vox Bdellii plane convenit: præſertim cum vocem Μάδελκον, & Plinius & Dioſcorides repræſentent: Serapion lib. aggregat. cap. 294. citante Druſio: *Bdellium Iudaicum eſt gummi arboris, quæ naſcitur in terris Arabum. Et melius ex eo eſt, quod odoris boni, tenax interius, citæ diſſolutionis, ad albedinem declinans; non habens in ſe ligna neque ſordities aliquas: & quando fit fumigium cum eo, præfert odorem bonum ſimilem blattæ biſantiæ* &c. Cl. Salmaſius etiam de Bdellio interpretatur. Subalbidi eſſe coloris mannæ grana, ut color eſt Bdellii. Quia Judæi communiter ברולח gemmam ſive margaritam eſſe volunt,

lunt, hinc Benjamin in itinerario in ſinu Perſico margaritarum piſcationem ſub hac voce deſcripſit. Vide eum & in eum commentaria Clariſſ. Imperatoris. Saporem (Num. XI. 8.) ſcriptura exponit. Et fuit ſapor ejus ut ſapor לשד השמן. Raſi exponit è Donas Humores olei: Ut ſit ſimile illi (Pſalm. 32. 4.) Verſus eſt humor meus in ſiccitates æſtivas. Lamed radicale. Verſus eſt [לחלוח] humor meus in ſiccitates æſtivas, Refellit magiſtros, qui exponunt notione שדים. אך אין שדי אצל שמן uberum nulla convenientia ad oleum. Quod ſi pingue uber intelligeretur ſcribendum fore לשד השמן? non לְשַׁד הַשָּׁמֶן. Alia expoſitione ſecundum נוטריקון eſſe ליש שמן, דְּבַשׁ maſſa, oleum, mel: quaſi *maſſa ſubacta oleo, abſciſſa melle*. Thargum Onkelos inclinare ad expoſitionem à ſe primo loco propoſitam è Donas: quia maſſa ſubacta oleo habet humiditatem. Onkelos enim habet כטעם דליש במשחא. Raſi & Aben-eſdras ambo ל volunt eſſe radicale, at Kimchi putat adventitium eſſe. Græci habent *γεῦμα ὡς ἐγκρὶς ἐξ ἐλαίου*. Vulg. Lat. *Saporis quaſi panis oleati*. Utraque editio conſonat cum Chaldæo. Omninò לשד ſignificat præſtantiſſimum humorem, partem nobiliſſimam, ſuccum vitalem, ut in loco Pſ. 32. 4. Hic igitur in deſcriptione Mannæ optimè habet verſio nova Belgica: **Als de ſmaeck van de beſte vochtigheydt der olie.** Nempe ſignificat olei partem pinguiſſimam, & præſtantiſſimam, **'t merch der olie.** Porrò Mannæ ſapor deſcribitur Exod. XVI. 31. כְּצַפִּיחִת בִּדְבָשׁ. Græci: *γεῦμα ὡς ἐγκρὶς ἐν μέλιτι*. Latinus: *Guſtus quaſi ſimila in melle.* Thargum dicit אסקריטן fœminina terminatione pluralis numeri, Thalmudici (בלשן משנא) אסקריטן maſculine. Raſi exponit eſſe maſſam frixam in melle. Aben-eſdras vocem צפיחת ignorabilem eſſe pronuntiat, quia hoc tantum in loco reperiatur. Notat quoſdam ſic accipere deſcriptionem collectam ex utroque loco, quod comeſtum crudum habuerit ſaporem lagani in oleo, coctum in melle frixi: ſed Scriptura duos illos ſapores Mannæ ex ſe fuiſſe docet. לשד שמן (ut rectè notat Michlol Jophi) ſignificat לחות ודשנות humiditatem & pinguedinem ſubſtantiæ, at צפיחת דבש dulcedinem ſaporis. Tali ſucco & ſubſtantia ac tali ſapore grana dederunt panem laudatiſſimum, cui ſimilem orbis non vidit. Hinc adeò commendatur Pſ. 78. 23. 24. 25. *Et mandavit nubibus deſuper, & januas cæli aperuit: Et pluit illis Manna ad manducandum, & frumentum cæli dedit ipſis. Panem potentium comedit homo, viaticum miſit ipſis ad ſatietatem*, Ægyptiis olim de cælo Deus ignis flammas cum grandine & glaciei fragmentis Iſraëlitis hunc vivificum miſit panem. Autor lib. Sapientiæ: *Ἀνθ' ὧν ἀγγέλων τροφὴν ἐψώμισας τὸν λαόν σου καὶ ἕτοιμον ἄρτον αὐτοῖς ἀπ' οὐρανοῦ ἔπεμψας ἀκοπιάτως, πᾶσαν ἡδονὴν ἰσχύοντα καὶ πρὸς πᾶσαν ἁρμόνιον γεῦσιν. Ἡ μὲν γὰρ ὑπόστασίς σου τὴν σὴν γλυκύτητα πρὸς τέκνα ἐνεφάνιζε, τῇ δὲ τοῦ προσφερομένου ἐπιθυμίᾳ ὑπηρετῶν, πρὸς ὅ τις ἐβούλετο, μετεκιρνᾶτο.* Ex Judaicis fabulis eſt, quod omnem ſaporem, pro cujusque voluptate, in eo fuiſſe ſcribat. Contrarium docet Judæorum querimonia Num. XI. quia tædium eos & nauſea ejus ceperat. Pontificii id arripiunt, ut doceant externis accidentibus manentibus ſubſtantiam poſſe mutari & contra. Tyrinus; *Sapore erat præſtantiſſimo. Nam præter melleum, qui manna congenitus eſt, ad vetandam nauſeam indiderat Deus, ſupra naturam, illi omnem ſaporem, quem comedentium quiſque optabat. Ita Sapient. 10. v. 20. 21. Unde ibid. cap. 29. v. 20. in Græco manna vocatur Ambroſia: quæ ob delitias à poëtis fingitur eſſe cibus deorum. Ita Abulenſis, Hugo Cardinalis & alii. Hoc non murmuratoribus aut dyſcolis, qui nauſeabant ſuper cibo iſto leviſſimo Num. XI. ſed ſolis filiis Dei, ſeu juſtis, privilegium conceſſum erat, inquit S. Auguſtinus.* Sapientiæ autor generaliter loquitur de ſapore, qui inerat per ſe iſti creaturæ; non poteſt ita exponi. Si placet, audiamus Judæorum nugas in Thalmud è

tractatu

tractatu Joma cap. 8. fol. 75. pag. a. Recordamur piscium, quos edebamus in Ægypto, gratis (Num. XI. 5.) *Rab & Samuel: Unus dicebat*, Pisces; *alter* fornicationes. *Illi, qui dicit pisces, quod scribitur* נאכל (comedebamus) *Illi, qui dicebat Fornicationes, quod scribitur* חנם (gratis) *& illi, qui dicebat fornicationes, Ecce scribitur* (נאכל) *Oratione sublimi utitur: Q. S.* (Prov. 30. 20.) Comedit & abstergit os suum & dicit, Non sum operata iniquitatem. *Et illi qui dicebat Pisces, quid* חנם? *Quod venerint ipsis sponte sua. Nam dicit Mar: Cum haurirent Israelitæ aquam, Deus benedictus subministrabat ipsis in medio aquarum pisces minutos in eorum cadis. Pacate illi, qui dicebat* Pisces; *at* fornicationes? *Non fuerunt in illis lascivi: Hoc est, Q. S.* (Cant. 4. 14.) Sponsa, hortus conclusus soror mea es. *Sed illi, qui dicebat Fornicationes, quid* fons obsignatus? Propterea quod *vetiti, non fuerunt lascivi in ea.* Pacatè *illi, qui dicebat* Fornicationes, *hoc est Q. S.* (Num. XI. 10.) Et audiebat Moses populum flentem per familias suas: propter occupationes familiarum suarum, quod prohibiti essent cubare apud eos: *At illi, qui dicebat Pisces, Quid*, Flentem in familias suas? *Hoc & illud factum est.* Vide quomodo scripturas explicent & ex illis disputent Judæi. Sequitur de loco Num. XI. 5. Cucumeres & Pepones] *R. Ami & R. Asi. Unus dicebat: Omnium specierum sapor fuit in Manna, sapor istarum specierum non fuit in ea. Alter: Omnes species gustabant saporem earum & non substantiam: At ille saporem earum & substantiam earum.* In Glossis redditur ratio, cur earum substantiam non gustaverint: Quod illæ duræ gravidis & lactantibus, ut habetur in Sephre. Porro in textu est: Et Man, tanquam semen Coriandri album] Dicebat *R. Asi: Rotundum ut Coriandrum* (כגידא) *album ut Margarita* (תצח) *Traditio etjam talis est;* גד *quod simile sit semini lini in culmis: alii, quod simile Aggada, qua trahit cor hominis instar aquarum. Traditio alia: Gad, quod indicaris* (מגיד) *ipsis sc. Israëli, si esset filius novenarii, primo; Si filius septenarii postremo.* לבן] Album, *Album, quod dealbaverit iniquitates Israëlis. Traditio. R. Iosi dicebat, Ut propheta annuntiabat ipsis nempe Israëli, quod in foraminibus & quod in rimis, ita Man annuntiabat ipsis, quod in foraminibus & rimis. Exempli gratia: Duo veniebant in judicium: Unus dicebat: Servum meum furatus es. Alter, Tu vendidisti eum mihi. Dicebat ipsis Moses: Mane judicium erit. Crastino si inveniretur Gomer ejus in domo præfecti primi, notum, quod iste eum furatus esset: Si inveniretur gomer ejus in domo præfecti secundi, notum quod iste eum ipsi vendidisset. Sic etiam vir & mulier veniebant coram Mose in judicium: ille dicebat, ipsa peccavit in me: Et illa dicebat, ipse deliquit in me. Dicebat ipsis Moses, Mane erit judicium. Crastino si inveniretur Gomer ejus (F.) in domo patris sui, notum, quod ipse in eam deliquisset. Scriptum:* Et in descensu roris super castra noctu. *Et scripsit:* Et egrediebatur populus & colligebat eam. *Et scripsit*, Declinabant populus & colligebant. *Ecce pro modo justorum, descendebat juxta ostium domus eorum: Mediorum*, Egrediebantur & colligebant: *Impiorum*, Declinabant & colligebant. *Scripsit*, Panem; *Et scripsit*, Placentas; *Et scripsit*, Et molebant. *Ecce pro modo justorum*, Panis; *Mediorum*, Placentæ; *Impiorum*, Molebant in molis aut tundebant in mortario. *Dicebat Rab Iuda, Dicebat Rab: Si dicas, R. Chama, nomine R. Hanina docuit, quod descenderit ipsis Israëli cum Manna mundus muliebris* (aromata sec. glossam) *rem, quam tundebant in mortario & coquebant, Dicebat ipsis, Hama docet quod descenderit Israëli cum Manna* (ציקי קדירה) *condimentum ollæ.* Et illi adducebant ad eum spontaneum munus quolibet mane (Exod. 36. 3.) *Quid quolibet mane? Dicebat R. Samuel, bar Nachmani, dicebat R. Ionathan, Dicens, quod* ipsis descenderit quolibet mane, *doces, quod descenderint ipsis gemmæ & margaritæ cum manna.* Et (Num. 36. 37.) Et (נשיאים) infere-

ferebant lapides Sardonychas *Traditio eſt* נשיאם *(nubes) omninò. Nam ſic dicitur.* (Prov. 25. 14.) Nubes & ventus, at pluvia nulla. Et erat ſapor ejus ſicut ſapor לשד חשמן. *Dicebat R. Abbu, Quid* שד*? Eſt infans guſtans in eo quoſlibet* [כמה] *ſapores. Etiam Man omni tempore quo Iſraël eam edebant inveniebant in ea quoslibet ſapores. Sunt qui dicant,* לשד *omnino. Quid eſt* שד*? (Damon) Hic mutatur in quaſlibet formas, etiam Man mutatur in quoſlibet ſapores.* Vides quantum extollant Mannam? Eam in ſe habuiſſe quoſlibet ſapores, inque ea infantulos guſtaſſe, quicquid matres ediſſent. Cum ea depluiſſe Deum gemmas & aromata omnis generis. Eam Moſi fuiſſe divinationis inſtrumentum &c. Quem ſibi imaginabantur, quemque vellent ſaporem habuiſſe credunt Patres è libro Sapientiæ. Cæterum illi Patres putant id tantum fuiſſe in ſpiritualibus & fidelibus. Eos ſequuntur plerique Pontificiorum, at Lorinus, Menochius, Cornelius à Lapide &c. putant cum Judæis, quod id evenerit omnibus, piis impiisque ſine diſcrimine. Salianus communiorem illam ſententiam probat à more Dei, qui eo tempore, nempe in deſerto, præſenti pœnâ malos perſequebatur: ita igitur tacita hac pœna peccatores affeciſſe: Quidam è Pontificiis ipſam ſubſtantiam Mannæ mutatam eſſe volunt, alii ſaporis accidens ſolum, Unde pro tranſſubſtantiatione argumentum cudunt. Diſſerit ita Rivetus: *Et hunc quidem fuiſſe naturalem & proprium ſaporem manna* (nempe quem Moſes in hac hiſtoria Exod. XVI. & Num. XI. oſtendit) *nemo negare poteſt, qui Moſi nolit indicere bellum. At ex cap. 16. lib. Sapientia v. 20. mirum quid deducunt nonnulli veteres & recentiores plerique avide amplectuntur. Nempe quamvis hic fuerit ingenitus & naturalis ſapor & ita Saperet, ſi comedens, nullum alium ſaporem deſideraret; ſi tamen ipſe aliud quid deſideraret, mox eum ſaporem in manna reperiſſe, qui ipſi arrideret. Diſputant tamen an id piis tantum acciderit, an etiam impiis. Et primum illud etſi placuerit Auguſtino lib. 2. Retract. cap. 19. & poſt eum Abulenſi & aliis nonnullis; non tamen arridet Ieſuita Lapideo, qui vult id commune fuiſſe piis & impiis. Hoc poſito alia etiam quaſtiones agitantur, ut an Manna non tantum Saporem ſed & ſubſtantiam ad votum comedentium mutarit, ut ſi quis vellet comedere ovem, gallinam vel agninam carnem, converſio etiam facta fuerit in hac omnia pro libitu; ita ut manna in eo fuerit typus transſubſtantiationis. Id commodum viſum eſt Gregorio de Valentia, Claudio de Xantes, epiſcopo Ebroicenſi, Thoma Boſio & aliis nonnullis. Hanc tamen ſententiam Ieſuita Lapideus fatetur novam & ſolido carere fundamento: & de accidentali tantum ſaporis converſione, verba libri Sapientia, cum pluribus interpretatur; ita ut tamen nolit aliquid transſubſtantiationi deperire; quia ſaltem inde colligit accidentia manere poſſe ſine ſua ſubſtantia: quia cum ſapor alius, aliam ſubſtantiam comitari ſoleat, manente ſubſtantia manna, ſapor mutabatur pro libitu & nutriebat. Vnde conſequitur accidentia etiam nutrire in cruſtulo tranſſubſtantiato. Et hac quidem illi ſerione an joco dicant, neſcio; Id tamen mihi compertum eſt nihil unquam abſurdius & ineptius potuiſſe excogitari: quod certè non tam refutatione dignum eſt quam vel contemptu vel commiſeratione eorum qui tam ridiculè delirant. Quidni potius exiſtimant, mutationem factam fuiſſe in guſtu comedentium: quod etiam naturaliter ſæpè accidit, vel ex qualitate humorum vel etiam imaginatione turbata? qua quam multum poſſit in ſimilibus, exemplis multis probari poſſet, niſi apud omnes eſſet confeſſum. Sed non opus eſt eo recurrere.*

Nam quod ex libro Sapientia eruunt nullo modo conſiſtere poteſt cum iis, qua habet indubitata Moſis Hiſtoria. Illa enim non hic ſolum, ſed Numer. 11. expreſsè meminit, cujus fuerit ſaporis manna: nec verum eſt quod dicunt id intelligendum eſſe ita de naturali ſapore, ut tamen ſupra naturam omnes alios ſapores referre potuerit unicui-

que.

que. Non certe quod de potentia Dei dubitemus; sed quia valdè intererat, si quid tale accidisset, ut Moses qui omnia tam exactè referebat, id silentio non obvolveret; maximè cum hoc multum ingravasset populi ingratitudinem, tam sæpe conquerentis. Sed id nullo modo potest subsistere cum querela ejusmodi populi, Num. 11. à vers. 4. usque ad finem cap. Nam cum populus fleret, & concupisceret carnem, recordareturque piscium, cucumerum, peponum, porrorum, & caparum Ægypti, conquerereturque animam suam aridam esse, & nihil quicquam ob oculos habere prater Man: ibi Moses immediatè describit quid fuerit Man, & quale, quomodo collectum, quomodo paratum variis modis, & cujusnam fuerit saporis. Ibi certe locus postulabat, si res ita fuisset, non de uno sapore agere; sed indicare unicuique pro ratione concupiscentia sua repræsentasse saporem, vel carnium variarum, vel piscium, vel cucumerum, vel peponum, vel porrorum &c. Ideoque non fuisse causam cur tantopere talia desiderarent. Sed nihil ejusmodi habet. Vndè colligimus verba autoris Sapientia, aut esse hyperbolica & benignè interpretanda; aut falsa. Prius illud eligerem, nempe hoc voluisse autorem illum, magnam fuisse Dei erga populum benignitatem, qui panem illum dederit, quem poterant variis modis præparare; nempè vel molis contritum, vel tudiculà tusum, coctum in cacabo & elixum, vel subcineritiis placentis ex eo factis; & cujus gustus esset sapidissimus, adaquans quicquid in eo genere cupediarum posset homo desiderare. Sic accipio verba autoris illius, qua sic ex Graco vertit ad verbum Benedictus Arias: Paratum panem è cælo misisti illis sine labore ad omnem voluptatem valentem, & ad omnem gustum, Etenim substantia tua, tuam in filios ostendebat dulcedinem, at oblati desiderio serviens ad quodcunque volebat, convertebatur. μετεκιρνᾶτο, *id est, transtemperabatur. Id autem refero ad variam rationem coquendi; quia vel elixabatur, quasi in pulmentum, vel placenta conficiebantur, vel comedebatur prout cadebat, & ita ad desiderium* transtemperabatur. *Hac ita explicanda sunt per comparationem originalis Historia. Sanè si omnes sapores, quos optaßent, in mannâ invenißent, non dixissent,* anima nostra arida est. *Non exclamassent,* utinam haberemus pepones, porros &c. *Cur id enim? si qui manna comedebat si desiderabat mala, si uvam, si carnes &c. Secundum qualitatem & voluntatem comedentis, ita & sapor in mannâ fuit? Tale enim nihil memorant vel Philo Iudaus vel Iosephus, satis alias proclives ad ea amplificanda, qua simplicius in Scriptura sunt narrata.* Josephus: Οὕτω θεῖον ἦν τὸ βρῶμα καὶ παράδοξον· ἀμύνει δὲ τοῖς τούτῳ νεμομένοις τὴν ἐκ τῶν ἄλλων ἀπορίαν. *Ita divinus & admirabilis cibus erat.* Eam habentibus *supplebat aliorum defectum.* Philo. Τί οὖν συνέβη τῇ ὑστεραίᾳ περὶ τὴν ἕω; Δρόσος βαθεῖα καὶ πολλὴ περὶ σύμπαν ἦν ἐν κύκλῳ τὸ στρατόπεδον, ἣν ἀπέψυφεν ἡσυχῇ, ἀήθη ὑετὸν καὶ παρηλλαγμένον, οὐχ ὕδωρ, οὐ χάλαζαν, οὐ χιόνα, οὐ κρύσταλλον (Ταῦτα γὰρ αἱ τῶν νεφῶν ἀπεργάζονται μεταβολαὶ ταῖς χειμεριναῖς τροπαῖς) ἀλλὰ κέγχρον βραχυτάτην καὶ λευκοτάτην, ἣ διὰ τὴν ἐπάλληλον φορὰν σωρηδὸν προὐκέχυτο τῶν σκηνῶν ἄπιστος ὄψις· ἣν καταπλαγέντες ἐπυνθάνοντο τοῦ ἡγεμόνος &c. *Quid igitur postridie evenit circa auroram? Profundus ros multusque in circuitu erat circa tota castra, quem ninxerat paulatim, inconsuetum imbrem & à vulgari diversum, non aquam, non grandinem; non nivem, non glaciem (Hac enim nubium efficiunt mutationes temporibus hybernis) sed granulum minutissimum & albissimum, quod continuo casu cumulatum profusum jacebat ante tabernacula incredibile spectaculum, quo stupefacti percontabantur ducem* &c. Usum optime Philo describit: Ἡ δὲ χρῆσις ἦν τοιάδε· Συλλέγοντες ἅμα τῇ ἕῳ τὸ νιφόμενον ἤλουν ἢ ἔτριβον, εἶθ' ἕψοντες ἡδεῖαν πάνυ τροφὴν, οἷα μελίπηκτον προσεφέροντο, μὴ δεόμενοι σιτωνίας περιεργίας. *Vsus autem talis erat: Colligentes cum aurora, quod depluerat, molebant aut terebant, deinde coquentes alimentum admodum dulce, tanquam è melle confectum edebant: nihil indigentes frumentariorum multiplici labore.* De usu Num. XI. 8. Molebant mola, quam manu

circumagebant, ut dicit Aben-esdras. Mortarium מדוכה lignum erat aut lapis. (eodem docente) in quo terebant. Durum igitur fuit instar granorum frumenti, è quo molito tusoque farinam faciebant, ad coquenda lagana sive panes. Liquescebat tamen ardore solis, die provecto. Voluit enim Deus, ut matutino labore per collectionem sibi quisque pararet demensum diei, qui oportunum id tempus negligebat, nihil inveniebat. Unaquæque familia colligebat tot mensuras, quot constabat capitibus. At quomodo sole liquefieri potuit, quod duritiem habuit quæ tundi terique debebat in usum ad focum paranda: Unde etiam lagana formabantur consistentia ut è frumenti farina? Naturane id factum mannæ, an miraculo? Rivetus: *Mirum enim videri potest, quod cum manna collectum, ita durum esset domi, ut pilo & mola tunderetur & igne non liquesceret; non posset tamen solaribus radiis resistere. Sunt tamen nonnulla ita comparata etiam in natura, quæ etsi mollia & fere liquescentia in loco proprio, exempli gratia, ubi aërem non habent, indurantur extra locum suum. Id nos vidimus sæpe in lapidibus illis, quos ardesias appellamus & quibus utimur in adium tectis. Nam in sua fodina ita molles sunt, ut possint scindi & efformari pro libitu; posteà tamen aeri exposita indurescunt. Exemplum talis mutationis Cajetanus hic notat in ovo.* Sicut enim ovum, *inquit*, quandiu est in Gallina tenerum habet corticem, qui statim genito ovo exsiccatur & fit durus, ita grana illa mannæ, in loco, in quo formata erant, obnoxia erant liquefactioni; segregata autem durescebant adeò, ut non essent amplius liquescentis naturæ: ita quod sicuti sustinebant postea ignem, sustinuissent etiam solem, si fuissent exposita Soli. *Hæc ille.*

Quæritur an Manna fuerit naturalis? Constat non fuisse naturalem quoad circumstantias loci, temporis, copiæ, continuationis, quibus data est. Rivetus: *In his enim omnibus locum habere potuit miraculum, etsi res ipsa plane nova non esset vel inusitata & alibi etiam per naturales causas produceretur.* Miraculum fuit in circumstantiis effusionis. 1. *Quod vere tantum* (iuquit Rivetus) *cadat δροσώδης, hoc autem quotidie deciderit, uno tantum Sabbato excepto.* 2. *Quod in tanta continuatione Sabbato non decidebat antecedenti die duplum.* 3. *Quod adeo abundanter cadebat ut tanto populo sufficeret.* 4. *Quod in crastinum servatum corrumpebatur.* 5. *Quod ubique cadebat, ubi castra metarentur Israëlitæ, apud vicinas autem nationes, Amorrhæos, Amalecitas &c. ignotum erat.* 6. *Quod cessavit postquam Iordanem transiverunt. Hæc enim omnia potuerunt accidere per miraculum ei rei, quæ tamen esset alibi ejusdem speciei, formæ, & proprietatis & easdem haberet causas naturales. Imò quemadmodum Christus verum panem ita per miraculum multiplicavit, ut quod vix decem suffecisset, potuerit alere quinque hominum millia, & superfuerint reliquiæ supra quantitatem primam; potuisset Deus rorem aliunde advectum tanquam materiam ad eam aptam, ita multiplicare, ut sufficeret huic abundantiæ singulis diebus decidenti. Cum autem eadem esset species & natura panis illius cum pane naturali: ita & idem de manna dici posset.* Hactenus Rivetus. Nihil sane prohibet, quantum circumstantias illas attinet, quominus sentiamus naturalem esse speciem mannæ. Josephus arbitratus est naturalem esse & in ea regione circa Sinæum montem ubertim cælo pluere. Ἔτι δὲ καὶ νῦν ὕεται πᾶς ἐκεῖνος ὁ τόπος, καθάπερ καὶ τότε Μωϋσῇ χαριζόμενον τὸ θεῖον κατέπεμψε τὴν διατροφήν. Franciscus Vallesius & Levinus Lemnius idem existimarunt. Eorum dissertationes describamus. Vallesius sacræ Philosophiæ cap. 57. ita de manna & coturnicibus disserit: *Multi censent aliud fuisse illud, quod filiis Israël pluit in deserto, ab eo medicamine quo expurgandi gratia utimur, aëreo vocato melle & manna, cujus proventus maximus est quotannis in Calabria, & in locis quibusdam Hispaniæ etiam raris annis gignitur, quandoquidem censent fieri non posse ut illo vescerentur & nutrirentur, quin diffluе-*

diffluerent potius penitus dissoluti ac laxati. Cæterum ex descriptione mihi videtur constare, eandem omnino rem esse: nam ut dicitur cap. 11. Numer. Descendebat noctu in castra cum rore. *Atque (ut c.16. Exodi)* apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ super terram. *Constat verò hanc esse ipsissimam generationem manna, qua ad expurgationes utimur. Tametsi enim quidam putavere esse potius gummi genus, quod exsudaret ex arboribus, aut lacrymam, alii opificium quoddam vesparum, aut apum, aut muscarum quarundam, intuenti tamen constare facile potest, esse rorem quendam crassiorem, maturationem quandam à sole recipientem, & concretionem à noctis frigore pruina more, vespas verò & animalcula ejus generis multa, allici ejus dulcedine potius quam efficere: si quid verò incisis corticibus destillat, id imbibitum ligno esse rorem. Quod vero in Exodo dicitur minutum, & quasi tusum, & in similitudinem pruinæ, in Num. lib.* Erat quasi semen coriandri Bdellii, *nihil est aliud quam quod Mesues etiam dicit his verbis:* Diversificatur autem secundum diversitates rerum, super quas cadit: cadens enim super lapides, est sicut guttæ parvæ, quæ congelantur, & fiunt sicut gemmæ: & cadens super plantas, suscipit de virtute plantarum, & est cum permistione particularum foliorum & florum. Ex ea quæ super lapides cadit, melior est quæ est super semen album, & dulcis, & est recens: post istam verò in bonitate est, quæ est subcitrina. *Ex his verbis constat duplex esse genus manna, alterum cadens super frondes, alterum super lapides & terram scilicet) inter hac vero præstantius esse quod cadit super lapides, quia alterum suscipit de virtute plantarum (tametsi vulgo pretiosior est, qua de fronde vocatur, quod quàm sit verum ad præsens institutum non refert) porrò constat quod simile est semini, esse quod super lapides, idque esse grandioribus partibus quam alterum atque si simul album sit esse optimum: parum vero ab hoc deficere quod subcitrinum, scilicet colore Bdellii. Est enim bdellium colore unguium, hoc est ab albo vergens in citrinum. Quod igitur decimo sexto Exodi describitur,* minutum quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ super terram, *esse quod optimum: alterum vero quod quasi semen coriandri, coloris bdellii, secundum tenere bonitatis gradum: consentaneum autem est rationi in tanta copia esse utrimque satis multum: si autem hoc ita habet, ut sane videtur, qui fieri poterat, ut non laxatis ac dissolutis corporibus perirent? Profectò ipsi sentiebant hunc cibum esse levem. Nam 11. Num. ita conquerebantur,* anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo: *at vero cibos leves & qui solidam substantiam corporibus non tribuunt, medicamenta etiam esse, atque expurgare, Hippocrates testatur libello de medicamentis expurgantibus: & fieri quidem potest, ut principio is cibus illis contulerit ut medicamentum ad deponendam cacochymiam, quam ex usu cucumerum, peponum, porrorum, caparum, & alliorum, quibus multo tempore in Ægypto erant cibati, contraxerant: expurgatis verò jam, consuetudo fecit idoneum, & suavem cibum. Si enim consuetudo vel ex venenis potest cibum efficere idoneum, quantò magis ex cibis medicamentosis accedente præcipuè Dei concursu, quo non cibus solum, sed suavissimus etiam, & delectamentum omne in seipso habens efficiebatur? Neque enim hunc elevo, cum naturales rerum causas investigo, sed laudo infinitam ejus sapientiam, qui ita omnia disponit, ut etiam quæ sunt portentosissima, videantur bona ex parte secundum naturalem rerum ordinem evenisse.*

Et ut cum populus querulus carnes posceret ad vescendum, arreptas trans mare coturnices detulit aviculas scilicet, maximo agmine trans mare impelli solitas vento vehemente, atque volantes circa terram altitudine tantum duorum cubitorum, ut ita facilè manibus caperentur. Ut autem transferret abstulit Deus Austrum de cælo, & in virtute sua induxit Africum, ventum scilicet vehementem, & procellosum, de quo Virgilius primo Æneidos, Unà Eurusque Notusque ruunt, creberque pro-

cellis Africus: *esse omnia hac coturnicum natura & passionibus conformia, naturales quoque cognoverunt. Nam Plinius capite vigesimo tertio libri decimi, ita inquit:* Coturnices antè etiam semper adveniunt, quàm grues, parva avis & cum ad nos venit, terrestris magis quam sublimis: *& paulo post,* Austro non volant, humido scilicet & graviore vento: aura tamen vehi volunt, propter pondus corporis. *Rursum paulo post,* Aquilone ergo maxime volant. *Sed cur (dices) non induxit Deus Aquilonem, sed Africum? quia (arbitror) Africus vehementia est proximus aquiloni, situ vero est proximus austro, cum sit inter hunc & Zephyrum, amat vero suavitas disponendi rerum causas, minimas commutationes. Accedebat situs locorum: si enim Africus qui transversum flat juxta Austrum coturnices in castra impulit, Boreas, qui est è regione oppositus, expulisset potius. Huc usque igitur nulla vis est illata natura, sed secundum ejus ordinem disposita omnia, velut etiam cum Deo visum est, populum ob pertinaciam punire, ille ipse carnium esus, quem tantopere expetiverant, attulit perniciem multis, ut vocatus is locus sit,* Sepulchra concupiscentiæ. *Nam cum illi desueti jam cibis solidis, avidissimè sese carnibus replerent, comedentes usque ad satietatem, ut odor carnium per nares exspiraret, lethalibus morbis correpti sunt. Neque sanè parum ipsa carnium malignitas ad illorum perniciem effecit. Coturnix enim venenis vescitur, unde malignitatem aliquam contrahit, atque, ut Plinius loco citato dicit, eam ob causam eas damnavere mensa. Narrat enim Galenus in Doride Baotia, & Thessalia, atque etiam Athenis multos convulsione correptos esse esu coturnicum, qua veratro vescebantur. Rasis quoque & Isaac in suis diatis, & Auicenna secundo canone, & alii omnes Medici, qui illos sequuntur, maxime vituperant: adeò ut Aponensis dicat, carnes coturnicum omnium volatilium carnibus esse pejores. Id quod jam dicunt, non ob belleborum solum sed per sese.*

Horus Apollo Niliacus narrat eam fuisse Ægyptiis de coturnicibus opinionem, ut in hieroglyphicis eam omnis immunditiei & nequitia signum esse fecerint. Itaque hac omnia, Dei voluntate causas naturales dirigente, effecta sunt. Quæ sanè nos admonent, ne cum quidpiam nobis sive commodi, sive damni accidit, in Dei voluntatem referre recusemus, etsi naturales rerum ejusmodi causas agnoscamus, quoniam omnia serviunt illi. Hactenus Vallesius. Coturnices fuisse naturale genus avium certissima res est, non potest id affirmari tam liquide de manna, quod naturæ fœtus fuerit & species in mundo. De Manna Levinus Lemnius in de herbis Biblicis cap. 3. *Quod Hebræi in vasta illa ac siticulosa solitudine Manna pasti sunt, non prorsus naturali causa adscribi potest, sed Divina potentia, qua tamen natura usa sit ministerio, ut etiam coturnicibus gregatim in castra delatis: aut cum percussa petra, refocillando populo aqua proflueret, lignoque aqua amara dulcesceret: tum etiam cum Euri violentissimo flatu, rubrum mare exsiccatum, transitum Hebræis patefaceret, ad internecionem deletis insequentibus. Similis est ratio de farina multiplicata & adaucto oleo, Helia & Helisai precibus, de corvo illi adferente panem & carnes; quod etiam de Antonio & Paulo Eremita refertur: de angelo ministrante Helia panem subcinericium & aqua poculum, quibus corroboratus, quadraginta dierum ac noctium iter emensus pervenit ad montem Dei Horeb: in cujus spelunca tutus erat à Iesabelis tyrrunide, qua omnes prophetas in mortem crudeliter venabatur. Hac atque alia admiranda, qua passim in sacro codice memorantur, Deus jussu nutuque suo perficere potuisset, nulla adhibita materia, sed tamen uti voluit rerum naturalium (quarum ipse effector est & moderator) adminiculo ac velut instrumento: eaque ratione suis prospicere visum, atque afflictis mentibus solatia adferre. Quod etiam in Ezechia moribundo ac Dei sententia morti destinato observari potest: cujus apostema, admoto cataplasmate ex ficubus contusis, qua maturandi facultate pollent, ad sanitatem perductum est: quo argumento declaratur morbis urgentibus, non respuenda medi-*

medicamentorum præsidia, sed ea, implorata Dei ope, alacriter adhibenda, quibus vita in aliquot annos producitur. Eodem usus est medendi modo Christus in dispellenda cæcitate mendici, confecto collyrio ex luto & saliva, eoque abluto extersoque in piscina Siloë. Similiter in discutienda surditate, digitos in aures inseruit immissoque in linguam sputo, loquelam muto restituit. Cujus generis miracula aliàs solo tactu aut verbo peregit, ab iis tantum stipulatus impetrandi fiduciam: quam cum inter alios clamosus ille Bartimæus inter turbæ fremitus testaretur, confestim nullo adhibito visibili externoque signo, visum recepit. Cum autem Deus pro immensa ergà genus humanum bonitate ac favore, multis magnisque rebus munificentiam suam declaret; tum præcipuè inauditis stupendisque miraculis mirandam potentiam patefacit: quod inter innumera manna demonstrat, tam affluenter ex aëre in terram effusum, ut numerosissimam multitudinem satiaret. Cum enim fremeret confusa multitudo sexcentorum millium, Deoque ac Mosi obstreperet, quod ex Ægypto in tam vastam solitudinem perducti, inedia conficerentur, Deus vespere incredibilem coturnicum vim & copiam in castra coëgit, mane autem ros undique diffusus est per castra solique planitiem: cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum quiddam, rotundum, tenue, perinde ac si pruina esset constrata humi, similitudine seminis coriandri, specie bdellii, gustu saporeque similaginis, melle confecta. Cum autem tam subita innovatio atque insolita rerum facies admirationi esset turbulento populo ac nonnullis stuporem incuteret, plerique (ut quidam opinantur) contemptum & irrisionem adferret, Manhu, inquiunt, Quid est hoc? Similis est illa Chremetis ironia & subsannatio in Clitiphonem filium personatæ atque ementitæ probitatis: Sed ipse egreditur quam severus &c. *Cæterum manna, quæ medicis in usu est, calida & humida abscessu primo, huic non prorsus dissimilis est. Colligitur enim in calidis regionibus aëreum roscidumque mel, quod æstivis mensibus, fervescente interdiu Sole, nocturno frigore in grumos coit, atque in ramenta conglobatur ex defluxu rorulenti humoris ac madore aëreo; omnibusque passim arboribus, herbis, lapidibus incumbit, mellita ista colore flavescente, quæ lingula agitata sacchari more liquescit ac palatum faucesque dulcedine imbuit: quo fit, ut gulæ & faucium asperitatem leniat. Verum cum illi subsit medicamentosa quædam facultas, sacchuro minus alit: ventrem autem ut cassia fistularis & Cylindracea emollit, sed paulo clementius; quocirca tuto impuberibus, seniculis, prægnantibus, pueris exhiberi potest, uncia pondere, observata cujusque natura ac corporis constitutione. Mannæ autem vel mellis aërei nomine insignitur, quoniam ex halitu ac vapore terræ, calore Solis, sublato, ex aëre defluit, atque æstivæ noctis frigore concreta, plantis insidet, ea propemodum forma ac saporis dulcedine, quæ in Bibliis Manna describitur: cujus esu multis annis pasti sunt Israëlitæ, ita ut assiduo ejus usu nauseam illis pareret, ac Dei donum fastidirent. Exemi ego aliquando vulgare hoc manna genus aut roscidum mel ex plantarum foliis, cum antelucanis horis Academiæ Lovaniensis pomaria egressus, perquirendis herbis essem occupatus, desinente potissimum vere, aëre tranquillo ac placido, nullis ventis incitato. Divenditur autem adulterinum mel aëreum ex sena incrustata Sacharo condito: verum ubi id ore volutum liquescit, proditur dolus. Colligunt quidem nonnulli circa alvearia illaque loca, in quibus apes mellificant ac faveum confingunt, excrementa quædam flavescente colore, sapore melleo: quæ nonnulli existimant ex aëreo concreto coaluisse, cum nihil aliud sint, quam excrementitius liquor & saliva, quæ à vespis, fucis & culicibus prodiit. Si quidem insecta apum laboribus insidiantur & mel exsugunt: quod observantes apes in illa insiliunt ac turmatim conficiunt* &c. Hactenus Levinus Lemnius, qui non audet affirmare ut Vallesius, fuisse mannam vulgarem, tantum dicit similitudinem habuisse vulgaris mannæ. Conimbricenses statuunt fuisse ejusdem speciei cum manna

vulgari, quamvis excellentiorem accidentibus & extra ordinem naturæ productam. Illi de Meteoris tract. 7. cap. XI. *Manna consimilem habet ortum ei, quem mel, de quo 9. cap. egimus: Etenim quando una cum tenui vapore, ex quo gignitur ros, elevantur partes terræ subtiles, ita ut humidum aqueum valde excoquatur, maneantque partes terreæ cum exigua humiditate, efficitur liquor quidam candidus, melliti saporis, qui in arborum ramis, herbis, lapidibus & terra invenitur. Hic autem Hebræa vel Syriaca lingua Manna dicitur. Cornelius Celsus & Columella rorem Syriacum vocant: alii mel aërium. Galenus lib. 3. de alimentis cap. 39. asserit, hoc mellis genus copiose colligi in Libano Liburniæ monte, ejusque regionis rusticos expansis humi velleribus, concussisque arboribus sæpenumero plena ejus fictilia domum referre. Eundem rorem nunc in Calabria & aliis locis gigni, indeque in loca alia ad varios medicinæ usus exportari refert Matthiolus super caput 75. lib. 1. Dioscorid. & Vallesius suo opere de sacra Philosophia cap. 57. Quod attinet ad manna istud, quod Hebræis in solitudine datum narrat sacra pagina cap. 16. Exodi, disputari sole, num id ejusdem sit rationis cum vulgari, de quo supra egimus? Quod enim non sit, ex eo primum videtur, quia manna Hebræis missum, vocatur in Divinis libris* panis *Exodi 16.* Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum. *Item* panis Angelorum: *Ps. 77.* Panem angelorum manducavit homo. *Præterea erat id, quasi semen coriandri, durum, ut contundi & comminui soleret. Vulgare autem non est panis, videturque molle quippiam ac flaccidum. Item illius fluxum antecedebat pruina, quæ non nisi vehementi frigore oritur: cum tamen vulgare manna temperato cælo decidat. Adhuc Hebræorum manna quovis die, præterquam Sabbato, oriebatur: qui plus colligebat nec habebat amplius, nec qui minus parabat, reperiebat minus: quodsi in alterum diem servaretur, computrescebat. Postremò, ut constat ex 16. c. Sapientiæ, omnium Saporum varietatem præstabat, quanquam non cunctis, qui eo vescebantur, sed probis duntaxat: cum cæteris unum tantum sibi peculiarem saporem exhiberet, videlicet quasi similæ mellita. Nihilominus placet nobis eorum sententia, qui putant, manna Hebræis datum, in se quidem ac secundum suam naturam ejusdem fuisse speciei cum vulgari: etsi illius generatio supra usitatum naturæ modum perficeretur, applicantibus videlicet ad id angelis naturalia activa passivis. Nec enim variatio applicantis aut effectricis causæ mutationem speciei in effectu arguit, nisi aliud quippiam occurrat, unde ea mutatio jure colligi debeat: quod diversitatis naturæ necessarium sit argumentum. Tametsi non negemus id accidentariis quibusdam excellentiis multò fuisse perfectius: quemadmodum & vinum, in quod Christus aquam mutavit, generosius fuit. Assolet enim naturæ auctor Deus, iis naturæ effectis, quæ ipse per se tantum aut peculiari aliquo modo extra usitatum naturæ cursum edit, majorem impertiri perfectionem. Nec rationes in contrariam partem adductæ concludunt. Ad primam enim dicendum, Manna panem vocari fusa Vocabuli significatione, quomodo panis pro quovis alimento accipitur: vel certe ideò panem appellari, quia ut constat ex XI. cap. Num. solebant Hebræi ex manna in olla decocto tortulas conficere. Vocatur autem panis Angelorum, vel ad ejus delicias significandas: adeo namque suave erat, ut si angeli materiali cibo uti solerent, dignum id foret, quo angeli vescerentur: quemadmodum interdum cibum regium appellamus eum, quo etsi rex non utatur, adeo tamen est exquisitus, at regum mensis præ dignitate apponi queat. Vel certò ideo angelorum cibus appellatur, quia angelorum ministerio productum fuit. Ad id quod objicitur, Manna vulgare tenerum esse ac flaccidum: etsi id, cum primo decidit, ita se habeat: postea tamen, si antequam calore solis extabescat, colligatur, concrescere & duritiem accipere: ut videre est in eo, quodin pharmacopoliis officinis asservatur. Ita vero Hebræorum Manna præter nativam ejus affectionem Divina virtute in granula illa minutissima obducescebat,*

rescebat, ut facile ac citra molestiam posset excerpi: quemadmodum & eadem virtute Divina fiebat ut ei pruina substerneretur, ne sordes contraheret. Denique catera, qua retulimus, constat, prater consuetum notura ordinem accidisse: qua tamen non probant, manna ipsum, quoad substantiam non fuisse ejusdem speciei cum vulgari. His addamus judicium Riveti: *Manna naturale*, inquit, *quod multis in locis reperitur, gignitur ex rore temperatissimi loci & cali: qui quidem ros est, ex purissimo aliquo terra vapore, quem multorum dierum astivorum serenitas coxit vehementissimè, ut materia inde generetur pinguis, qua frigore temperata noctis coacta & densata, decidit in arborum & fruticum folia, iisque adharescit donec colligatur. Quod fit pracipuè in tribus regionibus, Syria, Germania & Italia. Vnde ex regionum differentia Syriacum, Germanicum & Calabricum appellatur. Hoc ultimum maxime commendatur in Pharmacopoliis: quod leniter sine flatibus, humorem biliosum depellit. Δροσόμελι & ἀερόμελι vocant, Syriacum rorem appellas Celsus. Tale non videtur fuisse, quo usi sunt Israëlita, non quidem quod forma, colore & sapore multum differat, maximè quod in Syria, in Libano monte colligitur, quod candore probari scribit Dioscorides: sed quia non habet proprietatem nutriendi: alioqui fieri non potuisset, quin laxatis & solutis corporibus periissent, nisi quis dicat, consuetudinem fecisse idoneum & commodum cibum, accedente maximè Divina benedictione, qua illud potuit attemperare & aptum reddere ad alendum. Nam si Cardano fides, lib. 21. de subtilitate, ubi melius concoquitur, ut in calidis regionibus, cogitur super plantas. Vnde in deserto Traga populorum Libya, tantum colligitur singulo die ex ea, maximè juxta Agadez urbem, ut libra XXVIII unciarum, duobus assibus veneat. Vivunt illius usu incolumes, quamvis aër sit pestifer. Referunt etiam ante annos paucos, Polonos pretiosius & dulcius quoddam manna genus invenisse, quod ruri prostratum est, ac saccaro simile: quod butyro medicoque saccaro decoctum cum delicatissimis ferculis & jusculis, facile certare posset. At vero, si tale aliquid in Libya aut vicinis provinciis alimenti vicem prabuisset, non plane incognitum fuisset populo Hebrao: quod tamen cum viderunt nescierunt quid esset, ut testatus est Moses. Vnde colligimus fuisse aliquid extraordinarium, nunquam antea visum, nec etiam postquam cessavit, repertum. Cumque* cibus angelorum, *appelletur & singulari Dei opero praparatus in Sacra scriptura ubique* prædicetur: causam hic naturalem, pie & religiose removendam *censemus.* Hæc Cl. Rivetus.

Nos arbitramur cum D. Riveto manna datum Hebræis fuisse longe diversum ab illo vulgari manna, quod non differt à Tereniabin specie, sed tantum quod alterum liquidum sit, alterum concretum in grumos, ut docet Matthiolus. Hoc manna Hebræorum nutriendi vim habuit, longe præstantissimam, cum manna medicamentum sit καθαρτικόν. Dicere Divina virtute factum esse, quod aluerit consuetudine, quod nihil nocuerit nec purgaverit, ideo non convenit, quia constat cibum ipsum sua natura talem fuisse, ut optimi & alibilis succi haberet vim, non extraordinaria directione. Secundò, Manna hoc sole liquescebat præter naturam, sua natura durum erat, ut tunderetur in usum. Saporem habuit olei & mellis præstantissimi. Consistentis substantiæ erat, ut frumenti vicem præstaret. Et quidem cibus delicatissimus erat, cum nemo Manna habeat pro cibo bono & alimentoso. At cum differat à vulgari Manna, illud quærendum an fuerit species creata in mundo, quæ ante exstiterit, & per naturæ cursum generetur? Quod prædicant de rore alibilis & delicati succi, postquam concrevit, qui inveniatur in quibusdam locis, is inquam non potest comparari cum Hebræorum manna: præstantissimus quisque toto genere diversus erit.

Nomen hujus novę speciei natum fuit ex voce populi, qui id in campo stratum jacere

jacere vidit. Textus: *Viderunt Filii Israël & dixerunt alter ad alterum; Man est: quia nesciebant, quid esset. Et dicebat Mose ad illos: Hic est panis, quem dedit vobis Deus in cibum.* Rasi: [מן הוא] *Præparatio cibi est, sicut* [Dan. 1. 5.] וימן להם המלך *Et constituebat ipsis rex.* Aben-esdras: *Dicebat magister noster Salomo, quod in lingua Ismael, reddatur* מה הוא *per* מן הוא. *Qui ipsi sic indicavit, non dixit verum; quia* מה הוא *in lingua Ismael redditur* מה הי: *sed* מן הוא *est versio* ☿ מי הוא *in lingua Ismael. Nam* מן *non cadit in lingua eorum nisi de homine. Quin sensus* מן הוא *est è mente* [Dan. 1. 10.] Qui constituit cibum vestrum. *Dixit R. Mose sacerdos: Novimus, quod non sit prius neque posterius in lege. Nam ita* posteriori loco habetur: *Dixit Moses ad illos, at jam dixerat Moses ad illos. Talia multa sunt. Et in hac Parasa* [v. 20.] Ebulliebant vermes & fœtescebat: *at jam fœtuerat. Et sic scriptum* (v. 24.) Non fœtuit neque vermis in ea fuit. *Posteriori loco Scriptura locuta est, verba Mosis, quoniam opus ipsi erat ut prolongares dicendo*: Hoc verbum, quod præceperat vobis Dominus. מן significare interrogationem non tantum Josephus arbitratus est, sed & Philo, qui Mosi ad interrogationem stupentium respondenti tribuit orationem, qua docet Deum insolito modo posse alimenta subministrare quæ non ex arvis neque pecorum proventu habeantur. Eum universo præesse & Nilum Ægypto dedisse loco pluviæ. Interrogative accipiunt cum Græca & Latina versione Veteres & multi recentiorum. Si interrogatio non sit, vel affirmant aliquid per conjecturam vel dicunt ex scientia edocti à Mose. Edoctos à Mose alterum alteri ostendisse putat Aben-esdras cum R. Mose sacerdote. Nempe si Man sit derivandum à voce מנה / significabit, ecce hic est cibus, quem Deus nobis constituit. Putant igitur Mosis orationem fuisse ante ista verba populi: ideo autem Mosis verba esse postposita à Sp. S. quia alia verba illius attexenda erant. Non possum accipere illam sententiam, quia si מָן à מנה deducere placet, significabit non tam apparatum, quam demensum. Atqui non agitur hic de demenso & ordinatione, sed de ipso genere cibi. Quid si igitur dicamus vocem מָן jam antea notam fuisse Hebræis de specie quadam, quam notabat, adsimili? Qua voce notaverint quod simile erat licet non idem esset, ut solemus ignota & peregrina vocibus rerum affinium, quæ cognitæ sunt, notare: quomodo Romani Elephantem antiquitus *Lucam bovem* appellarunt. Thuris micas appellabant veteres *Mannam* thuris. Unde hanc vocem Græci habent nisi ex oriente? Thus ab antiquo Israëlitis notissimum fuit: ejus micæ mannæ vocabulo appellantur. His cum similia essent grana cibi cælestis, quæ nunc primum videbant; dicebant esse *Mannam* thuris. Existimat Cl. Salmasius μάννα λιβάνου nomen habere à gramis mannæ sed si manna in rerum natura & notitia esse desiit, cum Israëlitæ Cananæam habitare cœperunt, quomodo à re ignota nomen accipere potuerunt Syri, quod darent micis thuris: A Syris enim non à Judæis nomen Mannæ emanavit ad Græcos. Syri igitur & Judæi accepere nomen cum re ex Arabia, quæ à priscis temporibus habuerit & rem cum nomine aliis gentibus ediderit. Tria præcepta Moses populo dedit à Deo circa Manna:

I. Ut per capita Gomer colligerent.
II. Ut nihil in crastinum reponerent aut asservarent.
III. Ut die sexto duplum colligerent.

I [עמר לגלגלת] Colligi per familias debuit pro numero capitum in qualibet familia: unicuique capiti Gomer. Aben-esdras putat Gomer pro adultis at parvulis quantum satis esset: quia scriptura utitur utraque phrasi: איש לפי אכלו & עמר לגלגלת. At, quod apparet è v. sequente, illud אכלו notat com-

comprehensionem pro tota domo sivè familia. *Gomer capiti, &c, quisque secundum edere suum.* Iverunt collectum: alius plus alius minus collegere, ut amat fieri. Cum autem domi metirentur quod collectum erat, omnes tantum collegerant, quantum necesse erat pro familia, איש לאכלו. Illud significat Moses interprete Rasi, quod tot habuerint mensuras, quot capita familiæ erant. Observandum, quod in numerum non veniant lactentes, ægri, vetuli vetulæque decrepita ætate, qui solido cibo uti non poterant. His enim parari poterant alia aut minus. At si Gomer robustis & imbecillis, viris & pueris, his superesse, aut illis deesse debuit. Concoctio enim & vis nutritiva non erat utrisque eadem. Alia corpora largius, alia parcius cibari postulant. Responderi potest cibum illum valde alibilem pro mensuræ istius quantitate satis fuisse robustis: eoque superfuisse minus valentibus. Collectum non videntur præfecti ad id publice constituti dimensi esse sed patres familias: ad quos allatum, quod ad colligendum missi paraverant. Miraculum igitur in eo est, quod nil superfuerit nec defuerit collectioni cuique pro capitibus in quavis familia: non opus est miraculum ponere in exsaturatione cujusque ex ejusdem quantitatis mensura. Nam sive in commune pro familia aut mensa (quod potius videtur) aut unicuique suum Homer appositum fuerit. Miraculum quod in cujusque domus collectione majus minusve portione debita non fuerit è dimensione per Gomer inventum: angelo Dei addente aut demente minori & majori, ללקטו / collectioni.

II. Nihil relinquendum erat in crastinum. Poterat superesse, quia robustum valentemque explere poterat Gomer. Hinc invalidioribus relinquebatur de suo demenso. Non licuit patrifamilias reponere nec asservare reliquum. Aben-esdras: *Sensus, quod non essent relicturi ex eo in cibum crastini diei, sed confiderent in Deo, quod cras descensurum esset. Nam non præceperat ipsis, ut totum Gomer comederent: sed si reliquum esset ipsi, quod non posset comedere, projicere debuit extra tabernaculum.* Quidam interpretes dicunt residuum datum fuisse animalibus, canibus, bobus, asinis, equis &c. Hoc sane verosimilius, quam quod Judæi dicunt apud Rasi, Manna in campo relictum, & sole incalescente liquefactum, in rivos vertisse, è quibus biberint cervi & capreæ & populi mundi & agnoverint quæ præstantia esset Israelis: scilicet *tepescebat lingua, tepefiebant per solem incalescentem & tepefacientem.* Quidam (pauci scilicet, ut annotat è textu Aben-esdras, Rasi è fabulis Judaicis Dathan & Abiram fuisse vult) in crastinum asservarunt. Illud autem cum fætore in vermes efferbuit. Altero hoc miraculo circa collectum manna puniebat Deus diffidentiam & contumaciam.

III. Ut die sexto duplum colligerent. Hoc præceptum dedit Deus vers. 5. Non exprimitur, quod Moses enuntiaverit id populo: patet tamen enuntiatum esse. Nam præsides populi, qui id habebant muneris, ut per partes populi denuntiarent dictum Mosis & curarent impleri, nunciant Mosi, de duplici collectione quod mandaverat, præstitum esse. מִשְׁנֶה *duplum.* Medras Aggada apud Rasi: *Panis* (משונה) *ut sit* נשתנה *mutatus in Sabbato* (Sic puto legendum esse nempe לשבת pro לשבח) *odore & sapore.* Rasi & Aben-esdras dicunt Mosen præcepisse, ut duplum colligeretur die sexto, sed non pronuntiasse, quorsum duplum esset colligendum. Id igitur inquisitum veniunt præpositi. Videtur existimare, quod Moses פרשת שבת sciverit sed non enuntiaverit: Nempe vim verborum v. 23. (*Hoc est quod locutus est Dominus, Sabbatum, Sabbatum sanctitatis Domini cras est*) esse hanc: Olim dixit mihi Deus, quod vos teneamini otiari crastino die: Ne fa-

ciatis

ciatis opus, אפילו אוכל נפש *etiam non cibum animæ*, id est, vitæ sustentandæ necessarium.

Jubet ut eo die edant, quantum liberet, coquerent, elixarent & quocunque esset modo libitum, pararent: residuum in crastinum reponerent. Hic tertium miraculum erat: Repositum ut aliis diebus non computruit. Hoc miraculum fuit cessatio secundi miraculi. Quod supererat de mensuris diei sexti, una cum mensuris Sabbati durare potuit in Sabbati diem. Non dubito, si aliquid inter diem septimam & primam feriam reponere voluissent, id quoque in vermes & fœtorem vertendum esse.

Ipso die Sabbati (ut videtur) locutus est ad populum seu ejus præsides: nempe quo tempore, ut monet Rasi, soliti erant exire castris ad collectionem. Dixit: Edite id hodie, nempe asservatum ex hesterno die. Hodie Sabbatum est, in agro nil invenietis. Notat Abenesdras quosdam חסרי אמונה hinc colligere quod Sabbatum incipiat ab exortu solis & in sequentis diei solem orientem desinat: quia matutino tempore illius diei sole jam orto, dixerit: *Hodie Sabbatum est* &c. Sed de eo alibi. Existimo Mosen solicitum pro populo & sabbato Dei ipso summo mane ad se vocasse præsides, iisque solicite præcepisse, ne Sabbatum violarent. Nam primum Sabbatum, quod nondum usu receptum, exigebat diligentem curam, ut posset introduci. Aben-esdras putat non dixisse die præcedenti, qui erat ערב שבת quod Manna non esset descensurum Sabbato. Quartum igitur circa manna præceptum fuit, ut non exirent ad colligendum die Sabbati. Sed hoc ad Sabbatum referri debet. Circa Manna ultimum & quintum præceptum erat ut Gomer ejus servaretur in posteros, in perpetuam rei memoriam.

Inobedientia & incredulitate quidam de populo, ipso illo Sabbati die castris exiere ad colligendum manna. Illi nihil invenere & factum male habuit Mosen. Dixerat enim Deus utrumque & abjectionem ejus quod superesset è demenso diurno & non egressionem ipso die Sabbati fore tentamini, an populus Dei legem in se reciperet. Autor כלי יקר: כל זה נאמר על מרת הבטחון Idem: *Man istud erat cibus spiritualis, omnes qui id edebant, liberi erant à duobus impedimentis. Si essent foris: non erat opus redire ob illud, sed unusquisque inveniebat cibum suum, quolibet die ad ostium tabernaculi sui. Si intus: quod quia fuerit cibus mundus & purus ab omnibus, pollutionibus liber esset. Magistri b. m. vocant cibum potentium* (אבירים) *quod angeli ministerii eum edant: quamvis ejus non sit illorum, tamen cibantur è splendore majestatis: Et hæc est pars Spiritualis, qua erat in Manna: quod fuerit in ea splendor etiam è spiritualitate. Et aspectus ejus secundum aspectum bdolah splendens & splendere faciens, nec erat in ea quicquam pollutionis: propterea absorpta est in Abarim, & in hoc cessarunt duo impedimenta.* Burgensis addit. ad caput. XVI. Exodi: *Inter Hebræos magna autoritatis antiquos fuit disputatio super manna in quodam libro Thalmudico, qui dicitur Ioma. Quidam enim eorum, qui dicitur R. Aquila aliàs Aquiba exposuit illud verbum ly panis Angelorum sicut sonat, dicens quod homo Israëlita manducavit panem, quem angeli comedunt, Alius vero, qui dicebatur R. Ismael, improbavit eum dicens, quod angeli non comedunt cibum corporalem. Moderni vero, ut R. Moses Gerundensis & alii sustinent opinionem R. Aquiba, dicentes, quod angeli reficiuntur in lumine Divino: & quod manna erat de isto lumine: quod quidem lumen fuit incorporatum ex voluntate Divina & factum manna. Et sic Angeli & Israëlita ex eadem re reficiebantur: scilicet angeli ex lumine Divino & Israëlita ex illo lumine incorporato. Et sic intelligunt illi, quod dicitur:* Panem angelorum manducavit homo: *ut habetur in glossa prædicti R. Mosis in hoc loco. Et licet hoc non verè dicatur de isto manna figu-*

sed figurate est tamen valde applicabile ad nostrum verum manna, scilicet sacramentum Eucharistiæ. In quo est verum lumen Divinum, ex voluntate Divina incorporatum. Ex quo scilicet lumine Divino, angeli in cælo reficiuntur & fideles in deserto hujus vitæ ex eodem lumine incorporato pascuntur. Quod si sic intellexissent, cessarent murmurationes eorum, contra prædictum sacrum sacramentum: dicentes quod penitus est impossibile & implicans. Unde de similibus intelligitur illud *Psalmi*: Noluit intelligere ut benè ageret. *Multa enim & similia de hoc manna ab eis dicuntur, quæ causa brevitatis omitto.* Risu transmitti potest illa Eucharistiæ exaltatio, ideò quod à Judaicis fabulis mutuetur transsubstantiationis confirmationem, quam non admittent cordatiores ex illa communione, quod mannam æquali loco ponat cum Eucharistia, tanquam eadem luminis Divini in ea fuisset incorporatio ut loquitur.

De Mannæ asservatione quæruntur tria. I. Cum Deus non contentus historia rei gestæ, quam Moses in literas retulit, mannam ipsam voluerit asservari in memoriam, An ideo faveat eorum consuetudini, qui reliquias asservant & in Ecclesiis suspendunt signa beneficiorum Divinorum & liberationum munificarum magnarumque? Rivetus: *Respondemus, Non eadem esse nostri rationem & populi sub pædagogia constituti: cui ut rudiori pluribus signis & adminiculis fuit opus. 2. Talia non fuisse asservata nisi ex Dei mandato expresso &c. 3. Dicimus aliud esse in locis religiosis appendere aut asservare signa beneficiorum Divinorum, aliud id facere, ut opera divina hominibus tribuantur, & creatura in locum creatoris substituatur. Nam si quis exempli gratia, hostium insignia in bello capta templis appendat*, ut probet se victoriam Deo tribuere, aut tale quid sine superstitione instituat, non culpamus: ita tamen ut semper distingui velimus ea quæ Deus jubet, ab iis, quæ, quamvis bono zelo & aliquando non incommode ab hominibus usurpantur. Sed diligenter cavendus est abusus, ne idem accidat istis rebus, quod Ephod Gedeonis &c. II. Nondum illo tempore tabernaculum erat aut arca, quomodo igitur id fieri potuerit, quod Moses narrat v. 34. Aaronem reposuisse ante testimonium reservandum? Anteà dixerat ponendum esse *ante Deum.* Augustinus qu. 61. in Exodum: *Quæri potest ubi Aaron poneret ante Deum, quando nec ullum simulachrum fuit nec arca testamenti jam fuerat instituta? An forte ideo de futuro dixit repones, ut intelligeretur tunc ante Deum posse reponi, quando futura erat arca? An potius ante Deum dictum est, quod fit ipsa devotione offerendi, in quocunque loco poneretur: ibi enim est Deus? Sed illud quod adjungit* Et reposuit *Aaron* ante Testimonium ad reservandum, *priorem magis sensum asserit. Hoc enim modo scriptura dixit per prolepsin, quod postea factum est, cum esse cœpit tabernaculum testimonii.* III. Ubinam reposita fuerit urna mannæ? Nam ante arcam videtur posita fuisse non in arca, cum hic dicatur לפני יהוה & לפני העדות. Atqui Apostolus Heb. XI. 4. in ipsa arca videtur ponere. Rursum 1. Reg. VIII. 9. nihil in arca fuisse dicitur præter tabulas legis. Aben-esdras לפני יהוה exponi dicit per לפני העדות. *Ecce,* ait, *expositio* ꝰ Ante Dominum, *est* Ante testimonium: *quod est arca & vocatur arca testimonii, propter tabulas fœderis, quæ in eo fuerunt.* Rursum: *Et sensus,* Ante Dominum, *propter gloriam, quæ fuit super Cherubinis.* Rasi: *Ecce ipsum* coram domino *est* coram arca: nec est dicta scriptura hæc usque dum ædificatum est tabernaculum, nisi quod scripta sit hic in parasa Mannæ. Riveti accuratam diatriben hoc in loco exhibeamus: *Quæritur, An ita fuerit in tabernaculo reposita urna ut in ipsa arca inclusa fuerit? Ratio dubitandi est quia id videtur innuere Apostolus cap. 9. Epist. ad Ebræos:* In qua urna aurea habens manna & virga Aaron, quæ germinavit, & tabulæ fœderis. *Immediatè autem locutus erat de*

arca, ad quam referri videtur relativum. Hæc tamen non videtur reposita fuisse in ipsa arca sed coram arca & juxta illam: quod etiam certum videtur ex cap. 8. 1. lib. Regum, v. 9. Nihil erat in arca præter duas tabulas legis, quas collocaverat ibi Moses in Horeb &c. *Quæ eadem verba repetuntur 2. chronis. 5. v. 10. Hæc cum existimaret Cajetanus cum Epistola ad Hebræos non posse conciliari, inde etiam argumentum duxit ad illius autoritatem infringendam. Huic difficultati ab iis, qui nodum ita non secant, (quod etiam fieri non debet) duobus modis occurritur. Sunt enim qui concedant, in arcâ non fuisse propriè, ubi fuerunt tabulæ legis quià ideò constructa fuit, ut esset quòddam legis archivum seu tabularium, unde &* arca testimonii *fuit appellata, ut diximus; & locum Epistolæ ad Ebræos, ità intelligi debere, non quasi hæc omnia fuissent in arcâ, referri enim debere relativum illud fæmininum* ἐν ᾗ in qua, *non ad proximum antecedens,* τὴν κιβωτὸν; *sed ad remotius,* σκηνὴν, tabernaculum; *& vertendum esse* in quo, *tabernaculo nempè; aut saltem intelligendum, etiamsi interpretes servarint genus relativi Græci, quod aliquando fieri, exemplis docet Ribera, cui hæc probatur interpretatio; quæ etiam placuit Tremel. & Iunio, in locum 1. Regum, supra citatum. Id se olim etiam probasse dicit Drusius, qui etsi aliam conciliandi rationem afferat,* fortassè commodiorem, *ut dicit, non sibi tamen satisfacit. Et certè prima illi sententia de relativo, ad superius antecedens* σκηνὴν *relato, obstat, quod de eadem, non* σκηνῇ, *sed* κιβωτῷ, *dicitur immediatè,* ὑπεράνω δὲ αὐτῆς. Supra hanc autem, Cherubim gloriosi obumbrantes propitiatorium: *quod certè de tabernaculo dici non potest, quià verum non esset. Aliam igitur solutionem afferunt, quæ ea est quam Drusius dicebat* fortasse commodiorem; *certè* minus coactam; *quàm etiam Ribera vidit; illud* in *apud Paulum, pro* cum *accipi, non quod hæc omnia fuissent intra arcam, quod ex locis allatis refellitur, sed quod fuerint unà cum arcâ. Particula enim* ב *quam reddunt per* in, *aliquando significare* ad, propè, juxtà, *ut Ios. 14. 11. & Iudic. 18. 12. Ergo* in qua, *esse* ad, *vel* juxtà quam. *Nam juxtà arcam erat urna cum virgâ Aaronis. Verum objicitur, non videri conveniens, ut particula illa aliter accipiatur, ubi de arca agitur, quam ubi de aliis, quia in tribus illis repeti debet. Ergo si,* in quâ erant tabulæ, *significet, tabulas fuisse proprie intra arcam, aliter non poterit intelligi, ubi agitur de mannâ & virgâ Aaronis.*

Sunt igitur alii, qui tempora distinguunt, & dicunt intra arcam fuisse hæc omnia tempore illo de quo loquitur Paulus; nempe cum primum constructum fuit tabernaculum, & quamdiu arca illa cum Tabernaculo deferri debuit per desertum: Tunc enim, cum locum commodum non haberent ad ista collocanda, cum instabile & vagum esset tabernaculum, ea reposuisse in arcâ cum tabulis legis, ad quas propriè pertinebat hic locus: sed cum posteà extructum fuisset Templum, id est, stabile tabernaculi & arcæ Domini domicilium, & spatium fuit datum in quo potuerunt esse capaciora repositoria, tunc sola lex mansit intra arcam reliqua juxtà illam suo loco fuerunt disposita & asservata. Apostolum ad Ebræos loqui de situ tabernaculi ambulatorio: Librum Regum autem de stabili Templo, quo tempore res in ordinem commodiorem erant redactæ. Sed non caret etiam suis difficultatibus hæc sententia, quia locus quem interpretamur, ostendit, Vrnam ab ipso Aarone, jubente Mose fuisse servatam, non in tabernaculo, *ut vertit vulgata, etsi id verum sit; sed* coràm Testimonio. *Testimonium autem est ipsa arca, quæ ita appellatur metonymicè, propter testimonium quod continebat.* Si coram testimonio, *non ergò intrà ipsam arcam: Vnde in mandato Dei dicitur,* repone coràm Jehova, *id est, coràm arcâ, quæ erat symbolum Iehovæ. Neque etiam qui varias illas repositiones intrà & extrà imaginantur, habent aliquod solidum sententiæ suæ fundamentum sed vaticinationem tantum suam. Cui etiam illud obstat, quod arca satis angusta fuerit, utpote quæ longitudinis duos tantum cubitos habuit*

buit & semissem; quæ non videtur sufficiens ad continendum baculum illum pastoritium, quo usi sunt Moses & Aaron. Simplicius igitur existimo, si dicamus, præpositionem in, *latè accipi, non solum pro ipsa arcæ interna capacitate, sed etiam pro spatio adjacente extra arcem. Habuit enim arca latera sua, quæ videntur ita accommodata fuisse, ut quædam etiam in eis potuerint collocari. Nam de lib. Deut. legimus cap. 31. 24. quod positus fuerit in latere arcæ;* Postquam ergo, *inquit autor,* scripsit Moses verba legis hujus in volumine, atque complevit, præcepit Levitis, qui portabant arcam fœderis Domini, dicens, tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ Domini. *Neque obstare debet quod objiciunt, in ubique sumi debere eodem modo. Ut enim id concedamus, sequetur tantum, in ubique accipi communi & generaliori significatione, pro iis quæ sunt in eodem loco, etsi nonnulla intimius alia autem non ita. Quia enim omnia illa cum arcâ portabantur, eique adhærebant, in arca fuisse dicuntur, quæ solutio mihi videtur simplicior; si qui sint tamen quibus non satisfaciat, eligere poterunt eam, quam commodiorem judicabunt, modò non præjudicent autoritati Scripturæ, & omnia rectè concilient; non autem divellant.* Ita Rivetus interpretatur sententiam Bezæ, qui ita in Heb. 9. 4. *Nam quod Mannam & virgam Aaron videtur arcæ includere cum tabulis lapideis, commodè interpretandum est. Neque enim manna & virga arcam ipsam erant, sed proximè arcam, ipsique adeo commoda aliqua ratione adjuncta: quum non legatur Dominus jussisse, ut in arca includerentur, sed ut coram se, id est, apud arcam fœderis collocarentur, Exod. 16. 34. Num. 17. 10. 1. Reg. 8. 9.* Ilammedenu: *Unde fuit, quod dicebat Simeon filius Iohai: Non est data lex ad inquirendum nisi edentibus Man. Quoniam non erat ipsis opus neque ad opus neque ad mercaturam. En exempli gratia, sedet & inquirit: nec scit unde edat & bibat. Ecce non est data lex ad inquirendum nisi edentibus Man & secundi ab ipsis sunt, edentes Thrumam.*

Priusquam autem Mannæ considerationem finiamus, notanda est Hugonis Grotii credulitas, qui hic aurem accommodat Judæis nugatoribus. Cum quærerent (uti putat) & ignorarent quid esset manna, vult ipsos miratos esse Vau literam Mannæ inscriptam. Inde miraculum auctum esse multiplicatione collecti, corruptione asservati, deliquio ejus in sabbato, sapore minime vulgari. Sic etiam in notis ad Sapientiæ cap. XVI. 20. notat saporem fuisse velut ex omnibus saporibus optimis temperatum. Rejicit autem lectorem ad ea quæ dixerat ad Exod. XVI. 31. צפיחית interpretari de oryza ineptum est: Grotius tamen non improbat. Sane illius notæ in V. T. spirant summam negligentiam: ego arbitrarer à typographis ex annotationibus tanti viri ad Biblia sumptas ut scriptæ erant confusa & prima cogitatione, sine judicio & lima ulteriori: at video præfationem autoris, qui à se recognitas esse & judicatas profitetur.

Miraculum quartum in Manna suprà tria superius notata, fuit asservatio integræ per tot ætates & secula. Quintum quod ceciderit illis locis, ubi erant Israëlitarum castra, eosque sit comitatum usque ad fines Canaan.

Asservarunt in vase quodam, quod apostolus χρυσοῦν *aureum* appellat. Vos autem in Hebræo textu appellatur צנצנת. De eo Ilammedenu (ex eodem, uti videtur, Simeone) Et dixit Moses ad Aaronem: Sume צנצנת unam & pone in ea plenitudinem Gomer Mannæ] *Ego nescio, è quo fuerit, sive ex argento, sive ex auro, sive ex ferro, sive è cupro. Significat* (חל) צנצנת *non dixi sed rem obsignatam à socio non invenies nisi vas testaceum.* Et pone in ea plenitudinem Gomor Mannæ] *R. Eleazar dicebat in generationes. R. Eliezer, ad dies Messia. Nam quo tempore dicebat Ieremias Israëli: Cur vos non occupamini in lege, dicebant ei, si nos occuparemur in lege, unde aleremur. Eodem tempore producebat ipsis,*

ipsis urnam manna & dicebat ipsis [Jerem. 2. 31.] O Generatio: Vos animadvertite verbum Domini: Nonne desertum fui Israëli aut terra caliginis? Quare dicunt populus meus, dominamur, non veniemus amplius ad te? *Patres vestri, quando operabantur in lege, viderunt unde alerentur: etiam vos operemini in lege & ego ex hoc vos cibabo. Hoc unum est de tribus rebus, quas restituet Elias. Vrnam sc. Manna & parapsidem olei unctionis & scutellam aquarum.* Quidam dicunt, etiam baculum Aaronis cum amygdalis & floribus &c. Vocem צנצנת reddit uterque Chaldæus צלוחית. Non potest sciri, quandiu manna reservatum sit, nec quando aut quomodo esse de sierit. Philo & Josephus non meminerunt asservationis, meminerunt tamen quadraginta annorum cibationis miraculosæ per manna. Philo admodum prædicat, ut & prædicatione digna res fuit: *λέξω δὲ καὶ τὸ ἔτι τούτου θαυμασιώτερον· ἐπὶ γὰρ ἔτη τεσσαράκοντα· τοσοῦτον μῆκος αἰῶνος ὁδοιπορούντων αὐτοῖς, αἱ χορηγίαι τῶν ἀναγκαίων ἐν τάξεσι ταῖς εἰρημέναις ἐγίνοντο, καθάπερ ἐν σιτηρεσίαις μεμετρημέναις πρὸς τὰς ἐπιβαλλούσας ἑκάστοις διανομάς.* Mirari subit negligentiam Josephi, qui non notavit Mannæ distributionem introduxisse usum diei Sabbati, quem Deus eo tempore primum instituit. Philo: *Ἅμα μὲν ὅτι καὶ τὴν γενέθλιον ἡμέραν. ζητοῦντες γὰρ ἐκ πολλοῦ τίς ἄρα ἡ τοῦ κόσμου γενέθλιος, ἐν ᾗ τόδε τὸ πᾶν ἀπετελέσθη, καὶ παρὰ πατέρων καὶ προγόνων τὴν ζήτησιν ἄλυτον διαδεξάμενοι, μόλις ἠδυνήθησαν εὑρεῖν οὐ μόνον χρησμοῖς ἀναδιδαχθέντες, ἀλλὰ καὶ τεκμηρίῳ πάνυ σαφεῖ. τοῦ γὰρ πλεονάζοντος ἐν ταῖς ἄλλαις ἡμέραις, ὡς ἐλέχθη, φθειρομένου, τὸ πρὸ τῆς ἑβδόμης ὑπομένον οὐ μόνον οὐ μετέβαλεν, ἀλλὰ καὶ μέτρον εἶχε διπλάσιον.* Veteres illos nescivisse diem quo cessavit Deus ab opere creationis, non est verosimile. A Patribus per manus traditum esse credendum. Non quidem feriatum, sacra quiete: attamen cultui divino destinatum ex ordinis & decori ratione; idque Dei instituto & præcepto.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

CAP. XXVI.

Inde progressus populus cum aquæ penuria tentaretur, agrè ab exitio ducis temperabat. Tum Moyses mandante Domino apud locum, cui Oreb nomen est, virga petram percutiens, largè aquæ copiam fecit. Sed ubi Raphidim perventum, Amalechitæ populum incursionibus vexabant. Moyses suis in prælium eductis, cum Iesum bellantibus præfecisset, assumpto Aaron & Ur, spectator pugnæ futurus, simul precandi Deum gratia montem conscendit. Sed cum dubio eventu acies concurrissent, Moysi precibus victor Iesus, hostes in noctem cecidit.

Per

Per idem tempus Iethro Moysi socer; cum filia Sepphora, (quæ Moysi nupta, proficiscente in Ægyptum viro, domi resederat) liberisque ejus, cognitis rebus, quæ per Moysen gerebantur, ad eum venit. Hujus consilio Moyses ordines populi distribuit, tribunos centurionesque & decuriones præficiens, necessarium disciplinæ ritum posteris tradidit. Iethro in patriam regressus.

DRUSIUS.

INDE] Ex deserto Sin: unde digressus populus venit in Daphca: inde in Alus: ab Alus demum venerunt in Raphidim undecima mansione. Num. 33. 12.

ÆGRE AB EXITIO TEMPERATUM] Parum aberat, quin eum lapidarent.

ADIIT LOCUM, CUI OREB NOMEN EST] Scribendum Horeb vel Choreb. Nam in libris Græcorum χωρήβ. Qualia sunt Hermon & Chermon, Hebron & Chebron. Sic Rahab & Rachab. Horeb autem nomen loci esse videtur. Nam Exod. 17. 16. *ecce ego sto ibi super petram in Horeb.* Sensus est, *qua in Horeb.* Quanquam alii referant, *in sicco.* Ut ut sit, scribendum Horeb cum aspiratione. Nam Oreb leniter scriptum aliud est. Quæ Moses apertè dist:nxit, ea non sunt confundenda, meo judicio.

SED UBI RAPHIDIM PERVENTUM] imò anteà, cum aquam ex petrà excuteret Moses, in Raphidim erant. Vide Sigonium. Eusebius de locis, *Raphidim locus in diserto juxta montem Horeb.* Forte petra Horeb hinc nomen habuit; ut petra intelligatur, quæ in monte Horeb. Hoc pono, non statuo.

POPULUM INCURSIONIBUS VASTABANT] Sigonio magis arridet, *vexabant:* idem mihi quoque placet præ illo, *vastabant.*

CUM JESUM BELLANTIBUS PRÆFECISSET] Jesum vocant post Græcos interpretes, qui ab Ebræis Josua dicitur. Sic Josua filius Josedec ab iisdem Græcis Jesus nuncupatur. Unde perspicuum, quod multi nimis impudenter negant, Jesus & Josua unum idemque nomen esse.

ET UR SPECTATOR] ponendum comma post Ur, ut sit *Aharon & Vr,* vel potius, Hur, *spectator,* &c. prius erat in vulgatis & ut spectator. Hoc mendum ante me Sigonius notavit. Omninò scribendum *Aharon & Hur.* Nam est חור in scriptura Ebraica cum Heth in capite. Maritus erat Mariæ sororis Aharon & Mosis, qui Ωρ à Græcis dicitur, quod similiter aspirandum Hor. Quanquam ambiguitas aliqua in hac scriptura. Nam Hor cum aspiratione simplici nomen est montis. Hoc loco Hor aspirationem habet geminatam, quem duplicem appellat Hieronymus. Prior, He vocatur ab Ebræis, altera Heth sive Cheth. Vide sequentia.

MONTEM CONSCENDIT] collis erat non mons, quem Moses גבעה dicit, Græci autem βουνὸν reddunt. Exod. 17. 10. *Καὶ Μωυσῆς, καὶ Ἀαρὼν καὶ Ωρ ἀνέβησαν ἐπὶ τὴν κορυφὴν τοῦ βουνοῦ.* Est autem βουνὸς collis. Lexicon vetus. *βουνός, tumulus, collis.* Chaldæi Ramatha vocant, quæ vox locum altum significat.

DUBIO EVENTU] modo his modo illis vincentibus.

MOYSI PRECIBUS] pro Moysis, ut Achilli pro Achillis, quæ est antiqua declinandi ratio, qua dandi casum in talibus pro generandi ponebant. Sic Ulyssi dicebant pro Ulyssis. Sic Themistocli fuga, Aristoteli discipulus, Theophani consilia, Arriobarzani filius: quæ exempla magna ex parte extant apud Ciceronem, ut observavit olim Victorius. Vide castigationes ejus, pag. 46.

pag. 46. Apud Augustinum de doctrina Christiana lib. 2. cap. 8. reperitur etiam Moyses, Græca declinatione nominis. Similiter Moseos impunitam linguam dixit Faustus Manichæus, ut habetur in iis quæ idem Augustinus contra eum scripsit, lib. 14. cap. 8.

Hostes In Noctem Cecidit] usque ad noctem, ut cap. 24. *in rubrum more illati sunt:* & mox, *populum via errore in objectum mare devenisse.* *Sic bibere in diem*, exponitur usque ad diem. Cæterum quamdiu Moses manus attollebat tam diu hostes cadebant. Attollebat Aharone & Hur eas fulciente, usque ad occasum solis, Exod. 17. 12. quo tempore vespera incipit. Noctis ergò vocabulo vesperam comprehendit, ut contra per vesperam nox significatur, Gen. 1. 3. & alibi.

Per Idem Tempu:] incertum quando Jethro venerit ad Mosen. Quidam ante datam legem, alii post venisse tradunt. Priorem sententiam tuetur ex Ebræis R. Saadia, ex Nostris Nicolaus de Lyra, ad quem te adire velim. *Cum enim*, inquit, *mons Sinai non longe abesset à terra Madian, ut patet ex cap. 3. Exodi, non est credibile aut verisimile socerum audita magnificentia generi per annum tardasse venire ad ipsum.* Posteriorem defendit Aben-esra scribens eum venisse primum anno secundo post latam legem. Quod probat primum ex verbis quæ habentur, Exod. 17. 12. *Obtulit ergo Iethro socer Mosi holocausta & hostias.* Deinde quià non legimus extruxisse novum altare. Postremò quia scriptum, Exod. 17. 16. *nota facio præcepta Dei & leges ejus.*

Jethro Mosi Socer] alibi est, *ex filiis Hobab soceri Mosis.* Dicebatur & Jether, sive, ut antiqui legebant, Jothor. Inde factum Jethro, addita littera ex nomine Tetragrammato, quæ honoris ergò accessit, cum jam proselytus factus esset, ait R. Salomo: qui etiam scribit eum septem nomina habuisse. Raguel, Jether, Jethro, Hobab, Heber, Cinæus, Phutiel.

Sephora] scribo, Sepphora. Nam Sephora eo minus se mihi probat, quod unà ex obstetricibus Ægyptiis ita nominetur in editione Hieronymi. Vide quæ supra notata sunt.

Domi Resederat] imo domum remissa fuit ex itinere. Notum hoc ex historia, quam si diligentius & cum majore cura legisset Sulpicius, hæc & alia quædam paulo aliter scripsisset.

Ordines Populi Distribuit] hi magistratus erant singularum urbium, qui minores causas populi tractabant. Suberant autem principibus tribuum, quos Græci φυλάρχους vocant. His omnibus præerat rex sive dux aut judex. Vide Carolum Sigonium de repub. Ebræorum lib. 7. cap. 1. & deinceps. Cæterum in castris Israëlitarum cum hi ordines distribuerentur, tribuni erant 600. centuriones 6000. semicenturiones 12000. decani sive decuriones 60000. notavit R. Salomo cognomine Pharsandatha, hoc est interpres legis. Sic audit vulgo apud suos.

Tribunos Centurionesque] χιλιάρχους καὶ ἑκατοντάρχους. Omisit semicenturiones, quos nonnulli quinquagenarios appellant ut Græci πεντηκοντάρχους.

Decuriones] hos interpres Latinus decanos appellat, & Græci δεκαδάρχους. Nomen acceperunt à numero eorum, quibus præerant, præcipuus autem horum usus fuit in bello. Sed & in urbe jus reddebant, & causas leviores decidebant. Lex. Græcolat. vetus, δέκαρχος, *decanus*, δεκάρχης *decurio*, δεκάπρωτος. *decem primus*: & Lat. Græc. *decuriones*, δεκάπρωτοι. In castris Romanorum, qui decanus erat, dicebatur alio nomine *caput contubernii*.

In Patriam Regressus] in urbem Madian, juxta Arnonem & Areopolim, quæ erat patria ipsius. Est enim patria, ut Nonius Marcellus censet, urbs,

urbs, vel civitas parentum. Hiero. de locis Actorum. *Madian civitas juxtà Arnonem & Areopolim, cujus nunc ruina tantummodo demonstrantur ubi Moyses apud Iethro socerum suum exulabat.* Eadem scribit Eusebius. Aut novè dixit in patriam pro in terram Madian, ut Virgilius,

——qui sanguine nobis
Hanc patriam peperère suo, de Latio.

SCHOTANUS.

HIc gesta in Raphidim & ad Horeb narrata Exodi capp. XVII. XVIII. In capite XVII. duo; aqua è rupe & pugna cum Amalec. Universa congregatio filiorum Israël dicitur è Sin advenisse in Raphidim in textu, *juxta os domini:* Aben-esdras explicat ביד משה vide Num. 9. 18. & Exod. 13. 21. Rivetus: *Existimarem in unaquaque mansione etiam speciali revelatione Mosen fuisse à Deo edoctum, qui postea populo exponebat Dei mandatum.*

CUM AQUÆ PENURIA TENTARETUR] Josephus causas duas penuriæ assignat, quod præcedentibus diebus raros fontes invenissent (*πίδαξιν ὀλίγαις ἐντυγχάνοντες*) & quod in locum aquis carentem (*γῆν ἄνυδρον*) devenissent. Hac occasione nata est quarta populi murmuratio. Observat Rivetus populum gradatim adversus Mosen incanduisse. Primò contendisse & litigasse verbis & aquam petiisse ad bibendum. 2. Murmurasse & 3. seditionem concitasse. Tandem ea egisse, unde metueret sibi Moses, ne lapidibus eum obruerent. Judæorum magistri ferunt in manna fuisse, quod sitim & famem sedaret essetque loco potus & alimenti simul. Sed hoc ineptum est. A Mose flagitant sine fiducia & imploratione Dei, per importunitatem. Dicit in Mose eos Deum tentare. Nempè (ut exponit Rasi) an in terra siticulosa posset aquam dare. Admodum aggravat Scriptura crimen eorum. Si modèste petiissent à Deo, in aquæ defectu, nihil fuisset aberratum. Sed importune ex impatientia flagitant & per diffidentiam. Adjuncta fuit summa ingratitudo qua exprobrant liberationem tanquam malefactum. Aben-esdras existimat populum fuisse scissum in duas factiones, idque ex eo quod in textu habeatur מרב העם non (ut superius) כל העם. Verba ejus: *Meminit populi non totius populi, ut in negotio Manna. Fuerunt enim duæ factiones. Vna non habebat aquam ad bibendum fecitque* (מריבה) *contentionem cum Mose: altera habuit aquas, quas extulerat ex Alus, voluitque tentare Deum, an daturus esset aquas, ut exponam.* Textus: Date nobis aquam: Aben-esdras; *Loquuntur* ad Mosen & Aaronem, nec opus erat exprimere Aharonem: quia jam exposui, quod Moses non sit locutus ad Israëlem *nisi ministerio Aaronis.* Et ecce respondet: Quid rixamini mecum, clamemus omnes ad Deum: & dixit tentantibus, Quid tentatis Dominum? Textus: ויצמא שם העם למים] Sensus est: Siti coactum populum desiderasse aquas: eoque penuriam adegisse, ut impotentius sæviret. *Venter caret auribus.* Nullum telum violentius est fame ac siti.

Moses (*τὴν ὁρμὴν τοῦ πλήθους πρὸς μικρὸν ἐκκλίνας* ut est apud Josephum) precibus ad Deum se convertit. Textus verba Dei ad Mosen ita refert: Quid faciam populo isti, parum abest, ut me lapident. Rasi: Si exspectem paulisper lapidabunt me. Aben-esdras, *Loquitur Scriptura* [דרך משל] *Quia multi litigia instituunt mecum & murmurant adversus me. Et si esset in ipsis potestas, lapidarent me.* Josephus orationem Mosis format, quod petierit à Deo ut daret διαφθειρομένοις aquas potui, escam suppeditaverat. Cibum enim sine potu

 nihil

nihil esse, τῆς ἐπὶ τροφῇ χάειλος, πλὴν μὴ παρόντος, ὕδωρ. Deus respondet: *Transi ante populum: cape tibi è senioribus populi: & virgam tuam, qua percussisti fluentum cape in manu tua ito.* Transi ante populum: Rasi: *Vide an te sint lapidaturi:* Cur protulisti obtrectationem contra filios meos? Abenesdras: Propterea quod dixerat, adhuc parum & lapidabunt me, dicit ipsi Deus: Transi ante populum litigantium tecum, ad notificandum, quod aquas ipsis nunc daturus sis. *E* Senioribus Israël] Rasi: *In testimonium, ut videant, quod ministerio tuo aqua exeant & non dicant, fontes fuerunt illic à diebus antiquis. Dicit idem: Quod illud dictum Dei* (Qua percussisti fluentum) *significet, quod Israël dixerit de baculo isto, quod non esset aptus nisi in pœnam: quia vapulavit Pharao & Ægyptus multis plagis in Ægypto & super mare. Ideo dictum, quo percussisti fluentum: illi dicebant de eo, quod ipse in pœnam. Videbunt nunc, quod etiam in bonum aptus sit.* Agadæ Judaicæ!

Dicit Deus: *Ecce me stantem coram te illic super petra in Horeb: percuties in rupe & exibunt ex ea aqua: bibetque populus.*

Horeb loci nomen est in quo Petra fuit. Moses jubetur, ut supra auditum, transire ante populum. Id est, populum non omnem omnino, sed maximam partem versus montem Horeb, in cujus parte Petra fuit, quæ aquam dedit. Nubes igitur (in qua Deus) se loco movit, jussus est Moses præire populum cum Senioribus, Rivetus: *Cur autem inspectante toto populo noluerit hoc Mosen facere (Deus) quæri potest. Si dicamus id voluisse Deum, ut ea ratione, aliqua ignominia notaret populum illum, velut indignum, quod admitteretur ad spectandam gloriam Dei, non videtur esse ratio conveniens. 1. Quia plerique ex senioribus non meliores erant promiscua vulgi multitudine. 2. Quia videbatur plurimum interesse, ut totus populus agnosceret id à Deo per miraculum factum fuisse* &c. Putat ad confusionem vitandam id Deum præcepisse. Non enim aquam debuisse profluere ex omnibus rupis partibus sed ex aliqua, ad quam angustior & difficilior esset accessus, quam ut tanta multitudo posset accedere ad eam: cui satis erat si rivus è rupe emissus flueret usque ad castra. Deus voluit in rupe consistere, quo se conferebat. An in nube illa conspiciendam exhibuit Deus figuram aliquam? Sic videtur. Nempe Mosi cum senioribus, qui aliquo intervallo populum antecesserant & soli circa rupem adstitere. Arbitror rupem illam fuisse in monte Horeb, & ex illa aquas profluxisse usque ad castra. Inter Raphidim & Horeb distantia est uti dicunt, quatuor millium. Facilis fuit exitus tanti intervalli. Deus non ex alia rupe, quam illa, quæ in Horeb, voluit aquas educere, quia Mons ille Divinæ præsentiæ fuit peculiari modo destinatus, è quo legem daturus erat. Mosis percussu rupes aquam affatim evomuit: tanquam si fontem uberrimum aperuisset. Celebratur in literis sacris passim id miraculum. Quidam rupem ipsam in aquarum latices vertisse arbitrantur è Ps. 114. 8. Ubi Vulg. *Qui convertit petram in stagna aquarum & rupem in fontes aquarum.* LXX. τρίψαλος. Sed Hyperbole poëtica est. Hanc arripiunt qui Eucharistiæ panem & vinum converti in substantiam carnis & sanguinis Domini docent. Quidvis enim illi arripiunt. Salianus: *Certe Genebrardus ex traditionibus Hebræorum 4. milliaribus ait abfuisse petram, à Raphidim, ubi erant castra, laudatque Mosen Nahmaniden dicentem, majorum suorum fuisse sententiam quod hic fons ex Horeb non modo instar fluvii aquas fuderit totis 40. annis, sed etiam illos comitatus sit perpetuo in deserto quocunque tandem demigrarent.* Idem: *Accedit, quod scribit Abulensis, quod sane velim antiquioris alicujus scriptoris autoritate firmatum:* Iste fons, *inquit*, qui tunc de petra, Dei beneficio speciali effluxit, usque effluere nondum cessavit, magnas aquas emittens, ita ut tota vallis

vallis irrigetur: & quæ antea aquarum penuria habitata non fuerat, tunc tota aquarum causa inhabitetur: diciturque vallis Moysi, quia ibi Moses percussit silicem ut aquas emitteret. *Sic ipse & confirmat 20. Num. qu. 3. & 4. & citat librum de situ terræ sanctæ. Quæ mirum est ab Hieronymo, Philone, Iosepho, Epiphanio, Genebrardo & omnibus, qui vitas Patrum scripsere præterita vel ignorata. Adrichomius in istac regione valles 33. memorat in quibus nusquam vallis Moysis reperitur. Novum aliquem Rabbinum id inventum sapit.* Hactenus ille. Certum tamen est regionem illam nunc esse irriguam. Ex eventu Mosis loco nomen dedit Massæ & Meribæ, id est, tentationis & contentionis. In omnem memoriam posterorum criminis hujus & acerrimæ seditionis memoriam propagari voluit: quam ipsis sæpe Deus exprobrat.

Josephus rupem illam fuisse dicit in conspectu, ἣν ἑώρων αὐτόθι παρακειμένην. Cum Moses Deum precaretur, fuisse ἐν σκοπῇ, in Specula: unde prodeuntem conspexerint, cum lætum à Deo responsum accepisset. Vocem eam cum admiratione accepisse, qua è rupe aquam pollicebatur. ὁ Μωσῆς πλήξειν τῇ βακτηρίᾳ κ) χανούσης ἐξέβλυσεν ὕδωρ πολὺ καὶ διαυγέστατον. Factum hoc esse innuit in conspectu populi οἱ δὲ τῷ παραδόξῳ τοῦ γεγονότος καταπλαγῆναι καὶ πρὸς τὴν ὄψιν ἤδη τὸ δίψ⊙ αὐτοῖς (sic lege pro αὐτῆς) ἔληγεν. καὶ πίνουσιν ἡδὺ κ γλυκύτατον ἅμα κ) οἷον ἂν εἴη θεοῦ τὸ δῶρον δόντ⊙. Mosen igitur admiratos esse ita honoratum à Deo: & Dei curam ac providentiam sacrificio excepisse: καὶ θυσίαις ἠμείβοντο τὴν τοῦ θεοῦ περὶ αὐτοὺς πρόνοιαν. Subjungit: Scripturam in templo repositam referre, quod Deus Mosi indicaverit ita à rupe emanaturam esse aquam: Ἐν τῷ ἱερῷ ἀνακειμένη γραφή. Nempe in templo custoditum fuit exemplar emendatissimum sacri codicis. Philo scribit Mosem τῇ ἱερᾷ ἐκείνῃ βακτηρίᾳ, δι' ἧς τὰ κατ' Αἴγυπτον ἀπετέλεσε σημεῖα, τὴν ἀκρότομον παίειν πέτραν. Cum autem id faceret θεοφορηθῆναι, Deo plenum fuisse. Causam investigat: Aquarum venas, quæ prius illic existerent, aut nunc eo derivatæ essent ictu aperto ore exitum invenisse, εἴτε προϋπαρχούσης πηγῆς φλέβα καίριον διακοπεῖσαν εἴτε καὶ τότε πρῶτον, ὕδατ⊙ ἀφανέσιν ὑπονόμοις εἰς αὐτὴν ἀθρόου συρρυέντ⊙ κ) σφόδρα ἐκθλιβέντ⊙ ἀναστομωθεῖσαν τῇ βίᾳ τῆς φορᾶς, κρουνηδὸν ἐκχεῖται. Notat etiam non tantum præbuisse remedium sitis sed & ad longum tempus tot hominum millibus ἀφθονίαν ποτοῦ. Quomodo autem: Τὰ γὰρ ὑδρεῖα πάντ' ἐπλήρωσαν, ὡς καὶ πρότερον ἀπὸ τῶν πηγῶν, αἳ πικραὶ μὲν ἦσαν φύσει, μετέβαλον δ' ἐπιφροσύνῃ θείᾳ ἐπὶ τὸ γλυκύ: *Hydrias enim omnes repleverunt, ut & prius è fontibus, qui natura amari cum essent, mutati sunt Divina providentia in dulcedinem.* Nescivit aut non animadvertit rivis novi fontis castra comitantibus copias Israëlitarum adaquatas esse. Miraculum videtur imminuere, ut fidem sacrarum litrarum narratio apud exteros inveniret. Quanquam illud vere dixerit naturæ opera, quæ videmus quotidie ortu suo ex eadem potentia provenisse & majora esse illis miraculis, quæ pro tempore facta fuerunt. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν πρὸς ἀλήθειαν ὄντα θαυμάσια καταπεφρόνηται τῇ συνήθει. Hebræi fingunt baculum illum Mosis fuisse ex Adamante (סמפירינון) id est, materia durissima. Hinc perforasse petram ictu: ideo dici בצור non על צור. Id Judaicæ subtilitatis est. Apostolus narrat Petram eos secutam esse, de quo in XX. caput, Numerorum fusius. Hoc igitur fuit secundi sacramenti extraordinarii alterum elementum, ut mensam Deus instrueret esca mannæ & potu aquæ. Hæc mensa fuit ἀντίτυπος Eucharistiæ à Domino institutæ in N. T.

Bellum cum Amalec hanc seditionem excepit. Ejus belli causam non refert Scriptura nec quis ille fuerit, qui ea tempestate in illo populo, rerum potiretur. Josephus dicit Amalecitas colentes Gobolitim & Petram bellicosissimos

earum nationem (quarum terminis Hebræi appropinquabant) excitatos fama rerum à Mose gestarum missis legatis per populos accolentes, monuisse satis tatis armorum, ut populum vicinis formidabilem ultrò aggrederentur & opprimerent in deserto, antequam occupatis urbibus & regionis habitatæ munimentis & commeatu potiti, validiores ad resistendum redderentur. Communi igitur consilio decretum esse ut viribus armisque junctis Hebræos adorirenter. Textus de solis Amalecitis loquitur. Multis principibus gubernatam fuisse gentem significat, multos reges βασιλεῖς illi attribuendo. Amalecitæ incoluerunt ab Hevila ad Sur. 1. Sam. 15. 7. conterminis Idumæis, quos à tergo claudebant Gen. 14. 7. Hæc Gobolitis alia est à Gebal de qua Ezech. 27. 9. Et 25. 83. Et 1. Reg. 5. 18. Nam Gebal fuit in Phœnicia sed Gobolitis, de qua hic, fuit pars Idumææ. Josephus lib. 2. cap. 1. scribit Amalecitas incoluisse τῆς Ἰδυμαίας τὴν γοβολῖτιν λεγομένην καὶ τὴν ἀπὸ Ἀμαλήκου κληθεῖσαν Ἀμαληκῖτιν. Constat enim Idumæam antiquitus late patuisse, ut Arabiæ partem longe maximam impleret. Unde & mari Rubro nomen, quasi Idumæum diceres. Philo de hac gente ejusque commotione in hunc modum: Ἤδη δὲ πολλὴν καὶ ἀπόρευτον διεξεληλυθότων, ὅροι τινὲς ἀπεφαίνοντο γῆς οἰκουμένης καὶ προάστεια χώρας, εἰς ἣν μεθωρμίζοντο. Ἐνέμοντο δ' αὐτὴν Φοίνικες. Ἐλπίζοντες δὲ βίον εὔδιον καὶ γαληνὸν αὐτοῖς ἀπαντήσεσθαι, γνώμης ἐσφάλησαν. Ὁ γὰρ προκαθήμενος βασιλεὺς πόρθησιν εὐλαβηθεὶς, ἀναστήσας τὴν ἐκ τῶν πόλεων νεότητα, μάλιστα μὲν ἀνείρξων ὑπηντίαζεν· εἰ δὲ βιάζοιντο, διὰ χειρῶν ἀμυνούμενος ἀκμῆσι καὶ ἄρτι πρῶτον καθισταμένοις εἰς ἀγῶνα κεκμηκότας ὁδοιπορίαις καὶ ἐνδείαις σιτίων καὶ ποτῶν, ὃ κατὰ μέρος ἀντεπετίθετο, *Cum jam multam eamque inviam pertransissent, termini quidam ostendebantur terræ habitatæ & suburbana regionis, in quam transponebantur: quam Phœnices incolunt. Sperantes autem vitam serenam & tranquillam sibi obventuram esse, opinione decepti sunt. Nam rex, qui præsidebat metuens populationem, excita ex oppidis juventute, potissimum arcendi animo, occurrit. Si vim facerent, per vim rejecturus integris & primum constitutis in certamen, fessos itineribus & penuria alimenti ac potus, quod alternis vexabat.* Non ita capio Philonem, quod Amalecitas partem Phœnices id est terræ promissæ incoluisse existimet, sed quod vicina sit ista regio terræ promissæ, προάστεια dicit τῆς χώρας εἰς ἣν μεθωρμίζοντο Arabiam Petræam incolebant Amalecitæ ut & cæteri Esaui posteri. Falsum est, quod Philo dicit, à populatione prohibiturum cum Amalecitis regem insedisse finibus. Ex improviso enim Israëlitas adortus in extremo agmine cecidit infirmos fessosque nullis injuriis lacessitus: cum illius fines agmen Israëlitarum præteriret. Deuteron. 25. 17. 18. Cum igitur se recollegissent & in orbem coëgissent Israëlitæ receptis in medium impedimentis & infirmis debilibusque ac sequiore sexu, Moses Josue, ministrum suum, rei bellicæ præfecit: qui electis instructisque copiis manum conseruit cum hoste. Philo dicit Josue, unum fuisse ὑπάρχων: atqui non lego ejus nomen inter Phylarchas, qui postea recensentur in libri Numerorum initio. Fuse admodum hoc prælium & Josue factum describit Josephus ex sua meditatione potius quam ex sacro codice. Narrat Mosen in improvisa nihil perterritum populum animasse, ostenso Dei favore qui adversus famem sitimque larga munificentia providisset, & viam per mare fecisset insperato effugio. Deinde convocatis phylarchis καὶ τοῖς ἐν τέλει monuisse omnes & singulos, atque ut juniores senioribus dicto obedientes essent. Israëlitas alacribus animis pugnam poposcisse, tanquam allaturam mali & miseriarum finem. Selecto igitur numero præfecisse Jesum. Hunc Josephus dicit Μωσῇ διδάσκαλον τῆς πρὸς θεὸν εὐσεβείας πεποιημένον παρὰ τοῖς Ἑβραίοις. Hæc verba non capia, nisi sensus sit: *A Mose factum esse doctorem à religionis in Deum*, apud Hebræos,

bræos, Gelenius aliene: *& pietate insignem & à Moyse præceptore, hac in parte non degenerantem.* Josue narrat partem exiguam circa aquas constituisse, nescilicet aquatio interciperetur: plerisque retentis ad custodiam liberorum & mulierum, totiusque exercitus. Nocte tota occupatos fuisse expediendis armis, corporibus reficiendis, omnibusque ad pugnam parandis. Insomnem noctem egisse Mosen, & docuisse Jesum, quomodo exercitum esset ordinaturus. Quasi artem bellicam una nocte potuerit docere ille aut hic doceri. Cum prima luce, hortatum esse ducem, optimum quemque privatim, deinde omnem multitudinem armatam. Καὶ ὁ μὲν οὕτως παρασκευασάμενος τὸν στρατὸν πίστει λόγοις καὶ τῇ διὰ τῶν ἔργων παρασκευῇ ἀνεχώρει πρὸς τὸ ὄρος, διότι καὶ Ἰησοῦ παραδίδους τὸ στράτευμα. Propinquum collem ascendit Moses, quærens (ut Philo dicit) *μείζονα συμμαχίαν.* At περιρρανάμενος τοῖς εἰωθόσι καθαρμοῖς, *lustratus consuetis purificationibus.* Orationem Mosis format: Prodigium narrat evenisse, τερατωδέστατόν τι πάθος περὶ τὰς χεῖρας αὐτοῦ. Fatuum est prodigium, quod narrat: Per vices Mosis manus elevasse se in altum, & depressas humi. Scriptura & Josephus scribunt, quandiu manus elevare potuit, acie superiores fuisse Hebræos; quoties demitterentur, Amalecitas superasse: at aggravationem manuum fuisse à defatigatione, & elevationem à recenti vigore & integritate. Proinde ridiculum quod dicit, miraculo circa manus Mosi depressionem & elevationem evenisse. ἐξαπιναίως δ' ἀβαρεῖς γινόμεναι, δακτύλοις ἀντὶ πτερῶν χρώμεναι μετέωροι πρὸς ὕψος ἀρθῆναι καθάπερ αἱ πτηναὶ φύσεις ἀεροπολοῦσαι καὶ διέμενον ἀνάφοροι μέχρι τοῦ τὴν νίκην ἑβραίους ἀνανταγώνιστον ἄρασθαι. *Confestim leves factæ, digitis loco pinnarum usæ, sublimes in altitudine elevatæ sunt tanquam volucres naturæ, in aëre volitantes, & permanebant erectæ usque dum Hebræi victoriam sine controversia obtinuissent.* Antehac dubiæ trepidabant scilicet, modo demissæ, modo elevatæ, cadentes erectæque, donec in ambiguo certamen erat. Ἄχρι μὲν οὖν τινος, αἱ χεῖρες οἷα πλάστιγγες ἐν μέρει μὲν ἐπικουφίζοντο ἐν μέρει δὲ ἐπιβρίθον, ἡνίκα καὶ ὁ ἀγὼν ἀμφήριστος ἦν. *Usque ad aliquod tempus manus tanquam lances, modò elevabantur, modo deprimebantur, quousque etiam certamen ambiguum erat.* Majori absurditate putat terram significasse Amalecitas, cœlum Israëlitas, Μηνύοντος διὰ τῶν συμβόλων τοῦ θεοῦ, ὅτι τὸ μὲν ἐστὶ γῆ καὶ αἱ τοῦ παντὸς ἐσχατιαὶ, κλῆρος οἰκεῖος, τὸ δ' αἰθὴρ ὁ ἱερώτατος καὶ ὥσπερ ἐν τῷ παντὶ βασιλεύει καὶ καλακρατεῖ γῆς οὐρανὸς οὕτω καὶ τὸ ἔθνος περιέσται τῶν ἀντιπολεμούντων. Miraculum fuit quod elevatæ manus superiores facerent Israëlitas, depressæ Amalecitas. Miraculum debuit habuere præsentem virgam Dei. Aaron & Hur in lapide Mosen considere fecerunt: tum manus ejus sustentavêre, usque ad occasum Solem, donec Amalecitæ succumberent. Philo dicit ἡβηδὸν ἀναιρεθῆναι: Josephus, noctis interventu quosdam salutem invenisse, alioquin internecione interituros. Ita omnibus circumquaque gentibus terrorem esse incussum: laborisque præmium ingens reportatum. Castris enim hostium potitos, cum ingenti opulentia, auri argentique rudis copia. Deinde inventa esse σκεύη χαλκᾶ, οἷς ἐχρῶντο περὶ δίαιταν. Auri argentique signati multum: ὅσα τε ὑφαντὰ καὶ κόσμοι περὶ τὰς ὁπλίσεις: ἔτι ἄλλη θεραπεία καὶ κατασκευὴ ἐκείνων λείαν τε παντοίαν κτηνῶν καὶ ὅσα φιλεῖ στρατοπέδοις ἐξωδευκόσιν ἕπεσθαι. Postridie cadavera spoliata esse & collecta quæ fugientes abjecerant. Addit incruentam fuisse hanc victoriam, ut quæ nullius Hebræorum sanguine constiterit, cum cæsorum hostium multitudo esset innumerabilis. Ita auget ex incerta conjectura & pro animi lubidine. Sic addit ex probabili conjectura quod Josue conviviis exceperit: quod aliquot dies egerint festos, τὴν τῶν ἐπινικίων ἑορτὴν Μωσῆς ἤγαγεν. Scriptura narrat aram esse erectam, tanquam trophæum cum inscriptione יהוה נסי quod redditum à Josepho: θύσας δὲ χαριστήρια

βωμὸν ἱδρύεται νικαῖον ὀνομάσας τὸν θεόν. Philo scribit Aram à Mose vocatam esse *καταφυγὴν θεοῦ· ἐφ᾽ ᾧ τὰ ἐπινίκια ἔθυε, χαριστηρίους εὐχὰς ἀποδιδούς.*

Baculus, quem Moses manu tenebat, instar vexilli habuit, quod Deus erigebat. Quandiu igitur Deus vexillum erigebat sui erant superiores, *Hic quæritur,* (inquit Rivetus) *quænam fuerit ista exaltatio manuum Mosis? Plerique eam retulerunt ad gestum precantis, quia solent etiam precantes attollere manus cælum versus. Itaque referunt, quæ hic dicuntur, ad orationem, qua Moses perseverabat pugnante populo, cujus vel remissioris vel ardentioris signum esset, manuum elevatio vel remissio. Sed id non videtur convenire. Potest enim vehementior esse affectus in oratione, etsi gestus remissior sit præsertim, si id accidat ægris vel senibus, vel alioquin fatigatis. Itaque nihil impedire potuisset, quo minus oratio Mosis esset ardentissima, quantumvis manibus ejus vel præ senio, vel præ lassitudine demissis* &c. Mosi non obfuisse senium, ut cui post annos fere quadraginta, cum vita exiret, *Non caligaverit oculus ejus neque effugerit viriditas ejus* Deut. 34.7. Lassitudini igitur imputandum esse quod manus ejus fuerint (כבדים) graves. *Nemo enim* (inquit) *est adeò robustus, qui non tantum multarum horarum, sed vel unius horæ spatio continuo possit elevare manum, præsertim protenso baculo. Hunc enim fuisse manum elevandi modum, quo modo solent vexilliferi, ex textus circumstantiis omnibus probatur. Antea dixit Moses se consistere velle in vertice montis, cum baculo Dei in manu sua. Posteà autem ipse Moses v. 12. erectum altare appellabat Iehovam vexilli sui. Huc igitur referimus elevationem Manus, quod, quemadmodum Deus anteà in Ægypto protenso baculo per manum Mosis aut Aaronis, tot mirabilia opera exsecutus erat, sic voluerit pugnante populo, eundem baculum elevari, ut cogitarent de potentia divina, in eam toti recumberent: quo signo deficiente, cum ipsi etiam deficerent, magis confirmata fuit necessitas concursus Divini.* Adstitisse ipsi Aaronem & Hur, ut posset huic negotio sufficere: qui sedem parant & fatigatum sublevant. Illi fulsere manum ejus: *Unus hinc & inde unus:* ita habet textus. Id vulgatus reddidit, *Ex utraque parte. Id* (inquit) *ita intelligitur vulgò, ac si Moses ambabus manibus baculum illum elevasset, aut junctis manibus, ut fit, precatus fuisset. Loci autem circumstantia & ratio, quam attulimus, potius ostendit, viros illos duos, alternis sustentasse manus Mosis; ita ut Mose subinde baculum mutante ex una manu in aliam, quisque à sua parte juvaret eum. Alioquin enim si ambo eodem tempore sustinuissent Mosis manum sine ulla intermissione, potuissent etiam ipsi fatigari. Sed cum unus sustineret à sua parte, posteà mutata vice alter etiam alteram manum sustinebat* &c. Pergit: *Hic simplex mihi videtur loci sensus, nec tamen negarim Mosen cum comitibus preces concepisse & Deum inclamasse, ut justæ populi sui causæ faveret. Hoc enim requirit eorum pietas & occasio etiam eos invitabat. Hoc tantum dico, non id significare erectionem manus cum baculo: sed Deum voluisse erigere vexillum coram populo, ut signum illud respicientes, victoriam è cælis exspectarent.* Optimè, ut arbitror. Crucis figurationem & victoriam hic quærere alienum est à sobrio interprete. Sic Tertullianus libro adversus Judæos: *Iam vero Moyses, quid utique tantum tunc, cum Iesus adversus Amalech præliabatur, extensis manibus orabat residens, quando in rebus tam attonitis magis utique genibus positis & manibus cædentibus pectus & facie humi volutata orationem commendare debuisset? Nisi quia illic ubi nomen Iesu dicebatur, dimicaturi quandoque adversus Diabolum, crucis habitus quoque erat necessarius, per quam Iesus victoriam esset relaturus.* Eadem verbotenus scribit lib. 3. adversus Marcionem. Hæc alienissima sunt (quamvis communiter Patres ita doceant) sed ita est, ut Rivetus explicat: in quam mentem etiam Calvinus: *Pluris enim fuit unus ille baculus, quam si præeuntibus mille vexillis, in prælium deducti essent.* Probabile est, quod Deus populum, subacta pro-

tervia

tervia magis sibi obsequentem reddere voluerit. Fuit tamen insignis Amalecitarum injuria, quam etiam castigat Deus insigni clade, imò & erecto vexillo internecinum ipsis bellum indicit. Josue contentus victoria, non castigavit populum ulteriori pœna, voluit tamen Deus, ut in tabula inscriberetur, suum edictum exsequendum, ubi populus Israël sub regibus esse inciperet: *Delebis memoriam Amalec.* Quod Josephus dicit, nullius Israëlitæ sanguine victoriam emptam esse, verum esse potest, at quosdam incursibus hostium ex improviso interceptos esse indicat locus Deuteronomii supra laudatus.

Hur istum fuisse filium Caleb, quidam putant, genitum è Maria sorore Mosis & Aaronis. Nam Caleb filius Jephunne mortua Asuba priore uxore, duxit mulierem, cui nomen Ephratæ (1. Chronic. 2. 19.) è qua genuit Hur, patrem Uri, avum Besaleel. Sic sentiunt Hebræi & quidam Catholici, ut inquit Lyranus. Dicunt enim, quod Maria alio nomine dicta fuerit Ephrata. Lyranus eam sententiam refutat, ratione ætatis ejus. Fuit enim major natu, quam Moses, duodecim annis aut amplius. Nunc igitur annum agebat 92. Caleb tantum quadraginta, ut habetur Josue 14. Secundam uxorem ne quidem tum habuerit, cum non videatur, ante annum quadragesimum genuisse, pro istius seculi more. Debuit etiam aliquo tempore egisse cum ea, ut qui prolem ex ea susceperit. Si post aut circà Exodum eam duxerit Caleb, jam annos fecunditatis egressa fuerit. Dato, quod conceperit, non potuit filius ejus esse ætatis, ut ea dignatione aut robore eo haberetur, qui cum Aarone conjunctus Mosi talem operam præstaret. Etiam dicitur Exod. 24. *Habetis Aaronem & Hur, si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos.* Proinde in exitu Hur erat magnæ prudentiæ & magni consilii & reputatus inter seniores. Ideo, (inquit Lyranus) *Si dicatur, quod fuerit filius Mariæ, oportet dicere, quod sit de alio viro: nec illa Efrata, de qua dictum est, potuit esse eadem cum Maria: & iste Hur, filius Caleb est alius ab illo, de quo hic loquitur Scriptura. Et ideò mihi videtur melius dicere cum antiquis doctoribus, quod iste Hur fuit maritus Mariæ. Et idem dicit Iosephus 3. lib. antiq. Et ideò cum Moyse ascendit in montem & sibi cum Aaron commissum est regimen populi in absentia Moysi: quia erat vir antiquus, sapiens & expertus.* Rivetus disputat de hoc Ur: *De quo quis fuerit, non adeò constat. Aaroni adjungitur etiam à Mose posteà cap. 24. v. 14. Quoniam autem 1. Chron. cap. 2. deducitur genealogia Calebi, qui ex Efrata uxore genuit Chur, qui fuit pater Vris, Patris Besalcel; qui unum tantum Calebum fuisse putarunt, eum nempe, qui cum Iosue fuit explorator terræ (qui etsi tum senex fuerit cum ingressus est terram Canaan, non tamen ea fuit ætate, ut potuerit habere filium, quem Moses sibi & Aaroni fratri conjunxerit, quem ex senioribus populi fuisse oportet) absurda multa congerunt, ut ejus ætatem concilient cum his, quæ de Vri & Besaleel scribuntur; & miracula multa excogitant extra necessitatem; ut quod iste Caleb uxorem primam duxerit anno ætatis octavo, nomine Azubam, è qua natus Ierioth: & anno decimo ætatis secundam duxerit nomine Ephratam, quam volunt fuisse Mariam sororem Mosis, è qua ortus sit Hur, de quo egimus. Qui similiter anno octavo genuerit Besaleel; qui anno ætatis decimo præfectus fuerit opificum, qui tabernaculum exstruxerunt in deserto. Quæ Iudaica sunt portenta, indigna quæ refutentur. Hur fuisse filium Caleb, filii Esrom, filii Phares, filii Iuda, ex dicto Chronic. cap. constat. Fuisse patrem Vris, qui genuit Besaleelem, ex eodem probatur. Sed eodem cap. texitur genealogia duorum Caleborum: quorum primus fuit is, de quo diximus, pater Hur qui inter alios etiam alterum Calebum genuit, prioris nepotem, de quo eodem lib. Chronic. cap. 2. v 50. ubi dicitur Caleb filius Hur, qui fuit frater Hur, patris Besaleel. Quo posito constabunt omnia & potuit iste Hur illo tempore esse octogenarius, ita ut mirum non sit ex eo progenitum nepotem*

Besaleel, qui tabernaculo exstruendo fuerit aptus. An vero Caleb ille secundus fuerit idem, qui filius Iephunne, socius Iosue in exploratione terræ, etsi conveniant satis tempora, quia tamen non conveniunt nomina definire non ausim; etsi Hur parens secundi Calebi potuerit esse binominis, quod frequens fuit illo tempore. Id volunt, qui Efratam sororem Mosis Mariam fuisse dicunt, matrem illius Hur. Sed non litigamus de incertis. Tribus utriusque Calebi fuit eadem, tribus nempe Iuda, ex qua fuit etiam filius Iephunne. Ex eadem tribu fuit iste Hur, quem adscribit sibi comitem Moses, virum haud dubie honoratum & apud populum alicujus nominis.

Debuit Moses inscribere libro & ponere in auribus Josue edictum Dei de Amaleco abolendo. Rivetus: *Cur enim quærendus alius liber, præter hunc ipsum librum legis, in quo hæc omnia tam expressè scribuntur.* At separatus libellus fuerit, qui ponendus in auribus Josue. Hic liber nondum scriptus erat, in quo notatum inter res gestas superiorum temporum, quod hoc conscribi pro Josue Deus voluerit: Josue enim dux & imperator, qui populum erat introducturus in possessionem terræ, id debuit populo inculcare, postquam eum in terræ possessione collocasset. Non adeò delenda memoria Amalec, ut planè nulli ex illa gente superessent sed ut non facerent populum connumerandum inter populos terræ. Aram erexit eo in loco Moses, in qua verosimile est, quod victimas obtulerit, ut etiam Philo & Josephus scribunt, quamvis etiam aræ in monumentorum usum nudum conderentur, maximè postquam tabernaculum Deo exstructum est. Inscriptum illi, יהוה נסי; quod Sive interpreteris, *Dominus vexilli mei*, sive, *Dominus est vexillum meum*, res redit eodem. Inscriptio ista non dat nomen aræ sed continet memoriam beneficii divini: qui tanquam vexillo erecto ipse præliatus esset in Amalecitas. Simul igitur symboli istius quod erat in protensione baculi, meminit. Versu ultimo redditur ratio inscriptionis: *Quia manus* (על) versus solium Domini, bellum est Domini contra Amalec à generatione *in generationem.* Ita reddi vult Rivetus, cui etiam debetur assertio veræ significationis manuum Mosis elevationis. Sensus igitur est juxta ipsum: *Quod nuper elata manu mea cum baculo cœlum versus, qui est* thronus domini, concessit nobis victoriam contra Amalecitas; id deinceps fiet de generatione in generationem, docec penitus exstirpentur. Et in hujus rei signum erexi hoc altare: in eodem loco, ubi manus mea versus thronum Domini, signum & vexillum baculi Dei erexit. Alii juramentum intelligunt, quod pars Deo, alii Mosi attribuunt,

Videamus nunc, quæ scribant Judæi Tanchum, Rasi, Aben-esdras &c. circa hanc פרשה de prælio & victoria contra Amalec, v. 8. Et venit Amalec] Rasi: *connexa est Parasa hac Scriptura isti* (versui præcedenti) ac si diceret: *Iugiter ego inter vos & occurro necessitatibus vestris, at vos dicitis; Anne Deus est in medio nostrum? Si non, per vitam vestram ut canis veniat & mordeat vos & vos clametis ad me, ut sciatis, Vbi ego sim. Similitudo de homine, qui filium humero imponebat, seque dabat viæ. Filius ille videbat rem pretiosam, dicebatque* [אבא] *pater: tolle rem pretiosam & da mihi. Ipse dabat ei: & sic secundo & tertio. Occurrebant viro cuidam, dicebatque ipsi filius ille, Vidistine Pater. Dicit ei pater, Nescio ubi sim: venitque canis & momordit illum.* Alludit ad v. 7. Putant enim cohærere hanc historiam, id est, incursum Amalec, cum illa tentatione, quam per illa verba significabant. Aben-esdras: *Gens Amalec habitabat in terra Austri.*

v. 9. Et dicebat Moses ad Josue] Aben-esdras: *Iste nepos principis Elisama filii Ammihud* (בן quod habetur apud Aben-esdram verto *nepotem*) *qui fuit dominus vexilli Ephraim: & vocat eum Scriptura hic Iosue, ex nomine, quo eum appellavit Moses in negotio exploratorum.* Elige nobis] Rasi: *Tibi & mihi.*

Æquat

Æquat sibi: Unde dicunt: Sit honor discipulo tuo, dilecto apud te, ut tibi: Et honor collegæ tui secundum reverentiam Rabbi tui. Unde? Et dixit Aaron ad Mose: בי אדוני. *Nonne autem Aharon major erat fratre & fecit collegam suum sicut Rabbi suum? Reverentia Rabbini tui esto secundum reverentiam Dei* (cæli) *Unde? Q. D.* (Num. XI. 28.) Domine mi (Mose) prohibe (consume) eos. *Omnes à seculo rei sunt consumptionis, qui rebelles sunt in te, quasi rebellarent in Deum benedictum.* בחר לנו Aben-esdras דרך הלשון *modus loquendi, ac si diceret sic:* Elige tibi, *ut* (Exod. 24. 14.) Sedete nobis hic. Omnino frequens pleonasmus est ꝗ לנו / לכם / לי / לך &c. *Ad quem rectè refertur.* וצא הלחם] Rasi: *Egredere è nube & bellum gere contra eum.* מחר] *In tempore belli, ego consistam.* Aben-esdras: *Egredere è castris Israël ad bellandum contrà Amalec: at ego ero constitutus in cacumine collis: qui est Horeb & hic est Sinai.* אנשים] Rasi, *Fortes & timentes peccati, ut sit eorum meritum auxilio ipsis.* A. S. *Qui norunt irritas reddere magias: quoniam filii Amalec magi erant.* Aben esdras: *Notos, fortes viros, viros bellaces, ut* (Num. 13. 4.) Omnes illi viri. Et baculus Dei in manu mea] Idem: Quoniam attollam manus meas ad orandum.

v. 10. Mose Aaron & Hur] Rasi: *Hinc dicunt ad Taanith (jejunium) opus esse ut tres operentur ante arcam, quia in Taanith erant* שרים. Thanchum: *Hinc dicunt, quod non pauciores quam tres homines esse debeant, qui operentur ante arcam in jejunio Ecclesiæ.* Notaverat, quod in lapide constituerint Mosen; atque addiderat: *Annon fuit ipsis pulvinus aut pulvinar, cui insiderent? Cæterum docetur, quod fuerint* שריין *in jejunio* (sive angaria) *cætus,* Aben-esdras: meminit Aaronis & Hur ob *necessitatem exponendi sustentationes manibus suis.*

v. 11. Rasi: *Numquid manus Mosis superiores fuerunt in bello? ut est in Ros Hassana.* Aben-esdras: *Quidam dicunt, quod exaltatio fuerit, quemadmodum facit in bello, in cujus manu vexillum. Si ita esset, exaltasset ipsum Aaron aut Hur, aut statuisset eum in loco excelso, in quo conspiceretur consistens. At verum est, quod dixerunt majores nostri.*

v. 12. Et manus Mosis graves] Rasi: Quoniam in præcepto segnem se gerebat & alium præfecerat loco sui, aggravatæ fuerunt manus. Videtur Mosi imputare in opprobrium, quod Josue imperatorem constituerit & ducem belli: quasi pondere depressas cecidisse. Rectius Aben-esdras: *Novimus, quod non sit facultas in homine, ut elevet manus suas Die integro, quin paucis horis* (ואף כי) *nedum donec occumbat Sol. Et ecce memorat* Manus Mosis graves, *præ manibus reliquorum seniorum, ideo non poterat eas attollere jugiter.* Et acceperunt lapidem] Rasi: *Non considebat in pulvino aut pulvinari* (על כר וכסת) *Cogitabat* (אמר) *Israël* (שרוים) *in excruciatione, etiam ego cum ipsis in excruciatione.* Et posuerunt] Aben-esdras: *Significatur, quod non potuerit stare & quod collis fuerit locus ejus.* Aaron & Hur] *Stabant & dicit scriptura* כברים *genere masculino* (על לשון זכרים) & sic, מזה אחד ומזה אחד. *Atque ita* (Ezech. 2. 9.) *Et ecce* (יד שלוחה) manus demissa ad me: & ecce (בו) in ea volumen libri. ויהי ידיו אמונה] Rasi: *Et fuit Moses, manus ejus in fidelitate expansa ad cælum in precatione fideli & vera.* Ellipsin putat esse literæ ב. Aliter Aben-esdras, qui accipit distributive: Una quælibet manus, utraque manus. Donec occideret Sol] Rasi: *Quia Amalecita computabant horas per Astrologiam: in qua hora ipsi victores futuri essent: fecitque Moses stare solem & conturbavit ipsis horas.* Thanchuma: *Quoniam computabant horas per astrologiam. Quid fecit Moses? Stitit orbem Solis & Lunæ & conturbavit horas eorum. Q. D.* (Habac. III. 11.) Sol, Luna stabat, (in) termino suo &c. *Et scriptum* (v. 10.) Dabat abyssus vocem suam, extollebat in altitudinem latera sua.

v. 13. ויחלש Josue Amalec] Tanchuma: R. Josue dicebat *descendit & concidit capita fortium inter ipsos ore gladii. Unde docemur, quod factum hoc fuerit* על פי הגבורה *juxta os* (potentiæ) *Dei. Alii dicunt, Stabilita est in ipsis Scriptura ista:* (Ezech. 35. 6.) Parabo te sanguini & sanguis persequetur te. Rasi: *concidit capita fortium ejus, neque reliquit nisi debiles eorum: non occidit ipsos omnes. Unde discimus, quod fecerint* על פי הדבור של שכינה / *juxta verbum* (majestatis) *Dei.* Aben-esdras notat quod utroque fine futurum indicans verbi הלש inflectatur, per Holem & Fathach, eodem sensu. Deinde modò *ἀμετάβατον* modo *μεταβατικόν*, uti & הגורה כמלת שב פעם יוצאת ופעם עומדת שב. Producit locum Jobi XIV. 10. *Et cum vir mortuus erit & debilitatus:* Ubi est inversio ut supra v. 10. *Efferbuit in vermes & fœtuit.* Ideo dici de גבר / quod est בעל הגבורה.

v. 14. Scribe hoc monumentum in libro] Rasi: *Quod venerit Amalec, ut manum consereret cum Israël, ante omnes populos.* Id Deus voluit internecione puniri. Et pone in auribus Josue]. *Qui introducet Israël in terram: qui præcipiet Israël, ut retributionem det. Hic indicatum est Mosi, quod Iosue introducturus esset Israëlem in terram.* Thanchuma: *Hic unus est è quatuor viris, quibus dedit* (רמז) *significationem. Duo senserunt & duo non senserunt. Iacobo & Mosi dedit significationem, qui non animadverterunt. Quod Iacobum attinet; dicebat ipsi Deus benedictus* (Gen. 28. 15.) Ecce ego tecum & custodiam te. *Posteà* (ולסוף) (Gen. 32. 7.) Et timuit Jacob valde. *Homo, cui promissionem feceras Deus benedictus expavit. Sed cogitabat Iacob, Forte, quando eram in domo Laban impuri illius, pollutus sum pollutione & peccato. Quod Mosen attinet, dedit ipsi significationem & non animadvertit. Nam dixit ipsi,* Scribe hoc monumentum in libro & pone in auribus Josue. *Quasi diceret, Tu morieris & Iosue introducet populum in terram: ita dictum est & non animadvertit. Posteà supplicavit,* Q. D. (Deut. 3. 23. 25.) Supplicavi ad Dominum. Transeam quæso & videam. *Sed quantum ad Davidem & Mordechæum attinet, dedit ipsis significationem & animadverterunt. David dicebat* (1. Sam. 17. 36.) Etiam leonem, etiam ursum percussit servus tuus &c. *de Mordechæo* (Esth. 5. 11.) Et quotidie ambulabat Mordechæus ante atrium domus mulierum &c. *Cogitabat, Fieri ne potest ob justitiam suam ut matrimonio jungatur præputiati, nisi quia futurum est aliquid magni Israëli, quo liberabuntur per eam.* Aben-esdras: *Hæc parasa dicta est in anno quadragesimo: cui probando est, quod Beth cum Phathe scribatur, ut notet librum notum* (certum) *qui est liber legis: aut fuit illis alius liber, qui vocabatur liber bellorum domini: qui non est apud nos: quemadmodum non habemus librum recti & medras Iddo & Chronica regum Israël & libros Salomonis. Et sensus,* in auribus Josue, *quia Deus noverat, quod bellum gesturus esset cum* regibus Canaan. Delendo delebo] Rasi: *Ideo ego admoneo te, quod ego velim delere eum.* Thanchuma: Delendo, *in hoc seculo;* delebo, *in seculo futuro.* Aben-esdras: *Sensus* (Quoniam delendo delebo) *propterea quia in iram provocaverat Deum. Nam duces Edom turbati erant pavore propter signa, quæ fecerat in Ægypto & in mari* [וככה] *eodem modo* Moab & Palæstina: at ecce iste Amalec audiverat potentiam Dei propter populum suum Israël: ecce tamen venit è loco dissito, ut bellaret cum Israël, nec metuit à Deo: atque ita scriptum (Ps. 55. 20.) Nec timent Deum. Quidam dicunt, quod Amalec fuerit nomen regis, propterea quod dicat textus ואת עמלק ואת) (עמו aut si aliter sumi debeat (נתחבר עמו) est *ἐν* διὰ *δυοῖν*. זכר] Thanchuma: Iste est Haman, Amalec ut sonat.

v. 15. Et Moses constituit aram, cujus nomen vocavit יהוה נסי] Thanchuma: *Moses dicebat Israëli: Vexillum hoc, quod fecit vobis Deus benedictus, propter*

se

se fecit, propter nomen suum fecit, quod non essent digni illo tempore isto vexillo. Invenis, quod omni tempore, quo Israël ingrediebatur, vexillum ante eum. Q. D. Et vocavit nomen ejus, Dominus vexillum meum. *Cum angustia esset Israël & angustia coram eo. Q. D.* [Esai. 63. 9. In omni eorum angustia ipse angustiatus est. *Gaudium Israëlis, gaudium coram ipso,* Q. D. [1. Sam. 2. 1.] Gaudeo in salute tua. *Et sic ipse dicit* (Es. 65. 5.) Exultabo in Jerusalem & gaudebo in populo meo. *Item dicit:* (Es. 62. 5.) Sicut Sponsus gaudet super sponsa gaudebit super te Deus tuus. *Amen & sit ita beneplacitum.* Rasi: *Deus benedictus fecit nobis hic vexillum: non quod ara vocata sit Dominus sed vocans in memoriam nomen aræ, recordatur vexilli, quod fecit: Dominus est vexillum nostrum.* Abenesdras: (Ædificavit) *In Horeb. Et dictio* (המזבח) *trahit seipsam & consequens secum: Et sic est:* Ara Domini vexilli mei. Ralbag: *Aut significat, quod praceptum sit Israëli ut memor esset quid fecerit Amalec & deleret nomen eorum, quasi venisset praceptum in hoc in lege. Propterea scripsit hanc narrationem in lege, quia Deus excelsus daturus erat vim ad delendum Amalec deletione mirabili & pracisa. Ideo recordatur hujus vexilli, quod Deus benedictus statuit Israëli. Et in memoriam ædificavit Moses aram in cacumine collis & vocavit nomen ejus, Dominus vexillum meum. In quo sensus est, ipse bellabit propter me, nec opus habeo, ut vexillum attollam in bello, ad evitandum, ne gladius unus sit contrà alium.*

v. 16. Quoniam manus super solium Domini] Rasi: *Manus Dei benedicti exaltata est ad jurandum in solio suo, ut sit ei bellum & inimicitia cum Amalec perpetua. Cur* כס *& non dictum est* כסא */ & etiam nomen divisum est medio sui? Juravit Deus benedictus quod nomen suum non esset integrum nec solium suum integrum, donec delevisset nomen Esau universum & postquam delevisset nomen ejus, futurum esset nomen integrum & solium integrum.* Q. D. (Ps. 9. 7.) O hostis, consummatæ sunt vastitates in finem. *Hic est Esau. Quoniam scriptum est de ipso* (Amos. 1. 11.) Et furorem suum servat in finem. (Ps. 9. 7.) Et urbes evertisti, periit memoria earum cum ipsis. *Quid dicit consequenter?* At Dominus in seculum sedet. *Ecce Deus integer.* Stabilivit ad judicium solium suum; *Ecce solium ejus integrum.* Aben-esdras: כי יד] *Sicut quod attolio ad cælum manum meam. Et sensus, quod Deus posuerit manum suam super solium suum: Et hoc est juramentum. R. Iesua dicit, quod manus fortis futura sit sessori, primo super solio Israel, quemadmodum dictum de Salomone, super solio Israel* (2. Reg. 2. 4.) *etiam super solio Dei* (1. Chronic. 29. 23.) *Innuit autem Saul.* Ralbag narrat se accepisse à patre suo hanc expositionem, quod à manu Dei, quæ super solio ejus est, sit futurum bellum Domini in Amalec, ab Israël. Affuturum scilicet ipsis Dei auxilium. Solium Dei significare cælum, ut Es. 65. 1. Addit: *Et ecce Deus excelsus dominatur super omnia, qua disponuntur à causis calestibus in opposito hujus dispositionis: quemadmodum fuit ab ea dispositum malum, quod diligentibus eum adharentibus ei. Et in hac facultate, qua ipsi super solium, bellum est contra Amalec. Nam secundum dispositionem Amalec Israelem superasset, nisi auxilium tulisset Deus excelsus. Et sic invenies in diebus Haman. Nam nisi auxilium tulisset Deus Excelsus, cecidissent Israelita per Amalecitas. Et hac expositio vera est admodum. Et forte Q. D. secundum hanc expositionem quia fuit bellum à manu qua super solium Dei: Et ideò appellavit nomen hoc, hac ara est Dominus vexillum meum.* Duplicem סדור somniat, inferiorem & superiorem; superiorem à solio Dei per siderum influxus fuisse pro Israële, inferiorem à dispositione materiæ (quam vocat simpliciter מערכת) fuisse pro Amalecitis: hoc scilicet significari elatione manuum Mosis ad cælum aut prolapsu ad terram. Similiter Philoni ineptiit R. Gersom pater R. Levi. Gersomides in sequentibus quatuor quæstiones circà hanc περικοπὴν moveri

 posse

posse scribit, earumque solutiones proponit. Ea in superioribus proposita sunt.

Cap. XVIII.

Duo hic; Adventus Jethro ad Mosen generum & ejus consilium de populi distributione ad ordinem judiciorum. Quis fuerit iste Jethro, supra à nobis disputatum est. Attribuunt ipsi septem nomina: *Fuerunt ipsi septem nomina* (inquit Thanchuma) 1. יתר Jether *quod abundare fecerit unam parasam in lege, parasam judicum* (הדיינין) (quæ incipit capitis hujus versu 21.) 2. חובב *Hobab, quod dilexerit legem. Cum venissent in terram, dederunt ei pinguem vallem Hierichuntis.* Vult inde ascendisse amore legis, ut ei in sterili ista Judææ regione felicius incumberent. &c. Ad locum Jud. 1.16. respicit. Hinc alia nomina sunt. 3. כשהתגייר יתרו cum proselytus factus est & stabiliit præceptum, addiderunt ipsi unam literam. 4. Keni ex loco Judicum dicto. 5. Raguel. Fatetur Rasi, quod quidam dicant Raguelem fuisse patrem Jethronis. Et quod in textu habetur (Ex. 2. 18.) Cum venirent ad Raguelem patrem suum, ex eo esse quod nepotes avum à patre appellent אבא. Id se habere è Siphri. 6. Heber. Judic. 4. 11. 7. Phutiel. Exod. 6. 24. Vide illic R. Salomonem. In textu est vers. 2. אחר שלוחיה / quidam putant significationem ejus esse remissionem uxoris Mosis ad patrem, alii exponunt de muneribus, quæ Moses ad socerum in hoc itinere præmiserit, ut Jethro eo facilius uxorem suam liberosque dimitteret.

Tempus quo advenit ad Mosen fuit, cum Israëlitæ ad montem Dei castra haberent. Oportet igitur jam è Raphidim Israëlitas exiisse & advenisse in solitudinem Sinai. Cum tamen in illud desertum advenerint cap. 19. 1. Existimant multi hanc historiam de Jethro positam esse extra rationem temporis. Aben-esdras: *Supra meminerat rei Amalec, quæ ad Raphidim pertinet: debuitque parasa (in mense tertio) scribi post rem Amalec: quoniam illic scriptum est,* Et profecti sunt è Raphidim & venerunt in desertum Sinai. *Si ita, Quare ingreditur argumentum Jethro inter duas illas parasas? Haggaon dicit, Iethro venisse in castra ante datam legem: at juxta sententiam meam, quod non venerit nisi in anno secundo, postquam (1) statutum esset tabernaculum, quia scriptum est in parasa* (ואתה תצוה) (u. 12.) holocaustum & victimas mactatorias Deo, *Nec exprimit quod ædificaverit novum altare. Porrò (2) Scriptum,* (v. 16.) Et notifico statuta Dei & leges ejus. *Hoc autem post datam legem. Et ecce (3) testimonium fidele super verba mea, quia sic scriptum de deserto, ubi castra metabantur,* Mons Dei. Et (4) (Num. 10. 29.) *dicebat Mose ad Hobab (qui est Iethro ut exposui in parasa Velle Smoth) quoniam illud* (Socer Mosis) *non respicit ad proximum sed ad Hobab: quia sic scriptum.* (Jud. 4. 11.) E filiis Hobab, soceri Mosis. *Et Mose dicebat ipsi* (Num. 10. 29.) Nam propterea quod novisti metari nos castra &c. *Et novimus, quod Israelitæ constiterint in deserto Sinai fermè annum. Et ecce (5) verba Mosis id arguunt: quia dixit in parasa Elle haddebarim* (Deut. 1. 67.) Dominus Deus noster dicebat ad nos in Horeb, dicendo: Diu sedistis ad montem hunc: Convertite vos & proficiscimini. *Et ecce hoc fuit tempus propinquum eorum profectioni. Vnde dicit* (v. 9.) Et dicebam vobis in illo tempore, dicendo, Non potero solus ferre vos. Quoniam Deus multiplicavit vos: & ecce vos hodie sicut stellæ cœli multitudine. *Ratio, quare hujus meminerit, est, quod Deus dixisset* Jacobo (Gen. 48. 4.) Ecce me, augebo & multiplicabo te & ponam te in congregationem populorum & dabo terram hanc semini tuo post te. *Sensus autem est postquam multiplicatum fuerit semen tuum, dabo tibi terram. Ideo dicit:*

dixit : Dominus Deus veſter multiplicavit vos *& appropinquavit tempus, quo hæreditario poſsidebitis terram : & quoniam eſtis multi , non poſſum ſolus ferre vos & neceſſe habeo præponere vobis Chiliarchas & centuriones. Et hoc fuit conſilium* Jethronis*, quod dedit ipſi poſtridie adventus ſui, in deſertum.* I*deo dicit Moſes Hobabo (qui eſt* Jethro *ut expoſuimus*) (Num. 10. 29. 30.) Nos proficiſcimur: *Et ipſe reſpondet ei :* Non ibo, quia ad terram meam & ad cognationem meam ibo. *Et hoc eſt quod (*Exod. 18. 27.) Et dimiſit Moſes ſocerum ſuum & ivit in terram ſuam. *Nunc autem exponam, cur paraſa* J*ethro in hunc locum veniat. Propterea , quoniam ſuperius meminerat mali, quod fecerat Amalec* I*ſraël, meminit* (כנגדו) *proxime boni, quod* I*ethro fecit* I*ſraëli. Scriptum* [v. 9.] Jethro gaudebat de omni bono! *Et dedit* (v. 10.) *Moſi &* I*ſraëli conſilium bonum & firmum. Vnde Moſes ipſi dixit* (Num. 10. 31.) Et eris nobis in oculos. *Senſus , quod eorum oculos illuminaſſet. Et Saul dicebat (*1. Sam. 15. 6.) Et tu feciſti miſericordiam cum omnibus filiis Iſraël. *Et quia ſcriptum erat ſuperius de bello Domini in Amalec,* quod Iſraëlitæ *tenebantur bellum gerere in illum, poſtquam quieti eos compoſuiſſet Dominus, recordatur ſermonis* I*ethro. Enimvero erat cum gente Amalecitarum, tamen recordati ſunt benignitatis patris eorum & non attigerunt ſemen ejus. Ecce videmus, quod Rechabitæ, qui erant filii* J*ethro, fuerint cum filiis* I*ſrael in Hieruſalem : & diebus* J*eremiæ* J*onadab filius Rechab: Eſtque* (פרשה) locus *alius huic ſimilis.* Hæc eſt Aben-eſdræ diſſertatio, qua tempus adventus Jethro rejicit in annum ſecundum. Lyranus diſputat pertinere ad annum primum & cohærere cum hiſtoria capitis antecedentis. Ita Sulpicius, ita Joſephus, ita Hieronymus & Auguſtinus. Cum Aben-eſdra [& Raſi] ſentit Abulenſis, quem ſequitur Salianus. Joſephus dicit Iſraëlitas adveniſſe tertio menſe ad montem Sina: ita dicitur Jethro eos inveniſſe ad montem Dei. Quamvis igitur advenerit ante latam legem, adveniſſe tamen cum jam adveniſſent in deſertum Sinai. Mons ille medio itinere inter Madienen & Ægypti regionem Goſen, ſitus erat, in quo Moſes rubum ardere viderat. Impulſus fama operum, quæ per Moſen Deus ediderat liberando populo è ſervitute Ægypti adveniſſe narratur. Joſephus finem adventus ita exprimit : ἀσμένως ἀπήντα, γῆμε Μωυσῆν καὶ τὴν Σεπφώραν δεχόμενος καὶ τοὺς παῖδας αὐτῶν. Quod non tantum eſt adverſus Hebræam veritatem ſed & LXX. interpretum editionem. Reduxit enim conjugem Moſis cum liberis, quos ex Ægypto ſeu itinere Moſes ad patrem remiſerat, ut ſupra docuimus. Hæc oſcitantia eſt. Notant interpretes nunc Jethro ſibi placuiſſe in Moſe, cum anteà Moſes ſolatium invenerit apud Jethro. Raſi : כאן היה יתרו מתכבר במשה אני חותן המלך ולשעבר היה משה תולה הגדול בחמיו שנאמר וישב אל יתר חותנו:

v. 6. Et dicebat [Jethro] ad Moſe, nempe [ut Raſi] על ידי שליח *per nuntium* vel per epiſtolam [באגרת כתובה] ut dicit Aben-eſdras. Nempe cum ad tabernaculum veniſſet, ſignificavit Moſi per nuntium, ſe cum ipſius conjuge & liberis adeſſe. Moſes igitur in occurſum egreſſus, proſtrato corpore veneratus & oſculatus eſt ſocerum : mutuaque ſalutatione facta & de ſalute invicem percontati tabernaculum introiere. Obſervat Aben-eſdras ad verba textus [v. 7.] Moſen in honorem & ob ſapientiam ſoceri exiiſſe non ob uxorem & liberos. Cum non ſit moris ut homo exeat in honorem uxoris aut filii. Enarrat Moſes ſocero miracula Dei, laboreſque populi quibus in admirationem raptus in Dei laudes ſeſe effudit. Jam ſcio [dicebat] Deum majorem eſſe diis omnibus. (Intelligit gentium deos, ut puto non magiſtratus nec angelos) Nam in quo ſeſe efferebant Ægyptii (זדו) ſupra ipſos eminuit. Non poteſt ex hoc dicto inferri, quod Jethro nunc demum ad cultum Dei ſit converſus quia

 ſigni-

ſignificatur, experiundo cognoviſſe, quod anteà in animo certum erat.

v. 12. Accepit Jethro ſocer Moſis holocauſtum זבחים id eſt, שלמים. Aaron & phylarchæ epulati ſunt cum Jethro nulla mentione Moſis occurrente in textu. Aben-eſdras ideò factum eſſe dicit, quod epulum haberetur in Moſis tentorio, ut non opus eſſet ejus meminiſſe. Raſi vult Moſen miniſtraſſe, eoque non exprimi nomine.

Joſephus dicit Moſen ſacrificaſſe & epulo excepiſſe populum: quod neque cum textu Hebræo neque Græca verſione convenit. Populum *κατὰ συγγενείας* per cognationes epulatum eſſe, Aaronem autem cum præſentibus aſſumpto Raguelo (ita ſocerum Moſis appellat) hymnos ceciniſſe in Deum, *ὡς τῆς σωτηρίας αὐτοῖς καὶ τῆς ἐλευθερίας αἴτιον, καὶ πεϱὶ τὸν γεγενημένον.* Ita etiam *εὐφημῆσαι* lætis vocibus celebraſſe Moſen. Raguelem multa in populum encomia ſparſiſſe deinde & Moſen. Coram domino, quod in textu eſt, Joſephus videtur exponere *τοῦ θύματος πλησίον, ὃς διαπεφεύγει τοῦ πυρὸς τὴν φλόγωσιν.* Raſi: *Qui fruitur convivio, in quo ſapientes accumbunt, perinde ac ſi fruatur gloria Divinæ majeſtatis.* Exiſtimat propter ſanctos & Sapientes qui aderant, dici coram Domino, juxta illam veterum ſententiam. Aben-eſdras notat Moſis tabernaculum fuiſſe ab oriente tabernaculo conventus.

v. 13. ממחרת *die craſtino.* Aben-eſdras לביאת יתרו *adventus Iethro.* Raſi, מוצאי יום הכפורים *Exitus diei Chippurim fuit, ut diſcimus in Siphri. Et quid* ממחרת (*τῇ ἐπαύριον*) *Poſtridie poſt deſcenſum è monte. Et ingratiis tuis non poteſt dici poſtridie diei Chippurim, quoniam ante datam legem, non poterat dicere: Et notifico ſtatuta &c. Et à quo data eſt lex uſque ad diem Chippurim non ſedit Moſe ad judicandum populum, quoniam in decimo ſeptimo Thamuz deſcendit & fregit tabulas, poſtridie aſcendit mane & moratus eſt octoginta diebus, deſcendit autem in die Chippurim. Non eſt hac paraſa ſcripta ſecundum ordinem, quia non dictum eſt* ויהי ממחרת *ante annum ſecundum, etiam juxta verba ejus, qui dicit Iethro veniſſe ante datam legem. Dimiſſio ejus in terram ſuam non fuit niſi anno ſecundo. Nam dictum hic eſt,* Et dimiſit Moſes ſocerum ſuum, *at invenimus* (במסע הרגלים) (Num. 10.) *quod dixerit ei Moſes,* Proficiſcimur ad locum &c. ne quæſo relinquas nos. *Et ſi hoc ante datam legem, poſtquam dimiſiſſet dicitur & iviſſet, ubi invenimus, quod redierit? Quod ſi dicas, illic non dicitur Iethro ſed Hobab, eſtque filius Iethro* (הוא הבב הוא יתרו) *idem eſt Iethro & Hobab. Nam ſcriptum exſtat* E filiis Hobab ſoceri Moſis. Jobab & Jethro & Raguel differunt. Ἰοθὸρ fuiſſe patrem (האמת) propriè dictum, uxoris Moſis innuunt LXX: quia Exod. 2. 16. ſic ſcribunt: *Τῷ δὲ ἱερεῖ ἐν Μαδιὰν ἦσαν ἑπτὰ θυγατέρες, [ποιμαίνουσαι τὰ πρόβατα τοῦ πατρὸς αὐτῶν Ἰοθὸρ)* &c. *ποτίσαι τὰ πρόβατα τοῦ πατρὸς αὐτῶν* [Ἰοθὸρ] Bis inſerunt vocabulum Ἰοθὸρ, ut eum diſtinguant à Raguel. Hebræus textus toto ſecundo capite non meminit Jethronis: unde exiſtimatum eſt, quod Raguel ſocer Moſis fuerit.

Moſes ſedebat ad judicium à mane uſque veſperam, conſiſtente populo, circa ejus tribunal. Seſſionem Moſis redargutam eſſe à Jethrone, cum interim ſtarent Iſraëlitæ, nugamentum eſt Raſi quod refellitur ab Aben-eſdra. Sed idem Raſi futilius nugatur: A mane uſque ad veſperam] אפשר לימר כי *Fortaſſis ita dici poteſt: ſed omnis judex, qui judicat veritate, ob veritatem, etſi unam horam,* (מעלה עליו הכתוב) *extollit eum ſcriptura,* quaſi laboraret in lege toto die: & quaſi factus eſſet ſocius Dei benedicti in opere creationis, Q. D. in eo: Factum eſt veſpere & factum eſt mane dies unus. Nempe videbat Jethro generum obrui litibus tanti populi judicandis, quibus vir unus non ſufficeret. Joſephus ex conjectura addit ad ejus arbitrium omnes confugiſſe, *πάντων ἐπ' αὐτὸν*

αὐτὸν βαδιζόντων, καὶ μόνον ἂν τοῦ δικαίου τυχεῖν ἡγουμένων εἰ διαιτητὴς αὐτοῖς ἐκεῖνος γένοιτο. Non eodem illo die ſed ſequenti generum de hac re compellaſſe.

Perçontanti ſocero, quid id rei eſſet, quod ita toto die occurparetur, reſpondet Moſes: Venit ad me populus ad conſulendum Dominum. Quando eſt ipſis verbum, venitur ad me & jus dico inter virum & ſocium & notifico ſtatuta Dei & leges ejus. Ad conſulendum Dominum] Chaldæus: למתבע אולפן מן קדם יי *Vt quærat doctrinam à faciem Domini.* Id eſt è Raſi: לשאול תלמוד מפי הגבורה Duæ partes laboris Moſaici, Prima pars judicii forenſis: altera oraculi conſulendi & inſtitutionis populi. Poſtquam Moſes expoſuiſſet modum muneris, in quo verſabatur, excepit ſocer prudenti oratione: Non poſſe ipſum ſubſiſtere nec populum. Ipſum confici onere, populum autem damno ſuo & juſtæ cauſæ diſtineri prolongatione judiciorum. Quare daturum ſe conſilium, quod ſi ſequatur, ſaluti foret. *Collaberis etiam tu, etiam hic populus.* Raſi ad גם] לרבות Aaronis & Hur & ſeptuaginta ſeniorum: quaſi ad unctionem eorum reſpiciatur, de qua poſtea. Et ſit vel erit Deus tecum] Dei auxilium adprecatur & affore aſſerit. Eſto tu populo מול אלהים. Id eſt, ut Raſi exponit, *legatus & orator Dei, inter eos & Deum & quærens judicia ab eo.* Aben-eſdras מפארת השם. Et adduces tu verba ad Deum. Aben-eſdras putat hæc verba pertinere ad primam partem officii Moſis: Si graves cauſæ fuerint, deferantur ad te, Leviora negotia non veniant ad te, ut poſtea exponit. Deinde, quod dicit v. 4. *Et explicabis ipſis ſtatuta & leges & notificabis ipſis viam, in qua ambulabunt & opus, quod facient.* Id totum eſſe muneris Moſaici & ſecundæ partis. Nam hæc eſſe טורח גדול quem nullius humeri ferre valeant, niſi Moſis. Ego arbitror omnia quæ hactenus ſunt dicta, ad ſecundam pertinere partem. Verba ad Deum adducere, id eſt, conſulentium (*τῶν χρωμένων* verba deferre ad oraculum tanquam interpretem & vatem. Sic jura & leges ferre ſolius Moſis erat. Breviter igitur deſcribit propheticum ſeu Eccleſiaſticum Moſis officium ipſi ſoli relinquendum. In hoc munere partes duæ. Prima, internuntium eſſe inter Deum & populum, ut populi verba ad Deum ferat quod LXX. exponunt *τὰ πρὸς τὸν θεόν*, Altera explicare ſtatuta & leges à Deo ad populum. Quibus leges morales, forenſes & cerimoniales continentur. Alterum officium erat civile: ut judex ſummus in populo cauſas graviores ſecundum leges erat judicaturus. De hoc agit v. 21. 22. Conſulit, ut faciat Chiliarchas, centuriones, pentecontarchas, decuriones, qui tribunalia minora cauſarum Leviorum conſtituant. Hos minores judices allegi oportere, qui eſſent אנשי חיל timentes Dei, אנשי אמת & oſores avaritiæ. Probe adjicit in fine ſuæ orationis: *Si verbum hoc feceris & præceperis tibi Deus, poteris ſtare: etiam totus iſte populus in pace veniet ad locum ſuum.* Ingens hinc exſurgit numerus, uti ſupputant Raſi & Aben-eſdras: unde non immeritò miratur Aben-eſdras, quomodo tantus numerus inveniri potuerit virorum ſapientum. Ideo putat non pro numero populi capitum hos miliarios, centuriones, pentecontarchas & decuriones, ſed ex numero ſervorum appellari. ותכן בעיני כי שרי אלפים הם שתחת ידם אלף איש עבדיו או נעריו או שכיריו אולי אלה הם ראשי השבטים: Hos eoſdem tribunos milliarios eſſe capita tribuum. Exiſtimat fieri non poſſe ut tot viri ſapientes bonique Ægypto exierint: ideo à numero ſervorum ſubditorum appellari. Videtur id ſignificare Jethro conſulendum eſſe os domini, qui ſi ita jubeat eum ordinem inſtituendum eſſe feliciter & bono populi. Moſes igitur Deo conſulto ex conſilio ſoceri ritum diſciplinæ inſtituit. Moſes iſta ita accepit: Non ſolum lites ſed & cæteras miſerias minores curare alios debere, ex conſilio Jethronis, de majoribus & ſalute multitudinis Moſen. Judiciis aptos alios

Hebræorum posse reperiri, salutem tot myriadum solum Mosen posse procurare. Criminum & litium (δικαιῶν) curam aliis ut committat ipse soli cultui Dei vacet: ζητῶν ὡς ἂν τὸ πλῆθος ἀπαλλάξειας τῆς νῦν ἀπορίας. Inde τὰ ἀνθρώπινα curanda ab aliis præter Mosen dividit in bellica & forensia. Belli curam ita curandam, ut constituat præfectos decem millium, millium, quingentorum, centuriarum, τριακοντάδων, εἰκάδων, decuriarum. Forensia ut obeant judices boni, à quibus tamen (δύσκολα) ad Mosen devolvantur. Illos igitur præfectos à partibus populi rei militari præfuisse, alios judices litibus & judiciis. Quis hic Josephum falli non videt? Nempe considerans modum, qui obtinuit, cum in Cananæa per oppida vicosque distributi sederent, putat obtinuisse in castris. Dum igitur in solitudine oberrabant, præfecti iidem erant militiæ & judiciis. Laudat Mosis modestiam quia alienum consilium æquo animo admiserit, coram populo professus fuerit, à quo illum ordinem didicisset scripseritque idem ἐν ταῖς βιβλίοις. Ubi observo τὰ βιβλία sacrarum literarum volumina appellari.

Quæ Artabanus apud Polyhistorem de eductione Israëlitarum.

HActenus Mosen cum suis interpretibus & Josephum secuti sumus, nunc tempus est adnectere quæ alii autores de illa eductione prodidere. Artabanus in consequentia illorum, quæ superiore volumine allegata sunt, de vocatione Mosis, ejusque legatione ad Pharaonem in hunc modum: Τὸν δὲ Μώϋσον εὔχεσθαι τῷ θεῷ, ἤδη ποτὲ τοὺς λαοὺς παῦσαι τῶν κακοπαθειῶν. Ἱλασκομένου δ' αὐτοῦ, αἰφνιδίως φησὶν ἐκ τῆς γῆς πῦρ ἀναφθῆναι, καὶ τοῦτο καίεσθαι, μήτε ὕλης μήτε ἄλλης τινὸς ξυλείας οὔσης ἐν τῷ τόπῳ. Τὸν δὲ Μώϋσον δείσαντα τὸ γένος (ἴσ. γεγονὸς) φεύγειν· φωνὴν δ' αὐτῷ θείαν εἰπεῖν, στρατεύειν ἐπ' Αἴγυπτον, καὶ τοὺς Ἰουδαίους διασώσαντα, εἰς τὴν ἀρχαίαν ἀγαγεῖν πατρίδα. Τὸν δὲ θαρρήσαντα, δύναμιν πολεμίαν ἐπάγειν διαγνῶναι τοῖς Αἰγυπτίοις. Πρῶτον δὲ πρὸς Ἀάρωνα τὸν Ἀδελφὸν ἐλθεῖν. Τὸν δὲ βασιλέα τῶν Αἰγυπτίων πυθόμενον τὴν τοῦ Μωΰσου παρουσίαν, καλέσαι πρὸς αὐτὸν, καὶ πυνθάνεσθαι ἐφ' ὅτῳ ἥκοι. τὸν δὲ φάναι προστάξαι αὐτῷ τὸν τῆς οἰκουμένης δεσπότην ἀπολῦσαι τοὺς Ἰουδαίους. Τὸν δὲ πυθόμενον εἰς φυλακὴν αὐτὸν καθεῖρξαι. Νυκτὸς δὲ ἐπιγενομένης, τάς τε θύρας πάσας αὐτομάτως ἀνοιχθῆναι τοῦ δεσμωτηρίου καὶ τῶν φυλάκων οὓς μὲν τελευτῆσαι, τινὰς δὲ ὑπὸ τοῦ ὕπνου παρεθῆναι, τά τε ὅπλα κατεαγῆναι· ἐξελθόντα δὲ τὸν Μώϋσον, ἐπὶ τὰ βασίλεια ἐλθεῖν εὑρόντα δὲ ἀνεῳγμένας τὰς θύρας εἰσελθεῖν καὶ ἐνθάδε τῶν φυλάκων παρειμένων τὸν βασιλέα ἐξεγεῖραι. Τὸν δὲ ἐκπλαγέντα ἐπὶ τῷ γεγονότι, κελεῦσαι τῷ Μωΰσῳ, τὸ τοῦ πέμψαντος αὐτὸν θεοῦ εἰπεῖν ὄνομα, διαχλευάσαντα αὐτόν· τὸν δὲ προσκύψαντα πρὸς τὸ οὖς εἰπεῖν, ἀκούσαντα δὲ τὸν βασιλέα πεσεῖν ἄφωνον, διακρατηθέντα δὲ ὑπὸ τοῦ Μωΰσου, πάλιν ἀναβιῶσαι· γράψαντα δὲ τοὔνομα εἰς δέλτον κατασφραγίσασθαι· τῶν δὲ ἱερέων τὸν ἐκφαυλίσαντα τὰ ἐν τῇ πινακίδι γεγραμμένα, μετὰ σπασμοῦ τὸν βίον ἐκλιμπάνειν. εἰπεῖν τε τὸν βασιλέα σημεῖόν τι αὐτῷ ποιῆσαι. Τὸν δὲ Μώϋσον, ἣν εἶχε, ῥάβδον ἐκβαλόντα, ὄφιν ποιῆσαι. πτοηθέντων δὲ πάντων, ἐπιλαβόμενον τῆς οὐρᾶς ἀνελέσθαι καὶ πάλιν ῥάβδον ποιῆσαι. Hic iterum fabulæ mistæ veritati: Moysum precibus suis apud Deum contendisse de liberatione populi Israël: Esto. Erupisse è terra ignem sine ulla materia. Nam rubum nescivit. Hoc prodigium exterruisse Mosen, quem voce Divina jussum esse dicit, ut Ægyptum bello invaderet ad reducendum populum. Id cum ille in animo haberet prius convenisse fratrem. Regem Ægypti, cognito Mosis adventu, ad se vocasse & quæsivisse quo fine Ægyptum adiisset. Cumque responsum ille dedisset, orbis Dominum jubere uti Judæos dimitteret, compactum esse in carcerem: è quo nocte sequente, foribus sponte apertis, custodibusque partim mortuis,

partem in somnum solutis, armisque fractis exiisse Mosen in regiam: illic, cum fores apertæ essent & oppressi custodes, regem excitasse. Qui perculsus jusserit per irrisionem uti Moses Dei, qui miserat, ederet nomen. Hunc inflexo corpore ad aurem dixisse, regemque eo audito concidisse mutum, at à Mose confirmatum, revixisse. Mosen nomen id inscripsisse tabulæ & obsignasse, Sacerdotum è numero quendam qui tabellæ inscripta ridebat, cum spasmo exspirasse. Jussisse etiam regem ut signum ederet: tum Moysum, virgam quam gestabat projectam mutasse in draconem: cunctisque paventibus, arreptum cauda serpentem, in virgam restituisse. Porro historiam miraculorum eductionisque veriorem connectit: Προελθόντα δὲ μικρὸν τὸν Νεῖλον τῇ ῥάβδῳ πατάξαι· τὸν δὲ ποταμὸν πολύχουν γενόμενον κατακλύζειν ὅλην τὴν Αἴγυπτον. ἀπὸ τότε δὲ καὶ τὴν κατάβασιν αὐτοῦ γίνεσθαι * Συναγαγὸν δὲ τὸ ὕδωρ ἀποζέσαι καὶ τὰ ποτάμια διαφθεῖραι ζῷα, τούς τε λαοὺς διὰ τὴν δίψαν φθείρεσθαι. Τὸν δὲ βασιλέα τούτων γενομένων τῶν τεράτων φάναι μετὰ μῆνα τοὺς λαοὺς ἀπολύσειν, ἐὰν ἀποκαταστήσῃ τὸν ποταμόν. Τὸν δὲ Μώϋσον πάλιν τῇ ῥάβδῳ πατάξαντα τὸ ὕδωρ συστεῖλαι τὸ ῥεῦμα. Τούτου δὲ γενομένου, τὸν βασιλέα τοὺς ἱερεῖς τοὺς ὑπὲρ Μέμφιν καλέσαι, καὶ φάναι αὐτοὺς ἀναιρήσειν καὶ τὰ ἱερὰ κατασκάψειν, ἐὰν μὴ καὶ αὐτοὶ τερατουργήσωσι. Τοὺς δὲ τότε διά τινων μαγγανειῶν καὶ ἐπαοιδῶν δράκοντα ποιῆσαι καὶ τὸν ποταμὸν μεταχρῶσαι· τὸν δὲ βασιλέα φρονηματισθέντα ἐπὶ τῷ γεγονότι, πάσῃ τιμωρίᾳ καὶ κολάσει καταικίζειν τοὺς Ἰουδαίους. τὸν δὲ Μώϋσον ταῦτα ὁρῶντα ἄλλα τε σημεῖα ποιῆσαι καὶ πατάξαντα τὴν γῆν τῇ ῥάβδῳ ζῶόν τι πτηνὸν, ὃ λυμήνασθαι τοὺς Αἰγυπτίους, πάντας τε ἐξελκωθῆναι τὰ σώματα. Τῶν δὲ ἰατρῶν μὴ δυναμένων ἰᾶσθαι τοὺς κάμνοντας, οὕτω πάλιν ἀνέσεως τυχεῖν τοὺς Ἰουδαίους. Πάλιν τε τὸν Μώϋσον βάτραχον ἀπὸ τῆς ῥάβδου ἀνεῖναι, πρὸς δὲ τούτοις ἀκρίδας καὶ σκνῖπας. Διὰ τοῦτο δὲ καὶ τοὺς Αἰγυπτίους τὴν ῥάβδον ἀνατιθέναι εἰς πᾶν ἱερόν, ὁμοίως δὲ καὶ τῇ Ἴσιδι, διὰ τὸ τὴν γῆν εἶναι Ἶσιν, παιομένην δὲ τῇ ῥάβδῳ τὰ τέρατα ἀνεῖναι. Τοῦ δὲ βασιλέως ἔτι ἀφρονοῦντος, τὸν Μώϋσον χάλαζάν τε καὶ σεισμοὺς διὰ νυκτὸς ἀποτελέσαι, ὥστε τοὺς τὸν σεισμὸν φεύγοντας, ἀπὸ τῆς χαλάζης ἀναιρεῖσθαι, τούς τε τὴν χάλαζαν ἐκκλίνοντας, ὑπὸ τῶν σεισμῶν διαφθείρεσθαι. Συμπεσεῖν δὲ τότε τὰς μὲν οἰκίας πάσας, τῶν τε ναῶν τοὺς πλείστους. Τελευταῖον τοιαύταις συμφοραῖς περιπεσόντα τὸν βασιλέα, τοὺς Ἰουδαίους διαλῦσαι. Τοὺς δὲ χρησαμένους παρὰ τῶν Αἰγυπτίων, πολλὰ μὲν ἐκπώματα, οὐκ ὀλίγον δὲ ἱματισμὸν, ἄλλην τε παμπληθῆ γάζαν, διαβάντας τοὺς κατὰ Ἀραβίαν ποταμοὺς, καὶ διαβάντας ἱκανὸν τόπον ἐπὶ τὴν ἐρυθρὰν τριταίους ἐλθεῖν θάλασσαν. Καὶ Μεμφίτας μὲν λέγειν ἔμπειρον ὄντα τὸν Μώϋσον τῆς χώρας τὴν ἄμπωτιν τηρήσαντα, διὰ ξηρᾶς τῆς θαλάσσης τὸ πλῆθος περαιῶσαι. Ἡλιουπολίτας δὲ λέγειν, ἐπικαταδραμεῖν τὸν βασιλέα μετὰ πολλῆς δυνάμεως, ἅμα καὶ τοῖς καθιερωμένοις ζῴοις, διὰ τὸ τὴν ὕπαρξιν τοὺς Ἰουδαίους τῶν Αἰγυπτίων χρησαμένους διακομίζειν. Τῷ δὲ Μωΰσῳ θείαν φωνὴν γενέσθαι, πατάξαι τὴν θάλασσαν τῇ ῥάβδῳ τοῦ ὕδατος, καὶ οὕτω τὸ μὲν νᾶμα διαστῆναι, τὴν δὲ δύναμιν διὰ ξηρᾶς ὁδοῦ πορεύεσθαι. Συνεμβάντων δὲ τῶν Αἰγυπτίων καὶ διωκόντων, φησὶ πῦρ αὐτοῖς ἐκ τῶν ἔμπροσθεν ἐκλάμψαι, τὴν δὲ θάλασσαν πάλιν τὴν ὁδὸν ἐπικλύσαι· τοὺς δὲ Αἰγυπτίους ὑπό τε τοῦ πυρὸς καὶ τῆς πλημμυρίδος πάντας διαφθαρῆναι, τοὺς δὲ Ἰουδαίους διαφυγόντας τὸν κίνδυνον, τριάκοντα ἔτη ἐν τῇ ἐρήμῳ διατρέψαι, βρέχοντος αὐτοῖς τοῦ θεοῦ κρίμνον, ὅμοιον ἐλύμῳ, χιόνι παραπλήσιον τὴν χρόαν, γεγονέναι δέ φησι τὸν Μώϋσον, μακρὸν, πυρρακῆ, πολιὸν, κομήτην, ἀξιωματικόν. Ταῦτα δὲ πρᾶξαι περὶ ἔτη ὄντα ὀγδοήκοντα ἐννέα. Plagas Ægyptias recenset septem numero: Flumen in sanguinem conversum, ערוב / ulcera, ranas, locustas, cyniphas, grandinem. Flumen sanguinans obscure describit, sed locus (uti videtur) cubat in mendo. Percussum virga exundasse, deinde & resedisse. Collectamque in se aquam efferbuisse & interemisse fluviales animantes. Mosen redegisse fluvium in statum quietis, suamque consistentiam. ערוב reddit ζῶόν τι πτηνὸν, (κυνόμυια) כנם σκνῖπας. Terræ motum adjungit grandini, quem non refert Scriptura: fortassis habuit à sacerdotibus Ægyptiis, quemad-

modum Memphitas & Heliopolitanos commemorat diversa sensisse & jactasse de transitu maris Rubri. Nihil habet de Paschali agno, nihil de columna ὁδηγῷ &c. Et virgam in templis Ægyptiorum, potissimum Isidos consecratam notare dicit, quod terra ejusmodi animalia ediderit, postquam baculo percussa esset. Terræ non virtuti Divinæ attribuit originem & vim θαυματοποιόν. Proinde non scripsit Ἰουδαϊκῶς sed ἐθνικῶς. Mosen tamen depingit. Fieri potest, quod Heliopolitani in suis annalibus habitum Mosis annotaverint. At de Manna quod habet, habuit aliunde, ex aliis scriptoribus, qui res Judæorum conscripserant. Appellat κέγχρον, ὅμοιον ἐλύμῳ. Rectè κέγχρον vocat, erat enim tanquam farina crassior alibilis succi, panico similis, candida instar nivis. Clemens Stromatum lib. 1. docet regem illum Ægypti, sub quo eductus est populus, vocatum esse Nechephthen.

De eisdem ex tragico poëta Ezechielo.

EZecielus in carmine, quod inscripsit ἐξαγωγὴν post ea, quæ superiori volumine narrata sunt, liberationem incipit describere. Hic inchoat poëtice à somnio, quod Moses à se visum exponit socero, quodque socer interpretatur, δι' ἀμοιβαίων.

Ἐδόκουν ὁρᾶν κατ' ἄκρα τοῦ θρόνον μέγαν
Τιν' εἶναι μέχρις οὐρανοῦ βεβηκότα,
Ἐν ᾧ καθῆσθαι φῶτα γενναῖόν τινα
Διάδημ' ἔχοντα καὶ μέγα σκῆπτρον χερὶ
Εὐωνύμῳ μάλιστα. δεξιᾷ δέ μοι
Ἔνευσε, κἀγὼ πρόσθεν ἐστάθην θρόνου.
Σκῆπτρον δ' ἐμοὶ παρέδωκεν, καὶ εἰς θρόνον
Μέγαν μ' εἶπεν καθῆσθαι. βασιλικὸν δέ μοι ἔδωκε
Διάδημα. καὶ αὐτὸς ἐκ θρόνου χωρίζεται.
Ἐγὼ δ' εἰσεῖδον γῆν ἅπασαν ἔγκυκλον,
Καὶ ἔνερθεν γαίας κ' ἐξύπερθεν οὐρανοῦ,
Καί μοι τι πλῆθος ἀστέρων πρὸς γούνατα
Ἔπιπτ', ἐγὼ δ' ἐξῆς πάντας ἐξηριθμησάμην.
Κἀμοὶ παρῆγεν ὡς παρεμβολὴ βροτῶν.
Εἶτ' ἐμφοβηθεὶς ἐξανίσταμαι ἐξ ὕπνου.

Videbar videre in summo vertice ingentem thronum
Aliquem esse, qui celum contingeret.
In quo considere hominem nobilem,
Diadema gestantem & magnum sceptrum manu
Sinistra scilicet. Dextera autem mihi
Annuit & ego ante solium adstiti.
Sceptrum autem mihi tradit & in throno
Magno jubet me considere. Regiumque mihi dedit
Diadema atque ipse sponte è throno digreditur.
Ego autem intueor terram omnem rotundam
Et infra terram & supra celum:
Mihique multitudo siderum ad genua

Acci-

Accidebat: ego verò ordine omnia enumerabam
Proceditque mihi tanquam exercitus mortalium.
Hinc timore ictus exilio somno.

Socer autem somnium ita interpretatur:

Ὦ ξεῖνε, καλόν σοι τοῦτ' ἐσήμηνεν θεός.
Ζώην δ' ὅταν σοι ταῦτα συμβαίνῃ ποτέ.
Ἆρά γε μέγαν τιν' ἐξαναστήσεις θρόνον.
Καὐτὸς βραβεύσεις καὶ καθηγήσῃ βροτῶν.
Τὸ δ' ἐσαθρῆσαι γῆν ὅλην οἰκουμένην,
Τά θ' ὑπένερθεν καὶ τὰ ὑπὲρ οὐρανὸν θεοῦ
Ὄψει τά τ' ὄντα τά τε πρὸ τοῦ, τά θ' ὕστερον.

O Hospes, egregium tibi hoc indicavit Deus:
Vivam autem, ubi tibi hæc evenerint.
Utique magnum quoddam eriges solium,
Tuque imperabis & preeris mortalibus.
Quod autem videris orbem totum,
Queque sub & supra cælum sunt,
Videbis quæ sunt, quæ fuerunt, queque deinde erunt.

De rubo ardente deque legatione ad Pharaonem, iterum introducit Mosen alternis differentem cum Deo. Moses:

Ἔα· τί μοι σημεῖον ἐκ βάτου τόδε;
Τεράστιόν τε καὶ βροτοῖς ἄπιστον ὄν;
Ἄφνω βάτος μὲν καίεται πολλῷ πυρί,
Αὐτοῦ δὲ χλωρὸν πᾶν μένει τὸ βλαστάνον.
Τί δή; προελθὼν ὄψομαι τεράστιον
Μέγιστον. οὐ γὰρ πίστιν ἀνθρώποις φέρει.

Hem, quod signum mihi hoc è rubo?
Prodigiosum & mortalibus non credendum?
Repente quidem rubus accenditur magno igni,
Ipsius autem omnis viror manet in germine.
Quid enim? Progressus videbo prodigium
Magnum. Non enim fidem apud homines feret.

Ei respondisse Deum è rubo:

Ἐπίσχες ὦ φέριστε, μὴ προσεγγίσῃς
Μωσῆ, πρὶν ἢ τῶν σῶν ποδῶν λύσαι δέσιν.
Ἁγία γὰρ ἡ γῆ, ὅπου σὺ ἐφέστηκας, πέλει.
Ὁ δ' ἐκ βάτου σοι θεῖος ἐκλάμπει λόγος·
Θάρσησον ὦ παῖ, καὶ λόγων ἄκου' ἐμῶν·
Ἰδεῖν γὰρ ὄψιν τὴν ἐμὴν ἀμήχανον
Θνητὸν γεγῶτα· τῶν λόγων δ' ἔξεστί σοι
Ἐμῶν ἀκούειν, τῶν εἵνεκ' ἐλήλυθα.

Cc 2 Ἐγὼ

Ἐγὼ θεὸς σῶν, ὧν λέγεις, γεννητόρων,
Ἀβραάμτε καὶ Ἰσαὰκ, καὶ Ἰακώβου τρίτου,
Μνησθεὶς δ' ἐκείνων, καὶ ἔτ' ἐμῶν δωρημάτων.
Πάρειμι σῶσαι λαὸν ἑβραίων ἐμὸν,
Ἰδὼν κάκωσιν καὶ πόνον δούλων ἐμῶν.
Ἀλλ' ἕρπε καὶ σήμαινε τοῖς ἐμοῖς λόγοις,
Πρῶτον μὲν αὐτοῖς πᾶσιν ἑβραίοις ὁμοῦ,
Ἔπειτα βασιλεῖ, τὰ ὑπ' ἐμοῦ τεταγμένα,
Ὅπως σὺ λαὸν τὸν ἐμὸν ἐξάγῃς χθονός.

Siſte ô optime, ne appropinques
Moſe antequam ſolveris pedum tuorum vincula.
Sancta enim terra, ubi conſiſtis, eſt:
E Rubo autem tibi divinus effulget ſermo:
Confide fili, & ſermones audi meos:
Videre enim meam faciem, impoſſibile
Mortalem natum: Sermones autem licet tibi
Meos audire, quorum cauſa adveni.
Ego Deus tuorum, quos dicis, progenitorum
Abraam, Iſaac & Iacobi tertii.
Recordatus autem eorum & porro meorum donorum,
Adſum ſalvum facere populum Hebrorum meum,
Cum viderim vexationem & laborem ſervorum meorum.
Enimvero perge, & ſignifica meis verbis,
Primum quidem ipſis omnibus Hebræis ſimul
Deinde regi, quę apud me conſtituta ſint.
Ut tu populum meum educas ſolo.

Deinde alternos quoſdam ſermones poſtquam ſubjecit (ὑποβὰς τινὰ ἀμοιβαῖα) Moſes ita fatur:

Οὐκ εὔλογος πέφυκα, γλῶσσα δ' ἐστί μοι
Δύσφραστος, ἰσχνόφωνος, ὥστε μὴ λόγους
Ἐμοὺς γενέσθαι βασιλέως ἐναντίον.

Non idoneus ſum, ſed lingua mihi eſt
Tarda, gracilis ſoni, ut ſermones mei
Non ſint convenientes apud regem.

Hic Deus reſpondet:

Ἀάρωνα πέμψον σὸν κασίγνητον ταχὺ,
Ὧι πάντα λέξεις τἀξ ἐμοῦ λελεγμένα,
Κἀυτὸς λαλήσει βασιλέως ἐναντίον,
Σὺ μὲν πρὸς ἡμῶν, ὁ δὲ λαβὼν σέθεν πάρα.

Aaronem mitte tuum fratrem citò,

Cui omnia dices quæ à me dicta;
Et ipse loquetur rege coram;
Tu quidem à nobis, ille autem accepta à te.

De virga aliisque prodigiis ita alternis:

D. Τί δ' ἐν χεροῖν σου τοῦτ' ἔχεις; λέξον ταχύ.
M. Ῥάβδον τετραπόδων καὶ βροτῶν κολαστρίαν.
D. Ῥῖψον πρὸς οὖδας καὶ ἀποχώρησον ταχύ,
Δράκων γὰρ ἔσται φοβερὸς, ὥστε θαυμάσαι;
M. Ἰδοὺ βέβληται. Σὺ δέ μοι πρὸς ἵλεως γενοῦ.
Ὡς φοβερὸς, ὡς πέλωρος· οἴκτειρον σύ με,
Πέφρικα ἰδὼν, μέλη δὲ σώματος τρέμει.
D. Μηδὲν φοβηθῇς, χεῖρα δ' ἐκτείνας λαβὲ
Οὐρὰν, πάλιν δὲ ῥάβδος ἔσεται ἥπερ ἦν.
Ἔνθες δὲ χεῖρα εἰς κόλπον, ἐξενεγκέ τε.
M. Ἰδοὺ τὸ ταχθὲν, γέγονεν ὥσπερεὶ χιών.
D. Ἔνθες πάλιν δ' εἰς κόλπον, ἔσται δ' ὥσπερ ἦν.

D. *Quid tu in manibus gestas? dic cito.*
M. *Virgam quadrupedum & mortalium coercitricem.*
D. *Projice humi & abi cito.*
Draco enim fiet terribilis, ut stupeas.
M. *Ecce projecta est. Tu vero mihi propitius esto:*
Ut terribilis, ut longus: misereſcat te mei.
Inhorrui videndo, membra autem corporis tremunt.
D. *Nihil metuas, at extensa manu cape*
Caudam, eritque iterum virga, qualis fuerat.
Insere manum gremio & educito.
M. *Ecce, quod jussum est: facta est tanquam nix.*
D. *Insere iterum in sinum, eritque ut fuerat*

De miraculis, quæ per Mosen facta sint, Deum in hunc modum inducit loquentem.

Ἐν τῇδε ῥάβδῳ πάντα ποιήσεις κακά.
Πρῶτον μὲν αἷμα ποτάμιον ῥυήσεται
Πηγαῖσι πᾶσι καὶ ὑδάτων συστήμασι.
Βατράχων τε πλῆθος, καὶ σκνῖπας ἐμβαλῶ χθονί.
Ἔπειτα τέφραν δεῖν καμιναίαν ἀστρῶ,
Ἀναβλυσεῖ δ' ἐν βροτοῖς ἕλκη πικρά.
Κυνόμυια δ' ἥξει καὶ βροτοὺς Αἰγυπτίους
Πολλοὺς κακώσει. Μετὰ δὲ ταῦτ' ἔσται πάλιν
Λοιμὸς, θανοῦνται δ' οἷς ἔνεστι καρδία
Σκληρά. Πικρανῶ δ' οὐρανὸν χάλαζα σὺν
Σποδῷ πυρὶ πεσεῖται καὶ κτενεῖ θνητοὺς βροτούς.
Καρποί τ' ὀλοῦνται, τετραπόδων τε σώματα.
Σκότος δ' ἐνθήσω τρεῖς ἐφ' ἡμέρας ὅλας,

Ἀκρίδας τε πέμψω, αἳ περὶξ τὰ βρώματα
Ἅπαντ' ἀναλώσουσι καὶ καρποῦ χλόην.
Ἐπὶ πᾶσι τεύξις τίκν' ἀποκτενῶ βροτῶν
Πρωτόγονα. παύσω δ' ὕβριν ἀνθρώπων κακῶν.
Φαραὼ δὲ βασιλεὺς πείσετ' ὐδὲν ὧν λέγω,
Πλὴν τέκνον αὐτοῦ πρωτόγονον ἕξει νεκρόν·
Καὶ τότε φοβηθεὶς λαὸν ἐκπέμψει ταχύ.

Hac virga omnia facies mala.
Primum quidem sanguis fluvialis fluet,
Omnesque fontes & aquarum confluges.
Ranarumq; multitudinem & ciniphes immittam terræ.
Hinc favillam tanquam è camino seram,
Effervescent autem in mortalibus dira ulcera.
Cynomyia veniet & mortales Ægyptiorum
Multos vexabit. Post hæc iterum erit
Pestis, morientur quibus in pectore cor est
Durum. Durum faciam cælum: Grando nunc
Cum igne cadet & mortuos dabit homines.
Fructusque peribunt & quadrupedum corpora.
Tenebras ponam diebus totis tribus
Locustasque mittam, quæ circum alimenta
Omnia consument & frugum virorem.
Posthæc omnia sobolem interimam mortalium
Primogenitam: faciamque cessare proterviam hominum malorum.
Pharao autem rex nihil credet eorum quæ dico:
Cæterum filium suum primogenitum habebit mortuum,
Et tunc metuens populum dimittet cito.

Vides plagas alio ordine enumeratas, quam sunt in Hebræo textu & Græca versione nec tamen ipsi convenit cum Philone. Hinc paschatis institutionem commemorat, eorumque quæ eo pertinent aut ejus temporis fuere. Inducit in sequentibus Ægyptium è clade nuntium referentem Ægyptiorum persecutionem & interitum in transitu maris Rubri.

Ὡς γὰρ σὺν ὄχλῳ τῷ δ' ἀφώρμησεν δόμων
Βασιλεὺς Φαραώ, μυρίων ὅπλων μέτα,
Ἵππους τε πάσης ἁρμάτων τε τετραόρων
Καὶ πρωτοστάταισι καὶ παραστάταις ὁμοῦ,
Ἦν πᾶσι φρικτὸς ἐκτεταγμένων ὄχλος.
Πεζοὶ μὲν ἐν μέσοισι καὶ φαλαγγικοί,
Διεκδρομῆς ἔχοντες ἅρμασιν τόπους·
Ἱππεῖς δ' ἔταξε, τοὺς μὲν ἐξ εὐωνύμων,
Ἐκ δεξιῶν δέ τινας Αἰγυπτίου στρατοῦ.
Τὸν πάντα δ' ἀριθμὸν αὐτῶν ἠρόμην ἐγώ·
Στρατοῦ μυριάδες ἑκατὸν εὐάνδρου λεώς.

Ἐπεὶ δ' ἑβραίων ἡμῖν ἤγγισεν στρατὸς,
Οἱ μὲν παρ' ἀκτὴν πλησίον βεβλημένοι
Ἐρυθρᾶς θαλάσσης ἦσαν ἠθροισμένοι·
Οἱ μὲν τέκνοισι νηπίοις δίδουν βορὰν,
Ὁμοῦ τε καὶ δάμαρσιν. ἠμένοι κόπῳ.
Κτήνη τε πολλὰ καὶ δόμων ἀποσκευή.
Αὐτοὶ δ' ἄνοπλοι πάντες εἰς μάχην χερὸς,
Ἰδόντες ἡμᾶς ἐλάλαξαν ἔνδακρυν
Φωνὴν, πρὸς αἰθέρα τ' ἐστήθησαν ἀθρόοι
Θεὸν πατρῷον. πολὺς δ' ἦν ἀνδρῶν ὄχλος
Ἡμᾶς δὲ χάρμα πάντας εἶχεν ἐν μέρει.
Ἔπειθ' ὑπ' αὐτοὺς θήκαμεν παρεμβολὴν,
Βεελζεφὼν τις κλήζεται πόλις βροτοῖς.
Ἐπεὶ δὲ Τιτὰν ἥλιος δυσμαῖς προσῆν,
Ἐπίσχομεν. θέλοντες ὄρθριον μάχην,
Πεποιθότες λαοῖσι καὶ φρακτοῖς ὅπλοις.
Ἔπειτα θείων ἄρχεται τεραστίων,
Θαῦμας ἰδέσθαι. Καί τις ἐξαίφνης μέγας
Στύλος νεφώδης ἐστάθη πρὸ γῆς μέγας,
Παρεμβολῆς ἡμῶν τε καὶ ἑβραίων μέσος.
Κἄπειτ' ἐκείνων ἡγεμὼν Μωσῆς, λαβὼν
Ῥάβδον θεοῦ, τῇ δὴ πρὶν Αἰγύπτῳ κακὰ
Σημεῖα καὶ τέρατ' ἐξεμηχανήσατο,
Ἔτυψεν ἐρυθρᾶς νῶτα καὶ ἔσχισεν μέσον
Βάθος θαλάσσης, οἱ δὲ σύμπαντες σθένει
Ὥρμησαν ὠκεῖς ἁλμυρᾶς δι' ἀτραποῦ.
Ἡμεῖς δ' ἐπ' αὐτῆς ᾠχόμεσθα συντόμως.
Κατ' ἴχνος τ' αὐτῶν, νυκτὸς εἰσεδύσαμεν
Βοηδρομοῦντες· ἁρμάτων δ' ἄφνω τροχοὶ
Οὐκ ἐστρέφοντο, δέσμιοι δ' ὡς ἥρμοσαν.
Ἀπ' οὐρανοῦ δὲ φέγγος ὡς πυρὸς μέγα
Ὤφθη τι ἡμῖν ὡς μὲν εἰκάζειν, παρῆν
Αὐτοῖς ἀρωγὸς ὁ θεός. ὡς δ' ἤδη πέρας
Ἦσαν θαλάσσης κῦμα δ' ἐρρόιβδει μέγα
Σύνεγγυς ἡμῶν· καί τις ἠλάλαξ' ἰδὼν,
Φεύγωμεν οἴκοι πρόσθεν ὑψίστου χερός.
Τοῖς μὲν γάρ ἐστ' ἀρωγὸς, ἡμῖν δ' ἀθλίοις
Ὄλεθρον ἔρδει· καὶ συνεκλύσθη πόρος
Ἐρυθρᾶς θαλάσσης, καὶ στρατὸν διώλεσεν.

Ut enim cum turba iſta exiit domo
Rex Pharao, cum armis immenſis
Omnique equitatu & quadrijugis curribus,
Et cum propugnatoribus & auxiliariis ſimul.
Erat omnibus formidoloſa diſpoſitorum turba.
Pedites quidem in medio & phalangici
Ex intervallo habentes curribus loca:
Equites autem ſtatuit, alios à ſiniſtris

Quoſ-

Quosdam parte dextera Ægyptii exercitus.
Omnem numerum eorum ego quærebam:
Copiarum decies centena millia, egregiorum virorum turba erat,
Postquam Hebræorum in propinquo nobis erat exercitus,
Alii ad littus prope projecti
Rubri maris erant conferti.
Alii liberis infantibus dabant alimentum,
Et conjugibus simul, fatigati lassitudine
Iumentaque multa & ædium supellex.
Ipsi autem omnes inermes ad conserendam manum
Cum nos viderent, extulerunt flebilem
Vocem, & ad æthera stabant erecti confertim
Deum patrium. Magna autem erat virorum turba,
Nos autem omnes lætitia habuit sigillatim.
Deinde, juxta ipsos posuimus castra,
Beelzephon quædam vocatur urbs hominibus.
Quoniam autem Titan Sol prope occasum erat,
Continemus nos, meditantes matutinam pugnam,
Confisi turbis & terribilibus armis.
Hinc incipit divina miracula,
Miranda visu. Et quædam mox ingens
Columna nubea stetit ante terram ingens
Castrorum nostrorum & Hebræorum media.
Deinde eorum dux Moses, capta,
Virga Dei (qua ante Ægypto mala
Signa & prodigia machinatus erat)
Percussit Rubri dorsa & discidit medium
Profundum maris. Illi autem omnes vi
Ruunt celeres per salsam semitam.
Nos vero in ipsam ibamus compendio,
Iuxtaque vestigium eorum nocte ingrediebamur
Cursu & cum clamore: currum autem repente rotæ
Non volvebantur, sed velut ligatæ, constiterunt.
A cælo autem splendor tanquam ignis, ingens
Visus est nobis. Ut quidem conjicere licet, adfuit
Ipsis opitulator Deus. Ubi jam trajecerant
Mare, fluctus autem insonabat ingens
Prope nos: etiam aliquis viso ululabat:
Fugiamus domum ab Altissimi manu.
Illis enim auxiliator Deus est, nobis autem miseris

Perniciem molitur. Tum fluctu obruitur transitus
Rubri maris & exercitum delet.

Quis ipsi dixit, in exercitu Ægyptiorum fuisse decies centena millia hominum? Poëtica id audacia finxit. Post verba θεὸν πατρῷον videtur aliquid deesse, nisi dixeris istum Ægyptium existimare quod Æthera sive cælum colerent Israëlitæ, quod ea tempestate, qua Ezeciclus vivebat, objici solebat Judæis; juxta illud Petronii: *Et cæli summas invocet auriculas.* De palmis ac fontibus in Elim, etiam poëtice idem Ezecielus. Ubi exploratores præmissi nuntiant:

Κράτιστε Μωσῆ πρόσχες, οἷον εὕρομεν
Τόπον, πρὸς αὐτῇ τῇδε εὐαεῖ νάπῃ
Ἔστι γὰρ ὥςπου καὶ σὺ τυγχάνεις ὁρῶν
Ἐκεῖ * πόθεν δὲ φέγγος ἐξέλαμψέ νυν
Καὶ εὐφροσύνης σημεῖον ὡς στῦλος πυρός.
Ἐνταῦθα λειμῶν' εὕρομεν κατάσκιον
Ὑγράς τε λιβάδας δαψιλὴς χῶρος βαθὺς
Πηγὰς ἀφύσσων δώδεκ' ἐκ μιᾶς πέτρας.
Στελέχη δ' ἐρυμνὰ πολλὰ φοινίκων πέλει
Ἔγκαρπα, δεκάκις ἑπτὰ καὶ ἐπίρρυτος
Πέφυκε χλόη θρέμμασιν χορτάσματα

Optime Mose attende, qualem invenerimus
Locum, ad ipsum hunc odoriferum saltum.
Nam etiam tu conspicere potes:
Illic, unde splendor effulsit nobis
Et lætitiæ signum, ut columna ignis:
Illic saltum invenimus opacum
Liquidosque latices. Fertilis densus locus
Fontes scaturiens duodecim ex una rupe.
Et trunci validi plures palmarum sunt
Fructiferi, decies septem & irriguus
Germinat viror, pecori pabula.

Saltum istum supra modum celebrat, cui affingit splendorem instar columnæ in cælum euntem. Illic quoque Phœnicem avem visam esse, cujus speciem exponit in sequentibus, de quibus in Heptaëmero. Ex Demetrio Phalerensi nihil hic afferre possumus aut parum, nihil etiam ex Eupolemo. Demetrius ille, qui tam sæpe à Josepho, Eusebio, Clemente vocatur in partes (& omnium diligentissimè conscripsit historiam Judæorum) à Josepho appellatur Phalereus. Hunc etiam itinera & mansiones oberrationesque in deserto descripsisse colligimus ex Eusebio, sed ea non exstant. Hunc esse Atheniensem illum de quo apud Plinium, Strabonem, Diogenem Laertium aliosque seculi scriptores, persuaderi non possum: at inquisitio alterius loci erit.

FINIS.

De informatione populi Israël ad montem Sina.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

CAP. XXVII.

EXin ad Sinam montem perventum. Ibi Moses à Domino monetur, populus ut sanctificaretur, auditurus Dei voces: idque solicite curatum. Sed ubi Deus monti institit, validis tubarum clangoribus aër quatiebatur, crassæque nubes crebris cum fulminibus advolvebantur. Sed Moyses & Aaron in montis cacumine Dominum propter, populus circa montis ima constitit. Ità lex lata multiplex & copiosa Dei verbis & sæpè repetita: cujus siquis erit curiosior, fontem ipsum adeat, nos eam breviter perstringimus. Non erunt, inquit, tibi Dei alieni præter me: Non facies tibi idolum: Non sumes nomen Dei tui in vanum: Sabbato nullum opus facies: Honorifica patrem tuum & matrem tuam: Non occides: Non mœchaberis: Non furtum facies. Non falsum testimonium dices adversus proximum tuum: Non concupisces quidquam proximi tui.

DRUSIUS.

AD SINAM MONTEM] culpatur hoc loco Sulpicius quod montem Sinam dixerit, cum Sina, ut ajunt, non montis nomen sit, sed deserti: in quo mons ille fuit, qui propterea mons Sinai dicitur, id est, deserti Sinai. Quod Græcè manifestius esset τὸ ὄρος τῆς σινᾶ, non τὸ σινᾶ. Hanc sententiam tuentur Hieronymus ab Oleastro & Carolus Sigonius. Sed ei repugnat primum Josephus Orig. lib. 3. cap. 4. deinde editio Græca τῶν ό, in qua Exod. 29. τὸ ὄρος τὸ σινᾶ, legitur, & εἰς τὴν ἔρημον τῆς σινᾶ. Postremo Apostolus in epistola ad Galatas, cap. 4. vers. 25. Σινᾶ ὄρος ἐστιν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ: Sina mons est in Arabia. Hinc apparet nomen montis esse Sina, non deserti. Forte desertum Sinai, in quo mons ille. Nihil adfirmo. Theologi veteres scribunt hunc montem alio nomine Horeb dictum fuisse: potest esse ut Horeb pars fuerit montis Sinai. Sic differunt Sion & Moria, cum collis montis Sion propriè hoc nomine dicatur. De Sina monte Sulpicius noster dial. 1. cap. 11. ubi sic Posthumianus ex oriente reversus, *Rubrum mare vidi, jugum Sina montis ascendi, cujus summum cacumen cælo penè contiguum nequa-*

quaquam adiri potest. Perventum autem fuit ad hunc montem tertio mense post exitum ex Ægypto.

SINA] σινᾶ est in codicibus Græcis vel σινὰ, errore, ut reor, exscribentium pro σινᾷ in quo jota subscriptum. Nam Ebræi dicunt Sinai. Simile mendum in Σαρᾶ, quod scribendum σαρᾷ, pro σαρὰι, id est, Sarai; ita conjicio: puto autem conjecturam meam non planè vanam esse. Græci vocant Diphthongum impropriam. Nam propria sonum habet duarum vocalium. Unde bivocalis appellatur. Porrò Sinai nomen habere putatur à copia ruborum. Nam rubus סנה vocatur.

POPULUS UT SANCTIFICARETUR] more antiquo, qui sanctificabatur, vestimenta sua perluebat, seque ab uxore abstinebat. Qua de re alias.

TUBARUM] buccinarum potius. Nam est שופר / Exod. 19. 24.

CUM FULMINIBUS] omisit tonitrua, quæ Moses voces appellat, Exod. 19. 16. Alibi est, *voces Dei* eodem sensu. Nam tonitru à Deo.

DOMINUM PROPTER CONSTITIT] Terent. *hic propter hunc adsiste*, id est, propè vel juxtà hunc. Sic *propter Dominum*. Huc refer *propter dormias*, quod explicant similiter propè vel juxtà dormias. Cicero, 6. in Ver. *propter est spelunca quadam.* Idem in Pisonem, *qui propter te sedet.*

LEX LATA] Primum ore Dei pronuntiata fuit ex monte: deinde tabulis lapideis duabus comprehensa, & Mosi tradita ad populum deferenda. In his tabulis decem præcepta continebantur, quæ decem verba Ebræi vocant: unde decalogi nomen. Verbum enim aliquando idem quod præceptum, ut in historia Esther, *Secundum verbum regis*, id est, præceptum, jussum, mandatum. R. Salomo author in Decalogo comprehendi breviter omnia præcepta legis, quæ sunt numero 613. explicata luculenter in libr. qui vocatur per sigla סמג / id est, liber præceptorum magnus. Legis vocabulo veniunt etiam judicia, quæ noster paulò post edicta vocat & statuta, qui sunt ritus sacrorum, ceremoniæque. Quod noto, quia sunt qui legem multiplicem interpretantur triplicem: Quænam hæc triplex lex? Una ad mores pertinet: quocirca moralis vocatur. Altera ad judicia fori spectat, quam ideò judicialem & forensem appellant. Tertia pertinet ad cæremonias ritusque sacros. Has tres leges significant his tribus nominibus מצות προστάγματα ἢ ἐντολαὶ, præcepta sive mandata; משפטים κρίματα; חקים statuta, δικαιώματα καὶ νόμιμα, quod reddunt. *Legitima.*

ET SÆPE REPETITA] quam sæpe nescio, hoc scio repetitam semel Deut. 5. 6. paucis mutatis. Mutatio omnis in verbis est, non in sensu. Verba inventa sunt ad sensum animi significandum. Ea habent rationem corporis, ut sensus animæ, qui in verbis tanquam in vase quodam continetur. Quocirca sapientes de verbis non admodum solliciti fuerunt. Quidam verba similitudinem habere dicunt cum vagina, in qua gladius reconditus. Similiter sensus in verbis latet, unde verborum cognitio imprimis necessaria. Nam rerum cognitio pendet ab iis, ut rectè monet Aristoteles.

FONTEM IPSUM] codicem sacrum.

NON ERUNT TIBI, &c.] Scire licet verbum, quod in Ebræo, singulare esse, ut verti etiam possit, *non erit tibi Deus alius.* Quam ego sane versionem alteri prætulerim. Nomen enim Elohim, tam Deum significat, quam Deos, licet construatur cum adjectivo ejusdem numeri.

ALIENI] ἕτεροι alii, id est, alieni. Sic Hieron. interpretatur. Sunt qui enarrant, *alii à vero.* Nam unus tantum est verus Deus. Cæteri non sunt dii, nisi opinione hominum, qui eos tales faciunt.

Præter Me] ἀλλὰ ἐμοῦ. Sic etiam Oncelos. In Ebræo est עלפני, quod Hiero vertit *coram me*, & Lyra explicat, *nullo unquam loco aut tempore*. Id hausit ex R. Salomone. *Coram me*, quamdiu ego ero, ut *coram sole*, quamdiu erit sol, id est, in æternum.

Idolum] εἴδωλον, hoc est simulachrum numen aliquod repræsentans, sive sculptile fuerit, sive conflatile, non refert. Quanquam in fonte tantum sculptile, id est, γλυπτόν. Id movit credo Senes, ut latiorem vocem εἴδωλα usurparint, quos Sulpicius ut solet secutus est.

Non Sumes Nomen Dei Tui] non jurabis per Deum tuum. Abenesra: *Siquis juraverit per caput regis, nec ratum habuerit juramentum suum, id ei capitale est. Hic mos obtinet hodieque in Ægypto. Quod si dederit pondo auri, non liberatur, quia sprevit Regem palam. Si sic fit regi, qui est caro & sanguis, cujus initium vanitas, finis vanitas, & regnum quoque vanitas: quid fiet Deo, qui millies millesies rege major est?*

In Vanum] ἐπὶ ματαίῳ: quod Aquila dixit εἰς εἰκῇ. Vanum autem jurandum est, quod temerè fit & levi de causa. Nam quod violatur nec ratum habetur perjurium dicitur. Ebræi certè discriminant inter juramentum vanum & falsum. Qua de re diximus alias.

Sabbato] die septimo. Quod non notassem nisi scirem sabbathum aliquando dici ipsam hebdomadam, ut ibi, *jejuno bis in Sabbatho*. Hinc *primo Sabbathi*, quod idem cum illo, prima dies hebdomadæ.

Nullum Opus Facies] Thomas annotat hoc præceptum partim esse morale, partim cæremoniale. Morale quatenus determinat aliquod tempus ad cultum divinum: cæremoniale quatenus diem Saturni ad hoc peculiariter destinat. Quocirca veteres Christiani in ejus locum primum diem hebdomadæ substituerunt, hoc est, diem solis, sive dominicam.

Opus] Servile aut mechanicum. Excipiuntur opera misericordiæ, & quæ à sacerdotibus fiunt in templo: ut circumcidere infantem, unde dicunt, *Circumcisio impellit sabbathum*: item ægroto medicinam facere, & alia consimilia, de quibus alias. Debet etiam hic dies cultui divino consecrari. Sic dico, tum homo sacris vacare debet, ut etiam justitiæ, & abstinere ab omnibus operibus malis & vanis. Proinde Augustinus, *Minus peccat* inquit, *qui eo die arat, quam qui ludit*.

Honorifica] δόξασον. Lexicon vetus, δοξάζω, *glorifico, honorifico, magnifico, nobilito*. Augustinus contra sermonem Arrianorum, *Glorificare & honorificare & clarificare tria quidem verba, sed res una est, quod Græcè dicitur δοξάζειν, interpretum quidem varietate aliter atque aliter positum est in Latino*. Usus est hoc verbo & interpres Sirachidis Ecclesiastici, 10. 31. *fili mi, in mansuetudine honorifica animam tuam*. Quæ lucem accipiunt ex illo Salomonis, *benefacit animæ suæ pius*. Nam honorificat animam suam, hoc est, seipsum, qui corpori ad vitam necessaria suppeditat: item qui legi operam dat. Itaque dictitant, *populus terræ non est pius*, nempe quià non dat operam legi, malè meretur de anima sua. Sic parentes honorat, qui eis victum subministrat egentibus. Qua de re lex est apud Judæos, *Debet filius alere parentem pauperem: si nolit, judices cogunt eum*. Idem sensus in Græco τίμα, quod in editione τῶν LXX. & in Latino Hieron. *honora patrem, &c.* Anselmus Matth. 15. ad locum, *honora patrem & matrem, Honor iste non tantum in salutationibus & officiis deferendis, quantum in eleemosynis & munerum collatione sentitur*. Quæ descripsit ex commentariis Hieronymi ad eundem locum. Vide, si placet. Idem Hieron. in epistola ad Gerontiam, *honor vel pro eleemosyna vel pro munere accipitur; ut est illud, Presbyteri duplici honore di-*

re digni habeantur: & in Euangelio Dominus differit mandatum legis, honora patrem & matrem, *non in verborum sono, qui inopiam parentum cassa potest adulatione frustrare, sed invictus necessariis administrandis debere intelligi.*

NON OCCIDES: NON MOECHABERIS: NON FURTUM FACIES] Secutus est ordinem, quem libri antiqui præferunt, *ὐ φονεύσεις· ὐ μοιχεύσεις· ὐ κλέψεις.* Nam in aliis est, etiam in editione Romana, *ὐ μοιχεύσεις*, non mœchaberis: *ὐ κλέψεις*, non furtum facies: *ὐ φονεύσεις*, non occides.

OCCIDES] Manu, lingua, veneno: item auxilio, consensu, odio. Ex quo illud, *Qui fratrem odit, homicida est.* Hiscuni addidit, *silentio*, ut si conscius consilii ejus qui alicui necem struit, non indicaverit illud. Jonathan hic edidit, *non occides animam*, id est, hominem, ut, *octo animæ fuerunt in arca Noe.* Male igitur Manichæi hoc præceptum extendebant ad bestias. Vide Augustinum de civit. Dei, lib. 1. cap. 20. & & 21. Notabis in fonte verbum esse רצח quod dici ajunt propriè de cæde injustâ. Aliud est הרג / quod etiam occido reddunt. Id usurpatur tam de justa, quam injusta cæda. Prohibetur ergò hic cædes injusta tantum, quæ à magistratu fit, cum supplicio afficit nocentem, aut in bello patratur à militibus. Jam verò aliquis occidit corpus tantum, ut homicida aut animam tantum ut falsus doctor & mendax: (scitum illud, *os quod mentitur, occidit animam*) aut corpus & animam simul, ut qui seipsum necat.

NON MOECHABERIS] Alii, *non committes adulterium*: idem est. Recentior, interpretatio, *non scortaberis*, duabus de causis displicet. Una est quod ab antiqua temerè nimis recedat: alteram quod scortationem alio verbo significant. Sane ubi legimus, *morte moriatur adulter & adultera*, quis ferat interpretantem, *morte moriatur scortator & scortatrix*? Atqui idem verbum est in Ebræo, videlicet נאף scortari זנה dicitur. Quæ apertè distinguuntur in Hosea his verbis, *Non animadvertam in filias vestras cum scortabuntur, neque in nurus vestras cum adulterium committent*, sive *cum mœchabuntur*. Mitto veteres Ebræos, qui hoc præceptum ad *μοιχείαν* restringunt, alios concubitus alibi prohiberi dicentes. Quanquam Hiscuni vetari hic scribit omnem illicitum concubitum, qui fit præter leges matrimonii. Idem censet Augustinus, & cum eo doctores catholici. Saadias gradus ponit in scortatione. Primus est in virgine viduaque: secundus cum uxore cujus menses profluunt: tertius cum uxore alterius: quartus cum altera, quæ non sit religionis Judaicæ. Si semen, inquit, non dederit, debet proselyta fieri, ac tum potest eam ducere: si verò semen dederit, committit idololatriam. Quintus est cum masculo: sextus cum bestia. Infimus horum cum virgine & vidua. Summus cum bestia. Intermedii sunt quos dixi. Omisit autem in his gradibus concubitum cum sorore matre & filia, aliaque non nulla. Forte quod hæc incesti vocabulo significentur.

NON FURTUM FACIES] prohibetur illicita rei alienæ ablatio, detentio, usurpatio: quæ cum clam fit, furtum: cum palam & apertè, rapina dicitur. Aben-ezra, *Furtum propriè est ablatio pecuniæ in occulto: & est furtum capitale cum quis hominem furatur. Iam verò furtum committitur in supputatione, mensura, pondere. Fur quoque dicitur, qui alterius cor suffuratur, ut Absalom.* R. Salomo putat scripturam hic loqui de fure hominum, ut alibi cum ait, *ne furemini*, de fure pecuniarum. Aliter doctores catholici. Vide Lyran.

NON FALSUM TESTIMONIUM DICES] Falsum testimonium dicit & is qui per calumniam interpretatur dictum aliquod contra mentem ejus qui dixit, ut æmuli mei, qui ea quæ de polygamia Davidis scripsi, de polygamia Christianorum interpretati sunt, falsum de me testantes, cum etiam Judæis concessus fuerit libellus repudii, neque tamen ex eo sequatur etiam Christianis

concessum esse; dicente Christo, *ab initio non fuit sic.* Consuetudo consuetudinem abrogavit, nova veterem, ut omittam pluralitatem uxorum pugnare videri cum prima institutione matrimonii. Tantum polygamiæ duo esse genera docuimus ex Augustino, cujus etiam verbis usi sumus contrà nuperam quandam glossam legis illius, *non multiplicabit sibi uxores.* Quæ ibi scripsi vera sunt: non quod ita judicio nostro confidimus, sed quià ut noluimus adversus animi nostri sententiam verum oppugnare, sic adversum sciolorum quorundam somnia illud cum Augustino aliisque doctoribus catholicis tueri nullum omnino periculum esse puto.

PROXIMUM TUUM] πλησίον σου. Alibi socium, & alibi amicum tuum: quæ omnia significant alium quemvis, sive is amicus sit sive inimicus. Absit enim, ut liceat contra eum, qui amicus non est, falsum testari.

NON CONCUPISCES QUICQUAM PROXIMI TUI] ita ut frui velis eo quod concupiscis. Nam, si Chrysostomo credendum, voluntas debet accedere ad concupiscentiam. Siquidem concupiscere passionis est, velle arbitrii. Frequenter enim concupiscimus etiam quod nolumus: *Si ergo*, inquit, *non consentit voluntas, concupiscentia sola non damnat*, expendant οἱ θιολόγοι. Cæterum in Deut. præcedit, *non concupisces uxorem proximi tui.* Quem ordinem hic LXX. servant, ut primum agat de bono delectabili, deinde de bono utili. Alioqui domus inter res immobiles ponitur: reliqua pertinent ad bona mobilia, quæ vocantur. Senes quoque post illud, *non concupisces domum ejus*, addunt ex Deut. οὔτε τὸν ἀγρὸν αὐτοῦ, neque agrum ejus. Hoc primum: deinde post *asinum ejus*, addunt de suo, οὔτε παντὸς κτήνους αὐτοῦ, neque ullum pecus ejus.

SCHOTANUS.

E Raphidim deventum est in desertum Sinai. Tempus adventus notat Scriptura. Tertio mense exitus ex Ægypto, in die isto, Exod. 19. 1. Quid significat in die isto? Quidam existimant significari, quod eo die novilunium esset & initium mensis. Alii diem tertium, quasi ejusdem numeri. Rursus alii, quasi eodem die è Raphidim significentur venisse in Sinai. Rasi? *In principio mensis non erat necesse scribere, sed die isto. Quid in isto die? Quod præcepta legis tibi nova debeant esse, quasi hodie data.* Aben-esdras: *Nescimus sensum dicti* ביום הזה: *si expositio R. Mosis vera non sit. quod sit caput mensis. Sicut, Cras novilunium. Et refert hoc Scriptum, quia paucis diebus post eorum adventum* (כי אחר ימים מעשים ליום תנותם) *fuit datio legis. Fortassis die primo ascendit ad Deum & descendit & locutus est cum Israël & in die tertio mensis ascendit secundo, ut redderet Deo verba populi: Et illic dictum illi est, quod in die tertio futura esset datio legis. Totum hoc probabiliter quia secundum traditionem* (קבלה) *consistit, quod in die sexto Sivan data sit lex. Ei per modum intercalationis dies sextus in Septimana fuit si non fuerit mensis Iar intercalaris. Fortassis sensus*, ביום הזה *quod distantia inter Raphidim & montem Sinai fuerit majorque distantia aliorum omnium itinerum.* Salianus notat diem tertiam esse communis sententiæ, in qua sint Menochius, Sa, Tirinus, Ribera, Serarius, Torniellus, Bellarminus, Cornelius à Lapide &c. Eadem die qui interpretantur, in respectu ad superiora, alios accipere ab Jethronis abitu, alios ab exitu è Raphidim. Hanc sententiam ipse probat: ita ut simul fuerit mensis dies tertius.

Quantum ad locum attinet, scriptura dicit (v. 2.) Castra metati sunt in deserto Sinai, & castra posuit Israël ante montem. Ex ea mutatione numeri concludit Aben-esdras quod Phylarchæ & seniores, honoris causa, consederint

ante

ante montem. *Ideo memorat* (ויחן) *quia pauci fuerunt, qui secundum dignitatem suam steterunt die lata legis circum montem Sinai, quemadmodum exponam. Magister noster Salomo dicit quod (ante montem) significet, orientem. At ecce scriptum (ante circum)* מנגד סביב *tabernaculi conventus castra metabantur; quod est à quatuor cardinibus:* nam uti profecta sunt vexilla castra habuerant. Lyranus R. Salomonem sequitur. Nempe quo ad partem occidentalem conuersi adorare consuescerent, ut postea in templo factum est. Adrichomius (teste Saliano) in tabula Pharan castra populumque in parte occidentali montis constituit. Abulensis mavult in Meridiana, quia ex Ægypto, quod illi monti ad meridiem est, adveniebant Israëlitæ. Cum duce Angelo iverint & constiterint, ille locum sessionis & quietis monstravit. Locum scilicet (ut Salianus inquit) commodissimum in planitie & nominatim eum, per quem aqua è rupe Horebi decurreret. Fuit distantia & intervallum inter montem & populum. Nam paulo post habetur eductum è castris populum, in occursum Dei, stetisse ad radices montis (v. 17.) Fuit igitur inter montem & castra spatium capax tantæ multitudinis: quæ cum ad montem propius accessisset eum magna ex parte circumfundebat. Ideo termini ponendi per circuitum, qui populum ab ascensu prohiberent.

Notandi & distinguendi sunt varii ascensus Mosis in montem ad Deum. Nam Moses inter Deum & populum ultro citroque commeabat, tanquam μεσίτης fœderis hujus. Primus (v. 3. 4. 5. 6. Fuit dum adhuc in itinere erat populus uti arbitratur Salianus: *Ascendit Moses in montem ad Deum: & vocavit eum Dominus è monte.* Aben-esdras observat, quamvis non exprimatur, tamen vocatum fuisse כי בלא רשות לא עלה. Cum igitur in monte esset & verecundaretur propius accedere, advocatum esse putat Salianus. Id autem non necesse est ut sentiamus, quia intelligi potest, quod Deus tantum significaverit eminus verba ad populum deferenda. Ista continebant loco præfationis Dei magnalia & beneficia, liberationis ex Ægypto & tutæ deductionis. Deductionem comparat aquilæ naturali solicitudini circa pullos. *Dices domui Iacob & annuntiabis filiis Israël:* Circa hæc verba Judaicè nugatur Rasi: Prius ad mulieres pertinere, quas debeat affari voce gracili & tenera: alterum ad mares, verbis nervosis. תגיד scilicet alludit ad גיד. Argutatur etiam Aben-esdras Magnalia & beneficia eos suis oculis vidisse & usurpasse: recentia & certa esse. De alis aquilæ Rasi: *Quemadmodum aquila sustollit pullos suos super alis. Nam reliquæ volucres ponunt pullos suos inter pedes, quoniam metuunt ab aliis avibus, quæ à tergo volitant, at aquila ista non timet nisi ab homine, ne conjiciat sagittam: quoniam non volat avis alia super dorso ejus: ideo ponit super alis suis. Cogitat enim: Melius est ut me trajiciat sagitta, quam filium meum. Etiam ego ita feci.* Et profectus est angelus Domini *&c.* & venit inter castra Ægyptiorum *&c. Projiciebant Ægyptii sagittas & lapides balistarum & nubes ea excipiebat.* Quò tempore conveniebant in Ramesses, cum essent dispersi per totam Gosen, eratque tempus breve, quando venerunt ad proficiscendum & egrediendum, coierunt omnes in Ramesses Deo scilicet adjuvante & quasi in unum comportante. Aben-esdras: *Quasi portaremini super alis aquilarum, quia aquila sublimat se in aëre supra omnem alitem: omnes metuunt ab illa; illa autem non metuit. Per modum* (Deut. 32. 11.) Sicuti aquila nidum suum excitat, *quoniam facit incedere suos pullos sensim: etiam ratione nubis, quasi expanderet alas suas.* Beneficiis istis tanquam mediis finem subjungit: *Adduxi vos ad me.* Nempe eo fine liberavi, deduxi vos, ut ad hunc montem ad me vos perducerem, ubi vos mihi jungerem in fœdus. Aben-esdras: *Quoniam gloria mea descendit in monte isto. Iste est mons sanctus: Ecce*

dicit

dicit Moſes, coletis Deum ſuper monte hoc & hæc eſt habitatio ſanctitatis tua.

His beneficiis æquum erat ut ad ſervitium Dei ſe obſtrictos eſſe exiſtimarent, animiſque promptis id acciperent. Ideo proponit deinceps quid velit: ad quod tamen ipſos allicit propoſitione ingentis boni: ſcilicet aſſumptionis arctioris & dignitatis communicandæ. Stipulatur ab ipſis, *ut vocem ſuam audiant & cuſtodiant fœdus ſuum.* Promittit ſe ipſos aſſumpturum in peculium ex omnibus populis: quum ipſius eſſet tellus univerſa. Raſi dicit fœdus eſſe percuſſum על שמירת התורה. Aben-eſdras dicit hoc fœdus eſſe, quod percuſſerit Moſes cum Iſraël, poſt latam legem, cum aram ſtruxit. סגלה à R. Salomone exponitur, *theſaurus dilectus, ſicut*, peculium regum (Eccleſ. 2.8.) *vas pretioſum & gemma quas reges in gazis ſuis habent. Sic vos mihi peculium præ reliquis populis. Nec dicetis, Quod ſoli vos mei ſitis nec alii vobiſcum. At quid eſt mihi amplius ut ſit amor veſter amputatus. Nam mea eſt univerſa terra, at illi in oculis meis & coram me nihili.* Vim dicti abolet iſta expoſitione, quod planiſſimum eſt, Deum nempe, cum omnes gentes ipſius ſint ex mera gratia eum populum elegiſſe in peculium. Notandum, quod Aben-eſdras notat è R. Merinos, expoſitionem eſſe, Quamvis tota terra mea ſit. Simile ipſe eſſe dicit, quod habetur, Exod. 32.8. Populus duræ cervicis eſt. *Item* (Pſ.45.5.) Sana animam meam, quia peccavi in te. Notabilia verba, quod dicat ideò populum iſtum electum eſſe à Deo in peculium quia majore morbo & duritie cordis tenebatur: ita meritum cadit ſed ſciendum, quod omnes ſub peccato ſimus venditi per naturam. Promiſſionem explicat: *Eritis mihi regnum ſacerdotum & populus ſanctus.*

Moſes hæc dicta ſenioribus populi convocatis expoſuit, ut ea ad populum deferrent. Nugantur Judæi attuliſſe legem oralem, quia tantum ſtipulatur Deus obedientiam fœderi & legi dandæ poſtquam recepiſſent ſe obedientes fore. Reſponſum à populo eſt unanimiter: Quicquid locutus fuerit Dominus, faciemus. Recipiunt igitur regnum Dei ejuſque cultum in ſe.

Secundo aſcenſu (qui habetur v. 8. 9. 10. 11. 12. 13.) Moſes ad Deum detulit reſponſum populi. Tum Deus Tria ipſi in mandatis dedit, quibus populus debuit præparari ad legem audiendum. Primum uti biduo ſanctificarentur in diem tertium. Alterum, ut montem circumſepirent ab hominis aut animalis aditu. Tertium, ut tertio die Deo occurrant legem audituri. Nam pronuntiat ſe die tertio in denſa nube deſcenſurum in montem & cum Moſe audiente toto populo collocuturum, quo in ipſum tanquam Dei famulum crederent. Aſcenſus hic fuit die quarto Sivan, cum tertio prior eveniſſet. Futilis eſt argutatio Aben-eſdræ exponentis quid ſit credere in famulum &c. Nempe Indos & Ægyptios affines è proſapia Chami & veteri ſuperſtitione, ut qui omni carne abſtinebant nec credebant Deum cum homine loqui, qui in vivis relinqueretur. Fuiſſe multos ex Iſraëlitis, imbutos illa opinione: eam Deum voluiſſe exemptam, ideò palam locutum eſſe cum Moſe. Deum locutum eſſe decem verba ad Moſen: או יאמינו כי נכון הוא שדבר השם עם אדם וחי Ita Ægyptiæ ſuperſtitionis eſſe putat dictum hoc frequens in V. T. *Vidi Deum*, locutus cum Deo ſum & *vivo.* Sed falſum eſt hoc dictum inde prodiiſſe. Hic nihil aliud vult Sp. S. quam ut credant quod Moſes eſſet fidelis Dei ſervus & propheta magnus.

Sanctificatio tridui futura erat in lotione corporis, lotione veſtium & abſtinentia à conjugum thalamo. Semel loti debebant ſe abſtinere omni eo, quod pollueret contaminatione. Purificationes ejuſmodi jam olim receptæ erant ut multa alia cum ſacrificiis, quæ aliter non conſtant. Moſes è monte reverſus reliquum diei iſtius & quintum peregit in ſanctificando & præparando populo.

In

In quinto die (ut vult Judæus magister) struxit Moses aram sub monte & duodecim columnas & quicquid dicitur in parasa ואלא המשפטים Nec est prius aut posterius in lege. Montem etiam sepimentis interclusere, ut ab accessu tutus esset: ne quis forte irrumperet & intra ejus ἱερὸν ingrederetur. Monentur acerrimè, ut ne intra sacri montis septa finesque prodirent. Quicunque attigerit morte morietur. *Non attinget eum manus, quia lapidando lapidabitur aut jaculando jaculis configetur, sive bestia sive homo fuerit, non vivet.* Omnia ad terrorem, quo significabatur invincibilem rigorem & severitatem legis esse: quæ pœnis & minis plenitudinem flagitat. Cum Jobel (cornu arietinum) tractim caneret ascensuros esse dicit Deus: המה R. Samuel ben Hosni intelligit Aaronem & filios cum septuaginta senioribus: quod placet Aben-esdræ. Nam illis permissum est, at gloria in monte jugiter fuit donec structum est tabernaculum. Fortassis Moses cecinit Jobel deditque veniam eundi. Salianus accipit ironicè: quasi sensus esset: Tum nemo audebit præ metu & pavore ad montem accedere.

Tertiò die cum exortu fuerunt tonitrua & fulmina & nubes densissima in monte; & vox buccinæ admodum valida. Unde universus populus in castris contremuit. Fumabat mons & concutiebatur ingenti tremore. Salianus: *Notare autem cum Cornelio nostro possumus in monte Sina hoc tempore octo terribilia contigisse, quæ ex diversis Scripturæ locis colliguntur. Primò cœperunt audiri tonitrua & micare fulgura. Secundò nubes densissima montem operuit: Sive, ut est in deuteronomio,* Erant in eo tenebræ & nubes & caligo. *Tertio mons totus fumabat atque adeò ardebat, sed flamma in copiosum terminabatur fumum, qui ex eo quasi de fornace ascendebat usque ad cœlum. Quartò, mons terræ motu concussus est. Quintò accesserunt turbines & procellæ ventorum, Authore Apostolo. Sextò, secuta est pluvia, ut testatur David. Est enim paraphrasis pluviæ destillatio cœli. Iosephus ait procellas cum imbre vehementi missas. Septimò, clangor buccinæ vehementius perstrepebat, cujus etiam meminit Paulus ibid. Octavò Angelus è Sina voce tubali & horribili decalogum quasi Dei tubicen proclamabat.* Hactenus Salianus. Quicquid aures oculosque poterat percellere, quicquid in aëre meteororum igneorum, aqueorum, aëreorum solet grassari, omne adhibitum esse videtur, ut judicis & legislatoris potentiæ ac severitati testimonium daret. Fumus & flamma potissimum visui, tonitrua auditui, incutiebant horrorem. In medio igne Deus se continuit & postea locutus est, ut habetur Deut. 4. Ubi monetur populus nullam figuram ullius animalis, nullam hominis visam esse, ne populus pronus ad idololatriam arriperet occasionem idoli faciendi. Moses igitur educebat populum castris, ut Deo & regi suo occurreret. Constitere autem ad pedem montis, trementes horrentesque ob ea quæ oculos auresque feriebant. Ipse Moses expavit, ut habetur Heb. XII. 21. Dixit enim, ἔκφοβός εἰμι καὶ ἔντρομος. Unde id habeat Apostolus, nescio, non enim legitur apud Mosen. Aben-esdras: *Ut acciperent esse Deum, qui descendebat super montem Sinai, ipsis in Deum. Constiterunt ad pedem montis. Extra terminum, quem ipsis definierat Moses. Et ecce fuerunt in statione montis Sinai secundum modum, quem constituit Moses inter ipsos, in anno quadragesimo, cum feriret fœdus cum ipsis. Nam in principio fuerunt primogeniti accedentes ad Deum, post eos capita tribuum qui erant principes: post eos seniores, post eos prætores, post eos unusquisque de Israël, post eos infantuli, post eos mulieres, post eas proselyti. Moses autem & Aaron transierunt terminum & fuerunt in monte propinqui sacerdotibus: quamvis scriptura non loquatur, manifestum id est. Quia scriptura compendiose loquitur. Nam novimus, quod ipsi non rebellaverunt adversus os Domini. Nam ecce scriptum,* descende & ascendes tu &

Aaron tecum. *Et dicebat Moses*, Ego steti inter Deum & vos. In textu, quod est כתחתית ההר exponit Rasi juxta Medras, Montem evulsum fuisse suo loco & super populum positum instar dolii. In Sabbath & apud Jonathanem habetur. Quasi populus sub monte steterit, qui subductus in altum instar speculi splendebat. *Tremuit mons* Aben-esdras: הפך חמנהג *contra consuetudinem, quia montes non tremunt, nisi proverbiali loquendi formula.* Notant uterque contra consuetudinem fuisse, quod vox buccinæ fuerit gravior validiorque progressu cum soleat initio esse vehementior. Deum autem voluisse incipere à mitiore sono ne ejus ejus gravitas nimium incuteret terrorem.

Cum sonus buccinæ ingravesceret Moses cum Deo loqui cœpit. Aben-esdras: *Secundum sententiam Haggaon, quod Deus aliquando* (פעם) *removerit vocem buccinæ tunc loquebatur Moses voce grandi & Deus respondebat ipsi secundum consuetudinem & audiebat vocem loquentis ad se. Et secundum hoc scriptum* (v. 5.) ut audiat populus cum loquor tecum. *At jam dixi tibi, quod* (בדברי) *secundum sententiam meam dictum sit de decalogo. At sensus est: Moses loquebatur conjunctim cum voce buccinæ, quia flatus Mosis erat conjunctus cum Deo, cum Moses loqueretur in infimo montis ad consulendum eum. At scriptura non revelat quid consuluerit. Respondebat autem ipsi Deus voce, quam audiebat Moses, at non erat vox buccinæ, quamvis fuerit valida prohibens eum audire vocem, & propterea scriptum sit posteà: Et vocavit Dominus Moses in occursum vocis ut ascenderet in cacumen montis, quod illuc descendisset gloria Dei.* Dei igitur vocem, qua Mosi respondet non esse buccinæ, quæ quia prohiberet auditum, Deum eum vocasse ad se, in verticem montis. Rasi etiam hoc בדברי refert ad decalogum, de quo posteà. Putat autem ita à Deo exaltatam esse vocem Mosis ut populus inter sonum buccinæ eam audire potuerit. Aben-esdras scribit animam hominis esse superioris ordinis & venerabilem: esse è mundo medio, cum corpus sit è mundo inferiori. In mundo inferiori solum hominem loquendi potestate præditum esse. Et intelligere hunc id quod ad ipsum loquitur ille, qui vult ut intelligat quid in animo suo sit. *Nec potest* (inquit) *intelligens innovare linguam, sed notam rem* (loqui debet) *Et omnes linguæ structa sunt juxta dispositionem similitudinis hominis: qui est compositus ex anima, quæ non est corpus: & corpore, quod est compositum ex quatuor elementis. Et ecce quando homo homini loquitur verbis hominis, lingua, quam novit, intelligit verba ejus & similitudinem eorum in dispositione sua. Et si velit loqui de inferioribus præ filiis hominis, necesse est exaltare eminentiam eorum & ea ponere secundum similitudinem filiorum hominis, quo intelligat audiens. Ideò ponunt.* Caput Terræ Et (Prov. 8. 26.) caput pulverum orbis *Et os* (Gen. 4. 11.) Et aperuit terra os suum. *Etiam femur seu latus* (Jerem. 6. 22.) A lateribus terræ. *Dicitur etiam*, Manus (*id est littus*) Jordanis. In corde maris: *& multa talia. Hæc autem omnia juxta similitudinem μεταφορικῶς* (בדברי משל) *Nam mare non habet cor. Et quando ponunt membrum è corpore secundum similitudinem totius corporis: quomodo dicitur*, (Prov. 18. 21.) Mors & vita in manu linguæ. *Et multa similia. Et quando homo vult loqui de rebus venerabilibus præ se, quæ sunt de mundo supremo, deprimit eminentiam eorum ut assimilentur homini, quasi essent similitudo hominis, ut intelligat audiens. Dicitur:* Et vir Gabriel; & brachia ejus; & A pedibus ejus *&* vox verborum ejus in voce multitudinis. *Et hoc modo in Supremo capiunt suprema. Dicitur*, Et Galea salutis in capite ejus: Quoniam os capiunt Domini loquitur: Oculi Domini ad justos & aures ejus ad vociferationem eorum: Facies Domini adversus facientes malum: Et sub pedibus ejus. *Et hoc modo*, Descendit Dominus, & Ascendit Deus. *Nam universum plenum est gloria ipsius. In Parasa* כי תשא *Dabo tibi simile, ut possis intelligere sensum descensus.* Rasi quod Scri-

ptura

ptura dicit v. 19. de fornace, accipiendum esse docet κτ̂ μείωσιν. לשבר את האזן/ Legendum לשכך ut docet Hebræarum literarum princeps Joh. Buxtorfius. Nempe accommodat se auribus & captui humano, secundum illa, quæ novimus & audimus. Fuit enim ignis, qui arsit usque ad cor cæli Deut 4. 11. Ignis præcipuè notabilis fuit inter illa omnia prodigia & meteora. Tertius deinde ascensus sequitur v. 20. 21. 22. 23. 34. Dicitur: cum Deus descendisset in montem, vocavit Mosen in verticem montis, ad se: qui ascendit. Hic descensus Dei in verticem montis fuit in igni isto, qui in sublime terribili modo ardebat flammabatque. Cur Deus dicit se loquutum esse cum ipsis è cælo (cap. XX. 22.) cum in montem descenderit & ex illo locutus sit, quo etiam Mosen vocavit? Rasi dicit Deum inclinasse cælos superiores & inferiores eosque stravisse super dorso montis Sinai, ut lectus sterni solet, & super eos descendisse solium gloriæ. Nugæ. E cœlo, id est ex altissimo montis vertice, cui insederat Dei gloria aut diffuso aëre. Mosi ad se vocato Deus iterum præcepit, ut denuntiet populo ne curiositate terminos transeant, atque ob hanc temeritatem malè pereant. Præcipit etiam ut sacerdotes (qui primogeniti erant ea tempositate ante legem) sc. sanctificent: ne Deus, qui descenderat in montem, videns imparatos nec in castu eos, qui ad se appropinquare suamque aram solerent, inardesceret eosque feriret. Respondebat Moses: Populum non posse irrumpere, cum mons ex Dei præcepto probe munitus & circumseptus esset. Non ignorabat id Deus, sed humano more cum Mose colloquitur: voluitque repetitione interdicti gravitatem & seriam suam voluntatem testari. His dictis jubet ut descendat: monetque altero ascensu cum ipso Aaronem ascendere debere: at populus & sacerdotes uti caveant sibi ne moliantur ascensum. Sacerdotes isti inserviebant aræ, quod est accedere ad Deum. Abenesdras existimat eos immolasse in ara quam Moses ædificaverat cæso Amalec. Etiam immolasse in ara fœderis, quam Moses paulò post condidit ad pedem montis. Rasi ita intelligit illud mandatum de non ascendendo & ascendendo, ut etiam sacerdotes debeant ascendere, sed ita ut interstitium sit inter Mosen & Aaronem, inter Aaronem & sacerdotes: solis igitur Israëlitis reliquis interdici omnem ascensum & penetrationem septorum. Aben-esdras: Ascendas tu & Aaron tecum *Aliquantulum supra terminum, ne longe sit à populo: quando loquentur tecum ubi consummaverit Deus verba:* Loquere tu nobiscum & audiemus: *Et ecce me respondeo tibi secundum petitionem ejus. Quia non dixerat ipsi, ut moneret ipsos ne timerent ipsum,* tantum ne transirent terminum. Opus enim habebant ut moneret ipsos [בשעת מעשה] in puncto, ut audirent & custodirent animas suas. Putat igitur Mosen cum Aarone ascendisse paulo intra terminum, antequam Deus decem verba effari inciperet. Hinc incipit Caput Exodi. XX.

Mose igitur & Aarone, medio intervallo inter Deum & populum consistentibus (quod & dicitur Deut. 5. 4.) exorsus est Deus decalogum horribili voce è flamma illa in cælum minante effari. Deus tonuit è cælo voce & visis admodum terribilis quæ & Mosen perterruere, audiente toto Israëlis cætu, qui attonitus stabat montisque attactum refugiebat, seque recipiebat retro. Simile isti nullæ meminerunt historiæ. Voluit populum sub statu servili terrore concutere ad montem aspectabilem & contrectabilem. Vide Heb. XII. 18. 29. 20. 21. Lex territat, Euangelium amicabili sono allicit. Per legem agnitio peccati & condemnatio, in Euangelio salus. Deum è cælo loquentem populus Israël audivit, quod exaggerat Deut. IV. 32. 33. Id fecit illi populo, quem jam signis & miraculis ac multiplici contusione hostium asseruerat. Ibid. v. 34.

At dicit v. 36. Quod è cælo vocem suam prodiderit, in terra ignem ostenderit? Sensus: Longe lateque aërem feriisse vocem illam, cum in monte viderentur Flammarum volumina tanquam ex abysso quadam & immensa fornace eructari in cælum. Sic ex igni, facie ad faciem (Deut. 5.4.) id est, præsentem locutum esse Deum. Intuebantur, ut videtur, eminus igni incubantem figuram quandam longè augustissimam. Donec Deus illa loquebatur verba, buccina horrendum sonuit, quam nolim confundi cum Jobel sive cornu arietino, de quo v. 13. capitis antecedentis. Existimant Judæi uno tractu pronuntiationis (בדבור אחד) legem decem verborum à Deo pronuntiatam esse, quia Deo vox magna attribuitur. Et multum disputant, de mutatione personæ, quam habet Decalogus, item alia. Fabulantur inepte de cornu Arietis isto, quasi fuerit istius arietis, quem Abraham immolavit loco Isaaci. Hactenus exposita est datio legis moralis, seu decalogi, qui summam & compendium legis moralis continet. Datam esse quinquagesima die ab exitu sciunt omnes, sed Augustinus & plerique veterum qui mensium lunarium usum rationemq; ignorant, sumunt initium à Die decimo quarto Nisan cum inchoari numerus debeat à Die decimo sexto. Terminant in tertio Die Sivan, cum debeat in sexto. Computat dies septendecim reliquos mensis primi triginta totos mensis secundi seu Aprilis, & tres mensis Maij. Hic abacus falsus est.

Videamus autem, quomodo Josephus hanc historiam narret. Primo ascensus illos quos diximus, confundit. Scribit Mosen coacta concione in loco, qui aberat à monte & loco, ubi castra ad montem deinde posita sunt (Hic error secundus est) dixisse, se ire in montem Sina, ὡς συνεσόμενος τῷ θεῷ καὶ τι λαβὼν χρήσιμον παρ' αὐτοῦ ἐπανήξων πρὸς αὐτούς. Jubere igitur ut interim ad montem propius castra ponant. Quam hoc frigidum de tanta re, de legis promulgatione, ad quam ipse Deus descendebat, voluitque tanto molimine præparari. Movisse igitur populum in exspectatione boni, quod Moses promiserat. Festos dies toto triduo egisse, in castu & precibus, ut Mosen propitius acciperet perque eum aliquod donum utile demitteret: δωρεὰν ὑφ' ἧς εὖ βιώσονται. Nesciebat itaque fœdus inire Deum & stipulatum esse obedientiam: quæ præterit. Lætos egisse ἐν διαίταις πολυτελεστέραις καὶ κόσμῳ γυναικῶν καὶ τέκνων. At tempus jejunii erat & supplicationis animique humiliandi, cum horrore & metu, adventuro Deo. Nec gloriam ac pompam, in qua Deus apparuit rectè describit: Nubem castra operuisse, cum reliquum cœlum serenitas haberet. Ventos pluviam concitasse cum fulguribus & fulminibus: quæ indicabant τὴν παρουσίαν τοῦ θεοῦ ὡς Μωϋσῆς ἤθελεν εὐμενοῦς, παρατυχόντος. *Præsentiam Dei, qui propitius aderat ad ea, quæ volebat Moses.* Subjicit: Καὶ περὶ μὲν τούτων, ὡς βούλεται φρονείτω ἕκαστος τῶν ἐντευξομένων, ἐμοὶ δὲ ἀνάγκη ταῦτα ἱστορεῖν &c. Non quadrat ea oratio sacerdoti, parum curanti, quomodo à lectore accipiantur, quæ in divinis literis commemorantur: ea potissimum, quæ præcipuam partem constituunt Judaicæ gloriationis. Porrò narrat Hebræos territos insolitis tempestatibus & rumore vulgato de monte, quod Deus eum crebrò inviseret. Ideo se continuisse tabernaculis. Metum abiisse cum viderent Mosen vultu læto, exultantemque redire & finem habere tempestates. Hinc convocata concione, populum longa oratione commonuisse ut adesset: Deumque audiret loquentem & leges, quarum obedientia felicitatem afferret, sua voce ferentem. Πάντες ἤκουσαν φωνῆς ὑψόθεν παραγενομένης εἰς ἅπαντας ὡς διαφυγεῖν μηδένα. Sibi fas non esse ea præcepta exprimere φανερῶς πρὸς λέξιν, ideo vim (τὰς δυνάμεις) expositurum. Philo inquirit in causas, quare Deus in vasta solitudine leges suas tulerit. Primam causam affert, ὅτι αἱ πολλαὶ τῶν πόλεων ἀμυθήτων κακῶν εἰσὶ μεσταί, καὶ τῶν πρὸς τὸ

θεῖον

θείων ἀνοσιουργημάτων καὶ τῶν πρὸς ἀλλήλους ἀδικημάτων; *Quoniam civitates pleraque plenæ sunt malorum, quæ vix dici possunt, & impietatum in Deum & injuriarum invicem.* Alteram, ὅτι τὸν μέλλοντα ἱεροὺς νόμους παραδέχεσθαι τὴν ψυχὴν ἀναγκαῖόν ἐστιν ἀπορρύψασθαι καὶ ἐκκαθήρασθαι τὰς δυσεκπλύτους κηλῖδας, ἃς μιγάδων καὶ συγκλύδων ὄχλος ἀνθρώπων κατὰ πόλεις προσετρίψατο; *Quod recepturis sacras leges animam necesse sit eluere & expurgare difficulter delebiles maculas, quas miscellaneorum & temere confluentium hominum turba affricuit.* Tertiam: Quemadmodum qui longinquam navigationem suscipiunt, non conscensa navi & portu evecti parant vela, gubernacula & remos, sed dum in terra consistunt, necessaria moliuntur, ita oportuit ipsos, antequam urbes habitandas acciperent, gubernandæ reip. leges accipere & assuefieri. Quartam: oportuit persuasam esse multitudinem, περὶ τοῦ μὴ εὑρήματα ἀνθρώπου τοὺς νόμους, ἀλλὰ θεοῦ χρησμοὺς σαφεστάτους εἶναι. *Non inventa hominis leges esse sed Dei certissima oracula.* Ideo multitudinem reductam esse in solitudinem rerum necessariarum egenam atque inopem, ubi in penuria & periculo divinitus oblatam copiam repente invenirent. Nam manna in panis vicem fluxisse è cælo, coturnices advolasse in obsonium, è rupe manasse fontes aquarum. Deum igitur esse, qui aleret, eundem præscribere vivendi formulas.

Horrorem pompamque, cum qua lata lex decem verborum est, ita depingit: Πάντα δ' ὡς εἰκὸς, τὰ περὶ τὸν τόπον ἐθαυματουργεῖτο, κτύποις βροντῶν, μειζόνων ἢ ὥστε χωρεῖν ἀκοάς, ἀστραπῶν λάμψεσιν αὐγοειδεστάταις, ἀοράτου σάλπιγγος ἠχῇ πρὸς μήκιστον ἀποτεινούσῃ, καθόδῳ νεφέλης, ἣ κίονος τρόπον, τὴν μὲν βάσιν ἐπὶ γῆς ἠρήρειστο, τὸ δὲ ἄλλο σῶμα πρὸς αἰθέριον ὕψος ἀνέτεινε, πυρὸς οὐρανίου φορᾷ, καπνῷ βαθεῖ τὰ ἐν κύκλῳ συσκιάζοντος. Ἔδει γὰρ θεοῦ δυνάμεως ἀφικνουμένης, μηδὲν τῶν τοῦ κόσμου μερῶν ἡσυχάζειν, ἀλλὰ πάντα πρὸς ὑπηρεσίαν συγκεκινῆσθαι. Παρειστήκει δὲ ὁ λεὼς ἁγνεύσας ὁμιλιῶν πρὸς τὰς γυναῖκας, καὶ πασῶν ἡδονῶν, ἔξω τῶν πρὸς τὰς τροφὰς ἀναγκαίων ἀπεχόμενος (ita Josepho contraria dicit, festos dies & epulas somnianti) λουτροῖς τε καὶ περιρραντηρίοις καθηράμενος ἐκ τριῶν ἡμερῶν, ἔτι δὲ τὰς ἐσθῆτας ἀποπλυνάμενος ἐν τοῖς μάλιστα, λευχειμονῶν, ἀκροβατῶν δὲ ἀναρθιάσας τὰ ὦτα, Μωυσέως προδηλώσαντος ἐυτρεπίζεσθαι πρὸς ἐκκλησίαν. Ἔγνω γὰρ αὐτὴν ἐσομένην, ἡνίκα μόνος ἀνακληθεὶς ἐχρησμῳδεῖτο. Φωνὴ δ' ἐκ μέσου τοῦ ῥυέντος ἀπ' οὐρανοῦ πυρὸς ἐξήχει καταπληκτικωτάτη τοὺς ἀκροωμένους, ἣ τὰ λεγόμενα οὕτως ἐναργῶς ἐτρανοῦτο, ὡς ὁρᾶν αὐτὰ μᾶλλον ἢ ἀκούειν δοκεῖν. ἐγγυᾶται δέ μου τὸν λόγον ὁ νόμος, ἐν ᾧ γέγραπται, Πᾶς ὁ λαὸς ἑώρα τὴν φωνὴν ἐμφαντικώτατα. Τὴν μὲν γὰρ ἀνθρώπων ἀκουστὴν εἶναι συμβέβηκεν, ὁρατὴν δὲ ὡς ἀληθῶς τὴν θεοῦ. Διατί; ὅτι ὅσα ἂν λέγῃ ὁ θεὸς, οὐ ῥήματά ἐστιν ἀλλ' ἔργα, ἅπερ ὀφθαλμοὶ πρὸ ὤτων διορίζουσι. Recte habent omnia, nisi quod ignem velit quoque fuisse materiam vocis, qua Decalogus enuntiatus est. Adeoque vocem illam Dei potius oculis usurpatam quam auribus, Flamma in sermonem articulata, consuetum audientibus. Id autem probat ex Græco textu versionis LXX. Exodi XX. 18. Ubi nunc habetur: Καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἑώρα τὴν φωνὴν καὶ τὰς λαμπάδας. Tunc autem Alexandrina synagoga legebat, Καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἑώρα τὴν φωνὴν ἐμφαντικώτατα. Existimat Philo audibilem vocem ex aëre in ignem mutato formatam esse. Nempe in antecedentibus, ubi disputat, quomodo Deus loqui & sermonem edere potuerit: Οὐ γὰρ ὡς ἄνθρωπος ὁ θεὸς στόματος καὶ γλώττης καὶ ἀρτηριῶν δεόμενος, ἀλλ' ἐμοὶ δοκεῖ τὰ κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἱεροπρεπέστατον τι θαυματουργῆσαι, κελεύσας ἦχον ἀόρατον ἐν ἀέρι δημιουργηθῆναι πάντων ὀργάνων θαυμασιώτερον ἁρμονίαις τελείαις ἡρμοσμένον, οὐκ ἄψυχον, ἀλλ' οὐδ' ἐκ σώματος καὶ ψυχῆς τρόπον ζώου συνεστηκότος, ἀλλὰ ψυχὴν λογικὴν ἀνάπλεων σαφηνείας καὶ τρανότητος, ἣ τὸν ἀέρα σχηματίσασα καὶ ἐπιτείνασα καὶ πρὸς πῦρ φλογοειδὲς μεταβαλοῦσα, καθάπερ πνεῦμα διὰ σάλπιγγος φωνὴν τοσαύτην ἔναρθρον ἐξήχησεν ὡς τοῖς ἐγγιστα τοὺς

 πορρω-

πορρωτάτω κατ' ἴσον ἀκροᾶσθαι δοκεῖν. Ἀνθρώπων μὲν γὰρ αἱ φωναὶ πρὸς μῆκιστον ἀποτεινόμεναι, πεφύκασιν ἐξασθενεῖν, ὡς ἀριδήλους τοῖς μακρὰν ἀφεστηκόσι μὴ γίνεσθαι τὰς ἀντιλήψεις, ταῖς ἐπικτείνουσιν ἐκ τοῦ κατ' ὀλίγον ἀμαυρούμεναι. ἐπειδὴ καὶ τὰ ὄργανα φθαρτά. τὴν δὲ κεκαινουργημένην φωνὴν ἐπιπνέουσα θεοῦ δύναμις ἤγειρε καὶ ἐζωπύρει καὶ ἀναχέουσα πάντη τὸ τέλος τῆς ἠχῆς ἀπέφηνε τηλαυγέστερον, αὐτὴν ἑτέραν πολὺ βελτίω τῆς δι' ὤτων, ταῖς ἑκάστου ψυχαῖς ἐντιθεῖσα. ἡ μὲν γὰρ βραδυτέρα πῶς οὖσα αἴσθησις, ἀτρεμίζει, μέχρις ἂν ὑπ' ἀέρος πληχθεῖσα διακινηθῇ· φθάνει δ' ἡ τῆς ἐνθέου διανοίας ὀξυτάτῳ τάχει προσυπαντῶσα τοῖς λεγομένοις. *Deus enim non est homo, indigens ore, lingua & arteriis, sed videtur mihi, quantum ea quæ illo tempore eveniebant, sacris convenientissimum aliquid per miraculum effecisse, jubens invisibilem in aëre sonum effigiari admirabilius omnibus instrumentis, quæ perfecte aptata sunt non inanimum, neque instar animalis e corpore & anima compositi, sed animam rationalem plenam evidentiæ & perspicuitatis, quæ aëra figurans, & intendens & in ignem flamma adsimilem mutans, tanquam Spiritus per tubam vocem tantam articulatam insonuit, ut longe remoti æqualiter prope stantibus viderentur audire &c.* Aristobulus Peripateticus apud Eusebium præparat. 8. 10. mirabilem Dei descensum dicit indicatum esse ex illis quæ conjuncta fuerunt: Δηλοῦται γὰρ ὡς τὸ ὄρος ἐκαίετο πολὺ, καθὼς φησιν ὁ Νομοθέτης, διὰ τὸ τὸν θεὸν καταβεβηκέναι, σαλπιγγώδεις φωνὰς καὶ τὸ πῦρ φλεγόμενον ἀνυποστάτως εἶναι. Τοῦ γὰρ παντὸς πλήθους μυριάδων οὐκ ἔλαττον ἑκατὸν, χωρὶς τῶν ἀφηλίκων, ἐκκλησιαζομένων κυκλόθεν τοῦ ὄρους, οὐκ ἔλασσον ἡμερῶν πέντε οὔσης τῆς περιόδου, περὶ αὐτὸ, κατὰ πάντα τόπον τῆς ὁράσεως πᾶσιν αὐτοῖς κυκλόθεν, ὡς ἦσαν περιμβεβληκότες, τὸ πῦρ φλεγόμενον ἐθεωρεῖτο, ὥστε τὴν κατάβασιν μὴ τοπικὴν εἶναι. Πανταχοῦ γὰρ ὁ θεός ἐστιν. Ἀλλὰ τὴν τοῦ πυρὸς δύναμιν παρὰ πάντα θαυμάσιον ὑπάρχουσαν, διὰ τὸ πάντα ἀναλίσκειν, (οὐκ ἂν addit Fr. Vigerus) ἔδειξε φλεγομένην ἀνυποστάτως, μηδὲν δὲ ἐξαναλίσκουσαν, εἰ μὴ τὸ παρὰ θεοῦ δυναμικὸν αὐτῇ προσείη. Τῶν γὰρ φυομένων ἐν τῷ ὄρει ἐκείνῳ ἐξαναλισκομένων (ἐξ delendum) σφοδρῶς, οὐδὲν ἐξανάλωσεν· ἀλλ' ἔμενε τῶν ἁπάντων ἡ χλόη πυρὸς ἄθικτος, Σαλπιγγώδεις φωναὶ σφοδρότερον συνεκινοῦντο σὺν τῇ τοῦ πυρὸς ἀστραπηδὸν ἐκφάνσει, μὴ προκειμένων ὀργάνων τοιούτων, μηδὲ τοῦ φωνήσαντος, ἀλλὰ θείᾳ κατασκευῇ γινομένων πάντων. Significat Divinum descensum indicatum fuisse miraculosis effectibus, quatenus ignis, qui in nulla materia subsisteret, videbatur omnia haurire, cum tamen nihil absumeret. Vox audiebatur à circumfusa multitudine sine tubicine & instrumentis loquendi. Notat Aristobulus monti circumfusam multitudinem fuisse circuitu quinque dierum: Josephum ejus altitudinem admodum conspicuam: ὑψηλότατον τῶν ἐκεῖ ὀρῶν καὶ διὰ τὴν ὑπερβολὴν τοῦ μεγέθους καὶ τῶν κρημνῶν τὸ ἀπότιμον ἀνθρώποις οὐ μόνον οὐκ ἀναβατὸν ἀλλ' οὐδὲ ὁραθῆναι μὴ δίχα πόνου τῆς ὄψεως δυνάμενον.

Noto etiam quod LXX. interpretes in cap. XIX. 13. habeant, ὅταν αἱ φωναὶ καὶ αἱ σάλπιγγες καὶ ἡ νεφέλη ἀπέλθῃ, pro Hebræo במשך היובל. Syrus Anglicanus ܡܐ ܕܫܠܠ ܩܪܢܐ, *Cum siluerit cornu.* Chaldæus במנגד שופרא. Hic solita licentia LXX. usi sunt. Samariticus textus & Hebræus consonant.

SUL-

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

Cap. XXVIII.

His à Deo dictis, cum tubæ circumstreperent, lampades inardescerent, montem fumus obtegeret, populus præ timore inhorruit, verba Dei non sustinens: poposcitque à Moyses, ut ipsi tantum loqueretur Dominus, atque ita audita ad populum referret. Edicta autem Dei ad Moysen istiusmodi sunt: Hebræus puer pecunia emptus, sex annis serviet, posthac liber erit: Sponte autem permanenti in servitute, auris forabitur. Qui hominem occiderit, capite pœnas luet: Qui imprudens, ritè exul erit. Qui patrem matremve pulsaverit, convitiumque eis dixerit, capitali supplicio afficitor. Siquis Hebræum subreptum vendiderit, morti dabitur. Siquis servum proprium servamve percusserit, exque eo ictu obierit, reus judicio fiet. Siquis partum non deformatum mulieri excusserit neci dabitur. Si quis servo oculum aut dentem extorserit, servus vindicta liberabitur. Taurus, si hominem occiderit, lapidabitur. Si dominus sciens bestiæ vitium, non consuluerit & ipse lapidabitur, aut pretio se redimet; in quantum accusator poposcerit. Si servum taurus occiderit, in triginta dragmis pecunia domino numerabitur. Si quis defossum lacum non cooperuerit, pecusque in lacum ceciderit, pretium pecudis domino dabit. Si taurus alterius taurum occiderit, pecus venundabitur, pretiumque domini partientur, peremptum etiam divident. Quodsi dominus vitium tauri sciens non consuluerit, taurum dabit. Siquis vitulum subripuerit, quinque restituet. Si ovem subripuerit, quadrupli pœna erit. Si viva penes abactorem pecora reperientur, dupla restituet. Nocturnum furem occidi licet, diurnum non licet. Cujus pecora alterius sata depaverint, dominus pecoris eversa restituet. Si depositum perierit, is penes quem depositum fuit jurabit nihil se dolo egisse. Fur inventus duplum dabit. Commendatum pecus à bestia interceptum, non restituetur. Si quis virginem nondum desponsatam corruperit, dotabit puellam & ita eam uxorem accipiet. Si pater puellæ nuptias recusaverit, dotem raptor dabit. Si quis se pecudi miscuerit, morti dabitur. Sacrificans idolis pereat. Viduam & orphanum non premendos: pauperem debitorem non perurgendum: nec usuram poscendam: vestimentum pauperis pro pignore non accipiendum. Principem populi non increpan-

crepandum: primogenita omnia Domino offerenda. Carnem à fera raptam non edendam. Coitiones in testimonium falsum, aut in quacunque malitia non esse faciendas. Inimici pecus errans non præteribis, sed reduces. Si animal inimici succubuisse oneri inveneris, erigere debebis. Innocentem & justum non occides. Non justificabis impium pro muneribus. Munera non accipienda. Advenam benigne habendum. Sex diebus opus faciendum: Sabbato requiescendum. Fructus septimi anni non metendos, sed pauperibus & egenis relinquendos.

DRUSIUS.

CUM TUBÆ CIRCUMSTREPERENT] *Sonitum buccinæ* habet Hieronymus Exod. 20. 18. Ubi LXX. *τὴν φωνὴν τῆς σάλπιγγος*, *vocem tubæ.* Quod autem antecedit in Hieron. *& populus videbat voces*, id olim explicavi, nec adhuc muto, audiebat tonitrua. Sic *cernere* usurpatur in illo Poëtæ veteris quod apud Nonium, *vox illius certè est, idem omnes cernimus*. Buccinæ, *τῆς βυκάνης*. Tuba propriè חצצרה dicitur, & differt à buccina, quæ שופר appellatur. Nam buccina incurva erat & tuba recta: item buccina ex cornu fiebat: tuba ex ære vel argento.

LAMPADES] לפדים/ id est, fulgura micantia, vel coruscationes. Ex nuperis interpretibus pro coruscationibus alius faces, alius fulgetra edidit. Camii λέξεις, לפיד/ lignum ardens: item fulgur. Quidam, *lumina & ignes, terribiliter ardentes.*

EDICTA] judicialia, quæ Moses משפטים/ interpres Hieron. judicia, id est, *κρίματα* vocat. LXX. *δικαιώματα*, id est, jura. Moneo tamen hac voce reddi ab iisdem interpretibus statuta, quæ ab Hebræis חקים vocantur, & ab Hieron. cerimoniæ. Sig. autem ritus sacros, totamque adeo cæremonialem legem. Hic agitur de iis quæ ad civilem politiam & forenses controversias pertinent. Quæritur utrum his legibus obstricti & obligati teneantur Christiani. Et respondetur communiter non teneri. Posse tamen magistratum Christianum in repub. sua, si velit, eas recipere. Secus judicandum de cæremoniis, quæ penitus abolitæ sunt, & quidem ita ut eas observare homo Christianus nullo modo possit, dicente Apostolo, *Si circumcidimini Christus nihil vobis proderit.*

HEBRÆUS SERVUS PECUNIA EMPTUS] Exod. 21. 2. Levit. 25. 30. Deut. 15. 12. Jer. 34. 14. De jure servorum multa in libro præceptorum majore fol. 169. col. 1. Servus vel à seipso vel à judicibus. Nemo poterat seipsum vendere quamdiu aliquid ei supererat. Sed adito sis ad locum illum. Hero mortuo servus manebat in servitute apud filium. Si filia hæres erat aut frater heri, aut alii, liber exibat. 16. 3.

HEBRÆUS] Israëlita, judæus. Quæ tria nomina se mutuo exponunt. Sic Deus Israël & Deus Ebræorum Synonyma sunt.

PUER] *παῖς*, id est, servus, ut apud Terentium in Andria, *etiam puerum inde abiens conveni Chremis.* Cicero ad Atticum, *eo die pueri mihi à te litteras reddiderunt.*

PECUNIA EMPTUS] quem quis ab alio emerit, non qui seipsum præ paupertate vendiderit: Nam talis serviebat ad jubilæum, Levit. 25. 39. Quidam hunc locum accipiunt de servo qui vendebatur à judicibus propter furtum suum, seu eo quod furtum fecerat, de quo Exod. 22. 3.

SEX

Sex Annis Serviet] videlicet quot reliqui adhuc fuerint ad annum septimum. Nam si duo anni tantum supererant tunc duobus duntaxat annis serviebat. Sane in ipso anno remissionis liber erat, etiamsi anno præcedente primum emptus fuisset.

Posthæc Liber Erit] post annum sextum ineunte videlicet septimo sive in principio anni septimi, quem Sabbatarium nonnulli vocant.

Auris Forabitur] subula Exod. 21. 6. Deut. 15. 17. Unde *aures perforasti mihi*, Psal. 40. 7. Ebræo. 10. 5. Cui auris hoc modo forata erat, serviebat Domino in seculum, id est, usque ad jubilæum, vel usque ad mortem heri.

Auris] dextera Jonathan R. Salomo. Id fiebat coram diis, hoc est, judicibus, Exod. 21. 5. & 6. Quomodo auris perforetur vide סמג fol. 169. col. 2.

Qui Hominem Occiderit] Exod. 21. 12. Hæc lex in usu erat ante tempora Mosis. Gen. 9. 6. *Quicunque fuderit sanguinem humanum fundetur* sanguis ejus. Sic leges civiles Romanorum, quarum collationem cum Mosaicis, vide, si placet, Tit. 1. Sigonius opinatur Sulpitium Scripsisse *qui prudens hominem occiderit*. Nam apud antiquum scilicet interpretem esse, *qui percusserit hominem volens occidere*. Sed sciendum nihil tale in Ebræo haberi, ac ne quidem in textu Græco interpretum LXX. quos in hac historia præcipuè sequitur Sulpicius. Sequentia tamen Sigonii opinionem firmant, & omnino tale quid intelligendum esse ipsa res clamat.

Capite Poenas Luet] non licebat judicibus hanc pœnam condonare. Quod hodiè nimis pervulgatum est. Utinam severius plecterentur homicidæ. Non tot cædes passim committerentur. Vide Deut. 19. 13. & סמג fol. 64. col. 4.

Qui Imprudens] Paulus libro quinto sententiarum, titulo ad legem Corneliam de sicariis, *Distinctionem casus & voluntatis in homicidio servari rescripto Hadriani confirmatur.* Verba rescripti, *Et qui hominem occidit, absolvi solet, scil. etsi non occidendi animo id admisit: & qui non occidit, sed voluit occidere, pro homicida damnatur, &c.* Idem ibidem, *Qui hominem occidit, aliquando absolvitur: & qui non occidit, ut homicida damnatur: consilium enim uniuscujusque non factum puniendum est. Ideoque qui cum vellet occidere casu aliquo perpetrare non potuit ut homicida punitur: & is qui casu hominem telo ferierit absolvitur.* Gregorianus, *Ea quæ ex improviso: casu potius quam fraude accidunt, fato plerumque non noxæ imputantur.* Plura de his in collatione legum Romanarum & Mosaicarum, tit. 1. vide, si otium est.

Imprudens] nescius, per errorem, casu, nullo occidendi proposito. Hunc casum Græci ἀτύχημα vocant.

Rite] κατὰ θεσμὸν, secundum Leges.

Exul Erit] ad urbes exilio destinatas confugiet, aut ad aram. Nam in deserto nullæ urbes erant, Jos. 20. 3. Proinde locus perfugii cum in deserto versarentur, erat altare, ut multi putant: aut castra Levitarum, ut R. Salomo arbitratur. Post constituta sunt asyla, de quibus Num. 35. Deut. 19. Jos. 20. Ratio ut eo confugere possent, qui procul à magistratu aberant, donec de causa cognosceretur, ne à vindice opprimerentur. Altera ut ibi cognita causa usque ad mortem summi sacerdotis tutò habitarent.

Qui Patrem Matremve Pulsaverit, &c.] Duæ leges sunt. Una, *Qui parentes pulsaverit*, id est, percusserit, verberaverit: altera, *Qui convitium eis dixerit.* Utriusque pœna capitalis erat, quanquam diversa. Nam percussor strangulabatur, convitiator lapidabatur. Dicunt præterea, Filius non debet pulsare parentes improbos, licet pœnam capitalem propterea non subeat. Quod si parentes eum incitaverint ad cultum Deorum falsorum, tum licet maledicere ei. Nam scriptum est, Non parces &c. Qui verbis aut

nutu contemnit patrem matremve maledictus est, Deut. 27. 16. Proverb. 30. 17. item 23. & 22. Quod hic locus intelligi debeat de percussione minimè levi docet R. Salomo, ita scribens, *Non est filius reus, nisi percussio fuerit cum livore.* Videatur Lyra. Nam quod in eo, *nisi ex procussione fiat effusio sanguinis vel livor, non incurritur pœna mortis*, indiget examine. Siquidem effusionis sanguinis nulla mentio in Salomone illo. Jonathan hic habet, *occidetur suffocatione sudarii*, vult dicere, quæ fit per sudarium. Quod genus supplicii חנק appellant. Fiebat autem hunc in modum. Imponebant reum fimo usque ad genua, cujus collum duo mappa utrinque constringebant donec animam efflaret. R. Salomo ubi simpliciter & absolutè positum מות יומת morte afficitor, debet accipi de strangulatione, ubi verò additum est, sanguis ejus super eum esto, debet accipi de lapidatione.

Convitiumque Eis Dixerit] Exod. 21. 17. Levit. 20. 9. *Qui maledixerit patri suo*, &c. Hic est קלל in Ebræo. Pœna erat lapidatio, ut diximus. Nam legimus Patri & matri maledixit, sanguis ejus super eum esto. Id de lapidatione intelligunt, quam סקילה vocant. Notabis in Mose (&) positum pro aut. Nam satis ad pœnam si alterutri maledixisset. Id tamen fieri debebat per unum ex nominibus Dei propriis. Nam si per agnomen aliquod maledicebat, non incurrebat pœnam maledictionis. Non tamen planè immunis erat ab omni pœna. Nam subibat eandem cum eis qui alteri maledixisset. Similiter puniebatur qui avo suo aut aviæ maledixerat. Notata hæc sunt in סמ״ג fol. 67. col. 3.

Siquis Hebræum Surreptum Vendiderit] Ulpianus lib. 8. de officio proconsulis, tit. ad legem Fabiam, *Lege Fabia tenetur qui civem Romanum, eundemque qui in Italiâ liberatus sit, celaverit, vinxerit, vinctumque habuerit, vendiderit, emerit, quive in eam rem socius fuerit. Vide collationem legum tit. 14.*

Hebræum] in fonte est איש virum, aut hominem. Sed LXX. Τινὰ τῶν υἱῶν Ισραὴλ, quempiam filiorum Israël. Oncelos quoque & Jonathan, *animam ex filiis Israël*, id est, hominem Israëlitam vel si mavis Ebræum. Locus est Exod. 21. 17. Vide etiam Deut. 24. 7. In collatione Romanarum legum cum Mosaicis citatur ex hoc loco. Quicumque plagiaverit quemquam in Israël & vendiderit eum, &c.

Vendiderit] sive vendiderit eum sive deprehensus fuerit in manu ejus ante venditionem, non refert. Hoc tamen arbitrarium esto. Nam pro, *inventus fuerit in manu ejus.* Hieron. edidit, convictus noxæ, & alius exponit, convincatur reus illius criminis.

Morti Dabitur] strangulabitur, Jonathan R. Salomo. In collatione legum supra memoratarum, *Sciendum est ex novellis constitutionibus capitali sententia plagiatores pro atrocitate facti puniendos: quamvis Paulus crucis & metalli pœnam hujuscemodi reis inrogavit.*

Siquis Servum Proprium] jure Romano, si Dominus servum dolo occiderit reus homicidii fit: sed punitur ut homicida servi, non ut homicida liberi hominis: & ex lege Corneliâ, non ex plebiscito. Vide collationem legum illarum tit. 3. qui de jure ac sævitiâ Dominorum.

Servum] Chananæum, Jonathan alienigenam, alii, etiam Ebræum, R. Salomo, si rectè illum capio.

Servamne] vel ancillam. Nicolaus de Lyra, Ista lex loquitur de servo vel ancilla gentilibus.

Percusserit] baculo aut virga.

Reus Judicio Fiet] fons Ebræus habet, *vindicando vindicabitur:* & Græcus,

Græcus, *δίκῃ ἐκδικηθήσεται*, quod reddunt, *pœna punietur*. Pœnæ genus indicant interpretes Ebræi, quam ajunt esse capitalem. Nam sic utique Jonathan, *judicabitur judicio gladii*. Verbum è verbo, *occisionis gladii*, q. d. damnabitur ad gladium & R. Salomo *vindicabitur morte gladii*. Sic alibi, gladius vindicans aut ulciscens. R. Levi, *vindicabitur gladio, quemadmodum exponit ipsa lex*, inquiens, *Qui fuderit sanguinem hominis &c. Nam effusio sanguinis fit gladio juxta consuetum morem, & invenitur quoque verbum* נקם *de gladio, nam ut gladius vindicans*. Scholion Aben-esræ est, Patres traditione acceperunt hunc locum intelligentiam habere ex illo gladius vindicans. Quanquam vindicta fiat & aliis modis.

Siquis Partum Non Deformatum] aut delenda negatio, aut aliqua quædam addenda, ut sit, *siquis partum non deformatum mulieri excusserit, multabitur* (in quantum maritus poposcerit, aut judices constituerint) *Si deformatum, neci dabitur*. Nam in mente habuit locum ex editione Græca. Exod. 21. 22. Ἐὰν δὲ μάχωνται δύο ἄνδρες καὶ πατάξωσι γυναῖκα ἐν γαστρὶ ἔχουσαν, Καὶ ἐξέλθῃ τὸ παιδίον αὐτῆς μὴ ἐξεικονισμένον, ἢ ψυχὴν ἀντὶ ψυχῆς &c.

Non Deformatus] fœtus non formatus, qui nondum formam aut effigiem hominis accepit. David Psal. 139. *ἀκατέργαστον*, id est, imperfectum. Lexicon Suidæ *ἐξεικονισμένον μεμορφωμένον*, puta utero jam verminante.

Mulieri] gravidæ.

Neci Dabitur] Id Ebræus dicit, *dabit animam pro anima*. Hic interpretes variant. Nam per animam alii intelligunt vitam corporis animati: alii pretium animæ. Sic oculum pro oculo iidem Interpretantur, æstimationem oculi. Disertè R. Salomo, *Qui intendit occidere hunc & occidit illum, liber est à morte: tantum pendit hæredibus occisi sanguines ejus ut si venditus fuisset in foro*. Sed Aben esra, *Quidam*, inquit, *dicunt mori debere percussorem. Occiditur autem quià cogitavit occidere fratrem suum. Quod demonstrant ex eo quod de natis dictum sit, multando multabitur: de morte autem mulieris dictum* (consulendi sunt codices Ebræi: Nam hæc paulo aliter ibi referuntur, quam in textu Græco, aut apud nostrum Sulpicium) *dabis animam pro anima. Quod si de multa intelligitur, quid amplius imponitur ei qui occidit fœminam, quam ei qui occidit natos? Quod si dixerimus etiam hos multæ subjacere, cur scriptura mutat nunc Sermonem, dicendo animam pro anima? Alia controuersia est eorum qui dicunt eum qui intendit occidere hunc & occidit alium & occidit illum non affici morte. Mutat autem scriptura sermonem ut dicat animam pro animâ, quoniam multa animæ major est multo quam puerorum. Id probant consequa verba, oculum pro oculo, quod intelligi non potest ad literam, sed de redemptione per pecuniam*. Hactenus R. Abraham. *Videamus nunc quid Nicolaus hac de re scribat: Reddet animam pro anima, id est, morietur. Aliqui verò doctores Ebræi dicunt quod non per hoc intelligitur pœna mortis, eo quod non intendebat percutere mulierem vel fœtum ejus animatum interficere: sed solum incurret pœnam pecuniæ secundum taxationem judicum. Sed hoc videtur irrationabiliter dictum, cum uxor sit una caro cum viro quem intendebat percutere: & ideo prima expositio videtur melior, quià intelligitur pœna mortis cum dicitur, reddet animam pro anima*.

Siquis Servo Oculum &c. De servo Chananæo hæc dici censent, legemque extendunt ad præcipua membra corporis, ut sunt digiti manuum ac pedum, aures, nasus, membrum quo viri sumus. Ita R. Salomo. Vide collationem legum tit. 3. de dominorum sævitia cohibenda. Quibus addes ex l. Si in lege, &c. *Etsi Dominus plenissimam servi habeat coërcitionem, tamen nec insusitatis ministeriis artificum ejus corrumpere, nec cicatricibus deformare potest*. Et ex l. 3. §. 3. de off. & præf. *Si intolerabilis dominorum sævitia videtur, cogantur servos*

 suos

ſuos bonis conditionibus vendere. rectè ſane, Nam expedit reip. ne quis re ſua male utatur.

Serto] aut ancillæ Chananææ. Chananæam voco quæ Judæa non eſt, hoc eſt, alienigenam aut gentilem. Sic ſervus Chananæus, quo vocabulo uſi ſunt Jonathan & R. Salomo, ab aliis exponitur alienigena vel gentilis. Quod poſtremum invenies in gloſſis Nicolai de Lyra.

Oculum Aut Dentem] idem cenſendum de aliis membris principalibus viginti quatuor, quæ Judæi vocant *Capita membrorum.* Sunt autem digiti pedum decem, & digiti manuum totidem: item duæ aures, naſus & membrum virile. Hoc ex traditione habere Judæos autor Aben-eſra. Vide Nicolaum de Lyra. Quod ſervum Ebræum attinet, de illo legimus, *non exibit ut exire ſolent ſervi,* ei illatum damnum retaliabitur & Levit. 24. 19.

Vindicta Liberabitur] Vindicta genus erat manumiſſionis apud Romanos: qua nunquam uſi Ebræi, quod ſciam. Quocirca male id nomen inſeruit, & rem obſcuriorem reddidit. Apud Moſen, *demittet eum liberum pro oculo quem eruit.*

Tametsi Hominem Occiderit] Hæc lex antiquiſſima eſt. Nam legimus Gen. 9. *Veſtri ſanguinis & erepta vita pœnas repetum ex beſtiis.* Unde quod hic de tauro ſive bove præcipitur, Ebræi extendunt ad omnes beſtias, quæ hominem occiderint. Auguſtinus quæſt. 81. *Quod de tauro poſitum eſt, à parte totum intelligendum eſt, quicquid de pecoribus uſui humano ſubditis infeſtum eſt hominibus.*

Hominem] Liberum videlicet. Nam ſi ſervus erat tum in triginta drachmis pecunia domino ſervi numerabatur. Vide ſequentia. Jam verò pro *hominem,* in fonte eſt, *virum aut fœminam.*

Taurus] cornupeta ſive petulcus.

Si Dominus Sciens Bestiæ Vitium] Si Dominus tauri ſciens eum petulcum eſſe, *non conſuluerit,* id eſt, cuſtodiverit eum.

Et Ipse Lapidabitur] Etiam ipſe lapidabitur cum tauro. Græcum *προσαποθανεῖται ſimul morietur,* accepit de lapidatione, cum poſſit extendi latius ad aliud genus ſupplicii. Sane in Ebræo legitur יומת *morte afficietur* aut *occidetur.* Id quidam enarrant occidetur cælitus à Deo. Nam non poterat redimi qui à judicibus morti adjudicatus erat. Alii *mortis reus erit, niſi ſe redemerit.*

Servum] vel ancillam. Quæ de alienigenis interpretantur.

En Triginta Dragmis] Suſpicor Sulpicium edidiſſe, *drachmis.* Nam dragma huic loco non quadrat. Significat enim manipulum. Notum ut ſiclus in drachmam aliquando transferatur. Sed forte legendum *didrachmis.* Sic enim certè hoc habet editio Græca, *ἀργυρίου τριάκοντα δίδραχμα δώσει τῷ κυρίῳ αὐτῶν.* Siclum didrachmum fuiſſe notius eſt quam ut probari debeat. De communi ſiclo loquor, non de ſacro, qui tetradrachmus erat. Unde Budæus ſiclum ait eſſe nummum tetradrachmum, quantum & ſtater valet.

Siquis Defossum Lacum] ſenſus eſt, ſi lacum, quem defoderit, non operuerit operculo. Lacum, id eſt, foſſam aut foveam. Græci *λάκκον* appellant: Unde quidam exiſtimant ſcribi debere laccum. Nam lacus aliud eſt in Latio. Ut noſter *defoſſum lacum,* ita Virgilius *defoſſi ſpecus,* & Columella *ſcrobem defodere.* Id fieri debebat in loco ubi communiter homines & jumenta verſantur.

Pecusque] bos aut aſinus aut aliud animal humanis uſibus deſerviens. Auguſtinus, *à parte totum intelligendum. Non enim ſi equus ceciderit aut ovis, ideò non reddet, quià ſcriptum non eſt.* Idem R. Salomo. Videndus Lyra. Bovem ſenes

hoc

hoc loco μόσχον appellant, quem male vitulum reddunt.

Pretium Pecudis Domino Dabit] vel pecudis Domino, vel pretium pecudis, id est, quanti æstimabitur pecus vivum, unde postea detrahebatur pretium mortui sive cadaveris.

Alterius Taurum] τὸν ταῦρον τοῦ πλησίον bene interpretatur, *Taurum alterius*. Minus bene Benzita homo Ebræus *taurum sive bovem socium*. *Nam bos non habet socium*, inquit, *Aben-esra, nisi forte ipsum Benzita*.

Pecus] vivum, id est, bovem qui altero bove occiso vivus remansit.

Peremptum Etjam Divident] occisum bovem accipiet Dominus vivi bovis, alterum habebit Dominus occisi. Nicolaus, *Dicit R. Salomo, quod lex ista intelligenda est de bobus æqualibus in valore. Aliter enim dominus bovis interficientis alium reportaret inde lucrum aliquando, quod esset contra rationem. Verbi gratia, si corium aut carnes bovis interfecti valerent sex libras (quià licet Iudæis non esset licitum comedere carnes illas, poterant tamen eas vendere gentilibus ad comedendum, quibus non erant prohibita) & bos interficiens valeret duas, si uterque Dominus haberet medietatem utriusque pretii, sequeretur quod ille, cujus bos valebat saltem duas libras, reportaret quatuor, &c.*

Vitium Tauri Sciens] sciens taurum esse petulcum, & cornu ferire.

Non Consuluerit] non custodierit eum.

Siquis Vitulum Subripuerit] & vendiderit aut mactaverit. Vitulum autem dicit quem Græci μόσχον interpretantur: quæ vox in hoc loco taurum vel bovem denotat. Certè in Ebræo est שור. Vitulus autem עגל dicitur. Quæ confundenda non erant.

Quinque] pro uno quinque boves.

Ovem] πρόβατον Sic etiam Hieron. Alii, parvam pecudem. Ut ad bovem pertinent majora pecora, videlicet equi, asini, cameli: sic ad ovem minora, in queis & capræ.

Quadrupli Poena Erit] quatuor oves restituet. Cur gravius punitur furtum bovis quam ovis? Utrum quià bos major est? An quia majus damnum accipit, qui bovem amittit, cessante interea agricultura, quæ sine bobus non fiebat. Antiqui enim bubus arabant. Quidam existimant oves, quià gregatim pascuntur facilius custodiri: contra boves facilius abduci. Nam ovis furem non sequitur. Debet eam humeris portare, quod molestum est. Bovem facilius ante se potest agere, aut fune ducere. Vide sis Aben-esram.

Si Viva Pecora] boves, asini, oves.

Penes Abactorem] vel furem. Abactor, qui & abigeus & abigeator, quantitate à fure discernitur. Abactor enim est qui greges abducit: fur qui ovem aut bovem furatur. Claudius, *Quantitas discernit furem ab abigeo. Qui enim unam suem surripuerit ut fur coërcetur, qui gregem ut abigeus*. Vide collationem legum, tit. XI.

Dupla Restituet] Duo reddet, videlicet id quod furto abstulit, & aliud ejus generis, vel saltem valorem ipsius, R. Salomo, *non reddet quod mortuum est, sed vivum aut pretium ejus*. In libro qui vocatur ס״ם *fur testibus convictus duplum restituebat, videlicet pro uno denario duos, & pro uno camelo aut asino duos: item pro uno tegumento duo, si ipse prodebat furtum, tantum sortem pendebat*. Hæc ibi fol. 148. col. 3. in extremo.

Nocturnum Furem] hæc lex habetur, Exod. 22. 2. quam eodem modo interpretatur S. Augustinus, Vide glossam ordinariam ad hunc locum. Ulpianus lib. VIII. ad edictum, si furem nocturnum, quem lex 12. tabularum omni modo permittit occidere, aut diurnum, quem eadem lex permittit, sed

ita demum, si se telo defendat, videamus an lege Aquilia teneatur. Adito sis ad collationem legum tit. VII.

Furem] parietem domus noctu perfodientem, & in effossione deprehensum.

Occidi Licet] percussor non erit reus sanguinis, id est, cædis: quod Græci dicunt οὐκ ἔστιν αὐτῷ φόνος: Ebræi, *non erunt ei sanguines*. Nota Ebraismum.

Diurnum Non Licet] si post ortum solem deprehendebatur in furto, non licebat eum occidere. Qui occidebat, incurrebat pœnam homicidii. Fur autem hoc modo deprehensus, si habebat unde redderet, reddebat: sin non habebat, vendebatur pro suo furto. Deprehenso furto penes eum bovis, asini, avis aut capræ viventis, duplum reddebat.

Alterius Sata] agrum aut vineam. Ager seritur, vinea plantatur. Non ergò sata tantum, sed etiam plantata.

Eversa Restituet] damnum sarciet de optima parte agri sui aut vineæ, suæ. Quod hic dictum de agro & vinea debet extendi latius, ut etiam de horto & oliveto, &c. intelligatur. Cæterum Ebraica veritas habet, *Siquis depasci fecerit agrum aut vineam*, &c. Qua lege non tenetur nisi qui pecus suum immiserit in aliena.

Si Depositum Perierit] Depositum Græci vocant παρακαταθήκην, quod quis apud alium deposuit, custodiendumque commisit sive pecunia fuerit aut vestes aliaque suppellectilia. Id si de domo surreptum, nec fur deprehensus fuerit, tum depositarius, inquit, jurabit se rem alterius non intervertisse. Id enim valet *se nihil dolo egisse*. Nam sensus est, dolo malo. Jusjurandum autem fiebat coram diis, hoc est, judicibus aut magistratu. Deos enim vocant καὶ τοὺς κριτάς, ut notatum à Theodorito. Quocirca minus rectè hoc loco Senes ediderunt ἐνώπιον τοῦ θεοῦ. Judices enim cum plures essent, dii vocantur non Deus. Quanquam vox Ebræa Elohim ad utrumque ambigua sit. Cæterum in codicibus Ebræis nulla mentio jurisjurandi, subintelligitur tamen ex verbis illis, *applicabitur ad Deos. Nam*, ut ait R. Salomo, *applicatio nihil aliud est quam juramentum.* Cui firmando R. Abraham ita scribens, *in verbis illis, applicabitur ad Deos, continetur juramentum, quod fiebat coram judicibus*

Nihil Se Dolo Egisse] Nicolaus de Lyra, *Custos depositi liber erit per juramentum suum, quod non commisit fraudem in illo deposito.* Hieron. ex Ebræo hoc refert, *jurabit quod non extenderit manum in rem proximi sui ad perpetrandam fraudem.* Vide sequentia, & notas nostras ad hunc locum.

Fur Inventus, &c.] Exod. 22. 7. ἐὰν δὲ εὑρεθῇ ὁ κλέψας, ἀποτίσει τὸ διπλοῦν. Loquitur autem de fure depositi.

Commendatum Pecus] datum ad custodiendum. Agitur autem de custode mercenario, ut siquis oves pastori tradat aut boves bubulco, certâ mercede pactus cum eis.

A Bestia Interceptum] hæc lex habetur, Exod. 22. 13. ἐὰν δὲ θηριάλωτον γένηται, ἄξει αὐτὸν ἐπὶ τὴν θήραν καὶ οὐκ ἀποτίσει, id est, interprete Sulpicio, *si à bestia interceptum fuerit.* Pro עד quod legerunt LXX. hodie legunt עד hac sententia, *adducet illud in testimonium raptum non rependet.* Jurisprudentes ita de hac re censent: Quod raptum à fele, vulpe, aut mustela redditur: secus sit, si raptum fuerit à lupo, leone, urso, serpente. Hæc R. Salomo. Quæ adduxi propter Sigonium, qui legendum hic opinatur ab hoste interceptum. Quæ diversa lex est, habetur autem vers. 10. ἐὰν δέ τις δῷ τῷ πλησίον ὑποζύγιον ἢ μόσχον ἢ πρόβατον ἢ πᾶν κτῆνος φυλάξαι, συντριβῇ ἢ τελευτήσῃ ἢ αἰχμάλωτον γένηται, &c.

&c. id est, ab hostibus captum. Quod Ebræi נשבה dicunt.

NONDUM DESPONSATAM] alibi est, *non desponsatam*. Græce ἀμνήστευτον. Sed in Hieron. *necdum desponsatam*. Nam quæ desponsata pro uxore habetur, & ita vocatur passim. Aben-esra, *desponsata licet non subierit jugum viri tamen vocatur uxor*.

CORRUPERIT] vitiaverit verbis seductam. Talis מפתה dicebatur. In סמ״ג 137.4. *Qui verbis seduxerit virginem ita ut ultro consentiat, vocatur* מפתה id est, *seductor*. Vide sequentia. In fonte habetur, *Qui lactaverit virginem non desponsatam, & concubuerit cum ea*. Et puella hoc modo corrupta dicebatur מפותה seducta. Unde in libro citato, *Quæcunque in civitate aliqua corrupta fuerit, habetur pro seducta, nisi testibus probaverit se vi oppressam fuisse*. Vi oppressa vocabatur אנוסה quod per vim vitiata esset. Hanc ducere cogebatur qui vitiaverat, Deut. 22.29. Quod si parens aut ipsa in nuptias consentire nolebat tum raptor solvebat 50. siclos argenteos, tantundem videlicet quantum seductor. Sed plura hac de re in סמ״ג 138.1.

SI PATER PUELLÆ NUPTIAS RECUSAVERIT] etiam ipsa puella nuptias recusare poterat. Sed & seductor, si nolebat convenire in nuptias, non cogebatur nisi ad multam solvendam.

RAPTOR] corruptor. seductor. Abusus est voce Latina. Nam raptor propriè qui rapit virginem. Rapit autem qui vim adhibet. Hic à jureconsultis Ebræis אונס vocatur.

DOTEM DABIT] ut fert dos virginum, hoc est, quinquaginta siclos, ut habetur Deut. 22.29. sunt autem 50. sicli, viginti scutata coronata: Robertus Senalis pag. 58. viginti quinque Joachimici: Forsterus in שקל. viginti quinque taleri vulgares: Adrianus Junius in Nomenclatore.

PECUDI SE MISCUERIT] cum jumento coierit.

MORTI DABITUR] mortis genus erat lapidatio, ut Hiscuni Ebræus annotat, quià in sectione Ciddusim de hoc facti genere legitur, *sanguis eorum super eos*. Etiam bestia necabatur. Vide Lyram. Sunt qui hic per analogiam prohiberi volunt omnes nefarias libidines. Vide Levit. 18. 22. & 20 15.

SACRIFICANS] immolans, adolens, offerens, libans. Quæ omnia contineri verbo זבח sacrifico testatur ex Salomone Trecense Nicolaus de Lyra. Idem eximit ab hac pœna eum, qui verrit, ornat, aquam spargit, amplectitur, deosculatur. Scribit autem Aben-esra hanc legem pertinere peculiariter, ad proselytum & advenam, qui ea conditione manebat inter Israëlitas, ne diis, quibus consueverat, immolaret. Idem Hiscuni annotat. Ad eundem advenam referunt legem præcedentem, quià in more positum erat (Hiscuni mihi autor est) apud quosdam populos puta Syros, ut cum bestiis rem & consuetudinem haberent. Cæterum Israëli prohibita videtur Idololatria per secundum præceptum decalogi, *non erit tibi Deus alius*, &c.

IDOLIS] τοῖς θεοῖς est in LXX, sequitur autem πλὴν κυρίῳ μόνῳ. Licet etiam vertere ex Ebræo, *Deo alicui*: ea vis articuli. Vocat autem idola gentium Deos, quæ opinione hominum pro diis habentur. Oncelos quoque, *Idolis populorum*, quæ ab errore sic vocantur in ea lingua טעון.

PEREAT] in scholio est ἀναθεματισθήσεται, id est delebitur & penitus excidetur, quod LXX dixerunt θανάτῳ ἐξολοθρευθήσεται, morte exterminabitur. Jonathan *occidetur gladio & facultates ejus consumentur*. Quidam *ut anathema delebitur*. Nam חרם anathema, exterminium. Hieron. in ea quam ad Algasiam scripsit, quæst. IX. *quod autem anathema interdum occisionem sonet, multis V. T. testimoniis probari potest*. Sanè idem hoc loco vertit, *occidetur*. Sic etiam Santes.

V I.

VIDUAM ET ORHPANUM NON PREMENDOS] non affligendos, non vexandos. Hæc lex extendi debet ad omnes alios qui propter debilitatem virium se tueri non valent.

PAUPEREM DEBITOREM] cui mutuo pecuniam dederis, & pauperem non quemlibet, sed Judæum, qui populus Dei vocantur: aut *populum meum*, id est, pauperem. Nam pauperes appellantur peculiariter populus Dei.

NON PERURGENDUM] οὐκ ἔσῃ αὐτὸν κατεπείγων, id est, non urgebis solutionem ita ut nihil de jure tuo remittas. Ambrosius videtur legisse κατάπνιγων. Nam vertit, *non suffocabis eum*.

PRO PIGNORE NON ACCIPIENDUM] non tam vetat accipere, quam jubet reddere ante solis occasum, Exod. 22. 25. Ut hic pro pignore accipere, ita Cicero dixit, *salutem suam pro pignore tradunt ad explendas cupiditates.* Usitatius est pignori sive in pignus accipere.

NON INCREPANDUM] οὐκ ἐρεῖς κακῶς interpretatur, *non increpabis*: sed an rectè? vix opinor. Nam increpare est reprehendere. Melius redditur, *non maledices.* Utrumque Græci exprimunt verbo λοιδορεῖν. Nam & increpare significat & maledicere, convitiarique & probris afficere aut insectari: unde λοιδόρημα, maledictum.

PRINCIPEM POPULI TUI] ἄρχοντα λαοῦ σου: quod Ebræus dicit, *principem in populo tuo.*

PRIMOGENITA OMNIA] tam hominum quam pecudum: quorum illa redimebantur quinque siclis post trigesimum diem, hæc manebant apud matrem septem dies, die autem octavo dabantur Deo, hoc est, sacerdoti Dei ministro. Nicolaus de Lyra, *Primogenita hominum redimebantur quinque siclis argenti. Dicit autem hic R. Salomo quod quilibet siclus valet quinque solidos: tamen non dicit cujus moneta, & ideo melius videtur dicendum quod valor determinatus est nobis incertus, quia sicut frequenter dictum est, moneta & pondera auri & argenti multum variantur secundum tempora & varias regiones.*

A FERA RAPTAM] θηριάλωτον à fera captam, id est, raptam. Nam capio interdum idem quod rapio. Codex Ebræus habet, *in agro raptam.* Sed in Oncelo, à fera discreptam: & in Hieron. *à bestiis prægustatam.* Caro ista canibus projicienda erat.

COITIONES, &c.] οὐ συγκαταθήσῃ vertit, *non facies coitiones:* quod alii reddunt *non consenties*, & alii *non dispones pactum*, id est, συνθήκην. Nam συνθήκη pactum. Συγκατατίθημι propriè, *simul pono calculum in urnam*, in eandem sententiam descendo, assentior. Ebraicè est, *non pones manum cum improbo.* Id explicant, ne auxilium ei præstes, vel ne in societatem cum eo coëas: præcedit autem, *ne accipias auditionem vanam*, sive rumorem vanum, qui sæpe solet spargi de viris bonis & piis. Hanc Theologiam si didicissent Theologi quidam non tam faciles essent ad accipiendam divulgandamque calumniam. Cave, inquit, calumniatori fidem habeas. Nam tam peccat qui admittit calumniam, quam qui dicit eam. Judices quoque monentur hoc præcepto ne temerè credant accusatori, sed alteram aurem accommodent reo.

AUT IN QUACUMQUE MALITIA] ἐπὶ κακίᾳ interpretatur cum Augustino, *in malitia:* cum possit exponi *ad malum*: sic Ebræus codex, nisi quod ibi, *ad mala* pro ad malum. Forte legerunt He pro Thau. Nam affinitas aliqua inter has litteras, κακία potius vitiositas. Nam malitia aliud est in Latio.

INIMICI PECUS ERRANS] quidam hoc restringunt ad inimicum fratrem: ego latius patere non dubito. Cæterum bona ex hoc præcepto manant, si rectè observetur, duo. Unum est quod pecus errans in viam reducitur, alioqui forte

forte devorandum à feris: alterum quod occasio hinc inimico te amandi. Isidorus. *Asinum reduci jubet, ut hac ratione odientis animum conciliet. Nam si omnino implacabilis & inexorabilis non fuerit, fieri non potest quin hac humanitate animus illius non mansuescat.*

PECUS] bovem aut asinum, aut aliud quodvis jumentum.

REDUCES] ad inimicum. Multò magis ad eum qui non est inimicus. Sic alibi, *Ciba hostem tuum.* Si hostis cibandus, ergo & is qui hostis non est. Addita clausula, *si esurierit.* Similiter, *si sitierit, da potum.*

SI ANIMAL INIMICI TUI] ὑποζύγιον vertit *animal*, propriè animal sive jumentum subjuge. Sed senes peculiariter ad asinum restringunt hoc loco & Exod. 20. 10. item Gen. 36. 24. Sic Matth. 21, ὑιὸν ὑποζυγίου, filium asinæ.

INNOCENTEM ET JUSTUM] ἀθῷον καὶ δίκαιον. Videntur Synonyma esse, sed non sunt. Nam innocens, qui sine culpa est, licet damnatus sit à judicibus. Justus verò qui culpam habet, licet à judicibus absolutus sit. Vide notationes nostras adhuc locum.

NON JUSTIFICABIS IMPIUM PRO MUNERIBUS] οὐ δικαιώσεις τὸν ἀσεβῆ ἕνεκεν δώρων. Sic Græci LXX. Sed in Ebræo aliter, *quia non justificabo impium. Et, munera non accipies.* Pro impium alii reponunt improbum. Sic vocatur reus sons καὶ ὑπόδικος. Unde lux Davidi, *cum judicabitur*, id est, litigabit, *exeat improbus.*

JUSTIFICABIS] absolves.

PRO MUNERIBUS] additum à Græcis. Nam in Ebræo, ut dixi, *Non justificabo improbum.* Q. D. licet insons declaratus sit à judicibus, tamen à me non erit impunitus. Ego in illum suo tempore animadvertam, prout meretur. Hoc judicium mihi relinquendum erit. Aut non justificabo improbum judicem, qui justum occiderit, ullave injuria affecerit.

ADVENAM] tam eum qui per terram tuam iter fecit, quam eum qui in ea commoratur. Lex hæc habetur Exod. 23. vers. 9. quam nonnulli restringunt ad advenam prætereuntem. Alia lex est, Exod. 22. 21. quam enarrant de advena qui apud nos habitat. Expende diligentius.

BENIGNE HABENDUM] malim, *non vexandum* aut *affligendum.* Nam in textu Græco οὐ θλίψετε. Editio Hieron. *peregrino non eris molestus.*

SABBATO] id est, die septimo.

FRUCTUS SEPTIMI ANNI NON METENDOS] videtur in eadem sententia fuisse cum Augustino, qui scribit licuisse quidem seminare, sed non colligere fruges hoc anno, cum aliud sonent verba Mosi, Exod. 23. 11. Nam terra inculta penitus relinquebatur. Quod autem sponte nascebatur, id pauperibus cedebat. Cæterum annus iste annus ἀφέσεως, id est, remissionis & annus sabbatarius dicebatur.

SCHOTANUS.

HUjus capitis controversia habetur Exodi cap. XX. à v. 18. ad finem illius capitis. Porro totis capp. XXI. XXII. XXIII. Residua XX. capitis continent historiam, qua Moses constituitur in μεσίτην, v. 18. 19 20. 21. Quæ fusius explicantur Deut. 5. à v. 23. finem. Item Deut. 18. à. v. 16. ad finem. Populus perterritus igne, tonitruis, voce, sono buccinæ, terræ motu & simi-

 libus,

libus, petiit à Moſe, poſt promulgatum decalogum, ut à Deo peteret, quo liceret ipſis intra caſtra manentibus Moſen inter Deum ipſosque commeantem deferre præcepta & reſponſa. Miſerunt ad Moſen τοὺς ἡγεμόνας τῶν φυλῶν καὶ τὴν γερουσίαν, principes tribuum & ſenatum (Deut. 5. 23.) qui id ſuo nomine proponerent. Moſes id valde prædicat, quod vocem viventis Dei audiverint ſuisque auribus hauſerint nec tamen abſorpti interierint. Et ipſi id mirantur. Promittunt obſequium omnibus, quæ per Moſen eſſent deferenda. Ea petitio, maximè obſequii promptiſſima promiſſio, apprimè Deo placuerunt. Conceſſit, quod petebatur: adjecitque talem ſe prophetam μεσίτην, è fratrum medio aliquando excitaturum eſſe, quem eſſent audituri: delendum eſſe autem, qui ei morem non gereret. Nobiliſſimum hoc promiſſum habetur Deut. 18. verſibus dictis. Non eſt hujus loci ejus expoſitionem eruere. Sic quartus Moſis aſcenſus finem habuit. Nam digreſſus à Deo, ſolvit concionem illam, cui ſimilem nulla ætas habuit. Inde appellata eſt ἡμέρα τῆς ἐκκλησίας. יום הקהל. Deut. 18. 16. Hæc facta ſunt die ſexto menſis Sivan: in quo bis montem aſcendit Moſes. Semel Exod. 19. v. 20. 21. 22. 23. 24. Iterum cum decalogus promulgaretur, ſed non fuit in montis vertice, nec cum decalogus ſonabat, nec poſtea, cum ad Deum deferret populi petitionem. Intermedio ſtabat intervallo, loqui cum populo poteret & Deo. Verſus 21. cap. XX. Exodi diviſim accipiendus eſt: *Populus ſtabat eminus*, nempe die ſexto. Poſt eum diem populus in concione non ſtetit ad audiendum Deum. *Moſes autem ingreſſus eſt caliginem, ubi erat Deus.* Id factum eſt poſt diem ſextum aliis aſcenſibus. Quintum aſcenſum quis poteſt explicare, in quem diem ciciderit? Joſephus exiſtimat poſt ſolutam & in caſtra dimiſſam concionem, ſequentibus aliquot diebus populum flagitaſſe à Moyſe, ut leges (civiles & circa cultum Dei) ipſis à Deo afferret. Quæ partim confuſa, partim vana narratio eſt. At Moſes, cum ad Deum aſcendiſſet, quinto aſcenſu, præcepta Dei accipit, quibus monetur primo populus ne ſibi faciat idola: quod fuſius evolvit Moſes Deut. IV. 15. 16. 17. 18. 19. 20. Deinde faciendam eſſe aram terream, ad holocauſta & euchariſtrica. Se adfore, ubicunque nominis ſui memoriam ſtatuerit. Si altarium è lapidibus ſtruere velint, non eſſe ſtruendam è lapidibus cæſis, ne profanetur inſtrumento. Nec in aram aſcendendum eſſe gradibus ne pudenda retegantur. De ara terrea Raſi: *Adhærentem terra* (מחבר באדמה) *ut non ædificet eam ſuper columnu aut cippis. A. S. Quod fuerit implens foramen* (ſeu cavum) *ara ænea terra, tempore manſionis eorum.* Nam cum Deus juſſerit aram aheneam pro holocauſtis ædificari, id eſt è lignis Setim, ære obductam, Joſephus appellat βωμὸν χάλκεον ἐπὶ ξύλου, nulla mentione facta aræ terreæ, quid hoc præcepto de ara terrea ſignificetur quæſitum eſt. Lyranus: *Hoc præcepit ad deteſtationem idololatriæ: quia idololatræ faciebant altaria valde ſolennia de marmoribus & metallis: & intelligitur hoc de altari holocauſti, ubi cremabantur hoſtiæ: quia altare incenſi fuit de lignis Sethim & opertum auro &c. Quod autem dictum eſt hic, quod altare holocauſtorum debeat eſſe de terra vel lapidibus non ſectis, non eſt contra illud, quod dicitur infra 27. cap. quod altare holocauſtorum præcipitur fieri de lignis Sethim, opertum ære, quia illud altare fuit de terra, ut videbitur infra.* Illic infrà notat, in Superficie terræ ſine fundo aram ſtatutam fuiſſe. Ego exiſtimo hic ſermonem eſſe de ara extra tabernaculum, ut ſi ea forte extruenda eſſet peculiari quadam ratione, conſtruendam eſſe è terra aut lapidibus non dolatis neque ſectis. Ejuſmodi aram conſtruxit Moſes in cap. 24. Joſue cap. 8. Ara, quam ſtruxit Moſes ad pedem montis, inſerviit, uſque dum tabernaculum conſtructum eſſet. His aris enim opponi videtur tabernaculi poſitio, in qua Deus

inter

inter ipsos esset habitaturus. Quod dicitur non esse gradibus ascendendum in aram Dei, cum tamen in aram ascendere debuerint, ut ministrarent, explicat Rasi: *Non facies gradus, gradus esclinis vernacule, sed* חלק יהא ומשפע / *molliter acclivis.* Aben-esdras ita differit de altaribus istis: Altare lapidum] *Quidam dicunt, sensum esse, ne fiant imagines in altari; ideo praecepit in altari esse lapides rudes, atqui expositores doceant nos cur totum tabernaculum factum sit cherubinis & cherubini aurei supra operculum. Et domus, quam condidit Salomo, totum Cherubini & similitudines* ופטורי צצים. *At hac loca venerabiliora prae loco arae. In parasa* כי תשא *loquar de hoc. Quidam dicunt quod ara terrea, dicta sit quod non fuerit in loco sublimi: Hic non est sensus phraseos, cui firmando, quod sequatur ara lapidum. Et majores nostri dixerunt, quod sensus sit debere terram poni in ara anea & dixerunt veritatem, quod sic fecerunt, tantum posuerunt hunc versum in memoriale & (*אסמכתא*) fulcimentum: at non est sensus literalis. Nam terra, quam posuerunt in ea accidens erat. Nec vocata est ara anea, quia ex aere facta. Etiam non vocata est ara suffitus, ara aurea, quia obtecta erat auro. Porro si ita est sensus simplex arae terrae erit expositio ejus (si aram lapidum) quod in ea posuerint lapides: at non possumus dicere, quod ara non fuerit structa è lapidibus. Hoc enim manifestum & est structa in monte Ebal: & nunc exponam. Dicit Haggaon: Quod sit dissensio de re ara, quam fecit Moses sub monte. Quidam statuunt structam esse ante datam legem, alii post. Et Haggaon sententia prima adstipulatur: & dicit quod scriptum in versu hoc:* Quicquid dixit Dominus, faciemus (Exod. 19.18.) *iteratum sit in parasa secunda* (Exodi. 23. 3.) Quicquid dixit Dominus faciemus & audiemus. *At ego dabo tibi (*ראיה גמורה*) rationem firmam, quod fuerit post datam legem. Nam ecce scriptum in hac parasa* (XIX. 4. 5.) *quod dixerit Dominus Mosi, cum ascenderet in montem Dei ante datam legem:* Vos vidistis, quid fecerim Ægyptiis & nunc si audiendo audietis vocem meam. *Et dicit in principio* (v. 3.) Sic dices domui Jacob. *Et ecce non annuntiaverat ipsis, nec praeceptum, nec statuta: nec judicia. Tantum ad audiendum ex ore ipsorum, an essent prompti ad audiendam vocem Dei, ad omnia, quae ipsis praecepturus esset. Ipsi responderunt & dixerunt,* Faciemus. *Et sic scriptum:* Et retulit Moses verba populi ad Deum. *Tunc sanctificavit eos ad audiendum verbum Dei, quod fuit decem verba. Et inde incepit ut eos audire faceret praecepta: Et quando accessit Moses ad caliginem, dixit ipsi hanc parasam* Non facietis, *& totam parasam* ואלה המשפטים / *usque,* erit tibi in laqueum (cap. XXIII. 33.) *Et postea scriptum est.* Et venit Moses, (cap. XXIV. 3.) *quia descenderat è monte. Et illic scriptum:* Et enarrabat populo omnia verba Dei & omnia judicia. *Et verba Domini sunt praecepta affirmativa & negativa: quorum principium* (XX. 23.) Non facietis mecum deos argentos & aureos *& verba altaris & omnia affirmantia & negantia, quae sunt in parasa* ואלה המשפטים *Sicut* (XXII. 26.) Restituendo restitues ipsi antequam occiderit Sol. (v. 28.) Principibus non maledices. *Et judicia, verba servorum, & percutientium, rixantium & cornupeta & incendii & verba furti & juramenti. Propter hac scriptum hic est:* Et omnia judicia. *Propterea dixerunt patres nostri:* Faciemus & Audiemus. Faciemus *significat custodiemus praecepta affirmantia & negantia* Et audiemus *propter judicia. Ideo adjecerunt post datam legem dicendo,* Et audiemus. *Non dixerant ita in principio. Ecce autem expositio* Altare terrae, *est ut sonat, Factum è terra. Q. S.* (XXIV. 4.) Et exstruxit illic aram sub monte. *Et scriptum sic* (XX. 24.) Et offeres super eo holocausta & pacifica tua. *Illic* (XXIV. 5.) obtulerunt holocausta & mactarunt victimas pacificorum: *Indubie hac parasa,* Altare terrae, *etiam,* Non facietis mecum, *propter sanguinem foederis, quem sparsit super aram & super populum, qui receperant super animas suas, quod Deus solus ipsis in Deum*

 fores

foret & quod custodituri essent praecepta ejus & judicia ejus. Judicia (δικαιώματα משפטים) Moses describit, adjungit autem in cap. 23. de Sabbatis & diebus festis, itemque primitiis. Tum promissiones de Angelo ὁδηγῷ, de benedictione ad felicem fecunditatem & prosperam terræ subjugationem, in latissimo imperio ab Ægypti finibus ad Eufratrem.

SULPICII SEVERI

HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

Cap. XXIX.

HÆc fere Moses ad populum verba Dei retulit: altariumque ex duodecim lapidibus sub monte constituit. At rursum montem, in quo Dominus consistebat, conscendit adhibito secum Aaron, Nabad & Aliud, majoribusque natu septuaginta. Sed hi non valentes Dominum intueri, locum tamen, in quo Dominus stabat, viderunt, cujus mirabilis forma & claritudo eximia refertur. Moyses autem accersitus à Domino, interiorem nubem, quæ circa Dominum steterat, ingressus, quadraginta diebus totidemque noctibus ibi fuisse traditur. Quo tempore super ædificando tabernaculo atque arca rituque sacrificandi edoctus, verbis Dei est. Quæ ego, quià prolixa admodum videbantur, inferenda huic tam præciso operi, non putavi.

Drusius.

ALTARIUMQUE SUB DUODECIM LAPIDIBUS SUB MONTE CONSTITUIT] Secutus est eos qui putant hoc altare extructum fuisse ex duodecim lapidibus juxta numerum tribuum, quæ duodecim erant. Hujusmodi altare olim & Elias exstruxit. Videndus Lyra Exod. 24. 10. Glossa interlinearis ad locum, *Ædificavit altare Domino & duodecim titulos: In alia translatione legitur quod ex 12. lapidibus unum altare constructum sit.* Editio Græca ᾠκοδόμησε θυσιαστήριον ὑπὸ τὸ ὄρος καὶ δώδεκα λίθους εἰς τὰς δώδεκα φυλὰς τοῦ Ἰσραήλ. Lapides hosce alii titulos, aliis statuas vocant. Quod potius denotat vox Ebræa.

ALTARIUMQUE] altarium ità dicitur ut exemplarium ut lupanarium in jure civili. Usurpat eandem vocem dial. 2. segm. 2. ut & Paulinus, Hieronymus, Hilarius. Prudentius etiam altar dixit. Altar, altare, altarium, ut cochlear, cochleare,

cochleare, cochlearium: laquear, laqueare, laquearium.

Sub Monte] ad radices montis.

Ex 12 Lapidibus] Hiscuni, *duodecim lapides statuit in altari ut testaretur omnes eos consensisse in fœdere. Simile quid fecit Elias in monte Carmeli. Et accepit duodecim lapides juxta numerum filiorum Israël.*

Nabad] legendum: Nadab litteris transpositis, vel ex editione Romana in qua Ναδάβ rectè scriptum. Sic mox Abiu legendum pro Abiud, quod nunc scribunt Abihu, ut Aharon cum aspiratione, quam Græci in medio ferè omittunt. Vide Exod. 24. 9.

Conscendit Montem] septimo Mensis Sivan, 1. Maij.

Non Volentes Dominum Intueri] Signonius emendat, non valentes: probo vehementer. Paullò post, *tanta claritudine facies ejus renidebat, ut intueri eum populus non valeret.* Et in vita Martini, *ultra accedere non valentes.*

Locum Tamen, In Quo Dominus Stabat] Exod. 24. 10. in edit. Græca, καὶ εἶδον τὸν τόπον οὗ εἱστήκει ὁ θεὸς τοῦ Ἰσραήλ. Sed in originali lingua, *& viderunt Deum Israël,* id est, gloriam Dei, ut quidem Chaldæi explicant.

Cujus Mirabilis Forma] καὶ τὰ ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ ὡσεὶ ἔργον πλίνθου σαπφείρου καὶ ὥσπερ εἶδος στερεώματος τοῦ οὐρανοῦ τῇ καθαριότητι, Exod. 24. 10. Mox vers. 17. *Aspectus autem gloriæ Domini erat sicut ignis vorans super cacumine montis, in oculis filiorum Israël.*

Quæ Circum Montem] quæ montem atque adeo ipsum Dominum obduxerat.

Schotanus.

Exod. XXIV. versu 1. & 2. jubetur Moses ascendere cum Aharone, Nadab & Abihu, item septuaginta de senioribus Israël. Ita ut illi eminus consistant venerenturque, Moses autem accedat ad Dominum. Populus ne cum Mose montem conscendat. Hoc jussum videtur Mosi esse datum cum in quinto ascensu adhuc apud Deum esset, jam descensuro. Aben-esdras seniores dicit fuisse primogenitos sanctos. Rasi scribit hoc mandatum quarto Sivan ante decalogi promulgationem datum esse. Putant enim Hebræi, teste Lyrano, quod omnia quæ hic narrantur in hoc capite usque ad v. 12. facta fuerint ante datam legem decalogi. Lyrani verba: *Hebræi dicunt quod istud, quod habetur in capite isto, usque ad locum,* Dixit Dominus ad Mosen, Ascende ad me in montem &c. *fuit factum antequam Dominus loqueretur populo decem præcepta Decalogi de quibus dictum fuit 20. cap. Ita quod quarta die tertii mensis ab exitu filiorum Israel de Ægypto, Dominus dixit ad Moysen quod descenderet ad populum ad denuntiandum eis præcepta ejus de præparatione populi ad recipiendam legem ore Dei promulgandam: & ad hoc quod poneret terminos circa montem, de quibus dictum est supra cap. 19. & ad denuntiandum populo præcepta judicialia quæ Moses recepit à Domino. Et quinta die prædicti mensis Moyses ædificavit altare & aspersit sanguinem victimæ supra populum in signum professionis legis: & Moses cum Aaron & senioribus ascendit ad Dominum ad facti confirmationem. Et sexto die qui erat quinquagesimus à die exitus de Ægypto Dominus audiente populo locutus est decem præcepta licet scribantur prius data. Nam in sacra scriptura aliqua prius facta frequenter scribuntur posterius. Doctores autem nostri dicunt communiter, quod illud, quod continetur in capite isto, fuit factum, postquam Dominus decem præcepta dederat ore proprio: quia cum populus Dominum loquentem non posset sustinere, rogavit Mosen, ut acciperet legem à Domino & eis referret, ut dictum supra 20. cap. Et tunc populo redeunte ad*

castra Moyses ascendit ad Dominum & accepit ab eo judicialia præcepta, & tunc descendit ad populum ad denuntiandum: & tunc facta sunt ista, quæ scribuntur in isto capite. Et hoc dictum magis videtur concordare literæ. Rasi existimat hujus capitis undecim versus præcessisse decalogum, non autem judicia capitum trium superiorum. Ralbag putat post decalogum data esse judicia & delata ad populum sed eodem die. Proinde nullam esse hysterologiam. Quinto igitur ascensu consummato revertitur Moses ad populum בתוך מחנה ישראל *in castra Israelis,* ut dicit Aben-esdras. Nam præcepta judicialia erat ipsis enuntiaturus & fœdus facturus & postquam fœdus fecisset reversurus ad Deum. Proinde narrat populo *verba Domini & judicia,* ut est in textu. Rasi nugatur: *Septem præcepta, quæ acceperunt filii Noe & Sabbath, & honorem patris matrisque, vaccam rufam & jura, data illis in Mara.* Recte Aben-esdra & alii, *judicia hujus parasa.* Ad hanc narrationem respondet populus eisdem verbis, quibus stipulationem Dei ante decalogum exceperat cap. 19. v. 8. Universus populus una voce respondet: *Quicquid locutus est Dominus, faciemus.* v. 4. Narratur, quod Moyses *in scriptum conjecerit omnia verba Domini.* Hic Rasi: *A principio usque datam legem, & scripsit præcepta data in Mara.* Eo igitur die scripta esse putat historiam libri Geneseos item Exodum ad hoc caput. Et illa præcepta, quorum obiter mentio fit Cap. XV. 26. illis judicialibus aliisque præceptis, quæ habentur tribus capitibus antecedentibus contineri. Aben-esdras & Ralbag (item Augustinus) aliique scripsisse putant illa judicialia. Aben-esdras: *Postquam enuntiasset ipsis omnia verba Dei præcepta & judicia, scripsit ea & hic erat liber fœderis* ספר הברית. Ralbag: *Et scripsit Moses in libro omnia verba quæ in se susceperas Israel.* Mane sequentis diei (Errat igitur Rasi qui putat totam Genesin & tot capita Exodi descripta esse à Mose) condit aram sub monte & duodecim columnas juxta numerum duodecim tribuum Israëlis. Aben-esdras. *In loco, in quo stabat Israel tempore datæ legis.* Ralbag putat sacerdotes Israëlis occupatos fuisse in fœdere cum Deo nempe apud populum, ideo Mosen struxisse aram & statuisse duodecim columnas. LXX. dicunt aram conditam esse & duodecim lapides: non è duodecim lapidibus, uti accepit Sulpicius. Lyranus tamen id probat exemplo Eliæ 1. Reg. 18. 31. 32. Alii duodecim altaria structa esse putant. Juvenes missi sunt à Mose, qui immolarent. נערי בני ישראל *pueros filiorum Israel.* Rasi, *Primogenitos.* Aben-esdras: *Illi juvenes filii seniorum primogenitorum, qui ascensuri erant cum Mose.* Ralbag: *Et hi fecerunt hoc* בשליחותו של משה *missu & legatione Mosis, quia nondum erant sacerdotes.* Notat Lyranus, quosdam putare, quod hi fuerint Nadab & Abihu: alios, quod filii duodecim phylarchorum. Idque putat ipse verius esse. Hæc ara videtur è terra & cespitibus structa fuisse, illaque esse, de qua Exod. 20. 24. Atqui mandatur illic Mosi, *tu offeres.* R. Quod quis per alium facit, per seipsum facere intelligitur. Hi juvenes obtulerunt holocautomata: item זבחים שלמים: *θυσίαν σωτηρίου* habent LXX. Adjicitur in fine post שלמים pacifica, quod fuerint boves פרים. LXX. *μοσχάρια.* Ubi Aben-esdras: *Meminit de pacificis, boves fuisse, quia plurimi epulantes erant.* Totus enim populus epulaturus erat. Ralbag: *Puto, quod holocausta & pacifica universim fuerint boves & agni, quia fuerunt pro universitate Israel, quia in verba generaliter complectentia totum Israelem, obtulerunt bovis pecus: quia maxima specierum est, è quibus donum offerunt Domino: ut quod habemus de bove occultationis cætus* (כפר העלם של צבור) (Levitic. 4. 13. 14.) Apostolus docet fuisse immolatos hircos & boves: quod non potuit discere è LXX. interpretibus. Fortassis hircos in holocausta, boves in *εὐχαριστικὰ* obtulere, aut potius utrumque genus pro utroque. Pro eucharisticis solum

babu-

bubulum, expreſſi textus. Duodecim boves immolaſſe in holocauſta, Abulenſis putat, pro numero ſacrificiorum & tribuum at pro euchariſticis quot ſufficerent epulis univerſi populi. Sanguis victimarum debetur Deo. Moſes igitur ſanguinis dimidiam partem adſperſit aræ, alteram poſuit in pelvibus. Dimidium ſanguinis tam pacificorum quam holocauſtorum adſperſit & retinuit. Fabulatur Raſi eam diviſionem in duo dimidia factam eſſe ab angelo; qui advenerat. Pelves illæ appellantur אגנות. Aben-eſdras dicit fuiſſe vaſa rotunda ſicut אגן הסהר (Cant. 7. 2.) in ſermone Arabico אגאנא. Arabicum eſt إجانة: quod à Cl. Golio redditur lagena, phiala, crater: Item urceus & hydria. Convenit Chaldæo אגן & [illegible]. Oportet ingentia vaſa fuiſſe, tantæ copiæ ſanguinis boum hircorumque Exiſtimat Aben-eſdras (ſi eum capio) in illis pelvibus ſeu hydriis ſanguinem fuiſſe antequam adſpergeretur dimidium altari: cum alterum dimidium ſervatum fuerit in parte reliqua vaſorum pro aſperſione populi & libri. Dimidium ſanguinis aræ affuſum alterum ſervatum. Quod ſervatum ſtetit in vaſis. Raſi: *Duo vaſa: unum pro dimidio ſanguinis holocauſtorum, alterum pro dimidio ſanguinis pacificorum: ut aſpergeret ea ſupra populum. Hinc docent magiſtri noſtri, quod patres noſtri ingreſſi ſint in fœdus circumciſionis & baptiſmi. Nam aſperſio ſanguinis fuit, nec eſt aſperſio ſine baptiſmo.* Populus ſacramento aſperſionis aſſumptus eſt in fœdus, cui ſemper præiit baptiſmus. Proinde baptiſmo æque ac circumciſione in fœdus Dei obſignatus eſt. Et hæc ratio, cur apoſtolus Petrus nos dicat aſperſos eſſe ſanguine Chriſti, quia illi baptiſmus cohæret eamque præit. Huc reſpicit locus Ezechielis XVI. 8. 9. *Veniebam tecum in fœdus &c. & abluebam te aqua.* Quem locum huc reſpicere extra dubium eſt.

Nam Moſes populo prælegit omnia verba libri fœderis, quem pridie conſcripſerat. Ad quam prælectionem reſponſum eſt à populo: *Quicquid locutus eſt Dominus, faciemus & audiemus.* Ad hoc dictum Moſes ſanguine adſperſit populum, dicendo: *En hic eſt ſanguis fœderis, quod Dominus vobiſcum fecit, ſuper omnibus iſtis verbis.* Apoſtolus Heb. IX. 20. Τοῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης ἧς ἐνετείλατο πρὸς ὑμᾶς ὁ θεός. LXX. Ἰδοὺ τὸ αἷμα τῆς διαθήκης, ἧς διέθετο κύριος πρὸς ὑμᾶς. Hic Apoſtolus non eſt ſecutus LXX. interpretes, ut quidem hodie habentur. At quomodo ſanguis iſte ſuper totum populum ſpargi potuit? Aben-eſdras: *Cum legiſſet in auribus ſeniorum & ſuſcepiſſent in ſe, tunc accepit dimidium ſanguinis reliquum & aſperſit ſuper populum. Hi erant ſeniores. Nam illi è regione totius Iſrael. Sicuti quod ſcriptum eſt de bove occultationis rei cœtus* [Levit. IV. 5] Et ſeniores cœtus ponent manus ſuas, *quia ipſi è regione totius Iſrael. Et hæc aſperſio tanquam* [Levitic. VIII. 30.] Et âſperſit ſuper Aaron & veſte ejus. *Et vocavit eam ſanguinem fœderis.* Thargum reddidit: *Et aſperſit ſuper aram ad expiandum pro populo:* quod allegat Raſi. Ralbag: *Et aſperſit ſuper populum, id eſt, ſuper quoſdam eorum non ſuper unumquemque ex illis. Nam quemadmodum in aſperſione, quæ erat pro quolibet invenimus, quod non opus eſſet, ut fieret ſuper omnes particulas ejus ſingulares* [כל חלקין] *ſed ſufficiebat ſi eſſet ſuper quadam ejus membrorum: Sic negotium in aſperſione, quæ erat ſuper toto populo. Et fortaſſis aſpergebat ſuper locum congregationis populi & attingebat ſanguis ſuper quoſdam: aut adſpergebat ſuper capita populi. Prior expoſitio nobis potiſſimum placet. Et profecto quod ſparſerit ſuper quemlibet è populo non conſtat. Nam id difficile fuiſſet Moſi ob eorum multitudinem. Et in hoc abſoluta fuit permiſſio fœderis. Nam mos eſt percutientium fœdus dividere unam rem in duas partes. Q. D.* (Jerem. 34. 18.) Et illi cæciderant eum in duas partes & tranſierant inter fragmenta: *Et ecce diſcimus ex hoc, quod jam ſe merſerint ante hoc. Quia non invenimus aſperſionem ſine merſione. Et hoc declaratur ex eo, quod meminit lex de leproſo & polluto ob mortuum. Porrò quod*

jam

jam dicta est in hoc argumento lotio vestium ante stationem montis Sinai. Nec est ulla lotio vestium sine mersione. Et hoc ex loco docent magistri b. m. quod proselytus quando assumitur (כשהתגייר) *ingreditur in fœdus per tria, circumcisionem, mersionem & placationem doni* (oblationis) *Et profectò mersionis & placationis oblationis res patet ex hoc loco. Et sanè circumcisio, secundum quod partem præceptorum legalium, non convenit ut attribuamus illis sine circumcisione. Sicut præceptum oblationis Phase & id quod his simile est. Ecce circumcisi erant Israëlitæ, quo tempore præceptum acceperunt de esu Phase. Et præceptum illis est, quod nemo præputiatus de eo esurus esset. Ideo ingressi sunt Israëlitæ in fœdus his tribus rebus.* Salianus putat unumquemque de populo aspersum esse: ut Moses populum obiverit per turmas familiasque distinctum, sanguinem circumferens: vel (quod mavult Abulensis) ipse populus per turmas propius ad altare accesserit: ibique adspersus abierit locumque fecerit alteri turmæ. Apostolus Hebr. IX. 19. Λαληθείσης γὰρ πάσης ἐντολῆς κατὰ νόμον ὑπὸ Μωϋσέως παντὶ τῷ λαῷ, λαβὼν τὸ αἷμα τῶν μόσχων, καὶ τράγων μετὰ ὕδατος καὶ ἐρίου κοκκίνου καὶ ὑσσώπου αὐτό τε τὸ βιβλίον καὶ πάντα τὸν λαὸν ἐρράντισε. Λέγων τοῦτο &c. Sine dubio hunc locum Paulus designavit quamvis plura adduxerit, quam hic habeantur: Sive ex consuetudine sive ex traditione. Sanguinem hircorum & vitulorum ait sumptum esse, eumque cum aqua, lana coccina & hyssopo. Eo enim modo aspersio solebat fieri. Aspersum esse ipsum librum fœderis, ut appellat Moses: qui de ejus aspersione nihil. Thomas in hanc Apostoli περικοπὴν: *Apostolus*, inquit, *tangit hic historiam quæ habetur Exod. 24. ubi dicitur, quod postquam Moses legerat coram populo mandata Domini, ipsisque respondentibus, Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus & erimus obedientes, Accepit Moyses sanguinem, quem præceperat servare de duodecim vitulis & aspersit librum legis & populum, quasi in confirmatione testamenti.* Lectio illa instar habuit promulgationis solennis: confirmatio fuit per aspersionem. Thomas hic & Lyranus ostendunt in vulgata versione tum fuisse, *duodecim vitulos.* Id autem nec in Hebræo nec Græco est.

De sexto ascensu Mosis in montem Dei.

POst firmatum fœdus cum populo, Moses assumptis Aarone ejusque filiis Nadab & Abihu, item septuaginta seniorum, ut Deus mandaverat, in montem aliquatenus ascendit.

v. 10. *Et videbant Deum Isael, & sub pedibus ejus tanquam opus* לבנת הספיר *& tanquam figuram cœli in puritate.*

Viderunt Deum Isr.] Aben-esdras: Viderunt in visione prophetiæ: Sicut Esai. VI. 1. *Vidi Dominum sedentem in solio.* Rasi: *Aspexerunt & splenduerunt & rei facti sunt mortis: atquia non placuit Deo benedicto conturbare lætitiam legis & exspectabat de Nadab & Abihu usque ad diem dedicationis tabernaculi: & de principibus usque* (Num. XI. 1.) Et factus est populus tanquam lugentes & exarsit in eos ignis Dei & comedit in fine castrorum, *in principibus qui in castris.*

Ut opus לבנת הספיר] Rasi: *Hæc erant ante faciem ejus in hora servitutis ut recordaretur angustiæ Israël, qui fuerunt subjecti in opere laterum.* Ita ad vocem לבנת alludit Medras. Nempe, post quam liberati sunt, fuit ante faciem ejus lux & lætitia, Abenesdras: *Dicit Gaon, quod sapphir albus sit. Argumentum ejus, quod sic habetur* לבנת הספיר. *At non est sed ruber. Testimonio est, quod consuetudo linguæ duplicet sensum aliis vocibus. Ecce scriptum* (Thren. 4. 7. Puri erant nazaræi ejus præ nive albi erant præ lacte. *Et ecce sensus duplicatur.* Rubuerant corpore præ Rubinis, sapphirus *excisio* eorum. *Ecce Sapphirus sicut*

Rabini. Porro si לבנת הספיר *albedinem significaret, quæ ratio esset dicendi* כמעשה/ *oporteret dicere* כמראה. *Id certum, quia* לבנת *est è* לבנה: *ut* חשכת מים *è* חשכה. *Ecce* לבנת הספיר *idem quod* ספיר האבן *quem vidit Ezechiel in visionibus prophetiæ, qui fuit similitudo solii.* Et וכעצם השמים לטוהר *sub lapide Sapphiri: hoc est Expansum quod habet instar glaciei*, quod erat extensum supra capita bestiarum, *quas vidit Ezechel. Ecce scriptum:* Et viderunt Deum Israël: *illic autem scriptum* (Ezech. 10. 30.) Hæc est bestia, quam vidi sub Deo Israël. (תפש דרך קצרה) *compendiose loquitur. Nam hæc erat sub expanso hoc etiam sub solio, & totum sub Deo venerando.*

v. 11. Moses tanquam rem novam narrat illos Israëlis egregios separatosque viros Deum vidisse nec esse mortuos: ut qui posthac ederint & biberint. Aben-esdras: *Sensus*, Ederunt biberuntque, *quod descenderint latantes è monte & ederint victimas pacificorum, quas immolaverunt juvenes eorum & biberunt in lætitia. At R. Iuda Levita dicit quod* ויאכלו *significet, quod opus habuerint ut ederent, quamvis fruiti* fuerint è splendore (שכינה) id memorat propter Mosen, qui vixit quadraginta diebus & noctibus sine cibo, ut scriptum in parasa sequenti. *Et viderunt Deum & ederunt & biberunt* dicit textus: quod interpretatur Medras Thanchuma, citante Rasi, *Fuerunt intuentes in eum in corde etiam inter edendum & bibendum.* Ralbag intuitum dei, quem in hac statione in monte illi (Moses cum illis delectis) habuerunt eminus, ita explicat: *Intellexerunt in re essentia Dei excelsi & apprehenderunt eum & viderunt quod esset Dominus universi mundi, non solum Dominus essentia inferioris sicut putabant dicentes quod Deus gubernator esset rerum, quæ generantur & corrumpuntur præter Deum gubernatorem rerum æternarum sicut causarum cælestium. Et ecce vident* eum, *quod sub pedibus ejus esset tanquam lapis sapphiri & tanquam cæli figura in sua claritate. Hæc fuit causa cælestis. Ideo est Dominus cæli, simul ut Dominus totius terræ, &c.* Nugacia Gersonidæ Philosophemata describere & persequi fusius non libet. Inanes theologiæ veræ Judæi, (sic Philo quoque & Josephus) confugiunt ad Speculationes allegoricas & Philosophicas. Dei essentiam non sunt intuiti, quod satis certum est. Deum nemo vidit unquam neque videre potest. Nedum ut intuiti sint illi, qui animales & sensu corporeo percipiebant. Deus non fuit visus in se sed in specie aliqua visibili. Audiamus dissertationem Cl. Riveti: *Quia pedum fit mentio, sub quibus erat velut opus sapphirinum, quæsitum est, qua forma Deus apparuerit senioribus populi. Abulensis respondet Deum apparuisse illis in forma nubis lucidæ, intra quam majestas ejus latere videbatur, ita ut putarent illi 70. senes, in hujus nubis infima parte consistere pedes Dei, utpote, qui adhuc rudes essent & Deum sibi imaginarentur corporeum, putarentque reliquum corpus esse in superiore nubis parte cælum versus. Alii censent Deum hic forma humana apparuisse, in speciem magnifici principis & regis legislatoris, qui visus sit habere pedes & sub eis sapphirinum scabellum. Obstat, quemadmodum rectè notavit Abulensis, quod Deut. 4. 15. legimus.* Non vidistis aliquam similitudinem, in die, qua locutus est vobis Dominus de Horeb, in medio ignis: ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem &c. *Quamvis enim hæc visio, de qua agimus, toti populo non fuerit exposita, si tamen principibus populi, qui posteà id ad alios deferre potuerunt, exhibita fuit forma humana, non potuit Deus dicere eos nullam figuram vidisse, maris vel fœminæ. Verior igitur est sententia, quæ majestatem Dei, ita repræsentatam fuisse asserit ut nulla animalis forma visa fuerit, sed nubes gloriosa & fulgens; cujus pars infima, quæ magis versus spectantes accedebat, videbatur quasi stratum aut pavimentum ex lateribus sapphiro similibus. Pavimenta enim sunt ut plurimum lateritia, & quia sunt strata, ubi pedibus incedendum, ideo*

stratum illud simile Sapphiro sub pedibus Dei fuisse dicitur. Reliqua autem, quæ cæli sereni faciem referre videbantur, circumstabant ejus majestatis & gloriæ speciem. Quod autem ad objectionem Abulensis respondet à Lapide, Deuter. 4. sermonem non esse de visione secreta & privata, quæ facta est Mosi & Senioribus, sed de publica, quæ facta est toti populo, cum Deus illi ex Sina promulgaret decalogum cap. 19. v. 18. & 20. 18. Deumque noluisse populo exhibere speciem aliquam hominis vel animalis, quia pronus erat ad idololatriam, ne illius formaret idolum, quod periculum non erat in Mose & Senioribus, utpote viris sapientibus & selectis. Id inquam, verum non est verba Mosis in Deuteron. loco citato, vel ad populum restringi debere, vel ad illam solam Dei manifestationem, quæ facta erat in promulgatione legis: quia admonitio illa communis fuit populo & ejus præfectis. Imò posteà Aaron, instigante populo, non sine seniorum consensu vitulum conflavit. Ex responsione tamen Iesuitæ Lapidei, quam in hunc locum approbat alter Iesuita Turinus, hoc habemus, quod si aliquando species aliqua visibilis Divinæ gloriæ exhibita fuit Danieli, aut aliis viris prophetis, cujus Scriptura meminerit, non sequitur eam speciem esse depingendam, & populo exhibendam, in qua Deus proponatur vultu senili &c. Quod in Papatu frequentissimum est, in quo etiam hoc vulgatum est axioma, Imagines esse libros Idiotarum. *Hic contra Iesuita agnoscit, populo imminere periculum ab apparitionibus, humana vel alterius animalis forma. Nam quod pronitatem ad Idololatriam Israëlitico populo tribuit, eam, non certè minorem in vulgo Christiano deprehendi, etiam agnoverunt multi pontificii. Stat ergò instantia nostra contra figuras Divinitatis in Papatu, cum respondet, se non effigiare Deum sed Dei apparitiones in speciebus visibilibus. Dicimus enim nec eos posse tales visiones exprimere; quæ humana arte non possunt repræsentari, nec si possent vulgò esse producendas, quia viris quibusdam prophetis tantum exhibita fuerunt, nec fuerunt permanentes, sed ad momentum vel exiguum tempus durarunt; nedum ut populo semper patuerint.* Calvinus: *Forma quidem ipsius Dei nulla describitur sed basis, in qua stabat, dicitur similis fuisse operi Sapphirino.* Calvinus notat violenter torquere suo judicio, textum, qui dictum, quod non miserit manum suam Deus in delectos, ita accipiunt, quasi significetur non fuisse participes doni prophetici. Sequitur: *In eo igitur se prodit incomparabilis Dei clementia, dum se electis suis manifestans, non prorsus eos absorbet ac in nihilum redigit: præsertim ubi objicitur singularis aliqua visio. In summa ergo miraculum fuisse docet Moses, quod salvi & integri fuerint principes Israël, quum tamen illis apparuisset formidabilis Dei majestas. Id verò factum est, quia non temere se ipsi ingesserant, sed accesserant Deo vocante.* Lyranus: *Viderunt Dominum Deum Israël, non in essentia sua sed in similitudine repræsentante ipsum. Et videtur, quod fuerit humana, per hoc, quod subditur,* Sub pedibus ejus: *Et per hoc designabatur quod erat assumpturus naturam humanam.* Notat idem, opus lateris Sapphirini ipsis reduxisse in memoriam anxietatem quam sustinuerant lateres faciendo in Ægypto. Colorem designasse libertatem, quam consecuti erant & jocunditatem Divinæ apparitionis. Versus XI. ita redditur à LXX. καὶ τῶν ἐπιλέκτων τοῦ Ἰσραὴλ οὐ διεφώνησεν οὐδὲ εἷς. Pro, *Et in separatos* (electos) *filiorum Israël non misit manum suam.* Procopius Gazæus: *Si seriem narrationis intuearis, hic erit sensus: Omnes incolumes conservati sunt: si verò Spiritualem sensum hinc elicere velis, Indicat omnes in religionis negotio consensisse uno animo.* Διαφωνεῖν significat desiderari ut Josue 23. 14. I. Sam. 30. 19. Num. 31. 40. Ad sensum igitur expresserunt: at sequentia deviant: Καὶ ὤφθησαν ἐν τῷ τόπῳ τοῦ Θεοῦ καὶ ἔφαγον καὶ ἔπιον. Augustinus: *Quod autem manducant & bibunt in loco Dei suavitatem saturitatemque præfigurat vel significat in illo regno æternitatis.* Idem fermè Procopius Gazæus. Mittere Manum Lyranus interpretatur occultare, ex Exod. 33. 22. *Tegam te*

manu

manu mea, donec transiero. Quasi significetur Deum non obduxisse ipsis manum sed permisisse ut viderent & conspicerent libero obtutu. Sic igitur gloriam Dei intuiti sunt & Sapphirinum stratum. Sapphirum veterum non esse eandem gemmam cum illa, quam hodie eo nomine dicimus docent Johannes Latius & Cl. Salmasius. Epiphanius de gemmis cap. 5. *Λίθος Σάπφειρος πορφυρίζων ὡς βλάττης πορφύρας τῆς μελαίνης τὸ εἶδος. πολλὰ δὲ τούτου γένη ὑπάρχουσιν· Ἔστι γὰρ ὁ βασιλικὸς, χρυσοστιγής. οὐ πάνυ δὲ οὗτος θαυμαζόμενος, ὡς ὁ ὅλος πορφυρίζων.* Docet gemmam hanc purpurei coloris esse, in duplici specie. Aliam nigriorem cum punctis aureis, aliam purpuream totam. Hanc gemmam esse *θαυμασίαν καὶ διαπρεπεστάτην καὶ χαριεστάτην.* Ideo in armillis & monilibus haberi, potissimum à regibus. Dicit scriptum esse in lege, quod visio visa Mosi in monte & ipsa lex in lapide Sapphiro fuerit. Quod lex duarum tabularum Decalogi in sapphiro scripta fuerit, non narratur in lege. Sapphirus erat sub pedibus legislatoris Dei, quæ rubuit secundum Aben-esdram.

De Septimo ascensu Mosis montem Dei.

DUodecimi capitis exodi v. 12. narrari alium ascensum putamus, quamvis quidam aliter existiment. Moses dimisit Aaronem cum filiis & septuaginta senioribus, ut ad populum irent. Nam v. 14. dicit ad seniores: Manete donec redeamus ad vos. Ecce Aaron & Hur sunt apud vos: qui causam habet (ab inferioribus judicibus non decidendam) ad eos veniet. In castris remansuri, erant, in quibus Aaron & Hur ut causis populi audiendis & juri dicundo, loco Mosis præessent. Josue etiam à Mose assumptus est, qui non ascenderat priore ascensu. In sexto ascensu cum esset cum electis Israël jussit Deus (sive per prophetiam sive vocibus in aëre sonantibus) ut ad se ascenderet, subintellige, præparatis factisque quæ antecedere debebant. Cum enim totis quadraginta diebus emansurus esset, debuerunt res disponi in castris, ut intereà temporis nihil deesset necessitati. Dicit enim Deus fore apud se. Se illi daturum *lapideas tabulas & legem & præcepta, quæ conscripsisset ad eos instituendos.* Conjunctim accipi debent, ut intelligatur in duabus illis tabulis legem decem præceptis contineri. Id videntur intellexisse οἱ ό Nam scribunt sine copula: *Τὰ πυξία τὰ λίθινα, τὸν νόμον καὶ τὰς ἐντολὰς, ἃς ἔγραψα νομοθετῆσαι αὐτοῖς.* Rabbini quidam illa separant, ut locum faciant legi non scriptæ. Aben-esdras producit sententiam R. Haggaon quod תורה / sit lex *quæ in scripto*; מצוה תורה שבעל פה *lex oralis. Nam omnia præcepta data esse Mosi in diebus, quibus stetit in monte. Et sic scriptum:* Et tu hic sta mecum. Suam sententiam esse dicit, quod Lex significet primum & quintum (דבור) præceptum. מצוה autem octo verba reliqua. Rasi vult omnia scripta esse à Deo, nempe universum numerum præceptorum sexcentorum & tredecim in summa complexione horum decem verborum. At Magister R. Saadia exponit *de admonitionibus, quia fundamentum unius cujusque λόγου sunt præcepta suspensa in eo.* Haggaon ut efficeret legem & oralem & scriptam contineri vocibus *Legis* & *Præcepti*, vult verba hæc *(quæ scripsi)* ad tabulas lapideas restringenda esse, quia Deus solum decalogum conscripsit. Id quidem verum est, quod Deus solum decalogum conscripserit, sed in eo sunt lex & præceptum, quæ hoc in loco notantur. Dicitur v. 13. quod Moses assumpserit Josue, cum iret ascensurus montem. Rasi: מה טיבו אל יהושע כאן. *Quæ ratio Iosue hic? dixerim ego, quod fuerit discipulus comitans magistrum usque locum termini confiniorum montis, quoniam non licuit ipsi ire inde & ulterius. At exinde, Ascendit Moses solus in montem Dei & Iosue tetendit illic tentorium suum & commoratus est illic totis quadraginta diebus: quia sic invenimus quando descendit Moses,*

 (Exod.

(Exod. 32. 17.) Et audivit Joſue vocem populi in vociferatione, *diſcimus quod non fuerit Ioſue cum illis.* Aben-eſdras: *Probabile eſt, quod Ioſue iverit ex caſtris Iſraëlis, cum Moſe & conſederit in pede montis uſque ad deſcenſum Moſis, quia ecce neſciebat rem vituli, quæ facta erat. Nec ratio eſt quærendi quid ederit, quia mannam in circuitu caſtrorum collegit & edit quolibet die.* Aaron & Hur in caſtris remanſere, diſcedentibus Moſe & Joſue. Aben-eſdras Aaronem primogenitum fuiſſe dicit & fortaſſis etiam Hur primogenitum fuiſſe & ex illis ſeptuaginta; hi judiciis præfuere donec Moſes reverteretur. Jethronem enim non adveniſſe ante annum ſecundum. Raſi dicit Hur fuiſſe filium Mariæ è patre Caleb filio Jephunne, quia dictum (1. Chronic. 11. 19.) *Et accepit Caleb Efrath, quæ peperit ipſi Hur.* Ephrath eſt Mariam, ut habetur in tractatu Sota.

v. 15. *Cum Moſes aſcendiſſet in montem nubes montem operuit.* Aben-eſdras: *Et jam obtegebat die ſexto menſis.* Non operuit nubes montem totum ſed cacumen, in quo erat Dei gloria.

v. 16. *Et gloria Domini habitabat in monte Sinai & nubes obtegebat eum ſex diebus, ſeptimo autem die vocabat Deus Moſen è medio nubis.* Raſi: רבותינו חולקים בדבר *Magiſtri noſtri in re diſſentiunt. Quidam dicunt, quod hi ſex dies ſint à principio menſis.* Nos putamus hos ſex dies fuiſſe ab aſcenſu Moſis intra montis ſeptum & voluiſſe Deum acuere deſiderium Moſis ejusque patientiam tentare. Non licuit Moſi aſcendere כ״אם ברשות niſi cum venia. An tamen hi ſex dies annumerandi quadraginta aliis diebus, quibus in monte apud Deum fuiſſe dicitur & ſine cibo potuque quæri poteſt. Ego exiſtimaverim. Nam etiam ſex diebus nihil guſtaſſe puto. Operuit eum nubes] Raſi: *Montem ſcilicet. Et vocabat Deus Moſen die ſeptimo nempe poſt decem verba. Et Moſes & totus populus ſtabant: at ſcriptura dat honorem Moſi. Alii dicunt, quod nubes Moſen obtexerit. Sex diebus poſt decem verba & illi fuerunt in principio quadraginta dierum quibus aſcendit Moſes ad accipiendum tabulas. Docet te, quod omnis ingreſſurus in caſtra majeſtatis, debeat ſeparari ſex diebus.* In ſummo montis cacumine gloria Dei inſtar ignis ardentis conſpecta eſt in caſtris. Anne verus ignis fuerit, an ſpeciem ignis Deus oſtenderit, quærunt: At dicitur fuiſſe ignis conſumens. Hoc ſenſu: Ignem verum aut in ſpecie fuiſſe, cujus natura eſt conſumere. Non vidit populus gloriam Dei ſub aliqua ſimilitudine & aliter minusque nobiliter vidit, quam electi viderant. Ingreſſus eſt Moſes nubem, è qua emicabat ignis: manſitque apud Deum quadraginta diebus & noctibus. Illic Deus ipſi oſtendit figuram tabernaculi eorumque, quæ ad tabernaculum pertinent. Exod. 25. 40. Et juſſus eſt populo indicere thrumam (ἀπαρχὴν) nobilium materiarum è quibus ea conſtituenda erant. Arcam præcipit conſtrui, cum operculo & Cherubinis. Menſam panum propoſitionis: candelabrum aureum. Inde in cap. 26. Tabernaculum, in 27. aram holocautomatum cum atrio: item oleum ſuffici ad lucernam perpetui luminis pro omni nocte. Cap. 28. inſtituit de veſtitu ſacerdotali. Cap. 29. de dedicatione Aaronis & filiorum, de jugi ſacrificio. Promittit ſe venturum ad filios Iſraël, ut ſua gloria ſanctificentur: ſe ſanctificaturum tabernaculum, aram, Aaronem & filios. Se in medio eorum habitaturum eſſe ipſisque in Deum fore. Cognituros eſſe, quod eos in hunc finem ex Ægypto eduxiſſet. Cap. 30. præcipit de ara incenſi, de dimidio ſiclo dando viritim ad expiationem: de æneo labro, deque unguento ſacro.

Nominibus ſuis deſignavit Deus duos artifices, Baſaleel filium uri, nepotem Hur, è tribu Judæa & Oholiab filium Ahiſamach è tribu Dan, quos præficiendos cæteris opificibus ad ſuperius memorata, inſigni donaſſet peritia & arte. Illi enim excellentiſſimi artifices fuere, ut operarentur in auro, argento, ære &

ligno

ligno affabre formando. Prætereà in textilibus. Josephus dicit istum Basaleel fuisse filium Uri & Mariæ sororis Mosis. In ipsius opere scribitur βασελεῆλος υἱὸς παῖς υἱὸς δὲ Μαριάμμης. In LXX. Βεσελεὴλ τὸν τοῦ Οὐρείου τὸν Ὢρ. Josephus est in mendo leg. υἱωνός. Non potuit esse filius Mariammes si sit Uri filius. Nam Uri genitus est ex Hur & Maria. In LXX. emendari debet τοῦ Ὢρ pro τὸν Ὢρ. אהליאב apud Josephum & LXX. appellatur Ἐλιάβ quod est אליאב.

Hinc quartò præcipit Deus de sabbato bene observando. Finitis autem sermonibus tradidit Mosi duas lapideas tabulas, inscriptas decalogo, digito Dei. Hæ tabulæ non continebant singulæ decalogum totum: sed partitim inscriptæ erant: sine dubio quatuor præcepta in una, sex in altera continebantur. Ita divisio fuit pro argumento amoris Dei & proximi: Philo & Josephus errant, qui putant quamvis tabulam quina præcepta complexam fuisse. Nam ipsa res & inspectio indicant, prolixitas scilicet priorum quinque & brevitas posteriorum ita commode fieri non potuisse. Philo distributionis suæ colorem edit: ὡς εἶναι τῆς μὲν μιᾶς γραφῆς τὴν ἀρχὴν θεὸν καὶ πατέρα καὶ ποιητὴν τοῦ παντός, τὸ δὲ τέλος γονεῖς, οἱ μιμούμενοι τὴν ἐκείνου φύσιν γεννῶσι τοὺς ἐπὶ μέρους.

SULPICII SEVERI

HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

CAP. XXX.

Sed immorante diutius Mose, quippe qui XL. dies apud Dominum duceret, populus desperato ejus reditu, Aaron compulit simulachra facere. Tunc ex metallis conflatis vituli caput exstitit. Cui cum populus Domini immemor, hostias obtulisset, vinoque se & ventri dedisset, despectans hæc justo dolore Deus improbum populum nisi à Moyse fuisset exoratus, delesset. Sed regressus Moyses cum duas ex lapide tabulas manu Domini scriptas detulisset, populumque luxui & sacrilegio deditum deprehendisset, tabulas confregit: indignam esse gentem existimans, cui lex Domini traderetur. Multis tamen increpitis Levitas ad se aggregavit eisdemque precepit ut districtis gladiis populum cæderent. Quo impetu XXIII. millia virorum perempta traduntur.

DRUSIUS.

DUCERET] ageret, transigeret. Seneca dixit, *diem somno ducere.* Hujus compositum *traducere.*

EX METALLIS CONFLATIS] Ex uno aliquo metallo videlicet auro, quod ex inauribus fœminarum conflatum erat. Vitulum fusilem appellat Moses, quanquam in libris Græcis *μόσχον χωνευτὸν vitulum conflatilem.*

VITULI CAPUT] aureum caput bovis, quem Ægyptii, ad quorum profanos ritus animos transtulerant, Apim vocant. Lactantius lib. 4. cap. 10. Hunc vitulum etiam David hymnographus bovem appellat.

HOSTIAS OBTULIT] Hostias pro salute & holocausta.

VINOQUE SE DEDISSET] Perperam explicat, *& sedit populus bibere.* Nam certe vinum non bibebant, quod in deserto nullum erat. Addit Scriptura, *Et surrexerunt ludere,* de quo alias.

JUSTO DOLORE] Aut magnum dolorem denotat, aut eum, qui ex justa causa. Sic dicimus *justum prælium, justas inimicitias, justum exercitum.*

ET SACRILEGIO DEDITUM] Familiare Sulpicio ut cultum Deorum falsorum, hoc est, idololatriam sacrilegium appellet. Sic infra cap. 66. *Mirumque id Eliæ fuit, qui solum se à sacrilegio immunem esse crederet.* Et ibid. *Exprobratoque ei sacrilegio.* Vide notas ad hunc postremum locum. Alibi usurpat *flagitium* eodem sensu ut cap. 63. *Invisum Domino flagitium expostulatio consecuta.*

MULTIS TAMEN INCREPITIS LEVITAS] Suspicor initio scriptum fuisse, à Sulpicio, *multis tamen increpitos Levitas.* Sic infra lib. 2. cap. 12. *Is cum deprehendisset Iudæos gentilium connubiis permistos, multis increpitos, renuntiare hujusmodi matrimoniis jubet.* Plenum esset *multis verbis.* Sed quæri potest cur increpuerit Levitas, quos extra culpam fuisse in hoc quidem peccato multi putant: in queis R. Salomo. An quia populo permiserint adorare vitulum? Nam impedire debuissent quovis modo. Quidam censent ex Levitis aliquos culpæ affines fuisse. Id colligunt ex verbis illis Exod. 32. 29. *Consecravistis manus vestras hodie Domino quisque in filio suo & in fratre suo.* Tum etiam, quia Aaron vitulum ipsum fudisse legitur. Nam quid mirum si Levitæ peccarint: cum etiam Aaron princeps eorum non absque peccato fuisse deprehendatur? Sed hac de re alii aliter, fruatur quisque judicio suo.

XXIII MILLIA] In libris Ebræorum *tria millia* tantum. Sed & in Græcis *εἰς τρισχιλίους ἄνδρας.* Latina exemplaria mire variant. Quædam habent *quasi triginta millia:* alia, *quasi viginti tria millia:* alia, *quasi tria millia:* videlicet biblia regia & novem manu scripta, præter Rabanum.

SCHOTANUS.

JAm ante latam legem decalogi populus iste durissimæ cervicis quatuor murmurationibus Deo & Mosi obstrepuerat. Primò Exod. 14. 11. 12. Secundò, Exodi. 15. 24. Tertiò, ejusdem libri 16. 2. Quartò, 17. 4. Jam nec cibo nec potu defecti, per Mosis ducis sui absentiam, idololatriam Ægyptiam revocant, cum adhuc oculis flammæ inerrarent auribusque tonitrua & vox tremenda Dei legislatoris insonarent. Cujus obedientiam in se solenni formula verborum bis & novo nuper initiamine receperant. Fidem exsuperat contumacis & superstitiosissimæ gentis perfidia. Ita quos ab errore superstitionis tam curatè & diligenter avulserat, rursus in Ægyptum regrediuntur. Tertullianus in Scorpiaco adv. Gnosticos: *Aberat apud Deum in monte Moyses cum populus tam necessa-*

necessaria ejus absentia impatiens deos sibi producere quærit, quos potius ipse perdiderit. Urgetur Aaron, jubet inaures fœminarum suarum in ignem conferri. Amissuri enim erant in judicium sibi vera ornamenta aurium Dei voces. Sapiens ignis effigiem vituli defundit illis, sugillant illic cor habentes ubi & thesaurum: apud Ægyptum scilicet inter cætera animalia bovis etiam cujusdam consecratricem. Itaque tria millia hominum à parentibus & proximis cæsa, quia jam proximum parentem Deum offenderant, transgressionis & primordia & merita dedicaverunt. Historia habetur Exodi capite trigesimo secundo. In eo narrantur primò, historia conflati vituli v. 1---6. Secundò, Colloquium Dei & Mosis super isto peccato, 7---14. Tertiò Mosis & Josue reditus in castra 15---18. Quarto, Mosis expostulatio cum Aarone, 19---24. Quintò, Cædes & supplicium populi, 25---19. Sextò Moses in montem octavo reversus deprecatur pro populo. 30---35. De primo audiamus primò Rasi: *In lege non est prius & posterius.* Opus *vituli fuit ante præceptum operis tabernaculi multis diebus. Nam in decimo septimo Thamuz confractæ sunt tabulæ. Et in die Chippurim placatus est Deus Israël & postridie inceperunt in spontanea oblatione tabernaculi, quod statutum est primo Nisan.* Quod tardaret Moses] *Nam cum ascenderet in montem dixerat Moses ipsis: Post quadraginta dies ego venio intra sex horas* (intra meridiem) *Cum putarent illi quod ipse ille dies, quo ascenderat, esset ex hoc numero, at ipse dixerat illis integros quadraginta dies cum noctibus* (dies naturales) *& diem ascensus sui sine nocte sua* (artificialem.) *In septimo Sivan ascendit, inveniuntur quadraginta dies in decimo septimo Thamuz. In decimo sexto venit Satan & conturbat mundum visaq; est similitudo tenebrarum & caliginis &* (ערבוביא) *feretri quasi diceret vere mortuus est Moses ideo venit feretrum in seculum. Dicebat ipsis mortuus est Moses, quod jam fluxerint sex horæ & non venit &c. Sicut habetur in tractatu Sabbath. Et non est possibile dicere, quod non erraverint in die nubilo inter ante & post diem: nam non descendit Moses usque diem crastinum,* Q. D. (v. 6.) & mane surrexerunt & obtulerunt holocautomata. Sic excusare nititur suam gentem. Hæc sunt inania & conficta nec conveniunt textui, in quo dicitur, quod dixerint se nescire quid Mosi factum esset. Congregatus est universus populus ad Aaronem, dixeruntque: Surge fac nobis Deos, qui præcedant ante faciem nostram. Nam isti Mosi, qui deduxit nos è terra Ægypti nescimus, quid evenerit. Notat Rasi, quod sibi multos deos expetierint, אלהות הרבה. להם אז Habetur in textu זה משה האיש. Rasi: Quasi speciem similitudinis Mosis ostenderit ipsis Satan, quem efferebant in aëre expansi cælorum. Respondebat Aaron: Detrahite (rumpite) inaures aureas (Tharg. קדשי דדהבא) quæ sunt in auribus uxorum, filiorum & filiarum, easque afferte ad me. Rasi: *Dicebat Aaron in corde suo uxores natique parcent mundo suo: fortassis mora erit negotio & intereà veniet Moses: at illi sine mora detrahebant à se.* Omnes igitur inaures aureas attulere ad Aaronem. Qui cum è manibus eorum tantum auri accepisset, formavit stylo. In Hebræo est ויצר בחרט, LXX. ἔπλασεν αὐτὰ ἐν τῇ γραφίδι. Rasi: *Duobus modis interpretari licet. Uno,* ויצר *significatione ligationis:* בחרט *notione Sudarii,* (loculi) *ut* (Esai. 3. 22.) המפטחים והחריטים *Et* (2. Reg. 5. 52.) Et ligabat duo talenta argenti duobus (הריטים) *Altero* ויצר *in notione formæ.* בחרט] *instrumentum artis conflatitium, quo excavant & sculpunt figuras in auro, sicut stylus scribæ sculpentis literas in tabulis & pinacidiis, ut* (Esai. 81.) Et scribe in eo stylo hominis. *Et ita reddidit Onkelos* וצר יתיה בזופא *significatione* זיף *quod est instrumentum artis, quo excidunt in auro literas & quas legunt: quod vocant vernacule nil: sculpentes per id* (על ידו) *sigilla.* Sententiam R. Salomonis expressit Fagius: *Hac bifariam interpretantur. Quidam enim sic intelligunt, ut stylus ille fuerit formula & typus, in quem projecerit Aaron aurum quod fusum ex-*

presse;

preſſerit vituli ſimilitudinem. Sequitur enim, Fecit ex eo vitulum conflatilem, Alii vero per ſtylum ſcalpellum intelligunt hoc eſt inſtrumentum artificum deaurantium, quo deaurant & exſculpunt ſicut qui ſcribunt literas in tabulis. Atque ita dicunt vitulus effectus eſt, non quod in fornacem ſit conjectus & imago in igne coaluerit ut quidam exiſtimant ſed conflarunt totum aurum in fornace per ignem in unam maſſam & eam rudem materiam ſcalpello poſteà formarunt, expreſſeruntque vituli imaginem. Quod fit ab his qui ſigilla & aurea vaſa exſculpunt. Et hanc ſententiam ſequitur R. Salomo confirmatque eam ex chaldæo. Et fecit id vitulum conflationis] *cum projeciſſet in lucem in catino venerunt magi miſcellanea turba magna, qui aſcenderant cum ipſis ex Ægypto & fecerunt eum incantationibus ſuis. Quidam dicunt, Micha fuit illic, qui egreſſus erat è ſtructuris ædificii, qui erat depauperatus in Ægypto. Eratque in manu ejus nomen* (Dei tetragrammaton) *& bractea, in qua ſcripſerat Moſes.* Aſcende bos, aſcende bos, *ad educendum arcam Ioſeph è Nilo: quam projecit in catinum & egreſſus eſt vitulus.* מסכה] *ſignificatione* מתכת. *A. S. centum viginti quinque centenarii auri fuerunt in eo ſecundum gematriam vocis* מסכה. Hi dii tui] *Non dictum dii noſtri. Ideo quod erat confuſanea turba magna, quæ aſcenderant ex Ægypto quæ erat congregata juxta Aaronem, quæque eum fecerant: poſtea ſeduxerunt Iſraël poſt ſe.* Et vidit Aaron] Quod eſſet in eo ſpiritus *vitæ: Q. D.* (Pſ. 106. 6.) ſecundum ſimilitudinem bovis veſcentis gramine. *Et vidit quod proſperaretur opus Satanæ & non eſſet os ſibi ad avertendum eos* (לגמרי) *omnino.* Ædificavit igitur aram, ipſe potius quam ut permitteret Iſraëlitis ſive illis impiis, ſi forte poſſet eos depellere (לדחותם) *Proclamavit, cras feſtum Domino.* Raſi pergit, *Non hodie ſi fortaſſis veniret Moſes antequam eum colerent. Hic ſenſus literalis, at Medras in Vaicra Rabba: Multas res vidit Aharon, vidit Hur filium ſororis ſuæ, qui eos objurgaverat, quem occiderunt, & hoc eſt,* Ædificavit altare ante eum. *Porrò vidit & dixit melius ut ſuſpendatur in me peccatum quam in illis. Porrò vidit & dixit, Si illi ædificent aram, hic afferet* (צחור) *calcem, ille afferet lapidem & opus eorum uno momento perfectum erit* (נמצא) *intereà dum ego moras necto in opere, inter ſic & ſic Moſes veniet.* Feſtum ליהוה] *In corde ejus fuit,* (לשמים) *Deo confidebat, quod venturus eſſet Moſes, & culturi eſſent Deum.* Manicabant] *Satan incitabat eos ut peccarent.* Impulſu Satanæ mane ſummo excitati ſacrum idolo fecere, obtulerunt holocautomata & adduxerunt victimas euchariſticas. Hinc in ſacro epulo conſederunt ad edendum & bibendum, & conſurrexerunt ad Ludendum. לצחק] Raſi: *In ſenſu proprio eſt revelatio nuditatum* (ſcortatio ſeu fornicatio) *ut Q. D.* (Gen. 39. 17.) ut luderet in me. *Et effuſio ſanguinum ut Q. D.* (1. Sam. 2. 14.) Surgant juvenes & ludant ante faciem noſtram: *etiam hic occiſus eſt Hur.* Hactenus Raſi, prodeat nunc Aben-eſdras: *Dicebat Abraham compoſitor, neceſſe habeo ut fuſius loquar de re vituli. Quidam ex majoribus noſtris dicunt quod occiſus ſit Hur, unde Aaron ſibi metuit. Eſt qui dixit, quod timuit pro Iſraële, ſi occiderent ipſum, quod Deus omnes interempturus eſſet. At ſecundum modum ſimplicis ſenſus, ſi opus vituli fuit idololatria cur metuit Aaron ut occideretur: An non mortui ſunt poſt eum multi pii ex Iſraële, quorum dignitas non attigit dignitatem Aharonis in pietate uſque ad ungulam plantæ pedis Aharonis, quoad unitatem Dei? Ecce ſocii Danielis projecti ſunt in fornacem ignis quod non adorarent imaginem & quomodo Aharon faceret ſculptile, quod opus gravius adoratione? Et nonne Aaron fuit ſanctus Dei & propheta pro Iſraële & præcepta multa data ſunt per eum cum Moſe fratre ſuo? Et ecce Hur fuit melior ipſo? Et ſi ipſe reus fuit idololatriæ, debuit Moſes eum occidere ante cultores vituli: at interceſſit pro ipſo & occidit cultores. Et quomodo potuiſſet expiare pro filiis Iſraël, ipſe & ſemen ejus uſque finem omnium ſeculorum? Ne reſpicias ad verbum* (Levitic. 9. 2.) Accipe tibi vitulum filium

bovis

bovis in peccatum. *Hoc enim non est ob rem vituli. Nam ecce adsimiliter in die expiationis omni sacerdoti uncto praeceptum est dare juvencum filium vituli in peccatum: nec possumus dicere propter peccatum patris, quia omnes sacerdotes fuerunt filii Eleazari & filii Ithamar & jam natus erat Phinees. Porro in Pharasa, quod daturus esset Israël hircum caprarum unum in peccatum, at illi non fecerant similitudinem hirci: etiam vacca rufa non fuit ad expiandum pro idololatria sed purificandum immundos. Et omnes* (אנשי המחקר) *viri sapientes profitentur quod Deus non eligat legatum, quem novit tandem culturum esse idolum: & profecto omnis propheta legatus est. Et ecce animadvertimus, quod Moses dixerit ante mortem suam* (Deut. 33. 8.) Thummim & Urim tua viro sancto tuo. *Ecce non recordatur negotii vituli, non inventum est in eo, nisi quod inventum in Mose, nempe res aquarum Meribæ, quemadmodum exponam loco suo. Quidam dicunt, quod Israëlitæ deceperint Aharonem, quia fecerunt formam vituli: at projecit Aaron aurum in ignem nec sensit. Argumentum eorum* (v. 24.) Et projeci id in ignem & exiit vitulus iste. *Hoc autem verum non est. Nam quomodo Aharonem elegisset Deus, si fuit bardus ut deceperint eum simplices. Porro cur struxit aram ei & praecepit ut mactarent victimas & holocausta. At alii dicunt quod hic non fuerit Aharon, qui fecit vitulum, frater Mosis. Hoc etiam vanum. Nam catus non est congregatus nisi ad vicarium Mosis* (אל ההוה תחת משה) *Et sic scriptum:* Ecce Aaron & Hur. *Et si fuit alius, cur non occidit eum Aaron aut Moses in descensu suo è monte? Etiam interesset pro eo, quia verum non est quod sanctus fecerit idololatriam propter alios ne morerentur. Multi etiam dicunt, quod hae verba* (Festum Domino cras) *hunc sensum habeant, quod colentes vitulum occidendi esset per Mosen, quia nullus sensus verbi, nisi, alius, qui ædificavit aram coram vitulo praecepit proclamari in castris, ut mactarent cras in ara, quam ædificaverat sicut* (Psf. 118. 27.) (Ligate festum densis funibus) *Et sic fecerunt & manicarunt postridie & obtulerunt holocausta. Et cogitationes cordis non prosunt. Nam qui maledicit Domino sermone occiditur & sic qui dicit* (Deut. 13. 6.) Eamus & colamus deos alios. *Et qui exponit* [Genes. 27. 19.] (Ego Esau primogenitus tuus) *Ego, id quod ego, sed Esau est primogenitus tuus, non est literalis sensus nec egreditur* [מחכמת הדבור] *è sermonis vi. At si quis in domo judicis socium interroget, Anne tu es ille socius meus cui comes fui sic & sic: & dicat, Non sum: potest dicere, cogitatio mea erat quod socius ejus non amplius sim. Et sic verba Danielis ad Nabuchadnesarum,* [Dan. 4. 19.] Domine mi, somnium sit osoribus tuis [דרך מוסר] *per modum humanitatis. Nunc tibi dicam sententiam Gaon: Rab Saadia dicebat, quod Aharon fecerit calliditate, sicut fecit Iehu: ideo ædificavit aram* [והקשה על נפשו] *& objicit sibi, Si ita cur irascitur Deus ipsi? Ipse autem respondet. Propterea quod confestim eos non occiderit, quemadmodum fecit (Moses) cum aduenisset. Hoc etiam verum non est, quia ipse vocat festum* יהוה *cras. Hoc autem est nomen proprium in honorem Dei nec miscetur alius cum eo sicut dictione* אלהים *fit, qua est multorum sensuum. Praterea cur non meminit hujus in responsione ad Mosen. Nam dicit & projeci id in ignem. Nec est responsio quadrans interrogationi. Nunc incipiam exponere compendio partem arcani. Absit ut fecerit Aharon idolum, etiam Israel non expetiit idolum; sed putabant, quod mortuus esset Moses, qui deduxerat eos à mari Rubro quemadmodum exposui. Cum viderent, quod manna non descenderet in montem Sinai & Moses moram traheret illic quadraginta diebus & non sit facultas in homine ut vitam retineat tanto tempore sine cibo. Nam ipse non dixerat eis, quando descensurus esset nec ipse sciebat, quia Deus dixerat ipsi, Ascende in montem & consiste illic donec dem tibi tabulas fœderis: Et dictio* אלהים *valet idem quod gloria* hospitans in forma corporea. *Et sic dicunt,* Qui eant ante nos. *Et si observes profectionem primam tunc intelli-*

telliges hoc. Et ecce in honorem Dei factus eſt. Ideo exſtruxit Aaron aram ante eum & præconio proclamari fecit ut mactarent craſtino in honorem Dei; & ſic fecerunt quemadmodum ipſis præceperat. Et hac eſt reſponſio Aharonis. Nam congregati erant עליו*: & ut tibi indicavi, quod omnis* קהלה Congregatio *ubi ſequitur* על *ſit in vituperium, at ſi ſequatur* אל *in laudem: Sicut* (I. Reg. 8. 2.) Et congregati ſunt ad regem Salomonem. *Et* hoc: Tu noſti populum, quod populus in malo ſit; *non dicebat malus eſt. Et cogitabant pauci in Iſraele, quod eſſet idolum, & obtulerunt victimas & adoraverunt eum: & dixerunt. Hi dii ſunt tui O Iſrael. Et ne mireris quod ſcriptum eſt:* Corrupit populus tuus: Receſſerunt. *Non eſt ſcriptum, totus populus. Nonne obſervas, quod ſolus Achan prævaricatus ſit in Herem, tamen ſcriptum eſt* (Joſue IV. 11.) Peccavit Iſraël, etiam tranſgreſſi ſunt, etiam furati ſunt, etiam mentiti ſunt, etiam poſuerunt inter vaſa ſua. *At ecce omnes Colentes vitulum tanquam idolum, qui dicunt,* Hi dii tui ô Iſraël, *aut quorum in cogitationibus ſic fuit, non fuerunt, niſi tria millia, & ecce hi dimidium decimæ exercitus & univerſitatis. Scilicet non erat factus ex decoro, quia à ſimplicibus putabatur eſſe idolum. Et ne mireris, quod iratus fuerit in Aaronem. Nam hoc erat, quia ipſe fuerat cauſa. Nam ecce multatus eſt cum Moſe fratre ſuo propter aquas Meriba, & non peccaverant ſtudio, at ſcriptum de illis.* (Num. XX. 12.) Non credidiſtis mihi (Num. XXVII. 14.) Rebelles fuiſtis (Deut. XXXII. 51.) Prævaricati eſtis. *Sapientes ſiderum dicunt, quod conjunctio magna duorum ſuperiorum planetarum fuerit in ſigno Tauri: at hoc eſt mendacium, quia non fuit niſi in ſigno Aquarii: & ſecundum modum ſideralis ſcientia hoc eſt ſignum Iſraëlis: & multi probaverunt hoc arcanum, generatione poſt generationem, etiam ego ſic vidi: Et ecce ponunt eum in medio cali.* Hactenus diſſeruit Aben-eſdras pro ſua gente & Pontifice. Notat in gloſſis ſuis, quod נזמים in auribus geſtaverint ex more Ægypti: חרט ſignificare ſimilitudinem דמות ex loco Eſaiæ 8. 1. Additque ואין טעם להיותו מגזרת החריטים *Nec eſt ulla ratio ut ſit ſenſu* חריטים Ita in יצר formandi eſſe notionem. Fuiſſe operis fuſorii hunc vitulum quod indicetur voce מסכה / quæ ſit התוך / ut פסל ſignificat laminam fabri. Ralbag æque pugnat pro Aarone: ille ita diſſerit & commentatur: *Dicit R. Levi: Viſum mihi eſt recordari quadam dubia occurrentia in hac declaratione priuſquam declarare incipiam, ut declaratio intelligatur, in qua occurret de his dubiis. Primum dubium, quod ſit inconveniens credere, quod propheta fecerit idolum, abſit ab iſta malitia. Quodſi autem dicamus fuiſſe alium Aharonem, qui non erat frater Moſis, debuiſſet id lex ſignificare in honorem Aharonis. Et ut ne homines efferrent ſe idoli factione putantes quod Aharon frater Moſis id feciſſet cum eo, quod innotuit ab ejus integritate. Dubium ſecundum, quod non inveniamus in hoc pœnam Aharonis, qui fecerat id fuiſſetque conveniens ut eum apprehenderet mirabilis pœna, ſed invenimus, quod Deus excelſus eum fecerit ſacerdotem, ut cultum faceret ante faciem ſuam. Dubium tertium, quod modo videbitur è verbis Aharonis ad Moſen: quoniam ipſe ereptus eſt ſuper negotio hujus facti & non apparet è dicto ejus ereptio* (quod debuerit eripi) *niſi dicamus quod ipſe in eo, quod dicit* (Et exiit vitulus iſte) *velit dicere, quod exierit per ſe. Et ſi ita ſit, liberatus eſt verbis mendacii: nam ipſe eum formaverat illo. Hoc autem non convenit credi. Porrò quod ſi res fuit ſic conveniens fuit ut eum mendacii redargueret Moſes, quia ille erat propheta & noverat quomodo ſe res haberet, contrarium apparet ex hoc dicto. Nam non videmus, quod reſponderit Moſes verbum ad verba Aaronis. Et ecce hæc dubia ſolventur ſecundum illud quod dicam. Et ipſe, quia propheta quando animadvertit populum in malo eſſe: & ſciret, quod ſi redargueret eos ob hoc, non recepturi eſſent verba ſua ſed eum occiſuri venirentque* (להריסה נפלאה) *in cladem magnam, qua omnes hauſiſſet. Cogitabat ſe non poſſe eripi ex hoc malo, neque*

neque ipsos erripere nisi videretur ipse consentire cum ipsis (להתחכם להאריך) *& Sapienter produceret rem pro viribus suis donec adveniret Moses: & tunc liberandi erunt per eum; ob virtutem gradus ejus non poterunt facere rem coram eo. Ideò in principio petiit ab eis nezamim in auribus* &c. Sophismata ejus fuisse. I. Quod petierit inaures, ob quas mulieres puerosque putabat pugnaturos esse aut moram facturos negotio. II. Cum ea spe esset dejectus, non fecisse arietem sed vitulum, ne delaberentur in illam opinionem, è qua Deus ipsos institutione Paschatis liberaverat. Quia signum bovis sequitur post arietem, id voluisse sumere, ut eo magis crederent Aaronem ipsis consentire: quasique diceret errare Ægyptios, qui dominium darent Arieti, cum esset sequentis signi. III. Diu & longa mora circumduxisse populum, multum temporis insumendo in conformando vitulo, ut intereà adveniret Moses. Verosimile esse quod ipse dixerit populo tantum opus non oportere fabricari nisi manibus viri in populo eminentis. IV. Rursus moram traxisse in struenda ara. V. Cum ne tum quidem Moses adveniret in crastinum distulisse populum. Scilicet dixisse quod Cras foret festum Domini. Crastino mane populum obtulisse & è vitulo fecisse Deum. Hoc fecisse paucos ex Israël: quod liqueat ex eo, quod tantum ter mille occisi sunt. Ideo autem paucos hic peccavisse, quia vidissent omnes vitulum istum ab Aarone formatum esse. In corde enim intelligenti sedebat ab homine Deum non posse produci. Se existimare, quod postquam Moses introiisset intra nubem atque illic moratus esset biduo aut triduo, in eam opinionem Israëlitæ venerint metumque defunctum esse Mosen & petiisse ab Aarone quod petierunt: cum nescirent, quod illic quadraginta diebus & noctibus commoraturus esset. Verosimile esse, quod nec Aharon sciverit quanto tempore esset commoraturus illic, quamvis sciverit illic esse ut acciperet legem. Ideò התחכם להשבית המלאכה ἐσοφίσατο εἰς ἀναβολὴν τοῦ ἔργου, καθ᾽ δύναμιν. *Nec fuit in potestate ejus cessare ab opere ut longo tempore traheret. Cognovissent enim quod non consentiret, & cecidisset tanquam proditor* &c. Existimat etiam Aharonem ideò post longi temporis protractionem effinxisse vitulum quia putaret post eam figuram seduci non posse populum. Hoc igitur sextum sophisma. Septimum quod non in forma fuderit sed stylo sculpserit: ut mora longior esset multiplicique usum arte & per varios modos quæsisse evasionem & dilationem. Quod Moses illi iratus esse dicatur, id fuisse, quod populum fecisset peccare: quamvis intentione bona egisset. Huc tendunt omnia, Aaronem coactum fecisse, quod fecit & bona intentione. Aben-esdras gravius errat, qui putat licere, ut simulachro colatur Deus. Hæc est Judæorum arrogantia. Non putant verosimile esse, quod Aaron summus pontifex idolum fecerit: præsertim cum Pontificium illi datum sit post hanc prævaricationem. Quasi Deus meritis hominum sua dona distribuat, non autem ut mera ejus benignitas patescat.

Theodoretus qu. 69. in Exodum monet, etiam scopum intueri oportere ut cognoscamus eum οὐ παντάπασι συγγνώμης ἐστερημένον *venia non prorsum indignum esse*. Τοῦ γὰρ ἀδελφοῦ τεσσαράκοντα ἡμέρας διατρίψαντος ἐν τῇ τοῦ ὄρους ἀκρωνυχίᾳ, καὶ τοῦ λαοῦ λυττήσαντος καὶ εἰς τὴν Αἴγυπτον ἀναστρέψαι ὁρμήσαντος. Πρῶτον μὲν ἐπειράθη λόγοις αὐτῶν τὴν ὁρμὴν χαλινῶσαι. Ἐπειδὰν δὲ ἀπειθοῦντας εἶδεν ᾔτησε τῶν γυναικῶν τὰ χρυσία, πάθει πάθος ἀντιστρατεύσας τὸ φιλόκοσμον καὶ φιλοχρήματον τῇ τῆς δεισιδαιμονίας μανίᾳ. Ἀλλ᾽ οὐδὲ τοῦτο τὸ μηχάνημα τὴν ἐκείνων ἔσβεσε λύτταν. Ὅθεν ἠναγκάσθη διαγλύψαι τὸν μόσχον. Καὶ τοιούτῳ τῷ σκοπῷ χρησάμενος τῆς θείας ἔτυχε φιλανθρωπίας ὥστε τὴν τιμωρίαν διαφυγεῖν. Καὶ τοῦτο ὁ Μωσῆς ὁ θειότατος ἐν τῷ Δευτερονομίῳ (Deut. 9. 20.) δεδήλωκε, ἐδεήθην γάρ φησι τοῦ κυρίου τοῦ θεοῦ μου περὶ Ἀαρὼν τοῦ

ἀδελφοῦ μου καὶ οὐκ ἀπῄθουν. Furorem populo tribuit, quo coactus ſit id facere Aaron poſtquam multis verbis conatus eſſet diſſuadere. Recte agnoſcit coactionem & bonum ſcopum Dei benignitate eguiſſe, ut ſupplicium remitteret. Debuiſſet enim eligere mortem potius quam inſtrumentum eſſe idololatriæ. Notat in Ægyptum voluiſſe reverti, quod & Stephanus dicit Act. 7. 29. animis in Ægyptum verſis fuiſſe: quæ fuit cauſa vituli potius quam animalis alius fingendi.

Tumultuoſam concionem adiiſſe Aharonem, quem Moſes ſibi ſubſtituerat, credi par eſt, nec niſi poſt multa verba & minas induci potuiſſe ipſum ut faceret idolum. Quin & populum ipſi præſcripſiſſe, ut id genus idoli faceret, credo, quia memor erat veteris idololatriæ in Ægypto & eo animis verſus. Aaron ex ornamentis, quæ petierat, conflavit dolavitque vitulum. Superſtitio modum non habet, & animi ea ſemel occupati pretioſiſſima & cariſſima quæque profuudunt projiciuntque ut expetita perficiant. Aaronem artificem fuſoremque fuiſſe ſcribitur, quod non ſic accipi velim, quaſi neceſſe ſit ſuis manibus feciſſe, cum ſub ejus gubernamine res geſta fuerit. Cum vitulus procuſus fictusque eſſet, dicunt (ſive populus ſive fuſores & artifices) Hi dii tui ô Iſraël. Singularem numerum intelligo ſub voce plurali. Aaron agnovit Deum ipſos eduxiſſe ex Ægypto, nempe verum, qui יהוה voluerat appellari. Proclamat cras fore feſtum Domini. Vitulo tamen aram ſtatuit & in ea celebrandum eſſe Domini feſtum ſignificat. Populus magna alacritate præſto fuit, feſtumque egit ſolennitate & hilaritate multa. Franciſcus Moncæius Fridevalianus Atrebas (ut refert D. Rivetus) duobus libris Aaronem non ſolum purgare voluit ab omni idololatria, ſed & Jeroboamum in vitulorum erectione & Laban ac Micham in ſuis Theraphim: quia idololatria non ſit Deum colere in ſigno ſculptili vel per ſignum. Hæc etiam ſententia fuit Aben-eſdræ, Quamvis Pontificii id recipiant effatum, huic tamen ſententiæ adverſantur, ob nimis claram & evidentem ſcripturæ pronuntiationem. Aaronem & populum diſtinctis gradibus peccaſſe in idolo fatendum neuter tamen adeo craſſus fuit, ut bovem illum ab Aharone formatum conflatumque è ſuis inauribus Deum eſſe putaverit & potentibus ſignis ipſos eduxiſſe ex Ægypto. Exierant enim, antequam bos iſte natus eſſet. Peccavit Aaron graviſſimè conſentiendo & externa illa ſacra manu & opere adminiſtrando, licet animus fuerit averſus. Populum uuiverſum non conſenſiſſe in hoc crimen teſtatur Apoſtolus I. Cor. 10. 7.

Ralbag dicit populi dicentis, Fac nobis Deos, hanc mentem fuiſſe: טלמוסא / imaginem ſeu formam, inqua ſit virtus ſuperior, è cælo, ad annuntiandum futura, donec ſtaret figura Moſis ad ducendum eos & indicandum eventura. *Vere,* inquit, *petierunt ideò quod impliciti eſſent fide perdita Ægyptiorum qui ſolebant facere imagines in hoc modo, putabantque quod ipſis ineſſet cæleſtis virtus:* ſicut manifeſtum ex errore hoc, quem hi homines hic errant. Audi autem quid dicat porro: ולפי שהיה עושה עצמו כומר לע״ז לכבוד חש״י כדי שלא יסור את ישראל מאחריו נתן י״י שכרו ועשאו כהן: *Quoniam ſeipſum fecerat ſacerdotem idoli in honorem Dei excelſi, ut ne abſtraherent Iſraëlem ab eo, dedit Deus* mercedem fecitque eum ſacerdotem. Hæc haberi in Velle Smoth Rabba, in paraſam: ואתה הקרב אליך את אהרן אחיך Simile affert de filio regis ſuffodiente patris domum, quem pædagogus eluſit.

De Ægyptiorum idololatria circa boum genus hæc reperimus: Tauri Apis & Mneuis Oſiridi conſecrati inſtituto Iſidis ſunt. Diodorus, Τοὺς δὲ ταύρους τοὺς ἱερούς, τόν τε ὀνομαζόμενον Ἆπιν καὶ τὸν Μνεῦιν Ὀσίριδι καθιερωθῆναι καὶ τούτους σέβεσθαι καθάπερ θεοὺς κοινῇ καταδειχθῆναι πᾶσιν Αἰγυπτίοις. Tauri iſti certis notis inſigniti

per

per intervalla temporum naſcebantur. Apin depingit Herodotus. Hic naſcebatur è bove femina, quæ nondum feturæ habilis erat, quam fulmen aut fulgur cælo demiſſum impregnaverat, ut ſacerdotes fabulati ſunt. Præterea omnes boves feminæ Iſidi ſacræ erant. Mares mactare licuit feminas nequaquam. Et Iſidis ſimulachrum bubulis cornibus conſpiciendum erat. Herodotus: τὰς δὲ θηλέας ὔ σφι ἔξεστι θύειν, ἀλλὰ ἱραί εἰσι τῆς Ἴσιος. Τὸ γὰρ τῆς Ἴσιος ἄγαλμα ἐὸν γυναικήϊον, βούκερών ἐστι καθάπερ Ἕλληνες τὴν Ἰοῦν γράφουσι. Cum in aliis præfecturis & urbibus alia colerentur animalia, boves iſtas tota Ægyptus venerabatur. Non eſt igitur mirandum, quod Iſraëlitæ bovis figuram Deo conſecraverint. Quemadmodum Ægyptii boves feminas Iſidi ſacraverant, ita hanc figuram condidere Iſraëlitæ, in qua Dei præſentiam venerarentur.

Dum Iſraëlitæ ſacro nefando operabantur, Deus Moſen, qui apud ſe erat in monte compellat: jubet ocyus deſcendere, quia populus, quem Ægypto eduxerat, perdite ſe gererent. Cito diſceſſiſſe à via, quam edocuerat; feciſſe vitulum conflatum eumque adoraviſſe, coluiſſe, & ſuo nomine appellaſſe. Aben-eſdras notat populum iſtum ideò à Deo, Duræ cervicis appellari, quod in Ægypto Idola colentes, moniti fuerint per prophetas diuinitus miſſos, ut ſtercora iſta abjicerent: quod refertur Ezech. XX. 5. 6. 7. 8. 9. In Ægypto Deus ipſos monuit ut relinquerent Ægypti abominationes, cum eos educturus eſſet: at ipſi pertinaces & immorigeri Dei iram provocarunt, qua in Ægypto, ante exitum, abſorpti fuiſſent, niſi Deus ſemet revocaſſet. Raſi arguatur defectores fuiſſe ſolos proſelytos, quos ſibi Moſes adjunxerat dicendo: שוב שידבקו גרים בשכינה. *Populus tuus, quem eduxiſti ex Ægypto.* Sed iſta eſt oratio populum averſantis. Non enim Moſes ſed Deus manu ſua potente populum eduxerat, Moſes tantum miniſter fuerat & judex.

v. 10. Et dicebat Dominus ad Moſen: *Sine me, ut exardeſcat ira mea eosque abſorbeat: faciam te in populum magnum.* Raſi: *Non audivimus quod oraverit Moſe pro illis attamen dicit Sine. Sed hic aperit oſtium & ſignificat quod res ab illo ſuſpenſa eſſet, quod ſi intercedat, non eſſe ſe illos abſumpturum.*

Moſes deprecatus eſt Dominum: *Cur Domine exardeſceret ira tua in populum tuum, quem eduxiſti è terra Ægypti virtute magna & manu valida? Cur dicerent Ægyptii: In malo eduxit eos ut eos occideret inter montes: utque abſumeret eos à facie terræ: convertere ab æſtu iræ tuæ & pœniteat te ſuper malo populi tui. Recordare Abrahami, Iſaaci & Iſraëlis ſervorum ſuorum, quibus per te juraſti, locutusque es: Multiplicabo ſemen veſtrum ſicut ſtellas cæli: Et terram hanc, quam dixi, dabo ſemini veſtro ut poſſideant eam in ſeculum.* Ita Dominus exoratus eſt. Raſi exiſtimat merita patrum à Moſe adduci: *Si transgreſſi ſunt decalogum Abraham, pater noſter, tentatus eſt decem tentationibus. Et tunc non recepit mercedem ſuam, da illi & egrediantur decem propter decem. Si illi ad combuſtionem, recordare Abrahami, qui tradidit ſemetipſum ad comburendum pro te in Vr Chaldæorum. Si ad occiſionem, recordare Iſaaci, qui extendit collum ſuum ad ligationem: ſi peregrinationis ſeu exilii, recordare Iacobi, qui peregrinatus eſt in Haran. Et ſi illi non poſſunt eripi ſuis meritis, quomodo tu dicis mihi faciam te in gentem magnam. Si ſolium trium pedum non conſiſtit coram te in hora iræ tuæ, quanto minus ſolium unius pedis.* En ſtolidæ gentis arrogantiam. De juramento Dei: *Non juraſti ipſis per rem quæ conſumitur, non per cælum neque terram, neque montes* neque colles ſed per te, qui ſtabilis es & *juramentum tuum ſtat in ſeculum.* Juramentum dedit Deus Abrahamo, Iſaco & Jacobo.

Aben-eſdras: *Quidam dicunt, quod hæc precatio commemoretur in paraſa,* והיה עקב. *Et hæc oratio debuerit ſcribi poſt quam reverſus eſſet Moſes in montem. Ideo*

pœnituit Dominum postquam orasset seque prostravisset (Deut. 9. 25.) *quadraginta diebus: & si pœnituit super malo, in principio, cur dicit* (למה טעם לימר) Forte reconciliabo (v. 30.) pro peccato vestro. *Cum descendisset & combussisset vitulum & occidisset cultores ejus tunc reversus est ad precandum Deum pro Israële & Aarone, qui fuerat causa. Alii dicunt quod oratio* (Deut. 9. 26.) Ne perdas populum tuum, non sit illa, quæ commemoratur in hoc loco. *Secundum opinionem meam, quod utraque precatio una sit* (כי טעמי התפלה שתים) *quemadmodum exponam.* Nam *quomodo placavit faciem Dei, ante combustionem idoli & armavit filios Israël & occidit cultores ejus? Tantum Deus ipsi indicavit quod oraturus esset post descensum, postquam removisset peccatum. Ideo scriptum:* Forte reconciliabo peccatum vestrum quo fecistis vitulum. *Ecce, quia dixerat ipsi Deus:* nunc sine me *recordatur orationis, quam precatus est, cum prostratus esset ante Deum. Hac parasa debuit poni post* (v. 31.) Et reversus est Mose ad Dominum. *Non est in lege Prius & Posterius. Tantum voluit connecti verbum* (v. 33.) (Qui peccaverit mihi) *cum* (v. 34.) (Tu i duc populum. *Et scriptum* (v. 35.) Percussit Dominus populum. Illa igitur oratio sequenti ad Deum ascensu peracta est. Quod dicit Moses: In malo eduxisti: de eo idem: *Sensus, quemadmodum majores nostri indicarunt, quod in signo malo egressi essent ex Ægypto. Et dixerunt, Non potest Deus superare signum ad eos liberandos qui ipsi adhærent. Cumque videret se id non posse occidit eos. Et hac erat profanatio nominis. Ecce autem prostravit se quadraginta diebus: & Deus dixerat,* Non ascendam in medio vestri, & ecce non hæreditabunt terram. *Et tunc dicebat Moses omnem parasam* (ראה אתה אלי) *Et postea præcepit Deus ut descenderet & excideret tabulas & portaret manu sua in montem. Tunc descendit Deus in nube & radiavit cutis faciei ejus scripsit Deus secundas tabulas. Ideò scriptum,* (34. 1.) In illo tempore dixit Deus ad me. Sculpe tibi duas tabulas lapideas sicut primas. Et, fac tibi arcam ligni. Et fecerunt filii Israël arcam: ille qui fecit Besaleel. Existimat ter quadragenis diebus Mosen in monte fuisse. Secunda vice scilicet tantum oravit Deut. 9. 18.

Cum descenderet Mosen respexit, ut ait textus. Aben-esdras. *Tanquam homo, qui respicit quid facturus sit. Vidit sibi maturandum esse descensum.* Ita enim dictum Deut. 9. 15. *Et mons ardebat igne.*

Tabulas testimonii, id est, decalogum manibus tenebat Moses, ut eas ad populum deferret. Hæ tabulæ scriptæ erant משני עבריהם ἐξ ἀμφοτέρων μερῶν. Scriptura Dei fuit in tabulis exarata. Oleastrio placet (quod probatur Riveto) duas istas tabulas ab una parte non ὀπισθογράφους fuisse scriptas: ab hac & illa anteriori (Sic עבר interpretatur) id est utriusque tabulæ. Ita componi potuerunt ut Seponerentnr: non enim proponendæ erant populo. Alii ab utraque parte & quidam similiter scriptas esse putant, ità ut exstiterit decalogus bis scriptus. In Hebræo, בידו *in manu*, id est, manibus. Non enim necesse est de una manu intelligere. Aben-esdras exponit ברשותו *in potestate sua.* Sic differit. *Nam admiramur quomodo potuerit deferre unam tabulam, multo magis duas una manu. Et quoniam scriptura diserte dicit, quod fuerunt scriptæ à duabus partibus non fuerunt duo lapides è lapidibus τῶ λογίου, quia illud quod scribebat ab una parte videretur in alia parte: at significatio scripta non est visa: sed scripta, quia quemadmodum scripserat ab ista parte, sic fuit scriptum ab altera parte. Et ecce tabula crassa fuit: nec opus, ut Mem & Samech, quæ erant in tabulis, ut steterint miraculo, quia dissensio est in expositione vocis אשורית; an felicissima in literis, aut propterea quod ascendit cum illis ex Assur. Porrò si fuerunt perspicua, videbantur inversa. Et si placeat objicere, fuerunt hi lapides pretiosi: R. Fuerunt pretiosi valde propter scripturam Dei, quæ erat exarata in illis: quia debuerunt esse crassi. Obsecro invenietur lapis valde pretiosus,*

pretiosus, longus cubitum & latus cubitum cum dimidio & cubitus ejus erectio seu profunditas (quia scilicet à terra attollitur, ubi in solo jacet) *Porro unde excideret Moses tabulas lapidum pretiosorum, secundum mensuram primarum? Et ecce non scimus quomodo fuerint scripta verba decem in duabus tabulis, ita ut non inverteris illas, propterea quod scriptum; ab hac & illa parte scripta erant, postquam dixeras scriptas fuisse à duabus faciebus? At non possumus scire an tabula in universum conscripta fuerit, an margines illi relicti fuerint, quemadmodum nos hodie in libris facimus: nec an fuerit scriptura densa an tenuis. Et quoniam non invenimus illud in Cabbala non est ratio conjectura.* Tabulas istas ab utraque parte seu latere scriptas fuisse indicat textus (ut mihi quidem videtur) unde ea quoque communis est sententsa. Meminit Aben esdras dicti Rab Hasdæ, qui dixit in tabulis illis duas literas Mem & Samech scriptas fuisse אשורית idque בנס in signo seu miraculosè. Hoc dictum sibi objicit Aben-esdras, tanquam suæ sententiæ de lapide vulgari oppositum. Respondet id posse significare Assyriace, non opus esse ut significaret beatificatè ad notandum pretium scripturæ.

Cum è monte descenderet Moses devenit ad locum, in quo Josue commorabatur. Quidam volunt singulis diebus obviam ivisse Mosi. Simul pergentibus accidit ad aures clamor festum agentium. Josue rei ignarus judicabat esse clamorem præliantium. At Moses de re à Domino edoctus clamoris genus discernere potuit. Non est, inquit, ita: *Non est vox* ענת גבורה *neque vox* ענות חלושה *vocem* ענות *ego audio.* Hic Græci: Οὐκ ἔστι φωνὴ ἐξαρχόντων κατ' ἰσχὺν, οὐδὲ φωνὴ ἐξαρχόντων τροπῆς ἀλλὰ φωνὴν ἐξαρχόντων οἴνε (leg. αἴνε) ἐγὼ ἀκούω. *Non est vox praeuntium secundum robur, neque incipientium fugam sed vocem pracinentium encomium ego audio.* Chaldæus. *Non est vox fortium pravalentium in bello, neque etiam vox est imbecillium, qui superantur: vocem ludentium ego audio.* Admodum se mihi probat Græca versio: quam esse præstantissimam, & nobilem antiquitatis thesaurum, quis neget? Gaon putat, (teste Aben-esdra) quod illa verba versus 19. etiam ad Josue debeant referri: quod nemo admittit. Moses cum propius rem cognosceret, in iram exardescens tabulas illas, quas gestabat, illisas solo confregit. Videbat vitulum & choros. Populus (ut dictum v. 6.) consederat ad edendum & bibendum, consurrexit ad ludendum. Ludebant enim canebant saltabantque per choros circum vitulum. Rasi de illa fractione: *Dicebat, quid Phase, quod unum est de preceptis? Dicit lex: Nemo alienigena ex eo edet, universa lex sic est, & totus Israël perditi, quomodo darem ipsis legem?* Aben-esdras: *Ob magnitudinem zeli Moses confregit tabulas, qua erant in manibus ipsius, tanquam literas testimonii, & ecce laceravit literas pactorum: quod fuit in oculis totius Israëlis.*

Vitulum illum aureum conjecit in ignem, ustumque in pulverem comminuit: quem sparsit in aquas deinde potare coëgit Israëlem. Communis sententia est quod pulverem biberint Israëlitæ: non nemo quod post deletionem vituli biberint aquam qua scilicet detestarentur factum. Aben-esdras: *Quidam dicunt quod* וישרף (combussit) *sit idem quod* ויתך באש (fudit igne) *quod necesse non est. Nam sermo est, quod ponendus esset in igne cum auro & confestim comburendus, ut evaderet niger & in seculum non rediret aurum. Hunc sermonem probat experientia, estque ille verus.* Aquas illas fuisse torrentis fluentis è monte: præcepisse ut universus Israël ex illis aquis biberent. Quod simile sit illi (Num. 5. 1x.) Et è pulvere, qui erit in solo tabernaculi accipiet sacerdos & ponet super aqua. Aquas illas novum signum dedisse in cultoribus vituli in eorum faciebus, aut quod intumuerit venter eorum. *Nam nisi hoc quomodo filii Levi intellexissent cultores Idoli quinam essent? Iam diximus, quod fuerint pauci,*

quorum

quorum cogitatio erat in malum, cum universitatis cogitatio esset in bonum &c. Rasi etiam aquam examinis fuisse putat & pulverem absorptum ab Israëlitis, ut rei deprehenderentur. Accedit huic sententiæ Lyranus & Petrus Comestor qui volunt barbas aurei coloris factas esse in indicium. Rupertus: *Ajunt quidam quod vitulum aureum in pulverem redactum in potum illis in judicium dederit: & hoc facto, qui authores fuerunt sceleris aureis prominentibus labiis publicati vel deprehensi*. Salianus miratur in Abulensi, quod de aurei coloris barbis referat ex Hebræis, nec refutet. Non enim potuisse deprehendi, quorum forte barbæ natura eum colorem referebant. Putat tamen Salianus probabilitate non carere quod indicium fuerit aliquod, ut tumoris in ventre & languoris. Pulverem igitur fermè bibitum esse volunt ad indicium, Hieronymus ad Fabiolam & ex eo Rupertus alium finem bibiti pulveris proponunt: *ut populus disceret contemnere, quod in secessum projici viderat*. Non dubitant igitur, de pulveris potu. Nam nec aliter potuisse fieri quia nullæ erant aquæ, nisi quæ de petra Horeb miraculose profluebant: quasi pulvis decursu abreptus suo sit & de superioribus non potuerint haurire Israëlitæ? Deut. IX. 12. nulla mentio bibitionis: cum tamen universam deletionem Moses referat. Quomodo autem in minutissimum pulverem redigere potuit aurum? Hic non est opus confugere ad Chemicorum artem (ut rectè monuit Tyrinus) textus enim habet quod commoluerit, postquam igne adusserat.

Deleto vitulo, materia idololatriæ, increpat fratrem, qui populum induxisset in tantum peccatum. Hic se Aaron excusat, tanquam populi malitia coactum, rogatque fratrem uti ne in se inardesceret. Coactum se spoliasse populum ornamentis: igne vitulum conflasse: quo viso in ejus cultum incubuerint. *Projeci in ignem & exiit vitulus*. Hoc dicto non significat absque sua culpa, fraudibus dæmonum id formæ produsse: sed se ignis opera fusum aurum in formam redegisse bovis. Moses accepta fratris excusatione indoluit de populo, qui semetipsum Dei gratia & præsidio nudavisset. Aaron enim nudaverat, ut vilis esset hostibus, qui videbant eos excidisse à Deo tot beneficiorum & mirabilium authore eoque patere ruinæ. Accinxit igitur se ad Dei reconciliationem.

Primò populum tentat quali animo esset: Constitutus in porta castrorum seu aditu, proclamat: Quisquis Domini, accedat ad me. Prodiere seque illi adjunxere omnes filii Levi. Hæc erat tribus è qua Moses. Non sequitur hinc universam tribum Levi immunem fuisse ab idololatria vituli: sed hic sensus videtur esse, quod quisquis ex animo Deo adhærescere vellet & idololatriam abominari ad ipsum accedere juberetur. Soli Levitæ accesserunt. Tum Moses verbis Dei præcipit ut accincti gladiis, universa castra à termino ad terminum obeundo contumaces interimerent. Trucidata sunt è populo tria millia. Nulli parsum ex Mosis præcepto, quos quidem deprehendere potuerunt, etsi fratris loco aut filii diligeretur. Mirum, quod Levitæ tanto animo aduersus tantum populum rem gesserint: & illi instar pecudum se mactari permiserint. Tria tantum millia ideò occisa fuisse videntur, quod cæteri partim cultum abominarentur, partim se nunquam contaminavissent. Edito hoc facinore laudat Moses Levitas, promittitque ex revelatione in monte ministerium tabernaculi & sacerdotium. Sic Latini Græcique interpretantur v. 29. Salianus: *Nemo catholicus sacerdotium Levitis à Mose concessum dixit in præmium propter occisos idololatras*. In Hebræo מִלְאוּ habetur in modo imperandi ut dictum sit ante facinus, ut persuaderet. Et id suadet ipse textus, ubi habetur: *At det vobis benedictionem. Implete manus vestras*, Id est, facite id, quod Deus sacerdotio

tio remunerabitur. Deus enim in monte id ostenderat. Deus igitur Mosi id significaverat. Nam profitetur in hoc facinore mandato Dei verbum. Sulpicius Severus 23. millia occisa esse dicit ex alia lectione LXX. interpretum, cum hodierna & vera Hebræo consonet.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

Cap. XXXI.

Tum Moyses tabernaculum extra castra constituit: quod quoties fuisset ingressus, columna nubis astare pro foribus visebatur, coramque ad Moysen Dominus loquebatur. Poscente autem Moyse, ut dominum in majestate propria videret: responsum, Formam Dei mortalibus oculis perspici non posse, posteriora tamen ejus videre concessum: tabulæque, quas Moyses prius confregerat, refectæ. Sed in hoc colloquio Dei quadraginta diebus diversatus apud Dominum Moyses traditur. Cumque de monte descenderet, tabulas præferens, tanta claratudine facies ejus renidebat, ut intueri eum populus non valeret. Sed cum mandata Dei relaturus esset, vultum velamento obtexit, atque ita ad populum verbis Dei locutus est. Hoc in loco tabernaculi interiorumque ejus ædificatio refertur. Quo consummato nubes superne decidit atque ita tabernaculum obumbravit, ut ipsum Moysen aditu excluderet. Hæc fere duobus libris, Genesi atque Exodo, continentur. Exin Leviticus liber sequitur, in quo litandi præcepta traduntur: mandata etiam latæ superius legis adduntur, plena omnia sacerdotalibus institutis. Quæ si quis cognoscere volet, perfectius inde capiet: nos enim suscepti operis modum custodientes, solam historiam persequimur.

Drusius.

Tabernaculum] quod vocatur tabernaculum conventus vel potius tentorium id est Ohel אֹהֶל. Nam tabernaculum משכן dicitur. Sed interpretes ista confundunt. Senes vocant τὴν σκηνὴν τοῦ μαρτυρίου tabernaculum testimonii, אהל העדות vocatur. Num. 17. 8. Eduth cum Moed confundentes.

Extra Castra] procul à castris, Exod. 33. 7. Ebræi scribunt abfuisse à castris spatio duorum millium cubitorum: quo spatio determinant iter Sabbathi, cujus mentio in primo Actuum Apostolicorum. Adhibe quæstiones meas.

Coram] Facie ad faciem, id est, præsens præsentem, ut homines solent inter sese. Idem dicit, *ore ad os*. Utrumque proverbiale est. Abenmelech explicat, facie ad faciem, id est, familiariter, & nullo angelo intermedio, optimè & rectissime.

Ut Dominum In Majestate Propria Videret] quod Ebræus dicit, *ostende mihi gloriam*, id Græcus ἐμφάνισόν μοι σεαυτόν, *ostende mihi teipsum*. Libri tamen variant. Nam in aliis δεῖξόν μοι τὴν σεαυτοῦ δόξαν & apud S. Augustinum, *ostende mihi gloriam tuam*. Locus est Exod. 33. 18. Hanc gloriam Sulpicius majestatem propriam appellat. Infra *facies* vocatur & à nostro *forma*: quam ajunt significare veritatem essentiæ ipsius, quam nemo unquam assequi potest.

Formam Dei, &c.] 33. 20. *non poteris videre faciem meam: nam non videbit me homo & vivet.* Quæ hic facies vocatur noster formam dixit. Quid causæ esse putabimus? An quià facies quandoque formam significat? Nam dicimus, *vertere se in omnes facies*, pro eo quod est *in omnes formas*: & Plautus dicit, *in faciem versus est Amphitryonis Iupiter* quod mox dixit, *mutavit se in formam ejus conjugis*. Cæterum duplex apprehensio Divinitatis. Una est per priora, quæ nunc vocatur facies Dei: altera est per posteriora, quæ est cum ex operibus Dei cognoscimus ipsum. Hoc modo nos videmus Deum. Sunt qui per faciem intelligunt divinam essentiam, ut per posteriora effectus divinæ providentiæ sive gubernationis, qui sunt propriè viæ Domini. Sic Paulus Episcopus Burgensis. Nicolaus exponit, *concedam tibi cognitionem mei, imperfectam tamen, sicut cum aliquis videt hominem à parte posteriore, sivè à tergo, cognoscit quidem hominem, non tamen cognoscit quis sit.* Sanè ut duplex est Dei apprehensio, ita duplex est sciendi methodus. Una quæ à natura cognitis & prioribus ad nobis nota & posteriora deducitur: altera quæ eadem via ab ultimis ad prima recurrit. Hæc ἀποδείξει: illa ἐπαγωγῇ colligitur. Innuit ergò Deum non cadere sub apodixin, cum eo nihil sit antiquius.

Tabulæque Refectæ] refectæ fuerunt hæ tabulæ partim à Deo, partim à Mose, qui eas sculpsit: Deus autem scripsit in iis decem præcepta, Exod. 34. 1.

In Hoc Colloquio Dei] Secundo. Nam bis cum Deo locutus est in monte.

Tanta Claritudine, &c.] Facies ejus resplendebat & radiabat ut cornu: unde cornuta pingitur. Vide quæstiones meas.

Renidebat] vel, *renitebat*: ut epist. 3. *vultus* (B. Martini) *luce clarior renitebat*. pag. 237. edit. Plantinianæ.

Velamento] καλύμματι, velamen erat, quod Ebræi masve vocant: Interpres Ierosolymitanus Sudara nuncupat, unde forte sudarii vox. Quanquam significatio diversa. Hoc velamento usus est cum ad populum verba faceret, propter splendorem vultus ejus quem ferre non valebant: idemque abstulit, quando cum Deo loquebatur. Exod. 34. in extremo.

Interiorumque Ejus] quæ sunt, arca, mensa, candelabrum, altare thymiamatis, altare holocausti, labrum æneum, atrium tabernaculi, pontificalia ornamenta & alia à Deo mandata.

Ut Ipsum Moysen Aditu Excluderet] nubes obumbrans tabernaculum Mosen ab aditu excludebat: stans supra tabernaculum eundem admitte-

mittebat. Quoties verò recedebat, simul Israëlitæ castra movebant, dum ea consisteret. Nam ducem viæ nubem habebant interdiu, noctu verò præcedebat eos columna ignis.

GENESI] qui Ebræis Bresith à prima voce. Genesis vocatur quod mundi genesin & originem contineat. Sunt etiam qui librum recti Genesin interpretentur, ut sit, *recti* pro rectorum sive justorum. Nam rectum in metaphora quod justum est.

EXODO] qui Ebræis Smoth & Veelle Smoth, id est, *& hæc sunt nomina.* Nam ita incipit apud eos.

LEVITICUS] Hic liber ab Ebræis Vaicra nuncupatur, & liber sacerdotum, id est, ספר כהנים. Leviticus autem ideo à Græcis dicitur, quia levitarum, quibus sacra ministeria tradita erant, officia complectitur.

LITANDI] id est sacrificandi, ut cap. 41. *idolis litaverunt:* & 62. *idola eis ritu gentium suarum, quibus litaverat, constituit* & cap. 63. *Vaccam auream in Bethel, alteram apud Dan constituit, quibus populus litaret.* In his locis omnibus litare posuit pro sacrificare, cum propriè sit sacrificio facto Deum placare.

LATÆ SUPERIUS LEGIS] tam moralis, quam judicialis.

SCHOTANUS.

De octavo ascensu Mosis in montem Dei.

SEquenti die post expiata castra convocato populo, proponit ab ipsis gravissimum scelus commissum esse, se ascensurum, si forte Deum possit placare. Augustinus lib. 22. contra Faustum Manichaeum cap. 79. *Quid ergò crudele Moyses aut mandavit aut fecit, cum commissum sibi populum sanctè zelans & uni vero Deo subditum cupiens, posteaquam cognovit ad fabricandum & colendum idolum defluxisse, mentemque impudicam prostituisse dæmonibus, in paucos eorum vindicans gladio, quos Deus ipse quem offenderant, alto & secreto judicio feriendos voluisset mox feriri & in præsenti salubriter terruit & disciplinam in posterum sanxit? Nam eum nulla crudelitate sed magna dilectione fecisse quod fecit quis non in verbis ejus agnoscat orantis pro peccato eorum & dicentis.* Si dimittis illis peccatum dimitte. Sin autem dele me de libro tuo. *Comparans ergò unusquisque piè prudens illam cædem & hanc precem, videt profectò apertissimeque videt, quantum malum sit animæ, per simulachra dæmonum fornicari, quando sic sævit, qui sic amat.* Moses igitur cum ad Deum venisset, oratione sua fatetur, populi peccatum ingens esse: at petit pro Dei benignitate & facilitate dimitti. Si dimissio impetrabilis non esset, se deleret de libro suo, quem scripserat. Comparant interpretes insignem illam & incomprehensibilem Mosis charitatem cum affectu Apostoli, quem legimus in nono capite Epistolæ ad Romanos. Rupertus: *Nam eadem charitate & hic locutus est & ille, sed paululum in verbis differunt: dum hic anathema cupit esse pro fratribus suis, ille autem deleri se concedit cum illis. Ille sua separatione vult salutem fratrum redimere, hic, si non possit eorum salutem obtinere, concedit se cum eis de libro viventium deleri vel anathema existere. Utrimque dicta magni ponderis sunt & vires nostras excedunt: magni etiam viri hactenus utramque sententiam humeris suis versaverunt & rem, sicut est, satis verbis exprimere non potuerunt. Est enim hoc penè ineffabile, nec nisi aliquid de ejusdem charitatis spiritu habentibus, saltem sensu perceptibile est, quomodo homo Deo familiaris, qualicunque causa vel ratione, hoc animo suo admittere possit, ut à Deo anathema esse vel de libro ejus concedat seipsum deleri. Et quomodo in ista concessione non solum nullam incur-*

rat pœnam aut culpam sed etiam gratiam apud Deum mereatur ampliorem. Librum hunc alii volunt intelligi de catalogo viventium, quem habet apud se in suaque notitia Deus, alii de catalogo prædestinatorum ad vitam æternam. Pauli dictum de hujus seculi vita intelligi nequit quum dicat ἀνάθεμα ἀπὸ τοῦ χριστοῦ, quamvis in Mosis dicto ille sensus possit admitti, Quod petat una cum populo è vita deleri. Multa interpretes de hujus dicti sensu, quæ hujus loci non sunt. Respondet Deus: Eum se deleturum, qui sibi peccaverit. Addit Deus: *Abi, duc populum, quo dixi. En angelus meus præcedet, sed die visitationis, visitabo peccatum eorum.* Hæc in v. 34. at in 35. subditur: *Et Deus permisit populum* &c. Rasi: *Nunc audivi te, ut non absumam eos pariter, at jugiter, quando visitabo super ipsis eorum iniquitates etiam visitabo super ipsos iniquitatem hanc cum reliquis iniquitatibus. Nec ulla venit pœna super Israël in qua non sit de pœna iniquitatis vituli.* Aben-esdras è Gaon citat responsum Domini prius, quo dicit se deleturum, qui ipsi peccaverit, significare pœnitentiam, qua indicet Deus se tantum eos puniturum, qui suis cogitationibus peccasset idolo scilicet imputantes sacrificium, quod apud illud fiebat. Plagam igitur afflixisse eos, quorum peccatum manifestum non erat. Rasi plagam hanc fuisse dicit à manu cæli, in eos de quibus testes erant sed sine præmonitione. Notat tria genera mortium judicari. Si sint testes & præmonitio (התראה) gladio: Si testes sine præmonitione, plaga: si nec testes nec præmonitio, aspersione aquarum, quibus venter intumuit. Hôc igitur innuit sub testibus peccasse sine præmonitione, quemadmodum occisos à Levitis sub testibus & præmonitione. Subtilitas hæc Judaica est. Aben-esdras dicit Deum per iram concessisse Mosi ut populum in terram duceret, quia pro eo fuerat deprecatus. Visitationem illam peccati, quam Deus ostentabat, fuisse in principio cujuslibet anni die visitationis. Et forte non evenisse hanc visitationem in anno primo, sed narrare Scripturam ex occasione, quod posteà factum sit, post discessum à monte Sinai. Deus in suo responso, populo peccatum ita remittit, ut hac vice eos non sit deleturus, Mosen in ducatu continuat, promittit angeli præcessionem. Retinet igitur peccatum sed differt. Versus ultimus indicativus plagarum, postea immissarum non est, sed præsentem aliquam videtur dicere, quæ evenit, dum in monte erat Moses. Aharon vitulum dicitur fecisse, qui tamen punitus non est, sed veniam invenit anxia intercessione fratris Deut. IX. 20. Aaron non commisit idolatriam directe & in suo proposito, (ut bene Burgensis contendit) sed ipsis idolum fabricavit. Quadraginta enim diebus & noctibus secundo in monte fuit Moses, dum pro populo intercedit Deut. IX. 18. Deus Mosen ita alloquitur, ut sequitur in cap. XXXIII. *Abi proficiscere hinc, tu & populus, quem ex Ægypto eduxisti in terram, quam juravi* &c. Terram illam se patribus sub juramento promisisse, quod eam semini daturus esset præeuntem angelum ipsos illo ducturum esse & Cananæos expulsurum. Se enim in medio eorum non ascensurum, ne ipsos absumeret. Ubi enim שכינה habitat, acrior peccatorum visitatio est. Jubere ut omnia sua ornamenta deponerent Israëlitæ essentque in luctu: Scire se quid facturus ei esset. Ornamenta fuerunt vestimenta pretiosiora & honestiora, & quicquid ad ornatum faciebat: Rasi putat coronas notare, quas capitibus suis imposuerant principes populi in festo lætitiæ ob legem datam. Has necdum deposuisse nunc juberi ut deponant, ut qui legem sprevissent. Hoc nihili. Quamvis probet Thargum Hierosolymitanum dicens eas coronas insculptas fuisse Semhamphoras. Onkelos ornamenta accipit de armis. At vult Deus eos in luctu esse. Moses ita dimissus ad populum Dei verba enuntiat. Ita luctus tota castra implevit. Gravius nihil accidere poterat: Angelum quidem ipsos ductu-

rum

rum esse, sed majestatem Dei non habitaturam inter ipsos. Bello felices esse poterant, debellare Cananæos, terræ possessionem invadere, sed sine fœdere & cultu, interituri erant, cum Deo visum esset.

Tabernaculum suum (id est prætorium) Moses extra castra tetendit, intermedio spatio satis longo, & populus ornamentis nudus recessit à monte Dei. Tabernaculum id à Mose vocabatur *tentorium conventus*. Quisquis enim Deum quærebat eò prodibat extra castra. Cum autem Moses ad hoc tabernaculum progrediebatur, universus populus consistens in ostiis tentoriorum & exspectatione suspensus oculis sequebatur Mosen, donec introiret. Ingresso Mose nubis columna se posuit ante ostium illius tentorii. Qua visa populus adorat. Deus autem loquebatur ad Mosen ore ad os, ut socius cum socio, familiarissime. Sermone Dei accepto redibat in castra & Josue è tentorio non recedebat. Hoc tabernaculum fuit aliud à tabernaculo quod ex Dei mandato & ad similitudinem in monte exhibitam. In hoc videtur Moses commoratus esse tanquam in prætorio & judicia obiisse. Hoc hactenus steterat sub monte nunc longius removetur. Oratio Mosis ad Deum fuit: *Tu dicis ad me: Duc istum populum, nec indicas, quem mihi comitem sis daturus: quamvis dixeris, Nomine te nosco, & gratiam invenisti in oculis meis. Nunc igitur, Si gratiam invenerim in oculis tuis, indica mihi viam tuam, & noscam te, ut gratiam inveniam in oculis tuis.* Et respice, quod hæc gens populus tuus sit. Duo petit Moses, pro se & populo. Solicitus admodum fuit de ducatu suo, deque eo petit instrui. Imminebat enim tempus, quo post informationem digressi à monte Sinai, petituri erant Cananæam. Duxerat eos usque ad montem Dei, nunc ducturus versus terram promissam. Ad hoc duo requiri videbantur. Ut sciret, quem habiturus esset comitem, & quæ via Dei esset, quis modus, cui ministrabat. Illum igitur angelum & Deum penitius nosse cupit. Pro populo petit ut recipiatur in gratiam & fœdus, adeoque ut Deus in medio sit. Nam respondet Deus: *Anne oporteret faciem meam comitari, ut animo tuo quies sit.* Cui Moses: *Si facies tua non sit comitatura, ne facias nos hinc ascendere. Nam unde pateret me populumque tuum gratiam invenisse apud te, si non eas comes? Ita separati erimus ego & populus tuus ab omni populo terræ.* Urget igitur Dei præsentiam fœderalem & inhabitationem: qua iste populus eminuit & separatus fuit ab omnibus gentibus. Deus ipsi annuit, Quo se ait indicare quod gratus esset sibi. Ita mediator iste intercessione sua obtinuit veniam. Quæ dixi sensum loci ostendunt, nec lubet interpretum evagationibus immorari. Moses ad majorem sui confirmationem petit sibi ostendi Dei gloriam. Cui Deus: *Transire faciam omnem bonitatem meam ante te & proclamabo in nomine Domini, hoc dicto:* יהוה וחנותי &c. Addidit: *Non poteris videre faciem meam, quam nullus homo videbit & vivet. Ecce autem est locus apud me, in quo consistes in rupe.* Illic statuam te in foramine petræ, & obtegam te manu mea, donec transiero. Tum remota manu mea, posteriora mea videbis. Nam facies mea non videbitur. Caret ratione, quod existimant quidam essentiam Dei visam esse. Facie ad faciem Deus Mosi locutus est, at hic dicit faciem suam non posse videri. Facies igitur alia & alia ratione ponitur. In prophetiæ seu revelationis Mosaicæ ratione opponitur imaginationi. Visibilis igitur quædam forma gloriam Dei repræsentans Mosi exhibita fuit, cujus faciem & anteriorem splendorem contra intueri nemo mortalium potest. Antehac igitur non viderat Moses formam Dei, sed solummodo formatas voces audierat. Radios splendoris non ferebant humani oculi, & obtegi debuit Moses ne absorberetur. Posteriora, quæ non ita radiabant, oculis comitari poterat & vestigia adorare. Sapientes Judæorum dicunt ostensum Mosi esse

קשר של תפלין *Nodum thephillin.* Id probat quidem Aben-eſdras ſed allegorice, non ut exponitur à Sapientibus ætatis ſuæ כמשמעו כי סוד עמוק הוא. Eo promiſſo dato jubet uti ſe paret aſcenſui ultimo in montem. Secum duas tabulas jubet ferre, è lapide, in quibus Deus legem inſcripturum ſe eſſe promittit, ſicuti factum erat in illis prioribus, quas confregerat. Sine ſocio aſcenſurum eſſe nec in toto monte quempiam conſpici debere, nec pecus paſcere è regione.

De nono, id eſt, ultimo aſcenſu Moſis in montem Dei.

OMnibus ita paratis conſtitutisq; ut juſſerat Deus, Moſes in montem adſcendit. Adfuit Deus in nube proclamando nomen ſuum. Cumque ante Moſen tranſiret, proclamabat: *Dominus, Dominus, Deus*, miſericors & gratioſus: longanimis & magnus beneficentia & veritate. Qui beneficentiam ſervat multis millibus, tranſgreſſionem & iniquitatem condonat & peccatum. Qui ſontem non habebit inſontem: viſitans peccata patrum in filios *& nepotes uſque tertianos & quartanos.* Hic exiſtimo impletam eſſe ſupradictam promiſſionem de viſione Dei. Moſen enim video conſtitiſſe in caverna, donec Deus tranſiiſſet. Inde cum amota manus Dei poteſtatem contuendi daret, feſtinaſſe Moſen, & caput inclinaſſe atque adoraſſe. Non eſt hic præſcripta formula orationis, qua Deum compellare debemus, quamvis implicitè contineatur; ſed Deus ſuas proprietates viaſque oſtendit, quibus procedit ex fœdere & natura ſua.

Moyſes ita confirmatus rurſum urget de populi reconciliatione. Quæſo, ſi inveni gratiam in oculis tuis, Domine, eat quæſo Dominus in medio noſtri. Populus iſte duræ cervicis, σκληροτράχηλος, eſt: condona iniquitatem noſtram & peccatum noſtrum & fac nos hæreditare. Hic Deus: Se fœdus pangere, mirabilia facturum in iſtius populi gratiam &c. Leges quaſdam ſeu conditiones fœderis ponit quas Moſen juſſit ſcripto conſignare: Sicuti bis antehac de Amalec & judicialibus præceperat. Tres igitur tabulæ ante conſcriptam totam legem à Moſe conſcriptæ ſunt, quibus tabulæ decalogi acceſſerunt. Poſt moram quadraginta dierum & noctium è monte rediit, nec unquam eo ſe poſthac contulit. Deus enim in tabernaculum manſionem ſuam tranſtulit. In illa mora renovavit Deus quæ oſtenderat & dixerat in prima quadragena, id eſt ſeptimo aſcenſu. Nihil guſtaverat, quo homines vitam ſuſtinemus. Id ſcriptura exprimit, *Non edebat panem neque bibebat vinum.* Afferebat tabulas decalogi, quas inſcripſerat Deus non Moſes. Sic enim v. 28. exponi debet ex v. 1. cap. XXXIV. Illæ tabulæ, ut ſupra diximus, ab utraque parte conſcriptæ erant: In quavis ex mente Joſephi quinque præcepta & ſic, ut duo præcepta cum dimidio fuerint in qualibet facie. Lib. 3. cap. 6. Ταύτη τὰς δύο πλάκας, ἐν αἷς τοὺς δέκα λόγους συγγεγράφθαι συμβέβηκει ἀνὰ πέντε μὲν εἰς ἑκατέραν, ἀνὰ δύο δὲ καὶ ἥμισυ κατὰ μέτωπον ἐγκατέθετο.

Aſcenſuum Moſis & commeatus ad Deum hiſtoriam Joſephus ignoravit. Nam omnia confudit & trium tantum ad ſummum meminit. Non diſtinxit illas quadragenas, quia ſemel tantum quadraginta dies commoratum eſſe apud Deum putat. Vituli idololatriam tacitus præteriit. Nam ob moram Moſis populum anxium fuiſſe narrat, cum interiiſſe exiſtimarent. Alii à feris laniatum putabant, potiſſimum qui infenſis in eum animis erant, alii virtutibus ejus convenienter, ad Deum abiiſſe: Hi ſuam vicem nihilominus dolebant, προστάτου ἠρημῶσθαι καὶ κηδεμόνος, ὑπολαμβάνοντες οἵου τυχεῖν οὐκ ἂν ἄλλου δυνάμενοι. Nec caſtra movere poterant, juſſi à Moſe illic ſubſiſtere. Reditum Moſis caſtra impleviſſe immenſa lætitia. Id eſt hariolari non hiſtoriam ſcribere ſeu deſcri-

ſcribere è ſacris literis quod erat profeſſus. Philo autem hoc dedecus ſuæ gentis non tacuit, ſed ſuo more eleganter expoſuit lib. 3. de vita Moſis. Ἡ δ' αἵρεσις (τῶν πονηρῶν) ἐγένετο πάλιν καινότατον, ἀλλ' οὐ τὸν εἰωθότα τρόπον. Μίαν τῶν δώδεκα φυλῶν, ἐπικρίνας ἀριστίνδην, ἐχειροτόνει, θεοφιλοῦς ἔργου προθεὶς ἆθλα καὶ ἀριστεῖα. Τὸ δ' ἔργον τοιόνδε ἦν. Μωϋσέως ἀναβάντος εἰς τὸ πλησίον ὄρος, καὶ πλείους ἡμέρας ἰδιάζοντος τῷ θεῷ, τὴν ἀπουσίαν αὐτοῦ καιρὸν ἐπιτήδειον εἶναι νομίζοντες οἱ μὴ βέβαιοι τὰς φύσεις, ὥσπερ ἀναρχίας γενομένης, ἄφετοι πρὸς ἀσέβειαν ὥρμησαν, καὶ ἐκλαθόμενοι τῆς πρὸς τὸ ὂν ὁσιότητος, ζηλωταὶ τῶν αἰγυπτιακῶν γίνονται πλασμάτων· εἶτα χρυσοῦν ταῦρον κατασκευασάμενοι, μίμημα τοῦ κατὰ τὴν χώραν ἱεροπρεπεστάτου ζώου δοκοῦντος εἶναι, θυσίας ἀθύτους ἀνῆγον, καὶ χοροὺς ἀχορεύτους ἵστασαν, ὕμνους ᾖδον θρήνων οὐδὲν διαφέροντας, καὶ ἐμφορηθέντες ἀκράτου, διπλῇ μέθῃ κατέσχοντο, τῇ μὲν ἐξ οἴνου, τῇ δὲ καὶ ἀφροσύνης, κωμάζοντές τε καὶ παννυχίζοντες, ἀπροόρατοι τοῦ μέλλοντος, ἡδίστῳ κακῷ ἐπεβίουν ἐφεδρευούσης δίκης, ἣν μὴ βλέποντες καὶ ὧν ἄξιοι τιμωριῶν εἰσιν. ἐπεὶ δὲ αἱ ἐν τῷ στρατοπέδῳ συνεχεῖς ἐκβοήσεις κατὰ πολυανθρώπους ὁμίλους ἀθροιζομένῳ, ἄχρι πολλοῦ διαστήματος ἐχώρουν, ὡς καὶ μέχρι τῆς ἀκρωρείας τὴν περιήχησιν ἐλθεῖν, πληχθεὶς τὰ ὦτα Μωϋσῆς, ἐν ἀμηχάνοις ἦν, ἅτε θεοφιλὴς ὁμοῦ καὶ φιλάνθρωπος, μήτ' ἐκλιπεῖν ὑπομένων τὰς πρὸς θεὸν ὁμιλίας, ἃς ἰδιάζων μόνος μόνῳ διελέγετο, μήθ' ὑπεριδεῖν τοῦ πλήθους ἐμπιπλαμένου τῶν ἐξ ἀναρχίας κακοπραγιῶν. ἔγνω γὰρ τὸν θροῦν, δεινὸς ὢν ἐκ φωνῆς ἀνάρθρου καὶ ἀσήμου στοχάσασθαι ψυχῆς ἀδήλων καὶ ἀφανῶν τοῖς ἄλλοις παθῶν ἰδιότητας, ὅτι παροινίας ἐστὶν ἡ κατέχουσα ταραχή, γεννώσης ἀκρασίας μὲν κόρον, κόρου δὲ ὕβριν· ἀνθελκόμενος δὲ καὶ ἀντισπώμενος πρὸς ἑκάτερον ὧδε κἀκεῖσε, τί χρὴ δρᾶν ἠπόρει· σκοπουμένῳ δ' αὐτῷ θεσπίζεται τάδε, βάδιζε ταχέως, ἐνθένδε κατάβηθι, πρὸς ἀνομίαν ἀποδύουσιν ὁ λεώς, χειροποίητον κατασκευάσαντες ταυρόμορφον θεὸν, οὐ θεὸν προσκυνοῦσι καὶ θύουσιν, ὧν εἶδον, καὶ ὧν ἤκουσαν ἁπάντων ὅσα συντείνει πρὸς εὐσέβειαν ἐκλαθόμενοι. καταπλαγεὶς δὲ καὶ ἀναγκασθεὶς, πιστεύειν ἀπίστοις πράξεσι, καὶ οἷα μεσίτης καὶ διαιτητὴς, οὐκ εὐθὺς ἀπεπήδησεν, ἀλλὰ πρότερον τὰς ὑπὲρ τοῦ ἔθνους ἱκεσίας, καὶ λιτὰς ἐποιεῖτο, συγγνῶναι τὸν ἡγεμόνα δεόμενος, εἶτ' ἐξευμενισάμενος ὁ κηδεμὼν καὶ παραιτητὴς τὸν ἡγεμόνα, ἐπανῄει χαίρων ἅμα καὶ κατηφῶν· ἐγεγήθει μὲν γὰρ τὴν ἱκεσίαν τοῦ προσιεμένου, συννοίας δὲ καὶ κατηφείας μεστὸς ἦν, οἰδῶν ἐπὶ τῇ τοῦ πλήθους παρανομίᾳ· γενόμενος δ' ἐν μέσῳ τοῦ στρατοπέδου, καὶ τὴν ἐξαπιναίως ἐκδιαίτησιν τοῦ πλήθους θαυμάσας, καὶ ὅσον ψεῦδος ἀνθ' ὅσης ἀληθείας ὑπηλλάξαντο, κατιδὼν οὐκ εἰς πάντας τὴν νόσον ἀφιγμένην, ἀλλὰ καί τινας ὑγιαίνοντας ἔτι καὶ μισοπονήρῳ πάθει χρωμένους, βουλόμενος διαγνῶναι τούς τε ἀνιάτως ἔχοντας, καὶ τοὺς ἐπὶ τοῖς πεπραγμένοις δυσχεραίνοντας, καὶ εἰ ἤδη τινὲς ἁμαρτόντες μετανοοῦσι, κήρυγμα κηρύττει. Τὸ δ' ἦν ἄρα βάσανος ἀκριβὴς τῆς ἑκάστου διανοίας, ὡς ἔχοι πρὸς τε ὁσιότητα καὶ τοὐναντίον. εἴ τις γάρ φησι, πρὸς κύριον, ἴτω πρός με· βραχὺ μὲν τὸ λεχθὲν, μεγάλη δὲ ἡ ἔμφασις. ἔστι γὰρ τοιόνδε τὸ δηλούμενον· εἴ τις μηδὲν τῶν χειροποιήτων, μηδ' ὅσα γενητὰ νομίζει θεοὺς, ἀλλ' ἕνα τὸν ἡγεμόνα τῶν ὅλων, ἐμοὶ προσίτω· τῶν μὲν οὖν ἄλλων, οἱ μὲν ἕνεκα τοῦ τὸν αἰγυπτιακὸν ἐζηλωκέναι τῦφον, ἀφηνιάζοντες οὐ προσεῖχον τοῖς λεγομένοις· οἱ δὲ φόβῳ κολάσεως ἴσως ἐγγυτέρω προσελθεῖν οὐκ ἐθάρρουν, ἢ τὴν ἐκ Μωϋσέως τίσιν δεδιότες, ἢ τὴν ἐκ τοῦ πλήθους ἐπανάστασιν· ἀεὶ γὰρ οἱ πολλοὶ τοῖς μὴ συναπονοουμένοις ἐπιτίθενται· μία δ' ἁπασῶν ἡ λεγομένη λευιτικὴ φυλὴ, τοῦ κηρύγματος ἐπακούσασα, καθάπερ ἀφ' ἑνὸς συνθήματος ἔθει μετὰ πολλῆς σπουδῆς, τῇ ποδωκείᾳ τὴν προθυμίαν ἐπιδεικνυμένη, καὶ τὴν ὀξύτητα τῆς εἰς εὐσέβειαν ψυχικῆς ὁρμῆς· οὓς ἰδὼν Μωϋσῆς, ὥσπερ ἀπὸ βαλβίδος ἁμιλλωμένους, εἰ μὴ μόνον τοῖς σώμασιν εἶπεν, ἐπισπεύδετε τὴν πρὸς ἡμᾶς ἄφιξιν ἀλλὰ καὶ ταῖς διανοίαις, αὐτίκα μαρτυρήσετε. ξίφος ἀναλαβὼν ἕκαστος τοὺς μυρίων ἄξια θανάτων εἰργασμένους, οἳ τὸν ἀληθῆ θεὸν καταλιπόντες, τοὺς ψευδωνύμους ἐδημιούργησαν, φθαρταῖς τε καὶ γενηταῖς οὐσίαις τὴν τοῦ ἀγενήτου καὶ ἀφθάρτου πρόσρησιν ἐπιφημίσαντες, συγγενεῖς καὶ φίλους ἀποκτεινάτω, φιλίαν τε καὶ συγγένειαν ὑπολαβὼν εἶναι μόνην ἀνδρῶν ἀγαθῶν ὁσιότητα· οἱ δὲ τὴν παραίνεσιν ἑτοιμότατα φθάσαντες, ἐπεὶ καὶ τὰς γνώμας ἔτυχον ἠλλοτριωμένοι σχεδὸν ἀφ' οὗ τι παρανόμημα γενόμενον εἶδον,

εἶδον, ἀναιροῦσιν ἡβηδὸν εἰς τρισχιλίους τῶν πρὸ μικροῦ φιλτάτων. κειμένων δ' ἐν ἀγορᾷ μέσῃ τῶν σωμάτων, ἡ πληθὺς θεασαμένη τοὺς μὲν οἰκτίσατο, τὸ δὲ τῶν κτεινάντων ἔνθερμον ἔτι καὶ μεστὸν ὀργῆς φρόνημα καταδείσασα, φόβῳ νουθετεῖται. Μωϋσῆς δὲ τὴν ἀριστείαν ἀποδεξάμενος, γέρας ἐπινόησε καὶ ἐβεβαίωσε τῇ πράξει τὸ οἰκεῖον. ἔδει γὰρ τοὺς ὑπὲρ θεοῦ τιμῆς ἑκούσιον πόλεμον ἀραμένους, καὶ βραχεῖ καιρῷ κατωρθωκότας, ἀξιωθῆναι τῆς θεραπείας αὐτοῦ λαχόντας ἱερωσύνην. Electio (ædituorum) facta rursum est novo nec usitato modo. Unam duodecim tribuum, æstimando optimam quamque eligebat, propositis præmiis pii operis. Opus id tale fuit: Cum Moses ascendisset in proximum montem & pluribus diebus seorsim ageret apud Deum, absentiam illius oportunam esse rati, qui instabiles ingenio erant, tanquam in interregno, profusi in impietatem ruunt & obliti debitæ erga Ens reverentiæ, æmuli fiunt Ægyptiacorum figmentorum. Deinde aureum taurum parant, effigiem sacratissimi in illa regione animalis, & offerunt victimas non victimas statuuntque choros non choros: hymnos cecinere threnis nihil differentes: meroque repleti, partim e vino, partim amentia, comessantes noctemque agentes, non prævidentes futurum, in suavibus malis vivebant, insidiante justitia aut non videntes, quibus suppliciis digni essent. Cum autem continui clamores in castris secundum frequentes cætus coactis, per longum spatium irent adeo ut sonus in cacumen montis deveniret, ictus aures Moses, hærebat tanquam simul Dei hominumque amator, neque relinquere sustinens colloquia cum Deo, quibus privatim solus cum solo differebat, neque negligere plebem repletam malis quæ sine capite fluctuans regimen edere potest. Agnoscebat enim tumultum, cum acer esset ex confuso sono & insignificabili conjicere anima incertorum & non apparentium aliis affectuum proprietates, quod ebrietatis esset præsens conturbatio: pariente intemperantia saturitatem, saturitate petulantiam. Itaque distrahebatur ambiguus quid faceret. Talia volutantem affatur Deus, Iceleriter, descende hinc; populus ad nefas provolutus est: Manu factum tauri forma, paravere Deum non Deum, quem venerantur, cui immolant omnium quæ videre quæque audivere, quæcunque tendunt ad pietatem obliti. Ille stupefactus coactusque fidem habet de rebus incredibilibus & tanquam mediator & arbiter, non statim resiliit, sed prius pro gente supplicationes precesque faciebat, condonare peccata petens. Deinde placato (ἡγεμόνα) domino, curator & deprecator revertebatur gaudens simul & contristatus. Gaudebat enim, quod Deus supplicationem admisisset, cura autem tristitiaque plenus erat, quod doleret ob multitudinis scelus. Cum autem in medio castrorum esset & admiraretur subitam prævaricationem quantumque mendacium pro quanta veritate commutassent, considerans morbum non penetrasse in omnes sed & quosdam adhuc sanos esse & affectu teneri, quo malum odissent; cupiens internoscere insanabiles ab illis, qui facto dolerent & an quidam peccantium pœniterent, præconium promulgat. Id erat examen accuratum mentis cujusque ut se haberet ad fas & nefas. Si quis enim, ait, à partibus Domini, veniat ad me. Breve dictum, sed magna significatio. Hæc enim significat: Si quis nihil manufactum neque genitum arbitretur Deos esse, sed unum Dominum universi, me adeat. Aliorum igitur, quidam quod Ægyptium fastum æmularentur freno abjecto non attendebant animum iis, quæ dicebantur; pars metu pœnæ forte propius accedere non audebant, aut ultionem à Mose metuentes aut plebis insurrectionem. Semper enim multitudo insurgit in eos, qui à sua dementia dissentiunt. Una autem omnium, tribus appellata Levitica; audito præconio, tanquam ex composito accurrebat, magno studio, pedum celeritate promptitudinem animi indicans & vehementiam animi ad pietatem. Quos cum videret Moses tanquam è carceribus ad certamen procurrentes, si non solum, inquit, corporibus festinatis aditum ad me, sed & mentibus, mox indicabitis: Gladio arrepto quilibet, decies mille mortes merita operatos, qui verum Deum derelin-

linquentes, falso dictos fabricati sunt, corruptibilibus & factis rebus ingeniti & incorruptibilis appellationem acclamantes, cognatos & amicos occidito, solam bonorum virorum sanctitatem arbitratus esse amicitiam & cognationem. Illi autem adhortationem promptissime prævenientes, cum etiam animis fere aversi essent à quo scelus factum esse viderant, interimunt puberes ad tria millia eorum, qui paulo ante amicissimi fuerant. Stratis autem in foro cadaveribus multitudo contuita, horum quidem miserabatur, at metuens occidentium fervidum adhuc & ira plenum habitum (παράστημα) *timore resipiscit. Moses autem virtutem admiratus* (τὴν ἀριστείαν ἀποδεξάμενος) *præmium excogitavit & firmavit facinori conveniens. Decebat enim eos, qui pro Deo bellum susceperant & brevi tempore rem feliciter gesserant, donari ministerio, sortitos sacerdotium.* Vides Philonem rei bene gestæ præmium facere ministerium, quod illa tribus obtinuit. Atqui jam in monte Deus, antequam res ista gereretur, id ministerium huic tribui dederat. Si illi commeriti sunt, quod Divino munere obtinuerunt quod erat, quo sacerdotium meritus est Aaron, idoli conflator & idololatriæ summus minister? Philo Aaronis παρανόμημα tacuit, quia non faciebat ad ejus commendationem: Prædicat plenis buccis Levitarum pietatem. Hi igitur cur subjecti in ministerium Aaroni, non præpositi ad sacerdotium? Cætera in circumstantiis, quibus deviat ab historia Mosis, lector componat. De eodem hoc facinore in lib. de Monarchia sic loquitur: *Φυλαὶ μὲν οὖν εἰσὶ τοῦ ἔθνους δώδεκα, μία δ' ἐκ πασῶν ἀριστίνδην ἐπικριθεῖσα ἱερᾶται, γέρας ἀνδραγαθίας καὶ φιλοθέου ψυχῆς τοῦτο λαβοῦσα, καθ' ὃν καιρὸν ἔδοξεν ἡ πληθὺς ἁμαρτεῖν ἐπακολουθήσασα γνώμαις ἐνίων ἀγνώμοσιν, οἳ τὴν Αἰγυπτιακὴν ἔπεισαν ζηλοῦν ἠλιθιότητα, καὶ τὸν ἐγχώριον τῦφον, ὃν ἐπ' ἀλόγοις ζώοις καὶ μάλιστα ταύροις μυθοπλαστοῦσι. Τοὺς γὰρ ἡγεμόνας τῆς ἀπονοίας ἅπαντας ἡβηδὸν αὐτοκέλευστοι κατακτείναντες, ἐναγὲς ἔδοξαν ἔργον εἰργάσθαι, τοὺς ὑπὲρ εὐσεβείας ἀγῶνας διαθλήσαντες.* In libro de temulentia hunc typhum (uti appellat) obiter quoque attingit. Fusius secunda vice exponit eodem tertio libro de vita Mosis.

Moses è monte ad populum reversus, tanta claritudine radiabat in vultu ut Aaron & populus inhorruerint, contra intueri nec ausi nec ferentes fulgorem. Non *erat ejus facies cornuta*, ut habet vulgata editio, sed in Hebræo sermone radii cornibus assimilantur. Recte expresserunt Chaldæus & Græci. Chaldæus: *Splendor gloriæ vultus Mosis multiplicatus erat.* Græci: *ἦν δεδοξασμένη ἡ ὄψις τοῦ χρώματος τοῦ προσώπου αὐτοῦ.* Apostolus etiam 2. Cor. 3. appellat δόξαν. Δόξα est, Claritas & splendor. Magistri dicunt Mosis faciem inde radios & splendorem concepisse, quod Deus manum suam in spelunca ipsius faciei imposuisset. Ipsa scriptura dicit, è colloquio Dei id esse factum. Aben-esdras: *Quia visa esset gloria super faciem ejus, ideo eum splendere fecit tanquam splendorem firmamenti.* Applicant huc, quod habetur Habacuc. 3, 4. Erat splendor ut lucis, & cornua è manu ejus *ipsi & illic virtus ejus occulta erat.* Havi perfidiam hoc quoque in loco exsecratur Aben-esdras, quod vocem קרן ita exponat, Mosis nempe faciem induratam esse instar cornu, quod panem tanto tempore non comedisset. Idem Havi exponebat timorem Aaronis & populi ex eo esse, quod facies ejus turpis esset. Respondet Aben-esdras: *Cur non aperit maledictus oculos suos, quod non metuat homo accedere ad hominem, nisi ob rem admirabilem, quæ nova est, cui non vidit similem? Nec est homo, qui non viderit faciem mortui, non metuit accedere ad eum. Porro si ita est, cur non fuit jugiter velamen super facie ejus, & cur id removebat semper cum loqueretur cum Israël? Nonne etiam vidit, quod, cum esset centum & viginti annorum, non caligaverit oculus ejus neque fugerit viror (humor ejus)* (Deut. 34. 7.) ואף כי כאשר & quomodo cum esset octogenarius? Rasi: *Veni & vide quanta vis esset transgressionis. Nam cum nondum explicuisset*

manus ſuas in transgreſſione, quid dicit: (Exod. 24. 17.) Et aſpectus gloriæ Domini ſicut ignis conſumens, in vertice montis in oculis totius Iſraël; *nec metuebant nec commovebantur: at poſtquam fecerant vitulum etiam à radiis* (cornibus) *gloria Moſis conterriti fuerunt & commoti.* Fulgorem illum tantum eſſe oportuit, ut contra intueri nemo poſſet, at ignis in monte eminus conſpiciebatur & potius ardebat quam ſplendebat. Nullus quidem ardor ſine ſplendore, ſed alia magis ardent alia ſplendent potius, Quærunt interpretes, Cur non ſplenduerit Moſis facies, cum poſt primam quadragenam è monte reverteretur? Reſponſio in promptu eſt, quia tum non erat prolocuturus Dei mandata de tabernaculo eoque pertinentibus & miniſterio Levitico. Hic fulgor decorabat hoc miniſterium nec fuit in Moſis facie, poſtquam univerſa Dei mandata enuntiare abſolviſſet.

Neſciebat Moſes tanto ſplendore faciem ſuam radiare, quod intellexit è fuga & timore Aaronis & procerum, retrocedentium, cum Moſen intuerentur. Revocatis igitur ad ſe, impoſuit velamentum faciei ſuæ. Ita faciebat quotieſcunque ſe dabat proceribus & populo: ſed regrediens ad Deum (ſive in montem per illos dies, ut D. Rivetus vult, ſive in tabernaculum, id eſt prætorium, de quo ſupra diximus) velamentum illud deponebat. Judæi exiſtimant, quod velamentum depoſuerit cum ad populum loqueretur. Id eſt contra veritatem & Apoſtolum, docentem, quod in ea re fuerit myſterium. Significatum enim, populum illum non eſſe intuiturum in finem ejus, quod abolctur. Scilicet velamen eorum cordibus imponendum adveniente Meſſia, ut non obſervarent finem & terminum rei ſuo tempore deſituræ. Aben-eſdras: *Quidam dicunt quod lux fuerit renovata in facie Moſis, omni tempore, quo ingrediebatur in tentorium conventus & loquebatur cum Deo. Egrediebatur & ſtabat omni tempore quo loquebatur ad filios Iſraël verba Dei & cum conſummaſſet imponebat velamen, ſciens receſſiſſe lucem & rediiſſe priſtinam faciem. Hæc fuiſſet imminutio Moſis, ſi vidiſſent Iſraëlitæ faciem ejus ſine luce. Propterea imponebat velamentum. Cumque ingrederetur ad loquendum cum Deo, removebat* (legendum enim יסר non ישם) *ad recipiendam lucem. Haggaon dicit quod lux à facie ejus non receſſerit, usque ad diem mortis ſuæ, ideo non caligaſſe oculum ejus. Et hoc verum: tantum velamenti mentem eſſe, ut ne timerent Iſraëlitæ, cum unus cum alio litigaret. Ex ſententia mea, quod impoſuerit velamen propter gloriam lucis, quam renovabat Deus in facie ejus, ne intuerentur eum Iſraëlitæ omni momento ſed quando loquebatur verba Dei ad eos:* removebat autem *velamen cum ingrederetur in tentorium conventus, ut loqueretur cum Deo, facie ad faciem. Hic eſt ſenſus* (v. 34.) Cum ingrederetur Moſes. v. 35. Et videbat] Aben-eſdras: *Ecce ſenſus. Et reſtituerat Moſes velamen: & ſic faciebat jugiter & ſic mos ejus cum Iſraël, donec gloria Dei eum ad ſe colligeret. Non fuit nota ſepultura ejus per clementiam Domini ergà eum. Benedictus Dominus qui elegit eum & Spiritum S. poſuit in medio ejus.* Raſi dicit, cum loqueretur cum Iſraël removiſſe velamen, impoſuiſſe cum deſineret loqui cum Iſraël ne radii in totum effluerent. In *hora etiam, qua Deus cum eo loquebatur usque ad egreſſum ſuum, cum egrederetur, egrediebatur ſine velamento.* Rabbinicam illam interpretationem contra Apoſtolum confirmat Græca Verſio v. 33. Καὶ ἐπειδὰν κατέπαυσε λαλῶν πρὸς αὐτοὺς ἐπέθηκεν ἐπὶ τὸ πρόσωπον αὐτοῦ κάλυμμα. Similiter reddidit Chaldæus. Etiam Latina editio: *Impletiſque ſermonibus poſuit velamen ſuper faciem ſuam.* Novi interpretes collato textu Hebræo cum doctrina Apoſtoli reddiderunt, *Finiit Moſes loqui cum eis, & poſuerat ſuper faciem ſuam velamen.* Latina & Græca verſio manifeſte contradicunt Apoſtolo. Joſephus nihil quoque de illo ſplendore.

Moſes

Moses primò coiit cum Aarone & præfectis, quos Aben-esdras in occursum venisse putat, cum Israël ad pedem montis subsisteret. Deinde locutus est cum universo populo. Rasi: *Postquam docuisset seniores, docet Parásam aut halacham Israëlem. Tradiderunt magistri nostri, quomodo ordo (המשנה) doctrinæ fuerit. Docebat ex ore Dei (הגבורה) ingrediebatur Aharon, docuit enim partem suam: Recessit Aharon & consedit ad sinistram Mosis; Ingressi sunt filii ejus, docuit eos Moses partem suam. Recesserunt ecce consedit Eleazar ad dextram Mosis & Ithamar ad sinistram Aharonis. Ingressi sunt seniores, docuit eos partem suam Moses. Recesserunt seniores, consederunt ad latera eorum. Ingressus est totus populus, docuit eos Moses partem suam. Inventum est in manu totius populi unum, in manu seniorum duo, in manu filiorum Abronis tria, in manu Aharonis quatuor &c. ut est in Erubin.*

Convocata universa multitudine exposuit verba Dei. Primò repetiit præceptum de Sabbato: subjecit dandam esse thrumam (ἀπαρχὴν) ad tabernaculum eoque pertinentia, item vestitum sacerdotalem. Hæc populus promptissime obtulit: mulieres etiam nebant, quæ ejus erant generis. Besaleel & Oholiab operi præfuere ex jussu Mosis, eximii artifices in toto illo genere & fabricæ & textrinæ. Tam prompte, tantaque copia materia allata est, ut præconio edictum sit, satis esse. Tabernaculum primo confectum est; tum arca fœderis cum cherubinis, mensa panum propositionis, candelabrum, ara incensi & sacrum oleum. Tum ara holocausti cum atriis tabernaculi. Ultimo sacræ vestes sacerdotum. Omnia autem postquam confecta erant, attulere ad Mosen, qui exploratis omnibus industriam magnis laudibus extulit. Jam annus primus ab Exodo elapsus erat: Moses autem Dei mandato tabernaculum erexit statuitque secundi anni primo die.

Positum tabernaculum mox supernè insedit columna nubis & Dei gloria intus tabernaculum replevit ita, ut introitu Moses prohiberetur. Moses debuit intimum adytum disponere, arcam ponere & in ea tabulas testimonii, & Cherubinos. Hoc facto videtur ingressum ejus in adytum gloria Dei prohibuisse. Non enim opus fuit, ut posthac ingrederetur, nisi ad inunctionem. Cum statueretur & strueretur profanum erat, sed constitutum Deus incubitu suæ nubis sacravit. Josephus ἐπέδειξε δὲ αὐτὸν ὁ θεὸς ἡσθέντα τῷ ἔργῳ τῶν Ἑβραίων καὶ μὴ μάτην αὐτοὺς πονήσαντας, ἀπερηφανεύσας τῆς χρήσεως, ἀλλ' ἐπεξενώθη καὶ κατεσκήνωσε τῷ ναῷ τούτῳ, τὴν δὲ παρουσίαν οὕτως ἐποίησεν· Ὁ μὲν οὐρανὸς καθαρὸς ἦν, ὑπὲρ δὲ τὴν σκηνὴν μόνην ἤχλυσεν, οὔτε βαθεῖ πάνυ νέφει καὶ πυκνῷ περιλαβὼν αὐτήν, ὥστε εἶναι δόξαι χειμέριον, οὔτε μὴν λεπτῷ οὕτως ὥστε τὴν ὄψιν ἰσχύσαι τι δι' αὐτοῦ κατανοῆσαι. Ἡδεῖα δὲ ἀπ' αὐτοῦ δρόσος ἔρρει καὶ θεοῦ δηλοῦσα παρουσίαν τοῖς τοῦτο καὶ βουληθεῖσι καὶ πιστεύσασι. Exinde liber Levitici sequitur, postquam Deus non amplius in monte sed in tabernaculo gloriam statuit, & in eo locutus est cum Mose. Intra primum mensem anni secundi dicta factaque sunt, quæ eo in libro commemorantur. Leges ritusque sacrificandi septem primis capitibus. Capite octavo & nono Aaron ac filii ejus consecrantur sacerdotio. Inunxit Moses sacro oleo tabernaculum & omnia vasa eadem illa tempestate. Aharon consecratus pro se & populo sacrificium obtulit, quod ignis divinitus immissus combussit, vidente & acclamante ac in faciem ruente populo. Octo diebus initiatio illa peracta est. Ignem autem illum perpetuum tenuere, jugiter aggesta materia. De igne illo Philo lib. 3. de vita Mosis: Εἶτ' ἐξελθόντες ἀμφότεροι καὶ τὰς χεῖρας ἀνατείναντες πρὸ τῆς κεφαλῆς, εὐχὰς τίθενται τῷ ἔθνει, τὰς πρεπούσας ἀπὸ καθαρᾶς καὶ ὁσιωτάτης γνώμης. Ἔτι δ' εὐχομένων παραδοξότατόν τι συμβαίνει. Ἐκ γὰρ τῶν ἀδύτων ἤτοι αἰθέρος ἀπόσπασμα τοῦ καθαρωτάτου; ἤτι ἀέρος, κατὰ τὴν τῶν στοι-

χεῖον φύσει μεταβολὴν, ἀναλυθέντος, εἰς πῦρ, αἰφνίδιον ἀθρόα φλὸξ διακαίει καὶ συντόνῳ ῥύμῃ, φέρεται μὲν ἐπὶ τὸν βωμὸν, τὰ δ' ἐξ αὐτοῦ πάντα ἐξαναλίσκει. Joſephus lib. 3. c. 9. Τῇ δὲ ὀγδόῃ κατήγγελλεν ἑορτὴν τῷ λαῷ καὶ θύειν προσέταξε κατὰ δύναμιν. οἱ δ' ἀλλήλοις ἁμιλλώμενοι καὶ ὑπερβαλεῖν φιλοτιμούμενοι, τὰς θυσίας ἕκαστος ἐπιφέρει τοῖς λεγομένοις ὑπακούων. Ἐπικειμένων δὲ τῶν ἱερῶν τῷ βωμῷ, αἰφνίδιον ἐξ αὐτῶν πῦρ ἀνήφθη αὐτόματον, καὶ ὅμοιον ἀστραπῆς λαμπηδόνι ὁρώμενον τῇ φλογὶ πάντα ἐδαπάνα τὰ ἐπὶ τοῦ βωμοῦ. Joſephus igitur ex ipſis victimis erupiſſe ignem exiſtimat, Philo ex adytis, communius putatur è cœlo eſſe delapſum. Pro Philone tamen facit, quod à facie Domini dicatur prodiiſſe. Alias ignis Domini delapſus eſſe dicitur 1.Reg. 18.38. quod aliud eſt. Philo ideò cæleſtem ignem & puriorem datum eſſe arbitratur, quia ille, qui in foco nobis in uſu eſt, uſibus noſtris & illatis damnis homini per hominem infamis pollutuſque eſt. Hunc eſſe eſſentiæ purioris καὶ αἰθέριον, convenientemque ſanctiſſimo altari. Deinde donum ab ipſo Deo ſacrariis debuiſſe conferri non ſolum ab hominibus. Hæc enim verborum Philonis eſt mens, interpretibus non intellecta: Δωρεὰν γὰρ ἐξαίρετον εἰκὸς ἦν τοῖς ἁγίοις προσνεμηθῆναι, μὴ μόνον ἐν οἷς ἄνθρωποι δημιουργοὶ, ἀλλὰ καὶ τῷ καθαρωτάτῳ τῆς οὐσίας πυρὶ &c. Ultimò, indicium fuiſſe, quod Dei voluntate omnia gererentur πρὸς ἔμφασιν ἐναργεστάτην δήλωσιν, ὅτι οὐδὲν αὐτῶν θείας ἐπιφροσύνης ἐπιλείπει.

In ara holocautomatum, in quam depluerat, hunc ignem aluêre æditui. Eo ad ſacra deinceps uti debuerunt ex Dei voluntate. Cum igitur Nadab & Abihu (Joſephus ἀβιοῦς rectè format, LXX. & Philo male ἀβιούδ, ſcribunt) filii Aaronis prævaricarentur coram Domino, igne à Dei facie (id eſt ex adytis) erumpente abſumpti ſunt Levitic. X. Varias cauſas Rabbini confingunt, ob quas interierint. Raſi: *Rabbi Eleazar dicebat; Non ſunt mortui filii Aaron, niſi quod docuerint* (הלכה) *jus in facie Moſis magiſtri noſtri. R. Simeon dicebat, Ebrii vino ingreſſi erant in ſanctuarium. Scias, quod poſt mortem eorum monuit ſuperſtites ne ingrederentur ebrii vino. Simile de rege cui erat filius familias &c. Ut eſt in Vaicra Rabba.* Joſephus: κομίσαντες ἐπὶ τὸν βωμὸν οὐχ ὧν προεῖπε Μωϋσῆς θυμάτων, ἀλλ' οἷς ἐχρῶντο πρότερον: *Afferentes* in aram victimas, non quas dixerat prius Moſes, ſed quibus prius uterentur. Priſcos ante Moſen è pluribus generibus animalium mundorum victimas obtuliſſe crediderim; ſed hæc cauſa non eſt, quam Joſephus putat: qui etiam in hoc errat, quod peccatum eſſe arbitretur circa aram holocauſti. Aben-eſdras vidit veram cauſam, quod odoramentum incenderint & obtulerint in acerra ſua quiſque per ignem alienum. Sed malè cauſam aliam addit: quod obtulerint pro arbitrio ſuo. Nam quod in textu: אש זרה אשר לא צוה אותם / ὃ οὐ προσέταξεν αὐτοῖς. *Figura* Hebraiſmi eſt, ſignificans, *contra quam mandaverat ipſis.* Deut. XVII. 3. *ut adoret eos, Solem aut Lunam aut totum exercitum cæli, quod ego non præcepi.* Non præcepi id eſt, maximè interdixi. Non eſt expreſſum in lege hoc mandatum de igne alio non adhibendo ad victimas & odoramenta, ſed hoc ex occaſione commemoratur. Ignis iſte interiora potius afflavit fulminis inſtar vitamque exſtinxit, quam ut combuſſerit. Joſephus: κατεκαύθησαν τοῦ πυρὸς ἐπ' αὐτοὺς τὴν ὁρμὴν βαλόντος καὶ τὰ στέρνα καὶ τὰ πρόσωπα φλέγειν αὐτῶν ἀρξαμένου καὶ σβέσαι μηδενὸς δυναμένου· καὶ οἱ μὲν οὕτως ἀπέθανον. Exiſtimat igitur igne flammanti ambuſtos interiiſſe. In quo errat. Mirum vero, quod alii honoris fuiſſe putent eum interitum. His argumentum dat verſus 3. In quo Moſes ad conſolationem fratris ita loquitur: Hoc eſt, quod dixit Dominus, dicendo: *In propinquis meis ſanctificabor & ante faciem totius populi glorificabor.* Quorum hic ſenſus eſt: Sua culpa interiere, quia propinqui Dei & ſacerdotio fungentes transgreſſi mandatum, alienum ignem intulêre.

tulêre: Hugo Grotius: *Sicut Romano more non solent lugeri hostes vel perduellionis damnati*, l. liberorum §. 3. D. de his, qui notantur infamia: *ita Hebraeo jure ii, quos Deus interfecerat.* Rasi: *Dicebat Moses Aharoni, Aharon frater mi, sciebam quod domus sanctificanda esset in notis Dei: at putabam aut in me aut in te; nunc video, quod illi Majores me & te sint.* Philo libro, quis rerum Divinarum hæres sit: Πολλὴ δὲ τῷ ἀναζωπυροῦντι τοὺς σπινθῆρας χάρις, ἵνα μὴ νεκρωθέντων σωμάτων ὁ νοῦς καταψυχῇ, ἀλλ' ἔνθερμος ὢν καὶ ἀλεαινόμενος ὑποκαύμασιν ἀρετῆς ζωπυρῆται, μέχρι τοῦ τελέως εἰς πῦρ ἱερὸν, ὡς ὁ Ναδὰβ καὶ Ἀβιοὺδ, δέξασθαι μεταβολήν. *Gratia magna referatur seminanti scintillas, ut ne mens in morem cadaverum infrigidetur, sed fervida & fota succensionibus virtutis igniatur, donec recipiat mutationem in ignem sacrum, ut Nadab & Abiud.* Inepta est commentatio, sed nititur hoc fundamento, quod ea combustio (quam esse factam putat) fuerit honori. Aben-esdras pœnam esse putat sed in beatam mortem commutatam. Ideo dici quod mortui sint coram Domino. Id esse factum, quia putabant eam rem placere Deo. Locutio, *Mori ante Dominum*, nihil aliud est in isto loco, quam in sanctuario, juxta aram thymiamatum, quæ ante adytum, obire: ubi eos Deus feriit. Excusatio quorundam, quod ausi non sint sumere de igne illo divinitus dato, ob reverentiam, parum ad rem facit. Ejusdem rationis est error Radulphi & Abulensis, quem Tyrinus probat, non nisi venialiter peccasse, ob metum vel lætitiam immemores præcepti Divini.

Cum autem non liceret sacerdotibus cadavera contrectare, Moses patruelibus Aharonis, filiis Oziel, Misaeli & Elsaphan præcepit, ut cadauera è sancto extra castra deportarent. Illi cadavera in tunicis, quas induti erant, sustollentes abstulere. Josephus memoriæ lapsu & aliud agens Aaronem duosque superstites filios id vult fecisse. Moses autem Aharoni fratribusque acerrimè denuntiat, ne luctum significarent nudatione capitis aut laceratione vestium, ne ipsi morerentur & iram Dei in totum populum concitarent. Levitæ & tota Domus Israël luctum agerent. Ne egrederentur foribus tabernaculi: ipsi enim soli sacerdotum munia obibant: quæ post seculorum lapsum in plures familias distributa sunt. Deinde leges dat Sacerdotalis functionis. Visum autem erat viro acerrimo & Dei observantissimo, filios Aharonis deliquisse circa hircum pro peccato, eoque ira efferbuerat: sed Aharonis apologia placatur. Cap. X. v. 16. 17. 18. 19. 20. Hinc descripsit ex ore Dei discrimina animalium purorum & impurorum Cap. XI. De purificatione puerperæ cap. XII. De lepra cap. XIII. & XIV. De Gonorrhœa virorum & mensibus mulierum cap. XV. De die expiatonis Aaronis ingressu in adyta cap. XVI. Ne alio in loco, quam ad fores sancti sacra fiant, ne sanguinem edant, ne cadaver tangant cap. XVII. De gradibus consanguinitatis & affinitatis, intra quos vetitum est matrimonium cap. XVIII. Miscellas leges cap. XIX. & XX. De purit. sacerdot. c. XXI. De esu sacror. & modo victimar. cap. XXII. De diebus festis. cap. XXIII At cap. XXIV. de oleo lucernarum & panibus propositionis parandis: ubi etiam historia exstat hominis, qui Dei nomen blasphemaverat. Hic patre Ægyptio & matre Israëlitide natus, in jurgio cum Israëlita Deo maledixit expresso nomine. Festivus suo more est Rasi, qui asserit hunc esse filium illius Ægyptii, quem occiderat Moses. Inter Israëlitas autem fuisse, שנתגייר quod factus esset προσήλυτος. Volunt enim ultionis fervore inductum primo Deum blasphemasse, deinde Mosi maledixisse. Postea sub crimine in Mosen tanquam מקלל Dei jussu eductum ad supplicium: quod Deus potius ulcisci voluerit Mosis injuriam quam propriam contumeliam. Hæc Judaica sunt. Lyranus cum Judæis delirans, scribit, notandum hic esse, quod iste blasphemus eo quod esset de tribu Dan ex

parte matris (cui nomen Salomith, filiæ Debri) voluisse tabernaculum suum figere cum illis, qui erant de tribu Dan: sed prohibitum fuisse, ab eo, juxta quem volebat figere tabernaculum, eo quod occuparet Spatium suum. Hinc jurgium. Causa autem ad Mosen deducta, eum pronuntiasse pro adversario. Nam castra non disponebantur juxta lineam matrum sed patrum. Iratum igitur, cum è domo judicii prodiret, blasphemasse nomen Domini. Nugæ, sed quas suo more è scripturæ verbis eliciunt. Dicunt quidam quod nomen tetragrammaton expresserit secundum literas suas, quod non erat licitum nisi in sacerdotum benedictionibus. *Sed* (inquit P. Fagius) *simplex hujus loci sensus is esse videtur, quod filius viri Ægyptii malè precatus sit alteri in jurgio, ut fieri solet & exoptaverit ei calamitatem, idque non simpliciter sed per nomen Dei. Non dixit tantum ex opto tibi malum sed addidit ac diserte nominavit Deum aut nomen Domini: Dominus, inquiens, det tibi malum & perdat te perpetuo. Sic autem per Dei nomen malè precari est nomine Dei abuti & ipsum profanare.* Ego existimo convicia fecisse Deo, diserte enim in lege ex hujus facti occasione lata habetur, *maledicens Deo*, ויקב] *Diserte nominavit.* Grotius: *Nomen intellige illud sanctissimum; Græcis hic τὸ ὄνομα: id enim gravat culpam. Itaque infra ejus, qui quo quomodo Deo maledicit pœna est arbitraria pro modo culpæ: qui illo nomine pronuntiato pœna mortis, 15.16. In eos qui maledixissent non illo nomine expresso, pœna erat verberum.* השם an significet nomen illud, quod Deus Mosi suggessit, ut monumentum suæ missionis, dubito. Existimo significare quodvis nomen Dei Israëlis proprium, etiam περίφρασιν quamvis ἰσοδυναμοῦσαν. Qui sic locutus erat, ut intelligi non posset, an Deum Israëlis distinctè intelligeret, minori pœna tenebatur. Nam literas aut sonos elementorum non captat veritas & justitia. Hominem igitur istum, qui audierant, conjectum in vincula & custodiam asservarunt supplicio, quod os Domini monstraturum erat. Jussit Deus ut postquam manus capiti facinorosi testes imposuissent lapidaretur à tota congregatione. Ita lex lata de blasphemia deque talione &c. Eductum igitur blasphemum extra castra lapidatione sustulerunt. Philo hanc historiam fuse exsecutus est: Ἔστι δὲ πρῶτον οὐχ ὅτι Μωϋσῆς ὁσιώτατος καὶ θεοφιλέστατος τῶν πώποτε γενομένων, ἀλλὰ καὶ τὸν ἐπὶ βραχὺ γενόμενον δι' ἀσεβείας εἰργάσατο ἀνομίαν τις γενόμενος ἄνθρωπος νόθος Αἰγυπτίου μὲν πατρὸς, μητρὸς δὲ Ἰουδαίας· ὃς τῶν μὲν πατρίων ἐθῶν ἠλόγησε, πρὸς δὲ τὴν αἰγυπτιακὴν, ὡς λόγος, ἀπέκλινεν ἀσέβειαν, τὴν τῶν ἀνδρῶν ζηλώσας ἀθεότητα. Μόνοι γὰρ σχεδὸν ἁπάντων τῶν ἐθνῶν Αἰγύπτιοι γῆν ἐπετείχισαν οὐρανῷ· τὴν μὲν ἰσοθέων τιμῶν ἀξιώσαντες, τῷ δ' οὐδὲν γέρας ἐξαίρετον ἀπονείμαντες, ὡς δέον περὶ τῶν βασιλείων τὰς ἐσχατιὰς περιέπειν. Ἐν γὰρ κόσμῳ, βασίλειον μὲν ἱερώτατον οὐρανός, ἐσχατιὰ δὲ γῆ, καθ' ἑαυτὴν μὲν ἀξιοσπούδαστος, εἰς δὲ σύγκρισιν ἰοῦσα αἰθέρος ἀπολειπομένη τοσοῦτον, ὅσον σκότος μὲν φωτὸς, νὺξ δ' ἡμέρας, φθορὰ δ' ἀφθαρσίας, καὶ θνητὸς θεοῦ. Τῆς γὰρ χώρας οὐχ ὑετῷ καθάπερ αἱ ἄλλαι νιφομένης, ἀλλὰ ταῖς τοῦ ποταμοῦ πλημμύραις εἰωθυίας ἀνὰ πᾶν ἔτος λιμνάζεσθαι, θεοπλαστοῦσι τῷ λόγῳ τὸν Νεῖλον Αἰγύπτιοι, ὡς ἀντίμιμον οὐρανοῦ γεγονότα, καὶ περὶ τῆς χώρας σεμνηγοροῦσιν. ὁ δὴ μιγὰς οὗτος ἐκεῖνος, διενεχθείς τινι τῶν ἀπὸ τοῦ ὁρατικοῦ καὶ ἐπιστημονικοῦ γένους, ἀκράτωρ ὑπ' ὀργῆς αὐτὸς αὑτοῦ γενόμενος, καὶ ἅμα τῆς αἰγυπτιακῆς ζηλωτὴς ἀθεότητος ὤν, ἀπὸ γῆς εἰς οὐρανὸν ἔτεινε τὴν ἀσέβειαν, ἐπαράτῳ καὶ ἐναγεῖ μεμιασμένῃ ψυχῇ τε καὶ γλώττῃ καὶ πάσῃ τῆς φωνῆς ὀργανοποιίᾳ καταρασάμενος δι' ὑπερβολὴν κακῶν, ὃν οὐδ' ὑπὸ πάντων, ἀλλὰ μόνων τῶν ἀρίστων εὐλογεῖσθαι θέμις, ἑαυτοὺς τελείας καθάρσεις ἐδέξαντο. διὸ καὶ θαυμάσας τὴν φρενοβλάβειαν καὶ τὴν τοῦ θράσους ὑπερβολὴν, καίτοι γ' ὑπόπλεως ὢν παρασήματος εὐγενοῦς, καὶ ἱέμενος αὐτοχειρίᾳ διαχρήσασθαι τὸν ἄνθρωπον, ἔδεισε μὴ κουφοτέραν ἀναπράξῃ τιμωρίαν. ἰσόρροπον γὰρ ἐπινοῆσαι πρὸς τοσαύτην ἀσεβείας κόλασιν ἄνθρωπος οὐκ ἂν ἴσχυσεν· ἐπεὶ δὲ καὶ τῷ μὴ σέβοντι θεὸν, ἕπεται τὸ μήτε γονεῖς, μήτε πατρίδα,

πατρίδα, μήτ' εὐεργέτας τιμᾶν· ὁ δὲ μὴ πρὸς τῷ μὴ σέβειν, καὶ κακηγορεῖν τολμῶν, τίνα μοχθηρίας ὑπερβολὴν ἀπολέλοιπε; Καίτοι καὶ τὸ κακηγορεῖν ἧττον ἐν συγκρίσει κατάρας· ἀλλὰ γλωσσαλγία καὶ ἀχάλινον στόμα ὅταν ἀνέμοις ἀφροσύνης ὑπηρετῶσι, πάντως τι κατεργάζεται τῶν ἀθέσμων. ὦ ἄνθρωπε καταρᾶταί τις θεόν, τίνα καλῶν ἕτερον θεὸν εἰς τὴν τῆς ἀρᾶς βεβαίωσιν; ἢ δῆλον ὅτι αὐτὸν καθ' αὑτοῦ; ἄπαγε βεβήλων καὶ ἀνοσίων ἐνθυμημάτων. Καλὸν ἐγκαλύψασθαι τὴν ἀθλίαν ψυχὴν ἐμπορευθεῖσαν μὲν ὑπὸ φωνῆς, διακόνοις δὲ τοῖς ὠσὶ χρησαμένην, αἰσθήσει τυφλῇ. Καὶ ὅτι ἡ γλῶττα τοσοῦτον ἀσέβημα φθεγξαμένη παρείθη, ὅτι τὰ τοῦ μέλλοντος ἀκούειν ὦτα ἐπιφράχθη, εἰ μὴ ἄρα κατὰ πρόνοιαν τῆς δίκης, ἥτις οὔτ' ἀγαθὸν ὑπερβάλλον, οὔτε μέγιστον κακὸν ἐπισκιάζεσθαί φησι δεῖν πρὸς ἔλεγχον ἐναργέστατον ἀρετῆς ἢ κακίας· ἵνα τὴν μὲν ἀποδοχῆς, τὴν δὲ τιμωρίας ἀξιώσῃ. διὰ δὲ τοῦτο τὸν μὲν εἰς εἱρκτὴν ἀπαχθέντα κελεύει δεθῆναι. ἱκετεύει δὲ τὸν θεὸν ἱλασκόμενος τὰς ἀνάγκας τῶν αἰσθήσεων, δι' ἃς καὶ βλέπομεν ἃ μὴ θέμις ὁρᾶν, καὶ ἀκούομεν ὧν μὴ θέμις ἀκούειν, ὅ, τι χρὴ παθεῖν τὸν εὑρετὴν ἀσεβήματος καὶ ἀνοσιουργήματος ἐκφῆναι καὶ ξένου δηλῶσαι· ὁ δὲ προστάττει καταλευσθῆναι, προσήκουσαν οἶμαι δίκην ὑπολαβὼν τὴν διὰ λίθων, κατ' ἀνδρὸς, λιθίνην καὶ ἀπόκροτον ψυχὴν ἔχοντος, καὶ ἅμα βουλόμενος πάντας τοὺς ἀπὸ τοῦ ἔθνους συνεφάψασθαι τῆς κολάσεως, οὓς ᾔδει σφόδρα τραχέως ἐνεγκόντας καὶ φρίξαντας· μόνης δ' ὡς ἔοικε τῆς διὰ βλημάτων ἔμελλον αἱ τοσαῦται μυριάδες ἐφάπτεσθαι. μετὰ δὲ τὴν τοῦ ἀνοσίου καὶ παλαμναίου τίσιν, ἐγγράφεται διάταγμα καινόν, οὐκ ἄνωθεν προηγουμένης ἀξιωθὲν γραφῆς, ἀλλ' αἱ ἀπροσδόκητοι καινοτομίαι καινοὺς τοὺς νόμους ὡς ἀνάγκην ἁμαρτημάτων ἐπιζητοῦσιν. Mosi quamvis mitissimi ingenii viro, zelum Dei attribuit, quo confecisset hominem, nisi os Dei consulere de genere supplicii maluisset: Deo ipsi convitia & diras dixisse illum hominem putat: illud maledictum, crimen esse immane, quo majus nullum inveniatur. Lapidatum esse, ut universi populi manus ad tantum malum amovendum occupari possent. Nihil de testibus, qui manus impositurі essent. Ineptum, quia Ægyptii terram Nilumque præferre cælo & opponere solebant, ideo hunc hominem contempsisse Deum cæli & prorupisse in blasphemiam.

Post historiam de blasphematore agit Liber Levitici, cap. XXV. de anno septimo & Jobel. In cap. XXVI. Dei benedictio & maledictio servantibus aut non servantibus legem Dei. In cap. ult. de votis, diris & decimis. In principio cap. XXV. Scribitur, quod ista Deus Mosi locutus fuerit in monte Sinai. Hoc accipiendum est de totis duobus capitibus, quæ sequuntur. Hæc autem posita sunt hoc loco per occasionem: adjicienda illis, quæ à cap. 20. Exodi usque ad 24. habentur, judiciorum legibus. Ultimum caput puto pertinere ad cætera sacerdotalia data in tabernaculo.

SUL-

consecuta, Deo ita volente punire inordinatam eorum appetentiam. De coturnicibus autem quas sinus Arabicus alit, vide Diodorum: itemque Josephum. Quanquam dubitari potest sintne mortui ex cibo illo insolito, an verò Deus alia plagâ eos affecerit, propter inordinatum appetitum carnium, præ quibus dulcissimum manna contemnebant.

SCHOTANUS.

HActenus leges datæ sunt & populus abunde informatus de omnibus ad politiam & cultum Dei pertinentibus cogitandum jam de profectione. Ordo igitur habitusque & disciplina proficiscentium instruenda. Antequàm autem de his rebus ageretur, Pascha anni secundi instabat: De quo Deus populum monitum esse voluit in anni secundi mense primo Num. IX. cap. Quidam ob cadaver polluti statuto illo tempore Pascha edere & celebrare nequiverant. Hi ea de re apud Mosen conquesti accipiunt oraculum secundi mensis eadem die & hora celebrandum ab ipsis esse: & hoc lege in posterum valiturum. Videtur etiam primo mense gestum esse, quod cap. 7. Numerorum scriptum est. Post tabernaculi & arcæ & utensilium eò pertinentium sanctificationem duodecim phylarchi dona afferunt. Primum donum sex עֶגְלוֹת צָב & duodecim boves. Unum bovem quisque, bini עגלה, עֶגְלוֹת צָב LXX. reddidere *ἁμάξας λαμπηνικάς* Onkelos עגלן כיד־מהפן Plaustra cooperta] Fagius: *Hanc lectionem secutus est & author vulgatæ editionis Latinæ, cui ex Hebræis commentatoribus adstipulatur & R. Slomo atque R. David Kimchi, qui in radicibus scribit* צב tsab *vocabulum, quod ibi habet textus Hebraicus esse operimentum lecticæ aut currus, quo deferuntur homines super dorsum animalium aut jumentorum. Paraphrasis tamen Chaldaica Hierosolymitana legit* עגלן מזוגן Eglan mezugan *id est plaustra bijuga. Quasi dicat, quod unicuique plaustro erat par boum trahens illud. Et hanc sententiam sequitur etiam Abenezdra, qui* zab *dicit esse speciem boum trahentium currum. Qui priorem lectionem sequuntur, putant plaustra in hoc tecta fuisse, ut scilicet utensilia & vestimenta sancta in illis mundius veherentur. Septuaginta legunt ἓξ ἁμάξας λαμπηνικας, id est, sex currus relucentes. Quid sibi velint non video.* Existimarim legendum esse *ἁμάξας λαμπηνικάς*, id est, currus tectos. Nam *λαμπήνη* sive *λαπήνη* Suidæ est *ἅρμα σκεπαστόν*. *Λαμπηνική* idem quod *λαμπήνη*, ut *παρθενική* & *παρθένος*, *πνεῦμα* & *πνευματικόν* (Ephes. 6. 12.) Hæc ad tabernaculum tradita Mosi, quæ Moses Levitis tradidit: duos currus & quatuor boves filiis Gersom; quatuor currus & octo boves filiis Merari sub manu Ithamar. Nihil datum Caathitis, quia illi quædam sacra vasa (ut arcam, mensam &c.) humeris portabant, unde curribus bobusque non habebant opus. Alterum donum ad consecrationem aræ, quod duodecim diebus consequentibus phylarchi dedere idem omnes: ut in illo capite Numerorum exprimitur.

Quicquid sexus virilis & ætate militari erat, ab anno vicesimo, jussi sunt numerare. Numerationi præfuere Moses & Aaron & duodecim phylarchi. Factum primo die mensis secundi.

Rubenitæ per familias domosque distributi fuere numero quadraginta sex millia & quingenti, sub phylarcho Elisur filio Sedeur.

Simeonitæ quinquaginta novem millia & trecenti, sub Salumiel filio Suri-Saddai.

Gaditæ quadraginta quinque millia, sexcenti & quinquaginta, sub Eliasaph filio Dahuel.

Judæi septuaginta quatuor millia & sexcenti, sub Naasson filio Amminadab.

Filii Issachar quinquaginta quatuor millia & quadringenti sub Nathanael filio Sogar.

Filii Zabulon quinquaginta septem millia & quadringenti sub Eliab filio Helon.

Filii Ephraim, quadraginta millia & quingenti sub Elisama filio Ammihud.

Filii Manassis triginta duo millia & ducenti, sub Gamaliele filio Pedasur.

Benjaminæi triginta quinque millia & quadringenti sub Abidan filio Gadeoni.

Danitæ sexaginta duo millia & septingenti sub Achiezer filio Amisadai.

Filii Aser quadraginta & unum millia & quingenti sub Phagiel filio Ochran.

Filii Naphthali quinquaginta tria millia & quadringenti sub Achire filio Ænan.

Levitæ censi non sunt, quia tabernaculo custodiendo administrando portandoque admoti sunt: circà quod ibant & sedebant in castris. Id solvebant & erigebant: si quis alius interveniret erat morte luendum (בידי שמים.)

Castrorum ordinem sub signis suis tribubus assignavit Deus Num. cap. 2. In medium recipiebant tabernaculum cinctum à tribu Levi. Ad ortum Judæi, filii Issachar & Zabulon. Ad meridiem Rubenitæ, Simeonitæ & Gaditæ. Ad occasum filii Efraim, Manassis & Benjamin; ad septentrionem filii Aser, Nephthali & Dan. Ita ternæ tribus, ternis legionibus procedebant & castrorum ordinem tenuere: ut quatuor fuerint acies nomen gerentes à prima seu principali tribu; Judæ, Ruben, Efraim & Dan. Unaquæque acies habuit suum דֶּגֶל vexillum (באותות לבית אבותם) Aben-esdras: *Signa fuerunt in quolibet vexillo. Majores nostri dixerunt, quod in vexillo Ruben fuerit imago hominis, è Dras Dudaim: in vexillo Iuda imago leonis, quia in eo imperium ei dederat Iacob: In vexillo Ephraim bos, è sensu, Primogenitus bovis ejus: In vexillo Dan imago aquilæ: testimonium, quod assimilati sint Cherubinis, quos vidit propheta Ezechiel.* Rasi: *Omne vexillum erit tibi signum mappa tincta suspensa in eo. Color unius diversus à colore alterius: color uniuscujusque secundum colorem lapidis sui fixi in rationali* (ומתוך כך) *Hoc medio unusquisque cognoscebat vexillum suum.* Interpretes Pontificii vexillorum signa formant ad quatuor animalia Ezechielis, quæ volunt figurasse quatuor Euangelistas. Judæi in Thanchuma eodem ordine tribus incessisse & castra metatas esse volunt, quo Jacobum patriarcham duodecim filii sui extulerunt ad sepulturam: Videtur Scriptura dicere, quod quatuor vexilla, fuerint quatuor acierum, secundum signum tribus illius, quæ principalis erat. Unde docemur unicuique tribui suum signum fuisse. Imò id videtur scriptura significare quod unicuique domo patrum seu πατριᾷ suum signum fuerit & vexillum majus (quod totius aciei) habuerit signum istius πατριᾶς, quæ prima erat in tribu principali. Nam signa militaria oportet fuisse cujusque cohortis, quam faciebat πατριά: præter vexillum tribus. Jacob Juda Leo Judæus Amstelodamensis accurate delineavit ordinem castrorum coloremque & figuram cujusque vexilli & tribus, pro Judaica traditione, nos autem ea, quæ in scripturis tradita non sunt, Judæis relinquamus. Josephus sic describit: Πηγνυμένης δὲ τῆς σκηνῆς, μέσην ἀπελάμβανον τριῶν φυλῶν κατὰ πλευρὰν ἑκάστην παρασκηνουμένων, ὁδοὶ διὰ μέσων ἐτέτμηντο. καὶ κόσμος ἦν ἀγορᾶς καὶ τῶν πωλουμένων ἕκαστον ἐν τάξει διέκειτο, καὶ δημιουργοὶ τέχνης ἁπάσης ἐν τοῖς ἐργαστηρίοις ἦσαν, οὐδενί τε ἄλλῳ ἢ πόλει μεθισταμένῃ καὶ καθιδρυμένῃ ἐῴκει. Τὰ δὲ περὶ τὴν σκηνὴν πρῶτοι μὲν οἱ ἱε-

οἱ ἱερεῖς κατεῖχον, ἔπειτα δὲ οἱ λοιποί. Inter quamque legionem viam mediam relictam fuisse & forum ac officinas fuisse, quoties tentoria fixerant, narrat. Judæi putant foris castra clausa fuisse, sed unamquamque legionem tribus viis exiisse extra septum suum introrsum. Externum ambitum castrorum cinxisse rivum è petra per solitudinem Israëlitas comitantem. In hunc fluxisse octo rivulos inter legiones ab intrinseco prosilientes. Cæterum inter tribum Juda & Ruben irrupisse ramum aliquem, qui castra Levitarum in quadratum ambiret & ex quatuor angulis erumpens ipsum tabernaculum circumflueret.

Observat Salianus hanc numerationem quartam fuisse. Primò enim populum numeratum esse cum Ægypto exiret, iterum cum Jethro consuleret praefectos institui millenariorum, centuriarum &c. Tertiò cum viritim ab anno vicesimo dimidium siclum contribueret Exod. 38. 26. Ubi idem numerus invenitur, qui hoc censu inventus est Num. 1. 46. Cæterum hic capitum ratio habita est, illic argenti. Numerus fuit 603550. Josephi codices ἑξακοσίοις habent pro πεντακοσίοις. Censum etiam initum esse dicit eorum qui erant intra annum quinquagesimum, quod scriptura non determinat. Hinc autem æstimari potest, quanta multitudo istius populi fuerit, cum primò nulla mulier in censum venerit, nec mas intra annum vigesimum: nec (uti videtur) qui senio imbelles erant, nec advenæ, quorum ingens numerus.

Aaroni ejusque filiis sacerdotium datum est: illis Levitæ attributi in ministerium. Numerati mares Levitæ ab ætate unius mensis. E tribus filiis Levi Gerson, Caath & Merari fuerunt octo familiæ seu πατριαί (LXX. δήμους vocant) Gersonitarum duæ familiæ seu demi Lobeni & Semei: quarum numerus septem millia & quingenti. Totius domus præfectus fuit Elisaph filius Zaël (LXX. Δαήλ) Hi positi erant ad occasum. E Caath quatuor demi, Amram, Isaar, Chebron & Oziel: quorum numerus octo millia & sexcenti: præfectus Elisaphan filius Oziel. Positi ad meridiem. His annumerati filii Mosis. Qui non suæ sed fratris posteritati dedit honorem sacerdotii. E Merari duo demi, Mooli & Musi: quorum numerus sexies mille & ducenti: præfectus Suriel filius Abichail. Positi ad septentrionem. Ad ortum Mose & Aaron cum filiis suis. Universus numerus Levitarum viginti duo millia, ut colligit sacer textus, at si numeros prius positos in unum addideris, habebis 22300. Græci tantum efficiunt 2215. Josephus habet viginti tria millia octingentos octoginta. Ita illi nec cum Hebræo textu nec Græco convenit. In tractatu Bechoroth (laudante Rasi & Aben-esdra) solvitur hæc quæstio: Scilicet primogenitos Levitarum non venisse in censum redemptionis, כי אין בכור מפקיע בכור. Universi primogeniti Israëlis duodecim tribuum fuerunt viginti duo millia ducenti & septuaginta tres. Cum Levitæ darentur ad redemptionem primogenitorum, illi ducenti septuaginta tres redimi debuerunt viritim quinque siclis. Hi sicli mille trecenti sexaginta quinque dati sunt Aaroni & filiis ejus. Sic Levitæ censi ad redemptionem, censi etiam sunt ad functiones suas obeundas ab anno tricesimo ad quinquagesimum. Gersonitæ inventi 2630; Meraritæ 3200; Caathitæ 2750. Summa omnium 8580. His tribus Levitarum populis assignatæ suæ functiones sigillatim in ministrando & portando. Non licuit ipsis intueri quæ intra tentorium id est utrumque sanctuarium erant. Ideo Aaron & filii tentorium solvere & vasa sancta, quæ intus erant, accurate tegere & involvere debuerunt, priusquam ea Levitis portanda committerent. Jussus est populus Israël castra purgare exclusis vitiliginosis, gonorhoicis & à tactu cadaverum pollutis. Datur lex zelotypias qua per potionem probatur mulier adulterii suspecta Num. 5. Lex de Naziræatu & bene-

benedicendi formnla cap. 6. Quædam alia ad miniſterium Leviticum pertinentia cap. 8. In cap. 10. De buccinis duabus argenteis legitur, quas ſuut juſſi facere. Has ita deſcribit Joſephus : *Εὗρε δὲ καὶ βυκάνης τρόπον ἐξ ἀργύρου ποιησάμενος· ἔστι δὲ τοιαύτη, μῆκος μὲν ἔχει πηχυαῖον, ὀλίγῳ λεῖπον, στενὴ δ' ἐστὶ σῦριγξ αὐλοῦ βραχὺ παχυτέρα, παρέχουσα δ' εὖρος ἀρκοῦν ἐπὶ τῷ στόματι πρὸς ὑποδοχὴν πνεύματος, εἰς κώδωνα ταῖς σάλπιγξι παραπλησίως τελοῦσα. Ἀσώσρα καλεῖται κατὰ τὴν Ἑβραίων γλῶσσαν.* חצוצרה LXX. verterunt *σάλπιγξ.* In Hebræo מקשה תעשה אתם LXX. *ἐλατὰς ποιήσεις αὐτάς.* Chaldæus, *De argento integro: Hoc eſt* (ut Fagius) *non ex fragmentis concinnatas ſed ex ſolida maſſa ductas.* Clangebant eis vel ſimplici clangore vel jubilo. Jubilum (תרועה) LXX. *σημασίαν* vertunt. *Interpretantur ululatum quendam & vocem in modum tuſſis depromptam,* inquit Fagius. Alii fractam vocem & interciſam exponunt, quia רוע & frangere & ululare ſignificat. Quidam reddunt Taratantara. Recte Fagius judicat fuiſſe clangorem, qui nos hodie latet. Hujus uſus ut ſignum darent profectionis. Simplici clangore ſi canerent, una plebs convocabatur, altera principes utraque univerſus populus. Sic Joſephus: at ſacer textus tantum dicit una convocatos principes, duabus univerſam congregationem. Nunquam enim multitudo ſine principibus convocata eſt. Joſephus: *Ταῖς δὲ βυκάναις ἐχρῶντο καὶ ἐπὶ ταῖς ἱερουργίαις, πρὸς αἷς προσάγοντες ἦσαν τὰς θυσίας καὶ τοῖς σαββάτοις καὶ ταῖς λοιπαῖς ἡμέραις.* Jubilo claſſicum canebant & profectionis ſignum dabant: canere autem erat ſacerdotum. Primo ſigno movebantur legiones adortum, altero ad meridiem.


Cum tempus profectionis inſtaret, rogavit Moſes Hobab, uxoris ſuæ patruum, qui ipſis hactenus in eremo, cujus notitiam habebat magno uſui fuerat, ut comes iret, pollicitus communicationem omnium bonorum & ipſius terræ, quam ibant occupatum. Vidiſſe enim quanta Deus feciſſet, ut dubitari de promiſſione non poſſit. Negabat ille: ſed victus precibus & inſtantia Moſis annuit tandem, ut hiſtoria ſequentium temporum oſtendit.

F I N I S.

DE

DE *Profectione & Obhæsione populi inter montem Sina & Iordanem.*

SEcundi anni ab exodo menſis ſecundi die vigeſimo caſtra moveri cœperunt è deſerto Sinai. Caſtra in hunc modum diſpoſita erat ſecundum Judæos:



Primo loco movit ſe tribus Juda, cujus phylarcha hujus aciei ſcil. orientalis erat ſummus dux. Hujus vexillum ſequebantur filii Iſſachar & Zabulon. Inde tabernaculum ſolutum & loco motum portavere Gerſonitæ & Meraritæ. Hinc profectum eſt vexillum Rubenitarum, cujus phylarchus huic aciei imperabat. Id ſequebantur Simeonitæ & Gaditæ. Hinc Caathitæ ibant. Cæteri tabernaculum, ubi conſiſtendum erat, erigebant, antequam hi advenirent. Porro movebat ſe vexillum Efraimitarum, quod ſequebantur Manaſſitæ & Benjaminæi, Ultimam aciem faciebant ultimo progreſſi Danitæ. Horum vexillum ſequebantur filii Aſer & Naphthali. Promiſcua multitudo advenarum intra legiones & per eas diviſa fuit, ut videtur. Arcam Domini intueri oportebat, è qua elevabatur nubes quotiescunque caſtra movenda erant. Cum arca proficiſceretur, dicebat Moſes: *Surge Domine diſſipentur inimici tui & diffugiant oſores tui à facie tua.* Cum deponeretur: *Revertere Domine ad myriades millium Iſraël.* At in v. 33. dicitur: *Et arca fœderis Domini proficiſcebatur ante ipſos, via tridui ad inveſtigandum ipſis quietem.* Quomodo hoc conſiſtere poteſt, cum ſuperius memoratis, ubi dictum quod arcam in medio portaverint Levitæ? Lyranus: *Ideo dicunt aliqui quod ordinatio prædicta de portatione arcæ in medio fuit pro tempore, in quo timeretur ab adverſariis: ſed pro tunc, quia erant*

erant longe positi ab eis non portabatur in medio, sed ante exercitum ad providendum loca castrorum, quia columna nubis erat super eam quæ stabat quando castra erant ponenda. R. Salomo dicit, quod erat quædam alia arca in qua reverenter servabantur primæ tabulæ fractæ, eo quod erant scriptæ digito Dei: & ista præcedebat exercitum; & in ea apparebat signum quietis, sicut in statione nubis, ita quod certiores essent pluralitate signorum. Dicunt enim quod tempore quietis steterit super arcam, tempore profectionis super vexillum Judæ.

De murmuratione & clade populi in Thabera.

INter proficiscendum cladem evenisse putant, quæ commemoratur Num. XI. 1. 2. 3. Populum enim tædio laborum itineris murmurasse. Triduo scilicet continuo ambulasse, vel uno die spatium tridui confecisse. Objicitur è Deut. 8. quòd pes itineris labore detritus non fuerit. Respondet Lyranus id in probis non in malis ita fuisse. Sed hæc Judaicarum argutiarum. Querela illa displicuit Domino. Ideo ignis à Domino ortus absumebat in parte castrorum. Igitur populus ad Mosen clamat, cujus precibus evanuit.

De mansione decima tertia & murmuratione ob fastidium mannæ.

A promiscua multitudine, quæ populum ex Ægypto secuta (האספסף) (LXX. ὁ ἐπίμικτος) orta murmuratio ipsum Israëlis populum accendit. Tædium enim mannæ eos ceperat, recordantur piscium, cucumerum, peponum, porrorum, ceparum, allii. Carnem intemperantius desiderabant. Fletibus & questibus tota castra personabant quod adeò Mosen affecit, ut impatientia quadam expostulaverit cum Domino: qui ut patri quasi in sinu gestandum universum populum ad terram patribus promissam commisisset. Se solum tanto oneri non sufficere. E vita se eximat potius, quam ut in malum labi sinat. Deus igitur præcipit ut de senioribus populi septuaginta sibi sisteret, bonos probatosque. Videtur textus (v. 16.) innuere, quod seniores quidam simul שוטרים fuerint: aut vult eos LXX. eligi ab ipso è senioribus & שוטרים. His ad ostium tentorii adductis daturum se de spiritu illo, quo Mosen ad dexteritatem judicandi donaverat. Ne mirere Mosen de onere conqueri. Nam chiliarchi, centuriones, pentecontarchi, decuriones consilio Jethronis instituti tantum judicabant de minoribus controversiis. Fuerunt aliquando Mosi 70. adjuncti cum Aharone & Hur, cum ascenderet in montem Sinai: hoc fuit pro illo tempore. Hic quæritur perpetuus Senatus supremusque judicum consessus, qui Mosi in rebus maximis adesset. Proinde inepta est eorum sententia, qui (cum Rasi) ignis superiori clade eos seniores & præfectos populi absumptos esse putant: & defectum eum à Mose incusari. Moses etiam verbis Dei denuntiavit populo, ut se in crastinum sanctificarent, esuri carnem. Esuros esse non uno die solum nec duobus nec quinque nec decem nec viginti sed mense solari toto: donec exiret per nares & verteretur in nauseam. Indignari n. Deum quod se repulissent, eductionem ex Ægypto imputantes in malum. Moses miratus verbum Domini non sine incredulitate (quod & R. Aquiba vidit) excipiebat: Nunquid ovium & boum multitudo cædetur, ut ipsis possit sufficere ad carnium esum pro integro mense? Anne omnes pisces maris congregabuntur, ut eos satient? Respondet Dominus, Manus mea invalida non est: videbis dictum opere compleri. Adsuere ad ostium tentorii septuaginta de senioribus Israël. Descendit Dominus in nube (cum igne dicit Aben-esdras) locutusque

tusque est cum Mose. Tum de spiritu ejus ipsis tribuit. Illi in signum accepti spiritus prophetare cœperunt. Non patiuntur Judæi ut sapientia Mosis imminuta fuerit, sed tanquam de lucerna accensam fuisse eorum mentem. המשל בנר Qui lumen de suo lumine accendit, ipse eo non habebit minus. Onkelos huc respicit, vertens (v. 25.) augebo de Spiritu tuo. Scriptura dicit *Prophetaverunt* ולא יספו Secundum plerosque valet, uno tantum illo die prophetarunt, quod sufficiebat indicio. Onkelos reddidit: *Et non cessaverunt*; at LXX. priori sensu. Cæterum duo de notatis septuaginta viris in castris remanserant non egressi ad tabernaculum. Eldad & Medad illis nomen erat. Hos ibi Spiritus Dei apprehendit. Prius dictum fuit LXX. adfuisse apud Dominum, hic dicitur duos in castris moratos esse. Sumunt hinc Judæi suo more fingendi occasionem. Volunt enim sorte electos & adscriptos esse senos de qualibet tribu, ut æquarentur honore: ita 72. invenisse, è quibus duo remanserint, qui se tantâ eminentia indignos esse dicebant. Cum id nuntiaretur Mosi, Josue iratus esse in magistri sui imminutionem, petebat, ut iis interdiceret. Josue dicitur fuisse משרת משה מבחריו. LXX. ὁ παρεστηκὼς Μωϋσῇ ὁ ἐκλεκτός. Moses nihili æstimans famam & nomen, objurgat famulum, addens utinam totus Dei populus prophetæ essent.

Cum his senioribus (hoc principium est summi in illa gente senatus) in castra se contulit Moses. Tum Deus cœpit implere, quod per Mosen populo enuntiari jusserat. Nam ventus vehemens detulit à mari coturnicum vim immensam in desertum Paran, ubi Israëlitæ considebant. Circum castra circumquaque projectæ itinere integri diei & duarum ulnarum altitudine solum opleverant. Egressus igitur populus ad colligendum, toto illo die, sequenti nocte & die occupabatur. Qui minimum decem coros (seu חומרים) collegerat. Notant interpretes חומר tanti ponderis onus esse, quantum asinus ferre potest. Expandebant circum castra collectam copiam. In carnem animos dentesque acuerant: at dum adhuc inter dentes erat, nec commansa, ira Dei in populum accensa ingentem stragem fecit. Loco inde nomen קברות התאוה. *Sepulchra concupiscentiæ.*

Josephus (lib. 3. cap. 12.) in superiore historia explicanda agit ut homo peregrinus & ignarus rerum patriæ; sacras literas certe non consuluit. Videamus ejus lapsus:

1. Confundit utramque cap. XI. murmurationem.

2. Confundit duas mansiones Haseroth (in eo legitur *ἀσαρμώθ*) & *καβρωθαβά* ut vocat.

3. Fingit aliquem admonuisse multitudinem, ut ne obliti ejus beneficiorum, ipsi mala itineris imputent neve desperent.

4. Causam murmurationis dicit esse aquæ penuriam & quod metuerent defectum mannæ. Ostendit se nescire, quod aqua è rupe per solitudinem fluxerit, quocunque proficiscerentur. Quam autem absonum est affingere metum defectus in re, quam abominabantur, cujusque è copia nauseabant.

5. Populum admonitione accensum ferocius incubuisse in Mosen: eum autem promisisse, quamvis ab ipsis contumelia affectum, cibationem carnis in plures dies.

6. Id non credidisse populum: quodam autem interrogante, unde carnium copia tot millibus parari posset, respondisse: Deus & ego, quamvis apud vos in mala fama, non desinemus curam vestri gerere quod brevi videbitis. Sic coturnices in castra venisse. Viden? Mosis diffidentiam alii homini adscribit, Dei responsum Mosi.

7. Se-

7. Senatus illius magni institutionem & originem tacet.

Num. XII.

Historiam περὶ ἀντικρασμοῦ Mariæ & Aharonis in Mosen (quæ contigit in Haseroth, 14. mansione) & Josephus & Sulpicius prætererierunt. Josephus alio animo, qui Aaronis & Mosis lapsus solet tacere. Causa jurgii nata ex uxore Mosis Æthiopissa. v. 1. *Locuta est Mariam & Aharon* (במשה) *in Mosen.* על אודות האשה הכושית causa mulieris illius Æthiopissæ. Onkelos vertit שפירתא *dulchra.* Cui interpretationi accedit Hierosolymitana paraphrasis, dicens: *Ecce non Æthiopissa Sepphora uxor Mosis: sed quemadmodum Æthiops variat cute sua ab omnibus aliis hominibus, ita etiam Sephora, uxor Mosis, forma, pulchritudine & bonis operibus mirabiliter quodammodo superabat omnes reliquas mulieres.* Rasi notat כושית per Gematriam idem esse, quod יפת מראה *pulchram forma.* Aben-esdras rectè disputat Æthiopissam fuisse, quia Madianitis erat, & nihil colore differens ab Æthiopibus ob clima. Volunt Judæi Mosen abstinuisse uxoris suæ concubitu. Id ei impingere fratrem sororemque. Cognovisse id Mariam (ut Rasi refert) cum nuntiaretur Eldad & Medad prophetare. Dixisse enim væ uxoribus. Nam vir meus se à me separavit, à quo tempore prophetare cœpit. Hæc audivisse Mariam, quæ ei adstabat ista referenti. Impingunt autem fratri quod se ab uxore abstineret. Id non facere ob prophetiam cum & ipsi prophetæ sint & Deus cum ipsis loquatur: sed ob colorem nigrum, quo ipsi videretur esse deformis. Has nugas secutus est Onkelos. Vera causa, quod cum uxore Mosis, se fortassis efferente ob mariti honorem apud Deum, non satis conveniret Mariæ & Aharoni invidia & æmulatione stimulantibus, ut solet. Objiciunt fratri quod Æthiopissam duxisset, nec tantum eam gloria mariti debere efferri, cum & ipsis Dominus loqueretur. Ferventius rem egit Maria quam Aaron. Scriptura deprædicat Mosis summam mansuetudinem, cui parem hac virtute tellus non sustineret. Ille igitur patientissime injuriam & jurgia tulit: sed Deus ad se pertinere arbitratus, sigillatim alloquitur Mosen, Aharonem & Mariam, jussitque adesse ad tentorium conventus. Egressi igitur sunt tres illi. Dominus descendit in columna nubis, constititque ad ostium tentorii. Vocat Aaronem & Mariam: qui progrediuntur ex atrio in occursum Domini. Prædicat illis Dominus dignationem, qua supra prophetarum communem modum haberet Mosen. Illos enim prophetas quidem esse, quibus Deus in visione & somnio se panderet & loqueretur: alia ratione modoque cum Mose, qui in tota domo sua servus fidelis esset. Nempe impositum esse toti domui. Cum illo se loqui ore ad os. In rerum intuitu non involucris: similitudinem Domini eum intueri. Hæc dignitas Mosis fuit, quam Deus ipse prædicat & nos alio loco explicamus. Cur igitur veriti non sint in Mosen verbis insurgere? Exarsit ira Dei & ipse eos decedens reliquit solos. Nubes enim discedebat ab ostio tentorii. Sic increpiti & confusi sunt: sed & Maria vitiligine incanuit. Id videns Aharon & sortem ejus miseratus fratrem adit & confessus deprecatusque nimiam esse plagam sororis dicit: quæ instar abortivi fœtus & jam putridi, contabuisset. Mitissimus ille virorum Deum pro sanatione confestim implorat. Cui ille: Si Parens faciem illius conspuisset (Rasi, הראה לה פנים זועפות / *iratum vultum ostendisset*) nonne septem diebus tegeret: Sit igitur septem diebus exclusa castris, posteà revertatur. Sic factum est: quibus diebus, eo in loco populus substitit.

SUL-

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

Cap. XXXIII.

INde promotum agmen, & in Pharan ventum est, edoctusque à Domino Moyses vicinam esse terram, cujus possessionem eis promiserat Dominus: exploratoribus in eam missis renunciatur, felicem omni copiâ esse regionem: sed gentes validas, & munita ingentibus muris opida. Quod ubi populo compertum, magna mentes omnium formido incesserat: eoque mali ventum, ut spreto Moysi imperio, ducem sibi constituere pararent, cujus ductu in Ægyptum reverterentur. Tunc Iesus & Chaleb, qui inter exploratores terræ fuerant, conscissis vestibus flentes, populum obtestantur, ne exploratoribus credant, formidolosa referentibus: se quoque una cum his fuisse, nihil metuendum in solo illo reperisse: promissis illos Dei confidere oportere, hostes prædæ potius quam exitio fore. Sed gens indomita, sanis consiliis malè renitens, in perniciem eorum ferebatur. Quibus rebus commotus Dominus, partem populi hostibus cædendam objecit.

Drusius.

EXPLORATORIBUS] duodecim, videlicet ex singulis tribubus singulis, in queis Josua & Cheleb. Reliquorum nominà invenies, Num. 13. Hi ab Ebræis מרגלים vocantur, erantque primores tribuum suarum.

GENTES VALIDAS] quales erant Amorræi & Enacini generis gigantes. De Amorræis Amos propheta, *robustus est ut robora.* Est autem robur genus quercus à robore sic appellatum.

TUNC JESUS] qui & Josua siue Jehosua prius Hosea nominabatur. Josua & Jehosua, sic Jonathan & Jehonathan. Sic Joseph & Jehoseph. Dicitur & Hose, unde in editione Græca Ause, quod aspirandum ut sit Hause. Patrem habuit Nun, qui corruptè Nave vocatur in eadem editione. Nun, Naun, Nave, V cum N permutata.

CHALEB] ex tribu Judâ, filius Jephonne, Jos. 14. Num. 13. Hesron. 1. Paralip. 2. Sed alius videtur. Aut Hesron, id est, חצרון / ejus avus fuit. Quipppe nepotes etiam filii vocantur. Cenisæus Jos. 14. 7. perperam Caleb in libris Latinis.

CONSCISSIS VESTIBUS] hic mos apud Romanos etiam in usu fuit. Suetonius

tonius in Cæsare, cap. 33. *pro concione fidem militum flens & veste à pectore descissa imploravit.*

FLENTES] hoc ex ingenio prompsit, non ex fonte sacro.

HOSTES PRÆDÆ POTIUS] expressit verba quæ habentur Num. 14. 9. *quia panis noster sunt*: eleganter.

IN PERNICIEM EORUM] prætulerim, *in perniciem suam.*

HOSTIBUS] Amalecitis & Chananæis. 14. 45.

SCHOTANUS.

DEcima quinta mansione seu statione Israëlitæ consederunt in Rethma, solitudinis Pharan (Josephus *Φάραγγα* vocant, pro quo male legitur *Φάραγγα*) quæ statio fuit juxta Cades barnee Deut. 1. 19. Videtur Moses dicere, quod XI. diebus eundo ab Horeb in hunc locum pervenerint Deut. 1. 2. Mora autem longior intercessit, quia in duobus intermediis locis aliquandiu morati sunt. In Cabroth Hatthaava (uti ferunt), toto mense, in Haseroth ad minus septem diebus substiterunt. Hebræi in chronico tradunt in hunc modum: *de Haseroth profectus est populus in desertum Pharan vigesimo quinto die mensis Sivan. Vigesimo autem nono ejusdem mensis Moyses exploratores misit, ut colligi potest ex eo quod scribitur*: Erat autem tempus quando præcoquæ uvæ edi possunt. *Redierunt* vero ab exploratione terræ expletis quadraginta diebus, id est, nono die mensis Ab; ex quo traditum à majoribus nostris reperitur: Nono mense Ab decretum est ne patres *ingrederentur terram.* Hanc sententiam sequitur Genebrardus: at Hieronymus cap. 8. in Zachar. dicit mense Augusto exploratores rediisse & seditionem concitasse, quem sequitur Adrichomius. Nulla mansio vocabulo Pharan in catalogo accurato Num. 33. notatur, quia in illa vasta solitudine multæ fuerunt mansiones. Num. 10. 12. dicuntur Israëlitæ è statione Sinai ducente columna & arca Domini venisse in solitudinem Pharan, cum tamen eos in Haseroth venisse constet. Hinc Hieronymus in illum catalogum (Num. 33.) *Reliquæ mansiones octodecim* quarum nunc breviter catalogus describitur à Rethma usque ad Esion gaber id est usque ad trigesimam secundam mansionem, sub Pharan solitudinis nomine continentur, in quibus universa, quæ scripta sunt, diversis *temporibus gesta sentimus* &c. Propinquus erat iste locus terræ Canaan, filiis Israël promissæ, quo tendebant. Igitur suggerente populo per suos præfectos (Deut. 1. 22.) mandante Deo, Moses explorare voluit aditum modumque omnem terræ. Duodecim viros eligit, unum è qualibet tribu. E tribu Ruben, Sammue filium Zachur; è tribu Simeon Saphat filium Hori; è tribu Juda Chaleb filium Jephonne; è tribu Issachar Igeal filium Joseph: è tribu Efraim, Hosee filium Nun. (LXX. *Αὐσὴ υἱὸν Ναυὴ*) è tribu Benjamin, Phalti filium Raphu; è tribu Zabulon, Gaddiel filium Sodi, è tribu Manassis Gaddi filium Susi; è tribu Dan, Amiel, filium Gamali; è tribu Aser Sathur, filium Michaël; è tribu Nephthali, Nabi filium Vophsi; è tribu Gad, Guel filium Machi. Moses illum Hosee mutato nomine appellavit Josue sive Jesum. Nam prima vox imperandi vel optandi notionem habet, altera Salvatorem actu ipso significat. Fuit enim typus Domini nostri, qui in cælestem Cananæam introducit ad limina subsistente Mose. Cæterum in Græco appellatur filius *Ναυὴ* sive *Ναυῆ*: quod Drusius putat vitiose scriptum esse pro *Ναυῆ*: at unde est quod apud Josephum dicatur *υἱὸς Ναυήχου*? Ego hic hæreo, nisi pater Josue in quibusdam genealogicis tabulis dictus fuerit נוה. Hoc puto. Nam tabulæ illæ, in archivis custoditæ, in quibusdam nomi-

nominibus variarunt, ut ſolet. Ideò non eſt ſolicitandus textus ejusque recepta lectio. E נוח νῶχος è נֻוּח ναυῆχος Joſepho, at τοῦ ὁ, ut ab הוֹשֵׁעַ αὐσῆ ita ex נוּן Ναυῆ, eliſo phathach furtivo, quod vocant.

Duodecim illi exploratores non fuerunt phylarchi; nemo phylarchorum inter eos: vocantur נשיאים & ראשי בני ישראל. LXX. utrumque reddiderunt ἀρχηγοί. Moſes ipſi mandat, ut auſtralem partem & montana obeant: ut populum conſiderent, quam fortis eſſet: quanto numero & copiis polleret? quæ natura ſoli, quæ urbes, modone caſtrorum an munitionum haberentur? (Quia (ut Raſi) Cedareni inſtar Nomadum in tentoriis caſtra mutabant, an ſimiliter Cananæi agerent) Quæ fertilitas, ſylvæ, campi (aëris ſalubritas aut aquarum bonitate terræ continetur) utque de fructibus ſecum referrent.

Illi ſe itineri dedere: Omnes regionis partes perluſtrarunt. Obſervabant Hebrone eſſe gigantes, filios Enac Achiman, Seſai, Thalmai. In valle Eſcol racemum uvarum reſectum bini portaverunt; tantæ erat magnitudinis! præterea de malogranatis & ficubus. Obiter commemorat Moſes Hebronem, quæ nobilium urbium prima erat in iſto tractu, ſeptennio conditam eſſe ante Tanim Ægypti. Raſi: *Fortaſſis Cham condidit Hebronem Canaano filio minori, ut Soan Meſtraimo majori filio* &c. Quadraginta dierum moram conſumpſere in exploratione. Reverſi prædicarunt regionis fertilitatem, quam oſtenſi fructus comprobabant: cæterum populum fortitudine, mole corporum & copiis præſtare: urbes munitiſſimas colere. Eſſe illic gigantes, filios Enac: tanta corporum vaſtitate ut ipſi locuſtarum inſtar, eorum comparatione haberentur. Amalecitas partem auſtralem tenere, Cananæos latera ad mare & Jordanem, montana (quæ media) Hetthæos, Jebuſæos, Amorrhæos. Fieri non poſſe ut illos populos bello vincerent. Dicunt inter alia (v. 32.) *Terram eſſe edentem incolas ſuos & omnem populum, quem viderant* אנשי מדות/ Edentem incolas exponit Raſi, quod in omni loco, quem tranſierant exploratores, ſepelirent mortuos: id Dominum feciſſe in bonum, ut occupati luctu, ad ipſos animum non apponerent. Lyranus & Abulenſis id pro vero accipiunt, quaſi Deus imminuerit eorum numerum, ne tot pugnatores reſiſterent Iſraëli. Figmentum Rabbinicum eſt. Bolducius interpretatur ita phraſin eam, quaſi dicerent: Ob terræ bonitatem incolas aliò non migrare, ſed immori in iſta regione. Quod non videtur. Comeſtor & Cajetanus de vitæ brevitate capiunt, aut quod crebro ab hoſtibus expellerentur. Aben-eſdras de aëris inſalubritate: שהאויר שלה רע. אנשי מדות ſignificat qui menſurarum magnarum eſſent. Sic dici אנשי לבב, qui corde ingenti eſſent præditi, ſupra alios.

Cum oratione exploratorum decem populus commoveri inciperet, Caleb (hunc in hoc loco Scriptura ſolum commemorat) conatus eum eſt ſedare: Eamus bonis animis & inſideamus: Nam ſine dubio occupabimus. At exploratores decem incolarum & gigantum robur molem, fortitudinem ita extollebant, ut dicerent inſuperabiles eſſe nec poſſe ab Iſraël vinci. Tota igitur congregatio in fletum clamoresque per totam noctem effuſa in Moſen atque Aaronem intumuit. Utinam in Ægypto occubuiſſemus, utinam in ſolitudine eſſemus conſumpti. Cur Dominus nos in eam terram inducit, ut gladio perempti uxores parvulosque in prædam relinquamus iſtis gentibus? Hinc conſilium agitare cœperunt de duce eligendo, ſub quo (deſerto vel interfecto Moſe) in Ægyptum reverterentur.

Tum Moſes & Aharon prolapſi ſunt in faciem coram tota concione. Populum obſecraſſe videntur, ne id facerent (ex Deut. 1. 29. &c.) Salianus vult hiſcere non auſos ad Deum ſe tacitis precibus convertiſſe. At Joſue & Caleb,

laceratis vestibus objecere se multitudini: Ne faciant: Terram quam speculati essent, esse optimam & fertilissimam, fluere lacte ac melle. Deo favente facilè eam occupaturos. Videant modo, ne Deo rebelles iram ejus provocent. Non esse metuendum ab ista gente. Facilè deleturos (*Panis noster sunt*) Numen eam destituisse, sibi adesse Dominum. Proinde ne timeant.

Hac oratione incensus potius quam mitigatus populus fremuit lapidandos esse. Quod multitudo furens implevisset, nisi Domini gloria subitò inspectantibus omnibus in tentorio conventus apparuisset. Salianus: *Confugerunt ad Divinum tabernaculum (ait Dionysius & Cajetanus) & statim visa est gloriosa species, ad protegendum eos, qui erant in tabernaculo: proptereaque destiterunt à lapidatione, quam inceptaverant. Gloriam Domini Abulensis interpretatur, insolitum in nubis columna fulgorem & vibrantes ex ea radios, ad populi terrorem aut quapiam alia formidolosa signa.* Iterum Deus Mosi proponit, Se toties provocatum, à contumaci populo, qui non crederet sibi, post tot insignia miracula, deleturum esse istum populum immissa mortalitate & abjecturum, Mosen vero (si suscipiat) in majorem valentioremque gentem multiplicaturum. Moses vero mitissimus mortalium, Dei gloriæ populique amantissimus, supplicat, Ne faciat. Id enim audituros esse Ægyptios, à quibus tanta virtute populum istum vindicasset: dicturosque ad incolas Cananææ, qui intellexerant Deum in medio istius populi esse: Deum ad oculum conspici, nubem ejus superstare, columna nubis interdiu præcedere, ignis noctu (Eumne populum ut unum virum deleret?) dicturos esse homines gentiles: quia Dominus hunc populum introducere non potuit, in terram, quam juraverat, mactavit eos in deserto. Propterea virtutem suam exaltaret, secundum verbum, quod in rupis caverna de se ipse prædicaverat (Exod. 34. 7.) (Illud verbum Domino objicit) Remitteret iniquitatem populo, pro summa sua benignitate. *Dicent ad incolas Cananææ*, id est fatebuntur illos se fortiores esse, cum Deus Ægyptios vincere potuerit, non Cananæos. Sic Rasi. Salianus: *Quandiu Moses in orando perseveraverit, quando veniam impetraverit & vocem istam audire meruerit*, Dimisi juxta verbum tuum: non satis constat. Nam Deut. 9. 25. sine dubio pertinere ad priorem supplicationem post vituli adorationem, in Sina factam. Exoratus igitur Deus respondet se condonasse ad verbum ejus: at gloriam suam se asserturum, qua universam terram repleturus sit. Jurat neminem virorum, qui majestatem suam viderant & signa in Ægypto & solitudine facta seque decies *(multoties)* quamvis Judæi conentur eum numerum tentationum præcise eruere:) tentaverant, fuerantque voci suæ rebelles, seque provocaverant, terram istam visurum: at Caleb servum suum, quia in eo alius Spiritus esset & Deum sequi perseverasset, se inducturum in terram, quam peragraverat, semen ejus eam hæreditaturum. Addebat autem Amalecitas & Cananæos in proxima valle habitare post montem in proximo assurgentem. Sed iter crastino vertere jubet retrò in solitudinem versus sinum Arabicum. Denuo ad Mosen & Aharonem Deus locutus est: Quandiu adero perversæ multitudini, quæ in me murmurare solet? Audivi murmurationes adversus me: Dicite illis: Jurare me, facturum ipsis, quod locuti sunt in meis auribus: Corpora vestra in hac solitudine concident: quotquot censi sunt ab anno vicesimo, qui in me murmurarunt, non ingredientur in terram, de qua juravi, præter Caleb filium Jephonne & Josue filium Nun. Sed parvulos, de quibus dixerant, in prædam cessuros esse, occupaturos terram, quam proterve contempserant. Ituros quadraginta annos in solitudine tolerantes iniquitatem parentum, donec illi absumerentur, dierum numero verso in annos. Hæc voluit ab ipsis suo nomine populo denun-

tiari. Hic dicit Dominus quotquot numerati essent ab anno vicesimo: atqui Levitæ numerati non erant, quos tamen crimen idem & eadem pœna involvebat. Ex opposito inter alios fuere immunes qui essent ab isto crimine. Non enim putandum est simpliciter in omnes contagionem criminis communicatam esse. Juniores illos viginti annis credibile est ex parte parentum exorbitatione, tanquam torrente abreptos esse, sed illis parcit Deus, quia non sua sponte sed moti à parentibus insanierant. Mulierum nulla est mentio, qnia sub maribus & viris solent comprehendi & nullum in rep. suffragium habent. Quadraginta dies in annos vertit Deus, quos ponit inter egressum ex Ægypto & ingressum in Cananæam. In decem illos exploratores ira Dei effusa est: quos scriptura innuit subita morte exstinctos esse *In conspectu Domini*. Id est dum adhuc Dei illa gloria visebatur, vel mox post latam in populum sententiam. In Hebræo est בַּמַּגֵּפָה לִפְנֵי יְהוָה *In plaga coram Domino.* Rasi: Ea morte conveniente ipsis מדה כנגד מדה *Peccaverant lingua, procrevit eorum lingua usque ad umbilicum ipsorum: & vermes exibant è lingua eorum & veniebant in medio umbilici ipsorum. Ideo dictum* במגפה non בְּמגפה. Coram Domino *Tali conveniente ipsis secundum proprietates Dei, qui mensurat mensuram secundum mensuram.* Hæc tractatu Thalmudico Sota. Moses narrat ex numero exploratorum in vita remansisse duos Josue & Caleb. Rasi vult hoc doceri, quod hi duo sortem decem illorum in terra Canaan obtinuerint.

Historiam hanc suo more liberius narrat Josephus. Mose proponente populum duodecim illos viros elegisse: voluisse Moysen & Aaronem lapidare. Josue & Caleb inter alia convenientia cum textu dicere ὁδηγοῦσιν ἡμῶν ἐπιμένειν. Quasi illi se cum Mose & Aharone duces esse ferrent. Non meminit quod hos duos lapidare voluerint. Nihil habet de alio colloquio Dei cum Mose, tantum, quod Deus pœnam oberrationis in deserto minatus sit. Nihil de pœna exploratorum. Autoritatem Moysis celebrat, quasi se interponendo concitatam multitudinem represserit. Qua occasione in Mosis legumque ejus autoritatem apud hunc populum evectus, eam celebrat, ut suo tempore obtinebat. Philo eleganter & liberrime ut solet, universam historiam explicat. Quod subiicimus, ut cum simplici veritate suprà exposita possit componi. Ipse eam conjungit cum pugna cum Amalec Exodi 17. commemorata: Μετὰ τὴν μάχην ταύτην, ἔγνω δεῖν τὴν χώραν εἰς ἣν ἀπῳκίζετο τὸ ἔθνος, κατασκέψασθαι, δι' ἧσπερ ὁδοιπορεῖν ἔτος ἐνειστήκει. βουλόμενος μὴ οἷα φιλεῖ, γνωσιμαχεῖν οὐκ εἰδότας, ἀλλ' ἀκοῇ προμαθόντας αὐτήν, ἐπιστήμῃ τῶν ἐκεῖ βεβαίᾳ χρωμένους, ὃ πρακτέον, ἐκλογίζεσθαι· δώδεκα δ' ἀριθμοὺς ταῖς φυλαῖς ἄνδρας ἐξ ἑκάστης ἕνα φύλαρχον αἱρεῖται, τοὺς δοκιμωτάτους ἀριστίνδην προκρίνας, ἵνα μηδεμία μοῖρα πλέον ἢ ἔλαττον ἐνεγκαμένη διαφέρηται. πᾶσαι δ' ἐξ ἴσου διὰ τῶν ἐν τέλει παρὰ τοῖς κατοίκοις, εἰ βουληθεῖεν οἱ πεμφθέντες ἀψευδεῖν, ἐπιγνῶσιν· ἑλόμενος δ' αὐτούς, φησὶ τάδε· τῶν ἀγώνων καὶ κινδύνων οὓς ὑπέστημεν καὶ μέχρι νῦν ὑπομένομεν, ἆθλόν ἐστιν αἱ κληρουχίαι, ἂν τῆς ἐλπίδος μὴ διαμάρτωμεν, ἔθνος πολυανθρωπότατον εἰς ἀποικίαν παραπέμποντες· ἔστι δ' ὠφελιμώτατον ἡ τόπων καὶ ἀνθρώπων καὶ πραγμάτων ἐπιστήμη, ὥσπερ ἡ ἄγνοια βλαβερόν. ὑμᾶς οὖν ἐχειροτονήσαμεν ἵνα ταῖς ὑμετέραις ὄψεσί τε καὶ διανοίαις τἀκεῖ θεασώμεθα· γένεσθε δὴ τῶν τοσούτων μυριάδων ὦτα καὶ ὀφθαλμοὶ πρὸς τὴν τῶν ἀναγκαίων εἰδέναι σαφῆ κατάληψιν. ἃ δὲ γνῶναι ποθοῦμεν, τρία ταῦτ' ἐστίν· οἰκητόρων πλῆθός τε καὶ δύναμιν πόλεων, τὴν ἐν εὐκαιρίᾳ θέσιν, καὶ οἰκοδομαῖς ἐχυρότητα, ἢ τοὐναντίον· χώραν, εἰ βαθύγειός ἐστι καὶ πίων, εἰ ἀγαθὴ παντοίους καρποὺς ἐνεγκεῖν σπαρτῶν τε καὶ δένδρων, ἢ λεπτόγεως ἔμπαλιν· ἵνα πρὸς μὲν ἰσχὺν καὶ πλῆθος οἰκητόρων ἰσορρόποις δυνάμεσι φραξώμεθα, πρὸς δὲ τὴν ἐν τοῖς τόποις ἐρυμνότητα, μηχανήμασι καὶ ταῖς ἑλεπόλεσιν· ἀναγκαῖον δὲ καὶ τὴν χώραν εἰδέναι, εἰ ἀρετῶσα, ἢ μή· περὶ γὰρ λυπρᾶς ἱκανοὺς κινδύνους ὑπομένειν, ἠλιθιότητος. τὸ δ' ὅπλα

καὶ μηχανήματα ἡμῶν, καὶ πᾶσα ἡ δύναμις ἐν μόνῳ τῷ πιστεύειν θεῷ κεῖται. Ταύτην ἔχοντες τὴν παρασκευὴν, οὐδενὶ τῶν φοβερῶν εἰξόμεθα. ἱκανὴ γὰρ ἀμάχους ῥώμας, εὐεξίας, τόλμας, ἐμπειρίας, πλήθεσιν, ἐκ πολλοῦ τοῦ περιόντος καταγωνίζεσθαι(?) κατακρατεῖν. δι' ἣν καὶ ἐν ἐρήμῃ βαθείᾳ χορηγίαι πάντων εἰσὶν, ὅσα ἐν εὐετηρίᾳ πόλεων· ὁ δὲ καιρὸς ἐν ᾧ μάλιστα χώρας ἀρετὴν δοκιμάζεσθαι συμβέβηκεν, ἔαρ ἐστὶν, ὃ νῦν ἐφέστηκεν. ὥρα γὰρ ἐαρινὴ, τὰ μὲν σπαρέντα τελεσφορεῖται, γενέσεως δὲ τῶν δένδρων φύσεις ἀρχὴν λαμβάνουσιν. ἄμεινον δ' ἂν εἴη καὶ ἐπιμεῖναι μέχρι θέρους ἀκμάζοντος, καὶ διακομίσαι καρποὺς, οἷονεὶ δείγματα χώρας εὐδαίμονος. Ταῦτ' ἀκούσαντες ἐπὶ τὴν κατασκοπὴν ἐξῄεσαν, ὑπὸ παντὸς τοῦ πλήθους προπεμπόμενοι, δεδιότος μὴ συλληφθέντες ἀπόλωνται, καὶ συμβῇ δύο τὰ χαλεπώτατα, ἀνδρῶν τε οἳ φυλῆς ἑκάστης ὄψις ἦσαν σφαγαὶ, καὶ ἄγνοια τῶν παρὰ τοῖς ἐφεδρεύουσιν ἐχθροῖς, ὧν ὠφέλιμος ἡ ἐπιστήμη. παραλαβόντες δ' ἐπιβήρας καὶ ἡγεμόνας τῆς ὁδοῦ, προαρχομένοις ἐφείποντο, καὶ γενόμενοι πλησίον, ἐφ' ὑψηλότατον ὄρος τῶν περὶ τὸν τόπον ἀναδραμόντες, κατεθεῶντο τὴν χώραν, ἧς πεδιὰς μὲν ἡ πολλὴ κριθοφόρος, πυροφόρος, εὔχορτος· ὀρεινὴ δ' οὐκ ἐλάττων ἀμπέλων καὶ στελεχῶν ἄλλων καταπλεως εὔδενδρος, ἅπασα λάσιος, ποταμοῖς καὶ πηγαῖς διεζωσμένη πρὸς ἄφθονον ὑδρείαν, ὡς ἐκ τῶν προπόδων ἄχρι τῶν κορυφῶν ὅλα τῶν ὀρῶν τὰ κλίματα, δένδρεσι κατασκίοις συνυφάνθαι, διαφερόντως δὲ τοὺς αὐχένας, καὶ ὅσαι βαθεῖαι διαφύσεις. κατεθεῶντο δὲ καὶ τὰς πόλεις ἐρυμνοτάτας διχόθεν, ἔκ τε τοπικῆς περὶ τὴν θέσιν εὐκαιρίας, καὶ περιβόλων ἐχυρότητος· ἐξετάζοντες δὲ καὶ τοὺς οἰκήτορας, ἑώρων ἀπείρους τὸ πλῆθος, περιμηκεστάτους γίγαντας, ἢ γιγαντώδεις τὰς τῶν σωμάτων ὑπερβολὰς, ἔν τε μεγέθεσι καὶ ῥώμαις. Ταῦτα καταδόντες οὐκ εἰς ἀκριβεστέραν κατάληψιν ἐπείγοντο(?)· ὀλισθηρὸν γὰρ αἱ πρῶται φαντασίαι, χρόνῳ μόλις ἐνσφραγιζόμεναι· Καὶ ἅμα σπουδὴν ἐποιοῦντο δρεψάμενοι τῶν ἀκροδρύων, μὴ ἄρτι πρώτων στρεφομένων, ἀλλ' ἤδη ὑποπερκαζόντων, ἐπιδείξασθαι παντὶ τῷ πλήθει, τὰ μὴ ῥᾳδίως φθαρησόμενα, μάλιστα δ' αὐτοὺς κατέπληττεν ὁ τῆς ἀμπέλου καρπός· οἱ γὰρ βότρυες ὑπερμεγέθεις ἦσαν, ἀντιπαρεκτεινόμενοι τοῖς κλήμασι καὶ μοσχεύμασιν, ἄπιστος θέα. ἕνα γοῦν ἐκτεμόντες, καὶ δοκίδος ἐκ μέσου ἀπαιωρήσαντες, ἧς τὰς ἀρχὰς δυσὶ νέοις, τῷ μὲν ἔνθεν τῷ δὲ ἔνθεν ἐπιθέντες, ἐκ διαδοχῆς πιεζομένων αἰεὶ τῶν προτέρων· βαρύτατον γὰρ ἦν ἄχθος· ἐκόμιζον· περὶ τῶν ἀναγκαίων οὐχ ὁμοφρονοῦντες· ἐγένοντο μὲν οὖν αὐτοῖς ἅμιλλαι μυρίαι, καὶ πρὶν ἐπανήκειν κατὰ τὴν ὁδὸν, ἀλλὰ κουφότεραι, ὑπὲρ τοῦ μὴ γνωσιμαχούντων μηδ' ἄλλα ἄλλων ἀπαγγελλόντων στάσιν ἐν τῷ πλήθει γενέσθαι· χαλεπώτεραι δὲ μετὰ τὴν ἐπάνοδον. οἱ μὲν γὰρ περὶ τῆς τῶν πόλεων ἐχυρότητος, καὶ ὡς ἑκάστη πολυάνθρωπός ἐστιν διεξιόντες, καὶ πάντα αἴροντες τῷ λόγῳ πρὸς τὸ μεγαλεῖον, φόβον ἐνεργάζοντο τοῖς ἀκούουσιν· οἱ δὲ τῶν ἁπάντων ὧν εἶδον ὑφαιροῦντες ὄγκον, παρεκάλουν μὴ ἀναπίπτειν, ἀλλ' ἔχεσθαι τῆς ἀποικίας, ὡς αὐτοβοεὶ περιεσομένους, οὐδεμίαν γὰρ ἀνθέξειν πόλιν πρὸς τοιαύτης δυνάμεως ἔφοδον ἀθρόως ἐπιστάσης, ἀλλὰ τῷ βάρει πιεσθεῖσαν, ἀπερεῖν· προσεπέθεσαν δὲ καὶ τὰ ἐκ τῶν ἰδίων παθῶν ἑκάτεροι ταῖς ψυχαῖς τῶν ἀκουόντων, οἱ μὲν ἄνανδροι δειλίαν, οἱ δ' ἀκατάπληκτοι θάρσος μετ' εὐελπιστίας. ἀλλ' οὖτοι μὲν, πέμπτη μοῖρα τῶν ἀποδεδειλιακότων, οἱ δ' ἔμπαλιν τῶν γενναίων πενταπλάσιοι· τὸ δὲ ὀλίγον θάρσος ἀτολμίας ἐναφανίζεται περιουσίᾳ· ὃ δὴ καὶ τότε φησὶ συμβῆναι. τῶν γὰρ βέλτιστα διεξιόντων δυοῖν, οἱ τἀναντία φάσκοντες δέκα περιῆσαν οὕτως, ὥστε καὶ σύμπασαν ὑπηγάγοντο τὴν πληθὺν, ἐκείνων μὲν ἀλλοτριώσαντες, αὐτοῖς δ' οἰκειωσάμενοι· περὶ δὲ τῆς χώρας πάντα πάντες ἀπεφαίνοντο γνώμῃ μιᾷ τὸ κάλλος καὶ τῆς παραδόξου, καὶ τῆς ὀρεινῆς ἐκδιηγούμενοι. Τί δ' ὄφελος, εὐθὺς ἀνεβόησαν, ἡμῖν ἀλλοτρίων ἀγαθῶν καὶ ταῦτα πεφρουρημένων κραταιᾷ χειρὶ πρὸς τὸ ἀναφαίρετον. Καὶ τοῖς δυσὶν ἐπιδραμόντες μικροῦ καταλεύουσιν αὐτοὺς, ἡδονὴν ἀκοῆς τοῦ συμφέροντος, καὶ ἀπάτην ἀληθείας προκρίνοντες. ἐφ' οἷς ὁ ἡγεμὼν ἠγανάκτει, καὶ ἅμα ηὐλαβεῖτο, μή τι θεήλατον κατασκήψῃ κακὸν, οὕτως ἐκθύμως ἀπιστοῦσι τοῖς χρησμοῖς· ὅπερ καὶ ἐγένετο. τῶν γὰρ κατασκόπων, οἱ μὲν δειλοὶ δέκα λοιμώδει νόσῳ διαφθείρονται, μετὰ τῶν ἐκ τοῦ πλήθους συναπονοηθέντων· μόνοι δ' οἱ συμβουλεύσαντες μὴ ὀρρωδεῖν, ἀλλ' ἐφίεσθαι τῆς ἀποικίας, ἐσώθησαν, ὅτι καταπειθεῖς ἐγένοντο τοῖς λογίοις, γέρας ἐξαίρετον λαβόντες τὸ μὴ παραπολέσθαι.

λάθωμεν. τοῦτ' αἴτιον ἐγένετο τοῦ μὴ θᾶττον ἥκειν εἰς ἣν ἀπῳκίζοντο γῆν. δυνάμενοι γὰρ ἔτει δευτέρῳ μετὰ τὴν ἀπ' Αἰγύπτου μετανάστασιν, τὰς ἐν Καναναίᾳ πόλεις, καὶ τὰς κληρουχίας ἐνείμασθαι, τὴν ἀγχοῦ καὶ ἐπίτομον ἐκτραπόμενοι ὁδὸν, ἐπλάζοντο, δυσπορεύτους καὶ μακρὰς ἀνοδίας ἄλλας ἐπ' ἄλλαις ἀνευρίσκοντες. εἰς ἀνήνυτον ψυχῆς τε καὶ σώματος κάματον, δίκας ἀναγκαίας τῆς ἄγαν ἀσεβείας ὑπομένοντες. ὀκτὼ γοῦν ἐνιαυτοὺς πρὸς τοῖς τριάκοντα δίχα τοῦ παρεληλυθότος χρόνου, γενεᾶς βίον ἀνθρωπίνης, ἄνω κάτω τριβόμενοι, καὶ τὰς ἀβάτους ἐρημίας ἀναμετροῦντες, ἐπὶ τεσσαρακοστῷ μόλις ἔτει τοὺς τῆς χώρας ὅρους παρεγένοντο, ἐφ' οὓς καὶ πρότερον ἦλθον. Quæ valent interprete Gelenio: *Post prælium decrevit exploratores ad inspiciundas sedes genti suæ destinatas mittere, anno secundo postquam iter ingressi fuerant: ne forte more solito per ignorantiam dissentirent à Ducis consilio: utque re auditu cognita, quid agendum esset in commune dispicerent, missi sunt è duodecim tribubus totidem principes electi ex optimatibus ut omnium esset par authoritas: utque ex æquo tribus omnes de statu regionis cognoscerent ex honoratioribus, si modo illi renunciare vera voluerint. Electos autem sic alloquitur: Certaminum ac periculorum quæ sustinuimus & sustinemus hodieque præmium erit agrorum divisio, quam spem ratam faxit Deus optimus maximus, ut gentem frequentissimam ducamus in coloniam, profuerit autem plurimum, locorum, hominum, rerum conditionem pernoscere, sicut ignorare hæc est noxium, ideò vos elegimus, ut vestris oculis atque mentibus inspiceremus. Eritis igitur tot millibus pro auribus & oculis, ut cognoscatis quæ nos scire oportet, nimirum tria hæc: incolarum frequentiam ac potentiam, urbium situm, munitæ sint an sine munitionibus, postremò quænam sit agri natura, num ferax & apta vinetis, arbustis atque segetibus, an contrà sterilis: ut adversus vires copiasque incolarum instruamus nos legionibus quas illis tutò possimus opponere, contra locorum autem difficultates machinis oppugnatoriis: naturam quoque regionis scire necessium est, bona sit an non: alioqui pro possessione sterilium agrorum ultrò subire pericula, summa stultitia fuerit arma autem nostra & machinæ atque copia sitæ sunt in sola ergà Deum fiducia, hoc apparatu freti nullis cedemus terroribus: hoc vincemus, etiamsi fuerimus inferiores robore, habitudine, audacia, peritia, copiis: hoc instructi etiam in vasta solitudine nihil requisivimus eorum quæ habentur in urbibus. Tempus quoque nunc est explorationi aptissimum, vernum videlicet, quando ad maturitatem tendunt segetes, & arborum fructus proferre se incipiunt: præstat tamen differre in æstatem reditum, & afferre aliquid fructuum, quod sit regionis ejus ubertatis specimen. His auditis ad explorandum proficiscuntur deducente universâ multitudine, solicita ne comprehensi luant supplicium, & accipiatur geminum incommodum, virorum tributim selectorum interitus, cum ignoratione rerum hostilium, quarum petebatur notitia. Habebant autem secum duces peritos locorum, quos sequebantur in itinere cumque appropinquassent finibus, ascenso monte altissimo contemplabantur regionem magna ex parte campestrem, feracem hordei, tritici, atque pabuli: montana quoque vitibus & arbustis erant consita, ubique virentia, distinctaque rivis ac fontibus ad aquandi copiam, ut à radicibus, usque cacumina, tota latera montium, opaca essent continuis arboribus: præsertim juga & valles mediæ. Videbant etiam urbes natura & arte munitas egregrie: amplius deinde inquirendo videbant incolarum immensum numerum, gigantibus similium proceritate ac robore: hæc ut diligentius perspicerent, hæserunt ibi diutius, ne fallerentur primo intuitu, sed certiores menti notas imprimerent simulque curaverunt ut decerptos arborum fructus jam semimaturos suis tribulibus ostenderent, eos præcipuè qui non corrumpuntur facile. Sed nihil magis quam vitis fructum mirabantur: pendebant enim prægrandes uvæ de palmitibus, spectaculum vix credibile: harum unam exsectam suspenderunt è vectè medio, cujus extrema imposuerunt humeris duorum juvenum, atque ita deportabant aliis post alios propter pondus succedentibus. De cætero non consentiebant. In itinere eis convenire non poterat quid renunciandum esset de communi sententia, ne quid seditionis oriretur in populo: sed hoc fuit levius, post reditum extitit major discordia*

ſcordia, alii de urbium munimentis & civium frequentia narrantes, attollenteſque in majus omnia, verbis territabant concionem: alii contrà elevabant quicquid viderant, hortando ut forti eſſent animo, & coloniam quærerent, conſecuturi ad primum clamorem victoriam, nullam urbem laturam tantæ multitudinis ſimul ingruentis impetum, nec parem futuram incumbenti oneri. Atque ita utrique invenerunt in plebe quos imbuerent ſuis affectibus: ignavia timidi, fortes verò ſpe atque audacia. Verum hi portio quinta fuerunt, timidis quincuplo ſuperantibus, quo factum eſt ut paucorum fortitudo obſcuraretur in tanto ignavorum numero. Duobus autoribus optimi conſilii prævaluerunt decem diſſuaſores eorum ſententiæ, qui pertraxerunt in ſuas partes totam plebeiam multitudinem: omnes uno ore laudabant montana æque atque campeſtria: ſed confeſtim reclamabatur à concione: Quid opus eſt nobis alienis fortunis aſſervatis tanto præſidio, ut non poſſint adimi priſtinis dominis? Vix temperatum eſt à manibus, quin duos diverſum ſentientes lapidibus obruerent, malentes audire jucunda quàm utilia; & veris falſa præferentes quod ægerrimè ferebat dux multitudinis, diris agitari eam ſuſpicans, quæ tam contumaciter aſpernaretur oracula, nec longè ultionem abeſſe ſicut eventus docuit: nam illi decem exploratores timidi abſumpti ſunt peſtilentiâ, cum turbâ ſequuta ipſorum ignaviam: ſoli qui ſuaſerant eundum intrepide, ſervati ſunt, præmium referentes pietatis, & reverenter accepti oraculi. Hæc cauſa fuit ſerius deductæ coloniæ: cum enim potuiſſent ſecundo anno poſtquam ex Ægypto demigrarant, agros Syriæ dividere, deflectentes à via compendiaria, vagabantur per ſeceſſus longinquos & devios alios quærendo poſt alios, fruſtra defatigantes animum cum corpore, ut meritae impietatis pœnas perſolverent: quippe qui præter tempus jam elapſum, per XXXVIII. annos, ætatem hominis, ſuſque deque oberrantes per invia, vix quadrageſimo anno pervenerunt ad eoſdem quos anteà terminos.

Iſraëlitarum clades ab Amalecitis & Chananæis.

CUm Moſes populo ſententiam Domini de obhæſionis pœna & morte in deſerto denuntiaſſet, mutatus illis eſt animus, oſtenderuntque ſe promptos & paratos eſſe, ut eant in bellum adverſus incolas terræ promiſſæ, nihil metuentes illa, quæ ante pavorem mentibus objecerant, dederantque inſaniam. Qui mandante & ſuadente Domino bellum detrectaverant prius, nunc renuente Domino & diſſuadente Moſe in pugnam cladem que præcipites feruntur. Hunc conflictum eſſe conjunctum cum ſeditione eamque proxime ſecutum docet Moſes, continua oratione, poſt narratam pænitentiam ſcribens: וישכמו בבקר ſurrexerunt mane & aſcenderunt in montem. Hebræi in ſuo Chronico, eoſque ſecutus Genebrardus, putant poſt decimum nonum annum pugnam hanc commiſſum eſſe & alios novendecim annos in eadem manſione conſumptos. Hanc ſententiam hauſerunt è Deut. 1. ult. *Sedebatis in Cades diebus multis, ſecundum dies quibus ſederatis.* Hunc ſenſum eſſe putant, ſequentis temporis dimidium cum egiſſetis in Cades ante pugnam, alterum dimidium in eodem loco poſteà tranſegiſtis. Aben-eſdras putat dimidiari dies moræ, quam exploratores inſumpſerant, explorando Cananæam. Sederatis בתוך הארץ. Ego puto ſignificari quod habet vulgata editio Latina, *multo tempore*. Hebræa enim phraſis longum tempus notat, quod non definitur. Sic LXX. καὶ ἐνεκάθησθε ἐν Καδὴς ἡμέρας πολλὰς, ὅσας ποτὲ ἡμέρας ἐνεκάθησθε. Joſephus quaſi multo tempore poſt ſeditionem factus eſſet iſte conflictus, accepit. Lib. 4. cap. 1. hiſtoriam illam explicat. Ægrè ferentes, quod non ſineret eos Deus cum hoſtibus confligere & finire errorem in ſolitudine, noluiſſe audire Moſen, quieſcere jubentem. Exiſtimabant ſe δίχα τῆς παρ' ἐκείνου σπουδῆς vincere poſſe. Suſpectum habe-

habebant Mosen, quasi id ageret ut in inopia manerent, quo ipsius auxilio egerent. Provolant in pugnam arbitrati & sibi invicem persuadentes non Mosis causa sed cura gentis universæ Deum opem ferre, ob majores, qui in ejus tutela egerant. Præstare etiam, ut proprio arbitratu rem gerant, quam Ægyptiam servitutem mutasse videantur Mosis tyrannide, jactantis Divina alloquia: Omnes se esse Abrahami posteros, Deo confisos in hostem ire & terræ possessionem capere. Existimat igitur præter tædium solitudinis fiducia Dei vana & non credentes Deum Mosi locutum esse, pugnam iniisse. Nos arbitramur nimio desiderio terræ & abominatione amentes, quasi comprobaturos voluntatem occupandi, oppositam superiori seditioni, non auscultasse Mosi. Conscendere moliuntur montem, qui inter ipsos & terram Canaan medius erat, Mose & arca fœderis in castris remanentibus. Amalecitæ ac Chananaæi excubabant in montis cacumine, conantesque ascensum fortiter repellunt, pulsique in fugam usque ad Hormam (locum ita appellatum, alii putant cladem ipsam significari) cædunt. Hæc clades eos afflixit, prout Moses prædixerat, quia Deus adesse noluit adversus voluntatem suam pugnantibus. Josephus scribit populum pœnitentia suæ teneritatis promisisse, se in posterum futuros in ducis sui potestate. Mosen autem ex infelici loco populum retro duxisse, ne ante cum Chananæis manus consererent quam Deus juberet: simul arbitratum, in obsequio facilius retinendos, si procul à terræ desideratæ finibus agerent. Sed secus evenisse ob multitudinem numerosissimæ gentis, quæ in secundis rebus ægrè, nedum in egestate contineri posset in officio. Inter seditionem & cladem, quæ contigit in autumno anni secundi ab Exodo, & adventum in desertum צין Num. XX. 1. triginta septem anni cum dimidio.

Seder olam Rabba cap. 8. de tempore libri Numerorum.

Locutus est ad Mosem in deserto Sinai in tentorio conventus primo mensis secundi anno secundo &c. (Num. 1. 1.) *Sume summam* &c. (v. 2.) *à viginti annis* &c. (v. 3.) *Et vobiscum erunt* (v. 4.)

Et poste (Num. 3. 40.) *Numera omnem primogenitum masculum in filiis Israël* &c. Et posteà, *Sume summam filiorum Caath* (Num. 4. v. 2.) *Et posteà, Sume etiam filiorum Gerson* &c. (v. 22.) Et posteà Sume summam filiorum Merari. Ad os Domini numerati sunt per Mosen &c. v. 48.

In decimo quarto Jar polluti cadavere mactarunt pascha secundum Num. 9.

In vicesimo die anni secundi sublata est nubes. Numer. 10. 11.

Reperiuntur egisse in Sinai deserto duodecim mensibus minus Decem diebus.

Et dicitur (Num. 33. 2.) *Et Moses scribebat egressus eorum secundum profectiones eorum* &c.

Profecti sunt è deserto Sinai & venerunt in Cabroth Hatthava, & egerunt illic triginta diebus E. D. (Num. 11. 19. 20.) *Non unum diem edetis &c. usque mensam dierum* &c.

Profecti sunt è Cabroth Hatthaua & venerunt in Haseroth: egeruntque illic septem diebus Q. D. (Num. 12. 15.) *Et occlusa est Maria septem diebus.*

Profecti sunt ex Haseroth & venerunt in desertum Paran in 25. Sivan & in vigesimo nono Sivan, misit Moses exploratores (Q. D.) (Num. 13. 20.) *Et dies illi dies primitivarum uvarum* &c.

Et consederunt ob explorationem terræ à fine quadraginta dierum & no-

no Ab fuit quod invenies dictum: In nono Ab decretum est super patribus nostris quod non essent ingressuri terram. Post exploratores fuit divisio Core & absorptio ejus, Q. D. *Etiam non in terram fluentem lacte & melle* &c. *Et exarsit ira Dei in Israëlem* &c. *Et* (Deut. 2. 14.) *dies illi, quibus ivimus à Cades usque torrentem Zared triginta octo anni* &c. Decimo nono anno iterum turbati sunt & *novendecim annis, sederunt in Cades* Q. D. (Deut. 1. ult.) Et sedistis in Cades diebus multis secundum dies &c. Inveniuntur omnes profectiones 42.

Scriptura, (Num. 33.) inter Rhetmam & Sin ponit mansiones 17. Harum nomina ita Hebræa veritas, LXX. & Vulgara Latina editio:

1. רִתְמָה ῥαθαμᾶ, *Rethma.*
2. רִמֹּן פֶּרֶץ ῥεμμὼν Φάρες, *Remmon-phares.*
3. לִבְנָה λεβωνᾶ, *Lebna.*
4. רִסָּה ῥεσσὰν, *Ressa.*
5. קְהֵלָתָה μακελλὰθ, *Ceelatha.*
6. הַר שָׁפֶר σαφὰρ *Mons Sapher.*
7. חֲרָדָה χαραδὰθ, *Harada.*
8. מַקְהֵלוֹת μακηλὼθ, *Maceloth.*
9. תָּחַת καταὰθ, *Thahath.*
10. תָּרַח ταρὰθ, *Thare.*
11. מִתְקָה Μεθεκκὰ, *Methca.*
12. חַשְׁמוֹנָה Σελμωνᾶ, *Hesmona.*
13. מוסרות Μασουρὼθ, *Moseroth.*
14. בְּנֵי יַעֲקָן Βαναία *Bene-Iaacan.*
15. חֹר הַגִּדְגָּד ὄρος γαδγὰδ. *mons Gadgad,*
16. יָטְבָתָה ἐτεβαθὰ, *Iethebatha.*
17. עברנה ἐβρωνὰ, *Hebrona.*
18. עֶצְיֹן גֶּבֶר γεσιὼν γάβερ *Asion-gaber.*

Decima quarta mansio (Deut. 10. 6.) plenius dicitur בארות בני יעקן, ubi LXX. *βηρὼθ' υἱῶν ἰακίμ.* Fuerunt illic putei: ut in decima sextâ terra torrentium aquarum, אֶרֶץ נַחֲלֵי מָיִם (v. 7.) מוסרה in singulari illic pro מסרות plurativo. Sed quid dicemus ad hoc, quod in illo loco מוסרה post Bne Jaacan ponatur & in illo Aaron dicatur obiisse: quem obiisse constat in monte Hor? Rasi in illum locum: *Quis sensus iste hic & amplius? Num è Beeroth bne Iaacan profecti sunt in Mosera. Nonne è Moseroth venerunt in bne Iaacan Q. D. (Num. 33. 31.)* Et profecti sunt è Moseroth &c. *Porro*, Illic mortuus est Aharon? *Nonne in monte Hor mortuus est?* 1 & computa & *invenies octo profectiones è Moseroth in montem Hor. Etiam hoc ex increpatione. Et porro fecistis hoc quando mortuus est Aharon in monte Hor in fine quadraginta annorum & recesserunt nubes gloriæ: metuistis vobis à bello regis Arad & posuistis caput ad redeundum in Ægyptum & cessistis retrò octo itineribus usque Bne Iaacan: & exinde in Mosera: illic pugnarunt vobiscum filii Levi & occiderunt è vobis & vos ex illis donec redire compulerunt vos per viam reversionis. Et inde rediistis Gudgod, quod est Hor-gidgad.* Et è Gudgod &c.] *Et in Mosera fecistis luctum magnum ob mortem Aharonis, quod vobis hujus rei causa fuisset & visum vobis est, quasi illic mortuus esset. Conjungit Moses hanc objurgationem cum confractione tabularum: cogitando* (לומר) *quod mors justorum gravis coram Deo benedicto sit ut dies, quo confractæ sunt tabulæ. Etiam ad indicandum, quod durum fuerit ipsi, quod dederunt caput ad Separandum se ab ipso, ut quando fecerunt vitulum.* Aben-esdras: *Ingreditur hic versus in hoc loco,* pro-

propterea, quia dixerat : Et precabar etiam pro Aharone in tempore illo: *Et dicit, quia non est mortuus Aharon, nisi in anno quadragesimo. Et testificatur sic esse expositionem ejus, quod dicat ,* In tempore illo separavit Deus tribum Levi: *hoc autem fuit in monte Sinai quemadmodum exposui in Parasa* וידבר. *At majores nostri dicunt, quod profecti sint retro. At quid dictio :* Illic mortuus est Aharon & Sepultus est illic? *R. Isaac Eben Geath Hispanus exponit* שם *ut* אז *tunc. Tale est* משם רועה. (Gen. 49. 24.) *At non est opus* (רק לפי דעתי) *quantum judico, quia* מבארות בני־יעקן *non est* בני יעקן*: etiam Mosera non est Moseroth, sed Cades vocabatur* בארות בני יעקן *& nomen deserti montis Hor fuit Mosera. Multa ita : Nonne vides? Scriptura dicit,* Desertum Sur; *& in alio loco,* desertum Etham. Inde profecti sunt Gudgoda] *non est Hor Gudgad sed est nomen generale (*שם כלל*) comprehendens Salmona, etiam Phunon & Oboth : Iotbatha est locus, qui vocatur* באר. *Nam sic scriptum :* Inde Beera profecti sunt (Num. 21. 16.) Et hoc valet quod dicitur : Terram torrentium aquarum. *Quia scipionibus suis foderunt nobiles & egressa sunt aqua. Et hic locus, qui est :* Inde profecti sunt Gudgoda *cohaeret cum ,* Et sacerdos factus est Aharon. *En exposui tibi quod Israël non obtulerit victimas, postquam profecti sunt à monte Sinai: Et convenit, quod eas obtulerint cum venirent in Salmona & Phunon. Et fuit principium sacerdotii Eleazar in sacerdotio magno in illis locis in principio anni & ministravit in loco dicto* באר *in die Cippurim. Et ecce expositio est sic : Et sacerdos factus est Eleazar, quando profecti sunt ad locum N. Et quare sacerdos Eleazar? Quia Deus separaverat, in tempore cultus vituli, tribum Levi ut portaret arcam, ut staret coram Domino.* Hæ sunt conciliationes Judæorum, nos ἐπέχομεν, hoc tantum videmus versus 6. 7. 8. 9. ita inseri ut quintus cohæreat cum decimo.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI PRIMI.
CAP. XXXIV.

Exploratoribus interfectis ad vulgi formidinem, secuta est eorum contumacia qui se Dathan & Abiron ducibus adversum Moysen & Aaron erigere conati sunt. Sed eos vivos hiatu suo terra absorbuit. Nec multo post, totius populi in Moysen & Aaron orta seditio est, adeò ut tabernaculum (quod erat nefas, nisi sacerdotibus, introire) irrumperent. Tum verò catervatim in eo grassata mors est: momentoque omnes interiissent, nisi Moysi precibus placatus Dominus cladem avertisset. Numerus tamen peremptorum septingenti & XIV.

millia fuit. Nec multo post ob aquæ penuriam, ut jam sæpius, populi exorta seditio est. Tunc Moyses à Domino monitus, ut petram virgâ feriret, familiari sibi experimento (siquidem id jam ante fecisset) semel atque iterum petram percussit, atque ita aqua effluxit. In quo quidem notatus à Domino Moyses refertur, quod per diffidentiam non nisi iterato ictu aquam eduxerit. Denique ob hoc peccatum promissam sibi terram non ingressus est, sicut inferius ostendam.

DRUSIUS.

EXPLORATORIBUS INPERFECTIS] qui reversi contra Mosen seditionem conciverant: erant autem decem numero.

DATHAN ET ABIRON DUCIBUS] dux præcipuus erat Core, qui putatur pontificatum ambiisse. Dathan autem & Abirom offensi erant propter jus primogenituræ, ut vulgò creditum, quod ademptum illis datum erat filiis Joseph. His se socium jungebat quidam On filius Pheleth, de filiis Ruben.

ABIRON] ἀβειρὼν cum N. in fine, sed scribendum ἀβειρὼμ ex libris Ebræis, id est, Abirom, cum M. in extremo. Mendum ergò est quale in Gerson pro Gersom. Absalon pro Absalom. Contra lectum Edem pro Eden, & Madiam pro Madian. Reperitur & Abiram sicut dicimus Adam & Odom, Corbana & Corbona. Nam hodieque Syri quidam O. pro A. legunt quod vocant Odom & respondet τῷ Camets Ebræorum: id valet à magnum sive longum.

QUOD ERAT NEFAS NISI SACERDOTIBUS INTROIRE] videtur sub sacerdotum nomine Levitas etiam comprehendere. Nam & illis fas erat introire tabernaculum, ubi sacerdotibus ministrabant extra velum. Nam intra velum ad altare soli sacerdotes litabant. Sermo mihi de velo medio. Nam tria erant. Tabernaculum, ut hoc obiter notem, tres partes habebat: quarum intima vocabatur Sanctum Sanctorum, quod solus pontifex ingrediebatur semel in anno. Media Sanctum dicebatur. Extrema erat atrium quod fas erat ingredi omnibus Judæis. Hoc ætas posterior distinxit in duas partes, quarum una dicebatur atrium virorum, altera atrium fœminarum, quod in eo solæ fœminæ apparerent.

IRRUMPERENT] expressit verba illa editionis LXX. *Καὶ ὥρμησαν ἐπὶ τὴν σκηνὴν τ̃ μαρτυρίου.* Ebræus habet ויפנו *& respexerunt ad tabernaculum conventus.* Sed Hieronymus ad Mosen & Aharonem retulit, interpretans, *fugerunt ad tabernaculum fœderis.*

POPULI EXORTA SEDITIO EST] Hæc acciderunt in deserto Sin, in Cades, ubi & Maria soror Aharonis diem suum obiit.

SEDITIO] potius murmuratio, quam seditio erat.

UT PETRAM VIRGA FERIRET] virgâ quâ uti consuerat; quæ virga Dei & Mosis & Aharonis dicitur. Alias probabo.

AQUA EFFLUXIT] quæ ab hoc eventu dicta *aqua Meriba*, id est jurgii aut contradictionis.

NON NISI ITERATO ICTU] nam bis feriebat saxum, quod est signum diffidentiæ: quam arguunt & verba illa, *An ex petra hac educemus aquam?* R. Salomo scribit eum peccasse propterea quod virga percusserit rupem, cum potuisset solo verbo elicere aquam. Sane jussus erat loqui ad petram, non ferire eam. Num. 30. 8.

SCO-

SCHOTANUS.

EXPLORATORIBUS INTERFECTIS] Non tantum Sulpicius ſed & Joſephus omiſit hiſtoriam ejus qui Sabbatum lignatione violaverat. Cap. XV. Numerorum poſt ſacerdotalia quædam inſtituta narratur verſ. 32. 33. 34. 35. 36. In fine additur præceptum de ציצת. Tempus illius hiſtoriæ certum ignoratur, tantum notatur eveniſſe cum Iſraëlitæ in deſerto eſſent. Scriptorem eam ſcripſiſſe puto cum abſolviſſent oberrationem per deſertam Arabiam. Eveniſſe puto poſt exploratorum perfidiam. Egreſſi quidam Sabbato è caſtris invenerunt hominem lignantem. Indignati facto, comprehendunt, ducunt ad Moſen & Aharonem univerſamque concionem Iſraël. Sciebant omnes ſupplicium mortis definitum eſſe tranſgreſſori hujus præcepti: ſed genus mortis Deus non determinaverat. In cuſtodia tenuerunt donec Deus conſultus à Moſe lapidationem præcepit. Parent, caſtris ejiciunt, univerſa concio lapidibus obrutum enecat. Ligna collegiſſe ſcriptura narrat, atque ob id crimen punitum: Sive ligna in ſylva ceciderit, (quod verius puto) ſive fragmenta lignorum collegerit, ut alii arbitrantur: Adjiciunt alii voluiſſe ignem accendere in ſabbato. Dubitaſſe quidam volunt populum quid meritus eſſet, cum in homine pauperculo leve crimen eſſe videretur, ramalia ſparſa cogente neceſſitate colligere. Grave crimen commiſiſſe certum eſt, quod nec ab ignorantia nec neceſſitate poteſt excuſari. Philo in hunc modum narrat: Τούτου δή τις ἀλογήσας τοῦ διατάγματος, ἔτι τοὺς χρησμοὺς ἐναύλους ἔχων τοὺς περὶ τῆς ἱερᾶς ἑβδόμης, ὡς ἐθέσπισεν ἄνευ προφήτου ὁ θεὸς καὶ διὰ φωνῆς τὸ παραδοξότατον ὁρατῆς τῶν παρατυγχανόντων ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐπεγείρει μᾶλλον, ἐπὶ φρυγανισμὸν ἐξῄει διὰ μέσου τοῦ στρατοπέδου, πάντας εἰδὼς ἐν ταῖς σκηναῖς ἠρεμοῦντας, καὶ ὁρῶν ἔτι τὸ ἀδίκημα καταφανὲς ὑπὲρ τοῦ μὴ λαθεῖν γίνεται· πολλοὶ γὰρ ἔξω προεληλυθότες τινὲς εἰς ἠρεμίαν, ἵν' ἐν τῷ καθαρωτάτῳ καὶ ἡσυχάζοντι εὔξαιντο, θέαν ἔκνομον ἰδόντες, ξύλων ὕλην συγκομίζοντα, καὶ δυσανασχετήσαντες ἐμέλλησαν μὲν αὐτὸν ἀνελεῖν, λογισμῷ δὲ τὸ παρακεκινημένον τῆς ὀργῆς ἐπισχόντες, ἵνα μήτε ἰδιῶται ὑπὸ ἀρχόντων κολάζειν τινὰ δοκῶσι, καὶ ταῦτ' ἄκριτον, κἂν ἄλλως τὸ παρανόμημα ᾖ ἐμφανές, μήτε τοῦ περὶ τὴν ἡμέραν ἐναγοῦς μίασμα φόνου, κἂν δικαιότατος ᾖ, προσάψηται· συλλαβόντες δὲ, ἄγουσιν αὐτὸν ἐπὶ τὸν ἄρχοντα, ᾧ συνήδρευον μὲν ἱερεῖς, παρειστήκει δὲ σύμπασα ἡ πληθὺς πρὸς ἀκρόασιν· ἔθος γὰρ ἦν, ἀεὶ μὲν κατὰ τὸ παρεῖκον, προηγουμένως δὲ ταῖς ἑβδόμαις, ὡς ἐδήλωσα, καὶ πρόσθεν, φιλοσοφεῖν, τοῦ μὲν ἡγεμόνος, ὑφηγουμένου καὶ διδάσκοντος, ἅ, τι χρὴ πράττειν καὶ λέγειν, τῶν δ' εἰς καλοκἀγαθίαν ἐπιδιδόντων, καὶ βελτιουμένων τά τε ἤθη καὶ τὸν βίον· ἀφ' οὗ καὶ εἰσέτι νῦν φιλοσοφοῦσι ταῖς ἑβδόμαις Ἰουδαῖοι τὴν πάτριον φιλοσοφίαν, τὸν χρόνον ἐκεῖνον ἀναθέντες ἐπιστήμῃ καὶ θεωρίᾳ τῶν περὶ φύσιν. τὰ γὰρ κατὰ πόλεις προσευκτήρια, τί ἕτερόν ἐστιν, ἢ διδασκαλεῖα φρονήσεως καὶ ἀνδρίας, καὶ σωφροσύνης, καὶ δικαιοσύνης, εὐσεβείας τε καὶ ὁσιότητος καὶ συμπάσης ἀρετῆς, ᾗ κατανοεῖται καὶ κατορθοῦται τά τε ἀνθρώπεια καὶ θεῖα. Τότε μὲν οὖν εἰς εἱρκτὴν ὁ τηλικοῦτον ἀσέβημα δράσας ἀπάγεται· Μωϋσῆς δὲ ἀπορῶν ὅ, τι χρὴ παθεῖν τὸν ἄνθρωπον· ᾔδει γὰρ ἄξια θανάτου διαπεπραγμένον· ἀλλὰ τίς ἂν γένοιτο τρόπος ἁρμόζων τῆς τιμωρίας ἀφικνεῖται πρὸς τὸ ἀόρατον ἀοράτῳ ψυχῇ δικαστήριον, καὶ πρὶν ἀκοῦσαι πάντ' ἐπισταμένου δικαστοῦ τί κέκρικεν· ὁ δ' ἀποφαίνεται τὴν γνῶσιν, ὅτι καὶ θνήσκειν ὀφείλει, καὶ οὐχ ἑτέρως ἢ καταλευσθείς, ἐπειδὴ καὶ τούτῳ καθάπερ καὶ τῷ προτέρῳ, μετέβαλεν ὁ νοῦς εἰς κωφὴν λίθον ἐργασαμένῳ πλεῖστον παρανόμημα, ᾧ σχεδὸν πάντα τἄλλα ἐπιφέρεται, ὅσα περὶ τοῦ σεβασμοῦ τῆς ἑβδόμης νενομοθέτηται. Διὰ τί; ὅτι οὐχ αἱ βάναυσοι μόνον, καὶ αἱ ἄλλαι τέχναι καὶ πραγματεῖαι, καὶ μάλιστα αἱ περὶ πορισμὸν καὶ βίου ζήτησιν, ἢ διὰ πυρός εἰσιν, ἢ οὐκ ἄνευ τοῦ διὰ πυρός. ὅθεν ἀπαγορεύει πολλάκις ἐν ταῖς ἑβδόμαις πῦρ ἐναύειν, ὡς ἀρχηγικώτατον αἴτιον καὶ πρεσβύτατον ἔργον, οὗ ἡσυχάσαντος, ὑπενοήθη

καὶ τὸ κατὰ μέρος ὡς εἰκὸς συνησυχάζειν· ὕλη δὲ ξύλα πυρός, ὥστε τὸν ξυλιζόμενον ἀδελφὸν καὶ συγγενὲς ἁμάρτημα τῷ καίειν δρᾶν, τὸ παρανόμημα διπλασιάζοντα, τῇ μὲν ὅτι προσταχθὲν ἠρεμεῖν συνεκόμιζε, τῇ δ', ὅτι καὶ τοιαῦτα συνεκόμιζεν, ἃ πυρός ἐστιν ὕλη τῆς τῶν τεχνῶν ἀρχῆς. Hæc à Sig. Gelenio reddita sunt: *Hoc præcepto posthabito quidam recenti etiam tunc oraculi de sacro sabbatho proditi memoria, quod Deus ipse visibili voce oculis magis quam auribus ingesserat, per media castra lignatum exivit, non ignarus omnes in tentoriis quiescere moxque in vetito deprehensus est. Quidam enim per otium extra portam progressi, ut in loco puro quietoque vacarent precibus, viso nefario spectaculo, intentum fasci componendo lignatorem occisuri erant præ irâ, nisi commotos ab impetu revocasset hæc reputatio, animadversionem in hujusmodi peccata non esse privati juris, sed pertinere ad magistratus publicos ipsosque principes, ne indicta causa indemnatusque periret, alioquin reus manifestarii criminis, religione quoque diei vetante cædem vel justissimam: ideo maluerunt comprehensum hominem adducere ad principem & sacerdotum consistorium, confluente ad rem cognoscendam universo populo: mos enim erat certis temporibus, præcipue Sabbatis, ut ante dixi, operam dare studio sapientiæ, principe doctoris vice fungente, præmonstranteque officia, subditis autem in honestate proficientibus, & mores vitamque corrigentibus. Quæ consuetudo à majoribus per manus accepta hodieque durat apud Iudæos, tempore illo dicato eruditioni contemplationique rerum naturalium: nam destinata oppidatim sacris precationibus loca, quæ proseuchas vulgus nominat, quid aliud sunt quam scholæ, in quibus prudentia, fortitudo, temperantia, justicia, pietas, sanctitas, omnisque virtus discitur, quæcunque ad humana divinaque negotia requiritur. Cæterum eo die non ultra vincula sævitum est in hominem impium. At Moses de plectendo quem norat commeruisse mortem dubius, & genus supplicii dignum ignorans, invisibili animo ad invisibile tribunal se contulit, ubi jam ante cognitam causam decretum fuerat ab omniscio judice: qui pronunciavit morte mulctandum obruendumque lapidibus, quandoquidem & hujus mens sicut prioris in surdum lapidem obduruerat, prolapsi ad impietatem extremam, complexam penè omnia violati Sabbati crimina: quamobrem? quia non solum sordidæ fabrilesque, sed cæteræ quoque artes & occupationes tunc sunt prohibitæ, præsertim quæ ad parandum victum attinent, aut per ignem fiunt, aut per instrumenta non sine igne confecta: ideo sæpe interdicitur nequis ignem accendat Sabbato, ut cessante causa principali & antiquissima cesset effectus ejus etiam. Sunt autem ligna ignis materia, ut lignator & qui accendit ignem in eâdem culpâ hæreant: atque ità geminetur noxa, tum quià fit opus cum lex jubet quiescere, tum quià fomites ignis comportantur, unde præbetur opificiis occasio.*

De seditione Core.

QUæ sequitur seditio, longe gravissima fuit. Josephus: *οἵαν οὐχ ἱστορῆσθαι οὔτε παρ' Ἕλλησιν, οὔτε παρὰ βαρβάροις γενομένην.* Nimium rem extollit. Textus sacer eam commemorat Num. cap. XVI. à principio ad v. 40. Quanquam & eò pertineant, quæ inde ad finem capitis habentur de seditione populari & quæ in cap. XVII. de signo, quo confirmatum est Aharoni sacerdotium. Seditionis dux præcipuus & concitor fuit Core (קֹרַח) filius Ishar, nepos Caath, fratruelis Mosis & Aharonis. Josephus dicit *Ἑβραίων ἐν τοῖς μάλιστα καὶ γένει καὶ πλούτῳ διαφέροντα καὶ δήμοις ὁμιλεῖν πιθανώτατον.* Conjecturæ sunt de divitiis & facundia, quia scriptura tacet: Assumpserat Dathan & Abiram filios Eliab & On filium Phaleth, Rubenitas. Errat Josephus, qui ipsum Phaleth (*Φαλαῦς* ipsi) assumptum esse putat. His se adjunxerunt ducenti & quinquaginta ex Israëlitas: נְשִׂיאֵי עֵדָה קְרִאֵי מוֹעֵד אַנְשֵׁי שֵׁם Græci: *ἀρχηγοὶ συναγωγῆς, σύγκλητοι βουλῆς,*

βουλῆς, ἄνδρες ὀνομαστοί. Josephus tantum *πρώτους* appellat. Idem primò seditionem movisse Core cum illis Rubenitis tribus, deinde crescente malo, ducentos illos & quinquaginta motos esse narrat, & quidem oratione Core, circumeuntis & sua oratione populum concitantis. Recte dicit, illos ex aliis tribubus etiam fuisse non ex sola Levitica aut Rubenitide. Causæ fuerunt ambitio & æmulatio in Mosen & Aharonem. Mosen, quod sibi dominatum & Dei alloquia assereret; Aharonem, quod sacerdotium à Mose datum usurparet, quasi sibi Divinitus delatum. Totam Israëlis congregationem sanctam esse dicũnt, Deumque in illius medio incolere. Malè illos sibi rerum summam vindicare. E populi igitur arbitrio & electione pendere volunt ducis & pontificis electionem & delationem sacerdotii. Præcipua igitur causa fuit sacerdotii cupiditas, quod sibi & suis in perpetuum præclusum esse videbant. Jactant sanctitatem universi cætus & Mosis dominationem in hæreditatem Domini: ut versuta est ambitio, nunquam specioso colore destituitur. Aben-esdras: *Hæc res contigit in deserto Sinai, quando permutati sunt primogeniti & separati Levitæ; quia putabat Israël, quod Moses dominus noster id faceret pro arbitrio suo ut daret eminentiam fratri suo etiam filiis Cahath, quod ipsi propinqui & omnibus filiis Levi, quod ipsi suæ familiæ eßent: Etiam Levitæ sociarunt se contra eum, quod dati eßent Aharoni & filiis ejus. Et sociavit se Dathan & Abiram, quod abstulißet primogenituram à Ruben, patre suo & dedißet eam Ioseph: fortaßis eum suspectum habuerunt ob Iosue ministrum suum. Core etiam fuit primogenitus, quia sic scriptum: Et vexillum Ruben castra metabatur ad austrum; & Core ad meridiem tabernaculi, quia erat ex filiis Caath. Et si principes cætus fuerunt primogeniti: & illi adferebant holocausta: ideo acceperunt thuribula. Argumentum pro hac expositione est prodigium baculi, quod vidit totus Israël: quia Deus elegit tribum Levi loco primogenitorum. Propterea scriptum est:* Et facies cessare eorum murmurationes; *quia murmuratio ob hoc facta erat. Etiam dicebat Mose, quod non è corde meo; quia suspectum eum habebant, quod è corde suo fecißet: Et amplius: nonne Dominus misit me in hac legatione, quia olim crediderat in eo Israël. Porro, argumentum est maximum* (גמורה) Tota congregatio omnes sancti. *Et hoc primogenitis indicium est, quod ipsi sancti sint, quia sic scriptum:* Sanctum est mihi omne primogenitum: *& illi erant sacerdotes accedentes ad Dominum: & ipsi fundamentum universi cœtus.* Rasi rationem etiam dat, quare sociati sint Rubenitæ Dathan & Abiram cum Core, quod in vicinia castra metarentur: ita proverbium impletum esse: אוי לרשע אוי לשכנו / *Væ malo, væ vicino ejus.* Addit: *Quæ vidit Core, ut contenderet cum Mose? Æmulatus est propter præfecturam Elisapham filium Oziel, quem Mose posuerat* נשיא *super filios Cahath. Dicebat enim Core; fratres patris mei fuerunt quatuor* Q. D. (Exod. 6. 17.) Et filii Cahath &c. *Amram primogenitus: sustulerunt duo ejus filii eminentiam, unus rex, alter sacerdos maximus. Quis conveniens tollere secundam? Nonne ego, qui sum filius Ishar, quia ipse fuit secundus ab Amramo? At ipse constituit* נשיא *filium fratris ejus minimi omnium. Ecce me contendo adversus ipsum & cessare facio verba ipsius.* Quidfecit? *Stetit & congregavit ducentos & quinquaginta, capita synedriorum* (סהנדראות) *Ruben, è tribu Ruben, vicinos suos: & illi, Elisur filius Sedeur cum sociis suis. Et simile illi, quod dictum,* נשואי עדה קראי מועד. *Et porro dicitur:* אלה קראי העדה *Et induit eos palliis* (טליתות) *quæ tota erant hyacinthina. Venerunt & steterunt coram Mose: dixerunt: Pallium quod totum hyacinthinum est, teneturne ad* ציצית *an est liberum? Dicebat eis, tenetur. Cœperunt ridere illum. Fortaßis pallium uniforme* (של מין אחד) *ob unum filum hyacinthinum liberum erit, hoc quod totum hyacinthinum est, non liberabit seipsum?* Populum universum sanctum esse dicunt Rabbini, quod Deum loquentem in Sinai omnes audierint. Moses autem

audita

audita eorum oratione procidit in faciem. Sine dubio animus viri optimi & mitissimi inhorruit ad hanc jam quartam (ut Rasi dicit) iniquitatem. Nam in vitulo peccaverant & במתאוננים (Num. XI. 1.) & ob exploratores. Dicit in tribus primis precatum esse Mosen, scilicet extensis manibus, ut oratio peragi debuit. Nam de prima dici ויחל משה de secunda ויתפלל, de tertia, Et audient Ægyptii. At in contentione Core remissas fuisse manus illius. Hic enim non oravisse pro populo. Huc applicat parabolam de filio regis, qui in patrem peccaverat precatum esse (פיוס) pro eo amicum illius: cum quartò peccasset, remissæ fuerunt manus illius amici. Qui cogitabat: Quousque fatigabo regem, forte porro non recipiet à me. Aben-esdras testatur quosdam dicere, quod per modum prophetiæ ceciderit. Sed & hoc ineptum est. Dixit autem (plenus Deo) ad Core totamque congregationem: *Mane, Dominus ostendet eum, qui illius est & sanctus & adducet ad se: quemcunque elegerit, adducet ad se.* Num. XVI. 5. Ita autem facite, capite acerras, Core & totus ejus cætus: imposito igne, imponite suffimentum coram Domino, cras. Ille autem vir, quem elegerit Deus, erit sanctus. Sufficiat vobis ò filii Levi. Prætereà ad Core inquiebat: Audite filii Levi. Videturne vobis id exiguum, quod Deus Israël vos segregaverit è cætu Israël ut vos ad se adduceret, ad operandum ministerium tabernaculi Domini & ut stetis coram cœtu ad ministrandum ipsis. Et adduxit (fecit appropinquare) te omnesque fratres tuos filios Levi, tecum: ut etiam quæratis sacerdotium? Proinde tu & universus tuus cœtus (הנועדים) coacti estis adversus Dominum. Nam Aharon quid est quod in eum murmuretis? Rasi orationem Mosis utramque suo more suis speculationibus enervat, quas non lubet adducere. Non potest Salianus satis mirari unde habuerint isti thuribula. Docet Aben-esdras, quod omnes fuerint primogeniti in cœtu Core. Primogeniti sacerdotium obiere usque ad Dei ordinationem in Sina & erectum tabernaculum. Dolebant igitur hi, quod honore sacerdotii essent ejecti. Misit etiam Moses ad Dathan & Abiram qui non aderant. Hi contumaciter responderunt, Non ascendemus. Parumne est, quod nos feceris ascendere à terra fluente lacte & melle, ut nos in solitudine occideres: ut dominando in nos etiam dominareris? Etiam non introduxisti nos in terram manantem lacte & melle, ut dares nobis agros & vineas. Nonne etiam oculos horum virorum effodies? Non ascendemus. Quod dicit de effodiendis oculis planum est, significare, Quod quærat fictis sermonibus veritatem tegere & colorem suis factis quærere. דרך משל. Moses postrema illa oratione quærebat delenire fervorem, voluitque pacifice & moderatè agere cum his Rubenitis: at cum videret penitus insanire, exarsit, prorupitque in hæc verba: Domine ne respicias eorum mincham. Nec asinum unum iis abstuli, nulli eorum malum feci. Iterumque ad Core omnemque ejus cætum conversus, ait: Stabitis coram Domino, tu & illi & Aharon in crastino. Rasi voce asini putat alludi ad angarias itinerum, quas provinciales & subditi regibus & principibus tenentur præstare. Id non quadrat, ineptum autem, quod Mosen respicere velit ad eum asinum, quo uxorem liberosque à Deo vocatus versus Ægyptum vexit. Cum dies crastinus advenisset, Core cum suis, ducentis & quinquaginta, adfuere ad ostium tentorii conventus; quo etiam congregationem coëgere adversus Mosen. Nam tota nocte (ut interpretes putant & est verosimile, populum obeundo concitaverant) Adstabant cum acerris, igne & suffimentis: è regione autem stabant Moses & Aharon, cum Eleazar & Ithamar. Mox ad dijudicationem controversiæ sive ultionem rebellium apparuit omnibus gloria Domini. Tum Dominus ad Moysen & Aaronem: Separamini

ramini de medio congregationis hujus, ut eos repente disperdam. Universæ illi multitudini, quam Core suis logis deceperat, minatur interitum. At Moses & Aharon in faciem prolapsi veniam rogarunt: O Deus, Deus spirituum universæ carnis. num uno peccante contra omnes ira tua desæviet? His precibus delinitus Deus, Præcipe, inquit, toti populo, ut separetur à tabernaculis Core, Dathan & Abiran. Scilicet non in illos solum, qui ad tabernaculum præsentes erant, desævitura erat Dei ultio sed & in ipsorum familias & mansiones: Moses igitur abiit ad tentoria Dathan & Abiram cum senioribus Israël (nempe illis septuaginta consessus magni & simul aliis) Ivit, ut juxta verbum Domini populum ab seditiosorum mansionibus dimoveret: ut se suaque separatim haberent. Non legitur ivisse ad tentoria Coritarum sed moniti tantum fuere, qui juxta eos tentoria fixerant, alieni hujus conjurationis, ut se suaque sejungerent, ne eadem calamitate hauriantur. Universi igitur per circuitum ab eorum tentoriis recedunt. Aben-esdras: *Probatur mihi, quod ipsi Core fuerit tabernaculum hominum pertinentium ad ipsum & possessionum procul à castris Levitarum: & fuit cum ejus tentorio tentorium Dathan & Abiran: quia non metabantur in circuitu tabernaculi, nisi soli Levitæ. Et ex hac scriptura discimus, quod Dominus vexilli metatus fuerit propè à castris Levitarum.* Dathan & Abiram egressi stabant in introitu papilionum suorum cum uxoribus & liberis. Josephus: *Dathan cum suis, audito Moysen cum primatibus ad se adventare, progressi cum liberis & uxoribus ante tabernacula, exspectabant, quidnam acturus esset. Aderant enim satellites, qui arcerent eum, si quid vi agere vellet* &c. Ait autem Moses ad populum & Seniores: *In hoc scietis, quod Dominus miserit me*, ut facerem universa, quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim. Si consueto hominum morte interierint & visitaverit eos plaga, qua & cæteri visitari solent, non misit me Dominus. Sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos & omnia quæ ad illos pertinent, descenderintque viventes in infernum, *scietis quod contempserint Dominum.* Vix sermonem finierat, cum tellus scissa est magno hiatu sub illis absorpsitq; ipsos cum ædibus & hominibus omnique possessione. Ita vivi ad inferos descendere. Metu autem correpta universa multitudo procul refugiebat ne eadem clade involverentur. שאול infernus, ἅδης significat profundam sub terrarum superficiē cavitatem, ideoque non debemus existimare, quod hic sit sermo de pœnis secundum animam. Josephus istam cladem ita depingit: Ταῦτα εἰπόντος καὶ δακρύσαντος σείεται μὲν αἰφνίδιον ἡ γῆ· σάλου δὲ ἀπ' αὐτῆς κινηθέντος ὥσπερ ἐξ ἀνέμου βίας σαλευομένου κύματος, πᾶς μὲν ἔδεισεν ὁ λαός. πατάγου δὲ καὶ σκληροῦ ῥαγέντος ἤχου κατὰ τὰς ἐκείνων σκηνὰς συνίζησεν ἡ γῆ· καὶ πάνθ' ὅσα φῦλα τούτοις ἦν, ὑπήνεγκεν εἰς αὐτήν. Ἠφανισμένων δ' οὕτως ὡς μηδ' ὀφθῆναί τινας γνῶναι, συνῄει πάλιν τῆς γῆς τὸ περὶ ἐκείνοις κεχηνὸς καὶ καθίστατο, ὡς μηδ' εἰ πάθοι τι τῶν προειρημένων φανερὸν εἶναι τοῖς ὁρῶσιν. Id est: *Cum hæc dixisset & fleret, movetur terra: undatione autem ab ipsa mota, ut à ventorum vi concito fluctu totus metuit populus. Sono autem & duro strepitu excitato, juxta eorum tentoria solum subsidit, & quicquid hominum in ipsis erat absorbet. Ita autem deletis ut neque scire posses quod aliqui visi essent* (locum in mendo esse puto) *coibat rursum hiatus circum ipsos & consistebat, ut neque aspicientibus appareret an aliquid prædictorum evenisset. Ecce* (inquit Rasi) *quam dura fuerit secessio: Nam domus judicii inferior non punit donec produxerit duos pilos, & domus judicii superior usque annos viginti at hic pereunt etiam sugentes ubera.* In castris terræ hiatus Dathan & Abiram cum suis absorpsit, dubitatur autem de Core an igne cum illis 250. perierit, an hiatu terræ, cum suo tentorio. Tentorium Core æque videtur subsedisse ac Dathani & Abirami. De On filio Phaleth nihil legimus. Nam v. 24. monetur populus ut ab tentoriis Core, Dathan

& Abiram discedat. v. 32. Dicitur expresse omnes ad Core pertinentes hiatu terræ haustos esse. At tentorium Core haustum est, illo absente ad tentorium conventus? Josephus incendio periisse Core cum illis 250. dicit expresse. Alii putant non adfuisse cum incendium illud grassaretur: sive illo mane non iverit absens per contumaciam cum Dathan & Abiram, sive discesserit cum Moses ad Dathan & Abiram abiret. Num. 26. 10. *Cum terra aperiret os suum eosque* (Datham & Abiram) *deglutiret* (ואת קרח) *in morte cætus.* Diserte videtur dici, quod & Core deglutiverit at Aben-esdras eum locum aliter interpretatur: nec cogit ut eum absorptis jungamus. Ambiit sacerdotium & thuribulum habuit in manu. Rubenitæ videntur de principatu contendisse. Si idem ambiissent, thuribula sumpsissent. Filii Core non interierunt ut diserte habetur Num. 26. 11. Et horum nepotes dantur ad multos psalmos, quos cecinere. Filii omnes Core videntur ad adultam pervenisse ætatem jam tum cum ille periret: & separatis habitasse tentoriis. Judæi autem fingendi occasionem nacti, fabulantur, ut solent. Ad Num. XXVI. II. Aben-esdras: *Probat Samuel & filii & filii filiorum ejus, qui fuerunt cantores & vocati sunt Coritæ:* Filiis Core Psalmus: *Item in lege scriptum*, Familia Coritarum. *Et meminit Scriptura* (Et filii Core) *cum filiis Ruben, quod* filii Dathan & Abiram, grandes & parvuli mortui sunt & ecce malitia Dathan & Abiram major quam malitia Core. Rasi: *Illi fuerunt in consilio in principio sed tempore contentionis* (הרהרו תשובה) *seriam egerunt pœnitentiam in corde suo, ideo firmatus est illis locus in gehenna & consederunt illic.* In titulum Psalmi 46. paraphrasis Chaldæa habet: לשבחא *præfecto cantorum per manus filiorum Core, in spiritu prophetiæ, in tempore, quo obrutus fuit pater eorum ab ipsis: & illi evaserunt & dixerunt carmen.* In v. 2. illius psalmi, in verba בהמיר הארץ / Rasi: *De futuro, quod veniet, in die, de quo D.* (Es. 51. 6.) (Terra ut vestis veterascet) *viderunt filii Core signum, quod factum est ipsis, quando absorpti sunt omnes in circuitu ipsorum & ipsi steterunt in aëre & dixerunt Israëli per spiritum sanctum, quod exemplum signi hujus esset factum ipsis de futuro.* Sic illi fabulantur, Scriptura autem dicit fuisse ea prodigia absorbentis terræ, & incendii facta in signum, ut essent monumentum, ne ambitiose irruere aliquis auderet ad sacerdotium, qui alienus esset & non è stirpe Aharonis.

Alterum signum eodem momento factum fuit, uti verosimile est. Egressus ignis à Domino illos ducentos & quinquaginta, qui thuribula attulerant cum odoramento (Ignem ex ara holocautomatum videntur sumpsisse) consumpsit. Vestes sacræ filiorum Aharonis (quos Dei ignis perdiderat) putantur integræ mansisse & illæsæ: sed hi toti in cineres & nihilum redacti; ideo nihil de sepultura dicitur. Josephus, (qui in superioribus Mosi orationem (ἱκετείας) quam ad Deum habuit, confligendo cum Dathan, ad eorum tentoria, quaque enuntiata pœna secuta est) contentionem cum Core & cæteris thuribulariis posteà habitam fuisse putat. Scribit autem illis adolentibus subitò tantum effulsisse ignem: ὅσον ὐδὲ χειροποίητον ἱςόρησέ τις ὐδὲ γῆθεν ἀναδοθὲν κατὰ ὑποδρομὴν καύματος ὔτε κατὰ βίαν πνευμάτων, ὕλης πρὸς αὐτὸ παρατριβείσης αὐτομάτως ἐξεχρήσθη ἀλλ᾽ ὁποῖον θεῦ κελεύσαντος ἀφθὲν λαμπρὸν καὶ φλογωδέστατον. Scribit etiam ita consumptos esse ὡς καὶ τὰ σώματα ἀφανῆ γεγονέναι, illæso Aarone & filiis.

Hinc mandavit Deus per Mosen Eleazaro, ut ex incendio tolleret acerras, ignemque excuteret, qui in illis erat, sive in ara. Eorum acerræ æneæ erant, Aaronica aurea. Voluit Deus illas acerras in laminas deduci, & obduci aræ in perpetuam rei memoriam. Sacras enim esse, quia ante faciem Domini in illis oblatio facta erat. צפוי למזבח in Hebræo, LXX. περίθεμα τῷ θυσιαστηρίῳ: Josephus τὰ θυμιατήρια αὐτῶν κατὰ τὸν χάλκεον καταθέσθαι βωμὸν, *Acerras eorum ad aneam aram depo-*

deponere : quod non convenit veritati & menti ſacræ hiſtoriæ. Cyprianus cum interpretum conſenſu rectius : *Thuribula in laminas ductiles producuntur & affiguntur altari.* Sic ergo perierunt illi in atrio ad altare holocauſtorum. Poſtero die (quis non miretur!) à populo nova ſeditio concitata eſt. ממחרת in textu : Aben-eſdras : וזה הנגם כי לעולם הוא סמוך. Dicebant enim Moſen & Aharonem tot egregios viros (populum Domini) occidiſſe. At Deus igne ſuo combuſſerat & abſorpſerat eos terræ hiatu. Aben-eſdras: *Cur ſignum hoc eſt, quod tribus Levi ſit electa & electus Aharon in ſacerdotem ſummum? Veroſimile eſt, quod precibus aut ſapientia veſtra, quam noſtis, eos combuſſeritis.* Quaſi in artem magicam id rejecerint. Joſephus populum jam perſuaſum fuiſſe dicit, quod nihil eveniret abſque Dei providentia, ideò exiſtimaſſe, quod Deus illas calamitates gratiæ Moſis Deum orantis dediſſet non ſponte ſuæ naturæ. Non ita eos homines Dei iram concitaſſe ſua impietate, quam Moſen, ὡς Μωϋσέως πραγματευομένου. Eum non tantum impune tot præſtantium virorum ferre excidium ſed & fratri confirmaſſe pontificatum. Cognatos exſtinctorum ambiiſſe populum, rogantes, μισοῦντες τῆς Μωϋσέως μεγαλαυχίας. Hæ illius cenjecturæ? Non deſcribit ſed ſimplici ſilentio tranſilit quæcunque Num. XVI. à v. 42. uſque ad finem habentur, id eſt cladem, qua quatuordecim millia & ſeptingenti interiere, ſævius graſſatura, niſi Aaron odoramento incenſo iræ Dei obviam iviſſet. Hoc erat alterum ſignum confirmati ſacerdotii. Nam cum populi concio concitata verſus tabernaculum ſe moveret (Moſen, ut volunt, fugientem atque Aharonem inſequentes) adfuit Deus in nube ſuper tabernaculo. Jubet Deus ut Moſes & Aaron è medio illius multitudinis recedant ſe eam deleturam. *Quomodo recedere poterant* (inquit Salianus) *ſi jam receſſerant confugientes ad tabernaculum? Cajetanus ait eos adhuc fuiſſe in media populi multitudine. Abulenſis vult Dominum jubere, ut penitus extra caſtra èxeant* &c. Sulpicius irruiſſe populum putat, quo nefas erat. Druſius hic videndus eſt. Salianus exiſtimat furentem populum, quantus capi poterat, in atrium ſacerdotum irruiſſe, ab illis Moſen & Aharonem ſeparari potuiſſe ingrediendo tentorium. Moſes & Aaron ad Dei & plagæ jam incipientis ejulatum, prolapſi rogant Dei pacem : mox Moſes (Dei inſtinctu) mandat fratri, ut ſumpta acerra, impoſitoque igne & odoramento, eat ad Deum eumque placet. Aaron celerrime paret. Plaga ab extrema parte aliquà ingrediebatur: hic ſe Aaron interponit inter vivos mortuosq; & mox ira Dei conquievit. At uno momento tot hominum millia exſtincta ſunt. Hieronymus & vulgata editio Latina genus plagæ definiunt : incendium volunt fuiſſe. In libro Sapientiæ in v. 20. ad finem hæc hiſtoria deſcribitur. Aaronis pietas nimium extollitur, produciturque cum oratione, thuribulo & habitu pontificali angelum exterminatorem depellens. Origenes hom. 9. *Intellige ergo populum illum Iſraël in caſtris per ordines tribuum familiarumque diſpoſitum, virtutem vero quandam à Deo miſſam, non ſparſim ſed ex prima aliqua parte cœpiſſe populum vaſtare & procedentem per ordinem mortis ſtragem conſidera. Poſt hæc conſidera pontificem indutum veſte pontificali procedere & portantem batillum, atque ignem cum incenſo tendere ad illum locum, quo per angelum vaſtantem mors illata pervenerat & ſtantem in eo loco, ubi mors finem dederat primis & erat vicina poſtremis. Intuere ſtantem pontificem & objectione quadam ſui viventes à mortuis dirimentem : virtutem vero repropitiationis ejus & incenſi myſterium erubuiſſe angelum vaſtatorem & in hoc mortem quidem finitam, vitam verò inchoatam. Si intellixiſti hiſtoriæ ordinem & oculis (ut ita dicam) cernere potuiſti pontificem ſtantem medium inter vivos & mortuos, aſcende nunc ad verbi hujus celſiora faſtigia & vide, quomodo verus pontifex Ieſus Chriſtus aſſumpto batillo humanæ carnis &*

superposito igni altaris, anima sine dubio illa magnifica, cum qua natus est in carne, adjecto etiam incenso, qui Spiritus immaculatus, medius inter vivos & mortuos stetit & mortem non fecit ultrà grassari &c. Nugas Judæorum de angelo & contemptu suffimenti apud populum habemus apud Rasi. Alterum effectum seditionis Core fuit virgæ Aaronis miraculum, qua evidentius & in perpetuum sacerdotium Aaronis confirmatum est. Cohæret cum præcedentibus ut ex fine cap. XVII. apparet sed malè ita cum seditione Core miscetur à Josepho & Philone, ut illa populi elatio & contusio prætereatur. Petrus Comestor: *Attamen nondum cessaverat tumultus super sacerdotio Aaron. Dicebant enim: quia etsi non prædictos Levitas elegerit Dominus, poterat esse, quod aliqui de aliqua reliquarum tribuum digni essent sacerdotio & forte de omnibus tribubus aliquot vellet Dominus habere sacerdotes: ne tanti ministerii dignitas uni domui & tam paucis crederetur ministris.* Certe finis fuit ut in posterum finis esset murmurationibus adversus Moysen & Aaronem: quod Dei verbum (à Josepho omissum est quod Deus id mandaverit) ad Moysen comprehendit. Mandabat enim Moysi, ut à filiis Israël, ab unaquaque tribu unum sumeret baculum. Josephus dicit phylarchos nomine suarum tribuum attulisse ex Mosis præcepto virgas. Harum quælibet nomen inscriptum phylarchi sui gerere debuit: inscriptum vel à Mose vel à phylarcho quolibet. Levitica virga habuit nomen Aharonis, quia ille princeps erat illius tribus. Josephus dicit Aharonem inscripsisse suæ virgæ Λευΐτιν, quia putat non principum sed tribuum nomina inscripta fuisse. Existimat & alio signo notatas fuisse à phylarchis & multitudine ad accuratam agnitionem. Voluit Deus ut reponerentur in tentorio conventus ante testimonium: ubi Deus se notificabat populo. Igitur virgæ illæ positæ fuerunt, in adytis ad arcam fœderis. De virgarum numero quæritur: Nam in vulgata editione habetur XVII. 6. *Fueruntque* virgæ duodecim absque *virga Aaron.* In Hebræo est: *duodecim virgæ & virga Aharon in medio virgarum.* Sed hæc debent exclusive accipi: quia præter duodecim tribus fuit Aaronis virga & tribus; Carthusianus Dionysius & Petrus Comestor putant quatuordecim fuisse virgas, unam in qua omnium tribuum nomina inscripta essent: in qua probaretur, utrum de omnibus tribubus vellet Dominus habere sacerdotes. Sed id sine ratione. Virgam illam Aaronis eandem fuisse cum baculo Mosis θαυματοποιῷ dicitur etiam falso. Nam eadem illa virga postea percussit petram in Cades. Postridie, cum virgæ à Mose reproducerentur, omnes pristino habitu comparuerunt, sola virga Aharonis (quæ de amygdalo erat) folia, flores, fructus protulerat. Una nocte processit totius anni ordo & maturitas: & incipientia germina cum amœnitate florum & perfectione fructuum videntur simul conjuncta fuisse. Quisque phylarchus coram concione suam virgam recepit ex mandato Dei, Aharonica relata est & inclusa in adyta ante arcam fœderis ut signum esset ambitiosis & contumacibus. Jam etiam plagis Dei contusus populus à sacris tractandis libens abstinuit. Profitebantur enim se excidium & internecionem timere. Moses deinde sacerdotalia quædam instituta adjecit (cap. XVIII.) & agit de aqua aspersionis è cinere vaccæ rufæ (cap. XIX.)

Nunc è Philone istius seditionis historiam proponere animus est, ut ad consequentia dimitti possimus. In fine lib. 3. De vita Moysis sic disserit: τῶν περὶ τὸν νεὼν λειτουργιῶν δύο τάξεις εἰσίν· ἡ μὲν κρείττων ἱερέων, ἡ δὲ ἐλάττων νεωκόρων. ἦσαν δὲ κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον τρεῖς μὲν ἱερεῖς, νεωκόρων δὲ πολλαὶ χιλιάδες. οὗτοι φυσηθέντες ἐπὶ τῇ τοῦ οἰκείου πλήθους περιουσίᾳ, τῆς τῶν ἱερέων κατεφρόνουν ὀλιγότητος· καὶ δύο ἐν τῷ αὐτῷ παρανομήματα συνύφαινον· ὧν τὸ μὲν ἦν καθαίρεσις τῶν ὑπερεχόντων, τὸ δ' αὔξησις τῶν ἐλαττόνων, εἶτα ἡγεμόσιν ὑπηκόων ἐπιτιθεμένων ἐπὶ συγχύσει τοῦ κρατίστου καὶ δημωφελεστάτου τῆς τάξεως· εἶτα συνιστάμενοι καὶ ἀθρο-

ἀθροιζόμενοι κατεβόων τοῦ προφήτου, ὡς δι' οἰκειότητα τῷ τε ἀδελφῷ καὶ τοῖς ἀδελφιδοῖς χαρισαμένου τὴν ἱερωσύνην, καὶ ἐπιψευσαμένου τὰ περὶ τὴν αἵρεσιν αὐτῶν, ὡς ἐπιφροσύνῃ θείᾳ καθάπερ διεξήειμεν μὴ γενόμενα, ἐφ' οἷς ἀνιαθεὶς καὶ περιαλγήσας, καίτοι πρᾳότατος ὢν καὶ ἡμερώτατος, οὕτως πρὸς δικαίαν ὀργὴν ὑπὸ μισοπονήρου πάθους ἠκονήθη, ὡς ἱκετεῦσαι τὸν θεὸν ἀποστραφῆναι τὴν θυσίαν αὐτῶν· οὐκ ἐπειδήπερ ἔμελλεν ὁ δικαιότατος κριτὴς ἱερουργίας ἀσεβῶν παραδέχεσθαι, ἀλλ' ὅτι καὶ ἡ ψυχὴ τοῦ θεοφιλοῦς τὸ κατ' αὐτὴν μέρος οὐχ ὑποσιωπᾷ, σπεύδουσα μὴ συνοδεῖν ἀνοσίους, ἀλλ' αἰεὶ τῆς προθέσεως διαμαρτάνειν. ἔτι δὲ ζέων καὶ πεπυρωμένος ὑπὸ τοῦ νομίμου διαγανακτήσεως ἐνθουσιᾷ καὶ μεταβαλὼν εἰς προφήτην, θεσπίζει τάδε· χαλεπὸν ἀπιστία πρᾶγμα τοῖς ἀπίστοις μόνοις· τούτους οὐ λόγος, ἀλλὰ καὶ ἔργα παιδεύει· παθόντες εἴσονται τὸ ἐμὸν ἀψευδές, ἐπεὶ μαθόντες οὐκ ἔγνωσαν. ἐπικριθήσεται δὲ τοῦτο τῇ τοῦ βίου τελευτῇ· εἰ μὲν γὰρ δέξονται τὸν κατὰ φύσιν θάνατον, πέπλασμαι τὰ λόγια· εἰ δὲ καινόν τινα παρηλλαγμένον, τὸ φιλαληθές μοι μαρτυρηθήσεται. χάσματα γῆς ὁρῶ διηνοιγμένης ἐπὶ μήκιστον εὐρυνόμενα, πολυανθρώπους ἀπολλυμένους, συγγενείας αὐτάνδρους ὑποσυρομένας, καὶ συγκαταπινομένας οἰκίας, ζῶντας ἀνθρώπους εἰς ᾅδου κατερχομένους. ἐπεὶ δ' ἡσύχασε, ῥήγνυται μὲν ἡ γῆ σεισμῷ τιναχθεῖσα, ῥήγνυται δὲ καθ' ὃ μέρος μάλιστα αἱ σκηναὶ τῶν ἀσεβῶν ἦσαν, αἳ ὑπενεχθεῖσαι ἀθρόως ἐπικρυφθῆναι· τὰ γὰρ διαστάντα μέρη πάλιν συνῆλθε τῆς χρείας ἀποτελεσθείσης, ἧς ἕνεκα διεζεύχθη· μικρὸν δ' ὕστερον τοὺς τῆς στάσεως ἡγεμόνας πεντήκοντα πρὸς τοῖς διακοσίοις ἄνδρας κεραυνοὶ κατασκήψαντες αἰφνίδιον, ἀθρόους ἐξανάλωσαν, μηδὲν μέρος ὑπολειπόμενοι τῶν σωμάτων, ὃ ταφῆς ἐπιμοιρήσεται. Τὸ δὲ τῶν τιμωριῶν ἐπάλληλον, καὶ τὸ ἑκατέρας μέγεθος, διάσημον καὶ περιβόητον ἀπέφηνε τὴν εὐσέβειαν τοῦ προφήτου χρησαμένου θεῷ μάρτυρι τῆς περὶ τοὺς χρησμοὺς ἀληθείας. ἄξιον δὲ κἀκεῖνο μὴ παριδεῖν, ὅτι τὰς κατὰ τῶν ἀσεβῶν κολάσεις διεκληρώσαντο γῆ καὶ οὐρανός, αἱ τοῦ παντὸς ἀρχαί. τὴν γὰρ μοχθηρίαν ἐρρίζωσαν μὲν ἐπὶ γῆς, ἐξέτειναν δ' εἰς αἰθέρα, τοσοῦτον ὕψος αὐτὴν διάραντες· ὅθεν καὶ τῶν στοιχείων ἑκάτερον ἐχορήγησε τὰς τιμωρίας· ἡ μὲν ἵν' ὑποσύρῃ καὶ καταπίῃ τοὺς τότε βαρύνοντας αὐτὴν ῥαγεῖσα καὶ διαστᾶσα, ὁ δ' ἵνα καταφλέξῃ καὶ διαφθείρῃ, πυρὸς πολλοῦ φορὰν καινότατον ὑετὸν ὀμβρήσας· τὸ δὲ τέλος καὶ τοῖς καταποθεῖσι καὶ τοῖς ὑπὸ τῶν κεραυνῶν διεφθαρμένοις ταυτὸν ἀπέβαινε· οὐδέτεροι γὰρ ἐφάνησαν, οἱ μὲν ἐπικρυφθέντες γῇ, τῇ τοῦ χάσματος συνόδῳ πρὸς τὸ ἰσόπεδον ἑνωθείσῃ, οἱ δ' ὅλοι δι' ὅλων ἀναλωθέντες, ὑπὸ τοῦ κεραυνίου πυρός. Quæ Gelenius vertit: *Templi ministrorum duo sunt ordines, sacerdotum potior, ædituorum inferior. erant illo tempore tres sacerdotes, ædituorum multa millia. Hi freti suorum multitudine paucitatem sacerdotum contemnebant peccato non simplici, dum & majoribus adimunt honorem debitum, & minores ultrà modum extollunt, sicut fit insurgentibus contra suos præfectos subditis, turbatoque ordine publico. Deinde cætus faciendo clamabant in prophetam, quod propter domesticam necessitudinem fratri ejusque filiis donaßet sacerdotium conficto oraculo, ut videretur id ex authoritate Dei facere. Quam obrem exasperatus alioqui vir ingenii mitissimi, non tulit tam insignem injuriam simul & maliciam, petiitque à Deo ut aversaretur illorum sacrificia: non quod periculum esset ne justißimus judex sacra impiorum acciperet, sed quià hic est peculiaris affectus Deo chari animi, adversari propalam nefariis conatibus. Nec dum justa indignatio furorque deferbuerat, cum numine afflatus insuper edidit hoc vaticinium: Grave malum est incredulitas, sed solis perniciosum incredulis. Hi factis non dictis castigandi sunt. Pœna docebit eos me non mentiri: quando scire nolunt quod sciunt, Mors decernet de hac controversia. Si naturali morte decedent fictum est meum oraculum. Quod si novo inusitatoque lethi genere absumentur, testata erit mea veracitas. Video terram vasto specu dehiscere, absorberi numerosas cognationes una cum suis tabernaculis, vivos homines ad inferos descendere. Vix hæc effatus erat, cum terra concussa rumpitur eo potißimum loco ubi tendebant impii: momentoque temporis universos operit. Rursum enim hiatus coivit, velut suo defunctus officio. Nec ità multò post seditiosi ducenti quinquagintà qui præcipui tumultus autores fuerant, repentè de cœlo tacti una con-*

conflagraverunt, ne minimo quidem membro relicto quod sepulchris posset inferri. Atque ità horrendis pœnis cumulatis aliis super alias magnopere illustrata est prophetæ pietas, Deo testimonium præbente veritati oraculorum. Vbi operæpretium est considerare quomodo cælum terraque pœnas exegerunt ab impiis hominibus, ceu divisis muniis inter primarias mundi partes, unde cæteræ sumpserunt originem. Nimirum quià scelesti maliciam suam radicatam in terra, in tantam altitudinem extulerunt, extenderuntque, ut cælum attingeret, ideò terra simul & æther in eos sævit. Altera deducens se, ut absorberet inutilia pondera, altera exurens eos fulminibus, imbris in morem densis & crebrò micantibus. Finis autem & absorptorum & exustorum idem fuit. Nam utique disparuerunt, alteri operti solo restituto in pristinam planiciem, alteri absumpti fulmineis ignibus. Eodem libro narrat indicium Divinæ electionis per florentem baculum quod in superiori περικοπῇ non habetur, ἐπεὶ δ' οὐ μία τάξις τῶν ἱερωμένων, ἀλλ' οἷς μὲν ἐπιτέτραπται τὰ περὶ εὐχὰς καὶ τὰς ἄλλας ἱερουργίας ἄχρι τῶν ἀδύτων ἰέναι· οἷς δὲ τούτων μὲν οὐδέν, ἐπιμέλεια δὲ καὶ φρουρὰ καὶ μεθ' ἡμέραν καὶ νύκτωρ τοῦ τε ἱεροῦ καὶ τῶν ἐν αὐτῷ, οὓς νεωκόρους ἔνιοι καλοῦσιν. ἡ πολλοῖς πολλαχοῦ μυρίων κακῶν αἰτία γενομένη, περὶ πρωτείων στάσις, ἐπιπόλασε, κἀντεῦθεν, τῶν νεωκόρων ἐπιθεμένων τοῖς ἱερεῦσι καὶ τὴν ἐκείνων τιμὴν παρασπάσασθαι βουληθέντων καὶ τοῦτ' εὐμαρῶς ἤλπισαν ἔσεσθαι πολλαπλασίους τὸν ἀριθμὸν ὄντες· ὑπὲρ δὲ τοῦ μὴ δοκεῖν ἰδίᾳ γνώμῃ νεωτερίζειν καὶ τὴν τῶν δυοκαίδεκα φυλῶν συμφρονεῖν ἀναπείθουσιν, ἣ πολλοὶ τῶν οἰκειοτέρων ἐπηκολούθησαν, ὡς ἔχειν δυναμένη πρεσβεῖον ἡγεμονίας. Μέγαν τοῦτον ἐπιχειρισμὸν Μωϋσῆς ἔγνω φυόμενον καθ' αὐτοῦ. Τὸν γὰρ ἀδελφὸν ἀρχιερέα κατὰ τὰ χρησθέντα λόγια ᾕρητο· διαβολαὶ δ' ἦσαν, ὡς τοὺς μὲν χρησμοὺς ἐπιψευσαμένου, ποιησαμένου δὲ τὴν αἵρεσιν διὰ τὴν οἰκειότητα καὶ τὴν πρὸς τὸν ἀδελφὸν εὔνοιαν. Ἐφ' οἷς εἰκότως ἀνιαθεὶς εἰ μὴ μόνον ἀπιστεῖται διὰ τοσούτων τῶν ἐλέγχων τὴν ἑαυτοῦ πίστιν ἐπιδειξάμενος, ἀλλὰ καὶ ἐπ' ἔργοις, ἅπερ ἀναφέρεται πρὸς θεοῦ τιμήν, δι' ἃ μόνα, καὶ τὸν ἐν τοῖς ἄλλοις τὸ ἦθος κατεψευσμένον, ἀναγκαῖον ἦν ἀληθεύειν. Ἀλήθεια γὰρ ὀπαδὸς θεοῦ. λόγοις μὲν ἀναδιδάσκειν περὶ τῆς ἑαυτοῦ προαιρέσεως οὐκ ἐδοκίμαζε· τὸ μεταπείθειν ἐπιχειρεῖν τοὺς προκαταληφθέντας ἐναντίαις δόξαις ἀργαλέον εἰδώς, ἱκετεύει δὲ τὸν θεὸν ἐμφανεῖς ἀποδείξεις αὐτοῖς παρασχεῖν περὶ τοῦ μηδὲν ἐψεῦσθαι, κατὰ τὴν τῆς ἱερωσύνης αἵρεσιν· ὁ δὲ κελεύει δώδεκα ῥάβδους λαβεῖν ταῖς φυλαῖς ἰσαρίθμους· καὶ τὰ μὲν τῶν ἄλλων ὀνόματα φυλάρχων ἐπιγράψαι ταῖς ἕνδεκα· τῇ δὲ λοιπῇ τὸ τοῦ ἀδελφοῦ καὶ ἀρχιερέως· εἶτ' εἰς τὸν νεὼν ἄχρι τῶν ἀδύτων εἰσενεγκεῖν. ὁ δὲ τὰ προσταχθέντα ποιήσας ἐκαραδόκει τὸ ἀποβησόμενον. Τῇ δ' ὑστεραίᾳ λογίῳ πληχθεὶς, ἅπαντος τοῦ ἔθνους προεστὼς, εἰσέρχεται καὶ τὰς ῥάβδους ἐκκομίζει· τὰς μὲν ἄλλας οὐδὲν διάφορον ἐχούσας, μίαν δ' ἐφ' ἧς τοὔνομα ἐπεγέγραπτο τἀδελφοῦ τεθαυματουργημένην. οἷα γὰρ φυτὸν εὐγενὲς ἅπασα εὐθὺς βλαστοὺς ἐξέφυσε καὶ ὑπ' εὐφορίας ἐβρίθεν· οἱ δὲ καρποὶ κάρυα ἦσαν &c. Sensus est, duos ordines fuisse sacris operantium, quorum dignior sacerdotum, qui circà preces similesque sacras operationes usque ad adyta eant, minor quibus cura & custodia templi nocte & die commissa. Hinc, ut solet, contentio de primatu. Et ne viderentur suæ privatæ cupiditati inservire, tribum antiquissimam in societatem traxere. Vidisse Moysen, quod hoc in se tenderet, quasi ex affectu, non Dei jussu, fratri sacerdotium dedisset. Precatum igitur esse Deum, qui dederit mandatum de duodecim virgis: quibus inscripta nomina Phylarcharum & Aharonis essent. Repositas in adytis & productas esse: solam Aharonis germinasse nucibus &c.

De trigesima tertia mansione, Cades in Sin.

TAndem advenit annus quadragesimus, jamque occiderant, qui rebellione se indignòs fecerant, ut in terram promissionis ingrederentur. Ex Asion Gaber venerunt in desertum צן, in locum Cades appellatum mense primo.

Solitudo

Solitudo illa vastissima est, cujus mentionem David facit in psalmi 29. v. 8. Eam etiam notare videtur locus Jobi 1. 19. Hic fuit locus, nomine Cades diversus à Cades-barnee, è quo exploratores mittebantur. Hic in fata concessit & sepulta est Maria soror Mosis & Aharonis. Hanc etiam per נשיקה mortuam esse dicunt Judæi, sed non :דרך כבוד של מעלה. Hic aquæ penuria seditionem populus movet. Rasi delirat ob meritum Mariæ hactenus aquæ copiam fuisse. Coacti adversus Mosem & Aharonem, Utinam, ajunt, mortui essemus, cum fratres nostri, in conspectu Domini, interiere (nempe in finibus Cananææ in Cades Barnee, aut superiori illa seditione Core) Cur Ecclesiam Dei induxistis in hanc solitudinem, ut illic cum pecore nostro pereamus. Cur ex Ægypto nos eduxistis, in hunc infelicem locum? Seri non potest, nec ficus nec vineas gignit nec malogranata: præterea nec aquam habet. Fratres ambo ab Ecclesia ad ostium tentorii conventus progressi (כדמות בורחים inquit Ab. Esd.) in faciem prolabuntur. Gloria Domini ut solebat, adfuit: à qua jussi coram universa concione, alloqui rupem: quæ ad verbum eorum aquam datura esset. Moses igitur virgam suam à conspectu Domini sumit. Tum coacta ad saxum universa multitudine, ait: Audite contumaces: aquamne è saxo educemus? Bis ut percussit aquam edidit copiosissimam, qua sitim explevere homines & pecudes. Traditur Mosen & Aharonem à Deo increpitos esse, quod per diffidentiam Deum non sanctificassent coram populo Israël: ideò terram promissam ingressuros non esse. De genere peccati, quod Moses & Aaron commisere, differit Aben-esdras: *Sunt hic expositiones multæ. Est in verbis singularis, quia dixit Israëli:* Audite rebelles, *cum illi fuerint filii Abraham, Isaac & Iacob. Si ita, cur dicit ipsis amplius* ממרים הייתם. *Alii dicunt quod vox* ודברתם *sicut* והכיתם *sit:* & *sic* (2. Reg. 20. 1.) ותדבר perdidit omne semen regium. *Hoc non est verum: quia dictio erit è sensu* (מגורת) דבר (pestis) aut (Ps. 45. 7.) יַדְבֵּר (subjiciet) populos sub nobis. *At ecce significatio* ותדבר *erit ut* ותאבד *& sic* (בספר השני) (2. Chr. 22. 10.) *& ecce significatio* ודברתם אל הסלע *fuerit* ואבדתם אל הסלע (perdetis ad saxum) *Porro si ea significatio est, cur punitur Moses? Etiam respondent, quia bis percussit. Si ita cur punitur Aharon? Dicit R. Moses sacerdos b.m. Hispanus: Sunt signa quæ fiunt verbo, alia opere & verbo, sicut sal Elisæ; Deus præceperat ei etiam, ut acciperet baculum ad percutiendum saxum ut in* צור (superius Exod. 17.) *Adjecitque dictionem* (ודברתם) *ut educerent aquam percussione & verbo. Et quoniam eum in iram concitaverat dicebat ipsis: Anne ex saxo isto educemus vobis aquas? Et erat mens ejus, non est in nobis facultas ad educendum aquam è saxo, nisi in facultate Dei: & ecce non explicat benè sermonem suum; ideò cogitarunt homines in cordibus suis quod sermo vellet Deum non posse educere è saxo aquas. Et hunc sensum esse verborum,* (Deut. 32. 51.) quia non sanctificastis me. *Et producit argumentationem è verbis psaltis* (Ps. 106. 33.) Excerbarunt spiritum illius & incogitanter locutus est labiis suis: *ecce peccatum in loquendo incogitanter, non in percussione. Hoc etiam certum non est: Nam Moses dixit, quare ergò punitur Aharon? Porro non est in opere memoria sermonis: & ratio quam adduxit non est ratio, quia* (מן) *exponit quod exacerbaverint Spiritum ejus nisi ad Deum. Et sic scriptum* (Es. 63. 10.) Et illi rebellarunt & dolore affecerunt Spiritum ejus sanctum. *Et hic sensus* (Ps. 106. 32.) Provocaverunt ad iram ad aquas Meribæ; *mens est quod Deum provocaverint. Et sic scriptum* (v. 13.) Hæ sunt aquæ Meribæ, ubi contenderunt contra Deum. Et male fuit Mosi propter illos, *quia exacerbaverant Spiritum Dei, quia decernebat de Mose, quod non esset ingressurus terram. Alii dicunt, quod sermo ad saxum, quod non audit nisi percussione. Et si ita, Cur punitus est Moses? Alii dicunt propterea quod non dixerunt canticum sicut* (Num. XXI. 17.) Exulta putee, respon-

respondete de eo. *Hoc velle ista*, quia non sanctificastis. *Alii dicunt, quod Deus præceperit, ut loquerentur & illi locuti non sunt, tantum Moses percussit, ideo puniti sunt ambo: & dictum:* Quia prævaricati estis, rebelles fuistis, non credidistis non sanctificastis? *viri cordati* (אנשי שקול הדעת) *dicunt quod non quadret, ut sit legatus Dei, qui mutat sermonem Dei:* & si ille mutasset, quomodo crederemus *legi ejus? Etiam hi non dicunt verum. Nam si innovasset in præcepto confestim punitus fuisset, quia ecce punitus est propter verbum, quod non præceptum in seculum nec lex Israeli & non factum in superbia sed errore, quia eum offenderat Israel. Et sic dicit* (Deut. 3. 26.) Etiam in me valide iratus est Dominus causa vestri. *Alii dicunt, quod Israël dixerit ut educeret è saxo alio. Quod probant ex eo*, Anne ex saxo hoc? *& Mose metuit mutare sermonem Dei, propterea quod non crederet se educturum aquas è saxo, quod dixerant. Ideo punitum esse. Hanc esse mentem verborum,* Non credidistis mihi. *Etiam ista expositio non est vera, quia scriptura dicit, Rebelles fuistis ori meo & ecce non rebellaverant. Veram autem (quæ mihi videtur) expositionem aperiam indiciis: Scito quod, quemadmodum novit pars totum cohæreat toti & novet in omnibus signis & prodigiis. Verum quod Deus dixerat Mosi, & loquemini & locuti non sunt propter contentionem populi cum Mose & ecce partem divisit: & percussit & non sunt egressæ aquæ nisi in secunda percussione. Et ecce non sanctificaverunt Deum & rebellarunt & prævaricati sunt errore. Etiam potest exponens exponere* (ויבטא בשפתיו) *de Mose, quia ideò punitus est, quod non conveniret ut loqueretur verbum antequam implevisset legationem Dei. Est etiam Dras majorum nostrorum b. m. quod peccatum fuerit, propterea quod dixerat, Audite contumaces: & innuunt hoc fundamentum* (arcanum) Rasi ad, An è saxo, *Quoniam non agnoscebant id, quia iverat saxum & consederat inter saxa postquam defecisset puteus: Et dicebant Israelitæ: Quid vobis, quid hoc saxum? educetis nobis aquas: propterea dicebat ipsis. Quia non accepimus præceptum de eo, educemus vobis aquas?* Duabus vicibus *Quia in prima non edidit nisi guttas quoniam non præceperat Deus percutere, sed loquemini ad illud saxum & illi locuti sunt saxo alii & non dedit. Dicebat, fortaßis opus percutere ut prima vice,* Q. D. (Exod. 17. 6.) Et percuties petram: *& obvenit ipsis ipsum saxum & percußit id.* Hic sunt subtilitates & nugæ Judæorum: Certum est Mosen & Aharonem peccasse incredulitate: ut inter Christianos interpretes convenit. Disputant tamen an diffisi fuerint Dei potentiæ simpliciter, an putaverint propter populi incredulitatem Deum non facturum rem hanc? Ego puto incredulitatem populi non debuisse nec potuisse in considerationem admitti in hoc opere, quod Deus ipsis mandaverat, fide sua efficiendum. Considerabant igitur aridi saxi duritiem, quæ menti offudit tenebras, quibus actus fidei impediebatur, *Alterum peccatum* (verba P. Fagii) *quod non palam sanctificarunt Deum coram populo, hoc est, non extulerunt ac celebrarunt potentiam Dei infinitam, recensendo & in memoriam revocando, omnia præclara illa miracula Dei, quæ hactenus fecisset propter Israel, quibus ostendisset mirabilem & immensam suam potentiam, qua eadem effecturus esset, ut aquæ largißimæ ex petra promanarent: ut ista ratione multitudinem ad fidendum ac credendum Deo excitarsent.* Hactenus Fagius. Non dubito quin Dei præceptum Aaroni & Mosi datum eatenus utrumque respexerit, non quod uterque saxum ferire debuerit, sed uterque loqui ad saxum, jubendo ut ejacularetur aquas. Id omisere & contrario verbo testati sunt suam incredulitatem, *An ex saxo hoc educemus aquas?* Etiam illud notandum, quod in Exodo צור hic סלע dicatur. Dicendum igitur quod hucusque petra Horeb aut ejus aquæ secutæ sint: substitisse autem, cum ad fines Idumææ pervenere, peragrata solitudine. Sequebantur enim loca hominibus vicina aut habitata. Hoc in loco, Pœnam Mosi

&

& Aharoni inflictam levem esse dicit: nempe non introducere populum in terram Canaan, eamque non ingredi, cum in grandi senio mortui sint nec diu vivere potuerint. Graviorem illorum qui quadraginta annos consumere coacti, in deserto, ut in iis locis absumerentur. Verum est, tanta non fuit horum pœna, sed substantia pœnæ in hoc quod terram ingredi non licuerit, quæ cæli figura erat.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

Cap. XXXV.

Igitur Moyses ex eo loco promovens, cum præter Edom agmen educere pararet, missis ad regem legatis, transeundi copiam poposcit, ob jus sanguinis bello abstinendum ratus etenim gens illa Esau progenies erat. Sed rex supplices aspernatus transitum negavit, paratus armis contendere. Tum Moyses in Or montem iter convertit, vetita via abstinens, ne quam inter consanguineos causam belli præberet. In eo quoque cursu regem gentis Chananæorum delevit. Seon quoque Regem Amorrhæorum perculit, omniumque eorum oppidis potitus est. Basan etiam & Balac reges devicit, & castra super Iordanem haud longè ab Hiericho molitus est. Tunc adversus Madianitas certatum, victique & subacti sunt. Moyses mortuus est, cum XL. in deserto annos populo præfuisset.

Drusius.

Præter Edom] id est, Idumæam. Supra, *præter terram Philisthiim.* Sic Livius, *præter Caraliten amnem agmen ductum.* Sic, *præter mœnia ipsa fluete.*

Esau] qui & Edom, unde Idumæi. Sic Jacob alio nomine Israël dicebatur. Esau & Jacob fratres erant uterini. Proinde cognatio & jus sanguinis inter utramque gentem.

Transitum negavit] ex Deut: contrarium verum videtur. Sed respondent Israëlitas transiisse per fines terræ Edom, non per mediam terram ipsorum. Alii dicunt, cum præter illam regionem exercitus duceretur, Idumæos cibaria aliaque necessaria contulisse ac Israëlitis vendidisse. Quo restringunt verba illa, Deut. 2. 29. *Sicut fecerunt filii Esau qui habitant in Seir.* Vide quoque Deut. 2. 6.

In Or Montem iter convertit] qui ad fines Idumææ, ubi Moses Aharonem fratrem amisit, ac jussu Dei Eleazarum ei suffecit. Pro Or scribe Hor, cum aspiratione: mendum quale superius in Ur, quod Hur emendavimus. Hor, id est, חור, qui & הר Har interdum. Scio montem ita appellativè dici: sed & proprium nomen montis est, ut Taurus; quæ vox in lingua Syra montem denotat. Dicunt enim certè טורא & טורא: unde Taurus.

Inter Consanguineos] fratres appellat Scriptura.

Regem Gentis Chananæorum] perperam interpretatus est Mosen, in quo Chanani regem Arad, quod reddunt Chananæus rex Arad. Num. 21. 1. Græci codices variant. Nam editio Basileensis ea, quæ in octavo folium complicat, ὁ χανανὶς βασιλεὺς Ἀράδ. Romana verò ὁ χαναναῖος &c. Arad nomen est opidi. Hujus rex potuit esse ex unâ aliquâ gentium terræ Chanaan. Nam hoc nomen quando latè sumitur comprehendit sex reliquas gentes, quæ terram promissam incolebant. Ideo Chananæus dicitur; cui roborando articulus qui præcedit. Nam in Ebræo הכנעני. Delevit ergo non Regem gentis Cananæorum, sed Chananæum seu è gente Chananæorum regem Arad: quem portentosi Judæi Amalecum nominant.

Seon Quippe] scribi debet Sehon vel Sihon. Nam in scriptura Ebraica duplex aspiratio, quam vocant Heth. Qua cum eareant Latini, simplici utuntur. Græci utramque omittunt in medio. Posset tamen scribi Σηών. Nam in nonnullis dictionibus spiritum medium notant. Sanè discimus ex Hesychio in nomine ἀώρει, ubi significabit φύλαττε: at densum ita ἀώρει, ubi pro αἰρεῖ ponebatur.

Regem Amorrhæorum] Num. 21. 22. qui rex Hesebon. Deut. 2. 27. Amorrhæus autem critici Ebræorum nunc Emoræus legunt cum E. in principio & unico R.

Perculit] percussit, occidit.

Basan Quoque Et Balac Reges] videtur in ea sententia fuisse ut putarit Basan esse nomen Regis. Quod si ita est, fallitur. Nam est nomen regionis cujus Rex Og nominatur Num. 21. 33. *occurrit eis Og rex Basan.* Fortè sensus, *devicit regem Basan*, id est, terræ Basan. Nihil affirmo.

Super Jordanem] id est, apud, prope, secus; ut *super Numicum amnem*, Num. 12. 1. codex Ebræus habet מעבר cis Jordanem, nempe in campestribus Moab, in ea parte quæ respicit Jerichuntem urbem trans Jordanem sitam. Hoc in græca editione legitur παρεμβαλεν ἐπὶ τοῦ Ἰορδάνου κατὰ Ἱεριχώ, id est, apud Jordanem è regione Jericho.

Balac Devicit] Nusquam hoc lectum: & tamen credibile est victum Balacum, cum legatur pugnasse in Israëlitas Jos. 24. 9. Erat autem rex Moabitarum.

Adversus Madianitas Certatum] Quod bellum narratur Num. 30. Gestum autem fuit jussu Dei ob fornicationem: etiam, quia Madianitæ deos suos adorandos Israëlitis proposuerant.

Moyses Mortuus Est] Obiit in monte Abarim sive Nebo; septima mensis duodecimi, qui Adar nuncupatur ut R. Salomo scribit. Vide Lyram Jos. 1. Salmanticensis: *Mortuus est anno quadragesimo, mense Adar septimo ejus mensis meridie in robore diei. Sunt qui tradant decessisse eum in robore sabbathi, anno mundi conditi bis millesimo, quadringentesimo, octogesimo octavo.*

SCHO-

SCHOTANUS.

Cades, oppidum fuit in extremis finibus Idumææ (Num. 20. 16.) ad solitudinem. Hinc misere legatos petentes transitum. Transitum petiere verbis amicis: legati enim regem Idumææ ita affati esse traduntur: Hæc ait frater tuus Israël: Nosti omnem molestiam, quæ nos apprehendit. Majores nostros in Ægyptum descendisse, & multis illic annis ut & eorum posteros habitasse: afflictos esse ab Ægyptiis eoque ad Deum clamasse, qui angelo misso nos eduxit. Adsumus ad Cades, ac transitum rogamus innoxium, nec agros nec vineas attingemus, nec aquam puteorum: regia ibimus via, nec ad dextram nec sinistram deflectentes, donec fines tuos pertransierimus. Responsum ab rege: Transitum non habituros sed si moliantur, armis se esse occursuros. Cum exciperent Israëlitarum legati: Tantum via, qua est, ibimus, aquam sine pretio non potabimus. Et postremo adderent אין דבר ברגלי אעברה *Nullum verbum est, pedibus meis transibo.* LXX. Ἀλλὰ τὸ πρᾶγμα οὐδέν ἐστιν· παρὰ τὸ ὄρος παρελευσόμεθα. Sensus: Res illa sine damno aut periculo ullo, pedibus transibimus, non in equis aut curribus. Josephus: ἠξίου ὁδὸν αὐτῷ παρασχεῖν καὶ ἐγγύας, ἃς αὐτὸς ἐθέλοι λαβεῖν, ὑπὲρ τοῦ μηδὲν ἀδικηθήσεσθαι, δώσειν ὁμολογῶν, ἀγοράν τε τῷ στρατῷ χορηγῆσαι, κἂν τιμὴν τοῦ ὕδατος αὐτοῖς κελεύσειε, καταβαλεῖν. Non audiit Idumæus minatus vim, si ingrederentur, magnisque copiis aditus insedit. Præceperat Deus per Mosen, si transitum concederet, ne quicquam noxæ darent: etiam ne illius fines irrumperent. Deum enim nihil dedisse ipsis è terra, quam Idumæi possiderent. Josephus dicit Mariam eo in loco mortuam, publicis sumptibus sepultam esse in monte Sein. Solitudinis non montis nomen erat. Triginta diebus publico luctu ejus funus decoratum esse & hac occasione mactatam vaccam coloris rufi, combustamque & aqua cum cinere ejus lustratum funestum exercitum. Eam purificationem traditam esse in institutum ad posteros.

Philo lib. 1. de vita Mosis hanc legationem ad Idumæos ita describit & colorat: Πρὸς δὲ ταῖς εἰσβολαῖς ᾤκουν ἕτεροι καὶ δὴ συγγενεῖς αὐτῶν οὓς ᾤοντο μάλιστα μὲν συνεκπολεμήσειν τὸν πρὸς τοὺς ἀσυγγενεῖς πόλεμον καὶ πρὸς τὴν ἀποικίαν συμπράξειν· εἰ δ᾽ ἀποκνοῖεν, ἐπὶ μηδετέρων γοῦν τάξεσθαι, χεῖρας ἀνέχοντας. οἱ γὰρ ἀμφοτέρων τῶν ἐθνῶν πρόγονοι, τοῦτε ἑβραϊκοῦ καὶ τοῦ τὰ πρόσεια κατοικοῦντος, ἀδελφοὶ ἦσαν ὁμοπάτριοι καὶ ὁμομήτριοι, πρὸς δὲ καὶ δίδυμοι, ἀφ᾽ ὧν εἰς πολυπαιδίαν ἐπιδιδόντων, ἐκ τῶν ἀπογόνων εὐφορίᾳ τινὶ χρωμένων, εἰς μέγα καὶ πολυάνθρωπον ἔθνος ἑκάτερος τῶν οἴκων ἀνεχύθη· ἀλλ᾽ ἡ μὲν ἐφιλοχώρησεν, ἡ δ᾽ ὡς ἐλέχθη πρότερον εἰς Αἴγυπτον μεταναστᾶσα διὰ λιμὸν χρόνοις ὕστερον ἐπανῄει· τὴν δ᾽ οἰκειότητα ἡ μὲν διεφύλαττε, καίτοι πολὺν χρόνον διαζευχθεῖσα, πρὸς τοὺς μηδὲν ἔτι τῶν πατρίων φυλάττοντας, ἀλλὰ πάντα τὰ τῆς ἀρχαίας πολιτείας ἐκδεδιῃτημένους, ὑπολαβοῦσα τοῖς ἡμέροις τὰς φύσεις ἁρμόττον εἶναι προδιδόναι τι καὶ χαρίζεσθαι συγγενείας ὀνόματι· ἡ δ᾽ ἔμπαλιν τὰ φιλικὰ πάντα ἔτρεψεν ἤθεσι καὶ λόγοις βουλαῖς τε καὶ πράξεσιν ἀσπόνδοις καὶ ἀσυμβάτοις χρωμένη, πατρικὴν ἔχθραν ζωπυροῦσα· ὁ γὰρ τοῦ ἔθνους ἀρχηγέτης αὐτοῖς ἀποδόμενος τῷ ἀδελφῷ τὰ πρεσβεῖα, μικρὸν ὕστερον ὡς ἐξέσῃ μετεποιεῖτο, παραβαίνων ὁμολογίας καὶ ἐφόνα θάνατον ἀπειλῶν, εἰ μὴ ἀποδοίη. Ταύτην τὴν παλαιὰν ἀνδρὸς ἑνὸς πρὸς ἕνα ἔχθραν, ἔθνος τοσαύταις ὕστερον γενεαῖς ἐκαίνωσε. ὁ μὲν οὖν ἡγεμὼν τῶν ἑβραίων Μωϋσῆς, καίτοιγ᾽ αὐτοβοεὶ δυνάμενος ἑλεῖν ἐξ ἐπιδρομῆς, οὐκ ἐδικαίωσε διὰ τὴν εἰρημένην συγγένειαν, ἀλλ᾽ ὁδῷ χρήσασθαι μόνον ἠξίου τῇ διὰ τῆς χώρας, πάνθ᾽ ὑπισχνούμενος πράξειν τὰ ἔνσπονδα, μήτε μὴν χωρίον, μὴ θρέμματα, μὴ λείαν ἀπάξειν, ὕδατος εἰ ποτοῦ γένοιτο σπάνις, τιμὴν παρέξειν, καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἀχορηγήτων ὠνίων· οἱ δὲ εἰρηνικαῖς προκλήσεσιν ἀνὰ κράτος ἠναντιοῦντο, πόλεμον ἀπειλοῦντες, εἰ τῶν ὅρων ἐπιβάντες, ἢ ψαύσαντες αὐτὸ μόνον αἴσθοιντο.

χαλεπῶς δὲ τῆς ἀποκρίσεως ἐνεχόντων, καὶ ἤδη πρὸς ἄμυναν ὁρμώντων, ἐν ἐπηκόῳ στάς, ὦ ἄνδρες, εἶπεν, ἡ μὲν ἀγανάκτησις ὑμῶν εὔλογος καὶ δικαία. χρηστὰ γὰρ ἀφ' ἡμέρου γνώμης προτεινάμενοι, πονηρὰ ἀπὸ διανοίας ἀπεκρίναντο κακοήθους· ἀλλ' οὐχ ὅτι τῆς ὠμότητος ἐκεῖνοι δίκας ἐπάξιοι τίνειν εἰσί, διὰ τοῦθ' ἡμῖν ἐπὶ τὰς κατ' αὐτῶν τιμωρίας ἁρμόττον ἰέναι ἕνεκα τῆς πρὸς τὸ ἔθνος τιμῆς· ἵνα δὲ ταύτῃ μοχθηρῶν ἀγαθοὶ διαφέρωμεν, ἐξετάζοντες οὐ μόνον εἰ κολαστέοι τινές εἰσιν, ἀλλ' εἰ καὶ ὑφ' ἡμῶν ἐπιτήδειοι τοῦτο πάσχειν. εἶτ' ἐκτραπόμενος ἦγε δι' ἑτέρας τὴν πληθύν, ἐπειδὴ τὰς κατὰ τὴν χώραν ὁδοὺς ἁπάσας φρουραῖς διεζωσμένας εἶδεν ὑπὸ τῆς βλάβην μὲν οὐδεμίαν ἐνδειξομένων, φθόνῳ δὲ καὶ βασκανίᾳ τὴν ἐπίτομον οὐκ ἐώντων προέρχεσθαι. τοῦτο δὲ σαφεστάτη πίστις ἀνοίας ἦν, ἣν ἐπὶ τῷ τὸ ἔθνος ἐλευθερίας τυχεῖν ἠνιῶντο, δηλονότι χαίροντες. ἡνίκα τὴν ἐν Αἰγύπτῳ πικρὰν δουλείαν ὑπέμενεν· ἀνάγκη γὰρ οἷς φέρει λύπην τὰ ἀγαθὰ τῶν πλησίον, ἐπὶ τοῖς τούτων εὐφραίνεσθαι κακοῖς, κἂν μὴ ὁμολογῶσιν. ἔτυχον γὰρ ὡς πρὸς ὁμογνώμονας καὶ τὰ αὐτὰ βουλομένους ἀνενεγκόντες τὰ λυπηρά τε αὖ καὶ ὅσα καθ' ἡδονήν, οὐκ εἰδότες ὅτι πόρρω προεληλύθασι μοχθηρίας καὶ ἀπεχθείας, καὶ φιλαπεχθημόνως ἔχοντες, στένειν μὲν ἐπὶ τοῖς ἀγαθοῖς, ἥδεσθαι δὲ ἐπὶ τοῖς ἐναντίοις ἔμελλον· τῆς δὲ κακονοίας ἀνακαλυφθείσης ἐκείνων ἐκωλύθησαν εἰς χεῖρας ἐλθεῖν ὑπὸ τοῦ προεστῶτος, ἐπιδειξαμένου δύο τὰ κάλλιστα, φρόνησιν ἐν ταὐτῷ καὶ χρηστότητα. τὸ μὲν γὰρ μηδὲν μηδένα παθεῖν φυλάξασθαι, συνέσεως. τὸ δὲ μηδ' ἀμύνασθαι συγγενεῖς ὄντας θελῆσαι, φιλανθρωπίας ἔργον.

Id est, ex versione Gelenii: *In aditu regionis habitabat gens cognata* (præter alios quod omisit Gelenius) *quos sperabant fore belli adversus vicinos gerendi socios adjutoresque in parandis novis sedibus: aut si hoc gravarentur, certè neutris se adjuncturos partibus. Nam utriusque gentis primi conditores tum Hebraicæ tum accolentis fines hostiles, una matre, unoque partu editi erant, quorum familiæ felici auctæ sobole in duas populosas gentes tum excreverant. Harum altera in suis mansit sedibus: altera (ut ante diximus) in Ægyptum propter famem translata post aliquot ætates, retro, unde venerat, rediit. Hæc cognationis non oblita, quamvis dudum disjuncta sedibus: & tunc quoque nihil de ritu majorum agnoscens in degeneribus posteris, arbitrabatur decorum esse mansuetis ingeniis, si antiquæ necessitudini aliquid tribuerent. In altera nullum supererat amicitiæ vestigium, quæ longè diversis assueta moribus, rationibus, consiliis, studiis, avita renovabat odia. Nam primus hujus gentis autor jus primogenituræ fratri vendiderat, quod paulo post facti pænitens repetiit atque etiam necem intentando extorquere voluit. Hæ majorum privatæ simultates apud integras posterorum gentes instauratæ sunt eo tempore. Cæterum dux Hebræorum Moses, quamvis primo incursu eos posset opprimere, iniquum id ratus propter jus antedictæ cognationis, maluit transitum per eorum agros petere, pollicendo se iter facturum sine incolarum injuria, intactis agris & pecoribus, ne potum quidem aquæ necessarium sumpturos absque pretio, in potestate incolarum fore annonam, se usuros foro ex ipsorum arbitrio: at illi contemptis caduceatoribus conditiones fœderis offerentibus, armati obviam profecti sunt, bellum ostentantes eis, si auderent fines transcendere imò vel attingere. Id responsum ægre ferente populo & jam ad arma concitato, propheta è superiore loco, ut exaudiri posset, sic eos allocutus est: Non est iniqua, viri fortissimi, vestra indignatio, qui bonas conditiones offerendo repulsam passi estis à pravis & perversis hominibus: illi quidem digni sunt ut inhumanitatis pænas dent, nos tamen decet mitius agere & revereri gentiles necessitudines. Alioqui quod erit inter bonos malosque discrimen, si magis cogitabimus, quid illi mereantur, quam quid nos deceat? His dictis avertit aliò populum, cum videret omnes aditus insessos præsidiis ab his, quibus nihil imminebat periculi, tantum præ invidia viam compendiariam intercluserant: quod erat certissimum indicium malevolentiæ molestè ferentium gentem libertati redditam: quam in Ægypto gravi servitute premi anteà libenter audierant. Necesse enim, ut qui alterius felicitate dolet, ejus calamitate gaudeat, quantumvis dissimulet. In tantum enim res suas cum impiis consociaverant,*

verant, ut in summam malitiam prolapsi insensi essent bonis omnibus, ægre ferrent successus eorum, gauderent calamitatibus. Id tum latere non potuit, cohibitus est tamen populus à suo principe, eadem opera gemino exemplo edito tum bonitatis tum prudentiæ. Prudenter enim fecit, quod discessum est sine mutuis injuriis: quod vero cognationis respectu ultionem cohibuit humanitatis fuit officium.

De trigesima quinta mansione ad montem Hor.

HInc præter Idumæam universum agmen promovit usque ad montem Hor, qui etiam est in finibus Idumææ, sed in confinio Cananææ. Ab Idumæis & Moabitis cibos aliaque necessaria emere consueverant. Israëlitæ, dum eorum fines circumibant, ut videtur patere Deut. II. 28. 29. Quamvis enim Manna suppeteret, alia tamen desiderabat populus & comparabat ubi poterant haberi. Josephus: *ἀπῆγε τὴν δύναμιν διὰ τῆς ἐρήμου καὶ τῆς Ἀραβίας. Ἐλθὼν δ' εἰς χωρίον ὃ μητρόπολιν αὐτῶν νενομίκασι, πρότερον μὲν Ἄρκην λεγομένην Πέτραν δὲ νῦν ὀνομαζομένην ἐνταῦθα ὑψηλοῦ περιέχοντος ὄρους, αὐτὸ ἀναβὰς Ἀαρὼν* &c. Aharon jussus à Mose conscendit cum ipso & filio Eleazaro in montem. Ibi cum in conspectu totius multitudinis, exutam pontificiam stolam Eleazaro filio tradidisset, mortuus est anno ætatis 123. Dies mortis incidit in neomeniam mensis quinti. Luxit eum populus triginta diebus. Cananæus rex Arad, australia Canaan tenens, (LXX. *ὁ κατοικῶν τὴν ἔρημον*) cum audiret Israëlitas advenire, per viam exploratorum (ut habet textus Num. XXI. 1.) Aut intelligitur via, qua è Cades barnee ante triginta octo annos profecti erant, quos miserat Moses: aut rex ille exploratum misit, qua progrediebantur Israëlitæ. Ipsos igitur incursionibus vastabat intercipiens, qui ab agmine aut è castris processerant. Ideò accensi Israëlitæ votum Deo faciunt, quo devovent eum cum tota regione. Hanc historiam diversam esse ab illa quam habemus superius, res universa clamat. Non est absimile vero votum nunc quidem factum esse, sed impletum, post mortem Josue à tribu Judæ, quod Jud. 1. 17. commemoratur. Nunc factum esse putat Philo, qui ita explicat: *Τὰς μὲν οὖν τούτων πόλεις παρημείψατο. Βασιλεὺς δέ τις τῆς ὁμοχώρου χανάνης ὄνομα, τῶν σκοπῶν ἀπαγγειλάντων τὸν ὁδοιποροῦντα στρατὸν οὐ μακρὰν πάνυ ἀφεστηκότα, νομίσας ἀσύντακτόν τε εἶναι καὶ ῥᾳδίως εὖ προσεπιθέμενος νικήσειν, ἄρας μετὰ τῆς οἰκείας νεότητος εὐοπλούσης ἐπεξῆλθε, καὶ τοὺς πρώτους ὑπαντιάσαντας, ἅτε μὴ παρεσκευασμένους εἰς μάχην τρέπεται· καὶ λαβὼν αἰχμαλώτους, ἐπὶ τῷ παρ' ἐλπίδα εὐημερήματι φυσηθεὶς, προῄει καὶ τοὺς ἄλλους ἅπαντας χειρώσεσθαι νομίζων· οἱ δ' οὐδὲ γὰρ ἐνεκάμφθησαν, ὑπὸ τῆς προσερχομένης πράξεως, ἀλλ' ἔτι μᾶλλον ἢ πρότερον ἀναστάντες εὐτολμίας καὶ τὴν ἔνδειαν τῶν ἑαλωκότων ἐκπλῆσαι τῇ προθυμίᾳ ἐπειγόμενοι, συνεκρότουν ἄλλος ἄλλον μὴ ἀποκάμνειν, ἀνεγειρώμεθα λέγοντες, ἄρτι τῆς χώρας ἐπιβαίνομεν· ἀκατάπληκτοι μετὰ τῆς ἐν τῷ θαρρεῖν ὀχυρότητος γενώμεθα. Τὰ τέλη τῶν ἀρχαῖς πολλάκις κρίνεται. ἐπὶ τῶν εἰσβολῶν ὄντες καταπληξώμεθα τοὺς οἰκήτορας, οὐκ ἔχοντες μὲν τὴν ἐκ τῶν πόλεων εὐετηρίαν, ἀνδεδωκότες δ' ἤδη ἐκ τῆς ἐρημίας ἐπειγόμεθα σπάνει τῶν ἀναγκαίων· καὶ ἅμα διὰ τούτων προτρέποντες αὑτοὺς, ηὔξαντο τῆς χώρας ἀπαρχὰς ἀναθήσειν τῷ θεῷ τὰς πόλεις τοῦ βασιλέως, καὶ τοὺς ἐν ἑκάστῃ πολίτας· ὁ δὲ ἐπινεύει ταῖς εὐχαῖς. καὶ θάρσος ἐμπνεύσας τοῖς Ἑβραίοις, τὴν τῶν ἀντιπάλων στρατιὰν, ἁλῶναι παρεσκεύασεν· οἱ δ' ἀνακράτος ἑλόντες τὰς χαριστηρίους ὁμολογίας ἐπετέλουν. οὐδὲν ἐκ τῆς λείας νοσφισάμενοι· τὰς δὲ πόλεις αὐτοῖς ἀνδράσι καὶ κειμηλίοις ἀνιερώσαντες, ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος ὅλην τὴν βασιλείαν ὠνόμασαν ἀνάθεμα· καθάπερ γὰρ εἷς ἕκαστος τῶν εὐσεβούντων, ἀπὸ τῶν ἐτησίων ἀπάρχεται καρπῶν, οὓς ἂν ἐκ τῶν ἰδίων συγκομίζηται κτημάτων· τὸν αὐτὸν τρόπον, καὶ ὅλον τὸ ἔθνος μεγάλης χώρας, ἣν ἤδη μετανίστατο, μέγα τμῆμα τὴν εὐθὺς αἱρεθεῖσαν βασιλείαν ἀνέθηκεν ἀπαρχήν τινα τῆς ἀποικίας· οὐ γὰρ ἐνόμισεν ὅσιον*

εἶναι διανέμασθαι γῆν, ἢ πόλεις κατοικῆσαι, πρὶν τῆς χώρας καὶ τῶν πόλεων ἀπάρξασθαι. Hæc à Gelenio versa: *Hornm oppidis præteritis cum ad ulteriora pergerent, rex quidam finitimus Chananes nomine ubi cognovit è speculatoribus exercitum per loca non longè dissita iter facere, putans eos sine ordine incedentes facile posse opprimi, cum armatâ suorum juventute invasit, & primo assultu quosdam ut imparatos coëgit terga vertere: interceptisque aliquot captivis insperato successu inflatus procedebat ulterius, quasi omnes in suam potestatem redacturus: at illi nihil territi accepto incommodo, imò accensa audacia ut abolerent ignominiam, hortabantur se invicem: Viri simus, geramus rem alacriter in primo regionis promissæ aditu: intrepide pugnemus pro munimento habentes audaciam: per initia sæpe de eventu decernitur. Dum in limine sumus terrorem incutiamus incolis, ut inopia qua in locis desertis laboravimus, permutemus agrorum fertilium & bene cultorum copiam. Sic animati voverunt Deo primitias agrorum, ejus regis oppida cum suis finibus: nec fuerunt vota irrita, propitio numine Hebræis robur addente, ad extorquendam hosti victoriam. Itaque pugnatum est egregie, supplicatumque post victoriam, præda tota consecrata autori tantæ felicitatis. Oppida cum viris & auro argentoque Deo dicari placuit, unde totum id regnum anathema nominatum est. Quemadmodum enim unusquisque vir pius consecrat primitias fructuum comportatorum ex agris suis: ad eundem modum gens universa portionem magnæ regionis, in cujus possessionem migrabat, & eam quidem non exiguam, regnum integrum quod primum bello quæsitum est, novæ coloniæ primitias Deo dicavit: nefas enim putabant vel agros dividere, vel in urbes immigrare, ante consecratas horum primitias.*

De æneo serpente.

E trigesima quarta statione retro abiere versus mare Rubrum, ut circumirent Idumæam. Statio trigesima quinta fuit in Salmona, trigesima sexta in Phunon. Hujus retrocessionis & per desertum obambulationis, in qua habitabilis terræ escis & deliciis carere eos oportuit quia procul à consortio hominum iter agebant, tædere cœpit populum. Rasi: *Dicebant, jam fuimus propinqui ad ingrediendum terram & nos recedimus retro: sic recesserunt patres nostri & morati sunt 38. annos usque ad diem hunc*, ideo abbreviata est anima eorum afflictione itineris. Sic explicat dictum: ותקצר נפש העם בדרך. Locutus est in Mosen & Deum: *Cur eduxisti nos ex Ægypto ut moriamur in deserto. Nam non est panis neque aqua: & animam nostram tædium habet vilis istius panis* (scilicet mannæ) Jam secundò in Manna murmurant: Cum dicunt non esse illic panem & aquam, id volunt, non esse ordinarium à natura editum panem, Cajetanus: *Mentiebantur attribuendo mortem penuriæ panis & aquæ, quoniam Deus semper utriusque defectum suppleverat: & propterea defectum panis invertunt in qualitatem panis* &c. Non accusant in pane levitatem, quæ qualitas est ad pondus, ut putat Cajetanus, & ideo reprehendendo laudasse cibum Dei. Intelligunt levitatem ad vim alendi, aut vilitatem. הקלוקל LXX, *διακένῳ*. Duplicatum à קל juxta Aben-esdram. Rasi: Quoniam manna absorbebatur in membris, vocabant eam קלקל. *Dicebant, Futurum est ut Man istud intumescat aliquid: est natus mulieris, qui introducit & non educit.* Contemnebant mannam, deserti loca arida aversabantur. Mannam habebant è cælo, aquam habere poterant ab Idumæis & Moabitis, quamvis parcius. Spernebatur ergò in manna donum Dei, sua providentia ipsis supra vim naturæ consulentis. Deus immisit הַנְּחָשִׁים הַשְּׂרָפִים LXX. *τοὺς ὄφεις θανατοῦντας*. Rasi: *Qui urebant homines veneno dentium suorum.* Putant aliqui ignitos dictos esse à rutila

spe-

ſpecie; alii, quod volantes per aërem emitterent ignis ſcintillas. Sed verius eſt, quod urerent inflammarentque item doloris ſenſum flagrantiſſimum facerent & veneni vi præſentiſſima interimerent. πρηστῆρας Græci appellant ejuſmodi genus. Lucanus lib. 9.

Oraque diſtendens avidas ſpumantia Preſter.

Quo autem genere lethi occumbant à Preſtere icti, idem de Naſio Marſo:

Ecce ſubit facies leto diverſa fluenti.
Naſidium Marſi cultorem torridus agri
Percuſſit Preſter. Illi rubor igneus ora
Succendit tenditque cutem pereunte figura,
Miſcens cuncta tumor toto jam corpore major:
Humanumque egreſſa modum ſuper omnia membra
Efflatur ſanies, late tollente veneno,
Ipſe latet penitus congeſto corpore merſus:
Nec lorica tenet diſtenti corporis auctum.
Spumeus accenſo non ſic exundat aheno
Undarum cumulus: nec tantos Carbaſa Coro
Curvavere ſinus. Tumidos jam non capit artus
Informis globus & confuſo pondere truncus.
Intactum volucrum roſtris epulaſque daturum
Haud impune feris, non auſi tradere buſto.
Nondum ſtante modo creſcens fugere cadaver.

Id genus ſerpentum & ſcorpionum in aridis illis arenis frequentiſſimum erat Deut. 8. 15. Et exiſtimant hoc genus illum fuiſſe, ſub quo Satan Euam in Paradiſo tentavit. Quod fundamento caret. Dicunt Judæi in Thanchum quod ſerpentibus ideo puniti ſint quod ſerpens edat multas ſpecies ſed unum ſaporem: ita ſcilicet ipſos vertiſſe multos ſapores mannæ in unum. Ita magna populi multitudo interiit. Calamitate iſta ſubactus populus accedit ad Moſen: fatetur ſe in Deum & Moſen peccaſſe: rogant ut Deum pro ſe precaretur. Deus Moſi præcipit, Figuram (שָׂרָף) preſteris ex ære factam perticæ imponere, ut in ſublimi conſpicua eſſet: quam intuerentur icti in medelam. Intuitus ille in æneum ſerpentem ſanabat: quod factum eſt in myſterio. In præcepto Dei non exprimitur materia, ideò volunt Moſen è voce נחש (inde נחשת æs) elicuiſſe, quod ex hac materia eum facere deberet: קורהו נחש ואני אעשנו של נחשת לשון נופל על לשון: Aben-eſdras: *Multi jactant ſe & dicunt quod hæc figura fuerit ad recipiendam virtutem ſuperiorum. Abſit autem abſit, Nam res facta eſt præcepto Dei: nec poſſumus ſcrutari cur figura ſerpentis. Si ita non eſt, oſtendat aliquis nobis lignum, quod dulces faciat aquas amaras, etiam mel non potuit. Et quæ ratio ponendi palatham ficuum ſuper ulcus, non eſt in natura ejus tollere ulcus. Vere mens Excelſi ſuperat captum noſtrum.* Raſi notat quod Textus primo ita dicat: *Et erat omnis morſus* וראה אותו וחי *videbat eum & vivebat.* Poſtea dicitur: *Si morderet ſerpens virum & intueretur* (והביט) *ſerpentem vivebat.* Prius etiam pertinere ad morſum canis & aſini, qui non perimit, ideo haberi vocabulum generale ראה; alterum reſtringi ad ſolius ſerpentis morſum, qui citò peri-

peremit, ideoque haberi הביט. Et hoc הביט fuisse בכונה in intentione & proposito. Cito igitur animo & mente cum admorsi essent à prestere ob periculum, respiciebant, sed à cane aut *asino morsi non ita festinabant ad sanationem. Et dicunt (inquit) magistri nostri: Nunquid æs interficit aut vivificat? sed in tempore, quo Israëlitæ aspiciebant versus supremum & subjiciebant cor suum patri suo, qui in cœlo, sanabantur & si non, contabescebant.* Ineptum est, quod de morsu canum & asinorum loquitur: benè quod notet æs non potuisse intuitu suo sanare aut interimere, cæterum nescivit serpentem illum æneum figurare medicum, qui suspendio suo sanaturus esset, admorsos à serpente antiquo. Philo in allegoriis suis evanescit: serpentum genera duo innui in scriptura alterum Εὔα appellari patrio sermone φίλον ἢ σύμβυλον ζωῆς, alterum robustius, quod seipsum tueri possit, simile τῷ πρὸς Μωϋσέως ἐξ ὕλης χαλκῦ δημιυργηθέντι ἐν οἱ δηχθέντες ὑπὸ τ ἰοβόλων ὄφεων, καίτοι μέλλοντες πλδυτήσειν, ὅποτι κατίδοιεν, ἐπιβιῶσι καὶ μηδέποτε ἀποθνήσκειν λέγονται. Serpentem illum voluptatem significare, Mosaicum vero (καρτερίαν) fortitudinem, affectionem voluptati contrariam. παρ' ὃ καὶ τῆς (χαλκῦ) κραταιοτέρας ὕλης καλεσκευασμένος εἰσάγεται. Ideo Mosen Danitarum tribui precari ut fiat serpens scilicet posterioris generis: Gen. 49. 37. Hæc ille in libro de Agricultura. Veteres Hebræi in Thargum Hierosolymitano annotant, morsum per antiquum illum serpentem parentibus nostris factum sanandum esse in diebus Messiæ, ut observavit Fagius. Idem ex David Kimchi in libro radicum laudat: *Dicunt sapientes medicinæ, quod homo quem momordit serpens si aspiciat æs, illico moriatur. Id eoque dixisse Deum ad Mosen: Fac tibi serpentem æneum. Et erit, omnis morsus intuebitur eum & vivet.* בהפך טבע העולם להגדיל הנס. Sic se rem habuisse in palatha ficuum, & ligno Mosis &c. Eodem modo Christum mortuum dare vitam &c. Dominus nobis aperuit mysterium Joh. 3. v. 14. 15. Philosophatur sapiens Judæus de his serpentibus quos vocat σκολιὺς ὄφεις & ἰοβόλυς δράκοντας, cap. XVI. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

Iter usque in campum Moab.

INde profecti sunt in Oboth. Sed profectio ab Oboth ad extremam mansionem ita describitur Num. 21.

37. אבות Oboth, Ὠβώθ.
38 עיי עברים colles Abarim. LXX. Ἐν Ἀχελγαὶ τῷ πέραν.
39 Torrens sive vallis Zared. LXX. εἰς φάραγγα ζάρεδ.
40 מעבר ארנון A transitu Arnon: juxta vadum Arnon.
41 באר φρέαρ puteus.
42 Ex illo deserto מַתָּנָה Matthana. LXX. Μανθαναείν.
43 נחליאל Nahaliel, Νααλιήλ.
44 במות Bamoth.
45 Vallis in campo Moab, ad verticem Phasga, quæ ad faciem deserti. LXX: Εἰς νάπην, ἥ ἐστιν ἐν τῷ πεδίῳ Μωάβ, ἀπὸ κορυφῆς τῦ λελαξευμένυ τὸ βλέπον κατὰ πρόσωπον τῆς ἐρήμυ.

In cap. 33. Numerorum.

36 אובות Ὠβώθ.
38 עיי עברים colles Abarim, ad fines Moab. LXX. ἐν τῷ γαὶ ἐν τῷ πέραν.
39 דיבן גד Dibon-gad; LXX. Δαιβὼν γάδ.
40 עלמן דבלתים Almon deblathaim. LXX. γελμὼν δεβλαθαίμ,

.41 In

41 In montibus Abarim ante Nebo.

42 In campis Moab ad Jordanem Jericho.

Tres mansiones illic superant. In deserto Moab fuerunt vallis Zared, Trajectus Arnon & puteus. Circumierunt Moabitas usque ad fines Ammonitarum. A Moabitis transeundi copiam petentes non obtinuere, tantum ad fines ducentes castra forum rerum venalium habuere. Rasi: *Circumiverunt terram Moab à meridie & ortu, donec venerunt ad transitum secundum* (מעבר השני) *Arnon autem inter terram Amorrhæorum ab aquilonari parte Moabitidos.* Deinde: *Lingula exit è termino Amorrhæorum & est Amorrhæorum: ingreditur in terminum Moab usque Arnonem, qui est terminus Moab. Illic castra metati sunt Israelitæ & non sunt ingressi terminum Moab. Quemadmodum dicit Iephthe* (Jud. XI. 17.) Etiam ad regem Moab & non voluit. *Et Mose indicat illud* (Deut. II. 29.). Quemadmodum fecerunt mihi filii Esau, colentes Seir & Moabitæ colentes in Ar (ער) *Quid illi? Non dederunt transitum per terram suam sed circumiverunt illos ita & Moab.* De Arnone Josephus: ὃς (ποταμὸς) ἐκ τῶν τῆς Ἀῤῥαβίας ὄρων ὁρμώμενος καὶ διὰ πάσης ἐρήμου ῥέων, εἰς τὴν Ἀσφαλτῖτιν λίμνην ἐκδίδωσι ὁρίζων τήν τε Μωαβίτιν καὶ Ἀμωρῖτιν. Moabitæ olim ultra Arnonem terras tenuerant usque ad Jordanem unde campi ea adhuc tempestate Moabitarum dicebantur. In textu (Num. 21. 13. 14. 15.) obscuritas quædam est, quæ torquet interpretes. Versio Belgica versum 14. includit parenthesi conjungitque finem versus decimi tertii cum versu Decimo quinto.

v. 13. Quia Arnon terminus Moab, inter Moab & Amorrhæum.

(v. 14. Ideo יאמר in libro bellorum Domini את והב בסופה ואת הנחלים ארנון.) LXX: Διὰ τοῦτο λέγεται ἐν βιβλίῳ πόλεμος τοῦ κυρίου τὴν Ζωὸβ ἐφλόγισε καὶ τοὺς χειμάῤῥους Ἀρνῶν.

v. 15. ואשר הנחלים אשר נטה לשבת ער ונשען לגבול מואב LXX. Καὶ τοὺς χειμάῤῥους κατέστησε κατοικίσαι Ἢρ καὶ πρόσκειται τοῖς ὁρίοις Μωάβ.

Vult enim describi, quomodo Arnon Amorrhæos à Moabitis diviserit. אשר effusio torrentium, quæ se inclinat ad positum Ar & imminet ad terminum Moab. Hoc modo Amorrhæi & Moabitæ disterminabantur fluentis Arnonis. Ita è libro bellorum Domini tantum sunt verba ultima comm. 14. Judæi conjungunt v. 15. cum 14. voluntque in utroque è libro bellorum Domini allegationem esse. Quid est liber bellorum Domini? Et quid volunt verba producta? Onkelos: *Ideo dicitur in libro bellorum (quæ fecit Dominus ad mare Rubrum & magnalia in torrente Arnon) Et effusio torrentium, qui dicuntur contra Lehajath & pertingit usque ad termiuum Moab.* Aben-esdras: *Liber fuit* [בפני עצמו] *per se & illic continebantur scripta bella Domini propter timentes ipsum: Verosimile, quod deductus fuerit à temporibus Abraham: quia multi libri perierunt & non habentur: ut verba Nathan & Iddo & Chronica regum Israëlis & cantica Salomonis & proverbia ejus.* את והב בסופה *Bella fuerunt in diebus antiquis in locis memoratis. Et nomen* והב *non est linguæ sanctæ. Et sic* וזתא ושת׳ ופס׳ *etiam* ושני *aut expositio* ושני *ut sit* וו *copulativum* (לחבור) *Et omnia hæc quare? Quia non invenitur* וו *radicale in capite dictionis nisi* וו: *quia consistentia tantum invenies sub Iod:* & expositio *interpretis Syri nota est.* ואשר הנחלים] *Quidam dicunt, quod hoc sit in lingua Syra: & summa rei, omnia hæc nomina locorum.* אשר נטה] *Sensus est de Israële, quia transierunt juxta* ער. וזו והוא ישב ממולי] ונשען מואב. Accipit illa de Israëlitis eorumque transitu narranda in commemoratione (id ספר valet) bellorum Domini. Rasi etiam: על כן יאמר] *de hac metatione castrorum & miraculis in ea factis dicetur in catalogo bellorum Domini: quando narrantes erunt miracula, quæ facta sunt patribus nostris, narrabuntur.* ואת והב] *Sicut* את יהב: *sicuti dicunt è* יער / ועד *ita dicitur ex* יהב.

יהב יאב. *Et vau radicale est. q. d. Quæ dedit (יהב) ipsis & multiplicavit miracula in mari suf.* ואת נחלים ארנון *Quemadmodum narrant de miraculis maris suf etiam narrandum erit de miraculis torrentium Arnonis: quia etiam hic facta sunt magna miracula: Et quæ sunt ista miracula?* ואשר הנחלים] *Paraphrasis Chaldæa vocis* אשר *deducta est à voce* שפך*, nempe* שפך הנחלים *Quia effusus est sanguis Amorrhæorum, qui erant illic in insidiis: quoniam montes excelsi erant, fluvius autem profundus at arctus; montesque inter se propinqui; homo consistens in hoc monte poterat loqui cum alio in monte altero. Et via transibat perflumen. Dicebant Amorrhæi, quando ingredientur Israelitæ in terram, per medium fluminis ut transeant egrediemur è speluncis in montibus supra ipsos & occidemus eos sagittis & lapidibus balistarum. Erant autem istæ foveæ in monte è parte Moab & in monte à parte Amorrhæorum, fuerunt ex adverso istarum fovearum ut species cornuum & uberum eminentium foras. Cum Israelitæ venirent ad transeundum loco motus est mons terræ Israel sicut ancilla egrediens ut sistat se coram hera sua & appropinquavit ad partem montis Moab, & corruerunt ista ubera in fossas istas & occiderunt istos. Et hoc est* אשר נטה לשבת ער*, quod mons iste flexerit se è loco suo & accesserit ad latus Moab eique adhæserit & hoc est* ונשען לגבול מואב.

Hinc invenere fontem: ה in Hebræo textu ponitur loco אל *ad* Textus dicit: *Hic est puteus, de quo dixerat Dominus Mosi, Congrega populum & dabo vobis aquam.*

Tunc cecinit Israel canticum hoc, Exulta putee respondete de ipso: Puteus iste foderunt eum principes foderunt eum nobiles populi (נדיבי העם) per *legislatorem, baculis suis.*

Perspicuus sensus est: significatur n. quod Dei jussu per Mosen puteus effossus manibus & opera principum nobiliumque in populo, largissimam aquarum copiam effuderit. Jam igitur desierat aqua è rupe: quia accesserant ad terminos terræ habitatæ. Nec videntur habuisse aquam è rupe Sinai postquam ad terminos Edom in Cades accessere. Ita aquæ illæ in Meriba prima datæ in secunda cessarunt. Carmen quod Israelitarum populus cecinit, ἀμοιβαῖον fuit, quia divisis choris cecinere. Respondere (ענו) solebant secundi primis. עלי באר Exulta putee: nempe choros ducebant juxta puteum. Aben-esdras: *Etiam iste puteus fuit admirabilis. Non est ille, qui vocatur puteus Mariæ. Secundum sententiam meam tantum fuit locus, quem præceperat Moses & foderunt eum principes Israel baculis suis & confestim eruperunt aquæ.* Putat carmen totum non esse positum. ענו לה putat significare: Respondete de puteo quomodo factus sit איך עלתה. Id non est absonum. Nam sequens versus originem & fossionem ejus describit. Fuit in deserto Moab procul à finibus terræ habitatæ. Existimat Aben-esdras multa loca in Num. 21. cap. convenire in unum pro Num. 33. *Scito quod* אשר הנחלים *& desertum dictum* באר *& Matthana & Nabaliel locorum nomina sint, quibus sit nomen generale Almon deblathaim.* Non lubet ejus discursum totum describere. Mythologi omnia locorum nomina in Num. 21. ab hoc puteo ad ultimum conjungunt ad superioris historiæ continentiam. De puteo Rasi: *Exinde venit effusio ad puteum, sicut dicebat Deus benedictus: Quis indicat filiis meis miracula ista? Simile dicit: Dedi portionem infantulo, indica matri. Postquam transierant, redierunt montes in locum suum & puteus descendit in medium fluvii & edidit inde sanguinem occisorum & brachia & membra & fecit ea ire circum castra & Israel vidit & cecinit canticum.* Ascende Putee] *E medio fluminis & educ illud quod tu educis. Et unde? Quia puteus indicabat ipsis* Q. D. At exinde puteus. *Nunquid exinde factus est & non à principio quadraginta annorum fuit cum illis? Sed quod descendit ad publicanda miracula. Et sic* Tunc canet canticum *hoc dictum de fine quadraginta. At puteus datus erat illis à principio quadra-*

quadraginta, quorsum scripsit hic? sed res hæc subtiliter dissseritur supra. Exinde: Hic est ille puteus quem foderunt principes, *Mose & Aaron.* Baculis suis] *virgis.* Et è deserto Matthana] *ipsis* (sc. donum) Et è Matthana Nahaliel] (*secundum Thargum.* Et è Bamoth vallem quæ est in campo Moab] *quia illic cessavit puteus. A. S.* Foderunt eum nobiles populi: *unusquisque princeps* (נשיא) *cum castra metarentur, tollebat baculum suum & ducebat juxta vexillum & castra sua & aquæ putei ducebantur via hujus signi & veniebant ante mansionem uniuscujusque tribus.* במחוקק] *Ad os Mosis qui vocatur* מחוקק Q. D. (Deut. 33. 21.) Quia illic in parte legislatoris tectus. *At quare non est mentio Mosis in hoc cantico?* Quia *vapulavit per hunc puteum. Et quoniam non est diserta mentio nominis Mosis non exprimitur nomen Dei. Simile de rege, quem invitabant ad convivium: dicebat: Si amatores mei illic, ego illic, si non, ego non eo.* Hæc ostendunt etiam subtilitatem Judaicam & nugas. Paraphrasis Chaldaica etiam fabulas istas probat: *Inde datus est eis fons. Hic est fons de quo dixit Dominus ad Mosen: Congrega populum & dabo eis aquas. Tunc cecinit Israël canticum istud: Ascende fons, canite ei. Fons quem foderunt principes, effoderunt capita populi (scribæ scilicet) cum suis baculis: & ex deserto datus est eis. Et ex eo, quo datus est eis descendit cum eis in valles & de vallibus ascendit cum eis in colles. De collibus vero in vallem, quæ est in campo Moab: in verticem scilicet contra Bethiesimon.* Sic nomina propria locorum Matthan & Nahaliel & Bamoth accipiunt pro appellativis. Aquas è petra Horeb secutas esse exercitum dicunt usque ad campum Moab, nec ante penitus defecisse, quam Moses objisset. Nam post mortem Mariæ cessavisse quidem sed in deserto Moab iterum inventum puteum esse. Puteum istum post cladem Amorrhæorum ad trajectum Arnonis emersisse. De hoc puteo Philo in hunc modum: Μικρὸν δ' ὕστερον καὶ πηγὴν εὔυδρον ἀνευρόντες, ἣ παντὶ τῷ πλήθει ποτὸν ἐχορήγησεν· ἐν φρέατι δ' ἦν ἡ πηγή· καὶ ἐπὶ τοὺς τῆς χώρας ὅρων· ὥσπερ οὐχ ὕδατος ἀλλ' ἀκράτου σπάσαντες, τὰς ψυχὰς ἀνεχύθησαν, ὁπότε εὐφροσύνης καὶ χαρᾶς ᾆσμα καινὸν οἱ θεοφιλεῖς χοροὺς περὶ τὸ φρέαρ ἐν κύκλῳ στήσαντες ᾖδον εἰς τὸν κληροῦχον θεὸν, καὶ τὸν ἀληθῶς ἡγεμόνα τῆς ἀποικίας, ὅτι πρῶτον ἐπιβάντες ἐξ ἐρημίας μακρᾶς, τῆς οἰκουμένης, καὶ ἣν ἔμελλον καθέξειν, ποτὸν ἄφθονον ἀνεῦρον, ἁρμόττον ἡγησάμενοι μὴ ἀσημείωτον τὴν πηγὴν παρελθεῖν. Καὶ γὰρ ἔτυχεν οὐ χερσὶν ἰδιωτῶν, ἀλλὰ βασιλέων ἀνατετμῆσθαι, φιλοτιμηθέντων, ὡς λόγος, οὐ μόνον περὶ τὴν εὕρεσιν τοῦ ὕδατος, ἀλλὰ καὶ περὶ τὴν τοῦ φρέατος κατασκευὴν, ἵν' ἐκ τῆς πολυτελείας βασιλικὸν φαίνηται τὸ ἔργον, καὶ ἡ τῶν κατασκευασάντων ἀρχῆθεν μεγαλόνοια. Nihil habet de veteribus fabulis. In puteo venam fuisse aquæ, cujus suavitate oblectantes se choros ducentes Deum celebraverint. Jam enim vicini erant terræ quam ibant occupatum. Ideo ob hunc Deo gratias agere, eoque magis quod manibus regum effossus, fossorum opes magnificentia operis ostenderet. Verius est quod eum principes populi Israël effoderint. Dignus est Augustini discursus de libro bellorum Domini, quem audiamus. Sic enim ille in Numeros qu. 42. *Et in quo libro hoc scriptum sit, non commemoratur, neque ullus est in his quos Divinæ scripturæ canonicos appellamus. De talibus occasiones reperiunt, qui libros apocryphos incautorum auribus & curiosorum conantur inserere, ad persuadendas fabulosas impietates. Sed hic dictum est scriptum in libro, non dictum est in cujus prophetæ vel patriarchæ sancto libro. Neque negandum est fuisse jam libros sive Chaldæorum, unde egressus est Abraham; sive Ægyptiorum, ubi didicerat Moyses omnem illorum sapientiam; sive cujuscunque gentis alterius: in quorum librorum aliquo potuit hoc esse scriptum: qui tamen non ideo sit assumendus in eas scripturas, quibus Divina commendatur authoritas. Sicut nec propheta ille Cretensis, cujus mentionem facit Apostolus, nec Græcorum vel philosophi vel poëtæ, quas idem ipse Apostolus, magnum sane aliquid & veraciter promptum apud Athenienses loquens dixisse* con-

confirmat: In illo enim vivimus & movemur & sumus. Licet enim Divinæ authoritati, unde voluerit, quod verum invenerit, testimonium sumere, sed non ideò omnia, quæ ibi scripta sunt, accipienda confirmat. Cur autem hoc isto commemoratum sit loco, non evidenter apparet, nisi forte ut fines illic inter duas gentes constituerentur, bello actum est, quod bellum ejusdem loci homines propter magnitudinem bellum Domini esse dixerunt. Ut scriberetur in aliquo eorum libro: Bellum Domini Moab inflammavit: quod vel arserit eodem bello ista civitas, aut ad pugnandum inflammata sit, hoc est excitata, vel si quid aliud in obscuritate hujus loci patet.

De bello adversus Seon regem Hesebonis.

PHilo narrat Mosen lætum invento puteo, composito agmine progressum esse: *τὴν μὲν νεότητα διανείμας εἴς τε πρωτοστάτας καὶ ὀπισθοφύλακας· γεραιοὺς δὲ καὶ γυναῖκας καὶ παῖδας ἐν μέσοις τάξας, ἵνα διὰ τῶν περὶ ἑκάτερα φρουρὰν ἔχωσιν ἑαυτοῖς ἄντικρυς ἰόντι κατόπιν ἐχθρῶν ὁμίλῳ ἐπιῄ.* Prudentius descripsisset ordinem castrorum, quem Moses Deijussu præscripsit. Cum ad fines Amorrhæorum pervenisset, è deserto Cedemoth (Deut. 2. 26.) legatos misit, pacatum transitum per regionem ad Jordanem petentes: & forum rerum venalium ut dederant Idumæi & Moabitæ. Pedes se transituros esse (*ἐφ' αἷς ἂν θελήσειε πίστεσιν* inquit Josephus) Monuerat Deus Mosen nunc instare tempus quo inciperet eos formidabiles facere omnibus populis. Seon igitur (id regi nomen erat) cœlitus induratus nihil pacati respondet. Philo: *ὁ δ' οὐ μόνον πρὸς ὕβριν ἀπεκρίνατο τοῖς ἥκουσι, μικροῦ καὶ ἀνελὼν αὐτοὺς, εἰ μὴ νόμος ὁ πρεσβευτικὸς ἐμποδὼν ἐγένετο, ἀλλὰ καὶ τὸν στρατὸν συναγαγὼν ἐφόρμα, νομίζων αὐτίκα τῷ πολέμῳ περιέσεσθαι.* Judæi conductum esse volunt à gentibus Cananææ ut transitum impediret. Belli enim & fortitudinis laude inclaruerat. Josephus dicit prohibere voluisse transitum Arnonis. Idem theatricè rem formans narrat Mosen duabus causis motum voluisse armis cernere. Non tulisse contemptum, deinde Hebræos, qui otio & penuria sæpe in seditiones efferbuerant & nunc quoque inclinabant, voluisse occupare. Consuluisse igitur Deum an bellum permitteret. *Τοῦ δὲ θεοῦ καὶ νίκην ἀποσημάναντος, cum Deus etiam victoriam indicasset,* cum magna fiducia suos expediisse, hortantem ut bellum, quod toties expetiverant, à Deo concessum fortiter aggrederentur. Armis igitur celeriter sumptis cum ingenti alacritate eunt in hostem. Moses scribit occurrisse sibi copias ad urbem seu locum (יהצה) *Iahas* dictum. Amorrhæus victus est ingenti clade absque dubio, at textus non narrat modum. Josephus: *ὁ δ' Ἀμορραῖος οὐκ ἔτ' ἦν ἐπιόντων ὅμοιος αὐτῷ, Amorrhæus autem cum illi incumberent, non erat amplius sibi similis.* Cum igitur animis concidissent, ne quidem primum impetum sustinere potuerunt. Respectabant autem munitissimarum urbium latibula. Hebræi inclinantibus acrius incubuere. Nec difficulter pulsi solutique in effusam ruunt fugam Amorrhæi. Hebræi *σφενδονῶντες ἄριστοι καὶ πᾶσι τοῖς ἑκηβόλοις δεξιοὶ χρῆσθαι διὰ τὴν ὅπλισιν οὖσαν εὐσταλῆ* multos conficiunt, antequam se intra mœnia possent recipere. Plerosque interceptos & vulneribus æstu ac siti enectos esse. Cumque ad flumen multi eniterentur, ad unum confectos sagittis occubuisse. Ipsum regem cecidisse. Hinc universam regionem victores percurrunt, spoliis divites & onusti, recreati etiam fertilissimæ regionis autumnali proventu, post tot annorum in solitudinibus Arabiæ inopiam. Eo opulentiorem prædam fuisse dicit Josephus, quod fructus nondum ex agris in urbes comportati essent: *πολλὴν ἀφθονίαν τῶν ἐκ γῆς εἰχον οὔσης ἔτι τῶν καρπῶν ὑπαρχούσης.* Deinde id facilius nemine impediente obvenis-

venisse, τῦ μαχίμυ παιδὸς ἀπολολότος: *Cum fortissimus quisque occubuisset* in prælio. Philo etiam scribit Hebræos strenue rem gessisse: συμπλακεὶς δὲ (Seon) οὐ πρὸς ἀμελετήτυς καὶ ἀνασκήτυς ἔγνω τὴν μάχην ὅσαν, ἀλλ' ἀθλητὰς πολέμων ἀηττήτυς τῷ ὄντι, οἳ πρὸ μικρῦ πολλὰ καὶ μεγάλα ἀνδραγαθίζοντο, σωμάτων ἀλκὴν καὶ φρόνημα διανοίας καὶ ἀρετῆς ὕψος ἐπιδειξάμενοι. Cum urbibus inclusos se tenerent incolæ, eas felici successu & forti opera per vim & arte Hebræi occupavere. Inter eas Jazer nominatim memoratur, præter Hesebonem regiam. Quicquid hominum fuit in anathema Deo datum est, pecudes cæteræque opes cessere victoribus. Id non est observatum à Josepho, Philo descripsit: Ἐσκύλευσαν δὲ ἀπὸ τῆς λείας οὐδενὸς τὰ πρῶτα τῶν ἄθλων ἀναθεῖναι σπουδάσαντες. Nempe Deus insigni auxilio adfuerat: aliter Deut. II. 34. 35. Regnum omne Seonis cessit Israëlitis, qui agros & oppida pecora opesq; excisis incolis tenuere. Id tribus fluminibus Arnone & Jaboco & Jordane includebatur: nisi qua ad ortum Ammonitæ finitimi fuêre. Partem hujus regionis (vel totam eam) tenuerant Moabitæ, quam superiori regi Moabitarum Seon ademerat. Illius victoriæ meminerant vulgata carmina משלים / quos LXX. αἰνιγματισταὶ appellant. August: qu. 45. *Qui sint ænigmatistæ ideò non apparet, quia non sunt in consuetudine scripturæ nostræ neque in ipsis Divinis scripturis fere alio loco reperitur hoc nomen. Sed quia videntur quasi canticum dicere, quo cecinerunt bellum inter Amorrhæos & Moabitas gestum, in quo Seon rex Amorrhæorum Moabitas superavit, non incredibiliter putantur isti ænigmatistæ sic tunc appellati, quos poëtas nos appellamus: eo quod poëtarum sit consuetudo atque licentia miscere carminibus suis ænigmata fabularum, quibus aliquid significare intelligantur. Non enim aliter essent ænigmata, nisi illis esset tropica locutio,* qua discussa perveniretur ad intellectum, *qui in ænigmate latitarat.* Carmen istud obscurius est: & significatur igne Hesebonis Ar Moabitarum & dominos excelsorum Arnonis conflagrasse, Chamosi populum succubuisse: filios pedum celeritate salutem quæsivisse, filias venisse in potestatem Seonis Amorrhæi. Magnam partem terrarum hostilium regno ejus cessisse. סיחון Græcis σηὼν, Josepho dicitur σίχων.

De bello adversus Og regem Basan.

Victo Seone ejusque regno subacto, eunt adversus Og regem Basan hominem formidabilem mole corporis, qui superstes erat de gigantibus, quorum totæ nationes loca illa & vicina insederant. Nec animus minor corpore erat. Cum enim in se iri intelligeret nihil motus exemplo & clade cognati regis potentissimi instructis copiis occurrit ad Edrei. Deus Mosen populumque animavit oraculo, quo pollicetur similem ejus belli exitum fore, qui fuerat Seonis. Victus igitur occisusque cum filiis est, regnum universum subactum, quicquid hominum erat, anathemati datum, possessiones & facultates in prædam cessere. Urbes altis mœnibus sexaginta erant, longeque major numerus oppidorum sine muris & fossis. Josephus dicit Galadenæ & Gaulanitidos regem fuisse, qui in auxilium Seonis se parans, cum audiret victum esse, decreverit cum Israëlitis certare & virtutis specimen edere. Molem corporis in hoc homine describit textus (Deut. 3. 11.) quam ostendit è lecto ejus ferreo, qui Rabbothamanis haberetur ostentui: novem cubitis longus, quatuor latus, juxta cubitum viri id est communem, Josephus: Ὤγης δὲ μέγεθός τε καὶ κάλλος ἦν οἷον ὀλίγοις σφόδρα. ἦν δὲ κατὰ χεῖρα γενναῖος ἀνὴρ, ὡς ἴσα τὰ τῶν ἔργων εἶναι τοῖς τῦ μεγέθυς καὶ τῆς εὐπρεπείας πλεονεκτήμασι. Τὴν δ' ἰσχὺν αὐτῦ καὶ τὸ μέγεθος ἐτεκμήραντο κλίνην αὐτῦ λαβόντες ἐν Ῥαβαθῷ πόλει τῶν βασιλείων τῆς Ἀμμανίτιδος,

τῇ μὲν κατασκευῇ σιδηρέην, τεσσάρων δὲ πηχῶν τὸ εὖρος, μήκει δὲ διπλάσιος ἑνὶ πήχει μείζονα. LXX. Rabbath vertunt ἐν τῇ ἄκρᾳ τῶν υἱῶν Ἀμμάν. Salianus: *Vulgaris sive communis cubitus habet pedem cum dimidio. Ex quo intelligitur eum duodecim pedes longitudinis excessisse.* Judæi hic mirè nugantur. Lyranum audiamus: *De magnitudine vero & fortitudine regis Og dicitur in libro, qui apud Judæos dicitur liber benedictionum* (ברכות) *vel benedictiones: quod cum Og audisset, quod castra filiorum Israël occupabant tria terræ milliaria* (פרסי) *ivit & eradicavit unum montem tantum spatium occupantem: & posuit super caput suum, ut projiceret super castra Israël. Sed Deus immisit formicas, quæ perforaverunt montem & sic per foramen illud mons ille descendit versus collum ejus. Et cum vellet se expedire de monte illo, creverunt dentes ejus & intraverunt foramina montis, ita quod non potuit illum montem de capite suo amovere. Et ad hoc ibidem inducitur autoritas ps. 3. falsificata tamen:* dentes ipsorum confregisti. Glossa: *Non dicas* (שברת) *id est,* confregisti, *sed* (שרבבת) extendisti. Et inde subditur: *quod Moyses habebat cubitos altitudinis secundum mensuram tabularum tabernaculi, ut habetur Exodi 26. Tenebat etiam securim, cujus manubrium habebat decem cubitos in longitudine: & cum videret Og monte irretitum currit ad eum & saltavit in altum per decem cubitos: & sic attigit ad cavillam pedis ejus & projecit ad terram. Sed quia hoc est ita absurdum, quod non indiget alia improbatione, ideò hoc posui in hoc loco, ut videatur quanta cæcitas est in Judæis, qui credunt hoc esse verum ad literam: quia nec R. Salomo, qui fuit maximus doctorum apud eos, nec alii doctores hujus dicti assignant alium intellectum parabolicum vel mysticum.* Hæc habentur in codice ברכות capite nono, circa principium. Rasi de metu, quem Mosi Deus voluit demere: *Metuebat bellum gerere, ne forte consisteret illi meritum Abrahami.* Q. D. (Gen. XIV. 13.) Et venit, qui evaserat: ille est Og (עוג) *qui superstes erat è Raphaim, quos percusserant Chadorlaomer & socii ejus in Astaroth Carnain* Q. D. tantum Og rex Basan relictus erat è residuis Raphaim. Inde addit: *Moses occidit eum,* ut est in ברכות in cap. המאה. Tollebat montem trium parasangarum &c. Quod autem in Deut. 3. 11. cubito viri באמת איש, id interpretatur באמת עוג.

De Balaami vaticiniorum & prophetiæ modo.

BAlac rex Moabitarum territus illis cladibus regum Amorrhæorum, respexit aliud quam armorum auxilium. Celebrem in Mesopotamia vatem, qui maledictis suis & diris Israëlem premeret, promissis ingentibus muneribus conduxit. Quid de isto inter gentiles vate sentiendum sit, sententias doctorum quæramus. Lyranus: *Quia in sequentibus Balaam dicitur magus & ariolus, & tamen ejus prophetiæ tanquam veræ habentur in auctoritate. Ideo videndum est si fuerint à Deo vel Dæmone; & de veritate ipsarum. Circa primum sciendum quod Propheta dicitur quasi procul fans, quia denunciat illa quæ sunt procul ab humana cognitione scilicet via naturæ. Nunc autem ita est quod quanto alicujus subtilioris intellectus tanto ejus cognitio se extendit ad altiora, ad quod non potest attingere cognitio intellectus magis rudis, qui non potest nisi sensibilia & grossa: & si hoc est verum de diversis intellectibus ejusdem speciei, multo plus est verum in intellectibus diversarum specierum, cujusmodi sunt intellectus angelicus & humanus: & ideò cum angelus sit sublimioris & altioris naturæ, ejus cognitio ad multa se extendit ad quæ non potest humana cognitio attingere: naturalia autem in dæmonibus remanserunt integra, & ideò eorum cognitio naturalis ad plura se extendit quam humana. Cognitio autem bonorum angelorum adhuc ad plura se extendit in quantum sunt illuminati lumine gratiæ & divinis revelationibus. Patet ergò quod Dæmones à Deo permissi possint hominibus aliquas veritates revelare eis inco-*

incognitas, tum quià dæmonum cognitio naturalis ad plura se extendit quam humana, ut dictum est: tum quià secundum Aug. 2. super gen. ad literam. Plura de supernaturalibus veritatibus sanctis angelis, aliquando Dæmonibus revelantur, quæ possunt ulterius hominibus revelare à Deo permissi. *Cum igitur revelatio fit hominibus per Dæmones, tales dicuntur prophetæ Dæmonum; cum autem fit à Deo immediatè, vel mediantibus angelis sanctis dicuntur Prophetæ Dei. Considerandum etiam quod talis revelatio differt à præcedenti, non solum quantum ad causam revelantem, ut dictum est, sed & quantum, ad formam revelationis, quià revelatio facta à Deo & angelis sanctis nullam falsitatem continet, sed illa quæ fit à Dæmonibus frequenter habet admixtam falsitatem, quià secundum quod dicitur Ioh. VIII. cap.* Ipse Dæmon mendax est & pater mendacii, *& ideo licet aliquando revelet hominibus aliquas veritates, hoc facit ut efficacius decipiat, ut ex pluribus veritatibus ab eo prædictis postea sibi credatur in falsitate; scilicet quod dicitur in collationibus patrum Coll. II. abbatis Moysi, quod Dæmon in specie boni cuidam fratri frequenter apparuit & multas veritates sibi dixit, & quando vidit illum fratrem benè inclinatum ad credendum sibi, tunc ei persuasit ut circumcideretur, & quod aliter non poterat salvari. Sciendum etiam quod revelatio, quæ fit à Deo & angelis bonis, non solum fit hominibus bonis, sed & aliquando malis, ut patet per verbum Salvatoris, Matth. 7.* Multi dicent mihi in illa die: Domine nonne in nomine tuo prophetavimus &c. *& subditur:* Et respondebo illis. nunquam novi vos &c. *Hoc etiam patet per illud quod habetur 3. Reg. 13. de Propheta idolorum, qui seduxit Prophetam Domini, & postea facta est sibi revelatio à Deo de morte illius Prophetæ Domini, eò quod obedierat voci ejus. Prophetia enim respicit actum intelligendi:* Charitas autem quæ *facit hominem bonum est actus voluntatis, qui præceditur ab actu intelligendi; prius autem potest esse sine posteriori, & ideo revelatio prophetica potest esse sine charitate, & aliquando fit ut dictum est: & hoc cedit ad commendationem veritatis revelatæ, ut talis veritas testimonium habeat etiam ab adversariis ueritatis ad bonum aliorum. Descendamus igitur ad propositum, dicendo: quod Balaam, fuit Propheta Dæmonum, quià fuit ariolus & magus quærens revelationes à Dæmonibus, fuit etiam propheta Domini modo prædicto, in quantum aliquæ veritates fuerunt sibi revelatæ à Deo, licet ab ipso non quæreretur, sed virtute divina fuit Dæmon prohibitus dare sibi responsum à quo quærebat, & sunt sibi revelatæ veritates à Deo, & compulsus est pronunciare quod nolebat, videlicet sanctitatem & prosperitatem populi Israël, cum tamen contrarium desideraret, ut patebit: & hoc factum est ad commendationem populi Israel &c. & ad terrorem adversariorum, & ad gloriam Dei principaliter, qui erat Ductor illius populi, & ad salutem gentium, quæ ex prophetiis Balaam motæ sunt posteà ad quærendum Christum natum, ut habetur Matth. II. & propter hoc & similia ejus prophetiæ scriptæ sunt in Canonica scriptura.* Philo Judæus eum hominem ita describit: Ἀνὴρ δ᾽ ἦν κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἐπὶ μαντείᾳ περιβόητος Μεσοποταμίαν οἰκῶν, ὃς ἅπαντα μὲν ἐμεμύητο τὰ μαντικῆς εἴδη· οἰωνοσκοπίαν δ᾽ ἐν τοῖς μάλιστα συγκεκροτηκὼς ἐθαυμάζετο πολλοῖς καὶ πολλάκις ἐπιδειξάμενος ἄπιστα καὶ μεγάλα. προεῖπε γὰρ τοῖς μὲν ἐπομβρίας θέρους ἀκμάζοντος, τοῖς δὲ αὐχμόν τε καὶ φλογμὸν ἐν μέσῳ χειμῶνι. τοῖς δ᾽ ἐξ εὐετηρίας ἀφορίαν καὶ ἔμπαλιν λιμοῦ φορὰν, ἑτέροις δὲ πλημμύρας ποταμῶν καὶ κενώσεις καὶ θεραπείας λοιμικῶν νοσημάτων καὶ ἄλλων μυρίων, ὧν ἕκαστον ὁ προθεσπίζειν δοκῶν ὀνομαστὸς ἦν ἐπὶ μέγα τῆς εὐκλείας προεχόμενος διὰ τὴν ἐπιβαίνουσαν ἀεὶ καὶ φθάνουσαν πανταχόσε φήμην. Non dono prophetiæ beatum fuisse, sed illis vaticiniorum generibus valuisse, quæ habentur apud gentes, siccitates, imbres, pestilentias & id genus alia prædixisse; maxime polluisse disciplina augurali. Josephus perpetuò μάντιν vocat, μάντις (ait) ἄριστος τῶν τότε.

Deo

Deo tamen attribuit illius προῤῥήσεως, ut autori faciens ipsum ita loqui: τὸν θεὸν ἀντιλέγειν αὐτῷ τῇ προαιρέσει ὃς αὐτὸν ἐπὶ τοσοῦτο κλέος δι' ἀλήθειαν καὶ τὴν πάντης προῤῥησιν ἀγάγοι. Origenes etiam putat arte magica & incantandi eminuisse Balaamum, quæ dæmonum opera ministrante mira efficere potest ut historia docet de magis Ægypti. *Hic Balaam* (ait) *famosissimus erat in arte & in carminibus noxiis præpotens.* ° *Non enim habebat potestatem vel artem verborum sed ad maledicendum. Dæmones enim ad maledicendum invitantur non ad benedicendum. Et ideo quasi expertus in talibus, in opinione erat omnibus, qui erant in oriente. Nisi enim experimenta ejus plurima præcessissent, quod frequenter maledictis hostem vertisset armatum, non utique præsumpsisset rex hoc posse fieri sermonibus, quod ferro & acie vix posset impleri.* Regem hunc audivisse, quod populus Israël non armis sed oratione & precibus vincere soleret ideò existimasse, id genus præsidii sibi quærendum. Augustinus Steuchus ad vocem פתורה in v. 5. cap. XXII. Num. *Quod nomen potest quidem duci à verbo* פתר *id est, exposuit, interpretatus est, ænigma solvit, ut is Balaam habitus eo tempore quasi somniorum interpres sit & ænigmatum explicator. Ad quem reges undique darent literas & in omnibus obscurissimis rebus eum interrogarent. Potest inquam, hoc eo nomine significari: potest etiam esse nomen loci, ubi habitatio & nativitas Balaam esset: sicuti sentit R. Salomo & septuaginta interpretes: qui non transtulerunt Balaam ariolum sed vocem ipsam Hebraicam, tanquam peculiarem aliquem significaret, reliquerunt:* Ἀπέστειλε πρέσβεις πρὸς Βαλαὰμ υἱὸν Φαθουρά, *id est,* misit legatos ad Balaam filium Beor, Phatura. *Ecce vocem Hebraicam Pethra, quæ conjecturam aut conjectorem significat, aut locus est, non sunt interpretati. Possumus itaque utrumque tueri. Hunc Balaam Chaldæum fuiße scripturæ ostendunt, atque inde evocatum ut filiis Israël malediceret. Describitur enim ejus locus & regio, quæ prope esset posita Euphraten & Mesopotamiam atque Chaldæam. Fuit autem is propheta eo modo, quo & Mercurius Trismegistus apud Ægyptios & Sibyllæ apud alias nationes. Qui tametsi pleraque vera cecinerint, idololatræ tamen & dæmonum cultores fuerunt: qualis & Zoroastres apud Persas & Orpheus apud Græcos; apud Hyperboreos Abaris & Zamolxis apud Getas: quamquam de his non ita constat sicut de Mercurio & Sibyllis. Reliquos in totum abjiciendos arbitror. Quæ apud nos à prophetis tradita sunt, inveniuntur illa quidem in omnium gentium literis, sed alio quodam modo, ut alia penitus esse videantur: depravata enim ab idololatris est veritas & ad suas superstitiones accommodata. Quocirca cavendum est, neque illorum non sunt, nostra non faciamus aut eorum superstitionibus nostram religionem commaculemus.* Magum fuisse & incantatorem veteres cum Aben-esdra & Philone ferme sentiunt, Steuchus cum Sibyllis comparat, quæ absque dubio Dæmonum vates fuere, quibus ignota fuit Dei veritas nec quicquam habuere patriarchicarum traditionum, cæterum Diabolus immiscuit quædam è prophetis inter illa, quæ Dei permissu suis prostibulis inspiravit. Balaam Dei vates fuit, & dono prophetiæ à Spiritu Dei donatus iis temporibus & in Syria quando & ubi Dei notitia non penitus exsoleverat. Cui sententiæ nihil obstat quod impius fuerit & habendi cupidine insanierit. Judicium Calvini omninò subjiciendum fuerit: *Quum* (inquit) *à Deo vero exspectet oraculum, verisimile est non ariolum fuiße vel magum, qui superstitione vel malis artibus duntaxat ad divinandum polleret. Videbimus quidem postea multis imposturis & fallaciis solitum fuisse uti: sed ex re ipsa patebit prophetiæ dono fuisse instructum. Non quod inter veros prophetas censeri debeat, quos Deus ecclesiæ præfecit: quia nec perpetuum vaticinandi munus ei impositum erat, nec conjunctum cum doctrina. Servos enim suos quibus prophetandi partes mandavit Deus, Spiritu suo ita direxit, ut nunquam nisi ex ejus ore loquuti sint. Et quamvis non præviderint quicquid futurum erat, sed tantum pro revelationis modo, nihil tamen quod utile cognitu esset, ipsos celavit. Unde*

illud

illud Amos: An faciet Deus quicquam quod non manifestet servis suis prophetis? Denique ad omnes necessarias prædictiones Spiritus S. organa fuerunt: & fides eorum vaticiniis æquali tenore constitit, ut nihil vel temere vel frustra effutiverint. Denique illis datum fuit vaticinia ad rectum finem & usum aptare. Itaque post legem promulgatam ejus fuerunt interpretes. In rebus prosperis gratiam Dei: in adversis judicium testati, sunt. Denique fœdus Dei, quo sibi homines reconciliat, sancire illis propositum fuit. Longè diversa fuit ratio Balaam, & similium, qui non nisi particulari dono præditi fuerunt; ut quædam vera prædicerent, in aliis hallucinarentur: & quidem ut nuda tantum vaticinia sine ullo doctrinæ condimento proferrent. Voluit autem Deus tales extare etiam inter gentes profanas, ut in tenebris scintillæ aliquæ lucis micarent, atque ita tolleretur ignorantiæ excusatio Vatum quidem nomen sibi arrogarunt quicunque suis imposturis mundo illudere ausi sunt. Et quum nomen divinationis honorificum sit & sacrum, ad fallendi artificium & mentiendi licentiam translatum est: sicut Diabolo solenne est Dei nomen impio abusu profanare. Fuerunt tamen aliqui apud exteras gentes, qui Divino instinctu res futuras interdum prædicerent: præsertim id contigit ante Legem datam: quia nondum hac nota Deus electum populum ab alienis discreverat. Ætate quidem illa jam data erat promissio, Suscitabo vobis Prophetas, &c. sed nondum innotuerat, ideoque noluit Deus gentes suis vatibus destitui, qui tamen longè differrent à veris Prophetis, quorum justa erat & certa vocatio. Hoc breviter de Balaam dictum sit, quem Deus in visione nocturna, vel somnio non minus familiariter compellat, quam unum e servis suis, sed tantum in re particulari.

Balaamum non habuisse prophetiæ donum sed in illo actu, quo parabat obsequi Balaco, extra ordiuem, coactum divinas inspirationes loqui, ex eo potissimum conantur asserere, quod ei tribuatur נחש & קסם/ non נבואה: quamvis etiam putent donum prophetiæ non stare cum animo nequam & profano. Philo imperitus Hebraismi ex versione Græca οἰωνισμοῦ tribuit illi οἰωνοσκοπίαν, cujus non meminit Josephus. Cæterum notari debet illas voces gentilium usu sumi: quemadmodum & Joseph sumpsit Gen. 44. 5. Qui ignorat discrimen inter verum & falsum, vero falsi nomen imponere solet, quia & falsum verum esse putat. Quamvis etiam discrimen vocum sit. Prophetia enim ipsum eloquium ἐν τῇ κατακωχῇ valet, sed illæ voces molimina quibus κατακωχὴν conantur elicere: ut quidem ego judico. Existimat Origenes Balaami prophetias gentibus datas esse & apud magos repositas, ut de Christo edocerentur: *Verbum tamen suum*, inquit, *injicit in os ejus, prohibens maludictionem fieri per dæmones, ut benedictionibus locum daret, & pro maledictis proferat Balaam benedictiones ac prophetias, quæ possunt ædificare non solum Israël sed & reliquas gentes. Si enim à Moyse prophetiæ ejus sacris insertæ sunt voluminibus, quantò magis descriptæ sunt ab iis qui habitabant nunc Mesopotamiam, apud quos magnificus habebatur Balaam, quosque artis ejus constat fuisse discipulos? Ex illo denique fertur Magorum genus & institutio in partibus orientis vigere: qui descripta habentes apud se omnia, quæ prophetaverat Balaam, etiam hoc habuerunt scriptum, quod orietur stella ex Iacob & exsurget homo ex Israël. Hæc scripta habebant magi apud semetipsos, & ideo quando natus est Iesus, agnoverunt stellam & intellexerunt adimpleri prophetiam magis ipsi quam populus Israël, qui sanctorum prophetarum audire verba contempsit. Illi ergo ex iis tantum quæ Balaam scripta reliquerat, agnoscentes adesse tempus, venerunt & requirentes eum statim adoraverunt: & ut fidem suam magnam esse declararent, parvum puerum, quasi regem venerati sunt.* Balaam cum Chaldæis & magis confundere, ejusque prophetias apud eos descriptas & in pretio fuisse & hinc Jesum eos didicisse tantæ fatuitatis est, ut mirari subeat ea viris sapientibus potuisse excidere, aut placere.

Ralbag scribit ex hac historia patere discrimen inter prophetas Israël &

 gen-

gentium. Nam differre ita, I. Prophetas populorum mundi quærere gloriam, cum Israëlis prophetæ modesti sint; ita Mosem, quamvis tantus esset, fuisse omnium mortalium mansuetissimum. II. Prophetas populorum quærere opes & præmia, ut in Balaam patet: at Israëlis gratis prophetasse, ut in Elisa docetur III. Quod Balaam adeò non respexerit Deum, ut cogi & subigi prius debuerit minis, ne loqueretur alia, quam quæ Deus inspiraret. IV. שהיה נמשך לתאוות חוש המישוש voluptatibus sensuum quod fuerit deditus, unde consilium dedit de seducti ea per mulieres. V. Israëlis prophetæ dissuadent, hic suasit peccatum.

Eminentiam ejus in sequentibus ita describit: *Ex hac parte dicunt magistri b. m. super dicto (Deut. 34. 10.)* Et non surrexit propheta amplius in Israël sicut Moses, *sed in populis mundi surrexit. Quis est iste? Balaam. Dicunt autem hoc per modum elationis (על צד ההפלגה / ὑπερβολικῶς) quamvis bona fuerit ejus dispositio in prophetia usque adeo ut accesserit gradus ejus ad gradum Mosis magistri nostri, in modo, quod fuerit ei (כנערת) θεωρία cum vigilaret in re quam volebat sibi obvenire. Ecce utitur dispositione sua in nequitiis (בפחיתות) non ad dirigendos homines ad bonum: etiam acquisivit sibi proprietates convenientes ad salutem. Et convenit ut scias, quod jam (נתחייב) consequens sit è modo loquendi scripturæ, quia dicit* (Et non surrexit propheta amplius in Israële sicut Moses) *ut dicatur sed in populis seculi surrexit: Alias (ואם לא) ecce erit dictum* (in Israële) *otiosum (לבטלה) Sed non consequitur ut iste surgens in populis mundi sit Balaam; quia non fuit instar Mosis in ulla rerum, quas memorat scriptura in hoc loco quoniam non surrexit inter eos propheta sicut ille. Nam non novit Deum excelsum Balaam facie ad faciem; & non ἐπαινολόγει signa & prodigia universaliter, quanto minus ἐπαινολόγει ea in gradu signorum & prodigiorum, quæ facta sunt à Deo excelso ministerio Mosis magistri nostri. Profecto in veritate consequens erit ex hac scriptura, quod non surrexerit amplius propheta sicut Moses, qui erat propheta in Israël tantum, sed futurus esset, qui esset futurus præter hoc propheta in populis mundi. Hic autem est rex Messias, ut dicunt in Medras (Esai. 52. 13.)* Ecce sapienter aget servus meus: *quod olim futurus esset major Mose: & declaratur quod etiam illius mirabilia futura essent eminentiora præ mirabilibus Mosis. Quia Moses traxit Israëlem solum ad cultum Dei excelsi per mirabilia, quæ ἐπαινετέμια, at ille trahet omnes populos ad cultum Dei excelsi, quia dicitur (Sophon. 3. 9.)* Tunc convertam ad populos labium purum, ut omnes invocent nomen Domini. *Et hoc vere fiet mediatè. Mirabile prodigium videbitur in finibus terræ omnibus populis: id autem est resuscitatio mortuorum.* Quod Messiam Mosi præferat, rectè facit, cæterum absonum est medium conversionis gentium ponere in mortuorum resuscitatione. Cum resurrectio non sit ad fidem sed præmium eorum, qui in fide Deo servierunt. Quærit idem Rabbinus, cur narrationes de Balaam & Balac insertæ sint libro legis? Causam præcipuam esse dicit, quod eas Moses cognoverit מפי הגבורה *ex ore Dei* ולא נודעו לו אחר הפרסום כי בזולת זה לא היה ראוי שיכתבו בתורה. *Non autem innotuerunt ipsi ex publico quia alias non esset conveniens ut scriberentur in lege.* Rasi dicit ideò Spiritum S. fuisse super gentem impiam ut omnis excusatio (פתחון פה) gentibus adimeretur.

NUM. XXII.

V. 1. 2. 3. 4. Cum Israëlitæ duos illos reges Amorrhæorum debellassent, consederunt in campo Moab ad Jordanem è regione Hierichuntis. Textus בערבות מואב. Id Latini rectè in vulgata editione, *In campestribus Moab:* Græci autem ἐπὶ δυσμῶν Μωάβ. Superiori cap. v. 20. בשדי מואב ἐν τῷ πεδίῳ Μωάβ.

Μωάβ. Videntur moti esse LXX. quod non essent ea campestria in ditione Moabitarum. At olim fuerant. Ad occasum Moabitidis campi isti non erant siti, si accuratè loqui velimus. Qui putat in his & similibus illos Alexandrinos secutos esse lectionem in textu Hebræo occurrentem prolixè errant. Josephus postquam narravit excidium duorum regum: *Μωϋσῆς μὲν οὖν* (ait) *στρατοπεδεύει ἀγαγὼν τὴν δύναμιν ἐπὶ τῷ Ιορδάνῃ κατὰ τὸ μέγα πεδίον Ἱεριχοῦντος ἄντικρυς.*

Balac in vicinia considere videns numerosissimum populum & Dei præsidis cura munitum, armis & viribus diffisus ad ejusdem generis opem confugere, optimum duxit. *εἷς δὲ δὴ τῶν ἀστυγειτόνων βασιλέων ὄνομα Βαλάκης μεγάλην καὶ πολυάνθρωπον τῆς ἰδίας μοίρας ὑπηγμένος, πρὶν εἰς χεῖρας ἐλθεῖν, ἀπειπὼν, ἄντικρυς μὲν ὑπαντᾶν οὐκ ἐδοκίμασε, τὸν ἐκ παρασκευῆς δὲ ὅπλων ἐλεύθερον πόλεμον διαδιδράσκων, ἐπ' ἐκείνοις δὲ καὶ μαντείας ἐτρέπετο νομίζων δι' αἷς ποι δυνήσεσθαι τὴν ἄμαχον ῥώμην τῶν Ἑβραίων καθελεῖν.* Josephus dicit de suo regno susque rebus solicitum esse cœpisse, cum videret Hebræos crescere. *Καὶ γὰρ οὐδὲ πίπτειν γῆν ἄλλην οὐ πολυπραγμονεῖν τοὺς Ἑβραίους (ἀπηγορευκότος τοῦ θεοῦ) κτησαμένους τὴν χαναναίων.* Hæc reddi debent. *Non credebat enim aliam terram non quærere Hebræos* (*cum tamen vetuisset Deus*) acquisituros *Cananæam.* More suo locutus est: *κτησαμένους* lego pro *κτησομένους*, addo *οὐ*. Existimabat in se respici, quia non credebat, quod ferebatur, Chananæam solam peti. Sequentia Josephi absque dubio in graviore menda sunt: *Καὶ πολεμεῖν μὲν ἐπὶ ταῖς εὐπραγίαις θρασυτέροις ὑπὸ τῆς κακοπραγίας κατειλημμένοις οὐκ ἔκρινε.* Consilium sociavit cum Madianitis. Josephus: *Φιλίας αὐτοῖς πατρῴας οὔσης καὶ συμμαχίας πρὸς Μαδιανίτας.* Rasi: *Nonne à seculo fuerunt inter se inimici* Q. D. (Gen. 36. 35.) Qui percussit Madian in campo Moab. *Nam venerant Madianitæ bellaturi adversus Moab, sed ob metum Israëlitarum fecerunt inter se pacem. Quid viderunt Moabitæ, quod tulerint consilium à Madianitis? Cum viderent Israëlitas vincentes, quod non è more seculi* (supra consuetum modum) *dixerunt: Dux eorum in Madian educatus est, quæramus ab eis quis sit ejus modus* (מה מדתו) *dixerunt ei: Nulla facultas nisi in ore. Dicebant, Nos etiam veniemus contrà eos in homine, cujus facultas in ore ejus.* Aben-esdras rectè dicit: Reges istos Amorrhæorum adeo eminuisse ut inter reges Cananææ nemo ipsis fuerit comparandus. Id ex eo probari, quod instar cedrorum fuerit eorum altitudo. Madianitis dantur seniores, זקני מדין. Quos Aben-esdras eosdem putat esse cum regibus quinque, qui postea commemorantur Num. 31. 8. Errat. Nam senatus, non constabat regibus saltem solis. Hi reges fuere φυλάρχαι. Madianitæ enim liberum sine rege habebant statum, contra morem istarum gentium. Oratio Balaci legatorum ad Madianitas dicebat gentem Israël depasturam esse omnia quæ in circuitu essent, ut bos herbam agri. Hic iterum nugatur Rasi: *In omni eo, quod abligurit bos, non est benedictio.* Non male Vulgatus Latinus sensum expressit: Ita delebit hic populus (קהל) omnes qui in nostris finibus commorantur [Heb. simpliciter כל סביבותינו] quomodo solet bos herbas usque ad radices carpere. Melius LXX. *Νῦν ἐκλείξει ἡ συναγωγὴ αὕτη πάντας κύκλῳ ἡμῶν* (debet esse *αὐτῆς*) *ὡσεὶ ἐκλείξαι ὁ μόσχος τὰ χλωρὰ ἐκ τοῦ πεδίου.* Notat hic scriptura eo tempore Balac fuisse regem Moab. [בעת היא Rasi: לא היה ראוי למלכות מנסיכי מדין היה וכיון שמת סיחון מנוהו עליהם לצורך שעה: *Non erat pertinens ad regnum, sed è principibus Madian cum esset mortuus* Seon, præfecerant eum sibi *ob necessitatem temporis.* Textus dicit fuisse illum eo tempore regem Moabitarum: Rasi arbitratur Madianitam fuisse & Madianitarum at ei se subjecisse Moabitas ob discrimen temporum. Id è textu elici non potest. Videtur existimare quod Moabitæ prius paruerint Seoni. Id falsum. Gregorius Nyssenus in libro de vita Mosis scribit Balac fuisse Ma-

dianitarum gentis magnæ principem, ſed hic lapſus eſt ex ἀβλεψία.

v. 5. 6. 7. 8. Madianitæ approbato ejus conſilio legatos ſuos cum legatis regis conjunxerunt. Legati fuerunt è ſenioribus utriuſque gentis. Profecti ſunt ad locum dictum Phatur ad flumen, id eſt Eufraten. Illic erat Balaam filius Beor (בער) LXX. reddunt patris nomen Βεώρ, ut eſt in Hebræo, Petrus Βοσὸρ (2. Ep. 2. 15.) In Hebræo: Quæ erat ad flumen terræ filiorum populi ſui. LXX. ὅ ἐστιν ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ γῆς υἱῶν τοῦ λαοῦ αὐτοῦ. Vulgatus: filiorum Ammon, pro עמו legendo עמן. Raſi affixum pronomen refert ad Balac. Eum inde oriundum fuiſſe & ipſi prædictum à Balaam quod rex futurus eſſet. Textus לקרוא לו] Raſi: הקריאה שלו היתה ולהנאתו שהיה פוסק לו ממון הרבה. Dicunt legati verbis Balac: Populum immenſum Ægypto exiiſſe, qui ſolum terræ contegeret & ad fines ſuos conſediſſe. Rogare ut veniat maledictum. Eſſe enim ſe potentiorem. Forte illius exſecrationibus id effectum iri, ut poſſit profligare & expellere. Scire enim ſe, quod benedictus eſſet, cui benediceret, maledictus cui malediceret. Nugatur Raſi Maledictione Balaami Seonem viciſſe Moab. Legati ferebant קסמים Aben-eſdras teſtatur Samuelem Hannagid Hiſpanum, interpretari קסמים per pretium divinationum; argumento hoc quod dicantur geſtaſſe manibus. *At* (inquit) *nihil dicit, accipiendum eſt ſimpliciter ut ſonat: Narrat ſcriptura quod ad divinatorem miſerit divinatores, ut ipſe erat. Porro ne poſſet moram nectere dicendo, Non inveniam diem electum & horam electam ad eundum & maledicendum. Nam erant ejuſdem artis. Argumento eſt, quod expoſitio ejus ſit, quemadmodum id quod dicit ſcriptura* (Ezech. 21. 22.) In dextera ejus fuit divinatio. Raſi: *Omnes ſpecies divinationum* (inſtrumentorum divinationis) *Ne diceret, Non ſunt apud me inſtrumenta miniſterii mei. A. S.* קסם *hanc portarunt in manibus ſuis ſeniores Madian: Dicebant ſi veniat nobiſcum hac vice eſt in eo aliquid & ſi repellat nos non eſt in eo utilitas. Ideo cum diceret: Pernoctate hic hac nocte, dicebant non eſt in eo ſpes, omiſerunt eum & abierunt* Q. D. *Et* morati ſunt principes Moab cum Balaam: *at ſeniores Madian abierunt.* LXX. Τὰ μαντεῖα ἐν τῇ χερσὶν αὐτῶν. Id eſt, דמי קסמים. Latina editio habet *divinationis pretium*, Fuit olim *Divinacula.* Raſi iterum: *Spiritus S. non commorabatur ſuper eum niſi noctu & ita de omnibus prophetis ſeculi eſt* Q. D. (Gen. 31. 24.) Et dicebat Dominus ad Laban verba ſua noctu, ſicut homo qui adit pellicem ſuam in occulto. Os fœtidum. Nonne ſequens hiſtoria narrat Deum Balaamo ſæpius occurriſſe illo die cum eſſet apud Balac? Exiſtimat Balaamum Deum conſuluiſſe an cum ipſis iturus eſſet an potius majores principes exſpectaturus, majoris honoris cauſa. Et hic aberrat.

v. 9. 10. 11. 12. 13. 14. Philo hanc pericopam in enarrat: Ἐπὶ τούτῳ ἐξέπεμπε τῶν ἑταίρων τινὰς παρακαλῶν ἥκειν· καὶ δωρεὰς τὰς μὲν ἤδη παρεῖχε, τὰς δὲ δώσειν ὡμολόγει, τὴν χρείαν ἧς ἕνεκα μετεπέμπετο, δηλῶν· ὁ δ' οὐκ ἀπὸ φρονήματος εὐγενοῦς καὶ βεβαίου, ἀλλὰ τὸ πλέον ἀστειζόμενος, ὡς δὴ τῶν ἐλλογίμων προφητῶν γεγονὼς καὶ μηδὲν ἄνευ χρησμοῦ εἰωθὼς πράττειν τὸ παράπαν, ὑποδύεται λέγων οὐκ ἐπιτρέπειν αὐτῷ βαδίζειν τὸ θεῖον. Finxiſſe Balaamum & callide egiſſe, prætexentem Dei prohibitionem. Convenientius Joſephus ipſum Dei prohibentis oraculum ab ipſo enuntiatum eſſe. Sed addit, Conſilium datum per legatos ut pacem quibuscunque conditionibus cum Iſraël faciat Balac: quum intelligeret illam gentem Deo charam eſſe. Deus enim rogatus à Balaam de Balaci legatione negat eum iturum eſſe, ad maledicendum, quia gens illa benedicta eſſet. Aben-eſdras dicit, Ideo prohibitam eſſe à Deo maledictionem, Balaami ut honori Iſraëlis conſuleretur, deinde noviſſe Deum cladem eventuram ob cauſam Baal Peor, ne diceretur eam è maledictione Balaami eveniſſe. Raſi fingit

diſcur-

diſcurſum inter Deum & vatem. Si non ibo, maledicam in loco meo? Non maledices. Ergo benedicam? Non habent opus tua benedictione. Putat etiam reſponſum Balaami, *Non ibo vobiſcum*, hunc habere ſenſum, ſed ibo cum honoratioribus. Paulus Burgenſis diſſerit, cur Deus vatis maledictionem inhibuerit, cum nihil obeſſe potuerit? At diſſertatio hoc utitur fundamento vatem dæmonis & magum, non Dei inſpiratu prophetam fuiſſe. Propheta erat, qui ex flatu Dei loquebatur. Quæ maledicta vim habitura erant. Solet Deus multa ſuis prophetis concedere & voluntati eorum. Ideo inſtar ingentis beneficii proponitur ab ipſo Deo Joſue 24. 10. In commemoratione abitus, mentio fit ſolorum principum Balac: & pernoctatio de ſolis illis exprimitur. Hinc comminiſcitur Raſi cauſam, ob quam Madianitarum ſeniores mox diſceſſerint à Balaam.

v. 15. 16. 17. 18. 19. 20. Redeunt ad Balaam plures & honoratiores legati cum magnis muneribus & pollicitationibus. His reſpondet Balaam: Si mihi Balac domum plenam auri & argenti daret non poſſem mandatum (פי) Dei mei transgredi, ut parvum aut magnum faciam. Hac nocte commoramini apud me, ut porro intelligam Domini voluntatem. Nocte illa Deus ad Balaam, Ito, inquit, cum eis, ſed facies quod ego dicam. In hac pericopa nulla mentio Madianitarum, appellantur tantum vocabulo principum Moab & ſervorum Balac. Raſi dicit Balaam fateri, quod non poſſet abolere benedictiones, quibus benedixerant eum majores ſui מפי השכינה. Quaſi aliquid magnum, Dei effata non poſſe redigi in vanum. Lyranus vult utrumque oraculum quidem fuiſſe à Deo, ſed quod jactaret Balaam Dei ſe revelationem & voluntatem exſpectare fuiſſe arrogantiæ, qui vellet pro Dei propheta haberi. Deum miſiſſe angelum bonum, qui prohibito & pulſo dæmone ſit ad Balaam locutus. Sic ille exiſtimat, Philo Dei reſponſum nullum fuiſſe: quia dicit θεοφαντιζόμενον τὸ θεῖον Joſephus ὁ δὲ καὶ τὸ πρότερ δυσχεράνας κελεύει μηδὲν ἀντιλέγειν τοῖς πρέσβεσι. ὁ δ᾽ ὑπολαβὼν ἀπάτῃ ταῦτα τὸν θεὸν κατεληλυθέναι συναπῄει τοῖς πρέσβεσι. Ἀπάτῃ quid eſt? Fortaſſis legendum cum negatione ὁ δὲ μὴ ὑπολαβών. Eſt enim ἀπάτῃ ἀγαθῇ.

v. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. Deſcribitur iter Balaami ad Balac. Aſinam conſcendens proficiſcitur cum principibus Moab, comitatus duobus ſervulis. At Deus offenſus, quod iret (animo ſcilicet cupido & ineſcato promiſſis munerum) miſit Angelum, qui in via ſtaret in oppoſito, cum gladio ſtricto in manu. Aſina eo viſo declinat è via, eamque Balaam verberibus redigit in viam. At aliquantum progreſſæ via interſepiebatur inter duas macerias, quia vineæ ab utraque parte erant. Hic iterum viſus angelus coëgit aſinam ad alterum parietem declinare & affligere pedem ſeſſoris. Evaſit autem ob viæ latitudinem. Tertio opponit ſe angelus in anguſtiis. Cum igitur ad neutram partem evadere poſſet procubuit nihil mota ſeſſoris irati turbatique verberibus quamvis etiam fuſte eam probè dedolaret. Tandem Dominus jumento loquelam dedit: quod inſaniam vatis redarguit: Quid commerui, quod me tertium jam percuſſeris. Ille prodigio nihil motus reſpondet: quia illuſiſti mihi: utinam gladium haberem occiderem te. Regerit aſina: Nonne ſum aſina tua, qua vectus es longo tempore, à quo me poſſediſti? Anne unquam ita factum à me? Ille reſpondebat, ita nunquam ab ea factum eſſe. Hinc apertis oculis Angelum ipſe vidit, in media ſtantem via gladio ſtricto minitantem. Incurvato capite, & hinc proſtratus veneratur angelum. Cui angelus: Cur tertium jam cæcidiſti aſinam? Ego tibi in adverſarium egreſſus ſum, quia hæc via divertit coram me. Vidit me aſina eoque decli-

declinavit. Nisi declinasset, te occidissem illi pepercissem. Tum Balaam ad angelum Domini: Peccavi, quoniam non noveram te obstare. Si displiceat tibi iter meum regrediar. At angelus: Ito, at verbum illud tantum, quod ego loquar, illud loqueris. Pergit ergò cum principibus Balac. Aben-esdras: *dicunt sapientes b. m. quod decem res creatæ sint in vespera sabbati* (בין השמשות) *crepusculo durante. Secundum sententiam meam sensus est, quod decreverit Deus novare ista signa quæ sunt contrà naturam* [חוץ לתולדות] *Dicit Haggaon quod asina non sit locuta & R. Samuel filius Hofni capit eum: & R. Samuel Hispanus Cantor* (dominus carminum) *cogitat liberare comprehensum. Scito autem quod viri prudentes coacti sint educere verba è proprio sensu: quia dicunt quod Deus non novit signum in seculo, ut mutet modum quem creavit nisi ad justificandum prophetam suum: at non dicunt veritatem, quia Hananiæ Misaeli & Azariæ factum est signum, cum tamen prophetæ non fuerint. Et quidam eorum dicunt, quod Propheta fuerit; quod verum est at ipsius prophetia fuit in gloriam Israëlis. Nam ariolus* (קוסם) *fuit & sic vocat eum scriptura. Et sunt qui putent eum scivisse scientiam superiorum, ad recipiendum facultatem eorum inferius in figuris. Hic sensus est verborum* אשר תאור יאר*. Id firmum in oculis meis, quod fuerit astrologus: & quo tempore videbat in astro positionis hominis quod appropinquaret tempus mali ejus, maledixerit ei cumque veniret malum super maledictum putabant videntes & audientes quæ eveniebant, quod propter illius maledictionem evenisset malum. Argumento est, quod loquitur dolose cum principibus Balac. Et hic sensus est verborum:* Non possum transgredi os Domini Dei mei: *quia nulla est facultas in custode ut immutet opus egredientis aut decretum ejus. Fundamentum est, quia pars non immutat partem: tantum decretum totius immutat decretum partis. Et non potero revelare hoc arcanum, quia profundum est. Et rectum est quod asina locuta sit. Et si intellexeris arcanum angelorum Abrahami etiam Iacobi, tum intelliges veritatem.* Vide hominem invidentem gentibus donum prophetiæ & astrologiæ judiciariæ studio infatuatum? Rasi subtiliter nugatur in verbis Balaam & angeli quæ non proponam. Philo & Josephus triplicem istum angeli occursum non distinguunt. Philo dicit primum subito constitisse asinam: *αὐθ᾽ ὥσπερ ἐξ ἐναντίας βίᾳ τινὸς ἀπωθούμενος ἢ ἀναχαιτίζοντος, ὑπὸ πόδας ἐχώρει καὶ πάλιν ἐπὶ δεξιὰ καὶ εὐώνυμα ἐπιφερόμενον καὶ οὐδὲ κἀκεῖσε πλαζόμενον οὐκ ἠρέμει καθάπερ οἴνῳ καὶ μέθῃ καρηβαροῦν ἢ πολλάκις τυπτόμενον ἠλόγει τῶν πληγῶν.* Inde inter macerias afflixisse dominum. *ἦν δὲ, ὡς ἔοικε, θεία τις ὄψις.* Potuisse conjici, quod Divina visio esset. Eam autem prius vidisse asinam quam Balaam *εἰς ἔλεγχον ἀναισθησίας. Τὸ γὰρ ἀλόγου ζώου παρευημερεῖτο τὰς ὄψεις, ὁ μὴ μόνον τὸν κόσμον ἀλλὰ καὶ τὸν κοσμοποιὸν αὐχῶν ὁρᾷν.* Vix tandem conspexisse, non quod dignus esset, sed ut despectum & vilitatem suam comprehenderet. E vestigio debuisset regredi (inquit Philo) sed maluit rogare, quid facto opus esset. Angelum simulatione jam denudata offensum, reddidisse, Vade quo properas: sed sermonem tuum moderabor. *Ὀνήσεις γὰρ οὐδὲν, ἐμοῦ τι λεκτέα ὑπηχοῦντος ἄνευ τῆς σῆς διανοίας καὶ τὰ φωνῆς ὄργανα τρέποντος ᾗ δίκαιον καὶ συμφέρον. ἡνιοχήσω γὰρ ἐγὼ τὸν λόγον θεσπίζων ἕκαστα διὰ τῆς σῆς γλώττης οὐ συνιέντος.* Ironice Deum concessisse & sono verborum putat Josephus: quidam seriò locutum esse, sed potius permittendo quam concedendo simpliciter.

v. 36—ad finem. Cum Balac intellexisset adventare vatem occurrit in extremis regni finibus, ad oppidum situm ad Arnonem flumen. Cum venissent, salutatione facta, in colloquium, questus est Balac de tarditate adventus pro facultatum suarum modo remunerandi, eam excusabat Balaam: se in potestate Dei esse, nec posse eloqui, nisi quod ipse imponeret. Ambo igitur progressi sunt

ad

ad locum, cui nomen Cariath-Huſoth. LXX. εἰς πόλεις ἐπαύλεων. Balac autem mactatis bobus & ovibus miſit ad Balaam & principes qui cum eo erant. Hæc in cœnam: ſed poſtero die diluculo Balaamum duxit in excelſa Baal. LXX; ἐπὶ τὴν στήλην τῆ Βάαλ. Joſephus: εἰς ὄρος ὅπερ ὑπὲρ κεφαλῆς αὐτῶν ἔκειτο τῆ στρατοπέδου σταδίους ἀπέχον ἑξήκοντα. Philo: Τῇ δ' ὑστεραίᾳ ἅμα τῷ ἡλίῳ τὸν μάντιν ὁ Βαλάκης παραλαβὼν ἐπὶ γεώλοφον ἀνήγαγεν, ἔνθα καὶ στήλην συνέβαινεν ἱδρύσθαι δαιμονίου τινὸς, ἣν οἱ ἐγχώριοι προσεκύνουν. Columnam illam, quia Hebræum textum ſequitur, Joſephus non memorat. Hinc poterat partem caſtrorum Iſraël contueri.

Num. XXIII.

IN tribus diverſis locis, in quibus ex alto Iſraël conſpici poterat, collocatur Balaam à Balac, in quibus ſe ad vaticinandum parat ſacrificio prævio, ſi forte diras poſſet elicere. Sacrificium ejuſmodi fuit: Balaam mandat Balaco, ut ponat ſeptem aras & paret ſeptem boves & arietes. In qualibet ara bos & aries in holocauſtum ab ipſis offeruntur. Sic ter factum. Primus locus fuit, quem diximus, *Excelſa Baal.* Dum ardebat holocauſtum, Balaco juſſo ad aram conſiſtere, Balaam ibat, ut Deum conciperet. Occurrit ipſi Deus in vertice aliquo: Cui Balaam: Septem aras ſtatui: & in qualibet ara juvencum & arietem. Hic Deus verbum ori ipſius impoſuit, juſſitque ad Balac reverti. Balac cum omnibus principibus Moab ad aram ſtabant. Tum ora reſolvit in hunc modum, ut habetur v. 7. 8. 9. 10. Ex eo quod textus (v. 3.) Forte Dominus occurret, ratiocinatur Raſi, quod Deus non ſoleret illi interdiu occurrere. Imò, quia eliciendi ſpem habuit, dicam ipſi eveniſſe. In numero ſeptenario ſubtiles ſunt: Aben-eſdras ſeptimum, diem ſeptimum annum, ſeptimum menſem &c. obſervat: item Job ſimiliter ſeptem juvencos & arietes obtuliſſe. Numerum perfectum ad perfectum addi: *Tunc innovatum eſſe ſpiritum intelligentiæ & intelligentem intellexiſſe.* Raſi ſeptem aras ipſum ſolum voluiſſe facere, cum Iſraëlitarum patriarchæ tres tantum ſeptem fecerint, Abraham quatuor, Iſaac unam, Jacob duas. Duos occurſus tantum ponit Joſephus. Secundum omittit, & primum fingit ex ingenio nihil curans verba ſcripturæ: ſummam aliquo modo attingit. Verbum Dei è primo occurſu hoc fuit: Hebræus textus ita ſonat:

v. 7. *E Syria accerſivit me Balac rex Moabitarum: è montibus orientis: Age maledic mihi Iacob: & age deteſtare Iſraël.*

8. *Quid maledicam, non maledicit Deus; & quid deteſtabor, non deteſtatur Dominus?*

9. *Nam à vertice rupium intueor eum: & è collibus contemplor eum: Ecce populus habitabit & inter gentes non computabitur.*

10. *Quis numeret pulverem Iacob & numerum; quartam Iſraëlis: Moriatur anima mea morte juſtorum & ſit extremum meum ut illius.*

LXX: 7. Ἐκ μεσοποταμίας μετεπέμψατό με Βάλακ βασιλεὺς Μωάβ, ἐξ ὀρέων ἀπ' ἀνατολῶν, λέγων· Δεῦρο ἄρασαί μοι τὸν Ἰακώβ, καὶ δεῦρο ἐπικατάρασαί μοι τὸν Ἰσραήλ.

8. Τί ἀράσωμαι ὃν μὴ ἀρᾶται κύριος; καὶ τί καταράσωμαι, ὃν μὴ καταρᾶται ὁ θεός;

9. Ὅτι ἀπὸ κορυφῆς ὀρέων ὄψομαι αὐτὸν, καὶ ἀπὸ βουνῶν προσνοήσω αὐτόν. Ἰδοὺ λαὸς μόνος κατοικήσει καὶ ἐν ἔθνεσιν οὐ συλλογισθήσεται.

10. Τίς ἐξηκριβώσατο τὸ σπέρμα Ἰακώβ; καὶ τίς ἐξαριθμήσεται δήμους Ἰσραήλ; Ἀποθάνοι ἡ ψυχή μου ἐν ψυχαῖς δικαίων, καὶ γένοιτο τὸ σπέρμα μου ὡς τὸ σπέρμα τούτων.

Cœtera conveniunt at versus postremus fœde corruptus est. Et pro Hebræa veritate res stat & sensus sublimior. Philo ita hoc oraculum interpretatur: Ἐκ μεσοποταμίας μετεπέμψατό με Βαλάκης, μακρὰν τὴν ἀπ' ἀνατολῶν στειλάμενον ἀποδημίαν, ἵνα τίσηται τοὺς Ἑβραίους ἀραῖς. Ἐγὼ δὲ τίνα τρόπον ἀράσομαι τοὺς μὴ κατηραμένους ὑπὸ θεοῦ; θεάσομαι μὲν αὐτοὺς ὀφθαλμοῖς ἀφ' ὑψηλοτάτων ὀρῶν καὶ τῇ διανοίᾳ καταλήψομαι, βλάψαι δ' οὐκ ἂν δυναίμην λαὸν, ὃς μόνος κατοικήσει, μὴ συναριθμούμενος ἑτέροις ἔθνεσιν, οὐ κατὰ τόπων ἀποκλήρωσιν καὶ χώρας ἀποτομὴν, ἀλλὰ κατὰ τὴν ἐξαιρέτων ἐθῶν ἰδιότητα, μὴ συναναμιγνυμένων ἄλλοις εἰς τὴν τῶν πατρίων ἐκδιαίτησιν. Τίς ἐπ' ἀκριβείας εὗρε τὴν πρώτην καταβολὴν τῆς τούτων γενέσεως; Τὰ μὲν σώματα αὐτοῖς ἐξ ἀνθρωπίνων διεπλάσθη σπερμάτων, ἐκ δὲ θείων ἔφυσαν αἱ ψυχαί· διὸ καὶ γεγόνασιν ἀγχίσποροι θεοῦ. Ἀποθάνοι μοι ἡ ψυχὴ τὸν σωματικὸν βίον, ἵν' ἐν ψυχαῖς δικαίων καταριθμηθῇ, οἵας εἶναι συμβέβηκε τὰς τούτων. Vides, lector Philonem ignarum Hebraicæ veritatis presse sequi editionem Alexandrinam? Ita semper. Scribit autem è Deo vero ἔνθεν nunc factum, προφητικοῦ πνεύματος ἐπιφοιτήσαντος, ὃ πᾶσαν αὐτοῦ τὴν ἔντεχνον μαντικὴν σοφιστείαν ὑπερόριον τῆς ψυχῆς ἤλασε. θέμις γὰρ οὐκ ἦν ἱερωτάτην κατακωχὴν συνδιαιτᾶσθαι μαγικῇ.

Balac offensus, quod ad maledicendum vocatus, benedixisset, acriter increpat hominem: reddit se nihil potuisse dicere, quam quod Deus in os posuisset. Philo objurgationem dilatat: quod cum hostibus se facere ostenderet, quamvis amicitiæ speciem ostentaret. Traduxit igitur eum in alium locum, unde non castrorum extremos omnes positus (ut prius) sed partem contueri solum poteret. Hic sacris eodem modo peractis & Deo plenus ab occursu, jussu Dei ita vaticinatur: Secundum Hebræam veritatem:

v. 18. *Surge Balac & audi, inclina aures tuas ad me, fili Seppbor:*

19. *Deus non est vir, ut mentiatur, nec filius hominis, ut pœniteat: diceret & non faceret? aut loqueretur & non statueret?*

20. *Ecce accepi benedicere: quia benedixit, non convertam* illud,

21. *Non intuetur iniquitatem in Iacob & non respicit malitiam* (עָמָל) *in Israël: Dominus Deus ejus cum ipso & clangor regis in illo.*

22. *Deus eduxit eos ex Ægypto, tanquam vires* (רְאֵם) *ipsi.*

23. *Nam non est augurium adversus Iacob, nec divinatio adversus Israël. secundum hoc tempus dicetur de Iacob & de Israël, quid operatus sit Deus.*

24. *Ecce populus tanquam annosus leo* (לָבִיא) *surget & tanquam leo se eriget: non procumbet donec comederit prædam & biberit sanguinem occisorum.*

LXX: 18. Ἀνάστηθι Βαλὰκ καὶ ἄκουε, ἐνώτισαι μάρτυς υἱὸς Σεπφώρ. In Hebræo עֲדֵי, quod malè vertunt μάρτυς.

19. Οὐχ ὡς ἄνθρωπος ὁ θεὸς διαρτηθῆναι, οὐδ' ὡς υἱὸς ἀνθρώπου ἀπειληθῆναι. αὐτὸς εἴπας, οὐχὶ ποιήσει; λαλήσει καὶ οὐχὶ ἐμμενεῖ;

20. Ἰδοὺ εὐλογεῖν παρείλημμαι· εὐλογήσω καὶ οὐ μὴ ἀποστρέψω.

21. Οὐκ ἔσται μόχθος ἐν Ἰακὼβ, οὐδὲ ὀφθήσεται πόνος ἐν Ἰσραήλ· κύριος ὁ θεὸς αὐτοῦ μετ' αὐτοῦ, τὰ ἔνδοξα ἀρχόντων ἐν αὐτῷ.

22. Θεὸς ὁ ἐξαγαγὼν αὐτὸν ἐξ Αἰγύπτου, ὡς δόξα μονοκέρωτος αὐτῷ.

23. Οὐ γάρ ἐστιν οἰωνισμὸς ἐν Ἰακὼβ, οὐδὲ μαντεία ἐν Ἰσραήλ. Κατὰ καιρὸν ῥηθήσεται Ἰακὼβ καὶ τῷ Ἰσραὴλ, τί ἐπιτελέσει ὁ θεός.

24. Ἰδοὺ λαὸς ὡς σκύμνος ἀναστήσεται, καὶ ὡς λέων γαυρωθήσεται· οὐ κοιμηθήσεται ἕως φάγῃ θήραν. καὶ αἷμα τραυματιῶν πίεται.

Philo ad v. 18. Ἀναστὰς ἄκουε βασιλεῦ, τὰ ὦτα ἐπαιωρήσας.

ad v. 19. Οὐχ ὡς ἄνθρωπος διαψευσθῆναι δύναται, οὐδ' ὡς υἱὸς ἀνθρώπου μετανοεῖ καὶ ἅπαξ εἰπὼν οὐκ ἐμμένει, φθέγξεται τὸ παράπαν οὐδὲν, ὃ μὴ τελειωθήσεται βεβαίως, ἐπεὶ ὁ λόγος ἔργον ἐστὶν αὐτοῦ.

ad v.

ad v. 20. Παρείληφθην ἐπ' εὐλογίαις οὐ κατάραις ἐγώ.

ad v. 21. Οὐκ ἔσται πόνος ἢ μόχθος ἐν Ἑβραίοις· ὁ θεὸς αὐτῶν ὑπερασπίζει φανερῶς.

ad v. 22. Ὅς καὶ τὴν τῆς Αἰγυπτιακῶν ῥύμην κακῶν ἀποσκέδασεν, ὡς ἕνα ἄνδρα τοσαύτας μυριάδας ἀναγαγών.

23. Τοιγαροῦν οἰωνῶν ἀλογοῦσι καὶ πάντων τῶν κατὰ μαντικὴν, ἑνὶ τῷ τοῦ κόσμου ἡγεμόνι πιστεύοντες.

24. Ὁρῶ τὸ λαὸν ὡς σκύμνον ἀνεστέμενον καὶ ὡς λέοντα γαυρούμενον ἐπαχθήσεται θήρας καὶ πολλῷ χρήσεται τραυματιῶν. καὶ κορεσθεὶς οὐ τρέψεται πρὸς ὕπνον, ἀλλ' ἐγρηγορὼς τὸν ἐπινίκιον ᾄσεται ὕμνον.

Hic quædam aliter legit Philo, quam habentur hodie: ut apparet conferenti. Balac indignatus, Tu, inquiebat, neque benè dices, vel diceres. Sensus enim potest esse, quod si male dicere nollet ut etiam benedictionibus abstineret: vel quod eum porrò silere jubeat. Prius videtur, quia Balaam respondet: Nonne dixi: Quicquid Dominus locutus fuerit, me locuturum? Posterius tamen voluit Philo. Balac autem (ὥσπερ (ait Philo) ἐκλαθόμενος ἂν εἶπε διὰ τὸ τῆς γνώμης ἀβέβαιον) vatem duxit in alium locum: in verticem Peor, contra eremum. Dicebat enim: Forte in oculis illius Dei rectum videbitur, ut illis inde maledicas. Vates rege (inquit Philo) nihilo melior, cum debuisset domum abiisse, regi paruit, eumque secutus est, quo ducebat. Tribuit ipsi Philo duo: ἅμα μὲν, inquit, οἰήσει κακῶν μεγάλων πιπτόμενος ἅμα δὲ καὶ τῇ διανοίᾳ καταρᾶσθαι γλιχόμενος εἰ καὶ τῇ φωνῇ διεκωλύετο. Budæus legit, οἰήσει, μεγάλῳ κακῷ. Josephus significat præisse Balaamum ad tertium conatum (secundum præterit) & persuasisse Balaco: εἰ πείσαι τὸν θεὸν δυνηθείη ἐπιτρέψαι μοι τοὺς ἀνθρώπους ἀραῖς ἐνδῦσαι.

Num. Cap. XXIV.

Sacro igitur peracto ut prius, Balaam videns Deo placere, ut populo Israël benediceret (id est omnino ipsi fixum esse, ut benediceretur nec diras admittere) non abiit ad captanda auguria (נחשים) Philo: Αὐτὸς δὲ οὐκέτι κατὰ τὸ εἰκὸς ἐπὶ κληδόνας καὶ οἰωνοὺς ᾔει, πολλὰ τὴν αὐτοῦ τέχνην κακίσας, ὡς χρόνῳ καθάπερ χαρακτῆρα ἐξίτηλον γενομένην, καὶ τοὺς εὐθυβόλους στοχασμοὺς ἐξαμαυρωθέντας. ἄλλως δὲ καὶ μόλις ἐνενόησεν ὅτι συνᾴδει τῷ τοῦ θεοῦ βουλήματι ἡ τοῦ μισθωσαμένου προαίρεσις αὐτὸν βασιλέως. Non tentavit Dei voluntatem, quam videbat fixam esse. Versa igitur ad eremum facie, considerabat Israël habitantem juxta suas tribus. Philo: ὁρᾷ κατὰ φυλὰς ἐστρατοπεδευκότας Ἑβραίους καὶ τό τε πλῆθος καὶ τὴν τάξιν, ὡς πόλεως, οὐκ οὐ στρατοπέδου. Hic eum Deus tertio apprehendit. Hebræa veritas ita habet:

v. 3. *Dictum Balaam filii Beor, dictum viri aperti oculis.*

4. *Dictum audientis sermonum Dei: qui visionem omnipotentis videt: cadens & retectus oculis.*

5. *Quam bona sunt* tua tentoria, Jacob: tabernacula tua, Israël.

6. *Vt valles se extendunt, ut horti juxta flumen: ut santalos plantavit Dominus, ut cedros juxta aquas.*

7. *Fluent aquæ de situlis ejus: & semen ejus in aquis multis: & exaltabitur præ Agag rex ejus: & efferetur regnum.*

8. *Deus educebat eos ex Ægypto, ut vires* (ראם) *ipsi. Comedet gentes hostes suos, & ossa eorum confringet: & sagittis suis transfiget.*

9. *Incurvavit, se procubuit ut leo, & ut annosus leo* [לביא] *quis eum excitabit?*

Quisque benedicentium tibi benedictus & maledicentium maledictus.

LXX: v. 3. Φησὶ Βαλαὰμ, υἱὸς Βεώρ, φησὶν ὁ ἄνθρωπος ὁ ἀληθινῶς ὁρῶν.

4. Φησὶν ἀκούων λόγια ἰσχυροῦ, ὅστις ὅρασιν Θεοῦ εἶδεν ἐν ὕπνῳ· ἀποκεκαλυμμένοι οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ.

5. Ὡς καλοὶ οἱ οἶκοί σου Ἰακώβ, αἱ σκηναί σου Ἰσραήλ.

6. Ὡσεὶ νάπαι σκιάζουσαι καὶ ὡσεὶ παράδεισοι ἐπὶ ποταμῷ, καὶ ὡσεὶ σκηναὶ ἃς ἔπηξε κύριος, καὶ ὡσεὶ κέδροι παρ' ὕδατα.

7. Ἐξελεύσεται ἄνθρωπος ἐκ τοῦ σπέρματος αὐτοῦ καὶ κυριεύσει ἐθνῶν πολλῶν· καὶ ὑψωθήσεται ἢ Γὼγ βασιλεία καὶ αὐξηθήσεται ἡ βασιλεία αὐτοῦ.

8. Θεὸς ὡδήγησεν αὐτὸν ἐξ Αἰγύπτου, ὡς δόξα μονοκέρωτος αὐτῷ. ἔδεται ἔθνη ἐχθρῶν αὐτοῦ, καὶ τὰ πάχη αὐτῶν ἐκμυελιεῖ καὶ ταῖς βολίσιν αὐτοῦ κατατοξεύσει ἐχθρόν.

9. Κατακλιθεὶς ἀνεπαύσατο ὡς λέων καὶ ὡς σκύμνος. Τίς ἀναστήσει αὐτόν; οἱ εὐλογοῦντές σε εὐλόγηνται, καὶ οἱ καταρώμενοί σε, κεκατήρανται. Philo: Τάδε φησὶν ὁ ἄνθρωπος ὁ ἀληθινῶς ὁρῶν, ὅστις καθ' ὕπνον ἐναργῆ φαντασίαν εἶδε Θεοῦ τοῖς τῆς ψυχῆς ἀκοιμήτοις ὄμμασιν.

Deinde ad versum. 5. Ὡς καλοί σου οἱ οἶκοι στρατιὰ Ἑβραίων; αἱ σκηναί σου.

v. 6. Ὡς νάπαι συσκιάζουσαι, ὡς παράδεισος ἐπὶ ποταμῷ, ὡς κέδρος παρ' ὕδατα.

v. 7. Ἐξελεύσεταί ποτε ἄνθρωπος ἐξ ὑμῶν καὶ ἐπικρατήσει πολλῶν, καὶ ἐπιβαίνουσα ἡ τοῦδε βασιλεία, καθ' ἑκάστην ἡμέραν πρὸς ὕψος ἀρθήσεται.

v. 8. Ὁ λαὸς οὗτος ἡγεμόνι τῆς ἀπ' Αἰγύπτου πάσης ὁδοῦ κέχρηται Θεῷ καθ' ἓν κέρας ἄγοντι τὴν πληθύν. Τοιγαροῦν ἔδεται ἔθνη πολλὰ ἐχθρῶν, καὶ ὅσον ἐν αὐτοῖς πῖον, ἄχρι μυελοῦ λήψεται καὶ ταῖς ἑκηβολίαις ἀπολεῖ τοὺς δυσμενεῖς.

v. 9. Ἀναπαύσεται κατακλιθεὶς ὡς λέων, ἢ σκύμνος λέοντος, μάλα καταφρονητικῶς δεδιὼς οὐδένα, φόβον τοῖς ἄλλοις ἐνεργασάμενος· ἄθλιος δ' ὃς ἂν αὐτὸν παρακινήσας ἐγείρῃ· οἱ μὲν εὐλογοῦντές σε εὐφημίας ἄξιοι· κατάρας δὲ οἱ καταρώμενοι.

Philo paraphrasin hanc exhibuit trium vaticiniorum Balaami, quam voluimus exhibere. Apparet enim hinc (ut diximus quod Græcam versionem τῶν ό secutus sit. Illam etiam eandem esse, quam hodie habemus. Notamus Philonem vocem Μονοκέρωτος accipere de consociatione & congregandi ut vocant significatu, non de animali. Cap. antecedenti v. 22. Ὡς ἵνα ἄνδρα τοσούτων μυριάδας. Hic v. 8. καθ' ἓν κέρας ἄγοντι. In v. 19. cap. XXIII. οὐ διώκεται ἀπειληθῆναι, vertit μετανοεῖ. Non intellexit ἢ Γὼγ quod in v. 7. capitis ideò dissimulavit. Illi LXX. legerunt אגג aut mendum est ἢ γὼγ pro ἀγάγ. Symmachus habebat ὑπὲρ Γὼγ. Jam tum cum Philo scriberet, ita in ista versione legebatur. Qui autem has modo pericopas contendens cum Hebræo textu, non videt, quanto fons purius manet lutulento rivulo, ille lolio victitat.

Balac jam majori indignatione commotus, manusque complodens ita Balacen affatur: Ad maledicendum hostibus meis te vocaveram, quibus tertium benedixisti. Apage te, unde venisti. Promiseram tibi munera & honores, at Dominus (יהוה) ea removit à te. Meminit יהוה. Quæ appellatio nondum inter eas gentes abolita erat aut eam fama & notitia Hebræorum recentaverat. Balaam id nomen frequentabat & cum cuique nationi suus Deus esset, Deum Israëlis, qui tot editis mirabilibus gentium admirationem excitaverat, de nomine percontantes scire potuerunt. Balaam reddit illi, quæ jam ante dixerat. Se dixisse legatis regiis ampla pollicentibus quod non posset alia eloqui, quam quæ Deus imponeret. Jubes (inquit) ut domum abeam, sed ante præcinam tibi quid tuis posteris tuoque populo hic populus post seculorum multorum lapsum facturus sit. Postquam Dei oracula enuntiavero privatum tibi consilium aperiam. Hunc sensum puto esse versus decimi quarti. Hinc abreptus plenusque Deo quartum vaticinium fudit, in quo Israëlitas pronuntiat victores

Domi-

domitoresque fore Moabitarum, Idumæorum, Amalecitarum. Circumagens enim oculos gentium fata cecinit. Prædixit etiam imperii Assyriaci exortum quod Cinæos è suis rupibus esset dejecturum & late dominaturum. Cæterum Macedonas navibus è Græcorum insulis advectos Assyriam & transeufratenses subacturos esse. Illustre id ante omnia in hoc vaticinio est, quod meminerit stellæ è Jacob orituræ: quibus ambagibus Davidem & potissimum filium ejus Christum significabat. Id tamen Judæi vix intellexere, non intellexit ut arbitror, ipse vates, nedum ut discipulos suos hoc docere potuerit, aut in suis monumentis ad posteritatem consignare. Josephus de hoc ultimo vaticinio ita judicat: Πεσὼν δ' ἐπὶ στόμα πάθη προὔλεγεν ὅσα τοῖς βασιλεῦσιν ἔσται καὶ ὅσα πόλεσι ταῖς ἀξιολογωτάταις· ὧν ἐνίαις οὐδ' οἰκεῖσθαί πως συνέβαινε τὴν ἀρχὴν, ἅτι καὶ προϋπῆρξεν, ἐν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις γινόμενα τοῖς ἀνθρώποις διὰ γῆς ἢ θαλάσσης εἰς μνήμην τὴν ἐμήν. Ἐξ ὧν ἁπάντων τέλος λαβόντων ὁποῖον ἐκεῖνος προεῖπε, τεκμαίροιτ' ἄν τις ὅτι καὶ ἔσοιτο πρὸς τὸ μέλλον. *Prolapsus in faciem prædicebat quæ essent eventura regibus & celeberrimis civitatibus (quorum quædam omnino conditæ non erant) quamvis etiam præexstiterint præcedentibus temporibus facta hominibus terra marique usque ad meam memoriam. E quibus omnibus finem nactis, qualem ille prædixerat, conjecturam fecerit aliquis quod etiam futurus sit in futurum, talis finis.*

Num. XXV.

POsteà Balaam regi Balac consilium dedit Israëlitis perniciosum quod tamen ipsi postea Dei ultione & Madianitis attulit exitium. Vult Josephus cum domum venisset, accivisse Balac & principes Madianitarum iisque suggessisse, quid facto opus esset: at Philo innuit quod Balaco datum consilium sit à Balaamo, cum nondum domum esset regressus, sed pene insisteret illi loco, in quo Dei oracula profatus fuerat. Ὁ δὲ τὰ μὲν πρότερα πάντα, εἶπεν, ἦν λόγια καὶ χρησμοὶ, τὰ δὲ μέλλοντα γνώμης τῆς ἐμῆς εἰκασίαι. Καὶ τῆς δεξιᾶς λαβόμενος, μόνος μόνῳ συνεβούλευε, δι' ὧν ὡς ἂν οἷόν τε ἦν φυλάξασθαι τὸν ἀντίπαλον στρατὸν, ἀσέβημα κατηγορῶν αὐτοῦ μέγιστον. Legato Ecclesiæ Pergamenæ objicit Dominus (Apoc. 11. 14.) quod haberet qui doctrinam Balaami tenerent: qui docebat Balac objicere filiis Israël offensam ut idolothytis vescerentur & fornicarentur. Consilium illud fuse Josephus & Philo explicant. Philo increpat illud, quod ἰδιάζων consuleret contraria oraculis. Scivisse quod Hebræis una via esset subigendis παρανομία. Ideò per lasciviam & luxum, *(διὰ λαγνείας καὶ ἀκολασίας)* magnum malum ad majus malum ἀσεβείας voluisse impellere, voluptatem objicientem in escam. Verba & oratio ejus fuêre: εἰσὶ γὰρ, εἶπεν, αἱ ἐγχώριαι γυναῖκες, ὦ βασιλεῦ, διαφέρουσαι τὴν ὄψιν ἑτέρων· ἀνὴρ δ' οὐδενὶ μᾶλλον εὐάλωτος ἢ γυναικὸς εὐμορφίᾳ· τὰς οὖν περικαλλεστάτας ἐὰν ἐπιτρέψῃς μισθαρνεῖν καὶ δημοσιεύειν ἀγκιστρεύσονται τὴν νεότητα τῶν ἀντιπάλων. ὑφηγητέον δὲ μὴ εὐθὺς ἐμπαρέχεσθαι τοῖς ἐθέλουσι τὴν ὥραν. ὁ γὰρ ἀκκισμὸς ὑποκνίζων, τὰς ὁρμὰς ἐπεγερεῖ μᾶλλον καὶ τοὺς ἔρωτας ἀναφλέξει. τραχηλιζόμενοι δὲ ταῖς ἐπιθυμίαις πάνθ' ὑπομενοῦσι δρᾶν τε καὶ πάσχειν. Πρὸς δὲ τὸν οὕτω διακείμενον ἐραστὴν, λεγέτω θρυπτομένη τις τῶν ἐπὶ τὴν θήραν ἀλειφομένων, οὐ θέμις τῆς ὁμιλίας σε τῆς ἐμῆς ἀπολαῦσαι πρὶν ἂν ἐκδιαιτηθῇς τὰ πάτρια μεταβαλὼν δὲ τιμήσῃς ἅπερ ἐγώ. Πίστις δέ μοι τῆς βεβαίου μεταβολῆς γένοιτ' ἂν ἀρίδηλος, ἢν ἐθελήσῃς μετασχεῖν τῶν αὐτῶν σπονδῶν τε καὶ θυσιῶν, ἃς ἀγάλμασι καὶ ξοάνοις τε τοῖς λοιποῖς ἀφιδρύμασιν ἐπιτελοῦμεν. ὁ δ' ἅτε σαγηνευθεὶς πάγαις πολυειδέσι, κάλλει, στωμυλίαις, χορηγίαις οὐδὲν ἀντειπὼν, ἐξηγκωνισμένος τὸν λογισμὸν, ἄθλιος ὑπηρετήσει τοῖς προσταττομένοις ἀναγραφεὶς τοῦ πάθους δοῦλος. Vicinam orationem format Origenes Homil. 20. in Num. *Populus hic non propriis viribus sed Deum colendo vincit & pudicitiam con-*

servando. Si vis eum vincere, primò eorum pudicitiam dejice & sponte vincentur. Sed adversum hæc non virtute militum sed mulierum decore pugnandum est; nec armatorum vigore, sed mollitie fœminarum. Procul amove armatorum manum & electam congrega speciem puellarum; ludentes pedibus eant, manibusque plaudentes: forma vincit armatos, ferrum pulchritudo captivat, vincentur specie, qui non vincuntur prælio. Verum ubi senserint eos mulieres Moabitides vel Madianitides manus dedisse libidini & peccato inclinasse cervices, non prius semetipsas cupientibus præbeant, quam de sacrificiis idolorum acquieverint degustare: ut cogente libidine consiliis obtemperent fœminarum & consecrentur Beel phegor, quod est idolum turpitudinis. Josephus facit Balaamum dicere: Hebræorum genus nec bello nec pestilentia nec fame aliove genere cladis interiturum, quia Deus eorum curam habeat, posse tamen affligi, quamvis è calamitatibus, postquam ad sanitatem rediissent, sublimius erigendos. Si igitur Balac exigui temporis victoriam cupiat assequi, id hujus consilii effici posse effectu: Τῶν θυγατέρων τὰς μάλιστα εὐπρεπεῖς καὶ βιάσασθαι καὶ νικῆσαι τὴν τῶν ὁρώντων σωφροσύνην ἱκανὰς διὰ τὸ κάλλος ἀσκήσαντες τὴν εὐμορφίαν αὐτῶν ἐπὶ τὸ μᾶλλον εὐπρεπὲς πέμψατε πλησίον ἱδρυμένας τῆς ἐκείνων στρατοπέδου, καὶ δεομένοις συνεῖναι τοῖς νεανίαις αὐτῶν προστάξατε. Ἐπειδὰν δὲ κεχειρωμένους ὁρῶσι τῆς ἐπιθυμίαις καταλιπέτωσαν, πρὶν ἂν πείσωσιν αὐτοὺς ἀφέντας τοὺς πατρίους νόμους καὶ τὸν τούτους αὐτοῖς θέμενον τιμᾶν θεὸν, τοὺς Μαδιανιτῶν καὶ Μωαβιτῶν σέβωσιν.

Considebant Israëlitæ ea tempestate in campestribus Moab (LXX. modo vertunt ἀπὸ δυσμῶν Μωὰβ, modo Ἀραβὼθ Μωὰβ (Num. 31. 12.) à Bethjesimoth usque ad Abel Sittim. Sittim simpliciter appellatur sæpe & LXX. Σαττίν. Hic adversus eos Balac consilium Balaami expediit. Philo: Τὸν κατὰ μοιχῶν νόμον παρακαλυψάμενος καὶ τοὺς ἐπὶ φθορᾷ καὶ πορνείᾳ κειμένους ἀνελών, Antiquatis legibus de adulterio & fornicatione mulierum exercitum immisit, quæ blanditiis suis & quavis arte meretricia juvenes allicerent. Josephus virgines filias potius adhibitas esse quam conjuges. Hæ missæ ad castra Hebræorum, scitulæ, comptulæ & egregia specie, juvenibus Hebræis se faciles præbuere: accensisque eorum mentibus & promittentibus stabile conjugium sub jurejurando, ita demum se obsecuturas respondent, si ad eorundem deorum in quorum terris consederint, transire cultum voluerint. Prolixo sermone ista ornat & inter alia tribuit, quod dixerint: Ἐπεὶ ταῦτα ὑμῖν δέδοκται, τοῖς δ' ἔθεσι καὶ τῷ βίῳ πρὸς ἅπαντας ἀλλοτριώτατα χρῆσθαι, ὡς καὶ τὰς τροφὰς ὑμῖν ἰδιοτρόπους εἶναι καὶ τὰ ποτὰ μὴ κοινὰ τοῖς ἄλλοις, ἀνάγκη βουλομένοις ἡμῖν συνοικεῖν καὶ θεοὺς τοὺς ἡμετέρους σέβειν καὶ οὐκ ἂν ἄλλο γένοιτο τεκμήριον ἧς ἔχειν τανῦν εὐνοίας φατὲ πρὸς ἡμᾶς καὶ τῆς ἐσομένης ἢ τὸ τοὺς αὐτοὺς θεοὺς προσκυνεῖν. Jelammedenu: *Fecerunt sibi aulæa statueruntque in illis meretrices, in quarum manibus quælibet instrumenta desiderii. Eratque vetula conciliatrix* (מסרסרת) *puellæ quæ erat in publico extra tabernam. Tempore, quo Israëlitæ præteribant deambulandi causa in platea, vetula dicebat. Iuvenis anne tu quæris instrumenta linea quæ venerunt è Bethsan: & ostendebat ei vetula loquens cum eo præstantius, puella autem minus: hinc & porro dicebat ei puella, Tu es tanquam filius domus Dei clarus per te ipsum: & baucalium vini Ammonitici repositum erat apud eam. Tunc autem vinum gentium vetitum non erat: & puella egrediebatur è costo & balsamo & delinibat ipsum, dicebatque: Ah cur nos diligimus vos, vos autem odistis nos? Sane tibi instrumentum hoc gratis. Nonne nos omnes sumus filii viri unius filii Thare patris Abrahami? Vos non vultis edere de sacrificiis & cocturis nostris, ecce tibi vitulos & gallos, mactate secundum præceptum vestrum & edite. Mox dabat ei bibendum vinum: & incendebat eum Satan & insaniebat post eam. Quidam dicunt quod Balaam præceperit ut ne potionarent eos vino, ne judicaret tanquam inebriatos vino sed* (במזידין) *tanquam de industria peccantes. Cum esset incensus, dicebat: Macta tu gallum hunc & coquamus*

&

& comedamus tecum & voluntate tua, ego concedo tibi ut mactes. Dicebat illa, Ego non obsequar tibi donec eum mactaveris Peor, & ipse insaniebat post eam, ut mactaret eum τῷ Peor & comedebat cum ea: & copulabat se ille cum illa. Sic scriptum est. Et vocabant (mulieres) populum. Copulavit se populus per feminarum seductionem cum diis illorum, maximè cum Baal Peor. Illius idoli nomen videtur à loco esse in quo stabat, desumptum, quasi diceres Jupiter sive Baal Phogorius. Multi cum Priapo confuderunt, quasi cultus fuerit scortationibus & Veneris lascivia. Vocarunt id est invitarunt mulieres populum ad epulas sacrorum, quod fecit populus & veneratus est deos illorum. In idolothytis igitur & ipsa veneratione Deorum peccavit populus. Rasi: *Cum invalesceret figmentum ejus* (concupiscentia) *super eam, diceretque, obsequere mihi, educebat similitudinem Peor è sinu suo, dicebatque venerare eam prostratus.* Peor dici vult שפוערין לפניו פי הטבעת ומוציאין רעי: *Quod aperirent coram eo os podicis & egererent* stercus. Hunc fuisse modum cultus. Inanis conjectura à sono vocis. Quod dicitur ויאמר Aben-esdras etiam putat ad mulieres referri, cum quibus copulabantur לדת פער ritu sacri illius idoli. Ob hanc apostasiam Dei ira in populum exarsit jussitque Mosen primores populi ad solem (id est palam) affigere, ut plaga inhiberetur. Nempe, ut docet Rasi prius lapidati deinde suspensi sunt, ut lex jubebat de idololatris. Medras aggada: *Sol indicabat peccantes. Nam nubes duplicata erat ex opposito & sol splendebat super eam.* Deinde judicibus Israël, qui certo numero impositi erant, præcepit, ut interficerent, quotquot suarum partium copulati erant Baal-Peor.

Populus coierat ad fores tentorii conventus, ubi precibus & lachrymis supplicabat Deo. Hic triste se obtulit spectaculum. Nam dum universus populus in luctu & supplicationibus erat & plaga Dei desæviebat, quæ plurimos hauserat, caput domus patriæ inter Simeonitas (nomen illi Zambri) in conspectu omnium, Madianitin, cui nomen Chozbi, filiam Sur, phylarchæ inter Madianitas, trahit manu in tentorium suum. Hic Josephus scribit inescata peregrinis moribus juventute & primoribus in consortium abreptis religionem in extremum discrimen adductam fuisse. Zambriam alienigenam duxisse & more profano sacrificasse. Mosen convocata concione populum Dei & religionis patriæ admonuisse, ut juventutem ad meliora reduceret: at palam ipsi obstitisse Zambrian: Jubentem ut leges suas sibi haberet, & tyrannidem omitteret, quam hactenus sub Dei & religionis obtentu libero populo imposuisset. Mose silente & nolente contendere ne plures concitaret daretque occasionem seditioni, tum (quod Scriptura habet) Phineem Zelo incensum, hasta arrepta, ingressum in tentorium Zambriæ eodem ictu ipsum una cum Cosbi transfixisse. Non notat Josephus, quod palam ad meretricem ingressus sit. Philo: ἰδὼν γάρ τινα τῶν ἀπὸ τοῦ γένους θύοντα καὶ εἰσιόντα πρὸς πόρνην, μήτε κεκυφότα εἰς τὸ ἔδαφος, μήτε λανθάνειν τοὺς πολλοὺς πειρώμενον, μηδ' οἷα φιλεῖ, κλέπτοντα τὴν εἴσοδον, ἀλλὰ μετ' ἀναισχύντου θράσους τὴν ἀκοσμίαν ἐπιδεικνύμενον καὶ φρυαττόμενον ὡς ἐπὶ σεμνῷ πράγματι τῷ καταγελάστῳ, πάνυ παροξυνθεὶς καὶ πληρωθεὶς ὀργῆς δικαίας, ἐπεισδραμών, ἔτι κατ' εὐνὴν κειμένους ἀμφοτέρους, τόντε ἐραστὴν καὶ τὴν ἑταίραν ἀναιρεῖ προσαποτεμὼν καὶ τὰ γεννητικά, διότι σποραῖς ὑπηρέτησαν ἐκθέσμοις. Josephus Phinees animi & corporis robore eminuisse scribit: utrumque in eo facinore apparuit. Id exemplum imitatos esse cæteros (idque Mosis jussu) Josephus & Philo scribunt: qui sine respectu cognationis & amicitiæ omnes pollutos occidere. Ita Dei plaga finem habuit. Josephus tam peste quam gladio viginti quatuor millia interiisse scribit: Philo soli gladio eum numerum cæsorum adscribit. Moses videtur dicere quod sola pestis tot homines sustulerit. In Josepho, ἄνδρες οὐκ ἐλάττους

πεντακισχιλίων καὶ μυρίων, legendum *δισμυρίων*. Josephus ista clade interiisse etiam illos existimat, qui cum jure cognationis prohibere debuissent, dissimulaverant aut incitaverant. Phinees Eleazari filius zelo suo & expiatione tali ingentem laudem apud Deum commeritus, fœdus pacis & æterni pontificatus pro se suisque posteris obtinuit. Philo narrat Mosen præmium assignare voluisse, at dum de ea re dispiciebat Deum prævenisse oraculis, donantem τὸ μέγιστον ἀγαθὸν εἰρήνην, ὃ μηδεὶς ἱκανὸς ἀνθρώπων παρασχεῖν· πρὸς δὲ τῇ εἰρήνῃ καὶ παγγενησίαν ἱερωσύνης αὐτῷ καὶ γένει κληρονομίαν ἀναφαίρετον.

Num. Cap. XXXI.

VOluit Deus armata manu ultionem sumi de Madianitis, parsum tamen est Moabitis, quia filiis Loti Deus noluit vim inferri. Antequam arma inferrentur Madianitis recensitus est populus. Tum Dei jussu è qualibet tribu mille armati selecti qui cùm Madianitis bellum gererent. Philo: Παντὶ μὲν τῷ στρατῷ πολεμεῖν οὐκ ἐδοκίμαζεν εἰδὼς τὰ ὑπέρογκα πλήθη πταίοντα περὶ αὑτοῖς καὶ ἅμα λυσιτελὲς ἡγούμενος ἐφεδρείας εἶναι συμμάχων, τοῖς προκαμοῦσι βοηθούς. *Cum universo exercitu igitur bellum inire noluit, sciens copias numerosas quæ in hosticum egressæ sunt mole corruere & simul conducere arbitratus esse subsidia sociorum in auxilium iis, qui prius laborarunt.* Illud πταίοντα περὶ αὑτοῖς phrasi elegantissima dictum, quam non intellexit Gelenius: Πταίειν περὶ αὑτοῖς idem est cum eo quod Dionysius Halicarnassensis dixit, περὶ αὑτῷ σφάλλεσθαι, *in se collabi vel sua mole.* An autem has rationes Deus respexerit, dubito. Uterque & Josephus & Philo dicunt illis delectis copiis præfectum esse Phinees, Eleazari filium, qui tam egregium specimen zeli pro Deo & religione ediderat. Sic etiam Judæi intelligere. v. 6. videntur. Ego puto, quod illis præfectus sit Josue filius *Nun*, qui solebat in bello præesse. Licet hæc fuerit ultio Dei & & Phinees semel eduxisset gladium ultionis. Ultio Dei fuit extra ordinem, ideò instrumenta sanctuarii præter tubas illas sive buccinas clangoris comitari debuerunt. Rasi notat ideò Phineem non Eleazarum ivisse, quia התחיל במצוה inceperat Dei præceptum exsequi, ideò perficere debuit. A. S. *Quia ibat ad ulciscendum ultionem Ioseph patris matris suæ*, Q. D. (Gen. 37. 36.) Madianitæ vendiderunt eum. *At unde habetur, quod mater Phinees fuerit è Ioseph?* Q. D. (Exod. 6. 24.) E filiabus Putiel. Per hunc Putielem Jethro & Joseph significari, quia Jethro (פטם) saginabat vitulos ad idololatriam, Joseph (מפטפט) *loquax fuit* de concupiscentia sua. A. S. Quia fuit משוח מלחמה *unctus belli.* Id putem ego ducem exercitus non fuisse aut imperatorem sed qui sacerdotio fungeretur in acie, cum arca aliaque instrumenta sanctuarii cum his copiis exissent. Dicitur enim *Instrumenta* sanctuarii & buccinæ clangoris *in manu ejus.* De instrumentis sanctuarii Rasi: *Hæc arca & lamina sacerdotalis; quia Balaam cum illis erat: qui fecerat volare reges Madian magicis suis præstigiis & ipse volabat cum illis. Ostendebat illis Laminam* (ציץ) *in qua nomen exaratum erat, & illi decidebant. Ideo dictum est* (v. 8.) על חלליהם *supra cæsos eorum: de regibus Madian, qui ceciderant super cæsos ex aëre. Et sic de Balaam scriptum est,* על חלליהם *in libro Iosue* (13. 22.)

Madianitæ munitis regionis aditibus, ut res poscebat, haud segniter occurrere Israëlitis, uti verosimiliter narrat Josephus. Cæterum à qua parte stabat Deus, facilis fuit victoria. Hostes instar pecudum mactavere nullo ex ipsis desiderato. Præter cæsos in acie occidere quinque phylarchas Evi, Recem, Sur, Hur & Rabe: item Balaam filium Beor. Videtur ea tempestate Balaam apud Madianitas fuisse. Rasi eo rediisse putat ut caperet mercedem consilii

ſui dati Madianitis adverſus Iſraëlem, quo viginti quatuor millia populi interierant. *Egreſſus eſt è Madian in occurſum Iſraëlis & ferre eos fecerat conſilium malum. Dicebat ipſis, ſi quando eratis ſexaginta myriades non præpolluiſtis illis, nunc advenitis ad bellandum cum duodecim millibus. Dederunt ipſi mercedem ſuam integram quam non amputarunt.* Dicuntur eum gladio interemiſſe. Raſi: *Hic vadebat adverſus Iſraël & commutabat arma ſua in arma eorum, quod non ſalvarentur niſi ore ſuo & per miniſterium precum & petitionis:* & vadebat ipſe & apprehendebat arma eorum ut eis ore ſuo malediceret. Etiam illi venerunt contra eum & commutabant arma ſua armis gentium. Nam venerunt gladio Q. D. (Gen. 27. 40.)

Ceperunt filii Iſraël mulieres & parvulos Madian: omnia jumenta & pecora omneſque facultates prædati ſunt. Omnes urbes eorum & omnes טירותם combuſſerunt igni. טירות LXX. ἐπαύλεις. Raſi: *Locus* פלטרים *apud ipſos, quia ſignificat habitationem ſacerdotum ſcientium ſtatuta eorum.* A. S. *Significat habitationem principum.* Nam *in Chaldæa paraphraſi,* סרני פלשתים *redditur* טרני פלשתאי. Chaldæus: בית סגדתהון *locus adorationis, adoratorium.* Philo habet, ἔτι τὰς βασιλείους καὶ τὰ ἰδιωτικὰ κατ' ἀρχὰς ἐπαύλεων. Item uſque adeo incruentam fuiſſe victoriam dicit, ut nemo ſaucius nedum cæſus fuerit ex Iſraëlitis. Quaſi non è prælio ſed exercitationibus in pace militaribus rediiſſent: ἐκ τῶν ἐν τῇ ὁπλομαχίας ἐπιδείξεων, ἃς ἔθος ἐν τῇ εἰρήνῃ ποιεῖσθαι γυμνάσματα δ' εἰσὶν καὶ μελέτη συγκροτουμένων τὰ κατ' ἐχθρῶν ἐν φίλοις. Univerſam prædam omneſque captivos adduxerunt ad Moſen, Eleazarum totumque cætum filiorum Iſraël ad caſtra ad Jordanem. Obviam autem proceſſere illis Moſes & Eleazarus cum toto cœtu. Cauſam exitus Raſi annotat, quod viderent juvenes Iſraël exire ad rapiendum è præda. Moſes præfectos, chiliarchos & centuriones increpat, quod pepercisſent feminis, quæ tanti mali cauſam Iſraëlitis præbuiſſent. Præcipit igitur quicquid melioris ſexus eſſet, ut interimerent: ſed femellis parcerent ſolis, quæ viri notitiam non habuiſſent. Inconſiderate ſcripſit Philo νέους δὲ κομιδῇ παισὶ καὶ παρθένοις συνάγοντες, ἀμνηστίαν τῆς ἡλικίας ἐφιλανθρωπήσαντο. Per aliquot enim tendebant extra caſtra. Pontifici mandatum, ut luſtraret reverſos à recenti cæde hoſtium. Καὶ γὰρ εἰ (inquit Philo) νόμιμοι αἱ κατ' ἐχθρῶν σφαγαὶ, ἀλλ' ὅγε κτείνων ἄνθρωπον εἰ καὶ δικαίως καὶ ἀμυνόμενος καὶ βιασθεὶς ὑπαίτιος εἶναι δοκεῖ, διὰ τὴν ἀνωτάτω καὶ κοινὴν συγγένειαν. οὗ χάριν καθαρσίων ἔδει τοῖς κτείνασι πρὸς ἀπαλλαγὴν τοῦ νομισθέντος ἄγους γεγενῆσθαι. Quotquot hominem occidiſſent aut cadaver attigiſſent; ipſi eorumque captivi luſtrari debuerunt tertio & ſeptimo die. Hic uſus fuit aquæ illius è vacca rufa. Quicquid vaſorum & prædæ ignem patiebatur, igne purificatum eſt: Cætera aquis. Septimo die lotis veſtibus caſtra introiere.

Deinde præcipit Deus Moſi ut ſummam ineat prædæ viventis. Diviſum eſt quicquid erat in duas partes æquales, quarum unam illis, qui bellum geſſerant, alteram cæteris Moſes & Eleazarus cum primoribus diſtribuêre. Hanc rem optimè explicat Philo: Μετ' οὐ πολὺν μέντοι χρόνον καὶ τὴν λείαν διένειμε, τοῖς μὲν στρατευσαμένοις· ὀλίγος δ' ἀριθμὸς ἦσαν παρὰ τοὺς ἡσυχάσαντας· διδοὺς ἥμισυ μέρος, θάτερον δὲ τοῖς καταμείνασιν ἐν τῷ στρατοπέδῳ. δίκαιον γὰρ ὑπέλαβεν εἶναι καὶ τούτους μεταδοῦναι, εἰ καὶ μὴ τοῖς σώμασι τῇ γοῦν ψυχαῖς διαγωνισαμένους. οἱ γὰρ ἐφεδρεύοντες τῶν ἀγωνιστῶν οὐκ ἐλαττούμενοι τῇ προθυμίας, χρόνῳ καὶ τῷ φθασθῆναι μόνον ὑστερίζουσι. Λαβόντων δὲ τῶν μὲν ὀλίγων πλείω, τῶν δὲ πλειόνων ἐλάττω; διὰ τὴν ἔνδον καρτερίαν, ἔδοξεν ἀναγκαῖον εἶναι πάσης τῆς λείας ἀπαρχὰς (תרומה) καθιερῶσαι. Τὸ μὲν οὖν πεντηκοστὸν οἱ ἐφεδρεύσαντες· πεντακοσιοστὴν δὲ μοῖραν οἱ προπολεμήσαντες εἰσήνεγκαν. Τῶν δὲ ἀπαρχῶν τὰς μὲν παρὰ τῶν στρατευσαμένων τῷ μεγάλῳ ἱερεῖ προσέταξε δοθῆναι· Τὰς δὲ παρὰ τῶν καταμεινάντων ἐν τῷ στρατοπέδῳ τοῖς νεωκόροις, οἷς ὄνομα Λευῖ-

ται

τα χιλίαρχοι δὲ καὶ ἑκατόνταρχοι καὶ ὁ ἄλλος ὅμιλος λοχαγῶν καὶ ταξιαρχῶν ὑπέρ τε τῆς αὐτῶν σωτηρίας καὶ τῶν στρατευσαμένων καὶ τῆς παντὸς λόγου κρείττονος νίκης ἐθελοντὶ κομίζουσιν ἐξαιρέτους ἀπαρχάς, κόσμον τὸν χρυσοῦν, ὅσον ἕκαστος ἐκ τῆς λείας ἀνεῦρε, καὶ σκεύη πολυτελέστατα, ὧν πάλιν ὕλη χρυσὸς ἦν. Ἃ Μωϋσῆς καὶ τὴν εὐσέβειαν τῶν φερόντων ἀγάμενος ἀνατίθησιν ἐν τῇ καθιερωμένῃ σκηνῇ τῆς εὐχαριστίας τῶν ἀνδρῶν ὑπόμνημα. Παγκάλη δ' ἡ διανομὴ τῶν ἀπαρχῶν· Τὰς μὲν τῶν μὴ πεπολεμηκότων, ἡμίσειαν ἀρετῆς τὴν χωρὶς ἔργων προθυμίαν αὐτὸ μόνον ἐπιδειξαμένων τοῖς νεωκόροις ἀπένειμε· Τὰς δὲ τῶν ἀγωνισαμένων, οἳ σώμασι καὶ ψυχαῖς ἐκινδύνευσαν ὁλόκληρον ἀνδραγαθίαν παρεσχημένοι, τῷ προεστηκότι τῶν νεωκόρων, ἱερεῖ τῷ μεγάλῳ· τὰς δὲ τῶν ταξιαρχῶν ἅτε ἡγεμονικὰς τῷ συμπάντων μεγάλῳ ἡγεμόνι θεῷ. *Non multo post etiam prædam divisit illis, qui bellaverant (exiguus numerus erat ad eos, qui quieverant) dans partem dimidiam, alteram vero iis, qui remanserant in castris. Æquum enim censebat esse, ut his etiam de utilitate communicaret quia licet non corporibus, animis tamen certaverant. Nam qui manent in statione, non minores promptitudine, tempore solum & præventione superantur. Cum autem pauci plura cepissent, quia pericula subierant, & plures pauciora, ob remansionem, visum est necessarium totius prædæ primitias consecrare. Quinquagesimam igitur partem, qui resederant, quingentesimam, qui bellaverant, intulerunt. Primitias à bellantibus, pontifici maximo jubet dari, à residentibus, æditÿs, qui Levitæ appellantur. Chiliarchi autem & centuriones: ac reliqua turba ductorum cohortium & manipulis præfectorum, pro sua salute & bellantium & victoria majore, quam dici possit, voluntariò afferunt eximias primitias, ornamentaque aurea, quantum e præda inveniebant & vasa pretiosissima, quorum etiam materia aurum erat. Quæ Moses accipiens & admiratus pietatem afferentium, reponit in sacro tabernaculo monumentum gratitudinis virorum. Egregia autem erat distributio primitiarum: Non bellantium, dimidium virtutis, sine opere promptitudinem tantummodo ostendentium ædituis distribuit: certantium verò, qui corporibus & animis periculum subierant, integram fortitudinem præstantes præsidi ædituorum, summo pontifici: eorum qui ordines præerant tanquam imperatorias magno principi universorum Deo:* Prædam universam textus enumerat. Sexcentena & quinquaginta quinq; millia ovium, septuaginta duo millia boum. Voluntariam oblationem præfectorum dicit fuisse sedecim milliæ, septingentos & quinquaginta siclos. Multum auri argentique & reliquæ prædæ inanimæ milites ceperant, quod pro se quisque retinuit. Non memorat Scriptura in qua regione Madianitæ isti habitationem habuerint. Josephus urbem Arabiæ Petram, ab uno ducum istorum quinque Rekem dici sermone gentis scribit, oportet igitur ut finitimi Moabitis habitaverint. Madiene patria Jethronis alia erat. ἀποδασμὸς scilicet gentis in aliis sedibus.

Num. Cap. XXXII.

SUmmam hujus capitis egregie etiam interpretatur Philo. Loquatur autem: Πάντες ἔτι διεπολεμήθησαν οἱ πόλεμοι μήπω διαβεβηκότων Ἰορδάνην τὸν ἐγχώριον ποταμόν, πρὸς τοὺς τῆς ἀντιπέρας γῆς οἰκήτορας εὐδαίμονος καὶ βαθείας, ἐν ᾗ πολλὴ πεδιὰς σιτοφόρος καὶ χιλὸν κτήνεσιν ἐνεγκεῖν ἀγαθή. *Hac bella debellata sunt, cum nondum transiissent Iordanem, flumen earum regionum, adversus incolas terræ transfluminensis felicis & depressæ, maximam partem campestris, & pascendis pecoribus herbidæ.* Pergit: ταύτην ὡς ἐθεάσαντο τὴν χώραν αἱ κτηνοτρόφοι δύο φυλαί, μοῖρα τοῦ σύμπαντος ἕκτη στρατοῦ, Μωϋσῆν ἱκέτευον ἐπιτρέψαι τοὺς κλήρους ἐνταῦθα λαβεῖν αὐτοὺς ἤδη ποτὲ ἱδρυθείσαις. Ἐπιτηδειότατον γὰρ εἶναι ἔφασκον τὸν τόπον ἐννέμεσθαι καὶ ἐμβόσκεσθαι θρέμμασιν, εὔυδρον ὄντα καὶ εὔχορτον καὶ περιβαλλομένην ἄφθονον πόαν αὐτοματίζοντα. *Hanc regionem cum viderent duæ pecuariæ tribus, sexta pars totius exercitus, Mosen sup-*

supplices adierunt, ut concederet ipsis illic sortem capere, jam tandem sedem habentibus firmam. Dicebant enim locum esse commodissimum pecoribus pascendis, irriguum & pabulo fertilem ac sponte fundentem uberem pascuam herbam. Sequitur: Ὁ δὲ νομίσας αὐτοὺς ἢ προεδρίαν τὴν διανομὴν, τά τε γέρα πρὸ καιροῦ λαμβάνειν ἀξιοῦν, ἢ πρὸς τοὺς μέλλοντας πολέμους ἀποκνεῖν, ἐφεδρευόντων ἔτι πλειόνων βασιλέων, οἳ τὴν εἴσω τοῦ ποταμοῦ χώραν ἐκεκλήρωντο, πάνυ δυσχεράνας, πρὸς ὀργὴν ἀποκρίνεται, καὶ φησίν· ὑμεῖς μὲν οὖν ἐνταῦθα καθεδεῖσθε σχολὴν ἐν οὐ δέοντι καὶ ἀργίαν ἔχοντες· τοὺς δὲ ὑμετέρους οἰκείους καὶ συγγενεῖς καὶ φίλους οἱ λειπόμενοι τραχυνοῦσι πόλεμοι; καὶ τὰ μὲν ἆθλα μόνοις ὑμῶν, ὡς ἐπὶ κατωρθωμένοις πᾶσι δοθήσεται; μάχαι δὲ καὶ πόνοι καὶ ταλαιπωρίαι καὶ οἱ ἀνωτάτω κίνδυνοι ἑτέρους ἀναμενοῦσιν; ἀλλ' οὐ δίκαιον ὑμᾶς μὲν εἰρήνην καὶ τὰ ἐκ τῆς εἰρήνης ἀγαθὰ καρποῦσθαι, τοὺς δ' ἄλλους πολέμοις καὶ κακοῖς τοσούτοις ἀμυθήτους ἐναθλεῖν, οὐδὲ προσθήκης τὸ ὅλον μέρος εἶναι. Τοὐναντίον γὰρ ἕνεκα τῶν ὅλων τὰ μέρη κληρονομίας ἀξιοῦται. πάντες ἐστὲ ἰσότιμοι, γένος ἕν, οἱ αὐτοὶ πατέρες, οἰκία μία, ἔθη τὰ αὐτά, κοινωνία νόμων, ἄλλα μυρία, ὧν ἕκαστον τὴν οἰκειότητα συνδεῖ καὶ πρὸς εὔνοιαν ἁρμόζεται. Διὰ τί δὲ τῶν ἴσων ἐν τοῖς μεγίστοις καὶ ἀναγκαιοτάτοις ἀξιωθέντες, ἐν ταῖς διανομαῖς πλεονεκτήσετε, ὡς ἢ ἄρχοντες ὑπηκόων, ἢ δεσπόται δούλων καταφρονήσαντες. ἔδει μὲν ὑμᾶς ταῖς ἑτέρων πληγαῖς πεπαιδεῦσθαι. Φρονίμων γὰρ ἀνδρῶν μὴ ἀναμένειν ἄχρις ἂν ἐπ' αὐτοὺς ἔλθῃ τὰ δεινά. Νυνὶ δὲ παραδείγματα ἔχοντες οἰκεῖα τοὺς πατέρας, οἱ κατεσκέψαντο τήνδε τὴν χώραν, καὶ τὰς ἐκείνων συμφορὰς καὶ τῶν συναπονοηθέντων. ἅπαντες γὰρ ἔξω δυοῖν ἀπώλοντο· δέον μηδενὶ τῶν ὁμοίων συνεπιγράφεσθαι, δειλίαν, ὦ κενοὶ φρενῶν ζηλοῦτε, ὡς οὐκ εὐαλωτότεροι γενησόμενοι, καὶ τὰς προθυμίας ὑποσκελίζετε τῶν ἀνδραγαθίζεσθαι προαιρουμένων, ἐκλύοντες καὶ παριέντες αὐτῶν τὰ φρονήματα. Τοιγάρτοι προδιδόντες ἁμαρτάνειν προδίδετε καὶ πρὸς τιμωρίας. Ἡ γὰρ δίκη μόλις μὲν εἴωθε κινεῖσθαι· κινηθεῖσα δ' ἅπαξ φθάνει προκαταλαμβάνουσα τοὺς ἀποδιδράσκοντας. Ὅταν οὖν ἅπαντες μὲν οἱ ἐχθροὶ καθαιρεθῶσιν, ἔφεδρος δὲ μηδεὶς ἔτι προσδοκᾶται πόλεμος, ἐν ᾗ ταῖς εὐθυμίαις ἀνεπίληπτοι δοκιμασθῶσιν οἱ σύμμαχοι, μὴ λιποτάξιοι, μὴ λιποστράτιοι, μηδὲν ἄλλο τῶν ἐφ' ἥττῃ διαπεπραγμένοι, παραμεμενηκότες δ' ἐξ ἀρχῆς ἄχρι τέλους φαίνωνται, καὶ τοῖς σώμασι καὶ ταῖς προθυμίαις, ἐρημωθῇ δὲ πᾶσα ἡ χώρα τῶν προενῳκηκότων, τηνικαῦτα δοθήσεται τὰ γέρα καὶ τὰ ἀριστεῖα ἐξ ἴσου. Hæc ita reddidit Gelenius: *Ille ratus eos prærogativam in agris dividendis quærere, aut immunitatem à bellis imminentibus cum adhuc superessent cis Iordanem reges multi occasionem exspectantes tanquam ex insidiis, valde ira commotus dixit.* Verterim: *Ille ratus eos præoccupatione sedium permansionem & præmia ante tempus capere velle, aut ad futura bella desides esse, cum adhuc multi reges insiderent, qui regionem intra flumen obtinebant, ægerrime ferens per iram respondit.* Orationem Mosis ita expressit: *Itane censetis æquum vos hic otiosos ante tempus considere, immunitate fruituros? Quid interim fiet amicis sociisque & quæ sanctior necessitudo est conjunctis nativo consanguineitatis fœdere? Num placet eos desertos objici opprimendos hostibus? Itane vos soli quasi re bene gesta præmiis potiemini: pugnas, labores, ærumnas, pericula relinquetis cæteris? Non est justum vos frui pace commodisque aliis, quæ pacem sequuntur, vestros fratres atteri tot bellis ac certaminibus, & ut parti bene sit, vexari totum exercitum: illud magis decet, ut cum universis copiis partes etiam in sortem agrorum veniant. Omnes æquo jure degitis, unum genus omnibus ab iisdem profectum conditoribus, una familia, mores, ritus, leges, sacra eadem & alia plurima, quæ vel singula fœdus amicitiamque conciliant. Quid est cur hactenus pares in summè necessariis muniis, in agrorum divisione rationem vestri haberi postuletis extra ordinem, quasi cæteros habeatis pro servis aut subditis. Atqui debuerant vos aliorum exempla docere modestiam: nam prudentes nolunt suo malo discere: nunc ne domesticæ quidem clades vos admonent officii, quas spectastis in vestris patribus. Exploraverunt illi regionem expetitam, sed quia de possessione desperaverunt, omnes perierunt duobus tantum exceptis. Illorum igitur libet imitari formidinem, o vecordes,*

quasi hæc consilia non tendant ad vestram perniciem, dum ipsimet vobis animos adimitis & audaciam: quandoquidem properantes ad peccatum, properatis ad supplicium. Nam vindictam quantumvis tardam, si semel moveatur contra noxios, nemo potest effugere. Ubi debellatum fuerit sublatis omnibus hostibus, socii vero virtutem suam approbaverint, sine discrimine desertorum & detrectatorum militiæ, aliove, quod officiet victoriæ, prompte usque belli finem usi animo & corpore: agri quoque vacui fuerint colonis pristinis, tum demum tribubus ex æquo sua contingent præmia. Laxè vertit: τραχυνοῦσι πόλεμοι, id est, *bella torquebunt.* ὡς ἐπὶ κατωρθωμένοις πᾶσι; *quasi post omnia feliciter confecta.* προσθήκης τὸ ὅλον μέρος, *pro* ἐν μέρει προσθήκης τὸ ὅλον εἶναι. Φρονίμων γὰρ ἀνδρῶν μὴ ἀναμένειν ἄχρις ἂν ἐπ' αὐτοὺς ἔλθῃ τὰ δεινά. *Prudentium virorum est non cunctari donec in ipsos mala incidant.* Sequentia ita reddi debent: *Nunc autem exempla habentes domestica patres, qui hanc terram explorarunt, eorumque clades & qui eadem amentia tenebantur. Omnes enim perierunt exceptis duobus. Cum nulli similium subscribere oporteat, ô vacui mente eorum ignaviam æmulamini, quasi non facilius superabiles futuri? Et promptitudinem subvertitis eorum qui propositum habent viriliter agere, solventes laxantesque eorum animos. Verum enimverò festinantes peccare, festinatis etiam ad supplicia. Nam vindicta ægre commoveri solet mota autem semel, præcurrit fugientes. Ubi igitur omnes hostes eversi fuerint, nec ullum bellum in ea regione apparet* &c. ἔφεδρος πόλεμος, *incubans* bellum significat Cananææ ipsi internum bellum; quando in Cananæa debellatum fuerit. Objurgationem Mosis excipiunt leni animo: Τὴν δὲ νουθεσίαν πρᾴως ἐνεγκόντες, ὡς υἱοὶ γνήσιοι σφόδρα εὔνου πατρός· ᾔδεισαν γὰρ αὐτὸν οὐ καταλαζονευόμενον ἀρχῆς ἐξουσίᾳ, προκηδόμενον δὲ δικαιοσύνην καὶ ἰσότητα τιμῶντα καὶ τὸ μισοπόνηρον οὐκ ἐπ' ὀνείδει, σωφρονισμῷ δὲ τῶν βελτιοῦσθαι δυναμένων ἀεὶ ποιούμενον. *Admonitionem leniter ferentes, ut germani filii benevoli patris (noverant enim ipsum non insolenter se gerere principatus potestate sed omnium cura tangi & justitiam ac æqualitatem honorare, & mali odium semper ostendere non ad dedecus sed emendationem eorum, qui corrigi poterant.* Respondent: Εἰκότως μὲν ἀγανακτεῖς, τοῦθ' ὑπειληφὼς ὅτι τὴν συμμαχίαν ἀπολιπόντες πρὸ καιροῦ τὰς λήξεις λαβεῖν ἐπειγόμεθα. χρὴ δὲ σαφῶς εἰδέναι, ὅτι οὐδὲν ἡμᾶς φοβεῖ τῶν σὺν ἀρετῇ κἂν ἐπιπονώτατον τυγχάνῃ. κρίνομεν δ' ἀρετῆς ἔργα πειθαρχεῖν τέ σοι τυχόντι ἡγεμόνι καὶ τῶν δεινῶν μὴ ὑστερίζειν καὶ ἐν ἀπιοῦσι ἐξετάζεσθαι, τῆς μελλούσης στρατείας, ἄχρις ἂν τὰ πράγματα λάβῃ τέλος αἴσιον. Ἡμεῖς μὲν οὖν καθὰ καὶ πρότερον συνταξάμενοι διαβησόμεθα τὸν Ἰορδάνην ἐν ταῖς πανοπλίαις, οὐδενὶ τῶν ὁπλιτῶν πρόφασιν παρασχόντες μονῆς. υἱοὶ δὲ κομιδῇ νήπιοι καὶ θυγατέρες καὶ μητέρες καὶ γυναῖκες καὶ τὸ πλῆθος τῶν βοσκημάτων, ἐὰν ἐπιτρέψῃς, ὑπολελείψονται. παισὶ μὲν καὶ γυναιξὶν οἰκίας, ἐπαύλεις δὲ θρέμμασι κατασκευασάντων ἡμῶν, ἵνα μηδὲν ἐξ ἐπιδρομῆς δεινὸν πάθωσιν ἐν ἀτειχίστοις καὶ ἀφρουρήτοις προκαταληφθέντες. Suscipiunt se ad ultimum usque certamen & dum plenissimè debellatum fuerit, arma & corpora sociaturos cum fratribus reliquarum tribuum, interim parvulos tantum & mulieres in munitis urbibus, pecora in casis habituros. Ea conditione permisit ipsis Moses ut agros illos obtinerent. Ὁ δὲ ἵλεῳ τῷ βλέμματι καὶ πρᾳοτέρᾳ τῇ φωνῇ, ἀψευδοῦσιν ὑμῖν, ἔφη, βέβαιοι μενοῦσιν, ἃς ᾐτήσασθε λήξεις. ὑπολείπετε μὲν ὡς ἀξιοῦτε, γυναῖκας καὶ παῖδας καὶ βοσκήματα· κατὰ λόχους δ' αὐτοὶ διαβαίνετε μετὰ τῶν ἄλλων ὡπλισμένοι καὶ ἐκτεταγμένοι πρὸς μάχην, ὡς αὐτίκα ἣν δέῃ πολεμήσοντες· αὖθις δ' ὅταν ἅπαντες οἱ ἐχθροὶ καθαιρεθῶσι καὶ γενομένης εἰρήνης τὴν χώραν οἱ κεκρατηκότες διανέμωνται καὶ ὑμεῖς ἐπανελεύσεσθε πρὸς τοὺς οἰκείους τῶν ἐπιβαλλόντων ἀπολαύσοντες ἀγαθῶν καὶ καρπούμενοι, ἣν εἵλεσθε μοῖραν. Sub illa conditione concessit ipsis transamnensem regionem Moses: Eleazaro, Josue, aliisque primoribus tribuum injungit, ut ita non aliter terram illam ipsis incolendam concedant. Ita duæ tribus, Gaditis & Rubenitis cum dimidia tribu Manassis accepere eam terram, condere urbes cœpere & villas; quibus imbel-

imbellis ſexus ætasque & pecora tenerentur. Galadenam obtinuit familia Machir, eamque condidit expulſis reliquiis Amorrhæorum.

Cæterum Salphaad, filius Hepher nepos Galaad, qui è Machir natus erat, quinque procreaverat filias, nullam prolem maſculam. Filiarum nomina, Machla, Nova, Egla, Melcha, Therſa. Hæ per primores Manaſſitidis tribus Moſen conſulunt, an ſui in diviſione agrorum ratio non poſſit haberi. Dicunt enim patrem ſuum obiiſſe quidem in deſerto ſed non fuiſſe participem conjurationis Core. Id volunt, quia exploratoribus adverſum Dominum crediderat, interiiſſe, ut introire promiſſam terram ipſi fuerit prohibitum, ſed non eſſe meritum ut poſteritas ejus è ſorte & nomine Iſraël excluderetur. Moſis reſponſum, quod retulit à Deo, quem conſuluit in ambigua re, Joſephus ita explicat: Εἰ μὲν μέλλουσί τινι συνοικεῖν τῶν φυλετῶν μετὰ τοῦ κλήρου πρὸς αὐτοὺς ἀπιέναι· εἰ δ' ἐξ ἄλλης γαμοῖντό τισι φυλῆς, τὸν κλῆρον ἐν τῇ πατρῴᾳ φυλῇ καταλιπεῖν. *Si nupturæ eſſent tribulium alicui, ut cum ſorte ad eos abeant, ſi alicui ex alia, ſortem in patria tribu relinquant.* Sancitum igitur eſt, ut cujuſque ſors in tribu maneat. Non licuit filiabus ἐπικλήροις extra familiam multò minus tribum enubere, ne ſortes confunderentur. Proximo nubendum erat, ut in eadem domo & familia hæreditas conſiſteret. Illæ nomen ſuo parenti in Iſraële & familia ſua ſupereſſe volunt, ut ſcribitur Num. 25. 4. Si nomen patri in ſorte manſit, oportuit de filiis è talibus natis cenſeri in genealogia familiæ patris: ſed de eo alias. Joſephus ſcribit defuncto parente filias Moſem adiiſſe: atqui in deſerto obierat! Philo quinque filias Salphaad allegorice interpretatur in libro de migratione Abrahami, ſed in libro 3. de vita Moſis hiſtoriam proponit: in qua ſubtilis eſt quia agros tanquam militarium laborum præmia non potuiſſe dari mulieribus ait ſed ut liberalitatis munera. Illas igitur laudatas eſſe ore Dei & Moſis & honoratas Οὔτι ταύτας ἀγεράστους κατέλιπεν, οὔτ' εἰς τὴν ἴσην τιμὴν τοῖς ἀγωνισταῖς προήγαγεν, ἀλλὰ τοῖς μὲν, ὡς ἆθλα οἰκεῖα ἀπένειμε τὰς κληρουχίας, ἀνθ' ὧν ἠνδραγαθίσαντο, ταῖς δὲ χάριτος καὶ φιλανθρωπίας οὐ γέρως ἠξίωσεν· ὃ ἐναργέστατα παρίστησι διὰ τῶν ὀνομάτων δόμα λέγων, καὶ δώσεις ἀλλ' οὐκ ἀπόδομα καὶ ἀποδώσεις. Ταῦτα μὲν γὰρ ἴδια τῶν λαμβανόντων, ἐκεῖνα δὲ τῶν χαριζομένων. Mens ejus quod δόμα ſignificet munus non præmium, & id illis convenire. Alludit ad verba v-7. δόμα δώσεις αὐταῖς.

Numerorum cap. XXVIII. & XXIX. de ἐνδελεχισμῷ Moſes præcipit & ſacrificiis propriis dierum feſtorum: XXX. de votis. Cap. XXXIII. poſt enumerationem ſtationum leges habentur circa occupationem Cananææ: Ejiciendos eſſe incolas, delubra idolorum evertenda, habitandam ipſis terram propria poſſeſſione. Si incolas non deleant, fore in laqueum, & tandem ut ipſi evertantur ea everſione, quam Deus illis hominibus molitus erat. Sequenti capite terminis Cananææ promiſſæ definitis deſignat eos, qui diſtributioni præfuturi eſſent, præter Eleazarum pontificem & Joſue filium Nun, unum è tribu qualibet illarum decem, quæ in Cananæa collocandæ erant. E Judæa Caleb filium Jephunne; è Simeonitide Samuel filium Ammihud; E Benjaminæa, Elidad filium Chaſlon; E danitide præfectum Bruci, filium Jogli; ex Manaſſitide, præfectum Hamuel filium Ephod; Ex Efræmitide, Camuel filium Saphathan; E Zabulonitide, præfectum Eliſaphan, filium Pharnach; Ex Iſſacharitis, præfectum Phaltiel, filium Azan; Ex Aſeritide præfectum Achiod, filium Selomi; è Nephthalitis, præfectum Phadael filium Ammihud. Tres primi non appellantur præfecti ſive phylarchi.

Deinde (cap. 35.) præcipit Levitis dari quadraginta octo urbes, è quibus ſex aſyla ſint futuræ iis, qui homicidium fortuitum commiſiſſent. Eaque

occasione agit de homicidarum persecutione. Ultimo capite de hæreditatibus virginum ἐπικλήρων ex occasione filiarum Salphaad.

Undecimi mensis neomenia cœpit Moses loqui legem repetitam quam sanxit secundo fœdere, præter illud quod ad Horeb pepigerat. Nam (cap. 29. & 30. Deuteron.) universa multitudine convocata cum mulieribus parvulis & mancipiis prolixa oratione commendat observantiam Dei mandatorum: eamque munit benedictionibus & maledictis. Josephus jurejurando obstrictos esse vult. Rursum cap. 31. ultima mandata dat populo & Josue: tum Deus apparuit, Mose & Josue adstantibus prædixitque fore ut iste populus Deum relinquat & ab ipso relinquatur.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI PRIMI.
CAP. XXXVI.

CÆterum Hebræi ob hanc causam tanto tempore in eremo fuisse traduntur: donec omnes, qui verbis Dei non crediderant, interirent. Excepto enim Iesu & Chaleb, nemo ultra viginti annos natus, Ægypto profectus, Iordanem transiit. Ipse Moyses ut terram promissam videret tantum nec contingeret, peccato ejus adscribitur: quod eo tempore, quo saxum ferire & aquam producere praeceptus est, post tot virtutum suarum experimenta, dubitaverit. Decessit autem anno ætatis vicesimo & centesimo: de sepulchri loco parum compertum.

DRUSIUS.

HEBRÆI] filii Israël. Quamvis enim ab Heber sic dicti sint, tamen peculiariter hoc nomine veniunt Israëlitæ, sive posteri Israëlis patriarchæ: qui & Isacidæ dicuntur, licet Esau, à quo Idumæi, Isahac quoque parentem habuerit. Contra fit, quando Judæi vocantur. Nam hoc nomen angustius est.

PECCATO EJUS ADSCRIBITUR] de hoc peccato variæ sunt expositorum sententiæ. Vide sis Episcopum Burgensem Num. 10. in extremo capitis, ubi sententiam R. Mosis Ægyptii & aliorum recenset.

DE SEPULCHRO EJUS PARUM COMPERTUM] aliud nihil quam sepultum fuisse in valle quadam terræ Moab, è regione Bethphegor, Deut. 34. 6. de corpore autem ejus contendisse legitur Diabolus cum Michaële archangelo Judæ 9. quæ historia sumpta creditur ex libro apocrypho, qui Ἀνάβασις vel

vel Ἀνάληψις Μωϋσέως inscribitur, de quo alias. Sepulchrum verò ejus hominibus ignotum fuit. Deut. 34. 6. ne Judæi ad idololatriam proni, inventum corpus adorarent, eique divinos honores exhiberent, ut conjiciunt interpretes viri docti.

SCHOTANUS.

DONEC OMNES] Ex Dei interminatione quisquis vicesimum annum egressus erat, cum Ægypto populus exiret, interire debuit in solitudine, nec ingredi in terram. Moses igitur populum secundo recensuit Num. XXVI. Hæ familiæ seu domus, hic numerus erat: Ruben: Familiæ seu δῆμοι; Henochitæ, Phalluitæ, Esronitæ Charmitæ. Numero capitum 43730.

Simeon: Familiæ seu δῆμοι; Namuelitæ, Jaminitæ, Jachinitæ, Zaraitæ, Saulitæ. Numero capitum 22200.

Gad: Familiæ seu δῆμοι; Saphonitæ, Haggitæ, Sunitæ, Ozenitæ, Heritæ, Araditæ, Arielitæ. Numero capitum 40500. LXX. 44500. Juda: Salitæ, Pharesitæ, Zaritæ, Esronitæ, Hamulitæ. Numero capitum 76500. Phares genuit Esron & Hamul qui in duas familias procreverunt. Videtur autem Pharesitarum familia distincta fuisse à duabus illis propagatis familiis: sed quâ ratione ea separatio exstiterit, dicere non possimus.

Issachar: Familiæ seu δῆμοι; Tholaitæ, Phuaitæ, Jasubitæ, Samramitæ. Numero capitum 64300.

Zabulon: Familiæ seu δῆμοι;] Sareditæ, Allonitæ, Jalelitæ. Numero capitum 60500.

Manasse: Familiæ seu δῆμοι; Nachiritæ, Galaaditæ (qui è Machir) Rursus è Galaad, Jezeritæ, Chelecitæ, Ahrielitæ, Sichemitæ, Semiditæ, Hepheritæ. Numero capitum 52700.

Ephraim: Suthelaitæ, Becheritæ, Thahanitæ, Eranitæ (etiam è Suthela) Numero capitum 32300.

Benjamin: Familiæ seu δῆμοι; Balitæ, Asbelitæ, Ahiramitæ, Saphuphamitæ, Huphamitæ. E Bale etiam Araditæ & Naamanitæ. Numero capitum 45600.

Dan: Familiæ seu δῆμοι; Suhamitæ, quorum quædam familiæ erant. Numero capitum, 64400.

Aser: Imnaitæ, Isaitæ, Bariaitæ. E Baria etiam Chobeitæ, Malchielitæ. Numero capitum 53400, Habuit etiam Aser filiam nomine Sare, cujus meminit textus in recensione. Rationem hujus mentionis Rasi esse dicit, quod adhuc in vivis esset ea tempestate.

Nephthali: Jasielitæ, Gaumitæ, Jeseritæ, Sellemitæ. Numero capitum 45400. LXX. 40300. Ordo hujus recensionis est secundum situm, quem juxta tabernaculum obtinuerunt. Ruben, Simeon, Gad ad meridiem: Juda, Issachar, Zabulon ad ortum: Manasse, Efraim, Benjamin ad occidentem: Dan, Aser Naphthali ad septentrionem. Summa totius numeri 601730. In summa conveniunt Græci cum Hebræa veritate: oportet igitur ut vitium sit in minoribus numeris Græcæ editionis emendandis ex Hebraica veritate. Numerus iste fuit marium viginti annos ætatis excedentium, quorum nemo fuit in numeratione facta ad montem Sinai. His jussit Deus distribui terram, tribui quæ excedebat hoc marium numero, eveniebat major portio terræ, quæ in ista recensione inferior erat, obtinebat minorem. Proselytorum & advenarum non est habita ratio in divisione nec feminarum aut minorum. Rasi. *Et non ad minores viginti annis, quamvis pervenerint ad consummationem viginti anno-*

annorum antequam distribueretur terra. Nam septem annis subegerunt & septem annis diviserunt sed non sustulerunt portionem in terra nisi sexcentena & unum millia. Quod si essent uni illorum sex filii non abstulerunt nisi partem patrum suorum tantummodo. Porro : לרב תרבה נחלתו] *Tribui, quæ fuerit multiplicata* (לאוכלוסין) *turbis, dabant portionem majorem : & quamvis portiones non essent æquales, quia totum secundum multitudinem tribus partiebantur tamen partes non faciebant nisi per sortes & sors fuit secundum os Spiritus S. quemadmodum expositum est in Baba Batbra. Eleazar indutus stabat Vrim & Thummim* &c. De hoc in historia Josue. Levitæ recensiti viginti tria millia habuere.

Terram Promissam] Non fuit Mosi permissum terram sanctam ingredi, tantum è vertice montis Nabo oculis suis obivit, quousque visus potuit penetrare. Quamvis Deum suppliciter rogaret obtinere ingressum non potuit. Deut. III. 23. & seqq. Dicebat enim Deus oranti, ut virum idoneum Israëlitis præficeret in pastorem : Assume Josue filium Num, virum, in quo Spiritus est, & manus illi imponito. Statue eum coram Eleazaro & universa concione. Præcipe illi præsentibus ipsis eique de gloria tua impone. Ante eum stabit Eleazarus secundum modum Urim consulturus Dominum. E cujus jussu agent in ingressu & egressu, Josue & tota congregatio. Ita Jesus ille Mosi suffectus est, quod factum ante ultimum mensem anni quadragesimi & narratur Num. XXVII. Josephus hunc locum Numerorum respexit, quando lib. 4. antiquit. cap. ult. dicit: Ἐδίδαξε δὲ αὐτοὺς ὡς ἂν θυσίαι τῷ θεῷ μᾶλλον κεχαρισμέναι γένοιντο· καὶ ὅπως ἂν οἱ στρατεύοντες ἐξίοιεν τεκμηρίῳ χρώμενοι τοῖς λίθοις ὡς καὶ πρότερον δεδήλωκα. Quod dicit de sacrificiis pertinet ad 29. & 30. caput Numerorum, id de lapillis huc respicit, nempe aliquid vicinum τοῖς Urim. Confudit Josephus gemmas duas in rationali cum Urim : lapilli illi fuerunt semper donec pontifex fuit in populo : sed Urim non fuerunt post captivitatem Babylonicam Esdr. II. 63. Nehem. VII. 65. Fulgor quidam illis temporibus (si fides Josepho) è gemmis illis emicabat usque ad ducentesimum fere annum ante ætatem Josephi, quo læta victoria sæpe significata fuit. Desiisse dicit ducentis ante annis & cognitum Græcis qui Judaica in honore habebant : Eos חושן vocare λόγιον. Ἕλληνες οἱ τὰ ἡμέτερα τιμῶντες ἔθη. Intelligit Hellenistas Judæos, qui proselyti erant aut proselytis oriundi : Judæi quoque quotquot Alexandriæ degebant & in Ægypto, patrium sermonem reliquerant. Hi illis Græcis à Josepho annumerari videntur. Josephus dicit Jesum filium Nave vaticinatum esse viuente & præsente Mose. Προεφήτευσε δὲ καὶ Ἰησοῦς Μωϋσέως παρόντος ἔτι πάνθ' ὅσα ποιήσειεν ὑπὲρ τῆς τοῦ λαοῦ σωτηρίας, ἔν τε πολέμοις καὶ κατ' εἰρήνην νόμους συντεθεὶς &c. Josephus suo more cap. 32. liberius interpretatur. Ubi etiam dicit : καὶ τὸν ναὸν καταπρησθῆναι καὶ κατασκαφέντας δουλεύειν ἀνδράσιν οὐδένα ληψομένοις οἶκτον ἐπὶ τῆς συμφορᾶς αὐτῶν. μετανοήσειν δὲ αὐτοὺς ἐπὶ μηδενὶ χρησίμῳ ταῦτα πάσχοντας. Ὁ μέντοι θεὸς πόλεσι πολίταις ὑμετέροις ἀποδώσει καὶ τὸν ναόν. ἔσεσθαι δὲ τούτων ἀποβολὴν οὐχ ἅπαξ ἀλλὰ πολλάκις. En Judæus ille qui sæpius evertendum esse templum cum urbibus & Judæis putat, & reddendum à Deo, sui temporis eversionem, aliquando reparandam esse somniavit.

Decessit] Moses universam legem secundam in libro consignavit, quæ etiam regibus commendata est in jugem lectionem & meditationem. Hanc dicitur absolvisse cap. 31. v. 24. Si huc usque Mosis scriptura à principio Deuteron. pertinet, reliqua adjecta sunt à Josue aut alio propheta.

Narrat igitur Josue sequentia : Moses mandavit leuitis ut Liber ille legis in arca poneretur, ut in testimonium esset contumacissimæ genti. Cum se vivo non fuerint dicto audientes, quid mortuo futurum esse?

Dein-

Deinde jubet convocari universum populum, quo audiente ipse & Josue carmen horibile elocuti sunt, quod continetur cap. 32. à principio usque ad v. 43. Hoc finito serio populo commendat præceptorum Dei obedientiam. Quæ Josephus libere etiam παραφράζει. Eodemque die jussus est à Deo ascendere in montem, in quo exuvias corporis depositurus erat. Obsecutus est, sed prius Deo plenus fata singularum tribuum præter Simonis cecinit (Deut. 33.) Josephus: Καὶ μετ' εὐλογίας ἑκάστῃ τῶν φυλῶν προφητεύσαντος τὰ γενησόμενα. (Sic legendum pro καὶ τὰ γενόμενα) τὸ πλῆθος εἰς δάκρυα προύπεσεν ὡς καὶ τὰς γυναῖκας στερνοτυπουμένας ἐμφανίζειν τὸ ἐπ' αὐτῷ τεθνηξομένῳ πάθος. Καὶ οἱ παῖδες δὲ θρηνοῦντες ἔτι μᾶλλον ὡς ἀσθενέστεροι κρατεῖν λύπης, ἐδήλουν ὅτι τῆς ἀρετῆς αὐτοῦ καὶ μεγαλουργίας παρ' αὐτὴν τὴν ἡλικίαν συνιᾶσιν. Ἦν δὲ κατ' ἐπίνοιαν τοῖς τε νέοις καὶ πρεσβυτέροις ἅμιλλα τῆς λύπης· οἱ μὲν στέρονται κηδεμόνος περὶ τοῦ μέλλοντος ἀπεθρήνουν. Τοῖς δὲ περὶ τούτου τὸ πένθος ἦν, καὶ ὅτι μήπω καλῶς τῆς ἀρετῆς αὐτοῦ γεγευμένοις ἀπολείπεσθαι συνέβαινεν αὐτοῦ. Τὴν δ' ὑπερβολὴν τῆς τοῦ πλήθους οἰμωγῆς καὶ τῶν ὀδυρμῶν τεκμήραιτο ἄν τις ἐκ τοῦ συμβάντος τῷ νομοθέτῃ, Καὶ γὰρ πεπεισμένος ἅπαντι τῷ χρόνῳ μηδὲν ἐπὶ μελλούσῃ τελευτῇ κατηφεῖν, ὡς κατὰ βούλησιν αὐτὸ πάσχοντας θεοῦ καὶ φύσεως νόμον, ἐπὶ τοῖς ὑπὸ τοῦ λαοῦ πραττομένοις ἐνικήθη δακρῦσαι. προϊομένῳ δὲ ἔνθεν οὗ ἔμελλεν ἀφανισθήσεσθαι πάντες εἵποντο δεδακρυμένοι. Καὶ Μωϋσῆς τοὺς μὲν πόρρω τῇ χειρὶ κατασείων μένειν ἠρεμοῦντας ἐκέλευε, τοὺς δ' ἔγγιον λόγοις παρεκάλει μὴ ποιεῖν δακρυτὴν ἀπαλλαγὴν ἑπομένους· οἱ δὲ καὶ τοῦτ' αὐτῷ χαρίζεσθαι κρίνοντες, τὸ κατὰ βούλησιν αὐτῷ τὴν ἰδίαν ἐφεῖναι κατέσχον αὐτοὺς ἐν ἀλλήλοις δακρύοντες. Ita Josephus depingit lachrymas ululatumque universæ multitudinis, mulieres pectora percutientes pueros in fletum effusos. Mosem etiam commiseratione eorum in lachrymas solutum esse. Cum autem plebs universa pueri senesque & deterior sexus comitaretur, versus locum ubi apparere desineret, manu remotioribus, voce propinquis significat, ne suum abitum tanta doloris significatiane prosequantur, & ut consisterent: cujus voluntati immorigeri esse noluerunt. Narrat etiam deductum esse Mosem à senatu & Eleazaro & Josue. In monte Abari, qui sublimis ex opposito Hierichuntis jacet, (in monte Nabo in Cacumine Phasga Scriptura habet) dimisso Senatu, contemplatumque subjectam Chananæam (Nam præbet (ut Josephus dicit) γῆν ἀρίστην τῆς Χαναναίων καὶ πλείστην τῆς ἐπ' αὐτῷ κατοπτεύειν) Deus solvit sepelivitque in valle è regione Beth Peor, in terra Moab. Ejus autem sepulchrum nemini mortalium innotuit. Josephus dicit nube tectum ablatumque esse in vallem. Priusquam morte solveretur, contemplanti Chananæam, locutus esse Deus traditur: Hæc est quam juravi Abrahamo, Isaco & Jacobo: semini eorum me esse daturum; usurpasti eam oculis, non transibis in illam. Dicitur etiam Deus ipsi ostendisse plerasque regiones illius quas nominatim refert Scriptura: Universam Galaaditim usque Dan, totum tractum terræ Naphthali, Efraim, Manasse, Iuda, usque ad mare הים האחרון *mediterraneum.* Australem regionem & planitiem vallis Jericho, civitatis palmarum, usque Soar. Commentantur Judæi simul cum locis ostensa illi esse eventa temporum hominumque, prospera & adversa. Mortuus est juxta os Domini, id est, ut Deus illi prædixerat. Rasi, בנשיקה / tranquillissimo genere mortis, quod Augustus εὐθανασίαν appellabat. Hic tamen veram εὐθανασίαν ignorabat: at Hebræorum sapientes hauserunt eum modum loquendi ex cant. 1. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* Hic על פי יהוה ut & de Aharone supra. Id de Maria dictum non esse volunt quia fuit mulier. Josephus: γέγραφε δ' αὐτὸν ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις τεθνεῶτα, δείσας μὴ δι' ὑπερβολὴν τῆς περὶ αὐτὸν ἀρετῆς πρὸς τὸ θεῖον αὐτὸν ἀναχωρῆσαι τολμήσωσιν εἰπεῖν. Philo dicit è composito simplicem esse factum: χρόνοις δὲ ὕστερον, ἐπειδὴ

τὴν

τὴν ἐνθένδε ἀποικίαν ἔμελλεν εἰς οὐρανὸν στέλλεσθαι, καὶ τὸν θνητὸν ἀπολιπὼν βίον ἀπαθανατίζεσθαι, μετακληθεὶς ὑπὸ τοῦ πατρὸς, ὃς αὐτὸν δυάδα ὄντα εἰς μονάδος ἀνεστοιχείου φύσιν, ὅλον δι' ὅλων μεθαρμοζόμενος εἰς νοῦν ἡλιοειδέστατον· Τότε δὴ καταχθεὶς &c. Platonissat! deposito corpore totum hominem mentem fieri & è binario in simplicem naturam monadis reformari. Hinc mortis vicinia tanquam sublimatum futura cecinisse. Existimat similiter ut Josephus, quod ipse mortem & sepulturam suam scripserit: θαυμασιώτατον δὲ καὶ τὸ τέλος τῶν ἱερῶν γραμμάτων (ultimum caput Deuteronomii) ὃ καθάπερ ἐν τῷ ζώῳ κεφαλὴ τῆς ὅλης νομοθεσίας ἐστίν. ἤδη γὰρ ἀναλαμβανόμενος, καὶ ἐπ' αὐτῆς βαλβῖδος ἑστὼς, ἵνα τὸν εἰς οὐρανὸν δρόμον διαπτάμενος, καταπνευσθεὶς καὶ ἐπιθειάσας ζῶν ἔτι, τὰ ὡς ἐπὶ θανόντι ἑαυτῷ προφητεύει δεξιῶς &c.

Quidam eum à Deo translatum esse putant ut Henoch & Eliam ut Ambrosius lib. de Cain & Abel. Quod dicitur mortuus, id intelligendum de immutatione loco mortis. Hieronymus in nonum caput Amos: *Ascendit cum Moyse, cujus sepulturæ locus, quia in cælum ascenderat, in terra non potuit inveniri.* Sed in XVII. Matthæi, ubi cum Elia apud Dominum in monte visus est: *Elia, inde descendente, quo conscenderat; & Moyse ab inferis resurgente: quod & Achaz per Esaiam præcipitur, ut petat sibi signum de excelso aut de inferno.* Certum est Moysen tum in vita fuisse, quia ad fidem resurrectionis firmandam cum Elia adfuit Domino. *Ad futuri enim formam atque ad facti fidem* (ut inquit Hilarius) *Moyses & Helias in monte constiterant.* Ignoratur quando resuscitatus sit Moyses, constat tamen mortuum esse quia sepultus est. Vero est simile ab inferis resurrexisse eo tempore quando cum Domino in monte collocuturus erat. Nugatur Cedrenus: καὶ θάψας αὐτὸν ὁ λαὸς καὶ κλαύσας ἡμέρας μ, οὐδεὶς οἶδε τὴν ταφὴν αὐτοῦ. καὶ οὐκ ἀνέστη ἔτι προφήτης ἐν Ἰσραὴλ, ὡς Μωϋσῆς. Ἐκ τότε οὖν καὶ μέχρι τοῦ νῦν; φωτοειδὴς νεφέλη ἐπισκιάζει τὸν τόπον ἐκεῖνον, ἀμαυροῦσα καὶ ἀπολεπτύζουσα τὰς ὄψεις τῶν ὁρώντων ἵνα μὴ γινώσκωσιν αὐτοῦ τὸν τάφον εἰς τὸν αἰῶνα. Ralbag: Sepelivit eum Dominus in valle in terra Moab è regione Peor: nec novit quisquam sepulturam ejus usque hodie] *Res hæc est valde mirabilis, quia lex declarat locum sepulturæ, quantum fieri potest & simul (עם זה) causatur quod locus sepulturæ ejus notus non sit ulli hominum. Fortassis si innotesceret locus, errando errarent generationes sequentes & facerent ex eo Deum* מצד מה שנתפרסם מהנפלאות *pro modo, qui publicatus erat ex miraculis. Nonne vides quod etiam in serpente æneo, quem fecerat Moses, erraverint quidam de Israël* &c. Philo: ὡς ἐτελεύτησε μήπω τελευτήσας (narravit) ὡς ἐτάφη μηδενὸς παρόντος, δηλονότι χερσὶν οὐ θνηταῖς ἀλλ' ἀθανάτοις δυνάμεσιν· ὡς οὐδ' ἐν τάφῳ τῶν προπατέρων ἐκηδεύθη τυχὼν ἐξαιρέτου μνήματος, ὃ μηδεὶς εἶδεν ἀνθρώπων. Cajetanus dicit visum esse ab Eleazaro & Josue quod corpus veheretur in vallem sed non definite in quem locum illius vallis. Archangelus Michaël certavit cum Diabolo de corpore Mosis, ut est in ep. Judæ v. 9. Diabolus enim patere voluit in idololatriæ offendiculum, Epiphanius: Ἐτάφη ὑπὸ ἀγγέλων, ὡς ἡ εἰς ἡμᾶς ἐλθοῦσα παράδοσις ἔχει τὸ σῶμα Μωϋσέως τοῦ ἁγίου καὶ οὐκ ἐλούσαντο. *Funerarunt angeli, ut traditio quæ ad nos venit, continet, corpus Mosis sancti nec laverunt se.* Triginta diebus id est integro mense luxit eum populus universus. Ingens viri desiderium fuit in omnium animis. Rasi dicit Aaronem defletum esse à viris & mulieribus pariter, Mosem à solis viris. Quod inane est. Insigne ejus elogium habet textus. I. Corporis viribus integer fuit usque ad extremum vitæ halitum, annos habens 120. non caligaverat oculus ejus לא נס לחה *neque fugerat viror ejus.* Rasi: Non caligavit oculus *neque postquam mortuus est.* Non fugerat viror ejus] *humor qui in eo, non dominata est putredo in eum, neque versa est forma faciei ejus.* II. Similem illi prophetam non surrexisse in

Israë-

Iſraële, neque quoad modum prophetiæ; neque quoad eminentiam ſignorum: quæ magnitudine excelluerunt, facta Ægyptiis & filiis Iſraëli. De Moſis exceſſu multa nugantur Judæi in Suta cap. 1. Dicunt eum aſcendiſſe & ſpatium viginti duorum paſſuum confeciſſe uno paſſu. Sepultum eſſe in Gad, quia dicitur Deut. 33. 21. *Et proſpexit principio ſibi, quia illic pars legis latoris tecta: ideò venit cum capitibus populi. juſtitiam Domini fecit & judicia ejus cum Iſraël.* Scilicet ignoratam ſepulturam Moſis eſſe in Gad. Id cum ſciret Gad, illic ſibi primò elegiſſe habitationem. Sic etiam R. Salomo illa verba interpretatur. Quatuor millibus abeſſe à finibus Ruben ſeu monte Nabo, in quo expiravit Moſes. Proinde alis שכינה Sp. S. & angelorum miniſterii eo tranſlatum eſſe. Filiam vocis exiiſſe per duodecim millia, ad duodecim millia ſonantem juxta caſtra Iſraël; *Mortuus eſt Moſes magnus ſcriba Iſraëlis.* Quoſdam dicere, quod mortuus non ſit, quia alibi dicitur, eum illic fuiſſe cum Domino nempe ſtantem & miniſtrantem. Ignorari nec inveniri poſſe ſepulchrum ita demonſtrant: *Miſerat regnum impium ad præſidem Beth Peor oſtendi ubi Moſes ſit ſepultus: Steterunt ſupra, viſum eſt illis infra; & infra, viſum eſt illis ſupra: diviſerunt ſe in duas catervas; illis qui ſtabant ſupra, viſum eſt infra; inferioribus viſum eſt ſupra, ut ſtatueretur Q. D. Et non novit quiſquam ſepulturam ejus.* R. Iſmaël (apud Raſi) dicebat Moſem ſepeliviſſe ſeipſum. Hoc את unum è tribus quæ ita ille interpretatus eſt. Alterum Num. 6, 13. In die impleri dies Naziræatus ejus, introducet אתו. Nempe introducet ſeipſum. Tertium (Levitic. 22, 15.) & portare facient אותם reatus. Non alii ipſos, ſed ipſi ſe faciunt portare. Scribunt aperuiſſe ſe terram, ingreſſoque Moyſe & defuncto occluſam eſſe ac rediiſſe in priſtinum habitum unde ignoratum eſſe ejus ſepulchrum.

Joſephus ſcribit eum mortuum eſſe die primo, Rabbini ſeptimo menſis Adar. Raſi: *Sepulchrum ejus illic paratum fuit à ſex diebus creationis ad expiandum ſuper facto Phogor. Et hoc unum eſt de illis rebus, quæ creata ſunt* בין השמשות *in crepuſculo veſperæ ſabbathi.*

Epiphanius in hæreſi Melchiſedecianorum: οἱ μὲν γὰρ ἐν Ἀραβίᾳ, τῇ πετραίᾳ Ῥοκόμη καὶ ἰδὼμ καλουμένῃ τὸν Μωϋσέα διὰ τὰ θεοσήμεια θεὸν νομίζουσι, προσκυνοῦσί τε τὴν αὐτοῦ εἰκόνα ἣν ἀνατυπωσάμενοι ἀποπεπλάνηνται· οὐ τοῦ δικαίου αὐτοῖς αἰτίου γενομένου, ἀλλὰ τῆς πλάνης αὐτοῖς διὰ τοῦ δικαίου ἐν τῇ ἀγνοίᾳ φαντασίαν πράγματος αὐτοῖς συναγούσης. Coli illum in Arabia Petræa pro Deo conceſſerim, verum tamen non eſt eſſe eundem cum Baccho gentium.

F I N I S.

De Ducatu Josue.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

CAP. XXXVII.

MOyse mortuo, summa rerum penes Iesum Nave filium erat. Etenim illum sibi Moyses successorem constituerat, virum virtutibus suis simillimum. Principio autem suscepti imperii dimissis per castra nuntiis, populum certiorem facit, frumentum uti pararent, triduoque proximo iter pronunciat. Sed Iordanis flumen validissimum, transitum prohibebat: quià neque navium copia pro tempore erat, neque vadari fluvius poterat, qui tum pleno alveo ferebatur. Igitur arcam præferri à sacerdotibus, eosdemque adverso flumine consistere jubet. Quo facto incisus Iordanis traditur: ità per siccum copiæ traductæ. Erat in his locis oppidum nomine Hiericho, muris validissimis munitum, neque expugnationi neque obsidioni facile. Sed Iesus Domino fretus, non armis aut viribus urbem aggressus, ferri arcam circa muros jubet; sacerdotesque præire arcam & tuba canere. Sed cum arca septies circumlata esset, muri ac turres conciderunt: direptum oppidum atque incensum. Tum Iesus Dominum traditur? Inde adversus Gæ ductus exercitus: locatisque à tergo urbis insidiis, Iesus metum simulans terga hosti dedit. Quo viso qui in oppido erant patentibus portis cedentibus instare. Ita hi qui in insidiis fuerant, vacuam urbem cepere: cæsique omnes absque ullius effugio. Rex captus summoque supplicio affectus.

DRUSIUS.

NAVE] Ναυῆ, quod corruptum esse diximus ex Ναυν, unius litteræ immutatione. Nun, Naun; Uz, Auz: Regu, Ragau. Nota hæc iis qui libros legerunt.

VIRTUTIBUS SUIS SIMILLIMUM] *sui* legendum, arbitratur Sigonius.

DIMISSIS PER CASTRA NUNTIIS] nove vocat nuntios, qui à LXX. γραμματεῖς τοῦ λαοῦ, scribæ populi: ab Ebræis שוטרי העם vocantur. Hos apparitores transfert Masius. Erant autem Levitæ, jussaque magistratuum exequebantur, & reos vinciebant lorisque cædebant. Quocirca lictores quoque vocan-

vocantur ab iis qui Ebræa in Latinum sermonem verterunt. Sed Hieron. *principes* interpretatur, & alii *præfectos*. Senes uno in loco habent ἀναγκάζοντας, qui alios cogunt & Aquila ἐκθλιπτὰς, & alibi ἐκβιαστὰς.. Nihil dico, si שוטר non significat aliquando præfectum. Nam definiunt, *qui à rege constituitur, aut præficitur alicui loco.*

Frumentum Uti Pararent] צדה est in Ebræo, ut apud Græcos LXX. ἐπισιτισμὸς, id est, commeatus, cibaria, viaticum. Id de manna usurpatur Psal. 78. 25. sed hoc loco de manna intelligere eò minus placet quod manna in diem colligebatur: hic autem jubentur parare viaticum in tres dies. David Camius ait nomine צדה significari quemvis cibum. excepto pane.

Jordanis] qui Ebræis Jarden, à Jonatha vocatur Jordena; unde Jordanis, ib est, Ἰορδάνης, qui & Jordanus, id est, Ἰόρδανος. Oritur ex radicibus montis Libani, aut ut alii volunt, è spelunca Phaneas, quod scribunt פמיים. Forte spelunca Phaneas in radicibus erat illius montis & in tribu Dan, quod sonat Jordan, quasi descendens ex Dan. Alii dicunt nomen habere è duobus suis fontibus Jor & Dan.

Flumen Validissimum] rapidissimum. De hoc enarrat R. David Psal. 74. 15. exsiccasti flumina fortia. Nam flumina de uno dici notius est quam ut probari debeat.

Vadari] vado transiri vel trajici. Est autem vadum locus in flumine tam exiguæ profunditatis, ut pedibus transiri facile possit. Solinus, flumen quod facile vadari poterat.

Qui Tum Pleno Alveo Ferebatur] nam tempus messis erat Jos. 3. 15. Aristæas de hoc fluvio, *perinde ut Nilus messis tempore alveos excedens & exundans multum terræ irrigat.* Vide Sirachidem 24. 36.

Quo Facto Incisus Jordanis Traditur] cum sacerdotes arcam portantes starent in medio alveo, aqua superior mansit firma & immota instar muri: reliqua in mare defluxit mortuum; ita per siccum copiæ traductæ, & Jordanis incisus fuit.

Oppidum Nomine Hiericho] aberat à Jordane stadiis 60. ab urbe 150. R. Salomo scribit Jordanem ab urbe distare itinere unius diei Jes. 24. 16. Iter unius diei continet quatuor parasangas: quælibet autem parasanga decem milliaria. Elias.

Hiericho] scribi debet leniter Jericho. Similiter peccatum in Hierusalem, Hieremias, Hesaias, & aliis sexcentis. Talia scribis imputanda non interpretibus. Appellatio ab odore quem arbor Balsami vicina emittit: vel certè à luna, quæ ibi primum conspicitur. Quocirca civitas lunæ vocatur. Dicitur & urbs palmarum.

Nec Obsidioni Facile] hoc de suo adjecit. Nam in textu sacro non habetur: nec ex eo id colligi potest.

Armis] Machinis bellicis.

Turba] buccinis septem, quarum in jubilæo usus erat. Quot buccinæ tot sacerdotes erant, qui arcam præibant.

Septus Circumlata] per septem dies quotidiè circumlata fuit: septimo, qui dies sabbathi erat, muri ac turres conciderunt, oppidum incensum. Quid hinc discimus? licere Sabbatho urbes expugnare, & per consequens occidere. Si occidere licet, multo magis hominem servare.

Direptum Oppidum] omnia igne cremata, duntaxat auro, argento, æreisque ac ferreis vasis in ærárium Domini relatis. Jos. 6. 24.

Tum Sesus Dominum Traditur] aliqua desunt quæ suppleri possent

 ex

ὑπηρεσίας, ἃς τῷ πλήθει διέφερε, μονονοὺχ ὕπαρχος ὤν, καὶ τὰ τῆς ἡγεμονίας διοικῶν· ἀλλὰ καίτοι βάσανον ἀκριβῆ ἐκ μακρῶν χρόνων, τῆς ἔν τε λόγοις αὐτοῦ καὶ ἔργοις καλοκἀγαθίας, καὶ τὸ ἀναγκαιότατον εὐνοίας τῆς πρὸς τὸ ἔθνος, οὐδὲ τοῦτον ᾠήθη χρῆναι καταλιπεῖν, δεδιὼς μὴ ψευδοδοξεῖ, νομίζων ἀγαθὸν τὸ οὐκ ὄντως πρὸς ἀλήθειαν· ἐπειδὴ τὰ κριτήρια τῆς ἀνθρωπίνης γνώμης ἀμυδρὰ καὶ ἀβέβαιά πως εἶναι πέφυκεν; Ὅθεν οὐ προσπιστεύων ἑαυτῷ &c. Igitur Deum suppliciter rogasse, ut ipse virum idoneum designaret. Longas preces illi attribuit. Charitatem sinceram & sine cupidine atque affectu indicasse etiam, quod Josue designatum à Deo gratanter susceperit: Ἐπειδὴ γὰρ ἄριστος ὢν ὁ φοιτητὴς αὐτοῦ καὶ μιμητὴς τῶν ἀξιεράστων ἠθῶν Ἰησοῦς ἄρχων ἐδοκιμάσθη κριτηρίοις θείοις, οὐχ ὥσπερ ἂν ἔνιοι ἐπὶ τῷ μὴ υἱοὺς ἢ τοὺς ἀδελφοὺς αἱρεθῆναι κατηφὴς Μωϋσῆς, ἀλλ' ὑποπλησθεὶς ἀλέκτου χαρᾶς ὅτι μέλλοι τὸ ἔθνος ἐπιτρόπῳ χρῆσθαι τὰ πάντα ἀρίστῳ. Hæc gaudentem nec tristem imminente abitu, manu prehendisse Josue, proposuisse populo, tanquam divinitus electum: inde hortatu suo successorem animasse. Tum cecinisse Deo Hymnum in gratiarum actionem, ἀνθ' ὧν ἀπὸ γενέσεως ἄχρι γήρως καιναῖς καὶ οὐχὶ ταῖς ἐν ἔθει χάρισιν εὐηργέτητο· καὶ συναγαγὼν ἄθροισμα θεῖον τὰ στοιχεῖα τοῦ παντὸς καὶ τὰ συνεκτικώτατα τοῦ κόσμου μέρη, γῆν καὶ οὐρανόν, τὴν μὲν θνητῶν ἑστίαν, τὸν δ' ἀθανάτων οἶκον ὑμνῳδίας ἐποιεῖτο, διὰ παντὸς ἁρμονίας καὶ συμφωνίας εἴδους, ἣν κατακούσειν ἄνθρωποί τε καὶ ἄγγελοι λειτουργοί. οἱ μὲν ὡς γνώριμοι πρὸς τὴν τῆς ὁμοίας εὐχαρίστου διαθέσεως διδασκαλίαν· οἱ δ' ὡς ἔφοροι κατὰ τὴν σφῶν ἐμπειρίαν θεασόμενοι μή τι τῆς ᾠδῆς ἐκμελές, καὶ ἅμα διαπιστοῦντες, εἴ τις ἄνθρωπος ὢν δεδεμένος σώματι φθαρτῷ, δυνατός ἐστιν αὐτοῦ τὸν ὅμοιον τρόπον ἡλίῳ καὶ τῷ τῶν ἄλλων ἀστέρων χορῷ μιμήσασθαι τὴν ψυχήν, πρὸς τὸ θεῖον ὄργανον τὸν οὐρανὸν καὶ τὸν σύμπαντα κόσμον ἁρμοσάμενος· ταχθεὶς δ' ἐν τοῖς κατὰ τὸν αἰθέρα χορευταῖς ὁ ἱεροφάντης ἀνεκεράσατο ταῖς πρὸς τὸν θεὸν εὐχαριστικαῖς ὑμνῳδίαις τὰ γνήσια πάθη τῆς πρὸς τὸ ἔθνος εὐνοίας, ἐν οἷς ἦσαν ἔλεγχοι παλαιῶν ἁμαρτημάτων, αἱ πρὸς τὸν παρόντα καιρὸν νουθεσίαι καὶ σωφρονισμοί, παραινέσεις αἱ πρὸς τὸν μέλλοντα διὰ χρηστῶν ἐλπίδων, αἷς ἐπακολουθεῖν ἀναγκαῖον αἴσια. Quod à nativitate ad senectutem novis & insolitis beneficiis affectus esset. *Cogensque conventum Divinum elementa universi & maximè continentes partes mundi, terram ac cælum, illam mortalium mansionem, hoc immortalium domicilium, hymnum cecinit, per omnes species harmoniæ & concentus, quam audiunt homines & angeli ministratores. Illi quidem ut familiares ad doctrinam similis gratæ dispositionis, hi ut inspectores, secundum sapientum peritiam simulque fidem non habentes si quis sit homo vinctus corpori corruptibili posse ipsum, in similem cum sole, luna & reliquorum siderum choro modum musicum concentum edere ad divinum instrumentum cælum & universum mundum animam aptatum. Vates autem ille æthereis Choreutis immiscuit gratis carminibus in Deum germanos affectus benevolentiæ erga gentem, in quibus erant reprehensiones veterum peccatorum, ad præsens tempus admonitiones, præcepta in futurum per bonam spem, quam sequi necesse est felicia.* Hoc sensu locutus est sed in mendo locus est. Vide eum interpretari proprie quod τροπικώτερον dictum est Deut. 32. 1. & somniare de concentu mundi & siderum. Finita hac chorea, cepisse mutari è mortali vita in immortalem & paulatim sensisse resolutionem elementorum è quibus mixtus erat: τοῦ μὲν σώματος, ὀστρέου δίκην περιαιρουμένου, τῆς δὲ ψυχῆς ἀπογυμνουμένης καὶ τὴν κατὰ φύσιν ποθούσης ἐνθένδε μετανάστασιν. Antequam discederet εὐχαῖς ἐναρμονίοις benedixisse duodecim tribubus &c.

Judæi volunt Mosen legem non scriptam tradidisse Josue, eum septuaginta senioribus, seniores prophetis, prophetas priores posterioribus: hos viris synagogæ magnæ: ab illis generationes successive sequentem mediante priori. *Moses Miccotsi* in libro præceptorum magno: משה קבל תורה מפי ארון העולם מסיני ומסרה ליהושע שכן כתוב (Exod. 33. 11.) ומשרתו יהושע בן נון נער לא

ימ״ש מתוך האהל׳ ויהושע מסרה לשבעים זקנים לנהג ושראל אחריו בדרך ישרה שכן הוא אומר ויעבד ישראל את ה׳ כל ימי יהושע וכל ימי הזקנים (Jud. 2, 7.) והזקנים מסרוה לנביאים ונביא׳ הראשונים מסרוה לנביאים האחרונים׳ והם חגי זכריה ומלאכי והם מסרוה לאנשי כנסת הגדולה׳ ומהם קבלו החכמה דור אחר דור מאז ועד עתה:

Quæ addit subjiciamus: *Et quaudo migravit exilium in diebus Iojachin regis Iuda, migrarunt cum eo nobiles Iudæ & Benjamin. Et prophetæ justitiæ, cum illis Daniel & socii. Et Esdras scriba & socii ejus. Et Mordechai & socii ejus. Etiam Ieremias & Baruch post eos deducti sunt Babylona, quando subacta est terra Ægypti per Nabuchadnessarum: & cum eo descendere fecit eos Babylona. Et ab illo die & porro* (ישיבת חכמה) *Academia sapientiæ non movit se è loco Nahardeæ, accubantis ad flumen Eufratis. Et illic conventus in multitudinem sapientium usque diem hunc. Et hi discipuli sapientum qui didicerant ex ore prophetarum deportatorum cum Iechonia. Et cum ascenderunt filii exilii cum Zorobabel versus Ierusalem & posteà quidam ascenderunt cum Esdra & fixerunt Academiam seu sedem sapientiæ, non omnes filii deportationis ascenderunt cum illis sed magna multitudo Israëlis relicta est in Babel. Et quamvis fixa esset sedes sapientiæ in Ierusalem sedes Academiæ non defecit in Nahardea. Et ex Academia Israëlis & ex Academia Babel discipuli sapientum & prophetarum. Diffudit se doctrina per totum Israëlem & ex ore eorum vivit totus Israël & generatio post generationem usque diem hunc.*

JOSUE CAP. I.

Dimissis per castra nuntiis] Postquam à Deo mandatum accepit, quod habetur v. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Mandatum videtur dedisse Deus ante finem luctus ob Mosen. *Meus servus Moses*, ait Deus, *obiit: Tu igitur, transi Iordanem, & hic totus populus, in terram, quam do filiis Israël. Omnem locum, quem calcabit pes vester, dedi vobis, ut Mosi locutus sum A deserto & hoc Libano* (LXX. Anti-Libano) *usque ad magnum flumen Eufratis: tota terra Hetthæorum, usque ad mare magnum, erit terminus vester. Nemo consistet coram te, omnibus diebus vitæ tuæ: Ut cum Mose fui, ero tecum Non deero tibi neque te relinquam. Esto fortis bonoque animo. Nam tu collocabis hunc populum in terra, quam juraveram patribus. Tantum esto fortis & bono animo, ut observes facere totam legem, quam præcepit Moses servus meus nec discede ab ea dextrorsum neque sinistrorsum: ut prudenter agas quocunque te verteris. Ne liber legis hujus ab ore tuo abeat: sed meditare eum die & nocte ut observes facere quicquid in eo scriptum. Nam ita vias tuas prosperabis & prudenter ages. Nonne tibi præcepi? Fortis esto, bonoque animo ne metuas. Nam Dominus Deus tecum est, quocunque iveris.* Nobilissimæ promissiones & monita omnibus principibus ducibusque commendanda: quæ non debuisset Josephus silentio prætervehi.

Hac admonitione excitatus misit exploratores ut narratur cap. 2. Deinde misit nuntios (שוטרים prætores Augustinus scribas, è septuaginta qui vocant *γραμματεῖς τοῦ λαοῦ* ut solent) per castra ut in parato haberent commeatum, tertio post die transituri Jordanem in terram à Deo promissam. Hoc edictum promulgatum die septimo mensis Nisan, triginta diebus post mortem Mosis: juxta Hebræos. Constat enim decimo die ejusdem mensis transiisse Jordanem cap. 4. 19. Josephus: *παρήγγειλεν ἐπὶ στρατιὰν* (leg. *στρατείαν*) *ἕτοιμον εἶναι τὸ πλῆθος*.

Tribus Rubenitin, Gaditin & dimidiam Manassitidos admonuit promissi sive pacti cum Mose, qui susceperunt se dicto audientes fore illi, ut Mosi fuissent. Josephus dicit Josue rogasse ut in Mosis gratiam & communem utilitatem

pro-

promissis starent. Credi par est, plura locutum esse, quam in textu exprimitur. Illi ita susceperunt, ut morti addicant, quicunque Josue non pareat. Hugo Grotius: *Fuit Iosue ad belli imperium peridoneus, ingenio solers, fortis animo, Mose severior. Huic siquis ex aliis gentibus comparandus sit, salvo pietatis & divini afflatus discrimine, sumam Catonem majorem.*

Cap. II.

EXploratores misit è Sittim, universam regionem potissimum urbem proximam, Hierichunta speculaturos. Josephus: Πέμπει δὲ κατασκόπους, εἰς Ἱεριχοῦντα πεύσεσθαι δύναμιν αὐτῶν καὶ τίνα διάνοιαν ἔχουσιν αὐτοὶ γνωσόμενος. Primò hic inquiramus in temporis comparationem deinde de insidiis regiis, quas astu meretricis evasere. In capite 1. v. 11. dicuntur tertio die transituri esse Jordanem. Hic Lyranus: *Ex hoc dicunt expositores nostri communiter, in hoc sequentes Augustinum: quod Iosue non fecit istud præceptum, de quo loquitur hic scriptura Spiritu divino sed magis humano & proprio: quia à fine luctus Moysi, in quo dicunt Iosue hoc præcepisse fluxerunt septem dies ad minus ante transitum Iordanis: quia ut dicunt ante istud præceptum misit exploratores, qui antequam reverterentur, remanserunt ad minus per quatuor dies: quia postquam missi à Iosue intraverant civitatem Iericho & hospitati fuerant in domo Rahab: exeuntes inde latuerunt in montanis tribus diebus antequam reverterentur ad Iosue, ut habetur cap. 2. Et tunc Iosue movit castra & venit ad Iordanem: ubi manserunt filii Israël tribus diebus, ut habetur infrà in principio tertii capituli Et ideo non videtur verum fuisse quod fecit præconizare. Et dicunt etiam ultra, quod sic permissus est Iosue deficere, ne ultra attentaret similia facere absque consilio Divino: maximè cum Dominus jussisset Num 27 cap. ipsi Moysi:* Tolle Josue filium Nun &c. *sc. ut succedat tibi: & dicitur ibidem:* Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum &c. Improbat istam sententiam, quia Deus voluit Josue spectabilem facere in principio sui ducatus, promiserat sui spiritus auxilium, Non deseram te &c. Nec convenit textui, sequenti cap. 2. ubi Deus eum exaltare dicitur ut populum obsequentem haberet. Solutionem hanc proponit: *Ideo dicunt Hebræi, quod illud præceptum Iosue scribitur hic per anticipationem: quia non fuit factum donec exploratores ab eo missi, reversi fuerunt ad ipsum: & ex tunc non fluxerunt nisi tres dies usque ad transitum Iordanis* &c. Deinde ad principium secundi capitis: *Hic dicit R. Salomo, quod missio istorum exploratorum facta fuit ante terminum luctus mortis Moysi: quod probat sic: quia filii Israël transierunt Iordanem decimo die mensis primi, ut habetur infra cap. 4. Item Moyses fuit mortuus, ut dicit R. Salomo, septimo die mensis 12. anni immediatè præcedentis: & licet non probat hoc ex sacra scriptura tamen verisimile est, quod dies mortis Moysi: qui tot & tanta fecerat Israëli, in annalibus Hebræorum fuerit certitudinaliter inregistrata. Ex duobus autem istis prædictis sequitur quod à die mortis Moysi usque ad diem transitus Iordanis inclusive fluxerunt tantum 33. dies scilicet viginti tres de mense duodecimo anni præcedentis & decem de primo mense anni sequentis. Iudæi enim faciunt menses per lunationes. Duæ enim lunationes continent quinquaginta novem dies: & ideò primus mensis est 30. dies, secundus 29. dies; & sic consequenter de aliis combinando. Ex quo patet, quod mensis 12. continet tantum 29. dies: à quibus si subtrahantur sex dies, qui præcesserunt mortem Moysi, remanent tantum viginti tres: quibus si addantur decem dies primi mensis anni sequentis, qui fluxerunt usque ad transitum Iordanis ut prædictum est, habentur tantum triginta tres dies à die mortis Moysi inclusive usque ad diem transitus Iordanis inclusive. Luctus autem Moysi, qui incepit à die mortis suæ duravit 30. diebus, ut habetur Deuteron. ultimo,*

ultimo. Et à termino luctus Moysi usque ad transitum Iordanis inclusive fluxerunt tantum tres dies: à missione vero exploratorum usque ad dictum transitum Iordanis fluxerunt septem dies ad minus ut dictum est supra primo capite. Ex quo concluditur, quod Iosue misit exploratores ante terminum luctus Moysi. Augustinus qu. 2. in Josue, *Quæstio est, quomodo posteaquam locutus est Dominus ad Iosue exhortans & confirmans eum seque promittens cum illo futurum, mandaverit idem Iesus populo per scribas, ut præpararent cibaria, quod post tres dies Iordanem fuerant transituri: cum inveniantur post multò plures dies transisse Iordanem. Cum enim hæc populo mandasset, misit exploratores in Hiericho, quoniam Iordane trajecto ipsa proxima civitas occurrebat. Illi autem diverterunt ad Raab mulierem fornicariam & ab illa occultati atque à rege quæsiti, & minime inventi, eadem dimittente illos per fenestram & monente ut triduo laterent in montanis, quatuor dies videntur esse consumpti: inde posteaquam nuntiaverunt, quæ circa illos gesta fuerant, promovit Iesus cum populo universo de loco, ubi erat, diluculo. Qui cum venissent ad Iordanem divertit & mansit: tunc rursus populus admonetur ut post triduum se præpararet transire Iordanem, arca Domini præcedente. Hinc ergò intelligitur humanam fuisse dispositionem, quam fecit populo nuntiari, ut cibaria præparent, tanquam post tres dies memoratum fluvium transituri. Potuit enim hoc sicut homo sperare fieri posse si exploratores celeriter revertissent. Quibus tardantibus intelligitur, quamvis scriptura tacuerit, ex Divina dispositione cætera impleta, ut jam inciperet apud populum glorificari Iosua & ostendi, quod cum illo Dominus esset, sicut fuerat cum Moyse. Nam & hoc illi dicitur fluvium transituro, sicut scriptum est,* Et dixit Dominus, ad Jesum, In die isto incipiam exaltare te coram omnibus filiis Israël, ut sciant, quoniam, sicut eram cum Moyse, sic ero & tecum. *Nec incredibile debet videri, etiam illos, cum quibus Deus loquebatur aliquid ex humana dispositione agere voluisse, in qua sibi Deum tamen fiderent esse rectorem, eorumque ex illius, à quo regebantur, providentia, consilia fuisse mutata. Nam & Moyses ipse utique tanquam homo putaverat esse faciendum, ut causas populi sic audiret, quemadmodum & sibi & illis onus intolerabile subeundo prodesse non posset ejusque dispositio Divinitus, & hoc ipsum socero ejus suggerente, atque hanc admonitionem Deo approbante mutata est.* Ralbag fuse disputat de ordine earum narrationum: *Existimo, quod res hæc* (edictum) *fuerit postquam misisset exploratores. Probatur, quod morati jam fuerint triduo & venerunt secundum simplicem sensum scripturarum. Nam in die quarti mane surrexit Io,ue & totus Israël & venerunt ad Iordanem & pernoctarunt illic antequam transirent. Porro quadrat, quod eo ipso die* (בעינ) *eo ipso momento, quo præcepit Iosue pratoribus populi, miserit exploratores. Et ecce non fuit dies hic è numero trium dierum, quorum meminit, quia dicit, Adhuc tres dies, q.d. post diem hunc. Et ecce in principio diei quinti, ad diem hunc, completi fuerunt illi tres dies & ecce ipso die venerunt ad domum Rahab & pernoctarunt illic ea nocte. Et illud quod dicit, morabimini illic tribus diebus, vult dicere usque diem profectionis eorum. Et sic dictum,* Venerunt in montem & sederunt illic triduo, donec redierunt persecutores &c. πρόληψιν plerique interpretes probant, ideo vertunt 2.1. *Miserat:* Exploratores igitur missi à Josue, ut à Mose Num. 13. Grotius ad vers. 1. *Exploratio, ut hic & Num. XIII. receptatio hostium ut mox v. 4. consiliorum hostilium nuntiatio ut I. Sam. XVII. 5. res sunt odiosæ & si deprehendantur gravibus pœnis obnoxiæ, non improbæ tamen adversus hostes Dei, aut ejus qui à Deo unctus est: cum talibus enim nulla est juris gentium communio. Itaque receptatio, quæ jam sequitur, celebratur ut actus fidei Hebr. XI. 21. animi scilicet πολυθεΐαν abdicantis ob audita miracula vide mox v. 9. 10. 11.* Cum quibus justum bellum est, adversus illos exploratio & alia prudenter gerendo bello adhiberi solita licitum usum habent violare tamen legatos non licet, quos jus gentium tuetur. Rahab

cre-

credidit Deum eas gentes terrasque tradididisse Hebræis, sequi igitur debuit Dei voluntatem, quæ liberabat ab obsequio & vinculo fidei, quo regi suo obstricta tenebatur. Duos exploratores misit cum Moses miserit duodecim. Respondent, hic tantum Exiguam terræ partem illic universam Cananæam explorari: Exploratores appellantur in textu אנשים / LXX. *νεανίσκους* vocant. Velle definire qui & quibus nominibus appellati fuerint, ineptorum est. Exploratores Hierichunta, primam Chananæorum urbem diligentissime speculari jussi sunt. Hanc igitur cum toto die perlustrassent (ut convenienter vero Josephus narrat) sub vesperam hospitium subierunt. Josephus: *λαθόντες γὰρ τὸ πρῶτον, ἅπασαν ἐπ' ἀδείας τὴν πόλιν αὐτῶν κατενόησαν ταύτῃ τειχῶν ὅσα καρτερὰ καὶ ὅσα μὴ τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον αὐτῆς ἀσφαλῶς καὶ τῶν πυλίδων αἳ πρὸς εἴσοδον τῷ στρατοπέδῳ δι' ἀσθένειαν συνοίσουσιν.* Etiam quid animi, qui paratus, quæ vires incolarum essent? Diverterunt *εἰς καταγώγιον τοῦ τείχους πλησίον*, ut habet Josephus. Scriptura dicit in ipsis mœnibus habitasse eam mulierem, ad quam diverterant. v. 15. quod non expresserunt *οἱ ό.* Mulier illa nomine Rahab (רחב) fuisse dicitur זונה / quod cauponam significare potest, (ut Jonathan vertit פונדקיתא *πανδοκεύτρια, vendens varia genera eduliorum)* sed LXX. verterunt *πόρνη*; & ita Apostolus loquitur Jac. 2. 25. Grotius: *Quod vitæ genus eo tempore apud illas gentes vile magis quam flagitiosum habebatur: cum longe alia fuisset Hebræorum etiam ante legem disciplina Gen. 38. 24. Rahabam non malè Aspasiam compares, quæ ex meretrice ad magnam potentiam venit: posterioribus autem seculis Theodoram, nuptam Iustiniano. Videtur autem Rahab habitasse Hierichunte: sed non fuisse ex septem populis: quia nupta fuit Salmoni Hebræo, ut apud Matthæum habemus, imò & ante ipsi Iosue, ut volunt Hebræi.* Potuit ejus gentis fuisse quia conversis ad Deum partum est. Si conjecturæ locus sit, Salmon ille Judææ tribus unus eorum fuerit & pactum de conjugio (quamvis non memoratum) potuit intercedere, cum pro exploratorum liberatione laboravit.

Potuerunt toto die latere exploratores, cum omnia diligenter contemplarentur. Josephus: *ἠμέλουν δὲ θεωροῦσιν οἱ ἐντυγχάνοντες, καθ' ἱστορίαν ξένους πεποιηκότων, ἀκριβῶς ἕκαστα πολυπραγμονεῖν τῶν ἐν τῇ πόλει νομίζοντες ἀλλ' οὐχὶ διανοίᾳ πολεμίων.* Cæterum quia in v. 1. occurrit vox חרש Judæi argutantur. Rasi: כך *ita vertit Chaldaice Ionathan* (in arcano) *Dicebat ipsis, facite vos ipsos surdos & mutos non abscondant verba suâ à faciebus vestris. A. S. Onerate vos ipsos ollis* (vel nigrore) *ut viderentur esse Cedareni.* Sub simulatione fatuitatis putant eos terram obiisse.

Fuerunt tamen qui eos observarent: emanavit enim venisse exploratores è castris Hebræorum. Misit itaque rex ad Rachab: Foras dato viros istos, qui ad te venerunt, quia exploratum venere. Mulier viros istos absconderat, elusitque regios satellites hac oratione: Venerant ad me, nec ego noveram qui essent. Cum portæ claudendæ essent & tenebræ egressi urbe sunt. Nescio quo concesserint, festinatò si persequamini assequemini. Josephus: *ὁ δὲ πέμψας ἐκέλευσεν ἀγαγεῖν συλλαβόντας ἵνα βασανίσας μάθοι τί καὶ βουλόμενοι παρεῖεν.* Rahab præcognito adventu satellitum domum ejus scrutari mittendorum, in tecto eos occuluit בפשתי העץ. Hæc enim in tecto disposita erant. In tecto fuere occultati על הגג. LXX. *ἐπὶ τοῦ δώματος.* Josephus habet *ἐπὶ τοῦ τείχους*, non observavit accuratè quid in Hebræo legeretur. Illa in quibus occultati fuerunt, reddunt: Josephus *λίνου ἀγκαλίδας*, LXX. *ἐν λινοκαλάμῃ ἐστοιβασμένῃ ἐπὶ τοῦ δώματος.* בפשתי העץ Rasi vertit בגבעוליהן *in eorum culmis.* Chaldæus בטועני כתנא *in fasciculis lini.* Kimchi: *Vult dicere quod lina fuerint in culmis, quæ in tectum siccandi causa extulerat.* Hypallagen esse dicit פשתי העץ pro עצי פשתים. Malius putat fuisse Xylinum linum. Et LXX. voce *λινοκαλάμης* significant

lini

lini culmos nondum decorticatos. Ita interpretes inter se conveniunt. In textu est, ותצפנו *Et occultavit F. illum* Ideo fingunt Judæi in Thanchuma, (sed Dras est secundum Kimchi) quod duo exploratores illi fuerint Caleb & Phinees. Sed non opus fuisse ut Phinees occultaretur, quia cum sacerdos esset id est, angelus Dei, potuit ἄφαντος esse atque eo modo tutus. Lyranus hanc fabulam seu argutiam non admittit nisi ad redarguendam eorum contumaciam, qui negant filium Dei potuisse suppositare hominem, cum angelus possit. Nugæ! Singularis numerus ille in affixo, ut loquuntur, significat כל אחד לבדו *unumquemque separatim.* Ita enim difficilius inveniri poterant & facilius occultari in strato lino. Ita Kimchi & Ralbag. Josephus vult satellites illos credentes verbis mulieris, ne quidem ad scrutandum ivisse. Cum jam tumultus sedatus esset & satellites portis emissi, antequam cubitum concessissent exploratores, ipsa in tectum ad eos se contulit: *Scio ait Dominum vobis hanc dedisse terram & terrorem vestri nominis animos incolarum dissolvisse. Audivimus enim Dominum sinum Arabicum vobis aperuisse cum Ægypto egrederemini. quidque factum sit duobus regibus Amorrhæorum. Cognovimus Deum vestrum Deum esse in cælo & terra. Iurate igitur beneficentiam hanc beneficentia vos esse compensaturos in me meosque: omne jus belli prohibituros vos esse, à parentibus meis, fratribus, sororibus. Et in id signum date.* Jussit abire ὀμόσαντας ἦ μὴν σώσειν αὐτὴν καὶ τὰ αὐτῆς, ὅταν τὴν πόλιν ἑλόντες φθείρωσι πάντας τοὺς ἐν αὐτῇ κατὰ τὸ ψήφισμα περὶ αὐτῆς γενόμενον. Juramentum ex ejus voluntate præstitere. Nempe servandam esse totam ejus *Domum.* Vulgata *cognationem,* Josephus τοὺς οἰκείους ἅπαντας: quicquid eam sanguine aut affinitate contingeret. Sed sub his conditionibus: Prima, ut quicquid ad eam parentumque domum pertineret illis ædibus includeretur, sub invasionem urbis. Si quid extra eas occurreret hoc juramento non contineretur. Secunda, ut filum coccinum è fenestra suspensum esset, in tesseram. Josephus: πρὸ τῶν θυρῶν ἀναλείνασαν φοινικίδας· ὅπως ἰδὼν τὴν οἰκίαν ὁ στρατηγὸς φυλάξηται κακῶς ποιεῖν. Φοινικὶς Iosephi est pannus puniceus seu purpureus. LXX. σπαρτίον κόκκινον. Hebr. חוט השני / Chald. חוט זהוריתא / filum Coccinum. Josephus igitur purpuram accepit pro coccino. Matthæi 27. 28. χλαμύδα κοκκίνην, at Marcus 15. 17. πορφύραν. Sic etiam θυρῶν pro θυρίδος posuit Iosephus: in Hebræo enim est חַלּוֹן. Non est putandum eodem fune coccino demissos esse, quem mulier in fenestra suspendere debuit pro signo. Hoc non potest è Scriptura haberi. Nam dederunt exploratores mulieri tesseram, nescio unde acceptum panniculum, quem suspensura esset è fenestra, per quam demittendi essent. Deinde dicitur fune esse demissos. In v. 18. בו non ad חבל pertinet sed חַלּוֹן. Existimant Iudæi fornicariam illam eo fune scortatores ad se per eandem fenestram attrahere solitam: ut idem instrumentum perditioni inservierit & saluti. Publica diversoria an ea tempestate in usu fuerint, non disputamus, quamvis Iosephus καταγώγιον appellet ejus domum. Alii hospitalitatis officium esse præstitum volunt & tutius latuisse in fornice, quam in diversorio communi. Monuit exploratores, ut in montibus se triduo abderent, donec emissi satellites rediissent. Demissi in montana pervenerunt ea nocte, ubi cum triduo delituissent, ad trajectum Iordanis se recipiunt & incolumes perveniunt in castra Hebræorum. Cum trajectum petierint, quem sine dubio trajecerant in terram ingredientes, frustra miraculum ostenditur aut quæritur. Nec longo circuitu opus erat, cum haud procul urbe frequentatissima trajectum fuisse credas. Ralbag etiam adjuratam esse Rahab existimat, ne tesseram istam indicaret, ne forte alii è civibus istius urbis beneficio istius tesseræ in illis ædibus servarentur, ad quos hoc tamen pactum nihil pertinebat.

Gro-

Grotius notat circa mendacium illud officium, quo Rahab regios satellites elusit. *Ante Evangelium mendacium viris bonis salutare culpæ non ducebatur. Vide quæ collegimus de jure belli ac pacis lib. 3. cap. 1. §. 16. & in annotatis. Laudatur tum dicto ad Hebræos loco, tum Iacobi 2. 25.* O Groti, tu parum intelligis Euangelii naturam. Nunquam res mala fuit laudi. Melius Augustinus & cum eo alii non mendacium ex infirmitate sed beneficium ex fide laudari docent.

Allegoria: Theodoretus qu. 2. in Josue: *Καθάπερ δὲ οἱ παρὰ τοῦ Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ πεμφθέντες κατάσκοποι τὴν πεπορνευκυῖαν διέσωσαν πόρνην, σύμβολον αὐτῇ σωτηρίας δεδωκότες τὸ σπαρτίον τὸ κόκκινον· οὕτω οἱ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἀπόστολοι τὴν πάλαι πόρνην, τὴν διαφόροις εἰδώλοις ἀνακειμένην ἐκκλησίαν καὶ τῆς προτέρας ἀκολασίας ἀπέστησαν καὶ τῶν αἰωνίων ἠξίωσαν ἀγαθῶν· οὐ σπαρτίῳ κοκκίνῳ συμβόλῳ χρησάμενοι ἀλλὰ τῷ παναγίῳ αἵματι τὴν σωτηρίαν πραγματευσάμενοι. μηδεὶς οὖν νομιζέτω ἀνάξιον εἶναι τῆς ἐκκλησίας τῆς Ῥαὰβ τὸν τύπον.* Deinde ut nemo extra domum Rahab potuit servari, ita nec extra Ecclesiæ septa. *Καὶ ἡμῖν δὲ σωτηρία διὰ τῆς ἐκκλησίας περιγίνεται. οἱ δὲ ταύτης ἐκτὸς, οὐκ ἀπολαύουσι τῆς αἰωνίου ζωῆς.*

Narrabant Exploratores quæ sibi evenissent. Iosue (ut scribit Iosephus) Eleazaro & senatui indicat, quæ exploratores Rahabæ juraverant. Illi id ratum habuerunt.

Cap. III.

SED IORDANIS] Diebus messis triticeæ & mense Nisan solebat fluvius ille plenissimus volvi. Vado igitur trajici non poterat, pontem non habebat nec in promptu navium faciendarum aut pontis materia. Iosephus: *οὐ γὰρ ἐζευκτό πω πρότερον, βουλομένοις τε γεφυροῦν οὐχ ἕξειν σχολὴν παρὰ τῶν πολεμίων ὑπελάμβανε, πορθμείων μὴ τυγχανόντων.*

v. 1. Iosue summo mane (nempe diei sequentis post edictum) castra movet, è Sittim. Iosephus: *ἀπὸ τῆς Ἀβίλης ἐπὶ τὸν Ἰορδάνην ἤξει σταδίους ἑξήκοντα.* Eodem igitur die ad Iordanem perventum est, ita ut diximus, se habentem. Ad flumen castra posuerunt.

v. 2. ARAM PRÆFERRI] A fine tridui dicuntur prætores per media castra ivisse & denuntiasse: ut se moverent arcam moventibus sacerdotibus Levitis sed duorum millium cubitorum intervallo. Triduum illud intelliges ex hoc schemate:

Nisan	VI.	Proclamatur cibaria paranda.
	VII.	Promota castra ad Iordanem,
	VIII.	
	IX.	Proclamatur de transitu Iordanis, cap. 3. 2.
	X.	Populus Iordanem trajicit
	XI.	
	XII.	
	XIII.	
	XIV.	Manna ultimò descendit: Pascha editur sub vesperam.

David Kimchi admodum fuse differit hoc in loco de istis diebus. Noctu non trajecisse Ralbag dicit, quia manifestum debuit esse omnibus id miraculum. Sacerdotes prætulerunt arcam, cum id alias officium esset Levitarum. David Kimchi: *Hucusque Levitæ arcam portarunt, nunc portant eam* Sacerdotes, ut magis sanctificarent eam ob signum, quod nunc fiebat ante eam. *Dicunt magistri nostri b. m. Tribus locis sacerdotes portarunt arcam: quando transierunt Iordanem*

& circumierunt Iericho & reduxerunt eam in locum suum. Hoc autem fuit, quando David fugiebat à facie Absalom. (2.Sam. 15. 29.) Q.D. Et reduxit Sadoc & Abjathar sacerdos arcam Dei Hierosolymam. *Et omnia hæc ob eminentiam sanctitatis ejus. Porrò invenimus in loco alio in ædificatione domus, quod eam ascendere fecerint sacerdotes è civitate David & introduxerint in domum sanctitatum. Fortassis quia antequam ponerent eam in loco suo, ubi in seculum fuit, non numerarunt nisi tres locos: & in universali, quod redire fecerint eam in locum illum. Et usque nunc fuerat arca proficiscens post duo vexilla at nunc procedit.* Quia arca præcedit, inde intelligitur columnam nubis non amplius fuisse. Notat Rasi, Sacerdotes cum adjecto appellari Levitas, quia omnes è Levi oriundi essent, magistros in Bresith Rabba enumerare quadraginta quinque loca, ubi ea locutio habeatur. Notant Rabbini per Dras è voce בינו / quæ legitur בינו / quod duæ arcæ præcesserint arca Joseph & arca fœderis.

Intervallum debuit esse ob reverentiam, כבודו של מקום הוא כאלפים est האמתות כף השיעור &. Kimchi scribit magistros dicere, quod Latitudo aquarum ea tempestate fuerit duodecim millium. Putant Rabbini præceptum hoc de intervallo proprie pertinere ad ipsum transitum Jordanis, quia aquas prius siccare & viam commodam facere debuerunt sacerdotes. Nam in textu additur, ut sciatis viam, quam debetis ire, quia non transiistis in illa via ab heri & nudius tertius. Dras est qua putatur pertinere ad metationem castrorum ante Jerichø: quasi diceret; Vos Sabbatum estis acturi in Jericho: ne longi sitis ab arca suprà duo millia cubitorum, in omnem plagam: ut licitum ipsis esset venire ad orandum ante arcam in Sabbato. במדה per phathach in Beth, ut doceat de noto. Rabbini, *de mensura nota apud eos in opere tabernaculi.*

v. 5. Josue etiam ad populum (per præfectos) dixit: Sanctificamini in crastinum nam cras Dominus mira faciet. LXX. ἁγνίσασθε, *estote in castu.* Nempe ut se præparaverant circa Horeb ad audiendam legem. Aut alià præparatio accipienda est.

Cum jam dies miraculo destinatus advenisset mandato Domini Josue sacerdotibus (qui pauci numero) præcepit, ut arcam sustollerent, præcederentque populum. Illi dicto parent. Secundo ex Domini præcepto Josue sacerdotibus mandavit, ut consisterent in extremis aquas Jordanis. Dominus etiam significaverat se ab eo die ipsum glorificaturum esse, hinc initium claritatis ejus ordiendo.

Incisus Jordanis] Denuntiavit populo imperator: Sive in castris, sive ad Jordanem: Accedite audite verba Domini Dei vestri. Hinc agnoscetis Deum viventem in medio vestri esse & ante vos expulsurum Cananæos, Hethæos, Hevæos, Pherezæos, Gergesæos, Amorrhæos, Jebusæos. En arca fœderis Domini universæ terræ, præcedit vobis in Jordanem, Eligite viros duodecim, unum è quavis tribu. Eveniet enim quamprimum plantæ sacerdotum ferentium arcam Domini universæ terræ, in Jordane constiterint: abscindentur aquæ superiores & stabunt in cumulo.

Id evenit. Nam quam primum plantæ pedum sacerdotalium profluentis extrema contigerant, assurrexere superiores inhibito lapsu, in dissitum usque ad oppidum Adom, quod erat è latere Sarthan. Inferiores provolutæ versus mare Sodomenum alveum siccum destituere. Masium audiamus interpretantem v. 16. *Id hanc habet meo certe judicio sententiam: quod repulsæ ab arca Dei præsentia aquæ è supero affluentes, tanta mole concervabantur, cum continuò novæ prioribus supervenirent, ut ea moles ad urbem Adam usque, quæ prope Sarthanam sita erat, hoc est adusque Genesaram continuo tractu exstaret. Sive quod perinde est ab urbe Adam,*

Adam, usque ad hunc trajectionis locum. Notavit quædam exemplaria legere מאדם alia באדם. Pergit inde: *sed aliter interpretantur Iudæi, Chaldæum, ut libenter solent, secuti: nempe aquas eas, quæ supra erant, ita in cumulum unum, proxime ad eum locum, ubi trajiciebant Israëlitæ, fuisse collectas, ut procul inde ab oppido Adam, vicino Sarthanæ remanerent: neque propius illud alluerent, quam cum usitato cursu intra alveum suum delaberentur: quod oppidum alioqui facile tanta mole restagnantes, inundassent. si non cumulatim congestæ constitissent, sed pro liquidi natura diffluxissent. Atque ab hac sententia haud abhorrere videtur tralatio 72. interpretum; nisi quod ea longum constituat inter urbes Adam & Sarthanam intervallum; quas urbes Hebræa verba inter se vicinas collocant, atque adeo Adam ut ignobile oppidum Sarthanæ confinio designant. Nimirum illi interpretes pro voce* עיר, *quæ urbem significat, videntur legisse* עד, *cum* ἕως *id est*, usque ad *reddiderint. Nam montis vocabulum* ὄρος, *quod apud eos quoque nullo sensu legitur, equidem opinor, ab homine non minus temerario quam imperito in margine scriptum, qui putabat priorem* Syllabam verbi הרחק montem *significare, tandem librariorum errore in ordinem sacrorum verborum esse relatum. Esse autem mendum hoc pervetustum argumento est, quod & Latinum & eo longè antiquiorem Syrum fefellerit. Atqui aquas è supero allabentes non consurrexisse in altissimam unam molem, quasi in montem angustum, aut murum in cælum exædificatum: quæ moles proximè ad trajiciendi locum exstiterit modo, atque inde quam longissimè spectabilis fuerit, ut opinatur Latinus, aut procul ab urbe Adam, ut Iudæi putant, sed inde repulsas aversasque retro per arcæ sacræ præsentiam, sensim crevisse usque ad Genesaram lacum, prope quem sita erat urbs Adam: sic tamen ut quamvis alte supra riparum crepidines exstarent undæ, tamen non dispergerentur; sed tanquam gelu contretæ coactæque non amplius quam alvei sui spatium occuparent; atque ita fuisse unam continuam aquarum molem, non quidem latam sed longam à loco, in quo trajiciebatur, usque ad oppidum Adam, cum ipsa verborum simplicissima, eoque verisimillima compositio ostendit, tum sacri vatis est verbis consentaneum* (Ps. 114. 3.) *quibus canit Iordanem aversum retro esse* &c. *Quid autem in mentem venerit illis viris, qui sacra Biblia in Germanicam linguam transtulerunt & Lutheri nomine inscripserunt, ut verbum* אדם *hic non urbem sed homines significare existimarent, nescio. Certe per Grammaticorum leges id illis minime licebat. Sequitur porro in sacra historia, quid factum sit illis aquis, quæ trajicientibus sacerdotibus erant à sinistris: nimirum illæ cum prono alveo decurrerent in mare mortuum aut salsum; neque ex supero ullæ succederent in defluentium locum, mox prorsus absumptæ atque ablatæ sunt in illum locum; & quidem ut ego certè opinor, celerrimè; cum earum cursus naturalis divina potentia, ob arcæ præsentiam vehementer incitaretur: atque id significatum etiam esse verbo illo, exscindi, arbitror: tam enim eas subitò defluxisse, ut quasi terra dehiscente absorptæ atque ablatæ viderentur. Cæterum illud* ים הערבה: *quod nos traduximus mare planitiei cum Chaldæo; interpretatus est Symmachus mare solitudinis, hoc est,* τῆς ἐρήμου, *eumque secutus est Latinus. At LXXII & Aquilas Hebraicam vocem Araba quasi propriam loci appellationem retinuerunt* &c. Exhibeamus veritatem Hebræam cum versionibus, ut inter se possint conponi. Hebræus: ויעמדו המים היורדים מלמעלה קמו נד אחד הרחק מאוד באדם העיר אשר מצד צרתן והירדים על ים הערבה ים המלח תמו נכרתו:
Chaldæus וקמו מיא דנחתין מלעלא קמו רוקבא חד רחיק לחדא מאדם קרתא דבסטר צרתן ודנחתין לימא דמישראֿלימא דמלחא שלימו פסקו: *Et surrexerunt aquæ quæ descendebant desuper utre uno, elongatæ admodum ab Adam urbe, quæ in latere Sarthan: & quæ descendebant in mare planitiei, in mare salis consumptæ sunt, desierunt.* LXX. Καὶ ἔστη τὰ ὕδατα τὰ καταβαίνοντα ἄνωθεν, ἔστη πῆγμα ἕν. ἀφεστηκὸς μακρὰν σφόδρα σφοδρῶς ἕως μέρους Καριαθιαρίμ. Τὸ δὲ καταβαῖνον κατέβη εἰς τὴν θάλασσαν Ἀραβά, θάλασσαν ἁλός, ἕως εἰς τὸ τέλος ἐξέλιπε. Sic habet Romana, at editiones aliæ in

hunc fermè modum: *Καὶ ἔστη τὰ ὕδατα τὰ καταβαίνοντα ἄνωθεν, ἔστη πῆγμα ἓν, ἀφεστηκὸς μακρὰν σφόδρα ἀπὸ Ἀδαμ τῆς πόλεως ἥ ἐστιν ἕως μέρους Σαρθὰμ* &c. Habent fere expressam vocem Adami: nonnullæ legunt *καριαθιαρὶμ* aliæ *σαρθάμ*.

Latina editio: *Steterunt aquæ descendentes in loco uno & ad instar montis intumescentes apparebant procul ab urbe, quæ vocatur Edem usque ad locum Sarthan, quæ autem inferiores erant, in mare solitudinis (quod nunc vocatur mortuum) descenderunt, usque quo omninò deficerent.* Romanam illam editionem, è Vaticana bibliotheca, exprimere illam antiquissimam Alexandrinam, quæ correcta ad Hebræam veritatem non est, collatio allegatorum à patribus ostendit: cæteræ aliæ aliis minus magisque emendationes retinuerunt. Latina etiam sapit in multis locis antiquam illam quæ fuit ante medicam Hieronymi manum. Josephus ita historiam hanc narrat: Deum promisisse Josue se esse procuraturum transitum Jordanis fluentis ejus imminutis. Josue igitur biduum exspectasse, inde copias omnes hoc modo trajecisse: *Προῄεσαν μὲν οἱ ἱερεῖς τὴν κιβωτὸν ἔχοντες. ἔπειτα οἱ λευῖται, τήν τε σκηνὴν καὶ τὰ πρὸς ὑπηρεσίαν τῆς θυσίας κομίζοντες. εἵποντο δὲ τοῖς λευίταις κατὰ φυλὰς ὁ πᾶς ὅμιλος μέσους ἔχων παῖδας καὶ γυναῖκας, καὶ δεδιὼς περὶ αὐτῶν μὴ βιασθεῖεν ὑπὸ τοῦ ῥεύματος. Ὡς δὲ τοῖς ἱερεῦσι πρώτοις ἐμβᾶσιν, πορευτὸς ἔδοξεν ὁ ποταμὸς, τοῦ μὲν βάθους ἐπισχημένου, τοῦ δὲ κάχληκος τῷ μὴ πολὺν εἶναι μηδ' ὀξὺν τὸν ῥοῦν ὥσθ' ὑποφέρειν αὐτὸν τῇ βίᾳ ἐπὶ τοῦ ἐδάφους κειμένου, πάντες ἤδη θαρσαλέως ἐπορεύοντο τὸν ποταμὸν, οἷον αὐτὸν ὁ θεὸς προεῖπε ποιήσειν τοιοῦτον καταμαθόντες.* *Præibant quidem sacerdotes ferentes arcam, deinde Levitæ, portantes tabernaculum, quæque ad ministeria sacrificiorum pertinebant. Sequebantur autem Levitas tributim universa turba medios habens liberos & uxores metuensque de ipsis ne à fluxu vim paterentur: ut autem sacerdotibus primis intrantibus vadabilis visus est fluvius, profundo inhibito, glareaque quod neque multus neque celer fluxus esset, ut ipsam vi auferre posset, in fundo jacente, omnes jam confidenter transibant fluvium, qualem eum promiserat Deus se facturum esse, talem animadvertentes.* Transiit populus ea parte, quæ erat in ortum obversa Hierichunti. Kimchi cum Ralbag putat Adam antiquæ urbis nomen esse vicinæ loco trajectionis: cum prius vicinus esset lapsus Jordanis, tunc procul remotum fuisse retro in cumulum: variam lectionem באדם & מאדם interpretatur ita ut כתיב pertineat ad solitum cursum, קרי ad hoc miraculum. Nempe aquarum plenitudo remotam à ripa urbem attingebat. Andr. Masius comparat hunc transitum Jordanis cum transitu maris Rubri: *In exodo scriptum est, per mare Rubrum Israëlitis iter patuisse, cum excitato ab oriente vento vehementiore ejus aquæ fuissent diductæ atque disjectæ, at hic nulla flantis venti mentio est. Neque enim dividere fluminis undas opus erat, cum cohibitis superioribus inferiores suapte natura dilaberentur. Illic (nondum enim habebatur sacra arca) extenta, quam Deus Mosi dederat, virga, aquas à dextris & sinistris, altis molibus, tanquam fluxæ suæ naturæ oblitas, cogebat consistere & veluti suspendebat; neque dilabi nisi transmisso populo Dei patiebatur; hic sacræ arcæ præsentia solas eas, quæ à dextris erant, sistebat cohibebatque, alteras, cum per se ipsæ cederent per declivem alveum decurrentes, tum celeriore cursu incitatas subito & raptim removebat. Sed utrobique non quæ oculis aspectabilia erant virtutis Dei instrumenta, verum ipsa illius Divina potentia, nobis est considerandæ & grato animo complectenda bonitas, quæ tam benignè nos per illiusceemodi ostenta, ad se admirandum, amandum, colendum; hoc est, nostræ ipsorum felicitati & saluti consulendum, invitat & allicit. Et sane nisi mirificè nostra nos vitiositas occæcaret & quibusvis rebus potius, quam Dei operibus perpendendis judicandisque distringeret; animadverteremus quotidie nihilo illis minora miracula, quæ nos merito ad suspiciendum reverendumque cælestem nostrum parentem inducerent. Ecce enim quotidie suspensas sublime in æthere aquas videmus; nec nisi guttatim destil-*

destillantes: nimirum ut terram fecundent non obruant. Cotidie vastissima mole, mare impetu fremente littus fecit humile; neque id firmum atque solide compactum sed ex arena modo tenuiter leviterque congestum: & tamen tanquam à præsentis Dei numine frenatum, ibi in seipsum reciprocatur, quantumvis furens atque tumultuans, sistiturque. Sed quæ nostra est vesania, facilius ista naturæ ipsi, quam naturæ parenti atque opifici Deo adscribimus. Theodoretus comparat hæc gesta narrataque cum Jesu & Euangelio. Ex hoc miraculo circà Jordanem innotuit primo Josue, ita Jesus noster post Jordanem & susceptum baptisma doctrinæ & miraculorum fecit initium. Sacerdotes, qui portabant arcam, repræsentant Johannem baptistam. Sicut sacerdotibus gestantibus arcam & Iordanem primum ingressis & cum Iesu duce & propheta populus omnis transiit, ita plane postquam Iohannes incepit baptizare & Iesus sanctificavit naturam aquarum, pius populus per sacrosanctum baptisma regnum cælorum ingreditur. Duodecim viros lapidesque repræsentasse chorum Apostolorum, *οἱ γὰρ αὐτοὶ καὶ οἰκοδόμοι καὶ θεμέλιοι.* Notat Theodoretus נד quod LXX. reddunt *πῆγμα*, ab Symmacho verti *ἄσκωμα. ἐπεχομένη γὰρ τῶν ὑδάτων ἡ ῥύμη οἷον ἠσκοῦτο καὶ ἐκορυφοῦτο· παντὸς γὰρ ἀδαμαντίνου τείχους πλεῖον ἐπεῖχεν αὐτὴν ὁ τοῦ δημιουργήσαντος ὅρος.* Existimat Masius hunc ipsum trajectionis locum, ex miraculi memoria dictum esse בית עברה / in quo & Iohannes baptizabat (*Ioh. 1. 18.*) quasi huc digitum intendente Spiritu Dei.

Constiterunt sacerdotes cum arca intra Iordanis alveum donec totus populus transiisset. An in profundiore constiterint alveo, an ad ulteriorem ripam, quæritur? Prius cum Serario Salianus tenet. Nam Scriptura sæpius reperit בתוך הירדן. Et cum populus transiisset, jubentur ascendere è Iordane: erant ergo longius remoti intra Jordanem. Serarius addit congruum fuisse, ut in eo loco arca subsisteret, in quo maximum erat periculum, ut tanto fidentius totus populus pertransiret. Si enim substitisset circa ripam, vereri potuissent timidiores, ne salva arca ipsi in medio alveo, aquis in locum suum recurrentibus, obruerentur. Sic illi pugnant adversus Masium. Hinc deinde colligunt latitudinem Jordanis, cum 2000. cubitorum progressi sint antequam populus intraret, & tamen in medio erant. Bonfrerius observat bis substitisse sacerdotes, primo cum ingressi essent profluentem, ut scilicet aquæ cum mora aliqua scinderentur, recurrerent & dilaberentur, iterum cum populus transiret. Nam v. 8. Josue dicit, ubi ad extremas aquas veneritis subsistite in Iordane. Et v. 2. Cum plantæ in aqua Iordanis conquieverint. Masius observat in textu dici, *donec transiisset omnis gens*, כל הגוי. Significari enim, quod Deus patientissimè exspectaverit & aquas inhibuerit donec omnes trajecissent, etiam ad vilissimum quemque de plebe. *Hoc enim* inquit, *τὸ* גוי *hoc est gentis vocabulum significat, quod alioqui haud temere de Israëlitis solet dici.* Sic aliquot horas consumptas esse oportet, dum populus præterit arcam consistentem cum sacerdotibus & trajicit in adversam ripam. ubi primi ultimos & arcam exspectarunt priusquam Galgala progrederentur. Mirum autem Cananæos ripam non munisse castellis & armatis militibus, sed eos terror à Deo continebat. Salianus subjicit: *Habes hoc miraculum posterioribus seculis renovatum, anno à Christi ortu 589. cum Athesis Veronæ exundavit & templum S. Zenonis apertis januis intrare nequivit licet aqua ad tectum ascenderet & inclusi ex eadem aqua ad bibendum acciperent.* Verum est, quod ita referat Gregorius Magnus dialogorum lib. 3. cap. 19. sed ex relatione Iohannis tribuni, penes quem fides sit. Certe illa miracula, quæ istis temporibus edita esse narrantur, si vera essent magnitudine & multitudine Ecclesiæ primam dedicationem, quam prophetæ celebrant,

brant, superatura & obscuratura essent. Ad insaniam usque mentiendi libidine homines laborabant, ac si fabulis Christiana veritas ornari posset. Audiamus tamen Gregorium: *Huic tam antiquo miraculo* (de tribus pueris in camino servatis) *diebus nostris res simul* (leg. similis) *ex contrario evenit elemento. Nam nuper Ioannes tribunus relatione sua me docuit quod Pronulfus comes cum illic adesset, se cum rege Autharico eo tempore in loco eodem, ubi mira res contigit, affuisse, eamque rem cognovisse testatus est. Prædictus etenim tribunus narravit dicens: Quia ante hoc fere quinquennium quando apud hanc Romanam urbem alveum suum Tiberis egressus esset, tantum crescens, ut ejus unda super muros influeret, atque inde jam maximas regiones occuparet, apud Veronensem urbem fluvius Athesis excrescens, ad beati Zenonis martyris atque pontificis Ecclesiam venit. Cujus Ecclesiæ dum essent januæ apertæ, aqua in eam minimè intravit. Quæ paulisper crescens usque ad fenestras Ecclesiæ quæ erant tectis proximæ, pervenit, sicque stans aqua Ecclesiæ januam clausit, ac si illud elementum liquidum in soliditatem parietis fuisset mutatum. Cumque essent multi inventi interius, sed & aquarum multitudine omni Ecclesia circundata, qua possent egredi, non haberent, ibi se siti ac fame deficere formidarent, ad Ecclesiæ januam veniebant, ad bibendum. Hauriebant aquam, quæ ut prædixi, usque ad fenestras excreverat, & tamen intra Ecclesiam nullo modo diffluebat. Hauriri itaque ut aqua poterat, sed diffluere ut aqua non poterat. Stans autem ante januam ad ostendendum, cunctis meritum martyris & aqua erat ad adjutorium & quasi aqua non erat ad invadendum locum. Quod ego antiquo antedicti ignis miraculo verè prædixi non fuisse dissimile, qui trium puerorum & vestimenta non contigit, & vincula incendit.*

Cap. IV.

CUm universus populus trajecisset, mandato Domini Iosue duodecim illis viris, quos ediderat populus, præcepit ut singuli lapidem è loco, ubi consistebant sacerdotes, tollerent in humeros, portarentque in mansionem ubi proxima nocte Israëlitæ quieturi erant. Id factum: compositi lapides, monumento transitus miraculosi ad posteros. Alii lapides eodem numero digesti sunt (ab ipso Iosue, ut videtur) eo in loco, ubi constiterant sacerdotes in medio Iordanis alveo. Eos scriptor libri Iosue suo tempore dicit ita fuisse. Cum populus universus trajecisset, præcedentibus in primo agmine Rubenitis, Gaditis & dimidia tribu Manassis, ad delecta quadraginta millia armatorum instructorumque ad pugnam, jussu Iosue (quem Deus alloquebatur) sacerdotes ascendere cum arca. Quam primum autem pedem in siccum intulissent, aquæ Iordanis solito cursus modo restituebantur. Galgalis consedit populus & illic Iosue duodecim illos lapides composuit in cumulum, monuitque populum ut hoc monumento rei memoriam fidemque posteris traderent. Hæc summa est capitis quarti.

Inprimis difficilis in hoc capite locus est, qui habetur v. 10. *Sacerdotes portantes arcam consistebant in medio Iordanis, donec omnia complerentur, quæ Dominus Iosue præceperat ut loqueretur ad populum secundum omnia, quæ Moses Iosue præceperat.* Lyranus: *Dicunt Hebræi, quod transito Iordane non statim iverunt in Galgala, sed prius iverunt in montem Hebal & ibi portaverunt illos XII. lapides & lævigaverunt eos calce, & scripserunt super eos mandata legis & fecerunt benedictiones & maledictiones solenniter, & de lapidibus illis fecerunt altare, & super illo obtulerunt hostias, & in sero venerunt in Galgala, ubi metati sunt castra, apportantes ibi lapides prædictos, ut manerent ibi pro signo transitus Iordanis miraculosi, & ad hoc allegant, quod prædictum est in hoc cap. donec omnia complerentur, quæ Iosue, ut loqueretur ad populum, præceperat*

perat Dominus, ut dixerat ei Moyses. Moyses autem dixerat, quod transito Iordane lævigarent lapides calce, & scriberent ibi legem, & ponerent benedictiones supra montem Garizin & maledictiones supra montem Hebal, ut habetur Deut. XXVII. sed hoc videtur fallere, tum quià tot & tanta non possent fieri una die, utpote transitus Iordanis, maximè tantæ multitudinis progressus ad montem Hebal & Garizi, qui locus satis plus distat à Iordane quam civitas Hiericho, solennitas benedictionum & maledictionum, descriptio legis supra lapides & immolatio hostiarum, & idem progressus ad Galgal locum, tum quia videtur contradicere ei, quod dicitur infrà VIII. cap. Post destructionem Hiericho & Hai; tunc ædificavit Josue altare Domino in monte Hebal, &c. *ubi subditur de descriptione legis supra lapides, & benedictionibus & maledictionibus: Tum quià repugnat ei quod dicitur Deut. XXVII. ubi dicitur de lapidibus, in quibus scribenda erat lex*, Eriges ingentes lapides *&c. Lapides autem isti non fuerunt tales, quià singuli homines portabant singulos lapides usque ad locum castrorum, ut dicitur in principio hujus cap. Item littera hujus cap. quam per se allegant magis est oppositum, quià ibi dicitur:* Sacerdotes autem, qui portabant arcam stabant in Jordanis medio, donec omnia complerent, quæ Iosue, ut loqueretur ad populum, præceperat Dominus, ut dixerat ei Moyses. *Si ergò istud dictum Moysi intelligitur de descriptione legis supra lapides, & benedictionibus & maledictionibus, sequitur quod sacerdotes steterunt in medio Iordanis cum arcâ, quousque omnia prædicta fuerunt completa, & tunc arca non præcessisset populum in progressu prædicto, cujus contrarium dicitur in hoc cap. Similiter arca & sacerdotes non fuissent præsentes, quando benedictiones & maledictiones solennizatæ fuerunt in monte Hebal & monte Garizim, cujus contrarium docetur infra VII. cap. Et ideo quod supra dicitur:* Donec complerentur *&c. sequitur:* quæ Dominus præceperat ut Moyses dixerat: *intelligitur de transitu Iordanis & de portatione XII. lapidum usque ad locum ubi manserunt sequenti nocte, & de portatione XII. lapidum aliorum intra Iordanis alveum. Præceperat enim ista Dominus & Moyses: Et dixerat Iosue saltem in parte, scilicet quantum ad Iordanis transitum; & non intelligitur de aliis quæ posteà fuerunt facta.* Hactenus Lyranus. LXX. non habent ea verba, *quæ præceperat Moses.* Rasi cum suis majoribus ita sentit, quem refutat Lyranus. Nam ita de lapidibus ex Iordane tollendis loquitur Rasi: *Secundum præceptum Mose, ut ædificarent aram ex illis in monte Ebal & ut scriberent in illis verba legis. Eodem illo die venerunt in montem Ebal & ædificarunt ex illis aram & obtulerunt holocausta & pacifica & ederunt & biberunt: complicarunt ea & venerunt & pernoctarunt in Galgal.* Thalmud ea habet in tractatu Sota cap. 7. Kimchi in hæc verba: Quæ præceperat Deus Iosue] *Sicut scriptum superius.* Secundum omnia quæ præceperat Moses Iosue] *ut scriptum in lege* (Deut. 27. 12.) Et erit in die, quo transibitis Iordanem. Masius verba illa tantum generalem monitionem Mosis innuere putat, qua voluit ut verbis diligens præstaret obsequium.

II. v. 11. dicitur: *Eo transiit arca Domini & sacerdotes ante populum.* לפני העם] Kimchi: *Sensus: Arca & sacerdotes qui erant ante populum, antequam absolvissent transire, transierunt postquam transiit populus. Aut sensus, cum absolvisset populus transire exspectavit in ripa Iordanis, donec transiret arca & iret ante populum & iverunt post eam. Aut erit sensus,* לפני העם *in oculis populi. At magistri nostri b. m. exponunt de re post universam hanc rem. Et exponunt verba* (cap. 3. v. 8.) usque ad terminum aquarum Jordanis in Iordane stabitis, *termino, à quo ingredientur. Et illic steterunt sacerdotes & populus, donec transiit populus. Et exponunt* (cap. 4. v. 18.) translatæ erant plantæ sacerdotum

in siccum. In siccum, *quod à labore eorum. Et hic ripa, è qua ingressi erant. Et redierunt retrorsum in siccum. Et hoc est quod dicitur* (Et ascenderunt è Jordane) *quia ascenderunt è Iordane in ripam, ut redirent aquæ in locum suum, antequam transiret arca: ut ostenderet ipsis signum aliud. Erant arca & sacerdotes in latere uno & Israël in latere uno & Iordanes plenus inter eos. Portavit arca portatores suos & transiit* Q. D. Et transiit arca Domini ante populum. *At ego miror, quid opus fuerit hac dras ad hos versus. Nam exposuimus jam illa omnia juxta sententiam nostram: etiamsi esset secundum verba eorum expositio* (extremitas aquarum Jordanis) *in ripa è qua ingressi erant, quum absolvisset totus populus transire, transiit arca post eos in sicco; & quum translatæ essent plantæ pedum sacerdotum in siccum à latere secundo reversæ sunt aquæ in locum suum: & ubi viderunt, quod arca fuerit è latere isto & Israël è latere isto & quid opus portare arcam suas portatores & transire? Et si fuisset signum secundum hoc, nonne fuisset expositura scriptura suos portatores supra aquas? Etiam ille, qui exponit verba juxta suum simplicem sensum, exponens* (usque terminum aquarum Jordanis) *terminum è quo egressi sunt, sicut nos exposuimus, exponit arcam à latere hoc & Israël à latere hoc quia omnes fuerunt à ripa, è qua egressi sunt nisi expositio è latere hoc sit, quod arca fuerit super ripa Iordanis & Israël fuerit ante eam longe remoti & hoc tanquam è latere altero. Si ita sit arca quæ fuit post populum, quomodo de ea dicitur,* Et transiit in conspectu populi? *Sed tulit arca portatores suos & transiit in conspectu populi. Quamvis sic* (quod transierit ante eos) *quis coëgit eos ad hoc signum? Nunquid durum est exponere quod exspectaverit eam Israël donec transiret ante eos; ut exposuimus? aut expositio,* (in conspectu populi) *erit ad oculos populi* sicut exposuimus. *At illi qui dixerunt, noverunt id quod dixerunt: quia mens eorum lata erat præ mente nostra* כי דעתם רחבה מדעתנו. Miser Judæus quod videt è textu erui non posse, imo vim facere textui, non audet rejicere, quia sic majores sui senserunt & interpretati sunt.

III. Lapides duodecim qui in Jordane compositi sunt non fuerunt è ripa aut sicco illati, sed in ipso Jordane inveniebantur: alioquin enim deputati fuissent qui inferrent. Cumulus iste potuit manere de veteri miraculo. Fuerunt erecti in loco stationis sacerdotum non ubi ipsæ plantæ constiterant, ipsis vestigiis circumscripto, cumulo aut ordine alio, sed verba accipienda sunt, commodo sensu. Magalianus apud Salianum: *Et quidem hodie,* inquit, *quando Iordanis castigato alveo labitur in mare si duodecim lapides distincte conspiciuntur. Interdum vero, defluentibus è Libano nivibus resolutis, ita occultantur ut tamen è propinquo appareant. De his duodecim lapidibus locutum fuisse baptistam, asserunt doctores, dum ait, Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Quod credibile est, cum & lapides insignes essent & Iohannes ibi baptizaret. Quæ confirmat* (inquit Salianus) *Rupertus, Adrichomius in Benjamin & Vitriacus aliique.* Masius in ipsa ora Jordanis positos esse istos putat lapides, ut plurima anni parte essent aspectabiles. Augustinus sermone 160. de tempore arbitratur in Jordane esse sepultos in baptismi figuram.

IV. Alii lapides Galgalis positi. Ad hoc à populo delecti duodecim viri, ad voluntatem jussumque Josue, de futuro transitu & miraculo concionantis. Masius: *Cur autem suus cuique tribui lapis statueretur, non est obscurum, suum enim quamque tribum statuere trophæum de superato mirabiliter flumine erat utile, ut unaquæque ad suos posteros rei memoriam, tanto certius posset propagare. Ad hoc erat illud monumentum, quasi scriptura quædam, qua tribus omnes & singulæ hæredes terræ Chananææ scribebantur à Deo aut si mavis singuli lapides tanquam Divinæ istiusmodi scripturæ sigilla. Qua ratione Moses quoque cum sacras leges Divinitus in monte Sinæo accepisset; conscriptasque jam populo recitaret atque imponeret, duodecim statuebat*

bat saxa quibus scilicet, quasi sigillis, tribus singulæ leges illas obsignabant, comprobabant, sanciebant & tanquam jurabant in ipsas. Quanquam enim duabus tribubus & dimidiæ sua hæreditas obvenisset ultrò Iordanem: tamen sicut eadem una omnium tribuum communis manebat religio ita & hæreditatis quoque communicatio atque societas minimè per interlabentem fluvium interrupta censeri debebat. Quis enim unquam existimavit illas tribus promissionum Divinarum fructu prorsus caruisse, quæ promissiones Cananææ hæreditatem electo populo pollicebantur? Tertullianus opinatus est lapides istos in ipsa arca fœderis conservatos esse. Nam ita loquitur lib 4. contra Marcionem: Et duodecim lapides ab Jesu de Jordane lectos & in arcam testamenti conditos deprehendo: totidem enim apostoli portendebantur. R. Levi Ben Gerson lapides illos ideò Galgalis statutos esse dicit, quia illic fuit tabernaculum. Pergit: *Ecce apparet, quod non sint positi lapides illi ante testimonium sicut urna mannæ & virga Aaronis ob duas causas. Prima quod non fiat mentio ejus in hoc loco: sed meminit quod eos Iosue posuerit in Galgal. Secunda quod oportet esse discrimen magnum inter prodigia Mosis & prodigium alterius* (וזולתו) *ut memoratum est in fine legis. Propterea non conveniebat, ut sociarentur hæ res, quæ erant memoriale his prodigiis in loco eodem* (עם שאין) *Præterquam quod hi lapides opus haberent capaci loco nec posset eos capere hic locus. Porrò quod magnum discrimen inter urnam Man & virgam Aharonis, atque hos lapides. Quia in urna mannæ fuit prodigium perpetuum; cum fuisset liquefactum æstu solis, superfuerint & steterit longo tempore isto. Et sic fuit res in virga Aharonis cum amygdalis, quæ maturabat. Et illæ res etiam erant id in quo in se prodigium faciebat: at profectò lapides ipsi per se non fuerunt è genere miraculorum nec in illis miraculum factum est, sed erant causa ut in memoria esset res hujus miraculi, sicut refertur in hoc loco. Ideo etiam satis erat quod essent in loco, ubi erat tabernaculum: quia illic conveniebant universim Israëlitæ tribus vicibus annuatim & commonefaciebant eos illi lapides de re hujus prodigii in seculum. Propterea non dicit in hoc loco, quod statuerit Iosue illos lapides ante Deum, sed dicit quod statuerit eos in Galgal. Quia satis erat in memoriam revocare hoc miraculum isto modo. Et ex hoc loco apparet, quod hi lapides fuerint semper in loco communi toti Israëli, ut essent memoriale perpetuum omnibus, ut hic memoratur.* Hactenus Ralbag qui in consequentibus docet Adar fuisse plenum in quo mortuus est Moses, quia septimi diei vespera in mense sequenti proclamatum est de transitu Jordanis post triduum. Nono die cum ad Jordanem venissent in ripa pernoctarunt, transitus factus est decimo die. Si Adar fuisset 29. dierum id est cavus oportuisset Mosem sexto die obiisse. Hoc quidem ita si certum esset Mosem septimo Adar mortuum esse. De lapidibus autem istis, ut eo revertar, ita Masius. *Ego vero quia statuisse eos imperatór memoratur in Galgalis non apud sacrarium Dei, puto esse vero simillimum in Galgalis positos mansisse, ut loco & celeberrimo & flumini vicino, ad quod illa maximæ admirabilitatis res, cujus ipsi memoriam conservare debebant, patrata à Deo fuerat. Et verò divus Hieronymus in epitaphio Paullæ dicere videtur, eos etiam tum in Galgalis visi solere.* Seder olam Rabba cap. XI. *Et posuerunt illos* (lapides) *in Galgal in termino orientis Iericho; postquam ascendissent è Iordane venerunt ad montem Garizim & ad montem Ebal qua in Somron, quæ in latere Sichem, quæ apud Elonè More,* Q. D. (Deut. XI. 30.) Nonne sunt trans Jordanem post viam à solis occasu &c. *Dicebat Israël benedictiones & maledictiones: & disposuerunt eos ordine, sicut præceperat eis dicendo,* (v. 3.) Tollite vobis inde è medio Jordanis è statione pedum sacerdotum, parando duodecim lapides & transferetis eos vobiscum &c. *Et duodecim illos lapides quos sumpserant è Iordane, statuit Iosue in Galgal & obleverunt eos calce & scripserunt super eis legem septuaginta linguis,* Q. D. (Deut. 27. 8.) Et scribes super eis omnia verba legis hujus bene exprimendo: *Et mactarunt pacifica & comederunt illic,* Q. D. (Ibid. v. 7.) offeres pacifica &

edes illic &c. Quod Moses de monte Ebal & Garizim præcepit, factum est cap. 8. Volunt igitur de illis lapidibus structam esse aram in Ebal, Josephus etiam de illis aram conditam esse inque eo immolatum; non tamen in Ebal, sed in Galgalis; quem locum quinquaginta stadiis à Jordane decem ab urbe Hierichunte discriminatum fuisse tradit. Aram illam fuisse τεκμήριον τῆς ἀνακοπῆς τοῦ ῥεύματος.

Cap. V.

Cum reges Amorrhæorum Jordani finitimi id est, orientales & Chananæorum (Φοίνικες LXX) qui ad mare mediterraneum mirabilem Jordanis transitum, quem Deus Israelitis aperuerat, audivissent, terror omnes occupavit horrorque. Unde nemo illis obviam ivit, aut arma objecit. *Instantes autem adversarii* (ut ait Vegetius) *ad transitus fluminum insidias vel superventus facere consuerunt:* Sic

Bella cient primaque vetant consistere arena.

Licuit illis non tantum castra ponere sed & habere, ita ut circumcisionem subire potuerint, sine ullo motu aut metu: quamvis in conspectu munitissimæ & opulentissimæ urbis considerent. Dum circumcisio recens erat & dolore urgebat, incommodum fuisset certare cum hostibus.

Quia instabat tempus Paschatis, quod in solitudine post discessum à monte Sinai celebratum non erat, quia & circumcisio neglecta, Deus undecimo die Nisan (ut Seder olam loquitur, alii adhuc ipso die decimo) Josue compellat, jubens populum circumcidi. Notandum hic primò, quæ ratio, quod populi circumcisio hactenus neglecta fuerit? Secundo, Quid sit secundò circumcidi? Tertiò, Quo metalli genere instrumentum circumcisionis constiterit? &c. De primo disserit Masius: *Equidem existimo, eam omissæ circumcisionis veram esse causam quæ vulgò afferri solet, nempe quià ad Dei nutum, quem nube mota ipse annuebat, proficiscendum continuo esset, nullius certæ quietis spe. Atque hanc caussam opinor ipsi quoque Deo probatam sit fuisse, ut in crimine illis non poneret præputium. Nec enim posuisse memorat usquam historia sacra. Neque verò illi negligebant circumcisionem sed profectionis continua necessitate ab ea excludebantur: retinebantque interim circumcidendi propositum, cum prima oportunitate data. Ad hoc: quod filii non circumciderentur, pœnæ species fuisse videtur, qua Deus non tam ipsos plectebat filios, quam impiorum parentum urebat animos; cum viderent liberos suos sacrosancti federis symbolo carere. Huc enim, mihi certè, videntur spectare illa in Numeris Dei verba, cum dicit:* Vestra ipsorum corpora cadent per desertum istud. Filii vero vestri erant pastores in deserto annis quadraginta, & ferent pœnam defectionis vestræ, tantisper dum vos consumpti fueritis in deserto, *q. d. Quia abdicastis vos à mea familia per rebellionem, filii quoque vestri adoptionis notâ carebunt, quam diu vos in vivis eritis. Quin ipsum etiam Pascha, non minus severa rigidaque lege mandatum, atque circumcisio, ut statuto die cotannis celebraretur ab omnibus, differre tamen licuisse, itineris faciendi causa, respondit ipsum Dei oraculum, à Mose consultum. Sed objiciet nobis Mosen quispiam, qui in vitæ periculum incidit, cum filium non circumcidisset per iter, & quidem non ejus ipsius voluntate, sed Dei jussu institutum, atque susceptum. Atqui dudum ante oportebat circumcisum esse à Mose filium, quam iter illud invaderet. Neque enim tum natus ei recens fuerat Eleazarus, ut videtur. Et ut fuerit ille non ante dies octo editus; certe nulla Mosen Deus festinatione usque adeò*

urgebat, ut non posset vel triduum circumcidendo curandoque infanti dare, cum esset absurdissimum Legislatorem atque Imperatorem populi futurum, ne in exigua quidem familia sua Divinæ religionis jura coluisse. Sed quid opus multis? Ipsa verba sacra, cum quoties ferè omissæ circumcisionis, toties & itineris faciant mentionem, satis apertè causam videntur attribuere continuæ profectioni. Neque verò dubitans dixerim; in stativis illis ad montem Sinaum; in quibus, cum ob legem divinitus accipiendam, tum ab construendum sacrarium Dei & tabernaculum, fuit morandum diu; ut pascha de more agitarunt Israëlitæ, ità & circumcidisse quoque suos liberos, quotquot vel illis quadraginta septem diebus, quibus ex Ægypto illuc pervenerant, vel intereà dum inibi hærerent, fuerant editi in lucem. Illa verò verba, quæ memorant, neminem fuisse circumcisum inter proficiscendum ab Ægypto per desertum, præcise accipienda esse de ea profectione quam auspicati sunt die vicesimo mensis secundi, anno eo qui ipsis fuit à libertate adeptâ secundus; cum monte Sinæo relicto ad nubis momentum sunt profecti ulterius. *Quanquam alioqui illud,* inter proficiscendum; *& rursus illud,* in itinere, *non patiuntur sane ista verba cum nostra sententia pugnare. Nam quod in stativis est actum, neque inter proficiscendum, neque in itinere actum censeri debet. Dignum profectò Talmudicis; hoc est, ad tractandas litteras sacras absurdissimis hominibus, est commentum, quod tractatione de jure Leviri scriptum ipsi reliquerunt. Per omnes illos quadraginta annos non spirasse boream, ventum nubibus inimicum; ne illa sanctuario familiaris dissiparetur scilicet atque ideo abstinuisse Israëlitas à circumcisione; cum eum ventum sibi putent observandum, ut qui plagis medeatur. Sed nugacissimas istas nugas silentio tegerem, nisi R. David Kimhi benè multis verbis eas esset persecutus, cujus commentarii sunt in omnium manibus, putavi enim locum esse indicandum ex quo ille tam præclaram doctrinam scilicet accepisset. Posset fortassis suspicari quispiam, homines præfractæ cervicis; postquam per flagitiosum illud rebellium, quo, auditis speculatoribus, reditum in Ægyptum fuerant moliti, indignos se promissis Dei fecissent; atque propalam ab eo judicati damnatique fuissent; præ impietatis obstinatione, sanctum illud fœderis divini monimentum, cum sibi deinde prodesse non posset, etiam posteris suis invidisse; ideòque eos non circumcidisse. Sed profectò ea immanior fuit pravitas, quam quæ in populo Dei tam diu hæsisse existimari debeat. Et, ut ante dixi, filiorum præputium dolori illis, non voluptati fuisse videtur. Ad hoc, scelerati parentes illi ante transmissum torrentem Zared perierant omnes; & tamen neque suos liberos postmodum natos circumciderunt illi; quantum certe sacra verba præ se ferunt; qui minores, aut certè non majores annis duodeviginti Ægyptum cum reliquissent, neque rebellionis scelere obligati, neque à Deo damnati fuerant, nisi nunc demum per otium in Chananæa. Sunt quidem magnæ apud me auctoritatis scriptores, qui statuunt circumcisione opus non fuisse, quamdiu solitudo ipsa populum Hebræum ab aliis populis satis secernebat. Sed mihi sanè probari id non potest; qui persuasum habeo, ponendi præputii insigne, non solum ad segregandum populum selectum à reliquis gentibus, inter quas versaretur, institutum à Deo fuisse, in prisca illa Hebræorum ecclesiâ; ut neque sacri Baptismi ritum in nostra: verùm in primis, ut corruptæ depravataque ab ipsa origine hominum naturæ mysterium, simul & expiatio esset: moneretque, opus esse ad salutem alio divino quodam nascendi modo, quem regenerationem vocant sacrarum rerum scriptores. Deinde verò ut gratiæ divinæ, sacræque professionis & religionis probæ esset signum, quo adoptatus gratis à Deo ad cœleste regnum peculiaris populus; ab aliis dignosceretur nationibus. Sed sunt ista alterius loci.* In Thalmudico tractatu Jebamoth cap. 8. causa illa neglectæ circumcisionis refertur, quam meminit Masius. Ita habetur fol. 91. b. *In deserto cur non sit facta circumcisio si quæras, dicam propter fatigationem itineris*

 Et

Et si quæras dicam, quia non flabat ventus septentrionatis. Traditum enim est: Omnibus illis quadraginta annis, quibus Israël fuit in deserto non flabat ipsis ventus septentrionalis. Cur? Si quæras, dicam, quia culpabiles erant: Et si quæras dicam, Ne dispergerentur nubes gloriæ. Dicebat Rab Papa, Iccirco in die nubis & die venti australis non circumcidimus neque secamus venam & de hoc tempore commentantur, subtiliter exponunt de eo multi (Pſ. CXVI. 6.) Custodit simplices Deus. *Tradiderunt magistri: Omnibus illis quadraginta annis, quibus fuerunt Israëlitæ in solitudine, nullus fuit dies, in quo non flaverit ventus septentrionalis in medio noctis Q. D.* (Exod. XII.) Et fuit in medio noctis & Dominus percussit primogenitum &c. *Quid docet? Ecce facit nos audire sententiam beneplaciti circumcisionis.* Id est quo tempore velit circumcisionem fieri. Hanc igitur causam esse volunt omissæ circumcisionis in deserto, ob culpam, qua se implicuerant ob vitulum aut exploratores, quasi indigni essent, qui fœdus Dei tractarent. Deinde etiam molestiam itineris & continuas jactationes circumcisionem impediisse. Textus v. 5. 6. 7. *Nam universus populus qui egrediebatur ex Ægypto circumcisus erat, sed omnis populus natus in deserto in via postquam Ægypto exierant non erat circumcisus. Nam Israëlitæ ambulabant in* solitudine, donec periisset universus populus militum, qui Ægypto exierant, qui non obedierant voci Domini: quibus Dominus juraverat, quod eis non est ostensurus terram, quam juraverat *patribus eorum* se daturum esse nobis; terram fluentem lacte & melle. Sed eorum filios in eorum locum substituit: eos Josue circumcidit, quia præputium habebant: Nam non circumciderant eos in via. Fuit igitur (ut textus videtur dicere) excusatio quædam ob itinerum molestias atque incertum profectionum indicandarum divinitus: item quia nondum ingressi erant in terram Canaan. Differri potuit circumcisio ob ægritudinem infantuli & alias causas similiter fonticas. Porro, cum Deus ipsis terræ hujus privasset proprietate, qua Divinæ promissionis in fœdere symbolum erat, etiam non administrarunt fœderis sigillum. Addimus, quod plerique fuerint idololatræ & diis servierunt gentium in deserto. Amos 5. v. 25. 26. Non quidem publice sed in occulto quidam è populo: & cum palam Deum viderentur sectari, animis tamen abjecti erant ad idola, quæ in propatulo collocare vetabat metus Mosis & judiciorum. Proinde quod parum diligebant, cum non urgerentur, facile neglexerunt. Publice autem non urgebat Moses, quia Pascha celebrare non debuerunt ante ingressum in terram promissam, ubi manipulus offerendus altero die.

Iterum eos circumcidisse dicitur שֵׁנִית. Quidam eosdem bis esse circumcisos putant sc. Hebræi & Anabaptistæ, sed diverse. Anabaptistæ baptismum iterari volunt, & Judæos eosdam circumcisos esse secundo. Putant Hebræi quidam perfectam nunc circumcisionem à Josue administrari cum semiplena tradita esset Abrahamo. Nam non tantum solent circumcidere sed lacerare pelliculam. Quam lacerationem appellant פריעת מילה. In Ægypto & circumcisos esse & denudatos esse patres sed qui in deserto nati essent, non fuisse denudatos. Fuisse circumcisos quia potuerunt edere שלמים & carnem desideratam. Hic respondetur ab aliis משוכים / qui sibi attraxerant præputia, ex lege poterant edere sanctum, Rabbini vetuere. Hos autem pro præputiatis reputari. Proindè etiam præputiatos illos, qui in Ægypto nati erant, edere potuisse. Hæc fuse disputantur in illo loco Jebamoth. Kimchi exponit in hunc modum: *Redi iterato & sæpius in castra ad circumcidendum & præcipiendum ipsis, ut circumcidantur. Et quod dicit* שוב מל *non dicit semel aut iterum tantum sed multoties donec perfecta esset res. Et sic* (Pſ. 23. 6.) Et redibo in Domum Dei, *(id est revertar illuc jugiter)* omnibns diebus vitæ meæ. *Et sic quod dicit* שנית *non significat*

significat simpliciter semel atque iterum, sed sæpe iterando, donec res perfecta esset. Et *sic* (Prov. 26. 11.) iterat (שונה) stultus stultitiam suam; *non semel atque iterum tantummodo sed sæpe iterando: Et sic* (Prov. 24. 21.) Ne misceas te cum iterantibus, *qui redeunt multoties seu continuò ad improbitatem suam. Quidam è magistris nostris b. m. dicunt, quod dixerit* שנית *de* פריעה (*denudatione*) *quia non est Abrahamo patri nostro data denudatio circumcisionis. Et propellunt verba sua hæc & dicunt quod secundò significet propter alas impedientes circumcisionem, quia admonuit eum, ut rediret super ipsos secundò, & appareret, quod benè circumcisi essent.* Sed nudatio circumcisionis data est Abrahamo patri nostro. Nam sic dicitur in Bresith Rabba: אברהם אבינו פרע את מילתו. Solennem hic totius populi circumcisionem intelligi patet, quæ opponitur alii tanquam secunda. Hic quidam dicunt ad Abraham respici, qui universam domum circumcidit Gen. 17. alii volunt in Ægypto per Mosem factam esse circumcisionem, eadem illa nocte, qua egressi. Rasi: *Quia circumcisi sunt olim in nocte egressus sui ex Ægypto magna congregatio simul, & hæc est secunda, quia totis quadraginta annis* &c. At magistri nostri שנית hæc est denudatio circumcisionis, quæ non est data Abrahamo. Masius existimat à Mose circumcisionem esse institutam ad Sinai eorum, qui in itinere ex Ægypto eo usque nati erant. Lyranus impugnat circumcisionem in nocte exitus his argumentis. I. Non habet autoritatem è Scriptura. II. Imminebat itineris labor Ægyptiis eos cogentibus exire. III. Non habuerunt tempus fermentandi, multo minus circumcidendi. Ideò putat ad Abrahamum respici.

Mandat Deus ut accipiat חרבות צורים. Id Chaldæus exponit חריפין. Hoc accipit Rasi, item Kimchi & Ralbag: itemque cæteri Judæi ut significet *acutas machæras.* At Ralbag vult fuisse ex ære. In Genesi magna גלבין דטינרי, sicut etiam Onkelos Exod. 4. convertit טינרא. LXX. *μαχαίρας πετρίνας ἐκ πέτρας ἀκροτόμου.* Vulg. cultros lapideos. Syrus in Anglicanis Biblus ܣܟܝ̈ܢܐ ܕܟܐܦܐ Arabs سكاكين من صفوان صما *cultris è saxo duro.* His assentimur sed levis est illa allusio ad Christum petram nostram.

Josue non admovit manum circumcisioni nisi suorum domesticorum, si qui non fuere circumcisi: sed illius sub cura & inspectione res acta est. Princeps in populo erat, ad utriusque tabulæ custodiam. Quæras fortasse, quid factum illis sit, qui in regione ultra Jordanem remansere? Credibile est supra septuaginta virorum millia, qui remanserant, circumcisos esse imperio Josue & Pascha celebrasse Galgalis: an dicemus postea, cum sui domum rediissent, illic institutam esse circumcisionem? Nam enim putamus jam ante circumcisos esse, quia possidebant terræ hæreditatem. Imperium Dei & Josue putamus exspectatum esse.

Cum omnes jam circumcisi essent, eodem in loco, Galgalis, manserunt universæ copiæ, donec sanarentur. Sed & post sanationem, donec Deus jussit ad bellandum exire. Dixit Dominus ad Josue, (גלותי) removi à nobis hodie (חרפת מצרים) opprobrium Ægypti. Hinc loco nomen. Kimchi: *Quia egressi erant patres ex Ægypto & filii eorum erant præputiati, ut Ægyptii. Præputium est* חרפה *sicut* (Gen. 34. 14.) Quia id nobis opprobrium est. Hæc est simplicissima interpretatio alias, maximè nugas Judæorum hic non moramur.

Dum hic morantur Pascha celebrarunt legitimo die. Edere cœperunt de terræ frugibus, cessavit Man, quod ipsis Deus totis quadraginta annis subministraverat. Josephus: *Τότε γὰρ σῖτον ἀκμάζοντα ἤδη τῆς Χαναναίων ἐθέριζον καὶ τὰ λοιπὰ λείαν ἦγον.* Textus habet: *Et ederunt* מעבור הארץ *à crastino paschæ,* מצות *in ipso illo die.* Et cessavit Man à crastino in edere ipsos è proventu terræ &c.

&c. LXX: *Καὶ ἐφάγοσαν ἀπὸ σίτου τῆς γῆς ἄζυμα καὶ νέα. ἐν ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ ἐξέλιπε τὸ μάννα μετὰ τὸ βεβρωκέναι.* Diserte significat Hebræa veritas cœpisse ipsos edere crastino Paschæ, id est decimo sexto die Nisan & hinc cessasse Man. Eo ipso die defecerat. Quo die Deo obtulerunt manipulum primitiarum. Atque ita Azyma & novas fruges habuerunt è proventu Cananææ. Consecratus est terræ proventus illo manipulo & sic immissi sunt in possessionem, dehinc cessante Manna, quæ præluserat. Qui in Transjordanensi erant, quod habuerint Mannam postquam separati à castris Israël, non putaverim. Ineptiis suis hic etiam Judæi ludunt, qui quadraginta annis, quibus usi sunt manna, unum mensem defecisse notant & tamen pro plenis haberi quod in eduliis ex Ægypto elatis sapor mannæ fuerit. In morte Mosis defecisse volunt & nubem & aquam è Petra & mannam, cæterum asservatam in vasis mannam usque ad hunc diem suppetivisse.

Post Pascha peractum aut ea ipsa septimana Josué oblata est visio. Dicitur fuisse in Jericho ideo putant in prophetia aut animi meditatione quidam evenisse; sed res fuit & præpositio *in* significat *apud.* Cum (versus Hierichuntem forte) oculos attolleret vidit virum cum stricto gladio. Quem cum rogaret, nosterne es an hostium, respondet: Sum dux copiarum Domini, qui huc veni. Josue igitur prolapsus in faciem, Quid, inquit, loquitur Dominus meus ad servum suum? Cui ille nihil nisi: Exue calceos à pedibus: nam terra, cui insistis, sancta est. Id factum est à Josue. Visum hoc nihil aliud voluit, quam Dei filium, qui Ecclesiæ suæ præest, imperatorem confirmare, & felicem illi successum promittere rerum gladio gerendarum.

Rupertus: *Vnicuique juxta sequentium rerum proprietatem figuras vel formas competentes ostendens* (Dei angelus Mosi & Josue) *illi videlicet splendida facturo miracula ignis apparuit, huic mox cruenta bella gessuro, evaginatum gladium tenens apparet.*

Cap. VI.

Hierichus in conspectu posita urbs, clausis portis tenebatur nemini exitu aut ingressu facile permisso. Ad eam, ut fit, vicinorum circumquaque pagorum incolæ confugerant cum rebus suis. Josephus: *Ὡς δὲ ποτε παρόντων τῶν Ἰσραηλιτῶν, οὐκ ἐπεξῄεσαν οἱ Χαναναῖοι, τειχήρεις δ' ἡσύχαζον, πολιορκεῖν αὐτοὺς Ἰησοῦς ἔγνω.* Impune agebant prædas ex agris, nemine prohibente aut eunte obviam. Decrevit igitur eos obsidione aggredi. Imò Dei voluntatem & jussum exspectabat. Deus Iosue in hunc modum præcepit: En Hierichuntem cum rege & viris belli vobis tradidi. Josephus modum agendi quem Deus præscripsit, ita proponit: *τὴν κιβωτὸν οἱ ἱερεῖς φέροντες περὶ αὐτὴν ἐν κύκλῳ, μέρος τι τῶν ὁπλιτῶν φυλάττον ἦν· οἱ καὶ προσῄεσαν ἑπτὰ κέρασιν αὐτῶν σαλπίζοντες καὶ παρεκάλουν τὴν στρατιὰν εἰς ἀλκὴν περιωδεύοντο τὸ τεῖχος ἐπομένης τῆς γερουσίας. Καὶ μόνον σαλπισάντων τῶν ἱερέων τοῦτο γὰρ οὐδὲν ἐποίησαν περιοσότερον, ἀνέζευξαν εἰς τὸ στρατόπεδον. Καὶ τοῦτο ἐπὶ ἡμέρας ἓξ ποιησάντων, τῇ ἑβδόμῃ τὸ ὁπλιτικὸν Ἰησοῦς συναγαγὼν καὶ τὸν λαὸν ἅπαντα, τὴν ἅλωσιν αὐτοῖς τῆς πόλεως εὐηγγελίσατο* &c. Apparet in primis verbis vitium esse, quæ Gelenius in hunc modum vertit: Sacerdotes arcam gestantes stipati armatorum custodia, accesserunt ad urbem cornibus clangendo & ad virtutem suos adhortando &c. Si verba illa *περὶ αὐτὴν ἐν κύκλῳ μέρος τι τῶν ὁπλιτῶν φυλάττον* tanquam *παρεμβεβλημένα* includamus punctis & deleamus voculam *οἱ*, videbis omnia cohærere: *οἱ ἱερεῖς τὴν κιβωτὸν φέροντες· περὶ αὐτὴν ἐν κύκλῳ μέρος τι τῶν ὁπλιτῶν φυλάττον ἦν· καὶ προσῄεσαν* (sive *προῄεσαν*) *ἑπτὰ κέρασιν* &c. Hæc Josephi

mens

mens est: Sacerdotes arcam ferentes prodiisse, cinctos armata militum manu, cornibus canentes adhortantesque exercitum ad fortitudinem, ita urbem circumiisse sequente senatu. Hoc factum esse sex diebus, septimo, τὸ ὁπλιτικὸν quicquid arma gestabat, convocasse & universum populum, iisque prædixisse urbis halosim. Illo enim die ope Dei urbe potituros, sine suo labore mœnibus collapsis. Jubere ut quicquid hostium deprehendi posset occiderent, nec ob defatigationem nec misericordia cædibus abstinerent, neque prædæ cupidine fugæ copiam hostibus facerent. Quicquid vitam haberet, trucidarent, neque in proprios servarent usus. Argentum omne aurumque & quod ejusdem generis esset, ut Deo proprium (ἀπαρχὴν ἐξαίρετον) ex prima urbe hostium, comportarent. Rachabam solam ejusque γένος (genus) ex fide data servarent. Hoc dicto, ordinatoque exercitu, ivisse urbem versus. Circumiisse iterum urbem, præeunte arca & sacerdotibus cornuum inflatu copias inhortantibus ad opus. Cum septies circumiissent, & paulum interquievissent, sponte sua concidisse murum. Per ruinas patuisse introitum Hebræis, perculsis incolis nec quicquam animi ad sesuaque defendenda habentibus. Quicquid igitur viventium erat trucidatum esse & urbem incensam rogum præbuisse occisis. Sacra scriptura hunc in modum narrat:

Ante arcam ivere delectæ copiæ armatorum, tum septem sacerdotes qui cornibus arietum cecinere. Hinc arca (ab aliis sacerdotibus portata) quam sequebatur reliquus populus. Ita quolibet die circumiere civitatem semel, sex diebus. Vetitum clamare aut vocem edere sex illis diebus, nisi solis sacerdotibus, quatenus cornibus (שופרות היובלים) cecinere. Circuitus ille quo tempore diei factus sit, non constat: at septimo die, summo mane, primus circuitus factus, est septies ita circumiere. Ultimo Josue vociferationem ingentem edendam esse significat, monetque murum esse corruiturum. Capiendam urbem esse & omnia gerenda ut Josephus exposuit. Animalium brutorum cædem diserte Scriptura exprimit non tamen meminit canum feliumque sed hæc non cadunt sub חרם. Urbs enim erat חרם devota Deo. Cum populus clamorem ederet (תרועה גדולה) collapsus murus aditum fecit urbi corona capiendæ. Nam qua quisque parte constiterat in circuitu, urbem irrupit.

Notat David Kimchi eundem illum (angelum putat fuisse) qui Josue visus fuit, cum stricto gladio, præcipere, ut hoc modo Hierichuntem caperet. Notat Ralbag septeno numero rem gestam esse: septem circuitus septem dies septem sacerdotes, septem buccinæ. Verisimile dicit esse, quod Deus medio clamoris seu jubili hoc prodigium fieri voluerit, ut Israëlitæ è somno excitarentur ad consideranda Dei miracula. Clamorem etiam parum efficaciæ habuisse, ad tantum opus, nisi Dei manus fuisset conjuncta. Notat etiam propterea interdictam esse vocem omnem nisi ultimo circuitu, ne animadversi ab urbis mœnibus impeterentur lapidibus. Ineptè! quasi non prodiderit buccinarum sonitus. Kimchi è v. 15. colligit octies circumiisse urbem die septimo, ut primus circuitus fuerit ad complendum defectum superiorum dierum, reliqui septem pro Sabbato seu illo die.

Quæritur quo die cœperint circumire. Josephus τῇ πρώτῃ τῆς ἑορτῆς ἡμέρᾳ. Seder olam Rabba cap. XI. *Post Pascha vigesimo secundo Nisan dixit Deus circumibitis civitatem &c. Et fuit in die septimo &c. R. Jose dicit, die Sabbati fuit bellum Hierichuntis & Ai & Gabaon, intermedii fuere tres menses. Tertio Thamuz Josue dixit incolis Israël, Sol in Gabaon sile & luna in valle Ajalon & constitit Sol* &c. Unus ex illis septem diebus fuit Sabbatum, quemadmodum Tertullia-

nus observat lib. adv. Judæos: *Ex quo manifeste ostenditur, in numero istorum dierum septem incurrisse diem sabbati. Septem enim dies undecunque initium acceperint, sabbati diem secum concludant necesse est: quo die non tantum sacerdotes sunt operati* &c. Idem contra Marcionem lib. 2. Deum defendit, ut sibi non contrarium: *Sic & in cæteris* contrarietates præceptorum ei exprobras, ut mobili & instabili, prohibentis Sabbatis operari & jubentis arcam circumferri per dies octo, id est etiam sabbato, in *expugnatione civitatis Hiericho*. Nec sabbati enim inspicis legem, opera humana *non divina prohibentem* &c. Kimchi Sabbato, dicit captam esse Jericho. Et primo die septimanæ seu feria prima cœptam esse circuitionem idque esse cabbalam. Eundem illum, qui instituit sabbatum sic præcepisse ut profanaretur. Sic etiam reliquas urbes quas obsederunt Israëlitæ Sabbato expugnatas esse è traditione &c. Has buccinas satis constat, non fuisse illas argenteas, quarum mentio Num. 10. sed arietum cornua, quibus in Jubilæis uti solebant. Salianus è Masio: *Certe cornua arietum concava non sunt ut sonora sint sed solida: itaque in hujusmodi cornibus formam libentius acceperim, quam materiam, ut scilicet tubæ* (non) *essent ex materia cornea sed recurvæ, ad modum arietinorum cornuum.* An omnes omnino militares viri castris exierint, ad hunc obitum quis affirmaverit? Armati qui præcessere, aut fuerunt tres tribus sub vexillo Judæ, aut sola Judæa tribus, aut (quod malim) illa quadraginta millia transjordanensium, qui in agmine primo semper videntur incessisse: qui חלושים appellantur. Aut Josue certam habuit electorum militum manum, quæ semper in procinctu stabat, parata ad subita. Chaldæus tribum Dan secutam esse ait, שבטא רבית דן.

Vox dejecit muros sed per angelorum Dei operationem. Scriptura dicit ותפול החומה תחתיה. Chaldæus ונפל שורה דקרת ואתבלע תחותוהי / *Cecidit murus civitatis & absorptus est sub se.* Absorptum esse murum miraculum fuerit terrendis potius quam juvandis animandisque Israëlitis idoneum. Vanum igitur est & somnium Judaicum, quod nec textus Hebræus ullo modo firmat, ut docent optimi interpretes.

Rahab servata est, quatenus eam exploratores cum suis ex urbe eduxere & statuerunt extra castra. Mox ad Josue adducta est qui eam laudatam donatamque agris (ut dicit Josephus) in honore habuit. Scriptura memorat inter Israëlitas habitasse, usque in illum diem quo liber Josue conscriptus est.

Quicquid auri, argenti, æris & ferri inventum in urbe fuit illatum est in thesaurum Dei, reliqua omnia igne absumpta, quæ scilicet ignis pabulum esse poterant. Josephus dicit dirutum esse, quicquid ignis in urbe reliquerat. Josue dirutæ urbi diras pronuntiavit: Maledictus coram Domino sit, qui hanc urbem excitare aggrediatur: fundamenta ponat in primogenito, portas in minimo filio. Josephus: *ὅπως θεμελίους μὲν τειχῶν βαλλόμενος στερηθῇ τοῦ πρώτου παιδὸς πληρώσας δὲ τὸν νεώτατον τῶν παίδων ἀποβάλῃ.* Quidam putant nominatis primogenito & minimo omnium liberorum interitum significari. Cæterum Rahab cum suis traducta in cultum Dei, nupsit Salmoni fuitque inter majores Christi, quamvis quidam aliam illam esse nec eandem cum hac arbitrentur. Cæterum communis sententia tenet quod hæc illa sit, quam recitat Matthæus inter peccatrices è quibus ortus est Dominus.

In cap. 24. 11. hujus libri legimus cives Hierichuntinos bellasse cum Israëlitis, cum tamen nusquam legamus quod in certamen venerint. Sed vox bellandi latius sumi debet, pro hostili illo modo agendi, quo portas clausere & nihil amici in animo suo esse ostenderunt. Sociantur illis cæteræ gentes, non quod auxilia submiserint huic urbi, sed quia illic brevis comprehensio est universi belli cum Cananæis.

Cap. VII.

TAm nobilem victoriam, quam choreas ducendo obtinuerant, potiti, urbe prima & munitissima, violavit transgressio hominis Judæi, qui de Anathemate erat suffuratus. Populus igitur unius crimine pollutus Deum adversum habuit. Cum enim Josue per exploratores missos Hierichunte, recognovisset Gai oppidi modum habitumque, judicatum est (fortassis ex præsumptione quadam) non opus esse ut universæ copiæ fatigarentur, duobus aut tribus millibus virorum rem effici posse. Tria millia missa, quæ primo congressu fusa, amissis viris triginta & sex, usque ad Sebarim turpi fuga abripiebantur, ubi ab hostibus in quodam declivi & prærupto; qui ab hoc eventu nomen (uti videtur accepit) cæsi.

Unum hominem peccasse & cætum plecti, Achan deliquisse, alios è tribus istis millibus in expeditionem missis, interire, mirari aliquis possit: Cum lex nolit ut alii pro aliorum delictis plectantur. De hoc dubio fuse disputat Ralbag in hunc locum, de quo nos alias. Strages illa 36. virorum secundum Kimchi non evenit in primo congressu sed postquam in fugam compulsi ad locum dictum שברים abrepti erant. Putat igitur in fugam actos esse, antequam manus consererent. Hoc autem, cum universi sub anathemate essent, 36. tantum cadere, fuisse ex merito Abrahami, qui in illis locis olim aram struxerat. Cæterum textus videtur dicere, ut supra exposui. Josephus consentit cum Kimchi, tantum 36. de Israël periisse. Vocem Galgala liberum significare, ἐλευθέριον, est etiam παρέργημα Josephi; qui Ægypti opprobrium de servitute interpretatur διαβάντες γὰρ τὸν ποταμὸν, ἐλευθέρους αὐτοὺς ἤδη δοκοῦντι τῶν Αἰγυπτίων καὶ τῆς ἐν τῇ ἐρήμῳ ταλαιπωρίας ἐγίνωσκον.

Cur autem Hierichus sola חרם facta sit, non reliquæ urbes Cananææ quæri video. Josephus & Philo primitias Deo datas esse putant. Nam sic de Chananæis Philo, qui cæsi ab Israëlitis in deserto agentibus. Cæterum primitiæ & Cherem confundi non debent. Verius, quod Masius docet: *Hoc sane, inquit, vero non dissimile videri potest: hac tanta severitate primæ animadversionis terrorem incutere voluisse Deum reliquis hostibus cum superesset bellum difficillimum. Et simul vel metu impendentis exitii eos à vita turpissima flagitiosissimaque ad pænitentiam & veri Dei cultum revocare. Neque enim tum seram aut inutilem fuisse futuram pænitentiam, quamvis completa esset omnium iniquitas ut habet scriptura, satis magno argumento sunt exempla Rahabæ & Gabaonitarum.* Sciendum, quod omnes incolæ, nisi resipiscerent ab idololatria, mandato Dei & Mosis debuerint esse חרם. Exodi 23. 32. 33. Josue XI. 20. sed hoc peculiare in Hierichunte, quod omnia debuerint deleri & quæ deleri non poterant Deo sacra esse. Nempe nullo suo labore cœperant urbem, quam sibi Dominus in pœnam sacram voluit esse, nec humanis usibus, quicquam ejus cedere. Cum omnia universæ regionis in commissum cecidissent, ut loquuntur, tantum primam urbem edecimavit. Strages illa perculit universum Israël, Josue autem & seniores procumbunt ante arcam Domini toto die usque ad vesperam, scissis vestibus & pulvere inspersio capitibus. Josue in hanc orationem erupit, O Domine, cur hunc populum unquam trajecisti Jordanem: ut Amorrhæorum in manum traderes in internecionem? O si contenti fuissemus manere trans flumen. Domine, quid dicam, cum Israël terga hostibus obverterit? Audita hac re Cananæi omnesque incolæ hujus terræ, cingent nos & nostrum nomen delebunt: quid tum futurum magno nomini tuo? Dominus respondet: Surge,

cur ita in faciem provolutus es? Peccavit Israël & fœdus meum, quod præceperam, transgressus est: etiam de devoto surripuere, mentiti sunt & sub sarcinis occuluerunt. Ideo non poterunt consistere coram hostibus, terga vertent quia in Cherem sunt. Non ero vobiscum, nisi cherem amoliamini. Surge, sanctifica populum: præcipe ut se in crastinum sanctificent. Tributim, per cognationes sive familias domosque aderunt, donec sontem tetigero, qui cum suis rebus combуretur.

Non est in oratione Josue jurgium cum Deo, quasi contrario eventu promissa sua refutaret: nec descendit Josue ad votum, quo extra terræ illus fines manere voluerit. Tantum sibi ipsi objicit indignitatem rei, quæ sequeretur si Deus irasci perseveret. Et est illius oratio imperfecta, cum (ut observat Masius) Deus pro sua benignitate responsum festinaverit: sed eam orationem & similis quæ generis sunt considerare alius loci est. Josephus ita Josue orationem format, ut vim ejus minimè complectatur. Deus monstrat quomodo expiaturi sint exercitum. Unius ob furias & culpam Deus adesse negat toti cœtui Israël: multa alia sine dubio scelera in eo populo tam numeroso fuere, solum hoc Dei manum avertit. Vide quid valeat חרם. Meritò autem quærit Masius, quomodo in Ecclesia Catholica possit esse præsens Dei spiritus, ad *ἀναμαρτησίαν* in dogmatis fidei quæ tot abundet sceleribus & sacrilegiis sed parum feliciter se evolvit. Audiamus ipsum: *Sed quando*, inquit, *diserte pronuntiat Deus, se posthac non affuturum Israëlitis, nisi anathemate abolito, quo se contaminarant: magna & perdifficilis, ut videtur, quæstio oritur, qua fronte catholica Ecclesia gloriari audeat, de perpetuâ apud se Spiritus sancti præsentia: cujus afflatu ità dirigatur, ut in iis dogmatis, quæ ad probæ nostræ religionis fidem pertinent, errare non possit, quando in ea non apud unum aliquem Achanem semel paucula res per sacrilegium sublatæ, atque in tuguriolo in terram defossæ, clam habentur: sed Pontificum, Episcoporum, Presbyterorum, aliorum sacerdotum, atque etiam Principum virorum superbissima tecta, aulas, equos, ne dicam scorta, & vilißima mancipia, jam olim propalam exornent ingentia sacrilegia; & quidem non earum rerum sacrilegia, quas res alioqui abolitum ire oportebat, (esset enim hoc tolerabilius) sed quibus Christi ipsius famem explere, nuditatem tegere, atque omninò urgentem egestatem sustentare jus erat. Sed difficilis illa atque ut Ecclesiæ hostibus videtur, inexplicabilis quæstio solvitur facillime, si modo expendamus, quæ sit Dei in illis verbis sententia, cum dicit:* Non ero posthac vobiscum. *Nam sanè id eum non sentire; abjecturum se posthac omnem populi sui curam, luculenter ipsius apud Esaiam testatur his verbis.* Et ait Zion, Deseruit me Jehova, & Dominus oblitus est mei? An oblivisci queat mulier fœtus sui, ut non misereatur filii uteri sui? Etiam ut illæ obliviscantur, ego certè tui non obliviscar. *Et verò quis sanæ mentis dicat Deum, quando maleficio recens commisso ipsa ejus indignatio videbatur esse maxima, non prorsus materna solicitudine Ecclesiam illam suam curasse; cum levicula cladè affectam ad procurandum expiandumque ingens malum permovit? planè sicut mater optima, si peccet filius, virgis casum leviter corrigit atque emendat. Non igitur, quando ait,* Non ero posthac vobiscum, *suam se illis Divinam gratiam, sacrumque Spiritus sui instinctum, quibus ipsorum corda illuminentur, ad agnoscendam sacrorum suorum veritatem effatorum, dicit subtracturum. Sed de sua ope ad vincendos continuo successu hostes loquitur, quam dum illis negat, eoque ad se implorandum revocat, non magis deseruisse ipsos videri debet, quam mater fœtum suum, si dulci tæniarum & lumbricorum nutrimento subtracto, amaris eum cibis interdum vexet aut si cum indulgentiâ corrumpi eum animadvertit, flagris avertat ad obedientiam. Cæterum ponit nobis ob oculos hic locus, luculenter, causam calamitosißimorum bellorum, quibus multis jam annis perpetuo infelicißimè confligimus cum Turcis: & quid porro*

nobis

nobis futurum sit prænuntiat, si Christo sua anathemata subtrahere, eaque in nostras voluptates avertere pergemus. Deus jubet per Josue ut populus adsit tanquam ad suum tribunal ideo vult sanctificari. Cujus verbi vis, judicio Masii, neque expiandi verbo, neque lustrandi neque purgandi satis exprimitur. Sane jubentur ita se componere, ut conveniebat ad Dei præsentiam. Polluti erant cæde Hierchuntiorum deinde & anathemate. Debebant enim coram sacrario Dei comparere & judicii Divini aleam subire. In castu esse & lavari oportebat, ut Exod. 19.

Tetigit Deus tribum, cognationem, domum, virum. Quidam putant per λογίον, sic veteres magistri in capitulis R. Eleazari. Nempe proditam fuisse tribum obscuritate gemmæ, quæ ejus nomen gerebat. Deinde in deprehensæ tribus prosapias, domos, capita, sorte ducta esse inquisitum. Rasi, David Kimchi & Liranus huic sententię assentiuntur. Alii somniant ipsam arçam tribum cognationem, domum, & deinde singularem hominem velut injecta manu tenuisse. Universam rem alii (quæ communis sententia est) sortitione peractam esse ut Josephus & Ralbag. Kimchi: אמרו כי העבירה לפני הארון ונלכד הוא שהיה הארון קולטו שלא היה יכול לזוז משם ועוד אמרו כי העמיד כל השבטים לפני האורים והתומים ואבני החשן היו כתובים בו שמות השבטים ומי שאבנו כהה הוא הנלכד וכהה אבנו של יהודה ולדעת המשפחות והגברים עשו בקלפי על פי הגורל:

Per sortitionem fuisse factam inquisitionem acute probat Ralbag, quia Urim & Thummim & prophetia nomine designassent virum. Idque recta sine ulla circumductione, at sorti opus fuit gradatim ire donec è majori numero minuendo, ad singularem personam deventum esset. Primo igitur tot sortes ductæ sunt, quot erant tribus, nempe duodecim, deinde cum tribus Juda deprehensa esset, ejus משפחות δῆμοι numerati sunt & tot sortes in urnam conjectæ. Cum δῆμον Zarchæorum (ζαχαρίου συγγένεια apud Josephum legitur pro Ζαρχίου) sors tetigisset, numeratæ domus sunt, istius demi. Cumque domus Zabdin (Josephus appellat Ζεβεδίαν. LXX. malè ζαμβρὶ legendo ר pro ד) notata esset, viritim missa sors est, quæ Achan (alias Achar vocatur) feriit. Hic erat filius Charmi, nepos Zabdi: vocatur etiam filius Zabdi, quod ad ejus domum pertineret. Hic licet observare divisionem tribuum:

1. In משפחות δήμους, Lat. familias: Belgæ reddid. **geslachten.**
2. Harum in בתים οἴκους Lat. domos: B. **huys-gesinnen**

Domus erat συγγένεια plurium familiarum stricte appellatarum. Josephus minus accuratus, ut solet, φυλὰς tantum in φρατρίας dividit. LXX. negligenter etiam in sortitionis historia οἴκον omiserunt v. 18.

Sortitionem sub cura non solius Josue sed & Eleazari & præfectorum (τῆς ἐν τέλει, inquit Josephus) administratam esse idque magna cum religione, credi par est. Sed deprehensum Achan & ad se vocatum, amicis verbis compellat Josue. Fili mi (omiserunt LXX) da gloriam, Domino Deo Israël & fac exomologesin coram me: indica mihi quid feceris nec occultum velis habere coram me. Non fuit Josue solicitus de Dei gloria & veritate asserenda, quæ nequit premi, sed voluit negotii processum promovere, & hominis miseri animam ad resipiscentiam vocare. Rabbini sine ulla ratione Achani impingunt quod de sorte Josue & Eleazar inceperit increpare quasi mala fide in ducenda sorte ab illis actum esset. Kimchi duas rationes habuisse Josue dicit, tanta humanitate & tanta diligentia urgendi hominem ad confessionem. Primam ad expiationem peccati, ut mors ejus expiatio esset ipsius in confessione peccati. Et hinc discimus שכל המומתין מתודין ולמדו כי כפרתו *Quod qui morte afficiuntur debeant confi-*

confiteri & quod ita expietur peccat m. Id probat dicto v. 25. Conturbabit te Dominus die hoc. In hoc die conturbatus est, non in seculo futuro. Alteram causam fuisse, ut confiterentur filii Israël in sorte aut retentione arcæ (בקליטת הארן) esse veritatem.

Fassus est rotunda confessione: Vere peccavi in Dominum, Deum Israël *sic & sic* feci. Hinc Rabbini commentantur, tria charamin esse commissa ab Achan: duo sub Mose, unum sub Josue. Alii quatuor. Quorum tria sub Mose, bello Arad, Seon & Og item Madian. Quas nugas fusius explicat Kimchi. Narrat autem Achan se appetivisse oculis & animi cupidine inductum, & abstulisse: pallium Babylonicum egregium; ducentos siclos argenti; linguam auream quinquaginta siclorum pondere. Josephus: *χλαμύδα βασίλειον ἐκ χρυσοῦ μὲν πᾶσαν ὑφασμένην, μάζαν δὲ χρυσοῦ σταθμὸν ἕλκουσαν σίκλους διακοσίους.* Omisit linguam illam. LXX. *ψιλὴν ποικίλην, καὶ διακόσια δίδραχμα ἀργυρίου, καὶ γλῶσσαν μίαν χρυσῆν πεντήκοντα διδράχμων.* Ea se abdidisse intra tentorium ubi defossa inveniri possent. Missi speculatores ea attulerunt, inspectante toto populo. Ineptum, quod Rasi dicit, cursu ivisse, (ut habet textus) ne tribus Juda ea surriperet & sors mendacii argueretur. Kimchi rectius ob lætitiam, quod ulcus esset retectum. Additur in textu *v.* 23. ויציקום לפני יהוה Effundebant ea coram Domino. Kimchi: Statuerunt coram Domino, ut Israëlitæ viderent & cognoscerent vim Herem & admonerentur ut abstinerent à concupiscentia &c. Magistri dicunt, *Venit Iosue percussitque ea in solo coram Deo, dicens, Domine mundi, propter illa cadere debebat multitudo senatus?* Sic Thalmudici in Sanhedrin cap. 9. Quasi Josue indignatus fuerit, quod Deus propter res tantillas ita iratus fuerit. Nugæ. Hinc Achan cum ablatis furto, cum filiis & filiabus, cum bobus asinis omnique ejus peculio, ipsoque tentorio, sequente universa congregatione devectus est in vallem Achor. Supplicium ejus tale fuit. *v. 25. Iosue dicebat: Quantum nos conturbasti, Dominus te turbabit hoc die. Universus populus lapidibus eum lapidabat: comburebant eos,* (ea) *igni & obruebant lapidibus.* Deus supra dixerat ad Josue, igne comburendum esse, atqui hic lapidatur. Augustinus ignis voce expiationem posse intelligi disputat & Josue tanquam prophetam scivisse, quod Deus genus supplicii irrogari vellet. Ideo non esse crematum, ne in illis ignibus verba Domini impleta esse viderentur, quæ ob aliud dicta volebat intelligi. Sed maximus vir deprehensus laborat. David Kimchi refert patrem suum ita totum locum exponere: *Cum deducerent ad combustionem, quod eorum judicium fuit, lapidasse eum præ magna indignatione & conjecisse in eum lapides: cum essent in valle Achor eum combussisse & omnia, quæ ipsius essent: & postea lapidarunt eum lapidibus: obtexerunt eos lapidibus & illi combusti erant: deinde statuerunt super eum magnum cumulum lapidum, in signum.* De solo Achor dicitur eum lapidatum esse: complexim; combustos esse cum rebus & lapidibus sepultos. Ideo fingunt Judæi simul lapidatum & combustum esse Achan, quia Sabbatum violaverat labore furti & Cherem surripuerat: cæteros simplici supplicio interiisse. Non est hic disputandum, cur quæ illius erant & animata & inanima eodem ignis supplicio absumpta fuerint, cum violatio Cherem universam domum involvat, nec est similis ratio criminum aliorum. Quidam (ut significat Ralbag) putant filios & filias non esse combustos aut supplicio affectos, sed tantum Achan & animalia. Nam Scriptura lapidationem (וירגמו) & cumulationem acervi lapidum in signum ad unum Achan singulariter refert. Filios filiasque eo devectos esse, ut patris supplicium spectarent. Nulla est mentio uxoris, servorum ancillarumque &c. Josephus dicit noctu sepultum esse, ut fieri solet de damna-

damnatis publico judicio: ἐν κοινῇ ταφῆς ἀτίμου καὶ καταδίκου σωματικῆς τυγχάνει. Hic iterum sacram historiam parum attente consuluit. Vallis Achor ab hoc eventu nomen accepit.

Cap. VIII.

INDE ADVERSUS GÆ] Hoc periculo perfunctum Josue, expiatoq; exercitu, Deus excitat. Non timeas neque formides: Tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum & consurgens adscende in oppidum Gai (העי) Ecce tradidi in manum tuam, regem, populum, urbem & terram. Similiter faciendum urbi & regi huic, ut fecerant urbi Hierichuntis: *prædam vero*, inquit, *& omnia animalia diripietis vobis*. Constat igitur regem Hierichuntis interfectum esse, de quo nihil expressum in capite sexto. Cherem hic in homines & ædificia non in bona mobilia, & pecudes Deus pronuntiat. Hierichus præter agros & solum Cherem fuit. Modum etiam urbis capiendæ per strategema Deus indicat.

LOCATISQUE à TERGO] Ex Dei monitu Josue & totus exercitus bellatorum (כל העם המלחמה) prodierunt è castris versus Gai. Nempe (sic Salianus) delecta triginta millia fortium virorum è quibus quinque millia præmissa sunt nocte, ut sumerent locum insidiis idoneum, quem (inquit Salianus) exploratores, paulò ante notare potuerant. In textu est *Videte vos insidiantes urbi, post urbem*. Præcipit primò ut se in insidiis collocent ab altera urbis parte, ne possent observari ab egredientibus adversus Josue & universum exercitum Israël utque urbem in medio duæ partes Israëliticarum copiarum haberent, simulque ad conjunctionem vicinæ essent. Josue ab septentrione veniebat, insidiæ ab occasu locatæ inter Gai & Bethel. Hæc igitur quinque millia noctu per invia penetrare debuerunt in locum tectum sylvis montibusque, ut non observarentur ab oppidanis. Secundò præcipit, ut se non longè à civitate ponant. Tertiò, ut in rem gerendam intenti, prolectis à Josue ex urbe hostibus, eam occuparent & occupatæ signum darent incendio. His præmissis Josue noctem egit inter reliquas copias, quas versus Gai per silentium noctis promovebat. Haud procul urbe post montem substiterunt. Diluculo recensito ordinatoque exercitu cum parte quadam copiarum, ipse & seniores in conspectum urbis se dedere, aperto quodam campo, inter urbem & vicinos montes. In illa, quam diximus, expositione totus populus belli accipitur de flore exercitus, cum non opus esset omnes copias fatigare, alii, quicquid bellatorum erat, volunt prodiisse ut simul de præda caperent. Lyranus: *Dicit R. Salomo, quod ibi fuerunt positæ duplices insidiæ. In primis fuerunt triginta millia virorum de quibus loquitur hic (v. 3.) Scriptura, in secundis vero insidiis fuerunt quinque millia, de quibus dicitur infra in parte ista (v. 12.)* Quinque autem millia viros elegerat & posuerat in insidiis: *Ita quod istæ insidiæ erant propinquiores civitati quam aliæ. Expositores autem catholici communiter dicunt quod quinque millia viri de quibus fit sermo infra, fuerunt de numero istorum triginta & illi tantum remanserunt insidiis: & viginti quinque millia redierunt ad pugnandum cum Iosue contra regem Ai de civitate exeuntem. Et hoc videtur per hoc, quod subditur hic:* Ponite insidias post civitatem, *q. d. Ponite in insidiis aliquos de vobis sc. quinque millia ad hoc electa. Intentio enim Iosue erat extrahere regem Ai de civitate & tunc in insidiæ civitatem intrarent & eam incenderent, ut expresse dicitur in litera: & ideo non comparuit coram civitate, cum toto exercitu: ne adversarii ex tanta multitudine territi non auderent exire: & ideo viginti quinque millia supradicta junxerunt se Iosue post egressum illorum adversariorum de civitate.* Hæc Lyrani

con-

conciliatio placet. Masius paulò aliter. Rex igitur Gai videns hostem in propinquo, nec adeò numerósam manum, festinato cum omnibus copiis mane portis erumpit, dirigitque aciem adversus desertum. In Hebræo מדבר. Kimchi pascua ita appellari dicit. Josue cum suis simulata fuga per viam solitudinis, animos hostibus dedit. Vociferantes enim seque mutuo inhortantes, persecuti Israëlitas sunt, arbitrati victoriam in manibus esse. Quicquid arma ferre poterat duobus oppidis Ai & Bethel vicinis inter se exiere. Cum satis procul ab urbe hostes essent abstracti, monitu Dei Josue signum dedit, extensa hasta: quo viso (Nam in vicino erant & quidem in excubiis Josue manum observabant ex condicto) ex insidiis erupere & patentibus portis securam urbem quinque illa millia intravêre. Tectis igitur quibusdam incensis fumus captæ urbis signum fuit. Eo signo animadverso Israëlitæ hostibus faciem & arma opposuerunt, acerrimè pugnantes, hostes autem viso captam esse civitatem animis concidêre. Mox victoribus urbe egressis & à tergo adortis, in medio inclusi oppidani ad unum omnes cæsi sunt. Rex vivus in potestatem venit, deductusque est ad Josue: qui suô loco stabat, protensa hasta quam non retraxit, donec urbs tota deleta est. Nam cæsis hostibus, qui in campo erant, ingressi urbem victores homines utriusque sexus internecione occiderunt. Cæsa narrantur duodecim millia hominum ex urbe Ai. Ingens præda fuit pecorum & rerum mobilium. Urbs incendio eversa jacuit in ruinis usque ad tempus, quo illa scripta sunt à compositore libri Josue. Rex suspensus in arbore (LXX. ἐπὶ ξύλου διδύμου) ante occasum solis detractus atque ante urbis portam cumulo lapidum obrutus est. Errat hic Josephus, qui scribit in hac Ainatarum calamitate captam esse turbam magnam παίδων καὶ γυναικῶν καὶ θεραπείας: quamvis & prius dixisset urbem incensam esse cum milieribus & liberis. At quod de spoliis dicit, καὶ πάμπολλα τοῖς στρατιώταις Ἰησοῦς δίδωσι χρυσίου ἐν ταλάντοις verum esse crediderim: ita tamen ut & aliquid obvenisse putem illis, qui non militabant.

De protensa hasta (Clypeum habet Latina editio) monet Cajetanus, non tantum signum fuisse insidiis erupturis, sed & Divini auxilii affuturi: addo & incitantis ad justam vindictam. Cæterum quia hic ipse Deus autor fuit monitorque per insidias & strategemate capiendæ urbis, quærunt hic interpretes quatenus decipere hostem liceat. Lyranum hic iterum audiamus: *Occasione autem hujus dicti quæritur hic: Utrum in bello licitum sit insidiis & cautelis uti, & videtur quod non, quia jus naturale dicit: Non facies aliis quod tibi non vis fieri, nullus autem sibi vellet fieri insidias: Ergo, &c. Item insidia sunt quædam fraudes, & per consequens pertinent ad injustitiam. Ergo non est eis licitum uti, quià scriptum est Deut. XVI. Quod justum est justè exequeris. In contrarium est glossa Augustini supra locum istum. Et textus, in quo dicitur, quod Iosue posuit insidias de mandato Domini. Responsio: Aut bellum justum est vel injustum, si injustum, non est licitum bellare, per consequens injustum est & illicitum insidiis uti. Si autem sit bellum justum, tum dicendum quod insidia & cautela ad hoc ordinantur ut hostes decipiantur. Possunt autem hostes dupliciter decipi ab adversariis suis, scilicet uno modo quià dicitur eis falsum vel non servatur semper promissum, & hoc est semper illicitum, quià in bellis sunt quædam jura semper observanda etiam cum adversariis secundum quod dicit Ambrosius libr. de officiis. Sicut observatio treugarum & consilia, & ideò si insidia fiant per talem modum sunt injusta & illicita. Alio modo decipiuntur hostes per hoc, quod adversarii occultant eis verbis vel factis suam intentionem, & hoc est licitum, quià non tenentur eis revelare sua secreta, Vnde & in sacra Scriptura dicitur quod secreta fidei occultanda sunt infidelibus, ne ab eis derideantur, secundum quod dicitur Matth. X.* Nolite sanctum

dare

dare canibus. *Et multo fortius in bello justo licitum est occultare secreta sua adversariis, quia hoc maximè valet in rebus bellicis, ut patet per Vegetium libr. III, de arte militari. Et ideo Augustinus in glossa super locum istum dicit: Siquis bellum justum susceperit, utrum aperta pugna an insidiis non refert ad justitiam. Ex dictis patet primum argumentum: quia nullus voluntate rationabili debet velle quod omnia sibi revelentur. Similiter secundum: quia tales insidiæ non pertinent ad injustitiam, sed ad prudentiam bellicam.*

Gai capto eversoque satisfactum est præcepto Mosis dato Deut. 27. Nam prope Sichem duo montes stabant valle intercedente dirempti Ebal & Garizim. In Ebal sive Gebal, qui mons erat maledictionis Aram Josue statuit è lapidibus rudibus, quos ferro non poliverant. In ea oblata holocautomata & pacifica & epulæ celebratæ cum lætitia. Ibidem in duodecim lapidibus, id est saxis ingentibus Mosis legem inscripsit. Hi lapides calce obliti, ut scripturam acciperent. Tertiò arcam in intermedio loco statuunt, in valle interjacente, gestatam à sacerdotibus. In monte maledictionis ad maledicendum constitere, Ruben, Gad, Aser, Zabulon, Dan & Naphthali: ad benedicentem in monte Garizim, Simeon Levi, Juda, Issachar, Joseph, Benjamin. Hic vides Joseph in duas tribus non dividi, quia Levi inter tribus recensetur pro hoc facto. Tribubus istis Josue & præsides sui adstabant atque universa multitudo & advenarum & Israëlitarum: Quicquid utriusque sexus erat, coactum illic fuit. Quartò, (separata jam tribu & opposita reliquo populo) Levitæ duodecim maledictiones protulerunt, ad quas populus respondebat, Amen, v. 34. habetur: *Posteà legebat* (vel lecta sunt) *omnia verba legis benedictionem & maledictionem secundum omnia, quæ scripta sunt in libro legis.* Hæc verba non indicant Josue legisse, sed Josue mandato lecta esse, à senioribus aut scribis (שוטרים) pro qualiber parte media populi. Postea Levitæ prælegebant duodecim illas ἀρὰς. Hæc mihi videtur esse ἀκολουθία narrationis, è textu. Quanquam etiam illud addi possit præter benedictiones & maledictiones, quæ ad partes dimidias populi pertinebant, item duodenas maledictiones summarias, Josue legem decalogi & judiciorum prælegisse: nempe illa quę saxis inscripserat: Exemplum totum in quolibet titulo sive saxo. Benedictiones & maledictiones à populo recitatas puto contineri Deuteronomii 28. & Levitici 26. Præter has Leviticæ maledictiones adjectæ sunt. Lubet audire Masium ista aliter ordinantem: *Nunc pauca*, inquit, *addam, quibus eam, quæ proximis versiculis descripta est, cerimoniam universam semel ante oculos ponam. Igitur cum jam substructa ara esset; atque erecti, incrustatique lapides essent, & in his accuratissime picta lex: insuper rite sacrificatum, quibus ante diximus sacrificiorum generibus; tum demum Levitici generis aut perpetuo idem unus aut vicissim plures viri (utitur enim Moses numero plurium) è medio loco; ubi arca sustinebatur à suis bajulis sacerdotibus; obvertebant se primum ad montem Garizim, hoc est, ad dextrum latus; atque sublata, quantum potuerunt, voce, tanquam feciales & solennes stipulatores, pronuntiabant duodenas illas benedictionis verborum complexiones, quæ ex maledictionis formula ea, quæ à Mose erat præscripta, facilè concinnabantur; post singulas interposito silentio approbationem populi utrinque adstantis veluti stipulantes, qua audita, pergebant deinceps singulatim ad reliquas. Verbi gratia: Spectans Levita ad Garizim clamabat primum: Benedictus est à Deo, quisquis unum Iehovam, sive solum Dominum, non etiam Deos alienos coluerit. Neque opus artificis factum manibus, quod abominatur Dominus; occultè sibi positum habuerit. Et hic dum ille silentio insisteret; universus utrinque populus tam qui ad Hebal, quam qui ad Garizim constiterant; succinebant, Amen. Deinde pergebat ille ad secundam benedictionem verbis hujusmodi: Benedictus est à Deo, qui parentes suos honorat*

norat non spernit, aut negligit. Atque hic iterum tacens, audiebat ex utraque parte acclamantem populum, Amen. Itaque decurrebat deinceps Levita per duodenas benedictiones, cum singulas universus populus singulatim approbaret. Deinde avertebat se versus montem Hebal; parique ritu duodenis illis execrationibus defungebatur; in singulis, ut dixi, insistens, concionisque universæ assensionem expectans. Cum porro & benedictiones primum, & deinde maledictiones sic percensuisset, & utrarumque approbationes audisset, subnectebat deinde illam Deuteronomii partem, quæ toto XXVIII. cap. est perscripta, tamquam præcedentium pactorum explicationem. Atque ita jusjurandum sanctum, fædusque ritè cum Deo factum censebatur. Ex æquo igitur ad omnes tribus cum benedictiones, tum detestationes pertinebent. Quæ ratio, opinor, est, cur Moses duodenarium numerum; qui & tribuum est; observaret. Nam etsi alias spectarent Levitæ tribus, cum benedictiones pronuntiarent; alias, cum maledictiones, tamen simul ab omnibus approbationem tacitè stipulabantur; neque ulla erat in re pars alterutra prærogativa, sed pari omninò fuère conditione, qui ad Hebal, cum iis qui ad Garizim consistere jussi fuerant. Uno enim eodemque sacramento & fœdere se obligabant ex æquo omnes Deo, non aliter quam si militum legio, concepta verborum formula quæ per apparitorem aliquem pro imperatore stipulantem, pronuntietur in militari concione, atque communi confusaque multitudinis voce & acclamatione approbetur, imperatori det nomen. Æqua enim omnibus incumbit militiæ necessitas, parique auctoramento obligati omnes habentur, quemcumque locum quisque, dum confluunt, ceperit. Videntur eæ tribus, quæ ex justis nuptiis sunt procreatæ, loco potiore, hoc est; ad dextrum montem Garizim, habuisse subsellia. Nam Rubenitica, & Zabulonitica, quæ ipsæ quoque ex liberis matribus propagatæ cum essent, tamen ad sinistrum Hebal cum ancillarum prole sunt collocatæ, ideo eam, ut videbatur, indignitatem sustinebant, ut arbitrantur judæi, quia Ruben paternum lectum commaculasset, Zabulon autem filiorum Leæ natu fuisset minimus. Parem enim utrinque numerum esse oportuit. Verum in participando fœdere sacramentoque certum est æquam fuisse omnium sortem. Sed cur, inquies, promiscuè ipsos se circumfundere arcæ passus non est Moses? Neque enim alibi reperias in comitiis tributim discretos Israëlitas? Respondet Levi F. Gersonis, nec inscitè, ut mihi videtur, Deum ut pressius ob oculos omnium poneret, quantum esset inter benedictionem, maledictionemque dissidium, adversa populo subsellia assignari voluit, quasi nefas esset, eadem utramque cæli regione pronuntiari. Itaque alteri ad dextram; benedictorum; alteri ad lævam, maledictorum quidem personam sustinuerunt: at non conditionem, ut apud Matthæum, cum filius hominis pro illo augustissimo tribunali judicium exercebit totius orbis terrarum: sed tamquam in scena modo, pro rei specie exhibenda.

Quærunt præterea interpretes in sequentibus. I. Quando hæc historia evenerit? Judæi enim volunt eodem die, quo Jordanem transibant aram hanc structam esse, ut supra visum, Josephus illo anno post transitum, quo arca erat translata in Siluntem. Nulla ratio ut ab narrationis in Scriptura ordine abeamus.

II. An lapides duodecim, in quibus lex inscripta sint illi ipsi, è quibus arca structa est. Judæi & Josephus ita sentiunt, sed perperam & iidem illos lapides (quod non putat Josephus) è Jordane sumptos esse.

III. Quærunt interpretes quid lapidibus illis fuerit inscriptum? Quidam decalogum alii primas voces seu literas singularum legum 613. Ralbag המזוות קצרים. quidam Deuteronomium, alii legum universarum complexum Josephus pejus *ἀρὰς*.

IV. Calce obductam scripturam putant quidam, alii scriptam & inexaratam calcis tectorio.

V. Quo

V. Quo sermone? Judæi dicunt Septuaginta linguis, ut omnes populi legere possent. Quia dictum באר היטב. Hæc sufficiant, sed addamus quod Kimchi dicit: *Apparet è Scriptura, quod postquam Levitæ legerunt benedictiones & maledictiones* (At ubi dicuntur Levitæ benedictiones legisse? *Aperuit Josue & legit in auribus eorum præcepta affirmantia & negantia.* Quod Josue legerit, id accipimus, & confirmat processum à nobis indicatum. Josephus historiam hanc ita narrat: Capta demum Chananæa & incolis deletis aram erectam fuisse obversum soli orienti, non procul Sicimis inter duos montes, dexterum Garizeum, sinistrum Gibalum. Exercitum in senas tribus divisum & cum ipsis fuisse Levitas & sacerdotes. Orsos in Garizin fausta precari cultum Dei & legum custodiam observantibus, quibus acclamaverint cæteri ex adverso collocati. Deinde his precantibus illos acclamasse. Eodem modo factum esse de imprecationibus. Quasi alternis præiverint tam hæ quam illæ tribus tam benedictiones quam maledictiones & succinuerint. Has deinde in aram inscriptas esse, in qua populus tum obtulerit id quod posthac fuerit illicitum. Sic narrat in libro quarto ubi leges Mosis recenset.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI PRIMI.
Cap. XXXVIII.

Quod ubi vicinarum gentium regibus compertum est, in bellum conspirant, Hebræos armis depellere. Verum Gabaonitæ, urbs valida, ex urbe opulenta, ultrò se Hebræis dederunt, jussa facturos pollicentes: receptique in fidem, ut ligna & aquam conveherent imperatum. Sed regibus proximarum urbium deditio eorum iras conciverat. Itaque admotis copiis oppidum eorum, Gabaon nomine, obsidione circumsistunt. Igitur opidani arctis rebus suis, nuntios ad Iesum mittunt, obsessis uti succurreret. Ita ille maturato itinere inopinantibus supervenit, cæsaque ad internecionem multa hostium millia, cum dies cædentes deficeret, noxque victis futura præsidio videretur, merito fidei dux Hebræus noctem avertit, dies perseveravit: ita nullum hostibus effugium fuit. Quinque reges capti interfecti sunt.

Drusius.

Vicinarum Gentium] terræ Chanaan, quæ septem erant: quanquam sex tantum memorentur, Jos. 9. 1. Unde terra septem gentium vocata. Hæ gentes cis Jordanem montana & campestria totamque adeò maris oram Libano objacentem tenebant.

Gens Valida Ex Urbe Opulenta] Jos. 10. 2. *erat enim urbs magna Gabaon, ut una civitatum regalium major opido Gai, omnesque viri ejus bellicosi.*

Ultro Se Hebræis Dederunt] id est, dediderunt. Dare pro dedere posuit & cap. 57, *cum se Abner David Regi dedisset:* & capp. 66. *septem millia virorum esse adhuc pronuntians, qui se idolis non dedissent.*

Ut Ligna Et Aquam Conveherent] sive lignatores essent & lixæ, inservirentque cœtui & Levitis in templo.

Proximarum Urbium] Jerusalem, Hebron, Jerimoth, Lachis, Eglon. Hi quinque reges erant Amorrhæorum.

Gabaon] ità emendavimus. Prius erat Gabath in libris, quos vidi.

Merito Fidei] hoc Apostolus dixit πίςει fide sive per fidem, Ebræor. 9. Delendus autem accentus, quem editio prior habebat in *merito*, ne quis arbitretur adverbium esse.

Dies Perseveravit] sol stetit in medio cœli spatio circiter unius integri diei, sic ut nec anteà nec posteà unquam dies ullus longior fuerit.

Quinque Reges] videlicet Adonisedec rex Jerusalem, Oham rex Hebron, Pharon rex Jerimoth, Japhia rex Lachis, Dabir rex Eglon.

Schotanus.

Cap. IX.

In Bellum Conspirant] Cum viderent, ignem hunc in flammam erumpere & in visceribus serpere malum tanquam è somno excitari incipiunt. Quotquot leges per universam Cananæam dominabantur, in montanis mediis, ad mare Mediterraneum, ad Iordanem, in australi parte & versus septentionem, adversus commune incendium se movent. Cæterum: qui hactenus stolido torpore quieverant, ne nunc quidem satis alacriter se commovent. *Nam adhuc* (inquit Masius) *non delectus habere, nedum copias cogere: sed de communi re deliberare modo, atque societatis fœdera jungere videntur, ut de mutuis subsidiis, si opus fuerit, certi sint. Sed hic est stupor ille cæcitasque & plane perturbatio atque confusio mentis & intelligentia* &c. *Quare simul id efficiebat Deus, ut suorum Israëlitarum animos paulatim ipso hostium locorumque regionis, alioquin incognita aspectu usque duraret & confirmaret* &c. *Quin ista Chananaorum plane* ϑηλάτ*Ꞡ socordia atque ignavia rei benè gerenda, non in istis modo belli principiis &c. sed ad ipsum finem perspicuè apparet. Neque enim ipsos uspiam captata occasione, quales credibile est magnas sæpe oblatas, ultrò invadere Israëlitas, sed ubique ab his invadi videbimus.*

Verum Gabaonitæ] Cum se non posse resistere opibus & viribus putarent, astu rem aggressi sunt. Rasi dicit eos astu egisse, ut filii Jacob cum Hemor patre Sichem, qui Hevæus fuit. Nam Gabaonitæ fuerunt ex Hevæis. Kimchi, cogitasse, quod astu Jericho & Ai vicerint Israëlitæ, cum misissent ipsis de pace, ut ne sibi caverent: posteàque eos percusserint. Venèrunt igitur contra eos astu quamvis per se scirent, quod dolus esset tandem emanaturus.

Cogi-

Cogitabant, postquam percusserint nobiscum fœdus, non transgredientur, quamvis emanaverit. Vel. quod non viribus ut Gai neque muris ut Jericho ausi fuerint confidere, unde rem astu sint aggressi.

Legatos mittunt qui longum iter fingerent se venisse Nam veteres saccos (שקים strata cilicia) in asinis, (LXX. ἐπὶ τ͂ ὤμων leg. ὄνων) utres vini veteres, laceros & colligatos. Calceos veteres (ומשלאות) LXX: *καὶ τὰ κοῖλα τ͂ ὑποδημάτων αὐτῶν καὶ τὰ σανδάλια αὐτῶν παλαιὰ καὶ καταπεπελματωμένα.* Latinus: *Calciamenta perantiqua, quæ ad indicium vetustatis pittaciis consuta erant.* Vestimentis induti veteribus. Et omnes panes viatici aridi & נקדים. LXX: *καὶ ὁ ἄρτος αὐτῶν τ͂ ἐπισιτισμοῦ ξηρὸς καὶ εὐρωτιῶν καὶ βεβρωμένος.* Latinus: *panes quoque quos portabant ad viaticum, duri erant & in frusta comminuti.* Kimchi: נקדים) *Ionathan vertit* כסנין *& verba magistrorum nostrorum b. m. Panis qui veniebat in* כסנין *& erat panis quem faciebant sicut spiras siccas & in domo compotationis edebant. Porrò exponunt à sensu* נקוד *&* טלוא / *q. d. mucidus fuit. Nam panis mucidus habet puncta sive notulas. Nam in eo sunt rubedo & viror & nigredo punctatim.* Balbag: נקדים *est panis siccus, qui comminutus est in tenuia fragmenta propter siccitatem.*

Cum in castra (quæ erant Galgalis) advenissent, ferebant se è dissitis regionibus advenire ut fœdus cum Josue & populo Israel inirent. Dicebant autem Israëlitæ ad Hevæos, Forte in medio nostri considetis, & non possum tecum inire fœdus. Ad ultima verba Kimchi: *Quod si scivissent eos esse è terra Canaan, fuisset ipsis prohibitum percutere cum ipsis fœdus.* Q. D. (Deut. 7, 2.) Non percuties cum ipsis fœdus neque misereberis eorum. *Fœdus autem est, ut sint in pace cum ipsis & non sint servi eorum & non recipiant præcepta eorum. Hoc vetat lex & quamvis omnes si fecissent pacem, recepissent, ut S.* (XI. 19. Non fuit urbs quæ pacem faceret cum filiis Israël, præterquam Hevæus, qui inhabitat Gabaonem &c. *Quod si universaliter pacem fecissent (pacem quæsissent) eos recepissent, sed sub conditione ut exscinderent idololatriam è terris suis & reciperent in se septem præcepta, in quibus monitus est homo primus; secundum quod dicit Scriptura* (Exod. 23. 33.) Ne peccare faciant te in me, *indicans omni tempore, quo ipsi in peccato & non statuant septem præcepta, ad quod tenentur filii Noë, vetitum permittere ipsis, ut considеant in terra, sed valet præceptum de exscindendis ipsis & non conservando ex ipsis animam: quod si pacem facerent & eradicarent idololatriam & reciperent septem præcepta adhuc opus erat, ut essent sub tributo & servirent Israëli & subditi essent sub manibus eorum, ut dicitur* (Deut. XX. 11.) Erunt tibi tributarii & servient tibi. *Et sic dicit de Salomone rege Israël* (1. Reg. 9. 20. 21.) Omnem populum relictum ex Amorrhæis, Hetthæis, Pherezæis Hevæis, Jebusæis: Et abdidit Salomo in tributum serviens usque in diem hodiernum. *Si ita, quod discrimen inter reliquos populos & septem populos? Interest hoc, quod alii populi, si fecerent bellum & non placeret pacem facere, occidebant omnem masculum inter illos, at mulieres & parvulos prædabantur sibi & sinebant eos vivere in servos: at in septem populos si nollent pacem facere, præceptum erat, ne sinerent ex ipsis vivere animam* Q. D. (Deut. 20. 16.) Sed de populis, non sines vivere ex illis, quod animam habet. *At omnibus populis prædicabat pacem primò,* Q. D. (v. 10.) Et proclamabis illi pacem, *Etiam septem nationibus sub ista universalitate, præter Ammanitas & Moabitas,* Q. D. (Deut. 23. 6) Non quæres pacem eorum nec bonum eorum. *Si ita, Postquam pacem admisissent Gabaonis incolæ, cur occidissent ipsos filii Israël, nisi juramentum fuisset? Quia deceperant eos & percusserat cum eis fœdus per errorem: Et fuit in judicio occidere ipsos, nisi fuisset in re profanationis nominis, propter juramentum. Nam quamvis juramentum esset per errorem, si non implevissent, fuisset in re profanationis nominis: quia multi audierant de juramento at non au-*

 die-

dierant de errore. Et in tempore juramenti, non fecerant mentionem conditionis in juramento. At quia deceperant ipsos duram servitatem imposuerunt, nec permiserunt ut essent tantum in tributum serviens, sed ut essent lignatores & aquatores cætui. Ralbag: *Oportet ut publice notum ipsis fuerit, quod præcipit lex Israëli, ut non finerent vivere animam è civitatibus propinquis si non consensisset pacem facere cum eis & jam miserat ad eos Josue universaliter* (id est) *ad illa loca propinqua & vocaverat eos ad pacem, sed non admiserunt pacem, unde tenebatur non finere in vita ullam animam, ut habetur in parasa* שופטים. *Et profecto* (אמר לון) *Res loquitur quod jam miserit Josue vocare ad pacem omnes locos illarum gentium, quia tenebatur ipsos invitare ad pacem, omnem urbem, antequam irent ad bellandum, sicut habetur in parasa, & jam meminit in quibusdam locis, quod Josue jam fecerit, secundum omnia; quæ Dominus Mosi præceperat. Ideo oportet ut confiteamur, quod jam miserit iste Josue illis locis, antequam consentiret bellare cum ipsis, secundum illud, quod magistri nostri b. m. scripserunt. Ideo astute egerunt, quando dixerunt se venisse è regione longinqua & fecerunt se servos Israëli: & debebat secundum judicia legis, ut reciperent eos in fœdere, ut essent ipsis tributarii & servirent ipsis & faceret ipsis Josue pacem & feriret cum illis fœdus ad eos conservandos in vitâ: & jurarent ipsis ad conservandos eos in vita: & jurarunt principes cætus* (נשיאי העדה) *Et ecce fuit causa erroris Israëli. Et considerandum est* (ונפלם) *in hoc negotio, quod non consuluerint os Domini, cum esset* (עם היות) *apud ipsos Josue, qui erat propheta & Eleazar, sacerdos, apud quem erant Urim & Thummim, sicut dicit lex*(Deut. 27 21.) Et ante Eleazar sacerdotem stabit & consulet eum, ex more Urim. *Et ecce hoc juramentum quamvis fuerit in errore, non consenserunt transgredi id, quia esset in isto profanatio nominis apud gentes & cogitassent quod nullus timor Dei in Israële esset: Et ecce principes vivere eos sivissent, modo convenienti, si pacem fecissent cum ipsis in principio, quia lex dicit* (Deut. 20. 11.) Et erit omnis populus, qui invenietur in illa, erunt tibi tributarii & servient tibi: *at jam ingravaverunt rem servitutis hujus: & hoc, quo jam possibile secundum judicia legis. Hæc erant statuta ut tributum penderent Israëli & liberi essent ab servitute post hæc quod starent inter eos humiles tanquam servi. Sed si intenderent onus super eos ut servirent corporibus suis in his servitutibus gravioribus* (id est) *ut essent lignatores & aquatores toti cætui. Et fuit hoc possibile cum substantia conditionum. Quia ipsi seipsos fecerant servos Israëli: & cum his omnibus voluerunt illis ostendere gloriam Dei, quod non opprimerent aliquos de ipsis, convenienti ipsis statuto, propterea quod venissent cum ipsis in fœdus: quia jam deceperant ipsos dicendo quod essent è terra longinqua: & illi propterea non obligati ad faciendum misericordiam illis aliam præter id quod coacti erant in eo per Juramentum. Et quoniam juramentum & fœdus fuit ad conservandum illos in vita & ut essent illi servi Israëli: Ecce jam stabilierunt conditionem cum illis hoc modo. Et ecce addidit Josue supra eorum servitutem, in quam consenserant principes, ut essent lignatores & aquatores toti cætui & altari Domini.*

Rogati an non in medio habitarent, respondent se esse Hebræorum servos. Quod potuisset suspicionem injicere de eo, quod è Cananæis essent: sed cogitare potuerunt, (inquit nonnemo) existimasse, quod extra Cananææ fines data Divinitus ipsis esset possessio: imò verò, cum longinquam jactarent habitationem, quod metus Dei Israel eos ita loqui subegisset. Quærit Josue, Unde estis? Respondent se de terris admodum dissitis advenire motos nomine Domini Dei ipsorum: cujus fama ad ipsos usque penetrasset: ob ea, quæ in Ægypto, quæ duobus regibus Amorrhæorum fecisset, ideò seniores omnesq; incolas terræ suæ (videntur profiteri quod sub libera rep. degerent similiter Israëlitis cum regis nullam faciant mentionem) dixisse sumpto viatico occurrite: & dicite, Servi vestri sumus, facite nobiscum fœdus. Hunc panem calentem ex

ædibus

ædibus assumpsimus ad iter qui nunc exaruit & contraxit mucorem. Novi illi utres erant, qui nunc veteres & laceri: calceamenta nobis & vestes attrita sunt itineris longitudine. οἱ πεύσαντες, principes cætus fidem verbis habentes & arbitrati se testimonia rerum uidere, crediderunt eos ab ultimis terrarum finibus advenire, impulsos fama rerum, quas Deus in Israël patraverat. Non consulto Domino, fœdus paciscitur Josue, quod juramento firmant proceres.

Eò facilius sane impelli potuerunt, quod reverentiam Domini profiterentur. Hoc ipso videntur Gabaonitæ idololatriam abjecisse. Citò dolus patuit. Nam Israëlitæ agmine moto post tres dies ad eorum oppida pervenerunt, quæ fuerunt, Gabaon, Chaphira, Beeroth, Cariathiarim. Ob juramenti reverentiam parsum illis est, indignante populo Israël. Concilio convocato & re deliberata decretum est, juramentum quidem violandum non esse, sed eorum fraudem puniendam servitute corporali, ut lignando aquandoque servilia munera obirent populo Israël universaliter congregato. Evocatis igitur Gabaonitis dixit Josue: Cur decepistis nos, professi è remotis regionibus vos advenire cum in medio habitetis. Eritis igitur maledicti nec è vobis unquam deerunt servi, lignatores & aquatores domui Dei mei. Respondent: Sibi pro certo indicatum esse, Dominum Deum eorum præcepisse Mosi servo suo, ut ipsis totam hanc regionem daret & omnes incolas deleret: mortis igitur metu subactos ista commentos esse. Mortis & excidii metum causantur, atqui non erat vis mandati Dei in isto rigore. Masius & ipsos & Israëlitas in isto rigore accepisse putat. Sed in potestate vestra sumus, quod videbitur, facitote. Huic igitur ministerio destinati, juxta jurisjurandi fidem evasere.

Josephus scribit habitasse non procul Hierosolymis, & id cognitum cum Josue exercitum duceret *εἰς τὴν ὑπώρειον.* Existimasse quod Josue internecinum bellum gereret cum Cananæis, *ἐπ' ὀλέθρῳ τοῦ Χαναναίων ἔθνους πόλεμος.* Non putat igitur Josue misisse legatos de pace, si cultum Dei & tributum admitterent. Cepheritas & cathieremitas, in societatem legationis assumptos esse. Venire se *κατὰ πίστιν τῆς ἀρετῆς αὐτοῦ Iosue.* Petunt in amicitiam salvis patriis institutis, *ἐφ' οἷς πάτριον αὐτοῖς ἐστι συνθήκας.* Gratulari, quod Deus (ut intellexissent) benignitate sua ipsis donasset Cananæam, *καὶ πολίτας ἀξιοῦν αὐτῶν γενέσθαι.* Eleazarum cum senatu jurejurando sanxisse fœdus *τοῖς ὅρκοις ἐπισυναινέσαντος τοῦ πλήθους.* Nihil dicit de pœna aquationis & lignatiouis.

Servati igitur Gabaonitæ, qui Israëlitas deceperant. Hinc oritur materia quæstionum. Primò, An cum extraneis fœdus amicitiæ Judæis esse potuerit? Secundò, An cum Chananæis? Tertiò, An validum hoc juramentum quod ex ignorantia profectum erat fuerit? Quantum ad primum, licuisse patet ex Deut. 20. 10. & seqq. etiam salva & immutata ipsorum religione, quod & laudata probant exempla. Quantum secundum attinet: Et hoc licuisse dicimus sed aliis conditionibus, quam cum exteris. Nempe, si religionem Israël susciperent, si terras Israëlitis concederent. Primam conditionem statuit metus ne ab iis averterentur ad idololatriam & quia Deus Cananæam suo populo dederat in figuram cæli. Deinde cum istæ gentes ab gravissima peccata pœnæ addicti essent, poterant evadere resipiscentia (Errant enim, qui simpliciter delendos fuisse putant) Alteram illa Dei donatio Israëlitis dabat scilicet istius agri proprietatem: quam debuerint illis cedere veteres domini. Bonfrerius: *Quod intellige de agri frugiferis, vinetis, olivetis, pomariis, è quibus fructuum proventus annuus colligebatur: poterant tamen iis mobilia bona reliqui, solumque infrugiferum ad usus domesticos possidere; sic enim Arevna Iebusæus 2. Reg. ult. & 1. Paralip. 21. aream possedit in monte Moria, intra Hierosolyma muros, quam Davidi regi justo pretio*

pretio vendidit: sic & Levitæ, quamvis in terræ illius partem non venirent, poterant tamen domos imò urbes integras possidere: poterant item iidem Cananæi conversi è mercimoniis, pastione pecorum aliisque modis ditari: quamvis Gabaonitas, uti servituti publicæ & sacræ addictos, plane sit verisimile de templi ærario publico nutritos fuisse, saltem pro eo tempore, quo actu ministrabant. Hactenus Bonfrerius, qui malè Levitas comparat cum extraneis proselytis & servis Chananæis. Nam Levitis propria portio agrorum assignata est, tanquam Dei peculium. Quantum ad tertium, quidam putant reipsa invalidum fuisse, sed servatum ex reverentia nominis Divini, alii strinxisse. Invalidum alii fuisse volunt: vel quia fuit de re illicita vel quia conditio hæc videtur fœderi jurato intervenisse, si estis extranei vel quia intercessit error substantialis circa personas; vel injuria & dolus dedit causam contractui. Nos ea latius non discutimus. Augustinus, quem alii sequuntur invalidum ex se validum fuisse putat, ex consequenti quod Deus probaverit. Deinde ostendere Israëlitas voluisse, quanti apud se esset jurisjurandi religio. Cæterum si res illicita simpliciter fuit, non potest juramento licita fieri. Si Gabaonitæ professi essent, qui essent, impetrassent veniam (quantum vim divini mandati attinet) nec habuissent pœnam deceptionis. At dices Israëlitas ægre contineri potuisse, respondeo, quod eorum spoliis inhiarent, pro more vulgi, & indignarentur deceptores non puniri. Gabaonitæ etiam videri possunt timuisse populi Israël sævitiam, si juramento adstricta non esset, non vim præcepti Dei de Cananæis delendis. Augustini dissertationem describere volo: *Quæri potest* (inquit qu. 13. in Josue) *quomodo jurationem servandam esse crediderint Hebræi Gabaonitis, quibus ita juraverant, tanquam de longinqua terra venientibus sicut illi mentiti fuerant. Sciebant enim se delendos, si cognitum esset Hebræis in ea terra eos habitare, quam promissam fuerant ab habitantibus recepturi. Mentientibus ergò, quod de longinqua terra ad eos venissent, juraverunt eis Israëlitæ. Postea verò quam cognoverunt eos ibi habitare, ubi omnes quos invenerant secundum Dei præceptum* (ita Augustinus arbitratur) *debellare oportebat, nolebant tamen frangere jurationem. Et licet eos mentitos esse didicissent, parcere maluerunt jurationis causa, cum possent utique dicere, se tantum illis jurasse, quos eos esse crediderant, id est de longinquo venientes. Cum vero aliud cognoverunt, præceptum circa eos Domini implendum erat, ut sicuti cæteri expugnarentur. Deus hoc approbavit nec parcentibus succensuit: quamvis eum non interrogassent, quinam illi essent & ideo eos illi fallere valuissent. Unde non importunè utique credendi sunt, & si fallere pro sua salute valuerunt, non tamen fallaciter Deum timuisse in populo ejus: propterea nec succensuit Dominus jurantibus aut parcentibus, ut postea Gabaonitas ipsos, tanquam populi sui homines de domo Saul vindicaverit, sicut regnorum ostendit historia. Et quoniam juratio sic servata est, quamvis in hominibus, qui mentiti sunt, ut ad clementiam sententia flecteretur non displicuit Deo. Nam si è contrario jurassent, aliquos se interfecturos, quos Gabaonitas in terra promissionis esse putavissent & postea didicissent eos esse ab illa terra extraneos & de longinquo ad se venisse, nullo modo arbitrandum est quod eos essent debellaturi causa jurationis implendæ: cum propter ipsam parcendi clementiam sanctus David etiam post verba, quibus se Nabal interfecturum esse juraverat, utique sciens, quem fuerat interfecturus, parcere maluit, nec in re duriore implere juramentum: magis Deo placere existimans, si quod ira perturbatus ad nocendum juraverat, non fecisset, quam si perfecisset.* Masius etiam arbitratur si summo jure agendum fuisset, sacramento non teneri Israëlitas, nec illud ignorasse tam Gabaonitas quam Israëlitas. Id vel ex eo intelligi, *quod alteri castigent dolum, alteri pœnam metus excusatione sic deprecentur, ut interim*

quavis

quavis pœna se dignos esse fateantur. Non magis Israëlitas obligatos fuisse Gabaonitis, *quam si quis venditor rei pretium ei se numeraturum per errorem promittat, qui sibi nihil vendidit. Sed prisci illi homines,* inquit, *non solum qui veræ religionis, sed qui falsarum etiam superstitionum cultores fuere, non solum parce atque religiose admodum ad jurandum descendebant, sed sua promissa, quorum semel Deum suum sponsorem nuncupassent, quovis modo servare se debere putaverunt.* Omnino juramentum per dolum elicitum, si sit de re licita stringit; deliberatò & scienter prolatum de re illicita servari non debet. Licuisse Cananæos religionem suscipientes & sub tributo, servare si agros dederent, suprà probarunt Judæi & Masius pugnat. Hic inter alia: *Multa exstare apud veteres Iudaos, cum in prioribus libris Misnajoth, tum in vetustis commentariis, qua vocantur* אלא הדברים רבה, *hoc est, deuteronomium magnum, atque etiam in Thanchuma prodita de literis publicis, quibus Iosue simul atque in promissam terram pervenisset, omnes ubique urbes, priusquam bello eas invaderet ad pacem deditione redimendam, quibus æquum erat conditionibus, sit cohortatus. Iam verò Gabaonitas propterea indignos veniæ Israëlitis visum est, cum rescitum esset eos esse Cananaos, quia literis istiusmodi invitati non venissent ad depaciscendum, nisi demum ubi Hajensium etiam exitio territi fuissent. Ego vero ut non plane possum ei rei de publicis literis fidem adjungere: ita non omnino nihil esse illud, quod prisci illi de offerenda pace scriptum reliquerunt, facile crediderim. Nam sane ipsa æquitas dictat bellum nullum nisi denuntiatum videri justum estque hoc ita apud omnes gentes semper existimatum. Quin Moses ipse* &c.

Cap. X.

Cum vicini dissitique per Cananæam populi regesque inaudissent post Hierichunta & Ajum subversas, etiam Gabaonitas se subjecisse Israëlitis, terror auctus est, & festinandum esse ad incendium restinguendum intellexerunt. Perse autem Adonisedec rex Hierosolymorum, antequam universæ Chananææ vires coirent, aliquid movendum arbitratus, nec sinendum ut communis patriæ proditores, malefacto gloriarentur. Missis igitur legatis Hoham regem Hebronis, Phiram regem Jarmuth, Japhiam regem Lachis, Debir regem Eglonis, de societate armorum, fecit ut quinque regum exercitus ad obsidendam unam urbem coiret. Gabaonitæ opem petierunt à Josue & Israëlitis, cum jam (ut inquit Josephus) eos adesse viderent & castra posuisse apud fontem quendam, qui haud procul ab urbe aberat, ut se pararent ad obsidionem. Gabaon erat inter urbes Cananææ præcipuas. Dicitur in textu fuisse, ampla, כאחת ערי הממלכה, Græci *αἰσεὶ μία τῶν μητροπόλεων.* Regem Hierosolymorum antiquissimo mendo Græca biblia appellant Adonibesec. Putant Judæi commune illius urbis regum nomen fuisse Malchisedec vel Adonisedec, ut Ægypti regum Pharao. Ingenti autem metu pressi fuere Gabaonitæ, qui ita loquuntur: *Noli retrahere manus tuas à servis tuis: ascende ad nos festinanter, salva nos, auxilium affer. Nam omnes reges Amorrhaeorum, qui in montanis habitant, cojerunt adversum nos.* Dicuntur reges Amorrhæorum in v. 4. & 5. in Hebræo textu: at Græci, in v. 4. legunt Jebusæos (male) quod Augustinus ut conciliaret valde laboravit, qu. 15. in Josue.

Humilis admodum fuit oratio Gabaonitarum quibus subsidio venit Josue ex condicto, Galgalis exiit cum omnibus viris belli. In Hebræo כל עם המלחמה וכל גבורי חיל Græci, *πᾶς ὁ λαὸς ὁ πολεμιςὴς, πᾶς δυνατὸς ἐν ἰσχύϊ*; Joseph, *πανςρατιᾷ*; Chaldæus Jonathan: כל עמא עבדי קרבא, item וכל גברי חילא.

Dominus voluit firmare animum Josue adversus ingentem belli molem &

 signi-

significare victoriæ magnitudinem, quam erat reportaturus. Fortassis solicitum Josue fecit virium hostilium reputatio. Dixit Dominus: Ne metue, Ego enim eos tradidi in manum tuam, nullus adversus te consistet.

Festinato per totam noctem itinere, jam molientes oppugnationem Gabaonis (ut Iosephus dicit) summo mane adortus est. Quamdiu & qua forma pugnatum sit, non exprimit textus. Non videntur Cananæi fortem operam ad resistendum impendisse. Deus conturbavit hostes ut textus dicit: הממ ἐξέστησεν. Deinde etiam percussit magna clade. Fugientes & in effusam fugam effusos persecutus est via ascensus, Beth-horon (דרך מעלה בית חורן) LXX. ὁδὸν ἀναβάσεως ὡρωνιν. Percussit eos usque Asecam & Macedam. Cum fugerent Deus in descensu Bethhoron grandine in eos demisso (lapidibus è cælo inquit scriptura) plures percussit quam gladius Israëlitarum. Utrum descensus & ascensus Horon seu Beth-horon idem sit, qui dicatur diverso respectu, an duas oppositas notet partes sanctus scriptor incertum est. Beth-horones duæ memorantur, inferior & superior. Iosue in cædendis hostibus non satis erat diei unius longitudo, quantacunque fuerit (Judæi solstitium fuisse volunt) in fide os aperuit ad Deum, mandavitque Soli & Lunæ quietem & moram, donec finem mactandis hostibus fecisset. Prolocutus est in oculis Israël, imperans Soli & Lunæ quietem. Commemorat sanctus scriptor id narrari in libro recti (ספר הישר) Iudæi dicunt esse Legem Mosis quod probat Kimchi sequens judicium patris sui. Nam in Lege scriptum esse (Exod. 34. 10.) *Coram toto populo tuo faciam mirabilia.* In eodem versu postea dicitur: *Ego facio tecum.* In eo versu putabat Moses Kimchi pater Davidis duo miracula per verba allegata denotari: Per prima verba hoc miraculum Iosue, quod factum coram toto populo, per posteriora, fulgentiam faciei Mosis. Verius est fuisse librum historicum, qui ad manus nostras non pervenit. Cæterum alii Hebræi teste Lyrano putant librum Genesis intelligi: ubi narrantur facta Abram, Isaac & Jacob, qui insigniter justi fuere coram Deo. In illo libro benedictionem Jacobi Manasse & Efraim haberi cap. 49. De Efraim diei, *Semen ejus congregabit gentes.* Refert etiam Lyranus alios existimare, quod intelligatur liber duodecim prophetarum: cum Habacuc. 4. scribatur, *Sol & Luna steterunt in habitaculo suo.* Hanc sententiam Lyranus refutat quia tempora non quadrant, priorem admittit. Miror summum virum Andream Masium Josephum scribentem in hunc modum: *Ὅτι δὲ τὸ μῆκος τῆς ἡμέρας ἐπίδωκε τότε καὶ τοῦ συνήθους ἐπλεόνασε δηλοῦται διὰ τῶν ἀνακειμένων ἐν τῷ ἱερῷ γραμμάτων*, sic intelligere, quasi librum illum recti narret in templo repositum fuisse. Existimat enim Masius in templo posita fuisse monumenta rerum gestarum, è quibus Esdras compilaverit sacram scripturam, ut nunc habemus: interque ea antiqua monumenta fuisse librum recti. Ea opinio tanto viro indigna est. Josephus ipsam sacram scripturam inque ea hunc Josue librum intelligit.

E libro illo recti conscripto carmine tres versus putantur allegari: Ad primum dubium est an pertineant verba לעיני ישראל / quia à quibusdam referuntur ad verbum *dixit*, quod antecedit.

1 (In oculis Israël) *Sol in Gabaon sile & Luna in valle Ajalon,*

2 *Et siluit Sol & Luna stetit, donec populus ultus esset hostes suos.*

3 *Et stetit sol in medio cæli & non cucurrit ad occasum quasi die integro.*

Ego existimo tantum ultimum illum versum allegari è libro recti quia ante illa verba ponitur: Nonne hoc scriptum est in libro justi?

Cæterum obscurum est, quid sit aut quomodo dici possit, Solem in Gabaon & Lunam in valle Ajalon stetisse? Hic lubet lectori exhibere diatriben Andreæ

deræ Masii: *Porrò (inquit) quod sol jubetur insistere in Gabaone, Luna vero in valle seu campo Ajalonis* (עמק *enim & vallem & planitiem significat) hoc Kimchi sic explicat: Erat*, inquit, *jam tum meridies, quando apud Gabaonem conserens cum hoste manus Iosue, soli imperabat, ut cursum sisteret. Itaque substitit ille unius longissimi diei intervallo; quanti dies sub æstivam conversionem aguntur: priusquam inde ad occasum versus, more usitato, iter cæptum continuaret. Cumque jam confecto duorum dierum spatio ille occideret tandem; hostes fuga ad Ajalonem jam evaserant. Ibi ergo succedens Soli Luna ceteroqui vicina occasui (erat enim nova solique propinqua) tantisper fixa hæsit, dum profligati hostes prorsus essent. Nonnulli etiam quos pedum celeritas servabat, in sua se præsidia recepissent. Talia ferè Kimbi sed quam rectè jam videndum est. Ajalon vallis atque præruptum est, juxtà villam, quæ etiam nunc Ajalone dicitur: contrà orientem Siluntis (sic enim cum Ziglero, pro, Beth-elis, legendum censeo) tribus ab ea passuum millibus distans; haud procul à Gabaa, & Rhama Saulis urbibus. porrò Hebræi affirmant, Aialonem vicum esse juxtà Nicopolim, in secundo lapide, pergentibus Æliam. Hæc ibi. Ego autem Hebræorum, quam profert sive Eusebius, sive ejus interpres Hieronymus opinionem, esse veriorem arbitror Neque enim ista nostra Aialon, admodum vicinam habere potuit Saulis Gabaam, quæ in Beniaminitarum finibus posita erat, cum ista pertineret ad Danitas: sed Gabaonem: quæ profectò longè diversa urbs est à Gabaa Saulis. Recedebat autem à Gabaone ad Austrum versus positaque erat in recto itinere, quo ex Nicopoli itur Æliam, hoc est, Ierusalem. Vnde conficitur; eam ab Ierusalem abfuisse stadiis, non amplius, quadraginta quatuor. vicinior enim erat stadiis sedecim, quam Nicopolis. hanc autem ab illa dissitam fuisse stadiis sexaginta scriptum in Luca est. Porrò sub Gabaone & Aialone planitiem fuisse certissimum est: in quam è Beth-horon descendebatur, per illum, cujus facta est supra mentio, clivum. Eaque planities ut hic Aialonia, ita apud Isaiam Gabaonia nominatur; cum ille vates ad hanc alludens pugnam, ait: Sicut in valle Gabaonis irascetur Dominus, ut faciat facinus suum: & ut patret opus suum; extraneum opus suum. Quippe erat ea planities utrique urbi communis, atque prope ad Macedam usque pertinebat: ut est à nostris hominibus proditum, qui ea loca sunt contemplati. Illud igitur credibile est hujus narrationis scriptorem, eum dico, qui istud miraculum sonoro hoc metro retulit in librum Recti, ludentem poëtica copia, locum eundem significare voluisse, cum diceret, in Gabaone, & in valle Aialonis, eam videlicet quam modo dicebam, planitiem: atque ab eadem quoque scribendi uberiore ratione, profectum esse, quod præter Solem, ille Lunam etiam nominavit. Nam hæc duo præ cæteris aspectabilia astra, pro iis orbibus posita sunt, quorum conversione diei noctisque vicissitudo efficitur. Immò verò pro universâ fortassis cæli machina. Hujusmodi enim ferè prece usum esse Iosuam, significare, nisi fallor, ille poëta voluit: O vos cælestia lumina subsistite: neque propero cursu vestro lucem hanc nobis, in opportunissima valle, ablatum pergite, tantisper dum Dei hostes cædimus. Stultum ergò est & ex absurda locorum æstimatione natum commentum, quo Kimbi sesquidiei tantum, aut eo longioris temporis intervallo à Gabaone ad Aialonem tumultuaria fuga evasisse victos cum victore facit: cum neque magna esset inter Gabaonem Aialonemque loci intercapedo; neque ab Gabaone Macedam versus fugientibus occurreret Aialon: præsertim iis, qui clivo Beth-horon institissent. Hæc enim urbs Gabaoni aquilonaris erat, Aialon verò eidem Australis. Nam Aialonem stadiis aliquot viciniorem Æliæ fuisse quam Gabaonem, consentaneum est iis, quæ supra diximus, ex quo etiam efficitur, magis ad Orientem recessisse. Iam verò ex Gabaone Macedam petere; est ab Oriente versus occidentem ire. Neque verò minus stultum illud, quod non unus Kimbi, sed plerique etiam aliis judæi existimant, Lunæ vicarium lumen Solis lumini, postquam is occubuisset, fuisse suppositum: ne in tenebris, Andabatarum more scilicet pugnaretur. Ex ipsis enim sacris verbis, nemo, nisi stupidissimus, non intelligat; Solem non ante confectam pugnam, è nostro orbe finiente, excessisse atque*

ea caussa est cur proximo versiculo unus Sol substitisse memoretur: Lunæ verò nulla sit mentio. Quapropter rectè Iosephus diem esse productum scribit, ne nox succedens Hebræorum impetum cohiberet. Sed illud, siquis credibile esse censuerit, Lunam illo tempore novam fuisse, neque procul ab Sole, measse; & proinde utriusque astri moram conspici in cælo potuisse, non pugnavero. Nam id R. Isaiæ quoque placuit, cordato scriptori. Judæi per Medras productionem illius diei ultra solitum naturæ cursum extendunt ad horas triginta sex ut est apud David Kimchi: *Secundum Dras* inquit *steterunt Sol & Luna triginta sex horis, quia bellum fuit in vespera Sabbati, metuebatque Iosue ne Israëlitæ profanarent Sabbatum. Extendebant manus suas in sublime ut staret Sol in die sexto secundum æstimationem Diei Sabbati, & Luna secundum æstimationem noctis Sabbati & egressionum Sabbathi* (מוצי שבת) *quæ sunt triginta sex horæ.*

Ipsum meridiem fuisse putant, quo Josue allocutus est Deum & in Dei fide Solem, quia dicitur in medio Cœli stetisse: deinde diem duplicatum fuisse, quia dicitur non festinasse ad occidendum circiter diem integrum. Hæc enim leguntur in v. 13. fine. Potest illud de medio intelligi de inclinatione ad Horizontem: ut toto die consumpto in longa & solicita persecutione hostium, Josue videns diem in occasum ruere, has preces effuderit. Rursum de remoratione Solis dubium est integrumne diem confecerit in illa mora an inde ad occasum diei spatium consumpserit: an vero illa verba (*non festinavit occumbere secundum diem integrum*) significent quod non fuerit iste dies juxta modum usitatum dierum perfectorum.

De longitudine istius diei ejusque comparatione cum die miraculoso tempore Ezechiæ regis Lyranus longam instituit diatriben, quam dignam existimo esse, ut non prætereamus in bibliotheca, etsi non alium fructum possit habere quam recreationis. Sic igitur ille: *Circa prædicta de statione solis potest quæri: quæ fuerit longior dies sub Iosue vel sub Ezechia: & dicunt aliqui quod illa fuit longior dies sub Iosue, eo quod dicitur in textu: Non fuit ante & posteà tam longa dies, ut dictum est. Sed occurrit difficultas, quià de die sub Ezechia scribitur IV. Reg XX. & Esaiæ XXXVIII. quod Sol retrocessit decem lineis vel gradibus, quibus designantur decem horæ secundum communiorem opinionem: Ad cujus solutionem dicunt aliqui quod Sol recessit subitò. & ideò dies non fuit augmentata, nisi tantum decem horis, quibus successivè rediit ad locum, unde retrocesserat, & ulterius usque ad occasum descendit per duas horas, quià decem horæ diei transierant quando Sol retrocessit, & secundum hoc dies illa artificialis, de qua est sermo. Fuit autem viginti quatuor horarum, quià sol stetit immobilis spacio unius diei artificialis, & posteà cursu suo naturali ivit ad occasum, & sic illa dies fuit duplicata. Sed quia Ezechias quæsivit signum notabile ab omnibus, ut videtur 4. Reg. XX. cap. & Esaiæ XXXVIII. & magis fuit notabile signum solis retrocedendo successivè & magis notum pluribus, quam si retrocessisset subitò. Ideò dicunt aliqui, quod duæ lineæ in horologio Achan faciebant tantum unam horam, & ideò sol retrocedendo decem lineis successive & redeundo ad locum unde retrocesserat, fecit tantum decem horas, & sic idem habetur quod prius, scilicet, quod dies sub Iosue fuit longior duabus horis. Alii verò innitentes dictis Dionysii dicunt quod dies sub Ezechia fuit longior dicit enim Dionysius in Epistola ad Polycarpum, quod dies sub Ezechia fuit ferè triplicata quam defecerunt tantum horæ quatuor, quià secundum ipsum Sol processerat de oriente in occidentem per decem horas, & retrocessit successive per X. horas & per decem alias rediit ad locum unde retrocesserat, & ultra processit ad occidentem per duas horas & sic dies artificialis, fuit augmentata XX. horis, & sic fuit XXXII. horarum. Illa autem quæ fuit sub Iosue XXIV. tantum, quià illa dies non fuit nisi duplicata. Ad illud autem quod dicitur in hoc loco: Non fuit ante nec*

nec postam longa dies &c. dicunt quod hoc refertur ad tempus in quo Iosue scripsit librum istum, quià post victoriam prædictam vixit longo tempore, & librum istum scripsit circa finem vitæ suæ, & usque ad tempus illud non fuit tam longa dies ante victoriam dictam neque post. Per hoc tamen non excluditur, quod dies sub Ezechia quæ fuit posteà fuerit longior. Sed quià bonum est sustinere dicta scripturæ quantum est possibile, quæ absolutè dicit hic, quod non fuit tam longa dies ante neque post. Ideò non obstantibus prædictis potest dici, quod dies sub Iosue fuit longior, quia, ut dictum est supra IV. cap. filii Israël transierunt Iordanem decima die mensis primi, qui apud Hebræos incipit à prima lunatione propinquiori æquinoctio vernali, & quartadecima die ejusdem mensis celebraverunt Pascha, & posteà septem diebus obsederunt Hiericho, & posteà miserunt exploratores ad civitatem Hai. Post bellatores contra eam, qui devicti fuerunt propter peccatum Achan, quo deprehenso & punito postea ceperunt Hai & Bethaven, quibus peractis venerunt Gabaonitæ & confœderati fuerunt filiis Israël, propter quam confœderationem quinque Reges obsederunt eos, & Iosue ab eis rogatus venit, ad liberandum eos pugnando contra reges prædictos, in quâ pugna fuit statio solis, ut patet ex prædictis. In tot autem & tantis agendis benè & probabiliter potest dici, quod fluxit tempus ab æquinoctio vernali usque ad medietatem Iunii vel circiter. Tunc verò dies artificialis habet XVIII. horas, & tunc fuit duplicata ut dictum est, & per consequens fuit XXXVI. horarum, dies autem sub Ezechia fuit XXXII. horarum ad plus, ut patet ex supradictis. & sic videtur quod sub Iosue fuit major dies. Ad cujus intellectum est sciendum, quod quæstio est de quantitate diei artificialis & de ejus augmento, quia dies augmentati sub Iosue & Ezechia fuerunt artificiales, quantitas verò diei artificialis variatur secundum diversitatem climatum & secundum appropinquationem majorem ad solstitium æstivale & hyemale: Et ideo licet in omni climate & quolibet tempore anni quælibet dies artificialis habeat XII. horas artificiales, tamen horas naturales habet aliquando pauciores. In tertio verò climate dies brevissima scil. quando Sol est in solstitio hyemali habet X. horas longissima verò scil. quando Sol est in solstitio æstivali habet XIV. horas. Quæstio autem nostra debet applicari ad tertium clima, quià in eo est Hierusalem, ubi erat Ezechias, quando dies fuit sibi prolongata, & similiter Iosue erat satis prope Hierusalem, quando prolongavit Deus diem ad ejus petitionem. Si autem dicatur quod dies prolongata sub Iosue, fuit in solstitio æstivali, quod satis probabiliter potest dici, eo quod eodem anno aliqualia bella Iosue peregerat, sequitur quod illa duplicata habuit XXVIII. horas, & si propter oppositionem dicatur, quod dies prolongata sub Ezechia fuerit in solstitio hyemali, quod satis probabiliter dici potest, ut videbitur posteà, sic dies ille habuit tantum XXVI. horas naturales, & duas partes unius horæ naturalis, quià quatuor horæ artificiales, quæ deficiunt à perfecta triplicatione illius diei, ut patet ex prædictis, non valeret nisi tres horas, & tertiam partem unius horæ, & sic habetur quod dies sub Iosue fuit longior in una hora naturali, & tertiâ parte unius horæ naturalis. Probatio assumpti, scilicet, quòd probabiliter potest dici diem sub Ezechia prolongatam fuisse in solstitio hyemali & hoc ratione climatis, quià in tertio climate sol elevatur in meridie minoris diei per XXXVI. gradus ferè, & ideo tale tempus est ibi tunc, quale est apud nos in septimo climate circa finem februarii per duodecim dies ante æquinoctium vernale, quod est tempus satis aptum ad procedendum ab bellum, cum nec sit nimis calidum, nec nimis frigidum. Dies autem prolongata fuit Ezechiæ ante percussionem exercitus Senacherib ut ostenditur 4. Reg. XX. percussio autem illa fuit, quando Senacherib cum exercitu magno veniebat contra Hierusalem, & sic patet propositum, scil. quod probabiliter potest dici illam diem in solstitio hyemali fuisse. Ad dictum autem Dionysii dicentis, quod illa dies sub Ezechia fuit XXXII. horarum, dicendum quod loquatur de horis artificialibus, & illæ valerent tantum XXVI. horas naturales & duas partes unius horæ, ut dictum est.

Ralbag solicitus de hoc miraculo spectabili & conspicuo admodum, ne in eo Josue Mosis majestatem transscendere videatur, in hunc modum disputat: *Quodsi sol stetit & cessavit à motu solito, fuit hoc prodigium mirabilius* (לאין שיעור) *ut comparationem non habeat, prodigiis, quæ facta sunt ministerio Mosis: idque ideò, quia prodigia illa fuerunt in mutatione naturæ rerum illarum inferiorum, hoc autem mirabilius, ut non veniat in comparationem, quia utitur illis venerabilibus ad mutandam* (הפקידה) *influentiam ut non dominetur in res has inferiores ad mutandum rem ordinis earum.* &c. *Et si res ita est, quomodo stat quod dicit Lex quod non steterit propheta amplius in Israël sicut Moses ad omnia signa & prodigia, quæ fecit Moses in oculis totius Israël: quamvis expresse non sit commemoratum, ut dixerunt quidam magistrorum: Tum superest hoc dubium, quod jam sit æqualis Mosi Josue in magnitudine prodigiorum. Præterea, si res ita sit, fuisset conveniens ut non reticeret id prodigium admirabile. Nam apparet hanc esse intentionem Legis publicare prodigia & mirabilia, ut introducat ad credendum in nomen Dei: quemadmodum quod habetur in lege de re prodigiorum quæ facta fuerunt Pharaoni*: Et ideo narrabis in auribus filii tui &c. & agnoscetis quod ego Dominus &c. Deinde ex ipsis verbis textus dicit apparere, quod non sit omnino sol à motu desitus. Nam dicitur לא אץ non festinavit. Inde etiam duo distita loca à Josue appellata esse, intra quæ moram nectere duo luminaria debuerint. Eodem modo alicui præfigi posse terminum, è quo toto anno egredi non liceat, nec tamen inde sequi quod se loco non commoveat intra illum temporis terminum. Deinde prodigium in eo positum esse, quod posteà exprimitur: Et non fuit secundum diem hunc ante eum & post eum, audiendo Dominum vocem viri: quia Dominus bellabat pro Israël. Fuisse igitur miraculum in belli modo, non in fixione solis &c. Ita pugnant illi pro Mosis gloria, quam verè æstimans nihil imminui existimabit, si Josue solem stitisse dicamus ut res est.

Solicitudo interpretum de die Josue prolongando supra modum diei Ezeciæ tribuit diei Ezeciæ horas 32. Nam decem lineas transierat Sol, quas retro legere coactus, iterumque progrediendo conficere. Hæ viginti horæ cum ordinariis duodecim conficiunt horas triginta duas. Hebræi igitur doctores in capitulis R. Eliezeris & tractatu de cultu alieno post longas morosasque altercationes in eo ferè conveniunt (ut observavit Masius) ut censeant, die illo Josue bis interquievisse solem. Semel in cæli parte media, iterum in ultima. Hæc eliciunt pro suo acumine è verbis: *Substitit in medio cæli:* Item, *Non maturavit occumbere.* Itaque alii hunc diem 36. alii 48. horarum spatio definiunt. Ita enim facile diei Ezechiæ anteponunt. Justinus Martyr & plerique doctorum 36. horas largiuntur, quia quietem de integro die naturali 24. horarum accipiunt. Masius observat non esse necessarium, ut demus regressui Solis in horologio Achaz decem horarum spatium; quia transire potuit Dei voluntate decem lineas uno momento, Deo ita jubente. Proinde iterato cursui decem horæ tribuendæ sunt tantum, quæ faciunt horas illius diei 21. cum dies Josue (integris horis duodecim additis, qui est Dies artificialis) fuerit horarum 24.

v. 13. Reversus esse dicitur Josue in castra, quæ erant Galgalis. Difficilis est hujus versus expositio. Nam constat substitisse ad Macedam, ex iis, quæ sequuntur. Putat Masius animum redeundi habuisse, sed accepto nuntio de quinque regibus in specu abditis deque magno numero hostium reliquo, aliud consilium cepisse. Nuntiatum Josue est quinque reges in speluncam se abdidisse. Præcepit ut magnis saxis obstrueretur os antri, quo effugiendi via precluderetur & custodiam apponerent. Interim ut hostem fugientem perseque-

sequerentur nec in urbes suas elabi sinerent. Cum igitur interempti essent, quotquot apprehendi potuere, cæteris intra mœnia urbium elapsis in castra ad Maccedam populus cum imperatore rediit salvus & incolumis. Tum jussu Josue spelunca aperta producti sunt quinque reges coram toto exercitu. Imperator præcepit, ut præfecti copiarum pedes cervicibus animose & immisericorditer imponerent, regum, qui se supplices ad ipsius pedes prostravisse videntur. Proculcatos ita trucidavit trucidatosque in arboribus (lignis cum in finem erectis) suspendit. E quibus ante occasum solis detracta cadavera & condita in specu, quo confugerant: os magnis saxis congestis occlusum in monumentum. Nemo autem miretur sævam illam in supplices animadversionem, quæ speciem habet crudelitatis. Josue enim nihil fecisse in his constat nisi numinis voluntate & instinctu.

De solis statione ita Sedulius cecinit:

Sol stetit ad Gabaon, mediique cacumine cæli,
Fixit anhelantem dilato vespere lucem,
Insolitus frenare diem: nec Luna cucurrit
Ordine pigra suo, donec populantibus armis
Fervidus ingentem gladius consumeret hostem,
Conjurante polo. Iam tunc famulata videbant
Sidera venturum præmisso nomine Iesum.

Theodoretus qu. 13. in Josue: *Καὶ τοῦτο δὲ προσήμαινε τὴν τοῦ σωτῆρος θαυματουργίαν· ὥσπερ γὰρ τοῦ προφήτου πολεμοῦντος ὁ ἥλιος ἔστη, οὕτω τοῦ σωτῆρος ἡμῶν θανάτῳ τὸν θάνατον καταλύοντος ἐπέσχε τὰς ἀκτῖνας ὁ ἥλιος καὶ σκότους ἐν μεσημβρίᾳ τὴν οἰκουμένην ἐπλήρωσε.* Autor mirabilium sacræ script. lib. 2. c. 4. *Iesus filius Nun princeps populi Israël, soli in medio die præcepit ut ne se moveret: & Luna ubi fuerat, staret, donec se Dei populus de inimicis vindicaret. Quod & factum est. Nam Sol duos dies in uno conclusit & Luna diei spatio non occurrit. In qua jussione non humani imperii authoritate luminaria requiescunt, sed Domini imperantis ut starent, jussui obediunt. Nihil enim propter jubentis hominis verbum Dei creaturæ faciunt, sed quod Dominus servi sui orationi obediens præcepit faciunt. Sic enim perhibetur, Sol stetit contrà Gabaon, & Luna ad vallem Hailon, obediente Domino voci hominis. Ex quo intelligitur Deum suorum servorum precibus obedire, & ad eorum necessitatem creaturas suas opportunè gubernare. Hac luminarium mora nihil novum in natura commisit, etsi in ministerio aliquid novum aliquando natum ostendit. Sed & illa varietas nihil in anni cursu & reliquorum dierum commovit, dum pariter sol & luna unumquodque in suo ordine requievit. Si enim unum luminare curreret, dum alterum interim requiesceret, diērum & mensium & annorum assuetum cursum conturbaret. Dum autem utrumque moram hanc habuit, quasi post consuetum diem in occasus sui limitem perrexit. Non enim quod ad belli illuminationem luna tunc in præsentia solis proficeret, stare imperatur: sed ne quid incongrue luminarium meatu per unius quietem & alterius cursum destrueretur. Sed quoniam & maris cursum lunari convenientem esse in omnibus evidenter monstravimus, & illum tunc requievisse, etsi scriptura vocibus reticetur, nonne ipse illarum rerum pronunciat observabilis commeatus? Luna verò non tantum in hac statione requievit, sed & incrementi vel detrimenti sui interim consuetudinem agere non potuit. Si enim dum stetit Luna, licet stans sua incrementa vel detrimenta ageret, illud incrementum lunare ultra solis cursum in cyclorum rationibus aliquid turbaret.*

turbaret. Dum verò nihil in circuli in se revertentis cursu dies illa solito longior præbuit tunc manifestum est quod in illâ superveniente vespera, unius diei incrementum luna, sicut quotidie solet, gessit. Vt enim hoc manifestis approbationibus pateat, cyclorum etiam ab initio conditi orbis recursus in se breviter digeremus, quos semper post quingentos triginta duos annos sol ut in principio, & Luna per omnia convenientibus nullis subvenientibus impedimentis in id unde cœperant redire ostendemus. Quinto namque cyclo à mundi principio anno centesimo quarto decimo, generale totius mundi diluvium sub Noë venit qui post diluvium quadringentesimo decimoctavo anno decessit: & inde alius incipiens, id est sextus, in octavo ætatis Abrahæ anno finitur. Et nono ejus anno septimus incipiens, tricesimoquinto anno egressionis filiorum Israël de Ægypto, in quinquennio ante mortem Moysi concluditur. Post quem octavus, in quo est illud signum in sole & luna factum, tricesimosexto anno egressionis Israël de Ægypto incipiens, in tricesimum primum annum Asæ regis Iuda incedit. Cujus tricesimosecundo anno nonus exordium capiens, in sole, Ezechiæ regis tepmore, de quo paulisper dicemus, factum legitur, centesimooctavoanno post restaurationem quæ sub Dario facta est, sui cursus spatium consummavit: donec decimus inde oriens nonagesimosecundo anno post passionem salvatoris Allia & Sparsa (leg. Aviola & Paula) *consulibus peractis cursibus consummatur. Post quem undecimus à consulatu Paterni & Torquati ad nostra usque tempora decurrens extremo anno Hiberniensium moriente Manichæo inter cæteros sapientes peragitur. Et duodecimus nunc tertium annum agens ad futurorum scientiam se præstans, sed à nobis qualem finem sit habiturus ignoratur: quorum unusquisque uniformi statu, peractis quingentis trigintaduobus annis in semetipsum, id est, in sequentis initium revolvitur, completis videlicet in unoquoque solaribus octovicenis nonodecies, & in lunaribus decennovenalibus vigesies octies circulis. Post quos in lunari supputatione per communes duodecim & embolismos septem, per Ogdoadem & Hendecadem & incrementum lunare quod computantes saltum nominant: & solari per quadrantes & bissextos diligenter dinumeratos: demum duobus luminaribus totidem dies habentibus, & per cursus sui omnes lineas concordi ratione convenientibus, veluti primus conditi orbis annus innovatur. Dum ergò hi circulorum totales recursus in se congruè, & post illos cyclos quibus in sole & luna mora vel reditus signa, quomodo sub Iesu vel Ezechia factum legitur, apparuisse describitur, sine ulla varietate redeunt: manifestè intelligitur, quod non mora illa aut reversio aliquid in luminarium & temporum assueto cursu præpeditum vel insolitum reliquerunt: sed quasi per diem omnem in occasus sui, ut supra dixi, limitem currunt postquam illius solito longioris diei spatium petegerunt. Per quod videtur quod nihil ad sequentis noctis longitudinem temporis illa dies longa contulerit, cujus princeps pariter in die cum sole diei præposito luna requievit.* Hæc non Augustinus sed alius autor anno C. 657.

Dionysius Areopagita in epistola ad Polycarpum: Καὶ ἵνα μὴ τὴν τῶν ἄλλων ἢ τὴν αὐτοῦ παρὰ τὸ δοκοῦν ἐξελέγχοι μοι δόξαν ἔδει συνιδεῖν Ἀπολλοφάνη σοφὸν ὄντα μὴ ἂν ἄλλως ποτὲ δυνηθῆναι τῆς οὐρανίας τι παραστρατεῦσαι τάξεως καὶ κινήσεως εἰ μὴ τὸν τοῦ εἶναι αὐτὴν καὶ συνοχέα καὶ αἴτιον εἶχεν εἰς τοῦτο κινοῦντα τὸν ποιοῦντα τὰ πάντα καὶ μετασκευάζοντα κατὰ τὸν ἱερὸν λόγον. Πῶς οὖν οὐ σεβητὸν ἐγνωσμένον ἡμῖν κἀκ τούτου, καὶ ὄντως ὄντα τὸν ὅλων θεὸν, ἀγάμενος αὐτὸν τῆς παναιτίου καὶ ὑπεραρρήτου δυνάμεως, ὅταν ἥλιος ὑπ' αὐτοῦ καὶ σελήνη κατὰ δύναμιν καὶ στάσιν ὑπερφυεστάτην ἅμα τῷ παντὶ πρὸς τὸ παντὴ ἀκίνητον ὁρίζωνται, καὶ εἰς μέτρον ἡμέρας ὅλης ἐπὶ τῶν αὐτῶν ἑστᾶσι τὰ πάντα σημείων· ἢ τὸ τούτου γε πλεῖον, εἴπερ τῶν ὅλων καὶ τῶν κρειττόνων καὶ περιεχόντων οὕτω φερομένων οὐ συμπεριήγετο τὰ περιεχόμενα· Καὶ ὅταν ἄλλη τις ἡμέρα κατὰ συνέχειαν σχεδὸν τριπλασιάζηται, καὶ ἐν εἴκοσι τῶν πασῶν ὥραις, ἢ τὸ πᾶν τοσούτου χρόνου φορὰς ἐναντίας ἀναποδίζῃ καὶ ἐπαναστρέφῃ ταῖς οὕτως ἄγαν ὑπερφυεστάταις ἀντιπεριαγωγαῖς· ἢ ὁ ἥλιος ἐν ἰδίῳ δρόμῳ τὴν πεντάτροπον αὐτοῦ κίνησιν ἐν ὥραις δέκα συνελὼν, ἀναλυτικῶς αὖθις ὅλην αὐτὴν ἐν ταῖς ἑτέραις δέκα καινήν τινα τρίβων ὁδὸν ἀναποδίζῃ· τοῦτο δὴ τὸ καὶ Βαβυλωνίους

εἰκότως

εἰκότως ἐκπλῆξαι, καὶ μάχης ἐκτὸς τῷ Ἐζεκίᾳ καθυποτάξαι, ὡς ἂν ἰσοθέῳ τινὶ καὶ ὑπερέχοντι τοὺς ἀνθρώπους καὶ οὐ δήπου φημὶ τὰς ἐν Αἰγύπτῳ μεγαλουργίας, ἢ ἄλλας τινὰς ἀλλαχοῦ θεοσημείας γεγενημένας, ἀλλὰ τὰ κοινὰ καὶ οὐράνια, καὶ ἐν τῷ παντὶ καὶ πάντη θρυλλούμενα. Φησὶ δὲ πάντως Ἀπολλοφάνης, οὐκ εἶναι ταῦτα ἀληθῆ. μάλιστα μὲν οὖν τοῦτο τῶν Περσῶν ἱερατικαῖς ἐμφέρεται φήμαις, καὶ εἰσέτι μάγοι τὰ μνημόσυνα τοῦ τριπλασίου Μίθρου τελοῦσιν. ἀλλ' ἔξεστιν αὐτῷ διὰ τὴν ἄγνοιαν, ἢ τὴν ἀπειρίαν ἀπιστεῖν. εἰπὲ δὲ αὐτῷ· τί λέγεις περὶ τῆς ἐν τῷ σωτηρίῳ σταυρῷ γεγονυίας ἐκλείψεως. ἀμφοτέρω γὰρ τότε κατὰ Ἡλιούπολιν ἅμα παρόντε τε καὶ συνεστῶτε, παραδόξως τῷ ἡλίῳ τὴν σελήνην ἐμπίπτουσαν ἑωρῶμεν· οὐ γὰρ ἦν συνόδου καιρός· αὖθίς τε αὐτὴν ἀπὸ τῆς ἐνάτης ὥρας ἄχρι τῆς ἑσπέρας, εἰς τὸ τοῦ ἡλίου διάμετρον ὑπερφυῶς ἀντικαταστᾶσαν. ἀνάμνησον δέ τι καὶ ἕτερον αὐτόν. οἶδε γὰρ ὅτι καὶ τὴν ἔμπτωσιν αὐτὴν ἐξ ἀνατολῶν ἑωράκαμεν ἀρξαμένην, καὶ μέχρι τοῦ ἡλιακοῦ πέρατος ἐλθοῦσαν· εἶτα ἀναποδίσασαν καὶ αὖθις, οὐκ ἐκ τοῦ αὐτοῦ, καὶ τὴν ἔμπτωσιν, καὶ τὴν ἀνακάθαρσιν, ἀλλ' ἐκ τοῦ κατὰ διάμετρον ἐναντίου γεγενημένην. τοσαῦτά ἐστι τοῦ τότε καιροῦ τὰ ὑπερφυῆ καὶ μόνῳ Χριστῷ τῷ παναιτίῳ δυνατά, τῷ ποιοῦντι μεγάλα καὶ ἐξαίσια ὧν οὐκ ἔστιν ἀριθμός.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI PRIMI.
CAP. XXXIX.

EOdem impetu vicinæ quoque urbes imperio adjectæ, regesque earum perempti. Verum quia omnia hæc in ordinem persequi non fuit consilium, dum brevitati studemus, id modo annotandum curavimus, XX. & novem regna imperio Hebræorum subjecta :. quorum terram per undecim tribus viritim distributa est. Levitis enim in sacerdotium assumptis, nulla portio data, quo liberius servirent Deo. Equidem hoc exemplum non tacitus præterierim, legendumque ministris Ecclesiarum libenter ingesserim. Etenim præcepti hujus non solum immemores, sed etiam ignari mihi videntur, tanta hoc tempore animos eorum habendi cupido veluti tabes incessit : inhiant possessionibus, prædia excolunt, auro incubant, emunt venduntque, quæstui per omnia student. At si qui melioris propositi videntur neque possidentes, neque negotiantes, quod est multo turpius, sedentes munera exspectant, atque omne vitæ decus mercede corruptum habent, dum quasi venalem præferunt sanctitatem. Sed longius quam volui egressus sum, dum me tempororum nostrorum piget tædetque. Ad inceptum redeo.

Drusius.

Vicinæ Quoque Urbes] Maceda, Lebna, Lachis, Eglon, Hebron, Dabir.

In Ordinem] usitatum magis, *ordine*.

Viginti Et Novem Regna] Secutus est (videtur certè) lectionem quæ in editione Romana Jos. 12. 24. εἰκοσιεννέα viginti novem, cum alibi sit, puta in edit. Veneta & Basileensi, ut etiam in Ebræo τριάκοντα καὶ εἷς. Quam lectionem veram esse fide codicum Ebræorum, qui nihil hic variant, non dubitamus asserere.

Per Undecim Tribus] imo *duodecim*. Nam in locum tribus Levi successerunt filii Joseph, in duas divisi tribus Ephraim & Manasse. Vide Jos. 14. 4.

Viritim] per singulos viros, κατ' ἄνδρα.

Levitis In Sacerdotium Assumptis] jam dixi, ex Levitis alii sacerdotes erant, alii sacerdotibus ministrabant. Hi peculiariter Levitæ dicebantur, ut illi sacerdotes, qui ab Aharone genus ducebant. Sed Sulpicius videtur sacerdotii nomen latius accepisse, ut etiam Levitarum functiones comprehendat. Sanè Samuelem Prophetam, qui Levita tantum erat, sacerdotem appellat infra.

Nulla Portio Data] nulla pars aut hæreditas, vel possessio. Dicitur etiam sors, id est, κλῆρος: unde clerici nomen apud Christianos invenerunt, quià hæreditatem Domini adepti sunt. Nam κλῆρος hæreditas. Hinc fratres à Latinis consortes dicti sunt, qui simul indivisa hæreditate agunt.

Quo Liberius Servirent Deo] alia ratio expressa Jos. 13. 33. & Num. 18. 20. Vide quoque Deut. 18.

Ministris Ecclesiarum] hinc perspicimus ministrorum nomen quo nunc utuntur, non esse recens aut hisce temporibus primum excogitatum. Nam Sulpicius vixit ante annos mille ducentos, ut suo loco videbimus.

Dum Me Horum Temporum Piget Tædetque] Si nunc viveres, Severe, magis tæderet horum temporum. Etenim sunt qui Christum in ore habent, & Machiavellum in pectore; qui calumniandi arte ipsum Diabolum vincunt. Sed reprimam me. Nam veritas odium parit.

Schotanus.

Reliqua cap. X. Josue à v. 29. Maccedam ceperunt (ביום ההוא) id est, eo die, quo oppugnare ceperunt aut adoriri ut ego interpretor. Quicquid in ea vivens repertum, gladio interemptum est. Mox Lebnam sive Lobnam, deinde Lachis, capiunt. Simili exterminio eversa sunt & regibus factum, ut antehac regi Hierichuntis. Horam rex Gazer venerat suppetias urbi Lachis: cum vicit & internecione delevit Josue cum universis ejus copiis. Hinc Eglonem obsessam expugnavit, item Hebronem & Debir. Nulli quod viveret, parsum est. regibus factum ut superioribus illis, de quibus diximus. Continuo victoriarum cursu montana, inferior regio & australia Judææ, cum decursibus aquarum capta & incolis cæsis evacuata. Nam exterminio sævitum in omnia illa loca, quia bello restiterant. Inter Gabaonem & Cades Barnea, Gazamque cum regione Gosen omnia occupata. Dehinc revertuntur Galgala in castra. Hæc primo secundoque anno, uti videtur, gesta sunt: interpretes fere in primum compingunt.

I. Cum

I. Cum autem in libello Eusebii de locis Hebraicis scribat Macedam abfuisse Eleutheropoli octo nullibus passuum, Eglonem duodecim millibus, & quidem utramque versus orientem: deinde Lachis ab Eleutheropoli tantum septem millibus sed versus austrum, ut in subjecta tabella

Eleutheropolis Maceda
O O O Eglon.

O Lachis.

Oportebit ultra citroque tanquam vagatum esse Josue. Ad conciliationem & concinnitatem historiæ putat Masius Lachin alieno loco positam esse in illo libello, cum soleat ferme prope Eglonem collocari. At enim capta esse dicitur Hebron (v. 36, 37.) & rex ejus interfectus: cum Caleb posteà Hebronem ceperit & regulus ejus in superiori triumpho interemptus & suspensus fuerit. Masius hic ita respondet: *Verum ad regem quod attinet, fieri potest, ut illa ejus cædes huic communi urbis cladi sit annumerata, aut (quod opinatur David Kimchi) in hostilis exercitus adventu alius à civibus raptim creatus rex sit: ne urbis propugnatio atque defensio nullius imperio administraretur. Quod autem Calebus subjugata Hebrone gigantes ejecturus est, id vero post Iosue mortem tandem fiet, ut apparet ex judicum libro. Quare mirum videri non debet, si interea Hebronitæ gens fera & potens, vires suas revocaverint recreaverintque. Non hic addo, quod Calebo non urbs sed urbanus ager & municipia concedentur. Nam Lirani commentum de duabus diversis Hebronibus, quarum alteram in valle expugnarit Iosue alteram in monte Calebus capturus sit, vanissimum mihi certe videtur. Cum omnia etiam Hebronis municipia hic eversa legantur pessimè de Iosue virtute existimantis sit, opinari ἀκρόπολιν eum intactam reliquisse,* (Liranus conjecturam hanc ponit sed & aliam, quod per πρόληψιν ista narrentur in hoc loco) *Sed quæ causa est, inquis, quod hic gigantum nulla mentio fiat, quod genus hominum illos circa Hebronem montes incoluisse certum est. Et de gigantibus quidem dicendi locus erit in proximi capitis extremo. Interim vero illud respondisse satis fuerit Iosuam hac expeditione transcurrisse potius raptim armata manu australem istam regionem, quam eam prorsus atque omninò populasse. Satis enim habebat eatenus terrorem sua victoria omnibus incussisse, ut ne sibi populoque Dei quisquam deinde ultrò molestiam exhiberet. Itaque quos assequebatur, eos, pro Dei jussu, perimebat neminique parcebat: certeroquin non omnes omnium locorum latebras extrema diligentia peragrabat. Hoc enim veluti spicilegium cujusque tribus propriæ virtutibus relinquebatur, in sua hæreditate cernenda. Neque verò etiam utile erat terram cultoribus vacuam prorsus fieri, priusquam Israëlitæ suam quisque partem colere inciperent. Nam ut ait xenophon, ἐρήμη ἀνθρώπων γῆ, ἐρήμη ἐστὶ τῶν ἀγαθῶν* (Exod. 23. 29.) *Latuere igitur fortassis intereà, gigantes, montivagum genus, in speluncis suis, aut se receperant ad suos gentiles, urbium Gazæ, Geth & Azoti cives*

II. Idem Masius è narrationis ordine ita putat progressum esse Josue. Ab Hebrone versus vicinam Cades-barnee, inde ad dexterum latus per illas Cananææ extremitates ad Gazam procurrisse infestis armis: hinc rediisse demum, relictis Palestinorum urbibus, Dabiram.:

III. LXX. נגב reddit Ναγὲβ. אשדות ἀσηδώθ. Postremum verbum Chaldæus reddit משפך מרמתא / Masius putat verti posse convalles, montibus aut collibus interjectas.

IV. Augustinus de ista sævitie deletarum gentium: *Non dimisit* inquit,

 in ea

in ea Ieſus quicquam ſpirans, ſicut Dominus Moyſi puero ſuo & Moyſes ſimiliter præcepit Ieſu, & ſic fecit Ieſus: non eſt transgreſſus quicquam ab omnibus, quibus conſtituit Dominus Moyſi. Propter hoc nullo modo putanda eſt iſta crudelitas, quod nullum vivum in civitatibus ſibi traditis dimittebat Ieſus, quia Deus hoc juſſerat. Qui autem exiſtimat hic Deum ipſum fuiſſe crudelem & propter hoc veteris teſtamenti verum Deum fuiſſe authorem nolunt credere, tam perverſe de operibus Dei, quam de peccatis hominum judicant: neſcientes, quo quiſque dignus ſit & magnum putantes malum cum caſura dejiciuntur, mortalesque moriuntur.

CAP. XI.

CUm auſtralis Cananæa ſubacta eſt, quæ inter Gabaonem & Cades-barnee extendebatur, tandem ſe movere ſeptentrionales, Jabin rex Haſor miſſis legatis concivit regem Madon, (cui nomen Jobab) regem Semron, regem Achſab: deinde reges ad ſeptentrionem in montibus, in campeſtribus ad meridiem Cinneroth, in vallibus, in Naphoth-dor ad mare: Cananæos orientales & occidentales: Amorrhæos, Hettæos, Pherezæos, Jebuſæos in montibus: Hevæos ſub monte Hor in terra Maſpha. Ita quicquid gentium incolebat poſt Gabaonem verſus ſeptentrionem ad arma coiit. Innumerabiles copias coëgere, quæ convenerunt ad aquas Merom. Si illi ſe moviſſent, priuſquam reges in auſtrali Cananæa victi debellatique eſſent, belli moles intolerabilis ſimul in Iſraelitas incubuiſſet. Nunc cum per ſe etiam validi ſatis eſſent, cunctando rem perdidere. Nam Joſue (animatus oraculo, quod timorem abeſſe juberet, ſe craſtino omnes hoſtium copias profligatas ab Iſraële, daturum, quorum equos enervaturus eſſet & currus crematurus) cum exercitu Iſraël caſtra eorum ſubitò adortus oppugnat & expugnat. Fuſos fugatoſque perſecutus Sidonem magnam uſque & Miſrephoth maim & vallem Maſphæ ad orientem internecione cæcidit. Tum, ut Dominus præceperat, equos eorum enervat curruſque comburit. Retro reverſus Haſor occupat, regem jugulat: urbem incendit & quicquid animam duceret, gladio interimit. Omnium horum regum regias & cætera fermè oppida expugnavere, incolas regeſque jugularunt; nullam tamen urbium in collitus ſitarum igni dedere præter Haſor: quicquid auferri potuit, in prædam ceſſit. Ita enim implevere, quod Deus per Moſem præceperat.

Hæc eſt ſimplex belli auſtralis in ſacris literis commemoratio, quam nunc cum Joſepho componemus: Narrat autem, auditam famam de Hebræorum virtute & ingenti ſtrage ac occidione incolarum, Libani accolas, reges chananæos tum & campeſtria colentes adſcitis Palæſtinis (hos ſcriptura non conjungit) conciviſſe ad arma, qui junctis copiis conſederint ad urbem Galilææ Berotham, quæ non procul diſſita eſſet à ſuperiori Cædeſa. Aquas Merom, (LXX. ἐπὶ τοῦ ὕδατος Μαῤῥών) qui lacus eſt ut vulgo accipitur, Joſephus urbem interpretatur. M. & B. ſæpe permutantur in codicibus. Copias hoſtium definit, ὁπλιτῶν μὲν ἦσαν μυριάδες τριάκοντα, μύριοι δ' ἱππεῖς καὶ ἅρματα δισμύρια. Unde hoc habuit Joſephus? Joſue & Iſraëlitas trepidaſſe narrat penè ad deſperationem, quam Deus ipſis formidinem exprobraverit quod non ſatis ſuo præſidio confiderent. Dei promiſſis fiducia concepta iviſſe in hoſtem quem quinto die aſſecutus ſit & vicerit. Atqui textus ſacer ſcribit Deum polliceri victoriam in diem craſtinum. Fortaſſis inter Galgala & Merotham ſeu Berotham Galilææ ſuperioris quinque dierum iter interjectum eſt: at potuit in itinere fuiſſe Joſue cum exercitu & metu correptum eſſe cum in propinquo

quo esset: adversus quem metum Deus ipsum confirmavit. Non apparet tamen in textu metum in Josue fuisse, qui dignus esset increpatione. Conflictum validum fuisse deinceps scribit & stragem in pugna editam quæ fidem narrationis superet: in fuga etiam plurimos cecidisse, universum hostilem exercitum præter paucos interiisse: reges etiam omnes cæsos esse. ὥστε τῶν ἀνθρώπων (add. μὴ) ἀπολελειπότων πρὸς τὸ κλίνεσθαι τοὺς ἵππους ἀνῄρει καὶ τὰ ἅρματα ἐνεπίμπρα. Totam deinde regionem pervagatum esse Jesum nemineque audente congredi expugnasse oppida & quotquot deprehenderet, occidisse, Hæc conveniunt cum textu.

Præcipit Deus Josue, ut equos (לעקר) enervet (*νευροκοπεῖν*) currusque comburat. Noluit ut observant Hebræi, Israëlitas in bello uti equis curribusque ne illis potius, quam suo auxilio confiderent. Cæterum non legimus antehac id datum esse Josue præceptum, quod inde (ut notat Kimchi) quia obsidionibus urbium hactenus Josue occupatus fuerat, in quibus hosti usus non erat equorum curruumque. Quinque illi reges etiam non ad præliandum sed obsidendum Gabaonem copias coëgerant. Incisis autem nervis pedum posteriorum equi reddebantur inutiles, ideo Josephus reddidit ἀχρήστους ποιεῖν.

Notandum quorum locorum reges hic sociasse se in hoc bello legantur.

1. Caput omnium & præcipuus est Jabin rex Hasor, quibus cæteri paruisse videntur. Nam in versu 10. habetur: *Hasor anteà caput erat omnium horum regnorum.* Convaluit Hasor magno incremento, cujus rex alius ejusdem nominis Israëlitas servitute pressit ut habetur cap. Judic. 4.

2. Jobab rex Madon. Ignoratur locus.

3. Rex Semron: quam malè Masius & Ralbag cum Samaria confudit. Fuit enim longe septentrionalior.

4. Rex Achsaph.

5. Reges ab aquilone in montanis & planitie: ad meridiem כִּנֲּרוֹת, qui est lacus Gennesareth. שְׁפֵלָה, *depressa regio* נפותדור Jonathan פלכי דור tractus seu regiones Dor. Mare notat occasum.

6. Cananæi ab oriente & occasu. Amorrhæi, Hetthæi, Pherezæi, Jebusæi in montanis, Hevæi sub Hermon in terra Maspha. Cananæi sic distinguuntur ab cæteris gentibus, quæ alias communi vocabulo ita dicebantur, Primi quatuor reges separatim à locis appellantur, quibus imperabant: quinto loco commemorantur habitus regionum distincti: sexto populorum genera. (Regio erat montana, campestris, vallestris:) quartò regiones Dor juxta mare mediterraneum. Populorum nomina erant Cananæi, Amorrhæi, Hetthæi, Pherezæi. Horum Cananæi tenuisse videntur campos vallesque: reliqui in montibus seu tractibus montium longo dorso porrectis sedem habuisse: sigillatim de Hevæis commemoratur quod habitaverint sub Hermon, qui pars Libani est, seu ramus à Libano procurrens. Maspha nomen illi terræ, quam non oportet confundere, ut Kimchi facit cum Maspha illa, in qua soliti coire Israëlitæ temporibus sequentibus. Putat enim loco nomen factum ob insignem victoriam. Sidon antiquissima urbs & emporium celeberrimum atque opulentissimum, epitheto insignitur magnæ. Sic etiam cap. XIX. 20. Sidonii condidere Tyrum, quæ jam isto tempore exstabat ut est cap. XIX. 29. משרפות מים (v. 8.) juxta Sidonem & vallem Masphæ. Jonatham חרצי ימא. Rasi: חריצי ימא *vertit Ionathan:* חריצין *fossæ, quas faciebant, & aqua maris egrediebantur in eas & adurebantur ab æstu solis fiebantque sal.* In v. 13. habetur: *Solummodo non comburebant Israëlitæ ullas urbes quæ super* (תלם) *stabant, præter solam Hasor, quam Iosue combussit.* Rasi: *Quorum non est vastatus murus*

ſicut Iericho, cujus murus cecidit & ſic Ai, quod dictum eſt de ea & poſuit eam תל *tumulum ſeculi deſolationi, præter Haſor ſolam, ob traditionem combuſtionis: Moſes præceperat ei & tradiderat: ſic in Breſith Rabba in* וישלח ויעקב. Senſus eſt nullam urbem combuſtam eſſe cujus murus in prima expugnatione non eſſet ſubverſus, præter ſolam Haſor: de hac enim Moſen juſſiſſe ut cremaretur, quia eſſet una trium urbium, *quas ſibi barbari* (ut loquitur Maſius) *ad faciendum inde populo Dei bellum præſtituiſſent.* Chaldæus iſti interpretationi præivit *quæ ſtabant in firmitate ſua.* Quod ſi igitur muris integris urbem cepiſſent, relinquebant intactam flammis. Sed quæ non potuit capi niſi dirutis muris, incenſa eſt. Solam Haſor combuſſere, captam in mœnium integritate. Simplicius videtur eſſe, quod oppida ferme in tumulis poſita fuerint, cum pagi locis planis conditi eſſent: nullum oppidum tumulo impoſitum cremaſſe præter Haſor. Pagis igitur injectæ flammæ, cum munitis urbibus parceretur. Vulgata editio: *Abſque urbibus, quæ erant in collibus & in tumulis ſitæ, ceteras ſuccendit Iſraël, unam tantum Aſor munitiſſimam flamma combuſſit.* LXX. *Ἀλλὰ πάσας τὰς πόλεις τὰς κεχωματισμένας οὐκ ἐνέπρησεν Ἰσραὴλ, πλὴν Ἀσὼρ μόνην ἐνέπρησεν Ἰσραήλ.*

Ingenti iſta & ſuperiore victoria Joſue ita conſternati fuere & fracti omnes Cananææ populi regesque, ut nemo in aciem prodire & manus cum Iſraële conſerere deinceps auſus fuerit. Obſidendis expugnandiſque urbibus tractum eſt bellum in longum tempus. Joſue enim peragrando à meridie in ſeptentrionem, urbes ſubjiciebat. Nulla urbium pacem petiit ſub deditione, ut Gabaonitæ fecerant, omnes vi expugnatæ ſunt: à Calvo monte ad Seir uſque ad Libanum & Hermonem ſubjugavit univerſam regionem Joſue. Dicitur etiam Hebrone, Dabiræ & Anabæ & ex montibus Judææ Enacitas deleviſſe: quod tamen Judæi interque eos Calebi gener Othoniel & ipſe Caleb poſteà videntur effeciſſe Jud. 1.9.10.11.12.13. & Joſue 15.13.14.15.16.17. Sed hæc facile conciliantur. Nam expugnatæ urbes Hebron & Debir inſtaurari potuerunt Joſue quieſcente (ex Dei mandato, ne nimis cito hominibus terra evacuaretur) & tres è filiis Enac ſupereſſe poterant, quamvis dicatur Enacitas deleviſſe & expuliſſe Joſue. Diſerte enim Joſue hæc egiſſe dicitur, quæ ideò non poſſunt imputari tempori ſecuto poſt mortem ipſius. Quod habetur cap. XV. per prolepſin narratur, cum juſtum tempus conveniat narrationi cap. 1. Judicum: Certe neutrum illorum locorum cum hoc velim confundi. Enacitarum urbes ex terminio delevit Joſue: quod non includitur verſu illo 13. quia poſteà factum eſt.

In expoſitione ſeu enumeratione regionum à Ioſue expugnatarum commemoratur v. 16. mons Iſraël: quem Kimchi dicit eum eſſe in quo habitavit Iacob. *Sed* (inquit Maſius) *velim mihi expoſuiſſet Kimchi, quonam in monte habitaſſe Iacobum potiſſimum exiſtimat: habitavit enim in plurimis.* Ipſe putat montana illa circa Samariam intelligi, quæ Iſraëlis montes dici cœperint poſt ſeceſſionem. Exiſtimat enim hunc librum eſſe compoſitum ab Eſdra ejusque ſociis: qui uſi ſint nominibus ſuorum temporum.

Joſue igitur obſidendis capiendisque urbibus abſtinens & ætate fractus Galgala cum Iſraëlis copiis tandem rediit. Hoc demum tempore aram & benedictiones maledictionesque in montibus Ebal & Garizim feciſſe Iſraëlitas putat Joſephus. Qui etiam quinquennium toti bello tribuit. Tempus hoc non poteſt definiri, niſi ex ætate Caleb, capite XIV. v. 10. Unde interpretes rectè colligunt ſeptimo anno rediiſſe Galgala & finem bello dediſſe. Clariſſimus vir, Iacobus Uſſerius exiſtimat omnia, quæ à v. 28. cap. X. uſque ad finem cap. XI. narrantur, item primo cap. Judic. à v. 9. ad 15. pertinere

ad

ad idem tempus & gesta esse sub Iosue jam sene, postquam tribubus Iudæ & Efraim & dimidiæ tribui Manasse assignatæ essent sortes suæ & Levitis datæ quadraginta octo urbes. Hac enim distributione facta, profectum esse Galgalis, cepisse Maccedam, Libnam, Lachis, Eglonem, Hebronem, Debirum: hinc bellum gessisse cap. XI. & rursus profectum in australem partem, eamque ab Anacitis liberasse. Ita septennio subactam, divisamque terram quievisse. Tantam nos disturbationem non facile admittimus.

Cap. XII.

HIc 31. reges enumerantur, quos vicit Iosue. Reges enim Hierichuntis, Bethel, Gai, Ierusalem, Hebron, Jerimuth, Lachis, Eglon, Gazer, Babir, Gadir, Horma, Arad, Libna, Odollam, Macceda, Taphua, Hepher, Aphec, Lassaron, Madon, Hasor, Semron-Meron, Achsaph, Taane, Megiddo (Hi duo à LXX. omissi) Cades, Iocneam, Dor, gentium (Γω) in Galgalis, Thersa. LXX. tantum viginti novem reges memorant, & multa nomina apud eos perturbatè leguntur. Iosephus numerum Hebræi codicis sequitur, sed putat Silunte omnem distributionem factam esse, cum Iudæ Ephraim & dimidiæ Manassis facta fuerit Galgalis, ut diserte habetur cap. XIV. 6.

Iosue, quamvis viribus fractus non ausus est per se ab armis desistere & initium facere distribuendæ terræ captivæ, priusquam à Domino moneretur ut est in cap. 13. Magnæ adhuc partes terrarum residuæ erant ut Gessuritis, Maachatitis, Palæstina, terra Cananæorum & Meara Sidoniorum, usque Apheca in finibus Amorrhæorum; terra Geblitarum, totus Libanus ad ortum à Baal-Gad ad Hermonem, usque ingressum Hamath. Incolæ Libani usque ad Misrephoth maim, Sidoniique. Quos se Deus promittebat daturum esse, victos deletosque ab Israël. Ideoque jubet ut universam Cananæam, tam subactam captamque quam nondum captam dividat tribubus, ut unaquæque deinde tribus in possessionem soli sui missa, id subigat evacuetque. Universum autem solum distribendum erat novem tribubus & dimidiæ, quia cæteris trans Jordanem Moses hæreditates dederat. Male Iosephus scribit Iosue suo motu, finisse bellum videntem Cananæorum urbes difficulter expugnabiles (δυσαλώτους) ob mœnium firmitudinem & naturam situs. Cum enim audissent Israëlitas ex Ægypto advenire in suum excidium toto tempore in muniendis oppidis occupatos fuisse. Iudæi existimant Iosue de industria traxisse bellum, in spem ævi producendi, quia intellexerat se distributurum esse captum solum. Hæc inanis argutia est. Describamus hic diatriben Masii de tempore adversus Iosephum, de voluntaria productione belli adversus Iudæos disputantis: *Et Iosephus quidem*, inquit, *hoc tempus quinquennio definit: Iudæi vero in sua chronologia, quam* סדר עולם *hoc est seriem seculi vocant, septennio. Nam Calebus, inquiunt, quadragesimum agebat annum: quandò à Mose speculatum mittebatur è Cades barnea. Iam vero hæc bella ubi confecta fuere, præterierant ex illo tempore anni quadraginta quinque. Id enim ipse Calebus dicet cap. 14. de quibus si demas annos 38. quos ab exploratorum reditu oberrarunt in solitudine Israëlitæ, cum dignas sua rebellione pœnas Deo darent: reliqui fuerint anni septem. Sic Iudæi istam subducunt rationem: &, ut mihi videtur rectè. Iosephus vero non XXXVIII. demere; sed XL. videtur: quippe qui existimet, ut conjicio, post reversos Mosis speculatores, erratum per solitudinem esse totis annis quadraginta. In qua sententia fuisse etiam LXXII. interpretes dixi ad versiculum sextum capitis quinti. Verum id non est ita: Narrat enim disertè historia sacra, Mosen anno quadragesimo, die prima mensis undecimi, verbum fecisse*

fecisse ad populum in campis Moabiticis, post devictos reges Schonem & Og. atque universam Dei legem explanasse & alibi, à Cades-Barnea relicta ad transmissum terrentem. Zared, intervallum fuisse temporis annorum XXXVIII. Et verò annos illos quadraginta, non ab illa rebellatione dira, quæ ad Cades-Barneam acciderat, esse computandos: sed à relicta Ægypto, luculenter explicant verba, quibus Aharonis mors prodita est in numeris. Habent enim; è vivis illum excessisse mense quinto anni 40. ab excessu Ægyptiaco. Sed de his jam satis multa. Nam tractatus est hic locus à nobis etiam quinto capite, ad versiculum sextum. Superest, ut quibus de causis tractum tamdiu hoc bellum sit, videamus. Hic impuros Iudæos dicere nihil pudet: Iosuam data opera belli hujus conficiendi moram fecisse, longioris vitæ cupiditate, cum non nesciret, mox è vivis excedendum sibi fore, postquam profligatis Chananæis terram suo populo distribuisset. Sed mittamus absurdissimos ad tractandas literas sacras homines. Certum quidem est, facile potuisse Deum, atque etiam jure, & meritò Chananæos, quorum turpissimam vitam aliquot jam sæculis patienter tulerat; vel lue, vel fame, vel alià re adversa, solo nutu, funditus exstirpare: aut ipsos ad solum Israëlitarum conspectum exterminare: & trans mare, trans Libanum, trans Iordanem, trans solitudinem denique metu perculsos attonitosque abigere, & suum populum in possessionem vacuam mittere. Verum id ad sacram istam rempublicam firmè constituendam minimè expediebat: cujus omnis salus in cognitione Dei, & perpetua adversus illum observantia, atque obsequio posita erat, Nunquam enim Iudæi potuerunt ullis miraculis, ad considerandam Dei potentiam, & supra Barbarorum Deos præstantiam satis excitari, ut ejus beneficiorum memoriam gratis animis perpetuo usurparent. Tanto enim superstitionum profanæ gentis, tamque insano amore impediti tenebantur, ut etiamsi interdum prodigio quopiam insigni velut expergefacti, in cælum mentis oculos paulisper attollerent; mox quasi veternosi, in profundam illius oblivionem relaberentur. Nihil opus est exemplis. Sunt enim ubique obvia in sacris litteris. Quapropter semel diutinis bellis istis, veluti perpetuis miraculis, condocefaciendi erant, atque exercendi ad amandum stabiliore firmioreque ratione Deum; eum solum spectandum; ex eo uno dependendum; cum pietas sanctitasque longiore temporis spacio, in ipsorum animis inveteravissent, & tamquam in venis medullisque insedisset. Ad hoc, quo ex illatis moris, atque impedimentis magis ardua videtur possessionis sanctæ terræ occupatio, eò illustrior ad omnem posteritatem transmittitur memoria curæ & studii Dei, quo is suam Ecclesiam condidit: magisque splendescit ejus erga hanc amor. Prætereà, discunt istius Reip. cives durare in rebus adversis, neque continuo despondere animum, si qua sibi posita ad salutem obstacula vident, quin potius existimare, nihil esse tam difficile, quod non possit Deo duce perrumpi. Insuper ista bellorum diuturnitas spectatam magis, cognitamque reddebat omnibus, gentis Chananææ vitiositatem, atque impietatem: quæ tam pertinaciter & obstinatè pergeret, cujus in toto bello præsentia multis modis apparebat, repugnare: neque in animum induceret, pace factâ, sub tam benigni erga suos cultores, tamque potentis adversus hostes suos numinis jugum sese dedere præsertim cum maturè, omnes intellexissent, quam id feliciter Gabaonitis evenisset. Denique, quod vel primo loco dictum oportuit, ista belli conficiendi procrastinatio luculentissimum nobis immensæ Dei misericordiæ dat testimonium ut bene multis, & quidem suavissimis verbis, in libro qui Salomonis sapientia inscribitur, est explicatum. (c.12.) Priscos enim, *inquit auctor, ad Deum verba faciens, colonos terræ tuæ sacræ exosus, quia pessima veneficiorum patrarent facinora, & impiis sacris operarentur, cum essent liberorum suorum parricidæ, & humanorum viscerum carnes, per scelus, cruentis dapibus epularentur, suorum indefensorum ipsi per se carnifices: illos, inquam, perdere voluisti manibus majorum nostrorum. ut quæ terrarum omnium in pretio apud te maximo erat terra, ea coloniam filiorum Dei reciperet dignam. Verum etiam tales cum essent, pepercisti tamen quippe quia homines essent. Misistique præcursores exercitus tui vespas; quæ paulatim ipsos* profligarent. *Non quo nequi-*

nequires, acie impios dedere piis in manum: aut immanibus feris, vel brevi verbo, semel delere: sed ut paulatim puniendo pœnitentiæ locum concederes &c. Et mox: Docuisti *porrò populum tuum illiusmodi factis; eum qui justus sit, humanum quoque esse oportere: & bona spe animos tuorum informasti, ut qui in peccatis locum esse sinas pœnitentiæ. Nam si tuos hostes, & mortem promeritos, tanta cum considerantia punivisti, concesso tempore locoque quibus recederent à vitiis; quanta cura gubernas filios tuos: quorum majoribus jusjurandum, & fœdera dedisti* bonarum promissionum. *Et quæ sequuntur: piget enim plura adscribere. Ista autem eò lubentius prope κατὰ λέξιν, convertimus; ut lector nostrorum codicum animadverteret mendas. Nam pro, σπλαγχνοφάγων, legendum est accusandi casu, σπλαγχνοφάγους. Et pro, ἐκ μέσου, dicendum ἐκ μύσους ac deinceps pro ἀφείσω, ἐφείσω, pro προσδοχῆς, προσοχῆς. Et quod hic sequitur, καὶ δεήσεως, expungendum est. Denique pro, πίνας scribendum est πόνας. Affert qaidem ipse Moses causam, cur paullatim expelli oporteret Chananæos. Nempe ne feræ bestiæ frequentes existerent in locis solis; populoque Dei infestæ essent. Neque enim Israëlitæ ilicò occupare omnia potuissent. Sed illa causa videtur magis ad ea spectare tempora, quæ sunt post Iosuæ excessum consecuta quamquam, huc etiam non ineptè accommodari posse fatear. Sed & illud dici potest, hanc diuturni belli commemorationem pertinere ad laudem Imperatoris Iosuæ, & universi exercitus, qui magno & invicto animo tanta pericula, tantasque molestias, tandiu sustinuerunt donec pervincerent. Nam & Christus, nobis inculcavit, eos qui ad extremum perseverarent fore salvos.*

Cap. XIV.

JOsue & Eleazar, cum decem viris electis tributim, ut mandatum à Mose (Num. 34. 17. usque ad finem) distribuerunt terram Cananæam ad occasum Jordanis, inter novem tribus & dimidiam: cum cæteris duabus & dimidiæ evenisset distributio ad ortum Jordanis vivente Mose. Duplex partitio facta est à Josue & Eleazaro, prima Iudæis & Efræmitis, dimidiæque tribui Manassis, secunda cæteris septem tribubus. Prima commemoratur cap. XIV. XV. XVI. XVII. capp. altera capp. XVIII. XIX. Distributio fiebat pro numero hominum in quavis tribu, non qui erat, cum Josue distributionem faceret, sed cum Moses secundo numeraret populum, ut diserte exprimitur Num. 26. 53. 54. sed distributio per sortem facta est, ut habetur illius cap. v. 55. In eum locum ita scribit Paulus Fagius: *Qui scilicet jam vicesimum annum attigerunt. Et licet septem annis eam distribuerint, tamen illi, qui ab ista supputatione interim vigesimum attigerunt annum, non dederunt nomina distributioni terræ. Qui tempore hujus numerationis multos grandævos habuit filios, huic magna portio terræ veniebat in sortem: qui paucos parva: Sors autem fiebat secundum Hebræos hoc modo: scribebantur in duodecim schedis duodecim nomina tribuum Israëlis & in aliis duodecim termini terræ promissionis: Illæ duplices schedæ mittebantur & permiscebantur in scrinio, tollebantque singuli principes tribuum duplicem schedam & qui terræ terminus cum scheda suæ tribus illi obveniebat, is illi decernebatur tribui. Et hoc est, quod textus Hebraicus per* על פי גורל*; id est juxta sortem explicat. Sors vero moderabatur per Dominum, id quod ex sorte Caleb & Iehosua adverti potest. Et quando in textu dicitur secundum nomina tribuum &c. excluduntur proselyti & advenæ, quibus nulla in terra contingebat portio: sicut nec sacerdotibus & Levitis.* Rasi in illum locum: In hos dividetur] *At non in minores viginti annis, quamvis venerint ad consummationem seu plenitudinem viginti annorum, antequam dividatur terra, quia ecce septem annis subegerunt terram & septem diviserunt: & non sustulerunt partem in terra nisi ista sexcenta millia & mille. Et quod si uni ex illis essent sex filii, non reportabant nisi partem patris*

 sui

sui solam לרב תרבה נחלתו] *Tribui quæ fuerat multiplicata turbis, dederunt portionem magnam: & quamvis portiones non essent æquales (quoniam ecce omnibus secundum multitudinem tribus diviserunt portiones, non fecerunt tamen nisi ministerio sortis & sors secundum os Sp. S. ut est expositum in Baba bathra. Eleazar sacerdos erat indutus Urim & Thummim & per Sp. S. loquebatur: Si tribus N. ascendat terminus N. ascendit cum ea. Erant autem tribus scriptæ in duodecim tabellis & duodecim termini scripti in duodecim tabellis, quæ confundebant in urna. Nasi immittebat manum suam in eam & efferebat duas tabellas: ascendebat in manu ejus tabella nominis tribus & tabella termini definiti illi. Et sors ipsa clamabat dicebatque: Ego sors ascendi in terminum in tribum N. Q. D.* (על פי הגורל) *Non est terra divisa mensura, quia terminus unus alio præstantior, sed in æstimatione: locus Cori vilior est quam locus Sati; omnia bona secundum pretium.* Secundum nomina tribuum patrum eorum] *Hi egredientes ex Ægypto: scriptura variat hanc hæreditatem ab omnibus hæreditatibus quæ sunt in lege. Nam quoad omnes hæreditates viventes adeunt pro mortuis, at hic mortui adeunt pro viventibus: Ex. gr. Duo fratres de egredientibus ex Ægypto quibus erant filii in ingressu terræ, uni unus, alteri tres, unus tollit portionem unam & tres tollunt tres, Q. D.* In hos dividetur terra: *revertebatur hæreditas eorum ad patrem patris eorum & dividunt totum æqualiter. Hoc est, quod dicitur,* Ad nomina tribuum patrum suorum hæreditabunt: *quia postquam tulerunt filii, dividunt eam secundum patres, qui egressi erant ex Ægypto: & hi cum primo dividebant eam ad numerum egredientium ex Ægypto, non tollebant illi quatuor sed duas partes, nunc ferunt quatuor partes.* Pro numero igitur capitum à Mose recensitorum distributæ sortes tribuum sunt per Domos: cæterum domus tot fuere, quot egredientium ex Ægypto personæ. Hæc videtur esse mens R. Salomonis.

Cæterum cum occupati essent in dividenda terra in qua prima sors ascendebat pro tribu Judæa, priusquam in portiones pro domibus distribueretur, cum proceribus Judæis Caleb filius Jephunne, Cenezæus (ita appellatur) adiit Josue Galgalis, monetque Mosen, virum Dei, Cades-barneæ sibi promissa fecisse (Num. 14, 24. & Deut. 1. 36.) Cum autem sibi vires integræ sint, petere sibi montes Hebronis, quos Enacitæ incolebant. Mosis promissum videri possit non simpliciter terræ portionem aliquam addixisse Calebo sed illam definitè, quam Enacitæ tenebant: nisi id velit vi promissionis Mosis ipsi deberi quam vellet eligere portionem, se autem eligere eam, in qua posset fiducia Dei ostendere suas vires.

v. 12. dicit: *Date mihi hunc montem de quo Dominus dixit.* Inde cap. XV. sors Judææ describitur, cap. XV. & XVII. sortes Efraim & Manassis. Manasses primogenitus Joseph fuit, cujus familiarum una fuit ex Hepher, Et hujus filius Salpaad habuit quinque filias, nullam autem prolem masculam. Hæ Josue & Eleazaro cæterisque primoribus repræsentant Mosis decretum de se, quod habetur Num. 27. & 36.

Andreas Masius de petitione & promissione Calebi ita disserit: *Porrò illud verbum, quod locutum esse Deum ad Mosen de se, atque de Iosua ait Caleb, quale fuerit, id verò obscurum, atque incertum est: quando montem Hebronis eo promissum sibi esse dicit; cum inquit,* Dato mihi montem *istum, de quo loquebatur illo die. Sunt ergò, qui existimant; promissa illa, quæ Calebo Moses, tamquam Dei interpres, tum promiserat, cum ille fortissimè causam hujus, adversus sociorum calumnias defendisset; non esse sacris litteris prodita memoriæ: quippe quæ seorsim, unoque Iosua conscio, fuerint dicta. Quæ opinio haud facilè in controversiam adduci queat. Certum est enim non omnia, quæ acta sunt, sacris literis etiam esse consignata.*

Nos

Nos tamen alia ratione illud investigare conabimur. Dei verba quæ ad istam rem spectantia ille de Calebo fecisse memoratur, hujusmodi ferè in Numeris, & Deuteronomio scripta leguntur. Servum autem meum Calebum; quià alio fuit animo, & perstitit mihi adhærere, introducam in terram, ad quam accessit: habebitque eam illius semen hæreditatem. Ista verba, inquiunt Iudæi, acuti scilicet scripturæ explanatores, de Hebronis monte sunt planè accipienda: quià ad eum solus Calebus accessit, cum cæteri non auderent unà ire, propter Gigantes. Scriptum est enim: (Num. 13. 22.) *Ascenderunt per Austrum, &* venit *Hebronem. Non autem*, venerunt *Hebronem. Ita nihil illos pudet, fortissimum & divinum virum Iosuam, unà cum aliis damnare timiditatis, & ignaviæ. Quasi verò insolens res sit in sacris verbis enallage numerorum? Sed omissis Iudæorum puerilibus argutiis, certum est de singulari quopiam loco, præcisè, verba illa Dei intelligi debuisse. Non enim universam Chananæam habere potuit Calebi semen. Iam verò sacris verbis testatum est; cæteros speculatores, ob eos potissimum Gigantes, quos in Hebronis monte viderant, turbas illas in populo dedisse: Calebum autem contrà; nihil illos esse metuendos clamasse. Vnde probabile, mihi quidem certò videtur; hunc, ut vanum esse aliorum metum luculentius ostenderet, in turbida illâ altercatione, peculiariter sibi pro sua hæreditatis portione, eum locum depoposcisse, quem ignavi homines & improbi præ cæteris locis inexpugnabilem esse clamitabant. Mosen ergo, virum divinum, cum etiam præsciret, illam regionem in qua Hebron exstabat, obventuram tribui Iudaicæ, cujus erat tribulis Cālebus, illa Dei verba tum de Hebrone interpretatum esse. Nam ut nullum sibi Calebus certum locum depoposcerit; profectò non aliter videntur illa Dei promissa fuisse accipienda, quam ut existimaretur, κατ' ἀντίφρασιν, dicere in eo se loco Calebum, ejusque posteros collocaturum, quem locum cæteri prorsus obtineri non posse persuasissent populo. Ad hoc, nisi illud*, terram ad quam accessit, *præcisè dictum à Deo fuisset, quid erat cur unum Calebum nominaret, & non simul Iosuam, similiter atque utrumque nominat, cum universè de terra, paulò post verba facit hujusmodi? Non pervenietis ad terram, in qua ut vos collocarem, levaveram manum meam, præter Calebum filium Iephonæ, & Iosuam filium Nun. At enim cur non etiam Iosuæ peculiarem promitteret Deus fidei & constantiæ mercedem si quæras, in promtu est quod respondeam: promisisse; & quidem amplissimam. Hoc enim significatum esse illis Calebi verbis, ego certè opinor, cum ait,* de rebus meis, & de rebus tuis. *Quis enim non putet, denuo hîc Iosuæ promissum esse imperium, sicut Calebo Hebronem? Nam perveniendi in Chananæam spes in veteribus promissis fuit, & utrique cum cæteris omnibus communis, quià eam ultro non abjiciebant. Neque verò erat quod spes ea privatim istis jam daretur denuò, quam satis firmè, & tamquam in manibus retinebat.*

Disputat ibidem (in cap. 14. 6.) Cur Calebus Cenezæus (quamquam in Hebræo anceps sit an ad Caleb, an ad Jephonne pertineat) appelletur. Multas de eo esse & discrepantes Judæorum sententias, nec ullas judicio suo satis firmis probatas argumentis. Doctores Hebræos autumare, partim à vitrico, alios à fratre (qui fuerit Othonielis pater) sic esse appellatum. Hunc enim Kenez dici videri proximo capite. *At* (inquit) *Kimchi mavult existimare Cenez tum Calebi tum Othonielis fuisse vel avum vel proavum. Atque hanc ego sententiam ad verisimilitudinem esse propensiorem censeo. Is vero, qui quæstiones in Paralipomena scripsit (minime inepte sanè) putat Cenezæum à loco quopiam esse cognominatum. Sed mittamus rem obscuram & incertam.*

De Calebo quæritur quomodo Jephonnæ filius dicatur, cum in Parali pomenis Hesrone natus memoretur? Hesron in Ægyptum ingressus est 215. annis ante exploratores è Cades-barnee emissos. Illud etiam testantur sacræ literæ

Calebum inter eos Hesronis filios recenseri debere, quos ille ex priore conjuge procreavit, non ex Machiris filia, quam demum sexagenarius uxorem duxit. *Plane ergo* (inquit iterum Masius) *ex his confectum est Calebum Hesronis quidem filium dici & certe nepotem ex priore uxore esse. Alioquin enim plus quam ter quadraginta annorum fuisset, cum è Cades-barnea mitteretur speculator.* Neque vero insplens est: ut nepotes inter filios adnumerentur; præsertim si sunt rerum gestarum gloria clari. Merito rejicit eos qui Hesroni aliud nomen, nempe Jephonne fuisse putant. Ineptiores esse Judæos in tractatu Themuræ, qui ideo ita vocatum tradunt, quod circumspectus fuerit. Efferre etiam stolidas nugas, qui (in סנהדרין) octavo ætatis anno hominem gignere posse dicunt.

Cap. XVIII.

Post sortitionem primam peractam terra cœpta est coli anno M. C. 2500. Judæi dicunt inter primam distributionem & secundam septennium prætериisse: castra atque arcam volunt Galgalis substitisse quatuordecim annis. Tum à mutatione secundam partitionem factam esse. Putant etiam decimas, remissiones & Jubilæos computari cœpisse. Mihi nequaquam fit vero simile septem totis annis Judæos & Josephitas coluisse terram antequam ista facerent: existimo igitur cum octavo anno postquam jam partitio prima facta erat & coli terra inciperet, Siluntem arcam translatam esse tanquam in habitationem fixam à Deo electam. Debuit enim Deo locus statui cum primo culturæ initio, & in illo ille è terræ proventu honorari. Post statutum Silunte tabernaculum in castris illuc translatis mansere Israëlitarum septem tribus, donec sortitio facta esset. Cunctabantur sortitionem petere & hæreditatem. Nemo dicere potest quanti temporis moram ista tardatio traxerit. *Nimirum* (inquit hic iterum Masius) *Diutino bello fessus populus, cum collocatis utrinque Iudæis & Iosephitis, quasi præsidiis sibi tutus videretur, otio se dedit: & communem illam in castris stativis vitam potiorem duxit, quam ut peculiarium possessionum gratia novas rursum molestias subire luberet. Facile enim existimabat, reliquos passim hostes, etsi bellum non esse facturi viderentur, tamen de suis sedibus non nisi per vim, depulsum non iri & eliminatum.* Arcæ translationem non esse factam sine Dei monitu, res suadet existimare. Masius etiam dicit dubitari posse an cum arca mox castra translata sint. Ego non dubito, quia castra circum arcam posita fuerunt, quamvis jam deessent duæ tribus cum dimidia nempe Juda, Ephraim & dimidia Manassis, quæ in possessionem emissæ erant. Hic jam mansit tabernaculum Mosis fixo domicilio usque ad principium Samuelis. Hebræi Doctores putant in Galgalis non fuisse erectum tabernaculum factum à Besaleel & Ooliab apud Sinam, quia nunc tantum ejus mentio fit v. 1. Atqui semper in eremo etiam quoties interquiescebant arca in suum tabernaculum inferebatur: & Galgalis sacra obita & Pascha celebratum. Segnitiem & socordiam populi objurgat Josue, quod cessarent terram divinitus promissam datamque aggredi possidendam. *Date*, inquit, *ternos viros tributim* (numero igitur unus & viginti fuere) quos ablegem, ut totam terram perambulent & describant: Ralbag putat (notante Masio) nunc distribuendam esse terram, quam adhuc tenerent hostes, antea distributam esse omnem ab hostibus vacuam. Quod merito rejicit, quia iniqua fuerit imperatoris objurgatio, si istæ tribus ad hostiles terras extrudantur, superiores vero in pacatis regionibus collocatæ fuerint, Addo ipsa verba textus aliud docere, quia jubentur metiri omnem terram præter eam quam Juda & Joseph tenerent. Terni è septem tribubus, ut arbitror,

arbitror, non ex illis, quæ hæreditatem jam assignatam habebant. Nam ad eas nihil illa res pertinebat. Si enim tantum decem Josue & Eleazaro additi pro decem tribubus nondum habentibus possessionem, non additis è Ruben & Gad, qui præessent, quomodo hic ex aliis tribubus, quam ad quas res spectat, delecti fuerint? decem viri à Mose designati præerant toti negotio: hi illis subserviebant. Josephus mira ἀνιστορησίᾳ decemviros emissos esse putat, è tribu scilicet qualibet unum, earum nempe quæ intra Jordanem sedes habituræ essent. Confundit enim duas sortitiones. Deinde confundit decem Mosis electos cum his nunc electis: tertio putat terram dividi cœptam, cum transjordanensibus venia eundi data esset: quamvis necdum dimitterentur. Quod autem addit, illis deputatis esse adjunctos viros quosdam geometriæ peritos, certum sit. Hic autem in hunc modum disserit: Παραδοὺς αὐτοῖς τινὰς γεωμετρίας ἐπιστήμονας, οὓς τἀληθὲς οὐκ ἤμελλε λήσεσθαι διὰ τὴν τέχνην. Ἐντολὰς δοὺς ἀποτιμήσασθαι τῆς τε εὐδαίμονος γῆς καὶ τῆς ἧσσον ἀγαθῆς. Ἡ γὰρ φύσις τῆς Χαναναίων γῆς τοιαύτη τίς ἐστιν. ὡς ἴδοι τις ἂν πεδία μεγάλα καὶ καρποὺς φέρειν ἱκανώτατα καὶ συγκρινόμενα μὲν ἑτέρᾳ γῇ πανευδαίμονα νομισθησόμενα., τοῖς δὲ Ἱεριχουντίων παραβαλλόμενα καὶ τοῖς Ἱεροσολυμιτῶν, τὸ μηδὲν ἀναφανησόμενα. καίτοι παντελῶς ὀλίγην αὐτῶν εἶναι τὴν γῆν συμβέβηκε καὶ ταύτης ὀρεινὴν τὴν πολλὴν ἀλλ' ὑποβολῇ (l. ὑπερβ.) εἰς καρπῶν ἐκτροφήν τε καὶ κάλλος οὐκ ἀπολέλοιπεν ἑτέρας. Καὶ διὰ τοῦτο τιμητὰς μᾶλλον ἢ μετρητὰς τοὺς κλήρους εἶναι δεῖν ὑπέλαβε, πολλάκις ἑνὸς πλέθρου κἂν χιλίων ἀνταξίου γινομένου. Narrat dimensos non tantum terræ spatia esse, sed & æstimasse bonitatem. Sic igitur in septem partes reliquam terram hactenus indivisam distribuere, ut æqua & prudenti æstimatione fecundiorem ac minus fecundam inter se contulerint: & septenam pinguiorem feracioremque spatiis contraxerint, minus feracem bonamque dilataverint. Laudat extollitque Hierichuntiorum & Hierosolymitarum regionem, quæ in universum laudabili Cananææ longe præstantior fuerit. Ita dividere potuerunt in septem partes æquales æstimatione, at si unicuique tribui assignari debuit portio amplior minorque, Num. 33. 54. quomodo in æquales partes distribuere sufficiens fuit? Hic audiamus iterum Masium: *Plerique respondent, Ista Dei jussa non ad primas sortitiones, quibus unicuique sua assignabatur hæreditas universe, sed ad secundarias spectare: quibus deinde tribuni singulis familiis suas dabant partes. Alii factas quidem fuisse metatorum arbitratu partes septem æquales, pro ratione fecunditatis soli rentur sed dicunt, simul atque sors partem quampiam alicui tribui assignasset, tum proprium fuisse muneris duodecimvirum, ejus portionis limites; ut ea tribus cui obvenerat, vel magna vel parva erat, tum extendere, tum contrahere. Sed hanc opinionem, ut ineptam; quam tamen hoc loco approbat; conatur R. Levi F. Gersonis refellere, cum scribit in Numeros, hoc argumento: Fieri, inquit, ita potuisset, ut universa tribus unius hæreditas augendis aliis absumeretur. Remque exemplo adjuncto explanans; Si enim, inquit, quatuor istæ tribus Issachariana, Iudaica, Danitica, Zabulonitica, contiguas possessiones forte fuissent adeptæ, cum toto dimidiato sextante, si tribulium numerum spectes; hoc est, plus quam una uncia; quæ portio est unius tribus, excesserint illæ trientem omnium tribuum, debuisset dispertiri inter eas tota illa pars, quæ pro quinta tribu fuerat determinata. Aliam igitur sententiam dicit Levi, existimatque istam metatorum descriptionem, districtam modò fuisse in observandis, annotandisque locis omnibus: ut septem designatis regionibus, quæ quales, quot urbes, pagi, villæ, cuique regioni accommoda viderentur, memorare ipsi possent; cum duodecim viri, quamque regionem, quæ pro quaque tribu exstracta esset, vellent certis urbibus, pagis, villis denique, magnis, parvis, multis, paucis, pro singularum tribuum numero definire. Sed sanè infirmum est hoc, meo judicio, argumentum. Nam, ut quarundam*

dum tribuum fines amplificare, ita rursus aliarum diminuere oportuisset. Neque illud verendum erat quod profert de quatuor maximis tribubus, ne in contiguis eas regionibus sors collocaret. Erat enim omninò hæc casura aptissimè in rem communem populi: cum ipsam divinum gubernaret, & moderaretur arbitrium. Præterea tribus Iudaica, quæ sola cæteras multum excedebat, ea seorsim in Galgalis nacta fuerat suas possessiones, cum Iosephitis utrisque composita; cum solæ duæ partes factæ fuissent, ut supra exposuimus. Nos autem de septem modò portionibus agimus: quamquam fatendum est, præcisam nova ista descriptione partem illam Iudæorum esse. Sed ut ut est, disputari in utramque partem res ista potest. Mihi videtur patrimoniorum inter septem istas tribus distribuendorum æqualitas magna ratione constitui posse. Nam pro præsente numero tribulium aliam tribum aliâ locupletiorem facere; id sanè parum æquum videri poterat: quando res ipsa docuit, parvo annorum spacio alias maximo numero augeri, alias imminui. Sed dices, similem quoque accidere perpetuò in familiis mutationem: atque ideò neque in illis mandata Dei, quæ ex Numeris protulimus confici potuisse. Atqui fas erat familiis inter se suas alienare possessiones: tribubus verò nefas. Sed ego rem obscuram atque incertam in medio relinquere malo, quam sine ulla dubitatione defendere, quod non satis exploratè perceptum cognitumque habeo. Illud verò non verebor dicere, satis superque spaciosam fuiße Chananaam, pro universi populi numero: neque opus fuisse ulla amplificatione portionum: etiamsi omnes æquales fuere, cum sua cuique tribui abundè sufficeret: modò ut sibi per ignaviam atque impietatem non deessent tribules ipsi. Nam si, pro sua pietate adversus Deum, maximis olim copiis gens universa crevißet; tum verò Deus ipse fines ampliores dedisset, in quos potuissent emittere colonias, usque ad Euphratem. Id enim etiam erat in sacris promissis; ut supra explicatum à nobis est multis verbis. Neque verò est quod mihi Simeonitas opponas: qui post Davidis imperium usque eò aucti sunt popularibus, atque opibus, ut exire finibus suis coacti sint, ad quærenda pascua suis gregibus. Dicam enim, eos finibus suis non esse egressos; sed in iis progressos: non aliter atque Iosephitas facere imperator jubebat, cum querimoniam haberent de suarum possessionum angustia. Sed neque queri jure potuerunt ulla tribus, quod sua, quam aliarum hæreditas à pluribus, aut potentioribus hostibus teneretur. Horum enim exterminandorum curam sibi Deus ipse sumserat: modò ut Israelitæ gratum piumque præstarent adversus se animum. Gerundensis igitur vir sanè acutus, & benè peritus, non solas septem istas portiones fuisse æquales autumat: sed omnes omnino duodecim. Verum si quis cum illo pugnet; & Iudæorum regionem amplissimam fertilissimamque, tum locupletissima illa regna Sebonis, & Og ipsi opponat; Haud facile, opinor, litem obtineat Gerundensis. Hæc Masius: qui etiam quærit, quomodo potuerint isti mensores terram omnem obire, metiri, annotare omnia: quo præsidio fuerint tuti ab hostibus, maxime cum quædam partes ab ipsis adhuc hostibus possiderentur? Quomodo non in vacuis locis oppugnati, aut intra fines terrarum insessarum ab hostibus admissi? Potuit Deus terrorem hostibus incutere. Masius: *Existimandum est, sic volente Deo & sua promissa confectum eunte. id temporis Chananaos omnes, non tam ex cladibus nuper acceptis, quam occulto quodam & Divino terrore, usque eò fuiße attonitos & tanto belli affectos fastidio, ut omnia sua quieti posthabenda putaverint: hocque esse illud:* terra subacta erat coram ipsis. *Contra vero mirifica quadam prorsus cælestique fiducia Israëlitarum animos subitò fuisse, imbutos. Quis enim alioquin & imperatorem ipsum, qui tam manifesta pericula suis objicere, & tribunos, qui deligere & delectos, qui adire non dubitarunt, non prorsus insanos ac stupidos existimet? Fuit igitur hoc Dei consilium & opus, quo istis reliquis tribubus nimis diuturnam cunctationem, per admirabilem illam mensorum ἄδειαν, securitatemque eximere, ipsasque ad cernendam suam hæreditatem ani-*

animare volebat : cum viderent pauculos suos populares, tam impunem in omnes dividenda terra angulos penetravisse atque incolumes revertisse. Jubet Josue ut maneat Iudæa tribus in sorte sua, quam possidebat, ab austro, & Ephraim atque Manasse ab aquilone. Hic benè monet Masius, id verbum fuisse duodecim virorum id est Iosue & Eleazari & decemvirorum toti negotio divisionis præfectorum. Hi non erant usi mensoribus (quod quidem legitur) in designanda partitione superiori; ea rudius facta erat, tanquam ad tutamentum castrorum in Galgalis ut putat Masius. Cum autem sortes exierint sub facie & voluntate Dei juxta designatam finium limitationem, dici potest, illis tribubus à Deo definitos esse terminos, sed non cum determinatione, ut totæ portiones illis solis manerent. Ephraim mansit in sua portione, Judæi admisere Simeonem, quia deprehensum est, nimis laxis habitare finibus. Igitur sub ista reservata conditione eos fines accepere, ut subsecuta terræ descriptio extra istos terminos positæ accuratam daret determinationem. Æquales igitur partes septem fecere terræ nondum distributæ, ut pro rata Judæorum portionem confirmaret ac Josephitarum. Notat idem Cl. Masius Simeonem ideo inter Judæos collocatum esse, ut quadam ratione confirmaretur quod Jacob prædixerat. Gen. 49. 7. Videntur divisionem septem partium contulisse ad hæreditatem Judæorum & Josephitarum an pares esse possent pro tribuum numerositate. Ideo cum Judæorum portio collata cum terris mensuratis illas nimium superare videretur nec pro exsuperantia numeri, Simeonem intulere & septem illas partes ita dilatarunt, ut è septem sex facerent. Voluit Deus tribus tres præcipuas Judæam Efraimæam & Manassitin primas in possessione locari ob honorem primogenituræ datum duobus patriarchis Judæ & Josepho. Quia dux ipse & imperator ex Ephraim erat, ideo sacrorum locus in ea fixus est primo, qui deinde ad Judæos transiit, ut suo loco dicetur. Voluit Deus ut viginti & unus viri huic negotio dimensionis peragratione remotiori peragendæ præficerentur, quia honoratiores erant decemviri, quam ut detrudi deberent ad istos itinerum labores & discursationes computationesque. Judæis & Josephitis in propinquo positis & minus solicite definitis is labor non debuit impendi: fortassis ipse Deus ore suo determinavit tres illas portiones, quas ipsis sorte deinde assignavit. Quantum temporis mensores hi insumpserint, non definitur in sacro textu, Josephus (nescio unde) septimo mense rediisse scribit. Illi diligenter omnia explorarunt, & accuratè in commentarium retulerunt. Sortes igitur jactæ sunt post dimensionem & septem tribubus assignatæ hæreditates: ut memoratur reliquis hujus capitis & cap. XIX. Sors Dan postremo loco exiit, quod quare factum sit nos dicere non possumus. Josue imperatori secundum petitionem suam data est Thamnath-Sare, idque juxta os Domini, ut habet sacer textus. Insignis fuit moderatio tanti imperatoris, qui populum labore, sudore suo & tot annorum bello in Cananææ possessionem collocaverat, tenui oppidulo, quod inhabitaret, donari satis habuit. Prima post difficillimum bellum, summo imperio maximisque laboribus videbantur deberi præmia, at is non ante rebus suis privatis consultum esse voluit, quam universitas in hæreditatibus suis constituta esset, & ne tunc quidem petiit locum è præcipuis sed arentem tenuemque in monte Efraim: ut in eo multis curis & laboribus fessam senectutem humiliter traduceret. Talis modestia commendatur principi Syr. 32. 1. Eam civitatem instauravit condiditque Iesus & incoluit usque ad diem obitus sui,

Finita distributione sex oppida designata sunt quo confugerent, qui fortuitò & præter voluntatem feriendi homicidium commisissent. Hoc narratur cap.

cap. XX. Hæc oppida ſanctificata ſunt huic fini: Cades in Galilæa in monte Nephthali, Sicima in monte Efraim, Cariatharbe (id eſt Hebron) in montanis Judææ: inde ultra Jordanem, Bezer in deſerto, camporum Ruben; Ramoth in Galaad Gaditarum; Golan in Baſan, Manaſſitarum. Has urbes (jubente Deo) prudentia ſua elegerunt & ſepararunt: cæterum ſorte datæ ſunt urbes Levitarum. Cum enim patriarchæ Levitarum ad Joſue & Eleazarum patriarchæque filiorum Iſrael (ut eſt in cap. 21.) acceſſiſſent & petiviſſent ſibi è præcepto Moſis urbes ad incolendum & ſuburbana pro pecore paſcendo arviſque contribui, Iſraëlitæ quadraginta octo oppida cum ſuis ſuburbanis deſignarunt juxta os Domini, ut eſt in v.3. Sic intelligo quod Deus juſſerit illas quadraginta octo in commune illis dari: deinde ſortes jactæ ſint ad iſtarum urbium diſtributionem inter familias Levitarum. Evenerunt Caathitarum quibuſdam demis ſeu familiis & filiis Aaron tredecim urbes è tribu Judæ, Simeon & Benjamin. Reliquis Caathitis è tribu Ephraim, Dan & dimidia Manaſſis tredecim urbes. Gerſonitis è tribu Iſſachar, Aſer, Naphthali, dimidia alia Manaſſis tredecim: Meraritis è tribu Ruben, Gad, Zabulon, duodecim. Aſyla ſex ſuperius memorata fuerunt inter urbes illas ſacræ tribus. Qui pro tribu hac adierunt Joſue ac Eleazarum cæteroſque appellantur רשי אבות לוים capita patrum Levitarum: itidem adjunctos Joſue & Eleazaro, quos adierunt, vides appellari רשי אבות משת בני ישראל / capita patrum filiorum Iſraël. Ego non poſſum aliter quam patriarchas inrerpretari, ſicut inter ſacerdotes capita fuerunt familiarum, qui vocantur ἀρχιερεῖς, q d. ἄρχοντες πατριῶν Ἀαρών. Illi igitur quos adierunt non fuerunt decemviri diſtributioni præfecti, ad quos non pertinebat res, jam diſtributione per tribus peracta & terra diviſa in illas eorumque familias, ſed ipſi primores familiarum per tribus. Ideò non benè vulgatus interpres carpitur à Maſio, quod hoc vocabuli vertat primates familiarum. Primates illi familiarum ediderunt quadraginta octo urbes, detractas ſibi, aut Deo edenti conceſſerunt, non duodecim viri diviſioni præfecti. Caathitæ inter tres illas gentes Levitarum primo loco ſtatuuntur, & illis accenſentur filii Aaron, tum pauci numero. Sic Caathitæ, cum quibus Aaronis ſoboles, & Caathitæ cæteri. Exiſtimat Maſius Caathitas primos conſtitiſſe ſolis Aaronitis, quod fieri nequit, cum tantum duæ fuerint familiæ Eleazari & Ithamari, quibus tredecim urbes dari non potuerunt: rurſum omnibus Caathitis decem eſſent attributæ; nec ratio qua Aaronis poſteri Caathitæ poſſint appellari. Joſephus putat decem urbes in Tranſiordanenſi à Moſe datas eſſe nunc reliquas 38. quod erroneum.

Cap. XXII.

Cum jam tribus novem cum dimidia diviſo ſolo Cananææ, in hæreditatem unaquæque ſuam eſſent immittendæ (aut immiſſæ) quod putatur eveniſſe decimo quarto anno poſt tranſitum Jordanis dimiſſæ ſunt duæ tribus & dimidia Transjordanenſes? id eſt exercitus è tribus illis conflatus, qui fratres univerſo bello adjuverat, donec quietam poſſeſſionem tenerent. Antequam dimitterentur, ut vult Ioſephus ex c. 22. v. 8. ſpolia è Cananæa rapta & comportata (quantum hactenus indiviſum erat) ab imperatore dividebantur. Νέμει δὲ τῆς λείας ὅσα ἦν ἔτι λοιπά· πλείστη δ' ἐγεγόνει. Ita divites omni genere ſpoliorum, veſtium pretioſarum, auri argentique καὶ τῆς ἄλλης ἀποσκευῆς. Quadrupedum immenſum numerum fuiſſe. In textu etiam ferri & æris eſt mentio. Ioſue vocatis ad ſe quadraginta illis (apud Ioſephum malè eſt πεντακισμύριοι) millibus Transjordanenſium, laudem tribuit impleti pro-

promissi, quod Mosi fecerant: deinde sibi fuisse obsequiosos, fratres non deseruisse tanto tempore & observasse Dei mandata. Nunc, cum quietem obtinuerint fratres, à Deo majoribus promissam, eant ad sua tentoria, in terram quam dederat Moses. Monere se id solum, uti Deum toto corde venerentur & colant: Laudatos benedictosque dimittit. Mandatque, uti suis, qui domi resederant de spoliis partem darent. Hi erant plures, quam qui in bellum iverant. Discedunt igitur Silunte à filiis Israël, (deducti à multitudine cum fletu, cum ægre divellerentur, ut Iosephus dicit) cumque Iordanem trajecissent ingentis magnitudinis aram statuunt. Hoc cum nuntiatum esset populo, coiit è suis finibus Siluntem, ut armatas capias adversus transjordanenses emitteret. Legatos præmisere Phinees filium Eleazari & decem principes. Principes illi (נשיאם) ita describuntur: *Nasi unus, Nasi unus domui patris omnium tribuum Israël* (לבית אב לכל מטות ישראל) *Et vir caput domus patrum suorum illi millibus Israël.* LXX. *ἄρχων εἷς ἀπὸ οἴκου πατριᾶς ἀπὸ πασῶν φυλῶν Ισραήλ· ἄρχοντες οἴκων πατριῶν εἰσὶ χιλίαρχοι ισραήλ.* Chaldæus Ionathan: *Et decem* רברבין *cum eo:* רבא *unus* רבא *unus* לבית אבא לכל שבטיא דישראל וגבר ריש בית אבהתהון אנון לאלפיא דישראל: Reddiderim: *Princeps quilibet erat super domum patris è quavis tribu Israël: & vir præses domus patrum suorum & chiliarchus.* Me judice aliud est בית אב aliud בית אבות. Iosephus tantum dicit *δέκα τῶν ἐν τιμῇ παρὰ τοῖς Ἑβραίοις.* Idem scribit populum, cum putarent illos novata religione alienorum numinum cultum velle introducere, motos temere hac suspicione vindicatum ire voluisse, sed suasu Iosue & Eleazari senatusque cohibitos, qui admonebant prius verbis quam armis agendum esse & sciscitandum quo animo factum id fuerit. Errat in eo Josephus, quod putaverit Israëlitas suspicionem habuisse idololatriæ de suis fratribus: sciebant enim aram idolis structam non esse: ea mens est, quod existimaverint à transjordanensibus tabernaculum & aram Dei quæ erant Silunte, relinqui, tanquam remota nec ad se pertinentia, ob interjectum fluminis. Velle igitur terram suam sacrare ara Deo dedicata & cultui ejus. Legati in Galaaditide coacta congregatione populi acrem orationem habuerunt, verba faciente Phinees ut verosimile est & dicit Iosephus: *Quæ hæc est prævaricatio adversus Deum Israëlis, aram vos struxisse in rebellionem. Parumne cladis iniquitas Phogor attulit: à qua necdum post tot calamitates purificati sumus. Enimvero Deus, si hodie rebelles estis, crastino die effervescet adversus omnem Israël. Si terra possessionis vestræ immunda est, trajicite in terram possessionis Domini, ubi habitat Dei tabernaculum: possessionem capite inter nos. Tantum ne in Dominum rebellate & in nos, aram vobis struentes aliam ab ara Domini Dei nostri. Nonne memores estis Achan filii Zare, qui Dei iram in totam congregationem Israël accendit nec solus in sua iniquitate periit?* Responsum est: *Se Deum testari, Deum deorum, Dominum. Illum nosse, Israël scire oportere. Si rebellionis animo factum sit, ite nos perditum. Si aram struximus ad victimas, reposcat Dominus. Si non fecimus bono fini: Possent fortassis posteri vestri dicere nostris posteris: Nulla pars vobis est cum Deo Israël, qui limitem posuit Iordanem. Ita averti possent nostri posteri à cultu & timore Dei. Ideo consilium nobis fuit aram condere, non ad victimas, sed in testimonium nobis, vobisque & posteris, quod communio nobis sit nostrisque nepotibus cum Deo Israëlis. Absit à nobis aram ædificare sacrificio, præter aram Domini, qui est ante ipsius tabernaculum.* Hoc responsum lætis animis legati accepere, collaudata pietate Transjordanensium, quam sibi indicio esse dicebant, quod Deus in medio populi sui habitaret, quodque nulla è cælo calamitas metuenda esset. Reversi ad concionem Israël, eam & Jesum atque Eleazarum gaudio replevêre. Soluto igitur conventu quisque ad sua rediit, *εἰς τὰς ἰδίας κληρουχίας. Ιησοῦς αὐτὸς* (inquit) *ἐν σικίμοις διῆγεν.* Errat Josephus (quod diximus) putans

fuisse metum populi ne ara hæc ad idololatriam structa esset, præter hoc, orationes apud ipsum, Josue ad Transjord. Phinees ad eosdem & transjordanensi. responsum non deviant à mente textus. Et nomen fecerunt filii Ruben & Gad aræ isti: *Testimonium est inter nos, quod Dominus sit Deus.* Ex hac inscriptione nomen tenuit. Discimus, quod eo tempore non licuerit aram condere sacris, præter aram in tabernaculo. Pene n. ad arma ventum est, quia putabant eo fine ab illis tribubus conditam esse aram. Kimchi: *Putabant Israël: quod facerent eam ad offerendum supre ea & congregati sunt Siluntem ut ascenderent contra eos in bellum: & fuit consil: eorum, mittere ad eos primò Phinees filium Eleazari sacerdotis & decem principes cum eò è novem tribubus & dimidia ut scirent quid hoc & ad quid, utque ipsos monerent & redarguerent ob hoc, quia jam moniti erant in lege, ne facerent excelsum congregationis* (במת הצבור) *præter tabernaculum Domini, & excelsum singularis hominis* (במת ליחיד) *vetitum fuit à quo tempore venerunt in quietem & hæreditatem, ut est declaratum in fine* זבחים) Et domus seculorum fuit hæreditas. *Et ex hoc sensu fuit rebellio, quia intentio erat, ut ne coleretur Deus excelsus nisi in uno hoc loco, ad docendum, quod ipse esset unus, ut declaravimus in explanatione nostra in verba legis: Et contrarium erat quod fecerunt Israëlitæ quando submersi sunt in idololatria, usque adeo ut invenias, quod jam fuerint ipsis idoleia in omnibus urbibus* &c. Ralbag: *Quoniam putabant, quod ad offerendum in ea holocaustum & victimam, fecissent eam: & ut esset ipsis solus ara separatim ab iis, qui veniebant ad aram Domini, in Silo &c. At postquam venerunt in Silo vetita fuerunt excelsa, quoniam sic discimus; usque dum non erat statutum tabernaculum, licita fuerunt tabernacula, à quo erat statutum tabernaculum vetita fuerunt excelsa. Ibant in Galgal licita fuerunt excelsa; ibant in Silo, vetita fuerunt excelsa; Ibant* (*vel venerunt*) *in Nob & Gabaon licita fuerunt excelsa; Venerunt in Ierusalem, vetita fuerunt excelsa.* Bello & armis persequi deficientes ab Dei instituto cultu docet lex de urbe ad idolorum cultum prolapsa. Deut. 13. 12. &c. Judæi in Bresith Rabba nugantur, bis ab imperatore dimissas esse istas tribus: vel quia post priorum missionem dies aliquot in castris hæsissent, vel quia ab ipso imperatore, benevolentiæ ergo ad Jordanem usque deducti eum rursus domum reduxere, ne scilicet parum stipatus rediret: causa hujus commenti est ex eo quod bis dicantur dimissi esse & abiisse v. 6. & 7. 8. Notandum etiam est quod v. 7. parentheticâs memoret divisionem tribus Manasséæ in duas partes, qua ratione finis v. 7. cohæret cum fine v. 6. Unde Rasi orationem Jesu de dividendis spoliis pertinere putavit ad solos Manassitas: quasi illi jubeantur partem tradere Rubenitis & Gaditis, ac si hi nullam ex se haberent prædam. Patet sensum esse quod hi bellatores tribulibus suis, qui domi resederant debeant partem suam communicare. *Manserant* (inquit Masius) *prope altero tanto plures, quam militatum cum fratribus transierant: quod ex postrema recensione constet.* Lubet etiam audire eundem Masium differentem de verbo legatorum, quo dicebant se nondum purificatos esse à crimine Phagor. *Meritò*, inquit, *hoc exemplo utitur Phinees: ut cujus ipse pars magna fuerat, quippe qui unus Dei indignationem sedaverat trucidato Zambri, cum Madianitide Cozbi corpus miscente. At enim si ille placaverat facinusque expiaverat, quid est, cur ab illo flagitio nondum esse purgatum populum dicat? R. Levi filius Gersonis opinatur, tantam fuisse illius contagionem, ut etiamnum animi multorum eôdem propenderent. Alii ad infamiam illius sceleris ista spectare putant, qua nondum sint liberati Israëlitæ. Sed ista profectò sententiæ nimis molles sunt. Non enim de animorum affectionibus, aut de peccati memoria, sed de ipsa impietate patrata agitur. Quare, meo certè judicio, rectius illi sentiunt, qui placatum quidem fuisse Deum zelo Phinees putant; sed eatenus modo, ut plures eo tempore mutua cæde nollet cadere: verum eos qui se illa impietate obstrinxerant, nihil-*

nihilominus in reatu mansisse; olim pœnas divino judicio daturos. Nam profectò, qui culpæ gratiam, quam facit Deus mortalibus, à pœnæ gratia separari non posse contendunt, ii nimio plus suæ ipsorum sapientiæ, adversus sacras literas, & sanctissimorum Patrum consensionem, tribuunt, quam oportuit. Non jam loquor de gratia pœnæ mortis æternæ, de ea enim, nisi fallor, nulla Theologis inter ipsos controversia est. Quid enim? an non huic loco planè geminus est, ille cum Deus his ad Mosen utitur verbis: Condonavi, *ut tu petis. Veruntamen vivo ego: & implebitur gloria Domini universa terra; omnes viri, qui viderunt gloriam meam, & ostenta mea, quæ feci in Ægypto, atque in deserto: & jam me denis vicibus tentaverunt, neque auscultarunt voci meæ, non conspicient terram de qua juravi* patribus ipsorum, *&c. Sed extat etiam divi Augustini de ea re sententia, multis in locis luculentissimè dicta. Ego vero loci unius verba in medium protulisse satis habebo. Ait enim ille commentariis in Ioannem:* Cogitur *homo tolerare etiam remissis peccatis, quamvis, ut in eam veniret miseriam, prima fuerit causa peccatum. Productior est enim pœna quam culpa. Et parva putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna. Atque ideò vel ad demonstrationem nostræ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ pœnitentiæ temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem jam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa. Sed quis adeò est alienus à sacris historiis, ut nesciat, in quantas ærumnas David, propter admissum adversus Vriam scelus, inciderit; postquam ei ignovisse Deum vates Nathan nuntiasset? Non ergò adhuc purgatus erat populus eo flagitio: quia multi etiam tum superstites erant, qui eo contaminati, nondum pœnas Deo persolverant & tamen illud egregium Phinees factum usque eò scelus expiaverat; ut hoc neque in populum universè, neque singillatim in eos, qui ei erant affines, ipso vindicatum exitio Deus iret, tamquam offensus & commotus hostis: sed castigatum suo tempore, calamitatibus & pœnis quibusdam, veluti clementissimus parens; qui filium, cui ignovit certis tamen modis corrigit: ut prorsus omni ex parte sarciatur, & plenè perfectèque cocat pristina gratia, benevolentiaque.* Ita Masius: Solet autem vir maximus captatis occasionibus invehi in eas sententias Protestantium, quas aliqua detorsione & in speciem carpere potest. Fuit vir admodum eruditus qui potius quæsivit quid carpi posset aut opponi quam ut animo suo ipse persuaserit sententiæ adversæ pravitatem. Aliud est pœnam differre aliud culpam condonare & delere: Deinde piis calamitates eveniunt in castigationem, exemplum patientiæ virtutumque aliarum, non ad iram & pœnam. Quod ex peccato & ob peccatum venit, naturam mutat in respectu ad subjectum, quod pœnæ obnoxium non est remissa culpa. Sed hæc fusius discutere hujus loci non est.

Sic universus Israel promissionis terram possidebat, in hæreditatem immissus tributim & per demos domosque. Efraimitæ & Manassenses, querelam ad imperatorem detulere cap. 17. vers. 14. 15. 16. 17. 18. R. Moses Bar Nachman Gerundensis existimat Manassitas simul atque hæreditatem adjissent, conatos esse eliminare Chananæos, sed cum id frustra tentassent, coacti eos sub tributo tolerare, questum venisse comitatos Efraimitis. Non est autem verosimile Cananæos sub tributi pensione toleratos esse vivente Iosue. Existimat Masius querelam hanc delatam esse, cum jam septem reliquæ tribus suis locis collocatæ essent. Nempe cum illis ad Septentrionem sui termini definiti essent à mensoribus per dimensionem pro partibus, in quibus aliæ tribus sedem fixuræ erant. Judæorum magistri autumant, non Efraimitarum sed Manassensium res querelæ causam habuisse, quod ob amplitudinem angustis locis sedere non possent. Atqui è Iosue responso patet utramque tribum conquestam esse, quamvis concedi posset Manassenses fecisse querendi initium. Manassensium hæreditatem pluribus difficultatibus implicatam esse, quàm ullius alterius tribus,

Fff 2 appa-

apparet ut inquit Masius. *Nulla enim*, inquit, plures urbes in Chananæorum potestate reliquit. Verba illa, *Prout adhuc mihi benedixit Deus*, ad Manassenses non Efraimitas spectare judicat: quanquam alioquin spem certissimam fecunditatis habuere Efræmitæ. Existimat ea tempestate, qua questi sunt, nondum divisam inter ipsos fuisse hæreditatem, quam, ut putat, unius sortis jactu acceperant. Ideo queri, quod ipsis *una sors* obvenisset: quæ alioquin satis patulis finibus pro utraque tribu extenderetur. Cæterum querelæ vis in eo, aut quod angustis nimis limitibus includerentur: (Numerum suum tam amplum esse significant, ut duabus gaudere partibus debeant) aut quod utriusque sors esset ejus brevitatis ut pro una posset haberi sorte. Ralbag putat queri Iosephitas, suam hæreditatem iis undiquaque finibus determinatam esse, quos nulla olim ratione proferre possint sine fratrum suorum injuria: quod ipsis grave videri, quia in dies augescant. Alias tribus posse pomœria dilatare vicinis barbaris subjugatis. Id Masius verum esse dicit de paucis omninò tribubus. Iosue ad filiorum Iosephi petitionem regerit: Quoniam, ut dicitis, magnus estis populus ite in silvam, eamque succidite, in terra Pherezæorum & Raphaitarum, quia montana Ephraim arcta nimis sunt pro vestra inhabitatione. Mons ille (respondent) non sufficiat nobis. Sunt etiam ferrei currus (falcatas quadrigas interpretes intelligunt) apud omnes Cananæos, qui in terra vallis, qui in territorio Bethsoan & valle Iesraël incolunt. Iosue quoque dixisse legitur ad Ephraim & Manasse: Magnus estis populus, magnarumque virium, non unam sortem habebitis. Mons vester erit: at quia silvosus est, eum succidite: subigetis etiam Cananæos. Videtur mons ille extra sortem adjectus esse, in quo silvæ erant: id tamen non probatur interpretibus. Lyranus ad verba: Non habebis sortem unam: *Non est intelligendum quod una tribus habuerit plures sortes: sed &c. non eris contentus in terra acquisita in sorte tua: sed acquires residuum adversarios expugnando cum Dei adjutorio: quibus debellatis poteris subscindere nemora & dilatare spatia ad habitandum. Sciendum tamen quod occasione hujus dicti dixerunt aliqui: quod Iesus non divisit totam terram, sed aliquam retinuit dividendam illis, qui haberent majorem multitudinem. Sed hoc non est benè consonum præcedentibus, quia dictum est, quod etiam terra Philistinorum & plures aliæ ceciderunt sub divisione; cum tamen non essent acquisita. Præterea secundum hoc dictum sortes non essent invicem distincta sed essent commixta per istam additionem.*

Cap. XXIII.

Post aliquod temporis intervallum, cum Iosue extremo senio deficeret, vergeretque in mortem, convocat populum vel Siluntem, (ut vult Masius) vel Thamnathsare, ut sentiunt magistri Hebræorum. Pro Masio facit judice Bonfrerio, quod passim videamus in sacra scriptura ista comitia in loco sacratiore haberi. Omnem Israel dicitur convocasse, nempe è singulis tribubus & urbibus aliqui convenere. Præter hos aut hi sunt, quos notat deinceps: seniores, (non magni senatus sed singularum tribuum) capita, judices & prætores. Hos monuit se deficere senio. Vidisse ipsos quæ Deus illis populis fecisset: qui ipse pro eis bellasset. Se ipsis cum terris evacuatis in sortem dedisse populos residuos: quos absque dubio Deus daturus esset victos profligatosque: modo insisterent recto itineri, nec deficerent ad cultum idolorum inter victos populos. Deum affore & egregias victorias daturum esse. At si matrimoniis gentilium mixti cum eis se socient, Deum eos nequaquam expulsurum, & relicturum in laqueum & virgam. Se nunc viam universæ terræ ingredi:

ipsos

ipsos scire, quod Deus universa sua promissa implevisset, si vero fœdifragi & idolis dediti Deum offendant, Deum ipsis immissurum omne genus malorum, quæ Moses esset minitatus, donec abolerentur.

Cap. XXIV.

PAulo post in Sichem convocat populum. Universum populum tributim. A concione separabat seniores principes (capita) judices, magistros (sive prætores) qui constiterunt in conspectu Domini. Tum Iosue ad populum prolixam orationem habuit, qua ab ovo populi originem & Dei beneficia (Dei verbis) narrat: deinde ut Iordanem transierint, nationesque subegerint. Hic septem commemorantur gentes, cum Gergesæi soleant omitti aliis locis. Cum Gergesæorum rara sit mentio putant hos è Cananæa profugos alias quæsivisse sedes. Refert Deum immissis crabronibus duos Amorrheorum reges aliosque populos, non gladio, non arcu Israelitarum pepulisse. Dedisse eis terram, in qua non erat laboratum ab illis; urbes quas non ædificaverant, vineas & oliveta, quæ non conseverant. Monere igitur se ut toto corde Deum colant amoveantque deos, quibus eorum patres in Mesopotamia & Ægypto servierant. Si non placeat, inquit, vobis Deum colere, assumite Deos, quos coluere majores in Mesopotamia: aut Amorrhæorum, quorum terrás habitatis: Ego & domus mea colemus Dominum: Hic populus respondebat uno ore. Absit, ut relicto Domino, alios deos colamus. Ille enim nos ex Ægyptia servitute eduxit, tanta miracula fecit: salvos tota via inter populos, quos transivimus, præstitit: incolas expulit. Nos etiam Dominum colemus. Nam ille Deus noster est. Adhæc Iosue: Non poteris Deum colere: nam Deus sanctus est, est Zelotes: transgressionem & peccata vestra non condonabit. Si Dominum relinquatis, aliosque Deos colatis: aversus à beneficiis, mala infliget vosque malè perdet. Iterum populus: Absit: Dominum colemus. Tum Iosue ad eos: Testes estote adversus vos ipsos, quod Dominum elegeritis, in cultum. Illi: Testes sumus. Tollite igitur (verba Iosue sunt in vers. 23.) amovere alienos Deos, qui inter vos sunt, & animos inclinate ad Dominum Deum Israel. Hæc verba cohærent cum prima parte vers. 22. cujus ultima verba parenthesi includenda malè omisit Græca τῶν LXX. editio. Populus denique ad Iosue: Colemus Dominum Deum nostrum & voci illius obsequemur. Ita Iosue fœdus cum populo fecit: quod ipsis posuit in legem & jus. Hæc autem retulit in commentarium legis, sumpsitque ingens saxum, quod statuit sub quercu, quæ erat apud sanctuarium Domini. Et populum ita affatus est: Ecce hoc saxum erit nobis in testimonium. Audiit enim omnes sermones Domini, quos locutus est ad nos: imò erit in testimonium adversus vos, ne mentiamini Deo vestro. Hoc facto populum dimisit in sortes suas. Saxum μεταφορικῶς audisse dicitur. Hebræi nugantur lapidem Divina virtute auditus facultatem accepisse. Quod non eget refutatione quia risu solvitur. LXX. constanter pro Sichem legerunt Silo (σηλω,) ut quidem Romana habet editio, quam hic genuinam esse non dubito: cum cæteræ emendationem ex Hebræo magis sapiant. Qui putet eos ita in codice Hebræo legisse, quem habuerunt, longè fallitur. Suo enim more, judicium potius suum, quam lectionem in consilium adhibuerunt. Iosephum ita legisse, ut nunc in Hebræo est, certum ex eo, quod hinc putaverit eum Sicimis ætatis annos reliquos egisse. Judicium τῶν ό hoc argumento potissimum niti videtur, quia in loco sacro apud tabernaculum comitia coire solebant: deinde quia hic dicitur fuisse sanctuarium. Sed interpretes respondent

dent arcam fœderis ad comitia allatam (quod aliquando factum esse exemplis doceri potest) ut coram ipso Deo versari viderentur & reverentius agerent. Lyranus sanctuarii nomine synagogam capi posse. Deinde Bonfrerius argumentatur, sanctuarii voce non posse intelligi tabernaculum : quia apud tabernaculum quercus esse non poterat. Quidam putant (Comestor & Salianus) quod fœdere inito simul iverint Siluntem (v. 26.) atque ibi scriptum hoc in libro sit ibidemque saxum positum. Sed quercus obstat & quod in conspectu Domini (v. 1.) primores constiterint quamvis hoc Cajetanus exponat de faciebus Siluntem obversis. Nam ea expositio consistere nequit. Sicimis erat quercus illa, ibi lapis statutus. Volunt eandem fuisse quercum, sub qua Jacob ante tria secula simulachra idolorum defoderat. Masius hanc affert causam de loco: Imperatorem eo convocasse populum, quod putaret in eo loco fœdus sacrum esse redintegrandum, in quo ab Abrahamo primum deinde ab universis Israëlitis fuisset sancitum. Hic enim montes Ebal & Garizim. Sicima erat primus locus Cananææ in quo consederat Abrahamus: in eo prima possessio Jacobi &c. Vide Kimchi. Liber ille seu commentarius legis fuit absque dubio alius liber à Pentateucho hodierno qui posteris temporibus conscriptus est, nec est liber rerum gestarum Josue. Fuit commentarius legum, in quo scripta Jura, de quibus monitum sæpius in Pentateucho: Addidit illis hanc sanctionem fœderis. Sed de hac re alias.

Lapis in signum erectus est, ut solebant: Comestor autem in historia Scholastica addit aliud: *Percussitque*, inquit, *populus in die illa fœdus cum Domino & in signum fœderis effudit Iosue aquam super terram. Mos erat gentibus in signum & robur fœderis initi, sanguinem suillum effundere; quasi dicerent: Sic effundetur sanguis ejus, qui violaverit hoc fœdus. Hebræi vero aquam fundentes atrociorem pœnam in violatorem indicabant. Alii enim liquóres non effunduntur de vase, quin aliquod vestigium sui in eo relinquant: solus aqua liquor prorsus effunditur. Quod faciebant Hebræi inito fœdere cum Domino; quasi dicerent, non solum violator hujus fœderis peribit, sicut in aliis fit fœderibus sed tota progenies ejus peribit cum eo, ut nullum vestigium ejus appareat super terram.* Hic nihil tale in textu; sed I. Sam. 7. 6. aquam hauserunt & effuderunt coram Deo. Masius etiam putat nullum ritum firmandis fœderibus adhiberi solitum, hic esse omissum: eoque non solum sacrificatum esse verum etiam victimæ sanguine partim aram Dei, partim populum, solenni ritu adspersum: quemadmodum à Mose factum (Exod, 24.) cum fœdus illud primum pangeret, cujus hic renovatio agitur.

Quod Josue dicit de crabronibus (הצרעה) ad hoc Kimchi: *Et sic dicunt magistri b. m. duo crabrones* (seu duæ plagæ crabronum) *fuerunt, una Mosis, altera Iosue. Crabro autem est species muscæ malæ, inferens venenum. Dicunt etiam quod fuerit plaga in oculis: occæcabat oculos eorum & non poterant bellare ita ibat Israël & occidebat eos: secundum quod dicit*: Non gladio tuo neque arcu tuo. *Et Chaldaica interpretatio* ארעיתא. *Et dicunt nomen ejus vocari* ארעיתא *quod statuat se in occursum hominis & pungat in faciem ejus: ut redditur* אשר קרך (Deut, 25. 18.) *per* דארעך. Sine gladio tuo] *Id valet nisi esset auxilium Dei. Quo modo dictum est*: (Psal. 44. 7.) Quoniam in arcu meo non confido & gladius meus non salvabit me. Ralbag: *Significat quod novaverit læsiones ipsis quibus læsi sunt præter gladium belli.* In ipsis præliis infestos fuisse crabrones & plus contulisse ad victoriam, quam arma & impetum Israëlitarum prædicat Josue tribuens gloriam Deo. Quidam arbitrantur assidua infestatione crabronum coactos mutasse loca incolas alioque emigrasse, atque ita facilem hostibus dedisse victoriam, ob imminutum numerum resistentium: sed prius putem verius esse.

Quæ-

Quæritur (ex v. 14. & 23.) An sub Josue principatu inter Israëlitas fuerint, qui idola colerent? In Ægypto & deserto coluere idola, ut apud Ezechielem (cap. 23.) & Amos (cap 5.) diserte exprimitur: at nunc non fuisse putat Augustinus qu. 29.) Nam obedientiam suam & pium affectum erga Deum ostendere cap. 22. Nec Deus inultum sivisset, qui scelus Achanis tam severe puniit. Et in fœderibus faciendis lustratio fieri solebat, inquisitio & abjectio idolorum, ut Gen. 35. 2. 4. 1. Sam. 7. 4. Sanè videntur quædam superstitionis reliquiæ privatim hæsisse quorundam animis & idola occultè circumlata: quorum expurgationem jubeat fieri Josue in v. 23. Nam non potuerunt superstitionis radices funditus ita evelli, ut in corde nullius in tanto numero propullularet. Alia ratio est τ̃ חרם attacti, alia idololatriæ. Non quod idololatriæ levius crimen sit, sed quia contrectatio τ̃ ἀναθήματος pœnæ attrahat necessitatem.

FINIS.

De Temporibus Judicum usque ad Samuëlem.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

CAP. XL.

IGitur, ut supra dixi, diviso per tribus captivo solo, pace summa Hebræi perfruebantur, finitimis bello territis, tot victoriis nobiles armis nemine audente tentare. Eo tractu Iesus mortuus est anno ætatis decimo & centesimo: de imperii autem ejus tempore parum definio. Frequens tamen opinio est, XX. & VII. annis eum Hebræis præfuisse. Quod si ita est, à mundi exordio in excessum ejus anni sunt M. D. CCC. LXXX. & IV. Iesu mortuo populus sine Duce agebat. Sed cum adversus Chananæos bellandum esset, dux belli Iudas assumptus est. Hujus ductu res prosperæ, gestæ domi militiæque summum otium, populus aut subactis aut per deditionem acceptis gentibus, imperitabat. Inde ut semper fieri secundis rebus solet morum disciplinæque immemor, matrimonia ex victis assumere, paulatimque externos mores trahere, ac mox profano ritu idolis sacrificare occepit. Adeo cuncta cum externis societas perniciosa est: quæ Deus longè ante prospiciens, salubri Hebræo responso instruxerat, devictas gentes ut internecioni darent. Sed plebs cupida dominandi imperare victis cum pernicie malebat.

DRUSIUS.

CAPTIVO SOLO] innuit majorem partem terræ Chanaan, quam ceperant. Nam uniuersam non occuparant eo tempore.

EODEM TRATU] plenius alibi, *eodem tractu temporis.*

JESUS MORTUUS EST] absque prole mascula: unde in Phesachim, *non* meruit habere filium. Sunt qui eum filias reliquisse scribant. Natus fuit anno mundi bis millesimo quadringentesimo sexto, ut habetur in Johasin. Legem à Mose accepit cum ageret annum octogesimum secundum. Sunt qui litteris mandarunt ab eo ductam Rachab, ex qua filias susceperit, quæ matres fuerunt octo Prophetarum.

ANNO ÆTATIS DECIMO ET CENTESIMO] Jos. 24. 29. Jud. 2. 8.

VIGINTI ET SEPTEM ANNIS] cum Sulpicio sentit Augustinus lib. XVIII.

XVIII. de civit. Dei. cap. XI. Funccius ei attribuit annos triginta duos· *Ex his septem consumpti sunt*, inquit, *in subigenda terra, & viginti quinque in eadem dividenda.* Autor libri qui vocatur series annorum mundi, Ebraicè Seder Olam, *Iosue rexit Israëlem annis octo supra viginti.* Salmanticensis, *judicavit Israëlem annis viginti octo, quemadmodum habetur in Seder Olam.* Et mox, *Hoc notum duntaxat ex Cabbala, hoc est ex traditione majorum.* Idem refert Simeonem Filium Semach Doran, in eo libro qui vocatur Clypeus patrum, duntaxat quatuordecim annos ejus imperio tribuere: quod etiam refutat.

In Excessum Ejus] excessum absolutè vocat mortem, id est, excessum è vita, ut Cicero in 1. de legibus, *post excessum suum Romulus Iulio Proculo dixit se Deum esse.* Anni Sunt M. D CCC LXXX. & IV. pro M. repono III, quod ante me Giselinus annotavit. Sigonius autem pro quatuor admonet scribendum III. ut dicat, *anni sunt termille octingenti octoginta & tres.* Salmanticensis, *mortuus est anno mundi bis millesimo quingentesimo decimo sexto.* Id quadrat cum eo quod ante scripsi de anno nativitatis ipsius: Expende, & verum esse comperies, quod dico.

Sine Duce Agebat] Senes tum Remp. administrabant, in quorum numero Chaleb, qui præcipuus erat, prout habetur in capite, Sacerdos magnus & Nazıræus. Phinees quoque iis accensetur, qui erat ex semine Ithamar, usque ad Eli sacerdotem. Vide librum Johasin.

Judas Assumptus] malim Juda. Nam de tribu sermo.

Matrimonia Ex Victis Assumare] Iud. 3. 6. Ut hic, *assumere matrimonia*, sic cap. 62. *cum ex alienigenis conjugia assumpsisset*, id est, uxores. Simile ut cum *servitia* ponimus pro ipsis servis.

Idolis] Baalem & Astharoth, quod aliter efferas Baalibus & Astartis, Jud. 2. 13. & 3. 7.

Schotanus.

Nemine Audente Tentare] Non tantum delevit domuitque vis Hebræa gentes Cananææ sed & terrore multi emigrarunt, ut credibile est. Nunquam legimus de Gergesæis, quod cum Josue & Israël manus conseruerint, aut in aliqua parte terræ eorum fuerit, sicut reliquarum sex Cananææ gentium: hinc frequens opinio, universam gentem Gergezæorum cum liberis & uxoribus, universaque substantia, quam agere aut ferre poterant, aliò emigrasse. Emigrationem plurium factam esse testatur Procopius hist. Vandalicæ lib. 2. ubi Maurusiorum originem è profugis Cananæis ducit: Ἐπεὶ δὲ, inquit, ἡμᾶς ὁ τῆς ἱστορίας λόγος ἐνταῦθα ἤγαγεν, ἐπάναγκες εἰπεῖν ἄνωθεν, ὅθεν τε τὰ Μαυρουσίων ἔθνη ἐς Λιβύην ἦλθε καὶ ὅπως ἐνταῦθα ᾠκίσαντο. Ἐπειδὴ Ἑβραῖοι ἐξ Αἰγύπτου ἀνεχώρησαν, καὶ ἄγχι τῶν Παλαιστίνης ὁρίων ἐγένοντο, Μωσῆς μὲν, σοφὸς ἀνὴρ, ὃς αὐτοῖς τῆς ὁδοῦ ἡγήσατο, θνήσκει, διαδέχεται δὲ τὴν ἡγεμονίαν Ἰησοῦς ὁ τοῦ Ναυῆ παῖς. ὃς ἔς τε τὴν Παλαιστίνην τὸν λεὼν τοῦτον εἰσήγαγε· Καὶ ἀρετὴν ἐν τῷ πολέμῳ κρείσσω ἢ κατὰ ἄνθρωπον φύσιν ἐπιδειξάμενος, τὴν χώραν ἔσχε, καὶ τὰ ἔθνη ἅπαντα καταστρεψάμενος, τὰς πόλεις εὐπετῶς παρεστήσατο, ἀνίκητός τε παντάπασιν ἔδοξεν εἶναι· τότε δὲ ἡ ἐπιθαλασσία χώρα, ἐκ Σιδῶνος μέχρι τῶν Αἰγύπτου ὁρίων Φοινίκη ξύμπασα ὠνομάζετο. Βασιλεὺς δὲ εἷς τὸ παλαιὸν ἐφειστήκει· ὥσπερ ἅπασιν ὡμολόγηται, οἱ Φοινίκων τὰ ἀρχαιότατα ἀνεγράψαντο· ἐνταῦθα ᾤκηντο ἔθνη πολυανθρωπότατα, Γεργεσαῖοί τε καὶ Ἰεβουσαῖοι, καὶ ἄλλα ἄττα ὀνόματα ἔχοντα, οἷς δὴ αὐτὰ ἡ τῶν Ἑβραίων ἱστορία καλεῖ· οὗτος ὁ λαὸς ἐπεὶ ἄμαχόν τι χρῆμα τὸν ἐπηλύτην στρατηγὸν εἶδον· ἐξ ἠθῶν τῶν πατρίων ἐξαναστάντες, ἐπ' Αἰγύπτου ὁμόρου οὔσης ἐχώρησαν, ἔνθα χῶρον οὐδένα σφίσιν

 ἱκανὸν

ἱκανὸν ἐνοικήσασθαι εὑρόντες· ἐπεὶ ἐν Αἰγύπτῳ πολυανθρωπία ἐκ παλαιοῦ ἦν. ἐς λιβύην ἐστάλησαν. πόλεις τε οἰκίσαντες πολλὰς, ξύμπασαν λιβύην μέχρι στηλῶν τῶν ἡρακλέους ἔσχον. ἐνταῦθα δὲ ἐς ἐμὲ τῇ Φοινίκων φωνῇ χρώμενοι ᾤκηνται· ἐδείμαντο δὲ καὶ φρούριον ἐν νουμιδίᾳ πόλει, οὗ νῦν πόλις τιγισίς ἐστί τε καὶ ὀνομάζεται· ἔνθα στῆλαι δύο ἐκ λίθων λευκῶν πτωσιμμέναι ἄγχι κρήνης εἰσὶ τῆς μεγάλης, γράμματα Φοινικικὰ ἐγκεκολαμμένα ἔχουσαι, τῇ Φοινίκων γλώσσῃ ὧδε· ἡμεῖς ἐσμὲν οἱ φυγόντες ἀπὸ προσώπου ἰησοῦ τοῦ λῃστοῦ υἱοῦ ναυῆ· ἦσαν δὲ καὶ ἄλλα ἔθνη ἐν λιβύῃ πρότερον ᾠκημένα, οἳ διὰ τὸ ἐκ παλαιοῦ ἐνταῦθα ἱδρύσθαι, αὐτόχθονες εἶναι ἐλέγοντο· Καὶ ἀπ' αὐτοῦ ἀνταῖον (τὸν αὐτῶν βασιλέα, ὃς ἐν κλιπέᾳ ἡρακλεῖ ἐπάλαισε) τῆς γῆς υἱὸν ἔφασαν εἶναι, χρόνῳ δὲ ὕστερον καὶ ὅσοι μετὰ διδοῦς ἐκ Φοινίκης ἀνέστησαν, ἅτε πρὸς ξυγγενεῖς, τοὺς ἐν λιβύῃ ᾠκημένους, ἀφίκοντο. οἳ δὴ αὐτοῖς καρχηδόνα κτίσαι τε καὶ ἔχειν ἐθελούσιοι ξυνεχώρησαν. προϊόντος δὲ τοῦ χρόνου, ἐγένετο ἡ τῶν καρχηδονίων δύναμις μεγάλη καὶ πολυάνθρωπος· μάχης τε σφίσι γενομένης πρὸς τοὺς ὁμόρους· οἳ πρότεροι (ὥσπερ ἐρρέθη) ἐκ παλαιστίνης ἀφίκοντο, καὶ τανῦν μαυρούσιοι καλοῦνται, ἐκράτησάν τε αὐτῶν οἱ καρχηδόνιοι, καὶ ὡς ἀπωτάτω οἰκεῖν καρχηδόνος ἠνάγκασαν· ἔπειτα δὲ ῥωμαῖοι πάντων καθυπέρτεροι τῷ πολέμῳ γενόμενοι, μαυρουσίους μὲν ἐς ἐσχατιὰς τῆς ἐν λιβύῃ οἰκουμένης χώρας ἱδρύσαντο· καρχηδονίους δὲ καὶ λίβυας τοὺς ἄλλους κατηκόους σφίσιν ἐς φόρου ἀπαγωγὴν ἐποιήσαντο. ὕστερον δὲ οἱ μαυρούσιοι πολλὰς κατὰ βανδίλων νίκας ἀνελόμενοι, μαυριτανίαν τε τὴν νῦν καλουμένην, ἐκ γαδείρων μέχρι τῆς καισαρείας ὁρίων τείνουσαν, καὶ λιβύης τῆς ἄλλης τὰ πλεῖστα ἔσχον. *Quoniam historiæ sermo nos huc duxit, necesse est dicere altius ab origine, unde Maurusiorum gentes in Libyam venerint & quomodo illic habitationem fixerint. Postquam Hebræi ex Ægypto discessissent & approximassent finibus Palæstinæ, Moses, vir sapiens, qui ipse eos duxerat, obit, suscipit autem ducatum Iesus Nave filius: qui populum hunc in Palæstinam introduxit virtutemque in bello majorem, quam pro modo hominis ostendens regionem occupavit gentibusque omnibus subversis urbes facili negotio subdidit, omnibusque insuperabilis esse videbatur. Ea autem cempestate maritima omnis regio, Sidone usque terminos Ægypti Phœnice dicebatur, unusque rex antiquitus præsidebat: ut omnibus in confesso est, qui Phœnicum antiquitates conscripsere. Illic habitabant gentes numerosissimæ, Gergesæi, Iebusæi & aliis nominibus, quibus ipsas Hebræorum appellat historia. Hic populus cum videret ducem advenam bello vinci non posse, è sedibus patriis emigrantes, in conterminam Ægyptum concessere. Illic nullam regionem, quam inhabitare possint, invenientes (quoniam in Ægypto hominum multitudo ab antiquo fuit) in Libyam proficiscuntur: conditisque multis urbibus universam Libyam usque columnas Herculis tenuere. Atque illic usque ad meam ætatem Phœnicum sermone usi coluerunt. Condiderunt etiam castellum in Numidiæ (l.* Νουμιδίας*) urbe, ubi nunc est & vocatur Tigisis. Illic duæ columnæ ex albis lapidibus prope fontem magnum sunt, incisæ literis Phœniciis, Phœnicum lingua ita loquentes: Nos sumus, qui fugimus à facie Iesu prædonis, filii Nave. Colebant etiam prius aliæ gentes in Libyà, quæ ideo, quod ab antiquo illic sedes habuerint, indigenæ esse dicebantur. Et exinde Antæum (eorum regem, qui in Clipea cum Hercule jactatus est) terræ filium esse dicebant. Posteris temporibus etiam qui cum Didone è Phœnice emigraruut, tanquam ad cognatos, ad eos qui in Libya habitabant advenere, qui ipsis Carthaginem condere & habere sponte sua concessere. Progressu autem temporis Carthaginensium res viribus & numero hominum invaluere, cumque prælium cum finitimis consererent (qui prius, quod dictum est, è Palestina advenerant & nunc Maurusii vocantur) superarunt eos Carthaginenses & procul à Carthagine colere coëgeruut. Deinde Romani bello superiores omnibus facti, Maurusios in extremis habitatæ Libyæ collocarunt, Carthaginenses autem reliquosque Libyas vectigales fecerunt. Tandem Maurusii multas victorias adversus Vandalos obtinuerunt, Mauritaniamque nunc appellatam usque ad Cæsareæ terminos extensam & alia plurima Libyæ habuerunt.*

Aliam Maurorum originem Sallustius de bello Jugurthino memorat: *Sed qui mortales*

mortales initio Africam habuerint, quique posteà accesserint, aut quomodo inter se permisti sint: quamquam ab ea fama, quæ plerosque obtinet diversum est, tamen uti ex libris Punicis, qui regis Hiempsalis dicebantur, interpretatum nobis est, utique rem sese habere cultores ejus terræ putant, quam paucissimis dicam, cæterum fides ejus rei penes auctores erit. Africam initio habuere Getuli & Libyes, asperi incultique: cibus erat caro ferina, atque humi pabulum, uti pecoribus. Hi neque moribus neque lege aut imperio cujusquam regebantur: vagi, palantes, qua nox coëgerat, sedes habebant. Sed postquam in Hispania Hercules, sicuti Afri putant, interiit: exercitus ejus, compositus ex variis gentibus, amisso duce, ac passim multis sibi imperium petentibus, brevi dilabitur. Ex eo numero Medi, Persæ & Armenii, navibus in Africam trans vecti proximos nostro mari locos occupavere sed Persæ intrà Oceanum magis, hique alveos navium inversos pro tuguriis habuere: quia neque materia in agris neque ab Hispanis emendi copia erat: mare magnum & ignara lingua commercia prohibebant. Hi paulatim per connubia Getulos secum miscuere: & quia sæpe tentantes agros, alia deinde atque alia loca petiverant, semetipsi Numidas appellavere. Cæterum adhuc ædificia Numidarum agrestium, quæ mapalia illi vocant, oblonga, incurvis lateribus tecta, quasi navium carinæ sunt. Medis autem & Armeniis accessere Libyes. Nam hi propius mare Africum agitabant, Getuli sub sole magis, haud procul ab ardoribus: hique mature oppida habuere. Nam freto divisi ab Hispania, mutare res inter se instituerant. Nomen eorum paulatum Libyes corrupêre, barbara lingua Mauros pro Medis appellantes. Sed res Persarum brevi adolevit ac postea Numidæ nomine, propter multitudinem à parentibus digressi, possedere ea loca, quæ proximè Carthaginem Numidia appellatur. Deinde utrique alteris freti, finitimos armis aut metu sub imperium suum coëgere; nomen gloriamque sibi addidere; magis hi qui ad nostrum mare processerant: quia Libyes quam Getuli minus bellicosi: denique Africæ pars inferior, pleraque ab Numidis possessa est: victi omnes in gentem nomenque imperantium concessere. Posteà Phœnices, alii multitudinis domi minuendæ gratia, pars imperii cupidine solicitata plebe & alii novarum rerum avidi, Hipponem, Adrumetum, Leptim, aliasque urbes in ora maritima condidere: hæque brevi multum auctæ, pars originibus suis præsidio, aliæ decori fuere. Nam de Carthagine silere melius puto &c. In communi igitur consensu est Mauros originem habere ab gentibus Asiaticis. Non esse ortos à Medis sed à Cananæis linguæ docet communio. Quod autem Procopius Herculis cum Antæo luctam antiquiorem facit adventu Cananæorum, meo judicio ipsum ratio destituit. Lixos oppidum in ora Oceani fabulosissime ab antiquis narratum est. Nam ibi regiam Antæi certamenque cum Hercule & Hesperidos hortos locant. *Affunditur autem* (dicit Plinius) *æstuarium è mari flexuoso meatu, in quo draconis custodiæ instar fuisse nunc interpretantur. Amplectitur intra insulam, quam solam è vicino tractu aliquanto celsiore, non tamen æstus maris inundat. Exstat in ea & ara Herculis, nec præter oleastros aliud ex narrato illo aurifero nemore. Minus profectò mirentur portentosa Græciæ mendacia, de iis & amne Lixo prodita, qui cogitent nostros nuper paulo minus monstrifica quædam de iisdem tradidisse. Prævalidam hanc urbem majoremque Carthagine magna: prætereà ex adverso ejus sitam & prope immenso tractu ab Tingi: quæque alia Cornelius Nepos avidissimè credidit.* Culturam Mauritaniæ illius fuisse antiquissimam consensus tradit: ubi & flumen Put à scriptoribus memoratur: quod putant ab illo filio Chami nomen habere. Quis igitur miretur ad ejusdem originis gentes Canananæos abiisse. Forte iis temporibus hoc regnum floruit.

IESUS MORTUUS EST] Obiit anno vitæ centesimo decimo, nec multo post Eleazarus in fata concessit. Mox post concionem habitam & populum in fœdus adactum obiisse Iosue putat Josephus, quod vero est simile.

 He-

Hebræi & Iosephus Iosue & Eleazari mortem in idem tempus conferunt. Iosue sepultus est in oppido Thamnath-sare, in montibus Efraim, in septentrionali parte montis Gaas. Iosephi ossa illata fuere (non nunc primum sed cum ivere ad montes Ebal & Garizim, ut arbitror) in monumentum in agro, quem Iacob ab filiis Hemor emerat. Nam hæc erant in sorte filiorum Joseph. Eleazarus sepultus est in colle Phinees filii sui, qui ipsi datus in montibus Efraim. Editio LXX. Ἐν Γαβαὰθ Φινεὲς τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ἣν ἔδωκεν αὐτῷ ἐν τῷ ὄρει τῷ Ἐφραίμ. Hic rursum malè appellativum acceperunt pro proprio. (Quanquam & Iosephus ita acceperit.) Pro ἔδωκεν legendum est ἔδωκαν. In eadem versione adnexa est appendicula, quam consarcinarunt ex argumento cap. II. item cap. III. 12. 13. 14. Morti Eleazari subjiciunt de morte Phinees: filios autem Israel cum deflexisse ad deos gentium eoque in servitium traditos Eglon regi Moab. Hæc prorsus non constant. De die mortis Josue ita Salianus: *Dies mortis ejus in martyrologio Romano proditur primo Septembris: quod si ex Hebræis sumptum est, qui menses lunares habebant, dici potest eum in novilunio mensis Tisri è vita migrasse, qui dies potuit extra Septembrem contigisse, eo verò die festum tubarum sive clangoris celebratur. Quo etiam die initium anni popularis accipiebatur, juxta morem antiquum* &c. *Ex quo intelligimus juxta ea, quæ de morte Moysis suo loco diximus, Moysem sub initium anni sacri, Iosue sub initium vulgaris non sine mysterio fuisse defunctos* &c. Habeat sibi mysteria, quæ rebus incertis & temere affirmatis superstruuntur.

XX & VII. Annis.] Mirifice dissentiunt interpretes de tempore, quo præfuit Iosue. Alii enim septem, alii decem, quatuordecim, septendecim, viginti septem annos constituunt. Communior sententia veterum postremum tenet: quod etiam velit, nolit, admittere cogitur Iosephus. A tempore enim pacis & subactæ Cananææ, quoque in possessiones sortito immissus est populus bis annos numerat viginti. Atqui constat septennium fluxisse ad divisionem à principio Iosue, Ios. XIV. 10. Ipse malè quinquennium ponit. Lactantius de vera sapientia lib. 4. *Multique scriptores libros de temporibus ediderunt initium facientes à propheta Moyse; qui Trojanum bellum nongentis ferè annis antecessit. Is autem cum per annos quadraginta populum rexisset, successorem habuit Iesum, qui septem & viginti annis tenuit principatum.* Theophilus ad Autolycum (quem sequitur Lactantius) à principio mundi ad Isaac colligit annos 3278. Ab Isaac ad Josue annos 660. Unde ad principium Iosue à condito orbe 3938. His si addantur anni 27 excessus Jesu filii Nave incidet in annum M. 3965. cum Sulpicius habeat 3883. ex emendatione Giselini, Sigonii & Drusii. Clemens Alexandrinus Stromat. 1. Μετὰ τὴν Μωϋσέως τοῦ βίου τελευτὴν, διαδέχεται τὴν ἡγεμονίαν τοῦ λαοῦ Ἰησοῦς, πολεμῶν μὲν ἔτη ξέ, ἐν δὲ τῇ γῇ τῇ ἀγαθῇ ἄλλα πέντε καὶ εἴκοσι ἀναπαυσάμενος, ὡς δὲ τὸ βιβλίον τοῦ Ἰησοῦ περιέχει διαδέξατο τὸν Μωϋσέα ὁ προειρημένος ἀνὴρ ἔτη κζ'. Si locus ille vitio caret, mirificus est. Nam quomodo Iesus 65. annis bella gessit & annis viginti quinque quievit tantum in præsidatu annos 27. agens?

Eutychius Alexandrinus tribuit Iosue principatui annos 31. quorum sex insumserit debellandis regibus & gentibus, quatuordecim dividendis terris, undecim tranquillitati. Eupolemus etiam Iosue annos 30. dicit prophetasse. Convenit Eutychio cum LXX. interpretibus, cum dicit post mortem Phinees cœpisse Judæos se permiscere matrimoniis gentilium & idolis. Phinees autem summum sacerdotium tenuisse annis viginti quinque. Addit Judæos existimare, quod Phinees sit Elias propheta, quem Arabes vocant الخضر Elchadr.

Annos seniorum, sub Josue magnum Senatum constituentium (quibus Israel se intra justitiæ limites continuit) annis Josue includi non est putandum. Nam

Nam post mortem Josue multis annis vixere. Includuntur tamen bella quæ habentur Judic. cap. I. in his seniorum diebus. Communis & consentiens interpretum (Patrum, Pontificiorum, Protestantium) sententia est annos pacis & servitutis distinctè numerandos non esse, sed sub judicum temporibus comprehendi. Aliter tamen sentit Josephus. Salianus: *Anni igitur Othonielis quadraginta à Scriptura statuuntur: qui à morte Iosue inchoantur & in ejusdem Othonielis morte terminantur; & vitam primò laudabilem Israelitarum tum culpabilem continent, quæ servitute sub rege Syriæ castigata sit; & seniorum tempora, quæ dicuntur mortem Iosue aliquot annis consecuta, in quibus Calebum numerant, aliaque eo judice ab Israelitis gesta* &c. Si omnes anni seorsim statuantur, sexcentos sermè annos videbis exire, quod conciliari non potest cum Iudic. XI. 26. & I. Reg. 6. 1. sed qui anni debeant uniri quique separari, nondum statui. Iosephus sibi ipsi non constat.

Judic. Cap. I.

Dux Belli Judas.] Post mortem Josue, consultus Dominus (in comitiis Silunte, ut ajunt, habitis) per Phinees summum sacerdotem, (Quis nostrum primus bellum adversus Cananæos suscipiet?) respondet Judæam tribum ascensuram esse, se enim ei tradidisse eam terram. Sulpicius ita intellexit, quasi de duce belli communis quæsitum esset. Sic etiam sentit Josephus: *Φινεέσης προφήτευε κατὰ τὴν τοῦ Θεοῦ βούλησιν ἐπ' ἐξωλείᾳ τοῦ Χαναναίων γένους τῇ Ἰουδαίᾳ φυλῇ παρέχειν τὴν ἡγεμονίαν. Καὶ γὰρ τῷ λαῷ διὰ σπουδῆς ἦν μαθεῖν τι καὶ Θεῷ δοκεῖ.* Perpetuo Josephus oraculum per Urim & Thummim *προφητείας* vocabulo exprimit. Sciebant Israelitæ se teneri Cananæam purgare ab istis gentibus & idolorum cultus vestigiis: sciebant unamquamque tribum sortem suam teneri evacuare, tantum illud in quæstione est; quæ tribus prima id opus debuerit aggredi. Dicas, cur non communiter aggressi sunt? Respondeo fieri potuisse ut alicui tribui arduum nimis esset & si forte superando non esset, atque ita indigeret auxiliis alterius tribus, quemadmodum ipsa illa validissima tribuum Judæa eguit societate Simeonitarum. Non igitur quærunt de imperatore summo totius Israel, sed de principio operis & cui debeatur initium. Omnes enim tribus ejusdem libertatis erant, nec altera alteri subdita. Summum imperium sui quælibet habebat, tantum societas & corpus erant unius religionis & communis boni publici, sub Deo solo rege. Procopius Gazæus in eadem sententia est de summo imperatore: *Postquam vita defunctus est Iosue, memoriaque miraculorum ipsis adhuc obstreperet ac ipsius doctrina recens esset, pie quidem erga Deum affectus fuit populus. Itaque quis ipsorum dux sit futurus Dominum consulunt: exemplo enim conspirationis Core Dathan & Abirom, quale supplicium ejusmodi homines consequerentur, edocti, nullus in magistratum sua sponte se ingerere audebat. Porrò totis viribus ad arcam in Silo contendentes, nec oracula Græcorum sectantes, Dominum consuluerunt, inquit &c.* Absque dubio phylarchus tribus Judæ dux belli fuit, qui verosimiliter erat Caleb, quod & plerique existimant. Othonielem fuisse qui putant, ex eo refutantur, quia Calebo brabeuta & adhortatore Cariatsepher expugnavit. Rationes, ob quas Deus hanc tribum primam purgare sortem suam voluit, affert has Salianus. 1. Erat fortissima & populosissima, eoque magis certa victoriæ. 2. Principatum promissum paulatim parabat, ut in aliis rebus prius apparuit; Primum vexillum in deserto, primam sedem in Cananæa acceperat. 3. Nasciturus ex ea princeps erat spiritualium bonorum. 4. Sors montosa erat, nisi ex ea primo hostes expellerentur, illuc cæteris refugium fuisset. 5. Merita Calebi.

Judæa tribus in societatem assumit Simeonitas, qui vicini erant & intra primæ sortis suæ fines collocati. Societas inita est, sub promisso mutui auxilii. Cæterum bellum hoc Cananæum multis victoriis constitit. Primò prælium acre commissum est adversus Cananæos & Pherezæos, in quo apud Bezecam (κατ' Βεζέκην Josephus; ita enim legi debet) decem millia hostium ceciderunt. Dux hostium erat Adoni-bezec (à loco cui præerat cognominatus) quem in fuga vivum cepere. Scriptura v. 4. 5. ita loquitur: *Iuda ascendebat & Dominus dabat Cananæos & Pherezæos in manum eorum: & percutiebant eos apud Besec, decies mille viros. Inveniebant Adoni bezec in Bezec & præliati sunt contra eum: & percutiebant Cananæos & Pherezæos.* Ejusdem prælii repetitio est, aut bis pugnatum, semel ante oppidum, iterum in expugnando oppido. Quid oppido factum sit non commemorat textus. Bezec oppidum videtur hoc esse, quod Josue 15. 39. appellatur Boscath: sed hoc non asserimus.

Insigne justitiæ divinæ exemplum editum est in Adoni-bezec. Nam pollices pedum manuumque ei amputarunt Israëlitæ, fortassis Dei monitu. Ipse fassus est, divinam ultionem se deprehendisse, cum ipse olim septuaginta (male apud Josephum δυοῖν καὶ ἑβδομήκοντα) regibus victis captisque id fecisset, coëgissetque ipsos canum instar sub mensa micas decidentes projectasque offas legere & accipere. Josephus ambiguè dicit ἀκρωτηριασθῆναι. Oportet autem bella Adonibezeci, adversus vicinos regulos, quos ita tractavit, gesta esse dum in solitudine oberrabant Israëlitæ. Ita quamvis communis adventabat pestis, quam & rumor differebat, inter se intestinis bellis & discordiis grassati sunt.

LXX. Occasionem dederunt ita sentiendi, quod oraculum consuleretur de duce. Nam cum in Hebræo sit בתחלה in Chaldæo בקדמיתא illi dederunt ἀφηγούμενος τοῦ πολέμου. Iidem reddiderunt ἄκρα τῶν χειρῶν καὶ ποδῶν. Unde non potest Josephus accusari illis absolutis. Dum vivebat Josue non sunt aggressæ tribus purificationem, quia nec sine illo nec cum illo bellare volebant. Senio enim debilitatus armis aptus non erat, eoque vivente nec imperante in bellum ire noluerunt. Hoc rege superato captoque, qui præ cæteris videbatur metuendus esse, Hierosolymam oppugnatam vi cepere, incendioque vastatam cæsis incolis reliquere. Nam ἀκρόπολιν (ut videtur & testatur Josephus) expugnare non potuerunt. Antequam Hierosolymam caperent, oppida pleraque in vicinia (ut rursum Josephus dicit) ceperant. At quæ causa oppugnandæ Hierosolymæ Judæis fuit, cum in parte tribus Benjamin sita fuerit, ut patet ex fine cap. 18. Josue & Jud. 1. 21. Rursum dicitur fuisse in tribu Juda Josue 15. 8. 63. Ps. 48. 12. & 69. 36. Hæc loca communiter ita conciliantur, quod civitas divisa fuerit in duas partes, australem pertinentem ad Judæos, septentrionalem ad Benjaminæos. Jebusæi urbem dilatis pomæriis amplificaverant, Salemæ, quæ ad Septentrionem, jungentes superiorem civitatem sive Sion, quæ ad meridiem. Sion igitur Judæorum fuit, Salem Benjamitarum. Urbem ita ampliatam appellarunt Jebus, David autem Jerusalem, quia montem Moria seu Ire (יראה) mœnibus etiam complexi erant præter Acram in qua antiquitus Salem constiterat. In v. 8. cap. 15. Iosue terminus Iudæ dicitur transire ad austrum Iebusæi; id sic intelligimus quod transierit per vallem quæ arcem in Sion dividebat à Salem & porro per montis Moriæ partem. Sed de his alias. Iudæi igitur cum Sionis arcem non possent expugnare, civitatem inferiorem, cum bona gratia Benjaminæorum (quia uni communi urbi utraque tribus imminebat) vastarunt. Hierosolymam secum trahebant

bant captum Adonibezecum, qui circa eam aut in ea naturæ concessit. Illic loci prope urbem (si fides Iosepho) eum sepeliêre. An Iosue adversus Ierusalem arma moverit eamve expugnaverit quæri video. Ego non arbitror. Hanc enim urbem oppugnatam esse à Josue non expugnatam non videtur ejus magnitudini convenire. Puto igitur servatam esse famæ & nomini Davidis. Deinde si semel fuisset occupata, mox sanctificata fuisset cultui Divino. Ephraim enim tribus non habuisset tabernaculum si proprius locus in Juda fuisset evacuatus injustis possessoribus. Ab Hierosolymis itum est ad austrum & montes & vallem adversus Cananæos. Hebronem à Josue expugnatam deletamque (Iosue X. 36. 37.) incolæ, ducibus, ut videtur, gigantibus reparaverant Cananæi. Ejus nomen erat ea tempestate Cariath Arbe id est oppidum Arbe. Ille enim Arbe pater fuit Enaci, qui tres genuit filios Achiman, Sesai & Thalmai. Hi Enacitæ inter gigantes celebrantur. Cum autem eo tempore, quo exploratores terram speculati sunt, adoleverint & vasta mole fuerint conspicui (Num. 23. 22. 23.) oportet jam grandi ætate fuisse, cum à Judæis occiderentur. Iosue XI. 21. 22. narratur, quod Iosue omnes Enacitas deleverit è tota montana Iudææ, Hebrone, Debiræ & Anabæ, nec ullum superstitem reliquerit in terra filiorum Israelis: sed tantum Gazæ & in Geth & Azoti. Non dicitur, quod universam stirpem exsciderit. Esto igitur, quod hi tres Enaci filii redierint Hebronem languente Iosue ob senium eamque instauraverint. Nam non est mentio ullius nisi circa solam Hebronem. Quidam putant Iosue attribui in cap. XI. quod fuit posteriorum temporum per synchysin quandam, ob viri claritatem. Cariath-Arbe dicta fuit ab illo gigante, à quo etiam structa esse videri potest septennio ante Tanim Ægypti. Nomen Cariath-arbe exstat primò Gen.35.27. Mambre non fuit ipsa Hebron sed locus in ejus pomæriis. Gen. 23. 19. fit mentio illius Mambre, quod dicitur (35. 27.) esse in Cariath-arbe. Hoc cum non fuerit significatum in loco (23. 19.) ea tempestate Cariath-arbe nondum videtur exstitisse. Condita igitur est inter mortem Saræ & reditum Iacobi è Mesopotamia. Nugæ sunt dicentium Arbe dictam à quaternario numero sepultorum in spelunca Macpelæ. In his volunt Adamum fuisse è Iosue 14. 15. quem tamen operosissima μυθολογήματα apud Eutychium in monte Calvariæ conditum esse venditant.

Hebrone capta & præsidio munita Dabirum oppugnarunt. Quam cum egregie munitam videret Caleb, proclamari in castris jussit: Occupantis eam præmium fore filiam suam Axam. Othoniel igitur, fortissimus juvenis irrupit expugnavitque oppidum. Ita filiam Calebi obtinuit cum opulenta terræ dote. Othoniel ille appellatur frater Calebi, filius Cenez. Caleb fuit filius Jephonne Cenizæi. Filius Cenez significat nepotem aut filium ita propriè appellatum. Forte Caleb & Othoniel alio modo cognati inter se fuere. Si velis fratrem Calebi fuisse, cum non fuerit filius Jephonne, erat frater uterinus (secundum Rabbinos) atque ita grave hoc explicatu fuerit, quomodo fratris filiam ducere potuerit. Abulensis dispensatione coaluisse putat hoc matrimonium, Lyranus negat etiam sic fuisse prohibitum. Lyranus: *Hoc videtur esse contra legem Levit. 18. ubi prohibetur matrimonium inter filium alicujus & sororem ejusdem: secundum quod ibi dicitur: Turpitudinem sororis patris tui non revelabis; & in eodem gradu sunt frater alicujus & filia ejusdem. Othoniel autem hic dicitur frater Chaleb & ideò contrà legem videtur, quod accepit ejus filiam. Ad hoc dicunt aliqui quod Chaleb ignorans eventum belli futurum, scilicet, quod Othoniel frater ejus deberet percutere Cariath-sepher, dixit publice & in generali illud*

quod

quod promittitur hic: Qui percusserit Cariathsepher, dabo ei Axam filiam meam uxorem. *Post factum vero ex quadam magnificentia noluit retractare dictum suum: sicut Iephthe voluit implere votum suum de immolatione filiæ suæ, sicut habetur Iudic. XI. Sed istud non videtur verum, tum quia Chaleb erat vir sanctus & bonus; ut dictum est cap. 14. (Iosue) & ideò non est verosimile, quod fecisset contra legem: tum quia Othoniel fuit vir sanctus & bonus: secundum quod dicitur Iudic. 3.* Suscitavit eis salvatorem Othoniel. *Et sequitur,* Fuitque in eo spiritus Domini & judicavit Israël. *Et ideò non est verosimile, quod vellet contra legem uxorem accipere. Propter hoc dicunt alii quod Cenez pater Othoniel, fuit frater ipsius Chaleb ut dictum est supra cap. 14. & sic Othoniel fuit nepos ejus: & per consequens non fuit contra legem: quod acciperet ejus filiam: quia iste gradus non fuit lege prohibitus. Quod autem Othoniel hic dicitur frater Chaleb, hoc est ex eo modo loquendi, quo Lot dicitur* frater Abraham *Gen. 13. qui tamen erat ejus nepos, ut patet ibidem. Potest etiam dici probabiliter, ut videtur, quod licet Othoniel esset frater Chaleb; non tamen peccavit accipiendo neptem suam. Non enim hoc est contra legem naturæ, quia Abraam accepit Saram filiam fratris sui Aran. Nec est contrà legem Moysi expresse: sed tantum hoc dicitur ex quadam argumentatione, ut dictum est. Sed argumentum non videtur valere, quia in prohibendis gradibus attenditur irreverentia naturæ. Vxor autem subjecta est viro & non è converso. Et ideò magis est contra reverentiam naturæ, quod amita sit uxor nepotis sui, quam quod neptis sit uxor avunculi. Item in lege Moysi vir & mulier non erant paria in contrahendo matrimonium: quia licitum fuit viro habere plures uxores simul: non autem mulieri, quod haberet plures viros. Et ideo non sequitur, quod si fuerit prohibitum matrimonium inter amitam & nepotem, quod ex hoc fuerit prohibitum inter avunculum & neptem: nisi aliunde inveniatur expressum.* Bene dicit Bonfrerius hanc solutionem nec veram esse nec necessariam. Nam verum non est, quod non sit par ratio in reverentia sanguinis & gradibus prohibitis. Necessaria non est. Nam Hebræa necessariò ita non accipiuntur. Josue XV. 17. Othoniel filius Cenaz אחי כלב (reddi potest) *fratris Caleb.* Sic Jud. 1. 13. & 3. 9. *Othoniel filius Cenaz, fratris Chaleb,* הקטן ממנו / *minoris illo.* Atqui Caleb vocatur Cenezæus. Kimchi: *Et quod dicit de Caleb Cenezæo, genus ejus refert ad maritum matris suæ: aut quadrat exponere, quod frater ejus à patre suo & matre sua fuerit. Et fuit nomen patris ejus Caleb filius Iephonne & Cenaz: quia inveniuntur sæpe duo nomina unius hominis. Ego arbitror porrò quod Cenaz fuerit nomen capitis familiæ. Et referuntur (γενεαλογοῦνται) filii familiæ (gentis) ad eum. Dicere Cenezæus aut filius Cenaz idem est. Inconveniens enim genus hominis referre ad maritum matris. Quia etiam familiam matris non invenimus quod quisquam ducat nisi ad domum patrum suorum. Et illud quod dicitur:* (1. Chron. 2. 21. 22. 23.) Omnes illi filii Machir patris Galaad: & fuit Segub & Jair filii filiæ Machir: *propter civitates quæ fuerunt Iair in terra Galaad, dicit sic.* I. Chronic. 4. v. 13. dicitur Cenaz genuisse Othonielem & Hathath &c. Intricatæ admodum sunt tabulæ Chronologicæ & difficiles explicatu. Videtur enim dici (cap. illo x. 15.) quod Cenez ille fuerit filius Elæ filii Caleb. Sed oportet istum Cenez alium esse à patre Othonielis. Græca etiam editio τῶν ό illam interpretationem per genitivum quam supra dixi, sequitur in tribus illis locis. Promissionem illam imprudentem fuisse objici potest: quid enim si obtigisset gener in gradu à Deo prohibito, si homo vilis, ignobilis, spurius, malis moribus & vitæ improbæ. Respondent quidam de Dei providentia bene sperasse. Etiam tacitam in similibus Sponsionibus inesse conditionem, ut ne sit contra leges & honestatem. Potuisset autem virtus nascendi maculam eluere.

eluere. Illud notandum, quod promulgato ejusmodi præconio, in rebus admodum difficilibus, & gravibus solito, ille qui se offerebat, sistere se debuerit imperatori ut examine habito inspiceret, decorumne & conveniens putaret, rem committi isti homini. Mire prædicant Rabbini pulchritudinem & formam Axæ, quam prædicationem ipsis relinquimus. Cariathsepher ita dictam esse volunt à literis & libris, quod illic publica schola esset, (Ch. קרית ארכי) aut quod illic literæ inventæ, ut aliis placet; aut quod publica monumenta in archivis illic custodirentur: alii quod illic oraculum esset. Rabbini dicunt in lingua Persica librum appellari דביר: quasi Israelitæ sermone Persico oppidum nominaverint. Sed missas faciamus nugas. Quomodo autem Caleb filiæ suæ potuit dare hæreditatem soli, cum proles mascula ipsi superesset? Nam capta urbe Othoniel eam duxit cum dote soli. Dederat ipsi parens terram austri, id est, aridam & siticulosam, petiit irriguam addi, suggerente marito. In Hebræo ותסיתהו incitavit ipsa illum, cum tamen non ille sed illa petierit. Dicunt Hebræi cum prius incitasset virum, & de ea re compellasset, ab illo deinde persuasam ipsam petiisse à parente. Cum parenti occurrisset subitò de asino, quo vehebatur, delapsa, ad pedes ejus supplex corruit. Rogante patre, quid peteret. Ipsa significat ille annuit. Dat ipsi irrigua supera & infera: id est, ut Lyranus dicit: Terram sic dispositam, ut in parte superiori & inferiori esset irriguum fontis. Cariathsepher nihil ad Calebum pertinuit, sed tanquam imperator, boni publici causa, spondebat filiam in præmium invadentis. Filiæ dedit fundum dotalem (quod licuit è lege) non dedit portionem æqualem in hæreditate soli inter filios dividendi. Videtur autem fundus dotalis à morte mulieris rediisse ad sortem. Hæc quæ gesta sunt à Judæa tribu cum Simeonitis in sorte sua (post victum Adonibezec & tentata Hierosolyma in montanis) Kimchi vult facta esse temporibus Josue, at aliter sentit Rasi ex communi & antiqua Judæorum magistrorum sententia. Rasi vult in libro Iosue (Cap. XV. 14. 15. 16. 17. 19.) ea narrari ex occasione מפני החליקה. Hebron igitur post bellum data est Calebo, secundum Iosue tempore factum decretum. Iosephus: *Ταύτην μὲν τοῖς Λευίταις ἐξαίρετον γέρας ἔδοσαν μετὰ τῶν δισχιλίων πηχῶν, τὴν δὲ γῆν Χαλέβῳ δωρεὰν ἔδοσαν κατὰ Μωυσέως ἐντολάς.* Pullæ sunt reliquiæ gigantum. Iosephus: *ὑπελείπετο δὲ τῶν γιγάντων ἔτι γένος, οἳ διὰ σωμάτων μεγέθη καὶ μορφὰς οὐδὲν τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις παραπλησίας, παράδοξον ἦσαν θέαμα καὶ δεινὸν ἄκουσμα. δείκνυται δ᾽ ἔτι καὶ νῦν τούτων ὀστᾶ μηδὲν τοῖς ἐπὶ πίστιν ἐρχομένοις ἐοικότα.* Gigantum illorum ossa suo tempore ostensa fuisse narrat, sed quid vult, cum dicit formas eorum non solam molem dissimiles fuisse cæteris hominibus. De capta Cariathsepher & Othoniele non exprimit, referens tantum cepisse Iudæos urbem montanæ regionis.

Filii Cinæi, patrui uxoris Mosis relictis sedibus, quas hactenus tenuerant prope Hierichuntem, cum Iudæis versus austrum, illic habitationem fixerunt, in solitudine Iudææ tribus, ad meridiem Harad. Pontificii putant proprias sedes in fertilibus campis ipsis esse assignatas à Iosue, in gratam memoriam Hobabi & Iethronis, sed ipsos, religione quadam motos, maluisse eremum incolere, ut asperâ vivendi ratione ad pietatem exercerentur. Non puto sedes assignatas & attributas jam sibi deseruisse: potius illic positi sunt, donec Cananæa subacta plenius esset. Quod si dixeris: sua tamen voluntate elegisse asperas in solitudine sedes, cum sine dubio feliciores concedentibus Israelitis in venerationem Moysi habere potuerint. Nam Deut. 10. 29. promittit Moyses: *Cumque nobiscum veneris, quicquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis traditurus est Dominus, dabimus tibi.* Elegerunt igitur aspera loca, quod non videntur nisi subigendæ carnis & acuendæ pietatis causa fecisse. Hic respondeo: Id hominum

genus nomadicæ vitæ assuetum, non colendis agris hortisque, secutum fuisse majorum rationem, deinde maluisse habitare in locis propinquioribus patriæ, quam reliquerant. Hos eremitas facere aut confundere cum Rechabitis, de quibus suo loco, fuerit ἀνιστόρητον. Iosephus simpliciter dicit nunc datam esse posteris Iethræ (sic ille putat ut & hic Græca versio) terram, quia relicta patria in eremo comites fuerant.

Cum Simeonitæ hactenus militassent Iudæis, Iudæi vicissim ipsis auxilia præstant. Percusserunt Chananæum in Sephath, cui urbi ex re factum est nomen Horma. Putat Bonfrerius, Num. 21. votum factum de exterminio, hic esse impletum. Scripturam enim usurpando nomen antiquum Arad, indicare quod superfuerit. Existimat enim Sephath & Arad esse duo nomina loci unius & ejusdem, aut alterum urbis, alterum regionis nomen. Quid si dicamus, Arad regionis nomen esse proprium, quod versum sit in Hormæ, cum Israelitæ terram caperent, sed unam urbem Sephath (quæ supererat ex illa clade) nunc deletum esse, atque ita confirmatum esse pro posteritate vocabulum Horma. Tres Palæstinorum urbes etiam captæ sunt Gaza, Ascalon & Accaron. Iosephus & LXX. hoc in loco Hebræo textui contradicunt. Iosephus dicit captas esse in campestribus & maritimis Ascalona & Azotum, at Accarona & Gazam non potuisse expugnari, cum in campis sitæ essent & curribus abundarent. LXX. (ut etiam apparet ex Augustino & Procopio Gazæo) negant captas esse illas tres urbes Gazam, Ascalonem & Accaronem. Quidam putant particulam negativam additam esse propter cap. III. vers. 3. Sane montana subegerunt Iudæi non potuerunt vallem, id est, illa subigere campestria, quia currus ferratos habebant. Unde apparet tres illas Satrapias ab Azotiis & Getthæis mox esse recuperatas.

Hæc fecere Iudæi cum Simeonitis, Benjaminæi autem Iebusæos expellere non potuerunt Hierosolymis, ideò inter eos habitarunt Iebusæi usque ad tempora Davidis, ante quæ scriptus est liber Iudicum. Iosephus dicit Benjaminæos Iebusæis pacem dedisse sub tributo, atque ita agros cessantibus mutuis injuriis, coli cœpisse. Non puto mentem textus esse (non est sane Iosephi) quod Hierosolyma simul à Iebusæis & Benjaminæis habitata fuerint. Nam sequentium temporum historiæ indicant hanc urbem fuisse totam in potestate Iebusæorum. Non quadrat, quod Iudæi dicunt, cum Iebusæis ideo pacem factam quod respicerent fœdus, quod Abraham fecerat cum Abimelech. Sic enim Rasi. Iosephitæ autem, sumptis armis, Bethel insidiati sunt. Cumque multo tempore (ut narrat Iosephus qui solam Ephræmi tribum nominat) assedissent, deinde quodam ex oppidanis (qui noctu ad necessaria importanda egressus erat) ab excubitoribus deprehenso captoque, (post datam acceptamque fidem) per silentium noctis, deducti, inobservato aditu, in urbem, quicquid hominum erat trucidarunt, servato dimissoque proditore. Hic cum familia rebusque suis è pacto dimissus, digressusque in terram Hetthæorum, illic urbem condidit, quam patriæ nomine Luzam appellavit.

Iosephus ita, ut diximus, narrat obsidendo fessos Efraimitas, cum hoc homine pepigisse: at scriptura videtur dicere, quod sine obsidione interceperint. Regem Bethel Iosue occiderat bello contra Ai: sed videntur Cananæi urbem instaurasse. Pertinebat ad sortem Benjamin: nescio quomodo ad Efraimitas devenerit. Quæritur autem quæ sit illa Hetthæorum terra, in quam ille concessit, certe intra limites Cananææ ut urbem conderet, illi concedi non potuit. Procopius Gazæus deceptus versione τῶν ὁ, γῆν χεττὶν, putavit Cyprum esse. Hetthæi sunt Chananæi, fuerunt autem Hetthæorum reges, qui conjungun-

junguntur cum regibus Ægyptiorum (2. Reg. 7. 6.) tempore Achabi & Elisæi. Item tempore Salomonis cum regibus Syriæ 1. Reg. 10. 19. Hetthæi igitur profugi (ut puto) è Cananæa vicini Ægyptiis Syrisque habitarunt. *Legimus quidem* (inquit Bonfrerius) *χετλαίαν in Marmarica Africæ apud Ptolemæum: apud eundem χέλβας Mauritaniæ gentem & apud Cedrenum χίτοι in Thracia: sed eas regiones paulò remotiores hic significari non ausim definire: malim regionem aliquam Cananææ viciniorem, vel Syriam vel Libanum vel Arabiam vicinam, in quibus etiam nonnullæ verisimiliter erant Chananæorum coloniæ. Quid si ea urbs, quæ hic Luza dicitur appellata, sit ea quæ in Arabiæ regione Iudæis vicina appellatur λοῦσα apud Iosephum ant. 14. 2.* Illa λοῦσα Josepho illic memorata fuit in Moabitide aut Galadena. Nam eas regiones Alexander rex Judæorum occupaverat. Fabulantur Judæi Bethel antiquitus Luz dictam, quod nucis formam haberet oppidum, uno aditu.

Efraimitæ & Iudæi bellarunt feliciter, at segnius egerunt reliquæ tribus. Manasienses nec Scythopolim (Bethsan) nec Thanec, nec Dor, nec Iebleam nec Mageddo subjugarunt. Cum Israëlitæ invalescerent & superiores efficerentur, non deleverunt Cananæos sed tributarios fecerunt. Bethsan posteris temporibus à Scythis obtinuit nomen, cum Cyaxare Medis imperante Asiam vectigalem fecere, ut suo loco, Deo favente, dicturi sumus.

Efraimitæ etiam non delevere Cananæos, qui in Gazer: nec Zabulon incolas Cetron & Naalol: nec Aser incolas Acco, Sidonis, Achlab, Axib, Chelba, Aphic, Rohob: nec Naphthali incolas Bethsemes & Bethanath. Hi Naphthalitis facti sunt tributarii.

At tribus Dan afflicta est ab Amorrhæis & compulsa intra montes, cum descensum in loca plana illi non permitterent. Iidem Amorrhæi conati sunt occupare montem Hares (חרס solem notat) inque eo Ajalon & Saalbim (admodum vitiosa est hic interpretatio LXX.) at Iosephitæ prævaluere eosque sub tributum redegerunt.

Cap. II.

Superius memoratum est, quod Hebræi partim ob fidei defectum debiles fuerint, partim circa præceptum dei socordes ad delendos expurgandosque Chananæos è terra promissionis. Josephus socordiæ causam assignat, quod laborum & sumptuum belli pertæsi ad pacis otia deinde commoda agriculturæ & tributorum inhiaverint. Id cum numini summo displiceret venit angelus Dei. Hic quærunt interpretes primo, quis ille angelus fuerit. Non est existimandum parum referre, *quis* sit locutus, dummodo observetur *quid*. Nam personæ dignitas hic facit ad æstimationem rei & temporis. Judæi cum Trinitatis sacræ hostibus, imo plerique Orthodoxorum interpretum volunt hominem fuisse sacerdotem aut prophetam. Nam sacerdos est angelus Domini exercituum. Rasi: שנינו בסדר עולם זה היה פנחס. Jonathan: וסליק נביא בשליחות מן קדם ײ: Et ascendit propheta in legatione à coram Domino. Hic addit Kimchi: *Et dicunt,* רז״ל *, magistri b. m. quod Phinees fuerit iste propheta.* Ralbag: *Et hic angelus fuit propheta, quoniam non quadrat ut angelus loquatur pluribus pariter, hoc modo, quomodo in quibusdam locis in expositione nostra ad verba legis. Et sic reddit Ionathan, quod hic angelus fuerit propheta:* ודמה שזה הנביא וזה פנחס כמו שאמ׳ ז״ל:

Fuisse hominem Judæi & Judaizantes probare conantur, primò quia ad multos locutus est, atqui angeli ad unum privatim mitti solent. R. Quid

prohibet angelum ad cætum & in cœtu loqui? Instant: Qui in cœtu loquitur tanquam publicum inter homines officium sustinere videtur: quod non sustinet nisi homo. Hic autem est à Deo destinatus præses Ecclesiæ. Secundò probant, quia sacerdotes angeli vocantur. R. Aliud est definire elogio quid sit sacerdos, aliud est historica & simplici oratione personam notare à munere. Qui simpliciter historiam scribit, si prophetam aut sacerdotem significare velit, non conveniet dicere, angelum Dei hoc aut illud fecisse. Id enim est affectatè loqui & affectare ambiguitatem. Angelus enim cum dicitur, propriè intelligitur Dei è cælo legatus, deinde secundum similitudinem propheta aut sacerdos. Cur non loquitur Scriptura definite, ut intelligam, quis sit, quem designat? Tertiò dicunt, quod dicatur venisse è loco in locum, non è cælo. R. Galgala fuit ille locus, in quo angelum eundem viderat Josue. Illic igitur primò apparere cæpit, ut se illum eundem esse ostenderet.

Nos probamus non esse hominem: quia hic angelus appellatur. Nam non est à sensu proprio recedendum nisi possint absurda ostendi. Si fuit Phinees, cur id non exprimitur? In cap. 6. v. 8. & 11. propheta & angelus evidenter distinguuntur. Non fuit angelus creatus sed Dei filius 1. Loquitur ita ut Dei sibi personam & opera árrogans. 2: In cœtu populi, præses ipse & caput Israël, quia homo futurus erat, ipsis ostendens veritatis figuram. LXX. interpretum quæ dicitur, editio, omninò male, nequid dicam gravius, inseruit verba: τάδε λέγει Κύριος: quasi à se in Deum illa verba rejiceret, eoque se non esse Κύριον indicaret. 3. Coram ipso, alieno loco, offeruntur victimæ: quia Deus ipse præsens erat. Notemus hic Lyrani expositionem: *Dicunt Hebræi, quod iste angelus fuerit Phinees: tum quia angelus interpretatur nuntius: ipse autem fuit missus à Deo ad arguendum populum de transgressione mandatorum ejus. Tum quia Hebræi dicunt ipsum fuisse angelum, in corpore humano assumpto apparentem sicut dictum fuit* Jos. 2. *Expositores autem catholici dicunt, quod non fuit Phinees sed angelus à Deo specialiter missus: & hoc videtur verius: quia quod Phinees fuerit angelus, hoc falsum & fictum videtur: quia scriptura ubique de eo loquitur sicut de homine puro & mortali.* Angelum fuisse disputat ex eo, quia loquitur in persona Dei, cum homines sancti & prophetæ denuntiantes Dei mandatum, præmittere soliti fuerint: Hæc dicit Dominus vel aliquid simile. Cum hic absolute dicat: Eduxi vos de Ægypto &c. Unde angelus sic loquens aliquando Deus appelletur ut Exod. 3. Deinde, quia extra locum fixi tabernaculi, nisi ex speciali revelatione & mandato Dei non fuerit licitum immolare ut hic factum fuerit ex Angeli à Deo jussu. Veriora sunt quæ nos diximus. Angelo etiam non convenit in se assumere dignitatem & personam Dei. Josephus reddidit τὸ θεῖον ἀναιρεῖ, *Deus oraculo monet.*

Galgalis angelus ille ascendit Bochim. Hic LXX. ἐπὶ τὸν κλαυθμῶνα dicuut adduntque: Ἐπὶ Βαιθὴλ καὶ ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰσραήλ. In Hebræo videri potest hiatus esse, juxta punctationem: eum LXX. videntur supplere voluisse, ואל ביא־אל ואל בית ישראל. Sed nunquam occurrit בית־אל pro domo Dei seu templo. Judicent alii: An hic videri possit esse hiatus, in superiori loco nullum indicium. Κλαυθμὼν dicit Græca editio pro Bochim, minus bene: nisi demonstrari possit locum à Græcis ita esse appellatum. Adrichomius in tribu Benjamin Clauthmon locat, sed (ut inquit Bonfrerius) sine authoritate & solido fundamento: nisi quod videri posset, in vicinia juxta Galgala debuisse locari. Alii putant Silunte fuisse, quia illic sacrificatum est: & quia illic totus populus coiit: solebat enim illuc ter quotanis coïre solennium festorum causa. Putat Bonfrerius è Josepho, quod fuit in valle Raphaim ad 2. Sam. 5. 23. &c. &

1. Pa-

1. Paralipom. 14. 13. &c. Josephus enim ad continentiam illorum locorum dicit lib. 7. antiq. 4. προσφηλδίει ὁ ἀρχιερεὺς ἐν τοῖς ἄλσεσι τοῖς καλουμένοις κλαυθμῶσι κατέχειν τὴν στρατιάν. Sic LXX. 2. Sam. 5. 23. πλησίον τοῦ κλαυθμῶνος (24) ἄλσους τοῦ κλαυθμῶνος. His locis in Hebræo est בבכאים. Hæc confundere cum בוכים cujus est scientiæ aut judicii? Extra Siluntem sacrificat Gedeon cap. 6. 20. 26. 28. Manoe cap. 13. 19. David 2. Sam. ult. & 1. Paralipom. 21. in area Ornan Jebusæi. Elias I. Reg. 18. 30. In his omnibus jussum peculiare aut præsentia Dei adfuit, consecrantis locum. Potuit congregare Phinees ad locum, quem ipsi Deus præceperat.

De tempore adversus Salianum, Abulensem, Torniellum qui vivente Josue, evenisse volunt, disputat Bonfrerius. Quod de populi dimissione per Iosue & morte Iosue in sequentibus dicitur, id fit ad explicationem hujus ἐπιφανείας. Nam ab ovo res repetitur, ut ostendatur, quando & quomodo paulatim post dimissionem concionis in suas sortes populus degeneraverit. Bonfrerius: *Probatur ergo posterior illa opinio: Primò, quia si in culpa fuissent Israëlitæ vivo Iosue, haud dubie non siluisset vel desiisset eos de ea re increpare &c. quinimo priore concione Iosue 23. 8. dicit illos usque in eum diem adhæsisse Domino &c. Rursum quis credat posteriore istà concione, cum totus populus inclamaret* Ios. 24. 24. Domino Deo nostro serviemus &c. *Iosue de hac ipsorum inobedientia nihil dicturum &c. vel non curaturum ne Israëlitæ in bellis instaurandis suo officio deessent &c. Secundò, quia multa sunt, quæ videntur evincere, non fuisse Divinæ mentis, ut tam citò, vel vivo Iosue Israëlitæ bellum contrà Cananæos instaurarent eorumque reliquias exstinguerent: si quidem hoc illis jam pridem ante Deus prædixerat velle se in hac re lentè procedi Exod. 23. 29. 30. Deut. 7. 22. Quæ verba satis indicant non continuè gerenda esse in Chananæos bella, neque tam citò instauranda sed exspectandum donec sobole numerosa aucti essent, quæ in Chananæorum locum suffici posset idque ne agri cultorum inopia sylvescerent & ferarum numerus cresceret: quam in rem plures exspectandi fuerunt anni, neque decem, qui superfuerunt usque ad mortem Iosue satis esse potuerunt &c. Rursum hoc ipsum confirmatur ex Ios. 13. ubi initio à Deo alloquente ipsum Iosue, recensentur regiones relictæ, quæ necdum erant à Iosue subactæ. Post quæ subjicit Deus v. 6.* Ego sum qui delebo eos &c. *ac si dicat, non tu, neque te vivo id fiet sed ego id faciam cum tempus &c. Præterea hoc ipsum indicat Iosue priore illa sua paulo ante mortem concione satis manifestè alludens ad ea, quæ Deus futura locis paulò ante allatis significaverat & indicans ejus rei necdum perficiendæ oportunum tempus ex Dei mente advenisse, Sic enim ille,* Iosue 23. v. 2. usque ad v. 14. *Quæ omnia visum est adferre, quod manifeste opinionem nostram confirment. Nam præterquam quod perspicuè nullam adhuc culpam indicet aut supponat in Israëlitis, sed tantum in futurum præcaveat, quod Chananæos delendos prædicat juxta id. quod Deus pollicitus fuerat, si modo in divino cultu & mandatorum observatione persistent. Quid illa sibi volunt postrema verba, ubi prædicit futurum, si ea fecerint, quæ Angelus hic ab iis facta reprehendit, nempe amicitias & fœdus cum Chananæis ineant: futurum, inquit, ut Deus non deleat Chananæos eos alioqui deleturus? Quæ omnia indicant culpam nondum admissam at hic Angelus post admissam culpam dicit:* Cur hoc fecistis? &c. *Deinde peto ab iis, qui in priore sunt sententia, an cæteræ tribus, Efraim, Manasse, Zabulò, Aser, Nephthali, quæ cap. præced. notantur de non deletis excisisque de sua sorte Chananæorum reliquiis, debuerint id præstare, antequam tribus Iuda arma sumeret, bellumque cum Chananæis suis instauraret, an postea? Si ante, quomodo ergo tribus omnes commuui consilio, consulto per Pontificem Deo, petierunt, quæ tribus prima ante cæteras bellum hoc sumptis in Chananæos armis instaurare inciperet, atque a Deo responsum est, è tribu Iuda belli initium sumi debere? Sin posteà: at tota illa oraculi captatio & belli à tribu Iuda instauratio post Iosue mortem facta est, ut*

 diser-

diserte cap. praeced. initio habetur: ergo necesse est caeterorum culpam & ignaviam posterius accidisse, nimirum postquam incboato à tribu Iuda bello jam animadverterant Deum bene caeptis favere. Praetereà esto caeteros omnes dicamus, vivente Iosue in culpa fuisse, an etiam & Iosue & Calebum in parem culpam vocabimus? Quis credat Calebum tamdiu, in occupanda ea, quae sibi addicta erat, possessione cessaturum fuisse, si Dei hanc mentem esse intellexisset? Quis credat hanc ignaviam permissurum fuisse Iosue & non stimulaturum suos Israelitas vel etiam exemplo praeiturum si sciuisset id ex Dei mente esse, potius quam suam senectutem marcere otio pateretur? Denique cum haec Chananaeorum gentium dimissio seu non exterminatio Iosue adhuc vivente, ipsi Iosue, infra v. 21. hujus capitis adscribatur, si qua esset culpa, esset ipsius maximè Iosue: id tamen nemo asserat.
Placet haec Bonfrerii disputatio, valide disjicientis adversam sententiam, praetereà docentis nos, quod non tam voluntate sua Iosue, nec aetatis debilitate, quam Dei jussu bellare destiterit, volente Deo per otium & lapsu temporis populum increscere, ut par esset colendis caeteris partibus, quas Chananaei adhuc possidebant. Ita non potuit bellum resumi, nisi jubente Deo post Iosue mortem, & cum hoc intellexissent, quaesiverunt quae tribus prius aggressura esset suos.

Angelus Dei in concione populum ita affatur: Eduxi vos ex Ægypto, induxi in terram, quam patribus vestris juraveram. Dixi etiam, Foedus meum vobiscum, non rumpam in seculum. Vos quod attinet, vos non facietis foedus cum incolis terrae, eorum aras diruetis. At vos voci meae fuistis immorigeri. Quare hoc fecistis? (innuit superiori capite memorata) Ideo etiam dixi. Non expellam eos à facie vestra, והיו לכם לצדים LXX. *ἔσονται ὑμῖν εἰς συνοχάς.* Legerunt per ר inconvenienter. Plenius autem quod hic habemus exprimitur Iosue 23. 13. Eorum dii erunt vobis in láqueum.

In hac oratione angelus improbat foedus cum istis gentibus, tanquam initum adversus Dei interdictum, sed non vult nec jubet rescindi, quod coïerat & juramento (absque dubio) erat confirmatum. Hic iterum Bonfrerium audire lubeat differentem:) *Quaeri hic potest,* inquit, *Fueritne ergò tale foedus validum, ita ut ex eo nata sit obligatio? Ratio dubii esse potest, quia de re illicita erat & à Deo prohibita. Et vero si tam multi laborent, ut foedus cum Gabaonitis Iosue 9. initum & juramentum illis praestitum vindicent, quod de re esset illicita cum tamen ii parati essent Dei cultum & Iudaicam religionem amplecti: quanto major hic difficultatis ratio huic foederi addito, quod nullo modo licitum fuisse constat. Esto fuerint pacta & juramenta licita cum Rahab meretrice & Gabaonitis facta ob animum paratum suscipiendae verae Religionis: hac enim ratione vindicavimus illa pacta & juramenta, & ostendimus non de re fuisse illicita. Ex alià tamen parte si haec foedera cum Chananaeis facta adhibito etiam, ut credi potest & fieri solet, juramento fuerint illicita, debuisset Angelus hic Israëlitas urgere ad rescindenda haec foedera, & movenda rursum arma ad Chananaeorum reliquias delendas; imò si verè Israëlitas facti poenitebat, debebant & ipsi hunc animum concipere, neque aliter poterat esse seria poenitentia absque hoc animo, cum seria poenitentia emendationis propositum & cessationem à re sub peccato mortifero adferre debeat. Porrò hic nihil tale cernimus vel in Angelo, vel in Israëlitis, & posteà videmus ista foedera sub tributo inconcussè servata; neque de hac re motam esse quaestionem, nisi hic ubi Israëlitae lacessiti essent injuria, ut infra cap. 4. Quin & Salomonem legimus suo tempore has omnes Chananaeorum reliquias fecisse vel habuisse sibi tributarias 3. Reg. 9. v. 20. 21. & 2. Paralip. 8. v. 7. 8, Fateor rem hanc mirum in modum perplexam esse; & qui foedus illud addito juramento cum Gabaonitis initum nullius obligationis fuisse censent; multo potiori ratione id de isto foedere & juramento asserent: vix tamen adduci possum, ut credam haec foedera cum Chananaeis inita nullam obligationem peperisse, quandoquidem ea, quae diximus*

mus indicent & Scripturæ, & Angeli, & Israëlitarum hunc fuisse sensum fœdera hæc Israëlitas obligasse. Dico ergò fœdera hæc juramento firmata & pacta fuisse in se illicita, executionem tamen & observationem eorumdem fuisse licitam; atque ideò ex fœderibus illis natam esse obligationem ea servandi. Notandum igitur à Deo potuisse tribus modis prohiberi quamlibet cum Chananæu amicitiam & societatem: uno modo citra omnem contractum prohibendo illis cohabitationem & societatem: altero modo prohibendo contractum omnem istiusmodi societatis: tertio modo prohibendo etiam executionem istiusmodi contractus; ita ut non tantum contractus in se esset illicitus, sed etiam materia & objectum illius supposito contrarium. Dico igitur duobus prioribus modis fuisse prohibitam Israëlitis cum Chananæis amicitiam & societatem; nihilominus tamen supposito fœdere debuisse servari, & Deum voluisse servari. Et verò manifestè patet hæc separari, non enim si contractus est illicitus, statim est irritus, nisi ipse contractus irritus à superiore reddatur, vel cadat super materiam illicitam: at utrumque hic supponimus, neque irritos à Deo factos hujusmodi contractus, neque Deum prohibuisse eos servari supposito contractu. Et verò verisimile est Deum eos servari voluisse, sive ratione pactorum humanorum præcisè, sive ratione juramenti additi: ratione pactorum quidem, quia cum hæc pacta soleant ab hominibus inconcussè servari, eaque nisi servarentur fides omnis humana corrueret, noluit Deus eo casu istorum pactorum executionem prohibere, propterea quod illis gentibus ignota foret divina prohibitio, & esto Deus prohibuisset, ea tamen res non desineret apud homines turpem habere speciem, cum in omni violatione pacti humani posset divina in speciem prætexi prohibitio: ratione juramenti, quià talis juramenti violatio apud illos Ethnicos in gravem cederet Dei irreverentiam & ignominiam. Aliter res se habet quando res est in se mala, vel ita palam prohibita, ut omnibus de prohibitione constet. Quod de cæteris pactis dico idem censeo de matrimonii cum iis gentibus contractu, neque enim Samsonis conjugium, vel Salomonis cum feminis alienigenis variis fuit perpetuus concubinatus, unde & illæ uxores appellantur. Et licet hujusmodi matrimonia dirimantur, uxoresque alienigenæ 1. Esdræ 9. & 10. abjiciantur, id non ideò fit, quod istiusmodi matrimonia essent nulla, sed quod in veteri lege ex justis causis permittetur repudium: justissima autem repudii causa erat, si uxor alienigena ad religionem Deique cultum converti nollet, multo magis si perversionis alterius conjugis periculum esset. Hactenus Bonfrerius, qui hic juramenti religionem inconcussam teneri in multis docet oportere, quæ legitimè non coïerunt. In illis, quæ sua natura illicita non sunt, sed jure positivo fieri prohibentur reverentia juramenti factum tuetur, quod contrà leges est. Pacta rescindere non licet, quia fides servanda est; Matrimonia dissolvi poterant, quia lex forensis id dabat marito. Si tamen in conjugio ineundo renuntiasset juri suo, non licuit. Sed hæc sunt alterius loci. Josephus videtur, existimare, quod Numen eos adhortatum sit ad bella renovanda, sed ipsos ignavia & commodis obsurduisse. Atqui edicit non esse se expulsurum: id est interdicit armis. Cum Israëlitæ audivissent angeli verba, ingemuerunt alta voce & illic loci Deo immolarunt. Hic etiam quæritur, An hostias pro peccato immolaverint, quod existimat Serarius? Bonfrerius dicit id sibi facile persuaderi non posse. Quamvis legamus aliquando concessum esse ut alibi quam in loco tabernaculi vel templi sacrificaretur, nusquam tamen legi extra tabernaculum hostias peccato usurpatas esse sed holocausta vel pacifica. Deinde in locis illis (Deut. 12. Levit. 17.) Ubi præceptum datur de non sacrificando alibi, tantum modo mentionem fieri holocaustorum & pacificorum, quia nullum periculum esset de hostiis pro peccato alibi offerendis; quod id prohiberent speciales cerimoniæ in his usurpandæ. Quæ erant hæ: Primò præire debuit peccati vel delicti apud sacerdotem confessio Levit. 6. 4. Idque eo fine ut sacerdos de gravitate & convenientibus

hostiis

hostiis judicaret; cum in hostiis holocautomatum & pacificorum res tota esset in offerentis arbitrio. Secundo carnes hostiarum pro peccato à solis sacerdotibus & tantum in atrio sancto edi poterant. Pacifica poterant edi quovis loco. Holocautomata tota cremabantur, quod & ubique fieri poterat. Hæc illius argumenta sunt. Quod autem hoc in loco propitiandus Deus esset, id quod soleret fieri per hostias pro peccato, respondet id fieri potuisse etiam per holocausta, sicut Levitic. 16. in solenni die expiationis etiam holocausta oblata sunt. Sic etiam præscribi Levit. 5. 7. in peccatorum expiatione holocaustum. Unde holocausta hic putat intelligi, non pacifica. Nam hæc ad epulas & hilaritatem, cum hic luctus & pœnitentià fuerint. Post hunc Angeli Dei ad populum sermonem, exponitur status populi degenerantis. Cum bellis per Josue confectis & facta sortitione populus dimissus esset in suas κληρυχίας Josue XXI. 43. 44. Huc enim respicit v. 6. Cumque possessiones suas populus adiisset, constans permansit in Dei cultu & officio, donec vixit Josue, & quamdiu in vivis fuerunt seniores, qui admiranda Dei opera, in exitu & liberatione populi, oculis suis viderant. Inter quos fuere Calebus, Eleazarus & nonnulli Levitæ, qui exemplo, monitis & autoritate populum continebant. Sed, cum alia ætas surgeret, quæ non viderat illa Dei miracula, cumque Josue & seniorum (qui multis post eum annis supererant) universa multitudo absumpta esset: neque ea pietas vigeret in succedentibus, oculorum suorum & conversationis ductu in matrimonia & religionem gentilium prolapsi sunt. Idola gentium inter quas agebant, relicto Domino, coluerunt. Dicuntur serviisse Baalim & Astharoth. Augustinum hic audiamus, qu. 16. in Judic. *Solet dici Baal nomen esse apud gentes illarum partium Iovis, Astarte autem Iunonis, quod lingua Punica putatur ostendere. Nam Baal Punici videntur dicere dominum; unde Baal samen quasi dominum cæli intelliguntur dicere. Samen quippe apud eos cæli appellantur, Iuno autem sine dubitatione ab illis Astarte vocatur. Et quoniam istæ linguæ non multum inter sed differunt, meritò creditur de filiis Israël hoc dicere scriptura, quod Baal servierunt & Astartibus, quia Iovi & Iunonibus. Nec movere debet quod non dixit Astarti id est Iunoni, sed tanquam multæ sint Iunones pluraliter hoc nomen posuit. Ad simulachrorum enim multitudinem referri voluit intellectum; quoniam unumquodque Iunonis simulachrum Iuno vocabatur. Ac per hoc tot Iunones quot simulachra intelligi voluit. Varietatis autem causa existimo Iovem singulariter, Iunonem pluraliter commemorare voluisse. Nam eadem causa plurium simulachrorum etiam Ioves pluraliter dici possent. Hoc autem id est nomine plurali Iunones in Græcis secundum septuaginta reperimus, in Latinis autem singulariter erat. Quorum in illo, qui non habebat septuaginta interpretationem, sed ex Hebræo erat, Astharoth legimus, nec Baal sed Baalim. Quod si forte aliud in Hebræa vel Syra lingua nomina ista significant, deos tamen alios fuisse constat & falsos, quibus Israël servire non debuit.* Chananæorum gentes coluerunt Belum sub appropriato cognomine Baal. Est enim בַּעַל appellativum, בֵּל proprium. Astharoth dicitur numero multitudinis; quod puto commune nomen esse dearum in Cananæa ut Baal deorum. Et distinguo Asthoreth (quæ Astarte est) ab illo vocabulo. Astarte quæ fuerit quæritur? Philo Byblius filiam Cæli, Saturni conjugem facit. Cicero lib. 3. de natura deorum: *Quarta* (Venus) *Syria Tyroque concepta quæ Astarte vocatur, quam Adonidi nupsisse traditum est.* Plutarchus Deam, quæ Hierapoli colitur ambigit, statuatne Junonem an Venerem esse sive naturam rerum. Cæterum Dea Syria non est Astarte. Sic enim Lucianus: Ἔστι δὲ καὶ ἄλλο ἱρὸν ἐν Φοινίκῃ μέγα, τὸ Σιδώνιοι ἔχουσι, ὡς μὲν αὐτοὶ λέγουσι, Ἀστάρτης ἐστί. Ἀστάρτην δ' ἐγὼ δοκέω Σεληναίην ἔμμεναι, ὡς δέ μοί τις τῶν ἱρέων ἀπηγέετο, Εὐρώπης ἐστὶ τῆς Κάδμου ἀδελφεῆς. In alio fano,

no, magno, Phœnicum Venus Byblia colebatur, quæ Adonin amavit. עשתרת Astarte fuit numen Sidoniorum 1. Reg. XI. 5. 63. Astharoth etiam Palestinorum fuere I. Sam. 31. 10. Originem nominis frustra inquiras.

Degenerem populum puniit Deus hostium invasionibus & cladibus, quibus in servitium cessit. Sub jugo hostium cum essent, ad Deum suspirarunt, qui excitavit σωτῆρας, quorum virtute & felicitate liberarentur. Sæpe populus ob peccata ita punitus est, sæpe liberatus. Illi σωτῆρες, quos excitabat Deus potius quam eligebant homines, præsidebant populo, ea fermè potestate, quam Suffetes habebant apud Tyrios & Carthaginenses. Eodem enim vocabulo appellantur. שפטים. Livius lib. 30. *Senatum itaque Suffetes (quod velut consulare imperium apud eos erat) vocaverunt.* Phœnicum sive Pœnorum coloniæ similiter regebantur: Livius lib. 28. *Ad colloquium Suffetes eorum* (Gaditanorum) *qui summus Pœnis est magistratus, cum quæstore elicuit.* Salianus eorum discrimen à regibus annotat: I. Reges regnum ad filios transmittebant hæreditarium, hi minimè. 2. Jus dixerunt è præscripto legum, non poterant leges ferre nec pro arbitrio agere. 3. Bellum suscipiebant jussi à Deo. 4. Tributa populo, sicut reges non poterant imperare. 5. Diademate, sceptro, aliisque insignibus regiæ potestatis non utebantur. 6. Non erant Domini reip. sicut apparet in Gedeone, qui delatum sibi dominatum noluit recipere Judic. 8. 22. Erant igitur supremi belli duces & præerant juri dicundo: sed sub Deo rege. Josephus ita de hoc statu reip. lib. 4. cap. 8. Ἀριστοκρατία μὲν ὖν κράτιστον καὶ ὁ κατ' αὐτὴν βίος, καὶ μὴ λάβοι πόθος ὑμᾶς ἄλλης πολιτείας, ἀλλὰ ταύτην στέργοιτε τὰς νόμους ἔχοντες δεσπότας καὶ αὐτοὺς ἕκαστα πράττοντες. Ἀρκεῖ γὰρ ὁ θεὸς ἡγεμὼν εἶναι. Synedrium habebant, habebant distributionem populi per Chiliarchas, centuriones minoresque præfectos; tum unicuique tribui phylarchus præerat, at summum imperium sibi Deus, donec rex eligeretur, sine medio reservabat, qui judices summos præsidesque totius reip. & imperatores dabat. Cæterum non semper summi tales magistratus erant, quibus temporibus summus Pontifex præses erat Synedrii & loco judicis supremi, Josephus Lib. 6. cap. 6. Ἐπὶ γὰρ Μωϋσέως καὶ τοῦ μαθητοῦ αὐτοῦ Ἰησοῦ, ὃς ἦν στρατηγὸς, ἀριστοκρατούμενοι διετέλουν. Μετὰ δὲ τὴν ἐκείνου τελευτὴν, ἔτεσι τοῖς πᾶσι δέκα καὶ πρὸς τούτοις ὀκτὼ τὸ πλῆθος αὐτῶν ἀναρχία κατέσχε. Μετὰ ταῦτα δὲ εἰς τὴν προτέραν ἐπανῆλθον πολιτείαν, τῷ κατὰ πόλεμον ἀρίστῳ δόξαντι γεγενῆσθαι καὶ κατ' ἀνδρείαν περὶ τῶν ὅλων δικάζειν ἐπιτρέποντες. Καὶ διὰ τοῦτο τὸν χρόνον τοῦτον τῆς πολιτείας, κριτῶν ἐκάλεσαν. Dicit octodecim totis annis sine supremo consessu egisse; quod intelligit de tempore, quo evenerunt gesta trium ultimorum capitum in libro judicum. Dicit autem eis qui bello se egregie gesserant, summam judicandi potestatem à populo delatam esse. Fuerunt tamen judices, qui bello se nunquam probavere. Deus eos potius dabat quam κτίσις ἀνθρωπίνη.

Deus igitur offensus populi ignavia, qui populos Cananææ non delebat, non expulit populos, quos Josue reliquerat, ut tentamini essent. Quinque Satrapiæ Palestinorum Cananæi (Phœnices) Sidonii & Hevæi ad montem Libanum alii & aliarum partium populi adhuc in terra repromissionis supererant.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

CAP. XLI.

IGitur cum relicto Deo idola colerent, destituti divino auxilio, à rege Mesopotamiæ evicti & subacti, VII. annis captivitatem pependerunt: donec Gothoniel duce in libertatem restituit, per quinquaginta annos rerum potiti sunt. Rursumque corrupti longæ pacis malo, idolis litaverunt, moxque aderat pœna peccantibus: ab Eglo enim rege Moabitarum devicti, duodeviginti annis servierunt; donec instinctu Dei Adon regem hostium dolo interemit contractoque tumultuario exercitu libertatem armis vindicavit. Idem per septuaginta annos in pace Hebræis præfuit. Huic Semigar successit: hicque adversus Allophylos congressus secundo eventu prælium fecit. Rursumque Hebræos sectantes idola rex Chananæorum Iabin nomine subjugavit, gravissimamque in eos per XX. annos dominationem exercuit: donec pristinum Debbora mulier statum reddidit. Adeo nihil spei in eorum ducibus erat, ut muliebri auxilio defenderentur. Quanquam hæc in typum Ecclesiæ forma præmissa sit, cujus auxilio captivitas est depulsa.

DRUSIUS.

A REGE MESOPOTAMIÆ] συρίας ποταμῶν, qui rex Syriæ, Jud. 3. 10. & rex Assyriorum, Ant. hist. lib. 5. cap. 3. Hujus proprium nomen Chusan rasathaim, pro qua χυσαρσαθαίμ in edit. Rom. χυσάρθυ in Josepho, & Cusardo in Rufini. Sunt qui apud Josephum legant Chusathrem. In versione Latina Gelenii, *à Cusarthe rege Assyriorum*: qui obliquus est à χυσάρθης, Chusartes.

VII. ANNIS] corrige VIII. *annis.* Nam Jud. 3. 8. ἔτη ὀκτώ: annis octo.

CAPTIVITATEM PEPENDERUNT] intra pag. 68. *aliquamdiu Salomoni servitutem pependerat.* notabit juventus.

GOTHONIEL DUÆ] qui & Othoniel. Nam in scriptura Ebraica עתניאל cum Ain in capite. Sic Gaza dicimus & Aza: Gomorra & Amorra. Hunc Josephus Cenez appellat: male. Cenez enim erat nomen patris. Siquidem vocatur Othoniel, filius Cenez. Id nostro more declinatum legitur in editione Gelenii Cenizus. Græcum exemplar habet κενίαζος. Sed verior scriptura Cenezus sive Cenezus, κενέζος. Salmanticensis, *Othoniel filius Cenez, ut videtur, ex senioribus fuit, qui cœpit judicare Israëlem anno mundi 2533.*

PER

PER QUINQUAGINTA ANNOS] quadraginta est Jud. 3. 11. & apud Josephum. Nec interpretes dissentiunt. Salmanticensis, *judicavit Israëlem 40. annis.* Sunt qui putant à Sulpicio adjectos 10. annos. quo sic complecteretur totum tempus, quod à morte Josue effluxerat. Consule Sigonium.

AB EGLO ENIM REGE] videtur declinasse Eglo ab Eglus, quod Græcè esset ἐγλός. Alioqui dixisset potius, *ab Eglone enim rege*, cum in fonte sit Eglon, id est, עֶגְלוֹן. Quanquam in LXX. Εγλὼμ cum M. in fine. Eglom, ut Madiam ut Edem, pro Madian & Eden. Contrario modò peccatum in Absalon & Abiron. Eglom, Eglus ut Charchom, Crocus. Scribi posset Eglo, nisi nomen Ebraicum esset. Sic male scribitur Simo pro Simon, nisi cum est nomen Græcum. Σιμὼν, Simo, ut Πλάτων, Plato; Ζήνων, Zeno, Ξενοφῶν, Xenopho, Κτησιφῶν, Ctesipho.

DUODEVIGINTI] octodecim Jud. 3. 14.

INSTINCTU DEI] qui eum ad hoc suscitaverat. Jud. 3. 15.

ADON] corruptum ex Aod, id est, Αὼδ, quod hodie in edit. Rom. Sed & in Hieronymo. Veritas scripturæ Ahod, videlicet ex Ebræo אהוד quod nunc legunt Ehud. Alibi est Aoth, & in Polycratico Ajoth lib. 8. cap. 20. Salmanticensis, Anno mundi 2573. *cœpit Ahod, qui judicavit Israëlem 80. annis. Hi anni finiunt in anno mundi 2653.*

LIBERTATEM ARMIS VINDICAVIT] cæsis circiter decem millibus hostium.

PER LXX. ANNOS] Quibus inclusi anni quibus servierunt Moabitarum regi. Sic in annis judicatus Othonielis inclusi anni octo, quibus servitutem pependerunt regi Mesopotamiæ. Alii aliter de hac re censent. Fruatur quisque judicio suo.

SEMIGAR] Samgar filius Anath. Jud. 2. 31. In edit. Rom. σαμεγὰρ; & apud Iosephum σανάγαρ⊙, Putarim scribendum σαμάγαρ⊙. Legitur & Semegar in Origene. De hoc scribit Iosephus, quod primo imperii sui, vel potius judicatus, anno mortem obierit. Salmanticensis, Samgar præfuit anno uno. R. Iose, *In diebus Ahod erat Samgar filius Anath in fine dierum ejus. Eodem tractu temporis, videlicet in diebus Eglonis, accidit Historia Ruth.* Docti viderint.

ADVERSUS ALLOPHYLOS] id est, Philisthæos, quos ἀλλοφύλους Græci vocant, id est, alienigenas, nomine generis ad certam speciem revocato. Ita passim interpretes LXX.

SECUNDO EVENTU PRÆLIUM FECIT] alibi, *secundum eventu*, hac sententia, fecit prælium secundum eventu. Non omnino displicet. Magis tamen placet, *secundo eventu*, ut cap. 57. *secundis præliis repulit allophylos.* & cap. 58. *crebra deinde prælia secundo eventu habuit:* & lib. 2. cap. 15. *secundo eventu, perempto rege, gentem imperio adjungit.* Rursum cap. 50. *victores secundo prælio Allophyli.*

PER VIGINTI ANNOS] Iud. 4. 3. qui annumerantur annis Debboræ. Hic Iabin Hasore regnabat.

DEBBORA] Δεββώρα, quod apem sonat, & est antiqua lectio pro Debora, ut Messias, quod nunc legunt & scribunt Mesia, id est, משיחא. Cœpit judicare Israëlem anno mundi 2654. videlicet anno post Semigar. Non tantum judex erat, sed etiam prophetes.

IN TYPUM ECCLESIÆ] mulier enim fortis typus est Ecclesiæ, secundum doctores theologos, ut apud Salomonem, mulierem fortem quis inveniat? Vide gloss. ordinariam ad hunc postremum locum.

CUJUS AUXILIO CAPTIVITAS EST DEPULSA] ergo Debbora typus fuit

fuit Ecclesiæ, quæ captivitatem Satanæ depulit, ut illa gravissimam dominationem regis Jabin.

SCHOTANUS.

JUDIC. CAP. III.

CUm Israëlitæ in luxum & lasciviam soluti, etiam in idololatriam prolapsi essent. Josephus: Μεταχυθέντος γὰρ ἅπαξ τοῦ κόσμου τῆς πολιτείας, ἐφ' ἕτερον τὸ πρὸς τὸ καθ' ἡδονὴν καὶ βούλησιν ἰδίαν βιοῦν ὡς καὶ τῶν ἐπιχωριαζόντων παρὰ τοῖς Χαναναίοις ἀναπίμπλασθαι κακῶν. Immitit igitur Deus ipsis Chusan-rasathaim regem Mesopotamiæ à quo victi & subjugati sunt. Josephus acie victos esse dicit ingenti strage & obsessos (oppidatim) alios metu in potestatem concessisse. Ita tributorum gravissimis oneribus pressos & injuriis omne genus afflictos octennium tolerasse. Judæi fingunt dictum esse רשעתים ob duas impietates, quas Syri in Israël fecere; nempe primam fecit Balaam, alteram Cusan. Josephus Ctesiæ fabulis & communi opinione de antiquitate & latitudine imperii Assyriorum seductus, hunc regem Assyriæ facit adversus verba evidentia sacri textus. Appellatur enim rex Mesopotamiæ seu Syriæ interamnis. Si Mesopotamia late imperium eà tempestate extenderat, illa ampla, quæ dicitur Assyriorum dominatio in mundo non fuit. Nec est in Catalogo regum Assyriæ fabuloso nomen Chusan-rasathaim seu (ut apud Josephum est) Χουσάρθου. Post Ninum & Semiramin illi reges ab Æthiopia usque Indiam imperantes in otio torpuere, si fides vanissimo homini, Ctesiæ, quem tam multi sequuntur. Hic autem rex Mesopotamiæ (qui nullus esse poterat in Mesopotamia, si illi verum dicerent) armis promptus latissimam sibi dominationem vi & ferro peperit. Nini igitur imperium tunc, ultra Tigrin fluvium nullum fuit. Si quæras annum in quem subjugatio & calamitas incidit, Josephus octennium servitutis includit octodecim annis ἀναρχίας, quæ cum Othoniele desiit, inchoata autem est à morte Josue. Iniit igitur illa servitus prima, anno ab exitu 75. O. C. 2528. Othoniel principatum iniit anno 82. O. C. 2536. Israëlitæ igitur ad Deum suspiriis suis conversi sunt, qui Othonielem filium Cenez, suscitavit, Spirituque suo induit. Coactis copiis regem Mesopotamiæ prælio vicit & dominatione exuit. Supina oscitantia Josephi loco Othonielis Ceniazum constituit judicem, qui pater fuit Othonielis. Hic oraculo monitus, libertatis asserendæ impetum cepit. Cum paucis primò periculorum sociis præsidium loci trucidat: deinde confluentibus pluribus, ob successum, cum Assyriis (ita loquitur) prælio confligit. quo victi hostes ultra Eufratem refugere. Ceniazus præmium à populo accepit principatum, quem tenuit annis quadraginta. Scriptura non dicit tot annos fuisse principatus Othonielis, sed pacis & libertatis. Non videtur populus vivo Othoniele, sed sub ἀναρχίᾳ (ut & Josephus loquitur) iterum in pejus prolabi cœpisse. Si Othonieli contigit principatum habere per annos quadraginta, plures annos fuisse oportet pacis, quia pœna servitutis secuta est post aliquot annos deviationis. Cum iterum deficerent à Deo & legibus, Deus corroboravit Eglonem regem Moabitarum: ille Ammonitis & Amalecitis in societatem vocatis conseruit manus cum Israële & magnam cladem illis intulit. Josephus narrat aliquot præliis vicisse & redegisse sub jugum Israëlitas. Urbem palmarum insederunt. Octodecim annis Israël sub ejus jugo gemuit. Deus invocatus opem tulit per אֵהוּד, Ehud filium Geræ, Benjaminæum

næum. Josephus appellat Ἰώδην, LXX. vocant Ἀώδ. Scribit Josephus eum fuisse, τολμῆσαί τε ἀνδρειότατον καὶ τῷ σώματι πρὸς τὰ ἔργα χρῆσθαι δυνατώτατον. Fuit (ut in textu est) איש אטר יד ימינו. Thargum: גברא גמיר בידיה דימינא / *Vir constrictus manu dextera.* Josephus, τῶν χειρῶν τὴν ἀριστερὰν ἀμείνων καὶ ἀπ' ἐκείνης τὴν πᾶσαν ἰσχὺν ἔχων. Contrarium Josepho habent LXX. ἀμφοτεροδέξιος. גמיר interpretatur Rasi, quod Aramæum sit & significet דבר כווץ מחמת חולי *contractus ab adustione morbi.* לא שולט בה ut loquuntur Hebræi. Græca versio defendi nequit. Significatur enim quod שמאלי fuerit. Cæterum si manus dextera vitiata fuerit morbo aut casu, mancus erat; si integra quidem, sed pro ea sinistram operi potissimum adsuefecerit, Scæva Latinis diceretur. Sic enim Ulpianus distinguit de ædilitio edicto.

Per hunc Israëlitæ munus Egloni detulere. Sive id consciis Israëlitis de facinore, quod machinaretur, factum sit (quod non puto) sive eam occasionem forte oblatam ipse captaverit. Gladium ancipitem sibi fieri curavit, longum cubitum. Josephus narrat habitasse Hierichunte, familiarem fuisse regi, δωρεαῖς αὐτὸν θεραπεύοντα καὶ ὑπερχόμενον. Quasi solitus esset regem muneribus demulcere, eoque gratus esset & ad familiarem accessum admitteretur. Quod scriptura habet de publico munere, ipse de privato accepit. Gladium illum ancipitem (quem Josephus omisit) accinxit femori dextero, sub vestibus. Munus portabant multi è populo qui Ehud comitabantur. Illis autem dimissis forasque deductis revertitur retro ad regem dicens: se arcanum habere verbum, quod soli regi cuperet indicare. Cum igitur rex, quotquot aderant, è cubiculo emisisset, ferebat Ehud se Dei verbum habere: quo audito, rex venerabundus assurrexit: Hic Ehud oportunum ictui videns, eductum gladium, manu sinistra, in ventrem regis adegit, tanto impetu, ut etiam manubrium intra os vulneris ingrederetur, adeps ferrum constringeret, simulque (ut alii volunt) os vulneris. Obeso enim corpore rex erat & profuso abdomine. Ictus humi procubuit: exiit autem percussor, relicta machæra in vulnere. Scriptura hic omnia definite notat. Ehud deduxerat populum ex aula usque פסילים אשר את הגלגל. Inde rediit retro cum suos in tutum deduxisset. Thargum מחצביא דעם גלגלא. *Lapicidina apud Galgala.* LXX. ἀπὸ τῶν γλυπτῶν μετὰ τῆς Γαλγάλ. Conclave, in quo rex consederat, appellatur עלית המקרה; LXX. ἐν τῷ ὑπερῴῳ τῷ θερινῷ. Josephus: διέτριβε δ' ἐν τινι δωματίῳ δεξιῶς πρὸς θέρος ἔχοντι. Non discernit Josephus inter primum secundumque aditum Ehud ad regem: quasi primo in aditu dimissis adstantibus regem percusserit. פרשדנה, (stercus vertunt, LXX. non expresserunt) dicitur promicuisse: quod alii de vulnere intelligunt, alii de ventre soluto. Bonfrerius: *Porrò naturale est ut dum magna vi & angore è corpore extruditur anima sordes illæ & excrementa infernè rejectentur.* Patrato facinore percussor festinus è cænaculo exiit in proximam partem ædium. In Hebræo est מסדרונה. Münsterus: *Et pro eo, quod nos vertimus*, Et stercus egressum est, *Ionathan vertit*, Et cibus effusus est: *ut* פרשדנה *dictio composita à* פריש & שדא. *Alii putant per hanc vocem significari* מקום ישיבת הפרשים *locum consessus militum & equitum, sicut per* מסדרונה *intelligunt aliam aulam, in qua populus veniebat ad regem. Alii vero primam vocem exponunt* צואה *pro stercore: ut cum sanguine stercus per vulnus illud exierit.* מסדרונה LXX. προστάς, Thargum אכסדרא.. Vestibulum aut porticum significant. Nam in porticibus loca consessuum solebant construi. Ehud cœnaculi fores accurate claudebat obserabatque, ut cædes tardius cognita locum effugii daret. Cum famuli regii, egresso Ehud, ad Dominum redire vellent viderunt fores occlusas offirmatasque: ideò continuerunt se, quod putarent

ad naturæ necessaria (בחדר המקרה) concessisse. Josephus: Οἱ δὲ θεράποντες ἠρέμουν εἰς ὕπνον τετράφθαι νομίζοντες τὸν βασιλέα. Non respexit scripturam, quæ narrat existimasse, quod pedes tegeret. LXX. ἀποκενοῖ τοὺς πόδας: non male. Leve dicas esse, sine dicamus somnum sive exonerationem ventris animis eorum injecisse tardationem. Fateor levem rem esse, at magnam differentiam. Eadem oscitantia ὄναρ dixit pro verbo Dei. חדר המקרה LXX. ταμιεῖον τὸ θερινόν. Thargum באדרון בית קיטא / In conclavi æstivo. Alia editio ὁ (Basileæ 1545. in folio apud Hervagium & 1500. in octavo Græcolatine apud Brylinger.) Μή ποτε πρὸς δίφρους κάθηται ἐν τῇ ἀποχωρήσει τοῦ κοιτῶνος. Romana editio habet ut significavimus.

Tandem, cum longo tempore se continuissent, servi immissa clavi fores aperuere, videruntque dominum suum humi provolutum & mortuum. Josephus dicit circa vesperam: δείσαντες μή τι νεώτερον εἴη περὶ αὐτὸν γεγονὸς εἰσῆλθον εἰς τὸ δωμάτιον, καὶ νεκρὸν εὑρόντες ἐν ἀμηχανίᾳ καθειστήκεισαν. Jam transierat Ehud פסילים / sculptilia seu lapicidinas in Galgalis & evasit in Seirath. LXX. in Romana editione Σεϊρωθὰ, in Basiliensi περωθᾶ. Rasi exponit sylvam densam minutamque, quam significationem probat è Seder zeraim. Quasi in illis vepretis latuerit. Melius Kimchi nomen loci esse dicit. Ehud, cum evasisset in montes Efraim, buccina convocavit Israël. שופר LXX. κερατίνῃ. Josephus scribit cornibus (ex more) convocatum esse populum. Convocatis coactisque copiis ducem se obtulit: Sequimini me (inquiens) Nam Dominus hostes dedit in manus vestras. Profecti sunt Israëlitæ ad Jordanem ejusque trajectum in Moabitin occupant, nec sinunt quenquam transire. Cæsi sunt è Moabitis decies mille viri: omnes (ut textus dicit) pingues (id est valenti corpore) & bellicosi, ut nemo evaderet. Josephus in hunc modum rem enarrat: Ehud, percusso Eglon, clam significasse Hierichuntinis, quid factum esset, & monuisse, ut libertatem arriperent. Eos lætos, arma cepisse & misisse cornicines, qui Israel ad arma concirent. Priusquam præsidium cognovisset cædem regis & conglobaretur turbam Israëlitarum supervenisse. Partem eorum è vestigio confodisse, alios effugisse & incidisse in Israëlitarum copias, quæ Jordanis ripam obsederant. Ita ejecti Moabitæ & recuperata libertas: quod (ut putatur vulgò) principatum & supremum judicatum libertatis autori peperit. Nusquam tamen in scriptura invenitur, Ehud judicasse. Exprimunt tamen LXX. cap. 3. 30. Hinc octoginta annis terra pacem habuit. Non est putandum tot annis post victoriam Ehud judicasse aut in vivis fuisse. Nam quies illa turbata sequenti servitio, postquam, mortuo jam Ehud, populus aliquot annorum deviatione Deum provocaverat. Jam judicabat Debora, aut judicatum inibat cum Jabin profligaretur & ante eam Samgar & Jael judicatum administraverant. Judic. 5. 9.

Factum Ehud scriptura laudat, tanquam ad præceptum Dei & è fide: videtur tamen commisisse adversus bonos mores: Mentitus est, dolose egit, rebellionem concitavit, percussit regem suum. Regem percussit tyrannum, qui usurpabat dominationem quamvis sub juramento receptam, sed jubente rege regum. Rebellio non est illa jugi abjectio, quod dominus abjici mandat. Major difficultas de dolo malo & mendacio. Hic Bonfrerius: *Quærit Augustinus Fueritne Aod mentitus, cum dixit se verbum secretum, quod cum rege conferret, habere, & paulò post, cum dicit se verbum Dei ad ipsum habere; & ait à mendacio excusari posse, quod Hebræorum & scripturæ more sæpe verbi nomine factum aliquod significetur; quod idem verbum Dei appellari potuit, utpote authore Deo & impulsore susceptum, qui ipsum populi salvatorem suscitarat. Potest quidem hac ratione Aod à mendacio excusari, tamen ut alias dixi, non est, quod anxie facta & sanctorum*

ctorum à mendacio officioso & veniali excusentur; vel sane à peccato materiali, quod putarint sibi esse licitum subinde mentiri ad magnum aliquod bonum. Admodum Jesuiticè. Atqui Paulus monuit non esse facienda mala ut eveniant bona. Ut nos expediamus: Mendacium est nomen criminis, ideò vera non dicere, aut falsa dicere mendacii naturam totam non implent. Qui verum tacet, quando & quo loco tenetur dicere, in crimine est: qui falsum sciens dicit, animo fallendi itidem in crimine est. Cæterum cum verba possint ambigua esse, notandum est, quod ea mente proferri oporteat, qua intelligi putantur, ab iis, quibus testis fidem facere conatur. Nam & iis intelligitur jus esse quo obligati sumus ut verum significemus. Cum neque justitia neque charitas testimonium ferre jubet, tum sine peccato potest veritas aut pars ejus aliqua celari. Jerem. 38. 27. nobile exemplum est veritatis ex parte dictæ, alia parte celatæ. Nam Jeremias eloquitur, quæ rex jusserat, alia reticuit. Aliàs cum non est ad eos sermo, quos jus est lædere, eloquimur falsa, quibus decipi eos volumus, ut Romanorum rex Tullius Hostilius voluit credi jussu suo circumduci Albanum exercitum. Nam hostibus eam opinionem injici voluit, quibus non testabatur, quia ad colloquium ventum non erat. Colloquium enim constat mutua fide & obligatione. Ad quemcumque sermo dirigitur, qui infans aut amens non sit, veri obligatio inest. His positis Ehud sine crimine falsum sciens volensque dicere non potuit, potuit tamen verum tacere aut dissimulare. Soluto enim illo vinculo, quo illi subditus erat, Dei speciali vocatu, non tenebatur aperire, quicquid continebatur verbo aut arcano; quod Dei nomine ad ipsum cum illius exitio erat deferendum. Missus enim est ad ipsum percutiendum. Verbis aperuit aditum parte veri enuntiata, reliquum facto exsecutus est. Hugo Grotius in accurato & erudito opere de jure belli & pacis, agit de hac materia lib. 3. cap. 1. §. 6. 7. 8. &c. falsiloquium multis casibus licitum esse disputat adversus Augustinum & scholasticos. Vide eum. Post Ehud Semgar Israël liberavit à pressura Palestinorum. Sexcen- hostium stimulo boum occidit במלמד הבקר LXX. ἀροτρόποδι τῶν βοῶν. Ita Israëlem liberavit ab illa parte. Constat nobis Semigari liberationem post mortem Ehud, videtur tamen intra octoginta annos pacis evenisse. De Samgar Lyranus; *Iste videtur fuiße homo rusticanus & fortis & fortaßis de ligno, in quo erat aculeus, ad pungendum boves fecit lanceam vel hastam ad pugnandum.* Existimat auxilio aliorum tot stravisse, quia non videatur verisimile unum hominem sexcentos sternere potuisse. Atqui notatur ut facinus admirabile.

JUDIC. CAP. IV.

POst mortem Ehud filii Israël tertiò deflexerunt. Ideò eos dominus in pœnam vendidisse dicitur in manum Jabin regis Chananæorum, qui habitabat in Hasor. Dux militiæ illi erat Sisera, qui habitabat in Haroseth gentium. LXX. Ἀρισὼθ ἐθνῶν. V. I. non debet ita accipi, quasi velit malum fecisse Israëlitas, & postquam malè cœpissent agere, Ehud obiisse. Nam illud ואחוד מת/ rationem potius reddit corruptionis. Josephus scribit urbem Asor adsitam fuisse lacui Samachonitidi. Jabin habuisse ὁπλιτῶν (armatorum) trecenta millia, equitum decem millia, currus ter mille. Scriptura ipsi tribuit currus ferratos nongentos, de numero armatorum nihil definit. Coaluerat Hasor post cladem à Josue regemque eodem nomine habuit in hoc tempore. Haroseth gentium reddit Jonathan בתקוף כרכי עממיא/ *In robore urbium populorum.* Sylva Chaldaice חורשא. Confluxerant enim ab eversionibus, quas Josue fecerat,

cerat, in nemora gentium. Putant Hasor non fuisse restitutam, sed dici hunc regem Hasor, quod esset de illa familia seu stirpe. Sic Kimchi. Sisara (Josepho *σισάρης*) forti validoque prælio (aut præliis) contusos sub jugum coëgerat Israëlitas. Gementibus sub aspero & gravi jugo Deus auxilium attulit per Deboram prophetin, quæ eo tempore judicatum in populo tenebat. Nomen illud apem sanat, sed hoc nihil ad rem: ideo non erat necesse annotari à Josepho. Uxor erat viri, cui nomen Lappidoth. Kimchi: Dicunt, quod sit Barac filius Abinoam: ברק ולפידות קרובים בענין. Idem valent originatione. At in Medras שהיתה עושה פתילות למקדש. Lusus aut nugæ. Hæc residebat sub palma Deboræ, inter Ramam & Bethel. Jonathan: והיא יתבה בקרתא בעטרות דבורה מתפרנסא מן דילה ולה דקלין ביריחו פרדסין ברמתא זיתין עבדין משח בבקעתא בירת שקיא בבית אל עפר חור בטור מלכה:

Ipsa considebat in civitate inter coronas Deboræ, sustentans se ex illa, habebatque palmas in Iericho, paradisos in Rama, oleas, facientes oleum in valle irrigua, in Bethel, pulverem candidum in monte regio. Secundum hæc Rasi dicit non esse סימני מקום ישיבתה, sed inde doceri, quod fuerit mulier opulenta. Pro *paradisos* legit כרמים *vineas* in Rama. Addit de pulvere candido: *Dico ego quod vendiderint ea, figulis luti. alii exponunt pulverem candidum, agrum seminis, sicut agrum album.* Sed inutilis labor est ineptiarum. Ad eam in montem illum commeabant, qui lites habebant. Ea Divinitus admonita vocavit Barac filium Abinoam è Cades Naphthali: Tibi præcepit Deus Israël: Vades & attrahes in monte Thabor, assumesque tecum decies mille viros è filiis Naphthali & Zabulon. Ego adtraham ad te ad torrentem Cison, Sisaram ducem militiæ Jabin: & currus ejus & multitudinem ejus: daboque eum in manum tuam. Respondebat Barac: Si ibis mecum, ibo: si non ibis mecum, non ibo. Ea reddit: Eundo ibo tecum, cæterum gloria non erit tua, *in via*, quam ibis: quia in manu mulieris vendet Dominus Sisaram. Hoc colloquium inter Deboram & Barac. Cum autem textus dicat Deboram missis nuntiis vocasse Barac, hinc apparet non fuisse maritatam illi: aut fuit ab eo separata (inquit Kimchi) à tempore, quo prophetiam accepit & judicatum. Judicabat Israël sub palma arbore, quomodo judicia obita esse videntur sub dio & palam omnibus. Palma inde dici cœpit palma Deboræ. Mulier non posset *κτίσει ἀνθρωπίνῃ* magistratum tenere, at in illa *θεοκρατίᾳ* potuit esse Suffes, quia Deus nullis legibus tenetur. Ideo non est ita, ut Theodoretus qu. 12. in Judicum librum, *οἶμαι δὲ καὶ τὴν Δεββώραν εἰς ἔλεγχον τῶν τότε ἀνδρῶν τῆς προφητείας ἀξιωθῆναι. οὐδενὸς γὰρ ἐξ ἐκείνων εὑρεθέντος ἀξίου τῆς χάριτος, αὕτη τῆς τοῦ παναγίου πνεύματος τετύχηκε δωρεᾶς.* Quod Barac renuerit sine illa ire in bellum, ad quod eum vocabat Dominus per illam, id putat illius supernæ gratiæ datum, sine qua non auderet hoc opus aggredi. Atqui attribuendum est fidei imbecillitati, quæ hoc adminiculo eguit. Unde & reprehensus ab illa est. In alloquio suo verbis Dei dicit Debora: Attrahes; in ea voce volunt promissionem Dei implicari, quia animorum promptitudinem se facturum & inclinaturum spondeat. Debora igitur comitata est Barac, in Cades. Barac illuc ad se convocat Israël: è Zabulon & Naphthali decies mille viri confluxerunt: cumque eo ascendit Debora. Hac tempestate Heber Cenæus se separaverat à corpore Cenæorum, nempe à nepotibus Hobab, quem Theodoretus filium Jethro esse putabat, cum fuerit frater. Hic prope Cades suum tentorium posuerat עד אלון בצענים usque ad quercum in Sanaim. Chaldæus: עד אישר אגניא usque ad planitiem lacuum. LXX. *ἕως δρυὸς πλεονεκτούντων.* Cum nuntiatum est Sisaræ, quod Barac ascendisset in montem Thabor (Atabyrium)

byrium) congregavit Sisara currus illos nongentos universasque copias ex Haroseth gentium ad torrentem Cison. Ralbag dicit Haroseth *gentium vocatam esse, quod ædificata esset opere gentium multarum, quæ ædificarunt eam, quia cæpta est ejus ædificatio, ut esset munimentum propter filios Israël. Et vocarunt populos multos & consilio omnium perfecta est ædificatio in firmitudine. Aut erit expositio Haroseth gentium, quod ad magnitudinem urbis evasit: factum illic omne opus de operibus, quæ faciunt gentes permixtæ: quasi diceres, & texens & acupingens species vestium universaliter, & acuens æs & ferrum: & sic sensus (porrò) de omnibus speciebus operum. Quoniam non invenietur hoc in urbe, nisi magna valde fuerit. Et forte quod fuerit Haroseth gentium lato termino: in quo multæ urbes, Et fuit terminus ille in loco firmo: & forte quod fuerit in medio sylvæ magnæ, quia* יער *Chaldaice appellatur* חורשא. *Et videtur quod illic fuerint multi reges, ut habetur in cantico Deboræ* (cap. V. v. 19.) Venerunt reges, præliati sunt &c. *Nec videmus* (בספור) *in textu quod proferat Sisera copias nisi ex Haroseth.* Debora ad Barac tum ait: Surge: nam hic dies est, quo Dominus Sisaram tradidit in manum tuam. Omnino Dominus egreditur ante faciem tuam. Hinc spe & animo plenus Barac cum copiis è monte descendit, nempe cum illis, quos diximus, decies mille viris. Non commemorat scriptura modum pugnæ, sitne Barac ex improviso adortus castra Sisaræ, an aperto campo pugnæ copiam fecerit. Contrivit Dominus (è cælo præliando cap. v. 20.) Sisaram, omnes currus, ac tota castra ore gladii ut nec unus evaserit. Sisara pedibus fugit ad tentorium Iaël (יעל) uxoris Heber Cenæi: quæ prophetis (ut videtur) erat & antehac Israël judicaverat inter Samgar & Deboram medio tempore. Nam pax erat inter Iabin regem Canaan & domum Heber Cenæi. Exiit Iaël Sisaræ obviam, invitavitque ad se amicis verbis: Concede ad me, domine mi, concede ad me, noli metuere. Succedit, illa tegit eum, בשמיכה / Chaldæus: בגונכא; LXX. ἐπιβολαίῳ Latinus, *pallio.* Kimchi exponit Arabice גואבי / dicitque esse tegumentum densum יצאן ממנו ציציות מן הצמר בכל פני הכסות. *Villi eminent è lana undiquaque,* &c. Sisara ad refocillationem petiit à Iaël aliquantulum aquæ illa aperto utre lac præbuit iterumque eum obtexit. Ab illa rursum petiit, ut in ostio tentorii consistens observaret adeuntem: & si quis de Sisara inquireret, esse intrà negaret. Cum se igitur in loco tuto quiescere putaret, in somnum prolapsus est. At illa ad dormientem cum silentio ingressa paxillum tentorii malleo per tempora adegit: terræque hominem affixit: qui soporem morti socians animam efflavit. Baraco deinde Sisaram persequenti occurrens mulier, confectum ostendit. Sic igitur contusæ sunt vires Iabin, quem continuato successu Israëlitæ deleverunt. Josephus in narratione hujus historiæ narrat Israëlitas à Jabin subactos esse, *πρὶν ἢ τῆς ὑπὸ Μωαβίταις ἀναπνεῦσαι δουλείας πρὸς ὀλίγον.* Qui id potest dici, cum octoginta annis principatus Jodæ quieverint? Israëlitas pertæsos jugi adiisse Deboram dicit, ut Dominum precaretur quo ex hac clade possent eripi. Atqui nihil tale in textu, ipsi Israëlitæ per se supplices rogaverunt Deum, qui annuit & per Deboram vocavit Barac. Barac & Israelitas perculsos terrore ante prælium fugere voluisse, sed retentos esse à Debora, quæ jusserit eodem die manum conserere. Hoc non liquet, at probabile est, quod dicit: Cum acies concurrerent ingentem imbrem & grandinem ingestam in ora Chananæorum. Ventum enim validum aquam grandinemque impingentem inutiles reddidisse jaculatores & funditores. Armatosque ob glaciem ensibus uti non potuisse. Israëlitis minus nocuisse tempestatem, quia à tergo veniret, animaretque tanquam de præsentia Dei confisos. Hinc in hostes se intulisse, qui partim à proprio equitatu, & curribus,

partim ensibus Israëlitarum interibant. Sisares à Iaële (Ἰάλην vocat) benigno comique vultu & simulamine acceptus, lac loco aquæ accepit. Lac, inquit, διεφθορὸς ἤδη. cap. v. 25. lac & butyrum dicitur attulisse: tanquam laute comiterque exceptura. Cum avidius corruptum lac ingurgitasset, in somnum, quem mors excepit, incidisse. Ita juxta Deboræ vaticinium victoriæ gloriam mulieri evenisse. Baracum deinde belligerantem adversus Asorum, Jabin interemisse & urbem solo adæquasse. Hinc quadraginta annis tenuisse principatum: στρατηγεῖ, inquit. Barac & Debora ita deinde conjunctim Israeli præfuerunt, ut ille imperator, hæc judex fuerit. Nam ex ore Dei lites terminabat. Augustinus de civit. Dei lib. 18. cap. 15. *Per illam Spiritus Dei id agebat. Nam prophetissa erat.* Annotat Bonfrerius in septuaginta interpretum versione, quæ est in Romano & Basiliensi codice addi (in v. 8.) quæ Hebræus textus & Latina editio, non habent, esse tamen vetustæ lectionis indicari à patribus. ὅτι οὐκ οἶδα τὴν ἡμέραν ἐν ᾗ εὐοδοῖ κύριος τὸν ἄγγελον μετ' ἐμοῦ.

Quidam imperite Deboram inter viduas numerarunt, ut Ambrosius in libro de viduis. Hi putabant Barac ejus filium esse. Hæc reprehendit Hieronymus in epist. ad Furiam, quæ est de viduitate servanda. Fœmina non ductavit exercitum nec imperatricis aut ducis egit munia, quamvis ita Avitus cecinerit in consolat. ad sororem:

Et memori nunc mente tenes, ut Debbora quondam
Duceret instructas post fortia classica turmas:
Et mulier sumpto præcederet agmina signo,
Mirantes hortata viros, quos ipsa ferocem
Exemplo, verboque monens accendit in hostem.
Quas postquam ducens princeps animosa catervas
Impulit, accendens vegetata furoribus arma,
Barbaricæ cecidere manus: dissolvitur omnis
Hostilis virtus: tum qua se femina monstrat,
Palantes dant terga viri, Latebramque petentes
Si vivunt, vicisse putant.

In eadem sententia hæsisse videtur Sulpicius. In aciem non est egressa. In montem se Barac contulit, ut ipsa præsens populum oraculo futuræ victoriæ confirmaret diceretque quid faciendum esset: sed non tractavit arma. Et Barac inter Suffetes summos numerari non debet, quamvis id velint Salianus & alii. Nec ea mens est loci Heb. XI. 32. Vult Salianus cum Serario Deboram jus dixisse durante maximè jugo Iabin Cananæi, litesque composuisse absque jurisdictione ulla sed ex prophetia tantum & auctoritate, quam hæc illi pariebat. Nec hujusmodi juris dictionem, si maxime judicialem ac forensem fuisse dicatur, ad munus judicis populum gubernantis pertinuisse. Imo verò cum ea potestate, quam ullus judex Divinitus impositus, habuit, judicatum obiit. *Sub hac duce vel judice*, recte, Sulpicius loquitur: Clemens Alexandrinus lib. I. Stromat. Ἐπὶ τούτου (Ἰαβεὶν) προεφήτευε Δεββώρα, γυνὴ Λαβιδώθ, ἐκ φυλῆς Ἐφραὶμ καὶ ἦν ἀρχιερεὺς Ὀζίας ὁ τοῦ Ῥινσοῦ. Διὰ ταύτης ἡγησάμενος τῆς στρατιᾶς Βαρὰκ ὁ τοῦ Βεννὴρ, ἐκ φυλῆς Νεφθαλὶμ, παραταξάμενος Σισάρα τῷ ἀρχιστρατήγῳ τοῦ Ἰαβεὶν, ἐνίκησε· καὶ ἦρξεν ἐντεῦθεν τοῦ λαοῦ, διακρίνουσα ἡ Δεββώρα, ἔτη τεσσαράκοντα.

Cap. V. Judic.

Debora & Barac carmen ἐπινίκιον Domino cecinerunt: in quo notanda quædam ad historiam pertinentia. v. 6. refert in diebus Samgar filii Anath & Jael vias fuisse inaccessas & commercia quievisse. Unde est, fatentibus Judæis manifestum Jaël judicatum aliquo tempore obiisse. Et fuisse illam Jaël, quæ Sisaram occidit, At est incongruum dicere, quod ab eo demum tempore, quo Sisaram occidit, judicare cœperit quod etiam vidit Lyranus. Nam Judicatus dies præteriti explicantur & distinguuntur à præsentibus Deboræ. Disertè inter Samgar & Deboram Jaël interponitur. Kimchi: Ipse (Samgar) *fuit è judicibus Israël, quemadmodum memoratum est supra: quamvis Salvaverit Israëlem, non fuit sicut salus magna hæc, quia in diebus ejus cessaverunt semitæ. Ratio autem quod recordetur Iaël est, quasi diceret, quamvis per manum ejus venerit pars salutis. Videtur autem quod fuerit mulier magnæ dignationis* (השובה) *& diligens Dominum, qui per eam induxit salutem hanc: principium salutis, donec surrexi ego Debora &c.* Sic illa: Imo (ut recte Ralbag) dies Samgar & Jaël comprehensi sunt in viginti annis servitútis sub Iabin.

v. 8. Clypeus & hasta si apparuerunt in quadraginta millibus Israël] Pergit adhuc describere ærumnabilem & miserum statum populi sub superioribus judicibus. Kimchi: *Cum eligeret Israël novos deos, tunc fuit ipsis bellum in portis & non potuerunt ostendere clypeum aut lanceam ad bellandum in hostes: Quamvis essent Israëlitæ multi, quadraginta millia & ultrà & hæc summa esset supputationis: sic tamen etiam fugiebant ab hostibus & concludebantur in suis urbibus: & hostes persequebantur eos ad portas. Quidam exponunt* (מגן אם יראה) (לשבח) *in bonam partem: q. d. Cum Israël faceret voluntatem creatoris excelsi & non sectarentur Deos alienos: quod fuit in diebus Iosue, non opus habebant clypeo in quadraginta millibus filiorum Gad & filiorum Ruben, & quamvis essent armati exercitus, non opus habuerunt ostendere clypeum aut lanceam, quia Dominus bellabat ipsis & ibant cum fratribus & revertebantur in pace non erat adversarius neque plaga magna quia faciebant voluntatem creatoris.* Thargum Jonathanis: *Quando voluerunt filii Israël operari idolis novis, quæ de proximo facta sunt, quibus non studuerant patres eorum venerunt adversus eos populi & expulerunt eos è civitatibus suis: at quando redierunt ad faciendum legem, non prævaluerunt eis: donec corroborarentur & ascenderet adversus eos Sisara Osor & tribulator cum quadraginta millibus* (רישי משרין) *principum castrorum, cum quinquaginta millibus tenentium gladios, cum sexaginta millibus tenentium hastas, cum Septuaginta millibus tenentium clypeos; cum octoginta millibus ejaculantium sagittas, præter nongentos currus ferratos, qui fuerunt cum eo & currus ipsius: Omnia ista millia & omnes hæ copiæ non potuerunt stare coram Barac & coram decem millibus virorum, qui cum eo.* Sic affingit Sisaræ tercentum millium exercitum, qui numerus, aliquanto minor est eo, quem dedit Josephus. Ralbag hunc versum ita exponit: *Expositio in eo est; quod in tempore, quo elegit Israël idololatriam, qui sunt dii novi, tunc fuerit ipsis bellum in portis nec potuerint exire foras. Forte exponendum, quod Deus excelsus elegerit nova verba ad perfecte exprimendum hoc miraculum: & ipse traxerat jam cor Sisaræ & exercitus illius ad bellandum cum Barac in portis Israël in loco, qui erat conveniens ut caderet illic, secundum hoc, quod causaverat Deus excelsus, cujus cogitationes profundæ sunt: & ecce in veritate non obtinuerunt Israëlitæ victoriam in hoc bello virtute sua* (ובעוצם ידם) *& suis manibus, quia non fuerunt ipsis arma bellica, nisi viris paucis, usque adeo ut* (עד) *in toto Israël non fuerit clypeus & hasta in quadraginta millibus virorum.* ולזה הוא מבואר *Et inde hoc est manifestum, quod in decem millibus virorum, qui ascenderunt è filiis Naphthali & filiis Zabulon non fuerunt in armis nisi viri pauci.*

v. 14. *Ex Ephraim erat eorum radix adversus Amalec: post te Benjamin inter tuos populos: E Machir descenderunt legislatores & è Zabulon, extrahentes per sceptrum scribæ.* Ionathan: *E domo Ephraim surrexit Josue filius Nun, primò inivit bellum contra Amalec: post eum surrexit rex Saul è domo Benjamin & occidit quosdam de Amalec & inivit bellum cum reliquis populis: E domo Machir descenderunt, cum consignati essent in bello: & è tribu Zabulon scribentes calamo scribæ celeris.* Hanc interpretationem probant Rabbini aliique interpretes quasi de Saul per prophetiam sit locuta.

v. 15. Issachar laudatur, quod secutus sit Deboram, & Machiræi Deboram etiam secuti esse dicuntur: atqui non supra decies mille illi viri scribuntur fuisse, & hi è tribubus Naphthali & Zabulon. A potiori denominatio ut vulgò loquimur. Non vocavit Barac solos Mephthalitas & Zabulonitas, sed hi soli totis tribubus venere cum convocatio generalis esset. Et Issachar multi adfuere, Machiri posteritas bellicosa adfuit. Rubenitæ, non venere, eoque à Debora increpantur: quidam putant dissidiis retentos, quod non apparet in textu: potius videtur dici, quod pastionibus intenti commune bonum neglexerint: deinde animis disceptabant de belli eventu, fide destituti. Galaaditæ, Danitæ, Aseritæ ejusdem insimulantur ignaviæ: laudantur extolluntur que Zabulonitæ & Nephthalitæ.

v. 21. Ad Cisonem prælium factum est, cujus undis plurimi hostium hausti sunt.

v. 23. Canit angelum Domini (hic est Dei filius, populi sui princeps) jubere ut incolis Meroz maledicatur, quia non adfuere ad bellum Domini. Judæi præeunte Jonathane illum angelum volunt fuisse Barac, cui prophetiam ideò attribuunt. Unde autem probabunt Barac fuisse prophetam?

v. 24. Heber Cinæus Jonathani appellatur שַׁלְמָאָה Salmæus. Ita Cinæi ipsi vocantur Salmæi cap. IV. 11. Ita & apud Onkelos Gen. XV. 21.

v. 26. Hujus versus principio addidit Jonathan ista: Bona Jaël uxor Heber Salmæi, quæ stabiliit, quod scriptum est in libro legis Mosis: (Deut. 22.5.) Non erit armatura *viri* (כלי גבר) super mulierem, nec ornabitur vir ornamentis mulieris. כלי גבר Chald. תקן זין. Hebræus: ולא ילבש גבר שמלת אשה; Chald. ולא יתקן גבר כתקוני אתא. Chaldæa paraphrasis videtur extendere mentem legis ad vestes non solas sed & omnia gestamina virorum: ideò Jonathan significat noluisse uti ense sed clavo confecisse Sisaram.

SUL·

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

Cap. XLII.

SUb hac duce vel judice, XL. annis Hebræi fuerunt. Rurfumque ob peccata Madianitis traditi duro imperio habebantur, afflictique malo fervitutis divinum auxilium imploraverunt. Ità femper in fecundis rebus immemores cœleftium beneficiorum idolis fupplicabant: in adverfis Deo. Unde cum reputare in animo foleo populum tot beneficiis Dei obligatum, tot cladibus cum peccaret coërcitum, expertumque & mifericordiam & feveritatem Dei, nequaquam emendatum: cum femper veniam erroris acciperet, femper peccaffe poſt veniam, cum jam inde ab initio toties in Dominum rebelles reprehendantur: magifque mirum eſt illis femper peccantibus, nunquam Dei, fiquando eum imploraverunt, defuiffe clementiam.

Drusius.

Annis XL.] Salmanticenfis, *Debbora judicavit quadraginta annis.* Quod hauftum ex Iud. 5. 31.

Duro Imperio Habebantur] per feptem annos Iud. 6. 1. Salmanticenfis, *captivitas Madian duravit feptem annos.* Seder Olam, *Tradidit eos in manum Madiam feptem annis.*

Ita Semper In Secundis, &c.] nam facilius feruntur adverfa, quam fecunda. Sic dico, Res profperæ oblivionem inducunt Dei: ut adverfæ recordationem.

Christum Ab His Non Esse Receptum] quid mirum à Judæis non effe receptum, qui à Chriftianis multis non recipiatur? Nam qui rejicit veritatem, rejicit Chriftum, qui eft ipfa veritas, quam figillum Dei vocant. Deus enim omnia fua obfignat veritate.

Cap. XLIII.

IGitur cum eis, ut fupra retulimus Madianitæ dominarentur converfi ad Dominum, mifericordiam folitam flagitantes impetraverunt. Erat in Hebræis Gedeon quidam nomine, vir juftus & carus Domino acceptufque huic Angelus de campo meſsis domum revertenti aftitit, Dominus, inquit, tecum potens in virtute. At ille

voce humili, non esse in se Dominum ingemiscebat, siquidem quod populum captivitas premeret: virtutumque Domini, qui eos de terrâ Ægypti eduxerat silens recordabatur. Tum Angelus: Vade, inquit, in hoc spiritu, quo locutus es, & populum de captivitate eripe. Ille verò abnuere se infractis suorum viribus, cum ipse minimus esset, tantum onus suscipere: perstare contra Angelus, ne dubitaret posse fieri quæ Dominus loquebatur. Perfecto igitur sacrificio dirutaque ara, quam Baalis idolo Madianitæ sacraverant, ad suos profectus, castra castris hostium contulit: sed Madianitis etiam gens Amalech se conjunxerat. Gedeon verò non amplius quam ad triginta & duo millia exercitum paraverat sed, priusquam confligeret, Deus ad eum locutus est, nimiam esse hanc multitudinem, quam in prælium vellet educere. Hebræos pro solita perfidiâ eventum pugnæ non Deo, sed virtuti suæ daturos. Itaque daret volentibus discedendi potestatem, quod ubi populo divulgatum, XX. & II. M. à castris recesserunt. Sed ex X. millibus, quæ resederant, admonitus à Domino non amplius quam trecentos tenuit: reliquos ab armis dimisit, ita media vigilia castra hostium ingressus, jussis omnibus tuba canere, magnum terrorem injecit: neque cuiquam resistendi animus fuit, turpi fugâ quo quisque potuit dilapsis. Sed occurrentibus omni ex parte Hebræis, passim fugientes cadunt. Reges Gedeon persecutus ultrà Iordanem comprehensos neci dedit. Ea pugna centum & XX. M. ex hostibus cæsa, XV. capta traduntur. Tunc consensu omnium Gedeoni, ut princeps populi esset, delatum. Quod ille aspernatus, communi jure cum civibus vivere quam præesse suis maluit. Depulsa igitur captivitate, quæ septem annos populum continuerat, pax per XL. annos fuit.

DRUSIUS.

GEDEON NOMINE] qui & Jerobaal Jud. 7. 1. filius Joas 6. 11. ex tribu Manasse ibid. 15. Cur Jerobaal nominatus sit, causa expressa Jud. 6. 32.

DE CAMPO MESSIS DOMUM REVERTENTI] ῥαβδίζων σῖτον ἐν ἅλωνι. Addit Josephus non ausum eum propter hostes propalam hoc in areâ facere.

POTENS IN VIRTUTE] ambiguum est: tam enim accipi potest de Deo, quam de Gedeone. De Deo videtur accepisse Augustinus referens, *potens in fortitudine:* quod noster dixit, *potens in virtute.* De Gedeone autem Hieron. qui vertit, *virorum fortissime:* & alius qui transtulit, *miles strenue.* Cæterum in septuaginta est ἰσχυρὸς δυνάμεων: in aliis, quos Sulpicius secutus est, δυνατὸς ἰσχύϊ, potens robore, sive, quod idem, virtute. Nam virtus etiam pro robore sunt suntur. Verba Sulpicii accommodari possunt ad Gedeonem, si adverbium subaudias vocandi, ut dicat, ô potens virtute. Idem sentiendum de Augustini declaramento seu interpretamento quod superius adduxi. In fonte גבור החיל quod non male redditur *miles fortissime.* Nam גבור miles: pro-

priè

priè robore valens. *In virtute* Græce diceretur ἐν δυνάμει. Sic κύριος δυνάμεων, *Dominus virtutum*. Locus est Jud. 12.

NON ESSE IN SE DOMINUM] id est, spiritum Domini, qui est spiritus fortitudinis & roboris, quo donatus fuit & Jephthe cum ad populi ducatum vocaretur. Cæterum in Ebræo legitur, *Est Dominus nobiscum?* quod pronuntiatione juvandum, ac si diceret, Estne Dominus nobiscum? Græci habent, εἰ ἔστι κύριος μεθ' ἡμῶν; si est Dominus nobiscum? q. d. minime. Vide sequentia.

VIRTUTUMQUE] id est, fortium factorum. Alibi δυνάμεις vocantur exercitus, ut in Evangelio, *virtutes cæli commovebuntur*.

FLENS] hoc de suo adjecit ex conjecturâ.

IN HOC SPIRITU] ἐν τῇ ἰσχύϊ σου, in virtute aut fortitudine tuâ.

CUM IPSE MINIMUS ESSET] Jud. 7. 15. καὶ ἐγώ εἰμι μικρότερος ἐν οἴκῳ πατρός μου. Ante quæ verba, ἰδοὺ ἡ χιλιάς μου ἠσθένησεν ἐν Μανασσῇ. Seorsim ab aliis vertunt אלפי ἡ χιλιάς μου: atque hinc eliciunt Gedeonem in sua tribu Chiliarchum fuisse.

QUAM BAALIS IDOLO MADIANITÆ SACRAVERANT] quærendum unde habeat. Nam ex textu non potest aliud colligi, quam hanc aram à civibus Gedeonis fuisse sacratam: quem propterea, quod eam destruxisset, ad necem quærebant. Historia refertur, Jud. 6. 30.

BAALIS] Jovis Syrii. Nam Baal Jupiter & Chocab Baal, Jupiter planeta. Sic Baalphegor Jupiter Phegorius. Beel idem: Beelzebul Jupiter stercoreus. Sic vocabant principem dæmoniorum ætate Christi.

GENS AMALECH] scribo Amalec, ab Amalec filio Eliphaz, quem ei Thamna concubina peperit, sic appellatus. Moses Gerundensis arbitratur ab Horæo quodam, Amalec nomine vocatos Amalecitas. Strabus autem scribit Amalec fuisse filium Ismaël, quem ita sentientem prolixè refellit Nicolaus de Lyra, docens fuisse filium Eliphaz primogeniti Esau. Vide Glossas ejus Exodi 17. Gens hæc inter Idumæas pugnacissima, Gabalitidem regionem & Petram urbem incolebat. Josephus Orig. Jud. lib. 3. cap. 2.

AD TRIGINTA ET DUO MILLIA] certum ex Jud. 7. 3. triginta duo millia fuisse. Quocirca male adjecit (ad) præpositionem, quæ hic circiter denotat, ut in illo Terentii, *quasi talenta ad quindecim coëgi*. Sic infra lib. 2. cap. 9. *Nam ferè ad LXX. erant*, cum historia narret LXX.

XX. & II. MILLIA] sic audacter emendavimus, prius erat in libris XX. *à castris recesserunt*. Res est non conjectura. Vide Jud. 7. 3.

MEDIA VIGILIA] Media vigilia incipiente, sive in principio ejus Jud. 7. 19. Josephus hic habet, *circa quartam vigiliam*, & ejus interpres Rufinus, circa primam. Mirum unde hæc varietas. De vigiliis vide quæ notavimus Observat. lib. 10. cap. 10. Quibus addo tres vigilias etiam à Macrobio statui his verbis: *Nox in tres vigilias distribuebatur, vigilia verò in quatuor horarum spatia*. Manahem Ricinensis vigiliam mediam appellat *custodiam secundam, qua media nocte*. Tertiam autem definit in qua homo fabulatur cum uxore sua. Videndus R. David & Psal. 63. 7. Cæterum vespertinæ & matutinæ vigiliæ mentio apud Paraphrasten Chaldæum.

TUBA] buccina. Sed confundi hæc scias.

NEQUE CUIQUAM] quidem codices, *neque unquam:* quod erratum typographicum esse puto.

REGES] reges Madian, Zebee & Salmana, Iud. 8. 13. Oreb & Zeb non reges erant sed Principes Madian.

XV.

XV. Capta Traduntur] imo remanſerunt 15. milla, qui poſt cæſa fuerunt.

Princeps] dux vel judex.

Quam Præesse Suis] imo præfuit eis annis XL. Iud. 8. 28. Ioſephus ad hoc eum coactum fuiſſe ſcribit hiſt. ant. lib. 5. cap. 8.

Schotanus.

De Quarta ſervitute Iſraëlitarum & liberatione ab ea per Gedeonem.

Judic. VI.

Sub Hac Duce Vel Iudice xl Annis] Iudex fuit ante liberationem per Barac, dux non fuit. Quot annis judicatum obtinuerit dici non poteſt, conſtat non judicaſſe totis illis quadraginta annis, quibus terra quievit: quamvis ea ſit vulgata & communis ſententia.

Obpeccata Madianitis] Cum quarto moribus ſe impiis traderent, à Madianitis puniuntur toto ſeptennio. Hi hoſtes ab oriente venere, ſedes habentes circa Ruben & Gad. Ioſephus: *Μαδιηνῖται παρακαλέσαντες Ἀμαληκίτας τε καὶ Ἄραβας στρατεύουσιν ἐπὶ τοὺς Ἰσραηλίτας.* Sociis Arabibus & Amalecitis intuliſſe bellum Iſraëlitis Madianitas. Quærit autem Salianus, qua fiducia, in Iſraëlitas ſe moverint illi populi? Vidiſſe exiſtimat quod luxu diffluerent & mollitie. Siſaræ cladem jam poſt vigeſimum annum in memoria non ita fuiſſe. Atqui dico, Scriptura duce, quadrageſimum poſt eam exactum fuiſſe annum. Credi pat eſt ingentem fuiſſe multitudinem armatorum, ut illæ gentes numero hominum abundabant. Iſraëlitas congredi auſos ingenti prælio (ut Ioſephus vult) vicere, vaſtatiſque frugibus prædam abegere. Id egiſſe toto ſeptennio. Madianitæ per æſtatem expeditiones faciebant, permittentes ut per hyemem Iſraëlitæ terram colerent. Scriptura videtur dicere, quod gentes iſtæ, quæ Nomadum & Scenitarum more vitam agebant, cum tentoriis camelisque pecore omnique familia, locuſtarum inſtar terram oppleverint. Gazam uſque depaſtis omnibus & direptis, quæ obvia erant, omni commeatu, & quicquid pecorum armentorumque erat. Iſraëlitæ ad montana confugere compulſi & campeſtri ſolo cedere, in ſpeluncis & ſubterraneis ædificiis excavatis, quicquid importare poterant, aſſervabant. Sic Iſraël ad extremam paupertatem & in ſummas anguſtias redactus eſt. Id enim genus hoſtium circa hyemem ſolo Iſraël excedens, ad æſtatem redibat, omnem anni proventum abſumpturum. Non intulere in urbes aut munitiones, quia in illis ſatis tutum refugium non erat: bello enim armiſque & multitudine inferiores portas hoſtibus claudere & munimenta opponere non audebant. Nullum igitur niſi in Deo præſidium relictum erat, quo confugerent. Clementia Dei ſe præbuit clamantibus. Nam præmiſit vatem: quem Iudæi rurſum Phinees fuiſſe volunt: Ioſephus verò prophetæ hujus miſſionem omiſit. Incertum eſt, quis ille propheta fuerit, ſed ideo hominem fuiſſe conſtat, quia propheta appellatur, quemadmodum angelus ille: de quo infrà, qui prophetæ ſuccedit homo non fuit, quia angelus Dei, non homo vocatur. Hic propheta ad coactum populum miſſus eſt (neſcio quo in loco congregatio convenerit) aut populum Dei nomine congregari juſſit. Hic populo Dei verbum enuntiat: Ego vos eduxi ex Ægypto & domo ſervitutis: liberavi vos à manu hoſtium omnis generis omnium, qui vos premebant: Expuli eos à facie veſtra dedique vobis terram

eorum.

eorum. Etiam præcepi: Ego Dominus, Deus vester, ne colite Deos Amorrhæorum, quorum terras incolitis. Sed vos non estis obsecuti voci meæ. Non refert scriptura quid evenerit aut populus, qui affectus fuerit, ad hujus prophetæ denuntiationem. Flevisse credas & obedientiam promisisse Deo, ac resipiscentiam à malo. Hinc angelus Domini venit seque stitit sub quercu Ioas. Augustinus putat prophetam & angelum fuisse eandem personam: Qu. 31. in lib. Judicum: *Cur non dicatur nomen hujus prophetæ, quod valde scripturis inusitatum est, latens causa est, non tamen nullam esse arbitror. Sed quia post verba, quibus exprobravit inobedientiam populi, sequitur scriptura dicens: Et venit angelus Domini & sedit sub quercu, quæ erat in Ephra: non absurdè intelligitur iste angelus significatus nomine viri, ut posteaquam hæc verba dixit, venerit ad quercum memoratam & ibi sederit. Nomine enim virorum solere appellari angelos, notum est: quamvis eum, qui esset angelus, appellatum esse prophetam non facile seu evidenter occurrat: eum sane, qui propheta esset, dictum angelum legimus. Sed si Angelorum dicta prophetica nota sunt, id est, quibus futura prænuntiaverunt, cur non possit angelus propheta nomine nuncupari? Veruntamen ut dixi, expressum & manifestum de hac re testimonium non occurrit.* Putavit igitur Augustinus aut potius conjecit Angelum illum qui vere esset angelus, prius prophetam dici. Sed (ut ipse recte observat & Lyranus) nunquam ita Scriptura locuta est. Alterum Augustiniani axiomatis membrum, quod legamus prophetam dici angelum, verum non est: sed Augustinus verum esse putavit, audacissima interpolatione LXX: interpretum (Iud. 2. 1.) Τάδε λέγει κύριος, seductus. Ralbag putat Angelum & prophetam sic esse eandem personam ut fuerit Phinees de quo arbitratur: quod aliquando longo tempore raptus fuerit à Deo & non apparuerit hominibus, ut filii loco ejus sacerdotio sint functi. Salvianus probat Serarii sententiam, qui putavit hunc Angelum esse Michaëlem, præsidem populi Israël, eundem scilicet, qui Mosi & Josue apparuit & in Bochim ad populum verba habuit. Est idem ille, sed ille non est angelus creatus. Improbat Salianus eos, qui filium Dei volunt fuisse: *Eum quidem sectarii quidam filium Dei fuisse putant, vel eo argumento, quod infrà, tam* יהוה *Adonai, quam Dominus appelletur. Verum hæc illi nomina hoc loco, tanquam Dei legato & illius personam sustinenti tribuuntur.* At, optime Saliane, nunquam nos cocedemus Legato Dei, ejus nomina & propria facta attribui: de quo alias dictum est. Gedeon fuit filius Joas, ut diximus; apud Josephum, ὁ Ἰάσου παῖς legendum Ἰωάσου. Joas ille erat tribus Manassitidis; Familia etiam exprimitur. In Hebræo est אבי העזרי / quod significat Pater Esdræorum, vel Abi-esdræus: utroque enim modo accipiunt interpretes, alii scilicet aliter. Rasi: *E filiis Abiezer filii Galaad filii Manasse.* Filius Galaad vocatur Jezer Num. 26. 29. R. Esaias: משפחת אבי עזר familiæ Aliesdræorum. Salianus è Græco & Latino, putat fuisse principem familiæ Esritarum eoque אבי esse appellativum. Id non potest applicari v. 24. & 34. ubi אביעזר significat familiam Esdræorum seu Abiesdræorum. Chaldæus tamen אבותי דעזרי; at v. 34. אנש אביעזר Angelus constituit se sub quercu arbore in Ophra, pertinente ad Joas patrem Gedeonis. In Hebræo וישב. Hic notat Kimchi: אינו ר״ל ישיבה כי אין נראים המלאכים בישיבה כי אם בעמידה כמו ומלאך יי׳ עומד והנה איש עומד לנגדו אלא ר״ל נתעכב וכלו *Non significat sessionem quia non apparent angeli in sessione sed in statione sicut:* (Zachar. 3. 5.) Et Angelus stabat & (Jos. 5. 13.) Ecce vir stabat coram eo, *sed significat, moratus est* &c. Invenit filium Joas Gedeonem occupatum triturando tritico. In Hebræo additum בגת. Rasi: בקורת בית הבד / *Tigno loci torcularis alii apud Torcular.* Judæi hic fingunt, ut Rasi & Kimchi notant:

 Patrem

Patrem fuiſſe occupatum excutiendo, filium cribrando; at filium patri dixiſſe: Abba, tu ſenex es, ſi venirent hoſtes non poſſes fugere, ito domum, ego excutiam. Id angelum ipſi in laudem propoſuiſſe: Tu ſtabiliiſti præceptum honoris, conveniens eſt ut redimantur filii mei per manus tuas è veſtigio. Et hac compellatione motum reſpexiſſe Gedeonem & vidiſſe angelum. Textus ſimpliciter dicit, Viſum eſſe ipſi Angelum, non memorat qua occaſione verſus illum locum converterit oculos. Erat Gedeon tritico excutiendo occupatus, quod furtim voluit comportare in ſpeluncam, antequam reſciſcerent Madianitæ. Joſephus Gedeonem fuiſſe dicit, *Μανασσήτιδος φυλῆς ἐν ὀλίγοις, non è multis hominem tribus Manaſſe. δράγματα σταχύων φερόμενος κρυφαίως εἰς τὴν ληνὸν ἔκοπτε· τοὺς γὰρ πολεμίους ἐδεδίει φανερῶς τοῦτο ποιεῖν ἐπὶ ἅλωος. Manipulos frugum clam in torcular comportatos flagellabat. Non enim auſus eſt propter hoſtem propalam hoc in area facere.* Rectè. At dicit ipſi φάντασμα adſtitiſſe, forma juvenili. Cur non dicit Angelum Dei adſtitiſſe? Nam φάντασμα etiam de Diabolicis præſtigiis dicitur & eo potiſſimum pertinet. Compellabat eum Angelus: Dominus tecum eſt potens virtute. Auguſtinus putat prædicatum ad Dominum pertinere non ad Gedeonem: ſed fallitur. Nam Angelus hoc argumentum ponit vocationis & obſequii. Joſephus prædicatum non expreſſit: *καὶ φήσαντος εὐδαίμονα καὶ φίλον τῷ θεῷ: Cum eum appellaſſet felicem & charum Deo.* Angelo reddit Gedeon (v. 13.) בִּי אֲדֹנָי. Græci, *ἐν ἐμοὶ κύριέ μου.* Latinus: *Obſecro mi domine.* קָמֵץ per Camets ſcriptum eſt vocabulum, extra פסוק & accentum, uti vocant magnum. Ad Deum videtur attollere vocem. Sequitur: *Si Dominus nobiſcum eſt, cur nos totum hoc apprehendit.* Hæc ita accepit Joſephus ac ſi τὸ זאת eſſet demonſtrativum ipſius illius facti & loci: *ὑποτυχὼν, τοῦτο γοῦν, ἔφη τεκμήριον τῆς εὐδαιμονίας αὐτοῦ μέγιστον· τῷ ληνῷ νῦν ἀντὶ ἅλωος χρήσασθαι. Excipiens*, Hoc ſcilicet, ait, felicitatis ab eo maximum indicium eſt, quod torculari *loco area cogar uti.* Joſephus non dicit *ἅλωνος* ſed *ἅλωος*: quod tamen aliàs infrequentius. Reliquam partem orationis omiſit Joſephus, quæ ita habet: Ubi ſunt illius miracula quæ patres nobis commemorarunt; dicendo: Nonne Dominus nos ex Ægypto eduxit. Sed nunc deſeruit nos Dominus & tradidit in manum Madianitarum. Ineptiunt item Judæi: *Paſcha erat. Heri veſperi faciebat me legere pater meus Hymnum, & audivi eum qua diceret de exitu Iſraël ex Ægypto. Nunc reliquit nos Dominus. Si fuerunt juſti patres noſtri fecit ipſis ſecundum meritum eorum; ſi fuerunt improbi, quemadmodum fecit ipſis mirabilia ſua ſic facit nobis. Ubi ſunt ejus mirabilia?* Poſt hæc verba *reſpexit ad eum Dominus* (ut habet textus v. 14.) Hic vult Raſi Dominum reſpexiſſe eum בעצמו / *per ſe.* Nota autem Joſephum eundem facere, duos, Dominum, qui hic & angelum qui ſupra: at Joſephus negligenter ſcripturam legit. Verba ad Dominum referuntur in v. 14. 15. 16. 17. 18. Rurſum Angelus producitur v. 20. 21. 21. Iterumque Dominus v. 23. Quod fuerint diſtinctæ perſonæ, res accuratè inſpecta docere videtur. I. Gedeon agnoſcebat Dominum ſe proponere ipſi ut Dominum, voluit igitur ſigno quodam ſuper hoc confirmari, v. 17. II. Dominus cum ipſo loquitur, cum jam diſceſſiſſet angelus v. 23. III. Angelum vidit humana ſpecie, Dominum non vidit. v. enim 23. dicit ſe mortem metuere, quod Angelum vidiſſet, non prætexit mortis metum, quod Dominum (qui angelo recedente loquebatur) vidiſſet. Dominus igitur per imaginationem ut videtur, locutus eſt, angelus ſub forma hominis. Nemo tamen mortem metuit, qui ψιλὸν angelum vidiſſet, hic igitur duæ perſonæ SS. Trinitatis apparuerunt pater & Filius: interpretes tamen eandem perſonam fuiſſe volunt. *Ito,* dicebat Dominus, *in hac virtute*

tute tua, liberabis Israel è manu Madianitarum. *En ego misi te.* θαρσεῖν δὲ (Iosephi verba) παρακελευσαμένου καὶ πειρᾶσθαι τὴν ἐλευθερίαν ἀνασώζειν, ἀδυνάτως ἔχειν ἔλεγε. *Cum autem eum jussisset bono animo esse, & conari ut reduceret libertatem, dicebat se non posse.* Kimchi : *Dicebat Deus benedictus : Per vitam tuam sic est ad modum patroni* (למדת סניגוריא) *pro filiis meis sufficiens es, quia loquar tecum evestigio. Et respexit ad eum Dominus & dixit, Vade in virtute tua hac, in virtute meriti qua est ad modum patroni pro filiis meis. Vere hoc Dras est, quod dedit ratio mora angeli & quod dicatur, respexit eum.* Hoc Dras est R. Thanchumæ ut notat Rasi: Kimchi τὸ respicere Domini interpretatur de induere virtute animi corporisque ut idem sit quod de Jephthe dicitur: Spiritus Domini fuit super Jephthe. LXX. rursus malè, ubi in Hebræo יהוה est, posuerunt Ἄγγελος κυρίου v. 14. & 16. Quis hæc & similia defendat?

v. 15. Excipit ad hæc verba Domini Gedeon: בִּי אֲדֹנָי, *In me Domine vel obsecro Domine:* (Chaldæus בבעו יי). Quo liberabo Israël? En mille meum pauperrimum est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei. In Chiliadas distributæ erant tribus, ut in familias & domos patrum: sed distributio per chiliadas ad militiam potissimum attinebat & judicia: ideo Chiliadis non familiæ meminit. Apparet ex hac oratione quod Gedeon, nec Chiliarchus nec præfectus alterius generis fuerit, quicquid alii dicant. Nec hæc verba attribuenda sunt μειώσει, ut vult Salianus. Quamvis pater ejus habuerit lucum & aram non tamen inde confici potest eum fuisse familiæ seu gentis principem. Opulentus esse poterat licet non præfectus familiæ. Ralbag ex eo quia dicit Chilias mea, putat Chiliarchum fuisse, quasi non sit eorum qui subsunt. Kimchi: שבית אבי נמנה בו Ionathan confundit זרעית id est, משפחה familiam sive gentem cum Chiliade.

v. 16. Dominus regerit: Quia ero tecum Madianitas cædes ut virum unum. Nugatur Ralbag, Angelum loqui בשם שולחו *in nomine mittentis.* Non satisfaciens sibi tamen garrit quæ alibi discutientur. De Jonathane Kimchi: ולדעתו אמר גדעון זה כנגד הק״בה לא כנגד המלאך כי עדיין לא היה יודע שהוא מלאך *Secundum opinionem ejus dicit hoc Gedeon tanquam coram Deo benedicto non tanquam coram angelo, quia nondum sciebat quod esset angelus.*

v. 17. Gedeon ad Deum: *Si gratiam* inveni in oculis tuis, facias mihi signum, quod tu *loquaris mecum.* Hæc accipiunt interpretes, quod petat ostendi signo, virum hunc Dei nomine loqui & ab eo missum esse. Sed hæc interpretatio non videtur assurgere ad sublimitatem & vim verborum. Videtur enim dicere, ostende, quod tu sis ille, quem præ te fers, nempe, quod sis ipse Deus, cujus præsidio & missu tantam rem exsequi possim, liberationem populi mei ab hostibus.

v. 18. Hic versus tamen videtur significare, quod Deum non habuerit in mente, quia cibum offert. Solebant enim veteres hospitibus mensam mox offerre liberali manu. Nobis videtur, quod ad Deum & angelum simul locutus fuerit eodem scilicet orationis ductu: quia simul aderant. Petens enim à Deo signum mox se convertit ad angelum visibili forma præsentem, interim dum Deus aliquod signum ostenderet. Josephus, qui ad phantasma retulit v. 16. & 17. refert ad Deum: quasi non plane idem dicat finis v. 14. & principium disertè etiam ibi Dominum non exprimeret. Dicit angelo: Ne quæso hinc discedas, donec redeam ad te & producam munus meum & collocavero ante te. Quia de מנחה (munere) loquitur, sacrificium somniarunt οἱ ό: (quod in vulgata Latina retentum est) καὶ ἐξοίσω τὴν θυσίαν καὶ θύσω ἐνώπιόν σου. Annuit ipsi angelus: *Morabor donec redieris.*

Gedeon domum ſuam ingreſſus paravit hædum caprarum & de farinæ Epha azymos panes. Quia azymos panes paravit, exiſtimant Judæi Paſcha fuiſſe. Carnem poſuit in caniſtro, jus carnium immiſit in ollam: quæ extulit ad eum ſub quercu & juxta appoſuit. Tum ex præcepto Angeli, Carnem paneſque ſaxo, quod in proximo erat, impoſuit & jus affudit. Angelus autem protenta extremitate baculi, quem geſtabat, tetigit carnem & panes: mox ignis è ſaxo erumpens carnem paneſque abſumit, abitque ab eo Angelus. Ralbag: *Ecce fuit ſignum hoc, quod quando Angelus Domini extenderet extremitatem baculi, quem in manu habebat tangeretque carnem & azyma, exierit ignis è rupe: & hoc ſimile eſt prodigio, quod dedit Elias in monte Carmel. Et ecce opera hujus prophetæ ſimilia ex parte operibus Eliæ, & hoc ex eo, ut confirmaretur dictum, quod dicit Phinees eſſe Eliam.*

v. 22. Animadvertit Gedeon aagelum Dei eſſe & expavit: Ah Domine, Deus: Vidi angelum Domini facie ad faciem. Jacob dicebat (Gen. 32. 30.) Vidi Deum & evaſit anima mea. Hic Ralbag: הורה שזה ענין נפלא שתנצל נפש הרואה המציות הרוחני: *Docêt, quod res ſit admirabilis, evadere animam, quæ viderit ſubſtantiam ſpiritualem.* At ô Judæe ſubſtantia ſpiritualis videri non poteſt, nec angeli ſed Dei viſio familiarior formidabilis erat, quia homo abſorberi ſolet à gloria, niſi Deus conſervet: deinde irreverens acceſſus puniri conſuevit pœna præſenti. Trementem timentemque conſolatur Deus: Pax tibi, noli metuere, non morieris. Hac conſolatione erectus, Domino aram ſtatuit quam appellat, Dominus eſt pax. De ea ara dicit ſcriptor libri quod ſua adhuc tempeſtate exſtiterit Ephræ Abieſdræorum. Poſt hanc apparitionem vocationemque primam ſequente nocte ad eum Dominus (per quietem ſcilicet) loquitur: Tolle taurum. In Hebræo eſt, פר השור אשר לאביך / taurum è bubulo grege patris tui. Ralbag: *Videtur, quod ſenſus dicti* (פר השור אשר לאביך) *ſit, quod patri fuerit bos magnus & operam dederint ſeparare taurum (juvencum) quem genuerat bos ille primò ad idololatriam à partu & utero & conceptu, ut eſſet ſpecioſus & magnus ſicut bos, qui eum genuerat: & eſſet ſanctificatus idolis à die ortus ſui. Et ſic ſepararunt etiam juvencum ſecundum quem genuerat bos ille. Et ecce fuerunt ſeparati ſeptem annis. Et hoc docet, quia illud idolum fuit à tempore principii ſervitutis. Nam ſeptem annis fuerant ſub poteſtate Madian, quando hoc evenit. Et erat patri ejus ara* &c. Præcepit ei Deus ut ſumeret taurum de armento nempe taurum ſecundum ſeptennem. Non videntur duo tauri fuiſſe ſed unus ſeptennis. Nam unus tantum immolatus eſt. Jubet Deus ut deſtruat aram patriam Baal & exſcindat lucum apud eam. Porrò præcipit ut ſtatuat aram Domino, Deo ſuo. Locum in quo ſtruere debebat על ראש המעוז הזה / *ſuper vertice hujus munimenti.* Putant interpretes eandem eſſe aram, de qua ſupra dictum erat in v. 24. quaſi ille verſus per anticipationem poſitus fuerit. In ea ara jubet immolari taurum ſecundum in holocauſtum lignis è luco exciſo.

Gedeon (v. 27.) prompto obſequio, aſſumptis decem ſervorum, præceptum Dei exſecutus eſt. Noctu tamen rem peregit, quia metuebat domum patris & incolas oppidi. Die ſequenti (mane) cum aram Baal everſam, lucum exciſum, taurum ſecundum immolatum eſſe in ara recenter exſtructa viderent oppidani: Cumque poſt diligentem inquiſitionem cognitum eſſet Gedeonem filium Joas autorem facti eſſe, poſcitur ad ſupplicium. Hic ſe opponit pater, & palam edicit omnibus, qui adſtabant: Contendetis ne pro Baal: eumque liberabitis? Qui pro eo contendere voluerit, hoc mane trucidabitur. Si Deus eſt ſeipſum ulciſcatur, quia ejus ara deſtructa eſt. Ex hoc reſponſo & even-

& eventu Gedeon cognomentum Jerubbaal accepit. Ex his sane videtur apparere, quod inter primos ejus oppidi aut præfectus fuerit.

Hac ipsa tempestate Madianitæ & Amalecitæ & orientales coacti Jordanem trajecerunt confœderuntque in valle Jesreel: tum Spiritus Domini apprehendit Gedeonem, quem prius jam ostenderat per excisionem aræ & luci Baal. Classicum cecinit cornu, confluxere Abiesdræi, è qua gente erat; missis nuntiis concivit Manasse, Aser, Nephthali & Zabulon. Manassitæ convenerunt antequam se moveret, in occursum venere Aseræi Nephthalitæ & Zabulonitæ. Gedeon etiam signum à Deo petiit in confirmationem verbi Dominici, quod Israëlem per eum liberaturus esset: sive hoc signum pro se sive pro populo petierit. Signum hoc proposuit: Vellus lanæ in area deponendum, ut in id solum ros proxima nocte decideret solo areæ universæ sicco. Hoc ita factum est. Nam vellus expressum concham rore implevit. Iterum eblanditus à Domino signum est: Ne accendatur ira tua, ut hac vice solummodo loquar. Experiar inverso modo: Vellus siccum sit, area irrigetur. Id etiam ita factum est. Kimchi solicitus pro Gedeone, dicit eum non tentasse Dominum, cujus potentiam sciret, sed voluisse scire an ipse dignus seu conveniens esset huic signo: רצה לנסות אם הוא ראוי לנס גדול כזה. Confirmari in fide promissionis Dei. Origenes dicit, in primo signo significatum fuisse, quod solus Israël prius irrigandus esset Divino eloquio, in altero quod deinde omnes gentes excepto Israël. Hæc se habere è libello cujusdam prædecessorum suorum. Ideo prophetico spiritu Gedeonem secundum signum inverso ordine petiisse. *Sciebat enim*, inquit, *rorem divinum, qui est adventus filii Dei, non solum Iudais, sed postmodum etiam gentibus esse venturum: quoniam quidem ex incredulitate Israël salus sit gentibus.* Omnia hæc omisit Josephus à v. 15. ad finem capitis.

Judic. Cap. VII.

Copiæ, quas collegit Gedeon, è quatuor tribubus supra memoratis, excreverant in numerum triginta duorum millium. Cum iis mane summo progressus Jesraël, prope hostium castra, interposito colle quem More incolæ vocabant, castra posuit ad fontem Harod. Ad septentrionem habebant castra Madianitarum. Hic Dominus, qui sibi solidam victoriæ gloriam esse voluit, ad Gedeonem: Nimiam multitudinem esse, quam ut ea hostes superandi sint; ne suæ fortitudini victoriam attribuant. Hunc igitur in modum copias imminuit. Primò jubet Deus proclamari in castris: Qui formidolosus & timidus est revertatur, maturetque abitum in montana Galaad. Ita abiere viginti duo millia. Galaad trans Jordanem erat, ubi tutus receptus esse poterat & illic in proximo erant, pressuri terga fugientium, aut fugientibus occursuri. Secundo Dominus, qui dicebat in decem residuis millibus nimium esse, alio modo copias imminuit. Duc eos, inquit, ad aquas, illic probabo. De quo dixero tibi, ut tecum vadat ipse pergat, quem ire prohibuero revertatur. Qui cum biberent è profluente; linguis, instar canum lambitarant è manibus, trecentos viros Dominus sumi jussit, cæteros qui in genua lapsi hauserant, in castris relinquit. Nam utriusque ordinis seorsim collocati sunt, deinde Dominus quid fieri vellet significavit. Non sunt dimissi domum sed ad sua tentoria. Non debuerunt castra hostium expugnare sed fusos fugientesque persequi & occidere. Josephus in hunc modum narrat: Gedeonem oraculo monitum rem communicasse cum quibusdam juvenibus, qui cum illi crederent, mox adfuisse decem millium exercitum, ad certamen paratum. Deum per quietem mo-

nuisse quod humanum genus (αὐτοφίλαυτον) sui ipsius amans, virtute eminentes odio habeat. Ideò ob multitudinem hanc turbam, præterito Deo (παρέντας τοῦ θεοῦ δοκεῖν) sibi victoriam attributuros. Ut igitur sui auxilii opus esse intelligant, consulere, ut medii diei æstu (περὶ μεσοῦσαν τὴν ἡμέραν, ἐν ἀκμῇ τοῦ καύματος ὄντος) duceret exercitum ad flumen. Eos qui procumbentes in genua, biberent ore è flumine, ut fortes animososque existimaret esse; qui autem festinanter & cum metu biberent id facere ob metum hostium. Trecentos igitur inventos esse, qui formidinem ostendissent eo modo: cum his hostium castra aggredi jussisse. Vides eum præterire primam imminutionem, deinde attexere suas conjecturas, quas nescio quomodo conciliare cum textu possit. Quod Josephus interpretatur de formidine, id aliter accipit Ralbag & hic de secundo ordine, inversa est illius interpretatio. Favet Gersonidæ, quod in priori dimissione Deus formidolosos jusserit dimitti. Deus rem suo numine moderatus est, ut novem millia & septingenti similiter facerent, aliter soli trecenti. Cum post collem consideret exercitus Israël, in montibus, subjectam vallem late diffusi hostes impleverant. Dimissis in tentoria sua reliquis solos trecentos apud se Gedeon in procinctu retinuit. Per noctem Deus castra hostium eum adoriri voluit. Solicito autem ut fiduciam daret, metumque omnem eximeret, præcipit, ut puero suo Pura comitatus, castra adeat speculaturus quid illic rerum agatur. Erant autem illic per vallem diffusæ copiæ hostium ut agmen locustarum & camelorum numerus ut arenæ. Josephus dicit Deum in suo alloquio addidisse: παρ᾽ αὐτῶν γὰρ ἐκείνων λήψεσθαι φρόνημα καὶ θάρσος. Accedit igitur ad ultimas excubias: ubi in proximo tentorio invenit insomnes: & quendam commilitoni narrantem insomnium, ita ut à Gedeone quoque exaudiri posset. Insomnium tale erat: Visus erat sibi videre subcinericeum panem ex hordeo (μᾶζαν κριθίνην Jos.) volvi & in castra Madianitarum descendere & impellere ad tentorium: quod subversum collapsumque sit. In Hebræo est האהל & constanter tanquam de uno tentorio. Josephus ita intellexit quasi singularis numeri vocabulum collective sumi oporteret. Primò regis tentorium, mox cæterorum omnium prostravisse. Non erat rex unus earum gentium, at significatur, meo judicio, quod somnium fuerit de uno tentorio, in quo duo illi contubernales simul commorabantur. Commilito autem somnium hoc interpretabatur: Hoc nihil est aliud quam gladius Gedeonis, filii Joas, viri Israëlitæ: Deus Madianitas totumque hunc exercitum in manum ejus tradidit. Iste conjector non addebat unde ita conjecerit, sed Josephus voluit condire narrationem. λέγων ὄψιν τοῦτ᾽ αὐτοῦ συνιδεῖν ἐπῆλθε· πᾶν τὸ σπέρμα τὸ καλούμενον κρίθινον, εὐτελέστατον ὁμολογεῖσθαι τυγχάνειν· τῆς δ᾽ Ἀσιανῆς πάντες τὸ Ἰσραηλιτῶν ἐστιν ἰδεῖν νῦν ἀτιμότερον γεγενημένον, ὅμοιον δὲ τῷ κατὰ κριθὴν γένει. Καὶ τὸ παρὰ τοῖς Ἰσραηλίταις νῦν μεγαλοφρονοῦν, τοῦτ᾽ ἂν εἴη Γεδεὼν καὶ τὸ σὺν αὐτῷ στρατιωτικόν. Ἐπεὶ οὖν τὴν μᾶζαν φῂς ἰδεῖν τὰς σκηνὰς ἡμῶν ἀνατρέπουσαν, δέδια μὴ ὁ θεὸς Γεδεῶνι τὴν καθ᾽ ἡμῶν νίκην ἐπινένευκε. *Narrans unde hoc ipsi conjicere fuerit: Omne semen hordeaceum vilissimum esse omnium consensu: Asiatici generis autem nunc Israëlitas vilissimos esse factos & similes hordeo. Deinde magnanimitatem inter Israëlitas esse Gedeonem & ejus militem. Quia igitur, dicis te vidisse mazam hordeaceam tentoria nostra subvertere, metuo ne Deus Gedeoni victoriam adversus nos annuerit.* Sic Josephus è conjectura hominem loqui putavit: at ut somnium fuit verè θεήλατον, ita & interpretatio ex spiritus Dei extraordinario impulsu. Quæ etiam impiis evenisse & evenire extra controversiam est. Judæi volunt ex merito Paschalium manipulorum datam esse victoriam & id significari, Rasi: הוא זכות העמר הקרב בפסח Gedeon eo audito,

to, spe & fiducia plenus, venerabundus procubuit. Tum festinanter ad suos reversus, Parati estote (inquit) Dominus castra Madianitarum vobis tradidit. Illos de quibus diximus, trecentos viros in tres centurias dividit: Unusquisque militum præter viaticum gestabat cornu & vacuas urnas & lampadas in urnis. Præcipit autem ubi ad extremum terminum castrorum esset perventum ut facerent aliarum centuriarum milites, quemadmodum se suamque turmam facientes observarent. Cum igitur castris hostium late diffusis tres illæ cohortes tribus locis adsisterent & quantum possent extendi circumfudissent se cœperunt cornibus canere, quæ gestabant dexteris, collisasque confringere urnas & faces sinistris præferre. Simul vociferantur: *Gladius Domini & Gedeonis.* Principium erat mediæ vigiliæ, cum hoc modo pugnare inciperet Gedeon cum suis. In Hebræo: ראש האשמורת התיכונה additur: אך הקם הקימו את השומרים *Cum tantum constituendo constituti essent custodes.* Rasi notat illos vigiles, qui secunda vigilia excubituri essent, & modò constitutos fuisse. *Quod ita mos sit* בני גייסות *eorum, qui in castris agunt, statuere vigiles. Illi excubant prima noctis vigilia* (שליש) *& illi secunda & illi postrema.* Josephus malè dicit irruisse ὁρμήσας μετὰ τῶν λαμπάδων καὶ νικᾶν θεοῦ βοηθήσαντος, id est impetum fecisse, cum facibus & vicisse Deo juvante. Solo cantu strepituq; vicere. Deus enim immisit simul cum illo cantu seu militari clamore panicum terrorem quibusdam, quo se in præcipitem fugam trepidi clamantesque conjiciunt, aliis dissidium, quo in mutua vulnera cædesque ruunt: ita totis castris fuga & cœdes erat. Effusi igitur sunt fuga Bethsetam usque Seredath: usque fines Abelmeula supra Tabbath. Non tantum plures (ut Josephus dicit) interfecti mutuis gladiis, quam ab hostibus sed nulli interfecti ante fugam ab Israëlitis. Non bene etiam dissidium imputat sermonum diversitati, quia Deus dicitur divisisse & vertisse in mutuas cædes cum primo initio editi clamoris & vociferationis Israëlitarum.

Hostibus fugientibus, convocati Israëlitæ per nuntios ex Aser Naphthali & toto Manasse: qui à tergo insequerentur. Hi prompti parent. Etiam missi nuntii in montes Efraimitis convocandis (rumore convocatos omnes & hos & superiores putat Josephus contra expressam scripturam) ut interciperent aquas & Jordanem. Ephraimitæ prompti adfuere: intercepere aquas usque ad Bethabaram & Jordanem. Ne possent navibus per lacus duos Samachonitin & Genesar', aut amnem Jordanem trajicere. Capti sunt duo principes Madianitarum Oreb & Zeb: quorum primum jugularunt in petra Oreb, alterum in torculari: locis illis ab eventu nomen factum est. Josephus: διώξαντες λαμβάνουσι τοὺς πολεμίους ἐν κοίλῳ τινὶ χαράδραις περιειλημμένῳ, καὶ δυνηθέντας διαπερᾶναι, χωρίῳ. *Persecuti deprehendunt hostes in cava, torrentibus circumdata, cum trajicere nequirent, regione.* Id non est ex mente textus: David Kimchi: Et præceperunt illis aquas] *Ne possent transire, non fuerunt aquæ illæ, aquæ Iordanis, sed aquæ aliæ in via eorum usque Bethbara, quoniam post hæc dicit: Et Iordanem.* Rasi: Aquas] *quæ disterminant inter Syriam & terram Cananaa.* Et Jordanem] *Nam & hic disterminat.*

JUDIC. CAP. VIII.

INterea Gedeon Jordanem trajecerat persequendo hostium alterum agmen, quod majus erat. Illuc ad eum perveniunt Efraimitæ (vel eorum legati) deferentes capita duorum principum, quos occiderant. Expostulant acriter cum Gedeone, quod ad primum egressum in hostes, ipsos non vocasset. Eos mollibus verbis per summam modestiam compescuit: Enimverò eorum egregiam

giam operam & gloriam sua longè præcellere sua facta. Quemadmodum Efraim racemationem esse meliorem quam vindemiam Abiezer. Illos cepisse duos duces Madianitarum, cum nihil tale à se editum esset. His dictis acquievere. Josephus narrat bellum in Gedeonem cogitasse, eum autem per modestiam respondisse, se non proprio consilio sed Dei jussu rem aggressum esse: *οὐκ αὐτὸς ἔλεγεν αὐτοκράτορι χρησάμενος λογισμῷ τοῖς ἐχθροῖς ἐπιθέσθαι χωρὶς αὐτῶν ἀλλὰ τοῦ θεοῦ κελεύσαντος, τὴν δὲ νίκην οὐχ ἧττον αὐτῶν ἔφασκεν ἰδίαν ἢ τῶν ἰσραηλιτῶν εἶναι.* Gedeonem ita prævenisse bellum intestinum majoremque hac re gloriam, quam hostibus victis consecutum esse at Ephraimitas hujus impotentiæ posteà dedisse pœnas.

Gedeon Jordanem transierat cum trecentis illis, quamvis fessus languensque. Petiit igitur ab incolis Sochoth commeatum, aliquot tortas panum (ככרות לחם) quo sui comites reficerentur: quia irent ad persequendum Zebee & Salmuna reges Madianitarum. Responsum est à magistratu oppidi: Nonne in manu tua sunt illi, ut tuis copiis præbeamus commeatum? Indigne hoc responsum ferens Gedeon minatus est, se nactum victoriam contriturum carnes eorum cum spinis deserti & tribulis. Simili responso proximè oppidum Phanuel commeatum denegavit: quibus minatus est se turrim illic loci dejecturum esse, reducem ab cæsis hostibus.

Reliquiæ exercitus Madianitarum, ad numerum quindecim millium (tot enim supererant de centum & viginti millibus armatorum quæ in valle Jesraël consederant) cum ducibus Zebee & Salmuna in Carcos sedebant hostium securi. At Gedeon per regionem Scenitarum profectus ad ortum Nobe & Jogbeha, ex improviso castra hostium adortus, cepit, profligavit, cæsis fugatisque tot millibus. Zebee & Salmuna fugientes cepere. Nobe & Jogbeha fuere urbes Israël, quas ut monet Rasi, noluit transire: sed obliquis tortuosisque tramitibus, ut improvisus ad castra hostium perveniret. Scenitæ vocantur Hebræis השכני באהלים. Thargum משרית ערבאי דשרן בשכונין במדברא *Turmarum Arabum, qui commorantur in tentoriis in deserto.* Rasi: קדר וערב השוכנים במדבר באהלים שרועים מקנה תמיד ואין דרים בבתים. *Cedar & Arabia tabernacula habitantium in deserto, in tentoriis, qui pascunt plus jugiter & non habitant in ædibus.* Josephus de Sochot & Phanuel nihil, & multa alia præterit. Quindecim hostium millia auget tribus: duces hostium appellat *Ζεβὴν καὶ Ζαρβάνην.* In eo prælio cecidisse Madianitarum & Arabum centum & viginti millia quasi supra centum millia Arabum illis decem & octo millibus accesserint. Negligens ea lectio Scripturæ est, quæ toti bello universisque copiis eum numerum attribuit.

Gedeon victor, sub vesperam, ante occasum solis, ad Sochoth reversus puerum capit ex oppido, à quo percunctatus est principum nomina & seniorum, qui fuere septem & septuaginta. Ingressusque oppidum ostendit eis duces hostium, de quibus ipsi arroganter & contumeliose respondeant. Seniores oppidi (forte & reliquos principes) puniit spinis tribulisque. Minæ v. 7. ita in Hebræo sonant: ודשתי את בשרכם את קוצי המדבר ואת הברקנים. Thargum reddit: ואדישא ית בסריכון על כובי מדברא ועל ברקניא *Et triturabo* carnem vestram super spinis deserti & tribulis. Kimchi; *Videtur ex verbis ejus, quod sensus sit se projecturum eos super spinas nudos & calcaturum pedibus suis super eos. Et videtur, quod Succhoth fuerit locus spinarum, sicut* (Job. 40. 26.) An replebis ejus cutem spinis (שכות) *cujus expositio* קוצים. *Ideo dicit quod eos percussurus sit spinis.* Turrim Phanuelis egregiam (ut videtur) firmamque dejecit, & oppidanos (viros) interemit.

Hine

Hinc (cum Ephram veniſſet ut vult Joſephus) ſupplicium ſumpſit de duobus illis ducibus. Nam quærebat ex illis, quo habitu fuiſſent viri illi, quos in Tabor occiderant, reſponſumque eſt, fuiſſe ſpecie illi adſimiles, tanquam regum filios. Tum ipſe: Profectò fuere fratres mei uterini. Si illis parſum à vobis fuiſſet, ego nunc vitæ veſtræ parcerem. Simul præcipit Jether filio primo genito, Surge, confode. At ille juventą timidus non potuit id facere. Duces illi animoſe excipiebant: Tu ſurge macta nos: nam ut vir eſt, ita viri eſt virtus. Surgens igitur utrumque ferro confodit: deinde lunulas in collis camelorum diripit. Ob hanc victoriam qua jugum exuerant, obtulere illi Dominatum Iſraëlitæ & quidem hæreditarium. At Gedeon, Non dominabor, ait, vobis nec filius meus, ſed Dominus: at unum peto: Unam date mihi ſinguli nezem è ſpoliis. Eas de auro geſtabant hoſtes, quia Iſmaëlitæ erant. Expanſæ igitur veſti injiciunt ſinguli nezem. Pondus eorum ornamentorum erat ſiclorum auri, mille & ſeptingentorum, præter lunulas & monilia & veſtes purpureas, quibus reges Madianitæ uti ſolebant: & præter torques aureas camelorum (LXX: περιθέματα ἐν τοῖς τραχήλοις τῶν καμήλων. Hebr. ענקות) Ingentem prædam cepere, & magnam vim auri, quia eæ gentes aurea ferme geſtabant inſignia & purpuream veſtem principes. Textus (verſus eſt 26.) tantum nezamim ab Gedeone poſtulatas proponit juxta pondus, at ſpecies prædæ inanimæ de cætero recenſet. Joſephus prædam fuiſſe magnam dicit, auri, argenti, textilium, camelorum. Hoc verum ſed fallitur quando putat Gedeonem tenuiſſe dominatum quamvis coactum. Γεδεὼν δὲ τὴν ἀρχὴν ἀποθέσθαι βουλόμενος βιασθεὶς ἔσχεν αὐτὴν ἐπ' ἔτη τεσσαράκοντα, βραβεύων αὐτοῖς τὰ δίκαια καὶ περὶ τῶν διαφορῶν ἐπ' αὐτὸν βαδιζόντων· κυρίαν πάντα ἦν τὰ αὐτοῦ πλειστόμενα. Judicavit populum ſed dominatum quem obtulerant Iſraëlitæ & ipſe ſpreverat, nunquam habuit. Inter judicare & regnare latum hiat diſcrimen.

Cæterum Gedeon è manubiis, id eſt, illis nezamin confecit Ephod, id eſt amiculum, quod ſtatuit in memoriam rei geſtæ in Ophra (Ephra) urbe patria. Non puto, quod Lyranus & multi tenent, voluiſſe Gedeonem ſacerdotalia ornamenta ſibi facere, in quibus Deo in ædibus ſuis ſacrificaret: ſed Ephod hic generalius ſumi pro veſte ejus generis quæ ſacra non erat. Id autem ab obitu ejus materia fuit Idololatriæ. Nempe Gedeoni ejuſque domui in laqueum ut loquitur textus, quo ſcilicet Iſraëlitas irretitos in peccatum præcipites dedere. Quievit terra quadraginta annis, in diebus Gedeon. Ipſe è multis uxoribus genuit ſeptuaginta filios: è pellice autem, quæ erat in Sichem, (cui, ſi Joſepho fides, nomen fuit Druma) genuit filium, cui nomen Abimelech. Mortuus conditus eſt in monumento patrio Ephræ: hinc Iſraëlitæ iterum à Deo averſi Baalim coluere: ſtatueruntque Baalberith in Deum: nec habuere gratam beneficiorum Gedeonis memoriam.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

Cap. XLIV.

SEd defuncto Gedeoni, filius ejus Abimelech, ex concubina ortus, fratribus interemptis, pessimis quibusque consentientibus, & maximè Sichimorum principibus operam ei navantibus, regnum occupavit. Isque discordiis civilibus exercitus, cum suos bello premeret turrim quandam, in quam se amisso oppido fugientes receperant, expugnare aggressus, dum incautius subit, saxo à muliere ictus periit, cum triennio imperium tenuisset. Huic successit Thola, qui duobus & XX. annis regno potitus est. Post hunc Iair fuit, qui cum æquè viginti & duos annos principatum obtinuisset, populus, relicto Domino, idolis se mancipavit. Obque id Israëlitæ subacti sunt ab Allophylis & Ammonitis, duoque de XX. annis sub eorum imperio fuerunt. Quo tempore eis, Dominum invocantibus, divinum scilicet responsum redditum est: Simulacra potius invocarent, se non ultrà misericordiam ingratis præstiturum. At illi flentes culpam fateri, & precari veniam, abjectisque Idolis Deum implorantes, negatam licet misericordiam impetraverunt.

Drusius.

FRATRIBUS INTEREMPTIS] Excepto Jotham minimo natu interemit fratres LXX.

SICHIMORUM] est cur malim *Sicimorum*, quod Græcè scribitur τῶν σικίμων. Nam τὰ σίκιμα dicimus. Quanquam in scripturâ Ebraica Sechem sive Sichem, prima correpta. Sichem, Sicima, ut Chermel, Carmelus.

AMISSO OPIDO] Thebes. Jud. 9. 53.

DUOBUS ET VIGINTI ANNIS] Sic Eusebius. Nam in Græca editione εἴκοσι τρία ἔτη: Et in Ebræo *tribus & viginti.*

THOLA] Θωλὰ filius Phua filii patrui ejus, id est, πατραδέλφου αὐτοῦ, vel certè *filii Dodonis*, ut sit proprium viri nomen. Priorum interpretationem amplexi sunt LXX. & Hieron. Utraque autem invenitur in Chaldæorum Thargumim, variantibus libris.

JAIR] Galaadites, ὁ γαλααδίτης, pro quo novè lectum in editione Græcâ ὁ γαλααδ. Forte mendum est librariorum.

IDOLIS]

IDOLIS] Diis Syriæ, Sidonis, Moab, filiorum Ammon & Phylisthæorum: item Baalibus & Astartis Jud. 10. 6.

ALLOPHYLIS] Alienigenis, hoc est, Phylisthæis notatum alibi, nisi fallor. Ammonitis filiis Ammon. Ab his diversi videntur fuisse Ammonitæ, qui עמנים vocantur. Qua de re dicam alias.

SCHOTANUS.

JUDIC. CAP. IX.

ABIMELECH] Defuncto Gedeone populus ad idola relapsus est & præterea oblitus fuit benefactorum ejus. Concubinæ filius legitimis attulit perniciem universæ familiæ. Nam dominandi cupidus, patre defuncto, ad familiam maternam se confert Sicimis habitantem: quæ oppidanorum animos, tanquam in sui generis hominem coacta concione, flexit. Melius enim esse ut, pareant uni, civi suo, quam septuaginta dominis, sanguinis alieni. Ut ei tyrannidem pararent, septuaginta siclos ex æde Baal-berith sumptos porrigunt: quibus conduxit viles nefariosque homines. His comitatus irrupit ædes paternas, raptosque fratres septuaginta trucidavit in saxo. Solus Jotham minimus latuit & parricidæ manus effugit. Sichemienses igitur coacti & tota domus Mello, Abimelech regem faciunt, apud altam quercum, quæ juxta Sichem stabat. Lyranus: *In Hebræo habetur, juxta ulmum statuæ, quæ erat in Sichem. Ibi enim erat quadam statua pro idololatria & ibi constitutus est ipse rex.* Forte eadem quercus erat, de qua Josue 24. 26. Heb. אלון מצב Rasi: Planities, in qua fuerunt statuæ. Sic Thargum: מישר קמתא. Jotham cum illi denuntiatum esset quid ageretur, conscenso vertice Garizim, elata voce proclamat: Audite me cives Sichem & audiet vos Deus. Ibant arbores ut ungerent regem super se. Dicebant oleæ, regna super nos: quæ, respondet: Possumne relinquere pinguedinem meam, quam in me Deus hominesque laudant, ut inter arbores promovear? Eunt igitur ad ficum, quæ Deseramne, ait, dulcedinem meam bonumque fructum ut inter arbores promovear? Itum igitur ad vitem. Sed ea renuit. Desereremne, ait, mustum, quod Deum hominesque lætificat, ut arboribus imperem? Tandem, cum omnino regem vellent habere itum est ad rhamnum (אטד) Qui, Si (באמת) recte, ait me in regem poscitis ungitisque, concedite sub umbram meam: Sin autem prodeat ignis è rhamno, consumatque cedros Libani. Nunc igitur si rectè justeque egistis, Abimelech regem constituendo: & si ut decet, fecistis domui Jerubbaal (Novistis patrem vitæ discrimine paravisse libertatem, vos autem universam ejus sobolem trucidastis & Abimelech vobis tyrannum constituistis) si recte & ex æquo egistis cum domo Jerubbaal, gaudete invicem, ille de vobis, vos de illo. Sin autem impie factum, exeat ignis de Abimelech qui devoret cives Sichem & domum Mello: exeatque ignis è civibus Sichem & domo Mello, qui Abimelech absumat. Hunc apologum, has diras Josephus dictas esse putat, postquam jam tyrannidem possideret Abimelech tempore festi publici (δημοτελῦς σκίμεις ὔσης ἑορτῆς) in quo plebs universa convenerat. In apologo invertit ordinem arborum postulatarum: באמת accipit pro animo sincero: cui oppositum: εἰ δ᾽ ὄλεθρον ἐπ᾽ αὐτῷ φρονῶσιν. Addit rhamnus: ὑπὸ τοῦ ἐνόντος πυρὸς διαφθαρεῖν. Quod ficus, olea, vitis Deo etiam dicantur prodesse & laudari id referunt ad sacra Judæi: forte sufficit dicere esse ὑπερβολῶ.

Hæc elocutus Jotham proripuit se fuga & triennio toto metu Abimelech

Baer incoluit. Nam triennio Abimelech regnavit in Israël. Hinc Deus spiritum dissidii inter cives Sichem & Abimelech spargit: quo acti Sichemienses & alienati à tyranno, qui alibi degebat, aut aliò profectus erat. Insidias igitur ponunt in montium cacuminibus adversus Abimelech, quæ spoliabant transeuntes. Id emanavit ad Abimelech, qui sibi cavet. Accessit aliud flabellum: Gaal filius Ebed, cum fratribus in Sichem concessit: quo duce fisi audentius agunt. Egressi urbe vindemiam faciunt uvas calcant, carmina de more cantillant. Ingressi in ædem idoli, epulantesque & vino madidi, libero nunc ore convitia jactant in Abimelech. Gaal enim: Cur Abimelech ait serviemus: Filius est Ierubbaal, ejusque præfectus (פקידו) Zebul. In Hebræo sequitur עברו את אנשי חמור אבי שכם. *Servite viris Hemor patris Sichem.* Id est: Non convenit servire Abimelecho, potius serviamus posteris Hemor, qui hanc urbem condidit. Forte de stirpe illa, quidam supererant jam proselyti. Si non placuit ut serviamus nobilissimæ generis & conditorum prosapiæ, qui servire possumus Abimelecho, filio Ierubbaal? Metum etiam ab Abimelech ut demeret, Si, ait, hic populus sub manu mea esset, Abimelech removerem (urbis præfecturam affectabat) Verba ultima v. 29. sic accipio, ut sint jactantis quasi ad Abimelech: *Copias auge & exi:* q. d. Quantascunque potes copias para, par ero & profligabo. Fortis igitur inter pocula erat. Hæc jam erat aperta rebellio: cui tota urbs præter præfectum cum suis adhæsit. Zebul enim quamvis videatur palam rebellioni consensisse, clam tamen favebat tyranno, domino suo: ille igitur verbis Gaal intellectis clam misit ad Abimelech, qui totam rem indicarent, monerentque per tenebras noctis cum copiis ad urbem accedere; quas teneret in insidiis, ut cum lucis exortu urbem aggrederetur. Abimelech monitis paret, locatis insidiis per loca quatuor circum urbem. Gaal forte mane domo egressus constitit ad fores portæ: quo tempore Abimelechi copiæ ex insidiis consurgunt. Quibus visis per creperam lucem inquit ad Zebul, multitudinem hominum video è cacuminib. montium pergentem. At Zebul, umbras montium homines esse putas. Post paululum Gaal iterum: En turbam venientem è medio terræ, aliamque via quercus Meonenim. Jam res dissimulari non poterat. Zebul igitur, Ubi nunc arrogantia tua & verba, quæ jactabas? Hic Abimelech est quem contempsisti: Egredere, præliare. Egressus igitur cum suis, videntibus civibus Sichemiensibus, manum conseruit cum Abimelech. Victus, cum magna strage pellitur ad urbis portas. Hoc adverso casu in contemptum invidiamque lapsum urbe expellunt. Abimelech cum copiis constiterat Arumæ in conspectu urbis. Postero die opidum egrediebantur ad opera rustica, quasi jam Abimelecho satisfactum esset expulso Gaal. Id cum nuntiatum esset se parat ad insidias. Insidiarum hic ordo videtur fuisse è v. 43. 44. Cum parte una ipse prope portas se abdidit: duas reliquas partes in campo ulterius locavit. Cum igitur oppidani portis egressi præteriissent locum, quem insederat tyrannus, consurgit, adoritur, turbat hostem. Insistensque tergis fugientium versus portam, pene cum ultimis irrupit: qui exterius se recipiebant, illis duæ partes aliæ hostium occurrunt, & à tergo ac fronte clausos instar pecudum mactant. Quidam (ut Abulensis, & Serarius) ad pugnam exiisse putant: quos sequitur Salianus. Oppidum hac clade perculsum oppugnat toto die & expugnat. Quicquid deprehendi potuit, promiscua cæde ira tyranni sustulit. Urbem eversam dirutamque excidit, salemque solo inspersit.

Dum in urbe exscindenda tyrannus occupatur, incolæ arcis (turrim πύργον, מגדל vocant interpretes) adversa porta effusi confugiunt in munimentum Bethel Berith. Ita verba v. 46. explicari possent, sed interpretes aliter, & melius.

Nam

Nam dicuntur auditu percepisse, tanquam absentes & remoti בעלי מגדל שכם/ domini turris Sichem] Ralbag: *Hi fuerunt magnates urbis, qui illic eo tempore non erant, ideò iverunt (אל צריח בית אל בברית) ad munitionem domus Dei in Berith. Significat, quod caverint sibi à manu Abimelech: nomen loci hujus* בית אל *Bethel domus Dei:* צריח *autem est turris firma, qua erat apud Bethel. Ideo non sunt illic mortui nisi viri turris Sichem, quia hi soli fuerunt in munitione.* David Kimchi: *Domini turris Sichem non fuerunt in urbe, quando eam cepit Abimelech. Cumque id audirent, iverunt ad munitionem Bethel; ut illic tuti essent,* מגדל *ut* צריח *&c. Nomen loci, in quo hoc munimentum erat* ביתאל ברית *mens Ionathanis quod* צריח בית אל/ *& expositio* ברית *quod venerint ad eos ut cum illis percuterent fœdus, id est, ut habet Ionathan* למיגזר קיים. Rasi צריח exponit יער, locum cinctum arboribus, quarum rami inter se implexi contortique. Fuisse sacrum idolo, cujus nomen בעל ברית. Sic sentiunt optimi interpretes idoli ædem fuisse munitam firmatamque. LXX. nomen loci faciunt *Βαιθηλβερὶθ* cum Chaldæo. Cum id rescivisset Abimelech confert se cum suis in montem Salmon, & capiens manu securim, cædit ramum, quem humeris imponit: præcipit autem ut omnes similiter facerent. Comportatam igitur ramorum struem ad munimentum (qua munimentum (ut Josephus dicit) circumdederunt) subjecto igni incendunt: qua flamma munitio conflagrat cum eis, qui se eo receperant, hominibus ad mille, viris mulieribusque. Josephus paulo aliter rem narrat. Nam primo putat, quod dirarum dictarum seu festi tempus huic bello & excidio Sichemensium vicinum fuerit *μεθ' ὃ πολὺ δὲ τῆς ἑορτῆς*. Dicit tamen Jotham latuisse in montibus metuentem triennio Abimelechum. Quæ sunt *ἀσύμφωνα*. Pro באורה videtur כהר/ ut negligens erat nec textum solebat consulere memoriæ fidens, in animo habuisse. Pulsum fuisse dicit à Sichemitis Abimelechum: quod non potest cum textu conciliari. Insidiatum esse Sichemitis, qui posteà regiis tetenderint insidias cum Sichemitæ tantum sint insidiati donec à Zebul vocatus tyrannus accederet ad urbem. Per insidias urbem cepisse, cum vi expugnauerit. Adeo memoria lapsus illas insidias cum capta urbe conjungit. Absumptorum in munimento (*πύργον* vocat) numerum virorum scribit fuisse mille & quingentorum præter turbam aliam ingentem, *πλῆθος ἄλλο ἱκανόν*. Clade Sichemensium territos Israëlitas, sibi à tyranno metuisse.

At Abimelech vim primam convertit in Thebes, (Ralbag: *Videtur* quod viri Thebes etiam *rebellaverint*) qua obsessa expugnataque cives se recipiunt in munitam turrim quæ in medio oppido erat. E tecto turris acriter repugnabant obsessi, cumque urgeret Abimelech, comportata materia ad januam, quam incendere parabat, mulier fragmine lapidis molaris dejecto in caput tyranni, cranium ejus rupit. Ille sentiens se lethali vulnere ictum esse, armigerum hortatur, ut se gladio confoderet, ne mulieris manu occubuisse diceretur. Quam operam cum ei ille non negaret, habuit tyrannus exitum se dignum, quo secundum diras Jotham luit parricidium postquam Sichemitas adjutores sceleris punisset. Fragmen illud quo percussus est, Hebræus textus vocat פלח רכב; Jonathan פלגות רכב ריחיא: LXX. *κλάσμα ἐπιμύλιον*: Josephus *θραῦσμα μύλης*. Notant Rabbini fuisse fragmen è superiori lapide molari, qui insidet & quasi inequitat inferiori: quod eliciunt è voce רכב. Cæso Abimelech, vim abstinent oppugnatores, & quilibet ad sua dilabitur. Sic bello finis fuit.

Judic. Cap. X.

Thola] filius Pua, nepos Dodo, è tribu Issachar. Filius Dodo, בן דודו LXX. *υἱὸς πατραδέλφου αὐτοῦ*. Audi discursum Petr. Martyris: *Ambigua*, ait, *ea vox est & obscura. Nam & proprium nomen & appellativum esse potest. Si nomen proprium est, ut Chaldæus paraphrastes putat, dicendum est Tholam patrem habuisse Puam & illum fuisse cujusdam Dodonis filium. Alii vero arbitrantur nomen appellativum esse ac significare patruum, addito pronomine affixo tertiæ personæ. Et quidem volunt eo pronomine referri Abimelechum, quasi notetur Puam fuisse patruum Abimelechi: quam sententiam nonnulli ex Hebræis amplectuntur. Quin & Latinus interpres, ut eam sententiam exprimeret & ne subesset obscuritas nomen Abimelechi adjecit. Quomodo autem patruus Abimelechi esse potuerit, atque ita frater Gideonis cum sit ex alia tribu videtur mirum, quod tribus inter sese non fuerint commixta. Quidam respondent fieri potuisse ut fratres uterini fuerint, quamvis non ex eodem patre. Mulieres quippe non hæreditariæ sæpe nupserunt in alias tribus: hæreditariæ verò non item ne agri & hæreditates confunderentur. Unde facile fuit, ut vel mortuo marito vel ab eo repudiata, in alia tribu rursus nupserit. Atque hoc pacto Gedeon & Pua erunt fratres, quamvis ex diversis tribubus oriundi. Filias autem non hæreditarias potuisse in diversa tribu nubere, variis exemplis confirmatur. Saul alioqui Benjamita, filiam elocat David, qui fuit ex tribu Iehuda. Iehojada sacerdos ex tribu Levi, duxit filiam regis Ioram ex tribu Iehuda, ut habetur 22. cap. posterioris Paralipomenon. Aharon Levita duxit Elisaba filiam Aminadab ex tribu Iehuda. Sunt itaque duæ opiniones, una eorum, qui existimant Dodo esse nomen proprium, altera est dicentium appellativum esse. Tertia opinio est illud affixum,* Ejus *reddendum esse* Suum: *ita ut iste Thola eundem habuerit patrem & patruum, quod ordinaria ratione minimè licebat, in usu tamen erat cum quispiam moreretur absque liberis. Nam tunc ejus uxorem frater ducebat: unde, is qui nascebatur duos habebat patres, nempe illum ex quo prognatus esset & alterum demortuum, cujus nomen gerebat & in cujus hæreditatem transmittebatur. Non displicet hæc sententia: nam pulchrè ostendit, quomodo quis potuerit esse filius patrui sui* &c. Nobis verò illa sententia admodum displicet. Cæterum P. Martyr ex Augustini quæstionibus ea hausit & Lyrano: qui recte dixit Hebræos nomen proprium facere. Salianus Hebraizantes & sectarios odio Latinæ editionis id amplecti dicit. Seduxit autem ipsum Serarius, quod putant Chaldæum Latinæ editioni consonare. Habitavit iste Thola in Samir, in monte Efraim. Non tantum judex fuit sed & *σωτὴρ*, quem Deus excitavit liberando populo quamvis non referatur, à qua gente & servitute Hebræos liberaverit. Hic erat divinitus excitatus liberator & Judex sub illa optima forma reip. at Abimelech tyrannus fuit, qui libertatem injuste oppressit occupata dominatione. Hunc judicem præteriit Josephus, quem ita judicat P. Martyr: *Nec mirum quia ille author permulta solet præterire atque nonnulla interdum mutare.* Clemens Alexandrinus appellat Bolean, filium Bedan, filii Charran & Efraimitam. Nam ejus verba sunt. *Διαδέχεται τοῦτον Βωλαὰς υἱὸς Βηδὰν, υἱοῦ χαῤῥὰν, ἐκ φυλῆς Ἐφραΐμ, ἄρξας ἔτη τρία πρὸς τοῖς εἴκοσι.* Unde ea hauserit Clemens nescio: constat tamen inter *σωτῆρας* fuisse Bedan & quidem interjecto tempore inter Gedeonem & Jephtham, 1. Sam. 12. 11. Malè huic judici regnum (ut solet) attribuit Sulpicius. Cum annis viginti tribus præfuisset, obiit sepultusque est in Samir. Male Sulpicius illi viginti duos annos adscribit.

Jair] Hic Galaadita, duobus & viginti annis judicio præfuit cum dicatur surrexisse, indicium habemus, quod & hunc Deus liberationi alicui Divinitus exci-

excitaverit. Triginta filios habuisse traditur, quorum singuli suum incoluere oppidum: hæc oppida dicta חות יאיר / villas Jair: quo nomine usque ad scriptoris libri Judicum ætatem appellata fuerunt. Inequitabant עירים triginta. LXX. tricenarum numerum in triplici subjecto mutarunt in triginta duo, Josephus cum Hebræo consentit. Mirum quomodo ἐπαύλεις Ἰαΐρ villas Jair dictas dicat ab hoc Jair, cum villæ Jair filii Manassis sexaginta memorentur Num. 32.41. Kimchi: *Si hæ sint memorata in lege & sic Iair sit ille Iair filius Manassis: id mirum. Nam si ita vixit Iair ultra trecentos annos: at possumus dicere, quod iste Iair Galaadita non sit Iair filius Manassis, & urbes illæ si ita, non sunt villæ Iair scripta in lege.* Hic triginta oppida illic sexaginta: & potuit appellationis duplex ratio esse ita ut renovata fuerit in hoc posteriori Jair. Oppida illa dicuntur עירים: id significat teste Rasi, oppida sine muris. Idem Kimchi notat splendorem & opes hujus judicis significari, in filiis & facultatibus. Unusquisque filiorum villam habebat & equitabat in עיר / in pullo asinæ. Est autem עיר (ut Kimchi dicit) asinus juvenis &c. Putat etiam sic dictos esse mulos qui ex equo nati sunt & asina. Electis igitur equitasse mulis sive pullis asinæ. Josephus interpretatur ἱππεῦσιν ἀγαθοῖς; quod alienum. Mortuum Jair condiderunt monumento in Camone Galadenæ.

Allophylis & Ammonitis v. 6. Addiderunt filii Israël facere malum in oculis Domini. Crediderim si non Ammonitæ cœperint dominari vivente Jair, saltem eo vivente prævaricatos esse Israëlitas & provocasse Dominum. Peccatum fuit idololatria. Coluerunt enim deos gentium, Baalim & Astharoth, deos Syriæ, Sidonis, Moab, Ammonitarum, Palæstinorum relicto Domino. Josephus: πάντα δὲ τὰ τῶν ἑβραίων εἰς ἀκοσμίαν καὶ ὕβριν τῶν νόμων ἐφέρετο. Dei igitur ira vendidit eos Palæstinis (Sulpicius semper Allophylos deinceps vocat) & Ammonitis: qui eos presserunt & conculcarunt primo anno similiterque totis octodecim annis. Scriptura tamen Ammonitas præcipuè autores facit afflictionis. Hi primo afflixere tribus transjordanenses, maxime eos qui Amorrhæorum terram inhabitabant in Galaad. Deinde progressi ultra Jordanem vexant Judæos, Benjamitas & Ephraimitas. Hinc in arctum redacti Dei opem inclamant. Nam agnoscebant se viribus & armis esse impares: confessio hæc erat (in publico sine dubio conventu) In te peccavimus, quia Deum nostrum reliquimus & coluimus Baalim. Quibus primò aversum se ostentabat Dominus: Ejus verba (per prophetam ut arbitror) Nonne vos ab Ægyptiis, Amorrhæis, Ammonitis, Palæstinis, Sidoniis, Amalecitis, Maonitis, prementibus, cum ad me clamaretis, liberavi? Sic tamen me dereliquistis coluistisque deos alienos. Non iterum liberabo vos. Ite ad deos, quos coluistis; hi vos liberent tempore angustiæ. Deum ita aversantem ferventius aggressi, Non tantum serio confitentur peccata: Peccavimus, fac nobis, quod placet; tantum libera hac tempore: sed idola abjiciunt & Dei cultum instaurant. Tum verò Deus quasi indoluit de labore Israëlitarum. Josephus: ὁ δὲ θεὸς μεταβαλλόμενος εἰς τὸ ἡμερώτερον, ἔμελλεν αὐτοῖς βοηθεῖν.

Ammonitæ copiis coactis in Galadena consederunt, Israëlitarum exercitus in Maspha. Exercitus numero hominum & animis ac armis instructus idoneo duce destituebatur. Hunc solicite quærebant proceres Galaad eique, qui imperium capessere sustineret destinabant præfecturam supremam Galadenæ. Alii verba textus אשר יחל להלחם בבני עמון sic accipiunt ut non quærant ducem, sed eum decernant hoc honore decorare, qui primus in hostem sese intulisset: quasi virtutem experiri voluerint.

SUL-

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI PRIMI.
CAP. XLV.

IGitur Iepta duce ad libertatem armis vindicandam frequentes conveniunt, missis prius ad Amon regem legatis, ut finibus suis contentus bello abstineret. At ille prælium non abnuens, aciem instruxit. Tum Iepta, priusquam signum pugnæ daretur vovisse dicitur, si prosperè pugnasset, eum qui sibi primus revertenti obvius fuisset hostiam Deo dandum. Ita victis hostibus, cum domum rediret, filia ei obviam fit, quæ patrem exceptura victorem cum tympanis & choris læta processerat. Tum Iepta consternatus, dolore conscissis vestibus, indicat filiæ voti necessitatem. At illa non fœminea constantia, mori non recusans, duos tantum tamen menses, vitæ spatium petit, ut æquales suas prius videret. Quibus actis, ultrò ad patrem rediit, votumque Domino reddidit. Iepta principatnm sex annis tenuit. Huic Esebon successit, & tranquillis rebus exacto imperio anno septimo decessit. Postque illum Allon Zabulonites annis X. itemque Abdon annis octo rerum potiti, pacis tempore nihil quod historia loqueretur ediderunt.

DRUSIUS.

IEPTA DUCE] Scriptura hæc à scribis est, non à Sulpitio, qui sine dubio Jephta vel Jepthaë scripsit, ita poscente prisca consuetudine.

AD AMMON REGEM] veritas historiæ postulat, *ad Regem filiorum Ammon.* Sic est etiam in Lxx. consentientibus libris Ebræis & Latinis, πρὸς βασιλέα υἱῶν Αμμών, Jud. 11. 12.

HOSTIAM DEO DANDUM] veritas Ebraica, *erit Domino & offeram illud in holocaustum.* Sensus est, consecrabitur Domino, aut offeram illud, nempe si hujusmodi erit, ut offerri possit per legem. Lxx. Καὶ ἔςαι τῷ κυρίῳ, ἀνοίσω αὐτὸν ὁλοκαύτωμα. Omiserunt copulantem, quæ hic disjungendi vim habet. Cæterum hostiam inter & holocautoma discrimen est. Nam holocautoma totum comburebatur: unde nomen accepit. Dicitur & holocaustum. Hostiæ partem sacerdotes edebant. Sed latius hic sumitur hostiæ vocabulum, vel certè pro holocausto posuit καταχρηστικῶς.

FILIA] quam unicam habebat, & per consequens charissimam. Quo gravior erat patri ejus sive mors sive perpetua virginitas. Scitum illud, *Qui liberis caret pro mortuo habetur.*

NON

NON FOEMINEA] id est, virili.

UT ÆQUALES SUAS VIDERET] ut plangeret virginitatem una cum æqualibus. Hinc elicimus votum virginitatis, quod Deo vovetur, olim in usu fuisse.

ESEBON] in fonte Ebræo Ebsan, quod nunc legunt Ibsan, ut Josephus olim Absan, Abson, ut Nimrod, Nemrod, Namrod. Sæpe ita variabant in legendo antiqui. Posset etiam scribi Ebson cum O in fine, Ebsan & Ebson, ut Abiram & Abirom. Quin eò labor ut credam aliquando scriptum fuisse Ebeson. Nam Esebon notissimum nomen est, quod propterea cum alio minus noto, ut fieri solet permutatum, errore non tam interpretum, quam librariorum: ita mihi videtur.

ALLON] veritas lectionis Ailon. Nam sic est in codicibus Græcis Ἀιλὼν, quod nunc legunt ex Ebræo Elon. Hunc Eusebius in Chronico prætermisit eo loco ubi catalogum judicum recenset. In ipso autem Chronico ait, *post Esebon in libro Ebræorum fertur Adon rexisse populum annis 16. qui non habetur apud LXX. interpretes.* Mirari libet. Nam in edit. Romana Jud. 12. 11. αἰλὼμ legitur, in quo mendum quale in Edem & Madiam. Reperio & αἰλὼμ. Ex αἰλὼν factum Ajalon, quod in Hieron. Ailon, Elon: ut Ailam, Elam. Sic Aingaddi & Engaddi: Ain-regel & En-rogel. Notavi alias.

ABDON] filius Hellel Pharathonites, perperam Elel in nostra vulgata. Græcè melius ἰλλὴλ, quod tamen aspirandum ut sit ἱλλὴλ Hellel.

SCHOTANUS.

JEPTA DUCE] Jephthe Galaadita, vir bello bonus sed בן אשה זונה. LXX. υἱὸς γυναικὸς πόρνης. Id est, mulieris meretricis. Hic Ralbag: *Ecce memorat, & sensus in eo, quod Iephthe fuerit filius mulieris meretricis: & sensus in eo, quod fuerit filius mulieris, quæ erat è tribu alia: & quoniam non ducta est ab uno filiorum tribus suæ, vocat eam* (זונה) *meretricem. Quoniam* (נטתה) *deflexisset: eò quod oporteret nubere uni de familia sua: ut ne hæreditas transiret è tribu in tribum. Et ecce duxit Galaad mulierem aliam è tribu sua, ex qua illi fuerunt filii. Hi autem causarunt per Seniores Galaad, ut non hæreditaret Galaad cum illis in domo patris sui. Et hæc erat iniquitas, quia justum erat ut hæreditatem cum illis caperet.* Kimchi: *Filius concubinæ* (פילגש) *Galaad fuit & vocata est meretrix, quia ipsa non est cum marito* (בכתובה וקדושים) *cum literis matrimonialibus & sponsalibus. Et hæc tanquam meretrix quamvis ipsi unita sit. Et Ionathan reddidit* פנדקיתא (πανδοκεύτρια) *sicut etiam Rahab* (הזונה) *pandoceutriam: aut hic sensus est per se,* (proprius) *quia meretrix tanquam pandoceutria, quæ publicat seipsam. At in Thargum thosiphtha: Fuit olim lex in Israël, ut non converterent possessionem de tribu in tribum: propterea non potuit vir ducere uxorem, quæ non esset è tribu & quando fuit mulier, quam diligebat vir, quæ non erat è tribu, exibat domo illius, sine possessione: Et vocabant eam homines pandoceutriam, quam diligebat vir, qui non erat è tribu illius. Et sic fuit de matre Iephthe. Et verosimile est, quod necesse habuerint totum hoc interpretari, quoniam Scriptura dicit:* (v. 2.) Non hæreditabis in domo patris nostri, quia filius mulieris alterius es. *Et sic Thargum:* ארי בר איתתא משבטא אחורי ארת. Quia filius mulieris ex alia tribu es. *At secundum expositionem nostram erit sensus:* Non hæreditabis, quia es filius concubinæ *& hoc est,* filius mulieris alterius. *Hoc sensu dixerunt ei quod non hæreditaturus esset cum ipsis. Et quod non secundum jus expulerint eum: quia filius concubinæ hæreditat, sicut dixerunt magistri b.m. Cui est filius, omni modo, filius ejus est ad omnem rem, præter eum qui est illi ex ancilla aut aliena. Dicunt autem* (לכל דבר) *ad omnem*

rem :למאי הלכתא לירשו וליטמא לו. *Et sic dicit ipsis Iephthe*: Et expulistis me è domo patris mei; *q.d. Fecistis mihi non è jure.*

Nodosum est quod dicatur filius mulieris meretricis & tamen videatur expostulare tanquam per injuriam expulsus esset è domo patris. Cum filius meretricis nullo jure hæreditatem capere posset. Sed filius meretricis fuit at potuit immitius esse habitus, cum aliquid benignitatis ut fratri præstandum esset. Nam זונה benignius interpretari non possumus. Interdictum in lege spurio, ingredi in concionem Deut. 23. 2. Martyr: *At cur nolebat Deus, ut spurius veniret in concionem? Non quod ipse vir deterior, si rectè vixisset: sed ut populus nosset Deum scortationem detestari. Nec aliud erat in concionem non ingredi, quam ad fungendum officio vel civili vel sacro inhabilem reddi. Quamvis alioqui patrem habuisset vel sacerdotem vel principem. Proinde spuriis non licuit vel tribunatum vel præturam vel præfecturam vel sacerdotium gerere. Cur ergo nunc præficit Deus populo suo spurium hominem? Quia non sibi, verum hominibus legem præscripsit. Alia causa est, ne qui sic nati essent statim idcirco animos desponderent. Deinde ut non cogitent se non suo vitio, sed patris, exclusos esse. Sed ut redeamus ad Ieptam; non potuisset domo à fratribus ejici, nisi fuisset ex scorto natus. Alioqui concubina erat uxor legitima & filii Iacobi è concubinis orti manserunt cum cæteris fratribus & una cum illis hæredes fuerunt. Sed Abraham inquies, ejecit Ismaëlem. Id factum est ante legem & singulari Dei voluntate ut solida & integra hæreditas ad Isacum perveniret. Alioqui jure ordinario apud Hebræos concubinarum filii non prorsus ab omni hæreditate excludebantur.*

Fratres Jephthen omni hæreditate expulerant, nec ei quicquam reliquerant, unde vitam tueretur. *Fieri etiam potest* (inquit iterum Martyr) *ut ea res in judicium venerit, & judices, ut legitimis fratribus gratificarentur, non solum paterna bona abjudicaverint, sed etiam è civitate ejecerint, id porro mihi videtur admodum probabile. Nam cum Galaaditæ venissent ad eum & obtulissent ei imperium, ille respondet*: Nonne vos me expulistis e civitate? *Hæc verba declarant severius actum fuisse cum Iephthe, quam lex præciperet.* Non enim lex jubebat spurium exulare. Memoria decepit virum doctissimum, Non habetur (v. 7.) *è civitate*, sed è domo patris meæ. Vim passus est, quia fugit. In terram Tob se contulit, Huc advirum armis promptum coiërunt (אנשים ריקים) *viri vacui.* Thargum, גברין סריקין; LXX. ἄνδρες κενοί; Lat. *viri inopes & latrocinantes.* Sub ejus ductu ex hostico prædas agebant, unde sibi nomen fortitudinis & nobilium facinorum comparabat Jephthe. Ralbag: Et quoniam indicabatur senioribus Galaad, quod Jephthe prospere ageret in bellis suis, venerunt ad eum & dixerunt ei: Esto nobis (לקצין) in principem (LXX. εἰς ἀρχηγὸν) ut bellemus contra Ammonitas. Jephthe aut ante bellum Ammoniticum aut sub eo à fratribus expulsus, populatum exibat in Ammonitas. Unde sæpius conflixit & fortia fecit. Circumspicientes igitur, idoneum magis neminem reperire potuerunt, qui præesset bello. Quam contumeliose expulerant, in favorem fratrum, tam honorifice reducere cupiunt. Jephthe autem: Vos me expulistis è domo patris mei, nunc tempore difficili revocatis. Respondent seniores Galaad: Ideo ad te reversi sumus, ut nobiscum eas & bellum contra Ammon geras. Si hoc feceris, nobis in caput eris & omnibus Galaaditis. Hac pollicitatione invitant: qua & ille inductus, quærit, An id seriò loquantur? Si reductus copiis imperet & bellum ineat, & Deo dante victoriam obtineat, habiturum esse principatum? Illi id Deo teste invocato confirmant. Martyr: *Animadversione dignum est, Galaaditas non vocare Iephthen regem sed tantum ducem seu imperatorem. Quare non sunt accusandi ut Sichemitæ* &c. Iterum: *Expedire judicarunt, ut unus esset, qui res suas administraret & prius inter sese decreverant, ut audivimus eum fore ducem,*

ducem, qui primus pugnasset in hostes, sive autem illud judicio suo & civili ratione, sive oraculo fecerint, historia non commemorat. Factum autem seu conditio, quam Gileaditæ constituerant ab Iepta impleta est: nam cum paucis militibus impetum fecerat in hostes. Videntes itaque se facto teneri, veniunt ad Ieptam &c. Docet idem vir eruditus postulationem Jeptæ non esse ambitum, quia non quæsivit magistratum, largitione, fraude, corruptione ac pravis artibus. *At quum quis videt se ad illum vocari & posse reip. prodesse ac intelligit se posse adipisci magistratum honesta interposita conditione, non est dicendus ambitiose facere.* Disputat etiam quomodo licuerit vel illis dare principatum Jephthæ vel illi capere cum esset Mamzer. Quia id lex vetabat. Respondet primò, intelligi posse, quod oraculo fuerint admoniti: & Deum authorem legis voluisse eam hoc tempore in Jephtha imminui. *Intelligere possumus*, inquit, *illos oraculo admonitos, ut eum deligerent principem, qui primus invaluisset in hostem.* Deinde ne quidem peccasse, si oraculum tale nullum fuerit. Nam necessitatem validioris legis pro eo tempore eam legem removisse. Sic enim legem legi cedere, cum eodem tempore observari non possunt. *Ita* (inquit) *nunc quoad Iepta videtur esse actum, ut cum duæ leges urgerent, una defendendæ urbis ab alienigenis; alia vero ne spurius fieret magistratus, lex ea servanda fuit, quæ ad salutem civitatis erat potior.* Nos observamus, quod Deus dicatur misisse Jephthe, atque adeò non fuisse electionem humanam sed Divinam. Coacti sunt urgente necessitate eum assumere quem Divinitus donata virtus monstrabat: nec sine Dei nutu aut oraculo potius res gesta est. Nam & profectus cum proceribus Galaad & à populo in ducem constitutus, omnia verba sua locutus est coram Deo in Maspha. v. 11. Coram facie Domini: Rasi: In loco, ubi omnes coïerant: שהשכינה שורה עלרב צבור *quia Dei majestas commoratur super multitudine cœtus.* Kimchi: *In loco, ubi fuit domus ejus, sicut dicit. Et venit Iephtha Maspha ad domum ejus* (v. 34.) *Et quod dicit coram Domino, secundum quod dicitur: Dominus erit audiens inter nos: aut quod Majestas Dei* (שכינה) *habitet super Israël in loco ubi congregantur: aut sensus est, ut exposui in libro Iosue: Quod hæc sit illa Maspha, ubi congregati erant reges ad bellandum cum Iosue: & propter magnam salutem, quæ evenerat illic, fuit consuetudo in Israële, ut congregaretur illic: fuitque illic ara & domus precationis. Ad eandem Maspham iverunt viri Galaadcum Iosue ut illic loquerentur verba sua coram Domino in Maspha.* Non est existimandum, quod illic altare struxerit Josue, ut cum Kimchi putat Martyr, nec fuit illic fixum tabernaculum. Locus erat conventibus celebris, quo aram Dei secum deportare solebant sacerdotes. ביתו non significat (in v. 34.) domum Dei sed Jephthe: Videtur enim ille locus publicis judiciis & foro dicatus fuisse. Hac igitur itum ut coram Domino stabiliretur invicem, quod convenerat inter Jephthe & Galaaditas.

Jephthe in ducem receptus legatos misit ad regem Ammonitarum: *Quæ* tibi causa, quod veneris oppugnatum *terram meam.* Quibus responsum à rege est: *Israël* ex Ægypto egressus terram meam invasit, inter Arnon, Jaboc & Jordanem: hanc reddi *postulo.* Cum id legati ad Jephthe retulissent, Secundo misit cum his mandatis: *Israëlitæ* non occuparunt solum Ammonitarum nec Moabitarum. Nam Ægypto egressi, ivere per desertum usque ad sinum Arabicum; hinc venere in Cades: Unde missis legatis à rege Idumææ transitum petierunt: quo non impetrato, petunt à rege Moab, qui similiter renuit. Israëlitæ igitur longo tempore in Cades morati sunt, tandem progressi circumeunt fines Idumææ & Moabitarum, donec ab oriente terram Moab contingerent, ubi consedere trans Arnonem, quem terminantem solum Moabitarum non transierunt.

At missis legatis ad Seonem regem Amorrhæorum in Hesebon, innoxium petunt transitum. Ille vero coactis copiis obstitit. Pugnatum acerrimo prælio inter utrumque populum est. Deus victoriam dedit omnemque terram Amorhæorum, his finibus (quos dicis) comprehensum. Dominus igitur pro populo Israël hostes expulit: estne ullo modo æquum ut tu in hæreditatem venias? Tu sane caperes solum eorum, quos Chamos, Deus tuus, expulisset: nos succedemus illis, quos Dominus ejecit. Præterea, Estne jus tuum majus, quam Balac, filii Seppor, regis Moabitarum? Ille nunquam litem movit nobis aut arma intulit ob eam causam. Jam etiam Israëlitæ trecentis annis solum illud tenuerunt, cur non prius rem repetiistis? Me quoque nulla in re læsus, per injuriam, invasisti. Dominus judicet inter *Ammonitas & Israëlitas.* Gravem prudentemque orationem non admisit rex Ammonitarum. Quod jus Ammoniticum comparet cum Moabitico in id solum, videtur significare (Hæc observatio lucem dat, quamvis interpretes non annotent) quod ante Moabitas, quos Amorrhæus expulit, eas terras tenuerint Ammonitæ. Hi igitur primi possessores fuere, quibus ejectis sive à se sive ab alio populo, Moabitæ invasere. Tantò minus juris erat Ammonitæ, quanto sæpius post illos dominium ab aliis ad alios transierat. Pro Israëlitis adversus omnes erat jus belli & trecentorum annorum possessio. Quæritur autem quomodo idoli Chamos meminerit, quod colebant Moabitæ non Ammonitæ? Kimchi: *Hoc tantum dicit illi; Tu petis terram quæ fuit è Moab & rex Amorrhæus eam cepit & non eripuit eam Chamos Deus ejus & sic fuit in ore proverbia loquentium* (Num. 21. 29.) Væ tibi Moab, periisti popule Chamos. *Et si sic, quod terra fuisset tua & Chamos Deus tuus, quod te hæreditare faceret Chamos Deus tuus, id hæreditares: quia ille non potuit terram eripere è manu regis Amorrhæi, at Dominus Deus noster expulit regem Amorrhæum à facie nostra fecitque nos hæreditare terram hanc.* Fieri potest, quod Ammonitæ, cognatis Moabitis populus, aliquando eundem Deum coluerit.

Sistere gradum paulisper juvabit & attendere, quomodo trecentos annos computare oporteat, quos inter subactam possessamque Amorrhæorum ab Israëlitis terram & tempus hoc quo ducatum suscepit Jephthe constituit. Illud præmonendum est, in talibus neglecto minori numero rotundum usurpari solere. Deinde potius minus tempus esse quam majus, quia non videtur omisisse, quod jus Israëlitarum augeret: quamvis si pauci anni excesserint, id reputatum pro nihilo esse potuerit, ne rotunditas omitteretur. Judæi in Seder olam ita putant

Josue gubernavit annos	28
Othoniel	40
Ehud	80
Debora & Barac	40
Gedeon	40
Abimelech	3
Thole	23
Jair.	22

Hic anni sunt 276. quibus additi octodecim servitutis & sex ducatus Jephthe, fiunt 300. præcise. Annos servitutis comprehendunt sub annis judicum in Othoniel, Debora, Gedeon. Illud ex hoc numero Jephthe doceri sic faciendum & intelligendum esse. Rasi: מכאן יש ללמוד שנות השופטים הנזכרים עד הנה אם שני השיעבוד של כל אומה נמנים בתוך ימי השופט אם לאו: Josephi calculus hic est;

Josue

Josue ducatum tenuit annos	25
Seniores & ἀναρχία	18
Cusan Risathaim	8
Othoniel	40
Hinc vacante principatu Eglon	18
Ehud	80
Samgarus	1
Jabin Cananæus subjectos tenuit	20
Debora & Barac	40
Madianitæ vexant eos	7
Gedeon liberator	40
Abimelech	3
Jair	22
Ammonitæ	18
Hinc anni confiunt (additis annis Thole)	363

Ipse tamen scribit Jephthen non nisi trecentorum annorum possessionem objecisse Ammonitis. Ita sibi ut sæpe, non constat.

Placet hic subjicere discursum Lyrani: *Antequam* inquit, *ultrà procedatur, videndum est, quid de trecentis annis prædictis deficiat. Ad cujus intellectum considerandum, quod sicut in scientiis humanitus inventis minus nota vel dubia, per ea, quæ sunt certa, declarantur, sic in sacra scriptura, quæ est per Divinam revelationem tradita, passus dubius vel obscurus, per alium passum, qui certus est & determinatus debet declarari. Isti autem trecenti anni non determinantur hic per scripturam, nisi relative tantum: scilicet in quantum refert dictum Iephthe arguentis præscriptionem. In qua allegatione solent homines allegare, quantum possunt plus de tempore apparenter & aliquando excedunt: nec tamen scriptura vel auctor scripturæ hoc referens dicit falsum; quia refert veraciter id quod dictum est: licet dicens excesserit vel defecerit. Sic est in proposito de Iephthe, cujus verba non sunt authentica, in quantum sunt ipsius. Sacra autem scriptura tertio regum 6. determinat tempus, quod fluxit ab exitu filiorum Israël de Ægypto usque ad fundationem templi per Salomonem in principio quarti anni regni sui, sc. 480. annos. Si autem 39. anni ab isto numero, qui in scriptura certus reputatur, removeantur, tempus, quod præcessit ab exitu de Ægypto usque ad debellationem Seon, quando prædicta terra fuit acquisita, ut dictum est: & tempus quod fluxit à principio principatus Iephthe, quando ista allegavit, usque ad quartum annum regni Salomonis exclusive, in cujus principio templum fundavit, remanent tantum 267. anni & sic à prædictis deficiunt 33. anni. Probatio assumpti: quia ab exitu de Ægypto usque ad ingressum terræ promissionis fluxerunt quadraginta anni, ut patet in plurib. locis sacræ scripturæ. Seon autem fuit debellatus quasi per annum unum ante ingressum terræ promissionis vivente adhuc Moyse. Et sic ante acquisitionem prædictæ terræ fluxerunt anni 39. Item à principio principatus Iephthe usque ad tertium annum regni Salomonis inclusive fluxerunt anni 174. quia Iephthe judicavit Israël sex annis. Et post eum Abessan septem. Et posteà Ajalon decem. Et post Abdon octo: ut habetur judic 12. de his tribus. Post ipsum Samson 20. Iudic. 16. Post ipsum Eli 40. ut habetur,* 1. Reg. 4 *Postea Samuel, cujus anni comprehenduntur cum annis Saul: & fuerunt in simul juncti 40. ut habetur Act. 13. Posteà David regnavit annis 40. ut habetur secundi reg. 5. Post eum Salomon tribus annis ante fundationem templi, ut habetur 3. Reg. 6. Et isti anni simul juncti cum præcedentibus faciunt annos 213. quibus si jungantur 267. anni prædicti faciunt 480. annos & sic patet quod suprà dictum est. Anni autem 267. prædicti sc. à tempore debellationis Seon, usque ad principium ducatus Iephthe sic accipiuntur per partes: Vnus annus ante ingressum terræ promissionis de ducatu Moysis, ut patet per prædicta. Quadra-*

draginta quibus præfuerunt Iosue & Othoniel, ut habetur Iudic. 3. Tempus enim Iosue in sacra scriptura non determinatur; & ideò sub tempore Othoniel, qui ei successit, comprehenditur (Quis hunc canonem admittet?). *Octuaginta, quibus præfuit Ajoth post Othoniel, ut habetur judic. 3. Quadraginta anni Delboræ ut habetur judic. 5. cap. Quadraginta Gedeonis judic. 8. Tres Abimelech judic. 9. Viginti tres ipsius Thola judic. 10. Viginti duo ipsius Iair judic. 10. decem & octo anni, quibus filii Israël fuerunt sine judice servientes Philisthiim & filiis Ammon ante promotionem Iephthe, ut habetur judic. 10. Et isti anni simul juncti faciunt 267. Et sic patet propositum*, Subtiliter illa Lyranus sed sine autoritate scripturæ multa assumit. Scripturæ ductum sequentes non possumus determinare quot anni à principio Josue fluxerint usque ad servitutem sub Cusan Risathaim: nec scimus an anni Thola & Jair succedant sibi sine intermedio tempore. Existimo octodecim illos annos Ammonitarum (saltem pro parte) incurrisse in annos Jair. Deinde non sunt numerandi anni judicum sed tempus supputandum est per pacis & servitutis annos: ut scriptura diserte facit. Tempus sequens certum est

Cusan Risathaim	8
Pax per Othonielem	40
Moabitæ	18
Pax per Ehud parta	80
Cananæi annis	20
Deboræ & Baraci pax	40
Madianitæ annis	7
Gedeon annis	40
Abimelech annis	3
Ita colliguntur anni	256

Reliquis igitur annis 44. & quod excedit, dari debent anni Josue, *seniorum* item Thole & Jaïr. Nam octodecim annos vexationis ab Ammonitis eximo, quia Jephthe voluit dicere quietam possessionem trecentorum annorum Israëlitas habuisse. Si concedam Josue & seniores annos implevisse pacis 25. ita, ut fuerint triginta duo ante jugum ab exteris intentatum: item si 45. Thole & Jair totos jungam, jam habebuntur 326. aut 333. Horum viginti sex aut 33. (quorum partem Ammonitæ tenuerunt) non habuit rationem Jephthe ut rotundaret majorem numerum.

Deinde Jephthen apprehendit Spiritus Dei, quo correptus Manasse & Galaad pervolat. Nam peragrabat usque Masphe in Galaad. Hic מִצְפֵּה est in Hebræo textu, cum superius fuerit מִצְפָּה (ut & v. 34. E Masphe pergit in filios Ammon. Videntur enim Ammonitæ, nescio quo casu aut causa cum copiis, quæ in Galaad fuerant, domum rediisse. Quidam putant id factum metu Jephthæ, viri notæ virtutis. Hic Domino votum nuncupavit pro victoria. Si mihi victoriam concesseris ad profligandos filios Ammon; quod exierit ex ædibus in occursum mei, cum pace revertentis, Domini erit, etiam offeram in holocaustum. Sic igitur adversus Ammonitas profectus victoriam obtinuit: quos percussit ab Aroer usque Minnith & Abel Ceramim viginti oppida, prælio maximo. Unde vis infracta Ammonitarum & jugum excussum. Cum è prælio victor ædibus suis, quæ Masphæ, appropinquaret, filia ejus occurrit cum tympanis chorisque. Hæc illi unica proles erat. Cum igitur filiam videret, ictus dolore, laceratisque vestibus, Væ ait, filia mea, penitus me incurvasti, & es inter turbantes me. Nam os aperui ad Dominum, nec possum resilire. Quæ respondet: Mi pater, si os aperueris ad Dominum, fac, quod locutus

cutus es: quoniam Dominus plenissimam tibi de hostibus victoriam concessit. Fiat hæc res in me. Duorum autem mensium veniam concesseris, quibus cum sodalibus, in montibus, virginitatem meam defleam. Quo concesso, mensibusque duobus transactis, reversæ fecit pater, quod voverat. Illud autem in consuetudinem perpetuam evasit, ut filiæ Israel annuatim in montes concederent ut quatriduo consolarentur filiam Iephthe, aut de illa confabularentur. Veteres immolatam esse volunt: sed de ea re fusè actum à nobis est, dissertatione peculiari.

Josephus historiam ita narrat: Universam Peræam ab hostibus vastatam esse, cumque reliqua adirent aut aggredi pararent (ἐπὶ τὴν τῶν λοιπῶν ἤδη κτῆσιν διαβαίνειν ἐτόλμων, Hebræos Deum sacrificiis placare aggressos esse. Ammanitis igitur Galadenam ingressis, oppositas copias Israëlitarum duce caruisse. Jephtam virum (διὰ τὴν πατρῴαν ἀρετὴν δυνατόν) patria virtute pollentem, copiasque sub stipendiis habentem nuntiis missis rogasse, ut in auxilium veniret pollicentes perpetuum ducatum. Ipsum increpitis, quod læso à fratribus non attulissent opem, cum alia matre superinducta à parente natum infirmitate contempta ejecissent, post preces urgentiores assensum esse. Data igitur fide susceptoque imperio, rebus celeriter constitutis in Masphaca copias continuisse. Hinc misisse legatos ad regem Ammonitarum, αἰτιώμενον τῆς ἀλώσεως, incusantem quod res suas invasisset. Ille repetit Amorrhæam, quæ olim majorum suorum fuisset. Jephthas respondet, quod ob Amorrhæam male majores sui incusarentur, cum gratia illis deberetur, quod Ammanitin reliquissent. Non cessurum se sua regione, quam Deo dante tenerent, bello potius decertaturos. Hinc votum fecisse: victoriam obtinuisse: cæde persecutum esse hostes usque Maniathen: ingressumque in Ammanitin, urbes multas delevisse & egisse prædas. Liberasse populum servitute: occurrisse filiam, quam (μετὰ τῶν πολιτῶν cum civibus) deflevisse juventam ἀποθρηνῆσαι τὴν νεότητα. Tum θύσαντα ὁλοκαυτῶσαι, obtulisse in holo caustum.

Judic. Cap. XII.

Jephthæ victori invident Efraimitæ: qui coacti transeunt versus septentrionem: Expostulant autem cum Jephtha. Cur non vocasti nos in bellum adversus Ammonitas. Domum tuam teque comburemus igni. Josephus dicit eos exprobrasse, quod solus prædam haberet & gloriam. Jephthen igitur primo verbis rem excusasse: quod cum scirent consanguineos premi, armis abstinuerint, deinde nec vocatos auxilio venisse. Male facere, qui hostibus obviam ire non ausi, in cognatos se inferrent. Minaturque cum Deo pœnas se sumpturum esse, nisi rectius sapere velint. Ita recte παραφράζει v. 2. 3. Sequentem etiam bene explicat. Cum nihil monitis proficeret, conserto prælio (copiæ ex Galadena advenerant) strage magna edita, fugientes persecutum: præmissaque parte copiarum vada Jordanis occupasse. Hic Galadenos acerrimam exercuisse ultionem. Quem enim cunque Efraimitam deprehenderent ad vada, interemisse: atque ita eo die cecidisse quadraginta duo millia ex illa tribu. Optimè videtur cepisse quod in textu גלעד בתוך אפרים ובתוך מנשה Galaad inter Efraim & Manasse. Nam vocabulum אתם connectit cum Efraim non cum Galaad, ut facit Chaldæus. Consentit igitur cum nova versione Belgica. Græci & Rabbini ut Chaldæus accipiunt. Omittit quod Scriptura commemorat è sermone cognovisse, quis ejus esset tribus. Nam Efratæi (sic vocantur Hebræis illi qui ex illa tribu) literam שׁ cum dextero (ut loquuntur) puncto

puncto pronuntiare non poterant, soliti pro eo ס proferre. Dicunt autem Hebræi ideo adhibitam à Sp. esse vocem, שבלת: quam Efratæi efferebant סבלת: quod שבלת (fluxus) fluminis in eo loco, ubi moliebantur trajicere. Putant enim Rabbini alias quoque voces illis objectas fuisse. Ephratai igitur היו מגמגמים בלשונם, *blæsi lingua erant.* Theodoretus qui in Judic. 19. *ἐκέλευσεν ἐπερωτᾶσθαί τινα λόγον, ὃς ἐπέφερε διὰ τῆς γλώσσης τὸν ἔλεγχον. ὥσπερ γὰρ ὀσροηνοὶ καὶ Σύροι καὶ εὐφρατήσιοι καὶ Παλαιστινοὶ καὶ Φοίνικες τῇ Σύρων χρῶνται φωνῇ, πολλὴν δ' ὅμως ἡ διάλεξις ἔχει διαφοράν, οὕτως ἑβραῖοι μὲν ἦσαν αἱ δυοκαίδεκα φυλαὶ, εἶχον δέ τινα, ὡς εἰκὸς, ἰδιώματα ὑπὲρ ἀμέλει ἐν αὐτῃ. Ὡς γὰρ ὁ Σύρος φησὶ, τῶν ἄλλων τὸν ἄσταχυν ἐμβλὰ καλούντων, οἱ ἐξ ἐφραὶμ ἔκ τινος συνηθείας ἐμβελὰ ἔλεγον. Τοῦτο γινώσκων Ἰεφθάε λέγειν ἐκέλευσε καὶ διελεγχομένους ἀνῄρει.* Osroenos, Syros proprie dictos, Eufratenses, Palæstinos, Phœnicas, eadem lingua uti sed idiomatis differre, sic olim Ebræos eodem sermone utentes tributim dialectis variasse. Et ita cognitos fuisse Ephraimitas, qui ex versione Syra ἐμβελὰ dicebant, cum cæteri dicerent ἐμβλά. At Syri habent שבלא & סבלא. Versio illa Syra non est visa Theodoreto, eoque ipsi malè interpretata, aut cubant in mendo illius verba. Jephthas Israël judicavit sexennio. A Galadenis enim assumptus in præfectum est, at totum Israël judicavit. Mortuum sepelierunt in urbibus Galaad, id est, in una urbium, quam scriptura non commemorat. Josephus dicit in patria urbe Sebeei sepultum esse. Post eum Abessan judicavit, ex oppido Bethlehem: qui triginta filias elocavit & totidem filios in matrimonium dedit. Id igitur vivo contigit videre. Kimchi: *Dicunt m. n. b. m. hunc esse Boaz. Videturque quod id dicant propter narrationem Scripturæ, conjugatorum filiorum & filiarum: fulcit verbum Manoë; ut docearis, quod non debeat se efferre homo neque in opibus neque in filiis: quia Ebsan fecit sexaginta convivia inter filios & filias suas: & in omnibus non invitavit Manoe, propterea quod esset sterilis: & dicebat, tanquam excommunicatus est sterilis. In quo in me sententiam tulit, id eveniat ipsi. Idcirco omnes illi mortui sunt in vita ipsius, at fuit Manoe filius stabilis: fuitque judex Israëlis, quia Deus vidit ipsius contumeliam. Hoc bonum si traditio hæc esset apud ipsos. At secundum sensum literalem narrat scriptura conjugium filiorum & filiarum ipsius, ut explicet magnam felicitatem, quæ ipsi fuit in filiis & filiabus, quos omnes elocavit in vita sua. Et verè fuerunt in eo res bonæ, quarum merito pervenit ad hanc felicitatem & eminentiam magnam, ut evaderet judex.*

Cum Boazo confundi non debet. Judæi tria argumenta, ad hoc figmentum arripiendum videntur secuti esse. 1. Vicinitatem nominis 2. originem & patriam Bethlehem. 3. Felicitatem & opes. At parum ea valida sunt. Boaz non fuit judex: nec hoc de eo scriptura prædicat.

Abesane post septennium judicatus mortuo sepultoque in Bethlehem successit Elon Zabulonita, decennio: quem Ajalone in Zabulon tumularunt.

Hinc judicavit Abdon, filius Hellel, Pharhathonita. Ejus hæc felicitas: quadraginta habuit filios & triginta nepotes, qui omnes, septuaginta numero equitabant, in pullis asinorum. Kimchi: *Narratio hæc etiam ad indicandum ejus prosperitatem, quod viderit filios & filias & filios filiorum, viros magnos, equitantes super pullis; q. d. præ magnitudine & majestate sua, non habuerunt opus, occupari opere alio, aut in cultu terræ, sed equitabant super pullis: & ipse fuit constitutus judex Israël.* Post octennium obiit & sepultus est Pharhathone, in terra Efraim, in monte Amalecitæ. Josephus iterum illos vocat *ἱππάζειν δεξίως.*

SUL-

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

Cap. XLVI.

Rursum Israëlitæ ad idola conversi, Divino destituti præsidio, subjecti Allophylis per XL. captivitatis annos pœnas perfidiæ pependerunt. Ea tempestate Samson natus traditur: hujus mater, diu sterilis, angelum vidit, dictumque ei est, vino & sicera atque immundis abstineret, fore uti puerum ederet, libertatis vindicem & hostium ultorem. Ita mulier enixa puerum Samson nomen ei indidit. Is intonso capite miræ virtutis fuisse traditur: adeò ut leonem in via obvium manu discerperet. uxorem ex Allophylis habuit, quæ cum absente viro in alterius matrimonium convenisset, dolore ereptæ conjugis perniciem genti molitus est: fretus Domino & viribus, palam victores clade afficiebat. CCC. siquidem vulpibus captis, ardentes lampades earum illigavit caudis, atque eas agris hostium immisit. At tum forte maturis messibus facile incendium fuit, vineæque & olivarum arbores exustæ. Grandi Allophylorum exitio abreptæ uxoris injuriam ultus videbatur. Quo dolore Allophyli permoti mulierem tanti mali causam cum domo & patre incendio consumpserunt. Sed Samson se parum vindicatum ratus, urgere omnibus incommodis profanam gentem non desinebat. Tum compulsi Judæi vinctum eum Allophylis tradiderunt; sed traditus ruptis vinculis arrepto osse asini, quod casus telum dederat, mille ex hostibus prostravit. Ingravescente autem æstu, cum siti affectus esset, invocato Domino, ex osse, quod manu tenebat, aqua fluxit. Ea tempestate Samson Hebræis præerat, Allophylis unius virtute domitis. Igitur insidiantes vitæ ejus, nec palam eum tentare audentes, uxorem ejus, quam ille posteà acceperat, pecunia corrumpunt, virtutem viri uti proderet. Illa eum blandimento muliebri aggressa, diu eludentem & multum cunctatum perpulit, ut indicaret, in crinibus capitis virtutem suam subsistere. Mox dormienti insidiata, crinem ejus abstulit, atque ità eum Allophylis tradidit. Nam sæpè prius traditum comprehendere nequiverant. Tum illi effossis oculis vinctum compedibus in carcerem conjecerunt. Sed spatio temporis accisus crinis crescere, & cum eis virtus redire occæperat. Iamque Samson conscius re-

cepti roboris, tempus modo justæ ultionis opperiebatur. Erat Allophylis moris, cum dies festos agerent, Samson quasi in pompam publicam producere, capto insultantes. Ita die quodam, cum publicum epulum in honorem idoli dedissent, Samson exhiberi jubent. Templum autem in quo omnis populus, omnesque Allophylorum principes epulabantur, duabus subnixum columnis miræ magnitudinis erat. Productus Samson inter columnas státuitur. Tum ille tempore arrepto, invocato prius Domino, columnas disjecit: turbaque omnis ruina domus obruta, ipse cum hostibus non inultus occubuit, cum XX. annis, Hebræis præfuisset.

DRUSIUS.

HUJUS MATER] uxor, Manoe.

SICERA] hoc nomine denotari putant alii vinum vetus, alii vinum purum, alii potum quemvis inebriantem. Sunt etiam qui exponunt dicentes significare potum factitium ex pomis, quem Galli Sidre vocant: aut ex hordeo, qualis est nostra cerevisia. Quorum sententiam juvat, quod hic & alibi passim Sicera cum vino jungitur. Sed vide Sodes Animadversiones meas.

SAMSON] Critici Ebræorum legunt Simson. Cave putes hanc lectionem veriorem esse. Samson itá legitur ut Mariam, ut Namrod, ut Magdal, unde Maria Magdalene. Sic Cimchi dicimus & Camchi. Huc refer Phasga, quod antiqua consuetudine ita lectum pro Phisga.

OSSE ASINI] maxilla sive mandibula asini.

EX OSSE] ex dente molari, qui erat in maxilla illa. *τὸν λακκὸν τὸν ἐν τῇ σιαγόνι* appellant LXX.

SAMSON EBRÆIS PRÆERAT] annis 20. Jud. 15. 20. Infra, *cum XX. annis Ebræis præfuisset.* Videtur aliquando varietas fuisse in codicibus Ebræis. Nam in Thalmud Jerosolymitano, *Samson 20. tantum annis judicavit. Cur igitur 40. ei Scriptura tribuit? Ut hinc discas metum ejus per 20. annos continuos post obitum in Philisthæis permansisse.*

UXOREM EJUS QUAM ILLE POSTEA ACCEPERAT] Dalila vocatur libris Ebræis & Latinis, sed in Græcis est Dalida, id est, *δαλιδά*. Sic cassida & cassila. Nam D. & L. communem familiam habent. Josephus Dalale scribit. Hodie legunt Delila, quod דלילה in scriptura originali.

PECUNIA CORRUMPUNT] Jud. 16. 5. *quod si feceris, dabimus Tibi mille & centum argenteos.* Vide locum.

DIU ELUDENTEM] ter eludentem.

IN CRINIBUS] quos, ut pote Naziræus, intonsos gerebat.

COMPEDIBUS] catenis æreis vinctus detinebatur Gazæ ad molendum.

CRINEM EJUS ABSTULIT] pro crinem ejus, alii referunt capillamentum ejus. In fonte habetur, *septem cincinnos capitis ejus.*

OPPERIEBATUR] editio Coloniensis, *operiebatur*, unico P, quod duplici scribunt LL. VV. & Virgilius Carpensis.

ERAT ALLOPHYLIS MORIS] hujus moris nec Scriptura meminit, nec etiam Josephus. Unde verò habeat incertum.

IDOLI] Dagon, quod vel à pisce itá dictum, vel certè à frumento. Id enim Dagan

Dagan Ebræi vocant; ut Dagon sit ζεὺς ἀρότριος, quem Philo Byblius in historia Phœnicum Σίτων interpretatur.

Cum xx. Annis Ebræis Præfuisset] numerus hic quadrat cum eo quod habetur, Jud. 15. 20. Quanquam Thalmudici ibi videantur legisse olim XL. pro XX. Vide quæ notavimus supra. Quibus addo ex Salmanticensi. *Samson judicavit 20. annis, licet in Ierosolymitano dicatur in scriptura ipsorum inveniri quod judicaverit 40. annis. Nam etiam de sententiá eorum sunt viginti tantùm. Quippe dicunt, ipse judicavit 20. annis & quomodo Scriptura dicit 40. annis. Docet post mortem 20. annis durasse metum ejus apud Philisthæos.*

Schotanus.

Judic. Cap. XIII.

Rursum Israelitæ] Cum iterum in peccata solverentur tradidit eos Deus Palæstinis. Declinatiò à viis Dei initium habuit judicum priorum tempore.

Quadraginta Annos] Kimchi : מחשבון ימי השופט הם אלו הארבעים. *E numero dierum Iudicis sunt illi quadraginta.* Ralbag: *Et hic numerus incepit in circuitu germinationis dominationis Samson, secundum quod recordamur. Verè ante hac vendiderat eos Deus excelsus in manu Palæstinorum; ante tempus Iephthe & in diebus judicum, qui fuerunt post eum, ut memores sumus: Ex hostibus Israël fuerunt Palæstini & propterea venit promissio ad uxorem Manoë:. quod ipsa conceptura & paritura filium: ipse incepturus salvare Israël è manu Palæstinorum: Aut fortassis non fuit omninò manus Palæstinorum super Israël, in diebus judicum illorum, sed indicat duas res pariter. Nempe, quod futuri essent Israëlitæ sub manu Palæstinorum & incepturus Samson eos salvare è manu eorum. Et secundum quod erat apertum & notum coram eo, qui dicebat, & erat futurum ut adolescens Samson sectaretur mulieres & plecteretur in illis: Sapienter egit Deus excelsus, à partu, ab utero & à conceptu prohibendo eum ab hoc: ideò voluit ut esset Nazir Dei, quia prohibitio à potu vini prodest valde ad hanc rem: secundum quod dicunt, Omnis videns adulteram in corruptione sua, separabit se à vino: & ob hanc causam in parte sua prohibuit matrem quo tempore prægnans esset eo, à potu vini & sicera: & admonuit eam ab esu omnis pollutionis, ut doceret super sanctificatione pueri nati, quia hoc à quo directurus esset ipsos ut eum gubernaret in sanctificatione. Et fuit adhuc istud causa ad initiandum eum Deo, quod esset separatus à vanitatibus seculi, à desideriis corporalibus. Et ob hanc causam etiam præcepit, ne ascenderet forfex super caput ejus, ut doceret de illius sanctificatione: quia hoc totum à quo elongabit se ab eo, pollui in negotio concubitus, quantum fieri potest: præterquam, quod in ea re ingressus sit in rem fortitudinis: Quid vult educatio crinium nisi quod conveniens ut non abscondatur ab eo, quod Deus in eo innovavit? robur additum propter Naziraatum, quem non facit reum educatio crinium secundum naturam. Et jam hoc invenimus, quod continuò cum tonderetur, discessit ab eo virtus ejus. At non fuisset id ita, si vis eum reum faceret ab educatione crinium. Quia signum, quod est in rubore est, ob conclusionem vaporum fumosorum in corpore, quod sit è via eorum è quibus generatur crinis. Et hoc, quia crinis quando pervenit ad perfectionem suam, non crescit & tunc concluduntur vapores illi fumosi in corpore: & invalescit rubor* (התאדמה) *in corpore & renovatur ex hoc spiritus fortitudinis* &c.

Samsonis pater fuit nomine Manoë, è Sora (מצרעה) è familia Danitæ cujusdam

cujusdam (ממשפחת הדני) Demum istum non exprimit nomine. Uxorem habuit sterilem. Mulieri illi apparet angelus Domini: Et ait ad eam: Ecce tu sterilis es at concipies & paries filium. Proinde custodi te: ne bibas vinum aut siceram, nec edas quicquam pollutum. Nam concipies & paries filium: in cujus caput non veniet novacula: quia Nazir Dei erit puer ille ab utero: & ipse incipiet Israëlem salvare è manu Palæstinorum.

Jonathan pollutionem, à qua edenda abstinendum, exprimit כל מסאב Hic Kimchi: Et *secundum opinonem ejus & secundum expositionem nostram* (custodi te) *Samson non est pollutus ad mortuos: sed in verbis magistrorum b. m. quod traditio sit in manu eorum, quod Samson fuerit pollutus ad mortuos. Et juxta verba eorum, ne bibas vinum & Siceram sunt* ἐξηγητικὰ *Dicti* custodias te. *Ideo* (כל טמאה) *omnem pollutionem exponunt, res prohibitas Naziræo. Mirari licet, quomodo ille, de quo præceperat conditor supremus, ut sanctificatio ejus esset ab utero, pollutus sit filiabus præputiatorum: & videtur quod mulieres quas accepit in Thamna, Gaza & torrente Sorec, eas proselytas fecerit & adduxerit ad legem Israël: quia absit à judice Israël & salvatore eorum, ut connubium jungat cum Palæstinis & transiens præceptum negativum, Non jungeris affinitate cum illis: quod perturbatum valde & introducens in abnegationem conditoris benedicti & excelsi; prout dicit: Quod abducet filium tuum à post me. Nec invenitur in Scriptura, quod ob hoc punitus sit: nec dicitur de eo, quod malum fecerit in oculis Domini: Et conditor excelsus prosperavit eum, in omni, quo respiceret. Et sic dicit Scriptura, quod à Domino fuerit hoc: scilicet accipere mulierem è filiabus Palæstinorum à Domino fuit: & voluntas Dei excelsi fuit in hoc: Nam vere eas proselytas fecit & convertit ad legem Israël. Et quamvis etiam sic causa fuerit à Deo; accipere mulierem è Palæstinis ad ultionem capiendam de illis: quia videtur quod Israël in illa generatione non fuerunt timentes Dei: tamen* (non) *salvavit eos salute perfecta è manu Palæstinorum: Nam omnibus diebus Samson, dominabantur Palæstini in Israël. Nam id quod dicit Scriptura*, Et dedit eos Deus in manu Palæstinorum quadraginta annis, *viginti Samsonis intra illos, invito te secundum computum annorum. Nec bellarunt Israël contra illos sed Samson solus: & ideò non fuit Palæstinis causa belli cum Israël propter Simsonem, quia non fuit in potestate eorum: & ipse solus faciebat malum in Palæstines & cum Palæstinis habitabat, quamvis malè faceret ipsis: & à timore eorum etiam sic prohibiti fuerunt bellare adversus Israël. Ideo, quando petierunt eum Israëlitæ à filiis judæ, quando ibat in rupem Etam, tradunt eum ipsis. Et sic examen apum in corpore leonis & mel: & sic, quod uxor Samsonis facta sit socii ipsius: Omnia causa ad ultionem sumendam de Palæstinis* &c. Hæc omnia à Deo fuisse, at pœnam effossionis oculorum passum esse (מדה כנגד מדה) juste, quod peccasset desiderio oculorum. Cum maritus domum rediisset narrat mulier sibi, cum foris esset, visum esse virum Dei, cujus facies esset similis faciei angeli Dei terribilis admodum. Se non quæsivisse ab eo, cujas esset: nec ipsum indicasse nomen suum. Simul referebat verba quæ elocutus erat. Manoë, ingenti desiderio Dei accensus, ardenter flagitat à Deo: Domine, vir, quem misisti, redeat & doceat nos, quid facere oporteat, infantulo nascituro. Audiit Deus: Angelus rediit ad mulierem sedentem in agro, marito non præsente. Festinat igitur, vocatque maritum. Qui ubi mulierem secutus eum videret, Tunc es, ait, ille, qui locutus es ad hanc mulierem? Cum se esse respondisset, tum Manoë: Eveniant, quæ dixisti: sed quis modus, quod opus infantuli erit? Hic angelus repetiit, quæ ad mulierem dixerat. Manoë gaudio plenus ad angelum Domini: Liceat moram tui habere & hædum parare. Sed ille: Si morer non vescar. Si sacrificium velis illud Domino facietis. Nesciebat Manoë angelum esse. Quod, ait, nomen tuum? Ut te honoremus, ubi res evenerit. Angelus autem: Nomen meum mira-

mirabile, quur in id inquiris? Significat se Deum esse cujus nomen ineffabile: quod postea intellexit Manoë cum abiisset. Sumit igitur hœdum & mincham & offert in rupe, Domino. Faciebat autem mirifice, quod cum admiratione contuebantur Manoë & uxor. Non exprimit textus, quid aut quomodo egerit. Cum autem flamma sursum eniteretur, angelus in ea ascendens abiit. Cum id viderent, consternati conjuges in faciem procidunt. Ita igitur animadverterunt Dei angelum esse, nempe summum illum, suæ gentis salvatorem & vindicem. Lamentabundus vir ait: Nos moriemur, quia vidimus Deum. Mulier autem bonum animum habere jussit. Si enim Deus occidere destinasset, non fuisse sumpturum sacrificium ab illis nec ostensurum aut enuntiaturum fuisse, quæ perceperant.

Natus puer & Samson appellatus feliciter adolevit. Spiritum Dei cæpit sentire in Mahane Dan, inter Soram & Esthaol.

Josephum nunc inspiciamus: Palæstinos dicit sub jugum & tributum redegisse Israëlitas post mortem Abdonis: patrem Samsonis vocat Manochen, verum optimum in paucis, inter Danitas: τῆς πατρίδ☉ ὁμολογούμενον πρῶτον. Uxorem habuisse forma eminentissimam sed prole caruisse: quam & multis precibus à Deo contendisse: cum soleret egredi sæpius εἰς τὸ προάστειον, in suburbanum, quod magnus campus erat. Admodum dilexisse uxorem eoque & zelotypum fuisse nimis. Visum soli mulieri oblatum esse, angelum Dei, specioso & procero juveni adsimilem: annuntiantem pueri ortum, secundum Dei providentiam, speciosi & robore eximii sub quo adulto labores habituri sint Palæstini: monentemque simul, ne comas tonderet. Fore illi abstinentiam Deo jubente, ab omni alio potu, sed proprium potum aquam. His dictis abiisse illum, at mulierem marito advenienti, quid evenisset narrasse, mire prædicantem juvenis speciem & proceritatem: unde maritum admiratum esse sed & Zelotypiæ affectu & suspicione correptum. Illam igitur volentem dolorem affectumque mariti removeri, rogasse Deum, eundem mittere, ut & viro conspiceretur: Id factum, cum simul in suburbano essent. Mulieri enim soli visum, rogasse autem eam ut virum suum operiatur. Manochen eo viso, ne sic quidem suspicionem exuisse. Rogasse autem, ut sibi indicaret, quæ mulieri erat locutus. Eum excepisse, sufficere, quod ea sciret mulier. Jubet igitur dicere, quis esset, ut filio nato gratiam & donum redderent. Reddidisse illum, se nullo indigere, neque per indigentiam ea annuntiasse. Manochi morari & xenia accipere roganti non annuisse. Persuasum tamen, cum instaret. Manochen igitur mactasse hædum, & jussisse ut eum assaret mulier. Cum omnia parata essent, jussisse angelum ut panes & carnes sine vasis reponerent in rupe. Cumque id illi fecissent, baculo quem gestabat, attigisse carnes: quæ effulgente igne, una cum panibus absumptæ sint. Angelum in fumo tamquam vehiculo in cælum ipsis videntibus abiisse. Manochen trepidantem solicitumq; ne quid mali ex visu numinis ipsis eveniret, consolatam esse uxorem: Deum cum suo bono ipsis visum esse. Concepisse & observasse mandata, puerumque natum appellatum esse Sampsonem ἰσχυρὸν δ' ἀποσημαίνει τὸ ὄνομα. Feliciter adolevisse puerum & indicium dedisse, quod esset prophetaturus (προφητεύσειν) sobrio victu & comæ demissione.

Hæc Josephus ad caput hoc libri Judicum: Quod prædicat de specie uxoris Manochis, ex conjectura est, quod de Zelotypiæ affectu recipiendum non est. Sic contrarium scripturæ est, quod mulier Deum rogaverit: cum illa id referat de marito. Ita etiam falsum est, quod angelus ea quæ dixerat mulieri noluerit repetere apud maritum. Vide eam v. 11. 12. 13. 14.

Quæ cum Josephi narratione non consentiunt. Deinde non tam de muneribus quam prandio seu refectione cibi sermo fuit inter Angelum & Manoë. Cur reticuit hoc, quod Angelus dixerit suum nomen esse mirabile? Angelus noluit cibum sed jussit sacrificium (holocautoma & mincham.) Qua re indicabat, Deum se esse, coram quo, extra tabernaculum immolare liceret: quamvis id non animadverterint aut non intellexerint conjuges. Non debuit hoc à sacerdote historico præteriri. Confudit hanc historiam cum apparitione Angeli apud Gedeonem. Unde rursum apparet, nimium memoriæ confisum, non secutum esse solicite vestigia scripturæ. Ineptum est, quod eum prophetam faciat: & indicium eventuræ prophetiæ in sobrio victu & demissione capillitii fuisse. Quis autem Oedipus explicare potest, quomodo vocabulum שמשון ἰσχυρὸν, robustum notare queat? Explicent illi, qui Josephum ubique fidem veri solicite scrutatum esse putant.

Cap. XIV. Judic.

De nuptiis Samsonis, prima causa inimicitiæ & hostilitatis cum Palæstinis hoc capite scribitur. Thamnæ viderat puellam, è filiabus Palæstinorum: quæ placuit.. Parentes, quibus displicebat matrimonium cum præputiatis, (nesciebant enim rem à Domino esse) urgendo permovit, ut in id consentirent. Cum igitur parentibus comitatus eo se conferret, prope oppidum, ad vineta civium (forte à via divertenti & inermi, Kimchi putat, antegresso) leo juvenis, rugiens occurrit: hic spiritu Dei agitatus arreptum manibus laceravit, tanquam hœdum. Reversus parentibus non indicat quid evenisset. Thamnæ locuti sunt cum puella ejusque parentibus, quæ magis magisque Samsonis animum devinxit. Leo qui occurrebat & cum rugitu eum invadebat, appellatur כפיר אריות. Kimchi: והכפיר גדול מגור והאריה גדול מהכפיר והלביא גדול מהאריה והליש גדול מהלביא: Sunt igitur varia nomina leonum pro discrimine ætatum. Hic catulus non erat sed catulo major. Dei impulsu instinctuque (qui legibus non est subjectus) videtur eam mulierem petiisse (Non enim existimo disertum præceptum datum esse) Janua enim aperienda erat inimicitiæ cum Palæstinis. Potuit quidem res per peccatum admissa in occasionem boni Divinitus converti, at verba videntur significare, quod Deus hic se interposuerit peculiari modo. Kimchi laudat magistros, qui dixerunt duas fuisse Thamnas: unam quo ascenderetur, alteram, quo descenderetur. Eoque hic posteriorem notari. Sponsalibus jam factis cum nuptiæ futuræ essent, iterum cum parentibus Thamnam concessit. Interque viam divertens ad cadaver Leonis, examen apum in eo mellificasse reperit: sumpto igitur melle vescens communicatoque cum parentibus (cum ad eos rediisset) non indicavit, unde sumpsisset. Tres igitur simul ibant, at v. 10. dicitur patrem venisse. Fortassis præcessit, ut moneret, quoque pararentur quæ opus erat, in adventum sponsi. Ad epulas nuptiales, quas in sponsæ ædibus juvenes dare solebant, soceri & sponsa triginta juvenes suæ gentis ex oppido vocant, qui cum sponso essent. Inter epulas (ut solet) ænigma Palæstinis juvenibus proposuit, posito præmio: Si illud intra septem dies nuptiarum solverent, illis daturum se triginta Sindonas (Hebraic. סדינים / Jonathan פלדסין; quod non debet punctari, ut in Buxtorfianis Bibliis lego פְּלָדְסִין id est *loculos*, (sed פְּלָדְסִין lintea) & triginta vestes mutatorias (חליפות בגדים / Chald. אצטלין *stolas*.) Putant Rabbini inter nuptias & sponsalia duodecim menses interpositos fuisse Sponsæque datas. ודמה שנתנו לה שנים עשר חודש לפרנס

לפרתם את עמצרה *Verosimile* est quod dederint illi (sponsæ) duodecim menses, ut se curaret. Sic Ralbag. Cæterum cum convenisset inter sponsum & sodales Palæstinos de præmio illo, quod daret Samson, si ænigma solveretur, quod acciperet ab illis, si solvere non possent: triduo toto se macerarunt super ænigmate, quod erat: *Ab edente Esca, à forti exiit dulce.* Cum non possent solutionem reperire septimo die (hunc Kimchi Sabbatum esse vult, non septimum epularum, quia cum tridui mentione cohæret) adeunt sponsam solam, cum minis incendii, nisi à marito ænigmatis solutionem extorqueret. Videri enim se invitatos ad has epulas, ut spoliarentur. Ea igitur lachrymis & blanditiis muliebribus virum aggressa, videri, quod se non amaret, cum nondum familiariter id ænigma exposuisset, tandem expugnavit, ut enuntiaret, quod se parentes celasse dicebat. Relatam igitur ad se solutionem læti proferunt juvenes; antequam septimo illo die sol occubuisset: Dicebant enim, Nihil robustius esse leone, nihil melle dulcius. Reddebat Samson nisi mea vitula arassetis, ænigma meum non invenissetis. Kimchi quarto die epularum, qui Sabbatum erat, mulierem maritum cœpisse aggredi putat, nec destitisse ante septimum epularum, quo extorsit. Fatetur tamen & ita exponi posse, ut post tertium diem לחפה, *nuptiarum*, cessaverunt ab inquisitione usque ad diem septimum epularum. Samson iterum à Deo arreptus ad Ascalonitas abiit: è quibus triginta viros cæcidit. Ex horum exuviis sodalibus prænium solutionis soluit. Indignatus autem perfide secum actum esse, patriam domum repetit. Interea cum abesset, uxor ejus uni sodalium cessit.

Josephus in hujus capitis expositione dicit occasionem ob quam Thamnam venerit Samson, fuisse conventum solennem, *πανηγύρεως ἀγομένης.* Et parentes cum ipso una illic fuisse, quod tamen videtur pugnare cum v. 2. Videtur existimare, quod solus in itinere fuerit, cum leo incurreret. Suffocasse dicit leonem, (in Hebræo est וישסעהו, Chald. וחרמיה discerpsit) Abjecisse cadaver *εἰς τὸ χωρίον τὸ ὑλῶδες ἐνδοτέρω τῆς ὁδοῦ· τρία μέλιτος κηρία σὺν τοῖς λοιποῖς δώροις, οἷς ἐκόμιζε, δίδωσι τῇ παιδί.* Unde novit quod tres favos cum donis dederit mulieri. Non videtur. Omnes Thamnitas convivio excepisse, hos autem, metu roboris ejus, quem suspectum habebant, triginta vegetos juvenes, per speciem honoris, ei adjunxisse observatores, ne quid potu procedente & lusu moliretur. Ænigma ita format: *Τὸ παμβόρον γεγέννηκε βορὰν ἡδεῖαν ἐξ αὐτοῦ καὶ πάνυ ἀηδοῦς ὄντος.* Non distinguit duplicem antithesin, quæ est in problemate: Lxx. *Τὶ βρωτὸν ἐξῆλθεν ἐκ βιβρώσκοντος, καὶ ἀπὸ ἰσχυροῦ γλυκύ.* Nota autem quod Lxx. v. 15. pro שביעי exprimant *ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ τετάρτῃ.* Deinde Sampsonis responsum longè aliud dat: *Καὶ ὁ Σαμψώνης εἶπεν, οὐδὲ γυναικὸς εἶναί τι δολερώτερον ἥτις ἡμῖν ἐκφέρει τὸν ἡμέτερον λόγον.* Ascalonitas spoliasse, qui forte in via occurrerant. Nuptias illas rejecisse (non omninò abdicaverat) & puellam *ἐκφαυλίσασαν τῆς ὀργῆς αὐτὸν συνεῖναι αὐτοῦ φίλῳ νυμφοστόλῳ γεγονότι.* Recte hoc: *Νυμφοστόλος* vocabulum hic est elegans. Nam ob iram quam intemperantius ostendisse videtur, eum aspernata uni sodalium, qui nuptiis interfuerant, veste nuptiali (ut solebat) induti, venit in matrimonium. Lxx: *Ἑνὶ τῶν φίλων αὐτοῦ, ὧν ἐφιλίασε.* Ita expresserunt Hebræum, למרעהו אשר רעה לו, sodali, qui ipsi socius fuerat, vel quem sibi consociaverat. Chald. דהוה שושביניה Sed posterius cum Græcis Kimchi: שלקח אותו שמשון לריע.

Judic. Cap. XV.

מימים, post annum vel post aliquot dies, quod postremum huic loco convenientius videtur, Nam desiderium feminæ dilectæ diu ferre non potuit: & justior fuisset causa matrimonii mutati. Atque Samson noluit videri dedisse justam causam. Ideo interpretes in hanc sententiam consentiunt: Fuit autem in diebus messis triticeæ, cum Samson eam hædo donaturus & aditurus accederet ædes soceri: qui significat ex suspicione odii ipsius & desertionis filiam datam alteri: at offerre se sororem juniorem, ea formosiorem.

Non suscepit Samson eam oblationem, cum gauderet sibi occasionem oblatam esse lædendi Palæstinos. Socero non licuit dissolvere matrimonium, marito licuit repudium mittere. At ille moribus Palæstinorum vivebat. Samson oderat Palæstinos odio ingenito à primis annis pueritiæ: sicuti eum Deus affligendis Palæstinis destinaverat. Secum igitur lætus dicebat. Causam justam datam esse Palæstinos premendi. Collectis igitur sive captis sive coëmptis trecentis vulpibus binas caudis colligavit, intermedia face: qua incensa, immisit in maturas segetes Palæstinorum. Constat Judæam vulpibus abundasse, de quibus passim Scriptura mentionem injicit. Sponsa (cantic. 2. 15.) mandat capi vulpes florescente vinea, quod tempus messis est in Judæa. Et hoc tempus anni erat eamque occasionem speculatus est Samson. Abulensis Samsonem non tantum robore corporis sed & pedum celeritate præstitisse putat: ut ipse eas venari & capere potuerit. *Quid si* (inquit Salianus) *& Samson venator insignis fuit & industrios venationis comites non paucos adhibuit. Et ille quoque peculiariter adfuit, de quo dicebat Iacob* (Gen. 27. 20.) Voluntas, Dei fuit, ut cito mihi occurreret, quod volebam. Et *David:* (Ps. 50. 10.) Meæ sunt omnes feræ sylvarum. Theodoretus qu. 23. in Judic. Dicit esse montem vulpibus abundantem; hic esse eas venatum Samsonem. De hoc monte loqui cap. 1. v. 35. ἐν ᾧ αἱ ἄρκτοι καὶ αἱ ἀλώπεκες: sed hæc versio aberrat.

Salianus: *Captis igitur trecentis vulpibus, centum etiam & quinquaginta præparavit faces & binis quibusque ad caudæ initium, longiusculo fune colligatis, ne se facile mutuo incursu impedirent: mediam alligavit facem flamma tenacem sicque dimisit, sed nec omnes simul, ne se impedirent; nec eodem loco sed per partes & idoneis in locis ex quibus abeuntes solis Philistæis quam maximè nocere possent. Quæ dum insano cursu imminentem ignem vitare cupiunt captivoque fune liberari & aliæ alias eminus cominusque conspiciunt, parem terrorem circumferentes, calamitatem quam latissimè spargunt; à segetibus ad vineas, à vineis ad oliveta: donec partim incendio periere, partim adusto fune semiustulatæ evasere, partim à Philistæis captæ & interemptæ sunt: nec tamen tam propere, ut hujusmodi incendio non fruges solum omnes, sed vineæ quoque & oliveta, ut dixi, in plures fortassis annos consumerentur: quod de hortis quoque & viridariis campestribus, pastorum etiam casis villisque dominante incendio & aura fortasse juvante facile credi potest.* Hactenus Salianus: addimus calidis regionibus & æstivo tempore incendium facilius in aridis & maturis frugibus, quæ inde hortos & vineas corripuerunt, excitatam & propagatam esse. Ralbag dicit facem illam (לפיד) fuisse lignum in quo ardebat ignis ad ustulandum ולאיחור תנועת השועלים היה בוער האש בכל מקום שיעברו וכו׳: *Propter tarditatem motus vulpium fuit ignis ardens in omni loco, quem transirent, antequam ex eo transirent.* Kimchi: *Quare vulpes? Quia consuetudo vulpis est retrocedere conjuncta fuit fax inter duas caudas: quia qualibet ex illis retrocedebat & non fuit sejuncta à socia sua: & propterea fax adhæsit*

hæsit illis & nisi ita fuisset: hoc progrediente & illo antrorsum fax excidisset. Magistri b. m. commentantur: Quid docet, quod vulpes? Dicebat Samson, veniat vulpes, qua retrocedit, & sumat vindictam de Palæstinis, qui retrocesserunt in juramento. Hoc est juramentum Abimelech ad Abraham. Nullum animal incendendis frugibus aptius haberi potuit. Refert historiam huc pertinentem Ovid. lib. 4. Fastorum, causam reddens, quare Cerealibus mense Aprili vulpium combustio sit:

> *Filius hujus* (rustici Carseolani) *erat primo lascivus in ævo,*
> *Addideratque annos ad duo lustra duos.*
> *Is capit extremi vulpem in convalle salicti:*
> *(Abstulerat multas illa cohortis aves)*
> *Captivam stipula fænoque involvit & ignes*
> *Admovet, urentes effugit illa manus.*
> *Quà fugit, incendit vestitos messibus agros:*
> *Damnosis vires ignibus aura dabat*
> *Factum abiit, monumenta manent. Nam vivere captam*
> *Nunc quoque lex vulpem Carseolana vetat.*
> *Utque luat pœnas gens hæc, Cerealibus ardet:*
> *Quoque modo segetes perdidit, ipsa perit.*

Palæstini accepta tanta clade, de autore inquirunt: dictum est id fecisse generum Thamnitæ (Thamnathæi alias) quia ejus uxorem sodali tradidisset. Observant interpretes quia dicitur Thamnitæ, inquisitum fuisse & responsum in locis aliis non in ipsa urbe Thamna: ut pastem illam incendiariam latè penetrasse oporteat. Verosimile est Thamnam non fuisse illæsam sed inde initium cladis cœpisse, quia culpæ illic author habitabat. At cum inde cœperit, latè grassata est.

Cum intellexissent cladem ex illius urbis agris ob injuriam hominis unius & filiæ ejus, quorum ipsi factum damnabant, evenisse, fœminam illam parentemque incendio ædium & familiæ sustulerunt. Barbarus mos invaluisse videtur incendio grassandi in hostes & delinquentes, quia & hoc minati sunt Ephratæi in Jephthen ut supra dictum est. Minati id etiam paranymphi uxori Samsonis. Incendium igitur effugere voluit, non potuit. Sic enim in fatis erat. Ita vulgò interpretes, sed ita etiam intelligi verba textus possunt, quod damnatos publico judicio vivicomburio puniverint. Dicitur enim: *Combusserunt eam & patrem ejus.* Nominibus tamen *mulieris & patris*, utriusque familiæ simul continentur. Samson hoc incendium ut iniquum interpretatus (quidam putant ipsum etiam hoc incendio petitum esse) in Palæstinos incurrens magnam plagam intulit. Versus 7. אם תעשון כזאת. An ita faceretis vel facere vos oporteat: Quidam: An ita facietis etiam mihi, ut fecistis illis? Lxx. Ἐὰν ποιήσητε οὕτως πάντως. Græci igitur putant Samsonem id velle, Quamvis id feceritis quasi in mei ultionem, tamen ultionem sumam de vobis & deinde quiescam. Ultionem omnino exigere vult: Ubi eam perfecerit, se quieturum. *Percussit eos* שוק על ירך *percussione magna.* Non exprimit textus definite, quanta & quæ illa clades fuerit, tantum significat fuisse magnam. Ralbag: *Significat, Tibiam apud fæmur: & assimilat pedites tibia & equites ac qui vehuntur equis femori, quia tibia inferior est femore.* Rasi: *Equites cum peditibus.*

Sedens in equo non innititur femori sed tibiæ pedis unius positi in ferro suspenso à sedili. Sic ille Thargum explicat. Judæorum igitur expositio equites pedites que cæsos esse. Kimchi dicit etiam ita exponi, quod omnes cæsi sint inter fugiendum nemine audente consistere: quia ita cadens in faciem convertitur tibiam ad femur. Junio-Tremelliana versio: *Crure vibrato in femora eorum.* Ita Junius in scholiis: Id est: *Non aliis* armis eos petens; quam pede velut ignavos *milites.* Castalio: *Atque illis gravi ingentique clade in quodam tractu affectis.* Ad hæc ita notat: *Ad verbum sic legitur: Percussit eos coxam supra femur. Ego cum hinc nullam aptam possem elicere sententiam, Iosephum secutus sum, qui vertit,* πολλὰς ἐν τῷ πεδίῳ τῶν παλαιστινῶν ἀποκτείνας, *cum multos in campo Palæstinorum occidisset. Nam* ירך *non solum femur sed etiam regionem declarat.* Salianus: *Itaque locum, in quo erat, edocti, Samsonem vel vivum capere, vel telis certe obruere studuerunt. At ille divino spiritu adjutore percussit eos ingenti plaga, ita ut rei novitate atque admirabilitate stupentes suram femori imponerent: ut non solum singuli sed & universi & in bonis suis & in personis plecterentur. Sicque dum ultrò veniunt ad plectendum Samsonem, ipsi ei occasionem præbeant implendi quod dixerat. Licet hæc feceritis, contra socerum videlicet & filiam, ejus tamen adhuc ex vobis expetam ultionem tum quiescam.* Secutus est Vulgatam, quæ sic: *Percussitque eos ingenti plaga ita ut stupentes suram femori imponerent.* Vatablus: *Percussitque in coxa una cum femore plaga magna.* Annotat: *Id est tam in cruribus quam femoribus: hoc est vehementer atque acriter. Gallice,* Il les battit dos & ventre. *q. d. fecit stragem magnam.* Hanc expositionem probat etiam Salianus & sequuntur interpretes Belgæ. Omninò proverbialis loquendi formula est.

Hinc se habitatum contulit in prominenti vertice rupis Etam [עיטם] ut tutus esset ab insidiis Palæstinorum. Quod cum cognovissent Palæstini coactis copiis castra posuerunt adversus Judæos seque in loco, qui Lechi dicebatur, diffudere. Cum Judæi causam quærerent, quia tributa imposita benè solverent nec de ulla re sibi essent conscii, responsum est: Venimus ut vinciamus Samsonem, utque ipsi faciamus, quemadmodum ille nobis fecit. Velle igitur ut sua in regione commorantem tradant. Judæi igitur ter mille, venere ad antrum rupis Etam. Nosti (ajunt) Palæstinos nobis dominari. Cur igitur ita fecisti? ille autem: Quod mihi fecere, rependi. Se venisse dicunt quo tanquam hostem vinctum tradant dominis suis Palæstinis, orare ut se patiatur vinciri. Ni pareat, vim inferre paratos esse. Sic enim temporis necessitatem exigere. Reddebat ille: Si jurejurando fidem dederitis, quod vincto mihi manus inferre nolitis, patiar. Fide data, vinctum duobus novis funibus, è rupe deduxere ad Palæstinorum castra. Non potest dici (quod in Genebrardo carpit Salianus) proditum à suis esse Simsonem. Nam necessaria reip. postulatio erat. Non tenebantur Judæi exponere se morti pugnando contra Palæstinos ad eum defendendum. Nam nec ipse hoc postulabat nec Dei voluntas. Alii salvatores vocati fuere ut pugnarent cum tota gente non ita Samson. At dices: Samson dicebat se ex Dei vocatu egisse & injuriam injuria compensasse, debuerunt igitur innocentem defendere adversus vim? R. Solus Samson suo robore se tueri debuit, adeoque concessit se tradi. Non habuerunt animum occidendi nec tenebantur nec justum erat. Tenebantur tradere hostem Palæstinorum. Quem cum in conspectu haberent, tanquam hoste potiti, jubilantes in occursum veniunt. Tum Spiritus Dei in ipsum irruit, quo roboratus funes rupit, tanquam fila linea, igne adusta: & vincula tanquam liquescebant è manibus. Quæ fuerunt vincula præter funes? Salianus: *Non crediderim Samsonem ferreis manicis vinctum. Non quia æque catenas*

aut

aut laminas ferreas frangere non posset ac funes ; sed quia illis ipsis ferreis manicis usus esset ad eorum capita conquassanda, ut asini mandibula non foret opus. Nec vox Hebræa aut Græca ferrea vincula significat sed vincula duntaxat aut carcerem: nec Iosephus hic quicquam præter duos funes admittit: Inermis erat, mandibula asini (טריה) cruduat & recenti, quæ forte campo jacebat, arrepta gladii loco, seque inferens armatis hostibus tanquam si pecora mactaret, mille hominum prostravit, cæteris in fugam datis dissipatisque. Edita tanta strage, contemplatus jacentes dixisse traditur quod est in v. 16. בלחי החמור חמור חמורתים בלחי החמור הכיתי אלף איש: Id Thargum vertit בלועא דחמרא רמיתנון דגורין בלועא דחמרא קטלית אלף גברא: *Maxilla asini dejeci eos cumulos: maxilla asini occidi mille viros.* Græci: Ἐν σιαγόνι ὄνυ ἐξαλείφων ἐξήλειψα αὐτὺς, ὅτι ἐν τῇ σιαγόνι τῦ ὄνυ ἐπάταξα χιλίυς ἄνδρας. Vulgatus: *In mandibula pulli asinarum delevi eos & percussi mille viros.* Hebræa sonant: *Mandibula asini, acervum, duos acervos; mandibula asini percussi mille viros.* Admiratus ipse est, cadaverum cumulos dispersos jacere, quos tantillo instrumento fecisset: mirari subit tres illas nobiles versiones non pervidisse, quod tam perspicuum est. Finito sermone maxillam projecit: unde loco nomen Ramath-lechi. Hinc (cum ut credibile est,) fatigatio sitim dedisset, dque (in æstu diei) magna siti correptus, anxiis precibus à Domino (qui tantam salutem dederat) impetravit, ut Deus fontem aperiret illic loci. Unde refectus Deum laudavit, fontique nomen fecit, עין הקורא *fontem invocantis*, quod nomen mansit usque in id tempus, quo illius historiæ scriptor, illum librum composuit: sed & id nomen erat tempore Josephi. ἐκάλει τὸ χωρίον σιαγόνα, καὶ μέχρι τῦ δεῦρο τῦτο λέγεται. Græca nomina istis locis erant apud Græcienses Judæos & magna in illis Græcè loquentium multitudo.

Josephus scribit cognita injuria, quam fecerat genero Thamnita, Palæstinos misisse τὺς ἄρχοντας εἰς Θαμνὰ, quæ ipsius fuerat, uxorem & cognatos (συγγενεῖς), incendio combussisse. Scribit αὐτὸν esse πέτραν ὀχυρὰν τῆς Ἰύδα φυλῆς. Deinde strage edita sibi nimium tribuisse: μείζω ἢ χρὴ ἐπὶ τύτῳ φρονῶν ὑ κατὰ θεῦ συνέργειαν ἔλεγε τῦτο συμβῆναι, τὴν δ᾽ ἰδίαν ἀρετὴν ἐπιγράψε τῷ γεγονότι; σιαγόνι τῶν πολεμίων τὺς μὲν πεσεῖν τὺς δ᾽ εἰς φυγὴν τραπῆναι διὰ τὸ πὰρ αὐτῦ δέος αὐχῶν. Sic interpretatur v. 16. At siti subactum Deo gloriam dedisse & precatum esse veniam verborum. Fontem editum esse κατά τινας πέτρας, *juxta rupes quasdam.* Ridiculum est, quod patres & Jesuitæ (item Abulensis &c.) ex ipsa maxilla & dente molari erupisse fontem volunt: & de eo multa Philosophantur. Σιαγὼν enim nomen loco est apud LXX.

JUDIC. CAP. XVI.

Post hoc prælium audentior Gazam urbem, munitionibus portisque clausam intravit. Illic ad mulierem meretricem (Chald. פונדקיתא) ingresso observatoque, magistratus, stationibus ad portam (imo portas) collocatis & insidiis, exortum diei operiebantur, ut captum in custodiam traherent aut obrutum oppressumque necarent. At ille, cognitis eorum machinationibus, circa mediam noctem surgens, portæ fores cum postibus & vectibus revulsas impositasque humeris, in montem, qui ante Hebronem est, pertulit. Josephus: Τὰς πύλας σὺν αὐταῖς τε φλιαῖς καὶ μοχλοῖς, ὅσα τε ἄλλη περὶ αὐτὰς ἦν ξύλωσις ἀράμενος καλούμενον, εἰς τὸ ὑπὲρ Ἱεβρῶνος ὄρος κατατίθησι. Homo autem mulierosus (à qua intemperantia exitium ipsi venit) Palæstinam mulierem apud torrentem Sorec, deperire cœpit. Judæi volunt ad ipso proselytam factam esse, priusquam cum ea consuesceret: at Josephus παρέβαινε δ᾽ ἤδη τὰ πάτρια καὶ τὴν

 οἰκείαν

ὁμοίαν δίαιταν παραχάραξας ξενικῶν μιμήσει ἐθισμῶν· καὶ τοῦτ' ἀρχὴ αὐτῷ κακοῦ γίνεται. *Transgrediebatur autem patrios mores & suum vivendi modum obliterabat* imitatione peregrinarum consuetudinum, quod ipsi principium mali fuit. Mulieri nomen Dalilæ erat (Δαλάλη) quam duces Palæstinorum (סרני פלשתים) (Jos. τῶν παλαιστινῶν οἱ τοῦ κοινοῦ προεστῶτες) adeunt & magnis pollicitationibus inducunt. Quilibet quinque satraparum pro se promittebat mille centumque argenteos. Inducunt ut eliciat è Samsone causam tanti roboris, ob quod invictus haberetur ab hostibus. Assensit illa & cum prima occasio data est, inter compotationem & amplexus (Jos. θαυμάζουσα τὰς πράξεις αὐτοῦ *extollens ejus res gestas)* inquirebat, in qua re tantum illius robur corporis situm esset: & quomodo vinciri tenerique posset. Ille adhuc mentis compos, ἔτι φρενῶν ἰσχυρὸς (inquit Josephus) artem arte delusit (Sciebat enim vitam suam peti, nec tamen absistere à muliere potuit) Si vinciar, inquit, septem (יתרים לחים אשר לו חורבו) LXX. νευραῖς ὑγραῖς μὴ διεφθαρμέναις, Latin. *Septem nerviceis funibus necdum siccis & adhuc humentibus.* Vel nervum, vel è virgultis contortum funem significat יתר. Josephus: κλήμασιν ἑπτὰ ἀμπελίνοις ἔτι περιειλῆσθαι δυναμένοις. Quid hoc est dicere: An vitium flexiles rami firmitudinem habent, quæ facile rumpi non possit? Hos nervos cum impetrasset à Palæstinis, & collocatæ (sopito & in somnum lapso Samsone) insidiæ essent in abdita ædium parte, vinctum accurate, excitat clamando, adesse Palæstinos. Ille verò rupit vincula ut filum stuppeum igne perustum. Ita igitur robur ejus incognitum mansit. At mulier conquesta se non amari; quod falsis verbis derisui habita esset, urget: Tum ille, Si novis funibus, qui ad opus nullum adhibiti sint, vinciar, debilis essem pro modo communis hominis. Cum id similiter experiretur mulier, Samson fones istos dirupit, instar fili simplicis. Secundum delusa meretrix durius institit: Cui ille tertio: Si septem cincinnos capitis mei attexueris licio. Salianus ita explicat: *Subobscura est hujus loci sententia: vult autem, ut capilli sui, quos habebat prælongos, in septem partes distributi cum liciis telæ plectantur, ut fiant quasi septem funes ex filis capillisque contexti. Sicque ligato septenis funibus non ultrà corpore sed ipsomet capite Samson teneatur: & ne forte capillos à filis expediat atque extrahat, retineri firmarique vult liciatorium, circa quod licia circumvolvi solent clavo sive paxillo: quod ipsum, ad majorem firmitatem, terræ, sive ut habent LXX. parieti affigatur. Forte autem talis officina erat in ea domo, ut ex visis occasionem sumpserit Samson hanc texendi fabulam.* Cum & id mulier amore pecuniæ experiretur eodem modo, Samson ipsum liciatorium & clavum trahens erumpebat. Hic mulier amasii imminens exitio & amens lucri cupidine, nec nocte nec die destitit hominem amore insanientem oppugnare, se haberi contemptui, rem, quam cognosceret se avere pernoscere, nolle aperire, diffidi sibi, quasi hostibus proditura: Noverat Samson, vitæ suæ insidias strui, agi de suo capite & exitio, non poterat tamen abire à muliere, & dicere, res tuas tibi habe. Decrevit (urgente fato) experiri & projicere se vitamque suam potius, quam à muliere non admitti. Tandem igitur rem universam aperit: Ego, inquit, Naziræus Domini sum, nunquam novacula capiti meo adhibita est: Si raderer, robur meum discederet. Id eo affectu iisque indiciis loquebatur, ut agnosceret mulier, ex animo & veritate verba proficisci. Missis igitur nuntiis ad satrapas Palæstinorum, rem se habere significat, nunc certi sint & adveniant. Adveniunt igitur afferentes promissa munera. Insidiis igitur locatis mulier Samsonem gremio suo indormientem radit spoliatque crinibus. Tum excitatum clamando, Palæstini adsunt & experientem se robur suum deseruerat. An priores illas insidias cognoverit Samson & Palæstinos adesse deprehenderit

incer-

incertum est. Fieri enim potest, delituisse donec rem indicaret mulier ex condicto: quia autem cognoscebat vires superesse nec detectum esse, in quo residerent, non dedit signum adventus. Aut si cognoverit Samson adfuisse ignoravit in ædibus fuisse occultatas conscia muliere. Aut si rem odoratus est, desiderio mulieris nimium insaniit. Palæstini captum oculis privarunt: abduxerunt Gazam, vinctum æneis catenis. Magno concursu hominum tractus in urbem est, conjectusque in pistrinum & ad molam positus. Procedente tempore, dum illic asservatur, capilli recrescunt, in eam longitudinem, qua fuerant, cum raderetur. Duces Palæstinorum coacti ut sacrum facerent Dagoni (quem dicebant hostem in manus suas tradidisse, qui tot damna tantas suorum strages fecisset) cum populo (Josephus vocat δημοτελῆ ἑορτήν) aut epuli lætitiam oculis subjicerent, Samsonem è carcere, ut luderet aut risus jocique materiam daret coram ipsis, adduci jubent. Statuunt autem inter duas medias columnas, quibus tectum domus innitebatur: ad quas cum se à puero applicari petiisset Samson, quasi innixurus ob defatigationem, fusis ad Deum precibus ad ultimam sui in hostes pro oculis vindictam, columnas illas manibus impulit? tanta vi, ut detractæ universam domum præcipitem dederint: qua ruina tria millia Palæstinorum periere. Fuere inter illos quinque satrapæ, ingens turba virorum mulierumque spectatura ludentem Samsonem. Ea ruina & ipse oppressus est, animam suam in mortem prompte offerens, qua hostibus populi Dei, ex muneris ratione dabat plagam. Cognati cadaver monumento patrio intulere inter Soram & Esthaöl.

Hic finis fuit Samsonis de quo miratur Theodoretus, quod Deus homini ἐκδιῃτημένως καὶ παρανόμως dissolute & flagitiose viventi gratiam concesserit spiritualem? Dicit hinc esse perspicuum, quod Dominus indignis propter aliam dispensationem divinam det donum. Applicat huc locum Matt. 7. 22. At Samson, quamvis gravibus peccatis se contaminaverit, in fidelium numero recensetur Heb. XI. 32. Cum Nazira[eus] fuerit & sub lege, favum comedit, quem sumpserat ex ore leonis mortui. Non sumptum est de eo ob id supplicium. Hinc arguit Theodoretus legem illam de immunditie non adstrinxisse ad necessariam observationem. Pergit: Εἰ δέ τις ὑπέλαβε τοῦτο παραβῆναι τὸν Σαμψὼν, ὡς οὐκ ἀκριβῆ φύλακα τοῦ νόμου γεγενημένον σκοπησάτω πάλιν ὡς διψήσαντι νᾶμα δέδωκεν ὁ θεὸς τὸ κοιλὸν τῆς τοῦ ὄνου σιαγόνος ἀναβλύσαι κελεύσας· αὕτη δὲ κατὰ τὸν νόμον τριπλῆς μετεῖχεν ἀκαθαρσίας. καὶ γὰρ ζῶν ὁ ὄνος ἀκάθαρτος, καὶ νεκρὸς πάλιν ἀκάθαρτος, καὶ τὸ φονικὸν γενόμενον ὄργανον, καὶ χιλίους κατακοντίσαν τῶν ἀλλοφύλων ἄλλην εἶχεν ἀκαθαρσίαν. ἀλλ' ὅμως ὁ τοῦ νόμου νομοθέτης ἐντεῦθεν αὐτῷ τὴν οὐκ ἄλλοθεν παρέσχεν τὴν τοῦ ὕδατος χρείαν. Existimavit igitur ex ipsa maxilla aquam [e]ditam esse, & ita immunditiei legem depressam. Samsonem meritò miratur, invictum ab armatis hostibus sed à muliere sub jugum missum. Ἀλλὰ τοῦτον τὸν ἀχείρωτον, τὸν ἀήττητον, ὃν πάλαι τῶν ἀλλοφύλων ἔφριξαν μυριάδες, αἰχμάλωτον ἐξηνδραπόδισε γύναιον. Τοσοῦτον χαλεπώτερος τῆς ἐν πολέμοις παρατάξεως τῆς ἐπιθυμίας ὁ πόλεμος. Τὸν γὰρ οὕτω γενναίως ἠγωνισμένον καὶ διὰ τῆς ὑπερφυοῦς ἀνδραγαθίας πολυθρύλητον γεγενημένον δοριάλωτον ἀπέφηνεν ἡ ἡδονή. αὕτη καὶ τῆς θείας τοῦτον ἐγύμνωσε χάριτος. Josephus: Καὶ τὸν μὲν τοιοῦτον κατέσχε τέλος ἄρξαντα τῶν Ἰσραηλιτῶν εἴκοσιν ἔτη. Θαυμάζειν δ' ἄξιον τῆς ἀρετῆς καὶ τῆς ἰσχύος καὶ τοῦ περὶ τὴν τελευτὴν μεγαλόφρονος τὸν ἄνδρα καὶ τῆς ὀργῆς, τῆς μέχρι τοῦ τελευτᾶν πρὸς τοὺς πολεμίους. καὶ τὸ μὲν ὑπὸ γυναικὸς ἁλῶναι δεῖ τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων προσάπτειν ἥττονι ἁμαρτημάτων οὔσῃ, μαρτυρεῖν δ' ἐκείνῳ τὴν εἰς τὰ ἄλλα τῆς ἀρετῆς περιουσίαν. Non tantum mulierosus sed & impotentis iræ fuit, quamvis ultionem de Palæstinis gloriæ ejus adscribere oporteat. Hugo Grotius hinc argumentum sumit injuriarum vindictam sub

V. T. & lege Mosis morali magis licitam fuisse quam sub lege Christi. Christo enim novam legem affingunt. Verba ejus de Samsone. *Neque jus naturæ, neque jus gentium probibet se ulcisci. Sed quia modus excedebatur, deinde etiam ne ex quavis causa rixæ orirentur, prohibuit id jus civile, quale est etiam Hebræis à Deo quidem, sed valde ad modum legum humanorum datum, quo jure de extraneis ulcisci se nemo prohibetur: de civibus non prohibetur nisi in rebus minoribus & quotidianis. Alia est ratio sermonis per crucem sanciti, in quo sicut rerum æternarum aperta est Sponsio, ita & rerum caducarum, ex quibus ultio oricur, contemptus exigitur. Male hæc confundunt multi, minus nocentes, si legi Hebrææ plusquam satis est tribuant, magis verò, si ex istis temporibus ad nostra Dei indulgentiam extendant.* Hæc ille: sed & postea ad mortem Samsonis ejusque verba: Moriatur anima mea cum Philisthiim, *Id apud*, ait, *Hebræos abiit in proverbium, per isti Latino:*

Pereant amici, dum una inimici interbitent.

Hebræi autem non tantas edocti patientiæ leges, quantas Christiani, aliquas esse mortis sibimet consciscendæ causas satis graves existimarunt, ut multis demonstratum est lib. 2. de jure belli ac pacis cap. 19. §. 5. Grotius restrictam legem vindictæ in N. T. per Christum putat esse, deque eo agit lib. 2. de jure belli & pacis cap. XX. §. 10. Sed quicquid dicit privatam tantum ultionem prohibet, quam nemini licitam fuisse in V. T. ex dicto Domini liquet: *Mihi est ultio.* Quam non minus ea tempestate, quam nunc asserere solis magistratibus gladium certum est. Patientiam præ ultione commendat non minus V. T. quam N. Nec minus nunc justa ultio per magistratum licita est, quam tum fuit. Privato commendatur condonatio, magistratum lex armat ad ultionem: ubi privati in certa crimina armantur, quia leges id jubent vel permittunt, publico ministrant. In loco illo altero, quem hic laudat, ita, postquam & ab Hebræis & à gentibus improbatam esse mortis sibi inferendæ feritatem docuerat, loquitur: *Nonnulli tamen Hebræorum de lege se non interficiendi unam causam excipiunt, tanquam εὔλογον ἐξαγωγήν; si quis videat se deinceps victurum in probrum ipsius Dei. Nam, quia non nobis sed Deo in vitam nostram jus esse statuunt (ut recte Iosephus suos edocet) existimant præsumptam Dei voluntatem solam esse, quæ mortis anticipandæ consilium absolvat. Atque huc referunt Sampsonis exemplum, qui in suo corpore veram religionem videbat esse derisui; & Saulis, qui gladio incubuit, ne à Dei suisque hostibus illuderetur: nam hunc resipuisse volunt, postquam Samuelis umbra mortem ipsi prædixerat, quam gnarus sibi imminere, si pugnaret, prælium pro patria & Dei lege non detrectavit, æternam inde laudem meritus Davidis etiam præconio: à quo & ii, qui Saulem cum honore sepelierant, recte facti testimonium retulerunt. Tertium est exemplum Razis Hierosolymitani senatoris in historia Hebraica. Sed & in Christiana historia exempla similia eorum qui mortem sibi intulerunt, ne tormentis adacti Christi religionem ejurarent, & virginum, quæ ne pudicitiam amitterent, in flumen se projecerunt, quas & in martyrum censum Ecclesia retulit. Sed de his tamen quid Augustinus sentiat, videre est operæ pretium.* Hactenus ille. Judæos quosdam obstinatione & pertinacia odioque hostium maluisse sibi ipsis inferre manus, quam captivos fieri, novimus & id docuisse tanquam rectum, sed hoc numerandum est inter gentis illius, frenum admordentis, Stoicismos. Samsonem illis annumerare, qui sibi ipsis manus intulerunt, cæcitatis est, quia intentio non fuit in mortem ruere, quam tamen hoc pretio amplectitur, sed hostem contundere, ad quod vocabat Deus. Certè Dei hic vocatio erat, jubentis in certam mortem ire. Sic in morte nobilissima figura Domini erat morte in sua plures interficientis quam vivus occiderat. Diversa etiam illorum causa est, qui vitandæ turpitudinis metu mortem sibi consciscunt,

amentes

amentes trepidatione & animi horrore, ab illis, qui ob aliud malum, quod peccatum non est nec contaminationem peccati annexam habet, se conficiunt. Sed de hac re alias.

Capillitio abraso robur discessit in Samsone, non quod iu pilis vis esset insita ad istas operationes, ut in manibus sna facultate ad actiones functionesque suas pollentibus: sed quia capilli conditio erant sine qua cæteris non præstabat robore. Putat autem Abulensis, si alio casu, non sua ipsius improbitate, capillos amisisset, vires fuisse mansuras. Sed Salianus: *Quod tamen non admodum exploratum est. Nam cum constet amissa devotione, cum interna gratia & sanctitate, mansisse fortitudinem; etiam credibile est eam, sublato quoquomodo, capillo, non mansuram. Divinæ tamen videtur providentia fuisse, operam dare, ne sua ille cæsarie, sine culpa privaretur. Sic legimus Moysen, cum brachia, etiam sine culpa, ex defatigatione demitteret victoria gratiam Iosue & Israëlitis diminutam. Quid gratia baptismatis in parvulis? Ad aqua & verborum signa ita alligata est, ut licet sine parentum aut infantis culpa non applicetur, signo tamen deficiente deficiat gratia sanctificans, & posito ponatur.* Erras Saliane: Signi & sacramenti contemptus non nuda absentia damnosa est. Si enim Samson pro sua parte stetisset voto Naziræatus Deus non defecisset, licet pili defluxissent morbo aut alio casu. In morte sua cladem ingentem dedit. Nam tria circiter millia virorum feminarumque (v. 27.) dicuntur è tecto spectasse ludentem Samsonem: Deinde (v. 29.) plures in morte interfecisse, quam vivens interfecerat. Theodoretus dicit fuisse tria millia virorum, multò autem majorem mulierum.

Herculi Thebano eum conferunt eruditi, forti & mulieroso: capillos illius cum capillis Nisi Megarensium regis. Similia illa sunt: non tamen probant gentes ad Judæorum historiam ita respexisse, ut memoriam ejus conservaverint sed diabolum in fabulis similia finxisse & suis cultoribus tradidisse. De quo, si forte, alibi fuse dicemus.

Ambrosius mortem Sampsonis ita prædicat: *Et si inviolabilis ad id locorum, atque incomparabilis in hac vita fuerit, viris belli expertis: tamen in morte seipsum vicit & insuperabilem gessit animum, ut contemneret & quasi pro nihilo haberet uita finem omnibus formidolosum. Virtutis igitur fuit, quod victoriarum numero diem clausit nec captivum exitum sed triumphalem invenit.* Et mox: *Cum Scriptura ei testificetur, quod plures in morte, quam in lumine vitæ istius positus occiderit, videtur ad adversariorum magis exitium captus, quam quo ipse dejectior fieret, aut minor esset. Non est enim se expertus inferiorem, cujus sepultura præstantior, quam potentia fuerit. Denique non telis sed cadaveribus hostium pressus humatus est, proprio tectus triumpho, clarum insigne relinquens posteris, eò quod populum suum, quem captivum invenerat, 20. annis, in libertate, judicio suo rexit & sepultus in patrio solo libertatis hæredem reliquit.*

SUL-

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

Cap. XLVII.

HUic Simmichar succeßit, de quo nihil amplius scriptura prodidit. Nam neque finem imperii ejus reperi, & fuisse populum sine duce invenio. Ideò cum adversus Benjamin tribum civile bellum fuit, Iudas temporarius dux belli assumptus est. Sed plerique qui de temporibus scripserunt, annum unum imperio ejus annotarunt. Plerique ita eum præterierunt ut post Samson Heli sacerdotem subjunxerint: nos eam rem, ut parum compertam, in medio relinquemus. Per hæc tempora civile, ut diximus, bellum exarserat. Causa antem motus hæc fuit; Levites quidam cum concubina iter faciens, urgente nocte compulsus, in opido Gabaa, quod ab Benjamitis incolebatur, secesserat. Cum eum senex quidam hospitio benignè recepisset, juvenes ex opido hospitem circumsistunt, stupro eum subdere parantes. Multum à sene increpiti, ægreque exhortati, vicario demum concubinæ ejus corpore in ludibrium accepto, advenæ pepercerunt: illusamque nocte totâ, postero die reddiderunt. Sed illa, stupri injuria, an verecundia, parum definio, viso viro, animam efflavit. Tum Levita in testimonium diri facinoris membra ejus in duodecim discissa partes, per duodecim tribus misit, quo promptius omnes facti invidia commoveret. Quod ubi omnibus compertum, undecim reliquæ tribus adversum Benjamin in bellum conspirant. Huic bello Iudas, ut diximus, dux fuit. Sed duobus præliis malè pugnatum: tertio demum Benjamitæ victi cæsique ad internecionem. Ita paucorum scelus publico exitio punitum.

Drusius.

HUIC SIMMICHAR SUCCESSIT] infra, *nam quum post Samson judicem semigar fuerit.* Hanc scripturam veriorem esse arbitror. Semigar, id est, שמגר, quod nunc legunt Samgar. Hujus mentio cap. 14. & Jud. 3. 31.

SINE DUCE] Jud. 18. 1.

JUDAS] tribus Juda.

ANNUM UNUM IMPERII EJUS] Semigar, qui tamen Ahod Judici non Sam-

Samsoni successit, anno imperii primo vitam cum morte commutavit. Josephus.

ANNOTARUNT] Sigonius mavult *annotaverunt:* Ego nihil mutandum putarim. Nam & infra cap. 61. *annotarim* legitur pro annotaverim.

PLERIQUE ITA EUM PRÆTERIERUNT] Eusebius, Augustinus & alii.

HELI SACERDOTEM] rectius scribitur Eli sine aspiratione. Sacerdotem autem appellat eum qui summus sacerdos sive pontifex erat, ut cap. 5. *à Melchisedec sacerdote benedicitur.* Sic sacerdotium pro pontificatu positum invenitur.

CIVILE BELLUM] inter tribum Benjamin & alias undecim.

IN OPIDO GABAA] *Gaba Benjamin*, Jud. 20. 10. גִּבְעָה Gabaa, ut שמשון Samson, & גבע Gaba seu potius Gabe, ut פוטיפרע Photifara seu Photiphare. Nunc legunt Gaba.

A BENJAMITIS] à filiis Jemini, Jud. 19. 16. Nota Benjamitas dici filios Jemini non Benjamin. Quod quià novum, ideo prætereundum non erat.

SENEX QUIDAM] ex monte Ephraim.

STUPRO EUM SUBDERE] imo, *occidere*, Jud. 20. 5.

ÆGREQUE EXHORTATI] Sigonius emendat, *exorati*, probo vehementer.

AN VERECUNDIA] ità legendum, non, ut in exemplari, quod secutus sum, *verecundiæ*.

VISO VIRO] imò priusquam vidisset virum animam efflavit. Nam simulac ostium aperuisset mortuam comperit, quam adhuc vivere putabat. Jud. 19. 28.

PER 12. TRIBUS] etiamne per tribum Benjamin? videtur. Quidam tamen negant, sed eos errare puto. Vide sis Nicolaum de Lyra. In fonte habetur, *per omnes terminos Israël.*

JUDAS] tribus Juda, ut cap. 40. *dux belli Iudas assumptus est.*

SCHOTANUS.

SIMMICHAR] Samgar memoratur post Ehud, qui populum liberavit, & judicavit. Mirum non est, quod tempus quo judicavit non referatur, cum nec Othonielis nec Ehud relatum sit, Scriptura solummodo, tempora pacis & servitutis memorante. Illi aliquod spatium temporis tribuitur Judic. 5. 9. sed fuit in illis ipsis annis, cum Cananæi dominarentur. Ille enim Palæstinos compescuit non Cananæos. Quæ ratio bis ponendi eundem, nisi si ἀναρχίαν hic memoratam per sequentia capita evenisse putet, ob illius brevem principatum: & cum Palæstini non legantur dominati esse nisi tempore Samsonis? Ideo post Samsonem collocat, & Palæstinis vult oppositum esse sublato Samsone. Autores fortassis libros aliquos secutus est; qui bis Simmichar aut si semel, hoc loco posuere. Plerique omnes (miror quod Sulpicius aliter velit) quinque sequentia capita narrantia eventa sub ἀναρχίᾳ, putant pertinere ad illum collapsum statum, quo post Josue, nondum judices dati à Deo erant. Hic enim tribus Dan agit per se, at quod communiter gestum est, geritur duce tribu Juda, ut ante judicum ortum solebat.

Judic. Cap. XVII.

IN montibus Efraim vir fuit, cui nomen Michas. Hujus mater mille & centum argenteos amiſerat, quod ægerrime ferebat, diras & exſecrationes intemperanter ejiciens. Filius eos clam ſurripuerat: quod poſt aliquod tempus, urgente conſcientia matri aperuit. Jlla læta, filio benedicit, quod rem illam pateſeciſſet. Redditum argentum dicebat ſe Domino conſecraſſe, ut ex eo filio ſuo ſculptilem & fuſilem ſtatuam fieri faceret. Voluit igitur filio reddere: cum id renueret recipere: mater ducentos argenteos ad fabrum detulit: ille confecit ex eo ſculptilem & fuſilem ſtatuam. Michas igitur ædiculam ſacram conſtituit: fecit Ephod & Theraphim, conſecravit unum de filiis in ſacerdotem. Eouſque mores prolapſi erant, cum rex in Iſraële (id eſt moderator) non eſſet! At forte hac tranſiit Levita è Bethlehem (materno genere Judæus & in Judæa natus erat) qui locum commodæ habitationis quærebat. Occurrebat Michæ, qui eum percontatus, quo & unde eſſet intelligensque Levitam eſſe nec fixæ manſionis, ſub promiſſo annuæ penſionis decem argenteorum, veſtitus & victus apud ſe retinet conſecratque. Felicem ſe Michas putabat, quod ſacerdotem è tribu Levi haberet, & Dei benedictionum certum: eo Levitam ſacerdotem filii loco deligebat. Deum ille colebat ſub imaginibus, ſeparatim ſacellum habebat & Teraphim. Pecuniam illam, non eſſe furatum Micham, ſed apud ſe habuiſſe in depoſito alii volunt è Lxx. & vulgata Latina verſione: ſed Hebræa aliud ſonare vidantur. Theodoretus de Theraphim dicit, eſſe τινὰ τερατώδη εἴδωλα ἀλλ' ὀ τῷ θεῷ ἀνακείμενον. Id enim & hic hiſtoriam docere. Τοιαύτης πρόξενος βλάβης ἡ ἀναρχία. Raſi: *Quamvis ſcriptæ ſint duæ iſtæ paraſæ in fine libri: de Micha & de concubina in Gabaa: tamen fuit tempus in principio judicum in diebus Othoniel filii Cenez; quia dictum eſt:* Et poſuerunt ſibi filii Dan ſtatuam omnibus diebus, quibus domus Dei fuit in Silo (cap. 18.31.) *Diſcimus quod omnibus diebus Silo fuerit ſtatua Michæ. Et de concubina in Gabaa, dictum;* de Jebus, quæ Jeruſalem, *Non declinemus in urbem alienam* (cap. 19. v. 10. 12.) *diſcimus, quod nondum ſubegerint Ieruſalem.* Kimchi refutat ſententiam Seder olam, quæ dicit quod in diebus Cuſan Riſathaim fuerit ſtatua Michæ ob dictum cap. 18.31. quæque concubinæ hiſtoriam tum fuiſſe dicit argumento ſupra poſito.

Judic. Cap. XVIII.

IIſdem temporibus quærebat tribus Dan hæreditariam habitationem. Nam uſque in illum diem ſufficiens illis ſolum non evenerat. Joſephus docet iniquitate diſtributionis, quam Joſue fecerat, arcte illos habitaſſe, ſed pulſos à Cananæis. Τῶν Ἰσραηλιτῶν, inquit, ἐκλελοιπότων ἤδη τὴν ἐν τοῖς πολέμοις ἄσκησιν, καὶ πρὸς τοῖς ἔργοις ὄντων τῆς γῆς, Χαναναῖοι καταφρονήσαντες αὐτῶν συνεκομίσαντο δύναμιν· οὐδὲν μὲν αὐτοὶ πείσεσθαι προσδοκῶντες, ὡς δὲ βεβαίαν τοῦ ποιήσειν κακῶς τοὺς Ἑβραίους ἐλπίδα λαβόντες, ἐπ' ἀδείας λοιπὸν οἰκεῖν τὰς πόλεις ἠξίουν. Ἅρματά τε παρεσκεύαζον καὶ τὸ ὁπλιτικὸν συνεκρότουν. Αἵ τε πόλεις αὐτῶν συνεφρόνουν καὶ τῆς Ἰούδα φυλῆς τὴν Ἀσκάλωνα καὶ Ἀκκάρωνα παρεσπάσαντο, ἄλλας τε πολλὰς τῶν ἐν τῷ πεδίῳ. Καὶ Δανίτας εἰς τὸ ὄρος ἠνάγκαζον συμφυγεῖν οὐδὲ ὀλίγον αὐτοῖς ἐπιβατὸν τοῦ πεδίου καταλιπόντες. *Cum jam Iſraëlitæ armorum uſum reliquiſſent & in colendis agris toti eſſent, Cananæi iis contemptis collegerunt copias: non quod ab illis timerent, ſed ſpe pleni, quod illata clade ſine metu in poſterum habitaturi urbes eſſent. Currus una*

parant

parant & armatos cogunt: nec solum ipsorum urbes consentiunt sed & Ascalonem ac Accaronem attrahunt aliasque in campo urbes. Coguntque Danitas in monte, confugere, nullibi in campestri regione sinentes consistere. Danitas igitur bello impares & terram nimis angustam colentes aliò respexisse: Locum vacuum & agri boni circa Libanum speculatos, illic urbem condidisse, quam Dan appellarunt. Spiritus S. rem aliter exponit. Nam Josue XIX. v.47. ita refertur: *Terminus filiorum Dan, egressus erat ab eis.* Id alii accipiunt, defecisse illis locum sufficientem, alii quod egressi sint extra terminos septem gentium. Sed prius placet, quia causam continet quæsitæ sedis novæ, quam concedimus fuisse extra fines terræ repromissionis. Explorata securitate urbis Lesem sive Lais, eam ex improviso capiunt. Incolis deletis, urbem occupatam incolunt, conduntque & Dan appellant. Latius exponitur ea historia in hoc capite. Causam quæsitarum sedium v. 1. habemus: *Et in diebus illis tribus Danitarum quærebat possessionem ad habitandum, quia non ceciderat illi usque in diem illum inter tribus Israël in hæreditate.* Ego ita capio, quod Danitarum tribus, quæ ultimo loco hæreditatem & sortem divisionis capiebat, non acceperit illic loci inter tribuum aliarum sortes, quibus solum captivum dividebatur, sufficiens pro numero patrum & familiarum solum. Hinc coacti sunt dispicere locum extra terram distributam. Unde patet hanc expeditionem prope à morte Josue evenisse. Mittunt igitur quinque è suis demis & finibus viros bellicosos è Sora & Esthaol, qui terram explorarent, si forte locus idoneus inveniri posset. Illi adveniunt in montana Efraim & prope ædes Michæ pernoctant. Obvium Levitam juvenem ex voce agnoscunt, quia eum in loco natali à pueritia noverant. Aut ita agnoscunt quod Judaice non Efrathæa dialecto loqueretur, Ille exposita re tota & conditione sua, rogatur, ut Deum consulat de eventu consilii sui. Kimchi putat Ephod hoc fuisse idoli & idolum coluisse atque consuluisse per Theraphim. *Nec fuit pars Dei excelsi in hoc, illi tantum putarunt, quod verbum Domini esset interrogatio per Theraphim.* Narrat magistros dicere, quod omne אלהים profanum sit in tota historia Michæ, præterquam v. ult. cap. hujus: Domus Dei in Silo. Ipse significat se non existimare quod v. 10. sit profanum. Concedunt Judæi sanctum esse יהוה quod est v.6. Res ita est, profano cultu coluerunt Deum. Respondetur, cœptum prospere exiturum. Hoc oraculo animati Lais profecti sunt, quam videbant secure degere more Sidoniorum. Procul Sidone erat urbs ista, loco tuto sita, & fecundo, sui juris, non erat dominus, qui premeret. Re explorata propere domum abeunt, spe implent tribules. Sexcenti igitur è Sora & Esthaol armant se: qui castra ponunt in loco, cui inde nomen Mahane Dan. In illo loco postea primum Spiritus impulsum, ut supra diximus, expertus est Samson. Hinc ad montem Efraim progrediuntur: Moniti à quinque illis, qui exploratum ierant, Michæ illic domum esse; atque in ea Ephod, Theraphim & imagines, statuunt sanctimoniam cum Levita abripere. Quinque illi præmissi, ædes introeunt, salutant, confabulantur, foras educunt usque extra portam, ubi armati sexcenti substiterant. Hinc quinque illi instrumenta idololatriæ, imaginem utramque, Ephod & Theraphim anferunt exportantque. Id videns sacerdos quiritari cœpit: sed illi: Comprime os, nos sequere, eris nobis in patrem & sacerdotem. Præstat integræ tribui, quam uni familiæ præesse. Ille hoc responso recreatus acquievit. Hinc liberos, pecora & impedimenta ante se agentes iter faciunt. Suspicabantur enim Micham armata manu insecuturum esse. Cum procul abessent, vicinia tota in armis, persequitur Danitas: Michæas vociferabundus furti incusat, qui deos suos & sacerdotem abstulissent. At mi-

nis eorum exceptus, videnſque ſuperiores numero & viribus eſſe, domum triſtis recedit. Danitæ progreſſi Lais capiunt, incolas cædunt, tecta cremant. Inde urbem inſtauratam incoluerunt. Hic ſculptile, de quo diximus, coluerunt uſque ad diem captivitatis terræ. Ex mente multorum intelligi debet ea, quam reges Aſſyriæ fecerunt. Poſt hoc igitur tempus ſcripta ſit hiſtoria judicum. Alii referunt ad tempus captæ arcæ à Palæſtinis, quod videtur ſequens verſus probare: oſtendens id idolum illic fuiſſe, donec arca in Silo fuit. Sacerdos fuit Levita ille & poſteri ejus. Fuit autem hic Gerſomi filius Jonathan, nepos Moſis. In Hebræo textu vitium eſſe poteſt Manaſſis pro Moſe, literulæ unius abundantia: quod leve vitium etiam ſecuti ſunt Græci interpretes. Rabbini myſterium quærunt in literæ ſitu & ſuperfluitate. Cæterum Theodoretus qu. 26. in Judicum oſtendit ſuo tempore aliter fuiſſe in Græca editione. Legit enim Ἰωνάθαν ὑὸς Μανασσῆ, ὑῦ Γηρσὰμ, ὑῦ Μωσῆ, αὐτὸς καὶ οἱ ὑοὶ &c. Hodie legitur Ἰωνάθαν, ὑὸς Γηρσὰμ, ὑῦ Μανασσῆ. Oppidum autem Dan fuit, ad montem Libanum & minorem fontem Jordanis, juxta magnum campum Sidonis ut Joſephus deſcribit. Fuit igitur extra limites terræ promiſſæ, quibus Sidon non includebatur.

De Theraphim ſcribit Kimchi in hunc locum judicûm: *Quantum rem Theraphim attinet: ſunt, qui dicant eſſe vas aneum factum ad cognoſcendum partes horarum; Et judicant per illa ſecundum modum planetaaum* (ſignorum) *& hi ſunt obſervatores cæli. Quidam dicunt, quod facultas ſit in ſapientibus Signorum facere imaginem horis notis: & loquitur imago illa: quia ecce ſcriptum* (Zachar. 10. 2.) Theraphim loquuntur vanitatem. *At hic textus non facit ad hoc probandum: quia vult dicere, Domini Theraphim. Et ſapiens R. Aben Eſdras: quod ipſi probabile ſit* (כי הקרוב אליו) *quod fuerint ad figuram hominis: & hæc facta ad recipiendum virtutem Superiorum. Et teſtimonio eſt, quod Theraphim, quæ poſuit Michal filia Saul in lecto* (ער) *unde putaverunt obſervantes domum quod eſſet David.*

Theodoretus triplicem Levitæ iſti impingit tranſgreſſionem. I. quia munere ſuo fungebatur extra Silo. II. manufactis idolis offerebat ſacrificia. III. Levitis non licuit ſacerdotio fungi. Idolo ille obtulit (quamvis ei nomen adderet Dei & יהוה) quod duplex quidam fuiſſe putat aliud ſculptile aliud conflatile: quidam utrumque opus & ſculpendi & conflandi in eodem adhibitum. Poſſet videri duo fuiſſe ex v. 17. 18. unum ex cap. 17. 4. & cap. 18 v. 20. Hic Levita dicit eorum viam eſſe coram Domino: Lyranus: *Dicunt aliqui, quod hic dixit eis de capite ſuo volens eis loqui placentia. Alii vero dicunt, quod hoc dixit eis ex reſponſo dæmonis loquentis in idolo vel in Theraphim modo ſupradicto. Deus enim permittit aliquando dæmones dare talia reſponſa idololatris; qui ex malitia ſua demerentur quod ſic in erroribus nutriantur. Et talia reſponſa aliquando ſunt vera.* Profanus homo ſub idolo coluit Deum, ad quem referebat reſponſa. Permiſit Deus, ut vera dæmon loqueretur per Theraphim ad idola. P. Martyr: *In papiſticis miſſis & nundinationibus reliquiarum, ſæpe magna edita ſunt miracula, nec tamen idcirco debemus credere ſuperſtitionibus & à Chriſto veroque Dei cultu deſciſcere. Sinit Deus hoc genus miraculorum fieri, ut homines ingrati & Dei ſui obliti mittantur in deceptionem & iſtis quaſi retibus capiantur utque pii vigilantiores & meliores evadant. Nec iſta dicuntur, ut omnia miracula contemnantur. Nam quæ fiunt in vera cauſa & pro ſana doctrina ſunt quædam præconia Dei & tubæ veritatis. At è diverſo, qui prætextu miraculorum avertunt homines à cultu Dei, nobis eſſe debent ἀνάθεμα, quantumvis magna prodigia edant.* Danitæ illecti ſpecie ſuperſtitionis rapiunt idolum per vim ex alienis ædibus & idololatriam ad ſe transferunt: bis impii, raptu & cultu idoli.

Ju-

JUDIC. CAP. XIX.

SEquitur facinus horrendum auditu & ex eo bellum, quo Benjaminæa tribus pene deleta est. Hæc iisdem illis infelicissimæ ἀναρχίας temporibus proximè post mortem Josue evenerunt. Phinees filius Eleazar pontificium tenebat cap. 20. 28. Levita (non fuit ille, de quo superius dictum est, qui Michæ primo, deinde Danitis, ventris & victus causa inservuit) sed qu i ut inquilinus agebat in monte Ephraim & concubinam duxit è Bethlehem Judæ,Concubina fuit, id est uxor secundaria, non pellex. Josephus: Λευίτης ἀνὴρ τῶν δημοτικωτέρων, τῆς Ἐφραΐμου κληρουχίας ὢν καὶ ἐν ἐκείνῃ κατοικῶν. Non erat sortis Ephraim sed illic ut inquilinus agebat. Uxorem dicit recens ductam nimium amasse, ob pulchritudinem. In eo infelix erat (idem dicit) quod pari amore non redamaretur. Jos. ἠτύχει τῆς παρ' ἐκείνης οὐχ ὁμοίων πειρώμενος. Ἀλλοτρίως δ' αὐτῆς ἐχούσης καὶ διὰ τοῦτο μᾶλλον ἐκκαιόμενος τῷ πάθει σκέψεις συνεχεῖς αὐτοῖς ἐγίνοντο. καὶ τέλος, ἡ γυνὴ πρὸς αὐτὰς βαρυνομένη, καταλιποῦσα τὸν ἄνδρα πρὸς τοὺς γονεῖς παραγίνεται. Cum se illa alieniorem gereret (imò fornicaretur) discessit à marito sive domo ejecta, sive ob metum. Non dicit textus, quod quarto à nuptiis mense reversa sit ad parentes, sed quod post discessum quatuor mensibus apud parentes fuerit. Maritus igitur desiderium non ferebat, dolens sive ejectam, sive digressam. Committit igitur se itineri cum puero & duobus asinis, ut amatam reduceret. Illic humaniter susceptus à soceris, redintegrata amicitia reparataq; pace inter conjuges, tanquam secundas nuptias celebrat. Διαλυσάμενος τὰς μέμψεις καταλλάττεται πρὸς αὐτήν. Cum ad ædes soceri accederet, videtur (ex Hebræo textu) primò convenisse conjugem, quæ mariti adventu læta, quem gaudebat culpam sibi remittere, ad soceros maritum deducit. Triduo igitur acto hilariter, quarto die cum muliere domum reverti voluit. Socer refectum epulis, quia dies erat provecta, multis verbis inducit ut profectionem differret in diem sequentem. Quinto die, nisi epulis recreatos conjuges noluit dimittere: quod cum admisisset gener, in diem jam inclinantem coactus est morari. Instabat iterum socer eam noctem maneret sequenti die summo mane dimittendus: sed abire constitutum illi erat. Abiit igitur cum conjuge, puero & duobus asinis. Asinam unam fuisse scribit Josephus, cui insidebat mulier: nempe intelligi voluit, præter eam, qua Levita vehebatur. Cum circa Hierosolyma essent (triginta sermè stadia progressos fuisse dicit Josephus) monuit puer ut eam urbem ad pernoctandum ingrederentur, quia nox ingrueret, ne quid forte incommodi obveniret. Displicuit id Levitæ quia gentilium erat. Jos. οὐκ ἤρεσεν ἡ γνώμη παρ' ἀλλοφύλοις ἀνδράσι ξενοῦσθαι. Gabaam aut Ramam perveniti posse si festinantius iter facerent. Jos. Ἀλλὰ παρελθόντας εἴκοσι στάδια εἰς οἰκείαν ἠξίου καταχθῆναι πόλιν. Antequam Gabaam ingredi possent, jam sol occubuerat. Ingressos nemo domum suam invitat. Jos. Μηδενὸς ἐπὶ ξενίαν τῶν κατὰ τὴν ἀγορὰν αὐτὸν παρακαλοῦντος. Diversoriorum publicorum tantus usus non videtur fuisse, forum obambulantes, qui hospitales erant quos peregrinos esse videbant, in ædes suas deducebant. Cum viderent hospitem, nemo vocat. Constituerat igitur in compito sub dio noctem agere: at commodum Efraimita, qui Gabaæ commorabatur (διαιτώμενος) ab opere agri rediens eum videns rogat, quis sit, quo iret? Cui ille, E Bethlehem Judææ proficiscimur, in montana Efraim, unde sum. *Bethlehem profectus eram, at nunc ad ædem Dei iter facio.| Dicit se Silo velle proficisci, fortassis ut gratias Deo ageret, quod reduce uxore bene rem suam constituisset. Martyr: *Alii vero putant adolescentem hæc adjecisse*

de arca & domo Dei, quo senex magis ei benigne faceret, cum ipsum intelligeret, non vulgare esse hominem, sed Levitam qui proficisceretur ad sanctum Dei Tabernaculum. Adjiciebat Levita: Se à nemine in ædes invitari, qui tamen instructus esset stramento & pabulo asinarum; dein haberet panem vinumque pro se & muliere & famulo. Senex ille, respondebat: Pax tibi: quod deficit, apud me invenies: ad me ito nec pernoctato in platea. Josephus dicit, senem illum ex agro revertentem, videntemque peregrinum, interrogasse: *τίς τε ὢν καὶ δι' ἃς αἰτίας ἐσταλμένος σκότους ἤδη τὰ πρὸς τὸ δεῖπνον αὐτῷ λαμβάνει: Quis esset, & cur sub tenebras quæ ad cænam pertinent, sumeret.* Efraimitam senem hominem ad se invitasse, διὰ τὴν συγγένειαν; διὰ τὴν αὐτὴν φυλὴν νέμειν καὶ μὴν διὰ τὴν συντυχίαν. Συγγένειαν nescio unde hauserit. Quod dicit, τὴν αὐτὴν φυλὴν νέμειν, egregiè dicitur, quia non poterat dici ejusdem tribus esse. Νέμειν τὴν αὐτὴν φυλὴν, *censeri ad eandem tribum sive sortem*: quamvis deviaverit, existimans Levitam habere κληρουχίαν eandem, cum tantum ut inquilinus in montibus Efraim habitaverit.

Cum in ædes suas eos deduxisset, asinis pabulum dedisset, & lotis pedibus epulantes hospites domi suæ haberet, ex oppido homines nequam coacti ædes cingunt, fores pulsant: jubentque dominum ædium foras dare, virum, qui diversabatur, ut eum cognoscerent. Senex trepidus egressus obsecrat, ne ita facerent: sinerent eum, quia tecto suo successerat: ne tam infandum facinus committerent. Se habere filiam virginem, eam cum concubina traditurum ut abuterentur, pro libitu: tantum viro abstinerent. At ferocius instabant, vim minitantes. Levita concubinam tam sibi dilectam, domo eduxit, Eam potius quam hospitis filiam violari statuens. Fortassis & ipsa consensit, ut maritum periculo eximeret. In quam improbi irruunt. Dum eam raperent & huc conversi essent, intro se senex proripit foresque domus oppessulat. Indubiè peccavit senex filiam suam offerendo, quamvis ad grauius scelus vitandum & impediendum. Salianus imparem mentem Loti putat fuisse in simili oratione: Lotum enim simulate obtulisse, cum constaret id non accepturos, quod offerebat, propter illarum puellarum sponsos. Hic rem ad exitum perductam esse. Bene Bonfrerius, hunc senem æque excusat ac Lotum. Josephus ita narrat: *Gabaenorum quidam juvenes qui in foro mulierem viderant, ejusque formam admirati erant, cum apud senem diverti intellexissent, contempta ejus imbecillitate & paucitate, ad fores coëunt. Sene autem rogante ut abirent, nec afferrent vim neque contumeliam,* (ἠξίουν) *jusserunt ut tradita hospita, se negotio expediret. Cum autem cognatam esse diceret & Levitin, eosque gravia commissuros, cupidine adversus leges delinquentes, contempto respectu justi subsannabant, mortemque minitabantur, suas libidines remoranti. Coactus neque sustinens hospites negligere contumelia affici, filiam obtulit, dicens eos voluptatem expleturos legi minus repugnanter, sine contumelia in hospites, arbitratusque se nihil commissurum in eos, quos susceperat. Cum autem nihil remitterent* (ἀνιέντες) *urgendo in hospitam, sed incumberent eam postulantes: Ille quidem supplicat ut nihil improbum* (παραγίνομεν) *committerent, hi verò rapientes* (καὶ προσθέμενοι μᾶλλον τῷ βιαίῳ τῆς ἡδονῆς) *& magis violentia libidinis instantes ad se abducunt mulierem.* Vides hanc narrationem à Scripturæ veritate Hebraica abire, quam tamen hic tenent Lxx.

I. Non meminit postulatum esse Levitam ad stuprum, quod scriptura dicit.

II. Obtulisse vult senem suam filiam, pro concubina Levitæ, cum & filiam & concubinam obtulerit pro ipso Levita.

III. Raptam esse Levitæ conjugem dicit, à sceleratis hominibus; cum Scri-

scriptura dicat à marito extrusam: nempe (ut credi par est) quod vim abstineret à sene, qui foras egressus erat. Josephum hactenus defendit Lyranus: Quia tradita concubina acquieverunt: minitatos autem stuprum viri, ut mulierem extorquerent. Ralbag: וירמה שכבר היתה יפה מאד ולזה נתפייסו בזה בראותם Acquievisse cum formam mulieris intuerentur. Nempe cum senex & filiam & concubinam offerret, acquiescere noluerunt. Narrat Kimchi quosdam id cognoscere, interpretari de cæde. Velle se eum virum occidere. Nempe è Jud. 20. 5. Baronius putat ideò muliere contentos fuisse quia ædes benè munitas oppugnare difficile erat & accursum vicinorum timebant. Scelerati homines tota nocte concubina abusi, cum lux propinquaret dimisere. Illa autem debilitata, cum vix prorepsisset ad ædes hospitis, corruit, passis in limen manibus. Immanitatem facinoris & hic in suis popularibus conatus est emollire Josephus. Νυκτὸς ἐμπλησθέντες τῆς ὕβρεως ἀπέλυσαν περὶ ἀρχομένην ἡμέραν. ἡ δὲ ταλαιπωρηθεῖσα τοῖς συμβεβηκόσι παρῆν ἐπὶ τὴν ξενίαν. καὶ ὑπὸ λύπης ὧν ἐπεπόνθει καὶ τοῦ μὴ τολμᾶν ὑπ' αἰσχύνης εἰς ὄψιν ἐλθεῖν τ' ἀνδρὸς· τοῦτον γὰρ μάλιστα τοῖς γεγενημένοις ἕξειν ἀνίατον ἐλογίζετο, καταπεσοῦσα τὴν ψυχὴν ἀφίησιν. Dolore & pudore vult expirasse. Hugo Grotius: *Stupratarum ad mortem usque exempla etiam in Moscovitarum & Turcarum historiis habemus* Ralbag: והאנשים החוטאים האלה העללו בה כל הלילה עד הבקר והרוב המשגל השיגה אותו החולשה הנפלאה עד שמתה׃ Cum maritus mane consurgeret, abiturus & cogniturus, quid de concubina factum esset, apertis foribus vidit projectam jacere. Josephus: οἰόμενος ὕπνῳ βαθεῖ κατεσχῆσθαι τὴν γυναῖκα καὶ μηδὲν σκυθρωπὸν ὑφορώμενος ἀνεγείρειν ἐπειρᾶτο, παραμυθήσασθαι διεγνωκώς, ὡς οὐκ ἐξ ἑκουσίου γνώμης αὐτὴν παράσχοι τοῖς καθυβρίσασιν, ἀλλὰ ἁρπασαμένων ἐπὶ τὴν ξενίαν αὐτῶν. *Existimans profundo somno oppressam esse nec triste quid suspiciens, suscitare conabatur consolari volens, quod non suo arbitrio se tradidisset stuprantibus, cum ipsi eam, eo quod peregrina esset,* (alii in alienas ædes) *rapuissent.* Ut autem mortuam esse videt (σωφρόνως πρὸς τὸ μέγεθος τῶν κακῶν) satis prudenter pro magnitudine mali segerens, mortuam imponit jumento, deportatque in ædes (πρὸς αὑτόν) Tum dissecat in duodecim partes: quarum unam ad singulas tribus mittit, cum mandato (ἐντειλάμενος τοῖς κομίζουσι) sicuti res dicit, mortis causam narrare & vim factam. Indignanter & cum horrore ab omnibus res accepta est, erumpentibus in verba iræ, quibus de ultione dispiciendum esse significabant. Simile enim impietatis facinus in Israël editum non esse, à quo tempore, Ægypto exierat. Grotius: *Atrocitas facti ad atrocia remedia eum compulit. Nec falsus spei fuit. Nam hic conspectus fecit, ut omnes tribus in commune consenserint, quod pridem factum non fuerat.* Abulensis aliique Levitam in eo non peccasse dicunt, cum non ad dehonestandum corpus sed ad honorem resarciendum id fecerit: nempe ut duodecim tribus provocaret ad vindictam. Arias putat frusta illa sublimi aliquo loco statuta, ut ab omnibus conspici possent, ad eum modum, quo corpora eorum, qui sententiam sunt passi, ad terrorem loco edito suspenduntur. Aliqui putant ad Tribum, quæ nocens erat, partem missam non esse. Sed nihil vetat, quo minus mitteret. Nam si Benjamitæ reliqui in deditionem Gabaenorum & pœnam consensissent, potuissent calamitatem evadere.

JUDIC. CAP. XX.

INdignitas facti concivit omnes tribus (præter Benjaminæam) à Dan usque Bersabe. Hic prima mentio Dan, ut hinc appareat hanc historiam post Danitarum expeditionem (quæ est in cap. 18.) contigisse. Omnis illa congregatio in unum conspirabat. Convenerunt Mispham (Josephus εἰς τὴν Σιλώ) coram

ram Domino: Kimchi; *In loco, ubi congregantur totus Iſraël aut magna ejus multitudo, illic* (שכינה) *majeſtas habitat. S. D.* Deus conſiſtit in cœtu Dei: *ut ſenſus, ſicut expoſitum in libro Ioſue, quod in Maſpha fuerit ara Dei & domus precationis. Et fuit domus conſtituta Iſraëli quando erant congregati* (על דבר) *ob rem aliquam. Iam ſcripſimus in* libro Joſue cur fuerit mos eorum (דרכם) congregari in Maſpha: quia illic facta eſt ſalus magna Iſraël, quando congregabantur reges ad bellandum cum Iſraël. Ralbag: Maſpha כי שם היו נקהלים לכל הדברים הנפלאים לסבה שזכרנו במה שקדם. In Maſpha coierunt publicis conventibus politicis. Salianus: *Multiplex Maſpha in ſcriptura memoratur. Primò invenitur terra Maſpha ad radices Hermon, qui non eſt in tribu Aſer ad Libanum,* Joſue XI. 3. *Idemque eſt campus Maſphæ* ibid. v. 8. *Secundo invenitur Maſphæ civitas trans jordanem* Joſ. 13. 26. *In qua caſtra metati ſunt Iſraëlitæ contra Ammonitas temporibus Iephthe. Quæ civitas Maſpha Galaad dicitur, quia ſita erat in terra Galaad* (Jud. XI. v. 29. 34.) *in qua Iephthe habitavit. Eadem dicitur Maſpha Moab* (1. Sam. 21. 3.) *quia vicina Moabitis, ad quam David confugit cum patre & omni familia ſua. Et in hac putat Abulenſis congregatos hoc tempore Iſraëlitas. Tertio memoratur Maſpha hoc loco, ubi omnes Iſraëlitæ dicuntur ad Dominum congregari. Fuitque hæc civitas in tribu Iuda. Eſt enim eadem cum Maſepha* Joſue 15. 38. *Et ibi ponitur in tribu Iuda, quod affirmat aliquoties D. Hieronymus in locis: ubi memoria lapſus hanc Maſpha habitationi Iephthe tribuit. Sæpius autem hæc civitas Iudæ vocatur Maſphath lib. 1. regum cap. 7. quam Samuël frequentavit & Godolias poſt everſam Hieroſolymam. Et quia reperitur hæc ipſa urbs aliquando tribui Benjamin, propterea eam ſitam fuiſſe putat Adrichomius in confinio utriusque tribus ut in Samuële quoque notavimus. Media illa vocatur proprie* מִצְפָּה *ſicut & tertia ita vocatur Ioſ. 15. 38.* Tres diſtinctæ opiniones igitur: Abulenſis enim refert ad ſecundam, Judæi magiſtri ad primam, Salianus ad tertiam. Amplius inquirendum eſt. Cæterum Maſpha Judæ non fuit adeo vicina Silunti, ut coram Domino congregati fuiſſe dici poſſint, qui Maſphæ erant. Coïerant armati hominum millia quadringenta. Siſtitur Levita, ut coram toto populo univerſam rem exponeret: quod fecit late & pathetice. Decernitur ultio unanimi conſenſu. Se domum non abituros dicunt, antequam id confectum dederint. Decimam partem copiarum deligunt, quæ pabulatum iret & commeatus deduceret, cum obſiderent Gabaam. Hinc legatos mittunt ad tribum Benjamin communi nomine, qui juberent ſontes dedi. Scribit Joſephus Iſraëlitas impetu quodam inconſulto ruere voluiſſe in bellum, ſed monitu Senatus (γερουσίας) non licere, ne quidem in exteros nedum Iſraëlitas arma movere, niſi prius legatis miſſis de ſatisfactione, ſic feciſſe. Vult legatos miſſos eſſe ad Gabaenos, quod non poteſt conſiſtere, ſed ſunt miſſi ad tribum Benjamin qui ad ſupplicium improbos poſcerent. Huic enim ſuberant Gabaeni. Miſſi legati per univerſam tribum, omneſque demos nihil pacati retulerunt. Nam Benjaminæi ad arma provolant, coactisque copiis viginti ſex millium armatorum eunt ut Gabaam protegerent. Gabaeni ſeptingenti erant egregii bello: & ſeptingenti de toto numero, qui ſiniſtra manu utebantur pro dextera, fundis ita pollebant, ut pilum ferirent ſine errore. Cum Iſraëlitæ viderent armis decernendum eſſe, Siluntem proficiſcuntur & conſulunt os Domini, quæ tribus ducatum habitura eſſet: judicem enim non habebant. Reſponſum eſt tribum Judæ. Duo jurejurando firmarunt inter ſe: Neminem Benjaminæo qui evaderet, filiam in matrimonium traditurum; Neminem ſe vivere permiſſuros, qui ad hoc bellum non conveniſſet. Poſtero mane Gabaam eunt: ad quam (erumpentibus ex oppido Benjamitis) acerrimè pugnatum eſt, inferiores fuere Iſraëlitæ, qui eo die amiſerunt viginti duo

millia

millia virorum. Cum clade igitur rejecti sunt. Cladis causam (notante Kimchi) quidam fuisse volunt iniquitatem Michæ, quæ fuerit in diebus illis. Nam cum zelarent in concubinam Gabaæ, non zelaverunt in idolum, quod prius remotum esse oportuerat. Pro homine zelabant, non pro Deo. Recedunt, lachrymantur coram facie Dei: consulunt, Anne secundò in fratrem Benjamin præliaturi essent. Responsum est esse. Non quærunt causam cladis nec an secundo eventu: sicut prima consultatione, ne quidem quærunt an ituri essent in bellum adversus Benjamin. Eodem in loco igitur postero die pugnatum est. Rursum inferiores octodecim millia virorum amisere. Perculsi igitur, eunt ad domum Dei. Malè LXX. & Josephus Bethel accipiunt, tanquam si בית אל nomen proprium esset. Atqui nunquam arca Dei fuit in Bethel: quemadmodum & superius consuluerunt in Silo. Sic Kimchi argumentatur. Toto die usque ad vesperam jejuniis & lachrymis, dein holocaustis & pacificis Deo supplicant. Ante arcam domini, quæ illic loci eo tempore erat, stabat Phinees Eleazari filius; per quem (in Urim & Thummim) promisit Deus victoriam diei sequentis. Die illo (tertium Sp.S. vocat sive à primæ pugnæ initio sive à numero pugnæ. Insidiis urbs & arte capta est ac bellum confectum. Narrat ea Sp.S. à v. 30. ad capitis finem. Quantum capere possum simplicem Scripturæ narrationem hic sensus est & ordo: Totus Israëlitarum excercitus tripertito divisus est. Pars una circum urbem Gabaam in insidiis posita cui mandatum, ut cum cives exiissent, in urbem per portas aliterve irrumperent, eamque incenderent: deinde urbe occupata obviam Benjamitis occurrerent, quo intercepti à fronte & tergo oppugnarentur. Secunda pars virorum decies mille ad urbem oppugnandam irent, hostesque ad defendendum superioribus victoriis feroces, elicerent paulatim cedendo ad locum insidiarum. Hic enim totius exercitus robur collocatum erat, quod erumperet, ubi viderent incensæ urbis fumum. Hoc enim signum & tempus constitutum. Illi igitur decies mille viri sese urbi ostentant. Mox Benjaminæus successibus elatus urbe exit in hostem: qui cum aliquantulum restitisset, ex composito cedens, Benjaminæum admonet superioris fortunæ. Cedentes igitur Israëlitas acrius persequuti, triginta viros cædunt. Interim insidiæ ad urbem, vacua urbe potiti, ædibus quibusdam ad mænia propere incensis signum dant. Mox eo viso copiæ in insidiis ad compitum viarum, quarum altera Gabaam, altera domum Dei ferebat, surgentes inferunt se in Benjaminæos, simulque, qui videbantur fugere, consistunt. Hic primò ferociter utrinque pugnatum est: at Deus Israëlitis aderat. Benjaminæi etiam perculsi re nova, cum viderent ex insidiis tantum exercitum erumpere, primò cedunt, mox in fugam præcipites eunt. Sed ad urbem festinantibus occurrunt, qui urbem occupaverant, à tergo instabant quos fugiebant. Incendium in cælum emicans urbem captam esse admonebat. Vertunt igitur se versus desertum, sed vicinis oppidis effusi cives & hærentes tergo milites cinctis ab omni parte incumbunt. Hinc igitur cædes fuit tanquam pecudum, toto agro usque ad portas Gabaæ. Ceciderunt hoc prælio octodecim millia. Cæteri acrius enituntur per desertum, sed hostis tergo hærens absumpsit primo quinque millia iterum duo millia. Cæsa igitur è Benjaminæis eo die viginti quinque millia armatorum, sexcenti viri evasere in petram Remmon.

Josephus excercitum in duas partes esse divisum ait, dimidiam in insidiis locatam juxta urbem, alteram hostem prolicuisse. Atqui, qui hostem eliciebant, tantum decies mille viri erant: Exercitus Israëlitarum trecentorum millium erat. Dicit ad insequendum hostem, quem putabant fugere, urbe erupisse

ſenes pueroſque prædæ cupidine. Nihil novit de occupatione urbis & ſigno dato per incendium. Coactos hoſtes in locum cavum & cinctos, ferarum more, ſagittis confixos eſſe: ſexcentos conglobatos erupiſſe per medios hoſtes & evaſiſſe in petram, quæ Rhoa (ῥοά) dicebatur.

Notandum: Viginti ſex millia armatorum in tribu Benjamin fuiſſe commemorantur: at probabile & certum eſt multo plures fuiſſe: cum tempore Moſis fuerint quadraginta quinque millia & ſexcenti. Sed res ita accipienda: quod hi delecti, qui ad militandum Gabaam irent, cæteris domi ob varias cauſas & ad præſidia urbium relictis. Sic enim Iſraëlitæ multo plures quadringentis millibus fuere. At Vulgata editio Latina Benjamitarum copias mille hominibus minuit. Lxx. in quibuſdam codicibus legunt εἰκοσιτρεῖς χιλιάδες. Quærunt autem quomodo conſtet numerus numero? Scriptura dicit primò viginti ſex millia Benjamitarum, præter Gabaenos ſeptingentos fuiſſe: ceciderunt autem centum ſuprà viginti quinque millia, & ſic tantum ſexcenti reliqui fuerunt: debuerunt ſupereſſe mille. Hic bene reſpondetur, ſuperioribus duobus præliis hauſtos eſſe, quod ſane exiguum eſt in tanta Iſraëlitarum clade nempe quadraginta millium. Kimchi כי אי אפשר שלא מתו במלחמות החם מבנימן Medras dicit evaſiſſe in Romaniam illos mille ſuperſtites. Serarius igitur fruſtra eſt & cum eo Salianus, impugnare Hebræum textum auſi. Putant ſcripturam non fuiſſe tacituram hominum mille cladem, quæ triginta de Iſraël memorat. Reſpondeo diverſam omninò rem eſſe. Nam Iſraëlitarum triginta amiſſos ibi ſcribit, ubi totam pugnam voluit accuratius repræſentare: quod noluit de antecedentibus: Sicco enim pede tranſit. Aut hic ſenſus eſt quod in urbes cæteras quidam evaſerint, qui earum in ſubverſione periere: noluit igitur cladem urbium ſigillatim commemorare. In Hebræis codicibus legitur, quod fuerint ſeptingenti Gabaeni v. 15. Et ſic Septuaginta habent. Joſephus malè ſexcentos facit, ut & funditores illos ſolertes quingentos. Idem ut vulgata editio armaſſe dicit tribum Benjamin in totum viginti quinque millia.

Gabaam & omnes Benjaminææ tribus urbes exterminarunt ædificiis omnique re inanima crematis, hominibus animalibuſque trucidatis. Nam cherem ἀνάθημα Deo voverant. Joſephus dicit occidiſſe Gabaæ τὰς γυναῖκας καὶ τῶν ἀῤῥένων τοὺς μὴ ἐν ἀκμῇ. Similia feciſſe aliis oppidis. Intelligit, ut puto, nulli parſum eſſe, at oratio hæc parcit ſenibus & infantulis in meliore ſexu.

Judic. Cap. XXI.

At cum reſediſſet fervor & reputarent animis unam in Iſraël tribum ad internecionem veniſſe, niſi temperamentum invenirent, coram Deo, Silunte, uſque in veſperam alta voce ingemuerunt: O Domine Deus Iſraël: cur id factum, quod una tribus in Iſraël deſideretur. Poſtridie ſummo mane aram illic loci condunt: offeruntque hotocautomata & chariſteria. Bethel (Βαιθήλ) locum vocant ſeptuaginta cum tamen diſerte Silo exprimatur v. 12. Vulgatus interpres etiam Silo adjecit hoc v. 2. *Veneruntque omnes ad domum Dei in Silo.* At quid opus erat aram condere, ubi ara erat? Kimchi: *Si domus Dei eſt Silo cur ædificant aram, nonne illic erat ara tabernaculi? Et ſi hæc urbs fuit Bethel, etiam illic ara fuit, quam ædificarat Iacob pater: quemadmodum exponam in libro Samuël in dicto (1. Sam. 10. 3.) Aſcendentes ad Deum, Bethel. Licet dicere, quod ædificaverint illic aram novam: Et fuit locus iſte Silo aut Bethel. Et ædificare aram eſt quæſitio Dei, ſicut invenitur in multis locis, quod ædificaverint aram ad quærendum Dominum. Et propter caſum malum hunc,*

hunc, qui evenerat ipsis, in internecione Benjamin ædificarunt aram & obtulerunt holocautomata & fleverunt coram Domino & dixerunt, Cur factum est sic ut desideretur una tribus? Ralbag: *Ædificarunt aram novam in domo Dei & obtulerunt holocausta & perfecta & accesserunt ad quærendum Deum, super hac vastitie* (קלקול) *quæ venerat per manus eorum. Fortassis voverant, quod si Deus daret Benjamin in manum suam, facerent hanc rem in honorem Dei. Et ecce fuit gravis in oculis Israël detractio tribus unius de Israël: Et ἐσοφίσαντο, callide egerunt ad inveniendum uxores residuis.* Porrò Israëlitæ inquirunt, quis demus, quæ urbs, quæ domus non advenisset in congregationem. Nam Masphæ magnum juramentum protulerant in eos, qui se non conjungerent: *Morte morietur.* Inquisitio in id facta potissimum, ut invenirent matrimonia Benjaminæis. Cum enim omnes, qui convenerant se obstrinxissent juramento. Si qui non adfuissent juramento, religione non tenebantur. Populo igitur recensito Jabesitæ desiderati sunt: quorum nemo advenerat. Missa igitur duodecim millia fortium bellatorum ut Jabes exscinderent: virilem sexum universum, de fœmineo parcerent virginibus. Inventæ in illa urbe quadringentæ virgines nubili ætate: quas in castra Siluntem duxerunt. Tum legatos mittunt ad sexcentos illos superstites Benjaminæos, qui jam quatuor mensibus in rupe Remmon latuerant. Proclamant illis pacem. Prodeunt igitur deductisque ad congregationem quadringentæ virgines nuptum dantur ad procreationem sobolis reparandæ tribui. Credo sortitò elocatas esse. Hic quæri potest, si חֵרֶם in Benjamin & Jabesenses pronuntiatum est, quomodo virginibus illis quadringentis & sexcentis Benjamitis parci potuit? Dico ob illos residuos supplicationem illam institutam esse, ut liceret dispensatione Dei, eis contra diras enuntiatas superesse & propagare tribum. • Huc pertinuit extraordinaria illa ara, inque ea immolatio. Dispensavit Deus subjecitque consilium per vatem aut Urim & Thummim quæ potissimum ad talia, belli pacisque usum & tribuum familiarumque distributionem, & hæreditatem videntur pertinuisse. Dispensatio igitur aliqua facta est, quæ minimum læsit jurisjurandi religionem. Videri posset, quod superstites relinquere potuerint post belli furorem, quia jurabant se superstitibus non daturos uxores. At id potius videtur pertinere ad incerta belli, si forte non possent omnes subigere. Jabesenses virgines Deus voluit servari, ut posset Benjamitis residuis de matrimonio prospici. Non debuit per חרם voluntas Dei anteà indicata subverti. Atqui voluntas Dei erat terram illam a duodecim filiis Jacob possideri, quibus sortitò distributa erat. Hactenus igitur vim nullam habere potuit. Igitur quæsitus est modus à Deo, quo esset ירושה לבנימין ne sors & tribus deleretur. Juramentum de filiabus non dandis, præsentes fecerant, non Jabesenses, quarum virginibus parsum est.. Hic solicitus est cum suis magistris Kimchi: quomodo sciri potuerit, quænam integræ essent aut pollutæ concubitu? *Convenit*, inquit, *ut eas traduxerint ante arcam; quam recipiebat arca, erat virgo: sicuti fecerunt in mulieribus Madian, quas traduxerunt ante* ציץ (laminam Pontificis) *Virginis facies flavescebat: sicuti tradiderunt magistri b. m. Estque modus alius, cujus meminerunt magistri b. m. in re virginis: & judicant judicium in hoc: ut eas statuant super os* (חבית של יין) *sartaginis vini: maritatæ odor fragrabat, virginis odor non fragrabat. Dicitque quod hæc probatio facta sit mulieribus Iabes Galaad; non autem quod eas traduxerint ante* ציץ (laminam) *sicut fecerant mulieribus Madian.* Cur non quærunt, quid factum sit virginibus minoribus, quæ nondum erant nubiles vero simile est plures fuisse, quam nubiles? Eas dixerim hæreditasse parentibus, cum hæ, quæ transierunt ad Benjamitas pro ἀπηλλάγμεναις habitæ non sint.

At nec sic prospici omnibus poterat, quia ducenti Benjamitæ supererant. Supplicatum rursum est & doluit populus pro Benjaminæis. Seniores congregationis proposuerunt, tot deesse mulieres: se non posse elocare sua voluntate & consensu, juramento prohibitos *Maledictus, qui Benjamitis filiam elocat.* Hoc autem consilium se videre, quo salva religione juramenti, possit Benjamitis consuli: Festum est(inquiunt)Domini in Silo (non fuit unum de illis, quæ lex præcipit, proinde nec Pascha) quod annuatim celebratur, ad septentrionem domus Dei versus orientem solem, ad viam altam, quæ à domo Dei fert Sichemum, & ad meridiem Lebonæ. Admodum accurate (v. 19.) sic describitur locus ille, in quo festum solebat celebrari. Extra urbem id festum agebatur, ab orientali parte viæ versus Sichem, cui ad septentrionem sita erat Lebona. Domum Dei LXX. & Latinus in hoc versu accipiunt de Bethel. Ex illis virginibus Silonitarum quæ choreas solebant ducere, Benjamitæ latitantes in vineis, rapiant & abripiant donec omnibus sua esset. Si questum veniant parentes, placabimus eos, dicendo: Non potuimus eis conjuges dare in bello. Ignoscite nec putate vobis obesse juramenti fidem: quia raptas possident non elocatas à vobis. Id consilium placuit omnibus & significatum est illis ducentis juvenibus: qui gratiis actis hilari animo discedunt. Dissoluta est congregatio, Benjamitæ raptis uxoribus vrbes suas reparant & incredibile dictu est, quam cito coaluerint. Josephus legatis ad Benjamitas orationem tribuit, lamentantibus suam & Benjamitarum cladem, ut quæ communis esset, & consolantibus: ut accederent. (*συνελθεῖν εἰς τ' αὐτὸ*) quantum in ipsis repararent tribum. Concedimus vobis totius tribus sortem & quantum prædæ potestis ferre. Dicit deliberantibus Israëlitis quosdam juramentum minoris reputasse: *οἱ μὲν ὀλιγωρεῖν συνεβούλευον τῶν ὀμωμοσμένων, ὡς ὑπ' ὀργῆς ὀμόσαντες, οὐ γνώμῃ καὶ κρίσει· τῷ θεῷ μηδὲν ἐναντίον ποιήσειν εἰ φυλὴν ὅλην κινδυνεύουσαν ἀπολέσθαι σῶσαι δυνηθεῖεν, τάς τε ἐπιορκίας οὐχ ὅταν ὑπ' ἀνάγκης γένωνται χαλεπὰς εἶναι καὶ ἐπισφαλεῖς ἀλλ' ὅταν ἐν κακουργίᾳ τολμηθῶσι.* Cæterum senatum ad nomen perjurii cohorruisse. Tandem aliquem hoc consilium suggessisse, ut consulerent difficultati præsenti & juramentum non viderentur violare.

Celebritatem ad quam conventus fieret, publicam & totius gentis vult fuisse, ad quam cum viris conjuges & filiæ convenire solerent. Parentes raptarum senatus verbo reprimendos, hoc etiam argumento, quod filias negligentius custodiissent.

Salianus putat, impositum fuisse à Senatu Benjamitis ut uxores à vicinis Siluntinis peterent: si negaretur, quod futurum erat, ut raperent: ut raptus aliquem colorem excusationis haberet neque videretur animo inimico factus esse. Abulensis in eo peccasse putat quod juramentum, habendo pro valido firmoque; auxilio vel consilio violaverint. Salianus, aliquo dicit modo se expediisse: nempe ut Cajetanus dicit, & in consulentibus & in exsequentibus purgari raptum: quod Siluntinis volentibus quidem factus sit, si animi spectentur, ut non impeditorum juramento sed non potuisse ob juramentum. Dedissent & dare volebant absque hoc juramento foret. 2. Raptum igitur fuisse materialiter, ut loquuntur, non formaliter. Simile igitur non fuit factum Romanorum Sabinas rapientium sed vis mera. Hic etiam Senatus fuit consensus in suæ gentis filias.

Martyr. factum sive consilium Israëlitarum improbat, *Quod isti jusjurandum interpretantur & leniunt, speciem habet aliquam æquitatis. Patres enim videri poterant non violasse datam fidem, quod ipsi sponte sua puellas Benjamitis non elocassent, verum illi per vim rapuissent. At si quis rem ipsam diligentius excutiat, deprehendet utrumque falsum:*

falsum: quia Benjamitæ non suo privato consilio puellas rapuerunt verum senioribus id suadentibus. Ac ex altera parte Israëlitæ videntur suas filias ultrò dedisse, atque jurisjurandi religionem fraudulenter elusisse. Iuraverunt enim patres se non elocaturos filias suas Benjamitis. Vnde igitur illi eas habuerunt? A senioribus. At illi sunt patres patriæ quare hoc non fuit candide ac simpliciter agere: neque dolus juramentum solvit, sed potius adstringit. Prætexunt Israëlitæ jurisjurandi religionem: quod tamen astute violant & in raptum consentiunt, quod flagitium nihilo est levius, quam perjurium. Nolunt exemplum præbere perjurii & dant raptus. Violant prætereà Divinæ legis aliud caput. Namsi puella sit hæreditaria, cavetur ult. cap. Num. ne in alia tribu nubat, quo hæreditates non pertubarentur. Quid ergo si ex istis raptis aliquæ fuissent hæreditariæ? Certe contra legem Dei nupsissent extra suam tribum. Quod si quis dixerit eos ista bono animo fecisse ac pia, ut dici solet, intentione, ut ne tribus Benjamin prorsus interiret. Respondebitur, non satis esse aliquid bono animo fieri: quod etiam videndum sit, ut bonum, ut justum & consentaneum verbo Dei sit, quod agitur. Ad hæc Deus cavit, ne matrimonia citra parentum consensum sint rata. Hic autem rapiuntur puellæ ac matrimonia ineuntur, non solum insciis, verum etiam invitis parentibus, contra bonas leges & verbi Dei authoritatem. His addas magistratum polliceri se placaturum parentes & eis conciliaturum si irascantur: atque ita ex uno scelere in aliud labuntur, nec Dei sententiam in hoc facto requisiverunt. Ex seipsis consilium capiunt, quasi in re tam perplexa & obscura non possent errare. Ne autem miremur hæc ita contigisse repetitur ille versus intercalaris, Non erat rex in Israël. Hoc judicium est Martyris damnantis raptum & hoc Senatus consultum. Lyranus è contrariò laudat & absolvit: *Dicitur tamen communiter quod poterant* (scilicet filias dare) *quia filii Benjamin non poterant ducere alienigenas uxores & sic juramentum illud videbatur esse contra charitatem: quia erat contra reparationem unius tribus: quæ reparatio cedebat in bonum communitatis totius populi; & ideo non erat servandum. Veruntamen, quia tunc temporis horridum erat frangere quodcumque juramentum, ideò habuerunt aliud consilium: videlicet, quod filii Benjamin non habentes uxores, venirent latenter prope locum Silo, & ibi de virginibus ducentibus choros acciperent sibi secundum numerum suum & fugerent in terram Benjamin. Nec majores natu hoc consulentes venerunt contra juramentum suum, quia nullus juraverat nisi de propriis filiabus. Similiter nec patres earum, quia non fuerunt in hoc consilio nec dederunt eas. Similiter nec filii Benjamin rapientes eas peccaverunt: quia hoc fecerunt de mandato illorum ad quos spectabat cura totius populi, ut dictum est. Et probabile est quod illæ virgines consenserunt in matrimonium, antequam cognoscerentur ab eis, &c.* Miseremini earum: non enim rapuerunt eas jure bellantium] *Non propter negationem dationis: quia sic majores natu hoc allegantes essent in consimili culpa, eò quod suas filias illis non dederant: & sic non haberent frontem sic loquendi: sed istud peccatum est intelligendum, eo quod non custodierant filias diligenter, sed permiserant eas ducere choros per campos, ubi poterant capi. Eo enim ipso, quod juraverant non dare eas filiis Benjamin, debebant eas sic custodire, quod illi non haberent facultatem rapiendi: sic ergò exponitur hic passus secundum translationem nostram. In Hebræo autem habetur:* Miseremini eorum, non enim cepimus viro uxorem suam in bello; nec vos dedistis eis: quasi tempore culpemini, *quod sic exponunt Hebræi: Miseremini eorum ut possint reparare tribum per generationem.* Non enim cepimus viro uxorem suam, *id est, cuilibet viro, uxorem sibi copulandam.* In bello, *contra viros Iabes: sc: deficiunt ducentæ.* Nec vos dedistis eis quasi tempore culpemini. Id est non potest vobis imponi culpa *transgressionis juramenti ex tempore quo acceperunt eas sc. post tempus juramenti vestri: quia non dedistis eis: nec plus juraveratis: scil. nisi quod non daretis eis. Contra quod non fecistis, quia non ceperunt eas de voluntate vestra.* Bene monet summus vir, Hugo Grotius, *Aliud esse dare, aliud amissum non reposcere.* Ambrosius: *Quæ indulgentia*

congruo intemperantiæ supplicio non videtur vacare, quandò illis hoc solum permissum est ut rapta inirent conjugia, non connubii sacramento Juramenti significatio extendi non debet ultrà receptum loquendi morem. Seneca: *Lex cum tenet*, qui juvat exulem, non qui patitur juvari. Symmachus: *Inanem metum Divino animo vestro tentat incutere, si quis asserit conscientiam vos habere præbentium, nisi detrahentium subjeritis invidiam.* Damnosa semper mitiorem interpretationem patiuntur, nec nimis urgenda sunt. Rapere virgines potuere eo tempore, quo tanta erat licentia & soluta sine rege aut judice disciplina.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI PRIMI.
Cap. XLVIII.

HÆc quoque judicum volumine continentur, Regum libri sequentur. Sed mihi annorum ordinem & seriem temporum persequenti parum continuata videtur historia. Nam cum post Samson judicem Semigar fuerit, pauloque post historia consignet populum sine judicibus egisse, Heli etiam sacerdos libris regnorum fuisse referatur: sed quum quot anni inter Heli & Samson fuerint minimè scriptura prodiderit: video medii quiddam fuisse temporis, quod laboret ambiguo. Cæterum à die mortis Iosue, usque in id tempus, quo Samson defunctus est, numerantur anni CCCC. & XIX. A mundi autem exordio anni IV. CCC. & III. Quanquam ab hac supputatione nostra cæteros discordare non nesciam. Sed mihi conscius sum me non incuriosè latentem annorum ordinem protulisse, donec in hæc tempora incidi, de quibus dubitare me fateor: nunc reliqua exequar.

Drusius.

REGUM LIBRI SEQUENTUR] numero quatuor, quorum priores in ritualibus Ebræorum Samueli tribuuntur: posteriores Regum nomine inscribuntur. Nota hos omnes libros in codicibus Græcis titulum habere βασιλειῶν, id est, regnorum: unde paullo postea, *Eli etiam sacerdos libris regnorum fuisse referatur.* Hieron. epist. 52. *Samuelem quoque & Malachim, id est, quatuor Regum libros.* Idem lib. 2. ad Rufrum cap. 7. *In libris quoque Samuelis & Malachim, quos nos regnorum quatuor nominamus, post catalogum divinæ Scripturæ hæc intuli, &c.*

Libris

Libris Regnorum] id est, Mamlachoth. Rursum Hieron. præfatione in libros regum, *meliusque multò est Malachim, id est, regum, quam Malachoth, id est, regnorum dicere. Non enim multarum gentium describit regna, sed unius Israëlitici populi qui tribubus duodecim continetur.* Locus iste censura indiget. Nam non memini legere uspiam Malachoth hoc significatu. Quid igitur? Regnum Ebraicè Melucha dicitur & Mamlacha, unde pluralis Mamlachoth, non Malachoth: quod potius opera denotat à singulari מלאכה Melacha sive Malacha, opus; cujus thema Laach, non Malach, regnavit.

Anni cccc. & xix.] ita Giselinus olim hunc locum correxit. Prius erat cccc. & ix. qui numerus proximè accedit ad eum qui habetur Act. 13. 20. *μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα ἔδωκε κριτὰς ἕως Σαμουήλ.* Nam Eli sacerdos inter judices numeratur. Is judicatum administravit annos quadraginta, ut habetur 1. Sam, 4. 18. Quanquam Sulpitius tantum viginti annos ei attribuat: ex cujus supputatione Sigonius hoc loco reposuit ccc. & xxxix. Sed ex subjecta tabula colliguntur tantum ccc. & ix.

Othoniel præfuit ann. 50. Secundum Ebræos 40.

Ahod.	80.
Semigar	1.
Debbora	40.
Gedeon	40.
Abimelech	3.
Thola	22.
Jair	22.
Jephthe	6.
Ebeson	7.
Ailan	10.
Abdon quem Eusebius Labdon vocat	8.
Samson	20.
Summa.	309.

His adde annos tyrannidis, quos Ebræi superioribus inclusos arbitrantur.

Chusan rasathaim	8.
Eglon	18.
Jabin	20.
Madian	7.
Philisthæi sive Allephyli	18.
Rursum Philisthæi	40.
Summa.	111.

Ex his concludo si annis judicum annumeraveris annos tyrannidis, Othonielique tantum 40. attribueris, conflari annos cccc. & ix. vel potius x. Sic etiam se tuetur numerus qui Act. 13. in libris vulgatis. Sed de hoc alias.

A Mundi autem exordio anni ivm. ccc. & iii.] hunc numerum conficit Giselinus ex his duobus locis. cap. 40. Scribit à mundi exordio usque ad excessum annos esse iii. m. dccc. lxxx. & iv. Hic verò scribit à die mortis Josue in id tempus quo Samson defunctus est, numerari cccc. & xix.

xix. Simul hi numeri efficiunt, 4303. Sigonius verò, qui ſuperiori numero adjecerat 20. hunc ita emendat, ut pro 3. reponat 23.

NON INCURIOSE LATENTEM, &c.] Sic infra, *quæ non incurioſè à nobis ſunt digeſta.*

SCHOTANUS.

RUTH. CAP. I.

HIſtoriam Ruth Sulpicius omiſit, breviter narravit Joſephus: qui putat ad tempora Eli eam pertinere, alii ad anteriora tempora. Veteres Rabbini ad Ebſanem referunt, quem dicunt eſſe Boaz. Sic & paraphraſis Chaldaica in Ruth. Tempore, quo Iſraëli præerant judices (quorum primus fuit Othoniel) annonæ caritas regionem invaſerat: qua cogente, Judæus quidam è Bethlehem, cum uxore Noomi & duobus filiis Mahalone & Chelione peregrinatum conceſſit in campos Moab. Obiit interea Elimelech, id viro nomen: filii, Moabitidas uxores duxerunt, Orpham & Ruth. Paulo poſt & ipſi obeunt. Naomi vidua marito & orba filiis, poſt decennium peregrinationis, audito (angelum revelaſſe dicit Chaldæus) uberiorem annonam proveniſſe in Cananæa, redire eò voluit. Simul ſe viæ dederunt duæ nurus viduæ. Has, benignis verbis precata gratiam Dei, & matrimonium felix, quæ ſecum & cum filiis ſuis humaniter egiſſent, ut ad matris ædes redirent, hortatur. Se enim, cum conſenuiſſet, non parituram filios, quæ maritis defunctis ſuccederent: nec ſi ea nocte conciperet, maturos annos ab illis exſpectari poſſe. Hinc effuſæ in fletum & mutuos amplexus: Orpha oſculata ſocrum retro abiit, at Ruth reuerti noluit, quamvis iteratò moneretur, ut populum deoſque patrios reſpiceret. Regerebat enim: Noli adverſari, non regrediar: quocunque perrexeris, pergam, ubi conſederis, conſidebo. Populus tuus, populus meus, & Deus tuus, Deus meus erit: eadem tellus viventes alet, defunctos ſepeliet. Deus mihi teſtis eſto, ſola me morte, à te ſeparandam. Cum videret Noomi (Noëmi) obſtinaſſe animum, admittit. Bethlehem ingreſſis fama oppidum pervolat, feminis ad viſendam eam concurrentibus: Illam eſſe Noomi. Hic illa: Noomin (amœnam aut delectabilem ſonat vox) nolite vocare, ſed (Maram) amaram, quia Dominus amaritudine me replevit. Plena egrediebar, vacua redii. Bethlehem venerunt, quando primum hordea metebantur. Hæc eſt primi capitis continentia. Joſephus virum illum appellat Abimelech, Ἀβιμέλεχος: LXX. retinent verum nomen. Filios appellat χιλλίωνα καὶ Μάλλωνα; LXX. Μααλὼν καὶ Χελαιών. Naamis (ita Noomi vocat) apud eum orationem habet liberius interpretatam. Dicit patrem proſperis rebus ſumpſiſſe filiis uxores: Scriptura dicit ipſos duxiſſe ſine mentione patris: Chaldæus filios ab ipſo relictos eſſe יתמין *pupillos.* Poſt decennium obiiſſe continuis mortibus patrem filioſque dicit: atqui intra decennium peregrinationis obierant.

Mirus eſt commentarius Hieronymi, ut mira verſio Latina in v. 22. & 23. cap. IV. primi libri Paralipomenon. Hebræus textus ita habet: *Prætereà Iokim* (filii Sale filii Juda recenſentur) *& viri Chozeba & Ioas & Saraf (qui in Moab* (בעלו) *dominati ſunt) & Iaſubi Lechem. Sed hæc antiqua ſunt. Hi erant figuli & habitatores plantationum & hortorum: illic apud regem manſerunt in ſuo opere.*

LXX. Καὶ Ἰωακὶμ καὶ ἄνδρες Χωζηβὰ, καὶ Ἰωὰς καὶ Σαρὰφ (οἳ κατῴκησαν ἐν Μωάβ) καὶ ἀπέστρεψεν αὐτοὺς ἀβεδηρὶν, ἀθουκιίμ (Hebr. והדברים עתיקים) οὗτοι κεραμεῖς οἱ κατοικοῦντες ἐν Ἀταΐμ καὶ Γαδηρὰ (Heb. נטעים וגדרה) μετὰ τοῦ βασιλέως ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ (Heb. במלאכתו) ἐνίσχυσαν καὶ κατῴκησαν ἐκεῖ.

Vulga-

Vulgatus Latinus magis deviat: *Et qui stare fecit solem, virique mendacii & Securus & Incendens, qui principes fuerunt in Moab & qui reversi sunt in Lahem. Hæc autem verba vetera. Hi sunt finguli (leg figuli) habitantes in plantationibus & in sepibus, apud regem in operibus ejus commoratique sunt ibi.* Hic Hieronymus: *Quod vero sequitur,* qui stare fecit solem, *redit ad progeniem Pharez, de quo ortus est David, oportunum judicans progeniem Iuda, de qua tribus regia orta est, in David terminare. Tradunt Hebræi enim hunc fuisse Elimelech, virum Noëmi, patrem Maalon & Chelion, in cujus tempore sol steterit, propter prævaricatores legis, ut tanto miraculo viso converterentur ad Dominum Deum suum. Quod quia facere contempserunt iccircò fames invaluit: ut ille, qui in tribu Iuda prior videbatur, famis inopia cum uxore & filiis, non solum patria pelleretur sed etiam in eadem peregrinatione cum filiis moreretur. Viros autem mendacii esse Maalon & Chelion, qui hic securus & incendens appellantur & de quibus dicitur, quod principes fuerint in Moab, eo quod uxores Moabitidas duxerint. In Hebræo expressius ponitur & ab eruditis illius linguæ didicimus, ut non principes sed mariti dicantur* (בעלי) *Quod vero sequitur,* Quæ reversæ sunt in Lehem] *Noëmi & Ruth demonstrat; quæ in Lehem id est panem post inopiam famis, audita ubertate panis, in Bethlehem reversæ sunt. Et quia hæc historia in libro Ruth scribitur, idcircò subsequitur.* Hæc autem verba vetera. *Figulos vero dicit in plantationibus & sepibus progeniem, quæ de Ruth propagata est: quæ in sepibus & plantationibus habitasse dicitur, quando ad regiam dignitatem hæc plantatio pervenit.* Commorati sunt ibi *hoc est in Bethlehem apud regem in operibus ejus, quia ex eis David rex ortus est, cujus opera miris præconiis prædicantur.* Nimium addictus iste pater fuit fabulis Judæorum. Verba illa omnia narrant posteritatem Sale, non Pharez, quod Hieronymus vult. Kimchi: יש דרשות הרבה באלא השמות Nempe Dras dicit Mahlonem & Chilionem fuisse Joas & Saraph &c. At secundum פשט simplicem sensum: כל אלה מבני שלה *Omnes si filii Sale.* Videtur Joas & Saraf bello superasse Moabitas & illic dominatos esse. Hæc quidem in libris nullis hodie exstant, sed hausit ea Esdras ex annalibus qui tum exstabant: nihil pertinent ad Elimelech ejusque filios homines tenuis fortunæ. Dicunt fuisse hominem magnarum opum (ch. גברא רבא) qui ideo è patria excesserit, quod oculi illius dolerent aspectu pauperum, qui in penuria & fame. Mahlonem duxisse Ruth filiam regis Moabitarum Eglon, eadem vanitate (Chaldæus etiam) dicunt. Uxores fuisse factas proselytas, antequam ducerentur ab illis vult Ab. Esd: sed Chaldæus ideò obiisse dicit duos fratres, quod alienigenas duxissent. Chaldaicus interpres scribit decem fore caritates annonæ à conditu mundi usque ad adventum Messiæ. Primam fuisse sub Adam, secundam in diebus Lamech, tertiam in diebus Abraham, quartam in diebus Isaac, quintam in diebus Jacob, sextam in diebus Boaz, qui vocatus est Ebsan justus è Bethlehem; septimam in diebus David regis Israël, octavam tempore Eliæ prophetæ, nonam in diebus Elisæ Samariæ. Decimam futuram esse non famem ad edendum panem, neque sitim ad bibendum vinum sed ad audiendum verbum prophetiæ à Domino.

Quia Ruth non mox admissa est sed post multam instantiam hinc eliciunt Rabbini & quidem ipsa scripturæ verba subtiliter captantes גר שבא להתגייר מודיען לו מקצת ענשין שאם ת' , proselytus, qui venit ut proëlytus fiat indicant ipsi quasdam afflictiones, ut si abeat, per hoc abeat. Id disci è verbis Ruth, quod dixerat ipsi Noomi: Vetitum nobis est egredi extra terminum in Sabbatho, ipsa respondet: In quo ibis tu ego ibo. Vetitum nobis jungi mulierem cum mare, quæ non est ejus uxor, excipit: In quo tu pernoctabis, ego per noctabo. Populus noster separatus est à reliquis populis per præcepta sexcenta & tredecim! Populus tuus populus meus. Vetita nobis est idololatria!

Deus tuus, Deus meus. Quatuor mortes traditæ ſunt domui judicii? In qua morieris, ego moriar. Duo ſepulcra tradita ſunt domui judicii unum lapidatis & combuſtis, unum occiſis & ſtrangulatis? Reddit illæ: Et illic ſepeliar. Hæc è Raſi. Verſum 16. & 17. reſpicit, quos ita interpretatus eſt Chaldæus: *Et dicebat Ruth: Ne ſis mihi moleſta, ut relinquam te ut avertam me à poſt te, quoniam deſidero ego proſelyta fieri. Dicebat Noomi: Præceptum habemus cuſtodire ſabbata & dies feſtos, adeo ut non liceat ambulare ultra duo millia cubitorum. Dicebat Ruth, Quo tu ibis, ego ibo. Noomi: Præceptum habemus non pernoctare in eodem cum populis. Dicebat Ruth In omni loco, in quo tu pernoctabo. Dicebat Noomi: Præceptum habemus obſervare ſexcenta & tredecim præcepta. Dicebat Ruth: Quod obſervant populares tui, idem ego obſervatura ſum, ac ſi eſſemus populus tuus antehac. Dicebat Noomi: Præceptum habemus, ne operemur cultum extraneum! Ruth dicebat, Deus tuus eſt Deus meus Dicebat Noomi: Sunt nobis quatuor judicia mortis facinoroſis: Lapidatio, combuſtio, occiſio per gladium, ſuſpendium ligni! Dicebat Ruth, In quo tu morieris moriar. Dicebat Noomi, Nobis ſepulchrum? Dicebat Ruth, Et illo ſepeliar.* Quatuor illa genera ſuppliciorum capitalium ita exprimit: 1. תִּיגמת אבנא: 2. וִיקִידַת נוּרא: 3. וּקְטִילַת סִיפָא: & 4. וּצְלִיבַת קִיסָא.

Tempus, quo advenerunt in oppidum Bethlehem, Chaldæus ille ita circumſcribit: במעלי יומא דפסחא ובההוא יומא שריאו בני ישראל למחצר ית עומרא דארמותא דהוה מן שעורין. Hic ſane במעלי יומא דפסחא idem eſt, quod ממחרת השבת Levitic. 23. 11. 15. Raſi: בקצירת העומר הכתיב מדבר de meſſione manipuli ſcriptura loquitur. Jam falcem mittebant Iſraëlitæ in ſegetem hordeorum, cujus manipulus Deo conſecrabatur, decimo ſexto die Niſan.

Quomodo Judaicæ fabulæ cohærere poſſunt? Elimelech faciunt (in ſeder olim magno cap. 12.) fratrem Salmonis, qui Rachab duxit: filium alterum duxiſſe Ruth filiam Eglonis regis Moabitarum, qui Iſraëlem vexavit annis octodecim. Boaz fuiſſe Abeſanem, qui judicatum geſſit poſt Jephtham Judic. 12. 8. Jephthe poſt ingreſſum in terram anno ferè trecenteſimo viceſimo quinto aut triceſimo: fuit poſt Eglonis everſionem ducentis. Vides non cohærere. Concedere poſſem ſub Eglone eveniſſe aut anterius hanc hiſtoriam, ſed non poteſt ſimul ſub Eglone ſive Ahod & Abeſane fieri. Elimelech fuiſſe fratrem Salmonis, unde habent? Fuit è cognatione Boaz filii Salmon. Salmon genuit Boaz poſt ingreſſum in terram Canaan è Rachab, ſi quam longiſſimè Rachabæ annos fecundos extendas id eſt uſque in quadrageſimum à capta Hierichunte, Boaz autem genuerit è Ruth anno ætatis ſuæ centeſimo viceſimo: habebimus annum ab Exodo ducenteſimum. Ulterius protendi ab exitu non poterit hiſtoria Ruthæ. Proinde evenerit ante Jephthe ducatum annis circiter ducentis triginta octo. Vide temporum digeſtionem, uſque ad conditum templi per proſapiam Iſai:

In deſerto errant ann.	40
Salmon genuit Boaz	40
Boaz genuit Obed è Ruth ann. æt.	120
Obed genuit Iſai anno æt.	106
Iſai genuit David anno æt.	100
David vixit annos.	70
Templum Salomonis ann.	4
	480

Quanto longius producitur nativitas Boaz, tanto breviore ſpatio ætatis generationes tres ſequentes circumſcribuntur: ſed ego malim generandi tempora in viris quam mulieribus protelare.

RUTH

Ruth. Cap. II.

Ex Elimelechi prosapia erat Boaz. In illius ædibus diversatum esse, ut Josephus dicit, non admittit scripturæ narratio. Erat ille ממשפחת è familia seu demo Elimelech: cui admodum prope junctus fuisse non videtur. Ingentium homo opum erat & locuples. Scriptura vocat גבור חיל, quod redditur in Lxx. *δυνατὸς ἰσχύϊ*; Latinus cum adjecto vertit, *Homo potens* & magnarum opum. Hic ממשפחת interpretatur, *consanguineus*. Ob tenuem fortunam Ruth, cum venia socrus, in agrum se dedit ad spicas legendas. Forte venit in agrum Boaz, quam cum ille vidisset & sciscitando à servulo, qui messoribus præerat, didicisset, esse Moabitin juvenculam, nurum Noomi, cui roganti spicas post messores legere permisisset: eamque à mane usque ad id diei, in agro perseverare, amanter allocutus, Audi filia ne vadas in alium agrum ad colligendum: ne transeas hinc, adhære ancillis meis: ubicumque messores metent, post meas puellas sequere. Intelligit puellas sequentes metentium vestigia, ut manipulos colligarent. Se enim addebat mandasse pueris suis, ut nemo ei molestus esset: Sed etiam si sitierit, jubet ire ad sarcinulas & bibere, quas pueri hausissent aquas. Ruth inexspectatam gratiam admirata & prolapsa in faciem venerandi causa (v. 10.) Unde hoc, inquit, quod peregrinam me tanta complectaris benevolentia? Tum Boaz, cognovi è rumore, quæ socrui tuæ feceris post mariti obitum parentes patriamque relinquendo eam comitata ad populum prius incognitum. Deus remuneretur: sit tua merces perfecta à Domino Deo Israël sub cujus alas confugisti. Illa ait: Invenio gratiam in oculis tuis, quia me consolatus es & locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non sum similis unius puellarum tuarum. Dixitque (v. 14.) ad eam Boaz, Quando hora vescendi fuerit (Sic vulgata rectius est). (Græci *ἤδη ὥρα τοῦ φαγεῖν*) veni huc & comede panem & intinge buccellam tuam in aceto; Sedit itaque ad messorum latus (מצד הקוצרים Lxx: *ἐκ πλαγίων τῶν θεριζόντων*) deditque illi Boaz קלי Gr. *ἄλφιτον*, Lat. *polentam*. Boaz accumulatè & affatim dabat (ויצבט Gr. *ἐβούνισεν*, Lat. *congessit*) Comedit igitur & saturata est & reliquum fecit. Cum ad colligendum surgeret, præcipit Boaz servulis: Etiam inter manipulos sinite legere nec confundite. Et de vestris quoque fasciculis (v. 16.) projicite de industria & remanere permittite, ut absque rubore colligat & colligentem nemo corripiat. Hunc versum 16. Lxx: *Καὶ βαστάζοντες βαστάσατε αὐτῇ καὶ παραβάλλοντες παραβαλεῖτε αὐτῇ ἐκ τῶν βεβουνισμένων καὶ φάγεται καὶ συλλέξει καὶ οὐκ ἐπιτιμήσετε αὐτῇ*: Id est, *Et portantes portabitis ei & adjicientes adjicietis ei è congestis & edet & colliget & non objurgabitis illam*. Mentem veritatis Hebraicæ non attigerunt.

Collegit ergo in agro usque ad vesperam, excussoque (Gr. *ἐρράβδισεν*) collecto reperit epham hordeorum: Epham Græci Ægyptiacè *οἰφὶ*: Latinus Ephi habet & interpretatur *tres modios*.

Cum autem reversa in oppidum ea retulisset ad socrum, itemque de reliquiis polentæ, quas Boaz illi aggesserat, ea bene precata est viro, apud quem collegerat, rogavitque quis esset? Audito Boaz esse, Eum eandem gratiam refert mortuis præstare, quam viventibus fecerat: Esse propinquum & è vindicibus suis. Ruth etiam narrat: Jussam se, ut cum messoribus suis esset usque ad finem messis, nec in alium agrum iret. Quod placuit socrui: Quæ suasit ita faciat, cum tuta foret à contumelia & irrisione. Collegit igitur per messem hordeorum & triticorum. v. 10. 11. 12.&13. interpolavit Chaldæus. Nam ad finem v. 10. Ego ex populo *alieno, ex filiabus Moab & è populo, qui non est mundus*

ad ingrediendum in ecclesiam Domini. v. 11. Denuntiando denuntiatum est mihi *per dictum sapientum, quod cum decrevit Dominus, non decrevit de fœminis sed de viris. Et dictum est super me in prophetia, quod exituri sint de te reges & prophetæ,* propter bonum, quod fecisti cum socru tua, *quod aluisti eam,* postquam mortuus est maritus tuus; Et deseruisti *Timorem tuum* & populum tuum, patrem tuum & matrem tuam & terram nativitatis tuæ & venisti *ad proselytandum* & habitandum inter populum qui non cognitus est tibi &c. v. 12. Retribuet Dominus tibi retributionem bonam *in seculo hoc* ob opus tuum bonum: & erit merces tua perfecta *ad proselytandum* & ad protegendum sub umbra majestatis gloriæ ejus: *Et in hac justitia liberaberis à judicio gehennæ, ut sit portio tua cum Sara & Rebecca & Rachel & Lea* v. 13. Quoniam consolatus es me *& rectificasti me mundam esse in ecclesia Domini*: & quoniam locutus es consolationes super cor ancillæ tuæ; *quod fiduciam feceris mihi ad* possidendum mundum futurum secundum justitiam. Et ego, non mihi dignitas ad esse participem *in mundo venturo etiam* cum una ex ancillis tuis. v. 14. טמישׁ מערך בתבשׁילא דאתבשׁל בחלא *Tinge panem tuum in decocto, quod coctum in aceto.* Intelligit jus cum aceto. Josephus præfectum illum messorum vocat ἀγρονόμον. Dicit forte venisse in rus Boaz; quod non convenit, si in ejus ædibus diversata fuerit. Cum etiam Boaz tanquam de ignota percontetur. Dicit non permisisse Boaz Rutham καλαμᾶσθαι sed θερίζειν quicquid vellet. Noomi (Νάαμιν vocat) nurui reversæ dedisse ἀπὸ μοίρας βρωμάτων τινῶν οἷς αὐτὴν ἐπιλυάρουν οἱ γειτνιῶντες.

Rabbinorum subtiles nugæ: In v. 3. ותלך ותבוא ותלקט בשׂדה: Et ivit & venit & collegit in agro] Rasi: Invenimus in Medras Ruth, עד לא אולת אתת. *Cum adhuc non iret, pervenit.* Quod in scriptura dicatur, *Venit* & postea & *collegit*: nempe quia designabat viam antequam ingrederetur in agrum, ibat & veniebat, redibat in civitatem ut faceret signa & notas ne erraret in semitis & *sciret redire.* Sic Rasi, Nempe תבוא *venire* significat, oppositum ipsi הלך, *ire.* Deinde v. 5. Ubi Boaz quærit de puella: Rasi: *Nunquid mos Boaz fuit interrogare de mulieribus? sed res pudoris & sapientiæ viderat in ea. Duas spicas colligebat, tres non legebat: & colligebat stantes stans & jacentes sedens ut ne se inclinaret.* At Aben-esdras: *Putabat esse mulierem maritatam: fortassis interrogavit puerum, quia videbat vestimentum ejus secundum vestitum terræ suæ: etiam formæ mutantur propter aërem.*

Aben-esdras dicit se aliquando interrogatum quid esset Epha hordeorum, respondisse nullam rationem id quærendi esse: quia Scriptura rem simpliciter narrat (מה היה) Eum cum contemptu regessisse quod causa esset: se siluisse nec rogasse eum. Alio die illum hominem reversum dixisse, quod multæ rationes essent. Primam, quia videret Ruth per modum prophetiæ, futurum esse, ut unus de filiis suis statueret columnam super nomen mariti sui: *Et sensus* (pergit) איפה 95. *malogranata, quæ fuerunt super columna & hoc in Gematria Epha* (איפה) *Et expositio* שעורים *ut* שיעורים *æstimationes, sicut* (Prov. 23. 7.) Æstimavit in anima sua. *Et ratio alia, fuerunt duæ voces, Aramæa & Hebræa: & ipsa quando videbat, quod suspenderetur Absalom, qui erat de filiis ejus. Et ecce Chaf cum Alef indicat mutationem Absalomi in morte sua: Et post hæc* אפה שערים *numero plurali, quod esset gravis super eum. Et ratio alia quia principium literæ* כאיפה *cum principio* שערים *est in Gematria* ישי (Nempe Chaf & ש, idem quod ש & duo Jodin.) *qui fuit justus perfectus aut gaudebat & sedebat cor ejus in medio ipsius.* Vide stolidam scripturarum interpretationem, quam in paleas & quisquilias redigunt.

v. 20, dicit Noomi: Qui non dereliquit benignitatem suam cum viventibus & mortuis. Aben-esdras: *In signum, quod fecerit benignitatem primò cum Elimelech*

melech & filiis ejus, quia judex erat. Non sequitur. Nam vir opulentus, tenuioris fortunæ hominibus poterat benignitatem præstare, etsi judicatum non teneret. Monet autem Aben-esdras: אין הגאולה יבום רק הוא דרך אחרת. *Redemptio hæc non fuit Leviratio; enimvero alius modus fuit.*

Ruth. Cap. III.

TEmpore procedente voluit Noomi nurui suæ quærere *quietem* id est, matrimonium; (*Ab. Esd.* כי אין מנוחה עד שתנשא) in quo prospere ageret. Consilium hoc fuit: Boaz (ajebat) apud cujus puellas fuisti [מודעתנו] Jos. *συγγενὴς* in Lxx *γνώριμος ἡμῶν*) cognatus est noster. Hac nocte hordeum cribrabit in area. Lavare, ungere [Ab. Esd. unguento odorato, ut solebant magni magnæque] vestire, [vestimentis sabbati Rasi] confer te in aream. Nec prodi antequam absolverit edere & bibere. Cum decubuerit, notato loco, retecto velamine pedum, accumbe. Ipse tibi indicabit quid sit facto opus. Ruth libens paruit. Cum se in aream latenter intulisset, in latebris se continet, donec Boaz cibo potuque hilaris decubuisset, in extremitate cujusdam acervi: [בקצה הערמה] Lxx: *ἐν μέρει τῆς στοιβῆς*; Chald. במסטר ערמתא Multa vocabula & phrases Græci sermonis docet versio illa nobilis, quæ dicitur Lxx. interpretum. Sane *στοιβή* significat cumulum, struem in hoc loco; cujus significationis meminerunt Lexicographi sed exempla non adducunt. Arrepit igitur illa, cum observasset dormire, silentio, retectisque pedum stragulis accumbit. In Hebræo habetur מרגלותיו *retexit.* Nonnemo putavit ea voce significari pulvinum sub pedibus quemadmodum voce מראשותיו [Gen. 28. 11.] notatur pulvinar sub capite, ut notavit Aben-esdras, quod ipse rejicit. Media nocte forte evigilans ad primum contactum expavit: palpansque mulierem esse deprehendit. Tum ille, Quæ tu es? Illa autem, Ruth, ancilla tua: expande alam tuam super ancillam tuam: nam vindex es. Hic ille: Benedicta es Domino, filia mea; Nam hanc postremam benignitatem meliorem prima fecisti: non enim sectata es adolescentes, pauperes sive opulentos. Ne metuas, mea filia, Quicquid dixisti faciam. Universum enim oppidum novit te probam mulierem esse. Verum est ego vindex sum sed est me propinquior. Hic remane per noctem. Mane, si te redemerit bene est, sin minus ego redimam, Ut vivit Dominus. Mane usque matutinum. Ita eo in loco accubuit, usque ad mane: sed surgebat cum tenebræ essent, cum necdum homo hominem internoscere posset. Id voluerat ille, Ne quis observaret mulierem in area per noctem fuisse. Habebat mulier מטפחת, Ch. סודרא, Gr. *περίζωμα*; Lat. *pallium* Jubebat Booz ut expansum teneret. Infundit sex mensuras hordei: quibus onerata Ruth, regressa est ad socrum. Cui omnia narrat, quæ evenissent. Socrus, Non, ait, quiescet vir ille, donec dederit effectum.

Josephus: [ad v. 2.] *ἤδη τῆς κριθῆς λελικμημένης ἐπὶ τῆς ἅλωνος ἐκάθευδε.* Atqui scriptura dicit, cribraturum esse sequenti nocte.

ad v. 3. Josephus arbitratur, sopito jam Boaz venisse in aream: quod etiam aliter scriptura narrat.

ad v. 4. 9. Scribit Ruth tantum dixisse ad Boaz: Se esse in illius potestate.

ad v. 13. *Περὶ μέντοι γε τούτου, φησὶν, ἔσται, ἐρωτῶν τὸν ἔγγιστα ἡμῶν τῷ γένει τυγχάνοντα, εἰ σοῦ χρεία γαμετῆς ἐστὶν αὐτῷ· καὶ λέγοντι μὲν ἀκολουθήσεις ἐκείνῳ, παραιτουμένου δὲ νόμῳ σε συνοικήσουσαν ἕξομεν.* Εἰ σοῦ χρεία γαμετῆς ἐστὶν αὐτῷ, interpretari oportet mollius, An te conjugem velit.

Chaldæus ad v. 8. *Et tremuit & mollificata est sicut rapum caro ejus ex tremore:*

aſpexit mulierem dormientem omnino juxta pedes ſuos & ſubegit concupiſcentiam ſuam & non acceſſit ad eam; quemadmodum fecit Ioſeph juſtus, qui renuit appropinquare ad Ægyptiam; uxorem domini ſui; quemadmodum fecit Paltiel filius Lais prius, qui fixit gladium inter ſe & inter Michal filiam Saul, uxorem David, quod recuſaret accedere ad eam.

ad v. 9. *Vocetur nomen tuum* ſuper ancillam tuam, ad accipiendum me in uxorem, quoniam redemptor tu.

ad v. 10. *Anterior, quod proſelyta facta es, poſterior, quod feciſti te ipſum ut mulierem, quæ præſtolatur levirum parvulum uſque ad tempus, quo adoleſcat*: ad non ambulandum poſt adoleſcentes, *ad faciendum fornicationem cum eis.*

ad v. 11. Manifeſtum ante omnes ſedentes portæ Sanhedrin rabba populi mei, quod mulier juſta tu & eſt in te virtus ad aſpiciendum lucernam præceptorum Domini.

ad v. 15. *Et acceſſit ei robur ad ante Dominum ad portandum ea & ſtatim dictum eſt in prophetia, quod futuri venire ex ea ſex juſti mundi; quorum unuſquiſqae benedicendus ſit ſex benedictionibus, David & Daniel & ſocii ejus & rex Meſſias.* Vult enim menſuras iſtas quas ſcriptura non determinat fuiſſe ſata, quæ portari (ut quidam dicunt) non poſſunt è communi modo muliers virium, nec pallio capi.

Rabbini: v. 6. Dicitur, quod deſcenderit in aream & fecerit omnia, quæ præceperat ſocrus: atqui in præceptis ſocrus v. 3. præceſſerat, Lavare, ungi, veſtibus indui, & hic videtur dici quod primò omnium deſcenderit & porro fecerit. Hinc eliciunt Judæi, Noluiſſe ornari antequam in area eſſet, ne ſi aliquis ornatam conſpiceret, ſcortum eſſe arbitraretur.

v. 8. Expavit: Raſi: בסבור שד הוא ובקש לזעוק והיא אוחזתו וליפפתו בזרועותיה. *Putabat dæmonem eſſe, volebatque exclamare: at illa apprehendit & conſtrinxit eum brachiis ſuis.* Palpando invenit mulierem eſſe: Nam Raſi iterum: *Poſuit manum ſuam ſuper caput ejus & agnovit mulierem eſſe.* At Aben-eſdras: Conveniens eſt, quod dixerit ei, Ne metuas, at vox mulieris ſemper noſci poteſt: aut fuit lux lunæ magna & vidit eam, quod eſſet imberbis, etiam poterat agnoſcere è veſtimentis.

v. 9. Expande &c. Aben-eſdras: Innuit accipere ſibi in uxorem. Raſi: *Alam veſtium tuarum, ut tegas me pallio tuo: Et hæc ſignificatio* נשואין ſponſalium. Quia tu vindex, Ad redimendum hæreditatem viri mei, ut q.d. (Levit. 25. 25.) *Et veniet vindex ille propinquus ad eum & redimet* &c. *Socrus mea & ego neceſſe habemus vendere hæreditatem*: Nunc ſuper te eſt acquirere, acquire etiam me cum ea, ut in memoria ſit nomen mortui quando venero ſuper agrum dicant hæc eſt uxor Machlonis.

ad v. 13. Aben-eſdras: *Quidam dicunt quod Tob fuerit nomen iſtius propinqui. At ſi eſt ita, cur dicit ſcriptura in Megilla, Ruth cap. 4. 1.* סורה; שבה פה פלוני אלמוני. *Tantum ſenſus, Si redimat bonum eſt tibi quod redimat, quia eſt vir honoratus.* Joſue ben Levi, teſte Raſi, dicebat Salmon & Elimelech & Tob fratres fuerunt. *Et hoc quod dicitur, fratri noſtro Elimelech* (Cap. 4. 3.) *Semper homo patruum vocat fratrem ſuum, ſecundum modum q. d.* (Gen. 14. 14.) Et audivit Abraham quod captus eſſet frater ſuus. *Nonne Abram ejus patruus erat? Sic fuit Boaz Elimecho filius fratris, propinquus Machlonis, ſed propinquior fuit Tob. Propinquior me, quia frater at ego filius fratris.* Quemadmodum huic traditioni Raſi adhæret ita & aliis, quæ in Targum. Hic etiam Lyranus eum ſequitur. Probat Raſi ut ſex hordeorum ſine menſuræ voce ſignificet ſex benedictiones ſeu dona ſpiritus Meſſiæ.

v. 16. מי את בתי Quæ tu filia mea? Id eſt, quomodo tecum actum eſt. At

At Abenesdras: *Quadrat ut non viderit eam, donec aperiret ipsi januam ad ingrediendum è more. Brevis est scriptura, ut dicat Ego Ruth, nurus tua. Eodem modo* (Exod. 2. 20. 21.) Vocate eum ut edat panem: Et Moses acquievit. Putat igitur ellipsin esse, inter hæc verba & sequentia. R. Jona dicit מי pro מה positum.

Lyranus de facto Ruth: *dicunt hic aliqui quod Noemi non peccavit, quia per legem matrimonii quærebat suscitationem seminis defuncti. Contrarium tamen magis videtur: tum quia modus quærendi non erat bonus, sc. in occulto: tum quia etiam erat alius propinquior ipso Boaz, ut infra habetur, qui debebat prius requiri, aliter fuisset sibi facta injuria, nisi voluntariè suo juri cessisset. Propter quod Booz dixit ipsi Ruth, quod factum celaret. Ipsa autem Ruth fuit totaliter excusata, quia erat de novo conversa ad Judaismum & nesciebat de lege requirendi matrimonii, nec de modo, nisi quantum socrus docebat.*

ad v. 9. Idem: *Per hoc requirebat desponsationem* (נשואין) *Hic enim erat modus tum temporis: quod sponsus contrahens sponsalia ponebat extremum vestis suæ super sponsam. Alii autem dicunt, quod cum hoc curi aliter putabat consummationem matrimonii, secundum quod erat edocta à socru sua, propter quod Booz habuit eam totaliter excusatam. Dicunt enim Hebræi, quod Ruth prius dixit, ipsi Booz: secundum quod eam socrus docuerat: Socrus mea & ego necesse habemus vendere hæreditatem, quæ fuit Elimelech & filiorum ejus & tu es propinquus ad quem pertinet redemptio, ut hab. Levit. 25. Et ideo accipe hæreditatem & me per consequens in uxorem ad suscitandum nomen defuncti in hæreditate sua.*

Salianus putat Noomi etiam excusari posse: quia ignorare potuerit alium esse, qui propingnior esset, oblita per peregrinationem. Vel scivit eum nolle. Denique hæc machinari ut viro probatæ sapientiæ rem committeret. Clandestinè id factum quia ejusmodi ea tempestate non erant illicita: & illectamenta in re licita illicita non esse.

RUTH. CAP. IV.

BOoz vir mitis & placidi ingenii non minus quam justus, nequaquam iratus fuit mulieri, quæ viro obtrudere videbatur matrimonium suum: nam sciebat lege deberi & secundum legem quæri. Blandissimè cum muliere locutus est, pollicitus se effecturum, quod promiserat. Theodoretus: *ὁ δὲ τὸ μὲν πραχθὲν ἐπῄνεσε τὴν δὲ σωφροσύνην οὐ προὔδωκεν· ἀλλὰ τῷ νόμῳ τὴν γαμικὴν διετήρησεν ὁμιλίαν. Factum quidem laudavit: temperantiam autem non prodidit sed legi conservavit nuptialem congressum.* Virtutem in eo prædicat, *ὅτι κόρης νέας διαπρεπῶς νύκτωρ πρὸς αὐτὸν φοιτησάσης τὴν σωφροσύνην ἐφύλαξε καὶ τῷ νόμῳ τὸ πρᾶγμα τετήρηκε.* Die igitur sequenti (*ἤδη μεσούσης τῆς ἡμέρας, ad meridiem*, inquit Josephus) ascendit in portam oppidi, ubi senatus de more gentis haberi solebat. Chald. *Ad portam domus judicii Sanhedrin & sedit ibi cum senibus. Consedit illic* simpliciter in Hebræo textu, nempe prætereuntes observabat, si forte se daret, quem quærebat. Et ecce redemptor transibat. Quem conspiciens nomine suo compellat: *Declina sede hic, tu N.* Non exprimitur in scriptura ejus nomen. Indefinite habetur פלוני אלמני. Id Lxx. *κρύφι.* Ch. גבר דצניען ארחתיה *Vir, cujus viæ humiles.* Judæi volunt non exprimi nomen, ob indignationem & ad viri detestationem & infamiam, qui nollet redimere. Latinus vetus: *vocans eum nomine suo.* Non malè, quoad sensum. Porro assumpsit ad se viros decem de senioribus urbis, quos jussit apud se considere. Josephus minus convenienter: *Τὴν γερουσίαν συνῆγε, καὶ μεταπεμψάμενος Ῥούθην ἐκάλει καὶ τὸν συγγενῆ. Senatum*

coëgit

coëgit & vocata Rutha vocabat etiam cognatum. Ad morem sui potius quam illius temporis respexit. Hic Boaz ad ἀγχιστεία *vindicem: Partem agri, quæ fuit fratris nostri Elimelech, vendit Noomi, quæ rediit ex agro Moab.* LXX. malè. Τὴν μερίδα τοῦ ἀγροῦ, ἥ ἐστι τοῦ ἀδελφοῦ ἡμῶν τοῦ Ἐλιμέλεχ, ἣ δέδοται Νωεμὶν τῇ ἐπιστρεφούσῃ ἐξ ἀγροῦ Μωάβ. Scribatur: ἀποδίδοται Νωεμὶν ἡ ἐπιστρέφουσα. Nam Noemi ea vendebat, nec aliter constat oratio. *Ego autem dixi me retecturum tibi aurem, dicendo, Acquiram coram consdentibus* (Ch. *sedentibus ostii domus judicii Sanhedrin*) *& coram senioribus populi mei.* Id vult se recepisse in se, ut admoneret & compellaret virum. Junio-Tremelliana versio *Alienavit Noomi*, id est, *transtulit in filium Machlonem, quo mortuo ad Rutham uxorem devoluta est.* Non tetigit scopum. Nam significat Elimelechi conjugem eam partem agri venum proponere, ut suæ inopiæ consuleret. Non erat devoluta ad Rutham à Noomi, sed simul cum Ruth, sub potestate Noomi, donec redimeretur cum conjugio Ruth. Nam defuncti vidua non quidem succedebat in hæreditatem si sine liberis ille decederet, aut liberi, post ejus obitum decederent; at tenebat hæreditatem ad vitam, & illam poterat vendere, quantum sui juris erat. Lyranus putat partem tenuisse: sed hoc superstitibus libris. Ejus verba porrò sequuntur: *Si vendicabis, vendica: sed si non vendicabis, indica mihi ut sciam: quia non est præter te, qui vendicet & ego post te.* Vindex ille: *Ego vindicabo.*

v. 5. Tum Boaz: Quando redimes agrum è manu Noomi, etiam à Ruth Moabitide, uxore mortui redemeris, ad suscitandum nomen defuncti super hæreditate sua. Ch. *In die emere te agrum ex manu Noomi & ex manu Ruth Moabitidis uxoris mortui, obligatus es ad redimendum & quærens ad affinitatis jure ducendum eam & ad accipiendum eam in uxorem propter suscitandum nomen mortui &c.* Theodoretus: Ἀξιάγαστα δὲ αὐτοῦ καὶ τὰ πρὸς ἐκεῖνον ῥήματα· οὐ γὰρ πρώτους αὐτῷ περὶ τοῦ γάμου προσενήνοχε λόγους, ἀλλὰ περὶ τῆς τῶν ἀγρῶν κτήσεως διελέχθη. ἐπειδὴ ἐκεῖνος τὸ συμβόλαιον ἀσπασίως δεξάμενος τὸν περὶ τοῦ γάμου λόγον προστέθεικεν· εἰρηκὼς δίκαιον εἶναι τὸν τοῦ τετελευτηκότος ὠνούμενον τοὺς ἀγροὺς γῆμαι καὶ τὴν γυναῖκα καὶ φυλάξαι τῇ παιδοποιΐᾳ τοῦ κατοιχομένου τὴν μνήμην. *Sunt autem admiratione digna ipsius ad illum verba. Non enim primos illi obtulit sermones de nuptiis sed disseruit de agrorum possessione. Deinde cum ille pactum libenter accepisset, sermonem de nuptiis adjecit: dicens, æquum esse, ementem defuncti agros, etiam ducere uxorem & servare procreatione defuncti memoriam.* Josephus: Καὶ παραγενομένου, φησὶν, Ἀβιμελέχου καὶ τῶν υἱῶν αὐτοῦ κλήρους κρατεῖς; ὁμολογήσαντος δὲ συγχωρούντων τῶν νόμων κατὰ ἀγχιστείαν, οὐκοῦν φησιν ὁ Βόοζος, ἐξ ἡμισείας δεῖ μεμνῆσθαι τῶν νόμων ἀλλὰ πάντα ποιεῖν κατ' αὐτοὺς μᾶλλον. Ἰδοὺ γὰρ δεῦρο ἥκει γύναιον, ὅπερ, εἰ θέλεις τῶν ἀγρῶν κρατεῖν, γαμεῖν σε δεῖ κατὰ τοὺς νόμους. *Cum adesset,* inquit, *Abimelechi & filiorum sortes tenes? Consitente, ut concedentibus legibus secundum propinquitatem, Non igitur,* inquit, *Booz, è dimidio memorem esse legis oportet, sed potius omnia secundum leges facere. Ecce enim huc venit muliercula, quam, si velis agros tenere, ducere te oportet secundum leges.* Ignarum se ostendit legum patriarum. Non potuit agros sibi vindicare, nisi de jure adeoque ducta defuncti conjuge. Et scriptura ostendit emptionem oblatam esse, ut possideret, non autem à possidente exactum debitum officium. Si tenuisset, ad eum ivissent mulieres, postulassentque quod debebat: quæ ne quidem scivisse videntur, quod proximus esset.

v. 6. Respondet ille se non posse redimere, sub illa conditione, ne forte suam hæreditatem corrumperet. פן אשחית את נחלתי. Rationem hanc ita interpretantur Josephus & Chaldæus, quod uxorem haberet. Et hanc rationem plerique amplectuntur: sub hac expositione: Quod nollet domi jurgium ut solet è polygamia: quodque multos liberos haberet, quorum hæreditatem imminu-

minuturus esset, si est juvencula plures procrearet. Latinus hic: *Neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo.* Lyranus: *Quod exponunt aliqui Hebræi de posteritate egressura è Ruth, si eam acciperet: eo quod scribitur Deuteron.* 23. Moabites & Ammonites non intrabunt in ecclesiam Dei in æternum. *Sed si iste hanc causam allegavit, falsum dixit: quia illa pœna non cadit super mulieres, nec per consequens super prolem earum de viro Israëlita, sicut ibidem dictum fuit. Et ideò aliter exponitur: Videlicet de prole, quam jam habebat de alia uxore: quia si accepisset Ruth, oportuisset eum intendere educationi prolis nasciture de ipsa; & per consequens minus posset intendere provisioni prolis jam habitæ de alia. Et istud vocat deletionem secundum communem modum loquendi, quo dicitur de aliquo: si habeat aliquod damnum notabile, Destructus est vel deletus.* Versio illa confirmatur à Rasi, quem Lyranus solet sequi.

v. 7. Cum suo privilegio renuntiasset ille, ex more calceum Booz dedit. Mos hic ita in scriptura propositus est: *Et hoc olim erat in Israële in vindiciis & in permutatione ad firmandam omnem rem, exuebat homo calceum suum & dabat proximo suo atque hoc erat testimonium in Israël.* Chaldæus: *In tempore, quo accipientes aut redimentes aut permutantes unus cum socio suo & confirmantes omne quodcunque extraxit vir vaginam manus dextræ suæ & porrexit in ea possessionem socio suo & ita consuescentes ad possidendum domus Israël alter ab altero.* De Chirotheca accipit, quod communiter de calceo pedis: LXX: ὑπελύσατο τὸ ὑπόδημα; Lat. *Solvit de pede suo.* Rasi: *Hic est* קנין *modus acquisitionis, quemadmodum per sudar nos loco calcei. Et magistri nostri dissentiunt de re quis cui dederit; quidam dicunt acquirentes sunt instrumento acquirentis & Boaz dedit vindici: alii dicunt, acquirentes sunt instrumento possessionis & vindex dedit Boaz.* Vulgatus interpres v. 8. ita reddidit, ut dubium definiat: *Dixit ergò propinquo suo Booz, Tolle calciamentum tuum, quod statim solvit pede suo* Heb. *Et dixit vindex Boozo: Compara tibi & exuit calceum suum.* Lyranus: *Hoc erat signum quod unus spoliabatur jure & alter investiebatur. Dicitur autem Deuteron. 25. quod mulier defuncti solvebat calciamentum illud & spuebat in faciem illius nolentis suscitare semen defuncti. Sed hoc erat, quando mulier conveniebat eum coram judicibus & ille recusabat eam accipere. Sed quando alter propinquus conveniebat eum (sicut fuit in proposito) quod tunc ipse solvebat. Ideo subditur.* Dixit ergò Boaz propinquo &c. Abulensis aliter conciliat, quod hic est cum Deuteronomii loco: Nempe ibi pœnam memorari, quæ irrogetur fratri germano soli, qui teneretur tanquam sanguine omninò proximus suscitare semen, ad quod non ita adstringebantur cognati, quia remotiores erant. Ibi igitur pœnam haberi, hic de more quo confirmabant cessionem juris sui. In pœna recusationis mulier fratri mariti detrahebat calceum, ut nudipedis nomen sustineat per contumeliam: quemadmodum & mulier faciem ejus conspuebat. Hic ipse, qui cedebat, calceum sibi detractum tradebat alteri, in symbolum cessionis. Sponsus futurus & possessor calciabatur illo calceo ut docet Cyprianus lib. 2. adv. Judæos cap. 18. Nulla igitur pœna huic propinquo irrogata est. Josephus pœnam illam impositam fuisse putat per Ruth: *Μαρτυρόμενος οὖν ὁ Βόοζος τὴν γερουσίαν ἐκέλευσε τῇ γυναικὶ ὑπολῦσαι αὐτὸν προσελθοῦσαν κατὰ τὸν νόμον καὶ τύπτειν* (leg. absque dubio πτύειν) *εἰς τὸ πρόσωπον.* Malè interpres: *calceum ei detractum in faciem incutere*, cum velit calceum solvisse & exuisse, sed spuisse in faciem. Errat Josephus, quia ille mos suo tempore in usu non erat. Mos antiquissimus, qui etiam videtur obsolevisse, tempore scriptoris libri Ruth: *Hoc olim erat in Israël.* Quidam putant pœnam illi debitam ideò tantum non esse illatam, quod Ruth ipsa non ageret nec præsens esset. Sic nostri Belgæ interpretes. H. Grotius arbitratur legem de fratribus germanis loquentem (Deut, 25.) autore con-

ſuetudine traductam eſſe ad cognatos, eoque hic rem eandem eſſe ut & Joſephus putavit.

v. 9. 10. &c. Booz ſumpto calceo, ſenioribus & toti populo dixit: *Teſtes vos hodie me comparaſſe omnia, quæ Elimelechi & omnia quæ Chelionis & Mahalonis, è manu Noomi. Etiam Ruth Moabitin uxorem Mahalonis comparo mihi in uxorem, ad excitandum nomen demortui ſuper poſſeſſionem ejus: ut non exſcindatur nomen defuncti è fratribus ſuis & è porta loci ſui: teſtes eſtis vos hodie.* Sic ille: nullam autem mentionem Chelionis facit, tanquam nominis ejus ſuſcitandi, quia vidua ejus Orpha in Moab remanſerat: ceſſit igitur hæreditas Mahloni ſeu filio in nomen ejus ſuſcitando. Læta acclamatione votoque ſenatus populuſque verba excepit. *Teſtes ſumus: Det dominus mulierem, quæ venit in domum tuam, ſicut Rachel & Lea, quæ ædificaverunt ambæ domum Iſraël, & fac opes. Evoca nomen Bethlehemi. Et ſit domus tua ſicut domus Phares, quem peperit Thamar Judæ, è ſemine, quod dabit Dominus tibi ex puella iſta.* Nuptias igitur cum Ruth celebravit Booz, ſive uxoratus fuerit, ſive uxore & liberis caruerit: quod enim Judæi dicunt obiiſſe uxorem eo tempore, cum Noomi cum Ruth in patriam redirent, caret fundamento. Concepit peperitque filium. Joſephus: γίνεται παιδίον αὐτῷ μεθ' ἐνιαυτὸν ἄῤῥεν. Gratulantur mulieres Noomi: Benedictus Dominus, qui non deſtituit te, vindice: ut vocetur ejus nomen in Iſraël. Vindicem גואל vocat natum filium, quomodo defendi poteſt, quod eſt in vulgato: Succeſſor familiæ tuæ. גואל qui inſtaurabat familiæ nomen. *Erit tibi*, inquiunt, *reducens animam & ſuſtinebit canitiem tuam: quoniam nurus tua, quæ te amat, peperit* eum, quæ melior eſt tibi ſeptem filiis. Noomi puerulum ſinu ſuo fovit eoque nutricis ac gerulæ fungebatur officio. Vicinæ autem ei dederunt nomen Obed, עובד.

Aben-eſdræ diſſertationem de proſapia & majoribus Davidis deſcribere placet: *Per modum probabilitatis quod Naaſſon ſit mortuus in deſerto: quia non quadrat fuiſſe puerum: & ipſe dominus vexilli & proficiſcens in principio ante Iſraël: porro meminiſſet ſcriptura, quod ingreſſus eſſet terram & non fuiſſet alius phylarchus. Et ecce, tantum ſunt ab ingreſſu in terram uſque ad nativitatem David, anni 366. Nam ſcriptura dicit* (1. Reg. 6. 1.) Et fuit quadringenteſimo & octogeſimo anno, quarto regis Salomonis. *David autem vixit ſeptuaginta annis & quadraginta annis ambularunt filii Iſraël in deſerto. Eo ſi dicamus quod Salmon fuerit quando ingrediebatur terram anniculus, Ecce illi quatuor, Salmon, Booz, Obed. Iſai. Ecce unuſquiſque genuit, fuitque annorum 91. At ſi ſurgat* (מעיער) *accuratus indagator, dicatque, quod Naaſſon fuerit, quando egrediebatur ex Ægypto minor viginti annis: ecce Naaſſon, quod fuerit octodecim annorum & non defecerit annis, quibus Iſraël ivit in deſerto, ecce habentur quinque: unuſquiſque genuerit cum eſſet octoginta quatuor annorum. Hoc eſt verum in oculis meis. Nam Boaz ſenex erat. Hoc diſcimus ex eo quod dixerit ad Ruth:* Ut non ires poſt juvenes. *Etiam Iſai ſenex erat, quando genuit David quia fuit octavus filiorum ejus. Veroſimile eſt, quod ſit vocatus Obed, quia eum genuit ſenex nec acceperat uxorem niſi propter gloriam Dei: etiam mater reliquerat legem ſuam & terram cognationis ſuæ & confugerat ad umbram alæ Dei. Ideo futurus erat filius colens Deum, quia plerique filii ſimiles ſunt patri & matri, quia illi ſunt radices.*

SUL-

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

Cap. XLIX.

IGitur, ut supra retuli. Hebræi sine judice aut duce ullo, proprio arbitrio agebantur. Heli sacerdos erat: sub hoc Samuel natus est. Huic Pater Elchana, mater Anna. Hæc diu sterilis, cum conceptum à Deo peteret, vovisse traditur, si puer nasceretur sacrandum Domino. Ita enixum puerum Heli sacerdoti tradidit. Mox cum adolevisset, Dominus ad eum locutus est. Heli sacerdoti iram denuntiat ob vitam filiorum, qui sacerdotium patris in quæstum verterant, munera à sacrificantibus exigentes, quanquam plerumque eos pater increpasse referatur. Sed levior objurgatio non satisfecerat disciplinæ. Igitur Allophylis in Iudæam irruentibus obviam itum. Sed victi Hebræi, parant aciem restituere: arcam Domini secum in pugnam efferunt, & cum ea filii sacerdotis prodeunt: quia ipse annis gravior, luminibus obductis, satisfacere officio nequiverat. Sed ubi arca in conspectum hostium deducta est, majestate quadam præsentis Domini territi fugam parabant. Assumptaque rursum constantia, & non sine Domino mutatis animis, totis viribus concurrunt. Victi Hebræi, arca capitur, filii sacerdotis cadunt. Heli, delato ad se mali nuncio, consternatus, animam expiravit, cum per annos viginti sacerdotium administrasset.

Drusius.

HELI SACERDOS] Eli septimus erat ab Aharone, ab Ithamaro, ejus filio altero genus ducens. Fuit autem, ut Josephus refert, pontifex ex hac familiâ primus, cujus genus in pontificatu mansit, usque ad Salomonis tempora, quando ad Eleazari familiam rursum rediit. Ant. hist. lib. 5. cap. 12.

ELCHANA] malim Elcana. Sic enim & Græci scribunt, Ἐλκανὰ. Genus ducebat ab Elcana filio Core, ac proptera creditur etiam propheta fuisse. Nam filii Core prophetæ erant. Rei firmandæ quod 1. Sam. 1. 1. *ex Rhamathaim Sophim*, si modo ibi *Sophim*, ut quidam opinantur, significat speculatores, id est, prophetas. Videndus R. David, quem Camium cognominant.

ANNA] scribe *Hanna* cum aspiratione, id est, חנה. Sic vocabatur etiam

mater septem fratrum Machabæorum, quorum historiam Josephus descripsit peculiari libro, qui περὶ τοῦ αὐτοκράτορος λογισμοῦ inscribitur. Antiqui μακκαβαίων appellant.

Cum Adolevisset] 1. Sam. 2. 26. exacto anno duodecimo ætatis. Josephus.

Iram Denuncians] iram Dei, pœnam Divinam.

Ob Vitam Filionum] Ophni & Phinees.

Munera a Sacrificantibus Exigentes] non hoc tantum faciebant, sed etiam mulierum religionis causa eo ad sacrum locum confluentium pudicitiam expugnabant.

Sed Levior Objurgatio] Hieronymus, *Eli pro iniquitate filiorum suorum damnatus est.* Corripuit quidem eos, sed levitate patris non autoritate pontificis, & quia eos tenebatur corripere, ideo non solum pro iniquitate filiorum, sed etiam pro sua fuit punitus.

Sed Victi Hebræi] cæsa sunt in hoc prælio circiter quatuor millia. 1. Sam. 4. 2.

Cum Ea Filii Sacerdotis Prodeunt] addit Josephus accepisse à patre mandatum, si amissa arca vivere sustinerent, ne unquam in conspectum suum venirent.

Annis Gravior] agebat tum annum ætatis octavum supra nonagesimum.

Luminibus Obductis] oculis caligantibus I. Sam. 4. 15.

Præsentis Domini] id est arcæ. Sic, venit Deus in castra. Nam symbolum erat Divinitatis in terrâ.

Fugam Parabant] fugam parasse non legitur in scripturâ, duntaxat scriptum ibi est eos in magno metu fuisse ob præsentiam arcæ.

Non Sine Domino] non sine Divina providentia.

Victi Hebræi, Arca Capitur] ceciderunt in hac pugna triginta millia peditum, I. Sam. 4. 10.

Animam Expiravit] de sella in dorsum delapsus cervicem fregit.

Per Annos Viginti] in editione Romana, ἔκρινε τὸν Ἰσραὴλ εἴκοσι ἔτη. Ita est in LL. AA. sic Eusebius in Chronicis affirmat scripsisse Lxx. interpretes. Ceterum & in vulgatis editionibus Græcis itemque in Ebræa est τεσσαράκοντα, id est quadraginta. Sunt etiam qui putant errorem hunc natum ex affinitate literarum μ & κ quarum hæc in numeris denotat 20. illa vero 40.

Sacerdotium Administravit] & judicatum: nam simul sacerdos erat & judex. Sane in fonte judicavit Israëlem &c. Sacerdotium autem posuit pro pontificatu, ut supra hoc cap. 49. qui sacerdotium patris in quæstum verterant. Sic ἱερωσύνη pro ἀρχιερωσύνη, in libris Machabæorum.

Schotanus.

I. Sam. I.

Samuël, judicum ultimus (primus prophetarum de Christo prænuntiantium Act. 3. 24.) natus est judice Eli. Constat Eli judicasse annis 40. I. Sam. 4. 18. Ortus Samuëlis à Spiritu S. fuse describitur. Parens ipsius Elcana in montanis Ephraim incolebat, in oppido הרמתים צופים. Rasi: *Duæ Ramoth fuerunt quæ spectabant & videbant hæc illam. Ionathan interpretatur* תלמידי / *è discipulis prophetarum.* Si fuerunt duæ, intelligendum ita verbum scripturæ est, ex una duarum

duarum Ramarum, כמאחת משתי רמות ut Kimchi notat. Ralbag oppidum illud duabus partibus ita constitisse putat, ut instar haberet duplicis oppidi, quarum quælibet pars alteram respiciebat. Rama (cum articulo & litera loci הרמתה) v. 19. in numero singulari. Ephratæus (id est Efraimita) erat inhabitatione, origine Levita. Illius stirps unde descendit?

In hoc capite	I. Chronic. 6.	
Elcana,	Elcana	Levita *igitur è filiis*
Jerocham,	Jerocham	Core, & *Cabattta*:
Elihu	Eliab	quorum oppida in Efraim
Thohu	Nahath	Josue 21. v. 20.
Suph	Sophai	

Theodoretus: *τοῦ δὲ Ἰσαὰρ ἔκγονος ὁ Κορὲ, ἀπόγονος δὲ Ἐλκανᾶ τοῦ Σαμουὴλ ὁ πατὴρ οὗτος πέμπτος καὶ δέκατος μὲν ἀπὸ Λευί· τῆς δὲ Καὰθ ἦν πατριᾶς· ἣ τῶν ἄλλων προέκειτο, τῷ τοὺς ἀρχιερέας ἐξ αὐτῆς ἠνθηκέναι· διὸ δὴ καὶ φέρειν αὐτοῖς ἀπονεμήθη τὰ σκεύη τὰ ἅγια. Isaaris nepos core atnepos autem Elcana Samuelis pater. Samuel igitur decimus quintus à Levi. Erat familia Caath: quæ aliis præferebatur, quod summi pontifices ex ea effloruerint: ideo etiam ipsis datum ferre vasa sacra.*

Per Sophim צופים prophetas volunt intelligi. Fuisse igitur è filiis prophetarum in Rama. Alia conjectura Gersomidæ quod hoc nomen deductum tanquam gentile à Suph sive Sophai. Constat Ramæ sub Samuele fuisse scholam prophetarum I. Sam. 10. 10. & 19. 19. 20. 21. 22. &c. Erat in terra Suph. I. Sam. 9. 5. Ut accipi possit è Rama familiæ Sophæorum, Sophitidis. E familia Coritarum multi prophetæ fuerunt, ut annotant Judæi. Cæterum אפרתי quod in textu, Chaldæus transtulit גברא פליג חולק בקודשיא בטורא דבית אפרים *Vir dividens partem in sanctu in monte domus Efraim.* Duas uxores habuit Hannam & Penennam, sed priorem sterilem. Hannam prius duxisse volunt, superinduxisse Penennam, quia illa sterilis erat. Ex Hanna igitur liberos non habebat, sed Penenna sobolem dederat. Solebat quotannis, nempe in festis magnis Siluntem ire, ad orandum & immolandum: qua tempestate illic sacerdotium obibant Hofni & Phinees filii Eli. Dras Judæorum è litera procudit quod quolibet anno, diversam viam iverit, ut incolas excitaret מימים ימימה. Lxx. id male ἐξ ἡμερῶν εἰς ἡμέρας. Die quodam festo epulans in sacrificio, distribuebat portiones Penennæ cum suis filiis filiabusque multas pro suo numero: Hannæ unam, sed eam nobiliorem, מנה אחת אפים. Eam enim diligebat, sed Dominus occluserat uterum ejus. Quem dolorem augebat æmula exprobrando sterilitatem. Annuatim vir ille solebat ad festa ascendere, & occasione distributionis in epulo sacro utebatur æmula, ut illi ægrè faceret. Quodam igitur tempore, cum ad mensam sederent, flebat omnique cibo abstinebat Hanna: id cum maritus animadverteret: Solatus est dixitque, Nonne ego tibi melior decem filiis? Qua formula Noomin alloquutæ mulieres Ruth. 4. 15. Finito epulo surgit, abit ad locum orationis oratque amaro animo multisque cum lachrymis & voto: Domine exercituum si aliquando respexeris afflictionem ancillæ tuæ, meique memineris dando semen masculum: dabo id Domino omnibus diebus vitæ suæ, nec veniet forfex in caput ejus. Adsidebat Eli juxta postem templi, videbatque mulierem perdurantem coram Domino, sed sola movere labia non vocem. Ebriam igitur esse ratus increpat. Quando tandem vinum depones? At illa, modeste respondet, Domine, Ebria non sum, sed mulier anxio spiritu: nec vinum nec siceram bibi sed animam meam effudi coram Domino. Ne tuam ancillam velis æstimare

pro filia Belial. Hucuſque enim locuta ſum è multitudine cogitationum & mœroris. Tum Eli: Abi in pace, Deus Iſraël petitionem tuam dabit. Cui illa: Inveniat ancilla tua gratiam in oculis tuis. Abiit igitur læta, depoſito mœrore. Tanta in ea fides erat. Notat Abulenſis non tantum ſacrificiorum cauſa cum uxoribus iviſſe, ſed & miniſtrandi ſuis vicibus, quando uxores non comitabantur. Fruſtra diſputatur quodnam feſtum fuerit, in quo oratio Annæ facta eſt. Tribus feſtis juſſus eſt populus ad locum cultus ire, veruntamen venia dabatur de duabus ultimis feſtivitatibus, propter viæ longitudinem aut alia cauſa ſontica.

2. Eli ſcribitur ſediſſe על מזוזת היכל. Tabernaculum poſtes non habebat. Hinc putant in Silo obtectum fuiſſe decenti aliquo tecto adverſus cæli injuriam, ipſum autem atrium muro cinctum. Circa quem erant habitationes Levitarum. Ad fores illius muri ſediſſe Eli. In Græco eſt *ἐπὶ τ̃ φλιᾶς ναοῦ κυρίου.* Chaldæus: Ad poſtes in latere liminis templi. Kimchi: *Quidam magiſtri b. m. dicunt quòd non fuerit licita ſeßio in atrio nec regibus domus David, ſed Pontifici maximo.* Nam 2. Sam. 7. 18. *ingrediebatur David & conſidebat* coram *Domino,* exponunt quod conſederit ipſe ad precandum &c.

3. Hanna filium Domino conſecrat & ad Naziræatum. Comam memorat, omnia requiſita intelligit. Uxoris votum maritus ratum habuit.

4. Eli eam ebriam eſſe ſuſpicatus eſt, quia videbat diu & alieno tempore preces ſine voce ſubmurmurantem. *Accedebat forte,* inquit Salianus, *rubor in facie, natantes lachrymis oculi, geſticulationes capitis, manuum, brachiorum, qualia ingentes animi æſtus non advertentibus excutiunt.* Non vidit ſaltitantem, ridentem &c.

5. Joſephus reſponſum mulieris, narrat edidiſſe cauſam mœroris: *τῆς δὲ πιεῖν ὕδωρ φαμένης, λυπουμένης δ' ἐπὶ παίδων ἀπορίᾳ τὸν θεὸν ἱκετεύειν.*

6. Votum ita exprimit: *τὸ πρῶτον αὐτῇ γενησόμενον καθιερώσειν ἐπὶ διακονίαν τ̃ θεοῦ, δίαιταν οὐχ ὁμοίαν τοῖς ἰδιώταις ποιησόμενον.* Nimis generaliter & confuſe Naziræatum deſcribit.

Sequentis diei mane, adorato coram facie Dei, profecti redeunt Ramam, Brevi Hanna concepit peperitque filium, cui nomen facit Samuëlem, quod eum precibus à Deo impetraſſet. Samuel, *Poſuit eum Deus.* Hic notat Ralbag debuiſſe ad verba notationis dici שאול. Dicit enim *Quia à Domino eum petii:* Sed לא ידקדקו קוראי השמות.

v. 20. ויהי לתקופות הימים] Lxx. *τῷ καιρῷ τῶν ἡμερῶν.* Ch. והוה לזמן משלם יומיא Kimchi dicit ſignificare כשהשלים ימי ההירין cum perfeciſſet dies conceptus, peperit filium: intelliguntur igitur revolutiones dierum quos intrà conceptus conſummatus editur. Raſi מיעוט תקופות שתים מיעוט ימים שנים לששה חרשים ושני ימים מכאן היולדת לשבעה יולדת למקוטעים:

Elcana poſt editum infantulum iturus cum tota domo ut ſacrificium Domino annuum (Ch. יתדבח מועדיא) faceret & votum ſolveret (Raſi נדרים שנדר בין רגל לרגל היה מקריב ברגל: Vota, quæ voverat inter feſtum & feſtum offerebat in feſto: domi reliquit uxorem Hannam, quia id petebat, donec filiolum lactaret. Ipſa enim ſuis uberibus lactabat puerum, (22. menſes tempus lactationis ſecundum Raſi, 24. juxta Kimchi) Ablactatum deducit in domum Domini cum tribus juvencis, Epha farinæ, & utre vini. Juvencum mactant & puerum ducunt ad Eli. Cæterum omnis primogenitus maſculus adduci debuit ad Dominum poſt ſex ſeptimanas *τῶν λοχείων.* Hunc ob debilitatem non adductum fuiſſe iſto tempore ſcribit Kimchi. Abulenſis putat ut redemptionem primogenitorum, ita oblationem ad mulieres Leviticas non pertinuiſſe. Nam ſacri-

sacrificia ista erant jura debita Levitis à reliquo populo. Sane omnes Levitæ sacri Deo erant loco primogenitorum reliqui populi. Referunt Eli, hunc puerum esse quem à Domino petiisset, quamque Domino consecràsset ista mulier quam sibi adstantem coram Domino observasset. Samuël igitur Domino datus est in omne ævum suum, ut habetur v. 22. *Vt maneat illic* עד עולם. Hinc eliciunt Judæorum magistri admodum subtiliter, quod quinquaginta duobus annis vixerit. Nam fuit illic כל ימי חיו / & fuit עד עולם, Igitur idem est numerus dierum vitæ & seculum. Atqui seculum, quo ministrabant Levitæ erat annorum quinquaginta, secundum dictum scripturæ Num. 4. *usque ad annum 50.* Quinquaginta annis si addideris duos, post quos ablactatus Samuel, ævum illius habebitur: quasi Levitæ ministraverint totis annis 50. aut quasi hic de ministerio Levitico sermo sit, cum sit הקדש. Rasi: *Ecce Eli judicabat Israëlem quadraginta annis, inque die precationis Hannæ factus est judex. Subduc annum gestationis Samuël, relinquuntur 30. Samuël judicavit Israëlem à morte Eli tredecim annis. Nam die, quo mortuus est Eli, migravit arca & sedit in agro Palæstinorum quatuor mensibus: Exinde venit in Cariathiarim, donec eam ascendere fecit David, à quo regnaverat septem annis in Hebron super Iuda: feceruntque omnis Israël eum regnare super se: Et scriptum.* Factum est à termino sessionis arcæ in Cariath Jarim multiplicati sunt dies & fuerunt viginti anni. *Subduc ex illis septem annos, quibus regnavit David in Hebron, invenientur à quo migravit arca usque mortem Saul quatuordecim anni & quatuor menses: at Samuël mortuus est quatuor mensibus ante Saul.* Hæc est computatio Rabbinica, qua etiam conficiunt Eli incepisse judicatum cum Hanna oraret & obtineret Samuëlem. At constat Samuelem consenuisse cum Saul regnum iniret & probabile est, quod admodum juvenis fuerit, adeo inter finem cap. VII. & principium octavi hiatum oportet esse multorum annorum. Hinc recte judicat Lyranus Eli per plures annos fuisse judicem ante Samuëlis nativitatem. Non potest argumentum duci ab illa sessione, qua sedebat ad postem templi, quod inthronizatus fuerit illo die. Nam sella illa non erat tribunal judicis: & si fuisset, non dicitur quod ea die primum in ea sederit. Sed quæritur quomodo puer à biennio idoneus fuerit ministerio? Lyranus: *Duplex est ablactatio: Vna est abstractio à lacte mamillæ & ista fuit circa principium tertii anni vel circiter. Alia est ablactatio, quando abstrahitur puer à lacte pueritiæ: quando incipit uti aliis communibus cibis & lacticiniis non nutritur amplius: Et hoc fit circa decimum annum vel circiter. Et de hac ablactatione loquitur hic scriptura.* Judæi tamen volunt primam ablactationem intelligi. Et narrant etiam Eli miratum tam puerum ad se adduci, cum Levitæ non ante annum vigesimum ministrarent. Sed hæ nugæ sunt. Admodum puerum fuisse Scriptura testatur. Et cur non credamus trimulum, quia ibi nutriri potuit & informari ad ministerium debuit? Narrat idem aliquos Hebræos dicere, quod ante nativitatem Samuelis audita fuerit vox de cælo: quod futurus esset quidam justus nomine Samuel: propter quod mulieres plures parientes masculos illo tempore vocabant eos nomine Samuëlis: quousque per opera apparebat, quod de illis non intelligebatur vox Divina. Hanc fabulam comminiscuntur ex v. 23. ubi Elcana dixit uxori: *Deus stabiliat verbum suum.* Atqui nullum legitur nec memoratur verbum Dei, dictum circa Samuëlem. Sed cur hic non audiunt Salomonem suum? qui, ut Kimchi & Ralbag, interpretantur de verbo voti, quod hactenus Deus ratum habuerat: vel de verbo, quod per Sp. S. Eli ad Hannam dixerat v. 17. Medras autem est, quod placuit Lyrano ad expositionem literalem. Nam sic Rasi: רבי נחמיה בשם רבי שמואל בר

בר

רב יצחק אמר בכל יום ויום בת קול יוצאת ומפוצצת בעולם ואומרת עתיד צדיק אחד לעמוד ושמו שמואל וכל אשה שהיתה יולדת בן היתה מציאה שמו שמואל כיון שנולד ראים את מעשיו היו אומרים אין זה שמואל כיון שנולד זה וראו מעשיו אמרו דומה שזה הוא והו שאמר יקם יי׳ את דברו שהוא זה שמואל:

Notandum, quod unum juvencum (ὁμόχρονον puerulo ut dicit Theodoretus) dicantur mactasse, cúm tres attulerint. Exiſtimant unum immolatum Domino, duos ad convivia adhibitos & menſam: at cur non dicemus potius, quod unus in holocauſtum, duo in pacifica ſeu πλείστους, ut vocant Lxx. E pacificis epulabantur. Epha farinæ in Mincha, Vinum in libamen. Raſi: *Audivi nomine magiſtri noſtri Iſaac Levitæ. Epha farinæ tria ſata, ad educendum ex eo tria Aſſaronim: ſimila conveniens uni juvencæ. ut tradunt, panis propoſitionum viginti quatuor aſſaronim è viginti quatuor ſatis: aſſaron ſimilæ in ſatum tritici.* Joſephus nihil de ætate pueri & ablactatione: ἐν τῷ ἱερῷ δῆγη τρεφόμενον. Nam eum olim tradidiſſe: παρέδωκεν ὑλὶ, ἀναπθῆναι τῷ θεῷ. Decimas etiam attuliſſe dicit.

I. Sam. Cap. II.

In fine capitis præcedentis dicitur aliquis veneratus eſſe Deum quod quidam ad Elcana (ut verius puto) alii ad Samuëlem referunt. At Hanna nobili carmine per Spiritum Deum laudavit. Hoc carmen in v. 1. 2. 3. 4. 5. Chaldæus interpres expoſuit de Samuële ejusque filio Joel: de Palæſtinis, Sanacharibo, Nabuchadneſſaro, regno Græcorum, Haſſamonæis: Item Haman Mordechai & Eſther: tum de reſtitutione Jeroſolymæ, vaſtatione Syriæ, Judiciis Dei, Magog & Meſſia. His non lubet inſiſtere. Hinc parentes remanente puero, domum ſe contulerunt: qui miniſtrabat Domino coram Eli. Filii Eli ad extremam improbitatem proſtrati, Dominum non agnoſcebant. Nam hic mos illorum hominum in ſuo ſacerdotio: Cum aliquis, ſacra faceret, ſacerdotis ſervulus tridente fuſcinula, dum caro coqueretur, (בכיור או בדוד או בקלחת או בפרור Lxx: εἰς τὸ λέβητα τὸν μέγαν, ἢ εἰς τὸ χαλκεῖον, ἢ εἰς τὴν χύτραν. Chaldæus duo priora vocabula retinuit, poſteriora vertit בקדירא או במליסא. Lat. *In lebetem vel in caldariam, aut in ollam ſive in cacabum*) immiſſa in vas extrahebat, quod libitum pro ſacerdote. Erat hæc caro pacificorum, è quibus debebatur tantum ſacerdotibus (חזה ושוק) pectus & armus, illi autem indebita, quæ offerentium erant ad ſacras epulas, furabantur. Sic faciebant omnibus Iſraëlitis Siluntem adeuntibus. Quin & (v. 15.) priuſquam adipem accenderent ſacerdotis ſervulus ad offerentem dicebat: Da carnem illam ad aſſandum ſacerdoti: nam elixam à vobis non accipiet ſed crudam. Kimchi: *Accipiebant carnem & comedebant ante incenſum adolendorum* (הקטרת האמורים) *Hoc autem fuit ingens malum. Nam non dederat ipſis Deus niſi quo digni habentur è menſa poſtquam aſperſerunt ſanguinem & incenderunt adipes.* Si offerens reſponderet, Hodie adipem incendent omnino, accipe quod voluerit ille: Nunc dabis, deneganti vim inferam. Ita peccatum iſtorum juvenum ingens erat: eveniebatque ſperni & relinqui Mincham Domini. At Samuël miniſtrabat coram facie Domini, accinctus Ephod lineo. Ch. אסור כרדוט דבוץ; Lxx. περιεζωσμένον ἐφοὺδ βάδ. De Ephod prolixe Kimchi: Vertit Jonathan כרדוט דבוץ. Item (II. Sam. 13. 14.) *Quia ſic veſtiebantur filiæ regis virgines* (מעילים) *palliis, vertit* כרדוטין. *At* (v. 19.) מעיל קטן *vertit* זעיר (כמשמעו מעיל) *voce relicta. Videtur mihi, quod* מעיל (pallium) *factum fuerit* (בתכנות שונות) *variis uſibus. Eſt* מעיל *obvelationis & ſic* מעיל *Samuelis. Q. D.* (I. Sam. 28. 14.) Et ipſe amictus pallio. *Et ſic fuit pallium pontificis maximi, veſtis ſublimis, qua ipſe amiciebatur. Et pallium quo induebantur*

tur filiæ regis fuit vestimentum factum. modo (בתכונת) *vestimentorum muliebrium. Et sic Ephod factum variis usibus. Pontificis maximi usui* (modo) *quem describit lex: Et Ephod lini, quo induebantur servientes Domino & fuerunt in eo diversi* (mutati) *à reliquis hominibus. Et hoc accingebantur sive sacerdos, sive Levita, sive Israël: Quemadmodum scriptum est de sacerdotibus* (1. Sam. 22. 18.) Et interficiebat in illo die octuaginta quinque viros, qui Ephod lineum gestabant. *Et sic de Samuële, qui fuit Levita accinctus Ephod lini. Et sic David, quando fuit in cultu Dei coram arca accinctus Ephod lineo, Q. D.* (2. Sam. 6. 14.) Et David accinctus Ephod lineo. Hieron. lib. 1. Adv. Jovinianum: *Simulque noscendum, quod Samuël Levita non sacerdos non pontifex fuerit. Unde & faciebat illi mater sua Ephod bad, superhumerale videlicet lineum, qui habitus proprie Levitarum & minoris est ordinis.*

v. 19. Mater ipsi pallium breve fecit, quod deferebat quotannis cum ascenderet cum viro, immolaturo sacrificium (ימים) annuum: Ch. מזמן מועד למועד *de festo in festum.* Kimchi dicit hoc pallio indutum fuisse in festo, in honorem diei. Cum dicit קטן breve, significari corporis modum. Nam nec solebant facere pallium nisi grandibus, non parvulis. Hoc igitur faciebat (ברוב אהבתא ex amoris magnitudine, & quia Deo ministrabat. Cum non esset apud ipsum non vestiebatur eo diebus profanis, sed de festo in festum in honorem diei. Et ipse erat puer nec poterat se custodire à faciendo, ideo apportabat id ipsi in festo & referebat usque aliud festum. Notat quod in textu habeatur verbum Futuri temporis תעשה; id autem vel pro præsenti sive præterito sumi ut sæpe, aut significare, quod non tantum ipsi fecerit unum Ephod, sed porro & continenter pro modo accrescentis staturæ. Eli benedicebat Elcanæ. Kimchi, Ralbag, Rasi dicunt Eli ei benedixisse quovis festo. Benedictio erat: Det tibi Deus semen ex hac muliere, loco petitionis (id est (ut quidam volunt) Samuëlis petiti & dati Deo) vel potius ob petitionem quam petebat (unusquisque) à Deo. Deus Hannam visitavit, quæ peperit tres filios & duas filias. Josephus malè τρεῖς θυγατέρας. Sequitur hinc prophetia adversus Eli ejusque filios (à v. 22.) quam antequam aggrediamur Philonem sistere placet, dicturum de illis, quæ suprà posita fuerunt. Allegorias ipsius præterimus. Appellat prophetarum & regum maximum. Τέτακται γὰρ ἐν τῇ τοῦ θεοῦ στρατιᾷ τάξει ἣν οὐδέποτε λήψει (leg. λείψει) προμηθείᾳ τοῦ σοφοῦ ταξιάρχου. Σαμουὴλ δὲ γέγονε μὲν ἴσως ἄνθρωπος, παρείληπται δὲ οὐχ ὡς σύνθετον ζῶον ἀλλ' ὡς νοῦς, λατρείᾳ καὶ θεραπείᾳ θεοῦ μόνῃ χαίρων. Ἑρμηνεύεται δὲ τεταγμένος θεῷ. Dubitat an homo fuerit: nomen sonare ordinatus seu positus à Deo: Natum tamen esse matre humana, cujus nomen si transsumatur, gratia sit. Verba Eli (v. 14.) quibus eam ut ebriam increpat, (Lxx. secutus) dicit ipsi dicta esse à petulanti puerulo eoque petulantis pueruli cujusvis imaginem gerente: Βεβάκχευται γὰρ ὡς πολλοῖς τῶν ἀνοργιάστων μεθύειν καὶ παρακινεῖν καὶ ἐξεστάναι ἂν δόξαι· διὸ καὶ λέγεται πρὸς αὐτὴν ὑπὸ παιδαρίου τινὸς οὐχ ἑνὸς, ἀλλ' ὑπὸ παντὸς τοῦ νεωτερίζειν καὶ τὰ καλὰ χλευάζειν ἀγωγὴν ἔχοντος, ἕως πότε μεθυσθήσῃ &c. *Bacchatur enim ut multis orgiorum expertibus ebria esse & insanos motus edere & furere videretur. Ideo etiam dicitur ad eam à puerulo quodam, non uno, sed omni juveniliter insultare & bona traducere ætatem habente,* Quandiu ebria eris &c. Vide quomodo hoc interpretes illi Alexandrini ne Eli pontificem dehonestarent, seculo adscribant, quod illius verbum erat. Id equidem firmat v. 15. οὐχὶ κύριε: Et v. 26. Μὴ δῷς τὴν δούλην σου. Nisi credi par sit, quod servulum appellaverit dominum, seque illius ancillam. Hinc Chrysostomus, qui prius dixerat: *Nam simul ut Satanas perspexit eam magno animo ferre sterilitatem, adiit sacerdotis puerum, qui magis illam exacerbaret,* postea ad sacerdotem ea verba retulit: Unde autem id vel suspicari potuit sacerdos? *Neque enim ridentem*

vidit neque saltantem &c. Ne illud quidem dictura, nisi sacerdos eam compulisset? Plane Philo verba τῶν ὁ seu (quicunque alii fuerint) exhibet in v. 15. *Γυνὴ ἡ σκληρὰ ἡμέρα ἐγώ εἰμι καὶ οἶνον καὶ μέθυσμα οὐ πέπωκα καὶ ἐκχέω τὴν ψυχήν μου ἐνώπιον κυρίου.* Chrysost. legit *ἐν σκληρᾷ ἡμέρᾳ.* Heb. קשת רוח. Post hæc verba invehitur in istum querulum & irrisorem. Hæc ex libro ipsius de temulentia. In libro, quod Deus sit immutabilis laudat è cap. 2. v. 5. *Ὅτι στεῖρα ἔτεκεν ἑπτὰ καὶ ἡ πολλὴ ἐν τέκνοις ἠσθένησε.* Id non habere alium sensum, quam quod unitatis & septenarii eadem natura sit, non solum in numeris sed & mundi totius harmonia. Sed è cap. 1. v. 28. adducit, quod non habetur hodie. *Λέγει γὰρ ἐν τῇ πρώτῃ τῶν βασιλειῶν αὕτη τὸν τρόπον τοῦτον, Δίδωμί σοι αὐτὸν δοτόν.* Nullæ editiones Græcæ id repræsentant.

Eli admodum senex erat, ideò ejus filii munere sacerdotali fungebantur. Eorum scelera deferebantur ad ipsum eaque nota habebat. Inter illa, quod mulieres, quæ turmatim conveniebant ad fores tentorii conventus, vitiarent. Concumbebant ישכבון: Kimchi: *Vt vox sonat. Et sunt è magistris b. m. qui illud exponunt quod non sequatur literam. Et dicunt quod non concubuerint cum illis, nisi quatenus afferebant munera sua in Silo & illi differebant eas & pernoctare faciebant extra ædes suas nocte una:* מעלה עליו הכתוב כאלו שכבום: *Id pro eo habet scriptura ac si cum illis concubuissent.* Eli filios suos redarguebat. *Quid ea patratis?* Quod ista scelera audiam ab hoc toto populo? Non ita filii mei. Non est iste laudabilis rumor, quem audio. Facitis transgredi populum Dei. Cum homo delinquit in hominem, id judices judicant: sed si homo in Deum peccet, quis pro eo deprecabitur? At illi inobsequentes fuere parentis monitis, quia Deus eos perdere volebat. Interim Samuel ætate & gratia adolescebat apud Deum hominesque. Vir Dei ad Eli missus est. Hic non fuit Phinees, quamvis id placeat Gersomidæ, nec Elcana (quamvis hoc Rasi & Kimchius ut à patribus traditum recipiant, dicens hic eum esse è quadraginta octo prophetis, qui prophetarunt filiis Israël.) Gersomides hanc prophetiam ad Phinees referri non putat absonum, sicut illas quæ commemorantur in libro Judicum. Multo minus fuit angelus Dei, ut putat non nemo. Communis & verissima sententia est fuisse hominem. Aug. lib. 17. De civit. Dei cap. 5. *Hoc evidentius ad ipsum Heli sacerdotem missus loquitur homo Dei: cujus quidem nomen tacetur sed intelligitur officio ministerioque suo sine dubio propheta.* Denuntiavit cladem imminentem familiæ Eli. *Ita dicit Dominus,* ait, Nonne aperte revelatus sum domui patris tui, cum in Ægypto essent, in domo Pharaonis? Ego ipsum ex omnibus tribubus Israël mihi in sacerdotem elegi, ut immolaret in ara mea, ut thymiama accenderet, ut Ephod coram me portaret. Et dedi domui patris tui omnia (אשי) carpomata filiorum Israël (Nempe sub sacerdotum manu illa erant.) Cur recalcitratis adversus victimam meam & mincham, quæ præcepi in mansione? Cur filios tuos honoras supra me, ut vos saginetis præcipuo omnis minchæ Israël populi mei. Ideo dictum Domini Dei Israël, dicendo dixeram, Domus tua & Domus patris tui ibunt ante me in seculum. At nunc, dicit Dominus, Absit mihi. Nam honorantes me honorabo, at contemptores leves erunt. Ecce dies veniunt, quibus brachium tuum amputabo & brachium domus patris tui: ut senex non sit in domo tua. Et intueberis angustiam habitationis (Dei) loco omnis boni, quod Israëli fecisset; nec erit senex in illo die in domo tua. Sed Vir, quem non excidero ab ara mea erit ad consumptionem oculorum tuorum & contristandum animam tuam. Et tota multitudo domus tuæ morientur, facti viri. Hoc signum erit, quod veniet super duos filios tuos Hofni & Phinees; eodem die morientur ambo. Excitabo autem mihi fidum sacerdo-

cerdotem, qui faciet sicuti in corde meo & anima mea erit, illi stabilem domum ædificabo & semper ambulabit coram facie uncti mei. Eritque, quicunque superstes erit de domo tua veniet ut se incurvet, coram illo pro obolo argenteo & torta panis: dicetque, Assume me ad sacerdotale officium ut buccellam panis habeam.

Minæ istæ propheticæ satis asperæ a. v. 27. ad finem, significant à domo Ithamar & Eli venturum esse sacerdotium ad Sadoc è filiis Phinees, ut promissio ei facta, cum zelaret contra scortationem Zambri, impleretur. Nam expresse dicitur 1. Reg. 2. 27. Et expulit Salomo Abjathar ne esset sacerdos Domini: ad implendum verbum Domini quod dixerat super domo Eli Silunte.

Verba prophetiæ v. 27. Domui patris in Ægypto, significant vocationem Aaronis cum Mose, qua missi ad Pharaonem. v. 28. Vocationem Aharonis ad sacerdotium significat. v. 29. Peccatum filiorum Eli & ipsius Eli proponit. Peccatum autem Eli, quod filios præ Deo honoraverit. Kimchi, quod eos non redarguerit aut prohibuerit mala opera. Vox להבריאכם non innuit & Eli ipsum de rapto filiorum participasse, ut Kimchi voluit. Rasi dicit præoccupasse sacras victimas, ut ante Deum de iis ederent. v. 30. Deus promiserat Aaroni & filiis sacerd. sed quia ignominia affectus ab Eli & filiis, ideò eorum posteritatem removendam à sacerdotio. Quare hic sensus est, non tantum excludendos à pontificio sed & sacerdotio in universum, ut in ministros & servulos si forte admittantur, ad sustentandum se suosque tenui victu. Commune igitur promissum de sacerdotio Aharoni & filiis ejus omnibus factum, in ejus posteritate cessaturum, quia tantum eos honorare Deus vult, qui ipsum honorant. David Camius: In Medras: Principio dedi sacerdotium Eleazaro sacerdoti & filiis ejus, Q. D. (Num. 20. 26.) Et indues ea Eleazar filium ejus. *At in diebus concubinæ in Gabaa, quando stolide egerunt Israëlitæ in multis præceptis & quis eis causa? Phinees & Eleazar & reliqui sacerdotes quoniam ipsis circumeundum erat à civitate in civitatem & educere eos, at non fecerunt sic: Ideo sustuli pontificium ab illis & dedi id tibi, quia tu es è filiis Ithamar & dixi,* quod ibunt domus tua & domus patris tui coram me in seculum, nunc absit mihi, quia honorantes me honorabo &c. Deinde ad ejectionem è promisso applicat locum 1. Reg. 2. 27: Nam Sadoc fuit è filiis Phinees. Ad semen Eli pertinet sane illa abjectio non ad omnes sacerdotes: sed non est abjectio è pontificatu tantum, ut disputat porrò sed omnino è sacerdotio, id est, universa illa dignitate, quæ erat Aaronis posterorum communis. Talis promissio, qualem dicunt, nusquam legitur facta esse domui Ithamar seu Eli: Illi dicunt, hic tamen dici quod facta fuerit. Sed hoc est αἰτεῖν τὸ ἐν ἀρχῇ. Omnes hactenus, quos vidi, de summo sacerdotio agi volunt, at nos decimus de sacerdotio universim agi: eoque dignitate & honore communi filiorum Aaronis posteritatem Eli everti. Notavit Theodoretus: Καὶ δοκεῖ μὲν ἡ πρόῤῥησις τὸ τούτου γένος τῆς ἀρχιερωσύνης γυμνοῦν· αἰνίττεται δὲ πάσης τῆς Ἰουδαϊκῆς ἱερωσύνης τὴν παῦλαν. Εἶπον γάρ φησιν, ὁ οἶκός σου καὶ ὁ οἶκος τοῦ πατρός σου διελεύσονται ἐνώπιόν μου ἕως αἰῶνος, Τοῦτο δὲ οὐ τῷ Ἰθάμαρ ὑπέσχετο, ἀλλὰ τῷ Ἀαρών. Rectè quod ista Aaroni dicta, ita etiam Aaronis hæreditaria omni dignitate privabuntur. Nam per patrem semper intelligitur Aaron: ita Domus patris tui est domus Aaron. Sed quod fuit peccatum Eli? Theodoretus: Οὐκ ἠπίων ἐδεῖτο φαρμάκων ἡ τῶν παίδων παρανομία· ἀλλ' αὐστηροτάτων καὶ δριμυτάτων. ἔδει τοίνυν μετὰ τὴν πρώτην καὶ δευτέραν παραίνεσιν τῇ πονηρίᾳ προσμείναντας ἐξελάσαι τῶν ἱερῶν περιβόλων. Οὐ γὰρ μόνον αὐτοὶ παρηνόμουν· ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ἐγίνοντο παρανομίας ἀρχέτυποι· Ἐπειδὰν δὲ προετίμησε τοῦ πεποιηκότος τὴν φύσιν, τοῦ θεοδότου χάριτος ἐγυμνώθη. *Non indigebat lenibus medicamentis juvenum deviatio: sed austerissimis & acerrimis, oportebat*

tebat igitur post primam secundamque admonitionem malitiæ adhærentes ejicere sacris septis. Non enim ipsi soli inique agebant sed & aliis fiebant exemplar prævaricationis. Quia autem naturam præ factore honorabat, gratia Divinitus data nudatus est. Hieronymus lib. 1. In Jovinian. *Et eodem vitio offendat Deum, quo offendit Heli pontifex, qui corripuerat quidem filios, sed quia non abjecerat delinquentes, retrorsum cecidit & mortuus est.* Chrysostomus lib. 3. adv. vituperat. vitæ monasticæ: *Verum, ait, quia non omnia, quæ fuerant agenda, ut ea resecarentur vitia molitus est, & ipse cum illis una periit. Namque & minas ille addere debuerat & à suo eos conspectu amovere atque etiam abdicare & verberibus afficere, multoque illis gravius & durius instare. Quia igitur nihil horum egit verborumque tantum monitis contentus fuit, & illis & sibi ipsi Deum adversum infestumque constituit, cumque improbè & intempestivè filiis parceret & suam simul & illorum salutem perdidit.*

v. 32. Non habent Græci Lxx. Aquila vertit צר מעון *ἀντίζηλοι κατοικητηρίου: alii angustiam habitaculi.* v. 35. *Semper ante faciem uncti mei ambulabit.* Rasi ita interpretatur: *Ipse & semen ejus. Et dicit ante unctum meum. Nam sacerdos ibat ante regem ut eum doceret viam bonam, & non ibat rex ante faciem summi sacerdotis, nisi quando petebat in Vrim & Thummin, sicut scribitur:* (Num. 27. 21.) Et ante faciem Eleazari sacerdotis stabit & interrogabit eum in modo Urim: *sed in omni alio tempore, quando volebat rex videre sacerdotem magnum & loqui cum eo, sacerdos ibat ante eum. Et sic dicit Zacharias propheta* (6. 13.) Sedebit & dominabitur super solio ejus & erit sacerdos super solio ejus & consilium pacis erit inter ambos. *Sensus est:* Et erit sacerdos superer solio ejus, *tanquam*, ante solium ejus; *sicut stantes super eo, constituti super eo, quod est tanquam ante eum. Et Ionathan vertit:* Et ministrabit ante unctum suum: *& videtur, quod mens ejus sit ut exposuimus.*

I. Sam. Cap. III.

PUer Samuël ministrabat Domino coram Eli: eratque eo tempore verbum Domini rarum (יקר) & visio non erat נפרץ. Kimch: *Quod non essent vates in Israël: & hoc, Non erat visio* נפרץ / *quod visio non esset reclusa sed obsepta & clausa &c.* Visiones non erant frequentes nec evidentes. Fortassis significat hominibus notum non fuisse, quis modus visionis esset sive imaginationis propheticæ. Lxx. *Ῥῆμα κυρίου ἦν τίμιον ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, οὐκ ἦν ὅρασις διαστέλλουσα.* Eli jam caligabat oculis, in decrepita senectute. Quodam tempore, cum serum esset; cum decubuisset Eli suo loco & Samuel, Samuelem & Eli diversis locis decubuisse indicatur. Samuel in atrio Levitarum, custodientium sanctuarium, Eli in loco sacerdotum, qui interior erat. Nondum lucerna sanctuarii exstincta erat. Kimchi: *Si loquatur de lucernis candelabri, fuit id ante ascendere auroram, quia lucernæ ardebant à vespera ad auroram, quamvis aliquando pars earum exstincta fuerint noctu. Etsi oleum ponebant in illis, ea mensura, ut arderent à vespera usque mane, & frequenter ardebant usque mane. Et lucerna occidentalis omni tempore educebatur ardens. Et dicit quod hæc prophetia Samuelis venerit antequam exstingerentur lucernæ, cum adhuc nox esset* &c. Dras refert ad lucernam prophetiæ. Inclamat Deus Samuël, qui respondebat, Adsum. Putabat autem se ab Eli vocari: qui negabat. Iterum tertioque lecto compositus, nomine suo vocatur. Eli intellexit vocem prophetiæ esse, quia jam somno excusso & tertium audisset vocem, quam nemo alius audiebat, Deum esse qui vocaret: instruxit Samuelem quomodo excepturus esset Dei vocem. Cum animadverteret Eli. Quarto igitur inclamatus Samuel, Samuel, respondet: Loquere Domine. Nam servus tuus audit. Vox hæc fuit in imaginatione, non fuit in aëre, ut Hebræi putant. De quo alibi.

alibi. Quod dicitur venisse Dominus seque constituisse inibi, non est referendum ad externam apparitionem, sed in imaginatione Samuelis. Tum Dominus, Ecce inquit, rem facio in Israel, quam qui audiet ejus ambæ aures tinnient. Eo die suscitabo super Eli, quicquid adversus domum ejus locutus sum. Incipiam & consummabo· Nam indicavi ei, me ejus domum judicaturum in seculum. Ob iniquitatem, quam scivit. Nam cum ejus filii indignum in modum se gererent omnibusque se abominabiles facerent, neque torvum eos intuitus est. Ideo juravi domui Eli, si iniquitas domus Eli expiabitur in seculum, in hostiis & mincha. Dicit זבח ומנחה/ quia ea omnia tendunt ad expiationem, כי כלם באו בכפרה/ ut dicit Ralbag, quem vide. Samuel eam visionem apud se tremens timensque retinebat usque mane, cum surgens fores domus Dei aperuit: nec audebat eam narrare summo pontifici. Ille avidus rei cognoscendæ vocatum rogat, jubetque adjurando sibi quicquid esset indicare. Cum Samuel rem totam enarrasset, placido sermone excipit; Dominus est, faciat, quod placet. Hæc prima visio Samueli data est, à qua Deus ei se frequenter Silunte aperuit. Nihil quicquam eorum, quæ Samueli aperiebat, sine effectu excidere sinebat: unde totus Israël agnovit eum in prophetam stabilitum esse. Extra ordinem Deus vocat ad id munus, sed fixum statumque munus erat, Deo suas visiones ad omnem occasionem accommodante.

Josephus scribit Samuelem egisse annum duodecimum cum hanc prophetiam acciperet. Theodoretus: Εἰς ἔλεγχον τοῦ γεγηρακότος ἀρχιερέως τὸ μειράκιον ἠξιώθη τῆς θείας ἐπιφανείας. οὕτω γὰρ ἦν ἄγαν νέος, ὡς τὴν περὶ τοῦ θεοῦ διδασκαλίαν μηδέπω δύνασθαι δέξασθαι. Tam adolescentem seu puerum putat fuisse, ut disciplinam de Deo nondum potuerit suscipere. Versum 7. Samuel non noverat Dominum, necdum verbum Dei erat ei revelatum, male interpretatur. Aliud capacem esse institutionis, aliud modum apprehendentis prophetiæ novisse. Vocat igitur σμικρότατον παιδίον. Octo & nonaginta annos vixisse Eli scribit καὶ διπλῆς ἀρχῆς τεσσαράκοντα ἔτη ἀξιωθέντα· καὶ κριτὴς γὰρ ἦν καὶ ἀρχιερεύς. Sic hæc prophetia fuit propinqua morti Eli (quod quidam volunt, ego tamen non recipio) Samuelem oportet natu majorem fuisse, ut qui Israelem suscipit gubernandum judicandumque. Cæterum cum hinc prophetare inceperit & jam prophetiæ notus inque frequenti usu fuerit antequam Eli occumberet, adolescentem fuisse oportet, ut & patrum communis recipit consensus. In Hebræo vocatur נער/ in Græco παιδάριον. Idem Theodoretus vespere (εὐθὺς μετὰ τὴν ἑσπέραν) factam hanc prophetiam esse ex eo judicat, quod Græci καὶ ὁ λύχνος τοῦ θεοῦ πρὶν ἐπισκευασθῆναι. Nam rem ita explicat: Ἐν ἑσπέρᾳ γὰρ τὸν ἱερὸν λύχνον ἅπτειν εἰώθασι· περὶ μέσας δὲ τὰς νύκτας ἐπέβαλλον ἔλαιον. τὸν καιρὸν τοίνυν ὁ συγγραφεὺς δηλῶσαι θελήσας, ἔφη μηδέπω κατασκευασθῆναι τὸν λύχνον. Cæterum (ut bene notat Lyranus) in templo Domini plures lucernæ ardebant de nocte quam de die, unde aliquæ exstinguebantur matutino tempore. Sensus igitur est, quod nondum tempus fuerit exstinguendi illas lucernas, quum Samuel jacens lectulo à Domino vocaretur.

Porro Samuel necdum sciebat Dominum] Lyranus: *Id est, modum loquendi ipsius Dei cum prophetis: sicut enim ars & natura procedunt de imperfecto ad perfectum: ita etiam revelationes Divinæ secundum processum temporis, quia prophetæ posteriores ad tempus Christi appropinquantes habuerunt clariores revelationes de Christo, quam priores: & ita frequenter fuit in eodem propheta: quod à principio non habuit ita claram cognitionem sicut postea. Et hoc patet in proposito: quia Samuel à principio vocem Domini audiens credidit esse vocem hominis; postea verò cognovit magis distinctè.* Non tangit rem acu, quod ajunt. Nam modus revelationis semper idem, & de eo hic

 sermo

ſermo eſt: rebus viſis diſcrimen & progreſſus ab imperfecto ad perfectum. Vocem Domini ſimilem fuiſſe voci Eli obſervant quidam cum Gregorio magno, quia ſe ab Eli vocari putabat Samuel: ſed nulla conſequentia eſt. Nam cum hominis vocem eſſe putarit, judicabat à nemine niſi Eli ſe vocari poſſe, cui ſerviebat & in proximo cubabat. Joſephus rem hanc breviter & hanc Samuelis prophetiam commiſcuit cum ſuperiore viri Dei, cujus nomen expreſſum non eſt.

I. SAM. CAP. IV.

SAmuel igitur ad totum Iſrael loquebatur verba Dei, cum eſſet notum omnibus prophetam eum Dei eſſe. Contigit autem ut bellum cum Palæſtinis oriretur, Deo Samuelis prophetiam & viri Dei implere meditante. Cum Palæſtini Samſone judice Iſraeli dominati ſint, videtur Iſraelitas jugum excuſſiſſe, ſub judicatu Eli. Repetentes igitur veterem dominatum, coactis copiis conſederunt in Aphec, Iſraelitæ caſtra poſuerunt apud Eben-haezer. Incertum quo duce Iſraelitæ bellum geſſerint. Pugna commiſſa ſuperiores fuere Palæſtini, Iſraelitæ amiſſis quatuor millibus virorum in caſtra confugiunt: Seniores Iſrael ob cladem dolentes, *Cur nos* inquiunt, *hodie Dominus percuſſit coram Palæſtinis?* Quæ verba quidam arrogantiæ tribuunt, quaſi id commeriti non eſſe ſibi videantur, alii arbitrantur, innuere, quod Samuelis & Dei ipſius ſuaſu bellum iniſſent. Malim inquirere in cauſam, quam ipſi poſuiſſent ſua negligentia aut patratione. Conſilium fuit arcam Domini è Silo in caſtra advehere, ut ejus præſentia hoſtem vincerent.

Joſephus dicit Palæſtinos conſediſſe prius apud urbem Amphecam, cumque nemo ex Iſrael occurreret ulterius proceſſiſſe, atque ibi commiſſum eſſe prælium. Clade perteritos & totius rei ſummæ metuentes (δείσαντες περὶ τῶν ὅλων) miſiſſe ad ſenatum & Pontificem ut arca Domini in caſtra deferretur, ἵνα παρούσης αὐτῆς παραταττόμενοι κρατῶσι τῶν πολεμίων, ἀγνοοῦντες ὅτι μείζων ἐστὶν ὁ κατεψηφισμένος αὐτῶν τὴν συμφορὰν τῆς κιβωτοῦ, δι' ὃν καὶ ταύτην συνέβαινεν εἶναι. At recurrebant ad externam cerimoniam, omiſſa interna pœnitentia ſuorum peccatorum. Arca venit in caſtra cum duobus filiis Eli, quibus præceperat pater (ut ſcribit Joſephus) εἰ ληφθείσης τῆς κιβωτοῦ ζῆν ἐθέλουσιν εἰς ὄψιν μὴ παραγίνεσθαι, ſi capta arca vivere velint, in conſpectum uti ne venirent. Phinees pontificatum tenebat, patre ob ſenium inutili. *Arcam* fœderis Domini exercituum, habitantis in Cherubim. Ad ea Kimchi: *Senſus hujus narrationis eſt, quod ſit Dominus copiarum, ad prævalere faciendum diligentes ſe & bellandum cum hoſtibus ſuis. Et habitantis in Cherubim dicit, ut indicet quod ipſe vicinus ſit filiis Adam, omnibus, qui eum invocant in veritate: & niſi iniquitates in hoc totum inventæ fuiſſent. Iniquitates fuerunt in cauſa. Ideo dicit*, Et illic duo filii Eli cum arca fœderis Dei Hoſni & Phinees ut indicetur, quod illi cauſa fuerint offenſionis. Et ut venirent in bellum fuit cauſa à Deo: quia petierunt ſeniores Iſrael arcam & illi cauſarunt offenſionem cum iniquitatibus Iſrael venientium in bellum: quia fuerunt inter illos idololatræ: & arca hæc fuit arca, in qua poſita erant fragmenta tabularum, & hæc cum illis egrediebatur in bellum. Et ecce Q. D. de ea: (Num. 10. 33.) Et arca fœderis Domini proficiſcebatur ante eos. *Invenimus diſſenſionem in verbis magiſtrorum noſtrorum b. m. de hoc: Quidam ex illis dicunt, quod tabulæ & fragmenta tabularum in eadem arca repoſita fuerint & liber legis cum illis in arca: Et id quod dicitur* (Deuteron. 31. 27.)] Et ponetis eum ex latere arcæ fœderis Domini *expoſitionem habet:* Et ponetis eum in arca è latere tabularum fœderis

Dei.

Die. *Et quidam dicunt, quod instar* (גלוסקמא) *capsa fecerint foris arca & illic fuerit liber legis repositus. Et quidam dicunt quod in arca una solum modo fuerit liber legis repositus & quidam dicunt quod & arca solummodo fuerit fragmentis tabularum & hac egredi solita in bellum. At scripturæ arguunt, quod tabula integræ fuerint in hac arca, quam introduxerunt in castra. Nam ecce dicit,* habitans Cherubinos, *ostendens, quod Cherubini fuerint super ea. Et porro, quia ista arca, quæ egressa est in bellum hoc, est arca, quæ fuit in Bethsemes, cum reversa esset ex agro Palæstinorum. Et hæc quæ fuit in Cariathiarim & in domo Obed Edom & in civitate Davidis & è civitate Davidis eam fecerunt ascendere in sanctum sanctorum.*

Ingenti gaudio & clamore in cælum edito, quò terra tremebat, Israelitæ exceperunt in castris arcam, quasi certi de favore numinis & victoria. Palæstini audito clamore cognitoque arcam in castra venisse, trepidarunt, dicentes, Deum in castra venisse. Væ nobis, quia ita ante hac non fuit. Quis nos liberabit è manu excellentium deorum? hi Ægyptum percussere & miracula fecere in deserto. O Palæstini, estote viri & fortiter agite, ne sub jugum Hebræorum redigamini, ut illi vobis subjecti fuerunt. Frivolum est quod notant Kimchi & Lyranus (ערבוי דברים) misceri dicta hominum diversi generis, quorum alii pii alii impii fuerint. Pios dicere, quod sit Deus magnificus, qui advenisset. Impios dicere, Fecisse illum, quod posset efficere & vires suas effudisse in Ægypto & solitudine, jam nihil posse.

Acri prælio certarunt, in quo superati Hebræi triginta millia amisere. Capta est arca Dei, cæsi duo filii Eli, Hofni & Phinees. Benjamita quidam, qui ex acie effugerat, eodem die Silunta venit tantæ cladis nuntius. Judæi apud Rasi dicunt Saulem fuisse, qui tabulas rapuerat è manu Goliath Palæstini seque in fugam conjecerat. Hoc Dras refutat Kimchi, Fieri non potuisse ut tabulæ ex arca raperentur, quia ingentibus & multis plagis id punivisset Deus, ut historia de Palæstinis & Bethsemitis docet. Vir ille, quicunque tandem fuerit, scissis vestibus & pulvere insperso capiti, urbem ingressus est. Eli de arca solicitus magis quam de filiis, ad viam in solio considebat, capturus rumores. Ad viri ingressum primumque rumorem turbata urbe & in ejulatus effusa, Eli de causa inquirit. Festinanter igitur adductum nuntium rogat Eli: ille narrat se ex acie eo die profugisse. Quid igitur? Israel fugatus est & ingenti cum clade: duo filii tui interempti: arca Dei capta est. Ad cætera immotus, audita arcæ captivitate perculsus Eli, annis & corpore gravis, è solio delapsus, quod stabat ad latus portæ cervices fregit. Annum agebat octavum & nonagesimum, visu defectus, vir quidem pius & Dei timens sed filiorum nimis indulgens lenisque castigator: quod ipsi iram Dei & mortem attulit. LXX. ipsi attribuunt nonaginta annos, alia editio nonaginta octo, uti etiam legit Theodoretus. Certum est veterem illam & primam genuinamque LXX. edtiionem 90. habuisse in ætate Eli. 20. in annis judicatus: Græci patres in annis vitæ consentiunt excepto Theodoreto: Africanus, Chrysostomus, Sulpicius Severus aliique 20. annos judicatui adscribunt: at Eusebius, Hebræum codicem secutus, Chronologos fere in sententiam suam pertraxit. Clemens etiam Alexandrinus jam tum Hebræam veritatem legit in emendatis τῶν LXX. versionis codicibus. Josephus etiam Hebræum codicem probat. Scribit autem primo inpetu Hebræos in fugam actos esse. Eli minus turbato animo accepisse filiorum cædem, ὡς ἂν πεπυσμένος πρὸ τοῦ θεοῦ τὸ συμβησόμενον. Uxor Phinees pontificis, gravida, cum audisset arcam Dei in hostium potestatem venisse, socerum casu illo exspirasse, virum in prælio cecidisse, partitudine oppressa filium

filium peperit. Cum in mortem versam mulieres solarentur, quod filium edidisset, nihil eis verbis mota obiit. Filius Ichabod appellatus est, quia gloriam ex Israel abiisse dicebant. Josephus scribit septimestrem partum edidisse, qui vitalis fuerit. Idem narrat Eli primum ex Ithamari familia pontificatum obiisse cum ante stetisset in familia Eleazari. Eleazaro enim defuncto successerat Phinees, ei Abiezer, Abiezero Bocei, Boceio Ozis, Ozin exceperat Eli. In genere Eli stetit usque ad regnum Salomonis.

Quærit Theodoretus, Cur Deus permiserit ut arca caperetur ab hostibus? Respondet, Διπλῆν τὸ γεγονὸς ὠφέλειαν ἐβλάστησε· Τοὺς μὲν γὰρ ἑβραίους ἐδίδαξεν ἐννόμως μὲν βιοῦντας τῇ τοῦ θεοῦ προμηθείᾳ θαῤῥεῖν, παρανομοῦντας δὲ μήτ' αὐτῷ μήτε ἀψαύστῳ κιβωτῷ πεποιθέναι· Τί δήποτε γὰρ οὐκ ἐπικουρίαν ἔλαβον παρανομοῦντες τὴν τὸν νόμον ἔνδον ἔχουσαν ἀποκειμένον; οὔτε μὲν οὐδὲ ταύτην ἐντεῦθεν τὴν ὠφέλειαν ἐδέχοντο. οἱ δέγε ἀλλόφυλοι, δείσαντες μὲν ἡνίκα φανείσης τῆς κιβωτοῦ ἠλάλαξαν οἱ ἑβραῖοι· καταφρονήσαντες δὲ μετὰ τὴν νίκην, καὶ οἷον εἰς ἀκροθίνιον ταύτην τοῖς οἰκείοις ἀνατεθεικότες εἰδώλοις, ἔμαθον τῇ πείρᾳ τοῦ θεοῦ τὴν ἰσχύν.

E Chronico Alexandrino tempora à Mose vocato ad mortem Eli.

Moses præfuit annis 80. Aaron frater ejus pontifex creatus est anno VI. Exodi, cum ageret annum 89. Anno Exod. 19. Pontificatum accepit Eleazarus.

Jesus Nave præfuit annis 27. è XXIX. novem regnis septem ἑπαρχίας intra sexennium instituit.

Eo mortuo Chusar-sathem regi Mesopotamiæ serviunt Hebræi annis 8. Pontificatum suscipit Phinees.

Othoniel populum judicat annis 32. detractis scilicet illis 8. quibus Mesopotameno servierunt.

Secunda servitus sub Eglon annis 18.

Ahod Ephraimita imperat annis 56. Abiud summus Hebræorum pontifex erat.

Ahodum excepit Semegar, qui judicavit annis 24. Bochus pontificium obit.

Tertia servitus sub Jabes annis 20.

Debora judicat populum annis 40. Anno ejus 16. Ilium conditur.

Quarta servitus sub Madianitis 7. annis.

Gedeon imperat annis 40. Ejus anno tertio conditur Cyzicus ad Hellespontum, annis post conditam Trojam 34.

Tyrus conditur anno ejus octavo, annis ante templum Hierosolymitanum trecentis quinquaginta & uno.

Abimelech regnat ann. 3.

Thola annis 23. Anno ejus quarto Ozi pontificium habebat: cui successit anno sexto Eli.

Jair Galaadita ann. 22.

Quarta servitus sub Ammanitis ann. 18.

Jephthe judicat annis 6.

Essebon judicat annis 7.

Aialon judicat annis 10.

Abdon annis 8. Tertio illius anno captum est Ilium. Septima servitus sub Palæstinis ann. 40.

Sam-

Samfon annis 20. judicat.
Poft Samfonem interregnum & pax ann. 40.
Eli annis 40.

Ex Eutychio Alexandrino.

MOfes annos natus octoginta vocatur à Deo, cum Aharon haberet annos 83. Mariam octoginta feptem, Anno Mofis quinquagefimo Amram pater ejus obierat.

Ifraelitas habitaffe in Ægypto annis 217. Cum hoc conciliat quod Abrahamo dictum de quadringentorum annorum fervitute.

Pharaonem, qui Mofem perfecutus eft, appellat Amius عميوس Ab Abrahamo ad exitum effe annos 507. A Phaleg mille quadraginta octo: A diluvio mille quingentos feptuaginta novem. Ab Adamo 3835.

Primos Ifrael oppugnaffe Palæftinos & Amalecitas. Filios Core, Affir, Elcana & Anifaph in deferto prophetaffe.

Mofen, Aaronem & Mirjam eodem anno obiiffe: Mirjam die fexto Nifan, Aaronem primo Ab, Mofen feptimo Adar.

Jofue præfuiffe annis 31. Triginta quinque ab eo reges effe deletos: fex annis occupatum fuiffe in terris occupandis, quatuordecim in dividendis, in pace undecim tranfegiffe. Centum viginti annos natum fuiffe cum moreretur: fepultum in monte Galaad cum cultris, quibus Ifrael circumciderat.

Mortuo Jofue præfuiffe Phinees facerdotem, annis 25. Judæos opinari, quod idem fit propheta Elia, quem Arabes vocitent الخضر Elchadr.

Cufan Rifathaim, regem Aram, item Tyri & Sidonis, octo annis dura fervitute populum preffiffe.

Ab illo eos liberaffe Othonielem, qui judicavit annis 40.

Hinc Eglon ipfos preffiffe octodecim annorum fervitio occupata urbe فيق Phic. Scriptura dicit urbem palmarum. Ehud, qui liberavit, præfuiffe annis quinquaginta quinque. Hinc Samaan rexiffe populum annis viginti quinque. Vide hunc, ut Chronicon Alexandrinum annos pacis per Ehud partæ, partiri inter Ehud & Semgar.

Jabin populum preffiffe annis 20. Deboram uxor Alkindun, affumpto Baraco, libertatem reddidiffe: & præfuiffe populo annis quadraginta.

Madianitas feptem annis afflixiffe Ifrael, quem liberavit Gedeon & rexit annis quadraginta. Abimelech tribus annis regnaffe. Poft eum præfuiffe Joas filium Phudæ annis 23. Hinc Jair viginti duobus annis.

Octodecim annis crudeliter imperant Ammanitæ quos evertit Jephthe: qui immolavit filiam ex voto, judicavitque annis fex. Illi confilium datum ab amicis, ut Phinees confuleret, fed cum id fuæ putaret parum decorum effe dignitati, nec Phinees adire ipfum vellet, immolata eft puella. Nempe feftum magnum conftituiffe Judæos, in quo filiam obtulit. Eodem tempore in terris Græciæ ingentem famem eveniffe.

Hinc Effan judicaffe annis 7. Eblan decem, Abdon 7. Allophylos regnaffe annis 40. Samfonem annis 20. Tum Ifraelitas in tranquillitate fe mutuo continuiffe annis quadraginta, Eli præfuiffe annis 20.

Iudicum Chronologia è Clemente Alexandrino lib. 1. Stromat.

Ἄξιον δὴ ἐνταῦθα γενομένους, διερευνῆσαι καὶ τῶν ἄλλων τῶν μετὰ Μωϋσέα, παρὰ τοῖς Ἑβραίοις προφητῶν, τοὺς χρόνους. Μετὰ τὴν Μωϋσέως τοῦ βίου τελευτὴν, διαδέχεται τὴν ἡγεμονίαν τοῦ λαοῦ Ἰησοῦς, πολεμῶν μὲν ἔτη ξέ· ἐν δὲ τῇ γῇ τῇ ἀγαθῇ ἄλλα πέντε καὶ εἴκοσι ἀναπαυσάμενος. ὡς δὲ τὸ βιβλίον τοῦ Ἰησοῦ περιέχει, διεδέξατο τὸν Μωϋσέα ὁ προειρημένος ἀνὴρ, ἔτη κζ. ἔπειτα ἁμαρτόντες οἱ Ἑβραῖοι παραδίδονται Χουσαχὰρ βασιλεῖ Μεσοποταμίας, ἔτεσιν ὀκτὼ, ὡς ἡ τῶν κριτῶν ἱστορεῖ βίβλος· δεηθέντες δὲ ὕστερον τοῦ θεοῦ λαμβάνουσιν ἡγεμόνα Γοθονιὴλ, τὸν ἀδελφὸν τοῦ Χάλεβ τὸν νεώτερον, ἐκ φυλῆς Ἰούδα· ὃς ἀποκτείνας τὸν τῆς Μεσοποταμίας βασιλέα ἦρξε τοῦ λαοῦ ἐφεξῆς ν. καὶ πάλιν ἁμαρτόντες παρεδόθησαν Αἰγλὼμ βασιλεῖ Μωαβιτῶν, ἔτεσιν ὀκτωκαίδεκα. ἀποστρεψάντων δὲ αὐτῶν ἡγήσατο αὐτῶν, Ἀὼδ ἔτεσιν ὀγδοήκοντα ἀνὴρ ἀμφοτεροδέξιος, ἐκ φυλῆς Ἐφραίμ· οὗτός ἐστιν ὁ ἀνελὼν τὸν Αἰγλώμ. Τελευτήσαντος δὲ Ἀὼδ ἁμαρτήσαντες αὖθις, παρεδόθησαν βασιλεῖ Χαναὰν Ἰαβεὶμ ἔτεσιν εἴκοσι. Ἐπὶ τούτου προφητεύει Δεββώρα, γυνὴ Λαβιδὼθ, ἐκ φυλῆς Ἐφραίμ. Καὶ ἦν ἀρχιερεὺς Ὀζίας ὁ τοῦ Ῥισοῦ. Διὰ ταύτης ἡγησάμενος τῆς στρατιᾶς Βαρὰκ ὁ τοῦ Βεννὴρ ἐκ φυλῆς Νεφθαλεὶμ, παραταξάμενος Σισάρᾳ τῷ ἀρχιστρατήγῳ τοῦ Ἰαβεὶμ, ἐνίκησε· καὶ ἦρξεν ἐντεῦθεν τοῦ λαοῦ διακρίνουσα ἡ Δεββώρα, ἔτη τεσσαράκοντα. Τελευτησάσης δὲ αὐτῆς, ἁμαρτὼν αὖθις ὁ λαὸς, παραδίδοται Μαδιηναίοις ἔτη ἑπτά. Ἐπὶ τούτοις Γεδεὼν ἐκ φυλῆς Μανασσῆ, ὁ τοῦ Ἰωὰς, τριακοσίους ἐκστρατεύσας καὶ δώδεκα μυριάδας αὐτῶν ἀπολέσας, ἦρξεν ἔτη τεσσαράκοντα· Μεθ' ὃν ὁ υἱὸς αὐτοῦ Ἀχιμέλεχ ἔτη τρία· διαδέχεται τοῦτον Βωλεᾶς υἱὸς Βηδὰν, υἱοῦ Χαῤῥὰν, ἐκ φυλῆς Ἐφραίμ, ἄρξας ἔτη τρία πρὸς τοῖς εἴκοσι. Μεθ' ὃν ἐξαμαρτὼν πάλιν ὁ λαὸς, ἔτεσιν ὀκτωκαίδεκα Ἀμμανίταις παραδίδοται. Μετανοησάντων δὲ αὐτῶν ἡγεῖται Ἰεφθάε ὁ Γαλααδίτης ἐκ φυλῆς Μανασσῆ. καὶ ἦρξεν ἔτη ἕξ. Μεθ' ὃν ἦρξεν Ἀβαζθὰν, ὁ ἐκ Βηθλεὲμ φυλῆς Ἰούδα, ἔτη ἑπτά. Ἔπειτα Ἐβρὼν ὁ Ζαβουλωνίτης, ἔτη ὀκτώ. Ἔπειτα Ἐγλὼμ, Ἐφραΐμ, ἔτη ὀκτώ. Ἔνιοι δὲ τοῖς τοῦ Ἀβαζθὰν ἔτεσιν ἑπτὰ συνάπτουσι τὰ Ἐβρὼμ τεσσαράκοντα ἔτη. Καὶ μετὰ τοῦτον ἐξαμαρτὼν πάλιν ὁ λαὸς, ὑπὸ Ἀλλοφύλοις γίνεται τοῖς Φυλιστιεὶμ, ἔτη τεσσαράκοντα. Ἐπιστρεψάντων δὲ αὐτῶν, Σαμψὼν ἡγεῖται ἐκ φυλῆς Δὰν, νικήσας ἐν πολέμῳ τοὺς ἀλλοφύλους. οὗτος ἦρξεν ἔτεσιν εἴκοσι. Καὶ μετὰ τοῦτον ἀναρχίας οὔσης διέκρινε τὸν λαὸν Ἠλὶ ὁ ἱερεὺς τεσσαράκοντα ἔτη. Τοῦτον δὲ &c. *Conveniens fuerit, cum hic simus, aliorum quoque prophetarum, qui post Mosem fuerunt, tempora exquirere. Post mortem Moysis excipit ducatum populi Iesus, bellum gerens annis quinque & sexaginta. In bona autem terra quiescens annis viginti quinque. Vt autem libellus Iosue continet excepit Mosen vir prædictus annis 27. Deinde cum peccassent Hebræi, traduntur Chusachar regi Mesopotamiæ, annis octo, ut judicum narrat liber. Postea autem precati Deum, accipiunt ducem Gothoniel, fratrem Chaleb juniorem è tribu Iuda: qui occiso Mesopotamiæ rege, imperavit populo annis deinceps quinquaginta. Cumque rursum peccassent, traditi sunt Æglom regi Moabitarum annis octodecim, illis autem aversis præfuit illis Aod, annis octoginta, vir ambidexter è tribu Efraim. Hic est qui occidit Æglom. Mortuo autem Aod, cum rursum peccassent, traditi sunt regi Chanaan Iabin, annis viginti. Sub hoc prophetat Debbora, uxor Lapidoth è tribu Ephraim & erat summus pontifex Ozius filius Rhiesu. Per hanc exercitus præfectus Barac filius Benner, è tribu Nephthalim, prælio conserto cum Sisara, imperatore Iabin, vicit: rexitque deinceps populum judicans Debbora annis quadraginta. Ea autem mortua, rursum peccans populus traditur Madienæis annis septem. Post hos Gedeon è tribu Manassis, filius Ioas, trecentis in prælium eductis, cæsisque eorum centum viginti millibus, regnat annis quadraginta. Post eum filius ipsius Achimelech annis tribus. Hunc excipit Boleas filius Bedan filii Charran è tribu Ephraim, regnans annis tribus & viginti. Post eum rursum prolapsus populus, orto-*

octodecim annis traditur Ammanitis. Resipiscentibus præfuit Iephthae Galaadites, è tribu Manaße, rexitque annis sex. Post quem rexit Abatthan è Bethleem, tribus Iudæ, annis 7. Deinde Ebron Zabulonita, annis octo. Deinde Eglon, Ephraim annis octo. Quidam autem septem annis Abattan connectunt Ebron annos quadraginta. Et post hunc peccans iterum populus, subditus est Allophylis Phylistiim annos quadraginta. Reversis autem ipsis Samson dux fuit è tribu Dan, victis bello Allophylis. Hic præfuit annis viginti, & post hunc, cum esset anarchia, judicabat populum Eli sacerdos, annis quadraginta. Hunc excipit Samuel &c.

Ita colliguntur anni quadringenti sexaginta tres in mortem Mosis & Samuelem. Alia narratio ipsius de Jesu majorem summam colligit. Anni isti colliguntur per Jesum, Chusachar; Gothoniel, Æglon, Aod. Jabin, Debboram, Madienæos, Gedeonem, Achimelech (leg. Abimelech) Bolean, (Thola) Ammanitas(Nam Jair omittitur hic ut Thola apud Josephum) Jephthae. Abatthan (Ebsan Α'βεσσὰν) Ebron (Ἐβδὼν) Æglom (Αἰλὼν) Allophylos, Samsonem, Eli.

Conspectus Historiæ Sacræ è Lactantio lib. 4. §. 10.

MAjores nostri, qui erant principes Hebræorum, cum sterilitate atque inopia laborarent, transierunt in Ægyptum rei frumentariæ gratia, ibique diutius commorantes, intolerabili servitutis jugo premebantur. Tum misertus eorum Deus, eduxit eos ac liberavit de manu regis Ægyptiorum post annos trecentos triginta, duce Moyse; per quem posteà illis lex à Deo data est: in qua eductione ostendit virtutem suæ majestatis Deus. Trajecit enim populum medio mari rubro præcedente angelo & scindente aquam, ut populus per siccum gradi posset: quem verius (ut poëta)

Curvata in montis faciem circumstetit unda.

Qua re audita tyrannus Ægyptiorum cum magna suorum manu insecutus & mare adhuc patens temerè ingressus, coëuntibus aquis cum omni exercitu deletus est. Hebræi vero egressi in solitudine multa mirabilia viderunt. Nam, cum sitim paterentur, ictu virgæ rupe percussa, prosiliit fons aquæ populumque recreavit. Quo rursus esuriente, cælestis alimenti pluvia descendit, quin etiam coturnices in castra eorum ventus induxit; ut non modo pane cælesti sed etiam instructionibus epulis saturarentur. Pro his tamen divinis beneficiis honorem Deo non reddiderunt: sed depulsa jam servitute jam siti fameque deposita, in luxuriam prolapsi, ad profanos Ægyptiorum ritus animos transtulerunt. Cum enim Moyses dux eorum &c. Posteà verò, cum in deserta quadam parte Syriæ consedissent; amiserunt vetus nomen Hebræi: & quoniam princeps examinis eorum Judas erat, Judæi sunt appellati, & terra, quam incoluere, Judæa. Et primo quidem non dominio regum subjecti fuerunt; sed populo ac legi civiles judices præsidebant; non tamen in annuum constituti sunt sicut Romani consules, sed perpetuà jurisdictione subnixi. Tum sublato judicum nomine potestas regalis inducta est. Verum judicibus regimen eorum tenentibus, pravas religiones sæpe susceperant, atque offensus ab his Deus, toties eos alienigenis subjugabat, donec rursus pœnitentia populi mitigatus, liberaret eos servitute. Item sub regibus &c.

FINIS.

INDEX.

Rerum præcipuarum in prima parte tomi secundi Bibliothecæ Historiæ Sacræ.

Sexta

INDEX.

FINIS.

PEM-

PEMPTADIS SECUNDÆ TOMI SECUNDI BIBLIOTHECÆ

Historiæ Sacræ

Tractatus seu liber primus

DE

Samuëlis præfectura & regno Saul.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI. I.

CAPUT. I.

Victores secundo prælio Allophyli, arcam Dei, quæ in potestatem venerat, eorum oppido Azoto, In templum Dagon intulerunt. Sed simulachrum Dæmoni dicatum, ubi arca illata est, corruit. Quumque idolum loco restituissent, nocte insecuta discerptum est. Inde mures per omnem regionem exorti, noxiis morsibus, multa hominum millia letho dabant. Quo malo compulsi Azotii, ad declinandam calamitatem arcam Dei ad Gethæos transtulerunt. Qui cum simili clade afficerentur, in oppidum Ascalonensium arcam transvexerunt: His verò advocatis gentis ejus primoribus, consilium fuit arcam Domini Hebræis reddere ita ex sententia principum augurumque & sacerdotum imposita vehiculo multis cum muneribus remittitur. Illud mirabile, quod cum oneri boves fœminas subjecissent, iter nullo duce in Iudæam pecudes direxerunt non revocante affectu fœtus relicti. Cujus rei miraculo reguli Allophylorum usque in fines Hebræorum

arcam sequuti religiosum officium præstiterunt: Iudæi autem ubi referri arcam viderunt, certatim ex oppido Bethsamis, cum gaudio obviam ruere, festinare, exultare, grates Domino referre. Mox Levitæ, quorum hoc negotium erat, sacrificium Deo celebrant, bovesque eas quæ arcam adduxerant, immolant. Sed in oppido; quod supra diximus, teneri arca non potuit. Itaque passim Dei nutu per totam urbem sævitum. Arca in Cariathiarim oppidum translata est, ibique per viginti annos fuit.

DRUSIUS.

EORUM OPPIDO AZOTO]. Azotus quasi Asdodus aut ab Aza uxore conditoris appellata. Asdod antiquum urbis nomen, quam posterior ætas. Palmim dixit: autor Benjamin in itinerario suo. Hæc urbs obsessa fuit olim à Psammeticho rege Ægypti annos undetriginta continuos. Proinde scribit Herodotus lib. 2. ἄυτη δὲ ἡ ἄζωτος ἁπασέων πολίων ἐπὶ πλεῖςον χρόνον πολιορκευμένη ἀνέχε τ̃ ἡμεῖς ἴδμεν.

DAGON] Vide commentarium ad cap. 46. Piscis formam habuisse testatur R. Salomo, Sed & Nicolaus de Lyra. R. David: *Ajunt Dagon ab umbilico & infra piscem retulisse, supra umbilicum speciem hominis habuisse.* Quo accommodant illud, *tantum Dagon, remanserat in eo*; quod interpretantur *quod referebat piscem*: alii melius, *truncus Dagon:* Græci fabulantur hunc unum esse ex quatuor filiis Urani, quos ex Ge id est terra suscepit. Dicunt etiam invenisse frumentum, quod *Dagan* dicitur: unde dagon quasi σίτων & aratrum, unde ζεὺς ἀρότριος dictus. Eusebius in libris προπαρασκευῆς. pag. 23. & seq. 24.

SIMULACHRUM DÆMONI DICATUM] Nam dii gentium dæmonia, ut quidem Græca Ecclesia legit apud Davidem. Sane Diabolus in Jovis aut Mercurii forma sæpe apparuit. Sulpicius in vita Martini segm. 24. *Frequenter autem Diabolus visibilem se ei formis diversissimis offerebat. Nam interdum in Iovis personam, plerumque Mercurii, persæpe etiam se Veneris ac Minervæ transfiguratum vultibus offerebat.*

DICATUM] alibi dedicatum, ut in vita Martini segm. 10. *Arborem illam excidi oportere, quod esset Dæmoni dedicata.*

DISCERPTUM EST] Caput & manus abscissæ à reliquo trunco. Quod pro iis facit, qui humana specie Dagonem effingunt. Nam pisces non habent manus. Sunt qui tradant, id supra probatum est, superiore parte corporis hominem, inferiore piscem fuisse, hoc est piscis speciem & formam habuisse. Cujusmodi sunt poëtarum scriptis nobilitati Tritones. Qualem descripsit Virgilius, cum ita caneret,

Frons hominem præfert, in pristin desinit alvus.

Sed vide sis quæstiones meas.

INDE MURES PER OMNEM REGIONEM EXORTI] 1. Sam. 5. (v. 6.) in editione LXX. Καὶ μέσον τ̃ χώρας αὐτῆς ἀνεφύησαν μύες. Rursum cap. 6. (v. 1.) Καὶ ἐξέζεσεν ἡ γῆ αὐτῶν μύας. Josephus quoque lib. 6. cap. 1. Τὰ δὲ ἐπὶ τ̃ χώρας μυῶν πλῆθος ἀνελθὸν ἀπὸ τ̃ γῆς κατέβλαψε, μήτε φυτῶν μήτε καρπῶν ἀποσχόμενον. Quæ hic versa reperi: *Ager vero totus scatebat muribus, qui omnia vastantes nec segetibus parcebant nec cæteris fructibus.*

MULTA HOMINUM MILLIA LETHO DABANT] In eadem editione,

Καὶ

Καὶ ἐγένετο σύγχυσις θανάτου μεγάλη ἐν τῇ πόλει. מהומה interpretantur σύγχυσις θανάτου.

Arcam Dei Ad Gethæos Transtulerunt] 1. Sam. 5. 7. eadem editio habet, Καὶ λέγουσιν οἱ Γετθαῖοι, μετελθέτω κιβωτὸς τοῦ θεοῦ πρὸς ἡμᾶς, καὶ μετῆλθεν κιβωτὸς τοῦ θεοῦ Ισραὴλ εἰς Γέθ. Latina vero: *Et responderunt Gethæi, circumducatur arca Dei Israël: & circumduxerunt arcam Dei Israël*, nempe per omnes urbes Philistæorum. Quod etiam Josephus annotavit ita scribens: *Atque in hunc modum per quinque Palestinorum urbes pervagata est arca, veluti tributum per singulas pœnas violatæ religionis exigens* lib. 6. cap. 1.

In Oppidum Ascalonensium] εἰς Ἀσκάλωνα, id est, Ascalonem. Sic Græci codices. Sed Latini, ut & Ebræi, in *Accaron.* Utrunque oppidum erat Palæstinæ propriè dictæ.

Gentis Ejus Primoribus] Philisthæorum satrapis.

Ex Sententia Principum] Καὶ καλοῦσιν ἀλλόφυλοι τοὺς ἱερεῖς καὶ τοὺς μάντεις καὶ τοὺς ἐπαοιδοὺς αὐτῶν, id est; *sacerdotes, vates & incantatores suos.* Latina vetus, *Vocaverunt sacerdotes & divinos.* Sic etiam Hebræi.

Multis Cum Muneribus] Munera erant quinque ani aurei totidemque mures aurei. 1. Sam. 6. 5.

Remittitur] Cum fuisset in agro Philisthæorum septem mensibus 1. Sam. 6. 1. Nam quod in Josepho μῆνας τέσσαρας, emendandum est ex hoc loco: maximè cum in Rufino sit, Mensibus septem, id est μῆνας ἑπτά.

Ex Oppido Bethsames] Imò ex agro, ubi triticum metebant.

Bethsamis] Melius Bethsames. שמש *Sames*, ut הבל Habel. In editione Romana Βαιθσαμὺς, quod scribes Baithsamys aut certo Bæthsamys. Oppidum hoc situm erat in termino tribus Juda Joh. 15. 13. Quod firmabis alio loco, qui habetur 2. Reg. 14. 11. In Bethsames oppido Judæ.

Mox Levitæ] Hoc Bethsamitæ fecisse leguntur 1. Sam. 6. 15. & ideò puniti fuerunt. Josephus lib. 6. cap. 2.

Quorum Hoc Negotium Erat] Imo negotium hoc erat sacerdotum non Levitarum. Verum noster hæc nomina confundere videtur. Vide notata ad caput proximè sequens.

Per Totam Urbem Sævitum] ob attrectatam arcam ab hominibus profanis.

SCHOTANUS.

I. Sam. Cap. 5.

Palæstini arca Dei potiti, ex Aben-haezer eam deportant Azotum, statuuntque in æde Dagon, apud idolum. Dagon iste Palæstinorum Deus, videtur unus esse ex filiis Urani, de quibus diximus in fine tomi primi è Sanchuniathone. Alii & Jos. Scaliger putant esse fabulosam illam Derceto, quæ è complexu Syri Semiramin genuit. Cujus templum apud lacum quendam juxta oppidum Ascalonem fuit, & ipsa illius statua facie muliebri reliquo toto corpore piscem referebat. αὕτη (inquit Diodorus Siculus) τὸ μὲν πρόσωπον ἔχει γυναικὸς, τὸ δ᾽ ἄλλο σῶμα πᾶν ἰχθύος. Nam cum peperisset Semiramin, pudore & mærore in lacum se abjecisse & transformatam esse in piscem. Id factum esse cum jam Ninus in Asia adeoque & Palæstina dominus esset. Nos dicimus non esse eandem cum Dagone, de quo alio loco. Id tantum hic observetur illam Derceto solam faciem humanam habuisse, at constat Dagonem

cum manibus & brachiis fuisse formatum. Ubi loci fuerit Samuel, cum arca caperetur & Eli occumberet, non inquirimus: quæ enim ratio, ut in Silo non fuisse dicamus, ubi Eli erat, cui ministrabat in servitio Domini. At Deus gloriam suam ab Allophylis vindicavit, ne putarent Deum victum esse, cujus arcam ceperant. Rupertus in lib. 1. Regum: *Grande spectaculum, grande miraculum. Translata ab Israël gloria Domini, capta ab Allophylis arca Domini, victoriam vice versa exigit: primumque in Deum ipsorum Dagon, Deinde etiam super homines aggravantur manus Domini.* Diluculo sequentis diei, viderunt (sacerdotes qui ad cultum ingressi) Dagonem projectum in terram jacere ante arcam Domini. Josephus non de sacerdotibus intelligit sed lucea mane adorantium. Dicit eum invenisse, quod arcam adoraret, ἐπιτυγχάνουσιν αὐτῷ τοῦτο ποιοῦντι τὴν κιβωτόν. Basi enim, cui insistebat, prolapsus erat. Repositum loco suo, sæpius invenisse prolapsum arcam adorantis specie. Scriptura narrat, sequenti mane, caput & palmas manuum amputata fuisse limine in quod deciderat: id non memorat Josephus. Lxx. (Ed. Rom.) inter primum secundumque casum referunt, quod Dei manus graviter percusserit Azotios illo plagæ genere, quod infra explicabimus. Lxx. sic loquuntur: Καὶ κεφαλὴ Δαγὼν καὶ ἀμφότερα τὰ ἴχνη χειρῶν αὐτοῦ ἀφῃρημένα ἐπὶ τὰ ἐμπρόσθια ἀμαφεθ ἕκαστον, καὶ ἀμφότεροι οἱ καρποὶ τῶν χειρῶν αὐτοῦ πεπτωκότες ἐπὶ τὸ πρόθυρον, πλὴν ἡ ῥάχις Δαγὼν ὑπελείφθη. Hebræa veritas: *Et caput Dagon & ambæ palmæ manuum ejus, abscissæ* (אל המפתן) *Tantum Dagon relictus erat super ipso.* Editio Basiliensis habet ἴχνη ποδῶν αὐτοῦ ἀφῃρημένα ἐπὶ τὰ ἐμπρόσθια τῶν σταθμῶν ἀφεφὶν ἕκαστον &c. עליו vulgata Latina editio, *in loco suo.* Id accipi debet de loco in quo procubuerat. *Tantum Dagon relictus erat.* Hoc ita accipiunt, quod pars inferna, quæ piscem referebat ab umbilico deorsum fuerit relicta. Ralbag dicit figuram hominis habuisse, Rasi piscis. Ad hanc sententiam Rasi, dicunt interpretes multi (teste Kimchi) quod tantum remanserit illud, quod piscis habebat formam. צורת דג נשאר עליו. Thargum Jonathan, לחוד גופיה דדגון אשתאר עלוהי. *Tantum corpus Dagonis relictum fuit super ipso.* Lxx ῥάχις Δαγὼν ὑπελείφθη. E versione Lxx. interpretum quæ manuum non tantum sed & pedum meminit (Edit. Rom. malè ἴχνη χειρῶν) veteres laceratum penitus idolum discerptumque fuisse putant. Author mirabilium scripturæ: *Primo die*, inquit, Dagon coram arca prostratus repertus: iterum in loco restituitur, crastino vero fractus ad limen in centum partes capite & manibus spina dorsi ejus truncata reperitur &c. Sic Isidorus & Eucherius, qui dorsum solum relictum ita interpretantur, quod fugientis idololatriæ speciem præbuerit. Chrysostomus: *Arca in idoli Dagonis templum perlata, statim idoli statua delapsa in caput jacebat. Ubi autem Divinæ virtutis robur, hac ruina illi minime agnoscentes idolum de integro excitatum in sede sua collocarunt, postridie sub auroræ tempus eo cum accessissent, viderunt non jam collapsum idolum sed penitus diffractum.* Hujus enim manus ab humeris avulsæ una cum pedibus ad templi limen exilierant reliqua idoli parte & ea quoque divulsa, aliò dispersa. Theodoretus: Πρώτην μὲν γὰρ εἶδον πρὸ τῆς κιβωτοῦ πεπτωκότα τὸν οἰκεῖον θεὸν καὶ τῆς προσκυνήσεως ἐπιδεικνύντα τὸ σχῆμα· τοῦτον ἀναστήσαντες εὗρον τῇ ὑστεραίᾳ συντετριμμένον καὶ τῶν ἄκρων πάντων ἐστερημένον. Ego arbitror interpolatam esse versionem Lxx. interpretum: Prius tantum priora de pedibus fuisse, deinde ex Hebræo illa de manibus adjecta. Abscissionis non meminit Josephus.

Primum casum putarunt evenisse (על דרך המקרה) fortuitò, secundum fortassis attribuerunt voluntati numinis sui. Receptum ab illo, ut sacrificuli aliique intrantes limen templi Dagonis in urbe Azoto tanquam sacrum non calcarent. Kimchi: *In dras R. Ieremiæ in nomine R. Samuel bar Rab Isaac invenimus,* quod

quod Israëlitæ aggravaverint in idololatria præ populis mundi. De populis mundi Scriptum: Ideo non calcant: *sed de Israël scriptum* (Sophon. 1. 9.) *Et visitabo super* omnem subsilientem, trans limen, קפץ.

Hinc in homines grassatur Dei manus. Triplicis plagæ mentio est in sacro textu, mariscarum, pestilentiæ & murium: at secunda ex occasione indicatur solummodo, in v. 11. hujus capitis. Hæ plagæ diffusæ fuerunt per satrapias Palæstinorum immigrantes cum arca Domini. Putant quidam cum arca esset in templo Dagonis Azoti, simul cum idolo illo, omnes statuas deorum in quinque urbibus universaque earum ditione eversas esse: quod non videtur. Nam scriptura evidenter restringit ad Dagonem Azotium:

Mariscarum igitur plaga sævire primò cœpit & quidem Azoti: ubi arca primitus fuit. Plaga hæc appellatur טחורים. Lxx. reddunt *ἕδρας.* Kimchi: בעפולי׳ כתי׳ וקרי בטחורי׳ והכתיב הוא שם כנוי בעפולי על תחתיות וכ׳ In עפולי׳ *scriptum at lectum* בטחורי׳ / *Scriptura est cognomen inferiorum partium, quia* עטליב *sunt, id est elevatæ* Q. D. (Es. 32. 14.) עפל ובוחן. *& cognomen oppositum: Lectura est nomen morbi.* Rasi טחורים interpretatur חלוחלת כרכשא מכה הנקב / *intestinum rectum, plaga natium.* Ralbag dicit esse morbum מצער dolorificum valde. Unde egreditur sanguis multus: multo magis, qui veniret à Deo ad torquendum ipsos. Josepho cum Rabbinis convenit: plagam hanc attulisse mortem: *ἀπέθνησκον γὰρ ὑπὸ δυσεντερίας πάθους χαλεποῦ καὶ τὴν ἀναίρεσιν ὀξυτάτην ἐπιφέροντος· πρὶν ἢ τὴν ψυχὴν αὐτοῖς εὐθανάτως ἀπολυθῆναι τοῦ σώματος τὰ ἐντὸς ἀναφέροντες, ἐξεμοῦντες διαβεβρωμένα καὶ παντοίως ὑπὸ τῆς νόσου διεφθαρμένα. Moriebantur dysenteria, gravi malo & necem acerbissimam inferente; priusquam anima ipsis per mortem convenienter solveretur corpore, intera edentes, evomentes exesa & omni modò à morbo corrupta.* Rasi mures ingressos intestina arrosisse & ejecisse, Rabbinico commento scribit. Cæterum plagam mortiferam Sp. S. aperte videtur distinguere v. 11. & 12. à plaga ani. Eos, qui percussi non sunt subita morte & pestilentia vexabat plaga mariscarum. Torquebantur igitur mariscis non moriebantur: & plaga illa subitæ mortis tantum incubuisse videtur, cum arcam gestabant, quievisse, cum staret atque alicubi quiesceret, à nullo attacta portataque aut visa. Arcam Domini captam an sine plaga apprehenderint & Azotum deportaverint in templum Dagonis nescio. Videtur tamen Deus manum suam ad tempus inhibuisse: quia initio scivissent arcam se habere non posse. Quamvis Deus noluerit inspici arcam ab Israëlitis sine clade, passus est ab illis, qui eam in symbolum divinæ præsentiæ non acceperant. Plagis his gloriam suam tueri & cogere hostes voluit, ut redderent Israëlitis suum palladium.

v. 6. In Hebræo notatur sola plaga mariscarum, in Græco pestilentia & mures nulla mentione mariscarum. Latina editio & Hebræum & Græcum exprimit. Josephus novit tantum plagam disenteriæ & murium. Miror illum, quod fracti idoli non meminerit, non tamen siluisse puto metu Romanorum aut adulatione, ut vult Salianus. Theodoretus: *Ἐπειδὴ τὸ διάφορον γνῶναι μὴ βουληθέντες καὶ τῷ κιβωτῷ τὸ πρέπον μὴ ἀπονείμαντες σέβας ποικίλοις νοσήμασι περιέπεσον, ὡς μὲν γὰρ οἱ ἑβδομήκοντα ἡρμήνευσαν, εἰς τὰς ἕδρας ἐπλήγησαν· ὡς δὲ ὁ Ἀκύλας, τὸ τῆς φαγεδαίνης ἐσχήκασιν ἕλκος· ὁ δέγε Ἰώσηπος τὸ τῆς δυσεντερίας αὐτοῖς ἐγγενέσθαι πάθος ἐδίδαξεν. ἀλλὰ μηδεὶς διαφωνίαν νομιζέτω τὰς διαφόρους ἐκδόσεις. Τὴν γὰρ δυσεντερίαν τὸ τῆς ἕδρας διαδέξατο πάθος. Τὸ γὰρ συχνὸν τῆς ἐκκρίσεως τὸ τῆς ἐκκρίσεως κατέκαυσε μόριον· εἰς φαγέδαιναν δὲ τῷ χρόνῳ τὸ ἕλκος μετέπεσε. Quoniam, cum nollent discrimen nosse & convenientem venerationem non contribuerent arcæ, in varias ægritudines inciderunt. Etenim septuaginta interpretati sunt, percussi sunt ad sedes: ut Aquila, habuerunt ulcus phagedæna. Sed nemo arbitretur, diversas editiones*

esse dissensum. Nam dysenteriam excepit affectus sedis. Iosephus autem docet, quod ingeneratus sit ipsis affectus dysenteriæ. Frequens enim excretio inflammabat partem, qua excernitur. In phagedænam autem lapsu temporis ulcus transiit.

Causam idem assignat, cur in ea parte corporis fuerint puniti: Τὸ ἢ τὰ ἕδρας ὑπομεῖναι πάθος ὡς δυσσεβῶς τὴν κιβωτὸν τὴν θείαν ἱδρύσαντες παρὰ τὸν θεὸν τὸ ψευδώνυμον. Sedis sustinuerunt affectum, quia male collocaverant Dei arcam apud Deum falso dictum. R. Esaias dicit in occultis partibus Dei manu esse percussos, quia inspexerant בסתרי הבורא *occulta conditoris.*

Azotii causam cladis referentes in arcam congregatis omnibus ducibus Palæstinæ, se arca voluerunt liberari. Arca igitur Getthum translata est, simulque cum arca intrante Dei manus plagam incutit. In Hebræo est גת יסוב ארון *Getthum circumferatur arca.* Lxx. rectè Μεταλθέτω. Notant interpretes Azotum in medio regionus sitam fuisse. Getthæi magna mortalitate subitò percussi & in viventibus similiter afflicti in occultis corporum à maximo ad minimum (plaga enim universalis erat) arcam Accaronem transmittunt. Cives ea visa ingemunt: Ad me transferunt arcam, ut ego & populus meus intercam. Mortalitas magnum numerum mox sustulit, cæteri torminibus mariscarum affligebantur. Vociferatio & ejulatus in cælum ferebantur. Josephus scribit Azoto Ascalonem, hinc in reliquas tres Palæstinæ urbes arcam circumlatam esse. Azotios ab Ascalonitis petiisse, ut ad se arcam reciperent. Quos cum annuissent & accepissent, cladium generibus eisdem contusos esse. Pervagatam arcam esse per quinque urbes ὥσπερ δασμὸν ἀπαιτοῦσαν παρ᾽ ἑκάστης τὸ πρὸς αὐτὰς ἐλθεῖν, ἃ δι᾽ αὐτὴν ἔπαθον: *Tanquam in pœnam exigentem à qualibet de eo quod ad ipsas venisset, ea quæ ob illam passi sunt.*

In plagis istis fuit murium, cujus, ut diximus, narrationem distinctam scriptura non facit. Diserte narrant Lxx. v. 6. ubi ita Josephus & Lxx. conveniunt, quasi è Lxx. suam narrationem Josephus accepisset. E terra editam multitudinem murium læsisse stirpes & fructus. Sulpicius putat à muribus multa hominum millia occisa esse. Ita existimat argumento v. 6. in Græco. Comestor: *Computrescebant prominentes extales eorum, quod Iosephus dicit factum ex crudeli passione dysenteriæ: ita ut putrefacta egererent intestina & mures ebullientes de agris corrodebant extales eorum.* Nam in vulgata editione Latina habetur in v. 6. *Illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per singulas civitates interfectionis magnæ nimis: & percutiebat viros unius cujusque urbis à parvo usque ad majorem & computrescebant prominentes extales eorum. Inieruntque Gethæi consilium & fecerunt sibi sedes pelliceas.* Lxx. in editione Romana & Basiliensi Καὶ ἐγενήθη μετὰ τὸ μεταλθεῖν αὐτὴν καὶ γίνεται χεὶρ κυρίου τῇ πόλει, τάραχος (vulg. Lat. *interfectionis* Heb. מהומה) μέγας σφόδρα· καὶ ἐπάταξε τοὺς ἄνδρας τῆς πόλεως ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου καὶ ἐπάταξεν αὐτοὺς εἰς τὰς ἕδρας αὐτῶν. Καὶ ἐποίησαν οἱ Γετθαῖοι ἑαυτοῖς ἕδρας. Hæc ultima non habentur in Hebræo. Latina editio vocem *pelliceas* aliunde accepit: quam agnoscunt Lyranus, Comestor, recentiores. Sine dubio perturbata est versio τῶν ό insertione è cap. seq. Nam Theodoretus legit ἕδρας χρυσᾶς. Theodoretus: Τὸ δὲ ἐποίησαν ἑαυτοῖς οἱ Γετθαῖοι ἕδρας χρυσᾶς οἱ λοιποὶ οὕτως ἡρμήνευσαν· καὶ ἐξελύθησαν αὐτῶν αἱ ἕδραι. Gregorius magnus totam illam appendicem ignorat. Unde apparet in editione Germana Hieronymi non fuisse. Septuaginta Ascalonem habent pro Accarone, in quam ultimò vel tertio loco translata est arca. Non dubitat Salianus mendum esse.

Murium plagam disertè expressam non esse (u. 6.) in Hebræo mirum videtur quibusdam, eoque excidisse putant, quia reddita narratio est à Lxx. Urgent hoc Salianus & Serarius. Gregorius sine dubio legit in Latina editione

ne uti hodie habetur. Ideò percussionem & interfectionem refert ad mures tanquam causam: *Sed & modus interfectionis exponitur quia quisquis mori hac interfectione dicitur, dum ad purgandum ventrem exiret, in superiori parte natium morderi à muribus perhibetur. Ad literam una percussio sic ostenditur, &c. Nam per literæ significationem & gravationem* (gravatio) *manus Domini & murium morsus* (scilicet in natibus) *ad ejusdem mortis effectum pertinet.* Nequis editioni τῶν ο΄ nimium tribuat, ejus deformitatem intueatur: Καὶ ἐβαρύνθη ἡ χεὶρ κυρίου ἐπὶ Ἄζωτον καὶ ἐπήγαγεν αὐτοῖς καὶ ἐξέζεσεν αὐτοῖς εἰς τὰς ναῦς καὶ μέσον τῆς χώρας αὐτῶν ἀνεφύησαν μύες καὶ ἐγένετο σύγχυσις θανάτου μεγάλη ἐν τῇ πόλει. ultima verba sunt è v. 11. Hebræum וישם reddiderunt ἐπήγαγεν αὐτοῖς quasi fuisset וישים. Hebræum ויך אותם בעפלים את אשדוד ואת גבוליה καὶ ἐξέζεσεν αὐτοῖς εἰς τὰς ναῦς καὶ μέσον τῆς χώρας αὐτῶν ἀνεφύησαν μύες. Pro, *Percussit eos in natibus, Azotum & terminos ejus.* Videntur pro בעפלים legisse בעכברים *muribus*: pro אשדוד / השדות *agros* Hebræa formari debent ut istam interpretationem habeamus וירם להם בעכברים לאוני ובתוך השדות וגו' Quæ toto cælo distant. Istos interpretes pro libitu animi sæpe vertisse certum est, vanitate Græca & Ægyptia. Ratio cur Hebræus textus non meminerit disertè plagæ murium est quod in illis terris pestis ea fuerit creberrima, eoque ab ipsis non sit relata ad Dei Israël extraordinariam manum.

I. Sam. VI.

SEptem mensibus arca Domini in terra Palæstinæ fuit. Josephus quatuor menses ponit, Cedrenus, tanquam ex illo, duos. Eutychius quatuor menses tribuit, sed aliud exemplar dicit habere septem. Syra & Arabica versiones Anglicanæ habent septem. Theodoretus: Εἶτα μηδεμιᾶς πόλεως δέξασθαι τολμώσης τὴν κιβωτὸν ἐν ὑπαίθρῳ ταύτην ἔξω κατέλιπον τόπῳ. Τοῦτο γὰρ ὁ ἱστοριογράφος ἐδίδαξεν. Ἐγένετο γάρ φησιν. ἡ κιβωτὸς τοῦ θεοῦ ἐν τῷ πεδίῳ τῶν ἀλλοφύλων μῆνας ἑπτά. Ἐπειδὰν δὲ ᾠήθησαν ἔξω κειμένης τῆς κιβωτοῦ τῶν θεηλάτων ἀπηλλάχθαι πληγῶν, ἐπήγαγεν ὁ θεὸς καὶ δεσπότης καὶ τοῖς ἀψύχοις τὰς τιμωρίας μυῶν γάρ τι πλῆθος καὶ ταῖς ἀμπέλοις καὶ τοῖς λῃίοις ἐπέπεμψεν, οἳ πάντας αὐτῶν ἐλυμήναντο τοὺς καρπούς. *Deinde cum nulla urbs recipere auderet reliquerunt eam sub dio foris. Hoc enim historiographus docuit. Inquit enim:* Fuit arca Dei in campo Allophylorum mensibus septem (v. 1.) *Quia autem arbitrabantur foris manente arca se liberandos esse à plagis Divinitus illatis, induxit Deus & herus etiam pœnas inanimis. Nam murium multitudinem etiam vitibus & segetibus immisit, qui omnes eorum fructus perdiderunt.* Quia textus dicit בשדה / Lxx. ἐν πεδίῳ, putavit præter id tempus, quo in urbibus fuit arca, septem mensibus sub dio stetisse. Tum verò mures (quos Lxx. hoc loco iterum memorant) qui prius in ædibus & urbibus villisque fuerant, immissos à Deo agris esse, ut segetes vitesque popularentur. Sic igitur putavit ex illa versione. Verius est, quod totum tempus captivitatis arcæ fuerit septem mensium. Tum (v. 2.) Palæstini convocatis (לכהנים ולקוסמים) sacerdotibus & auguribus (chald. לכומריא ולקסמיא) (Lxx. addunt ἐπαοιδούς) *Quid*, inquiunt, *faciemus arcæ Domini. Indicate nobis cum qua re remissuri eam simus in locum suum.* Rasi: *In qua re dimittam eam, ut ne exardescat ira ejus & revertatur æstus ejus à me.* Hi autem (v. 3.) *Si remittetis arcam Dei Israël, ne remittite vacuam sed remittendo remittite ei* אשם / *tunc sanabimini & innotescet vobis cur non recesserit manus ejus à vobis* Volunt gloriam ei dari. Dabant igitur consilium (ut Ralbag) שישלחוהו בכבוד. אשם est oblatio pro delicto at Lxx. ἀπόδοτε αὐτῇ τῆς βασάνου. Basiliensis: Ἀποδιδόντες ἀπόδοτε αὐτῇ τὸ τῆς βασάνου. Kimchi: *Tunc scietis cur non recesserit manus ejus & plaga ejus à vobis, quia retinuistis arcam ejus apud vos. Nam mittendo eam sanabimini & pro*

pro peccato victima erit ad expiandum, super eo, quod fecistis. Sacerdotes & vates (Theod. ἱερεῖς καὶ χρησμῳδοί) agnoverunt manum Dei grassari ob arcam, eum igitur expiandum esse. Et hic Dei manus ora vatum gubernavit. At videntur ita loqui, ut significent rem in ambiguo esse, plagane à Deo an casu evenerit. Ralbag. *Tunc sanabimini si in causa ejus* (בסבתו) *evenerit vobis malum eritque notum vobis, quare non recesserit manus Dei excelsi à vobis: quia ipse voluit, ut daretis ei honorem, pro eo, quod cogitastis profanare nomen ejus. Et dixerunt hoc, quia in hoc explorandam esset an venisset malum hoc in causa illius. Nam jam erat sententia eorum, si in causa illius malum non esset, ut arcam non redderent Israëlitis.*

Quærunt igitur (v. 4.) Quid in oblationem pro delicto daturi essent? Responsum: *Quinque aureas sedes & quinque mures aureos pro numero satraparum Palæstinæ. Quia una plaga est omnium vestrum & satraparum vestrorum.* Kimchi quia dicitur una plaga ex eo educit mures morbum effecisse pro parte, ut supra exposuimus. At una plaga dicitur, quæ omnibus pariter & simili modo eveniebat. Pergunt (v. 5.) *Facite igitur imagines sedium & murium (qui agrum corrumpunt) & date honorem Deo Israëlis. Forte manus ejus levabitur à vobis & Deo (diis) vestro & terra vestra* Putant quidam similem Dagoni Azotio ruinam cæteris idolis timeri. (v. 6.) *Quare aggravaretis cor vestrum quemadmodum aggravatunt Ægyptii & Pharao corda sua.* Videntur difficiles fuisse ad dimittendum, quod & Ralbag observat *Nonne cum operatus esset in eos, dimisere eos, qui abierunt? Proinde* (v. 7.) *capite, facite novum currum unum, & duas vaccas* (עלות LXX. πρωτοτοκούσας vulgat. Lat. fœtas) *Lactantes quæ jugum nunquam subierunt. Duas illas boves jungetis plaustro, & vitulos eorum removebitis ab eis domum.* Novum plaustrum, quod operi humano non esset adhibitum, in honorem Dei Israël, ut observat Kimchi. Miraculum duplex divinæ manus in eo quod insuetæ jugum ferrent & desiderio fœtus non retrogrederentur. v. 8. *Sumetis arcam Domini imponetisque plaustro: & instrumenta aurea quæ restituetis ei pro delicto, in cista ad latus ejus. Dimittetis ut abeat* (v. 10.) *observabitis: Si via termini ejus ascendat Bethsames, ille fecit vobis magnum hoc malum. At si non, sciemus, quod manus ejus non percusserit nos, casus ille evenit nobis.* Tertium miraculum, quod non diverterent à via ad terram Israel. Hoc consilium secuti sunt Palæstini: Plaustro junxerunt boves, imposuerunt arcam & anathemata sive cistalam (LXX. portentosè τὸ θέμα ἐργάβ (v. 11.) (Hebr. בארגז) quod nemo quid sit possit conjicere) Aug. *At illæ (vaccæ) sine homine duce atque rectore ad Hebræos viam pertinaciter gradientes nec revocatæ mugitibus esurientium filiorum magnum sacramentum suis cultoribus reportarunt.* Omninoque ita evenit, ut indicaverant. Nam mugientes recto itinere ibant Bethsames, sequentibus satrapis Palæstinorum usque fines terræ Israel. Josephus narrat in concilio dissensisse Palæstinos, alios existimasse remittendam arcam esse, alios negasse. Si enim hæc esset mali caussa, & si Deus ille pro arca pugnaret, non fuisse passurum ut in hostium manus veniret. Casus igitur hos æquo animo ferendos esse, ut à natura evenientes, ἡσυχάζειν καὶ πράως ἔχειν ἐπὶ τοῖς συμβεβηκόσι παρ᾽ ἑαυτοῖς αἰτίαν τούτων οὐκ ἄλλην ἢ μόνην λογιζομένους τὴν φύσιν ἣ καὶ σώμασι καὶ γῇ καὶ φυτοῖς καὶ πᾶσι τοῖς ἐξ αὐτῆς συνεστῶσι κατὰ χρόνων περιόδους τίκτει τοιαύτας μεταβολάς. Vicisse sententiam eorum, qui probatæ prudentiæ erant: qui neque remittere neque retinere suaderent sed tentamen id fieri. Nam quinque statuas (ἀνδριάντας dicit pro ἕδρας) pro qualibet urbe donandas esse (ἀναθεῖναι τῷ θεῷ χαριστήριον) gratitudinem quod ipsis salutem dedisset ex affectibus, quos humana ope non potuissent evadere: deinde & quinque mures aureos, pro iis, qui agrum vastaverant. Hæc omnia inclusa cistulæ (γλωσσόκομον) super arcam (ἐπὶ τὴν κιβωτὸν) poni in novo curru, cui junctæ essent boves πρωτότοκοι, reclusis vitulis

vitulis ne matribus impedimento essent utque eorum desiderio celerius festinarent. Vides in multis scopum non ferire! Deinde in trivio positas, ut quam vellent, inirent viam, si viam Hebræorum eligerent, arcam causam malorum esse: si aliam, persequamur, dicebant, quoniam nulla ipsi vis talis. Hoc consilium placuisse. Josephus: κώμη δέ τις ἐστι τῆς Ἰούδα φυλῆς Βαθσάμη ὄνομα. Bethsemes significat domum solis. Hinc Tropologia apud Lyranum: *Vaccæ portantes arcam testamenti sunt prædicatores portantes verbum Euangelii, qui lactant filios spirituales, eos consolando. Mugiunt devote orando: Recta incedunt, sancte vivendo: Non declinant ad dexteram allecti mundana prosperitate: nec ad sinistram prostrati adversitate. Et sic veniunt ad Bethsames, quæ domus solis interpretatur, id est, ad cœlum, quod casa eliou id est solis nuncupatur.*

Boves viam regiam, quæ in Judæam ferebatur, ingressæ, cum intra fines Bethsames venissent, substiterunt in agro Josue (Lxx. ὡσηὲ) Bethsamitæ. Notat Josephus campum magnum & pulchrum fuisse ante eos & tamen substitisse, quod miraculo erat. Bethsamitæ in agris laborantes in valle (cum esset triticea messis) cum viderent arcam Dei adventare, magno gaudio exultabant. Prope ingens saxum plaustrum constiterat. Lxx. advolutum esse à Bethsamitis volunt: inque eo errant. Plaustrum in frusta dissectum inserviit bubus Deo oblatis in holocaustum. Levitæ enim arcam deposuere & cistulam in saxo illo. In eo Bethsamitæ sacra fecerunt, holocausta & charisteria illo die. Satrapæ autem Palæstini cum vidissent, quid factum esset, retro redeunt Accaronem. Illæ aureæ sedes, quas Palæstini Deo obtulerunt, videntur eo tempore superfuisse cum scriptor ille eam historiam conscriberet ex v. 17. Hæ quinque absque dubio fuerunt, at mures possent videri plures fuisse è v. 18. *Etiam aurei mures*, inquit textus, *ex numero urbium Palæstinarum, inter quinque satrapas: ab urbibus munitis, usque ad vicos: & usque ad maximum saxum Abel, in quo posuerant arcam Dei, qui usque hodie est in agro Iosue Bethsemitæ.* Significatur, quod ad sumptus contribuerit universa regio omnesque partes usque ab Abel. Kimchi putat singula loca fecisse murem aureum. Boves feminas oblatas esse in holocaustum putant quidam à sacerdotibus Palæstinis, qui proceres comitati fuerant. Cum legitimi sacerdotes id nunquam fecissent, cumque super lapide profano oblatio facta sit. Deinde ipsum sacrum textum videri id sacrum à Levitis separare, quia legitur v. 20. Levitæ deposuerunt arcam tanquam si præcedentia ab illis facta non sint. Omnino sacrum illud extra ordinem fuit, Deo monente, lapis autem aræ vicem supplevit ob arcæ præsentiam, ut in historia Gedeonis ad Dei præsentiam & angeli jussum. Abel saxi nomen (ut videtur) fuit, cum adjecto magnum, quo notatur saxi vastitas. Abulensis vitio librariorum Abel pro Aben substitutum esse putat. Autor traditionum Hebraicarum Bethsamis nomen in memoriam cladis, quæ sequitur, mutatum esse existimat, sed non quadrat dicere arcam super urbe positam fuisse. Rasi idiomatis usu putat literam mutatam in memoriam cladis. Jonathan אבנא רבתא: Lxx. λίθου τοῦ μεγάλου. Cæterum hic quoque extrema gaudii, quod dicitur, luctus occupavit. Nam Deus è Bethsamitarum populo (ex aliis locis factus erat concursus) occidit quinquaginta millia virorum supra septuaginta viros. Causam reddit Hebræa veritas: כי ראו בארון יהוה. Jonathan, *quia gavisi erant quod viderunt arcam Domini quando apparuit.* Kimchi testatur magistros dissentire, quosdem dicere, quod fuerint decurtantes & adorantes, q. d. non omiserint opus suum propter eum, alios, quod dixerint מאן אמריך דאגרית ומן פייסך דפייסית. Prius est R. Abhu, alterum R. Eleazari. Dictum Eleazari ita exponit Glossator: *Quis provocavit ad iram, quod iratus fueris & non liberaveris populum*

tuum è captivitate: & nunc quis placavit te, quod placatus sis ut venias inde. Hæc in tractatu Suta fol. 35. a. b. Kimchi hoc Dras expositionem dare dicit ut in illo לראות בך & similibus quæ exponunt לשן בזין significatione vilipendii. *At firmum est quod exposuimus, quod aperuerint arcam & intuiti sint, quid in ea esset. Ideo dictum* בארון *non* בארון: Lyranus quatuor causas ponit, ineptam lætitiam & holocaustum indebitè oblatum, curiositatem, qua voluerunt arcam videre nudam quod sub pœna mortis prohibetur Num. 4. 20. Ultimam quod arcam Domini nimis diu neglexerint sub dio sine luminaribus & cultu debito. Ineptam lætitiam Rasi annotat: הוו מסתכלים האך הוא בא לבדו ומשמחתם נהגו בו קלות ראש ולא היו מסתכלים בו באימה ודרך כבוד: *Aspiciebant tantum* quomodo veniret & è gaudio suo habuerunt in ea levitatem Capitis: non aspexerunt eam in terrore & modo honoris. Gregorius magnus *mortuos esse, quod visione digni non essent.* Indignitatem videtur dicere ex improba vita & mente. Lxx. causam percussionis referunt in impietatem filiorum Jechoniæ, qui læto animo reditum arcæ non viderint: versum enim 19. ita formant: *Καὶ οὐκ ἠσμένισαν οἱ υἱοὶ Ἰεχονίου ἐν τοῖς ἀνδράσι Βαιθσαμὺς ὅτι εἶδον κιβωτὸν κυρίου. Καὶ ἐπάταξεν ἐν αὐτοῖς ἑβδομήκοντα ἄνδρας καὶ πεντήκοντα χιλιάδας ἀνδρῶν. καὶ ἐπένθησεν* &c. Arabica versio in bibliis Anglicanis, causam reddit, quod parvipendissent arcam Domini, & eam non recepissent intra ædes suas. Syra, *Eo quod timuerint arcam Domini*, eodem sensu. Theodoretus filios Iechoniæ luisse, quod arcam Dei contempserint; populum quod arcam Dei tot menses in terra hostili esse siverint, periculum pro ea subire recusantes. *Ἀλλ' οἱ μὲν Ἰεχονίου παῖδες, ὡς δυσσεβεῖς καὶ τοῖς εἰδώλοις λατρεύοντες ἐδυσφόρησαν ἰδόντες τὴν κιβωτὸν καὶ μάλα εἰκότως τὴν τιμωρίαν ἐδέξαντο. ὁ δὲ λαὸς ἐπειδὴ δέῃ ὡς τῆς κιβωτοῦ προκινδυνεῦσαι μὴ βουληθεὶς καὶ ἑπτὰ μῆνας αὐτὴν παρὰ τοῖς ἀλλοφύλοις καταλιπὼν καὶ τὸν ὑπὲρ αὐτῆς οὐκ ἀναδεξάμενος πόλεμον. δείξας τοίνυν ὁ δεσπότης θεὸς, ὡς τῆς αὐτῶν συμμαχίας οὐ δεῖται· καὶ δείξας ὅσον ἔχει σέβας παρὰ τῶν δυσσεβῶν ἀλλοφύλων, ἐκόλασεν αὐτοὺς ὡς τῶν ἀλλοφύλων δυσσεβεστέρους.* Ralbag putat quod contemptim exceperint arcam quoniam manserunt in opere messis. Judæi etiam inepte Lxx. solummodo cæsos esse putant, quorum dignitas quinquaginta millibus æquata sit. Sic Jonathan Chaldæus & ex eo Rabbini: at Kimchi observat defectum copulæ in textu. Sic gaudia epularum in luctum terminata sunt. Josephus putat Bethsamitas, cum sacerdotes non essent, profanis manibus arcam contrectasse, eam scilicet deponendo è plaustro in petram. Ita causæ variæ proponuntur, aliæ ab aliis, at unicam Scriptura commemorat visionem arcæ irreverentem. Cum enim nemini inspicere licitum esset nisi solis sacerdotibus, illi vultus cum timore & tremore tegere debuissent ne intuerentur.

Bethsamitæ clade illa perculsi & in luctu miserunt ad incolas Cariathiarim, ut arcam ad se transferrent: Se enim non posse consistere coram facie sanctissimi numinis. Josephus nuntios esse missos dicit *πρὸς τὸ κοινὸν τῶν Ἑβραίων.* Populum igitur communi consilio Cariathiarim deduxisse.

I. Sam. VII.

INcolæ Cariathiarim (ut habet sacer textus) arcam ad se deduxerunt in domum Abinadab, quæ in colle ædificata erat. Ex his ædibus eam David postea transtulit in domum obed-edom & porro Sionem 2. Sam. 6. Abinadab ille Levita erat (ut notat Josephus) *δόξαν ἔχων ἐπὶ δικαιοσύνῃ καὶ τῇ θρησκείᾳ καταβιοῦντος. ὡς πρέποντα τῷ θεῷ τόπον ἐν ᾧ κατῴκει δίκαιος ἄνθρωπος: ut convenientem Deo locum, in quo habitabat homo justus.* Filios ejus (major natu Ele-

Eleazarus vocatur) curam arcæ habuisse cum summa laude annis viginti. Totis illis viginti annis, populum Deum cum cura coluisse. Nempe secundam partem versus 2. cohærere putat cum prima, non cum superioribus de clade à Palæstinis id est fine cap.4. Id cum videret Samuel, putans se occasionem nactum adhortandi ad libertatem, oratione accommodata tempori & rei populum allocutum esse. Scriptura v. 2. ita loquitur: *Et factum est à tempore, quo sedebat arca in Cariathiarim & multiplicati sunt dies & facti sunt viginti anni.* Hieronymus in tradit. in cap. 7. lib. 1. Regum: *Peracto vigesimo anno ait, translata est eadem arca à Samuël & Saul in Galgala. Inde translata est à Saul in Nobe, de Nobe in Gabaa: de Gabaa translata est à Davidis domum Obed Edom, de domo Ebed-Edam transtulit eam David in Sion: de Sion transtulit eam Salomon in sancta sanctorum.* Ralbag: *Vult dicere, quod porrò* (שכבר) *steterit in domo Abinadab viginti annis, donec eam removeret David.* Varias illas arcæ migrationes videamus unde probent eruditi cum Hieronymo. In Masphath translatam esse probant inde, quia illic coram Domino aqua effusa v. 6. & sacrificatum v. 9. In Galgalis fuisse, quia coram Domino Saul rex factus cap. XI. v. 15. In Nobe, quia illic Pontifex Achimelech & panes propositionis coram Domino adeoque facies Domini cap. XXI. v.6. 7. In Gabaa, quia 2. Sam. 6. 3. in domo Abinadab fuit, quæ erat in colle (גבעה) Gabaa. Scriptura evidenter indicare videtur, quod arca nunquam extra Cariathiarim fuerit, & domum Abinadab, usque ad id tempus, quo David eam inde transtulit: cæterum alia est quæstio. An hi anni viginti terminaverint mansionem in ædibus Abinadab?

Quod non fuerit in alio loco, Silunte eversâ, quam Cariathiarim, indicatur, quia eadem domus. eadem urbs, idem collis, iidem custodes fuerunt. Eadem domus Abinadab, iidem custodes Levitæ duo filii Abinadab. 1. Sam. 7. 1. 2. Sam. 6. 3. Atqui non est Eleazar sed Uza nomen filio Abinadab in posteriori loco. R. עזה & עוזה idem est nomen. Sic & אלעזר: & pro עזה decurtate dicitur עזא. Posset tamen dici patris ejusdem alios filios duos in posteriori isto loco memorari: & domum ad patrem pertinere. Eadem urbs, quamvis dicatur בעלים. Nempe duo nomina oppidi fuere, alterum Judaicum. Hebræi enim potius Cariathiarim dici voluerunt. Domus in qua arca, utrobique in colle posita fuisse memoratur. Circumstantiæ igitur loci omnes conveniunt. Illa loca superius allegata non evincunt alio in loco fuisse arcam.

Simplicissimum quoque videtur dicere, quod hic anni mansionis arcæ in Cariathiarim commemorentur, quia res inprimis memorabilis, quod Dei arca sede sua emota, non fuerit tabernaculo restituta tanto tempore: nec est simile vero totis viginti annis lamentatum esse populum, aut non esse lamentatum ad Deum nisi à fine viginti annorum, præsertim, cum propheta gubernaculis præesset tantæ pietatis & dignationis apud Deum. Arca capta ingemuit populus, qui mox adfuit per Samuelem. Opponitur quod Samuel & Saul quadraginta annos in gubernando simul confecerint ex Act. 13. 21. R. Imò Saulo ipsi tot anni tribuuntur. Hoc ἄπορον est, cui solvendo quæri Elias aliquis debet. Ex eo velle pervertere, quod certum est & proprio loco positum ad tempora notanda, non convenit. Isti loco convenit cum Iosepho, qui Saulo attribuit annos 40, quorum octodecim egit cum Samuele. Quid si dicamus judicare cepisse Samuelem diu ante obitum Eli, sumpto latè judicatus vocabulo. Nam 1. Sam. 4. 20. 21. diu ante obitum ejus stabilitus fuit in perpetuum prophetam, qui ea tempestate jus etiam administra-

bat. Stricte tamen sumpto vocis usu, judicare cœpit ab obitu Eli: & Masphæ initiatus per victoriam est: quæ ideo cohæret cum fine Eli. Iudicavit autem toto vitæ tempore, hoc cap. v. 15.16.17. Eutychius ejus judicatui dat annos illos viginti. Quod Samuël ab obitu Eli rerum summæ præfectus fuerit poscit reip. necessitas, ideò victoria illa ad quam domo abierat Maspham & à qua domum (Ramam) reversus est, cum fine Eli cohæret, ut diximus.

Quam vicinum fuerit tempus obitus Samuëlis huic victoriæ seu morti Eli, apparet ex eo, quod nullum aliud peculiare factum aut eventum sub ipso memoretur antequam senio debilitatus filiis suis munus judicandi imponeret. Fuerunt tamen anni aliquot ut habetur v. 16. Filiorum improbitas citò populum adegit regem poscere.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

CAP. LI.

EA tempestate Samuel sacerdos Hebræis præerat, quietis à bello rebus populus in otio degebat. Pax deinde Allophylorum irruptione turbata trepidantibus cunctis ob conscientiam peccati. Samuel, cæsa prius hostia, Domino fretus, suos in prælium deduxit: primoque impetu fusis hostibus victoria penes Hebræos stetit. Sed hostili metu remoto, secundis tranquillisque rebus, corruptis consiliis more vulgi, cui præsentia fastidio, insueta desiderio sunt, regium nomen cunctis fere liberis gentibus semper invisum populus desiderabat, planeque non sine exemplo amentiæ præoptabat libertatem servitio mutare. Igitur frequentes Samuelem circumsistunt, ut quia jam ipse senuisset, regem eis constitueret. At ille placide salubri oratione ab insana voluntate detorquere plebem, dominationem regiam & superba imperia exponere, libertatem extollere, servitutem detestari: postremo, divinam eis iram denuntiare, siquidem homines mente corrupti, Deum regem habentes, regem sibi ex hominibus flagitarent. His atque aliis istiusmodi frustrà dictis, cum populus in sententia perseveraret, Dominum consulit. Qui permotus vecordia insanæ gentis, nihil adversum se petentibus negandum respondit.

DRU-

Drusius.

Samuel Sacerdos] Judex erat, propheta & Levita. Etiamne sacerdos? Si sacerdotis vocabulum stricte accipiatur pro pontifice verum non est. Nam τῷ Eli successit in pontificatu Achitob. Neque vero late sumptum verum esse potest, cum non fuerit ex posteris Aaron, qui soli sacerdotes dicebantur. At obtulit holocaustum. Quid tum postea? Nam idem Gedeon fecisse memoratur. Dicendum igitur nomen sacerdotis hic sumi latissimè, ut etiam Levitas comprehendat. Supra cap. 32. *Igitur Levi tribu in sacerdotium segregata* Et cap.39. *Levitis in sacerdotium assumptis.* Sic infra cap. 56. Samuel *admodum senex sacerdotio functus.* Hucretulerim quod cap. 34. *Quod erat nefas* (loquitur de tabernaculo) nisi sacerdotibus introire. Firmabo nunc quæ dixi, autoritate Hieronymi adversus Vigilantum cap. 2. *Samuel & Levita & prophetes fuit.* Contra Helvidium lib. 1. cap. 13. *Simulque noscendum, quod Samuel Levita, non sacerdos, non pontifex fuerit. Vnde & faciebat illi mater sua Ephod bad, superhumerale videlicet lineum, qui habitus proprie Levitarum & minoris est ordinis. Vnde & in Psalmis non nominatur inter sacerdotes sed inter eos, qui invocant nomen Domini.* Moyses, *inquit*, & Aaron in sacerdotibus ejus & Samuël inter eos, qui invocant nomen ejus. *Levi enim genuit Caath. Caath genuit Aminadab, Aminadab genuit Chore, Chore genuit Assir, Assir genuit Elchana Elchana genuit Sub, Sub genuit Tou, Tou genuit Eliu, Eliu genuit Ieroam, Ieroam genuit Elchana, Elchana genuit Samuelem.*

Trepidantibus Cunctis] Qui Masphæ congregati erant.

Gæsa Prius Hostia] Hostia erat agnus subrumus, quem holocaustum Deo obtulit, 1. Sam. 7. 9.

Cui Præsentia Fastidio] Fastidiebant statum præsentem cùm ob alias causas, tum propter filios Samuëlis, qui patri moribus dissimiles ad avaritiam declinantes munera ob jus pervertendum accipiebant, populum pessimè regebant, quæstui per omnia studentes.

Regium Nomen] dicunt Ebræi populo terram ingredienti tria præcepta fuisse. 1. ut regem sibi constituerent. 2. ut delerent memoriam Amaleci, 3. ut exstruerent domum electam. Qua de re aliquid in סמג fol. 191. col. 4. ubi de regibus in genere.

Schotanus.

I. Sam. Cap. 7.

Populus In Otio] Quomodo in otio, cum in bello fuerint cum Palæstinis, qui arcam ceperant & vires Israel fregerant: in omnes occasiones intenti, si quid molirentur? Hinc lamenta & ejulatus ad Dominum. Quid factum fuerit Silunti post captam arcam, non exponit Scriptura in hoc loco. Cæterum nec in eo loco tabernaculum esse relictum constat. Ideò arca eo reducta non est. Ædes enim quæ illic loci structa erat, diruta fuit. Cum nondum Deus locum alium designasset, stetit arca in Cariathiarim. Cladem istam Asaph describit Ps. 78. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. *Sed tentabant & exacerbabant Deum altissimum, nec custodiebant ejus testimonia. Cedebant retro & agebant perfide, ut patres eorum: conversi sunt ut fallax arcus Provocabant eum ad iram per sua excelsa: concitaverunt eum ad æmulationem per sculptilia sua. Audi-*

vit Deus, excanduit & sprevit Israël admodum. Ideò reliquit tabernaculum Silo, tentorium, quod in habitationem posuerat inter homines. Et tradidit in captivitatem virtutem suam, & gloriam suam in manus inimici. Et tradidit populum suum gladio, excanduit in hæreditatem suam. Ignis absumpsit eorum juvenes & eorum adolescentulæ non sunt laudatæ. Sacerdotes eorum cadebant gladio, eorum viduæ non lamentabantur. Tum evigilavit Dominus, ut dormiens, tanquam heros crapulatus à vino. Et percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis. At repulit tabernaculum Ioseph, & tribum Efraim non elegit. Apud Jeremiam Deus (cap. 7. 12. 14.) exemplum Siluntis minatur Hierosolymis, Si Josepho ulla notitia rerum antiquarum esset præterquam, quæ tradita in monumentis sacris exstat, cladem Siluntinam curate debuisset exponere & statum miserabilem, in quo populus post eam fuit. Populus igitur ejulatu planctuque Deum adiit: cujus nomine ad universam domum Israel: *Si*, inquit, *toto corde ad Deum convertimini, amovete deos alienos & Astharoth: dirigite corda vestra ad Dominum eumque solum colite: sic vos eripiet à manu Palæstinorum.* Id consilium jussumque secuti removere Baalim & Astharoth. Expurgatis idolis, universum populum Maspham coire jussit, ut Deum pro illis deprecaretur. Josephus oppidum illud Μασφάτην appellat. Κατοπτευόμενον, inquit, τοῦτο σημαίνει κατὰ τὴν Ἑβραίων γλῶτταν. Congregati in illum locum, haustam aquam effuderunt coram Domino totoque die jejunarunt. Hieronymus in traditionibus Hebræos dicit tradere quod aqua fuerit probationis, qua gustata Idololatræ labia ita cohærerent, ut ea separare non posset: Id volunt probari quia dicitur, Judicavit Samuel filios Israel in Masphath. Josephus, ἐντεῦθεν ὑδρευσάμενοι σπένδουσι τῷ θεῷ καὶ διανηστεύσαντες ὅλην τὴν ἡμέραν, ἐπ' εὐχὰς τρέπονται. Confitentur enim: Adversus Dominum peccavimus. Hinc judicare cœpit Samuel. At Palæstini audito filios Israel Masphæ coiisse, mox copiis coactis universa civitas Palæstinorum, quæ quinque pagis constabat (סרני פלשתים Textus dicit) inopinatos (inquit Josephus) Israelitas oppressura illuc se contulit. Trepidi igitur illo nuntio Israelitæ, Samuelem circumsistunt, ut Deum supplex pro ipsis compellaret. Josephus narrat dixisse: Quod faterentur satis sibi virium aut animi haudquaquam esse, ut cum tam potenti hoste confligerent, à quo toties victi essent: nunc libenter quieturos, ne in perniciem ruere viderentur: at supplicantibus & sacra peragentibus, nudis, & inermibus supervenire hostem, petere igitur ut opem precibus ferat. Samuel jusso ut bono animo essent, agno lactente in holocaustum immolato, Deum veneratur, qui audiit. Nam, cum nondum flamma victimam absumpsisset, è castris in pugnam prodeunt Palæstini, inflati tumidique tanquam si rem factam haberent. Deus autem tonitru & fulminibus percussit hostem, quem trepidatione & tumultu perturbatum Israel cecidit. Iosephus scribit terram tremuisse & magnis hiatibus absorpsisse multos: alios ignitis fulguribus ambustis manibus oribusque inutiles armis tractandis redditos esse. Fugientem hostem persecutus est Israel & ingenti clade affecit usque Bethcar (Lxx. Βαιχὸρ] Iosephus μέχρι Κορραίων. Illic lapidem Samuel statuit trophæum & monumentum victoriæ, cui nomen Eben-haezer (ἀβενέζερ, λίθος τοῦ βοηθοῦ, Iosephus, ἰσχυρὸν αὐτὸν προσαγορεύσας, quod non quadrat) Post eam victoriam nunquam Palæstini in agrum Israel irruebant: ita fracti & debilitati viribus erant. Omni tempore, quo Samuel judicatum tenuit, manus Domini adversus Palæstinos erat. Iosephus: οἱ δὲ μετ' ἐκείνην τὴν πληγὴν οὐκ ἐπεστράτευσαν ἐπὶ τοὺς Ἰσραηλίτας· ἀλλ' ὑπὸ δέους καὶ μνήμης τῶν συμβεβηκότων ἡσύχαζον. ὃ δ' ἦν πάλαι θάρσος τοῖς Παλαιστινοῖς ἐπὶ τοὺς Ἑβραίους, τοῦτ' ἐκείνων μετὰ τὴν νίκην ἐγένετο. Καὶ Σαμουῆλος στρατεύσας ἐπ' αὐτοὺς ἀναιρεῖ πολλοὺς καὶ τὰ φρονήματα αὐτῶν εἰς τὸ παντελὲς ταπεινοῖ. Expeditio-

ditiones multas fecisse Samuelem in regionem Palæstinæ, non abludit à vero. Nam restituti sunt termini usque Gettham & Accaronem. Amorrhæis ea tempestate pax erat cum Israelitis. In tribus locis jus dixisse Samuel narratur in Bethel, Galgal & Maspha, sicut & Ramæ ubi sedem fixit. Quotannis tribunalia ista adibat certo anni tempore, quo forum agebatur. Josephus δὶς τοῦ ἔτους, quod non est in scriptura. Ita justitiæ insignis minister πολλὴν ἐπιδείξας ἐπιμέλειαν ἐπὶ χρόνον πολύν: nempe donec ætas & vires sinebant. Miraculosam istam victoriam meminit etiam Jesus Syrachides cap. 46. v. 16. 17. 18. qui cum Palæstinis Tyrios conjungit.

I. SAM. VIII.

Ἡρώων τέκνα τιμαλφῆ: filii Samuel quos juri dicundo præfecit senex & ætate invalidus Ioel & Abia dissimiles patris moribus, donis & muneribus inhiabant, jus ad affectum inflectentes. Principatum & curam reip. ipsis tradidisse patrem dicit Josephus. Scriptura tantum commemorat Bersabe, Josephus etiam Bethel addit, ut duas summas curias instituerit: quibus diversi præfuerint: addit etiam in luxum & lasciviam prolapsos esse, cum solam avaritiam exprobret scriptura. Iniquitas & exactio aliquanto tempore tolerata tandem patientiam populi expugnarunt. Frequens populus ad Samuelem Ramatham convenit: Tu, inquiunt, consenuisti, filii autem tui diversam viam ineunt: regem igitur nobis constitue, qui nobis jus dicat, more aliarum nationum. Urbs illa habitationis Samuel, Josepho ἀρμαθὰ, videtur eadem esse cum Arimathæa in Euangelio. Ἐδέοντό τε καὶ ἱκέτευον ἀποδεῖξαί τινα αὐτῶν βασιλέα, ὃς ἄρξει τοῦ ἔθνους καὶ τιμωρήσεται Παλαιστίνους, ὀφείλοντας ἔτι δίκας τῶν προτέρων ἀδικημάτων. Duas igitur causas commemorat Josephus ob quas regem sibi imponi petierunt, παρανομίαν filiorum Samuelis & vindictam in Palæstinos. Tertiam Scriptura habet (cap. 12. 12.) quia bello urgebantur à Nahas Ammonita. Samuelem ea petitio ægerrimè habuit. Josephus dicit displicuisse ipsi διὰ τὴν σύμφυτον δικαιοσύνην καὶ τὸ πρὸς τοὺς βασιλέας μῖσος, *ob congenitam justitiam & regum odium.* ἥττητο γὰρ δεινῶς τῆς ἀριστοκρατίας ὡς θείας καὶ μακαρίους ποιούσης τοὺς χρωμένους αὐτῆς τῇ πολιτείᾳ. Erras Josephe, nullum odium regii gubernaminis fuit in Samuele, nec nimius affectus in aristocratiam, quasi ea beatos faciat cives: quia regium gubernamen in lege Deus, aut concesserat aut præscripserat (alii volunt nudam prædictionem esse: malè) adeoque modum regi definiverat Deut. 17. Sed alieno tempore petierunt regem. Vivebat enim, quem illis Deus judicem constituerat, qui in jure dicendo inculpate se gesserat, cum summa laude æquitatis & moderationis: quamvis filii discederent à tramite recti. Forma erat gubernaminis, quam θεοκρατίαν appellavimus. Deus ipsis rex erat immediatè, qui ipse prophetas suos, quosque alios sine medio vocabat, rebus gerendis & juri dicundo præficiebat. Hoc genus regiminis & Samuelem judicem (ejus enim delegati judices erant filii) Deumque regem sperni culpæ dabat Samuel. Nostra hæc sententia est, quam video probari Grotio: *Potuerant à Samuele postulare, ut demoveret filios à vicaria functione & ipse non terras obiens* (Hoc vires non ferebant) *sed domi res controversas dijudicaret. Id æquius fuerat, quam senem & prophetam optimè meritum detrudere.* Postea: *Deus regnat per eos, quos Spiritu suo afflat, quales erant judices illi. Samuelem ergo cum destituunt,* θεὸν ἀποχειροτονοῦσι τῆς βασιλείας *ut loquitur hic Iosephus. Et hinc interpretare, quod est infra XII. 17. 19. Alio tempore regem sibi facere sine culpa potuissent.* Hæc ægritudo (ut Josephus verosimiliter narrat) animum Samuelis versabat, ut nec cibum

nec

nec quietem capere posset. Deus igitur ad Samuelem orantem (ἐμφανίζεται Josephus, quod non dicit scriptura) *Obsequere* (ait) *voci populi in omnibus, quæ dicent. Nam te non spreverunt, sed me, ut non essem rex ipsorum. Iuxta formam omnium factorum, quæ fecerunt à tempore egressus ex Ægypto usque ad hunc diem, cum me deserto diis aliis servierunt: ita etiam tibi faciunt.* Audi igitur *vocem, sed ante testatus, quis modus regis futurus, qui ipsis imperabit.* Josephus: προδηλώσαντα πάντα πειραθήσονται βασιλευόμενοι κακῶν, καὶ διαμαρτυρόμενον ἐφ' ᾗ ἂν σπεύδωσι μεταβολῇ. Samuel igitur convocato populo, verba Dei proponit. Mala sub regibus subeunda exponit: *Hoc erit jus regis, qui imperabit vobis, sumet filios vestros, ut eos ponat sibi ad currum suum & ad equites ut currant ante currum suum. Vtque ponat eos præfectos millium & pentecontadon: & ut agrum ejus arent & messem metant: & fabros armorum, rerumque ad currus pertinentium. Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias & focarias & panificas. Agros quoque vestros & vineas & oliveta optima tollet & dabit servis suis. Sed & sementem vestram & vinearum reditus addecimabit, dabitque aulicis & servis suis. Servos etiam vestros & ancillas, & juvenes optimos & asinos sumet & ponet in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit & vos eritis ei in servos. Et clamabitis in die illa, à facie regis vestri, quem vobis elegeritis: sed Dominus non exaudiet vos, Iosephus illa ita reddidit:* Γινώσκετε γὰρ ὅτι πρῶτον μὲν ὑμῶν ἀποσπάσουσι τὰ τέκνα καὶ τὰ μὲν αὐτῶν ἁρματηλάτας εἶναι κελεύσουσι, τοὺς δ' ἱππεῖς καὶ σωματοφύλακας, δρομεῖς δ' ἄλλους καὶ χιλιάρχους. Ποιήσουσι δὲ καὶ τεχνίτας ὁπλοποιοὺς καὶ ἁρματοποιοὺς, καὶ ὀργάνων τέκτονας· γεωργούς τε καὶ τῶν ἰδίων ἀγρῶν ἐπιμελητὰς καὶ σκαπανεῖς ἀμπέλων. Καὶ οὐδέν ἐστιν ὃ μὴ κελευόμενοι ποιήσουσι ἀνδραπόδων ἀργυρωνήτων τρόπον. Καὶ τὰς θυγατέρας δ' ὑμῶν μυρεψοὺς ἀποφανοῦσι καὶ ὀψοποιοὺς καὶ σιτοποιούς. Καὶ πᾶν ἔργον, ὃ θεραπαινίδες ἐξ ἀνάγκης πληγὰς φοβούμεναι καὶ βασάνους ὑπηρετοῦσι. Κτῆσιν δὲ τὴν ὑμετέραν ἀφαιρήσονται καὶ ταύτην εὐνούχοις καὶ σωματοφύλαξι, δωρήσονται. Καὶ βοσκημάτων ἀγέλας τοῖς αὐτῶν προσνεμοῦσι. Συνελόντι δ' εἰπεῖν δουλεύσετε μετὰ πάντων τῶν ὑμετέρων τῷ βασιλεῖ καὶ τοῖς αὐτῶν οἰκέταις ἴσοι γενόμενοι. Καὶ μνήμην ὑμῖν τῶν δε τῶν λόγων γεννήσει καὶ τὸ πάσχειν αὐτά. Καὶ μεταγινώσκοντες ἱκετεύσετε τὸν θεὸν ἐλεῆσαί τε ὑμᾶς, καὶ δωρήσασθαι ταχεῖαν ἀπαλλαγὴν τῶν βασιλέων· ὁ δ' οὐ προσδέξεται τὰς δεήσεις ἀλλὰ παραπέμψας ἐάσει δίκην ὑποσχεῖν ὑμᾶς τῆς αὐτῶν κακοβουλίας.

Jus regis non erat sed usurpatio, deinde hoc ipsum nemo prohibere poterat Rex enim non vocatur in jus. Thomas in prima secundæ quæst. 505. *Sicut regnum est optimum regimen, ita Tyrannis est pessima corruptio regiminis, sed Dominus regem instituendo, instituit jus tyrannicum* &c. Respondet: *jus illud non determinatur regi ex institutione divina, sed magis prænuntiatur ibi usurpatio regum.* Dionysius scribit, alios dicere, quod quædam sint de jure regis in necessitate constituti, quæ non sunt de jure ejus extra casum necessitatis, imò tunc ad tyramidem pertinerent. Ita omnia dicta posse ad jus regis spectare in casu necessitatis, quando ad exigentiam boni communis non ad proprium commodum utitur bonis ac sobole subditorum. Imò Samuel de usu ad proprium & privatum commodum regis loquitur. Sane ita est, ut vetus dictum habet: *Omnia rex imprio possidet, Dominio singuli.* Item: *Omnibus leges regesque volantate at non imperant.* Sic. *Regum voluntas lex legum primaria est.* Non debet rex potestate abuti, quamvis conducat aliquando ostentare quid possit. *Ostentare per terrores quid possis regium est.* Incomparabilis Salmasius defensionis regiæ cap. 5. disputat de regno & regio statu civitatis: *Constat porrò longè plures nationes nunc & olim & semper ab orbis usque conditi primordiis regium civitatis statum probasse ac recepisse, quam aut optimatum aut popularem. Quinimo antiquissimam hanc fuisse regiminis formam, imò vel primam. Si quidem primum hominem liquet omnium ex se progenitorum primum regem fuisse, atque inde per totum orientem patres familiarum earundem etiam*

reges

reges audivisse. Inde & φύλαρχοι Arabum. Inde etiam, ut diximus, Israëlitis per Moses Deus praecepit, ut si quando regem sibi constituerent, non alium sumerent, nisi qui de numero fratrum suorum esset. Sane & post mortem patris familias in Asia major ex fratribus regnum sive familiae regimen accipiebat. Hinc nominati πατριάρχαι, in veteri testamento, id est stirpis ab uno auctore, quae πατριὰ dicebatur, duces & principes. Ad hoc instar populi caeteri reges sibi posteà elegere &c. Excepta una aut altera Rep. totus hodie occidens cum oriente, septentrio cum Meridie regali tenetur imperio. Universa penè Europa, ne longius quod prope est quaeramus, regibus paret. Nec secus olim fuit. Trojani belli temporibus omnes ex tota Graecia principes ac duces; qui ad Trajam profecti sunt, suarum quique civitatum reges fuere. Summa imperii in exercitu, qui ad excidium urbis praedictae comparatus fuerat, Agamemnoni omnium consensu delata est; qui propterea rex regum appellatus est. Cum Hebraei regem sibi dari à propheta Samuele petierunt, totus tunc oriens sub regibus erat. Nam postularunt regem sic haberi licere ut caeterae gentes haberent. Regum porrò omnium, qui tunc nationibus imperabant idem jus, eadem potestas fuit, in eo praecipue posita, ut judicarent & non judicarentur. Quod & disertis verbis ibi testatus est propheta, dum jus regum describit. Apertè quippe declarat, regem electum à populo, si in tyrannum degeneraret, vindictam de eo as judicium aliunde non posse sperari, nisi à Deo. Non est autem dubium quin à Samuele eo loco proposita sit populo vel durissima regendi conditio, quae possit metui ex dominatione in Tyrannidem declinante. Non enim fieri posse, quin ex multis regibus, quos essent habituri per successionem continuam natorum post patres regnantium, plerique in tyrannos essent evasuri & ea onera populo imposituri, quae ibi percensentur à Propheta. Clemens Alexandrinus & alii sic interpretati sunt. Αἰτοῦντι, *inquit,* τῷ λαῷ βασιλέα οὐ τὸν φιλάνθρωπον ὑπισχνεῖται κύριον, ἀλλά τινα αὐτοῖς αὐθάδη τύραννον. Petenti regem populo non humanum pollicetur Dominum, sed quendam contumacem tyrannum. *Omnes tamen hic errarunt, non solum Clemens. Non enim poscenti populo regem tyrannus à Deo promissus est ac datus, sed denuntiatum illi à propheta, multos exorituros in successione Regem longa, qui jure regio, quale ibi describitur, id est summo uterentur, & maximè intenso, adeò ut interdum pro rege tyrannum essent experturi. Sed ne talem quidem, ob ea, quae populo infligeret, mala, sub alio staturum vindice & judice, quam Deo ipso.* Et clamabitis, *inquit, Propheta,* in die illa, à facie regis vestri quem elegistis vobis. *Si aliam eis opem, quam à Deo paratam, Dei voluntate adversus tyrannidem regis sui positam, eamque legitimam, protuisset promittere in haec verba illam spondere videretur eis debuisse:* Tunc tentabitis regem, quem elegistis, rejicere & regno depellere sed frustrà. *Ne quidem id tentare illis permittit, quo jugum excutiant sed Deo relinqui vult vindictam de malo rege sumendam.* Regem Israel fuisse suprema in regno potestate, nullique alii nisi Deo obnoxia, cui soli actuum rationem reddere cogeretur, praetereà memini, id certum est. De rege jactantur propriè dicto: Cui quod libet licet: Qui legibus solutus est: Qui leges dat non accipit & proinde qui omnes judicat, à nemine judicatur. Haec est illa imago Dei, secundum quam filii altissimi & dii appellantur.

Rex Israel sapientiae nomine clarissimus regum omnium in Eccles. 8. v. 2. 3. 4. Ego (dico) *os Regis observa & secundum rationem juramenti Dei, Ne festines recedere à facie ejus, neque permaneas in re mala: quia omne quod voluerit, faciet. Ubi verbum regis, est dominatio: & quis dicat ei; Quid facis?* Regem petierunt Israelitae, quo more gentes vicinae habebant. Regnabant in oriente reges plenè non obnoxiè id est summo jure, & potestate non circumscripta. Virgil.

Regem non sic Ægyptus & ingens
Lydia nec populi Parthorum & Medus Hydaspes
Observant.

 Ari-

Ariſtoteles Politic. lib. 3. regni ſpecies enumerat: quarum prima erat στρατηγία διὰ βίου, *Imperium belli per totam vitam.* Penes iſtos non eſt ſumma poteſtas rerum omnium nec vitæ neciſque niſi ubi in bellum egrediuntur. Sic enim Agamemnon in concionibus maledicta & contumelias verborum audire cogitur: ἐξελθόντων δὲ, id eſt, *egreſſis in prælium* non, ut alii verterunt, *extra concionem*, καὶ τὸ κτεῖναι κύριος ἦν. Nam in egreſſu dicit

Ὃν δέ κ' ἐγὼν ἀπάνευθε μάχης &c. οὔ οἱ
Ἄρκιον ἐσσεῖται φυγέειν κύνας ἠδ' οἰωνοὺς
Πὰρ γὰρ ἐμοὶ θάνατος.

Ita regnatos fuiſſe Laconas. Secundum monarchiæ genus qualia regna ſint apud quoſdam barbarorum. Ἔχουσι δ' αὗται τὴν δύναμιν πᾶσαι παραπλησίαν τυραννικῇ· εἰσὶ δ' ὅμως κατὰ νόμον καὶ πατρικαί. Hos reges ſimilem tyrannidi poteſtatem obtinere & ſimiles tyrannis eſſe: differre autem, quia tyranni, adverſus leges rapiunt, hi ſecundum leges obtinent: quia tyranni ſibi per vim manu violenta prædantur, hi reges à patribus relictum habent imperium: tyranni imperant contra legem invitis, reges ex lege & ſponte parentibus. Porro reges ſtipati ſunt armis & ſatellitio civium, tyranni adverſus cives peregrinorum. Tertiam ſpeciem dicit fuiſſe Αἰσυμνητῶν apud antiquos Græcos, quæ nihil erat, quam αἱρετὴ τυραννίς, id eſt pleniſſimum dominium non relictum à majoribus & hæreditarium, ſed ex lege conſenſu populi delatum. Hi Αἰσυμνῆται apud quoſdam per omnem vitam, alibi ad præfinita tempora & certas res gerendas ſumebantur. Quartam Speciem Heroicam facit. Erant ἑκούσιαί τε καὶ πάτριαι κατὰ νόμον. Nam propter virtutem & beneficia eligebantur & poteſtatem relinquebant liberis ac poſteris. Κύριοι δὲ ἦσαν τῆς τε κατὰ πόλεμον ἡγεμονίας καὶ τῶν θυσιῶν, ὅσαι μὴ ἱερατικαί: καὶ πρὸς τούτοις τὰς δίκας ἔκρινον. Erat penes eos bellici imperii & ſacrificiorum, quæ ad ſacerdotes non pertinebant, poteſtas. Deinde & controverſias judicabant. Quintam ſpeciem addit, ubi præeſt aliquis ſummæ rerum, ut paterfamilias familiæ, tuendæ atque adminiſtrandæ reip. Hæc eſt παμβασιλεία, ὁ κατὰ τὴν αὑτοῦ βούλησιν πάντα πράττοντος. Illi opponit regem ſecundum legem, qui legibus definitam habet & circumſcriptam poteſtatem. Ab hac igitur παμβασιλεία diſtinguit regnum barbaricum quia tyrannidi proximum eſt. Iſraelitarum παμβασιλεία fuit ſed non fuit βαρβαρική. Nam regni modus Divinis legibus definitus erat, ſecundum quas voluit regem præeſſe: cæterum leges illi poſitæ erant, quibus agi non poterat cum ipſo apud tribunal humanum. Hinc jurabant reges cum regnum inirent, cujus perjurii ſolum Deum judicem & vindicem exſpectabant. Tanquam patres communi omnium bono præeſſe debent reges, ſi poteſtate abutantur in tyrannos degenerant. Poteſtatem habent nullis legibus adſtrictam, qua in bonum ſi utantur, laudem inveniunt, ſi licenter abutantur, Deum judicem & vindicem habebunt. Salmaſius:

Non omnia, quæ licent, etiam expedire Paulus dixit: Ita ergò & regibus pro ampliſſima & infinita, qua præditum eſt jus regium poteſtate, cum poſſint, ſi velint, magis tamen expedit illo ſuo ſummo jure non uti, & licentia, quam habent non abuti. Sed poſſe illis datum eſt, ſi velint & quidem impunè, quia quod libet, illis licet. Sic jus regium apud Samuelem exponendum eſt, non de facto nudo. Nec illis tamen accedo, qui cenſent de jure Majeſtatis intelligi debere, quod proprium ſit ac legitimum omnium regnantium. Ius illud fuit licentiæ, qua reges uti non decet, non oportet, cum tamen id poſſint impunè uſurpare. Jus regis intelligi debet de poteſtatis plenitudine, qua illa facere poteſt impune, quoad tribunal humanum, cum ſupra vim legum poſitus eſt. משפט non eſt idem quod דרך id eſt modus conſuetus & via, qua ſolent plerique

ince-

incedere: quia plus est. Jus nihil aliud est, quam modus positus rebus natura, lege, consuetudine. Quem modum in bonum societatis ita definitum esse constat, quamvis adversus id abuti quilibet possit. Cum jus ad personam refertur, nihil aliud est, quam Qualitas moralis personæ competens ad aliquid jure suo habendum vel agendum. Hæc facultas eminens quæ superior est jure vulgari, communitati competet in personas & res: quæ cum boni communis finem intuetur, *jus* (quod justitiam connotat) appellatur proprie, si in se spectes & abstracte *potestas*; si abusum, *licentia*. Significat igitur Samuel jure illo seu infinita potestatè, quam homini volebant collatam, abusuros esse multos. Si quæras an Deus ea tempestate illis regem dederit, an tyrannum; sane regem dedit legitimum. Annuebat populi petitioni, mandavit ungi, Spiritu suo induit. Bonus erat, sed mutavit eum honor & potestas. Non fuit invasor nec usurpator, sed protractus ad regnum Dei voluntate, quam populus approbavit.

Peccatum populi regem poscentis in eo non fuit, quod petierint ad instar cæterarum nationum. Nam hoc illis concessum ejusdem potestatis & modi regem poscere Deut. XVII. c. 4. Nec reges illi barbarici omnes fuere, id est, quibus non fuerint præscriptæ leges, quibus gubernarent. Fuerunt tamen propriè dicti reges, qui præerant tanquam patres jure regnandi plenissimo. Philosophus: *βασιλείας* dicit esse formam regiminis *ᾗ πρώτην καὶ δεσποτικήν. Τὴν δὲ βασιλείας ἀναγκαῖον ἢ τοὔνομα μόνον ἔχειν, οὐκ οὖσαν· ἢ διὰ πολλὴν ὑπεροχὴν εἶναι τὴν τοῦ βασιλεύοντος.* Tyranni illi Philosopho, qui præsunt contra legem & *δεσποτικῶς*, ex proprio arbitrio: tum & hi tyranni sunt, qui potestate legitima utuntur ad suam utilitatem non publicam, *πρὸς τὸ σφέτερον αὐτῶν συμφέρον, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὸ τῶν ἀρχομένων.*

Alii putant, in eo peccatum, quod alium regem petierint, quam Deum. Nec hoc verum est, quia permissum uti diximus; quidam etiam præceptum fuisse putant. Quin & Deus Abrahamo in benedictionem promisit egressuros ex semine ejus reges. Et pro magno beneficio pollicetur tribui Juda, quod ex eo Messias rex oriturus esset: qui sane regis Davidis hæres esse debuit, sed in Israel spiritualem. Quidam dicunt rem licitam tumultuose & petulanter petitam esse. Sic Kimchi: Quod petierint בתרעומת non autem לשם מצו'. Quasi diffiderent Deo & regi confiderent. Ideo dici Deum rejecisse. Alioqui tria præcepta data, quæ facturi essent post ingressum in Canaan, de rege constituendo, de memoria Amalec delenda & struenda æde electionis. Fieri potest, quod seniores & proceres petierint, sed cum tumultu & seditiosis vocibus, quibus præsens regimen fastidiebant. Omninò intempestiva petitio aut seditiosa fuit, qua aspernati sunt optimum judicem à Deo datum, cum Abimelech tyrannum & tempora *ἀναρχίας* tolerassent patienter, nunc ob judiciorum malam administrationem à filiis Samuelis, æquissimi judicum, à quo remedium mali quærere poterant, tumultuose petunt regem. Samuelis spernunt judicatum. Hic iterum Salmasius: *Cogitandum in his est, Samuelem esse cujus filii tunc temporis judicabant populum Israeliticum, summi magistratus jure. Eos esse quos populus repudiabat ob corrupta pretio & vendita mercede judicia, regem eorum loco sibi constitui postulant. Cum igitur propheta id agi videret, ut filii ejus rejicerentur à gubernaculis reip. atque ut rex pro his ad regendum Israëlem substitueretur ex populi voto, de hac eorum voluntate Deum ita consuluit, ut appareret nolle hanc injuriam sibi filiisque suis a populo fieri. Deus etiam ut gratificaretur prophetæ suo, responsum suum ad ejus consultationem ita dispensavit, ut innueret sibi non valde placere* (Imo admodum displicere) *id quod populus desiderarat, dicendo,* Non enim te abjecerunt sed me, ne regnem

 super

super eos, *Nihilo secius tamen Samueli mandavit expresse ut annueret eorum votu* &c. Sed addit: Contestare *tamen eos & prædicito eis jus regis, qui regnaturus est super eos. Quam clausulam videtur addidisse in gratiam Samuelis* (imo in gratiam rei) *ne crederetur minus præfractè abiicere illum & filios ejus ab administratione reip. & populi libidini obsecundare. Quasi diceret, Vide tamen num possis populum deterrere ab hoc proposito, prædicendo eis, quam dura conditione sub regia potestate vivere eos oporteat.* Nihil dixit Deus, gratificaturus Samueli: sed cum formam regiminis regii probaret, ostendit eos alieno tempore petere, quo Deus se pro rege gerens, judicem dederat, nec dum renuntians imperio nec populum destituens: ideò se non Samuelem abjectum esse profitetur. Samuel enim judex à Deo positus erat. Deus ex ipsa æquitate per suos judices administraverat remp. reges ex hominibus jure suo sæpe in injuriam abusuri erant. Josephus scribit populum duas rationes protulisse. 1. Non posse alias vindicari ab hostibus. 2. Gentium vicinarum morem.

Cum Samuel verbis Dei jus regium in licentiam vertendum esse à multis fuisset contestatus eoque hortaretur sub hac libertate vel sub regno Dei manere, populus nihilominus perstabat in proposito: *Rex erit super nos. Nos erimus sicut aliæ gentes, rex noster judicabit nos: egredietur ante faciem nostram & geret bella nostra.* Duo illi præcipua regis munia, imperium bellicum & judicia, referunt: nolunt attendere ad potestatis amplitudinem & abusum.

Deus autem, cum Samuel ad eum responsum populi detulisset, jubet obsequi. Dimittit conventum, consulturus Deum, quem regem designaret. Regem illis Deus daturus erat verè regem. Veteres Germaniæ reges præerant *auctoritate suadendi potius, quam potestate jubendi*, ut est apud Tacitum. Idem de Frisiis, *In quantum Germani regnantur.* De Gothonibus scribit, *Paulò jam addictius regnari quam cæteræ Germanorum gentes nondum tamen super libertatem.* Eamque Germaniæ *libertatem regno Arsacis acriorem esse* testatur. Sub regibus igitur libertatem habuêre. Veri igitur reges non erant. Unde civilis Batavus, Servire Syriam Asiamque & suetum regibus orientem, ipsi tamen Batavi reges habuere, quorum regia stirpe & Civilis ortus erat. At apud Sueonas unus imperitabat, nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi: de German. mor. Regibus subesse & legibus diversa sunt. Nam, *Quidam statim, aut postquam regum pertæsum leges maluerunt* annal. lib. 3. In Romana juventute adolescentes aliquot Regem quam leges malebant: *Regem hominem esse, à quo impetres, ubi jus ubi injuria opus est: esse gratiæ locum, esse beneficio: & irasci & ignoscere posse: inter amicum atque inimicum discrimen nosse. Leges rem surdam inexorabilem, salubriorem melioremque inopi quam potenti nihil laxamenti nec veniæ habere, si modum excesseris. Periculosum esse in tot humanis erroribus sola innocentia vivere.* Hi enim erant æquales sodalesque adolescentium Tarquiniorum, assueti more regio vivere, ut inquit Livius. Ut insignia sua reges habent, quibus significantur venerabiles esse & cæteris eminere mortalibus, ita more suo vivere solent & quasi discreta ratione ab cæteris mortalibus agere. Tiberium narrat Tacitus adeo indomitis libidinibus & sceleribus exarsisse, *ut more regio pubem ingenuam stupris pollueret* (Annal. lib. 6.) Et (lib. 5. hist.) *Tum Iudæi Macedonibus invalidis, Parthis nondum adultis (& Romani procul aberant) sibi ipsi reges imposuêre, qui mobilitate vulgi expulsi, resumpta per arma dominatione, fugas civium, urbium eversiones, fratrum, conjugum, parentum neces, aliaque solita regibus ausi* &c. Antonius Felix procurator Judææ se tanquam regem gessit & gentis patientiam fatigavit. *Per omnem sævitiam* (Tacitus hist. 5.) *libidinem jus regium servili ingenio*

ingenio exercuit. In historiis celebrata sunt ausa regum communem modum impietatis excedentia. Tacitus jus regium dicit, ut Samuel משפט המלך: quod alii liberali & modesto ingenio alii servili exercent. Primus ille, quem Israelitis regem Deus imposuit primò quidem æquo imperio, posteà inpotenti dominatione populum habuit.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

Cap. LII.

IGitur Saul sacerdotali prius à Samuele unguento perfusus, rex constitutus est. Hic ex tribu Benjamin, Cis patre ortus, modestus animi, forma excellenti erat: ut meritò dignitas corporis dignitati regiæ conveniret. Sed principio regni hujus aliquanta ab eo pars desciverat, parere imperio abnuens, seque Ammonitis conjunxerat. Verum hos Saul impigrè ultus est victique hostes & venia Hebræis data. Tum Saul iteratò à Samuele unctus traditur. Inde Allophylorum irruptione atrox bellum exortum, locum exercitui ad conveniendum Saul in Galgalis constituerat. Et cum per septem dies Samuelem opperitus esset, ut sacrificium Domino fieret, tardante illo, cum populus dilaberetur, illicita præsumptione rex ad vicem sacerdotis, holocaustum obtulit, multumque à Samuele increpitus, sera peccatum pœnitentia fatebatur. Igitur ex peccato regis metus omnem exercitum pervaserat, castra hostium haud longè sita, præsens periculum ostendebant: neque cuiquam exeundi in prælium animus, plures lacbrimas & latebras petiverant. Nam præter imbecillitatem animorum, qui alienum à se Dominum delicto regis arbitrabantur in maxima ferramentorum inopia exercitus erat: adeò, ut præter Saul & Ionathan filium ejus, nemo gladium aut lanceam habuisse traditur. Nam Allophyli superiore bello victores usum Hebræis ademerant, neque cuiquam conficiendi teli bellici, aut rustici ferramenti potestas fuerat. Igitur Ionathan audaci consilio, solo armigero suo comite, castra hostium ingressus, viginti ferè ex hostibus interemptis, universum exercitum terrore perculerat. Tum verò nutu Dei in fugam versi, non imperia exequi, non ordines observare, omne præsidium in pedibus habere. Quod ubi Saul animadvertit, suis properè eductis, fugien-

gientes persecutus, victoriâ potitus est. Eo die rex edixisse traditur ne quis, nisi confectis hostibus, cibum caperet. Sed Ionathan interdictionis ejus inscius, favo reprto, tincto spiculo, mel degustaverat. Sed id ubi regi ex Domini ira compertum est, morte affici filium jussit. Sed populari auxilio ab exitio vindicatus est.

DRUSIUS.

SACERDOTALI UNGUENTO] *cur non potius*, regali unguento? *ut infra* cap. 53. David regali unguento perlinit. *An quia regale unguentum dici non potest cum nulli adhuc reges essent? Aut appellat sacerdotale, quia ejusdem erat cum altero generis. Prius verius videtur. Nam ut demus ejusdem generis fuisse hoc cum illo, tamen quum eo futurus rex ungeretur, regale potius erat appellandum quam sacerdotale. David Camius negat Saulem unctum fuisse oleo unctionis, quod adhibitum duntaxat ait in familiâ David. Idem annotat litum fuisse oleo balsaminino, quod* שמן אפרסמון *vocant. Scribit eadem ferè autor libri qui* סמג *per sigla vocatur. Nam ait fol. 191. col. 4.* oleo unctionis postea ungebantur qui ex domo David: Reges autem Israel balsamo ungebantur, hoc est oleo balsaminino.

PERFUSUS] *è lenticulâ. Nicolaus de Lyra, 1. Sam. 10. 1.* Lenticula olei est vasculum factum ex auro vel argento ad reponendum oleum unctionis: unde inungebantur reges & Pontifices. *Etiam è cornu perfundebantur. In scholis Ebræorum,* dicunt doctores, Saul & Jehu uncti fuerunt è lenticulâ, non fuit diuturnum regnum eorum: David & Salomo uncti fuerunt è cornu, fuit diuturnum regnum. *Videndus R. David loco citato.*

MODESTUS ANIMI FORMAQUE EXCELLENTI ERAT] *ἀγαθός; tam ad animum refert quam ad corpus. Alii ad corpus tantum referunt interpretantes, pulcher, formosus.*

ALIQUANTA AB EO PARS POPULI DESCIVERAT] *hæc paullò aliter narrantur. 1. Sam. 10. 27, & 11. 1. vide, si vacas.*

SEQUE AMMONITIS CONJUNXERANT] *viri Iabes Galaad hoc in animo habebant, nisi duris conditionibus, quas eis proponebat Nabas Ammonites, deterriti fuissent.*

HOS] *Ammonitas.*

ITERATO à SAMUELE UNCTUS TRADITUR] *prius in Masphæ, nunc in Galgalis.*

ILLICITA PRÆSUMPTIONE] *sequentia docent Sulpitium in eadem sententia fuisse cum Nicolao de Lyra & aliis, qui inter peccata Saulis recensent, quod holocaustum obtulerit. Rem ei illicitam, eo quod sacerdos non esset. Quasi verò solis sacerdotibus licuerit offerre holocaustum, ac non etiam aliis, qui sacerdotes non erant. Nam ne Samuel quidem sacerdos, erat ex genere Aharonis. Quod si dicas Levitam fuiße quibus hoc quoque concessum fuerit, respondeo Gedeonem etiam holocaustum Domino obtuliße, neo propterea reprehensum fuiße. Dicunt insuper Hebræi licitum fuiße extraneo (sic vocant eum qui sacerdos non est) offerre in excelso* היחיד*, id est, unici: quemadmodum expositum est in fine Zebachim, hoc est, ejus tractatus Thalmudici, ubi de sacrificiis agitur.*

AD VICEM SACERDOTIS] *usitatius est,* in vicem, *aut* vice sacerdotis: *quod etiam dicunt,* vicem sacerdotis. *Sic Plautus & alii quandoque locuti sunt.*

SERA PECCATUM POENITENTIA FATEBATUR] *quodnam peccatum? An quod Samuelem non fuerit operitus? planè sic videtur. Nam cum jussus esset exspectare,*

ret, dies septem, non debuisset offerre ante vesperam diei septimi. Quo die Samuel venit, sicut promiserat: serius tamen quià peractum tunc erat sacrificium: vide Sam. 11. 10.

PLURES LACHRIMAS ET LATEBRAS PETIVERANT] *suspicor Severum edidisse* lacunas (sive lacus) & latebras. *Nam in editione Graca,* καὶ ἐκρύβη ὁ λαὸς ἐν τοῖς σπηλαίοις, καὶ ἐν ταῖς μάνδραις, καὶ ἐν ταῖς πέτραις, καὶ ἐν τοῖς βόθροις, καὶ ἐν τοῖς λάκκοις. *Lexicon Graco-latinum vetus* βόθρος, fossa, fovea, lacuna. *Idem Lexicon* λάκκος, lacuna, laccus, cisterna. *Locus est 1. Sam. 13. 6. Cui hac mea conjectura non placet, ei per me licet ut deleat,* Lachrimas &, *legat,* plures latebras petiverant.

PRÆTER IMBECILLITATEM ANIMORUM &C.] *Hæc imbecillitas animorum erat ante peccatum regis, mirum ergò cur subjiciat,* qui alienum à se Dominum delicto Regis arbitrabantur.

IN MAXIMA FERRAMENTARUM INOPIA EXERCITUS ERAT] *nullus erat faber ferrarius in toto Israel: itaque cum vomer aut ligo acuendus erat, eundum fuit ad Philisthaos. Quod significat, cum ait paulo post,* neque cuiquam conficiendi teli bellici, aut rustici ferramenti potestas fuerat.

NUTU DEI] *terrore divinitus incusso.*

REX EDIXISSE TRADITUR] *populum temerè satis jurejurando adstrinxit, ac diris devovit eum qui ante vesperam, priusquam hostes confecti essent, cibum sumeret. Hoc factum Saulis culpat Iosephus: Culpant expositores. Iidem excusant Ionathanem primum quod inscius fuerit edicti paterni: deinde quod necessitate compulsus hoc fecerit.*

SPICULO] *baculo extremo quem manu ferebat.*

EX DOMINI IRA COMPERTUM] *ex silentio Domini qui non respondit ei toto die, comperit peccatum fuisse. Deinde sors Ionatham prodidit.*

I. Sam. CAP. 9.

CUm populum dimisisset ad sua, & in suis esset Samuel, Deus illi fortuitis occasionibus ostendit virum quem regem dare voluit populo suo Israel. Benjaminæus erat genere, Cisi filius, viri strenui. Aphie filius viri Jaminæi genuerat Bechorath, hic Seror; Seror procreaverat Abiel, Abiel Cisum. LXX. pro Seror habent Ιαρεδ (Lat. Sareth) pro Bochorath, Βαχὶρ; pro Aphie Αφίκ. In Hebræo legitur צרור / בכורת / אפיח. 1. Paralip. 8. 33. Pater Cisi appellatur Ner. sicuti & cap. 9. v. 39. Martyr: *Sed potest fieri, ut Abiel fuerit binominis. Sunt tamen, qui suspicentur Abielem habuisse duos filios Ner & Cis: & Ner cum esset major natu, minori fratri Cis fuisse loco patris.* Kimchi: *In Chronicis dicitur, & Ner genuit Kis. Et Ner fuit filius Abiel. Et nonne fuit frater Cis & pater Abner, sicut dicitur in hoc libro* (14. 51.) *oportet exponere quod nomen Abiel fuerit etiam Ner: & hæc duo nomina fuerunt ipsi, qualia multa invenimus in Chronicis: Et fuerunt ipsi duo filii, unius nomen appellavit Kis, alterius Ner, ut nomen erat: hic autem erat pater Abneri. Invenio autem in Vaicra Rabba, quod primò & propriè* (עקרי) *nomen ipsi fuerit Abiel, at vocaverint nomen ejus Ner, quia accendebat lucernas in ingressibus tenebrarum.* Hæ sunt Judæorum nugæ: videtur, quod Abiel genuerit Ner; Ner, Cis & Ner duos filios.

Saul majestate corporis conspiciendus erat: Specie omnes viros in Israel anteibat, humeris tenus exstabat toto populo. בחור in Hebræo, quidam *juvenis* LXX. ἀγαθὸς. טוב *speciosus, pulcher,* ut רע deformis, Gen. 41. 3. Non pertinet ad morum probitatem. Proceritas staturæ non est indicata voce בחור. Si ea vox juvenem notat extendi debet usque ad quadragesimum annum. Nam filios

filios habuit ætate militari, cum regnum adipisceretur. Notarunt eruditi Græcum νέος apud Josephum potissimum hac latitudine protendi. Cæterum proceritas commendatur. Ita Dione apud Vergilium:

gradiensque Deas supereminet omnes.

Pro quo Homerus:

Πασάων δ' ὑπὲρ ἥγε κάρη ἔχει, ἠδὲ μέτωπα

Vertice supereminebat ut Ornytus ille apud poëtam: qui *catervis*

Vertitur in mediis & toto vertice supra est.

Grotius: *Amabant etiam hoc in regibus suis orientis populi, ita ut apud Æthiopes honores mandatos ex corporis magnitudine dixerit Aristot. Politic IV. 4. Et Spartæ multatus rex, quod exigui corporis uxore ducta reges minutos daturus diceretur. Nec spernit Euripides,* Εἶδος ἄξιον τυραννίδος. Josephus patrem Saul describit, ἀνὴρ δὲ γενναῖος καὶ ἀγαθὸς τὸ ἦθος: Saul autem: Ἦν δὲ νεανίας τὴν μορφὴν ἄριστος, καὶ τὸ σῶμα μέγας, τό τε φρόνημα καὶ τὴν διάνοιαν ἀμείνων τῶν βλεπομένων. Quod de corporis forma Scriptura dicit, Josephus pro sua negligentia de orudentia & mente elocutus est.

Deus hunc juvenem destinavit diademati regio, è tribu tenui & debili, quia solet vilia eligere. Regnum invenit asinas quærendo. Asinæ enim Cisi (pulchræ, ut Josephus conjicit: ἥδετο γὰρ αὐταῖς ὡς οὐκ ἄλλῳ τινὶ τῶν κτημάτων) amissæ erant: quare voluit, ut filius Saul, assumpto puero iret quæsitum. Montem Efraim transeunt, terramque Salisæ (Σελχὰ in LXX. ch. דרומא) per terram Sahalim (LXX. Σεγαλὶμ, ch. מתברא) per terram Benjaminæorum: nec inveniunt. Cum venissent in terram Suf (LXX. Σὶφ ch. בארעא רבה נביא) tædium Saul cœpit & cogitare: Patrem diutina eorum absentia de filio solicitum esse posse, in eum translata cura ab asinis. Puero igitur dicit, Videri sibi omissa inquisitione redeundum ad patrem esse. Tum famulus: Vir Dei in hoc oppido est, vir inclytus, quod loquitur, certo evenit. Eamus eò, forte viam nobis indicabit, qua asinas inveniamus. Josephus idem, oppidum autem fuisse Ἀρμαθά. At Saul, nihil se habere, quod largiri possent ἀντὶ τῆς προφητείας, viatico absumpto. Puer verò, Quartam partem sicli argentei sibi esse, quem possit dare. Quartam partem illam Jonathan vertit זוז. Nam (ut testatur Kimchi) quatuor Zuz, faciunt siclum argenteum. Ἀπὸ γὰρ ἀγνοίας (inquit Josephus) τοῦ μὴ λαμβάνειν τὸν προφήτην μισθὸν ἐπλανῶντο: *Errabant enim, quod nescirent prophetam non capere mercedem.* Adeuntes prophetas, muneribus honorabant. Aliud est doctores alere, ut Christo & apostolis factum. Ampla tamen munera respuebant prophetæ ut Elisæ exemplum docet: sed de his alias. Chaldæus ita explicat, quasi nesciret Saul an hic propheta munera reciperet an non. Ideo timuisse adire. Hanc expositionem ita accipiunt Rabbini, ut antehac, cum verbum Dei rarum esset, harioli & vates aditi sint, qui muneribus inhiabant: Alienum est: Nam honorarium intelligitur qualecunque adeuntium non merces prophetiæ. Ralbag putat ejusmodi donum necessarium fuisse ut prophetia excitaretur: quod ineptum. Mirum quod ita loquantur de Samuele, ut de homine non omnibus noto, cum esset judex in Israel, qui adversus Palæstinos bella Domini gesserat: sed privatus nunc vivebat, judicandi onere mandato filiis. Ea tempestate propheta, qui posteà appellatus est, dicebatur ראה ut notat scriptor libri, significans librum scriptum est posteris temporibus. Sic igitur ascendunt versus vrbem, In ipso ascensu (במעלה העיר) (Jos. πρὸς τῇ πόλει) obviæ, erant puellæ, quæ ibant ad hauriendum aquam, Josephus: ἐφ' ὕδωρ

ὕδωρ βαδίζουσι. Has rogant, ubi haberet *Videns.* Reſpondent in conſpectu eſſe domum יש הנה לפניך. Monent feſtinare: *Nam hodie venit in urbem, quoniam ſacrificium eſt populo in excelſo. Vbi intraveritis urbem, ſic invenietis eum antequam aſcendat ad excelſum ad edendum. Populus enim non edit antequam advenerit. Nam ubi ipſe benedixerit ſacrificio, deinde veſcuntur vocati. Aſcendite: nam ipſum hodie invenietis.* Hæc reſponſio puellarum eſt in v. 12. 13. Kimchi: לעם בבמה: *Omne excelſum in hoc negotio & ſimili Ionathan reddit* (בית אסחרותא) *domum conſeſſus, quia erant ſacrificia pacificorum quæ edebantur a quovis, poſt incenſum pinguium & aſperſionem ſanguinis. Et fecerant viri oppidi hoc ſacrificium, ut ederent in domo excelſi, quod fecerant pro tempore* (לשעה) *Nam excelſa licita erant illo tempore, poſtquam vaſtatum erat Silo, eratque tabernaculum in Nob: omnemque locum cibi vocabant* מסיבה *quoniam conſeſſus ad edendum erat in gyrum. Et ſic Chaldæus* (Gen. 37. 25) וישבו לאכל *reddidit* ואסחרו (circumierunt) *Quemadmodum dicunt magiſtri noſtri:* במסיבה הלך אחר זקנה. *In gyro ambulat poſt ſenectutem: & in lingua Syra* אסחרותא Idem narrat magiſtros dicere, quod puellæ protraxerint ſermonem cum Saul ob ejus formam. Alios, quod id à Domino, ut adveniret hora, qua Samueli occurrere debuit ex oraculo. Eadem omnia apud Raſi: [כי הוא יברך הזבח] Jonathan ארי הוא פריס על מזונא. *Ipſe dividet ſuper cibo.* פרס magiſtri dicunt בצע Nam (notante Kimchi) Paterfamilias dividit, vocaturque Benedictor (המברך) in principio convivii בוצע. Quoniam dividit panem & benedicit ſuper eo. Dicitur benedixiſſe ſuper ſacrificio, cum ſuper pane benedixerit in principio, quia (העיקר) principalis cauſa convivii fuit ſacrificium: aut ob ſacrificium fuit benedictio per ſe. Cum enim edebant pacifica, benedicebant ſuper eo, qui ſanctificavit nos præceptis ſuis & præcepit nobis (קב׳) ad edendum ſacrificium. של זבח וברכא הלחם לא היה פוטרות. *Et benedictio panis non fuit dimiſſio* (benedictionis) *ſacri.*

Hæc Kimchi. Secundum ipſum, ſacrum epulum duas benedictiones habuit: benedictionem panis & benedictionem carnium victimæ ad ſacrum pertinentis. Joſephus cœnam indicat non memorans ſacrum epulum eſſe: *πολλοὺς γὰρ εἶναι καὶ συνεστιαθησομένους τῶν κεκλημένων.* Putat ipſum Samuelem inſtituiſſe convivium, idque ea de cauſa, quod monente pridie Deo (quem quotidie orabat ut oſtenderet regem futurum) ſciret ea hora venturum eſſe de quo precabatur. Deus enim dixerat ſe miſſurum juvenem è tribu Benjamitide, illa hora. Ad eam uſque horam in tecto ſe continuiſſe Samuelem, cum adeſſet, deſcendiſſe, abiturum ad epulas. At Epulæ erant publicæ oppido: Deus pridie indicaverat, ea hora ſe ad Samuelem miſſurum eſſe virum è tribu Benjamin quem uncturus eſſet in (נגיד) ducem populi ſui Iſrael, quem liberaturus eſſet è manu Palæſtinorum: Se enim reſpexiſſe clamorem populi ſui. Videntur Palæſtini hoſtium fuiſſe præcipui: qui debilitati erant victoria Samuelis, ſed jugum non omnino excuſſum. In urbem ingreſſis, commodum Samuel ædibus egreditur. In media civitate occurrunt & Deus aperit in Spiritu prophetiæ Samueli, hunc eſſe virum, quem deſignaverat. Ad Samuelem Saul: Indica (inquit) quæſo ædes Videntis. Id alloquium factum in medio portæ (בתוך השער) Lxx. *εἰς μέσον τῆς πόλεως.*

Samuel reddit: Ego Videns ſum ille, quem quæritis: ſed aſcende in conſpectu meo ad excelſum, ut hodie mecum epuleris. Cras mane dimittam te & omnia indicabo, quæ petis. Quod ad aſinas attinet amiſſas, nunc in tertium diem inventæ ſunt: noli eſſe ſolicitus. Omnia deſiderabilia tua ſunt & domus patris tui: *αὐτὸ πάντων ἀγαθῶν ἔχειν αὐτῷ παραμυθία.* Saul hanc orationem admiratus (intelligebat enim regiam poteſtetem indicari) Ego ſum Jaminæus,

è minima tribuum Israëlis: & demus meus minimus est inter demos Benjamin. Quid igitur hæc tua verba significant? Samuel non explicans se ulterius Saul cum puero ad epulas adductos, supremis locis collocat, inter vocatos, qui ad triginta erant. LXX. & Josephus ἑβδομήκοντα. Triclinium in quo discubuerunt, appellat Scriptura לשכה, LXX. κατάλυμα. Samuel mandat coquo, ut referret partem, (את המנה) quam ipsi separandam dederat. Videamus textum:

וירם הטבח את השוק והעליה וישם לפני שאול ויאמר הנה הנשאר שים לפניך אכול· כי למועד שמור לך לאמר העם קראתי καὶ ἥψησεν (l. ὕψωσεν) ὁ μάγειρος τὴν κωλέαν ἣ περιέθηκεν αὐτὴν ἐνώπιον Σαοὺλ, καὶ εἶπε Σαμουὴλ τῷ Σαοὺλ, Ἰδοὺ ὑπόλειμμα, παράθες αὐτὸ ἐνώπιόν σου καὶ φάγε, ὅτι εἰς μαρτύριον τέθειταί σοι παρὰ τοὺς ἄλλους. Josephus nihil aliud, quam προστάσσει δὲ τοῖς διακόνοις παραθεῖναι τῷ Σαούλῳ μερίδα βασιλικήν. Interpretes putant ex hoc loco patere, quod Samuel fuerit convivator. At publicum civitatis epulum erat, cui Samuel præfuit. Non enim nisi vocatis accedere licuit, quamvis publicum esset. Samuel vocabat, qui vocandi erant. Cum igitur epulæ pararentur carnium partem insignem ostendit coquo, quam post cocturam seponeret. Destinabat enim viro quem Deus significaverat Accumbentibus igitur portiones distributæ de more, hæc vere regia Saulo apposita, ut eum honoraret. Partem sacerdotalem sibi debitam, id est armum dexterum cum pectusculo, Saulo reservasse putant quidam: atqui sacerdotibus id debebatur: Samuel non erat sacerdos. Theodoretus putat significatum esse quod rex molem regni sustineat, ut crus corporis. Sepositam esse & seponi jussam למועד, ch. לזמנא. *In tempus præstitutum.* Pars sepositæ erat שוק ואשר עליה ch. שקא ודכיה. Græci κωλέαν, Aquila κνήμην. Armum pecudis intelligit cum crure ut vult Chaldæus. R. Johanam, *Armus & quod ad ipsum*; R. Eliezer, *Armus & pectus*; R. Samuel bar Nachmani, *Armus & pinguedo.* Ecce relictum] è reliquis partibus solum superfuissemmuit. cum illæ dividerentur pro numero & dignitate uocatorum. Eo igitur die pransus est vel cænavit vel utrumque, cum Samuele Saul, à quo honorifice est exceptus. Cum autem dies ita exactus esset (Jos. ἐπεὶ δὲ ἡ κοίτης ὥρα παρῆν, cum advenisset hora cubitus) surgentes iverunt Domum Samuelis. Jos. οἱ μὲν ἀναστάντες ἀνέλυον πρὸς αὐτοὺς ἕκαστοι, ὁ δὲ Σάουλος παρὰ τῷ προφήτῃ σὺν τῷ θεράποντι κατεκοιμήθη: *Illi surgentes domum quisque se recipiunt, Saul cum famulo apud prophetam dormivit.* Cum ex excelso descendissent (ita scriptura indicans excelsi sublimem positum) in urbem, Samuel cum Saul in tecto locutus est.

At quid locutus est? Rasi מוכיחו מלמדו ליראה את הקב״ה *instituens & docens eum timere Dominum.* In tecto cubuit Saul. Mane summo, cum exortu auroræ surgunt. Samuel autem ad Saul in tecto: Surge ut te dimittam. Quomodo autem sub dio dormiit Saul? Ita in regionibus illis positum in more fuit. Noctis enim frigus captabant. Narrant Armuzii in solario homines cubare in vasis aqua plenis, immersos collo tenus. Salianus scribit idem factitare solitum Sangiacum Hierosolymorum, ex relatione P. Canillacii eorum locorum inspectoris. In solario tentoria pandi potuerunt, ut aëris injuriæ prohiberentur. Et mirari aliquis possit, quod Samuel excitaverit Saul, quasi ingratum hospitem ædibus vellet exire: sed notandum, quod significaverit Dei nomine, festinandum, ut ex ejus verbo faceret.

Deduxit Samuel hospitem extra urbem: cumque ad extremam partem urbis (sive qua mœnibus includebatur, sive suburbanorum) ventum esset, monet Samuel, ut Saul famulum præire juberet, quia verbum Dei haberet ad ipsum semo-

ſemotis arbitris ſignificandum. Quærunt in oppido an in agro unctio facta ſit, quia ſignificat textus ſolitudinem voluiſſe Samuelem, cum tamen in parte urbis fuerit, quando juſſus eſt famulus præcedere. Dionyſius Carthuſianus conciliat, famulo præmiſſo, aliquantulum proceſſiſſe duos, donec in via ſola eſſent & illic forte à via divertiſſe. Jubet autem Samuel ut ſubſiſteret Saul.

I. SAM. X.

Significaverat Samuel prius obſcure, quid Deus mandaſſet, nunc aperit. Salianus: *Intererat autem communis boni neminem hujus privatæ unctionis atque inaugurationis eſſe conſcium extra eum, qui eam conferebat, & alterum, qui recipiebat. Neque enim famulus hic tantam herilis filii dignitatem, hero præſertim ſciſcitante, ſilere potuiſſet: re autem evulgata, Zelus inter proceres populi accenſus fuiſſet, plurimis eam ſibi ambientibus, qui Saulem nobilitate, opibus, cognatione ſuperarent & Samuelem ſuſpectum haberent colluſionis cum Saule, qui Divinam ejus electionem, de qua nihil adhuc publice conſtabat, anteverteret: facileque Core aliquis exſtitiſſet, qui pro imperio, ut ille pro ſacerdotio turbas excitaret in populo. Itaque oportuit Divinam juſſionem ſecreto impleri; dum publicè per ſortitionem Divina Saulis electio appareret, quæ frenum cupiditati & ori ſilentium imponeret: ſicut miraculum florentis ligni motus omnes ambientium ſacerdotium compreſſit. Nec obſtat, quod res poſteà evulganda erat. Adveniente enim electione Dei minime dubia corda populi ita firmabantur in bona opinione, ut cognitio antegreſſæ unctionis ſuperveniens eos magis magisque firmaret: ſin autem ea cognitio anteceſſiſſet, quæ dubios faceret, ne ſuperveniens quidem electio omnem ſuſpicionem colluſionis, quæ animis inſediſſet, prorſus evelleret.*

Saul ad vocem prophetæ ſubſiſtente: & in genua (ut interpretes conjiciunt) ſive ad unctionem ſive ad oraculum accipiendum procumbente, propheta lenticulam olei (unguenti) in ejus caput effudit, eumque regem oſculo ſalutavit, in hæc verba: *Nonne unxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in principem?* Hæc unctio ante electionem fuit tanquam deſignatio. Sic electus fuit David ab eodem Samuele, ſic Hazael ab Eliſæo. Hoc oleum, quo inunctus eſt ad deſignationem non fuit ſacrum illud unguentum, de cujus compoſitione & uſu Exod. 30, 23.-33. Nec fuit, quicquid dicant magiſtri, id oleum regibus inungendis adhibitum nec ad deſignationem nec inaugurationem. Thalmudici novem ſeculis illud à Moſe confectum unguen duraſſe volunt uſque ad Joſiæ regis tempora. Unguentum illud erat ſacrum, quod in nullius hominis carnem fundi debuit, niſi pontificum, ſacris obeundis deſtinatorum. Kimchi ſcribit: *Non fuit hoc oleum unctionis, quia non fuerunt uncti eo niſi reges domus David, ſed oleum balſami fuit: & dicunt Saul & Iehu, qui uncti fuerunt* בפך (è lenticula) *non durabat regnum eorum: David & Salomo, qui uncti fuerunt è cornu, eorum regnum durabat.* Non notavit hoc clariſſimus Schicardus, qui קרן & פך idem vaſculum fuiſſe docet, quo ſervabatur ſacrum unguentum. Oſculum hoc fuit oſculum majeſtatis נשיקה של גדלה Aliud eſt פרישות diſceſſus quo Orpha oſculabatur ſocrum: aliud פרקים / occurſus poſt intervallum temporis. Cætera oſcula dicunt eſſe תיפלות *inſulſitatis*. Hoc Dras eſt. Pineda & Abulenſis oſculum id non fuiſſe inaugurationis ſed amicitiæ putant. Regem enim oſculo contingere non licuit. At licuit ubi oſculum erat inaugurationis. Putant Rabbini reges unctos eſſe oleo fuſo & digitis ducto in famam literæ O, pontifices literæ X. Id æque nugax eſt, ac illud quod dicunt unguentum tot ſeculis eſſe conſervatum. Meritò id rejicit Pineda. Nam Hebræos ſemper ſigna quærere, ubi non eſt opus. Id oleum renovabatur, ubi opus erat & cerimonia quadam

aut benedictione consecrabatur. Genebrardus arripit & comparat sanctum Chrisma Remense. Samuel regi designato, signum Divinæ electionis proposuit: ubi à me discesseris, viros duos offendes apud sepulchrum Rachel, in termino Benjamin, in Selse (בצלצח) Græci, ἐν τῷ ὄρει Βενιαμὶν ἁλλομένους μεγάλας Latinus, *In finibus Benjamen, in meridie.* Græca corrupta in prioribus emendaverim ἐν τῷ ὄρει Βενιαμὶν: sed quid postrema volunt? Basiliensis editio mirabilius: Ἐν τῷ ὄρει Βενιαμιν, ἐν σηλὼ, ἐν Βακαλὰθ, ἁλλομένους μεγάλα. At quomodo apud Sepulchrum Rachel invenient in termino Benjamin, cum sepulchrum fuerit in tribu Juda apud oppidum Bethlehem? Constat Rama & Rachel fuisse vicina, ex Jeremiæ 31. 15. Sed hanc Ramam aliam fuisse oportet. Admodùm obliquo itinere à Rama in Suf Gabaam Saul eundum erat per locum sepulchri Rachel: ideò Rasi notat è Thosiptha Sota, quod Samuel viderit illos viros, eo tempore cum loqueretur esse apud Sepulchrum Rachel: at non opus est id dicere. Potuit enim ratio esse obliquandi itineris. Prænuntiat Samuel illos viros dicturos esse ad Samuel: Repertæ sunt asinæ, quas iveras quæsitum: En Pater tuus curam ab illis in vos convertit: Quid faciam de filio meo?

Alterum signum: Cum inde progressi fueritis inquit Samuel, usque Elon Thabor (אלון תבור) Lxx. ἕως τῆς δρυὸς Θαβώρ: potius campum & planitiem notat. Illic te invenient tres viri, euntes ad Deum, ad Bethel. Ibant versus Bethel, non sunt deprehensi apud Bethel, cum præcessissent, fortè oneribus pressi, tardius ibant: unde Saul & puer comes eos assecuti sunt. Quidam בית אל exponunt domum Dei, quæ eo tempore Silunte erat sed arca in Cariathiarim. Putat Vatablus aram Jacob adhuc fuisse in Bethel: at hoc nihil ad rem. Significat, Samuel quid portarent: unus tres hædos, alter tres tortas panis, tertius vini utrem. Illos Saul amicè de salute sua rogaturos esse & daturos esse ei duos panes. Id quidem oportunum Saul & comiti, quibus cibaria defecerant. Vult Samuel ut eos recipiat. Lxx. δύο ἀπαρχὰς ἄρτων: prius dixerat τρία ἀγγεῖα ἄρτων. Ἀπαρχαὶ hoc loco non notat primitias sed idem quod חלות: quæ minores quam חככרות: nempe è ככרות, quas in vasis portabant suæ capacitatis, decerptæ erant. Tertium signum in eodem itinere eventurum: Inde venies in collem Dei, ubi Palæstinorum præsidium est. Cum in urbem fueris ingressus, obvium habebis chorum prophetarum. Collem Dei Jonathan interpretatur, collem, in quo erat arca. Hic erat collis in Cariathiarim: in quo arca substitit à tempore restitutionis à Palæstinis usque ad Davidis regnum. In ea urbe præsidium Palæstinorum, qui ea tempestate dominium habebant (נציבים ch. אסטרטגי στρατηγοί) in Israel. Chorus ille prophetarum in Jonatha, סיעת ספריא caterua scribarum, ita appellant discipulos sapientum. Hi autem discipuli erat majorum prophetarum, & appellari solebant filii prophetarum. Prophetas illorum temporum notant fuisse Elcanam, Samuelem, Gad, Nathan, Asaph, Heman, Jedithun. Chorus ille prophetarum descendebat excelso, quod illic loci erat. Ante eos Nablia, tympana, tibiæ & citharæ. Hi (inquit Samuel) prophetabunt; simulque spiritus Domini te arripiet ut prophetes; mutaberisque in alium virum. Ubi autem te ista signa confirmaverint, fac, quod ex usu sit, Deus tecum erit. Galgala conferes te, & illic me septem diebus opperieris. Sic dimissus est Saul, quem priusquam comitemur, Hebræus textus defendendus est adversus Salianum. Samueli inungenti Saul orationem prolixiorem tribuunt Græci & Latinus v. 1. *Et liberabis populum suum de manibus inimicorum ejus, qui in circuitu sunt.* Sic Latinus, at Lxx. plenius: Καὶ σὺ ἄρξεις ἐν λαῷ κυρίου καὶ σὺ σώσεις αὐτὸν ἐκ χειρὸς ἐχθρῶν αὐτοῦ. Salianus objurgat Ariam Montanum, qui ea sustulit è Biblius regiis, aut sublata non restituit: Lyranum

&

& Dionysium, qui tanquam glossemata in textum irrepsisse putant: Cajetanum qui dicit esse superflua. Vult inventa fuisse in Hebræo à Lxx. ut ex editione Aldina, Basiliensi & Romana appareat Josephum etiam sic legisse. R. I. Non consentiunt Græci cum Latino, quia plus habent: & inter Græcas editiones Romana non habet κυκλόθεν. 2. Josephus laxius loqui solet, ut notum non adstringens se arctè sacrarum literarum dictis. ἐλθὼν φησὶ βασιλεὺς ὑπὸ τοῦ θεοῦ κεχειροτονημένος ἐπὶ παλαιστινούς τε καὶ τὴν τῶν ἑβραίων ἀμυνεῖς. Signa illa tria etiam non refert ordine, quo scriptura. Primum ipsi tres viri, portantes sua onera. Alterum, unus ad sepulchrum Rachel. Porro trium virorum secundum dicit portasse ἔριφον *hœdum*; cum Scriptura tres referat, & Lxx. τρία αἰγίδια. Collem illum exponit de oppido Gabatha, in quo sane non sequitur τοῖς ὁ. Jubet illum salutare patrem & cognatos: quod non est in Hebræo. Dicit se vocaturum ipsum Galgala ad sacra: at scriptura præcessurum Saulum & expectaturum Samuelis adventum septiduo. Denique in verbis Samuelis non est prædictio de hominum dicterio, Estne Saul inter prophetas? Hoc tamen ponit Josephus. Lxx. illi נציבי Palæstinorum exponunt, ἐκεῖ τὸ ἀνάστημα τῶν ἀλλοφύλων· ἐκεῖ Νασὶβ ὁ ἀλλόφυλος. Duæ interpretationes, quarum postrema נציב legit & accipit pro proprio nomine.

Cum à Samuele discessisset Saul, evenere illa, quæ Samuel dixerat, ביום ההוא *illo die*. Eodem illo, ut videtur, quo Samuel significaverat.

Ad collem Dei occurrunt prophetæ, ipse etiam numine correptus est, admirante populo, quod Saul filius Cis inter prophetas esset. Hoc autem abiit in proverbium.

Cum vaticinari desiisset, in collem se contulit. Hic immediatè adnectitur colloquium cum Ner patruo. Unde videtur firmari sententia Josephi, qui prophetarum istum collem de Gabatha Saul exponit. Quærit ab ipso & puero patruus, ubi fuissent, unde venirent, quid Samuel locutus esset? Respondet, Vaticinatum esse, quod essent inventæ asinæ: rem autem regni siluit. Nam ipse ut modestus erat & dominationis non cupidus, ita judicavit invidiæ rem esse obnoxiam: quam non expediret immature promi. In hac infirmitate οὐδεὶς βασιλείας ὤνας, ut loquitur Josephus. Is illum vocat συγγενῆ vultque fuisse Abner. In Maspha Saul sortitione in regem electus est: illuc enim populum convocavit Samuel. Antequam videamus, quid illic gestum sit, explicanda est difficultas, quomodo Samuel dixerit post septiduum se affore Galgalis, velle ut Saul se operiatur. Versus octavus ita sonat: *Descendes ante me in Galgala. Ego quippe descendam ad te ad offerendum oblationes & offerendum oblationes pacificas septem diebus exspectabis donec veniam ad te.* Annotat Lyranus in libro de Hebraicis quæstionibus haberi, quod post voces illas, *septem diebus* punctum ponatur. Ita ut septem dies non notent tempus, quo Samuel à Saul deberet exspectari, sed tempus, in quo pro Saul de novo inuncto in regem, deberent oblationes & sacrificia fieri. Sicut in consecratione summi pontificis fiebat septem diebus, ut habetur Exod. 29. Levit. 8. Sed (verba Lyrani) *in Bibliis Hebraicis, quas vidi non sunt taliter punctus, sed In septem diebus conjungitur cum litera sequenti sic: Septem diebus exspectabis &c. Liber etiam de quæstionibus Hebraicis super Regum negatur ab aliquibus esse Hieronymi: quorum rationes hic propter prolixitatem omitto. Andreas etiam dictum istorum impugnat, quia non habetur in aliquo loco Scripturæ, quod pro unctione regum debeat talis solennitas fieri Septem dierum: nec legitur factum pro quocunque rege, quantumcunque sancto vel magno: propter quod istud dictum videtur fictitium. Et ad hoc inducit, quod habetur de innovatione regni in Galgala: ubi dicitur: Et fecerunt ibi regem Saul coram Domino &c. Ex quo videtur, quod si debuisset de unctione Saulis*

fieri talis solennitas, fuisset tunc facta: & non fuisset exspectatum in futurum; in quo poterant per aduersarios impediri: & maxime quia Samuel erat præsens, per quem talia debebant fieri. Vnde hic, ubi translatio nostra habet: Ego quippe descendam ad te, ut offeras oblationem &c. *In Hebræo habetur* ad offerendum oblationem &c. *sc. per me, tamen pro salute tua: & sic etiam exponitur translatio nostra à doctoribus nostris:* ut offeras & immoles. *Non per te sed per me: sicut & populus offerebat per sacerdotes. Propter quod iste Andreas aliter exponit. Ad cujus intellectum præponit unum: sc. quod in magnis negotiis, propter quæ inprimis debebat Deus placari sacrificiis: Deus nolebat, quod Saul aliquid faceret absque præsentia Samuelis: qui pro eo offerret & ipsum dirigeret. Et sic exponit literam istam:* Descendes ante me in Galgala: *id est, Si contingat tibi casus, in quo debeat placari Deus per sacrificia,* descendes ante me in Galgala, *ubi est locus orationis & sacrificii & subintelligitur, & significabis mihi descensum tuum: ibi,* Ego quippe descendam ad te ut offeras oblationem &c. *sc per me.* Septem diebus exspectabis &c. *ubi intelligitur postquam recepero nuntium tuum.* Donec veniam ad te: *ad offerendum pro te sacrificium & ad te dirigendum. Sed hæc opinio non videtur bene concordare textui: quia ex modo loquendi & tempore videtur, quod Samuel loqueretur Sauli non generaliter nec indeterminate, pro quocunque casu arduo indeterminato futuro, sed pro casu determinato & imminenti sc. post publicationem electionis ipsius in regem descenderet in Galgala: ut ibi Samuel pro eo offerret sacrificium: & doceret eum de modo gubernandi regnum suum: quia hoc maximè indigebat in principio regni sui: & quod Samuel descendendi tempus in Galgala sibi determinavit licet non sit hic expreßum: quia non omnia hic exprimuntur: dicens, quod eum exspectaret Septem diebus. Hoc dixit Samuel, quia nesciebat, utrum Dominus circa illud tempus occuparet eum in alio negotio, ita quod non posset venire ad Saul ita cito. In quo autem peccaverit Saul, transgrediendo verba ista Samuelis, dicetur infra cap. 13. Vbi locum habet:* Kimchi: *Sensus, A die, quo ego discedam à te in Galgal: & hoc fuit post renovationem regni; quo illi pariter venerunt in Galgal cum toto Israel: & postquam dixißet Samuel verba sua ivit & elegit Saul tria millia & reliquum populi dimisit in tabernacula sua. Et à die, quo abiit Samuel à Saul illic in Galgalis, dicebat ipsi ut se exspectaret septem diebus, donec veniret ad ipsum. Et Saul non egreßus est Galgalis sed fuit illic ab innovatione regni usque ad tempus belli, Sicut dicitur:* (1. Sam. 13. 7.) Et Saul adhuc in Galgalis. *At cur dicit ipsi nunc hoc verbum nec exspectat donec essent in Galgalis & discessit ab ipso, ut dicat ipsi,* tunc septem diebus exspectabis donec veniam ad te? *Propterea quod nunc quando loquebatur ipsi de negotio regni, innuit ipsi: In hoc verbo stabile erit tibi regnum, aut non. Hoc primum præceptum quod ipsi præcepit. Et si staret in eo stabile ipsi futurum erat regnum, si non, non erat stabile futurum. Ideo dicit ipsi* (hoc v. 8.) Et notificabo tibi quid te oporteat facere, *q. d. Tum indicabo tibi quid sit futurum de regno tuo.*

Populo congregato dicebat Samuel: *Ita locutus est Dominus Deus Israel: Israel ex Ægypto eduxi: & vos è manu Ægyptiorum liberavi & manu regnorum, quæ vos premebant. Vos autem hodie Deum vestrum rejecistis, qui vos ex omni miseria & angustia liberavit: & dixistis illi: Constitue nobis regem. Proinde sistite vos ante faciem Domini secundum tribus & millia.* Hanc orationem Josephus amplificavit his verbis: καὶ τὸν μὲν θεὸν ἀποχειροτονοῦσι τῆς βασιλείας, οὐκ εἰδότες ὡς συμφορώτατον ὑπὸ τοῦ πάντων ἀρίστου προεστάναι, θεὸς δὲ πάντων ἄριστος· αἱροῦνται δ' ἔχειν ἄνθρωπον βασιλέα· ὃς ὡς κτήμασι τοῖς ὑποτεταγμένοις κατὰ βούλησιν καὶ ἐπιθυμίαν καὶ τῶν ἄλλων παθῶν ὁρμὴν χρήσεται, τῆς ἐξουσίας ἀφειδῶς ἐμφορούμενος, ἀλλ' οὐχ ὡς ἴδιον ἔργον καὶ κατασκεύασμα τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος οὕτω διατηρῆσαι σπουδάσει· ὁ δὲ θεὸς κατ' αὐτὴν τὴν αἰτίαν κήδοιτο &c. *Deum quidem regno deponunt, nescii, quod utilissimum sit ab omnium optimo regi (Deus autem omnium optimus) eligant autem habere regem hominem: qui subjectis utatur*

tanquam

tanquam pecudibus pro arbitrio & libidine & aliorum affectum impetu, potestati frena laxans: sed non ut proprium opus & structuram, ita hominum genus conservare studeat. Deus autem ob hanc causam curam habeat &c. Appellat ὕβριν πρὸς τὸν Θεόν: Sistere se jubet secundum tribus & millia, Josephus (male opinor) κατὰ φυλὰς τε καὶ σκῆπτρα, ut sortes jaciantur (sicuti fere volunt.) In Maspha erat ara & domus precationis, (& forte arca) ut dicit Kimchi. Hic adhibita ut idem vult urim & Thummim. Deus planè designabat regem in oculis omnium, ut invidia averteretur. Fecit Samuel accedere primo omnes tribus Israel: hic tacta fuit (ילכד ch. אתאחד) tribus Benjamin. Hinc demi accesserunt per millia, ut videtur, tum domus. Demus Matri deprehensus est & in domo sua Saul. Jacientibus sortes, inquit Josephus, exiit sors Benjamitidos, hac autem in sortitionem veniente, obvenit πατριά, dicta ματρίς, qua sub sortem ducta, Cisi filius (in Josepho malè κισαίου) regnum obtinuit sorte. Rasi: *Quamvis illic non esset cecidit sors super eum, quia nomina sculpta erant in scedulis, quas ponebant in cista & propheta immittebat manum suam & educebat unam scedulam.*

Saul gnarus rei futuræ, & ob modestiam fugiens regni honorem molemque abdiderat se inter impedimenta. Cum igitur, inveniri non posset consultum os Domini an ad concionem venturus esset, respondit: Inter impedimenta eum latere. Josephus μὴ βουλόμενος οἶμαι δοκεῖν τὴν ἀρχὴν ἑκὼν λαμβάνειν, *Nolens ut arbitror, videri, quod volens regnum susciperet.* Quasi simulatio esset, non animi propositum. Protractum e latebris in medio statuunt. Hic apparuit majestas corporis conspicua, qua eminebat supra quemvis è populo. Jos. τὸ ὕψος ἦν βασιλικώτατος. Hic Samuel: Ecce eum, quem Dominus elegit. Illi enim nemo par est de toto populo. Insecuta est acclamatio universæ multitudinis. Vivat rex. Jos. Ἐπευφήμησε βασιλεῖ σωτηρίαν ὁ λαός.

Samuel toti populo pronuntiat (משפט המלכה) jus regium quod conscriptum in libro, reposuit coram Domino. Iosephus putat fuisse librum prædictionum, in quo prædixerat, quæ sub regio dominatu eventura essent: τὰ μέλλοντα συμβήσεσθαι κακά. Idem putat prius conscriptum esse deinde recitatum, Argumentum habuit hujus expositionis, quod supra modus potius quam jus regis videatur significari: at hic est משפט המלכה jus regni, illic משפט המלך jus (modus) regis: quæ discriminata sunt. Kimchi arbitratur in arca repositum fuisse id scriptum, Ralbag אצל ארון apud arcam. Ralbag jure regni putat significari potestatem regis in rebelles הכח שיש למלך על עמו והעונש הראוי למי שימרה את פיו.

Hinc dimisso populo, cum Samuel Gabaam domum suam concederet, quidam de multitudine, quorum Deus cor moverat, eum comitantur, τὴν προσήκουσαν βασιλεῖ τιμὴν νέμοντες inquit Iosephus. At multi perditi homines (filii Belial) de rege, quem Deus dederat, contemptim loquebantur: מה ישיענו זה: Qui iste nobis salutem præstaret? Hi nullum ad eum munus afferebant, ut mos habebat novum regem salutare, nec ullis eum obsequiis demereri curæ habebant. Rex autem eorum contumelias & aliorum ad iram incitamenta surda aure præteribat.

In I. Sam. XI.

Occasio se obtulit, qua se & Dei vocationem Saul probare omnibus potuit. Occasionem dedit bellum Ammoniticum. Hic in v. 1. cap. 11. temporis designatio est, quam habent Græci Josephus, & vulgata Latina editio, deest in Hebræo. Volunt illi post electionem Saul elapso mense Naas Ammo-

Ammonitam irruisse in agrum Israel. At cap. 12. v. 12. refert Samuel, quod Ammanitæ arma intulerint, antequam Saul rex foret: imò hanc invasionem fuisse inter causas petendi regis & status regiminis mutandi. Respondere, quod bellum prius intermissum, hic repetitum fuerit, effugium est sine colore. Jabes oppidum in Galaad obsessum tenebat Ammonita, ac obsidione ad extrema redactum, non alia conditione recipere voluit, quam si dexterum sibi oculum omnes erui paterentur. Id enim probrum populo Israel cogitabat imponere. Grotius: *Nempe ut inutiles eos bello faceret, nam sinister oculus sub scuto latere solebat.* Id sumpsit è Iosepho: *σοφίᾳ καὶ ἀπονοίᾳ πρὸς τὸ μηδ' αὖθις ἀποστάντας διωσθῆναι τὴν ὑφ' αὐτῷ δουλείαν, διαφυγεῖν, ἀσθενεῖς ποιῶν.* Sic ab eo factum esse iis quos aut per vim aut deditionem ceperat, omnibus. *ἐποίει δὲ τοῦθ' ὅπως τῆς ἀριστερᾶς αὐτοῖς ὄψεως ὑπὸ τῶν θυρεῶν καλυπτομένης ἄχρηστοι παντελῶς εἶεν.*

Cum Saul sorte eligeretur jam Naas bellum intulerat & forte Jabes obsederat, sed nondum eousque necessitatis erat deventum. Iosephus vult Nahas hanc conditionem tulisse missis oratoribus, cum primum in regionem sese intulisset, at Scriptura ostendit, petentibus pacem obsessis sub ea lege concessam esse.

Cum Iabeseni alium exitum non viderent, petierunt septem dierum inducias, per quas mitterent ad omnes tribus Israel. Si inde auxilia non possent obtinere, exituros se, ut durissimam legem subirent. Naas non gravatim inducias dedit fiducia virium & hostium contemptu, quæ solent futuram cladem indicare. Interpretes admirantur ita Jabesenos loqui (apud Josephum omnes Galadenos) quasi Israel nullum adhuc regem haberet, se missuros tributim. Ita locutos esse, ut Naas luderent eumque occultarent, novum regem Israeli impositum, frivolum est. Posses dicere cum paciscerentut Jabesitæ nondum factam fuisse electionem aut obsessis nondum innotuisse. Cum igitur urbe & castris regis egressi intelligerent novum regem esse electum ad eum se contulerunt oratores Iabeseni. Nam in vers. 3. seniores Jabesæ paciscuntur de mittendis per tribus legatis; in vers. 4. autem solum Saul adeunt. Ideo errat Josephus, qui narrat omnes urbes Israelitarum legatos obiisse, non minus metus quam mœroris, quocunque venirent, circumferentes. Unde nemo se movere ausus sit. Tandem venisse in urbem Saul: in qua simili modo affecto populo, Saul rure reversus, tristitiæque causa intellecta regiam magnanimitatem aperuit. Aut sciverunt Jabeseni, cum paciscerentur, regem esse in Israel, sed cum regis venia obeundas esse tribus, in novi regni initio, ut auxilia sollicitarentur. Sic regem prius adeunt, ut ex ejus consilio rem perficerent. Saulo regnum delatum erat Divinitus, sed cum multi eum non admitterent, se tanquam privatum Domi suæ continuit, nondum assumpta regni administratione. Sic igitur videbant Jabeseni populum sibi tributim adeundum esse. Saul, tamen ut videtur, primum adierunt. Saul igitur, rure domum reversus, ubi bubulum pecus curaverat (è bubulco aut pastore rex evaserat nondum relicta gregis cura in exordio novi nondum firmati principatus) Dei Spiritu & indignatione commotus, par boum concisum in frusta, misit per legatos (nescio an Jabesenos) per terminos Israel: Qui non exierit post Saul & Samuël, ita bubus ejus fiet. Metus igitur ingens populum obsequi coëgit. Omnes igitur ad unum conveniunt. In Bezec numerati sunt: Israëlitæ millia tercentum, Iudæi triginta millia.

Responsum igitur legatis Iabesenorum est: Nuntiate auxilia parari, ut urbem liberent in crastinum (Iosephus: *ἥξειν βοηθὸς τῇ τρίτῃ τῶν ἡμερῶν*: errat!) Putat enim Iosephus dimissis legatis Iabesenorum boves cæsos esse & edictum ut po-

ſtridie ad Jordanem frequentes Iſraëlitæ liberandis obſeſſis adeſſent. Iterum errat cum dicit apud Balam oppidum recenſito populo fuiſſe, ἑβδομήκοντα μυριάδας, ſeptingenta millia de Iſrael, de Juda LXX. millia ἑπτὰ μυριάδας. In poſtremo tamen numero Græci cum Joſepho conveniunt. Boves etiam non conciſos in fruſta, quæ circumlata ſint ſed ſuccidiſſe nervos boum ſuorum minas deferri jubentem, ſimiliter ſe facturum, bubus detrectantium militiam. Promittunt ſe venturos adverſus Ammonitam, בחום השמש / *in æſtu Solis*. Notat meridiem. Narrat Joſeph tota nocte iter facientem copias duxiſſe decem ſchoenorum itinere, Jabeſam per veniſſe, quo deſtinaverat. Poſtridie ſane Saul populum in tria dividit agmina, quæ in caſtra Ammonitarum perruperunt, cum vigilia noctis ultima flueret, magnamque ſtragem dedere, cædendo uſque ad medium diem. Ita diſperſi erant inſequentibus Iſraelitis ut duos coire fervens perſecutio non permitteret. Scribit Joſephus ipſum Nahas eſſe occiſum, quod falſum eſt, cum ſuperſtes fuerit uſque ad regnum David. Arma etiam circumtuliſſe per ipſam Ammonitin, atque inde ſpoliis divitem rediiſſe domum. Nec hoc Scriptura commemorat. Salianus Joſephum reprehendit quod in Bale conveniſſe populum velit quæ triplex alia ad Lacum Aſphaltiten, alia Cariathiarim, alia in tribu Simeonis (duæ poſteriores procul à Jordane fuerunt,) quod decem ſchoenorum diſtantia nimia & immanis fuerit, quæ haud quaquam inter Jordanem & Jabes inueniri potuerit. Non poteſt Joſepho defenſio parari niſi ſchoeni vocem aliter ſumat, aut in numero vitium ſit. Nobilis victoria, quæ invidiam non tantum ſuperavit ſed & admirationem regis peperit. Si qui (inquit Joſephus) prius eum contempſerant, nunc animo mutato honorem obtulerunt & omnium optimum æſtimarunt. Clamatum eſt, ut plebis animi concitati ſunt, ad ſupplicium rapiendos eſſe, qui regem eum agnoſcere abnuerant. At Saul, Neminem eo die ad ſupplicium rapi ſe permiſſurum, quo Deus Iſraeli tantam victoriam tribuiſſet. Licuit regi ſuas condonare injurias. Quod autem diem hunc carere ſuppliciis oportere dixit, id non eſt ita accipiendum, quaſi ſupplicium diſtulerit potius quam abſtulerit. Non enim legimus quod regni vetus & elatior jam animo eos homines puniverit. Joſephus narrat jurejurando affirmaſſe; neminem tam feſto die occidendum eſſe, in quo Deus tantam conceſſerat victoriam: Hanc enim civili ſanguine pollui non oportere, ſed magis decere, ut poſitis odiis feſtum agant ὁμοφρόνως διηγωνισμένους ἑορτάζειν.

Samuel videns populi totius benignam affectionem, judicabat, utendum eſſe hac pronitate animorum, ut regnum firmarent, ſortitò prius collatum. *Eamus Galgala & renovemus regnum.* Sic alloquitur & hortatur populum Δε-ήσεις δεῖν χειροτονίας αὖθις τὴν βασιλείαν ἐπικυρῶσαι. Totus igitur populus ſe Galgala contulit, atque illic unanimi conſenſu Saul regem facit coram Domino. Kimchi; Et renovemus illic regnum. *Quia prima vice pars eorum eum ſpreverant & dixerant, Quid Salvaret nos iſte? Nunc* (נתרצו) *pronis animis erant omnes, propter ſalutem, quæ venerat per manum ejus in bello Nahas: At dicebat Samuel, innovandum eſſe regnum in Galgalis, propter honorem arcæ & tabernaculi conventus, quæ fuerant illic à principio, quum venirent in terram. Ideò honorabant eum locum, quamvis nunc ibi non eſſet, quia erat in Nob.* Illic aram ſtruxerunt, ſoteria immolarunt coram Domino. Et Saul admodum hilarem ſe geſſit cum toto populo Iſraël. Joſephus dicit, inſpectante univerſa multitudine ſecundò unxiſſe Saul & quidem ſacro oleo. Hanc unctionem & ſuperiorem in Maſpha ut publicas, ſacro oleo putant conſtitiſſe; at primam, ut privatam oleo communi. Ita ter unctum fuiſſe Saul, Quidam putant ſacrum factum in ara, quam

illic olim Josue condiderat. Hinc regni ejus principium existit juxta Josephum & sacras literas: hic finis status liberi sub immediata Dei dominatione. Jos. Καὶ οὕτως ἡ τῶν Ἑβραίων πολιτεία εἰς βασιλείαν μετέπεσεν. Ἐπὶ γὰρ Μωϋσέος καὶ τοῦ μαθητοῦ αὐτοῦ Ἰησοῦ, ὃς ἦν στρατηγὸς, ἀριστοκρατούμενοι διετέλουν. Μετὰ δὲ τὴν ἐκείνου τελευτὴν, ἔτεσι τοῖς πᾶσι δέκα καὶ πρὸς τούτοις ὀκτὼ τὸ πλῆθος αὐτῶν ἀναρχία κατέσχε· μετὰ ταῦτα δὲ εἰς τὴν προτέραν ἐπανῆλθον πολιτείαν τῷ κατὰ πόλεμον ἀρίστῳ δόξαντι γεγενῆσθαι καὶ κατ' ἀνδρείαν περὶ τῶν ὅλων δικάζειν ἐπιτρέποντες. Καὶ διὰ τοῦτο τὸν χρόνον τοῦτον τῆς πολιτείας, κριτῶν ἐκάλεσαν. Formam regiminis fuisse aristocratiam inde à Mose usque ad Saul, nempe sub senatu illo magno. Octodecim annis anarchiam, cum nullus ejusmodi Senatus esset: quod tamen non videtur. Inde rediisse pristinam formam, quæ scilicet sub Mose fuerat: in qua imperatori, qui bellica fortitudine præstaret, supremum judicium & potestas commissa essent. Nos supra significavimus, quæ ratio, qui modus fuerit.

I. Sam. XII.

Cum Samuel secundò unxisset atque ita Saul in regni possessione collocasset, decedere ipse decenter voluit & regni initia consecrare. Samuelis oratio narrat se quo ad omnia obsecutum petitioni eorum, posuisse regem: quem ante oculos videant. Consenuisse se, esse filios suos in medio: se in conspectu eorum incessisse à juventa usque in eum diem. Adsum, testamini coram Deo ejusque uncto cujus bovem aut asinum abstulerim; cui injuriam dederim: quem oppresserim, à quo munus sumpserim, ut ab ejus intuitu erubescerem? Josephus: ἐπόμνυμι ὑμῖν τὸν μέγιστον θεόν. Hic adjuratio nulla est in sacro textu. Deum illum describit à missione Mosis & Aaronis: quod etiam à textu abest. Μόσχον ἢ πρόβατον. Existimat autem Josephus licita *illa* munera fuisse, non raptum, ἃ πρὸς τροφὴν ἀνεμέσητον δοκεῖ λαμβάνειν. *Addit* jumenti raptum ad suos usus. Acclamatum ab omnibus est: Nullam injuriam aut oppressionem ab ipso venisse: nec à cujusquam manu munus sumpsisse. Lex munera sumere, judicem vetat. Tum testem Deum invocat ejusque unctum, quod nihil in sua manu inventum sit. Illi respondent, Esto. Cum tale testimonium irreprehensæ administrationis obtinuisset, ipsos redarguit de neglectis officiis erga Deum quorum beneficiis malam gratiam rependissent. Eductos ex Ægypto & collocatos in Cananæa, Dei oblitos fuisse, qui eos tradiderit Cananæis, Palæstinis, Moabitis aliisque gentibus. Castigatione ad meliorem mentem reversis misisse Gedeonem, Badan, Jephthe, Samuelem, atque salutem præstitisse ab omnibus, quæ in vicinia degerent, gentibus. Hinc premente Nahas regem tumultuosius petiisse, cum Deum regem haberent. Nunc ex voto ipsis Deum dedisse regem. Videant igitur, quod faciendum sit. Si enim Deo præstent obsequium, & populum & regem Dei præsidio tutos fore. Sin autem, Deum & populum & regem coerciturum. Promissum & minas miraculo firmat. Nam tempore messis triticeæ, precante Samuele, cælum tonitribus & copiosissimo imbre (grandinem adjicit Josephus) inhorruit. Populus horrens tremensque ad Samuelem: Roga Deum ait, pro servis tuis ne moriamur. Nam delictis omnibus nostris, id quoque addidimus, regem postulavimus. Samuel autem: Nolite metuere. Hæc quidem commisistis: at Deum toto corde colite, ne ad idola & vanitatem deflectite. Deus populum suum non deseret: ne grande nomen suum exponat ignominiæ. Quod me attinet: Absit ut unquam aversus animo sim & desinam pro vobis apud Deum intercedere. Pergam docere viam bonam rectumque. Tantum Deum timete. Vidi-

Vidiſtis enim quam grandia fecerit. Sed ſi perrexeritis malè agerè vos & rex veſter malè peribitis. Non adeò aberrat in iſtis exponendis Joſephus, ſed malè arbitratur prodigium illud fuiſſe ſignum, iratum eſſe Deum & diſplicere ipſi quod politia in regnum converſa eſſet. *δυσχεραίνοντα τῇ τῆς βασιλείας ὑμῶν αἱρέσει.* Nullam facit mentionem Badan, ubi Samuelis oratio ſuperiora beneficia commemorat: fortaſſis, quia ignorabat quis eſſet. Jonathan Chaldæus eum in Samſonem transformat. Id probant Judæi: R. David Kimchi, hujus conjecturæ hanc dat rationem: quod בדן dicatur, quaſi בן דן / filius Dan. Ideò autem Jephtham, quo poſterior fuit, poſtponi, quod major ipſo eſſet. Sic Ralbag dicit Deum feciſſe per eum miraculum in maxilla aſini. Miraculum autem non fieri niſi per virum eminentem. Putat autem hos ſolos è tot judicibus nominatim recenſeri ad ſignificandam Dei benignitatem, quæ aliquando ſalutem dederit per viros minus perfectos, ut Gedeonem & Jephthe: aliquando per perfectos & idoneos ut Badan & Samuel fuerunt.

Cap. XIII.

PRimo commate indicatur hinc initium ſumendum eſſe regni Saul. Hebræa ſonant: בן שנה שאול במלכו ושתי שנים מלך על ישראל. Hunc verſum non agnoſcunt LXX. & præterit Joſephus. Symmachus (teſte Theodoreto) reddidit: *υἱὸς ὢν ἐνιαυσιαῖος Σαοὺλ ἐν τῷ βασιλεύειν αὐτόν.* Quod pater ille interpretatur de ſimplicitate animi, qua præditus erat, cum in regem eſſet electus. Inde quod ſequitur: *καὶ δύο ἔτη ἐπὶ Ἰσραὴλ ἐβασίλευσεν,* explicat, quod ea ſimplicitate biennium imperaverit: inde delapſum ad improbitatem, Dei gratia nudatum eſſe. Ideo reliquos regni annos Samueli adjudicari. Sic etiam accepit Chaldæus: *Sicut filius anni* (דלית ביה חובין) *in quo non ſunt culpæ, Saul erat: & duobus annis regnavit ſuper Iſraël* Huc pertinet Dras: ipſi condonata fuiſſe peccata, à tempore quo inceperat regnare & uſque illum diem; ut fuerit inſtar infantuli diei unius. Vana ſunt. Kimchi putat annum præterlapſum eſſe à principio regnandi, & deinde regnaſſe biennium aut ſolo regnaſſe biennio. Raſi, indicari, quod illa evenerint intra primum annum regni: Nempe primo anno regni diſpoſuiſſe milites ut v. ſeq. incipit exponi. Ralbag etiam ab unctione per Samuelem fluxiſſe annum, ſed biennio exacto ordinaſſe militum copias. Quoddam Scholion Græcum, notantibus Scaligero & Druſio, habuit, *υἱὸς τριάκοντα ἐτῶν*: quaſi in Hebræo fuiſſet בן ל שנה. Exiſtimat Scaliger excidiſſe notam numeralem: at certum non eſt, Veteres per notas ſcripſiſſe numeros. Lyranus, qui ſolet R. Salomonem ſequi, dicit in fronte hujus capitis præmitti de Sauli bonitate, quoniam de ejus prævaricatione agendum eſſet, nequis de juſtitia ſua præſumat. Notat innocentiam Saul hac ratione probabiliter à Rabbinis oſtendi: nam quando homo promovetur ad aliquod officium magnum à Deo, ſicut Saul in regem, ſimul illi dari gratiam juſtificantem, ipſumque diſponi ad ſuum officium, niſi ſibi obicem ipſe ponat: quod non feciſſe Saul, quia in ſuperiori capite electus & bonus celebretur. Hebræi dicut ſapientem & Naſi & Sponſum condonationem peccatorum accipere. Sed pergit Lyranus: *Aliqui autem exponunt de Iſboſeth filio Saul: dicentes quod habebat unum annum tantum, quando Saul incepit regnare. Et ſecundum hoc li Saul eſt dativi caſus; cum dicitur: Filius unius anni erat Saul, id eſt ipſi Saul ſed hoc patet falſum, per illud, quod habetur 2. Reg. 1. Quadraginta annorum erat Iſboſeth, cum regnare cœpiſſet. Fuit autem inſtitutus immediate poſt mortem patris, ut ibidem dicitur. Pater autem regnavit viginti annis tantum: propter quod tenentes hoc dictum dicunt; quod inceptio re-*

gni Saul hic accipitur immediatè post mortem Eli: quod tempus fuit quadraginta annorum ut habetur Actorum 13. Sed hoc non valet, quia in nullo alio loco Sacræ scripturæ reperitur: quia Sacra Scriptura determinando principium regni alicujus regis determinet hoc per ætatem filii sui. Et ideò quia ista expositio de scriptura non habet auctoritatem eadem facilitate contenmitur, qua probatur. Et prima magis tenenda est, ut videtur. Hæc ille: biennium autem regni exponit de bonitate & innocentia, cum plures annos regnaverit in malitia. Etiam dici posse quod post duos annos à principio regni sui David fuit à Deo electus & inunctus per Samuelem ut habetur in cap. 16. Inde non regnasse de jure sed usurpative, ideo annos sequentes à regno ejus hic resecari. Junius reddidit hunc locum: *Agens primum annum Saul in regno suo (duobus autem annis regnavit super Israelem) Elegit sibi Saul* &c. Mente hac: In principio regni ejus gesta sunt, quæ narrantur duobus superioribus capitibus: duobus annis legitimè regnavisse, nondum plane rejectum & spiritu destitutum. Confirmari enim interpretationem cap. 14. 49. ubi post profligatos Palæstinos regnum obtinuisse dicitur. Vult igitur Franciscus Junius biennium computari ad Davidis inunctionem. Interpretes Belgæ reddiderunt: **Saul hadde een jaer Coninck gewееst end het tweede jaer regeerde hy over Israel**: quasi notetur tempus quo bellum Palæstinum cœpit quæ sententia est Gersomidæ. Annotant ad secundum membrum, numerum cardinalem pro ordinali (ut appellant) poni ut Judic. 14. 17. Quid hic dicendum, in tanta interpretum discrepantia quæ indicat locum aut obscurum aut mendosum esse? Bonis rationibus ipsoque textu annuente aliquis existimare possit subesse mendam in primo membro sed antiquissimam. Deesse nempe vocem numeralem qua significetur ætas quam habebat Saul cum ad regnum sublimaretur. Hic enim mos scripturæ ætatis & regni annos conjungere. Sic 2. Sam. 5. 4. de Davide. 1. Reg. 14. 21. de Roboam filio Salomonis. 1. Reg. 22. 42. de Josaphet 2. Reg. 14. 2. de Amasia & cap. 16. 3. de Achaz. Et cap. 18. 2. de Ezekia cap. 21. 1. de Manasse. Et cap. 22. 1. de Josia. & cap. 24 36. de Jojakim. Et cap. 24. 8. de Jojachin. v. 18. de Zedekia. Deinde בן שנת non potest significare anniculum aut regni aut vitæ: Dicendum enim fuerat בן שנה. Adde quod hæc pertineant ad tempus illius congregationis populi, qua Saul electio confirmata fuit post expeditionem adversus Ammonitas. Elegit enim tria millia quæ essent in præsidiis adversus Palæstinos, cæteros in tentoria sua dimisit. Trium istorum millium duo sibi adesse voluit in Machmas & in montanis Bethel, tertium mille sub ductu Jonathanis filii sui in Gabaa Benjamin collocavit. Machmas, tractus terræ, ita appellatus erat, in quo etiam Palæstini consederunt (v. 5.) Illis partibus transitus erat in Juda & Benjamin; uti apparet Es. 10. 28. 29. ubi Sanacharibi expeditio describitur. Considebat in Gabe (distinguenda à Gabaa Saul ut patet illo loco Esaiæ) præsidium Palæstinorum, qui universam terram, qua versus occasum patet suæ potestatis fecerant. Hoc præsidium sive interceptum cum exiissent pabulatum & tanquam in pace vagarentur, sive alio modo oppressum trucidat Jonathan. Unde tanquam induciis sive fœdere violato, ultionem Palæstinos sumpturos esse certum erat. Saul igitur buccinæ clangore proclamari jussit: ut se Hebræi in tutum reciperent, ne à Palæstinis ex improviso interciperentur. Sic res tota regione percrebuit. Igitur bellum utrinque parabatur. Israel convocatur Galgala ad Saul, Palæstini autem (quorum ea tempestate res validissimæ erant) cogunt copias: triginta millia curruum, sex millia equitum fuisse dicuntur, & reliqui populi immensum numerum, qui cum arenis maris comparatur. Joseph nescio unde trecenta millia pedi-

peditum fuiſſe ſcribit. Putat Salianus Machmaſum feſtinaſſe Palæſtinos, ut regem imparatum opprimerent. Mirum videtur triginta millia curruum fuiſſe, cum Pharaonis potentia ſexcentos, Jabini nongentos ſolum habuiſſe referatur, quibus ſupra modum terribiles erant Iſraelitis. Deinde regionis anguſtiam tantum edere non potuiſſe. Porro eſſe veroſimile, quod equitum plura millia fuerint quam curruum. Ideo Capellus pro ſua fiducia *tria* millia legendum eſſe putat : שלוש pro שלושים. At conſpirant omnes verſiones; Joſephus etiam habet ἅρμασι δὲ τρισμυρίοις. Lyranus ita interpretatur, intelligi numerum hominum in curribus pugnantium. Quod multis placet, diſplicet autem Abulenſi. Palæſtinæ anguſtia vix capere potuit eum numerum curruum ut dicit Salianus; cæterum cum eo tempore late dominati fuerint Palæſtini, non debemus eos cenſere proprie dictæ Palæſtinæ anguſtis limitibus. Ante Samſonem jam ea gens invaluerat, & longo tempore uſque ad Davidis regnum potens & opulenta fuit. Saul interfecto præſidio Palæſtinorum mox ſe Galgala contulerat, quo populum evocavit. Hic ex condicto Samuelem ſeptiduo exſpectat, dum populus confluit. Jam ingens multitudo convenerat, cum fama affert Palæſtinorum copias adventare & progredi in Machmas. Hoc metu Iſraelitæ paſſim diffluunt à rege: alii ſe abdunt ſpeluncis, frutectis, rupibus, munimentis, puteis, pars trans Jordanem ſe recipiunt. Cum videret Saul deſeri ſe & populum univerſum dilabi, exactumque eſſe ſeptiduum, intra quod Samuel ſe venturum promiſerat (Ignotum quæ cauſa moræ fuerit) ipſe Deo immolat holocauſtum & pacifica. Vix perfecerat, cum Samuelem advenire nuntiatur. Cui ſalutato excuſat factum : Ad præſtitutum diem non adfuiſſe prophetam, dilapſum eſſe populum & Palæſtinos in Machmas advenisſe. Eorum ſe ſuperventum timuiſſe,antequam Deum oraviſſet : ideo ſacrum feſtinaſſe. At graviter eum redarguit Samuel : ſtulte feciſti, quia præceptum Domini Dei tui es tranſgreſſus. Nam Dominus regnum tuum ſuper Iſrael in æternum ſtabiliiſſet : at nunc non conſiſtet. Quæſivit ſibi Dominus virum juxta cor ſuum. quem juſſit ducem eſſe populo ſuo: quia tu illius mandatum es tranſgreſſus. Hinc Samuel Galgalis Gabaam Benjamin conceſſit. Saul populo numerato deprehendit ſexcentos viros adeſſe, reliqui diffluxerant. Saul & Jonathan cum copiis Gabæ (alii collem accipiunt) in Benjamin conſidebant: caſtra Palæſtinorum erant in Machmas. At Palæſtini, quo latior populatio foret, tribus cuneis vaſtatum exiêre. Primus convertit ſe via, quæ per Ophram tendebat in terram Saul,alter verſus Beth-horon, tertius in viam limitis ad vallem Seboim verſus ſolitudinem. Ita in omnes partes aditus patebat. Sub oculis Saul regionem quaqua verſum pervaſtabat hoſtis, cum prohibere aut obviam ire non poſſet. Nam nulli de tanto numero virorum gladius aut haſta erat, præter Saul & filio ejus Jonathan. Cum enim ſub jugo eſſent Iſraelitæ & gravibus præſidiis inſeſſi, fabrum habere non permittebantur, ne arma facerent : unde etiam ferramenta ruſtica ſi parare aut reficere opus eſſet ad Palæſtinos èundum erat. Indè limam Iſraelitæ adhibere ſolebant vomeribus, ligonibus, tridentibus, ſecuribusque & ad ſtatuendum ſtimulum. Sic videtur dicere verſus vigeſimus primus; quomodo & interpretatur Jonathan. At Græci hic : Καὶ ἦν ὁ τρυγητὸς ἕτοιμος τοῦ θερίζειν. Τὰ δὲ σκεύη ἦν τρεῖς σίκλοι εἰς τὸν ὀδόντα· καὶ τῇ ἀξίνῃ καὶ τῷ δρεπάνῳ ὑπόστασις ἦν ἡ αὐτή. Latina vulgata editio : *Retuſæ itaque erant acies vomerum & ligonum & tridentum & ſecurium, uſque ad ſtimulum corrigendum.* Theodoretus : Νενικηκότες αὐτοὺς οἱ Ἀλλόφυλοι πάντα τὸν σίδηρον ἔλαβον καὶ κτήσασθαι ἕτερον διεκώλυσαν· ὅθεν παρ' αὐτοῖς τὰ γεωργικὰ κατεσκεύαζον ὄργανα· ὀδόντας δὲ ὁ μὲν Σύμμαχος ὕνιν, ὁ δὲ Ἀκύλας τὸ ἄρο-

τρον ἡρμήνευσαν. τὸν δὲ σίκλον στατῆρα ἐκάλεσαν. Docet Symmachum & Aquilam etiam legisse שקל: quod in Hebræo non est, sed לשלש קלשן quam vocem compositam videntur divisisse: pro פצירה legerunt קצירה. Eo modo misere distorserunt textum aut codices habuerunt pravos. Non enim de pondere vomerum, securium & falcium agitur sed de defectu reparationis. Limis uti, necesse fuit, quia fabrili arte & usu carebant. Piscatorem igitur non audio, qui supplet vocem *illic*, quasi Palæstini limis ferramenta Israelitarum correxerint. Palæstinorum fabri ex arte, igni & cudendo faciebant, quod supplebat apud Israelitas lima. Rectè igitur Junianam hic versionem præferunt interpretes Belgæ. Duram illam necessitatem ipsis impositam fuisse putant extorto federe. *Cui non dissimilis lex* (inquit Hugo Grotius) *quam Porsena in federe cum Romanis posuit*, Ne ferro nisi in agricultura uterentur. *Tacent id historici* (inquit idem) *ut pudendum victori posteà gentium populo. At Plinius ingenue fatetur* lib. 34. 14. At eodem in loco scribit Plinius exstare edictum Pompeii magni in tertio consulatu, in tumultu necis Clodianæ, prohibentis nullum telum esse in urbe. Sed insignem difficultatem habet hic locus. Quomodo enim armorum usu destituti fuere Israelitæ sub Saul, cum Ammanitas profligarent? Anne dici potest post Ammaniticum bellum vetuisse Palæstinos? Si id velis: an intra annum gladii omnes detriti ut modo nullus superesset? Nisi regerendum sit, Electo jam Saul, cum sibi Palæstini ab rege novo metuerent, gladium omnem hastamque adempta esse Israelitis & prohibitum usum artis fabrilis, ne arma fabricarentur. Josephus Palæstinos, qui Gabam tenebant id servitutis omnibus Israelitis imposuisse scribit: quod non patet è textu sacro. Hos solos vult perdomitis Judæis ademisse arma & ferri cudendi usum. Alii (ut Salianus cum Abulense & Torniello) non toti Judææ sed solis partibus Gabæ vicinis legem illam esse positam putant, quam Josepho falsò attribuunt sententiam. Scribit quidem τῷ χεῖρας σπανίζοντας σιδήρου καὶ τὰ ὅπλα χαλκεύειν δυναμένων: non illa mente, quasi eam penuriam in sola Benjaminitide fuisse putaret, aut naturæ defectu. Per ferrum enim intelligit ferrea arma. Diserte addit prohibuisse Palæstinos. Servitus Hebræorum longo tempore duravit, cum initium habuerit ante Samsonis judicatum, quam cum Abulensi sub Samuële imminutam quidem & temperatam, à Saul excussam hoc tempore putamus at nunquam in totum sublatam ante Davidis imperium. Salianus servitutem non altius repetendam esse arbitratur, quam à morte Eli & arca amissa: cum populus in arctum redactus & summam desperationem, omnem conditionem servitutis facile admisit. Sed annos Eli quietos fuisse, ob cladem quam Samson in morte attulerat. Putat clade sub mortem Eli subactos Israëlitas leges servitutis subiisse, ut vectigal penderent, aliquot urbibus mulctarentur & præsidium acciperent: simulque impositum, ut fabri usu carerent. Hinc Samuelem convocato in Masphath populo, suspicaces pupugisse Palæstinos quasi Hebræi servitutem exuere molirentur. Cum igitur coactis copiis Hebræos imparatos, nihil tale suspicantes adorirentur clade affectos & compulsos esse, ut urbes redderent & excursibus abstinerent: cæteris legibus fœderis manentibus. At si uni tantum parti Judææ illa lex de prohibito usu armorum & fabrilis artis imposita fuit: quomodo nemo armatus inter illos sexcentos inventus est? An omnes armati dilapsi sunt, remanentibus, qui arma non haberent? Salianus id fortassis ita factum fuisse putat divino nutu, ut gloriam sibi faceret. Deinde, si arma non habuerint, gladium scilicet & hastam, non tamen prorsus inermes fuisse. Nam Benjamitæ, in quorum terris res gerebatur, non fundis, arcubus, sagittis nec alio armorum genere destituti erant. *Stipitibus duris* pugnari quoque

que *sudibusque praeustis.* Tum habuisse pleraque rustica ferramenta, quibus plagæ inferri possint. Ad postremum dicere Serarium pugnis etiam rem geri: nempe corio, funibus, aut alia ratione obarmatis. Hic laudat è Cassiodoro: *Inter ipsos adversarios non erant prima armata certamina sed pugnis se quamvis fervida lacessebat intentio: unde & pugna nomen accepit. Bellum autem quidam à Belo dictum putant, quod is ferreum gladium primus produxerit.* Palæstinorum armaturam Herodotus in VII. ita describit: Περὶ μὲν τῇσι κεφαλῇσι κυνέας εἶχον ἀγχοτάτω πεποιημένας τρόπον τὸν ἑλληνικόν· ἐνδεδυκότες δὲ θώρηκας λινέους· ἀσπίδας ἴτυς οὐκ ἐχούσας εἶχον καὶ ἀκόντια. *In capitibus galeas gestabant, proximè factas ad morem Græcum: induti thoracibus lineis; cum scutis umbone carentibus & jaculis.* Zosimus in rebusgestis Zenobiæ: οἱ δὲ ἀπὸ Παλαιστίνης πρὸς τῇ ἄλλῃ ὁπλίσει κορύνας καὶ ῥόπαλα ἐπιφέροντο: Clavas & fustes gestasse præter cæteram armaturam. Ita milites Judæi & ministri armati erant non tantum gladiis sed & fustibus: quos Euangelistæ appellant ξύλα. Sunt autem κορύναι & ῥόπαλα Zosimo. Penitius etiam inspiciendum septiduum moræ in Galgalis. Illic voluit Deus dilabi populum, Samuelem morari: ut sibi uni gloria esset; ne populus in rege suo insolesceret; ut Sauli patientia & obedientia exerceretur. Ita Salianus. Hoc septiduum quando Samuel injunxerit, quæritur. Putant quidam respici ad cap.x. v.8. Si ita arctè cohæret cum regni renovati initio hoc bellum Palæstinum. Nam cum in Maspha primò electus sit Saul, è qua dilapso populo nec universim probante novi regis electionem: non potuit Samuel ad sacrificium regni initiativum descendere Galgala. Nam tali sacrificio confirmatio regni dedicanda erat, quæ non potuit fieri aversis populi animis. Post victoriam in Ammanitas, animis in Saul pronis eo Saul cum Samuele & populus universus coiit. Hic facta sacrificia & lætitia epuli solennis, ut habetur cap. XI. v. ult. Hic videtur post dimissum populum exspectare debuisse Saul septem diebus, ut ad eum Galgala reverteretur Samuel, solenni benedictione regnum confirmaturus. Populo vix dimisso, Jonathan præsidium Gabæ trucidat, Saul igitur Galgalis adhuc consistens populum convocat secundo. Ea conciliatio stare non videtur, quia cap. XIII. v. 2. narratur apud Saul duo millia fuisse in Machmas & montanis Bethel. Igitur Saul Galgalis alio commigraverat, occasione belli & copiarum convocandarum huc reversus. Respondeti posset: Non fuisse Saul in Machmasum & montana Bethel digressum, sed mentem esse textus eò venturum, ut suo sub ductu agerent ista duo millia, quæ eò ire jusserat. Plerique novum quoddam mandatum Saulo datum, post illud tempus intelligunt: nempe metu belli Palæstini ingruente, consultum esse Samuelem, qui jusserit Galgala iri, suumque adventum exspectari: ut Deum consuleret. Josephus putat vocatum esse Samuelem à Saul, post interfectum præsidium Gabense Galgala profecto. Ego prius eligerem, ut omnia magis cohæreant. At in quo peccavit tantum Saul? Quidam dicunt, quod illicitam rem fecerit sacrificando per semet. At non videtur, quum in propinquo fuerit Achia ut patet cap. seq. v. 3. Alii, quod non exspectaverit Samuelem ex condicto, toto septiduo. Addunt quidam quod peccatum humiliter non agnoverit sed excusaverit. Josephus: quod non paruerit denuntiationi Samuelis, qui jusserat septiduo suum adventum exspectari & interea parari, quibus opus esset ad sacrum. οὐκ ὀρθῶς αὐτὸν ἔφη πεποιηκέναι παρακούσαντα ὧν ἐπέστειλεν αὐτῷ &c. Volunt ipso septimo die, mane immolasse, quia sacro vix peracto advenit Samuel: at debuisse ad vesperam exspectare. Cum etiam objurgetur à Samuele, *Quid fecisti?* antequam aliquis rem prophetæ enuntiasset, putant spiritu prophetico indicatam esse. Non licuit inquiunt, Saul per se victimas offerre, cum

cum tamen ab aliis ea tempestate immolationes factæ fuerint. Hinc Judæorum magistri: מותר לזר בבמת יחיד / *Licitum erat alieno in excelso unici.* Manet igitur in eo peccatum fuisse, quod non exspectaverit adventum Samuelis. At ea festinatio per se tantum peccatum, cum fieret deprecandi causa, non potuit esse. Si autem insistamus isti superiori sententiæ de cohærentia temporis, substantia ipsa peccati in eo fuerit, quod confirmationem regni solenni benedictione faciendam non exspectaverit. Illa igitur quasi rejectio & aspernatio fuit Divinæ benedictionis & confirmationis in regno: quam quia contempsit meritò regnum ipsum amisit. Ita solvi putamus nodum, in quo admodum laborant interpretes.

Sunt etiam alii nodi. Quomodo sexcenti tantum conjunctis copiis Saul & Jonathan fuere cum apud Jonathanem mille fuerint præsidio? Forte & hi dilapsi sunt metu Palæstinorum. Quid vult Josephus cum dicit, Jonathanem obsedisse castrum quoddam Palæstinorum *ὐ πόῤῥω γεβάλλων?* Id arrodit immeritò Salianus: legendum enim, ut patet è versione Rufini *ὐ πόῤῥω γαλγάλων.* Gelenius omisit in interpretatione sua tanquam desperatum. Sed errat Josephus, quod non distinguat inter Gabam & Gabaam, גבע & גבעה. Nam priorem locum tenebant Palæstini, alterum Jonathan cum suis præsidiariis. Cum hic aqua hæreret Josepho, dicit *εἰς γάβας ἔπεμψεν αὐτόν. ὁ δ᾽ ἐκπολιορκεῖ τι φρούριον* Quasi adversus Gabam missus fuerit à patre Jonathan & occasione data aliud innominatum obsederit castellum. Postea cum Gabaam à Gaba necessario distinguendam esse videret, pro Gaba posuit Gabaonem. Nulla in hac narratione mentio est Gabaonis, גבעון / at Gabe & Gabaa evidenter distinguuntur. In Gabaa fuit Samuel post Saul è Galgalis ascensum, in Gabe consederunt copiæ Jonathan & Saul v. 15. 16. Potest Gabe de colle exponi appellative. In Lxx. est eadem confusio: nec vulgatus Latinus potest distinguere inter Gabam & Gabaam. Hinc nata est falsa appendix in fine v. 15. *Et reliqui populi ascenderunt post Saul obviam populo, qui expugnabant eos venientes de Galgala in Gabaa, in colle Benjamin.* Lxx. *Καὶ τὸ κατάλειμμα τοῦ λαοῦ ἀνέβη ὀπίσω Σαοὺλ εἰς ἀπάντησιν ὀπίσω τοῦ λαοῦ τοῦ πολεμιστοῦ αὐτῶν παραγενομένων εἰς Γαβαὰ Βενιαμίν.* Hanc appendicem Salianus extollit ab antiquitate (nempe è Græcis impuratis venit) & quod scopo quadret, ut exciperent emissi præsidiarii Saul cum suis: unde prælium Israelitis secundum. Josephus non tantum ob defectum armorum sed & paucitatem suorum Saul non potuisse prohibere populationem scribit. Samuel quod dicit à Saul obedienter parente potuisse sibi suisque regnum parari in seculum [עד עולם] id Josephus interpretatur *πλεῖστον χρόνον.* Augustinus lib. 17. de civit. Dei cap. 6. *Non accipiendum est, ac si ipsum Saulem in æternum Deus præparaverit regnaturum & hoc postea noluerit servare peccanti. Neque enim peccaturum esse nesciebat, sed præparaverat regnum ejus, in quo figura esset regni æterni. Ideo addidit: Et nunc regnum tuum non stabit tibi. Stetit ergo & stabit, quod in illo significatum est, sed non hinc stabit, quia non æternum ipse fuerat regnaturus nec progenies ejus, ut saltem per posteros, alterum alteri succedentes, videretur impleri, quod dictum est in æternum.* Non hinc jam abjectus est Saul, sed denuntiatum illi, justam esse causam secuturæ abjectionis. Jonathan Chaldæus loca, quo ivere populatores Palæstini, ita exprimit: *Turma una convertebat se ad viam Ophra ad terram australem: Et turma una ad viam Beth-choron & turma una ad viam termini, qui spectat ad vallem Aphgaja ad desertum.* Terram Saul vertit terram australem ארעא דרומא. Syrus in Bibliis Anglicanis: ܐܪܥܐ ܕܣܓܘܐܠ *Terra Seguel*: Seboim Jonathan reddit אצבעיא. Lxx. Terram Saul vertunt *γῆν Σωγάλ*: idem voluerunt cum Syro & He-

Hebræo. At iidem de ultima turma: *καὶ ἡ ἀρχὴ ἡ μία ἐπιβλέπουσα ὁδὸν Γαβαὰ τὴν εἰς κύπτουσαν ἐπὶ Γαὶ τὴν Σαβίμ.* Hebræum נציב vertimus præsidium, R. Sal. פרדיום Jonathan אסטרטיגי: quo modo & vertit מצב in fine capitis: ubi dicitur quod statio Palæstinorum egressa sit ad transitum Machmas. Nempe præsidium illic locatum est: Lxx etiam eum locum perturbarunt.

I. Sam. Cap. XIV.

CUm ita se castris & munitionibus continerent Hebræi, cum dolore sua uri cernentes, tandem respicit Deus. Saul & Jonathan soli habebant gladium & hastam. Rasi: על ידי נס / *per miraculum.* At opus non est: potuit sibi rex & filius regis comparare, quod non potuerunt alii. Quod & Lyra videns suum Salomonem hic improbat. Idem Rasi, ad verba: Ad transitum Machmas: *Palæstini considebant in Machmas: Machmas in monte; & Israel in civitate, ubi erat* גבע *collis & collis erat in vertice montis. Duo montes illic fuerunt, unus è regione alterius & vallis inter eos. Unde dicitur* (בעניין) Et statio Palæstinorum accessit ultra Machmas: *quæ contrà collem ad vallem, quæ erat inter eos.* Pars igitur Palæstinorum (ut notat Kimchi) exiit è castris, ut appropinquaret ad Gabaam ubi erant Saul & Jonathan. Gabe & Gabaa fuerunt loca vicina, quæ ambo occupaverant Israelitæ & insederant. Valle ab illis locis dirimebatur Machmas, in opposito monte. Jonathan filius Saul, speculatus illam stationem Palæstinorum, quæ in proximo stabat, Spiritus divini impulsu, impetum rei incredibilis animo concepit. Ad armigerum suum inquit, Transeamus ad stationem Palæstinorum quæ est ex adverso. הלז in Hebræo emphaticum, indicans digito monstrasse quod notabat. Propositum suum patri non indicabat: sic Dei spiritu disponente. Saul autem considebat in termino Gabaæ sub malogranato. In Migrone dicit fuisse istam arborem id est haud procul Migrone: cum terminus Gabaæ usque Migronem protensus esset. Forte Geba & Migron fuerunt in ditione Gabaensium, ut metropoleos. Cum Saul erant sexcenti milites, ut supra dictum est. Achia filius Achitob fratris Icabod, filii Phinees, filii Eli qui sacerdotium administraverat Silunte. Hic Achias erat in castris cum arca Dei. Verba versus tertii ita accipiunt Lxx. quasi ipse Achias fuerit sacerdos in Silo. Si ita accipiantur in Silo mansit tabernaculum, cum arca in alio loco esset. Ralbag & Kimchi melius ad Eli referunt. Ideo autem Achias fuit in castris, quia illic arca erat, & portabat Ephod ad consulendum Dominum in Urim & Thummim. Achitob indicatur è fratre, cujus supra mentio facta est in cap. 4. Aut (ut Kimchi) *quia nomen ejus id fuit ob captivitatem arcæ eratque pater ejus tunc cum arca in castris, fuerunt Israelitæ afflicti ob iniquitatem sacerdotum & in pœna luctus in bello hoc, quo Achias ferebat Ephod, placuitque res in oculis Domini, ut inverteret* (בהפך) *factaque est magna salus in Israel.* Docet hic Ephod esse כלל ad חושן seu *λόγιον* & Urim ac Thummim. Josephus tantum scribit Achiam fuisse unum è posteris Eli. Cum in Ephod consulebatur Dominus, admovebat se arcæ Domini Pontifex, quam ideo in castra adduxerant. Notat Kimchi hanc narrationem ostendere, quod nondum principium haberet maledictio Eli. Nam nepos illius portabat Ephod. Non habuisse initium, antequam Sadoc ad pontificium eveheretur. Dicit scriptura prius non novisse Saul, hic dicit non novisse populum, quod Ionathan exiisset. Non mirum ignorasse populum quod rex ignorabat. Ideo observat Kimchi in duas turmas divisum fuisse populum, quarum una cum Saul, altera cum Jonathane. Hanc ipsam, quæ cum Jonathane, ne quidem scivisse, quod Jonathan egressus esset, adeo occultatam fuisse egressionem. Scriptura narrat in loco tran-

transitus, qua ad hostem tendebat Jonathan, fuisse duas acutas rupes: nempe in valle intermedia: quarum una versus septentrionem respiciebat Machmasum, altera versus meridiem respiciebat Gabe. Gabe Josephus hic reddidit collem: viditque à Gabaa distingui, cum tamen Chaldæus confundat. Uni istorum scopelorum nomen erat Boses, alteri Sene (בוצץ סנא) Nescimus, quid voces istæ significent, quamvis Chaldæus explicare conetur. Lxx. v. 5. ἡ ὁδὸς ἡ μία ἀπὸ βοῤῥᾶ ἐρχομένῳ Μαχμὰς ἡ ὁδὸς ἡ ἄλλη ἀπὸ νότου ἐρχομένῳ γαβαά. Reddere debuisset: ὁ ὀδοὺς ὁ εἷς ἀπὸ βοῤῥᾶ &c. Omninò scribarum vitium est: quemadmodum & fortassis γαβαά pro γαβέ: armiger, prompte domini sui voluntati obsecutus est. Plenus fiducia suscipit Jonathan hanc expeditionem, dicebat enim armigero: Transeamus ad stationem (vel castra) præputiatorum. Fortassis Dominus pro nobis aget. Nam apud Dominum non est impedimentum, ut liberet sive multis sive paucis. Illud *fortassis* dubitationis non erat sed intentionis animi ad signum confirmationis, quod confidit sibi dandum esse divinitus. Cum se armiger paratum ostenderet, Jonathan ad eum: Transibimus & ostendemus nos illis. Hoc autem omen erit successus. Si dicant Sistite, donec ad vos descenderimus: manebimus in loco nec ascendemus. At si dixerint: Ascendite, ascendemus. Deus enim eos in manus nostras tradidit. Id nobis signum erit. Josephus situm loci castrorum hostilium ita describit: Ἦν δὲ τὸ τῶν πολεμίων στρατόπεδον, ἐπὶ κρημνοῦ, τρισὶν ἄκραις εἰς λεπτὸν ἀποληγούσαις μῆκος, πέτρας ἐν κύκλῳ περιστεφανούσης, ὥσπερ προβόλοις τὰς ἐπιχειρήσεις ἀπομαχόμενον. *Castra autem hostium sita erant in præcipitio, tribus verticibus, desinentibus in exiguam patentiam* (μῆκος ita verto) *saxo in circuitu cingente, tanquam propugnaculis aggressus arcentia.* In eo errat, quod alteram signi partem in silentio positam esse dicat: Ἐὰν δὲ φθέγξωνται μηδὲν, ὡς οὐ καλοῦντας ἡμᾶς ὑποστρέψομεν. Scriptura expresse dicit in dicto opposito consistere. Id etiam expresserunt Lxx. at Josephus, ut sæpe, hic dormitabat. Negligenter custodita fuisse castra & vigilias neglectas ob firmitudinem loci, idem narrat: quod in scriptura non reperitur; ideò locutus est è conjectura. Fortassis quoque verum est, quod dicit, apparente jam die appropinquasse castris Palæstinorum: ut per noctem à suis fuerit egressus. Cum eos prospicerent Palæstini, inter se, Hebræi, inquiunt, ex antris & cuniculis prorepunt: inclamantque ad Jonatharum & armigerum: Huc accedite daturi pœnas. Hanc vocem Jonathan lætus tanquam omen victoriæ accipit: unde armigerum animat. Cæterum admirantur interpretes hoc signum, quod sibi statuit Jonathan. Nota significationem dictorum, in quibus omen id fuit: Ut ipsi suis verbis voluntatem Domini enuntiarent, Dicendo, Ascendite ad nos, פידם חבשילם / *et eorum ipsos afflixit.* Nam ascensuri duo illi, ipsi descensuri. Kimchi: *Non fuit omen interdictum. Si fuisset vetitum, Dominus ipsi opem non tulisset in ista profectione. Sed hoc & similia: Sonum verborum audiet homo & roborabit cor suum. Quia signum sunt & indicium ad opus. Et ne seducat te quod invenitur in verbis magistrorum b. m. Dicit Rab, Omne omen, quod non est, sicut Eliezeri servi Abraham & sicut Ionathanis filii Saul, non est omen. Nam non dicit, quod illud fuerit omen vetitum, sicut exposuerunt multi. Nam ecce illi, qui omen capiunt è mustela aut avibus, eorum omen non est sicut omen Eliezer & Ionathanis; & hoc est vetitum, sicut magistri dicunt:* Non ominabimini: *Hi sunt, qui omen capiunt è mustela, avibus & stellis: Et qui dicit, buccea decidit ex ore ejus; baculus è manu ejus; caprea detinuit eum; corvus clamat ei; vulpes à dextra, serpens à sinistra. Ne incipias, quia mane neomenia est, exitus Sabbati est. Ecce ista sunt verba & similia illis, quibus assueverunt domini scientiarum malarum: & statuerunt super illis decretum & consuetudinem: putantque quod illa bonum aut malum efficiant.*

rant. Hoc eſt, quod vetuit lex: ſed ſi quis velit facere opus & faciat verbum unum in ſignum & indicium operis illius, ut roboret cor ſuum, excitetque cor ſuum ad opus hoc, hæc res licita eſt. Nam ſi feciſſent malum in re hac Eliezer & Ionathan, non exaudiſſet ipſos Dominus, ſecundum convenientiam (כהוגן) *nec adjuviſſet opera eorum* (ומסייע non repetit particulam negativam) *nec auxiliatus fuiſſet eis. Et ecce, Rab, dicti hujus autor, quod dicit, Omne omen, quod non eſt ſecundum omen Eliezeri & Ionathanis, non eſt omen, ille ipſe* (בעצמו) *fecit ſecundum omen eorum* S. D. רב בדיק בםברא *Rab perveſtigabat è navi. Dicunt, quod Rab iverit ad Rab Nachman generum ſuum & dixerit: Si navis huc veniat, dies bonus erit nobis. Et ſic dicunt, Samuel perveſtigabat per navim, R. Iohanan perveſtigabat per puerum. Senſus eſt, quod puero dixerit: dic mihi verſum tuum* (ſcripturam tuam) *in quo legis; quando volebat aliquod opus incipere aut viam. Sed dictum hoc, quod dicebat Rab, hunc ſenſum habet:* Omne omen & ſignum, quod non facit ipſum ſignum à ſe principio, ſicut, quod fecit Eliezer & Jonathan, non eſt omen aut ſignum, nec eſt confidendum ei aut curandum de eo, ſi veniat à ſeipſo (מאליו) *Ideò oppoſitum eſt ei, cur non ederet ex iſto convivio, propterea quod reliquiſſent omnes carnem & egreſſi fuiſſent ei obviam. Reputabat hoc in ſignum quod id convivium non foret ad benedictionem, propterea quod id reliquiſſent. Quod ſignum aut omen fuit illi, quoniam à principio non poſuerat cor ſuum ad hoc, & ecce dicebat Rab: Omne omen, quod non eſt ut omen Eliezer & Ionathan, non eſt omen, & non eſt confidendum ei nec curandum de eo. Si ſic, Rab cur curavit de hac re? Ideo dicunt magiſtri b. m.* Domus, puer & mulier, quamvis nullum omen ſit aut ſignum. *q d. Quamvis non ſit omen ſecundum omen cui confidant, eſt aliquo modo ſignum* (קצת סימן) *in re ad lætificandum cor ſuum & ad corroborandum ſi ſit in bonum; & ſi ſit in malum, curandum* (ſolicitudo habenda) *de eo & petenda pax ab eo* (ולבקש רחמים ממנו) *à coram Domino. Senſus eſt:* Domus, *Si ædificavit domum novam & accidat ipſi, caſus bonus aut malus juxta dedicationem:-Et ſic, ſi filius natus ſit, aut duxerit uxorem, hoc modo. Et dicunt illud, quod confirmatum eſt tribus vicibus, nunc conveniens eſt, ad confidendum in eo, quamvis venerit à ſeipſo & non poſitum ſit ſignum à principio. At omen, quod poſitum eſt ſignum à principio, non quærunt ab eo à tribus vicibus ſed prima vice ſola eſt ſignum & confidunt tribus vicibus, propter illud, quod dicit Iacob, pater noſter:* Joſeph non eſt, Simeon non eſt & Benjamin accipietis. *Et hæc ſigna evenerunt ei poſt natum Benjamin, ideò in re ſolicitus fuit. Et ſic dicebat Ioſeph juſtus ille:* Nonne vos noviſtis; quod omen ominabitur vir ſicut ego; *q. d. Homo ſicut ego, reputabit ſignum malum, ſi pereat ab eo calix, è quo bibit. Ideò dicitur:* Nonne eſt id, è quo bibit dominus meus & ipſe omen ominatur. *Et ſic* (Gen. 30. 27.) Ominatus ſum & benedixit mihi Dominus tui cauſa *Et ſic* (1. Reg. 20. 33.) Et viri ominabantur. * *Omne hoc eſt ſignificatione ſigni & indicii, ſuper rem, non omen aut divinatio. Et dicunt magiſtri b. m. Quoniam filiæ vocis beneficium ipſis obtigerat.* Q. D. (Eſ. 30. 21.) Et auris tua audient verbum poſt te dicendo: Hæc via eſt, ite ea, quum declinaretis ad dexteram & quum declinaretis ad ſiniſtram. *Et dicunt:* קל גברא במתא וקל אתתא ברברא Vox viri in urbe, vox mulieris in agro. *At quare revolvemus* (נהוור אחרי) *prædicationes Thalmud & baſes ſcripturarum? Ecce ſcriptura eſt explicata; faciamus ſecundum opus Ionathan. Dictum eſt Gedeoni per prophetiam* (Judic. 7. 11.) Audies, quid loquentur & ſic firmabuntur manus tuæ. Putant igitur Jonathanem ex ſe poſuiſſe ſibi ſignum: & hinc licere, ut conſtituat aliquis ſibi omen, ut ſe confirmet excitetque ad opus, non licere arripere aliquem caſum, ac ſi per ſe ſit ſignificativus boni aut mali. Etiam caſum à ſe evenientem notare ad fiduciam aut ſolicitudinem. Vide quam parum abſint à ſuperſtitione gentili ominum? Jonathan non ſumpſit ſibi hoc ſuo motu, ſed divina inſpiratione & impulſu: ut

nec Eliezer Gen. 24. Gedeoni venit diserta jussio, in duobus aliis fuit instinctus.

Josephus putat Jonathanem signo isto accepto ad adversam partem circumiisse, ut aversus ab illis ascenderet. Illam partem incustoditam occupasse & sopitos stravisse. Non dicit id scriptura: & potius illuc ascendit, quo videbatur, quasi ipsius Dei voce advocari. Rectius Kimchi de rupe Boses intelligit. Manibus pedibusque nixos adscendisse Scriptura dicit, id est totis viribus, familiari loquendi forma, aut, quod reapse, nitendum erat & manuum apprehensione & pedum vestigiis. Sequebatur eodem nisu armiger. Enixi cum essent in cacumen (post jactum jaculi & lapidum secundum Theodoretum) irruens Jonathan pavidos prosternebat, ut in pecudum grege: premensque vestigia armiger, quos prætererat ille, mactabat. Quærunt unde armigero ensis, cum scriptura testata sit soli Jonathani & Saul enses fuisse? Aut Jonathanis & Saul nominibus comprehenduntur armigeri ipsorum: aut è cæso corpore armiger arma detraxit, ut volunt interpretes. Cum viginti fermè trucidassent, universum exercitum terrore & consternatione repleverunt. Scriptura exprimit (v. 14.) prima illa invasione (jactu jaculi & lapidum inchoata juxta Theodor.) à Jonathane & armigero ejus cæsos esse illos viginti intra dimidium jugeri. Est autem jugetum tantum agri, quantum jugum boum uno arat die. Hinc jam trepidatio & panicus terror omnibus incessit: non tantum in castris sed & populantibus. מצב / qui in castris erant, Lxx. reddiderunt μεσσάβ, quasi nomen loci esset. Josephus faciem pereuntium ita describit: Abjectis armis se in præcipitem effudisse fugam: plerosque vero non noscitantes inter se, quod ex multis gentibus conflati essent, pro hostibus se invicem invasisse & cum non putarent duos tantum Hebræos in castra penetrasse, mutua morte cecidisse. Quosdam præcipites è præruptis provolutos esse. Scriptura habet (v. 15.) *Conturbata est terra.* Unde quidam putant miraculum terræ-motus fuisse à Deo ut trepidationem majorem faceret. Hanc sententiam firmat vulgata versio. Josephus scribit hunc tumultum per exploratores Saulo esse annuntiatum, Scriptura excubitores vidisse, Palæstinos turbatos, cædi, diffugere, minui. Saul igitur recensitis copiis deprehendit filium cum armigero desiderari. Dubius animi jubet Pontificem adducere arcam, ut Deum consuleret. Hic Josephus ostendit, ut passim, se ignorasse, quid essent Urim & Thummim. Κελεύει inquit, τὸν ἀρχιερέα λαβόντα τὴν ἀρχιερατικὴν στολὴν προφητεύειν αὐτῷ περὶ τῶν μελλόντων. Voluit consulere Deum quid allet quidque faciendum esset. At cum interim observaretur, dum loquitur cum Pontifice rex, tumultum trepidationemque hostium supra modum augeri: & maturato opus esse, ut occasione uterentur, jubet rex Pontificem retrahere manum, ab opere, aut oratione, qua se parabat oraculo consulendo. Annotat scriptura ea tempestate arcam Dei fuisse apud Israëlitas, quasi diceret, non adeò longo tempore divisum fuisse hoc bellum à captivitate arcæ apud Palæstinos. Ralbag putat Galgalis in congregatione fuisse, cum Saulo regnum renovaretur, & hac occasione Samuele & Saul ob mota arma euntibus Gabaam, eo simul comitante Pontifice translatam. Errat iterum Josephus, cum scribit Pontificem prophetasse victoriam. τὴν δὲ νίκην ἔσεσθαι καὶ κράτος κατὰ τῶν πολεμίων φράζοντος. Atqui Deus consultus non est ob festinationem. Non tamen errat errorem, quem ipsi objicit & refutat Lyranus: quasi putarit obortam nebulam causam fuisse conturbationis & trepidationis Palæstinorum. Nihil de nebula apud Josephum. Ἀχλυσία quam affert Lyranus, nimis leve vocabulum est, ut exprimat illam conturbationem. Saul igitur conclamat copias ducitque in hostem,

hostem, quem in magna conturbatione reperiunt mutuo sese conficientem. Armare se potuit Israel hostium exuviis. Hebræi, qui erant in castris Palæstinorum, coacti adversus populares militare, ut jam longo tempore consueverant, cum viderent cladem invisæ gentis, suis se conjunxerunt. Qui latebant in montanis Ephraim, intellecto fugere Palæstinos & ipsi advolant ad hostem persequendum. Mirum vero eos, qui inter Palæstinos erant & sub eorum ditione habitabant, non cogitasse de familiis & rebus domesticis, quibus malè consulebant. Fieri potest, quod speraverint belli successu eximendos se ditione hostium, aut Zelus pro gente hanc curam rejecit. Sic Deus salutem dabat à Palæstinis. Exercitus tarde Bethaven persequendo hostem pervenerat, ad numerum decem millium, (si Josepho & Græcæ editioni quibusdamque vulgatæ codicibus fides) adauctus. Nam rex gaudio exultans nimiaque ulciscendi cupidine abreptus (*Συμβαίνει γὰρ μὴ κρατεῖν τοῦ λογισμοῦ τοὺς οὕτω εὐτυχήσαντας*, ut inquit Josephus) adjuraverat populum siquis ante noctem cibum caperet intermissa hostium cæde. Evenit sæpe prædando bonam occasionem negligi, inconsultæ tamen diræ incommodum dederunt. Lassus enim solutusque populus ægrè progrediebatur. Non ausus est populus ullum cibum gustare.

v. 25. Tota terra veniebat in sylvam: & erat mel in agro.

Tota terra id est populus totius terræ: quia ex omnibus partibus confluxerat.

LXX: *Καὶ Ἰάαλ δρυμὸς ἦν μελισσῶνος κατὰ πρόσωπον τοῦ ἀγροῦ.* *Ἰάαρ* legendum יער. Omnia turbata.

v. 26. Cum populus veniret in sylvam: ecce erat fluxio mellis (הלך דבש) sed nemo attingebat manu sua ad os suum. Nam populus timebat adjurationem.

LXX: *Καὶ εἰσῆλθεν ὁ λαὸς εἰς τὸν μελισσῶνα, καὶ ἰδοὺ ἐπορεύετο λαλῶν· καὶ ἰδοὺ οὐκ ἦν ἐπιστρέφων τὴν χεῖρα αὐτοῦ εἰς τὸ στόμα αὐτοῦ, ὅτι ἐφοβήθη ὁ λαὸς τὸν ὅρκον κυρίου.* *Μελισσῶνα* locum apum vocant sylvam: sed misere הלך דבש vertunt *ἐπορεύετο λαλῶν*, quasi esset הלך דובר. Mel apum in Judææ sylvis copiosum est, quod stillabat ex arboribus, in quibus frequentia erant apum examina. Hinc terram Scriptura vocat manantem melle & lacte. Audiamus Rasi ille, ubi infra habetur ביערת הדבש, sic commentatur. *In canna mellis, sicut* (Exod. 2. 3.) Et posuit in alga; *quod reddunt*, סוף: ושויתיה ביערא *sunt canna stagni. Et sic* (Cantic. 5. 2.) comedi (יערי) cum melle meo. *Et in lingua Ismael vocant id mel sucra, barbarè, ex ore R. Nathan Ismaelitæ.* Hanc sententiam reprehendit David Kimchi: *In via persecutionis post Palæstinos venerunt in sylvam: eratque in lignis sylvæ examen apum; & mel stillabat ex illis super faciem terræ. Rabbi Salomo b. m. scribit quod* יער *canna saccari fuerit: & hoc mel, quod destillabat ex illis. At nescio unde id habeat, cum Ionathan verterit* בחורשא (in Sylva) Sane argumenta Salomonis levia sunt. יערת notat favum, *κηρίον* ut vulgatus & septuaginta habent & omnes communi consensu docent. Ralbag putat in illa sylva disposita fuisse ordinibus suis vasa, in quibus apes nidificauerint. Ob dispositionem illam dici הלך; aut ob multitudinem examinum mel defluxisse in terram, ut majores exposuerunt. Josephus *δρυμὸν βαθὺν καὶ μελισσῶν γέμοντα τὸ ἐφεξῆς κληρουχίας.* הלך illud Jonathan vertit כרין דובשא. Id significat secundum Kimchi arcam & ordinem: עריתה ושורא. Et in Bresith Rabba בין שורתים יצהירו שתן עושן גרירות קטנות: *inter duos ordines splendere facient* (oleum exprimen,) *quia faciebant macerias parvas.* Puto enim legendum esse גדירות Vellem locum notasset ut inspecto judicaremus. יערת דבש à Jonathane redditum est קניא / דדובשא canna mellis. Non quod arundinem sacchari notaverit, ut putabat

Rasi, sed quia fistularum seu cannarum dispositarum similitudinem favi exhibent, ut exponit Kimchi. ὁρκισμὸν (adjurationem) patris, cum non audivisset Jonathan, extremitatem baculi tinxit in favo: ac melle gustato refectus oculis visum quasi recepit. Id cum viderent adstantium unus monuit patrem adjurasse populum: hinc languere & defetiscere. Cui Jonathan, Inconsultò egisse, qui terram conturbasset. Se enim gustato parum mellis refectum esse. Si licuisset populo edere è præda fortiorem operam potuisse præstare, cum ex eo patris temerario facto, clades usque adeo magna hostibus dari non potuerit. A Machmaso Ajalonem usque hostem persequi potuere, antequam tenebræ ingruerent. Quærit Lyranus an Saul jurejurando peccaverit. Videri quod non, quia motus fuerit bono zelo: scilicet ut infideles & nominis Divini hostes occiderentur. Deinde, Si Saul jurando peccasset, Jonathanem comedendo contra præceptum patris peccaturum non fuisse. Cum deprehensus fuerit ut peccator judicio Divino. In oppositum esse sententiam doctorum hunc locum exponentium. Dicit ipse, Saul dupliciter peccasse in isto juramento. Primò, quod malè juraverit: Secundo, quod id pejus implere voluerit. Primum sic declarari: Juramentum bonum quidem esse in necessitate & debitis circumstantiis, at his deficientibus malum. Malum fuisse in proposito, quia Deus sufficientem victoriam dederat & miraculose. Ideo necessitatem non fuisse persequendi hostis ulterius absque Divino consilio, quod Saul non exspectaverat. Deinde nec verbo nec intellectu excepisse casum necessitatis: quia filium, qui in necessitate positus comederat, omninò voluit occidere. Casum autem necessitatis ab omni præcepto & lege exceptum esse. Peccasse igitur non excipiendo, quod excipere debuit. Deinde juramentum etiam ejus in pejorem exitum exiisse. Si enim populo gustare licuisset, majorem hosti cladem potuisse infligere. Fuisse etiam populo in occasionem peccandi; quia ad vesperam lassus & famelicus ex festinatione comedit cum sanguine. Etiam peccasse implendo juramentum quantum in se fuit. Jonathanem innocentem voluisse occidere: quem animum & juramento alio asseruit. Respondendum esse ad argumenta adversæ sententiæ. Ad primum: Bonitatem motivi non justificare factum malum sequens. Si enim aliquis motus pietate furetur, ut det eleemosynam pauperi, non excusari. Ad secundum: Jonathanem non peccasse gustando: tum quia præceptum patris non audiverat, tum quia necessitate coactus comederat. Nam labore prælii, jejunio & calore solis ita fatigatum fuisse, ut oculi ejus aliique sensus nimis fuerint depressi; illuminatos hic oculos dici quia corde confortato & resumptis viribus, facies ejus fuerit exhilarata & vivacitas sensuum redierit. Quod autem inducitur, de responso Dei propter ipsum; & de ejus deprehensione per Dei judicium, dicendum, quod Divina responsa fiant ex ejus mera gratia. Ut possit ea subtrahere pro sua voluntate & sic subtraxisse absque peccato Jonathæ. De ejus deprehensione dicendum, id factum fuisse Divina ordinatione ad declarationem innocentiæ Jonathanis. Multos enim scivisse, quod comedisset, qui tamen ignorabant ejus necessitatem & juramenti patris sui ignorantiam. Eos potuisse contra ejus innocentiam scandalizari, reputando ipsum transgressorem. Ideo publicè deprehensum, ut coram omnibus se excusando suam patefaceret innocentiam: eoque modo per populi intercessionem liberaretur. Cum populus ejus mortem putaret esse nefariam. Cum advenisset vespera, qua edere licuit, populus è præda festinanter, pecora boum, ovium, vitulorum rapit: quæ humi mactat, voratque cum sanguine, adversus legem. Id cum regi innotuisset increpat populum. Tum jusso ad se ingens saxum advolvi,
præ-

præcones totis castris proclamavêre: ut quilibet ad regem pecus suum adduceret ipsoque præsente mactaret in saxo: purumque à sanguine comederet. Lyranus hanc contaminationem variis modis exponi docet: Primo Comedit *populus cum sanguine*; id est, Antequam sanguis adspergeretur ad honorem Divinum. Alio: *Mactaverunt in terra*, Non super lapidem vel locum taliter elevatum, quod posset bene sanguis exprimi de carnibus & effluere. Et sic comederunt cum sanguine: id est carnes non sufficienter depuratas à sanguine. Tertio modo exponitur: *Quia antequam* comederent de præda hostium debebant Deo prius facere sacrificium; quod tunc non fuit factum. Secunda expositio videtur vera esse. Hæc etiam sententia est Josephi: *κατασφάζοντες καὶ σὺν αἵματι κατήσθιον. Ἀπαγγέλλεται δὲ τῷ βασιλεῖ ὑπὸ τῶν γραμματέων, ὅτι τὸ πλῆθος εἰς τὸν θεὸν ἐξαμαρτάνει θῦον καὶ πρὶν ἢ τὸ αἷμα καλῶς ἀποπλῦναι καὶ τὰς σάρκας ποιῆσαι καθαρὰς, κατεσθίον.* Existimat victimas esse oblatas, quarum carnes epulati sint. *θύειν ἐπ' αὐτὸν τὸν ὄχλον τὰ ἱερεῖα, καὶ τὰ κρέα μὴ σὺν αἵματι δαίνυσθαι. Τοῦτο γὰρ οὐκ εἶναι τῷ θεῷ κεχαρισμένον.* Si ita: antequam Saul aram statuisset, immolatum fuit à populo. Existimant quidam aram quam Saul excitavit, è lapide illo fuisse: quod non puto. Nam Saul ædificavit aram, non statuit lapidem in aram. Hieronymus in traditionibus Hebraicis: *Peccasse Domino & cum sanguine comedisse dicuntur: quia contra legis præceptum antequam sacrificium vespertinum perageretur, comederunt. Sic itaque usus erat, ut quando homicidium ab eis, aut in suis aut in exteris fiebat, ut non comederent antequam sacrificium vespertinum pro eis fieret. Aliter peccasse Domino & comedisse cum sanguine dicuntur: quia mactatis victimis non obtulerunt, ad sanctuarium sacerdotibus, juxta legis præceptum, adipem & sanguinem, cum videlicet sanctuarium secum haberent. Quando sanctuarium procul erat, jubetur sanguis victimarum in terram fundi. de his, videlicet, victimis, quas ad suos usus præparabant. Quando autem sanctuarium præsens erat, sanguis hostiarum super altare Domini jubetur fundi, sicut est in libro Deuteronomii:* Sanguinem hostiarum tuarum fundes in altari, carnibus autem ipse vesceris: *Quod præfatus tamen non fecit populus, Peccasse idcirco dicitur Domino & cum sanguine comedisse.* Has expositiones duas posuit, veram omisit. Et edit populus על הדם. Rasi testatur magistros dicere, quod fuerit mactatio sacrorum שחיטת קדשים; cum ea animalia Deo sacrassent in pacifica, edebant ante aspersionem sanguinis. In fine Massecheth Zebachim dissentiunt magistri: Quidam dicunt nocturnam illam mactationem fuisse בחולין in profanis, alii in sacris. Rursus, qui sacra fuisse putant, arbitrantur sacrata fuisse ad magnum excelsum Nob, sive ad parvum excelsum. Nempe holocaustum יחיד (unici) licitum fuisse in nocte. Kimchi audiamus: *Sensus: In vespera ederunt. Expositio* על הדם: *Propterea quod præparabant* carnem (בחפזון) præcipitanter; quia erant famelici, mactabant in terra nec potuit effluere & exprimi pulchre, ideò absorbebatur in carne. Ideò præcepit Saul advolvi lapidem magnum & super eo mactari ut sanguis bene effueret & exprimeretur. At non est hæc expositio *Non ederunt* על הדם / nempe expositio ejus secundum quod mos fuit mactantium dæmonibus quod ederent circum sanguinem postquam sacrificassent ipsis. Et hæc res, è scripturæ dicto: לא תנחשו לא תעוננו. ut hanc expositionem rejicit meritò ita & illam de aspersione sanguinis ad aram.

Aram hic ædificavit Saul: cœpit ædificare ut Scriptura loquitur nempe prius structam. Id sic exponunt struxisse quidem Galgalis sed malè sacrificasse. Hanc igitur primam dici. Potuit fieri, quod Galgalis invenerit altare exstructum. Ex voce אתו elicit Ralbag quod ille lapis fuerit primum fundamentum aræ, quam ita inchoatam relictamq; ob festinationem persequendi, postea perfecerit. Dras est

est quod primus regum aram struxerit item quod primum lapidem posuerit, ita facto struendi initio.

Cæterum Saul ut vindictæ ardori insisteret, proponit populo, jam refecto curatoque, Animum sibi esse hac eadem nocte, usque ad lucem hostem persequi, spoliare & delere reliquias. Cum id populus magna alacritate reciperet, monuit Pontifex consulendum esse Dominum. Jussu igitur regio induit Ephod; consulit rex Dominum: Persequarne Palæstinos? Dabisne eos in manum Israel? At oraculum nullum datum est. Id obstupescens rex, peccatum impedire, quod expiandum esset, agnovit (revocata in memoriam cherem) Evocat igitur populum ex omnibus angulis: ut cognosceret in quo esset commissum. Jurat per Deum liberatorem, luiturum morte esse, quicunque patrasset, si etiam filius Jonathan esset, per quem Deus tantum bonum modo effecerat. Consistunt separatim populus hic, at illic rex cum filio Jonathane. (Non videntur alii filii fuisse in castris) Precibus factis à rege, ut insontem Deus ostenderet, jacta est sors, quæ regem cum filio tangit, dimisso populo. Iterata sorte Jonathan tangitur, rege dimisso. Salianus: *Sors, quæ dicitur consultoria, tum demum licita est, cum neutram in partem sors male cadere potest: ut cum jacta est super Barsabam & Matthiam. Putat Abulensis Saulem à Deo motum fuisse nec se in re tanta sortium errori ultrò exposuisse: quod ego facile crediderim, cum nusquam hoc nomine reprehensus fuerit, quod alioquin grave crimen futurum erat.* Ego existimo ob gravitatem criminis חרם, quo populum expiari oportuit licitam fuisse in hoc casu sortem consultoriam: quæ de periculo & capite judicatura erat. Errare autem Salianum, existimantem id factum: *ut populus intelligeret, quanti facienda sint jussa principum tanta præsertim animadversione sancta.* Non valent tantum jussa principum, cum in ignotum crimen adversus ullum Dei præceptum ita unquam inquisitum fuerit; aut inquiri licuerit. Deut. 21. 1--9. ignotum homicidium protestationis cerimonia expiabatur, sorte detegendum non erat. Salianus: *Dispositæ sunt sortes in hunc modum, ut tabellæ duæ vel chartulæ inscriberentur: in priore rex cum filio suo, in posteriore populus. Quod factum videtur in regis honorem, ut seorsim à populo poneretur* &c. Aut rei exierunt aut manserunt in urna. Dicitur populus exiisse: quod significare potest tabellam populi nomine inscriptam eductam esse.

v. 41. *Et dicebat Saül ad Dominum Deum Israël* (הבה תמים) *da integrum* (seu integritatem) Et tactus est Ionathan & Saul, at populus egressus est.

Lxx: Καὶ εἶπε Σαὺλ, κύριε ὁ θεὸς Ἰσραὴλ, τί ὅτι οὐκ ἀπεκρίθης τῷ δούλῳ σου σήμερον, εἰ ἐν ἐμοὶ ἢ ἐν Ἰωνάθαν τῷ υἱῷ μου ἡ ἀδικία; κύριε, ὁ θεὸς Ἰσραὴλ δὸς δήλους· καὶ ἐὰν τάδε εἴπῃ, δὸς δὴ τῷ λαῷ σου Ἰσραὴλ, δὸς δὴ ὁσιότητα, καὶ κληροῦται Ἰωνάθαν καὶ Σαὺλ, καὶ ὁ λαὸς ἐξῆλθε.

v. 42. *Tum dicebat Saul: Mittite inter me & inter filium meum Ionathan: & tactus est Ionathan.*

Lxx: Καὶ εἶπε Σαὺλ, Βάλλετε ἀναμέσον ἐμοῦ, καὶ ἀναμέσον Ἰωνάθαν τοῦ υἱοῦ μου. ὃν ἂν κατακληρώσηται κύριος ἀποθανέτω. Καὶ εἶπεν ὁ λαὸς πρὸς Σαὺλ, Οὐκ ἔστι (ἔσται) τὸ ῥῆμα τοῦτο. Καὶ κατεκράτησε Σαὺλ τοῦ λαοῦ, καὶ βάλλουσιν ἀναμέσον αὐτοῦ καὶ ἀναμέσον Ἰωνάθαν τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, καὶ κατακληροῦται Ἰωνάθαν. Vulgata versio in v.41. Græcos sequitur: *Et dixit Saul ad Dominum Deum Israel: Domine Deus Israel da judicium, Quid est, quod non responderis servo tuo hodie. Si in me aut Ionatha filio meo est iniquitas hæc, da ostensionem: aut si hæc iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem* &c. Lyranus agnoscit in suo codice, sed addit: *Non est in Hebræo nec de textu.* Salianus: *Arias Montanus omnia illa verba, quæ in Hebræo non leguntur, in editione vulgata, in Bibliis regiis non posuit, nec in septuaginta ejusdem operis, imitatus* com-

complutensem editionem; quæ nec à Iosepho indicantur. Leguntur tamen in Romana, Aldina & Basiliensi. Vnde videtur S. Hieronymus in editionem vulgatam ad integritatem sententiæ transtulisse; quod fatetur Abulensis. Lyranus autem non malè negat ea in Hebræo non haberi, non benè autem negat esse de textu. Sacer enim textus Scripturæ divinæ ex vulgata editione Latina æstimandus est non ex Hebræo Græcove contextu, qualem nunc habemus in manibus. Idem ad v. 42. *Significant septuaginta quandam intervenisse contentionem inter regem & populum, nolentem mitti sortem inter regem & filium ejus, quæ alterutrum morti cum gravissimo reip. damno addiceret* &c. Notat Scholiastes Græcus ista in sola Theodotionis editione reperiri: repræsentantur autem in Romana, Aldina & Basiliensi. Scilicet è Theodotione interpolata.

Quærit accipitque Saul à Jonathane factum ignorantiæ: qui subjecit expositioni: Gustans gustavi summitate virgæ, paululum mellis, *Ecce adsum, an moriar?* Vulgata & LXX, *Ecce ego morior*; ἰδοὺ ἐγὼ ἀποθνήσκω. Unde interpretes accipiunt, quasi sortem suam lamentantis, qui ob rem tantillam, quam per ignorantiam commisisset, mori deberet. Sumi potest ita ut quærat, Anne ideò moriendum esset? Vel quod se offerat (quod malim) ut patris diræ implerentur & in se averterentur à populo. Saul juramento affirmat esse moriturum. Intercedit autem populus: Anne moriturus esset Jonathan qui hanc magnam in Israel salutem fecit? Absit: Vivit Dominus, si è pilis capitis ejus in terram cadat. Nam hoc fecit cum Deo. Ita populus liberavit Jonathanem à morte.

Ita Jonathan propter factum ignoranter commissum, in proximo lethi fuit. Saul factum accusant plerique: quod exsecratione temeraria obstrictum populum affecerit molestia & hostibus elabendi occasionem acquisiverit. Ita Josephus, Chrysostomus, Theodoretus, Procopius & Lyranus: Abulensis, Cajetanus, Serarius excusant, voluntque non jusjurandum sed præceptum fuisse & quidem justum ac legitimum, & ab authore & à materia. *Rectique ordinis* (inquit Cajetanus) *ratio exigit ut præsentanea hostium persecutio tam necessaria cibo illius diei præponeretur: cum pro minoribus causis quandoque jejunium usque ad vesperam indicetur.* Addit Salianus: *Ac ne pœna* quidem exsecrationis aut mortis injusta est in eum, cujus culpa de tot nocentibus supplicium non sumatur. Ἀναθεματισμὸν fuisse plerique consentiunt. Theodoretus & ex eo Procopius: Πρῶτον διελέγχει τὸν ἀλόγως ἰσχυρισάμενον. Fatentur pium habuisse scopum (ὁ μὲν σκοπὸς εὐσεβὴς ἦν) sed considerandum fuisse laborem militantium. Etiam accusatur Saul, quod Jonathanem, qui ignoranter fecerat, morti, etiam jurejurando, addixerit. Abulensis laudi tribuendum putat, quamvis (ipsius sententia) fuerit innocens per omnia. Jusjurandum ita excusat Salianus: Jonathanem non fuisse illibatæ innocentiæ. 1. Divina sors eum culpabilem ostendit. 2. Dei non respondentis silentium. 3. totius populi abstinentis exemplum. 4. publica filii de patris lege obmurmuratio: cum debuisset potiùs patris mandatum observare & commendare. Addit: Quodsi & Jonathan fuisset sine culpa, posito tamen eum non temerè à parente culpabilem judicatum, nullum peccatum fuisse, jusjurandum de eo puniendo edere. Accusant Jonathanem, Tertullianus, Gregorius. Ambrosius extollit Saul: *Videte, quanta apud Saulem regem fuerit religionis observantia, qui offensum Deum optavit etiam parricidio mitigare.* Gregorius Jonathanem dicit confitendo & pœnitendo peccatum expellere. Tertullianus, Ambrosius, Hieronymus jejunii æstimatores nimii gulæ reum faciunt. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum: *Tantique fuit authoritas stationis semel Domino destinata, ut Ionathas, qui causa victoriæ exstiterat, deprehenderetur sorte & ignorantiæ crimen declinare non posset, patrisque in se concitaret*

Eeee ma-

manum & vix populi precibus ſalvaretur. Tertullianus adv. Pſychicos: *Certe & Saul ipſe in prælio conſtitutus munus iſtud indixit. Maledictus homo, qui ederit panem ad veſperam uſque dum ulciſcar de inimico meo. Et non guſtavit totus populus ejus & tota terra prandebat* (videantur Lxx. v. 24.) *Tantam autem Deus præſtitit authoritatem edicto ſtationis illius, ut Ionathan filius Saulis, qui ignarus jejunationis in ſerum definitæ, guſtum mellis admiſerat & ſorte mox de delicto ſit traductus & vix per precem populi periculo exemptus. gulæ enim licet ſimplicis reus erat.* Prudentus:

> *Pœnituit Ionathan jejunia ſobria dulci*
> *Conviolaſſe favo ſumpto melliſque ſapore*
> *Heu male guſtato, regni dum blanda voluptas*
> *Oblectat juvenem jurataque ſacra reſolvit.*
> *Sed quia pœnituit nec ſors lachrymabilis illa eſt,*
> *Nec tingit patrias ſententia ſæva ſecureis.*

Theodoretus optimè innocentem conſtituit Jonathanem ſed ἀναθέματος vim eſſe tantam, ut ne quidem temeraria contemnenda ſint: μηδὲ τῶν τοιούτων ἀναθεμάτων καταφρονεῖν. Parentes in liberos vitæ neciſque habebant poteſtatem ſed limitatam. חרם ſi ſtrinxiſſent ſcopo bono, non ex ira, tenebantur. Fame impellente, inſcius transgreditur legem anathematis Jonathan. Μετὰ γὰρ δὴ τὴν τοῦ μέλιτος γεῦσιν ἤκουσε τοῦ πατρὸς τὴν ἀρὰν, ἑτέρων ἀπαγγειλάντων. ἀλλ᾽ ὅμως καὶ τὴν ἐξ ἀγνοίας ἔχων ἀπολογίαν ἄχρις αὐτῆς ἐκινδύνευσε τῆς ζωῆς· ἀπηλλάγη δὲ τῆς σφαγῆς διὰ τὴν τοῦ λαοῦ δικαίαν συνηγορίαν καὶ ἱκετείαν σπουδαίαν. Si innocens Ionathan, quem caſus egit in hanc prævaricationem ex ignorantia, quomodo non nocens Saul, qui intellecta innocentia morti addicit? Deus temerarium חרם ἀνάθεμα, voluit punire averſione in devoventis filium: deinde filium innocentem eximit precibus & voto populi. Ioſephus igitur in verbis Ionathanis bene agnoſcit fortem ac generoſum ſe præbentis animum: cujus ſermonem ſuo more fingit. Mortem hanc ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας ſe ſubiturum. Videtur autem, quod Saul non debuerit ſe adſtringere novo juramento in mortem filii innocentis. Niſi dixeris, quod elocutus erat, debuiſſe impleri nec potuiſſe ſolvi aliter, quam interventu precum populi. Atque eo modo ſolvi potuiſſe anathema per ignorantiam commiſſum. Laudat Ioſephus regem, quod pluris jusjurandum fecerit quam naturam, genus aut affectus. Salianus ejus animum comparat cum animo Abrahami parantis immolare filium: in quo magna diſparitas. De populo: Αὐτοὶ δὲ εὐχὰς ὑπὲρ τοῦ νεανίου ποιοῦνται τῷ Θεῷ εἰς τ᾽ αὐτὸν ἀπολῦσαι τοῦ ἁμαρτήματος. *Vota Deo faciunt pro juvene ut ipſum ſolvat crimine.* Si precibus votiſque ſolvatur imprudenter peccavit in anathema, quid opus erat juramento? Hoc ſe populus obſtringit ad interceſſionem, apud Deum, ut pater ſolveretur voto. Non enim per contumaciam adſtringit ſe juramento, ut regi adverſetur. Proinde rex non concupiuit filii, quem magnopere adamabat, interitum, ſed implementum voti. Ita rex perſequendi hoſtes occaſionem amiſerat. Ioſephus ſcribit ſexaginta millia occidiſſe: ſcriptura non definit numerum.

Hoc initio felicitatis comparata ſubjectione & exiſtimatione in animis civium, res regni compoſuit. In continuis bellis ætatem egit ſatisque feliciter hoſtes compeſcuit. Ioſephus: Οἷς δ᾽ ἂν πολεμήσειε νικήσας ἀπηλλάσσετο, καὶ τοὺς Ἑβραίους εἰς ὑπεροχὴν καὶ μέγεθος εὐδαιμονίας προήγαγε, καὶ τῶν ἄλλων ἀπέδειξεν δυνατωτέρους. Habuit liberos mares Ionathanem, Iſui & Melchiſue. 1. Chronic. 8. 33.

8. 33. filii illius vocantur Jonathan, Melchiſue, Abinadab & Esbaal. Esbaal & Esboſeth idem nomen eſt, ut Jerubbaal & Jerubboſeth. Joſephus Iſvi appellat ἰησοῦν; Melchiſuę, μέλχισον. Filias duas: Merob & Michal. Militiæ ducem ſupremum habuit Abner, patruelem ſuum. Certamen ipſi perpetuum fuit cum Palæſtinis, potentiſſima & ferociſſima gente. Ideo quicquid virorum fortium in Iſrael inveniri poterat, ſibi aggregabat. Joſephus Τῶν δὴ νέων τοὺς δὲ μεγέθει καὶ κάλλει διαφέροντας φύλακας τοῦ σώματος ἐποιεῖτο. Præter hoc bellum, geſſit bella cum vicinis gentibus, Moabitis, Ammonitis, Idumæis & regibus Syriæ in Soba. Nulla mentio in ejus rerum geſtarum catalogo regis Aſſyriæ. Ninus enim & Semiramis ſuperiora Aſiæ ſubegerant, ultra Tigrim & Taurum: regnum illud in Meſopotamia infra Taurum nullum fuit, aut perexiguum uſque ad tempora Achaz regis Judææ aut paulo retriora. Ultimos omnium magna clade penè delevit Amalecitas: quod bellum ſequenti capite narrabitur; Ammoniticum bellum inchoatum ante Saulis inunctionem, metu magis ſiluiſſe videtur deinceps, quam pace compoſitum eſſe. Idem dixerim de aliis bellis, quæ prælio felici hoſtium Iſraëlitas vexantium audaciam, contuderunt. Hinc David non tantum apud Palæſtinos ſed & in Moab atque Ammon invenit refugium adverſus Saul. Continuit igitur armorum unius prælii felicium terrore vicinas gentes, præter Palæſtinos. At dicitur adverſus reges Sobæ in numero multitudinis. Id alii intelligunt, de regibus per ſucceſſionem temporis in uno ſolio, alii de diverſis principatibus. Poſterius magis placet, primò quia ſcripturæ ſcopus non eſt reges enumerare ſed populos, cum quibus bellum habuit Saul: deinde, quia Saul paucis annis imperavit. Rerum geſtarum ſummam hoc loco Spiritus S. comprehendit. Inter armorum ſtrepitus & bellicas turbas inquies toto vitæ tempore Saul arcæ Domini ſtabilem locum conſtituere non potuit: quod ſervatum eſt regi meliori. Ad ejus tempora pertinet bellum, memoratum lib. 1. Chronicorum cap. quinto: quod Rubenitæ cum Gaditis & dimidia tribu Manaſſis, geſſerunt adverſus Hagarenos. Rubenitarum videtur id bellum proprie fuiſſe, ſed auxilium tuliſſe Gaditas & Manaſſæos. Ejus belli hanc originem fuiſſe conjicio. Paſcendis pecoribus iſtæ gentes vitam tolerabant. Cum igitur Hagareni, qui ad ortum montis Galaad incolebant, de limitibus agrorum controverſiam facerent Rubenitis, quorum pecus exundabat cumque mutuis egreſſionibus vicina depaſcerent, tandem ad arma deventum eſt. Tribus illæ Iſraël quadraginta quatuor millia armatorum, egregie exercitatorum cum 760. eduxerunt in aciem. Hagareni ab adverſa parte ſtabant cum Jethur, Maphis & Nodab, ſociis gentibus ortis ex Eſau. Utrinque acriter pugnatum eſt & dubio marte, donec Rubenitæ cum clamore Deo vota facerent. Hinc inclinante hoſtium acie ſuperiores nobiliſſimam victoriam cum ingenti ſtrage hoſtium obtinuerunt. Ceperunt omnia, quæ poſſederant, Camelorum quinquaginta millia, ovium ducenta & quinquaginta millia,, aſinos duo millia, animas hominum centum milia. Deletis igitur pulſiſque antiquis dominis, uſque ad Eufratem, coluerunt, donec ab Aſſyriorum rege victi in alienas terras aveherentur.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

Cap. LIII.

EA tempestate Samuel à Domino monitus, regem adiit verbis Domini nuncians, uti genti Amalech, quæ olim Hebræos ex Ægypto venientes transitu prohibuerat, bellum inferret: addito interdicto, ne quid ex spoliis devictorum concupisceret. Ita in fines hostium ductus exercitus, rex captus, gens subacta. Saul victus prædæ magnitudine, præcepti divini immemor, capta servari & ferri jubet. Quo facto offensus Dominus, Samuelem alloquitur: pœnitere se, quod Saul regem constituerit. Dictum sacerdos regi refert. Mox à Domino monitus, David regali unguento perlinit, parvum etiamnum puerum, sub patre agentem, pastorem ovium, assuetum sæpius cithara canere: ob quod postea à Saule assumtus, inter ministros regios habebatur. Qua tempestate, Allophylis & Hebræis, bello flagrantibus, cum ex adverso acies constitissent, Goliath quidam ex Allophylis, vir miræ magnitudinis & roboris, suorum ordines prætergressus, ferocibus verbis, probra in hostem jaciens, singularem pugnam ciebat. Tum rex magna præmia & filiæ nuptias despondit, si quis provocantis spolia retulisset. Sed nemo ex tanto agmine aggredi audebat. Igitur David, etiamnum puer, pugnæ se obtulit: rejectisque armis, quibus infirma ætas gravabatur, virga tantum & quinque lapidibus sumptis, in prælium processit: primoque ictu, misso fundâ lapide, Allophylum perculit: caput victi & spolia abstulit, gladium postea in templum posuit. Allophyli autem omnes in fugam versi victoriam concessere.

Drusius.

NE QUID EX SPOLIIS DEVICTORUM CONCUPISCEREMT] Nam una cum spoliis etiam memoria gentis remanebat, quam delere penitus decreverat.

CAPTA SERVARI] ipse regem servavit, populus autem jumenta & pecudes.

REGALI UNGUENTO] oleo unctionis. Hæc unctio extendebatur in omnes ejus posteros. Quod autem Salomo unctus fuit, id factum propter Adoniam. Sic & alii quidam uncti fuerunt propter singularem aliquam causam.

Qua

Qua de re videndus liber præceptorum major fol. 191. col. 4. ubi & de ratione ungendi reges 211. 2. Qui ungebat digito suo exprimebat χῖ Græcum, quod vocant כי / vel certe ??? / id est, Chaph Græcanicum. Quæ figura est crucis Andreanæ. Chaph Græcanicum vocatur à Davide Camio ad Psal. 133. ubi de unctione sacerdotis, *Initio induebat eum vestibus sacerdotalibus: postea fundebat oleum super caput ejus, ungebatque eodem oleo cilia oculorum ejus in modum Chaph Græcanici.*

Vir Miræ Magnitudinis] sex cubitos & dodrantem longus.

Virga Tantum] pedum erat: is est baculus pastoralis sive agolum. Ita festo baculus ille dicitur ab agendis pecoribus.

Gladium Postea In Templum Posuit] malim *in templo.* Sic est profecto: in tabernaculo conventus, quod erat Nobe, posuit gladium. Reliqua arma detracta giganti posuit in tabernaculo suo, hoc est in domo sua: caput autem detulit Jerosolymam. Vide sis Davidem Camium 1. Sam. 17. 54. Vide quoque 1. Sam. 21. 9.

SCHOTANUS.

XV. Cap. I. Sam.

Biennium legitimè regnavit Saul, inde rejectus uncto Davide. Causa rejectionis fuit Divini præcepti de Amalec prævaricatio. Nam Deus jussit Samuelem adire regem cum his verbis. Miserat me Dominus ut te in regem inungerem super populum suum Israel: audi igitur vocem verborum Domini. Ita loquitur Dominus exercituum. In memoriam revoco, quod Amalec fecit in Israël: ut se opposuerit, exeunti ex Ægypto. Vade, cæde Amalec, extermina quicquid habet, nulli parce: nulli sexui, ætati: nec bubus ovibusque, nec camelis asinisque. Delectu habito populoque recensito in Talaim (quasi agnos vulgata) (Josephus Galgalis) invenit ducenta millia peditum, præterea decem millia de Juda. Loci nomen LXX. faciunt ἐν *Telaim*. Chaldæus paraphrastes habet in agnis Paschalibus quasi Paschale festum imminuerit. Ita scilicet per sodalitia paschalia numeratio facta fuerit: quæ numeratio laxior. Doctores Hebræorum vertunt, *cum agnis*, quod singuli agnum adducerent, ut ex eorum numero numerus militum nosceretur. Populi enim numerationem fuisse illicitam, ut patet in exemplo Davidis. Id improbant Cajetanus & Abulensis argumentis. 1. Militum convenientium ad bellum numerationem prohibitam nusquam esse. 2. Nec populi census interdictus fuisse. In Davide causam numerationis non numerationem punitam esse dicunt interpretes. 3. Ejusmodi numerationem agnorum reipsa numerationem fuisse. 4. Non videri universam terram Israël ducenta & decem millia agnorum dare potuisse. Multo minus quadringenta & triginta millia ut habent Josephus & septuaginta. Quod non licuerit numerare populum eliciunt ex dicto Dei, *Non mensurabitur neque numerabitur.* Ideò numeratum fuisse populum, ut in hoc loco בטלאים. Dicebat R. Eleazar כל המונה את ישראל עובר לאו *Omnis qui numerat Israël, transgreditur Negativum.* Quando Israel numeratus est לצורך / *exigente necessitate*, non defecerunt: at numeratos esse tempore Davidis absque necessitate, ideo punitos defectu & imminutione. Si enim licuisset numerare בדבר אחר recte *in re alia*; Joab illam postulaturum fuisse à populo. Hæc Kimchi, qui loci nomen esse putat quamvis includatur את demonstrationis. ??? *ἀνάθεμα* hoc pronuntiatum in homines & pecora dicit Rasi, quod

artibus magicis uterentur ſeque præſtigiis aſſimilarent pecoribus. Raſi: שהיו בעלי כשפים ומשנין עצמן ודומן לבהמות. Cum copiis uſque ad urbem Amalec pervenit, & in valle poſuit inſidias. בנחל *in valle* vel *torrente.* Ideò Joſephus cum veniſſet in Amalecitarum, *ἐνέδρας πολλὰς καὶ λόχους ἐπὶ τὸν χειμάρρουν τίθησιν. Vt non ſolum in aperto pugnantes eos læderet ſed & ex improviſo ſecundum viam incurreret, cinctoſque occideret.* Cenæos juſſit exire è regione Amalecitarum ſeque alio recipere: quod proficiſcentibus per ſolitudines majoribus Iſraelitatum benefeciſſent. Victos cecidit ab Havila uſque Sur. Joſephus dicit circumtuliſſe oppidatim bellum: alia machinis, alia cuniculis operibuſque (*ὀρύγμασι ὑπονόμοις καὶ τείχεσιν ἔξωθεν αὐτῶν ᾠκοδομημένοις*) alia fame ac ſiti, alia aliis modis expugnavit. Ita Joſephus ut narrationem expoliret, cum in ſcriptura dicatur oppidum Amalecitarum; ut præter illud vici & loca ſine mœnibus fuiſſe videantur; idque in gente in paſcendis gregibus laborante. Inde cædibus in mulieres puerosque graſſatus: Nihil crudele aut inhumanum ſe facere arbitratus, *Πρῶτον μὲν πολεμίους τοῦτο δρῶν· ἔπειτα προστάγματι θεοῦ, ᾧ τὸ μὴ πείθεσθαι κίνδυνον ἔφερε.* Univerſum populum gladio delevit, pepercit regi, quem Scriptura Agag vocat communi gentis regem appellatione, ut conſentaneum vero eſt. Joſephus magnitudinem ac pulchritudinem miratum proprio affectu ſervare decreviſſe, *οὐκ ἔτι τοῦτο ποιῶν κατὰ βούλησιν τοῦ θεοῦ, πάθει δὲ νικώμενος ἰδίῳ καὶ χαριζόμενος ἀκαίρως, περὶ ὧν οὐκ εἶχεν ἀκίνδυνον ἐξουσίαν, ἐλέῳ.* Deum enim ita odio habuiſſe Amalecitarum gentem, ut juſſerit nec infantibus parci, *πρὸς οὓς μᾶλλον ἔλεος γίνεσθαι πέφυκε.* Saulum ſervare voluiſſe regem & ducem omnium malorum in Hebræos, *τὸν ἡγεμόνα τῶν εἰς Ἑβραίους κακῶν.* At quod malum iſte rex Hebræis fecerat? Cauſam Scriptura facit memoriam veterum malorum in exitu ex Ægypto. Parſum etiam eſt ſpecioſis & bene habitis ovibus, bubus, agnis (jumenta videntur interemiſſe quamvis aliter putet Joſephus) tantum quod vitioſum erat & malè habitum ex præcepto Dei exterminarunt. Parcendi cauſa erga Agag fuit commiſeratio (ut interpretes conſentiunt) ergà pecora avaritia: ita ſacrilegium commiſere, rapientes ſibi quæ Deo erant devota. De rebus inanimis id eſt præda auri, argenti, æris, utenſilium, veſtium non videtur commiſſum eſſe anathema: quia interdicti Divini verba (v. 3.) nihil tale exprimunt nec commiſſi (v. 9.) id ſignificat narratio. Simile igitur Achanis crimini delictum patratum eſt, ſed in alio genere rerum. Ralbag tamen & inanima ſubjecta fuiſſe anathemati exiſtimat: ne quid Iſraelitæ ditarentur שלא יהנו ישראל כלל מנכסיהם. Deus offenſus ad Samuelem locutus eſt: Pœnitet me quod Saul regem fecerim, quia averſus eſt à me nec ſtabilivit verba mea. Quod dictum adeò Samuelis animum penetravit, ut tota nocte ad Deum clamaverit. Quid ſignificat quod dicitur Deum pœnituiſſe? Auguſtinus lib. 2. ad Simplicianum, qu. 2. *Quis eſt enim hominum cui non occurrat in Deo cuncta præſciente, pœnitentiam eſſe non poſſe?* Audiamus eum illam quæſtionem ſolicitè & eruditè evolventem. Nam digreſſione iſta utili ſtudium lectoris adjuvabimus & ſatietatem reficiemus: *Et certe tamen* (inquit) *hæc duo verba ſunt, pœnitentia & præſcientia, quorum quia unum congruè cernimus in Deo, id eſt, præſcientiam, negamus in eo eſſe pœnitentiam. Cum verò alius liquidiore conſideratione iſta pertractans, quæſierit, quemadmodum vel ipſa præſcientia Deo congruat, & invenerit hujus etiam verbi notionem illius ineffabili divinitate longè lateque ſuperari, non miretur utrumque de illo propter homines dici potuiſſe, de quo utrunque propter ipſum incongruè diceretur. Quid eſt præſcientia niſi ſcientia futurorum? Quid autem futurum eſt Deo, qui omnia ſupergreditur tempora? Si enim in ſcientia res ipſas habet, non ſunt ei futuræ ſed præſentes, ac per hoc non jam præſcientia, ſed ſcientia dici poteſt. Si autem ſicut in ordine temporalium*

crea-

creaturarum, ita & apud eum nondum sunt, quæ futura sunt, sed ea prænovit sciendo. Bis ergò ea sentit, uno quidem modo secundum futurorum præscientiam, altero vero modo secundum præsentium scientiam. Aliquid ergò temporaliter accedit scientiæ Dei, quod absurdissimum atque falsissimum est. Nec enim potest, quæ ventura prænoscit, nosse cum venerint, nisi bis innotescant, & prænoscendo antequam sint, & cognoscendo cum jam sunt. Ita fit ut, quod longè à veritate seclusum est, temporaliter aliquid accedat scientiæ Dei, cum temporaliter, quæ præsciuntur etiam præsentia sentiuntur, quæ non sentiebantur antequam fierent, sed tantummodo præsciebantur. Si verò etiam cum venerint quæ præsciebantur esse futura, nihil novi accedit scientiæ Dei, sed manebit illa præscientia sicut erat, etiam priusquam venirent illa, quæ præsciebantur, quomodo jam præscientia dicetur quando non est rerum futurarum? Iam enim præsentia sunt quæ futura cernebat, & paulò post erunt præterita. Præteritarum autem rerum sicut præsentium nullo modo possit dici præscientia. Reditur ergò ad id ut fiat rebus jam præsentibus scientia, quæ eisdem rebus futuris erat præscientia: & cum ea quæ præscientia erat prius, postea scientia fiat in Deo, admittat mutabilitatem, & temporalis fit, cum Dei, qui verè summeque est, nec ulla ex parte sit mutabilis, nec ullo modo notio temporalis. Placet ergò ut non dicamus præscientiam Dei, sed tantummodo scientiam: quæramus & hoc quomodo. Non enim scientiam solemus dicere in nobis, nisi cum sensa & intellecta memoriâ retinemus: id est, cum meminimus aliquid sensisse nos, vel intellexisse, vel id cum volumus, recolamus. Quod si ita in Deo est, ut possit propriè dici, intelligit & intellexit, sentit & sensit: admittit tempus, & nihilominus subrepit illa mutabilitas, quæ longè à Dei substantia removenda est: & tamen & scit Deus & præscit ineffabili modo. Cum enim scientia Dei longè distet ab humana scientia, ita ut irridenda sit comparatio: utraque tamen scientia vocatur, & hæc quidem humana talis est, ut dicat de illa Apostolus, etiam scientia destruetur: quod nullo modo rectè de scientia Dei dici potest. Sic & ira hominis turbida est, & non sine cruciatu animi: ira verò Dei, de qua dicitur in Evangelio: Sed ira Dei manet super eum. Et Apostolus, Revelabitur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem illa in tranquillitate jugiter manente in creatura subdita exercet admirabili æquitate vindictam. Misericordia quoque hominis habet nonnullam cordis miseriam, unde etiam in Latina lingua nomen accepit. Nam inde est etiam quod non solum gaudere cum gaudentibus, sed etiam flere cum flentibus hortatur Apostolus, Quis autem sano capite dixerit ulla miseria tangi Deum, quem tamen ubique scriptura multæ misericordiæ esse testatur? Ita & zelum humanum non sine peste livoris intelligimus: zelantem verò Deum non ita, sed eodem verbo, non eodem modo. Longum est percurrere cætera, & sunt innumerabilia, quibus ostenditur multa divina iisdem nominibus appellari quibus humana, cum incomparabili diversitate sejuncta sint: nec tamen frustra eadem sunt rebus utrisque indita vocabula, nisi quia hæc cognita quæ in quotidiana consuetudine versantur, & experimentis usitatioribus innotescunt, nomina ad intelligenda illa sublimia præbent viam. Cum enim desero de humana scientia mutabilitatem, & transitus quosdam à cogitatione in cogitationem, cum recolimus ut cernamus animo, quod in contuitu ejus paulò ante non erat, atque ita de parte in partem crebris recordationibus transilimus, unde etiam ex parte dicit esse Apostolus nostram scientiam. Cum ergò hæc cuncta detraxero, & reliquero solam vivacitatem certæ atque inconcussæ veritatis, una atque æterna contemplatione cuncta collustrantis: imò non reliquero, non enim habet hæc humana scientia, sed pro viribus cogitavero: insinuatur mihi utcunque scientia Dei: quod tamen nomen ex eo quod sciendo aliquid non latet hominem, potuit esse rei utrique commune: quanquam & in ipsis hominibus solet discerni à sapientiâ scientia, ut etiam Apostolus dicit, Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eundem Spiritum. In Deo autem nimirum non sunt hæc duo, sed unum: & in hominibus quidem hæc ita discerni probabiliter solent, ut sapientia pertineat ad intellectum æternorum, scientia verò ad ea

quæ

quæ sensibus corporis experimur. Sed licet alius aliam differentiam proferat, nisi tamen diversa essent, non sic ab Apostolo distinguerentur. Quod sane si ita est, ut nomen scientiæ rebus quas per sensum corporis experimur deputatum sit, Nulla est omnino scientia Dei. Non enim Deus per seipsum ex corpore & anima constat, sicut homo. Sed melius dicitur esse aliam scientiam Dei, & non ejusdem generis, cujus ista est, quæ hominum dicitur: sicut etiam idipsum quod Deus dicitur, longè aliud est, quam quemadmodum dictum est, quia stetit *in synagoga Deorum. Tamen ad non latere quoquo modo pertinet communicatio ipsa vocabuli. Sic etiam de ira hominis detraho turbulentum motum, ut remaneat vindictæ vigor, atque ita per utrumque assurgo in notitiam illius quæ appellatur ira Dei. Item de misericordia si auferas compassionem, cum ejus quem misereæris participatus es miseriæ ut maneat tranquilla bonitas subveniendi & à miseria liberandi, insinuatur divinæ misericordiæ qualiscunque cognitio. Zelum quoque Dei non repudiemus & aspernemur, cum scriptum invenimus: sed auferamus de humano zelo pallidam tabem doloris & morbidam perturbationem animi: remaneatque illud solum judicium, quo corruptio castitatis impunita esse non sinitur, & assurgimus ut incipiamus aliquo modo capere Zelum Dei. Quapropter cum legimus etiam Dominum dicentem,* Pœnitet me: *consideremus quid id esse soleat, In hominibus opus pœnitendi est, cum prout dubia reperitur voluntas mutandi: sed in homine cum dolore animi est: reprehendit enim in se quod temere fecit. Auferamus ergò ista quæ de humana infirmitate atque ignorantia veniunt, & remaneat solum velle, ut non ita sit aliquid quemadmodum erat, sic potest aliquantulum intimari menti nostra, qua regula intelligatur quod pœniteat Deum. Cum enim pœnitere dicitur, vult non esse aliquid sicut fecerat ut esset: sed tamen & cum ita esset, ita esse debebat: & cum ita esse jam non sinitur, jam non debet ita esse, perpetuo quodam & tranquillo æquitatis judicio, quo Deus cuncta mutabilia incommunicabili voluntate disponit. Sed quoniam præscientiam & scientiam cum laude solemus dicere in hominibus, iramque ipsam solet humanum genus in magnis potestatibus timere potius, quam reprehendere, congruenter putamus talia dici de Deo. Qui autem zelat, & quem aliquid pœnitet, quoniam vel culpari solet vel in se culpam corrigere: atque ideo cum reprehensione ista dici de hominibus, propterea movet, cum legimus esse aliquid in Deo ejusmodi. Sed illa scriptura omnibus consulens, propterea magis & ista ponit, ne illa quæ placent, hic intelligantur in Deo; quomodo consueverunt in hominibus intelligi. Per hæc enim quæ displicent cum ea non audeamus sic intelligere in Deo, ut inveniuntur in homine, discimus etiam illa sic quærere, quæ apta esse atque convenientia putabamus. Nam si propterea non est illud de Deo dicendum, quia in homine displicet, non dicamus incommutabilem Deum, quia de hominibus cum reprehensione dictum est: non enim est illi commutatio. Item quædam in homine sunt laudabilia, in Deo autem esse non possunt, sicut pudor, quod ætatum viridiorum magnum est ornamentum: sicut timor Dei, non est tantum in veteribus libris laudatus, sed Apostolus etiam dicit, perficientes sanctificationem in timore Dei: qui utique in Deo nullus est. Sicut ergò quædam laudabilia hominum non rectè dicuntur in Deo: sic quædam culpabilia rectè intelliguntur in Deo: non ita ut in hominibus, sed vocabulis tantummodo communibus, longè alia ratione & modo. Nam paulò post idem Samuel, cui dixerat Dominus, pœnitet me quod constituerim regem Saul, ipsi Sauli ait de Deo,* Quoniam *non est sicut homo ut pœniteat eum: ubi videlicet satis ostendit etiam cum Deus dicit:* Pœnitet me, *non humano more accipiendum esse, sicut jam quantum valuimus, disputavimus.* Theodoretus inculcat ὅτι μεταμέλεια Θεοῦ ἡ τῆς οἰκονομίας μεταβολή· *Pœnitentia Dei est dispensationis mutatio.* Ἀνθρωπίνοις ἐχρήσατο ῥήμασιν ἀνθρώποις διαλεγόμενος· καὶ εἶπε, μεταμεμέλημαι ὅτι ἔχρισα τὸν Σαοὺλ εἰς βασιλέα, ἀντὶ τοῦ, ἑτέρῳ βούλομαι δοῦναι τῆς βασιλείας τὴν ἐξουσίαν, τοῦτον δὲ παῦσαι τῆς δυναστείας. *Humanis usus est verbis, hominibus loquens: Et dixit.* Pœnitet me, quod inunxi Saul in regem. *Pro eo.* Alii volo dare regni potestatem, hunc autem depo-

deponere dominatu. Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, morem Divinæ pænitentiæ (quæ non sicut humana, ex improvidentia levitate aut mali operis damnatione reputatur) consistere in eo dicit, *ut nihil aliud sit quam simplex conversio sententiæ prioris: quæ etiam sine reprehensione ejus possit admitti etiam in homine nedum in Deo, cujus omnis sententia caret culpa.* Erras Tertulliane, Deus sententiam & decretum non mutat. Dicitur Deus pœnitere, *quod ad modum pænitentis se habuit: Destruxit quod fecerat.* Placet autem Deo his locutionibus uti, ut se captui nostro accommodet; eoque modo inculcaret, Deo curæ esse res humanas, quas & juste & misericorditer administrat.

Admodum indoluit propheta casu Saul: qui regni jure exciderat: & in quo omnis suus labor & industria perierant. Frustra sunt, qui putant vidisse, quod ipsi salus æterna periisset. Magnis gemitibus tota nocte Deum reconciliare (Jos. καταλλάττεσθαι τὸν θεὸν τῷ Σαούλῳ) conatus est: quod frustra fuit. Quæ causa? Jos. λογισάμενος οὐκ εἶναι δίκαιον ἁμαρτήματα χαρίζεσθαι παραιτήσεσιν. Nempe lenitate & indulgentia fiduciam peccandi crescere. At ô Judæe, quid tibi de Mose videtur, cujus precibus Deus peccata populi condonavit? Hic crimen erat adversus diras & exterminium: quæ impleri debuerunt. In his non datur venia. Saul intereà totusque populus, spoliis divites, læti ovantesque ad Carmelum (Judææ tribus non ad mares mediterranei littus) perveniunt. Illic Saul (מצּיב לו יד) statuit sibi cippum victoriæ monumentum. Dras est, quod ædificaverit aram, quam posteà Elias instauravit. Alias Rabbini è Jonathane exponunt, quod fecerit locum, in quo castra metaretur & divideret prædam. Hieronymus in tradit. Hebr. *Quando victoria potiebantur, faciebant arcum de myrtetis & palmis & olivis ob signum victoriæ.* LXX. χεῖρα; Vulg. *fornicem triumphalem.* Cippus erat, qualis & Absalomi 2. Sam. 18. 16. LXX. Saul invectum fuisse curru triumphali significant (ut putat Salianus) Καὶ ἐπέστρεψε τὸ ἅρμα. In Heb. ויסב. Non peccavit Saul erigendo trophæum, nisi jactantiæ & ostentationis fuerit. Potuit enim in gratitudinem & laudem Dei statuere.

Galgala concedit è Carmelo: ubi eum adit Samuel. LXX: Καὶ ἰδοὺ αὐτὸς ἀνέφερεν ὁλοκαυτώσεις τῷ κυρίῳ, τὰ πρῶτα τῶν σκύλων ὧν ἤνεγκεν ἐξ Ἀμαλήκ. Hæc non habentur in Hebræo, nec apud Josephum. Saul autem, quasi exultabundus re benè gesta, ad Samuelem: Benedictus tu Domino: implevi verbum Domini. Tum Samuel: Quem igitur balatum & mugitum audio? Excipit Saul: Hæc adduxerunt ex Amalec. Nam populus pepercit optimis ovium & boum, in sacrificium Domino Deo tuo. Cætera exterminavimus. Forte addidit, quod est apud Josephum: Captivum se adducere regem, ut de eo ex consilio prophetæ decerneret. Hic Samuel: Attende, Indicabo tibi quæ Dominus hac nocte ad me locutus est. Sic veniam præfatur durissimæ annuntiationis, quam Deus imposuerat. Monente rege, ut loqueretur, (v. 16. lectum ויאמרו quod Kimchi putat regi adjungere seniores.) Samuel ita: Nonne cum parvus esses in oculis tuis, factus es caput tribuum Israel? Nonne te Dominus unxit in regem Israel? Præcepit tibi Deus misitque ut Amalecitas deleres bello, cur non audivisti vocem Domini, sed involasti in prædam & fecisti, quod malum est in oculis Domini? Videtur regi exprobrare quod non animo sacrificandi sed cupidine habendi greges illos pecudum & jumentorum servasset sibi. Excipiente autem Saul, se vero implevisse Domini mandatum, adducere solum regem, populo deleto. Populum (in eum confert causam) optima pecudum servasse in sacrum) respondet propheta: Putasne dominum delectari holocaustis & victimis, ut obedientia, mandati? Obedientia victimis, observantia præstat pinguedini arietum. *Nam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi*

 scelus

ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. Sic Hebræa vertit vulgatus v. 23. In illis verbis eſt aſſimilatio ariolationis & idololatriæ cum contumacia, in gravitate & affinitate: de quo alias; ubi hujus loci totius dabimus diſcuſſionem. Adjecit Samuel, ideò quia ipſe Domini mandatum projecerat, ipſum abjectum eſſe, ut rex amplius non eſſet. His verbis rex perculſus fatetur ſe peccaſſe, veniam petit: timore populi urgentis pepercisse pecoribus. Rogat ut propheta ſecum revertatur ad exorandum Dominum. Fortaſſis contumacis populi tumultuoſæ petitioni conceſſerat. Confeſſio non fuit ſincera, quæ gravitatem criminis excuſat, rejectione in alium. Rex erat, contraire debuit, ut Dei voluntati obſecundaretut. Pœnitentia potius pænam quam delictum reſpexit. Samuel renuit ipſum comitari, ut Deum veniam peteret. Sciebat enim Domino ſtatutum eſſe, ut abjiceretur. Avertentis ſe & abitum parantis laciniam tanta vi prehendit, ut laceraret. Amoræi diſſentiunt fueritne lacinia pallii Saulis an Samuelis lacerata. Hic Samuel, Iterum, Avulſit à te Deus regnum, quod viro te meliori tradidit. Non mentitur triumphator Iſraelis: Non pœnitet eum inſtar hominis. Saul autem: Peccavi, ſed honorem mihi tribue coram ſenioribus populi mei & coram Iſrael. Redi mecum, ut precer Dominum Deum tuum (ita ut anteà loquitur, in honorem Samuelis) Nam denunciatio facta eſt à Samuele in colloquio privato, & ſeorſim, quo rex proceſſerat obviam prophetæ. Inductus Samuel, qui noluit eum palam dehoneſtari, eum comitatur Galgala: ubi Saul Deum precatur. Illic propheta ſua (vel alterius) manu regem Amalecitarum in fruſtra diſſecuit. Ut gladius tuus, inquiens, mulieres orbavit, ita mater tua te privetur. Quidam putant id feciſſe Hebræis, quos aliquando bello vicerat, Hebræosque ſolitum membratim diſſecare. Agag intrepidus ictum accepit. Scriptura dicit eum iviſſe מעדנות Chald. במפנקא. Lxx. *τρέμων.* Kimchi quoſdam dicit exponere in vinculis, quaſi eſſet affine loco Jobi 38. 31. quaſi à voce ligandi vim habente deſcendat. Sed id longe petitum, ut videtur. Joſephus, *Καὶ συνθυμορῶν, πῶς ἦν πικρὸς ὁ θάνατος;* Lxx: *εἰ οὕτω πικρὸς ὁ θάνατος*; Hebræà ſonant: *Profecto receſſit* (à me, vel ad me) *amaritudo mortis.* Plerique Hebræorum in poſteriori notione accipiant. Forte autem Galgalis arca erat, quia illic *coram Domino* mactatum eum eſſe dicit Scriptura. Hiſce peractis, cum rex ſacra feciſſet (ut Joſephus) Saul Gabaam concedit, Samuel Ramam. Poſthac nunquam Samuel vidit (id eſt adiit) Saul, quem luxit longo tempore. Sic poſt biennium regni jure excidit Saul, quia cherem violaverat eratque ſub anathemate. Deinceps regnavit per tolerantiam Dei, non auſus eſt populus in comitiis eum deponere nec erat hominum quiſquam, qui à Deo toleratum averſaretur, aut Dei uncto auderet obſequium denegare: nedum ut projecta iſta dæmoniorum doctrina in animis hominum fuerit, excommunicato obſequium non deberi aut poſſe inferri manus violentas ad juſſa Pontificis. Achan mori debuit & tolli igne, hic univerſo populo parcitur ob multitudinem delinquentium. Quid de pecoribus factum ſit, ſcriptura non commemorat, ego & illa trucidata eſſe crediderim.

I. SAM. XVI.

DEinde objurgatum Samuelem, quod lugeret, quem ipſe abjeciſſet, jubet Deus ire cum cornu olei pleno, ad Iſai Bethlehemenſem, è cujus filiis aliquem in regem diſpexiſſet. Lugebat eum Samuel, quem objurgaverat. Gregorius *Magnus*: *ergò eſſe affectus* ſanctorum, etiam cum auſteritatem vindictæ

exterius

exterius proferunt. Nam foris sæviunt, sed intus per amorem liquescunt: more matrum quæ parvulos verberant, sed affectu gemunt cum parvulis, quos castigant. Jussum hoc Dei ita excipiebat: Quid faciam, quod audiet Samuel meque quæret ad necem. Hic Dominus: Cape vitulum è bubus, dic te venisse ut Domino facias sacrum. Ad id invitabis Isai. Illic tibi dicam, quid sis facturus. Unges eum quem significavero. Dominus Samueli: *Imple cornu tuum.* Hic Kimchi: אמר קרנך לפי שהיה הקרן הזה מזומן לשמוח בו מלכי בית דוד ועל העתיד היה מזומן אותו הקרן על פי הנביאים והיה באהל מועד עם כלי שמן המשחה וכן אמר כשנמשח שלמה ויקח צדוק הכהן את הקרן השמן מן האהל נראה כי שם באהל מועד היה מוכן זה הקרן עם כלי שמן המשחה ולפיכך אמר לשמואל מלא קרנך שמן כי על הנביאים היה מוטל למשוח המלכים על פי יי' ואף על פי שצדוק הכהן משח שלמה הנה היה שם עמו נתן הנביא כמו שכתוב ומשח אותו צדוק הכהן ונתן הנביא ומשיחת המלכים ליצוק מן השמן תחלה על ראש המלך ואחר כך היה מושח ממנו כצורת נזר בין ריסי עיניו ואחר כך הנשאר בקרן היה יוצק על ראשו כי מלא הקרן היה שיעור המשיחה עם היציקה: *Dicis cornu tuum, quia fuit hoc cornu destinatum, ad ungendum eo reges domus David. Et in futurum destinatum hoc cornu secundum os prophetarum. Fuitque in tentorio conventus cum vasis olei unctionis. Et sic dicitur. Cum ungeretur Salomo* (1. Reg. 1. 39.) Et accepit Sadoc sacerdos cornu olei è tabernaculo. *Videtur, quod illic in tentorio conventus fuerit compositum hoc cornu, cum vasis olei unctionis. Ideò dicitur Samueli,* Imple cornu tuum oleo. *Quia per prophetas fuit sumptum ad ungendos reges. Quamvis Sadoc sacerdos unxerit, ecce fuit cum illo Nathan propheta, ut scriptum* (1. Reg. 1. 34.) Et ungat ipsum Sadoc sacerdos & Nathan propheta. *Unctio autem regum ita peragebatur: Fundebant primò ex oleo super caput regis: deinde ungebant ex eo, in formam coronæ, inter supercilia oculorum ejus. Tum quod supererat in cornu fundebat super caput ejus: quia plenum cornu fuit mensura unctionis & fusionis.*

At quod oleum? Sacrum dicit Josephus. Sic Rasi in 1. Reg. 1. 39. *Ex oleo unctionis, quod fecit Moses.* Sacro oleo Davidem unctum esse dicitur etiam Ps. 89. 21. Disputat Tostatus, non fuisse sacrum sed commune. Non potuisse enim sacrum à Samuele tolli, rege in Samuelis omnes actiones intento ac vigilante, ne quem alium Samuel inungeret. Fuisse igitur commune. Emanuel Sa aromaticum fuisse putat aut forte balsamum: quod penes se haberet Samuel. Nam commune oleum quid opus erat deferre in Bethlehem? quasi id oppidum aut domus Isai omninò destituta esset oleo, inquit Salianus. Potuisse id oleum (addit) cum in magna quantitate non portaretur nec amplo vase facile occultari. Locum psalmi 89. non esse necessarium ut interpretemur de hac prima unctione. Timuit autem Samuel, quia homo erat: quærit, sed non per diffidentiam: quærit de modo perficiendi mandati Divini, in hoc temporum discrimine? Deus ipsi modum, sub quo lateat, præscribit. Gregorius Magnus: *Quid his verbis ostenditur? Nisi quia tyrannorum versutia atque sævitia, quandoque est pia fraude deludenda.* Et mox: *Sic tyranni deludendi sunt, ut caveatur culpa mendacii: quod tunc benè perficitur, cum illud fit quod asseritur, sed quod fit, sic dicitur, ut celetur: quia ex parte dicitur & ex parte reticetur. Prophetæ namque Samueli præcipitur, ut ad ungendum regem vadat & se immolaturum Domino non regem uncturum asserat; ut immolans verum dicat & unctionem celans tyranni sævitiam vera dicens deludat.* Cum neque justitia neque charitas dicere jubet, potest veritas aut pars ejus quædam licite reticeri. Vide Jeremiæ 39. 57. Notat Kimchi quosdam ita exponere. Non est metuendum ut tibi insidietur aut mortem moliatur. Nam præcepi, ut clam (בצנעה) ires; tu

autem dicis, mortem tibi illaturum Saul: nunc igitur præcipio ut vadas (בפרהסיא) palam, ſumendo vitulum ad ſacrificium. Ut videamus quis ſit occiſurus. Sic in Medras accipitur Exodi 17. 5. *Prai ante faciem* &c.

Tum temporis tabernaculum nondum erat illatum in locum certum ideo fuit licitum immolare in excelſis unici. Ralbag recitat lepidam expoſitionem cujuſdam Salomonis principis. Qui hunc locum comparat cum Deut. 21. 1. 2. &c. ubi de expiatione homicidii ignorati. Eam admodum laudat: דבר נאות מאד Nempe ſub ſpecie ferentis vitulam ad expiationem ſe occultaſſe in Bethlehem: ſolum Iſai cum filiis invitaſſe שלא יתגלה סודו.

Seniores Bethlehemenſes trepidi occurrunt prophetæ, qui præter ſolitum eo adveniret. Rogant an cum pace? Quid illi timuerint aut timere potuerint, nos non poſſumus exponere. An forte veriti, ut, aliquid mali denuntiaret, an pulſum fugientemque à Saul? An ut impius in oppido, quem veniebat poſciturus ad necem, ut oppidum expiaretur: Kimchi dicit poſſe in ſignificatione collectionis (קבוץ) ſumi vocabulum ויחרדו. Raſi: *Feſtinarunt in occurſum.* In plurativo numero occurſus, in ſingulari alloquium & percunctatio: Kimchi: *Major in ſenioribus & forte fuit Iſai.* Reſpondet Samuel, cum pace ſe advenire, ut ſacrificaret. Jubetque ſe ſanctificare, ut ad ſacrum. Verba textus v. 5. *Sanctificamini* & venite mecum ad ſacrum: & ſanctificabat Iſai cum filiis eoſque invitabat ad *epulum.* Cumque ingrederentur Iſai & filii ad epulum, Samuel intuitus eſt Eliab; eumque putabat eſſe unctum Domini. Habet textus: *Dicebat* (ore an corde?) *profecto, coram Domino, unctus ejus.* Senſus eſt hunc eſſe illum quem Deus elegiſſet. Vel: Videns Eliab non eſſe majeſtate corporis regia, Sauli meminit. Profecto, coram Domino, unctus ejus: id eſt coram Domino eſt unctus ejus Saul: ſpecie corporis digna regi. Ultimo ſenſu verba ſequentis verſus etiam ad Saul pertinebunt. Prima expoſitio ut communior, ita verior. Hic Dominus ad Samuel in Spiritu: Ne reſpice ſpeciem aut grandem ejus ſtaturam. Dominus eum rejecit. Nam non conſiderat ut homo. Homo intuetur id quod in oculos incurrit, Dominus animum. Hoc igitur rejecto Iſai traduxit Abinadab coram Samuel.

Hinc Samma: cumque neuter reciperetur, Septem filios ſimul traducit. Sed de illis neminem Deus admiſit. Filius natu minimus aberat domo paſcendo pecori. Hunc celeri nuntio vocari jubet Saul. כי לא נסוב עד בואו פה / *Non accumbemus antequam adveniat.* Sacrificium igitur peractum erat, ad epulandum ſe accingebant. Unctus eſt David (ut vult Kimchi) antequam ad menſam accumberent. Raſi: כל מושב סעודה קרויה חיסבה *Omnis confeſſus convivii appellatur* חיסבה / *circumdatio.* Erat autem David, rufus & pulcher oculis, ac bona ſpecie. Hunc jubet Deus inungi, quia ille eſſet. Samuel accipit cornu olei, ungitque eum in medio fratrum. In hac narratione id difficultatem habet, quomodo dici poſſit ſeptem filios Iſai ſimul traductos eſſe coram Samuel, Davide, ad paſturam abſente, cum 1. Chronic. 2. 15. 16. 17. ſeptem fuerint connumerato Davide? Reſpondent interpretes non ſequi plures non fuiſſe, quam in Chronicis enumerentur. Joſephus etiam tantum ſeptem memorat in univerſum. Alii Hebræi volunt connumerari Sammæ filium Jonathanem. Joſephus ſcribit: Cum adveniſſet David, mox accubuiſſe Samuelem, ſibique proximum collocaſſe adoleſcentem hinc patrem cum reliquis filiis deinde deprompto cornu, unxiſſe Davidem: atque in aurem dixiſſe ſecreto: Deum velle, ut regnum in populum obtineat: colat igitur juſtitiam, ſervetque Dei mandata. Sic regnum fore diuturnum & illuſtre familiæ nomen. Palæſtinos ſubacturum & victis hoſtibus quibuſcunque victoriam reportaturum. Nam

non

non tantum vult unctionem factam esse solis præsentibus vocatisque Isai & filiis, sed & ferretò, ne & fratres intelligerent. Nos putamus cum Abulensi, Saliano aliisque ad sacrum ipsum adhibitos esse seniores imò universum oppidi populum, sed ad epulum Isai cum filiis, eumque esse sensum v. 5. Deinde in convivio (Non apud aram ut Comestor) fratribus & patre videntibus & testibus inunctum Davidem. Salianus & Lyranus putant in secretum locum abductos esse Isai cum filiis, ita & Davidem, ut clam familia reliqua ista inquisitio & inunctio fieret. Seductis autem prolixam orationem habuisse, de inunctione Saul, ejus gestis causisque rejectionis Divinæ, rectè Salianus arbitratur: quam & sua materie instruit. Quidam solum Isai scivisse putant, quid ageretur, traductionem, quid vellet ignorasse fratres, inunctum aut solum aut præsente Isai, Davidem, ne fratrum invidia accenderetur. At textus dicit inunctum esse in medio fratrum. Ideo hoc tenent Hebræi plerique interpretes. Postea autem sic se videntur gessisse, non tantum fratres sed & pater, quasi non esset inunctus. R. Antequam non esset publice assumptus electusque non poterat pro rege haberi: incredulitas & inuidia unctionem propheticam deprimebat & aspernabatur. Allocutio illa Dei, qua repudiabat aut admittebat, fuit interna spiritus inspiratio prophetica non vox externa nec angeli. Peracta unctione Samuel Ramam concessit domum suam. Inunctum Davidem Spiritus Dei, & dotium regiarum & prophetiæ implevit. Saul autem destitutus Dei spiritu, vexabatur per intervalla à malo Dæmone. Dæmon vocatur spiritus malus à Domino, qui ipsum conterruit. Dæmonem humore melancholico & dispositione corporis usum ad affligendum non est absimile vero.]

Quærebatur remedium morbo regis: idque datum consilii, ut quæreretur peritus artis Musicæ, qui cithara (כנור) bene càneret: ut vim morbi leniret, sæviente malo Spiritu. Cum id placeret regi: quidam de aulicis servis, Vidi, inquit, filium Isai Bethlehemitæ, canendi peritissimum (יודע נגן) virum belli & heroa, ingenio & lingua promptum (נבון דבר) & specie egregia. Cujus actus secundat Devs. Rabbini putant (referente Hieronymo Lyrano aliisque, Doëg Idumæum, jam tum Davidi infensum, ita commendasse hominem, præter verum, ut assumptus ad hoc ministerium à dæmone irritato necaretur. Frivolum id est, nec arripi debuit à Lyrano: Lyranus autem putat, non ex vero commendari, quod esset bellicosus & heros, quasi bellica opera edidisset, cum adolescens esset & armorum rudis, uti patet è capite sequenti. Existimat Fr. Junius sequentis capitis historiam tempore præcessisse Davidis assumptionem in aulam. Existimat Ralbag ob secundationem Dei, maxime ad id ministerium, commendari. ולזה אפשר שתסור הרוח הרעה ממך בהיותו עמך כי מברכת מצליחים יתברכו אדוניהם: Franciscus Vallesius Philos. sacr. cap. 28. *Hæc cum ita se habeant, constat, ex his omnibus, quæ dicta sunt, verisimile esse plurimos eorum, qui dæmonis opinione ad exorcistas deferuntur, dæmonem non habere sed morbis aliquibus eorum, qui dicti sunt, teneri & præ inopia consilii, cum tentatæ sint aliæ curationes anteà, neque sufficiant, deferri ad illos, id quod merito ab Hippocrate in lib. de morbo sacro reprehenditur: esse tamen etiam aliquos, quibus talium morborum causa est Dæmon, illisque curationem naturalem non esse satis, conferre tamen non ad ipsos Dæmonas per se sed ob morbos aut eorum symptomata, aut internas causas, quas ciet dæmon. Exemplo est Saul qui cum à dæmone torqueretur suavitate Davidicæ citharæ delinitus mitius ferebat nimirum ut melancholico occupatus morbo. Neque enim est, quod quispiam sibi persuadeat, Dæmonem esse, qui Musicæ suavitate captus mitesceret, atque adeò illum torquere desineret.* Lubet hic

hic describere dissertationes adversas Lyrani, Burgensis & Doring de hac quæstione, An Dæmones virtute Melodiæ possint expelli è corporibus obsessis. Lyranus: *Videtur, quod sic, quia dicitur hic: Recedebat ab eo spiritus malus. Item Tobiæ 6. cap. dixit angelus Raphael de jecore piscis quod si super carbones ponatur, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum sive à viro sive a muliere. Odor autem hujus fumi non est majoris virtutis, quam melodia, maxime cum sensus auditus sit magis disciplinabilis. Ergo &c. Item in Musica Guidonis dicitur, quod sunt quidam Dæmones, qui melodiam sustinere non valent. Item Iosephus lib. de Iudaico bello dicit, quod in exercitu Titi, cum obsideret Hierosolymam, erat quidam qui per lapidem annuli Dæmones expellebat à corporibus obsessis. Salomo etiam dicitur fecisse exorcismos ad Dæmones expellendos. Ista autem sunt quædam sensibilia, propter quod non videtur in eis esse major virtus, quam in Melodia. Ergo &c. Contra Iob. 41.* Non est potestas super terram, quæ ei comparetur; *dicitur de Diabolo. Ex quo patet, quod major est virtus & superior, quam cujuscunque rei corporalis vel sensibilis. Minor autem potestas non habet efficaciam super majorem, sed è converso. Melodia autem est quædam res sensibilis, immutans auditum corporalem. Ergo &c. Responsio: Dicendum, si Dæmones secundum opinionem Platonicorum haberent corpora naturaliter sibi unita: prout dicit Apulejus, quod* Dæmones sunt animalia, corpore aërea, mente rationalia, tempore æterna, animo passiva; *sic nullum esset inconveniens dicere, quod ex melodia & ex aliquibus rebus sensibilibus possent immutari & ab afflictione hominum repelli. Ponebant autem Platonici naturam Dæmonum esse mediam inter intelligentias (quæ sunt substantiæ penè spirituales) & homines habentes corpora ex quatuor elementis constituta. Sed quia sacra scriptura & fides Catholica asserit, dæmones esse de natura angelica; & quod naturalia remanserunt in eis integra; quamvis sint per malitiam depravati, oportet consequenter dicere, quod nulla res sensibilis aut virtus corporalis potest in eis aliquid agere directè vel indirectè (cum sint omnino spirituales substantiæ) per quod possint ad aliquid compelli, nec per consequens ab obsessis corporibus expelli. Virtute autem Divina, quæ superior est, potest hoc fieri immediate, vel mediantibus sanctis angelis, qui frequenter in talibus sunt executores voluntatis Divinæ. Videtur tamen rationabiliter concedendum, quod per melodiam seu aliqua alia sensibilia possunt afflicti à dæmonibus afflictionem levius ferre. Uno modo, quia* actus activorum sunt in patiente prædisposito, *ut dicitur.* 2. *de anima. Dæmones autem non possunt materiam corporalem secundum suam voluntatem transmutare, sed hoc faciunt mediantibus activis corporalibus. Propter quod in suis actibus homines affligendo, aliquando considerant dispositionem materiæ corporalis. Unde & dicuntur aliqui lunatici* (Matth. 4. & 17.) *qui secundum variam dispositionem lunæ, affliguntur à dæmonibus, ex Divina tamen permissione. Quia luna habet dominium super humido: & secundum hoc cerebrum hominis, quod inter omnes partes corporis est magis humidum, magis est aptum ad suscipiendum actionem dæmonis, uno tempore, quam alio, secundum varium motum lunæ. Et eodem modo ad contrarium per melodiam seu per aliquam rem sensibilem potest causari dispositio in corpore humano, per quam minus subjicitur actioni dæmonum; & sic afflictio ab eis causata diminuitur & alleviatur. Alio modo potest hoc contingere, quia ad afflictionem requiritur perceptio. Delectatio enim est conjunctio convenientis cum conveniente, cum perceptione ejusdem: ita, quod ubi nulla est perceptio, nulla est delectatio. Et eodem modo est de tristitia seu afflictione, quæ est de præsenti malo seu conjunctio cum perceptione ejusdem, & ideo illud quod diminuit perceptionem hujusmodi, diminuit & alleviat afflictionem. Melodia vero attrahit ad se mentis attentionem & per consequens ab alio retrahit: & sic potest alleviare afflictionem à dæmone causatam in homine, in quantum attrahit ad se attentionem & retrahit ab afflictionis perceptione, sed dæmonem affligentem non potest expellere, ut prædictum est. Ad primum igitur dicendum, quod per melodiam virtute naturali Saul levius poterat ferre,*

ferre, ut dictum est: sed per eam ut sic dæmon non recedebat: sed magis virtute Divina immediate vel mediantibus angelis sanctis ex merito David; qui laudes divinas in cithara canebat pro salute Saul. Sicut & per orationes sanctorum frequenter leguntur dæmones expulsi à corporibus obsessis. Melodia etiam ex hoc aliquomodo faciebat non agendo in dæmonem sed in quantum devotionem David excitabat sicut 4. Reg. 3. dicitur quod Elisæus fecit adduci psalten, ut mens ejus in Deum elevaretur. Et eodem modo in proposito ex melodia mens David magis elevabatur in Deum; & ejus laudes ad expulsionem dæmonis erant magis efficaces apud Deum. Inde respondet ad locum Tobiæ, librum illum non esse de canone. Deinde dici quoque posse meritum orationis Tobiæ, designatum per fumi odorem, non fumum expulisse dæmonem: quem angelus ex mandato Dei religavit in superioribus Ægypti. Dictum Guidonis non multum esse curandum, quia nullam habet auctoritatem. Posse etiam dici, quod per melodiam pellatur duplici modo: vel propter sanctitatem melodiam facientis; vel malitiam suam ut homines in errore detineantur, & reverentiam Deo debitam dæmoni tribuant. Id etiam de milite Titi regerit, fingere dæmonas se expelli, ut homines miseros in servitute detineant. De exorcismis Salomonis, si facti ab eo, quo tempore habebat Dei spiritum, virtute divina, illis, tanquam orationibus sanctorum, pulsos esse: si cum idololatra, eandem rationem habere cum arte magica. Carpit hoc Burgensis quod Lyranus dicat levius ferre, cum in totum curari & liberari possint à dæmone per sensibilia afflicti à dæmonibus. Postillatoris rationem assumit. *Nam cum* (inquit) *dæmones non possunt materiam corporalem secundum suam voluntatem transmutare, sic nec passionare, nisi mediantibus activis corporalibus quæ disponunt materiam ad suscipiendum actionem dæmonis, verbi gratia: Nam sicut mania, quæ est ira permanens secundum Damascenum: Quæ secundum Philosophum quarto Ethicorum dicitur amaritudo, quæ est maximè dispositiva ad alienationem mentis secundum sententiam Medicorum & per consequens ad suscipiendam afflictionem Dæmoniacam, quæ quidem Dæmoniaca passio, sicut potest alleviari per sensibilia medicamina, sic & penitus curari cum sit morbus separabilis: & sic per consequens curata cessat talis dispositio in corpore humano ad suscipiendum afflictionem Dæmonum correspondentem tali dispositioni, & sic recedet penitus afflictio Dæmonis activa, recedente passiva dispositione sibi correspondente in homine obsesso. Cum autem melodia habeat circa passiones animæ, præsertim circa tristitias & delectationes manifestam efficaciam, ut patet per experientiam communem. Augustinus etiam in x. confessione dicit, quod omnes affectus spiritus nostri habeant proprios modos in cantu, quorum occulta familiaritate excitantur.* Consequens *est ut melodia quæ virtute naturali passiones animæ mutat, possit mutare dispositionem animæ, seu conjuncti, scil. animæ & corporis, taliter quod dispositio passiva ad recipiendum afflictionem Dæmonum tollatur, & sic cessabit penitus talis afflictio. Hoc idem possit dici de jecore piscis, de quo Angelus ad Thobiam, scil. quod fumus talis jecoris ex proprietate naturali possit extricare seu corrigere dispositionem cerebri ex motu lunæ causatam quæ dispositio reddit cerebrum humanum aptum ad suscipiendum actiones Dæmonis, & sic cessabit actio Dæmoniaca correspondens tali dispositioni &c. Præterea si melodia habet efficatiam ad causandum talem dispositionem in anima hominis ut recipiat seu recuperet donum prophetiæ amissum seu sublatum, ut patet 4. Reg. 3. cap. Quod quidem donum propheticum est supernaturale, à fortiori posset causare dispositionem in corpore humano talem, quæ non sit receptiva afflictionis Dæmonum, qualis est naturalis: Virtus enim activa quæ potest in majus potest & in minus Et attendendum, quod hæc opinio est consona litteræ, quæ dicit: Recedebat ab eo spiritus malignus: non enim dixit alleviabatur vel remittebatur afflictio, sed recedebat spiritus malignus, quod planè sonat totaliter separationem spiritus maligni à Saule, cum David in cithara psallebat. Quod secundum proprium sensum litteralem hoc fiebat gra-*

duatim

duatim, prout per ea quæ naturaliter aguntur fieri solet. Primo enim refocillabatur Saul & levius habebat, consequenter recedebat ab eo spiritus malignus per totalem expulsionem seu separationem. Dicere autem quod hoc fiebat ex merito David seu per orationes ejus est alienum à littera, quæ nullam facit mentionem in hac historia de ejus meritis seu orationibus, quantum ad hoc: sed solum de actu psallendi seu citharizandi, ut patet in litera. Si autem recessus spiritus maligni à Saule ex meritis seu orationibus David, Deo operante causatus fuisset, non videretur rationabile, ut scriptura talia taceret, quæ ad laudem Dei pertinent, & ad ædificationem audientium. Replicat Doring pro Lyrano.

Burgensis consentit Postillatori, & in parte recedit ab eo. Consentit namque in hoc, quod per sensibilia & melodias & medicamina possint fieri in corpore & humoribus ut afflictio Dæmonis in obsessis sit levior, vel etiam nulla. Sed recedit à Postillatore Burgensis, quia Postillator negat, Per hujusmodi sensibilia de per se Dæmonem posse totaliter expelli. Burgensis enim favet opinioni, quæ vult, quod ablata dispositione passiva receptiva afflictionis aufertur & activa, & sic cum Dæmon non affligit, intelligitur spiritus malignus recessisse, & obsessus totaliter liberatus. Sed Burgensis & hæc sua opinio innititur falsis imaginationibus, Imaginatur enim primò, quod nullus sit obsessus nisi ad hoc fuerint præviæ naturales dispositiones vel passionales, quod falsum videtur in Saul, de quo Sermo. Cum enim Saul esset in naturalibus optimè dispositus præ cunctis fratribus & coætaneis suis, ut habetur 1. Reg 9. dicitur tamen de eo in hoc capite: Spiritus Domini *recessit à Saul & exagitavit eum spiritus nequam à Domino scil. tribuente potestatem vexandi, ut in glossa, & est beati Gregorii. Ex qua litera juncta glossæ, prima Burgensis imaginatio videtur omnino falsa. Secundò imaginatur, quod Dæmon recesserit, quando obsessum actualiter non affligit: cujus imaginationis falsitatem ostendere non opus, cum sit luce clarior; recedit enim sæpe secundum apparentiam, sed non realiter, obsidet etiam sæpe obsessum. Imaginatur tertiò, quod obsessi non affliguntur nisi in eis sit naturalis dispositio passiva huic afflictioni correspondens, quod falsum est, quia obsessio sicut & afflictio est sæpe ex sola Dei permissione, ut vult glossa præallegata, quæ est beati Gregorii. Motiva etiam quam movet Burgensis contra postillatorem non valet. Movetur enim primò quasi postillator neget melodiam & jecur piscis aliquid facere in corpore vel anima & utroque similiter, & humoribus, quo minus malignus spiritus affligat obsessum. Sed benè respicienti dicta postillatoris, apparet, quod hoc non negat, sed probare intendit, quod per ea obsessi levius ferunt, vel omninò non sentiunt afflictionem Dæmonum, sed negat quod per ea tanquam talia simpliciter liberantur. Sed quod liberentur non est virtute talium, scil. melodiæ vel jecoris, sed merito facientis & talia applicantis. Et cum instat Burgensis, quod melodia disponit hominem ad recuperandum spiritum prophetiæ amissum, allegans ad hoc dictum de Helisæo 4. Reg. 3. Respondeo quod male allegat, non enim dicitur ibi quod virtute melodiæ resumpsit prophetiam, sed merito laudis Dei per psaltem decantatæ: vide ibi postillatorem. Virtus enim creata ad habitus seu actus supernaturales se non extendit. Dato tamen assumpto, quamvis non concesso, non sequitur quod infert Burgensis, per illam regulam:* Virtus activa *quæ potest in majus, potest & in minus: Quia illa regula solum tenet in essentialiter subordinatis, & in eodem genere. Nam non sequitur homo generat hominem, igitur asinum vel ignem, quod est majoris virtutis: Nec sequitur homo potest portare magnum lapidem, igitur magnum ignem. Regula igitur pro Burgensi allata, non est universalis, de quo vide Exod. vi r 1. primo correctorio, Et cum Burgensis nititur excludere positionem postillatoris, dicet, quod recessus Dæmonis à Saul, erat merito & oratione Davidis, dicam quod hoc non habetur ex litera, In quo videtur ipse Burgensis favere errori Viclefistarum & Hussitarum dicentium; quod nihil omnino credendum, nisi, quod expressè in sacra scriptura contineatur.* Theodoreti etiam sententia est spiritum malum cessisse ob spiritum Dei operantem in Davide, cum caneret. Si Dæmon ipsum sine morbo arripuit, id valet aliquo

modo

modo valet. Comestor dicit Physicos tradere, quod harmonia lætum reddat lætiorem & tristem tristiorem; Mathematicos dicere quod multi dæmonum harmoniam ferre non possint & quandoque nulli. Davidem ab eo tempore, quo unctus est, spiritu Dei agitatum fuisse, extra dubium est, ideo in agris, ubi pascebat, cecinit Deo & opera fortia edidit. Inter ea fuerit ex sententia Fr. Junii, quod Goliathum, gigantem Palæstinum occidit. Nam totum caput 17. putat constitui debere ante v. 16. hujus capitis. Inseri autem totum id caput cum v. 1. cap. 18. ex occasione ut ostenderetur, unde fortitudinis nomen comparaverit: de quo v. 18. Conjicit Jonathanem illum esse, qui ita commendabat Davidem, ex v. 1. cap. 14. ut *unus* idem sit quod *primus* ut Gen. 1. 5. & alibi sæpe.

Solent regibus beneficia excidere, nisi ubi calamitas benefactorum usum & memoriam revocat. Igitur urgente malo spiritu, cum memoriam Davidis servi recentassent, missis nuntiis revocat Davidem, quem ad patrem post pugnam cum Palæstino remiserat. Dici mandat patri Davidis, *Mute ad me Davidem filium tuum, qui est cum grege.* Isai cum xeniis asino impositis, pane, utre vini, & hædo lactente, mittit filium. Xenia vocat Josephus, dona illa, quibus præsentiam & aditum regis honorabant. David ita se gessit in aula apud regem, ut regis animum industria & gnava opera porrò felicitate successus, quem dabat Deus, sibi citò conciliaverit. Unde eum armigerum suum constituit: Nam denuo misit ad Isai petens, ut concederet filium in ministerio suo esse, quia gratus sibi esset. Dabat enim Deus, ut canente Davide apprehensio dæmoniaca leniretur & conquiesceret. Josephus & Lxx. instrumentum musicum vocant *κινύραν*; quod convenit Hebræo כנור. Sauli affectum describit *πάθη δεινὰ καὶ δαιμόνια πνιγμοὺς καὶ στραγγάλας ἐπιφέροντα, ὡς τοὺς ἰατροὺς ἄλλην μὲν αὐτῷ θεραπείαν μὴ ἐπινοεῖν, εἰ δέ τις ἐστιν ἐξᾴδειν δυνάμενος καὶ ψάλλειν ἐπὶ κινύρᾳ, τοῦτον ἐκέλευσαν ζητήσαντας, ὁπόταν προσίῃ τὰ δαιμόνια καὶ ταράττοι ποιεῖν ὑπὲρ κεφαλῆς ἑστῶτα ψάλλειν καὶ τοὺς ὕμνους ἐπιλέγειν.* Existimavit dæmonum insultum, qui medicamentis, non cederet, cantus & carminum vi mitigari. *ἐξᾴδω carminum vi libero, excanto: ἐξῄδετο excantabatur. ἐξᾴδω & ἐπᾴδω* sunt opposita.

I. Sam. XVII.

Pugna singolaris Davidis cum Goliatho, unde Jonathani conciliatus erat, in hunc modum se habuit: Palæstini copiis coactis castra metati sunt ad Socho Judææ: inter Azecam & Socho (*σωχώθ*) ad EphesDammim. I. Chron. XI. 13. Phas-dammim: ubi Lxx, *Βασδαμίν*. Saul & Israelitæ coierunt in valle querceti. Vulg. *terebinthi*. Lxx. simpliciter *ἐν κοιλάδι*. Ineptum est quod dicit Comestor (& ex eo Dionysius Carthusianus) fuisse illam teredinthum, sub qua Jacob è Mesepotamia reversus idola defoderat. Constiterunt oppositis castris, Palæstini & Israëlitæ. Utrique montem insidebant valle intermedia. Dicit Josephus Palæstinos, qui prius in planis sedebant, coactos à Saul, in illum collem concessisse. E castris Palæstinorum descendebat איש הבינים, ut est in Hebræo. Vulg. *Vir, spurius.* Historia Scholastica scribit eum dictum esse spurium, quod natus esset de patre ignobili id est gentili & nobili matre Judæa. Grotius: *Hic interpres sumpsit, quasi diceretur hic homo unus filiorum, id est, sine patre, ἀπογάμῳ conceptus. Lxx, quasi diceretur excellens inter filios nempe Philisthinorum: vertunt enim δυνατός. Alii à* בין *quod est inter, putant intelligi processisse eum εἰς τὸ μεταίχμιον, ut & Homerus & Euripides loquuntur. Sic in medium inter castra pontem processit Gallus ille provocator, quem interfecit Man-*

tius Torquatus narrante Livio lib. 7. Prima interpretatio maxime mihi probatur, addito, quod & Hebræorum nonnulli notarunt cognomen hoc esse gigantum, qui legum omnium & matrimonii contemptores, ob id incerto patre nascebantur. Junio-Tremelliana versio *quidam duellator.* Id expressit versio nova Belgica **een kampvechter /** Rasi, Kimchi, Ralbag exponunt egredientem inter duo castra. Et quidem Rasi significat יוה significare, quod id soleret quotidie facere. Scilicet quotidie videri inter duo castra, inde dictum esse *virum* aut hominem locorum intermediorum, *ἄνθρωπον τ̃ μεταιχμίων.* Jonathan *: Et egressus est vir* מביניהון *ex inter ipsos.* Ralbag. *Et fuit hic vir, ut ego arbitror princeps unus de principibus Palæstinorum. Id dicit*, Annon ego Palæstinus vos autem servi Saul. Eligite vobis, qui descendat ad me. *Hoc declarat, quamvis non sit è consuetudine principum & satraparum pugnam inire nisi cum principibus & satrapis* (אשר כנגדם) *qui pares ipsis. Ego tamen prabeo me in pugnam, cum quolibet, qui sit in magno exercitu, qualis est exercitus Israël. Hoc modo probrum dicit copiis Israel, quod ipse instar illorum. Nempe, Non esse inter eos virum, qui posset cum ipso pugnare.*

Nomen huic viro Goliath, patria Geth. Jos. *Ἀνὴρ παμμεγέθης τὸ ἀνάστημα, vir ingentis staturæ.* Staturæ longitudinem scriptura describit, sex cubitorum & Spithamæ. Jos. cum Lxx, *τεσσάρων πήχεων καὶ σπιθαμῆς.* Vulg. *Sex cubitorum & palmi.* Palmus major (quod non observatum Saliano) accipi debet, qui est duodecim digitorum. Ita & in Glossario Græcolatino *σπιθαμὴ palma.* Apud Rufinum Josephus, *Sex cubitorum & palmi.* Hinc discimus librarios Græcos corrupisse Josephum ad id, quod apud Lxx, inveniebant. Dionysius Carthusianus arripit (ineptè) unum cubitum geometricum apud Ægyptios sex nostros continere, atque ita cum Origene & Augustino cubitos arcæ Noë accipit & cubitos staturæ gigantis hujus. Alias cubitum complere pedem usualem unum cum dimidio, sive ut alii volunt, duos. Mensurat scriptura gigantem communi mensura, non suis cubitis; dedisset enim ipsi non bene proportionatum corpus, ut observat Abulensis. Statura igitur fuit pedum novem (aut duodecim) & duodecim digitorum. Armaturam hujusmodi habebat: Æream cassida in capite: loricam squammatam (Lxx, *ἁλυσιδωτὸν*, hamatam) cujus pondus quinquies mille siclorum. Jos. *θώρακα σταθμὸν ἄγοντα πέντε χιλιάδας σίκλων.* Ocream ex ære supra pedes, scutum ex ære inter humeros. Hastile (*ὁ κοντὸς τ̃ δόρατος*) ut liciatorium (*μέσακλον*) textorum: cujus ferrum (*λογχὴ*) sexcentorum siclorum. Præcedebat eum armiger. Vides omnia ex ære esse, præter cuspidem hastæ. Arma igitur tegentia ex ære, sed vulnerantia è ferro. Lxx. malè loricæ dant æs & ferrum. Inepte iterum Dionysius æs pro ferro accipi dicit, quia notet in genere quodvis metallum. Josephus de pondere hastæ: *δόρυ δ᾽ ἦν οὐχ ὡς κοῦφον βάσταγμα δεξιᾶς ἀλλ᾽ ἐπὶ τ̃ ὤμων αὐτὸ αἴρων ἔφερε.* Cur non exprimit cum Scriptura, quod liciatorii textorii instar habuerit, gestabat enim pro more communi? Rasi: כל השקלים האמורים בנביאים מנים. Hebræi magistri ita commentantur ad armaturam:

כובע נחשת] Kimchi*: Milel & sic* (Es. 50.) Et galea (קובע) salutis in capite ejus. *Et Thargum,* מנבעות קובעין / *Hoc unicum est cum Chaf & Cof. Versio Chaldaica* קולסא. *Et simile est illi in verbis magistrorum b. m.* גדי מקולס (agnus galeatus) נקרא כן לפי כשהו צולין הפסח היו תולין בני מעיו חוצה לו למעלה מראשו ונראה ככובע על הראש*: Sic vocabatur quoniam, cum assarent agnum paschalem, suspendebant intestina foris supra caput ejus; apparebatque tanquam galea in capite.*

ושריון קשקשים] Rasi*: Species squamarum piscium, factarum è ferro, cadentium*

tium super loricam, squamæ super omnia foramina. Kimchi: *Ionathan reddidit* ושריין גלבין *per Chaf:* & sunt exemplaria in quibus scribitur per ב quod est קלפין *estque interpretamentum* קשקשת. *Et in verbis magistrorum b.m.* לובשי שריון קליפא (induti lorica testæ, squamæ) *Sensus est: Quod quilibet annulus loricæ, suspensus esset instar squamæ, ad occultandum foramen annulorum, ne intraret sagitta per annulos.*

[מצחת נחשת] Rasi: *Instar manus ferreæ egredientis è galea juxta* [החוטם] *nasum vocant* nesel *in vernaculo sermone: pertingebatque ipsi ad pedes.* Kimchi: *Ionathan vertit* וטרקלילין דנחש. *Sensus Bractea ænea, suspensa supra pedes ejus ad tegendos eos. Et est nomen* (משאל) *translatum à fronte* (מצח) *Quia sic ferebant puellæ, laminam auri aut argenti super frontibus suis: & hoc proprie* (verè) (על דרך האמת) מצחה *frontale.* Rasi deceptus fuit vocis ambiguo.

[וכידון נחושת] Rasi laudat verba Jonathanis: ומסחפא דנחשא נפק מן קלסא ומטל דנחשא בין כתפוהי: *Et hasta ænea exiens è galea & onus æris inter humeros ejus. Instar hastæ æneæ prominentis è galea & pertinentis inter humeros ejus, ut defenderet super collum ejus à gladio.* Kimchi: *Reddidit Ionathan* ומסחפא וכול'. *Et versio* ברומחא est נטה בכידון. *Videtur, quod id, quod fuit inter humeros Goliath fuerit in similitudine hastæ sed fuerit ipsi dispositio alia in parte. Et cohæserit cum galea & descenderit inter humeros ejus usque infra. Etiam juxta dictum scripturæ scriptum infra: Vbi dicit David Goliatho:* Tu venis ad me gladio & (ובחנית ובכידון) *videtur quod* כידון *sit Lancea sicut* (Inclinavit in כידון) *Et erat factum ad percutiendum eo non protegendum. Et fuit id ponens inter duos humeros suos: quoniam erant in manibus instrumenta belli: in dextra hasta & aliud instrumentum in sinistra; etsi hoc non memoretur. Et hoc fuit ipsi inter humeros suos, ut apprehenderet manu postquam projecisset* (אחר שישליך) *hastam in dominum belli sui* (antagonistam) Ralbag: *Puto, quod sit* נורתיירה *facta è* peltas *circum collum. Peltas* in lingua vernacula ipsi est quod Hebræi dicunt קשקשים.

Utrinque acies instructæ stabant in procinctu, cum gigas progressus clamaret ad ordines Israël: Cur egredimini ad miscendum bellum? Nonne ego Palæstinus, vos autem servi Saul? Eligite vobis virum, qui descendat ad me. Si possit mecum congredi & me percutere, erimus vobis in servos: si ego prævaleam & eum percusserim eritis nobis in servos & servietis nobis. הפלשתי *ὁ παλαιστός* id est, *παλαιστός τις* vel *εἷς*. Rasi: *Ego non sum centurio nec chiliarchus sed Palæstinus ut unus ex aliis: & quamvis præliatus sim vobiscum multa prælia. Ego occidi Hofni & Phinees, Et captivavi arcam & vos facti estis servi Saul: & non salvabit vos diebus suis, fortitudine sua.*

Jactabat se probro affecisse ordines Israël dicendo: Date mihi virum ut pugnemus. Saul & totus Israël ad istos clamores & provocationes doluere. Simulque horrebant gigantem. Erant in castris (Isai, grandævi hominis) tres filii grandiores, qui remanebant: at David cum eis in castra comes venisset, remeabat ad patrem, ut pecus pasceret. Hic sensus est v. 15. secundum Fr. Junium: interpretes alii qui hoc caput tempore posterius esse putant, aliter exponunt. Scriptura dicit Isai habuisse octo filios, cum in chronicis (1. lib. cap. 2. v. 13.14.15.) septem numerentur. Recte Rasi: dicendum, quod unus mortuus sit sine liberis & propterea scriptum non esse in isto loco.

Cum Isai solicitus esset de filiis, qui in castris agebant, quibus de victu erat providendum misit Davidem, cum [איפת הקליא] & decem panibus, quos fratribus deferret. Jonathan illud prius vertit מכילתא דקליא *modium tosti* pro Epha. Vulgatus polentam habet pro קליא. Tribuno seu præfecto millenarii, sub quo militabant filii, misit decem חרצי החלב Vulg. *formellas casei.* Jonathan גובנין דחלבן *caseos lactis.* Id munus tribuno, cum regi hœdus cum utre

viri & panibus missa fuerint in capite antecedente. Ea erat rustica simplicitas pro captu temporum. Iste chiliarchus erat unus chiliarchorum tribus Judææ: sub quo suis stipendiis & sumptibus militabant filii Isai.

David quæsiturus de statu & salute fratrum gregem commendat custodi: summoque mane profectus venit ad vallum castrorum (ambitum plaustrorum) cum copiæ prodirent & ad arma conclamaretur. Vasa reliquit sub manu custodis vasorum, festinans ad aciem: ubi de fratribus quærit. Dum loquitur cum illis, prodit Goliath: qui mane & vesperi totis quadragintà diebus, dum duo exercitus ante castra stabant, Israëlitis insultaverat. Eo prodeunte fugiebant Israelitæ, si qui forte vagarentur in agris. Hæc verba audiebat David ut & colloquentium Israëlitarum. Vidistine virum illum, qui illudit Israël? Rex eum, qui eum percusserit, augebit opibus & matrimonio filiæ: domumque patriam donabit immunitate tributorum. Hæc verba cum non satis perciperet David, quærit à circumstantibus: Quid faciendum illi, qui Palæstinum profligaverit & Israël probro liberaverit? Nam quis est iste Palæstinus incircumcisus, ut copias Dei viventis dehonestet? Repetuntur illa quæ dicta erant. Cum Eliab, vetustissimus fratrum, colloquia & sermones Davidis acciperet, indignatus, Quid venisti, inquit, cui custodiendum dedisti gregem paucarum ovium in solitudine? Novi arrogantiam & malitiam tuam. Curiositas tua te huc egit, ut videres prælium. Respondit se, missu parentis advenisse: & mox ab alio inquirit de edicto regio circa hunc Palæstinum. Cum se offerret ad pugnam, deductus est ad regem; apud quem magna fiducia se iturum esse profitetur. Rex dissuadet, Non posse consistere, quod ipse juvenis esset, & gigas militiæ vetus. David autem se pascentem patrios greges, ursum leonemque, qui ovem rapuerant, nudis manibus occidisse, ove erepta. Leonem cum in se impetum verteret, barba prehensum soloque afflictum elisisse. Eum incircumcisum se tractaturum ut ferarum duarum unam, quia convitia dixisset copiis Dei viventis. Qui me liberavit à Leone & urso, liberabit à Palæstino. Rex admiratus juvenis animum & facinora, atque rem à Deo esse arbitratus, Dominus inquit, tecum sit. Induit autem eum suis vestimentis id est ex suo armamentario desumptis. (Sauli enim vestimenta non erant pro modo corporis Davidici) galea & lorica. Accingit se David gladio super vestimenta, sed cum gradi inciperet, insuetus, gravari se sensit. Non possum, inquit, hoc modo incedere. Depositis igitur illis, sumit pedum manu, legitque quinque leves lapillos è torrente, (tantis non habebat opus) quos peræ pastorali (sacco suo) indit: fundam manu gestans. Ita prodit adversus Palæstinum. Palæstinus re cognita (Videtur significatum esse, quod aliquis de Israel, pugnam susciperet: & condictum de hora) procedit in occursum, antecunte armigero, qui scutum gestabat. Cernens Davidem, contemptui habuit juvenem, rufum formosulum. Tune, inquit, ut adversus canem venis fuste armatus? Maledictum jacit in Davidem per deos suos. Accede, inquit, carnem tuam in escam dabo avibus cæli & bestiis agri. At David (in fide & Spiritu) Tu, inquit, procedis adversum me cum gladio, hasta & scuto: at ego venio in nomine Domini exercituum, Dei ordinum Israel, quem blasphemasti. Hodie te Deus in manu mea concludet, cædam te, auferam caput trunco: dabo cadavera Palæstinarum copiarum volucribus cæli & bestiis agri. Et sciet tota terra, quod Israël Deum habeat. Sciet autem universa hæc coitio, quod Dominus nec gladio nec hasta det salutem. Bellum Domini est, qui te dabit in manum meam. Interim dum se parat Palæstinus, & appropinquat, David festinat versus aciem Palæstinam in occursum giganti: captumque lapillum è

pera,

pera, fundæque impositum impegit fronti gigantis, validissimo ictu: quo (καρηβαρῶν) humi procubuit. Lætus hoc successu, accurrit, insilit & arrepto gladio ejus, cædit & caput detruncat.

Josephus totam hanc narrationem satis diligenter expressit. At incogitantia erat quod ad fratres dixisse referat; ἑτοίμως ἔχειν μονομαχῆσαι τῷ πολεμίῳ. Cum textus ostendat avertisse se à fratribus, cum ista diceret. Deinde non est objurgatus à fratre, quod nimiam fiduciam ostenderet, sed quod curiositate motus venisset in castra. Davidis verba: ἀλλὰ καὶ χείρω κυνὸς αὐτὸν νομίζειν, non sunt è textu. Tribuit etiam giganti, quod ex contemptu Davidis & nudi & pueri segnius egerit, ut quem nullo negotio posset conficere: quodque onere armorum tardius incesserit. Ex conjectura etiam dicit de lapide: καὶ διῆλθεν ἕως τοῦ ἐγκεφάλου τὸ βληθέν.

Rabbinica commenta apud Rasi & Kimchi habentur. Goliathum vocari איש הבינים / quia è multis virum eum mater sua conceperit. Sic illud ממערות פלשתים / quod est in v. 23. pro ממאת ערלות exponunt, è centum præputiis Palæstinorum, qui eam incestaverint &c. Cætera apud Kimchi vide. Eliabum excusat quod in Davidem exarserit, quia putabat non posse stare adversus gigantem. Quinque feras eliciunt ex v. 34. & 36. Leonem cum duobus catulis & ursum cum catulo. Davidem fuisse unum de duobus justis, quibus (רמז) indicium factum sit, qui senserunt quid vellet. Nam profligationem ursi & Leonis ipsi fuisse signum liberandi Israëlis à Palæstinis. Deinde commentantur de quinque lapillis, quod in nomine Dei, Aharonis & trium patriarcharum. Vide nugas apud Kimchi. Idem valde solicitus est, quomodo lapis frontem potuerit transire, munitam galea.

Cum viderent Palæstini cecidisse fortissimum suorum, trepidi in fugam abeunt. Judæi autem & Israelitæ cum jubilo effusi persequuntur hostem cæduntque usque ad vallem & portas Accaronis. Unde autem habet Josephus, quod triginta millia cæsa & totidem vulnerata fuisse scribit? Ceciderunt Palæstini in via Saaraim & usque Gath & Accaronem. Male apud Josephum legitur Ascalon. Reversi Israelitæ castra Palæstinorum diripiunt (& incendunt ut Josephus addit.) Caput Palæstini David (posteris temporibus) intulit in Jerusalem: arma ejus in tentorium suum intulit. [Gladium Deo consecravit, ut inquit Josephus] Cum rex videret Davidem egredi adversus Palæstinum, rogat Abnerum, cujus filius esset iste juvenis. Forsan (inquit Comestor) voluit scire, cui collocaturus esset filiam. Qui negat se scire: sed reversum victorem ad Saul adducit gestantem manu caput Palæstini. Eum igitur rex interrogat, quis, cujus filius esset? Ex hoc colloquio Jonathan cæpit toto pectore amare Davidem eique adhærescere. Hinc credimus eum suggessisse aulico, qui injecit mentionem Davidis, ut psalleret coram rege, ejusque morbum leniret.

Quid est quod David dicatur intulisse in Jerusalem caput Palæstini? Kimchi scribit, postquam ostendisset regi, circumtulisse per urbes ut evangelizaret mulieribus & parvulis, iisque qui non interfuerant prælio, donec introduxit usque Jerusalem. At patrem suum f. m. dicere, quod Nob urbs sacerdotum, habuerit cognomentum Jerusalem. Nam illic fuit gladius Goliathi. Quod David scribatur arma intulisse in tentorium suum, id significare, quod intulerit in ædes suas Bethlehemi. Nam tentorii voce aliquando ædes notari. In his castris Davidem non habuisse tentorium, cum eo missu patris advenerit. Si ita accipiendum sit, de aliis armis, non de gladio capi oportere: quia gladius fuit in tentorio conventus in Nob. Illic in signum fuisse, ut qui adoratum aut im-

immolatum venissent Deum laudarent. Non lubet describere, quæ annotat ad solutionem quæstionis, Quomodo ignoraverit, quis esset David, qui (ut putant) ante ipsi ministraverat ejusque armiger fuerat. Hic hærent etiam alii. Grotius dicit regibus excidere talia ob multitudinem adeuntium, Saul etiam morbi externationem habuisse. At si Saul ejus & quidem sui armigeri fuerit oblitus faciem, quem admodum dilexerat, quomodo ejus oblitus fuit Abner? Si fuit regis armiger, qui domum remissus, præsertim cum rogaverit parentem ut in suo ministerio perpetuo, ni fallor, esse posset? Omnia probant Fr. Junii dispositionem. Ita singulari certamine gloriam sibi peperit David: at beneficii memoria fugax est. Domum igitur dimissus, illic fuit, donec vexatio regis eum in aulam adduceret. Quærunt interpretes hoc in loco & disputant de duelli justitia & injustitia; an & quando licitum. Nos ea in alium locum rejicimus. In Græcis Bibliis exstat psalmus supernumerarius, quo David singulare hoc certamen & suam victoriam celebrat. Eum vanitas commenta est.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI PRIMI.
CAP. LIV.

Sed è prælio reversis, multus circa David favor, invidiam regis accenderat. Timens autem tam charum omnibus cum invidia & pernicie necare, sub specie honoris, objectare eum periculis statuit. Ac primum tribunum eum fecerat, ut rem bellicam curaret. Inde, cum ei filiam spopondisset, fidem fregit eamque alteri tradidit. Mox filia regis natu minor, Melchol nomine, amore David flagrare occœperat. Igitur nuptiarum ejus istiusmodi conditionem proponit: si centum præputia David ex hostibus retulisset, regiam virginem matrimonio illius cessuram. Sperabat enim juvenem periculosa audentem facile periturum. Sed longe aliter, ac ratus erat, evenit. Nam ut proposuerat, David impigrè centum præputia ex Allophylis retulit: atque ita regis filiam in matrimonium accepit. Crescebat indies in eum regis odium, stimulante invidia quià bonos semper mali insectantur. Igitur ministris & Ionathæ filio imperavit vitæ ejus ut insidias pararent. Sed Ionathæ charus acceptusque jam inde à principio David fuerat. Itaque rex increpitus à filio, cruentum imperium repressit. Sed non diu mali boni sunt. Nam cum spiritu erroris Saul affli-

affligeretur, eique David aßisteret, cithara laborantem deliniens lancea eum ferire conatus est, nisi ille lethalem ictum properè declinesset.

DRUSIUS.

MULTUS CIRCA DAUID FAVOR] cum dicerent eum decem millia superasse, Saul verò mille tantum. Hoc ei invidiam conciliabat apud regem.

TRIBUNUM] chiliarchum, sive mille militum præfectum.

CUM EI FILIAM SPOPONDISSET] filiam natu majorem Merob nomine.

AMORE DAVID FLAGRARE OCCOEPERAT] Sic veritas Ebræa 1. Sam. 18. 20. Sed & Græca editio καὶ ἠγάπησε μελχὸλ ἡ θυγατὴρ σαοὺλ τὸ δαβίδ. Dilexit Melchol filia Saul David. Latina exemplaria variant. Nam in aliis, *dilexit autem Michol, filia Saul altera David:* & in aliis, *dilexit autem David Michol filiam Saul alteram.* Utrumque verum esse potest.

CENTUM PRÆPUTIA] ἑκατὸν ἀκροβυστίας. Josephus habet, *Sexcenta hostium capita.*

SPIRITU ERRORIS] spiritu Dei malo.

SCHOTANUS.

I. SAM. CAP. XVIII.

HUjus captis v. 2. immediatè cohæret cum fini capitus XVI. ut diximus. Saul ipsum in aulam recepit, ut perpetuum ministrum postquam usum ejus sibi esse agnovit ob morbum & Dæmonis vexationem. Antea dimiserat, cum Goliathum profligaverat. Coaluerunt autem magis magisque animi Davidis & Jonathanis. Pepigerunt inter se fœdus amicitiæ. Jonathan filius regis pallium suum quo solebat amiciri donavit Davidi: vestimenta etiam: imo gladium, arcum & balteum: quidam dictum usque ad gladium & balteum accipiunt exclusive quia illis carere non poterat. Sed verius includuntur, in signum perfectæ amicitiæ. Filius enim regis illa facile comparare potuit. Adhibebatur David in usu armorum & aliis negotiis, ubi se sapienter gerebat & fortem operam præstabat. Hinc præpositus copiis ad certas expeditiones ut puto gratiam habuit apud populum & aulicos. At cito populi nimius favor odium regis accendit. Quodam enim tempore (Omnes interpretes, ita & Sulpicius & Josephus hoc id est v. 6. intelligunt de cæde Goliathi & eo prælio, atque ita turbant intelligentiam textus sacri) cum à cæde & victoria in Palæstinos reverterentur, mulieres obviam egressæ ex urbibus Israel cum cantu & choreis, tympanis, gaudio & musicis instrumentis, alternis canebant: *Saul sua millia profligavit, David suas myriadas.* Id verbi in pectus regis altius, quam quisquam ratus est, descendit. Ita enim secum cogitabat: Davidi myriadas, mihi millia dederunt: Profecto regnum in illum devolvetur. Josephus: λογιζόμενος μηδὲν ὕστερ μετὰ λαμπρὰν εὐφημίαν ἢ τὴν βασιλείαν ὑστερεῖν αὐτῷ. Ab eo tempore Davidi infensus fuit: Sic apud Romanos Tiberium gloria Germanici, Neronem Corbulonis, Domitianum Agricolæ urebat, ut est apud Tacitum. Sallust in Catilin. *Nam regibus boni quam mali, suspectiores sunt: semperque his aliena virtus formidolosa est.* Josephus scribit mulierum choros fuisse partim virginum, partim mulierum: Mulieres cecinisse de Saul, virgines de

David reſpondiſſe. שלישים / Jonathan reddit צלצלין / Joſephus & Lxx, κύμβαλα, Vulg. *Siſtra.*

Poſtero die, cum ſpiritus malus Dei regem affligeret atque ipſe baccharetur Heb: יתנבא. chald. ואשתטי *Et inſaniebat.* Ut arreptitius & energumenus loquebatur ſeque gerebat. Fundebat verba ſtulta ut Raſi & Kimchi. Theodoretus: οἱ ψευδοπροφῆται ὑπὸ τοῦ πονηροῦ πνεύματος ἐνεργούμενοι τοῖς κορυβαντιῶσιν ἐοίκασι. Τοῦτο καὶ ὁ Σαοὺλ ὑπέμεινεν ὑπὸ τοῦ δαίμονος ἐνοχλούμενος. Τὸ δὲ προφητεύειν ὁμωνύμως τέθεικε. Καὶ γὰρ τοὺς ψευδοπροφήτας προφήτας ὠνόμαζον καὶ θεοὺς τοὺς ψευδωνύμους θεούς.) cumque David inſtrumento caneret, ut ſolebat, Haſtam quam manu tenebat, in Davidem miſit: ut eum transfigeret: At David ictum declinavit, (פעמים) duabus vicibus. Bis enim id molitus fuit aut duabus corporis rotationibus ægre evaſit. Lyranus ita accipit, quaſi receſſerit ſecundo ad patrem: ſitque revocatus à Saul meliora promittente. Dum ſæviebat agitatio dæmoniaca mens ſibi conſtabat tantum, ut poſſet id odii facinus conari: aut parexyſmus pſallente Davide jam remiſerat in partem non totum. Suſpectum habebat Davidem, ideò removit ex aula; fecitque tribunum ſive præfectum millenarium. Hic quoque impiger juvenis, gratiam populi flagrantiorem fecit. Igitur ſtatuit eum domi amanter habere, ut promptum formidandis acrius ſtimularet: offert ipſi (per alios puto) matrimonium filiæ, natu maximæ, cui nomen Merob: modo ſtrenue bellum Domini bellaret. David non minus modeſtus quam fortis iſtam ſublimitatem majorem eſſe dicebat, quam pro modo ſuo & ſui generis. Quo autem die Merob, filia Saul, Davidi tradenda fuerat, data eſt Adrieli Meholathæo. Interim Michol, altera regis filia in amorem Davidis inciderat. Quod cum eſſet obſervatum & indicatum regi placuit. Scilicet ut ad tantam aſcenderet dignitatem, in hoſtem quotidie eundum erat & vita periculis objicienda. Et quomodo juvenis amorem regiæ puellæ aſpernaretur? Proponit igitur Davidi hanc filiam, per aulicos internuntios. Qui ipſum regi aulicisque carum eſſe ferebant: unde filiæ conjugium concederet. Davide excipiente: Rem iſtam ſibi homini modico effici non poſſe. Id regi eſt enuntiatum. Qui ita regeri jubet: Non petit rex ſibi dotem niſi centum præputia Palæſtinorum, ut hoſtibus regiis reponatur malum. Ea conditio placuit Davidi homini bellicoſo, ſi hoſtium clade affinitatem regiam poſſet mercari, Putabat enim regem ſincere agere. Ante diem condictum (ſive nuptiarum ſive præputiorum dandorum) David cum ſuis in hoſticum egreſſi ducentos peremerunt. Affert igitur plenum regi numerum & uxorem obtinet. At Michal Davidem tenerrimo affectu diligebat & Deus eum in omnibus fortunabat. Quoties præliandum erat cum ducibus Palæſtinis, (Judæam pro more populantibus) David omnibus ſervis Saul fortitudinis palmam præcipiebar. Unde gloriam ſibi & ingens nomen comparavit.

In hac narratione explicanda ridiculus eſt Ralbag, qui ideò à Davide genus ſuum deprimi refert, quod eſſet ortus è Ruth Moabitide. Ille & Kimchi obſervant non interveniſſe ſponſalia inter Davidem & Merob. Non enim potuiſſet alii tradi. Tantum Saul ſermones jecerat per aulicos. Videtur apparere, quod in tali oblatione ſimul dies, quo nuptiæ eſſent faciendæ, propoſitus fuerit. Eo die data eſt Adrieli, quia David non erat aſſenſus. verſ. 21. בשתים תתחתן בי היום Belg. **Met de andere ſult gy heden mijn Schoonſoon worden.** Jonathan: בחדא מתרין תתחתן / *E duarum altera gener fies.* Belgæ acceperunt quod cardinalis numerus ſit poſitus pro ordinali. Chaldæa interpretatio accipit robur è loco Jud. 12. 7. Sepultus in urbibus Galaad, id eſt una urbium. Senſus eſt, Ego duas filias habeo, quarum unam tibi jungere animus

ſemper

ſemper fuit: cum priorem non receperis alteram nunc offero. Scilicet animi ſui pronum in Davidem favorem eo indicare videtur, quod filiam unam offerat poſt aliam; omninoque exoptet generum adſciſcere. Hic ſenſus planus eſt, quem cum non aſſequeretur Ralbag, erravit incerta regione viarum. Lyranus exponit unam deſponſatam, alteram in matrimonum datam: ita in duabus filiabus regis generum fuiſſe. Egregium autem beneficium, ſponſam alteri dare: ut id Davidi gloriabundus proponeret. Joſephus ut ſe iſta difficultate eximeret, de una tantum regis filia Davidi oblata deſponſaque ſcribit. Sic etiam LXX.: qui hujus capitis verſus primos quinque item v. 9. 10. 11. tum v. 17. 18. 19. & finem v. 21. omiſerunt. Hiſtoriam commode, nec præter mentem Sp. S. videtur expolire. At pro ducentis præputiis ſexcenta hoſtium capita poſuit. Hic tamen LXX. Hebræo conſonant. Omiſit Joſephus etiam, quod Saul transfigere Davidem conatus ſit: ſed non ea cauſa, quemadmodum Salianus vult, ut famæ regis parceret. Nam & LXX. omiſerunt, quibus id impingere non ſuſtinebat.

David excuſans nuptias dicit ſe eſſe רש ונקלה, *Egenum & contemptibilem.* Jonathan מסכן והדיוט *pauper & idiota.* Prius: רש שאף לי שאוכל לתת מהר ראוי לבת מלך Sic Kimchi: Secundum: שאני כראוי לקחת בת המלך. Præputia regi annumerata. Trucidavit ducentos, quidam omnia illorum præputia data volunt eſſe, ut ſeſe oſtenderet. Ralbag להורות על טוב הצלחתו Iſidorus: *Hinc invidia Saulis* & ſemen odiorum adverſus David, quem diſſimulanter callidus, ut ſine invidia ſua poſſet offerre diſcrimini, ſtatuit Michal filiæ ſuæ nuptiis illigare, ſi centum ſibi Allophylorum præputia victor offerret: pro quibus ducenta dedit: & unde creditur regio perire voto, inde auctus eſt glorioſiore *tropheo.* In quibuſdam codicibus Latinis v. 20. habetur: *Dilexit autem David Michal filiam Saul alteram.* Quod Abulenſis præfert, ſed recte refutatur à Saliano. Amorem conjugis dicunt Judæi (Ralbag & Kimchi) impedimento fuiſſe, quo minus inſidiæ Saul in Davide poſſent valere: deinde & retinuiſſe à cœde ut filiæ parceret.

I. SAM. XIX.

CUm videret Saul omnia ſua molimina in vanum cadere, uſurpare poterat illud Junonis apud Senecam: *Superat & creſcit malis; Iraque noſtra fruitur: in laudes ſuas Mea vertit odia.* Decrevit igitur è medio tollere inviſum caput ſuo imperio & necem Davidi palam ſuo juſſu inferre. De ea re locatus eſt cum Jonathane filio & ſervis ſuis omnibus. Jonathan ea re anxius, Davidi aperit parentis animum, quem à neceſſitudine affinitatis contractæ melius habere putabat David, homo minimè ſuſpicax. Cave tibi, mane, ſubtrahe te, late in agro.

v. 3. *Ego egrediar & adſtabo ad manum patris mei in agro, ubi tu eris: de te ad patrem loquar. Videbo quid ſit & enuntiabo tibi.*

v. 4. *Locutus eſt Jonathan de Davide bonum ad Saul patrem ſuum. Et dixit ad eum ne peccet rex in ſervum ſuum Davidem qui tibi non peccavit: cum & opera ejus tibi valde bona ſint.*

v. 5. *Poſuit enim animam ſuam in manu ſua & percuſſit Palæſtinum: & fecit Dominus ſalutem magnam toti Iſraeli: vidiſti & lætatus es. Et cur peccares in ſanguine innocente ad occidendum Davidem ſine cauſa.*

Saul iſta oratione inductus, ut habuit faciles motus, juravit Davidem non eſſe moriturum. Joſephus non omnibus ſed ſervorum fideliſſimis rem communi-

municatam eſſe dicit: quos ſceleris miniſtros eſſe volebat. Sane cur palam faceret in tanta gratia Davidis apud populum? In textu (כל *omnes*) reſtringi debet ad eos, qui vocati aderant. Jonathanis fœdus cum Davide ignotum illi ac amicam converſationem affinitas & benefactorum tuebatur memoria. Præſertim cum ipſe rex palam omnem favorem Davidi oſtenderet. Agrum illum certum & notum fuiſſe oportet, in quem rex ſolitus eſſet aut nunc ſtatuiſſet, certæ rei cauſa egredi. Mane illud proximi diei, poſt conſilium propoſitum & Davidi indicatum. Salianus putat id tempus fuiſſe decretæ necis. Voluit ut ſe occultaret, donec certius exploraſſet patris animum. Voluit illo loco ſe in abſcondito tenere Davidem, ubi citò poſſet enuntiare alloquii exitum. Obſervat Salianus orationem Jonathanis prudenter abſtinuiſſe ut ne Davidem, generum aut tribunum vocaret cum ſervum tantum vocet. Diſſuadet facinus à perſona regis, quem non deceat injuſte agere: à perſona Davidis, qui innocens ſit miniſter fideliſſimus & optime meritus. Revocat in memoriam, quod & ipſe rex cum toto Iſrael beneficiis Dei Davidis miniſterio præſtitis fuerit gaviſus &c. Concludit liberius dehortando ab atroci facinore. Sic æquitas cauſæ valuit nec offenſam habuit à perſona oratoris, cujus familiaris amicitia & fœdus cum Davide (ſi nota fuiſſent) obicem ponere potuiſſent.

Joſephus ita molimen Saul deſcribit, ut videatur excuſare: quia ob nimiam populi gratiam in qua David erat, ſuo regno & vitæ timeret. Jonathanem fuiſſe confœderatum & animo benevolo amicoque in Davidem non ſignificat, ſola iniquitate rei motum ſecretum aperuiſſe. Orationem Jonathanis ad alia deflectit. Jonathan Davidi lætus eventum colloquii aperit, eumque in conſpectum patris reducit, reconciliata gratia. Non ad aulica officia, quod dicit Joſephus, ſed ut in munere verſaretur, habitans ſeparatim. Videbatur res coaluiſſe ſed vulnus animi recruduit. Nam cum Palæſtini bellum renovaſſent (Nugantur Rabbini ideò renovaſſe, quia Davidem primo anno conjugii vacaturum ſperabant) David cum eis congreſſus ingentem reportavit victoriam. Id regem ægerimè ferentem & anxium nova Davidis gloria Dæmoniaca vexatio apprehenderat. Pſallentem ejus lenimini Davidem (Joſephus *ἐν τῷ δωματίῳ ἐν ᾧ ἔκειτο*) haſta, quam forte manu tenebat, trajicere conatur: at David ictu declinato abiit. Nox erat, cum id fieret quamvis aliter velit Joſephus. Sed & Lxx. noctis vocem à fine v. 10. tranſtulerunt in v. ſequentem. David domum ſuam abierat ibique ſe continebat: quia putabat iræ imperum ex morbo eſſe nec duraturum. At Saul lictores miſit, qui ædes cuſtodirent ne elabi poſſet: protrahendus cum luce ad necem ſeu ſub forma judicii, ſeu mero juſſu. Joſ. *Μὴ καὶ λάθῃ παντελῶς ἀφανὴς γενόμενος, ἵνα παραγενόμενος εἰς τὸ δικαστήριον ϗ χερσὶ παραδοθεὶς ἀποθάνῃ.* Uxor Davidis quid ageretur, cognitum habens, ex ſatellitum indicio, ſeu conjectans, indicat marito periculum. Forte nec ipſi ſatellites noverant, quid ageretur. (Quod putat Raſi) Non voluit eum interfici Saul in ædibus & ſub oculis filiæ, ut notat Kimchi. Noctis beneficio per feneſtram dimiſit maritum, qui ita ſalvus evaſit ad Samuelem: cum apud eum tutiſſimum eſſe refugium putaret. Patet cuſtodes non fuiſſe in illo cubiculo, ubi David erat, ſed latere voluiſſe ne ſe illa nocte commoveret. Fuerunt aut circa cubiculum aut fores ædium cuſtodiebant. Mulieris aſtutia hanc fallaciam commenta eſt: Theraphim (*κενοτάφια* Lxx. Joſephus non habet) imaginis humana forma (ut apparet) impoſitæ lecto crinibus capræ caput obvolvit. Non ut cæſariem imitaretur, quod putat Salianus cum aliis, ſed ut ægrotantis defenſionem à frigore & aëre ſimularet

laret simul faciem occultaret à primo intuitu. Custodes igitur aut alii à Saul submissi primo mane satellites, ut comprehensum adducerent Davidem, accipiunt à Michal ægrum decumbere. Forte & introductos in cubiculum decumbentis ostendit speciem. Mira hic est hallucinatio Josephi, qui se passus est seduci à Lxx. interpretibus. Cum in Hebræo sit כביר עזים id est pulvinar è crinibus caprarum, illi reddiderunt ἧπαρ αἰγῶν, jecur caprarum, quasi esset כבד quod est jecur. Ita ד legerunt pro ר. Ἔπειτα σχεδιάσασα τὴν κλίνην ὡς ἐπὶ νοσοῦντι καὶ ὑποθεῖσα τοῖς ἐπιβολαίοις ἧπαρ αἰγός. Ἅμα ἡμέρᾳ τοῦ πατρὸς αὐτῆς πεμψαντος ἐπὶ τὸν Δαβίδην, ὀχλῆσθαι διὰ τῆς νυκτὸς εἶπε· τοῖς παροῦσιν ἐπιδείξασα τὴν κλίνην κατακεκαλυμμένην καὶ τῷ πηδήματι τοῦ ἥπατος σαλεύοντι τὴν ἐπὶ τὸ ἐπιβόλαιον πιστωσαμένη τὸ κατακείμενον τὸν Δαβίδην ἀσθμαίνειν. *Inde composito lecto ut ægrotanti subjectoque stragulis jecore capræ. Simul cum die, patre mittente ob Davidem, male habuiße inquit tota nocte, ostensoque præsentibus lecto obtecto, & palpitatione jecinoris movente lectum, qua sub stragulo erat, fidem facit, decumbentem Davidem respirare.* Theodoretus hoc commentum sequitur & omnes ante Hieronymum. Nesciunt etiam quomodo cenotaphia applicare huic rei debeant. Hieronymus in ep. ad Marcellam: *Venerunt nuntii & ecce κενοτάφια in lecto. In Hebræo theraphim id est μορφώματα posita sunt & non decor* (leg. jecur.) *caprarum, ut nostri codices habent, sed pulvillus de caprarum pelle consutus, qui intonsis pilis, caput involuti in lectulo hominis mentiretur.* Erat plexus è crinibus capræ aut pellis capræ, quæ ipsius faciem quasi obvelabat. כביר עזים: Kimchi, *Pulvinus factus è crine caprarum.* Jonathan reddidit נוד utrem. Idem: *Rem Theraphim, quidam exponunt, quod fuerint idolum, sicut Theraphim quæ fuerunt Labani, quæ furata est Rahel. At Laban fuit idololatra: ut dixit filiæ: Cur furata es deos meos? At absit ut fuerit in domo David idolum. Quidam dicunt, quod fuerit instrumentum ex ære, factum ad sciendum partes horarum: & videbant in eis futura in modo siderum. Et hoc quadrat in re Laban, sed incongruum in re Michal, ad exponendum, quomodo ea posuerit in lecto, loco Davidis & ipsum instrumentum non erat in dispositione hac. Sapiens Aben-esdras b. m. scribit Theraphim fuisse forma humana. Et hanc factam ad recipiendam virtutem superiorum. Et probationi est quod Theraphim fuerunt ita, Theraphim illa, quæ posuerat Michal in lecto* (עד שחשבו) *ut putarent custodes domus, quod essent David.* Ralbag dicit Theraphim habuisse formam humanam, factam in temporibus notis apud ipsos: & ipsos putasse, quod forma ista excitaret virtutem imaginatricem בדרך שיהיה מתבודד מבין כחו' שאר הנפש בדרך שיקבל כח עליון כמנהגו והיה שומע הדמיון קול נמוך מגיד העתידות לפי מחשבתם וכבר נכנס בהודע' הזאת מה חסרון מה שכבר העירונו עליו בפי' אמת ואון והתרפים הפצר׃ *in modo, quo ipse solus intelligeret reliquas facultates animæ; in modo, quo recipiebat virtutem superiorem secundum consuetudinem suam. Et audiebat similitudinem vocis submißæ, nuntiantis futura secundum cogitationem suam & jam ingrediebatur in notificatione ista quis defectus, quid quod modo excitavimus &c.* Vide plura apud Buxtorfium in lexico Thalmudico hac voce. At quomodo convenit, ut in Davidis ædibus fuisse dicamus mathematicas statuas?

Cum regi nuntiatum esset responsum Michal & quid vidissent (ut putabant) mandat decumbentem cum lecto aut grabato ad se adduci. Ægrotantem trucidare animus erat. Satellites reversi sophisma mulieris aperiunt, stupentesque renuntiant regi. Qui dolens & iratus filiam objurgat, quod inimicum è manibus suis liberasset. Illa se coactam esse respondet, quod mortem minitaretur. At unde noverat David sibi insidias strui? Aliunde subolfecit: quod forsitan & Michal patri exposuit.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

Cap. LV.

EXinde jam non occulte, sed palam ei necem parabat: nec ultra se David regi credidit. Ac primum fugiens ad Samuelem se contulit: inde ad Abimelech, postremò ad regem Moab confugit: Mox per Gad Prophetam monitus in terram Iudæ regressus, vitæ periculum adiit. Ea tempestate Saul Abimelech sacerdotem interemit, quod David recepisset: & cum ex ministris regiis nemo in sacerdotem manus inferre auderet, Doëg Syrus cruentum ministerium exsecutus est. Post id David desertum petiit: illic quoque eum Saul persecutus est: sed inani opera ejus exitium moliebatur, quem Dominus protegebat. Erat in deserto spelunca vasto recessu patens. In hujus interiora David se conjecerat. Saul nesciens in primo speluncæ aditu reficiendi corporis gratia successerat: ibique somno captus requiescebat. Quod ubi David animadvertebat, hortantibus cunctis ut oportunitate uteretur abstinuit regis exitio: diploidem tamen ejus abstulit. Mox egressus tuto eminus loco à tergo regem allocutus est sua in illum commemorans beneficia: ut sæpe pro regno ejus caput periculis objectaßet: utque postremo, præsenti tempore, à Domino sibi traditum interimere noluisset. Ad hæc culpam Saul fateri, veniam precari, lachrymas fundere, pietatem David extollere, malitiam suam incusare, regem eum & filium appellans. Tantum ex feroci illo animo mutatum: crederes nihil ultra adversum generum ausurum. Sed David, qui penitius ingenium mali spectatum haberet & cognitum, nihil regi credendum ratus, intra eremum se continebat. Saul vecors animi, quia comprehendi generum potestas non erat, filiam suam Melchol, David, ut supra retulimus, nuptam, Faltim cuidam in matrimonium dedit. David ad Allophylos confugit.

Dru-

Drusius.

Inde ad Abimelech] Αβιμέλεχ est in editione τῶν LXX: quam nunc secutus videtur: Cæterum in Hebræa & Latina vulgata Achimelech legitur, ut etiam in Josepho. Achimelech iste fratrem habuit Achitob dictum. Fuit alius Achimelech filius Abjathar, memoratus. 2. Sam. 8. 20. qui Abimelech vocatur, 1. Paralip. 18. 16. Scribi etiam potest Ahimelech. Nam est Heth in scriptura Ebraica.

Ad regem Moab] ubi parentes reliquit.

Judæa vocatur] quandoque tribus Juda. Quod ita notum ut probationis non indigeat.

Abimelech sacerdotem] Nobe degentem, ubi pontifex erat, quem Doëg Idumæus interemit cum 85. viris Ephod lineum gestantibus. Sed vidésis 1. Reg. 22. 19. Abimelech iste is est, quem supra in codicibus Ebræis & Latinis Achimelech vocari diximus, Filius ei Abiathar, qui solus evasit & ad davidem transfugit.

Doëg Syrus] Δωὴγ ὁ Σύρος, quod perperam Δωὴκ scriptum est: Syrus id est הארמי Aramæus: error lectionis. Nam in Ebræo האדמי id est Idumæus. Quomodo sanè Hieronymus olim legit. Josephus Græcam lectionem secutus, Forte autem, inquit, aderat quidam servus natione Syrus, regiarum mularum curator. Ant. Hist. lib. 6. cap. 14. Error natus ex affinitate literarum Res & Daleth: quæ teste Hieronymo, apice tantum distinguuntur. An variatum fuerit aliquando in codicibus Ebræis nescio: hoc scio scripturam à lectione variare in his vocibus 4. Reg. 16. 6. Nam scriptum ארמים per Res & lectum אדמים per Daleth. Scripturam expressit interpres Chaldæus, ut lectionem noster Hieronymus.

Desertum petiit] Desertum Engaddi I. Sam. 24. 2.

Reficiendi corporis gratia] παρασκευάσασθαι quod in editione Græci vertit, *reficere corpus*; vulgata lexica exponunt, *purgare ventrem*. Quod sumptum ex Hieronymo, qui tamen non Græca sed Ebræa transtulit. H. Stephanus in thesauro suo conjicit legendum ἀποσκευάσασθαι. Id Aquila dixit ἀποκενῶσαι. In Ebræo est tegere pedes: de quo aliquid Quæst. lib. 1. quæst. 35.

Ibique somno captus requiescebat] Mirum unde hoc hauserit. Nam non habetur in fonte sacro.

Diploidem] Oram diploidis: quod Græci dicunt, τὸ πτερύγιον τῆς διπλοΐδος. Hieronymus oram chlamydis.

Abstulit] abscidit.

Præsenti tempore] Cum in spelunca alvum exoneraret.

Regem eum appellans] Non regem eum appellabat, sed dicebat, *Nunc* scio quod certissime regnaturus sis & habiturus in manu tua regnum Israel I. Sam. 24. 21.

Penitius] In Coloniensi est penitus.

Intra eremum] Intra desertum Pharan.

Faltim cuidam] Vocatur Falti filius Lais ex Gallim I. Sam. 25. 45. Quæ corrupta fœde apud Josephum in textu Græco. Editio Romana bibliorum habet Φαλτί: cæteræ Φαλτιὴλ. Faltim autem est ex Φαλτὶμ quod in locum Φαλτὶν irrepsit librariorum vitio. Qualia sunt λευὶν & Σαβὶν. Nam veritas lectionis λευὶ & σαβί.

Ad Allophylos] Ad Achis regem Geth.

SCHOTANUS.

RESIDUA CAP. XIX.

EVasit David ad Samuelem Ramæ agentem: cui exposuit, quid sibi à Saul evenisset. Orationis argumentum recitat Josephus. Simul iverunt ad locum quendam vicinum, cui nomen Najoth: Josephus habet γαλβαάλ, in in Græco Ναυάθ. Eo loco legitur in Hebræo בנית & בנות pro בנית. Illic schola prophetica erat, בית מדרש לנביאים: Hinc Jonathan בבית אולפנא *in domo disciplinæ*. Illic enim filii prophetarum agebant sub disciplina Samuelis. Illic aliquandiu considebant: Nuntiatum id regi est. Missi igitur sunt, qui eum caperent. Hi cum prope illum locum essent, jam tempus erat arreptionis, qua rapta caterva prophetarum coram Samuele, qui ipsis præpositus erat, prophetabat. Hac visa & ipsos Sp. Dei corripuit: unde capiendi Davidis animum & mandatum amiserunt. Misit Saul iterum & tertio, qui eodem modo corripiuntur. Ipse rex (tantus furor erat) eo se confert. Similiter correptus, cum venisset ad cisternam magnam in Secho, bacchabundo incessu, Najoth advenit. Exutis vestibus nudus toto die & nocte insequenti humi jacuit prophetabundus coram Samuele. Hinc confirmatum est proverbium, Estne Saul inter prophetas? Sic spatium datum est Davidi, ut se periculo subduceret. Thargum *Catervam prophetarum prophetantium vertit catervam scribarum* (ספריא) *laudantium*. Kimchi ספרא interpretatur תלמידי חכמים. Cecinisse hymnos & laudes Deo aut forte vaticinatos esse vaticinia rerum futurarum. Rasi putat exuisse vestes regias & induisse vestitum prophetarum. Hinc Lyranus assumit prophetas illos ut religiosos proprio quodam habitu indutos fuisse. Rectius Kimchi: fecisse ut prophetæ solebant, qui se spoliabant vestibus, cum Deo pleni prophetarent. Quidam planè nudos prophetasse volunt: ut spiritus pudorem excusserit. Tostatus etiam in confusionem Saul id esse factum putat. Theodoretus ἐδήλου γὰρ τὸ σχῆμα τὴν τῆς βασιλείας ἀφαίρεσιν, Deus alias διεγερσίας impedit ut sub Elisæo hic vero διὰ προφητικῆς χάριτος. Vidit igitur Saul Samuelem, contra I. Sam. 15, 35. Quod ita solvit Hieronymus: *Quam quæstionem,* inquit, *Hebræi duobus modis solvunt. Aut non vidit eum, quia quando junctus est Saul cuneo prophetarum, abscondit se Samuel ne videretur ab eo: aut non vidit eum indutum habitu regio, quo indutus erat: quando dictum est non vidit eum usque in diem mortis suæ: subauditur indutum habitu regio.* Inanis est subtilitas, quam interpretes admiserunt. Non vidit, id est non adiit eum, ut cum ipso conversaretur aut communicaret de re aliqua.

I. SAM. XX.

E Najoth in Ramæ territorio David se confert ad Jonathanem. At quo loco eum accesserit nisi per internuntios ex condicto prope Gabaam Saul, ubi Jonathan agebat in aula patris: in solo quodam loco. Illic apud Jonathanem queritur de Patris in se molitionibus. Non credebat Jonathan patrem moliri ipsius necem, quia tale nihil intellexisset à Patre, qui sine communicatione cum ipso nihil soleret agere. Non fugit David ad primorum missorum adventum nec secundorum nec tertiorum sed tandem ad adventum Saul. Videtur, quod arreptio illa ad aliquot dies fuerit continuata, & sic omnes missi manserint usque ad finem illius spirationis. Cujus finis fuerit cum nocte prophetiæ

phetiæ Saul. Proinde non opus erat, ut abiret prius. Potuit autem indicio Samuelis cognoscere, quando desitura esset. Abulensis putat illic loci aliquam reconciliationem factam esse inter David & Saul, interventu Jonathæ. Alioquin absurdum videri, quod Saul ejus absentiam à mensa in novilunio admiratus sit. Deinde, cur ejus profectionem in Bethlehem excusat Jonathan, si non desierit eum hostiliter persequi? Lyranus existimat Davidem devenisse ad Jonathan, absentem ab urbe regia ob negotia, eoque ignorasse, quid interim factum fuerit. Salianus: *Verum ex sequentibus satis constat Ionathanem, Saulem & Davidem in eadem urbe fuisse cum sequens probatio facta est; idque affirmant Tostatus & Serarius. Neque satis probabile est ignorasse Ionathanem vel unum diem, Saulis lancea petitum Davidem, sibi carissimum caput, quamvis tantum abfuisset, quantum spatii est à Dan usque Bersabee: nescisse obsessum in domo sua à satellitibus & per fenestram fuga lapsum. Scripsisset vel Michol unius conjux, alterius soror vel alius de familia regis. Censet Torniellus expediri posse difficultatem, sine ulla nova reconciliatione aut non introducta Ionathæ ignorantia de postremum parata Davidi à patre pernicie, dicendo Ionathanem illa omnia tribuisse infestanti Dæmoni &c. Verum hæc responsio ponit Saulem ex opinione Ionathæ fuisse semper impotem sui licet reipsa non vexaretur à dæmone. Nam extra vexationem suam Davidem persequebatur, ut cum venit in Najoth &c. Eligat prudens lector, quam malit rationem nodi hujus solvendi, ego deinceps Tostati sententiam sequar, qui geminam Davidis ad Ionathanem querelam ponit; priorem, quæ scripta non sit & quam reconciliatio aliqua secuta est & posteriorem, quæ narratur in textu. Quamvis autem illa reconciliatio suo loco perscripta non sit, ex posteriore tamen narratione intelligitur illam antecessisse.* Salianus ita totam narrationem texit: Prophetantibus novis prophetis venit David ad Jonathanem, quem in urbe regia reliquerat, ibique ante reditum Saul expostulat de capitali ejus in se odio & de Divina narrat liberatione. His auditis Jonathan patrem revertentem adiit, oravitque ut Davidi, homini pio & apud Deum caro, fidoque regi & forti bellatori reconciliaretur. Delinitus Saul: Video, inquit, quis tuus sit amor in Davidem. Age nuntia illi, faciat ut subditum generum decet ego me principem socerum præstabo. Refer illi ista per otium & deduc eum ad mensam meam. Cæterum citò ad ingenium redit, quia gloria Davidis animo recursat. Qua post multam volutationem actus in rabiem: Jacta sit, inquit, alea, pereat David. Quoniam vero intelligebat unum sibi Jonathanem obstiturum: agebat id omni modo, ne Jonathan persentisceret, quid ageretur. Mandat ergo fidissimis suorum, ut Davidem quoquo modo opprimerent. Dum ista parantur, David rem subodoratur, expostulat cum Jonathane: *Quid feci, quæ est iniquitas mea & quod peccatum meum in patrem tuum, quia quærit animam meam?* Kimchi sententiam Abulensis & Tornielli conjungit.

יש לשאול האיך היה מבטיחו יהונתן על שקר ואיך אמר לו ולא יגלה את אזני והלא לעיני
כל היה רדפו ומבקש על נפשו אלא היה חושב יהונתן שלא היה בלב אביו להמיתו אחרי
שנשבע לו ואמר חי יי' אם יומת ומה שהיה מטיל לו החנית אחרי השבועה ומה ששלח
לביתו לשמרו ולהמיתו ושרדף שהלך אחריו עד נוית ברמה להמיתו היה חושב יהונתן כי
מפני רוח רעה שהיתה מבעתת אותו היה רוצה להמיתו בעוד שהיתה בו הרוח הרעה כי
לא היתה לא רוח רעה אלא לעתים כמו והיה בהיות עליך רוח אלהים רעה אל שאול וכן
לא ראינו שהיה רוצה להמיתו אחר השבועה אלא בהיות עליו רוח רעה לפיכך היה
מבטיחו יהונתן כי היה יכול להשמר ממנו בהיות עליו רוח הרעה ואף על פי שהיה לו
לגן לפניו בעת ההיא אף על פי כן היה יכול להשמר שלא יעמוד לפניו ושאול היה
בלבו להמיתו גם בלא עת רוח רעה אלא שלא היה מראה זה מפני השבועה
שנשבע

שנשבע ליהונתן או כדי שלא יעצב יהונתן כמו שאמר לדוד ויגידו לדוד מעבדי
שאול מאהבים אותו כי בלב שאול להמיתו כי גלה להם והסתיר מיהונתן
לפיכך נשבע דוד ואמר חי יי' וחי נפשך כי כפשע ביני ובין המות ונראה כי החזי
ר יהונתן לפני אביו אחר מעשה נוית והיה בשלחן אביו כיום ביום כמו שאומר ואנכי
ישב אשב עם המלך לאכול כלומר מנהגי לשבת עמו בשלחנו יום יום ואף על פי כן היה
ירא דוד ואמר ליהונתן כי בזה יבחן הדבר אם יפקדהו כשלא יהיה שם ויאמר טוב שלום
לעבדך כלומר כי שקר דברו לי המדברים אז היטב לבבו אליו *Quæri potest, Quomodo Ionathan confidere facit super mendacio & quomodo dicit* & non revelat auribus meis. *Nonne in oculis omnium erat eum persequens & quærens de animâ ejus.* *Sed cogitabat Ionathan, quod non esset in corde patris sui occidere eum, postquam jurasset ipsi & dixisset:* Vivit Dominus si interficietur. *At quid, quod elevaverit hastam post juramentum? Et quid quod miserit in domum ejus ad custodiendum & interimendum eum? Et quid quod iverit post eum usque Najoth in Rama ad occidendum ipsum? Cogitabat Ionathan quod ob spiritum malum, qui ipsum perturbabat, voluerit ipsum interficere, dum adhuc erat in ipso spiritus malus. Nam non fuit in ipso spiritus malus nisi per intervalla: ut dicitur* (1. Sam. 16. 16.) Et erit in esse super te Spiritum malum Dei, *Ad Saul. Et sic, non animadvertimus quod ipsum voluerit interimere post juramentum, nisi quando erat super ipsum spiritus malus. Ideo voluit ipsi fiduciam facere Ionathan, quod posset sibi cavere ab illo, dum super eum spiritus malus esset. Et quamvis coram ipso psalleret in illo tempore, tamen etiam posset cavere ab ipso ne staret juxta eum. At Saul habuit in animo suo eum interimere, etiam, quando non erat tempus spiritus mali. Sed ne ostenderet hoc, propter juramentum, quod juraverat Ionathani aut ne* tristaretur Jonathan, *secundum dictum David, Et annuntiavit Davidi aliquis è servis Saul amantibus ipsum, quod in corde Saul esset eum interficere. Nam ipsis revelaverat, at occultaverat à Ionathan. Ideo Iurat David & dicit* (v. 3.) Vivit Dominus & vivit anima tua, quod quasi passus sit inter me & mortem. *Et videtur, quod reduxerit Ionathan eum ante patrem post opus Najoth & fuerit in mensa patris, quotidie* S. D. (v. 5.) Et ego sedendo sederem cum rege ad edendum *q. d. Consuetudo mea sedere cum ipso in mensa ejus, quotidie, Metuit tamen David & dicit Ionathani, In hoc explorabitur res, si requireret eum cum non esset illic. Et dicit* (v. 7.) bonum pax servo tuo: *q. d. Quando falsum locuti sunt mihi loquentes, tunc bene habet cor ejus ad me.* Eandem sententiam tenet Ralbag, sed brevius proponit. P. Martyr merito dialogum hunc Davidis & Jonathanis admiratur: David apud Samuelem quæsiverat consolationem, apud Jonathanem consilium in re perplexa. Non metuebat adeo vitæ suæ, quam de rei gerendæ modo erat solicitus. Saul rex erat, ab ipso Deo in solio collocatus, cum quo ipsi negotium erat. Non tantum bonum sed & benè faciendum est. David implorat misericordiam filii adversus patrem. Per eum animum Patris penitus explorare vult. Jonathan versatur in medio duorum, tanquam inter Scyllam & Charybdin. Videbat enim Saul regem esse patrem, denique illo mortuo sibi regnum deberi: quod vivente Davide obtinere non poterat. Ex altera parte Davidem innocentem, virum Dei, multis meritis clarissimum Deo carum & populo. Apud eum prævalet æquitas & Dei voluntas solio regni. Expostulat apud filium David de patris iniquitate: quem præter omne suum meritum, animam suam queritur quærere. Jonathan vero, Absit non morieris. Id non stat patri meo. Nihil ille me celat. Tantamne rem me clam haberet? David vero jurejurando adstruit certum esse. At novisse, quod Jonathani carus esset, ideo rem ab illo occultare, Ne curis conficeret filium. Inter se autem & mortem vix passus spatium interesse. Jonathan igitur, quid me vis face-

facere? David: Cras nova luna est, qua soleo sedere apud regiam mensam (adhuc illo tempore sedendi mos obtinebat) Ego latebo usque ad vesperam tertiæ. Si pater mei meminerit, dices, Contendisse à te ut abirem Bethlehem, ubi sacrificium annuum (זבח הימים) isti sit familiæ. P. Martyr: *Præcipitur in cap. 28. Levitici, hunc diem, primum videlicet cujusque mensis, oportere esse sacrum: ita tamen ne ab opere servili abstineretur, tantum ut dies festus & sacer coleretur. Nam à laboribus uno tantum die Calendarum abstinendum erat in septembri mense, in festo, inquam, tubarum. In calendis vero aliorum mensium offerebant victimas pacificas: deinde exstructis mensis convivia inter se agitabant. Oportuit autem homines mundos, esse ut cibis sacris fruerentur. Ex hac occasione David ita instituit consilia. Pater, inquit, tuus in convivio requiret me: tu autem dices te mihi fecisse potestatem proficiscendi ad fratres meos. Nam illi jam fortasse propter aliquod insigne acceptum à Deo beneficium privatum, aliquod habebant inter se sacrificium. Tunc videbis quomodo se gerat pater tuus. Nam si odium ille suum erga me adhuc retineat & me doleat evasisse, quasi jam occidi non possim, omnino fugiendum est & aliquo pacto vitæ consulendum. At si animo mitigato profectioni meæ benè precetur, argumentum erit, quicquid ille hactenus in me fecerit, id factum esse per furorem: & spem esse me illi posse aliquando reconciliari.* Rasi: זבח הימים משנה לשנה בזמן הזה. Kimchi: היה מנהגם לעשות זבחי שלמים בני המשפחה יום בשנה וכן נאמר באלקנה לזבוח את זבח הימים: *Fuit apud eos consuetudo facere sacrificia pacifica filios familiæ, die in anno. Sic de Elcana: ad sacrificandum sacrum annuum.*

Admonet Jonathanem fœderis: in quod se deduxisset in Dei nomine. Si in se iniquitas, ut ipse potius occideret, quam ad patrem suum adduceret. Quæ verba tanquam diffidentis excepit Jonathan. Absit à te. Si enim observassem decretam patri meo mortem tuam, omnino indicassem. David iterum: Quis indicabit mihi, si pater tuus, durum aliquid protulerit. Jonathane monente simul in campum exeunt. Progressis Jonathan ita cœpit: Audiat Dominus Deus Israel: ubi patris mei animum exploravero ad hoc tempus diei cras aut perendie, Si bonum David: Ego vero si non miserim & tibi indicium fecerim, Ita Dominus Jonathani faciat & sic addat. Si patri meo malum tuum sederit, indicabo teque dimittam: ut eas in pace. Dominus tecum sit, ut fuit cum patre meo. Nonne tu si in vivis fuero, nonne tu misericordiam Domini in me facies, ut ne moriar? Nec misericordiam tuam amputabis à domo mea in seculum. Nec tum ubi Dominus exterminaverit è terra inimicos Davidis. Ita fœderis formulam concepit Jonathan, in quam Davidem adegit. Nam eum diligebat. Fœdus hoc cæso animali & scisso firmatum esse non assentimur Abulensi. Josephus hæc omnia non male. Sed dicit festum fuisse tribus: ἑορτὴν μου τῆς φυλῆς ἀγόντος. Deinde rationem reddit cur in campum processerit, quasi ita conveniret jurijurando: εἰς τὸ ὕπαιθρον καὶ τὸν καθαρὸν ἀέρα. Parte prima juramenti promittit se indicaturum David, quam mentem patris diligenter explorando invenerit. Rasi: *Sermo juramenti: Sic faciat mihi Deus benedictus quando investigavero patrem meum & invenero quod ipse bonus ergà te: Si non misero ministerio legati & revelavero aurem tuam, Nam bonum possum ego revelare. Et si velit pater meus tibi malum facere, illud non revelabo; ne innotescat patri locus, ubi tu es: & revelabo per me ipsum, aurem tuam.* Quod bonum velit per se indicare aut per nuntium, at malum alio indicio.

Porro Jonathan: Cras novilunium *(quo solebant omnes, qui participabant mensa regia venire in die festo ad mensam:* Sic Rasi:) Desideraberis, quia locus

tuus vacuus erit. Ubi tertium diem habueris, descendes ad locum ubi occultus eras die operis. Illic considebis apud lapidem Azel. Lxx: Καὶ καθίσῃ παρὰ τὸ ἐργὰβ ἐκεῖνο. Tres sagittas ad latus emittam (לשלח לי המטרה) quasi ad scopum mitterem: Lxx accepit pro nomine loci, ἐκπέμπων εἰς τὴν Ἀματταρί. Ecce mittens puerum, vade, quære sagittas, si dixero puero: Ecce sagitta à te & huc, accipe eam & accede, quia pax tibi nec est quicquam: ita vivit Dominus At si sic dixero puero, Ecce sagitta à te & porro: Abi, quia dimisit te Dominus. At verbum quod ego & tu locuti sumus: ecce Dominus inter & me inter te in seculum.

Die operis, יום המעשה] Jonathan interpretatur יומא דחולא, quod sequitur Rasi. Similiter Lxx, ἡμέρᾳ τῇ ἐργασίμῃ. Ita & vulgatus. Josephus hic iterum à Lxx. abit: εἰς τινα τόπον ἀπιωθεῖν τῆς πόλεως φράσας ἐν ᾧ γυμναζόμενος διετέλει. Locum significare, in quo sese exercere solebat. Alii accipiunt, diem hujus colloquii, locumque ubi se tum occultaverat. Josephus signum non videtur recte cepisse. Nam bonum signum ἔμπροσθεν αὐτοῦ: malum τοὐναντίον. Non ante sed retrorsum, ut præterierit. Sic igitur Jonathan voluit simulare sagittandi exercitium. Theod. τὴν τῆς τοξείας ὑποκρίνεται γυμνασίαν. Eum autem audiamus: interpretantem textum τῶν ό: Τὰς δὲ σχίζας βέλη ὁ Ἀκύλας ἡρμήνευσε, τὴν δὲ ἀματταρὶ ἐν τῇ τῶν ἑβραϊκῶν ὀνομάτων ἑρμηνείᾳ οὕτως εὗρον κειμένην. παρὰ μὲν τοῖς ἕλλησι τάφρον, παρὰ δὲ Ῥωμαίοις φοσσάτον, παρὰ δὲ τῷ Σύρῳ σκοπὸν, εἰς ὃν οἱ γυμναζόμενοι τὰ βέλη πέμπειν εἰώθασι. Τὸ δὲ Ἀργοὺβ (hodie legitur ἐργάβ) ὁ Ἀκύλας ἐχόμενα τοῦ νότου ἡρμήνευσεν. ἐμοὶ δὲ οἶμαι κοιλόν τινα οὕτω κεκλῆσθαι τόπον. Ἔφη γὰρ ἡ ἱστορία (v. 41.) καὶ Δαβὶδ ἀνέστη ἀπὸ τοῦ Ἀργοὺβ, καὶ ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον αὐτοῦ ἐπὶ τὴν γῆν. Syrus igitur interpres ex quo illa interpretatio nominum Hebraicorum (quæ exstabat tempore Theodoreti) istud excerpsit, voce reddidit Hebræum, quæ scopum notat. Sic Jonathan לפלגליסא. Cum calendæ advenissent assedit rex, in sede juxta parietem. Pergit vers. 25. *Et stetit Ionathan seditque Abner ad latus Saul. Vacabat vero locus Davidis*, In Hebræo de Jonathan: ויקם; Lxx: καὶ προέφθασε τὸν Ἰωνάθαν. Rasi dicit Saul assedisse in capite lecti ad parietem: sed de Jonathane: *Surrexit è loco suo. Nam non est mos filium* (מוסב) *sedere vel accumbere apud patrem, Quoniam mos eorum edere* (מסובים) *inclinatos super lectis; & David accumbebat inter Jonathanem & Saul. Nunc quia non venerat David, non accubuit Ionathan, donec sederet Abner è latere Saul. Post hoc assedit Ionathan è latere Abner. Et si dicas, Omnino non sedit. Ecce dicit, Et surrexit Ionathan, amensa universaliter, cui assidebat.* Kimchi: וישב המלך על מושבו, Et consedit rex super sede sua] *Chaldæa versio:* ואסחר מלכא על שויה *Sensus, super lectum suum: quia mos fuit temporibus illis sedere in accubitu in lecto & sic invenimus in nostris magistr. b. m. quod etiam in diebus illorum fuerit consuetudo. At quod dicit & surrexit Ionathan, sensus ejus: Postquam assederat ad latus patris, surrexit & constituit Abner è latere patris sui. Quia nollet esse juxta patrem, quod si irascebatur illi ob rem Davidis, ne esset vicinus illi, ad eum percutiendum.* Somniant Rabbini lectulos & accubitum, quæ obtinebat temporibus Thalmudicis. Deinde volunt in capite lectuli accubuisse regem, hinc Abner, tertio loco Jonathan: ut quartus fuerit Davidis. At Josephus regem, qui in castuerat venisse ad cænam: καὶ παρακαθισθέντων αὐτῷ τοῦ μὲν παιδὸς Ἰωνάθου ἐκ δεξιῶν, ἀβεννήρου δὲ τοῦ ἀντιστρατηγοῦ (leg. ἀρχιστρατηγοῦ) ἐκ τῶν ἑτέρων. Id placet Saliano. Primo die rex id ad animum non revocabat. Cogitabat forte immundum esse (ab uxore aut contactu) sed postridie, filium rogat: Cur neque præterito neque præsenti die adesset filius Isai? ut edoctus erat, respondet Jonathan? Jonathanis responsio ita habet apud Josephum:

ὁ δὲ

ὁ δὲ πεπορεῦσθαι κατὰ τὰς συνθήκας ἔφησεν αὐτὸν εἰς τὴν ἑαυτοῦ πατρίδα, τῆς φυλῆς ἑορτὴν ἀγούσης, ἐπιτρέψαντος αὐτοῦ. παρακαλέσαι μὲν καὶ τοῦτον ἐλθεῖν ἐπὶ τὴν θυσίαν. Κἂν συγχωρῇς φησὶν ἀπέρχομαι, τὴν γὰρ εὔνοιάν μου τὴν πρὸς αὐτὸν ἐπίστασαι. Ille profectum esse ex pacto inquit, in patriam, tribu festum agitante, suo permissu. Se quoque invitaſſe ad ſacrum. Et ſi, inquit, conceſſeris, abeo: conſenſum enim meum cum illo noſti. Merito hic eum ſugillat Salianus. Nihil enim de Jonathanis invitatione ad epulas Bethlehemæas in textu, nec quadrat. Hic ſe non continuit Saul: *Fili matris perverſæ rebellione.* Græci υἱὲ *κορασίων αὐτομολουσῶν.* Joſ. *ἐξ αὐτομόλων γεγεννημένον καὶ πολεμίων ἀπεκάλει.* Jonathan: בר סרבניתא דמרדותא קשיא. Vulg. *Fili mulieris virum ultro rapientis.* Rabbinorum explicationes & commenta non afferam. Nonne novi quod elegeris filium Iſai, in infamiam tuam & infamiam nuditatis matris tuæ? Nam omnibus diebus, quibus vivet filius Iſai, non ſtatueris tu neque regnnm tuum. Mitte, prehende eum ad me: quia filius mortis eſt. Cum regereret Jonathan (qui videbatur commoveri) cur morietur, quid fecit? Suſtulit haſtam, ut percuteret Jonathanem. An prohibitus eſt ab amicis (ut Joſephus) Cognovitque Jonathan odium Davidis pectori parentis fixum eſſe, certumque eum è medio tollere. In ira & triſtitia è menſa ſurrexit & toto die ſecundo novilunii non guſtauit panem, quia pater Davidem contumelia affecerat. Deflevit (ut Joſephus vult) quod pater eum interimere voluiſſet & decreviſſet necem Davidis. Sequenti die, ut ad exercitationem, ſed reipſa Davidi indicaturus patris animum, abiit in campum: indicio facto, pueroque remiſſo in urbem, inter ſe conveniunt. Conſurrexit David è latere auſtrali & prolapſus in faciem, ter adoravit. Tum oſculantur ſe invicem cum multis lachrymis: David verò uberius flevit. Tum Jonathan Davidi: Vade in pace. Conſtet quod juravimus. Hinc ſe David in pedes dedit, Jonathan autem regreditur in urbem. Joſephus tribuit Davidi redditos ſermones, quos non commemorat Scriptura.

P. Martyr: *Cum Saul ſatis ſciret Davidem, demiſſum ab uxore de feneſtra abiiſſe & ſe contuliſſe ad Samuelem: eoque & viſiſſet ſatellites: & ipſe etiam acceſſiſſet & una cum aliis prophetaſſet, quomodo hic requirit eum in convivio? Aut quomodo David ipſe putat ſeſe requirendum? Quidam reſpondent eſſe ὕστερον πρότερον, & ea hic narrari, quæ anteà geſta fuerant. Mihi verò hiſtoria non videtur temere perturbanda, niſi id neceſſitas poſtulet: præſertim vero cum in ipſo textu ſcribatur, Davidem fugiſſe ad Samuelem & veniſſe ad Ionathanem: cumque Ioſephus etiam ſcribat iſta accidiſſe poſtquam Saulus prophetaſſet coram Samuele. Alii hoc tribuunt oblivioni, quod Saul hæc omnia feciſſet per furorem & nunc reverſus ad ſe neſciret quid eſſet actum. Certe Tranquillus authot eſt Claudium Cæſarem ita fuiſſe oblivioſum & hebetem, ut ſæpe miraretur eos non venire ad convivium, quos ipſe paulo ante juſſiſſet occidi. Verum hoc reſponderi non poteſt de Saule. David enim ipſe, qui nec furebat nec harum rerum oblitus eſſe poterat; monet Ionathanem, ſeſe eſſe in convivio requirendum. Alii putant Davidem reconciliatum Sauli rediiſſe in aulam: ſed cum animadverteret Saulem perpetuo ardere odio & vitæ ſuæ ab illo fieri inſidias, hanc rationem ſeorſim iniviſſe cum Ionathane: atque hoc quidem poteſt fieri. Multa enim in hiſtoriis ſæpe reticentur. Poteſt tamen etiam id accidiſſe ut David cum hæc conſilia caperet cum Ionathane, conſpectus fuerit & ſe viſum & agnitum intellexerit: Saulem autem cum id audiſſet, putaſſe Davidem ſuperiores injurias tribuiſſe furori: & iccirco haud dubie venturum ad convivium. Cum eſſent jam in epulis, Ionathas callide explorat patris animum. Nec tamen cum ita facit, videri debet proditor. Non enim patris conſilia indicare voluit hoſtibus ſed tantum & juvare amicum & patrem revocare à ſcelere.*

I. Sam. XXI.

David confugit ad Pontificem ſummum ejus temporis, Achimelech, qui apud tabernaculum in oppido Nob (Joſephus Νωβᾶν vocat) Tabernaculum illic erat, arca autem in Cariathiarim. Lxx. oppidum hoc vocant Νομβᾶ, ſacerdotem Ἀβιμέλεχ. Joſepho ſacerdos ille ita appellatur ut in Hebræo. Nam in nominibus per totum plerumque & in temporibus uſque ad mortem Moſis Hebræo conſonat: niſi ubi à mala manu mendum eſt. Oppidum illud haud procul diſſitum erat à Gabaa Saul. Locum ſacrum & pontificem adiit, quia illic quærebat conſulere Dominum. Apud Marcum Dominus, hunc pontificem videtur appellare Abiathar: at filius fuit hujus Achimelech: ſimul cum patre in pontificio & jam tum ſucceſſurus, interfecto parente. Ea conciliatio ſatis concinna eſt. Feſtinus trepidusque occurrit Davidi pontifex. LXX. ἐξέστη τῇ ἀπαντήσει αὐτοῦ. In Hebræo ויחרד Raſi: תמה על שר וגדול כדוד עם שהיה חתן המלך שילך יחיד: *Admiratus eſt de principe & magnate, ut David, qui etiam erat gener regis, quod iret ſolus.* Joſ. Ἐπὶ τῷ μόνον ἥκοντα ἰδεῖν, καὶ μήτε φίλον σὺν αὐτῷ μήτε οἰκέτην παρόντα, ἐθαύμασε. Apparet molitiones regis in Davidem huic Pontifici nondum innotuiſſe. Huic David: Se creta mandata à rege ſe habere, ad quæ non haberet opus comitatu (συνοδίας) famulos autem in conſtituto loco ſibi occurrere juſſos. Sic Joſephus bene: at Lxx: καὶ τοῖς παιδαρίοις διαμεμαρτύρημαι ἐν τῷ τόπῳ λεγομένῳ, θεοῦ πίστις, φελλανὶ μαεμωνί. Quis iſta intelligat? Grotius de illo falſiloquio Davidis: *Condonandum aliquid illis temporibus, latente multum vita æterna.* Quod abſonum. Petit ſibi ab eo viaticum quinque panum, aut ſi quid aliud in promptu eſſet. Reſpondebat pontifex non eſſe penes ſe niſi panem ſacrum: ſi pueri ſe ab uxoribus abſtinuerint. David reſpondet, Heri & nudius tertius, ex quo abierit in caſtu fuiſſe. Et eſſe ferme communem panem, cum eo die alius ſacrandus eſſet. Poſtrema Lxx: καὶ αὐτὴ ἡ ὁδὸς βέβηλος, διότι ἁγιασθήσεται σήμερον διὰ τὰ σκεύη μου. Omittit Joſephus narrationem de panibus ſacris. Sacerdos igitur ſumit de panibus propoſitionis removendis à facie Domini propter panem calidum, tempore quo ſolebat tolli. Ea tempeſtate illic erat ſervus Saul, detentus apud faciem Domini. Quæ cauſa (ſive religionis ſive alia) ipſum detinuerit, non poſſumus dicere: non opus eſt fuiſſe morbum aut dæmoniacam vexationem. Hoc putavit Theodoretus, quia in Lxx. ναεσσαρ (ex Hebræo נעצר) quod invenerat interpretatum, ἀπολὸν τινεχρισμὸν συνεχῆς. Huic nomen Doëg Idumæus (אביר הרועים אשר שאול) Lxx: νέμων τὰς ἡμιόνους Σαοὺλ. Eadem verba habet Joſephus. Multæ cauſæ erant, quas allegant, quod ſumere de illis panibus liceret. 1. Non erat alius panis. 2. Jamjam removendi erant, nempe poſt incenſum, cum amplius iſti ſacri non eſſent. 3. Eſuriebant. Id refert Dominus in Euangelio. Judæi dicunt morbo bulimo fuiſſe correptum Davidem adeoque in periculo. Kimchi fuſe diſſerit, partem diſſertationis audiamus: *Et quod dicit* propter panem calidum, *quæri poteſt, quomodo fuerit calidus in die ordinationis ſuæ. Nam coctio panis facierum non impellebat Sabbatum: at veſpera Sabbati coquebant eum & diſponebant eum in Sabbato.* *Q. S.* (Levitic. 24. 8.) In die Sabbati diſponet eum. *Porro, Quomodo dedit ei panem facierum, cum panis facierum in die Sabbati, quo eum removebant, dividebatur inter cuſtodiam egredientem & ingredientem, qui eum comedebant. Et David certè non ivit in via in Sabbato. Quod ſi dicas propter periculum animarum ivit in via in Sabbato* (עד שתמה) *unde admiratus eſt de eo Achimelech & dixit ipſi, Quare ſolus es? Magis mirandum quomodo iverit in Sabbato. Et porro quæri poteſt, ſi cum Achimelech*

non

non fuit panis profanus, non fuit in tota urbe panis profanus, ut eum peteret David ab uno filiorum urbis, ut opus fuerit Achimelecho dare ei panem sacrum? Quod si dicas noluit David revelare se in urbe & latenter ivit ad Achimelech: debuit Achimelech panem profanum petere ab uno filiorum urbis, ut cibaret Israel (id est homines non sacros) וכי היו חוקרים לאחימלך בעבור מי מבקש אותו *Nunquid investigarunt Achimelech? In transeundo quis quaereret eum? Responsio quaestionum est, quod Nob civitas sacerdotum. Ideo praecepit Saul occidere totam urbem, cum non fuerit ipsi* (קנס) *decretum, nisi super sacerdotibus propter id factum: & quoniam tota erat sacerdotum, nec fuerunt Israel peregrinus habitans inter eos, tota urbs edebat thrumam: & thruma erat alienorum in propinquitate mortis & periclitabundorum de vita: ob aestum famis cibant re illicita, si non sit nobis licita: & de duabus rebus vetitis cibabant eum facili* (ומשני האסורין מאכלין אותו הקל) *Ideo dedit ei Achimelech panem facierum remotorum à facie Domini: quia non erat in illis praevaricatio post incensum arcularum thuris. Et David certe venit in profesto ad Achimelech. Et si dicas, Si venit in profesto, quomodo fuit Achimelecho panis facierum remotorum à facie Domini? Nonne jam comestus erat, quoniam transiit inter duas custodias. Fortassis invenit David ex eo, quod non erat comestum totum, quia duodecim tortae erant, quae dividebantur inter multos sacerdotes: veniebatque ad unumquemque minutum sicut oliva aut ea minutius: ut dicant quod* sacerdotes verecundi retinuerint manus suas & voraciores diviserint & ederint. *Quia autem verecundi continebant manus suas ab eo nec edebant, fuit relictum ex eo aliquando post Sabbatum: & relictum quod invenit David, dedit ei. Quod si dicas, relictum à verecundioribus ab aliis fuisse comestum? Forte ederunt partem suam & partem verecundorum. Et sic exponunt dividentes per rapientes. Et forte, quod pars verecundorum fuerat relicta. Et sic narrans historiam de quodam qui rapuit partem suam & partem socii sui, eum vocarunt* בן חמצן (Joma fol. 39. 2.) filium praefracti. *Videtur quod plurimi eorum non fecerint sic. Et licet praetereà dicere* (והנכון לומר) *quod pars Achimelech relicta fuerit: quia pontifex dividebat cum custodiis in tertis* (Levitic. 24. 9.) Q. D. Et erit Aaronis & filiorum ejus. *Dimidium Aharonis, dimidium filiorum ejus. Et illud quod dicit* (לשום לחם חם ביום הלקחו) *dissensio in est inter magistros b. m. An hae tortae coctae fuerint in sabbato an in profesto. Nam Rabbi Iudo dicit, quod in Sabbato fuerint coctae & secundum uerba ejus, sensus literalis erit quod calidus fuerit panis in tempore ordinationis: & secundum verba sapientum, qui dicunt, quod coctio ejus non impulerit Sabbatum & à vespera Sabbati fuerit coctus. Fortassis quod fuerit calidus in tempore dispositionis suae in crastinum; quia in uespera Sabbati coquebant eum & postero mane post* (הקרבת המוספין) appropinquationem additamentorum *disponebant eum. Et forte usque ad horam dispositionis. Et fuit tum calidus: forte occludebant os furni ut relinqueretur in suo calore in crastinum. Sunt è magistris b. m. qui dicunt, quod panis miraculose* (במעשה נס) *manserit calidus toto tempore, quo fuit in mensa. Nam dicunt*: Dicit R. Josue ben Levi: Magnum miraculum factum est in pane facierum, remotio ejus calida sicut dispositio Q. D. Propter panem calidum in die remotionis suae. Observant etiam Rabbini, quod error per imprudentiam possit esse magnorum malorum causa: Si Jonathan dedisset Davidi duos panes, non fuisset percussa civitas sacerdotum, non expulsus Edomaeus Doëg nec occisus Saul cum tribus filiis. Ralbag annotat, quod majorem rationem Achimelech habuerit pollutionis cerimonialis & immunditiei externae quam profanationis per laicum התיר הכהן אכילתה לזר ולא אכילתה בטומאה כי הזר יתכן שיותר מפני פקוח נפש כי אכילתו היא בעצמותה מסירה הסכנה שתהיה מהערב ואולם הטומאה אין ראוי שתדחה מפני זה אחר שאינה בעצמותה סבה להסיר הסכנה ולזאת הסבה בענה יותר לכבות את הנר בשבת בשביל החולה שיישן כשתהיה

בחליו סכנה ולא יותר לטלטל את הנר להוציאו חוץ מחדר החולה כמו שבארנו במקומו:

Obscura hæc: sed sensus est pollutionem non posse impellere legem sed periculum. Pontifex immundis noluit dare, quod dedit peregrinis seu laicis. Poterant se mundare aut tempus mundationis operiri, non poterant peregrinitatem exuere. Ideò Hieronymus aliique pontifici huic non bene impingunt rigorem superstitionis. P. Martyris dissertationem apponam: *Achimelech cum videret Davidem famelicum, quamvis esset laicus, tamen dedit illi panes propositionis: verum cum hac conditione, si esset mundus à mulieribus. Mundities requirebatur, non tantum à laicis, sed etiam à sacerdotibus, ut apparet cap. 18. & 19. Num. Iste sacerdos nimis videtur esse scrupulosus. Quid enim si David fuisset immundus? An eum volebat ea causa mori fame? Hoc est laqueos nectere conscientiis. Itaque Hieronymus ait, præposteram istam & ridiculam fuisse quæstionem. Davidem enim, cum esset laicus, ne si mundus quidem esset, potuisse ritè & ordine comedere panes propositionis. Et cum essent aliæ immunditiæ penè innumeræ, cur de unâ tantum percontatur? Non quærit de meretricibus. Nullæ enim ferebantur in Repub. Israelitica. Et si fuissent, tamen David cum esset vir sanctus, ad eas non accessisset. Congressum autem cum uxore sua contaminare, nusquam invenias in omnibus scripturis. Sed citat hæc verba ex 15. cap. Levit: Si mulier dormierit cum viro fluxu seminis, lavet uterque vestes suas, & immundi sint usque ad vesperam. Sed ista intelligenda sunt non de usu uxoris, sed de semine, ut vocant. somniali, id si forte accidat, uterque lavabit vestes suas. Alioqui necesse est, immunditiam istam esse vel ex natura rei, vel ex præcepto aliquo Domini. Natura rei non potest videri immunda: est enim instituta à Deo. Præceptum autem nullum ostendi potest. Sed dicent id fieri hominum vitio. Id quidem nos non negamus posse fieri. Sed id non tantum in congressu accidit, sed etiam in veste, in cibo, in potu. In his enim rebus sæpe plus voluptatis capitur, quam oporteat. Et quamvis darem hic esse immunditiem aliquam legalem, non tamen sequeretur esse peccatum. Pœna potius est peccati, quam peccatum. Imo Deus interdum præcipit ista fieri, unde contrahatur hujusmodi immunditia: tantum abest, ut sit peccatum. Cum Nadab & Abiu cœlesti igne deflagrassent, Deus jussit ut à patruis suis sepelirentur. Et tamen, qui tetigisset cadaver erat immundus. Hircus ἀποπομπαῖος educi jubebatur in agros. Et tamen eum à quo ducebatur, necesse erat immundum esse usque ad vesperam. Tamen Papa Siricius ait, Conjuges esse in carne: eos autem qui sint in carne Deo placere non posse. Blasphema profectò vox. Quid enim fiet de tot conjugibus? Miror autem Hieronymum & præsertim Ambrosium, cum nimium tribuerent virginitati, in easdem ineptias incidisse. Ambrosius enim in priorem Epistolam ad Tim. 3. cap. ait. oportere ministros Ecclesiæ esse cælibes, quod eos oporteat quotidie celebrare cœnam Domini & baptizare. Nam in veteri Testamento fuisse 24. classes sacerdotum, ut alii aliis vicissim succederent in ministerio, & vicissim operam darent curis domesticis: in sua autem civitate septem tantum esse diaconos, & duos presbyteros in singulis Ecclesiis. Sed hic merus prætextus est, & inanis fucus. Nam etsi a Davide descriptæ sint 24. classes sacerdotum, tamen quid agebatur antea? Quid fecit Aaron, cum duos tantum haberet filios, & oporteret quotidie ministrare in templo? An illi violabant legem Dei: Deinde quot hodie sunt Romæ Episcopi, qui vix semel in anno dicant suam Missam. Hoc ergò nihil aliud, nisi inane commentum est. Hieronymus contra Iovinianum, Quale inquit, illud bonum est, quod prohibet accipere corpus Christi? Hoc dictum Romanis non potuit non displicere. Ibi enim incorruptioribus adhuc temporibus homines communicabant quotidie, cum tamen haberent uxores. Hieronymus coactus est scribere de hac re apologiam. In ea ait, fateri se, esse ejusmodi quandam consuetudinem. Sed velle tamen convenire illorum conscientias, qui ita facerent. Conveniat sane quantum velit. Sed videat, ne ex suo tantum capite vincere velit hominum conscientias. Sed majus, inquit, est sacramentum accipere,*

quam

quam peccari. Usus autem matrimonii impedit preces, ut apparet ex Paulo: Multo ergo magis prohibet accipere Sacramentum Corporis Christi. Hoc argumentum quanti sit expendamus. Primo accipit rem dubiam pro concessa & certâ. Quomodo enim posset ille probare pluris esse sacramenta. quam preces, si id à nobis negaretur? Nam preces quidem sine Eucharistia multum possunt, Eucharistia autem sine precibus aut inutiliter aut exitiosè sumitur. Quod si ista ratio valere debeat, idem dici potest de cibo & aliis rebus. Quale enim bonum est cibus, quod impedit jejunium? Duplex est in hoc argumento paralogismus. Alter à non causa, ut causa. Concubitus enim non est causa, cur abstinendum sit à communione aut precibus, sed vitium nostrum & intemperantia. Alter est, à secundum quid, ad simpliciter. Etsi enim usus conjugii minuat utcumque alacritatem, tamen non efficit, ut ea causa prorsus abstinendum sit à sacramentis aut precibus. Nam Deus jubet, ut assiduè oremus. Et idem jubet, ut conjuges reddant sibi mutuò benevolentiam. Quod si ea res preces impediret, Deus videri posset imperare pugnantia. Nam Paulus cum ea scribit ad Corinthios, non loquitur de privatis aut communibus precibus, sed de solennibus ac publicis. Nec jubet prorsus abstinere, sed ἄμη τι inquit, hoc est paululum quiddam, idque ἐκ συμφώνου. Nam alioqui, si concubitus in universum impediret preces, nunquam contrahendum esset matrimonium. Sunt qui putent, Achimelechum ista dixisse, non de concubitu cum uxore, sed aliis de casibus, qui solent accidere. Nam cum aut menses fluerent mulieri, aut ex morbo aliquo sanguis manaret, non solum ipsa immunda erat, sed etiam lecti, & mensæ, & quicquid illam attigisset. De his ergò casibus ajunt sacerdotem percontari: quod in itineribus non facile caveri possint. Acutum hoc quidem est; sed alterum mihi magis placet, sacerdotem ista intempestivè & nimis curiose interrogasse, & laqueum imponere voluisse conscientiæ. Sed ut ad matrimonium redeamus, nihil est in eo immundi. Nam ut scribitur ad Hebræos τίμιος ὁ γάμος καὶ κοίτη ἀμίαντος. Et Deus ipse conjugium consecravit, cum diceret, Crescite, & multiplicamini. Paphnutius etiam in Concilio Niceno pronuntiavit, matrimonium sanctum esse in omnibus, cum alii patres voluissent ministrorum conjugia dirimere. Remittitur quidem fortasse aliquantulum in concubitu studium erga res divinas: non tamen idcirco aut peccatum in eo est, aut immunditia ulla legalis. Quare consultum est, ut in usu matrimonii temperanter & solicite versemur. Deus enim ipse, cum populum advocaret ad montem, jussit eos biduum ante abstinere ab uxoribus. Sed idem Dominus jussit in Levitico, ne sacerdotes ingressuri in tabernaculum biberent vinum, ne forte ebrii facti turbarent omnia. Ergone peccatum est bibere vinum? aut legalis immunditia? Si ita studiosè volunt revocare instituta Mosaica, cur non etiam arcent mulieres à sacramentis, quæ aut laborent mensibus, aut fluant sanguine? aut viros, qui laborent gonorrhæa? Certè res ista, de quâ nunc agimus, nec natura sua unquam immunda fuit, nec præscripto aliquo legis Dei. Sed objiciunt exemplum Achimelechi hujus importuni & curiosi sacerdotis. Sed habent etiam exemplo, mulierem, cui menstruum, aut sanguis fluat, immundam esse. Hæc Scholastici. Canonistæ quoque hanc locum, quantum potuerunt, depravarunt. Nam distinct. 1. de Consecrat. cap. Tribus gradibus, citantur verba Clementis, non illius veri discipuli Apostolorum, sed alterius, nescio cujus, suppostitii. Is vetat, ne fragmenta Eucharistiæ apponantur ad mensam clericis peregrinis. Quid enim, inquit, scitis, an mundi sint à mulieribus? Et citat exemplum hujus Achimelechi. In ejus tamen verbis tria annotanda sunt. Primum moris fuisse, ut reliquiæ Eucharistiæ aut consumerentur in templo, aut postea apponerentur ad mensam. Deinde, istum Clementem voluisse, ne laicus aut clericus, qui esset immundus, moreretur potius fame, quam ut illis reliquiis vesceretur: Quid enim si minister alium panem, aut vinum aliud non haberet? certè ista decreta oportuit cedere Charitati. Postremò statuit in illis reliquiis, & ut appellat, fragmentis, superesse aliquam sanctitatem & idcircò illas non sine magna cautione esse comedendas. Verum illæ munditiæ legales typi quidam erant

mun-

munditiei cordis: Illud si mundum est, satis tutò uti possumus rebus omnibus externis. Sed Papistæ volunt esse Achimelechi, & nimis rigidè exercere hominum conscientias. Regula autem divina est; Omnia munda esse mundis: Et Omnem creaturam Dei bonam esse, & sanctificari per verbum Domini, & orationem. Omnia, inquit, Paulus vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas sive mundus, sive vita, sive mors. Omnia vestra sunt, vos autem Christi, ut Christus Dei. Cavendum tamen est, ne his rebus scandalum hujusmodi admittamus quod impedire posset cursum Evangelii. David quamvis viveret sub lege, tamen non tanti fecit cerimonias, ut eas saluti suæ anteferret. Quantò id nobis magis licet in Euangelio? Non temerè quidem mutandæ sunt cerimoniæ, præsertem institutæ à Deo; tamen si urgeat necessitas habenda est ratio charitatis.

Non fuit γονόῤῥοια aut fluxus mensium muliebris, de cujus pollutione hic quærit Abimelech, sed concubitus licitus, qui non polluebat nisi in accessu ad Deum propiore, qualis erat de sacro edere parantium. Præsupponit sacerdos ipsos mundos fuisse à contactu rerum immundarum, quæ semper cavendæ erant & expiandæ: at quia de pane sacro quærebant habere, puritas communi major requirebatur. Achimelech nullo modo culpabilis fuit in hac solicitudine, quasi nimiam aut cæcam habuisset.

Cum de cibo sibi prospexisset de armis cogitat. Dicit se festinanter egressum, quia regis negotium festinandum erat, inermem nudumque properasse, non sumpto gladio nec hasta: rogat sibi dari. Pontifex, non habere se dicit, nisi gladium Goliathi quem in valle quercus (ἠλᾶ Græci) straverat. Hunc veste involutum pone Ephod haberi: eum, si uellet, sumere posse. David præstantissimum esse dixit, sumpsitque sibi. Rasi: *Postquam consuluisset pro ipso in Vrim & Thummim, loquitur ipsi sic. Sic vertit Ionathan* באר דשאל לירן באצורא Ralbag: *Occultatum & obtectum veste post Ephod & rationale: quæ fuerunt in conclavi, ubi ponebant vestes sacerdotales. Et ecce hic posuerat hunc gladium ad publicandum signum, quod erat factum Israeli in re Goliath.* Kimchi: post Ephod] *quod esset suspensus post locum, ubi positum erat Ephod & rationale. Aut erit expositio Ephod quod non fuerit Ephod rationale sed Ephod lini: quod erat vestis, qua induebantur sacerdotes & servi Dei, sicut dicitur* (cap. 22.) octoginta quinque viri ferentes Ephod lineum. *Et scriptum* (2. Sam. 14.) Et David accinctus Ephod lineo. *Et hic gladius suspensus erat post has vestes. Et hoc verum.* Josephus putat gladium illum Deo consecratum fuisse: ἦν αὐτὸς ἀναθεὶς τῷ θεῷ. Eo sensu Grotius accipit ex controversiis Senecæ producens: Pro rep. plerumque templa nudantur. Quo id pertinet & alia, quæ in hunc locum commentatur. Tantum in publico suspensus erat לפרסם הנס / in memoriam insignis beneficii. Hinc David abiit ad Achis (Josephus & LXX. Ἀγχοῦς) regem Geth. Cujus servi eum adducentes dicebant eum esse regem (principem aut intellexere quod à Samuele in regem unctus esset) terræ, cui mulieres carminibus suis decem millia tribuissent. Ineptum & omnino Judaicum est, servos Achis verbis illis (Annon hic est David rex terræ sc. hujus?) id voluisse, quod Achis ipsi solium cedere debuerit, quia conditio certaminis cum Goliatho fuerat, ut qui caderet, ejus populus alteri populo serviret. At verba, quibus indicabant se nosse quis esset, Davidi ingentem metum dabant. Ideò ut vincula & mortem effugeret, mutavit gestum suum, in oculis eorum: seque furere simulabat, inter eorum manus: pingebat super foribus portæ, emittebatque salivam in barbam suam. Tum Achis: Videtis hominem mente captum, Quid eum huc adduxistis? Nonne insanientium egeo, ut eum adducere operæ fuerit. Illene ædes meas debet intrare? Theodoretus: *Saul fugiens confugit in Geth.*

Geth. Οὐ γὰρ ὑπέλαβε δῆλος ἔσεσθαι, ἐπειδὰν ἦ ἤδη τὸ ἐγνωκότας ἐκείνους, ὡς αὐτὸς αὐτῶν ἀνῃρήκει τὸν πρόμαχον, μανίαν ὑποκρινόμενος διέφυγε τοῦ θανάτου τὸν κίνδυνον. Putabat fortassis se ignotnm posse latere in Palæstina, at agnitus, cum ad regem duceretur, simulavit insaniam. Lxx. ἐπίληπτος & ἐπιληπτεύεσθαι dicunt. Achis iste in psalmo 34. appellatur Abimilech. Kimchi dicit aut duo nomina habuisse, ut multi, aut Abimelech שב כנוי לכל מלכי פלשתים / communem appellationem fuisse omnium regum Palæstinæ. Eum psalmum composuit, cum feliciter periculum & manus regias evasisset. Alium nempe 56. composuit, cum agnitus à Palæstinis duceretur ad regem.

I. Sam. XXII.

Hinc igitur rediit in partem tribus Judææ, abdiditque se in speluncam Odollam. Josephus: ἐν τῷ πρὸς Ἀδολλάμῃ πόλει σπηλαίῳ. Huc ad eum venerunt fratres & tota domus patris, sive per se sive moniti ab ipso. Posterius dicit Josephus & vero ex simile. Cœpit hic facere coctionem. Vulgato enim rumore, priusquam ad regem erumperet, Davidem illic agere, *convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti & oppressi ære alieno & amaro animo.* Καὶ τῶν ἄλλων ὅσοις ἦν χρεία ἢ φόβος ἐκ Σαούλου. Eum pro duce accipiunt & operam suam (ut par est credere) offerunt. Numerus ad quadringentos crevit. Horum præsidio se tutatus est adversus hostes publicos & vim privatam, nunquam adversus vim Saul: quam effugiebat, nunquam vi armata repellebat. Proficiscitur hinc ad Moabitarum regem. Urbem incolebat מצפה מואב. Patrem matremque ad regem adductos in aulam ejus fidei commendat. Fuerunt illic donec David erat in (מצודה) Lxx. ἐν τῇ περιοχῇ: At monitu prophetæ Gad, David ex illo munimento exiit in terram Judæ. Parentes quod secum duxerit non arbitror. Sed inde forte transportavit eos ad regem Ammon. Delirium est apud R. Salomonem: *Consederunt illic omnibus diebus, quibus David fuit in munimento prope Moab: cumque egressus esset inde in sylvam Hereth occidit rex Moab patrem matremque ejus & fratres, præterquam eos, quos in vita conservavit Nahas rex Ammonitarum: Et hæc est beneficentia, quam memorat David: quemadmodum fecit pater ejus misericordiam: Ut est in Medras R. Thanchuma.* Intereà fama detulit ad Saul Davidem hominum armatorum manu circumseptum vagari. Considebat in colle (Josephus Gaba urbe regia) sub arbusto (ἄρουραν vocat Josephus cum Lxx. putatque nomen loci fuisse) in Rama, tenebatque manu hastam, circumstantibus eum servis suis. (Jos. tota etiam tribu) Tum Saul adstantibus: Audite filii Jemini: Num omnibus vobis dabit filius Isai agros vineasque: num omnes vos constituet Chiliarchas & centuriones? Cur omnes in me conjurastis? Nec est quisquam, qui indicet filium meum cum filio Isai fœdus pepigisse? Non est quisquam qui meam vicem doleat, ut indicet, quod filius meus servum meum excitet ut mihi insidietur: quod nunc patet? Hic Doëg Idumæus (ita dictus ut volunt, quod peregrinatus fuisset in Edom) adstantium unus (נצב על עברי שאול præfectus servorum Saul, nempe eorum, qui curabant pecus regium) narrat se vidisse, filium Isai advenientem in Nob. Sacerdotem, Achimelech filium Achitob, pro eo consuluisse Dominum, dedisse illi viaticum & gladium Goliathi Palæstini. Jubet igitur acciri Pontificem cum universa domo patria è Nob. Cum adessent ita affatur Pontificem: Cur in me conjurastis tu & filius Isai: pro quo consuluisti Dominum, cui viaticum & gladium dedisti: ut mihi insidiaretur, ut facit. Ad hæc Achimelech animo præsenti, Quis est inter omnes servos tuos ut David fidelis

& gener regis & progrediens in tua obedientia & honoratus in domo tua? Anne isto die incepi consulere Dominum pro ipso? Absit! Si subest aliquid, nihil mihi cognitum fuit. Rex mihi & domui patris meæ nihil imputet. Non est accepta excusatio. Pronuntiat rex ipsum cum tota domo patris mortis teneri. Mandat satellitibus, ut interimant sacerdotes Domini quia eorum manus fuisset cum Davide: quia scivissent eum fugere nec indicassent regi. Hoc ipsis falso imponit. Nemo autem de servis regiis irruere voluit in sacerdotes. At Doeg à rege jussus cruentum ministerium exsequitur: obtruncans octoginta quinque sacerdotes qui lineum Ephod solebant gestare. Tyrannus hac cæde non exsatiatus, Nob civitatem sacerdotum ore gladii percussit: nulli sexui aut ætati nec pecoribus parci voluit. Numerum cæsorum sacerdotum Græca biblia editionis Aldinæ & Romanæ faciunt 305. Josephus 385. Ubi (ut apparet) τριακόσιοι adjecti sunt ad verum numerum è Lxx. Deinde alio loco ex vitio librariorum vero numero omisso additio superest. Unus defiliis Achimelech evasit ad Davidem. Indoluit David sua causa tantam cædem patratam esse promisitque Abjathar (id superstiti nomen) protectionem tanquam vitæ propriæ. Memorabat autem sibi suspectum fuisse Doeg, quem adesse in Nob viderat.

In narratione Josephi displicet Saliano cum aliis: quod metui Saul potius quam crudelitati istam cædem imputet atqui crudelitatem istam tragice traducit & differit dignitatibus & potestate nudari mentes hominum: Abulensi non placet, quod Doeg non solum sed quibusdam sui similibus impiis assumptis id fecisse dicat. Addit Josephus urbem Nob esse deletam.

I. Sam. XXIII.

DAvidi autem agenti in Sylva Hareth (Σάριν πόλιν Josephus appellat inque ea mansisse) Ceilam oppugnari à Palæstinis, areas rapientibus nuntiatum est. Tactus cura, tanquam pro suis subditis eò ire parat, cum Deus victoriam annuisset: dissuadentibus suis, qui se vix credere illis locis ultimæ Judææ ferebant, nedum ut in periculosiora concederent. David iterum Deum consulit. Respondet Deus, eundum esse & cædendos Palæstinos & liberandam Ceilam. Itum igitur est & ingenti clade Palæstini repressi. Ceilam adveniebat Abiathar Achimelechi filius, qui evaserat cædem qua interiit universa domus, Deo per regis sævitiam minas à Samuele enuntiatas in domum Eli exsequente.

Paulo post accipit regem intellecto Davidem intrasse Ceilam, urbem portis & obicibus clausam, convocasse populum & cum ingentibus copiis, adventare: ut comprehenderet, quem nunc in manus suas se conjecisse putabat: illud clam videtur molitus ex v. 9. Non indicato palam quo tenderet. Jussit David Abiathar afferre Ephod: consulit Deum, An Saul cogitaret adventum. Responsum est: cogitare. An Ceilensium optimates (eos habebat suspectos) tradituri essent ipsum regi? tradituros esse. Excessit igitur Ceila cum suis, qui jam numerum sexcentorum impleverant: eò quo res & fortuna vocarent. Expeditionem omisit rex, cum Davidem abiisse acciperet.

Antequam Abiathar advenisset, quomodo consuluit Dominum? R. Forte per prophetam Gad. Nisi velis Abiathar jam ante advenisse & id ὕστερον πρότερον memorari v.6. Fugiebat ad Davidem Ceilam id est, jam parantem ire Ceilam. Ex hac historia cognoscimus aliquid de modo consulendi per Ephod de quo alias. Josephus ignarus, quid esset consulere per Ephod, confudit

fudit cum prophetia. Idem sacerdotes Nobenses miscuit cum prophetis. Lapsus est per incogitantiam cum quadringentorum manum Davidi in Ceila adfuisse dicit, qui erant jam sexcenti. Ceilenses ingratissimi mortalium parati se redimere ab ira Saul, deditione viri tam præclare de se meriti. Salianus: *Ex hoc loco rectè colligunt* Theologi, *Contingentia sub conditione futura, reipsa tamen nunquam futura, sub Divinam cognitionem cadere & ad ejus, quam vocant, mediam scientiam pertinere. Sciebat enim Dominus, qui nihil ignorat, atque affirmabat, qui mentiri non potest, Saulem venturum & Davidem cum suis traditum iri in manus ejus, nisi David quam primum inde secessisset. Secessit, non venit, non traditus est.* Itane? P. Martyr in hunc locum: *Neutrum tamen accidit. Neque enim aut Saul descendit, aut Ceilani Davidem tradiderunt. Quid ergo, an mentitus est Deus? Absit. Omnis quidem homo mendax, Deus autem non tantum verus est sed etiam ipsa veritas. Nihil mentitus est Deus sed ostendere voluit, quid illi haberent in animo. Et certe Saul decreverat ascendere & Ceilenses Davidem prodere. Non autem loquitur de providentia aut prædestinatione sua. Ita enim nec Saul descensurus erat nec Ceilani prodituri. Lyra non malè, ut mihi quidem videtur, ait, Deum respondiße ex hypothesi ad hunc modum, Si manseris Saul descendet & illi te prodent. Et quoniam hypothesis mutari potuit, illud quoque mutari potuit, quod erat secuturum. Ita Deus respondit Ezechiæ: Dispone domum tuam: nam morieris. Id autem respondit ex ratione morbi & ex secundis causis: quæ ejusmodi erant, ut Ezechias omnino esset moriturus. Prædixerat etiam Nineven esse evertendam: sed cum hac exceptione, nisi agerent pænitentiam. Si aliquis prædestinatus ita mecum agat, an damnabor, si perrexero peccando? Respondebo maximè, neque idcirco mentiar: etsi prædestinatus damnari non possit. Eum enim Deus non patitur labi aut lapsum restituit. Ego autem respondebo tantum de secundis causis: nam de prædestinatione non possum.* Burgensis putat sensum quæstionum Davidis non esse de eventu, sed de animo: An Saul in animo haberet descendere? An Ceilenses animum tradendi haberent? Ad utrumque Deus affirmate respondet. Sed hæc suo loco discutiuntur, nec ulla ratione confirmant commentum mediæ scientiæ.

v. 14. Commoratus est David in solitudine in munitionibus. Lxx. Καὶ ἐκάθισεν ἐν Μασερὲμ, ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐν τοῖς στενοῖς. Josephus: Ἀπῆρεν ἀπὸ τῆς πόλεως εἰς τὴν ἔρημον ἐπάνω τῆς ἐγγαλαὶ λεγομένης. Mira discrepantia. Vulgatus cum Hebræo convenit: ubi במצרות reddit, *in locis firmissimis*. Mansit in monte solitudinis Ziph. Sic ex Hebræo vulgatus sed addit in *monte opaco*. Lxx: ἐν τῇ ἐρήμῳ, ἐν τῷ ὄρει Ζὶφ, ἐν τῇ γῇ τῇ αὐχμώδει. Saul toto vitæ suæ tempore quærebat David sed Deus eum tuebatur.

v. 15. Exierat Saul quærere Davidem, qui id cognovit, erat autem in sylva solitudinis Ziph. בחרשה *in sylva, in (squalido loco.)* Lxx: Καὶ Δαυὶδ ἦν ἐν τῷ ὄρει τῷ αὐχμώδει ἐν τῇ καινῇ Ζίφ. Jos. Εἴς τινα τόπον καινὴν λεγομένην τῆς Ζιφήνης. חורשה vertemunt καινὴν, legerunt Daleth pro Res. Illic Jonathan Davidem adit & jubet bono animo esse. Forte in proximo cum copiis erat Saul, sed ignorabat locum Davidis: David autem per indicem significavit Jonathani: aut Jonathanis diligentia ex amore tanta fuit, ut eum invenerit. Suspicari etiam possis, quod occultis indiciis rerum, quæ gerebantur, mutuam significationem facere consueverint. Dicebat Jonathan: Non inveniet te pater meus: tu eris rex in Israël, ego secundus à te. Id etiam optime perspectum est patri. Eo igitur in loco coràm Domino fœdus fecerunt. לפני יה׳ id est, Coram Urim & Thummim, quæ erant illic cum Abjathar: aut, quod Deus benedictus in testem sit invocatus. Ita Kimchi. Jos. Secundus à rege David exponit: πᾶσαν τὴν δευτέραν δύναμιν ἕξειν ὑφ᾽ αὐτῷ. Coram domino reddidit. Τὸν θεὸν μάρτυρας καλέσας.

v. 19. Cum Jonathan domum ſuam rediiſſet Zipheni Gabaam iverunt indicatum Saul, quod apud ſe David commoraretur in munitionibus, in ſylva, in colle Hachila, qui ad dexteram ſolitudinis. Lxx: *Καὶ ἀνέβησαν οἱ Ζιφαῖοι, ἐκ τῆς αὐχμώδους πρὸς Σαοὺλ ἐπὶ τὸν βουνὸν, λέγοντες, οὐκ ἰδοὺ Δαυὶδ κέκρυπται παρ' ἡμῖν ἐν μεσσαρὰ* (Heb. במצרות) *ἐν ταῖς στενοῖς ἐν τῇ καινῇ, ἐν τῷ βουνῷ τοῦ Ἐχελᾶ τοῦ ἐκ δεξιῶν τοῦ Ἰεσσιμοῦ.* Monent regem ut veniat, ſuum eſſe obſequi & comprehenſum tradere. Joſephus addit: *Καταληφθέντων γὰρ τῶν τῆς Ζιφίνης στενῶν οὐκ εἶναι φυγεῖν αὐτῷ πρὸς ἄλλους: Occupatis Ziphinæ faucibus non poſse effugere ad alios.* Lætus Saul gratiiſque actis monuit, ut regreſſi domum accuratè cognoſcerent Davidis latebras: quem callide agere conſueſſe compertum haberet. Re comperta ſe adfore. Quoniam in Judææ partibus, tanquam cognatæ tribus potiſſimum verſabatur minatur ſive jactat ſe omnes Chiliadas Judæ eſſe excuſſurum. Impia proditio famulata eſt regi (Joſ. *διὰ κολακείαν ἢ κέρδους προσδοκίαν*) incidit David in periculum. Nam David cum viris ſuis erat in deſerto Maon, (v. 24.) in planitie ad dexteram ſolitudinis. Lxx. *καθ' ἑσπέραν, ἐκ δεξιῶν τοῦ Ἰεσσαιμοῦ.* Eum quærebat Saul, quod per indicem cognovit David, cum ex illa rupe diſceſſiſſet. Joſ. *Ἐκλείπει μὲν τὰ στενὰ τῆς ἐκείνων χώρας, φεύγει δὲ ἐπὶ τὴν μεγάλην πέτραν τὴν οὖσαν ἐν τῇ Σίμωνος* (leg. *Μάωνος*) *ἐρήμῳ.* Lxx. ſecutus eſt, qui (verſ. 25.) habent *κατέβη εἰς τὴν πέτραν τὴν ἐν τῇ ἐρήμῳ Μαών.* Heb. וירד הסלע. In petram aſcenditur, deſcenditur è petra. Ideo ה pro מן. Saul comperto Davidem eſſe in deſerto Maon, in quod è rupe Hachila deſcenderat, inſequitur eum. Joſephus putat è faucibus in apertum evaſiſſe Davidem, in alterum petræ latus. Nam Lxx. ſecutus eſt, qui ſemper Hebræam vocem legunt per ר (מצרות) Intermedio monte incedebant: ab hac parte David cum ſuis, ab altera Saul. Cumque David porrò profugere moliretur, circumventum comprehendiſſet Saul; niſi trepidis nuntiis revocatus eſſet, qui Palæſtinos in ditionem ejus hoſtiliter irrupiſſe adferebant. Inde locus dictus eſt סלע המחלקות / rupes diviſionum: Lxx: *πέτρα ἡ μερισθεῖσα.* Vide Rabbinorum nugas de hac apud Kimchi.

I. Sam. XXIV.

David hoc periculo liberatus conſidet in munitis (במצרות) (Lxx. *ἐν ταῖς στενοῖς*) Engaddi. Quod renuntiatum regi eſt redeunti à Palæſtinis. Electis igitur termille viris è toto Iſael ivit ad quærendum Davidem in rupibus ibicum. Heb. על פני צורי היעלים; Lxx. *ἐπὶ πρόσωπον Σαδδαιέμ.* Ibices, ut Plinius ſcribit (lib. 8. cap. 53.) ſunt *pernicitatis mirandæ, quanquam onerato capite, vaſtis cornibus gladiorumque vaginis: in hæc ſe librant, ut tormento aliquo rotati in petras potiſſimum, è monte alio in alium tranſilire quærentes; atque recuſſu pernicius, quo libuerit, exultant.*

Saul uſque ad caulas ovium pervenerat ad viam: ubi antrum erat vaſtæ magnitudinis, in quo David cum ſuis latitabat ad oram in interiori parte ſpeluncæ. Id Saul forte ingreſſus eſt ut ventrem purgaret. Joſ. *ἐπειγόμενος ἐπὶ τὰ κατὰ φύσιν.* Hic ſocii: In die in quo Deus inimicum in manus tradidit. Fac illi pro lubitu. Verba Hebræa (v. 5.) quidam ita accipiunt, Die fore Dominus dixit in quo traderet inimicum in manus tuas. Et ex communi doctorum ſententia id dictum (ſecundum Lyranum) Davidi fuerit cum ad Samuelem noctu venit. At Hebræa verba id non dicunt. Joſephus dicit unum de comitibus monuiſſe Davidem, ut ſe ulciſceretur cæde regis. David regreſſus oram diploidis tantum abſtulit. Nam animum reverentia ſacri capitis tetigit, ſecundum alios retraxit à cogitato facinore: cor ipſi palpitabat cum abſcidiſ-

ſcidiſſet oram. Reverſum increpant ſui. At ille, Abſit (inquit) à me, ut id facerem domino meo, unĉto Domini. Viros etiam ſuos verbis compeſcuit nec permiſit ut in Saul inſurgerent. Progreſſum è ſpelunea ſequitur & inclamat à tergo: *Domine mi rex.* Ad ea verba reſpicientem regem, David ex more adorat: & ita affatur: Cur apud te fides eſt verbis hominum, dicentium, David malum tibi quærit? Hodie oculi tui vident Dominum te in manus meas tradidiſſe in hac ſpelunca. Erant qui incitarent, ut te occiderem: at peperci. Nam manum meam non extendam in dominum meum. Eſt enim unĉtus Domini. En mi pater, en laciniam pallii tui in manu mea. Cum enim hanc præſcidi, potui te, ſed nolui occidere. Agnoſce in manu mea non eſſe malum nec iniquitatem: meque non deliquiſſe in te. Tu tamen venaris animam meam ut eam tollas. Dominus judicabit inter me & te: ille me ulciſcetur, at manus mea non erit in te. Juxta parabolam veterum: Ab impiis venit impietas: at manus mea non erit adverſus te. In quem egreſſus eſt rex Iſrael? Quem venaris? mortuum canem? pulicem? At Dominus judex erit & judicabit inter me & te: & inſpiciet & litigabit litem meam & judicabit me à manu tua. Saul hac oratione commotus: Eſtne, inquit, hæc vox tua, fili mi David? Et ſublata voce flevit. Martyr: *Expreſſit hæc oratio Sauli lachrymas: hoc eſt, ut ille,* inquit, *ſanguinem animæ. Mirabilis erat Moyſes, qui aquam elicuit ex lapide: multo mirabilior eſt David, qui confeſſionem & lachrymas expreſſit à Saule & duritiem ejus cordis infringit.* Juſtior, inquit, es me. Tu enim retribuiſti mihi bonum, ego autem retribui tibi malum. Hodie ingens in me bonum præſtitiſti; traditum tibi in manus à Domino vivere permiſiſti. Nunquid inveniet quiſpiam inimicum ſuum & dimittet eum per viam bonam? Dominus ergò retribuat tibi bonum pro eo, quod hodie feciſti mihi. Nunc ergò (novi enim te omnino regnaturum eſſe, quodque in manu tua ſtabit regnum Iſrael) Nunc, inquam jura mihi per Dominum, quod non abſcindes ſemen meum poſt me, neque diſperdes nomen meum de domo patris mei. Dato jurejurandò David in munitionem, Saul domum abiit. Auguſtinus lib. 2. contra literas Petiliani c. 48. *Saulem propter ſacroſanĉtam unĉtionem David & honoravit vivum & vindicavit occiſum. Et quia vel panniculum ex ejus veſte præcidit, percuſſo corde trepidavit. Ecce Saul non habebat innocentiam & tamen habebat ſanĉtitatem non vitæ ſuæ ſed ſacramenti Dei, quod & in malis hominibus ſanĉtum eſt.*

Joſephus totam narrationem feliciter & facundè explicavit: qui etiam notavit duas cauſas prætexere Davidem, ob quas horreret manus injicere in Saul: quod dominus ſuus eſſet & ab ipſo Deo rex conſtitutus: *οὐ δίκαιον εἶναι φονεύειν τὸν ἑαυτοῦ δεσπότην, οὐδὲ τὸν ὑπὸ τοῦ θεοῦ βασιλείας ἀξιωθέντα.* Poſtremum interpretatur quid ſit eſſe unĉtum domini.

P. Martyr: *His hodie verbis* (Auguſtini ſupra citatis) *papiſtici presbyteri & monachi defendunt immunitatem ſuam, ut quamvis ſint, ut multi ex illis revera ſunt, omnium non tantum bipedum, ſed etiam quadrupedum nequiſſimi, tamen nolint ſiſti & cauſam dicere coram civili magiſtratu: ſcilicet, quod ſint ſacroſanĉti Chriſti Domini. Illi verò unĉti quidem & raſi ſunt: Chriſti autem non ſunt. Sed quo jure jaĉtant ſuum balſamum, quod hodiè nuſquam invenitur, quo tamen ſolo ajunt ſe ungi poſſe, eodem jure jaĉtare poſſunt, ſe eſſe Chriſtos. Papa verò seriò prædicat ſe eſſe Chriſtum. Et eſt ſanè. Verum Diaboli potius quam Domini. Ejus enim & vita & religio omni ex parte eſt Domino contraria. Vox iſta ſæpe occurrit in ſacris. Ejus ſacramenti externum ſymbolum erat unĉtio: res autem ſignificata, ut Auguſt. ait in Epiſt. Iohan. erat ſpiritus ſanĉtus, hoc eſt vis quædam à Spiritu Sanĉto collata in illos, quos Deus ad rem aliquam præclarè gerendam excitaſſet. Sed donum illud ſæpe conferebatur ſine externa unĉtione.*

Nam Christus dicebatur unctus præ participibus suis. Et Apostoli, omnesque pii ungebantur spiritu & gratiâ. Et in Psal. 105. David ita loquitur de Abrahamo, Isaaco & Iacobo. Et increpavit propter eos reges, dicens: Nolite tangere unctos meos, cum tamen satis constet, illos non fuisse nec Reges nec unctos. Sed sæpe in scripturis nomine signi res ipsa comprehenditur. Longè autem melius est, habere illam internam unctionem impressam in animo, quam alteram illam externam sine spiritu & gratia, quemadmodum Menelaus, Iason, Alcymus, Annas, Cajaphas habuerunt: tamen pro eo tempore damnandi non erant, qui utroque modo ungebantur, ut David, Solomon, Elizæus & alii. His autem verbis David tantum spectabat institutum Dei. Deus, inquit, sustulit Saulem ad regnum: ergo injussu Dei non debeo eum dejicere. Non desunt Deo rationes & viæ, quibus possit tyrannos tollere, si velit: Habet ignes, pestes, fulmina & mille malorum genera. Hac oratione David fregit nonnihil impetum suorum, quos credibile est nihil magis cupivisse, quam Saulem interfectum. Hic videmus Deum conciliasse Davidi magnam authoritatem inter suos. Fieri potest, ut illi ita inter se cogitarint: nisi cavemus, incidemus aliquando in manus Saulis. Quare nos ipsi eum occidemus si David nolit, ut possimus aliquando redire domum. Verum eos David authoritate sua compescuit, quod videret id sibi crimini datum iri, non sociis.

Disputant hic quidam licuerit ne Davidi Saulem interficere: & respondent licuisse. Primum, quod David iam esset Rex, deinde quod Saul indignus esse videretur, qui longius regnaret, ut qui & seipsum perderet & Rempub: & contra omne jus & fas sacerdotes Domini occidißet. Adhæc quod jus esset vim vi repellere. Postremò quod Lex eßet in Deuter. Latronem armatum ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensum licere occidere. Et si quæras cur eum David non occiderit, si licuerit, respondent; quoniam non semper videndum est, quid liceat, sed quid expediat? Non expedisse autem, quod David videri postea potuisset irruisse in regnum, & illud per homicidium occupasse. Sed quomodo id dicunt licuisse, si ad scandalum & eversionem reipub. pertinuerit? Multa quidem sua natura sunt ἀδιάφορα, ubi verò ad electionem perventum est, neceße est ea aut bona esse aut mala. Nam hominem pium semper persuasum esse oportet, quicquid instituat aut agat, placere Deo. David, inquiunt, erat Rex, Esto at nondum publicè erat inauguratus. Vim vi repellere licet. Fateor, sed ut jurisperiti loquuntur, cum inculpata tutela, hoc est si non possint fugere, nec se alia ratione defendere. Lex permittit furem nocturnum occidi: quia per tenebras sciri non potest quis sit, nec appellari potest Magistratus. At David hunc videbat esse Saulem, & potuit alia via se tueri. David ergò non potuit ullo jure Saulem occidere: & præsertim cum videret id futurum ad eversionem reipub. Et cum sciret se esse regnaturum, cavere debuit ne malis exemplis omnia perturbaret. Et si Saulem privatus interfecisset, videbat, idem postea eodem jure sibi quoque posse fieri. Adhæc si Saulem solum interfecißet, milites, qui eum sequebantur, non dedißent pœnas, qui postea unà omnes cæsi sunt cum Saule in monte Gelboe. Nec Deus voluit Davidem per homicidium adducere ad regnum. Et Semei, qui postea Davidem contumeliosè appellavit virum cruentum & sanguinarium, quid ille fecisset si occidisset Regem. Quare David prudenter & piè reliquit ultionem Deo. Ista enim Deus monuit: Mihi, inquiens, vindictam, & ego retribuam. Et si esurierit inimicus tuus, pasce illum, si sitierit da illi bibere. Sic enim faciens, carbones ingeres in caput ejus. Noli vinci à malo, inquit Paulus, sed vince in bono malum. Et certè David hoc tempore vicit seipsum. Non enim truncus erat, ut non videret, se ita liberari poße à multis curis, si Saul esset mortuus. Nec tantum seipsum vicit sed etiam socios. Docemur hoc exemplo manum mittendam non esse in magistratum: est enim minister Dei; & illi omnem animam oportet eße subditam, modo ne id imperet, quod salva pietate non possit fieri.

In Dec, qu. 7. cap. Plerunque, Hic locus traducitur ad mirabilem allegoriam. Saul inquit ille, quisquis est, opinor esse Gregorium, in antro exonerat alvum. David accedit

&

& amputat oram pallii. Et statim reprehenditur à sua conscientiâ. Reges inquit, sunt Episcopi: si illi in occulto malitiam aliquam educunt in actum, non possunt salva conscientia, à quoquam reprehendi. Ita isti non quidem in antro, sed in aperta luce, & in oculis orbis terrarum peccare volunt, ut horrendum scelus esse judicent, si forte à quoquam arguantur. At Christus ait: Si peccaverit in te frater tuus, admone eum inter te & ipsum solum, post adhibe unum, aut alterum, postremò dic Ecclesiæ; illi si ista non putant ad se pertinere, ne sint fratres nostri, neve Deum appellent Patrem: nec omninò dicant; Pater noster. Nobis certè pluris esse debent verba Christi, quam omnia decretalia. Hactenus P. Martyr: sed stulti & fatui sunt ministri Ecclesiæ, qui sibi dominium arrogant. Illi administrant verbum & sacramenta tanquam ministri Christi, non ut domini rerum. Unctio dominationis symbolum alia est ab unctione pontificum & prophetarum. Principibus parcendum est, eorum injuriæ ferendæ patienter, fugere tamen licet, ubi injuste vita impetitur. Insurgere adversus principem non licet. Samuel Davidem inunxit adversus voluntatem Saul, qui imperabat, sed Dei mandato. Quæritur, An lex de non obsistendo nos obliget in gravissimo & certissimo discrimine. Si obligat, id habet à Deo aut ab hominibus. Deum posse ad certam mortem nos obstringere, nemo dubitat: an voluerit, dubium esse potest. Homines superioribus dant in se potestatem. Non est credi par, quod tantum jus homo in hominem acceperit aut esse voluerit, nisi exigente summa necessitate. Et leges feruntur ab hominibus cum sensu humanæ imbecillitatis. Qui se subjecerunt in societate civili, à quibus jus ad imperantes manat; anne voluerunt omnibus hoc onus imponere, ut mori præoptent, quam ullo casu vim superiorum armis arcere? Nisi hoc additamento, si resisti nequeat, nisi cum maxima reip. perturbatione aut exitio plurium innocentium. Quod attinet Divinam legem ea hic approbat humanam illam subjectionem, à qua imperia. Modum igitur non ponit sed positum approbat. Audiamus Grotium ipsum: *Barclajus regii imperii assertor fortissimus huc tamen descendit, ut populo & insigni ejus parti jus concedat se tuendi adversus immanem sævitiam; cum tamen ipse fateatur totum populum regi subditum esse. Ego facile intelligo, quo pluris est id quod conservatur, eo majorem esse æquitatem, quæ adversus legis verba exceptionem porrigat: attamen indiscriminatim damnare aut singulos aut partem populi minorem: quæ ultimo necessitatis præsidio sic olim usa sit, ut interim & communis boni respectum non deserat, vix ausim. Nam David, qui extra pauca facta testimonium habet vitæ secundum leges exactæ, armatos circum se primum quadringentos, deinde plures aliquanto habuit? Quo nisi ad vim arcendam, si inferretur? Sed simul illud notandum est, non factum id à Davide nisi postquam & Ionathanis judicio & pluribus aliis certissimis argumentis compererat Saulem vitæ suæ imminere. Deinde vero nec urbes invadit, nec pugnandi captat occasiones, sed latebras quærit, modo in locis deviis, modo apud populos externos & hac religione ut popularibus suis nunquam noceat. Simile videri potest factum Machabæorum &c. Nihil ergò est quod Machabæos tueatur, præter summum certissimumque periculum: quandiu intra sui defendendi terminos ita se continuerunt, ut in loca devia exemplo Davidis secederent, quærendæ securitati; nec arma expedirent, nisi ultro oppugnati. Illa interim cautio tenenda est, etiam in tali periculo personæ regis parcendum: quod qui factum à Davide putant non ex officii necessitate sed ex sublimiore proposito falluntur. Ipse enim David aperte dixit, insontem neminem esse posse, qui manus regi inferret &c. Quod si voce lædendus non est manu certe multò minus: unde & pænitentia ductum Davidem legimus, quod vestem ejus violasset: tantam intelligebat personæ istius esse sanctitudinem &c. Illa quæstio gravior, an quantum Davidi, an quantum Machabæis licuit,*

licuit, liceat & Christianis: quorum magister crucem subire totiens jubens exactiorem patientiam videtur requirere &c. Quare Christianis veteribus qui recentes ab Apostolorum & Apostolicorum virorum disciplina eorum præscripta & intelligebant melius & perfectius implebant summam injuriam fieri puto ab iis, qui quo minus ipsi se defenderent in certissimo mortis periculo, vires putant illis, non animum defuisse &c. At certum est non minorem patientiam sub veteri lege (ut loquuntur) quam sub nova præcipi, nec jus defensionis arctari sub N. T. Una & eadem lex moralis, recti regula eadem præscribitur in N. T. quæ data fuit sub V. T. Paulus jus idem regibus & potestatibus nunc tribuit, quod habuerunt sub veteri. David se extra terræ limites continuit, ne sui causa publica tranquillitas inquietaretur. Idem quod illi licuit, omnibus hodie licet, qui in publico constituti spem proximam regni à Deo promissam habeant. Ut Machabæi religionis causa oppetierunt mortem, ita & veri Christiani faciunt & fecerunt olim. Nec David ad se turbam hominum sui defendendi vocavit, admisit eos, qui similis fortunæ socii esse vellent.

I. SAM. XXV.

EA tempestate diem suum obiit Samuel: quem totus Israel luxit sepeliitque in domo sua in Rama. Non est à Saul interfectus: neque enim legimus, quod eum sit persecutus. *Major ejus authoritas* (inquit Martyr) *quam Abimelechi pontificis aut Davidis adhuc juvenis. Deinde egit tantum privatam vitam in schola inter prophetas: & eam ob causam à Saule contemnebatur.* An Saul funeri adfuerit non patet. P. Martyr: *Hic nihil legimus de templis & altaribus exstructis Samueli, de ejus reliquiis effossis & adoratis, de peregrinationibus ad eum factis. Tamen Hieron. contra Vigilantium (quo in opere, quod tanti viri pace dictum velim, nimium ipse nimiumque dormitavit) ait Arcadium imperatorem ossa Samuelis transtulisse è Palæstina Chalcedonem. Videlicet ut ea historia probet adorandas esse reliquias. De facto Arcadii nos hoc loco nihil dicemus. Certe Scripturæ nihil tale referunt, nec de anniversariis nec de purgatorio. Sed quidam cum vehementius urgentur, solent dicere, purgatorium eo tempore non fuisse. Sed ut sunt inepti, cum ista dicunt, non vident se contra seipsos dicere. Ista tamen comminiscuntur ut explicent se è gravissimo argumento. Nam cum nos objicimus in lege veteri fuisse sacrificia pro principe, pro sacerdote, pro Zelotypia, pro muliere à partu, pro lepra, denique pro morborum aut contaminationum quovis genere & absurdum esse, nullum institutum fuisse sacrificium pro miseris purgatoriensibus, respondent ad extremum nondum fuisse purgatorium. Esto. Sed cur ergo citant nobis locum de facto Iudæ Machabæi? Nam ille certè vixit sub lege? Neque Christus credendus est suo adventu novam carnificinam advexisse. Sed in N. T. quid tandem habent de purgatorio? Describitur mors Stephani, Tychici, Iacobi, Iohannis baptistæ & aliorum complurium, Vbique tamen magnum est silentium de purgatorio. Hæc ergò omnia non aliud sunt quam vanissima hominum otiosorum somnia.*

David è deserto Maon abiit in desertum Pharan. In Maon habitabat Nabal cujus possessio in Carmelo. Josephus eum Ziphenum vocat & oppidum ejus ἐμμά: nisi ἐμμὰ pro Μαῶν: quemadmodum est in versione Rufini. Id sane ita est. Habebat possessionem pecorum in Carmelo, (id Kimchi putat esse appellativum, pro loco culto satis & arboribus: secundum Eusebium vicus est non mons) ter mille ovium & mille caprarum. Is forte tondebat oves in Carmelo: quod cum in solitudine intellexisset David decem juvenibus imperat, ut salutem illi multam suo nomine dicerent: Pax tibi, pax domui tuæ, pax omnibus, quæ possides. Se audivisse quod tonsuram ageret. Pastores ejus fuisse apud

apud Davidem ejusque comitatum, sine ulla injuria. Id ab ipsis sciscitari posse. Inverisirent igitur gratiam missi juvenes, qui læto die advenerant. Daret suis servis & filio Davidi, quod placeret. Ad ea Nabal: Quis David & quis filius Isai? Hodie nimium servorum est, à dominis suis se dividentium. Panem meum aquamque & carnem pro meis tonsoribus mactatam, non dabo illis, quos ignoro. Hæc cum nuntiata essent David, movent animum: quod beneficia sua in hominem indignum contulisset, à quo tam contumeliose acciperetur. Saul, domini sui injuriam tanta patientia qui tulerat, responso & contumeliis hominis duri & morosi accenditur. Omnem operam custodiendis ejus possessionibus in vanum impendi. Ille mihi malum pro bona retribuit. Ita faciat Deus hostibus Davidis, ut de ipso in crastinum nec canem relinquam. Cum quadringentis armatis David se accingit itineri, ducentis relictis apud impedimenta. Maon oppidum Judææ teste Camio, Nabal Calebita: cui uxor Abigail (Ἀβιγαία Jos. & Lxx.) mulier castitate, prudentia & forma insignis. Huic unus de famulis indicat, quomodo ab hero accepti essent legati Davidis. Ejus tamen milites nullam injuriam ipsis fecisse, sed instar valli fuisse nocte & die, toto tempore, quo fuissent cum ipsis, in pascendo. Vide, quid agendum sit: malum enim imminere domino totique domui: ipsum verò hominem, cum quo verba sana non possis communicare. Abigail clam marito, ducentos panes, duos utres vini, quinque oves paratas, quinque mensuras frumenti tosti & centum ligaturas uvarum siccarum & ducentas palathas ficuum imposuit asinis. Lxx. onus id ita exprimunt: διακοσίους ἄρτους καὶ δύο ἀγγεῖα οἴνου, καὶ πέντε πρόβατα πεποιημένα, καὶ πέντε οἰφὶ ἀλφίτου, καὶ γόμορ ἓν σταφίδος καὶ διακοσίας παλάθας. Hæc præire jussit, sequitur ipsa insidens asino. Cum descenderet in latebroso montis (בסתר ההר) (Lxx: ἐν σκέπῃ τοῦ ὄρους) (Rasi: duo montes erant interque eos vallis: Ipsa descendit de monte isto, David ex monte adverso) adventare videt Davidem cum suis commilitonibus. Cum in proximo essent, maturatò desiliit de jumento: prolapsa est in faciem venerabunda coram Davide. Et pedibus advoluta, Domine, inquit, mea esto iniquitas: loquatur ancilla tua in auribus tuis: audi illius verba. Dominus meus non apponat animum ad virum hunc, cui ex re Nabal nomen est. Νάβαλος (inquit Josephus) ἀφροσύνην δηλοῖ. Stolidus est: ego autem, ancilla tua, non vidi juvenes, quos miseras. Domine mi, Vivit Dominus & anima tua: Dominus est qui prohibuit te ab effusione sanguinis, per manus propriæ vindictam. Nabalo similes sint, qui domino meo malum quærunt. Hæc benedictio est, quam ancilla tua attulit ut distribuatur juvenibus, qui domini mei pedes sequuntur. Condona obsecro, ancillæ tuæ, prævaricationem. Dominus enim domino meo struet domum stabilem, quia bellavit bella Domini nec inventum est malum apud te à diebus tuis. Cum homo surget ut te persequatur & animam tuam quærat anima domini mei ligata erit in fasciculo viventium apud Dominum Deum tuum, sed animam hostium tuorum ejaculabitur è cavo fundæ. Ubi Dominus domino meo fecerit secundum omne bonum, quod super te locutus est: & constituerit te ducem super Israel; non erit tibi hoc in labem & offensam cordis, quod sanguinem sine causa effudisses, teque ipsum esses ultus. Ubi vero Dominus tibi bene fecerit, ancillæ tuæ memor eris. Tam gravi & prudenti oratione delinitus collaudat & à Deo missam esse cum magna asseveratione profitetur, quæ manus suas à cæde & ultione propria prohiberet. Nisi enim festinasset occurrere, de Nabal nec canem in vivis mansurum fuisse. Accepto munere, domum ire jubet & esse securam. Illa domum reversa invenit maritum in epulis, quas regio luxu instruxerat, hilarem & madidum vino. Nihil

 igitur

igitur illi harum rerum indicavit donec edormivisset crapulam. Postero mane, audito periculo attonitus obriguit: & hinc in morbum lapsus post decem dies, expiravit. Dicitur Deus eum percussisse, quod non infert supernaturalem operationem. Vanum est quod Kimchi scribit obriguisse, quod doleret tantum munus Davidi datum esse & sibi decessisse. Magistri dicunt decem dies resipiscentiæ ipsi datos esse: quod convenientius quam illud quod apud eundem Rasi alius dicit, numerum convenire numero Davidis legatorum, quos male acceperat. Josephus totam quoque hanc narrationem benè assecutus est.

Cæterum David intellecta morte Nabal Deo benedixit, qui se prohibito ab ultione propria, ultus esset injuriam suam. Mulieris autem istius admiratus & formam & prudentiam misit post conveniens tempus, qui cum ea de conjugio loquerentur. In Carmel eam inveniunt. Audita Davidis petitione, adorans, En, inquit, ancilla vestra sit in famulam, ut lavet pedes servorum domini mei. Festinabunda parat se, ascendit asinum cum quinque virginibus pedissequis. Cum servis Davidis ad eum veniunt fuitque ei in conjugem. Præter hanc(duxit quoque (sive ante sive post id tempus) Ahinoam è Jezrael. Ita duas habebat conjuges: nam Michal alii cesserat; ut supra diximus. De hac Michal infra latius. Josephus alteram illam scribit fuisse ex urbe Abesaro: quam ignoro quæ sit Lxx. Ἰεζραὴλ. Michal datam esse recte scribit τῷ Φελτίῳ υἱῷ Λισοῦ: at malè Gelenius vertit *Liso Pheltiæ filio.* ἐκ πόλεως ἐστι γελλᾶς scr. γελλᾶς.

I. Sam. XXVI.

Zipheni (dolentes forte, quod primum indicium nihil effecisset) iterum indicant Saul, Davidem apud se esse in colle Hachila, ante solitudinem. Saul reversus ad ingenium cum tribus millibus delectis ex toto Israel eo concessit, ut quæreret Davidem. Castra autem metatur in colle Hachila. Lxx. rursus ישמון accipiunt pro nomine proprio loci. Scriptura ישמון latius capit, ejus partem facit מדבר desertum Ziph. David continebat se in deserto. Cognito autem per exploratores eum certo advenire. אל נכון Lxx. ἕτοιμος ἐκ κοιλά. Non intelligo quod velint, Lxx. illi pro Hachila habent ἐχιλά, Josephus pro hoc aut σιλὰ in lectione, quæ exstat Σύσιλα. David ipse speculatus est quomodo castra posuissent. Videbat, ubi Saul, ubi Abner tenderent. Curruum tumultuario vallo ad viam se communiverant. In medio Saul prætorium habebat, circum eum tentoria militum. David ad Achimelech Hetthæum & Abisai Sarujæ filium, qui forte adstabant, Quis me comitabitur in castra regia? Abisai prompte id suscipit. Ingressi castra noctu vident altum silentium. Saul dormiebat. Hasta infixa solo adstabat capiti regis: Abner & universus populus in somnum prolapsus erat. Hic Abisai: Deus inimicum tuum in manus tuas conclusit: sine ut eum solo affigam & tradam æterno sopori. Noli, inquiebat David, id committere: quis enim impune manus intulit uncto Domini? Ut vivit Dominus: Dominus eum percutiet, aut dies ejus veniet, ut obeat aut in prælio cadat. Prohibeat manus meas Dominus ab uncto suo. Abeunt cum hasta & utre aquæ circa regem positis à nemine animadversi. Nam sopor à Domino eos merserat. David in jugum oppositi montis quem media vallis spatiosa intercapedine dirimebat, enisus, alta voce ad populum & Abner inclamat: Abner. Cui ille, Quis es, qui ad regem vocem attollis? Tum David. Tu vir es & parem non habes in Israel; cur igitur

non

non fuisse pervigil pro rege tuo? Quod fecistis laudabile haudquaquam est, ut vivit Dominus. Viri mortis estis, quia non fuistis pervigiles pro uncto Domini. Videte ubi hasta, ubi uter aquæ, quæ capiti ejus apposita fuerunt. Saul agnoscebat vocem Davidis, rogatque num ille esset: quem & filium appellat. David autem: Quibus intemperiis ita servum tuum persequeris? Si te Dominus agitat, mincham offer: si te homines impellant, maledicti sint coram Domino. Nam me expellunt ut non liceat Domini hæreditati adhærescere, quasi dicerent: Abi cole deos alienos. Non cadat sanguis meus in terram coram Domino. Nam rex Israel egressus est, ut pulicem quærat: quasi perdicem in montibus venaretur. Hic Saul iterum fatetur se peccasse. Rogat Davidem redeat: quia, inquit, vitam meam hodie caram habuisti. Stulte feci, magnopere erravi. Verba bona, si animus sibi constitisset. David autem: En hastam regiam, quam juvenum aliquis huc transiens sumat. Dominus unicuique rependat secundum suam justitiam & fidem. Tradiderat vos Dominus in manum meam hodie: at ego manum inferre nolui uncto Domini. Ut autem hodie anima tua apud me in magno pretio fuit, ita anima mea magni habeatur apud Deum qui me liberet ex omni necessitate. Tum Saul: Benedictus es fili mi David, tu facies, tu prævalebis. Ita discessum est. David alio abiit Saul domum suam.

Josephus Davidem, ignaris suis omnibus (quod veresimile est) cum duobus Achimelecho & Abisai penetrasse in castra scribit. Regis cubile agnovisse ex hasta. Unctum Domini interpretatur, ὑπὸ τοῦ θεοῦ κεχειροτονημένον βασιλέα. φακὸν τοῦ ὕδατος dicit ut est apud Lxx: Vulg. *scyphus aquæ*. Heb. צפחת המים Saulem agnovisse, ὅτι λαβὼν αὐτὸν ἔκδοτον ὑπ' αὐτοῦ ὕδατος καὶ τὸ τῶν φυλασσόντων ἀμελείας οὐκ ἀπέκτεινεν &c.

Lxx: habent v. 5. & 7. ἐν λαμπήνῃ Vulg. *in tentorio*. Heb. במעגל. Ralbag: *Id est in castris, quæ erant in similitudinem circuli ut viderent advenientes ex omnibus lateribus.* Theodoretus: Λαμπήνη μέν ἐστιν εἶδος ἁρμαμάξης ὥσπερ αὖ καὶ ἀπήνη. Ὁ δὲ Ἀκύλας οὐκ εἶπε λαμπήνη ἀλλὰ τῇ στρογγυλώσει, δηλοῖ δὲ ὁ λόγος τὸ ἐν μέσῳ τοῦ λαοῦ κατακεκλίσθαι τὸν βασιλέα, καὶ πανταχόθεν ὑπὸ τῶν ὁπλοφόρων τειχίζεσθαι. Καὶ τοῦτο μᾶλλον ἀληθέστερον εἶναι νομίζω. Ita deserit τοὺς ό. Jonathan בכרקומא. Judæorum fabulæ Achimelech volunt fuisse Uriam qui etiam Hettæus erat at id nihili argumentum est. Chrysostomus in homilia de David & Saul valde extollit & extendit hanc Davidis clementiam seu reverentiam erga Saul: *Neque* inquit, *pepercit tantum sed etiam excusationem pro eo proponit: Vide vero quam prudenter quamque sapienter. Si quidem cum vitam Saulis perscrutans nihil in eo invenisset boni, ad dignitatem illius excusationis causa confugit, quoniam Christus domini est.* In quo verbo duo dividit: *primò quod rex est: secundo, quod à Domino electus, qui eum nondum abdicaverat principatu* &c. David in homines quosdam impios conjicit ex parte illam Saulis sævitiam, inter quos fuit adulatio, mixta invidia: Seneca ep. ad Lucillium: *Monstrabo tibi cujus rei inopia laborent magna fastigia & quid omnia possidentibus desit. Ille scilicet, qui verum dicat & hominem inter mentientes stupentem, ipsaque consuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorationem veri perductum vindicet à contemptu falsorum. Non vides quemadmodum in præceps agat illos exstincta libertas & fides in obsequium servile summissa: dum nemo ex animi sui sententia suadet dissuadetque: sed adulandi certamen est & unum amicorum omnium officium, una contentio, quibus blandissime fallant.*

I. Sam. XXVII.

DAvid bis à Ziphenis proditus, vitæ suæ metuendum esse duxit in omnibus locis, ubi Saul imperium teneret: apud exteros tutius agi. Et Saul ubi intellexerit in peregrino agere desiturum à persecutione, quam semper observare difficile & molestum esset. Confugit igitur cum suis ad regem Achis, filium Maochi regem Geth. Conjuges suaque omnia in Geth transferunt: David etiam uxores suas. Benigne accepti & habiti sunt. Saul audito Davidem excessisse regno, persequi destitit. Sed David petiit ab Achis ut locum aliquem certum assignaret. Non enim convenire ut in regia & sub oculis regis ageret. Assignata Siceleg, non tantum in habitationem sed & dominium quæ ex ea causa regno Judææ accessit ut dicit scriptor lib. 1. Samuelis, qui vixit tempore regum Judææ post divisionem tribuum. David in Palæstina vitam toleravit anno & quatuor mensibus ut habent versiones quædam & Belgica. Hebræa habent ימים וארבעה חדשים. Vulg. & Lxx. tantum quatuor mensium meminerunt: Jonathan: יומן עדן בעדן וארבעא ירחין dies tempus in tempore &! quatuor menses. Rasi: מיעוט ימים שנים *Paucissimum dierum duo. Non est possibile exponere* ימים *hoc de anno. Nam non ivit David ad Achis ante mortem Samuelis & Saul non regnavit post mortem Saul nisi quatuor mensibus, ut docetur in Seder olam. Et etiam è numero annorum Eli & viginti annorum, quibus fuit arca in Cariathiarim ecce sexaginta anni: deduc ex illis quinquaginta duos Samuelis & annum unum in embolismum cum quatuor mensibus illis, & septem annis, quibus regnavit David in Hebron antequam induxisset arcam è Cariathiarim, invenietur, quod non regnaverit Saul post mortem Samuel nisi quatuor mensibus.* Kimchi: *Non quadrat exponere hoc* ימים / *de anno. Nam Saul regnavit tantum biennio & omnia negotia, quæ fuerunt David cum Saul non est possibile ut in octo mensibus contigerint. Preterea quod iverit Samuel in agrum Palæstinorum non nisi post mortem Samuelis: & mors Samuelis non antecessit mortem Saul nisi septem mensibus. Ideo nos exponimus* ימים / *sensu proprio* (כמשמעו). *Et vult dicere quatuor mensibus & quibusdam diebus è mense quinto. Et sic reddidit Jonathan* יומן וארבעה ירחין *At in quibusdam exemplaribus est,* עדן בעדן וארבעה ירחין / *Id est* anno & quatuor mensibus. Incertum igitur, quomodo Jonathan acceperit. At annum fuisse videtur probari ex cap. 29. v. 2. quod illic explicandum. Non opus est Samuelis mortem & Saul tanta vicinitate conjungere. Lyranus, Vatablus, Cajetanus annum accipiunt at pontificii urgentur versione vulgata, Hebræi à Seder olam: quod biennium Saul ab ejus electione ad mortem extendit. Deinde & annis judicum per quos numerant non per annos pacis & quietis.

David noluit commorari in Geth: primo, quia urbes regiæ solent esse refertæ multis incolis & plurimis peregrinis, negotiorum causa ad regem confluentibus; unde David & sexcenti viri, quibus magnum spatium loci concedendum erat, fecissent ut plurimi perincommode habitarent. Deinde etiam ad honorem regium pertinebat, ne in eadem urbe duo quasi reges habitarent. David enim tot viris fortissimis stipatus, qui illi honorem pene regium deferebant: quod scirent Dei promisso & decreto regnum ad eum perventurum, poterat à suis ita honorari, ut indigenæ putarent cum detrimento & despectu regis sui id fieri. Pertinebat etiam ad securitatem regiam, ut hominum profugorum fidem experiretur alibi, quam in ipso capite regni. Urbi & regi etiam gravis erat tot hominum incolatus qui urgebant annonam. Has similesque causas potuit David prætendere, sed unam & præcipuam pectore condebat: ut Deo

suo

ſuo liberius ſerviret. Solent enim idola in regiis magnificentius & urgentius coli. Cui altera accedebat, quo poſſet prædas agere ex terris peregrinis. Si enim in urbe regia fuiſſet ſubſiſtendum, emanaſſet facilius nunquam Judæam tangi, quod ſuſpicionem dediſſet facile conciliari poſſe ſuo regi nec ſatis fidendum homini: qui timeret ſui domini ulteriorem offenſionem. Quærit Camius, quomodo conceſſerit David ad regem Achis, cum apud illum jam in periculo fuerit, inſaniæ ſimulatione ægre ereptus? R. In illo tempore Davidem fuiſſe ſolum, & voluiſſe latere, cumque aperiretur, metuiſſe. Nunc autem veniſſe cum viris ſexcentis & priuſquam adveniret miſiſſe ad Achis, quod (להתבאש) animum averſum haberet à Saul & populo ſuo. Si ipſi volenti eſſet, morari velle cum eo ipſum ſuoſque viros, ut ei auxilio eſſent in bello adverſus Iſraël. Simul indicaſſe Davidem, quis eſſet. Achis eum in pace recepiſſe & ſic habitaſſe cum eo. Siceleg ſubjugata erat in occupatione terræ à filiis Judæ (Joſ. 15. 31. & 19. 5.) quomodo ergo ab hac cauſa regno Judæ ceſſit? Kimchi idem reſpondet. Fortaſſis illic de terminis ejus ſermonem eſſe: aut quod eam tum ſubjugaverint, poſteaque ceperint Palæſtini è manibus eorum: at ex eo tempore, quo illic conſedit David, factam eſſe regum Judæ. Regum Judæ non Judææ tribus facta eſt. Nam pertinebat ad tribum Simeonis.

Cum David in Siceleg habitaret, cum ſuis prædas agebat è Geſſuræis, Gerezæis & Amalecitis. Hi enim ea tempeſtate (ut annotat ſcriptor lib. 1. Samuelis) non qua liber ille ſcriptus eſt, in illis partibus colebant, verſus Sur & Ægyptum. Trucidabat omnes incolas, nulli ſexui parcebat. Prædabatur oves, boves, aſinos, camelos, veſtimenta: atque ita redibat ab Achis. Ideò ambiguè dictum ita accipiebat Achis, quaſi auſtralia illarum terrarum populatus eſſet. Illi enim dicebat ſe invaſiſſe verſus auſtrum Judææ, Jerahmeelitarum & Cenæorum. Neminem de hoſtibus nec virum nec mulierem vivum Geth intrare permittebat, (ita captivos aut ſervos noluit) ne res emanaret. Hic modus agendi ab eo obſervatus eſt, dum apud Palæſtinos ageret. Unde fidem fecit Achis Palæſtino, tantum odium ejus eſſe in ſuos & ſuorum in ipſum, ut ſpes reconciliationis nulla ſupereſſet: adeoque ſe forti & fideli ejus opera ſemper uſurum. Quæri poſſet quomodo illi licuerit bello perſequi Amalecitas, cum nondum rex eſſet, latrocinia enim non exercuit. R. 1. Id potuit fieri volente Saul & populo Iſrael: ut ſignificatum fuerit edicto publico cuivis poteſtatem eſſe datam? 2. Ipſe divinitus rex erat unctus: potuit adverſus hoſtes agere, licet non in ipſo populo exercere imperium. 3. Deum potuit interrogare per Ephod & ſic divinum habuiſſe mandatum. Joſephus ſcribit Saulum etiam noluiſſe perſequi: *δὶς γὰρ ἤδη κινδυνεῦσαι περιγραμμένον ὑπ' ἐκείνῳ γενόμενον συλλαβεῖν αὐτὸν πειρώμενον.* Quæ ſonant: *Bis enim jam in periculo fuiſſe, penè in illius poteſtatem redactum cum eum capere moliretur.* Hanc cauſam non exprimit nec innuit Scriptura. Davidem ſcribit rogaſſe regem, ut ad ſuperiorem benevolentiam, qua erat benignè ſuſceptus adderet, locum dando habitationis: ne gravis & oneroſus eſſet ipſi in civitate. Locum vocat Σικέλλαν, quam fuiſſe κώμην dicit. Habitaſſe in Palæſtina menſibus quatuor & diebus viginti. Regi dediſſe è manubiis, quas ceperat è Saritis & Amalecitis. Σαρρίτας qui ſunt? Γεσιρὶ Lxx. appellant. In v. 8. אשר מעולם בואך שורה ועד ארץ מצרים Lxx: ἀπὸ ἀνηκόντων: ἢ ἀπὸ Γελαμψοὺρ τετειχισμένων καὶ ἕως γῆς Αἰγύπτου. Quid facies ex illa verſione? Quis illa intelligere aut interpretari poteſt? Jonathan שור interpretatur חגרא.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

CAP. LVI.

EA tempestate Samuel diem functus est. Saul, Allophylis bellum inferentibus, Dominum consulit, nullumque est ei responsum redditum. Tum per mulierem, cujus viscera spiritus erroris impleverat, Samuelem evocatum consulit. Dictum ei ab eo est, postero illum die cum filio victum ab Allophylis in prælio casurum. Igitur Allophyli castris in hostili solo positis, postero die aciem instruunt: David tamen ex castris remisso, quia parum crediderant sibi illum adversum suos fidum fore. Sed conserto prælio, Hebræi fusi, filii regis cadunt: Saul equo delapsus, ne vivus in potestatem hostium veniret, gladio suo incubuit. De ætate imperii parum certa comperimus, nisi quod in actibus Apostolorum XL. annos regnasse dictus est. Quamquam ego arbitror, tum à Paulo cujus illa prædicatio refertur, etiam Samuelis annos sub regis istius ætate numeratos. Plerique tamen qui de temporibus scripserunt, XXX. eum annos regnasse annotaverunt: cui opinioni nequaquam accedimus. Nam ea tempestate qua Domini arca in Cariath-jarim oppidum translata est; necdum regnare Saul cœperat: refertur autem per David regem ex illo oppido arcam sublatam, cum per XX. annos ibi constitisset. Ergo, cum intra id tempus Saul regnaverit atque decesserit, parvo admodum spatio tenuit imperium. Eadem nobis de temporibus Samuelis caligo, ut qui cum Heli sacerdote natus, admodum senex sacerdotio functus referatur. A nonnullis tamen qui de temporibus scripsere, (quia verè nihil de ejus annis sacra historia signavit) LXX. annis præfuisse populo refertur. Sed unde hæc autboritas fuerit aßumpta non reperi. Nos in tanta erroris copia; Chronicorum annotationem secuti, quia eam ex Apostolorum actibus (sicut superiùs memoravimus) profectam arbitramur, Samuelem & Saulem XL. annos principatum egisse referimus.

Drusius.

EA Tempestate Samuel Diem Functus Est] Salmanticensis judæus, *obiit anno mundi 882. supra ter millesimum, vigesimo octavo mensis Ijar in Rama.* Hoc & supra notavimus. Rursum Salmanticensis, *dixerunt doctores nostri, quorum fausta sit memoria, Samuel & Saul mortui sunt eodem anno:* & mox: *Samuel decessit quatuor mensibus ante Saulem:* Et post aliquanto, *Videtur quod Samuel egerit annum trigesimum octavum cum diem suum obiret Eli sacerdos.* Vide sequentia.

Per Mulierem, Cujus Viscera Spiritus Erroris Impleverat] circumloquitur ἐγγαστρίμυθον, in ventre loquentem, quam, qui Ebræa in latinum sermonem transtulerunt, Pythonissam appellant.

Samuelem] dæmonem in specie Samuelis, quem scriptura Samuel appellat eo modo loquendi, quo angelos vocat homines aut viros, & Raphael in historiâ Tobiæ vocatur Azarias filius Ananiæ: aut ipsum Samuelem, quem Deus permisit excitari, permisit ut futura prædiceret regi quondam suo. Qui hanc opinionem tuentur in duas sententias abeunt. Nonnulli animam ipsius excitatam putant: alii corpus tantum. Quæ magiæ species necromantia nominatur, quando videlicet per mortuos divinamus postque futura prædicimus. Qua de re consulendus præter Nicolaum, Paulus Episcopus Burgensis, in Addit. 1. Sam. 28. Videndus quoque Augustinus lib. 2. ad Simplicianum, quæst. 3. ubi hanc quæstionem in dubio relinquit, nec quicquam certi definit. Credibilius tamen Dæmonem in forma Samuelis apparuisse, quem opinabatur Samuelem esse: ex quo discere cupiebat eventum belli, quod tum cum Allophylis gerebat. Quo facit canon hic theologicus, *Species rerum appellantur de nominibus ipsarum rerum.*

Cum Filio] *cum filiis* potius. Paulo post, *filii regis cadunt.* Nam tres erant numero; Jonathan, Abinadab & Melchisua. Vide sis 1. Sam. 28. 19.

Saul Equo Delapsus] Hoc de suo addidit, ut apparet. Nam nec in scriptura nec apud Josephum legitur.

In Actibus Apostolorum xl. Annos Regnasse Dictus Est] Salmanticensis: *Gentes,* hoc est, *Christiani scribunt Saulem regnasse annis 40.* Josephus autor eum regnasse una cum Samuele annis duodeviginti, & post, quum jam diem suum prophetes obiisset, ann. 20. sed in Rufino *duobus:* quæ lectio in omnes partes melior est. Eam firmat Historia Ebraica, cujus Salmanticensis meminit per hæc verba, *Ioseph ben Gorion ait Saulem regnasse annis viginti, videlicet octodecim cum Samuele, & duobus post eum. Quod fieri non potest secundum id quod diximus, & secundum numerum annorum, qui à Iephthe usque ad quartum annum regni Salomonis.*

Triginta Eum Annos Regnasse Annotaverunt] Hic numerus propius accedit ad eum, qui in Seder Olam, ubi memoriæ proditum Samuelem præfuisse annis tredecim, & simul cum eo Saulem annis viginti: nisi mens autoris, Si anni Saulis annumerentur annis Samuelis efficere simul viginti annos: expende.

Etjam Samuelis Annos Sub Regis Istius Ætate Numeratos] Sic & Rabanus, cujus verba exstant in glos. ordin. *Si autem,* inquit, à morte Eli omne tempus concluditur, quo Samuel & Saul regnaverunt, inveniuntur xl. anni usque mortem Saul.

Arca In Cariath-Jarim Opidum Translata] Arca capta mortuus est

est Eli, cui Samuel successit. Eodem hæsit in agro Philisthæorum septem mensibus: inde translata est in Bethsames, & statim post, in Cariath-Jarim, ubi fuisse traditur annis viginti usque dum David Jerosolymam venit. Educ ex annis istis septem annos cum dimidio, quibus regnavit in Hebron, reliqui sunt anni duodecim & sex menses: adde septem illos menses quibus arca fuit in agro Philistæorum, ecce tredecim anni cum uno mense.

CUM PER XX. ANNOS IBI CONSTITISSET] In Seder Olam Rabba quod est Chronicum Ebræorum majus, *Tabernaculum conventus fuit Nobe annis tredecim, & Gabaone septem, interim arca mansit in Cariath-jarim annis viginti.*

CUM ELI SACERDOTE NATUS] Salmanticensis, *Samuel agebat annum cum diem suum obiret Eli. Nam Eli cæpit judicium, quum Hanna Mater Samuelis precatum venisset.* Hæc ille.

ADMODUM SENEX SACERDOTIO FUNCTUS] Locus ille suspectum facit Sulpicium erroris, & omnino erravit, si putavit Samuelem summum sacerdotem fuisse. Quomodo enim pontifex esse potuit, qui ne sacerdos quidem erat? Dico sacerdos, ut nomen hoc vulgò sumitur. Alioqui Leuites erat, ut & judex & prophetes. Quod supra mihi observatum.

LXX. ANNIS PRÆFUISSE POPULO REFERTUR] Quærendum quinam Chronologi sic sentiant, & an non potius legendum sit xx. *annis*: quæ authoritas à Josepho assumpta.

CHRONICORUM] Eusebii verba sunt: *Ebræorum primus Rex Saul ex tribu Benjamin & Samuel ann. 40.*

SCHOTANUS.

I. SAM. XXVIII. v. 1. 2. 3. 4.

ITerum se Palæstini, volventibus fatis & attrahentibus mortem Saul, movent adversus Israel. Forte Achis Davidi confisus, inter alia eam belli causam habuit. Dixit enim Davidi: Tu & viri tui mecum in bellum ibitis. David respondet: Tum videbis, quid simus facturi. Significare videbatur se calumnias (quæ ortæ erant) reipsa diluturos & laudem fortitudinis promerituros: Achis pollicebatur, si fortes se fideles que præstarent capitis sui defensionem se ipsis crediturum. Josephus, ποιήσειν αὐτὸν φύλακα τοῦ σώματος; Lxx, ἀρχισωματοφύλακα. De Josepho mirum est quod collectum esse exercitum Palæstinorum dicat in ῥεγγὰν in Græco, in Latina editione Rufini, in Ceila. In Hebræo scribitur לצבא non expresso nomine proprio loci; quod Lxx. non expresserunt: Significat autem *in militiam.* Scribuntur Palæstini collegisse castra sua מחניהם. Cum dispersi variis in locis præsidia aut castra haberent, ea contraxerunt in unum, certo loco, qui non exprimitur: nisi convenerint in Sonam: ut hic locus fuerit primæ coitionis, quod videtur v. 4. scribi. Existimat Josephus urbem Sonnam non fuisse coitionis locum, sed eo postea progressos esse atque sic ibi castra posuisse. Prima coitione copiæ eo loci convenere, atque illic consedere. Saul & Israëlitæ castra ex adverso posuere in monte Gelboë.

Primus dies belli.

SAlianus hoc bellum dividit in decem dies: ut primo Palæstini castra metati sint in Sunem & Aphec, Israelitæ in Gelbore, quod dictum.

Secun-

Secundus dies belli.

PAlæſtini caſtra diſponunt eaque luſtrant incedentes in centuriis & millibus: ita in poſtremo agmine inveniunt Davidem cap. 29. 2. Quem à ducibus coactus Achis dimittit, ut poſtero die abeat v. 10. Satrapæ Palæſtinorum incedebant in centuriis & millibus. Hic Satrapæ illi quinque accipiendi ſunt, non particulares duces centuriones aut chiliarchi. Unde quinque agmina fuerunt. Satrapa Getthæus ea tempeſtate (ut videtur) regnum tenuit. Nam (ut puto) per vices regia dignitas obambulabat: niſi velis dicere, ſatrapam Getthæum hac eminentia præcelluiſſe, ut primus eſſet & pro rege haberetur. Cum ſatrapæ ex more obirent agmina, cumque Davidem cum ſuis viderent in noviſſimo agmine cum Achis (Salianus: *Propriæ imperatoris cohortes, poſteriora in exercitu loca tenent*) id ipſis diſplicuit. Achis prædicabat virtutes Davidis: Num ignoratis David, qui fuit ſervus regis Iſrael: eſtque apud me multis diebus vel annis. (זה ימים או זה שנים) Hoc reddunt Græci ἡμέρας τοῦτο δεύτερον ἔτος. Puto illos ſenſum expreſſiſſe. Non enim accedo Kimchi: *Fuit apud me diebus, ſed ego ita eum pernovi ac ſi fuiſſet multis annis.* Non inveni in eo quicquam eo tempore, quod fidem ejus poſſit ſuſpectam reddere. Ducibus videbatur periculoſum hominem popularem hoſtium admittere, qui gratiam ſui regis mercari poſſet proditione Palæſtinorum. Eſſe enim illum, de quo feminæ cecinerant, Saul millia, Davidem myriadas interemiſſe. Achis igitur ad Davidem: Vivit Dominus (uſurpat nomen Dei Iſrael) rectus es tu & bonus in oculis meis, probaſti mihi te tuamque fidem; unde te in caſtra adduxi. Tu mihi places ut Angelus Domini, at diſplices ſatrapis. Hic David: Quid enim feci & quod inveniſti in ſervo tuo, à die, qua fui apud te, ut non veniam & pugnem contra hoſtes domini mei regis? Achis ſolatur eum, ejus virtutem & fidem extollit, ſed à ſatrapis cogi ſe, ut eum dimitteret. Eat igitur craſtina luce & redeat in Siceleg: & finibus tuendis (ut addit Joſephus) invigilet. Præterea Joſephus dicit, regi viſum, quod recte monerent (καὶ καλῶς εἰρῆσθαι λογισάμενος) quia putat ſatrapas adverſus regem non egiſſe imperioſe (Συμβουλεύων inquit.) Sed ſcire debuit, ſcripturam non pati eam emollitionem & regem non imperaſſe abſoluto dominio.

Cum David oſtenderit promptam voluntatem & promiſerit fidelem operam, de facto hoc Davidis quærunt interpretes. Ralbag: *Licet quærere quomodo David conſenſerit ire cum Achis ad bellandum cum Iſraël? Sed quod licitum fuerit, dubium nullum eſt, ex eo quod opponebat* (ממה שיקשה) *Et hoc quia David cogebatur implere præceptum Achis, quod eſſet ſub ipſo, & quia ipſi indicaverat ſe irruiſſe jugiter adverſus Iſraël ad oſtendendum ipſi, quod fecerat David cum populo ſuo. Et ecce erat cogitatio Davidis in eundo, ut eſſet. Palæſtinis in Satanam & ad indicandum conſilium eorum Iſrael: Id enim factu facile, cum ipſi confideret.* Lyranus: *Videtur, quod David peccaverit: quia ſi intendebat hoc facere, intendebat pugnare contra fideles pro infidelibus, quod eſt illicitum: aut ſi non intendebat hoc ſed magis contrarium, ut habetur (cap. 29.) ſic fuit falſus & proditor intendens nocere ei, quem promittebat adjuvare. Dicendum, quod David intendebat defendere ipſum Achis, cui tenebatur ex beneficiis receptis, quia Achis ipſum benigne receperat & ſic eum ſecurum fecerat à perſecutione Saul. Nec peccaſſe hoc faciendo duplici ratione. Una accipitur ex parte Achis; ſcilicet, ſi habebat juſtum bellum contra Saul: quod potuit eſſe, ſi Saul, qui erat arreptitius à dæmone, aliqua pacta fregerat ſeu juramenta cum Philiſtæis inita. Quia talia ſunt ſervanda: unde*

& Sedechias. 2. Paralip. 36. arguitur eo, quod fregit juramentum, quod fecerat Nabuchodonosor. Quamvis autem filii Israel non possent facere, cum Philistæis fœdera perpetua, eo quod habitabant in terra sibi promißa, tamen ex causa rationabili poterant facere treucas ad tempus & juramento firmare. Alia ratio accipitur ex parte ipsius David, qui habebat jus in regno Israel & ideò poterat illud acquirere, virtute armorum, facultate occurrente: & in tali bello justo poterat licite uti Palæstinorum confortatione & auxilio. Cogitabat enim probabiliter, quod si Philistæi haberent victoriam, Achis ei amicus & favorabilis eum juvaret ad poßidendum regnum: quia habita victoria Philistæi illud regnum non possederunt, sed in terram suam reversi sunt: & Isboseth filius Saul successit in regno. Impugnat Burgensis illam postillam. Nullam duarum rationum efficacem esse ad excusandum Davidem, si pugnasset contra populum suum. Quamvis enim unctus esset in regem, non tamen habuisse jus in regno ad exsecutionem regiæ potestatis in populo Israel, donec populus eum recepisset in regem. Id patere ex institutione regis, (Deut. 17.) in qua duo requirebantur. Unum ex parte instituentis, ut Divina providentia esset electus, aliud ex parte populi, quod electum à Deo populus reciperet & sibi præficeret. Id observatum esse in Saul: qui unctus à Samuel, debuit à populo recipi. Deinde probat sic: Si David inde à sua unctione habuisset jus in regno, tum Saul persequendo eum læsæ majestatis crimen incurrisset, adeoque David meritorie potuisset & debuisset eum occidere, tanquam subditum rebellem. At pepercisse cum in manibus haberet, nec permisisse ut à suis occideretur. Absit à me facere rem hanc domino meo Christo Domini. In quibus verbis duo contineri, Primum, illam occisionem esse illicitam & nefandam. Secundum Saul esse dominum ipsius David. Idem de Davide patere: qui in Hebron fuit institutus in regem super tribum Juda & deinde ab aliis tribubus receptus. Pergit: *Nec videtur contra præmissa dicere, quod David vocat Saul dominum suum ex quadam humilitate seu reverentia unctionis, quam habuerat: non autem ratione superioritatis aut majoritatis. Nam hoc esset de directo contra ratiocinationem Christi factam Pharisæis Matth. 22. ubi dicit.* Si ergo David vocat eum Dominum suum, quomodo est filius ejus? *Christus autem voluit ostendere Pharisæis, quod in Christo promisso erat Divina natura, ex eo quod David cum pater ejus esset, vocabat eum Dominum &c. Vnde in Christo ponenda erat alia natura excellentior, quam humana; per quam Christus esset superior &c. Quæ quidem ratio Christi non esset efficax si rationabiliter posset dici quod David ex humilitate seu reverentia unctionis Christi futuri vocabat eum Dominum. Vnde necesse est dicere, quod David vivente Saul & post primam unctionem erat inferior & subditus ipsi Saul & sic non poterat Saule vivente regnum sibi vindicare.* Deinde infringit alteram rationem ex parte Achis. Nam primo non apparere in textu, quod Saul justam causam belli dederit, violatione pactorum, sicut de Sedechia id exprimitur. Deinde posito, quod Achis justam causam habuerit contra Saul, non sequi quod bellum justum esset, quia requireretur auctoritas principis, ut in Secunda Secundæ qu. 40. artic. 1. in cap. 42. Quam auctoritatem non potuisse ab Achis præstari respectu Davidis cum non esset ejus princeps, ut dictum est; licet esset ei obligatus ex beneficiis præstitis. Hæc non potuisse ipsum solvere à subjectione Sauli debita, nec fidelitate, quam tenebatur observare fratribus suis, filiis Israel. Ipse aliter nodum solvere conatur. Scilicet quod David nunquam determinaverit se ad bellandum contra Israel nec Saul regem suum: sed tantum dixerit: (cap. 28. 2.) Tu scies quid facturus sit servus tuus. Hæc verba esse ambigua. Veritatem habere, si pugnasset; etiam cum non pugnaret. In dubia & perplexa re se commisisse Divinæ providentiæ & directioni seu inspirationi.

tioni. Ut posset ab una parte excusari ab ingratiudine, ab altera, à certamine contra populum suum. Doring ita excipit: *Per illa verba David aliquid intelligebat aut nihil. Si aliquid, aut quod pugnare voluit contra Israel aut noluit. Si primum, peccasset, volendo pugnare contra fratres suos fideles pro infidelibus. Si secundum, propositum habuit fallendi Achis, quod est peccatum ingratitudinis. Sed videtur illa verba determinasse cum* (29. cap. v. 5.) *amotus per regem Achis dixit regi:* Quid invenisti in me, ut non pugnem contra inimicos domini mei? *Ubi apparet se determinasse ad pugnandum.* Deinde judicat non esse ita laborandum pro excusatione Davidis à peccato. Si enim ponatur quod David verbis illis interminatis habuerit propositum paralogizandi Achis peccatum veniale fore, videlicet, *Infideli fidem non servare: præsertim cum fidei observatio vergeret in deteriorem exitum scilicet contra populum Dei & proprium pugnare*: cum David post regnum acceptum sæpe mortaliter peccasse legatur.

David in ista necessitate exilii apud hostes constitutus vitæ tuendæ causa multa dixit & simulavit apud Palæstinos, quæ à veritate & animo ejus aliena erant. Quærunt interpretes, cur non potius apud Ammonitas & Moabitas agit quam Palæstinos, cum quibus ea tempestate atrocissimum bellum & odium erat Israëlitis? Dici posset id fecisse, quia tutius apud hostem egit, quam fœderatum aut amicum populi Israel. Nahas Ammonita multa amicitiæ signa Davidi ostendisse memoratur, cur apud illum se non tenuit? Existimo in proximo voluisse degere nec procul à Judæis, apud quos multos habuit amicos: deinde sustentandi se suosque occasionem fuisse in Palæstina ex spoliis gentium, quas Deus internecioni addixerat. Unde voluit reliquias Amalecitarum, quas Saul non deleverat, persequi. Cum non auderet profiteri apud Achis se alios persequi, quam populum suum, ut apud eum fidem inveniret, (tantum abest ut Palæstinæ aliquam partem infestaverit) tollebat è medio, quicquid capere poterat. Voluit videri se odio implacabili suæ gentis teneri & spem reconciliationis nullam superesse, ut eo charior esset apud Achis, & ne quis diceret, tu in manibus habes tantum ducem Israel, interfice, ne reconciliatus aliquando tibi & tuis noceat. In hac pollicitatione, & prompta oblatione pugnandi pro Achis sine dubio se in eas angustias conjecerat, ut aut pugnandum esset in populum suum, aut cum proditione agendum. Cajetanus audacter asserit, habuisse in animo, convertere arma in Palæstinos, idque ex aliis facinoribus ejus reddi credibile. *Quanto* (inquit Salianus) *modestius ac sapientius Abulensis ait videri pugnaturum fuisse contra Philistæos, quibus nec fidem dederat nec gratiam reddere oportebat, contra Achis vero non pugnaturum, cui & fidei & gratiæ nomine erat adstrictus.* Iniquissimus in Davidem Cajetanus est, qui Davidis peccata aliquanto majora fuisse dicit quam Saul: quod refellit Salianus: qui amplectitur Burgensis sententiam. Theophylactus arbitratur Davidem si non exemisset eum Deus isti necessitati, contra Israelitas fuisse pugnaturum; Τὸ μήτοι τὸν Δαβὶδ μὴ συμπαρατάξασθαι τοῖς ἀλλοφύλοις θείας οἰκονομίας εἶναι ὑπείληφα. Οὐ γὰρ ἂν περιεῖδε τὸν λαὸν ἀπολλύμενον· ἀλλὰ πάντως καὶ τοῦ λαοῦ ἐποιήσατο πρόνοιαν. Interpretes Belgæ, qui dicta cap. 27. 10. & cap. 28. 2. accipiunt pro amphibologia, qua David regem decipiebat, ad cap. 29. 8. dicunt: **David en laet niet anders schynen noch blycken dan dat hy seer willig end yverig was om tegen Israel/ het volck Godes te gaen stryden: maer wat hy in den sin hadde te doen/ was den HEERE bekendt.**

Dum Palæstini coeunt, Saul trepidus consulere Samuelem voluisset, sed obierat: Ephod etiam aberat, quod Abjathar ad Davidem detulerat. At eum pavor insolitus occupavit, cum castra hostium in conspectu haberet.

 Nul-

Nullum oraculum invenit nec per prophetam nec per logion cap. 28. 6. At qui illi prophetæ, quos consuluit? Putant interpretes, ex discipulis Samuelis fuisse. Quod logion, cum Abjathar id ad Davidem detulisset? Dicunt missis nuntiis consuluisse per Abjatharum aut sibi aliud struxisse. Dici potest quod significetur oraculi Urim & Thummim nuda carentia non consultatio, cujus commoditas non erat. Somniis etiam non respondebat Deus: somniatores adiit, quibus id charismatis erat genus divinitus concessum, ut per somnia ipsis Deus oracula loqueretur ad consulta aliorum: hi prophetis gradu minores erant. Nam prophetis non tantum per somnia sed & per ecstasin, & sui potentibus in facultate imaginativa se Deus dabat. P. Martyr: *Consulebatur* autem Deus non tantum istis rationibus, sed etiam interdum per sortes, interdum per omina &c. interdum per angelos significabat suam voluntatem. Omina appellat, quod evenit servo Abrahami; Jonathani & ejus armigero; Gedeoni in vellere. Sed hæc tria non ita ordinaria erant ut illa superiora.

Tertius dies belli.

HUjus diei diluculo David cum suis proficiscitur Siceleg cap. 29. v. ult. Palæstini movent castra in Jezrael versus Saul. Hoc ipso die cladem in Siceleg ab Amalecitis contigisse cum Abulensi putat Salianus. Nam David pervenit in oppidum suum tertio die digressus è castris, ut dicitur initio cap. 30. Reliquiæ Amalecitarum multis cladibus à Davide & viris ejus affectæ, observata occasione absentiæ Davidis & virorum ejus, arma capiunt: & cum alia loca Hebræorum tum maximè Siceleg propugnatoribus vacuam diripiunt & incendunt. Primò in Crethæos, deinde Calebitas, ultimo Siceleg, effusi sunt. Quicquid prædæ erat, quicquid hominum secum abripiunt, nemine interfecto. Mariana putat incolas ab his prædonibus interfectos, pueris & feminis parcitum, neminem autem interfectum de captivis.

Quartus belli dies.

PAlæstinorum metus regem Saul premebat. Etiam multi è castris ad Davidem abiere (1. Paralip. 12. 19.) de qua re posteà dicemus.

Quintus dies belli.

SAul nullo Dei oraculo veniente de consulendo dæmone consilium cepit. Ipse expulerat id genus hominum, qui illis artibus operam dabant: quo animo id fecerit, non liquet. Videri potuit non sincero fecisse, quia in angustiis consulit. Gabaonitas crudeliter habuerat. *Sed eo pacto*, inquit Martyr, *inire gratiam aliquam apud populum, maxime verò cum alienato Samuele & pulso Davide intelligeret se apud suos nonnulla offensione laborare.* Rabbini dicunt Saul ideo sustulisse ariolos, quod illi prædicerent ejus familiam evertendam esse & regnum transferendum ad Davidem. Martyr: *Sed dices, Licuitne regi statuere de religione? Videntur ista remittenda potius fuisse ad episcopos. Imo licuit Sauli ista facere, idque ex officio. Deus enim jußerat ariolos auferri. Qui autem dicunt principes, ut appellant, profanos non oportere ista attingere, pessimè consulunt saluti Ecclesiæ. Quid enim si pastor*

paſtor efficiatur lupus, quis eum tollet niſi magiſtratus? Aut ſi epiſcopi, ut fit, non præſint ex dignitate Eccleſiæ, nec ex verbo Dei, quis eos coercebit? Sed Ozias rex, inquiunt, cum voluiſſet ſacrificare, percuſſus eſt lepra & Oza, cum attigiſſet arcam labentem ex curru, affectus eſt morte. Quare principes, inquiunt, non debent iſtis rebus ſe admiſcere. Quid ergò facient? Fingunt in eccleſia duo eſſe luminaria & Papam quidem cum epiſcopis eſſe luminare majus: Imperatorem autem & reges & magiſtratus eſſe luminare minus. Illos oportere curare, hoc eſt perdere, corpora, ſe vero animas. Ita volunt principes tantum eſſe paſtores quoſdam armentarios, ut ſaginent corpora. At ne philoſophi quidem ita abſurde ſentiunt. Nam Ariſtoteles in Politicis ait magiſtratus officium eſſe ut curet, ut populus benè & ex virtute vivat. Nulla autem major eſt virtus quam religio. Et Deus in Deuteron. jubet, ut princeps deſcribat ſibi legem, non tantum ut eam ipſe ſervet ſed etiam ut ad ſervandum cogat alios. Lex autem continet non tantum politica ſed etiam cerimonias & cultum Dei. Et cum lex diſtributa ſit in duas tabulas, utraque commiſſa eſt poteſtati magiſtratus. Ad hæc Paulus ait, Magiſtratum obtinere vices & locum Dei: & omnem animam ſuperiori poteſtati oportere eſſe ſubjectam. Quo loco Chryſoſtomus ait nec epiſcopos, nec Euangeliſtas nec apoſtolos eſſe excluſos. Et Auguſtinus contra Donatiſtas, Benè vero ſe res haberet, *inquit,* ſi magiſtratus adulteria punire poſſet animorum autem ſcortationes non poſſet. *Et addit:* Reges oportere ſervire Deo non tantum, ut ipſi piè & modeſte vivant, ſed etiam ut ad pietatem inducant alios & defendant cultum Dei. *In omnibus artibus, ut ait Ariſtoteles, eſt quædam ratio ἀρχιτεκτονική. Exempli cauſa, ars equeſtris imperat illi arti, quæ ephippia & frenos conficit: ars etiam nautica illi arti præeſt, quæ curat remos & carbaſa. Quare cum prima & ſumma ars ſit magiſtratus, imperare debet omnibus reip. partibus. Non exercet ipſe quidem eas artes, ſed videre tamen debet, ne quis eas corrumpat aut adulteret. Si medicus non curet ad præſcriptum Galeni aut Hippocratis; aut ſi pharmacopola merces ſuas corruptas & vitiatas vendat, magiſtratus debet utrumque coercere. Et ſi hoc poteſt in aliis artibus, non video, cur idem in religione non poſſit? Ita Ezechias, Ioſias, David, Solomon, Conſtantinus & Carolus rectè judicabant, religionem ad ſuam curam pertinere. Ozias percuſſus & merito. Deus enim illum regem eſſe voluit, non ſacerdotem. Ille tamen contra præſcriptum omninò voluit ſacrificare. At ſi ſacerdotem delinquentem coërcuiſſet aut in ordinem redegiſſet, nihil illi ea cauſa mali contigiſſet. Oza affectus eſt morte: nimirum, quod temere in arcam manum injeciſſet. Levitas oportuit in humeris geſtare arcam. At illi eam conjecerant in currum. Hic cum currus vacillaret, cum injeciſſet manum dedit pœnas.* Chryſoſtomus in 13. ep. ad Rom. δεικνὺς ὅτι πᾶσι ταῦτα διατάττεται καὶ ἱερεῦσι καὶ μοναχοῖς οὐχὶ τοῖς βιωτικοῖς μόνον, ἐκ προοιμίων αὐτὸ δῆλον ἐποίησεν, οὕτω λέγων· πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω, κἂν ἀπόστολος ἦς, κἂν εὐαγγελιστὴς, κἂν προφήτης κἂν ὁστισοῦν· οὐδὲ γὰρ ἀνατρέπει τὴν εὐσέβειαν αὕτη ἡ ὑποταγή. Hanc expulſionem magorum & ſimilibus impietatibus operam dantium ſcriptura hoc loco ex occaſione tantum refert, quia non omnia Sauli geſta exponere voluit, ſed ea tantum, quæ mutationem ſtatus & devolutionem regni ad Davidem ſpectant. Id genus hominum Deus in lege ſupplicio affici mandavit eumque, qui eos ſectaretur aut conſuleret, impurari pronuntiat & exterminio ſubjici. Deut 18. 10. 11. Levitic. 19. 31. & 20. 6.

Saul igitur conſulit ſagam, quam in *Endor* habitare intellexerat. Ea urbs pertinebat ad tribum Manaſſis Joſ. XVII. 11. Scythopolis poſteris dicta eſt temporibus, quæ Hieroſolymis diſtabat ſtadiis ſexcentis 2. Mach. 12. 29. Appellatur à Lxx. Ἀενδώρ: Joſephus, ἐν πόλει Ἐνδώρῳ. אשת בעלת אוב] Lxx. γυνὴ ἐγγαστρίμυθος, quod & hic ſequitur Joſephus: γύναιόν τι τῶν ἐγγαστριμύθων καὶ τὰς τῶν τεθνηκότων ψυχὰς ἐκκαλουμένων. Videbat illud vocabulum ἐγγαστριμύθου

non ſatisfacere. Non ventre locuta eſt ſed mortuum excitavit. Cauſam impulſivam duplicem, primam metum ab hoſte, ſecundam defectum oraculi exprimit Joſephus in hunc modum: Primam, ταράττει δ' αὐτὸν οὐχ ὡς ἔτυχεν, ἰδόντα ἡ τῶν ἐχθρῶν δύναμις καὶ τῆς οἰκείας κρείττων ὑπονοηθεῖσα. *Turbant autem ipſum, magis ſolito, videntem, hoſtium copia, quas ſuſpicabatur ſuis majores eſſe.* Defectum oraculi exprimit uno genere, ſcilicet prophetarum. Illud genus impietatis deſcribit: Τὸ γὰρ τῶν ἐγγαστριμύθων γένος ἀνάγον τῶν νεκρῶν ψυχὰς, δι' αὐτῶν προλέγει τοῖς δεομένοις τὰ ἀποβησόμενα. Exiſtimavit ille ſacerdos animas à ſagis evocari poſſe, & ipſum Samuelem, id eſt ejus animam excitatam eſſe à muliere Endorenſi: quod per totam ejus hiſtoriam patet. cap. 28. v. 8. Saul mutato habitu & veſtimentis, abiit comitatus duobus viris. Noluit notus eſſe mulieri, ne metu Saul, ſe pythoniſſam negaret & divinationem exercere nollet. Nec voluit exercitui innoteſcere profectionem ſuam ne illi timorem abſentia regis incuteret, etiam ad vitandam infamiam. Præ feſtinatione ac metu, quæ animos conturbaverant, nihil cibi aut ante diſceſſum aut medio itinere ſumpſerunt. Sal. *Quamvis diſtet Endor à Gelboë quatuor fere horarum itinere, juxta Adrichomii topographiam, apparet tamen tota die ambulaſſe, longo uſos circuitu ad vitanda Philiſthæorum caſtra, quæ non longe aberant ab Endora, & ad eam noctu perveniſſe.* Raſi: יום היה אלא מתוך צרתם היה דומה להם לילה כך דרש רבי תנחומא: *Dies erat ſed propter anguſtiam eorum videbatur ipſis nox eſſe. Sic R. Thanchuma commentatur.* Verba Saul ad mulierem קסומי נא לי באוב / μάντευσαί δή μοι ἐν ἐγγαστριμύθῳ, *& fac aſcendere, quem dicam tibi.* Joſ. παρακαλεῖ μαντεύσασθαι καὶ ἀνάγειν αὐτῷ ψυχήν. Kimchi dicit Saul à ſervis ſuis petiiſſe ſibi indicari mulierem ejus generis אשה ולא איש לפי שמעשה הזה וכיוצא בו נמצא בנשים יותר מבאנשים לפי שהן קלות הדעת ולטעם הזה אמר הכתוב מכשפה לא תחיה: *Mulierem non virum quia opus hoc & ſimilia inveniuntur de mulieribus magis quam viris, quia illæ leves ſunt ingenio. Ob hanc rationem ſcriptura dicit* (Exod. 22.18.) magam non ſines vivere. Idem ſcribit in Medras hanc mulierem fuiſſe Saphaniam matrem Abner. Item in alio Medras, quod duo illius comites fuerint Abner & Amaſa. Adeo nihil ignotum illis, nec quæ Jupiter Junoni in aurem. Noctu veniſſe, ut res occulta eſſet. Ralbag Rabbinicam refert obſervationem de climace in v.6. Nec per ſomnia, nec per Urim, nec per prophetas, ob repetitam voculam גם. Eſſe enim minus mirum non veniſſe ſomnia, quam oraculum Urim: quod patuerit conſulenti niſi ob delictum. Hic inveniri, quod Deus ipſi non reſponderit ob juramentum de Jonathane filio: aliam cauſam eſſe, quia ſacerdos non aderat. Maximè mirandum, quod non habuerit reſponſum per prophetas, quorum caterva ſub Samuele fuerit. Inde deſcribit Ob: *Oportet ut ſcias, quod res Ob ſit ad excitandam imaginationem, ut eveniat illi ſpecies de ſpeciebus divinationis, & ideò non audit vocem aliquis niſi Saul & ille audit vocem ſubmiſſam valde, ut dicitur. Et erit tanquam Ob è terra vox tua: & jam explicavimus in ſecundo è libro bellorum Domini id quod eſt in re notificationis, quæ attingit in divinatione à defectu? Et ecce dicunt magiſtri, quod res Ob, quæ excitat mortuum ſit ſine auditu vocis, ſed videt ſimilitudinem mortui, ipſe, at conſulens non videt ſimilitudinem illam ſed audit verba, id quod ſecundum ejus cogitationem ob ejus petitionem. Et ſecundum hoc non videt ſimilitudinem Samuelis præter mulierem, quæ eum excitaverat. Et non audit illa verba ſed audit ea Saul; quia ipſa ponit ſolitudinem ſuam in re ſimilitudinis hujus & propterea oſtendit eum ſibi imaginatione ſua, poſtquam feciſſet actiones ad excitandam imaginationem & ſolitudinem ſuam in hoc. Et profecto Saul ſolus audit hæc verba, quod ſoli huic imaginationi ſe applicuiſſet in re petitionis, cum eo, quo excitaverat ipſa imaginationem ſuam in actionibus, quas fecerat, Ideo appropriatur illi iſta divinatio & propter hoc dicit,*

Divi-

Divina mihi in Ob. Et videtur, quod postquam fecit illa, quæ fecit ad excitandam hanc divinationem, declaratum est illi, quis esset quem excitasset, & qui consuluisset eam, quod esset Saul. Ideo clamat mulier voce magna cum videret similitudinem ejus quem excitaverat, quia ab illo declaratum est, quod ille, quem excitaverat, esset Samuel propheta non vir alius, cui nomen esset Samuel, & quod petens ab eo hoc esset Saul. Significant ea verba imaginationem fortem, quam excitat & figit *μαγείαις*, consulenti verba, mago seu magæ, figuram repræsentare: ideo Saul ab muliere audivisse figuram, quæ prodibat, ipsum locutum esse cum ea. v. 9. Mulier putabat sibi insidias strui. Forte enim recens erat regium edictum. Quare suspecta erat petitio, ac si in facto deprehensam deferre vellent. Deleverat Saul את האובות ואת הידעוני Jos. *τοῦτο τὸ γένος τῶν μάντεων.* LXX. *ἐγγαστριμύθους καὶ τοὺς γνώστας.* Salianus: *Suspicari autem licet Samuelis aut Achimelechi pontificis authoritate & consilio eam (animadversionem) susceptam fuisse atque perfectam. Imo etiam Deum in mercedem præclari hujus operis, regem, à vexatore cacodæmone liberasse: neque enim jam à pluribus annis fit mentio istius spiritus maligni in Saulem subinde invadentis. Congruum quippe fuit eum à dæmone liberari, qui regnum suum ab hisce teterrimis infernorum spirituum mancipiis expurgarat.* Autor vetus quæstionum & responsionum ad Orthodoxos, quærit, *si Saul pro zelo ventriloquos sustulerit, unde abreptus est, ut per ventriloquum quæreret prædictionem? Et an vere illa Samuelem produxerit, quoniam hoc scriptura dicit, & quod verum loquatur hæc, res autem impia sit, manifestum est.* R. Samuelem non sustulisse ventriloquos divino zelo, sed eo animo, ut Deum reconciliaret, quo non exiret in effectum sententia Dei de transferendo regno in Davidem. *Καὶ ἐπειδὰν οὐ προσεδέξατο ὁ θεὸς τὴν σκέψιν αὐτοῦ διὰ τοῦτο αὐτὸν ἐγκατέλιπεν ἐκδιωχθῆναι ὡς οὐκ ἀγαθῷ σκοπῷ ἐποιήσατο τὴν ἀναίρεσιν.* Ad alteram partem quæstionis respondet: *Τὰ δὲ ἄλλα πάντα ὑπὸ τῆς ἐγγαστριμύθου γεγονότα κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ δαίμονος τοῦ τὰς ὄψεις φαντάσαντος τῶν ὁρώντων τὸν οὐκ ὄντα Σαμουήλ· ἡ δὲ ἀλήθεια τῶν ῥημάτων γέγονεν ἐκ τοῦ θεοῦ τοῦ δεδωκότος τῷ δαίμονι ἐν σχήματι τοῦ Σαμουὴλ ὀφθῆναι τῇ ἐγγαστριμύθῳ καὶ δεῖξαι τοῦ μέλλοντος τὴν δήλωσιν. Alia autem omnia à ventriloqua facta secundum operationem dæmonis, fascinantis oculis videntium Samuelem, qui non erat: veritas autem verborum facta est, qui dederat dæmoni in figura Samuel videri ventriloquæ & ostendere manifestationem futuri.*

v. 10. Jurat Saul, quod ipsi eo nomine nihil mali esset eventurum. Jurejurando sacro persuadet sacrilegam operationem. Salianus: *Nec tamen jurejurando tenebatur adstrictus Saul. Erat enim de Divino præcepto non exsequendo* &c.

v. 11. Confirmata mulier rogat quem velit evocari? Cui Saul, Samuelem. Nempe existimavit verum Samuelem posse excitari.

v. 12. Operata sacris nefandis, visoque personato Samuele, exclamat, Cur me decepisti, tu Saul es. At unde cognovit consultorem esse Saulem? Josephus: *Ἡ δ' ἀγνοοῦσα τὸν Σαμούηλον ὅστις ἦν, καλεῖ τοῦτον ἐξ ᾅδου.* Intelligit ejus animam. *Φανέντος αὐτοῦ θαμβηθεῖσα τὸ γύναιον ἄνδρα σεμνὸν καὶ θεοπρεπῆ, ταράττεται, καὶ πρὸς τὴν ὄψιν ἐκπλαγεῖσα, οὐ σύ, φησιν, ὁ βασιλεὺς Σαοῦλος; ἐδήλωσε γὰρ αὐτὸν ὁ Σαμούηλος.* Rabbini dicunt cognovisse ex eo, quod aliter prodiret, quam solerent mortui, quos (בזכור) evocaverat antehac. Prodibat enim capite, cum alii pedibus inversis exire conspicerentur. Rasi: *Quod videret eum ascendentem non secundum morem ascendentium: quos ascendere faciebant per* (זכור) *ascendebant pedibus sursum at iste ascendebat capite sursum propter honorem Saul.* Kimchi: *Quomodo agnovit eum? Dicunt vidit rem mutatam* (דבר משנה) *quam non viderat à diebus suis, nam omnes ascendentes per Ob ascendebant pedibus sursum & capite deorsum: cum vidisset eum ascendentem capite sursum agnovit, quod non esset nisi in honorem regni. Ideò dicit: At tu Saul. Et ideo clamat, quod timeret eum venisse ad tentandum*

eam

eam & occidendam. Ideo dicit ipsi Saul ne timeas : q. d. ob id, quod tu times, ne timeas, quia non occidam te. Nam jam juravi tibi. Sed quid vidisti, quod agnoveris me esse Saul? Et dicebat mulier: deos vidi ascendentes è terra. Vidi hominem magnum ascendentem è terra, (pedibus suis versus terram) *qui non est mos ascendentium. Ideo novi, quod Saul rex sis & in honorem tuum sic ascenderit.*

v.13. Jubet Saul ne metuat, roget autem quid videat. Videt igitur mulier illam speciem, quam Saul non videbat: deinde Saul illum Samuelem salutat, cumque eo solus colloquitur: non memoratur, quod comites Saul aut viderint aut audierint illam speciem Samuelis. Hinc apud Rasi: שלשה דברים נאמרו באוב המעלה אותו רואהו ואינו שומע קולו והנשאל לו שומעו ואינו רואהו ואחר לא רואהו ולא שומעו *Tria dicta sunt de Ob: Evocans eum videt eum, non audit vocem ejus : consulens audit eum non videt eum: alius neque videt neque audit.* Hæc explicantur in verbis Ralbag, supra adductis. Nos potius ita evolvimus: In cellula aut loco solo præstigiis & carminibus adhibitis saga evocat animam, quam jussa est. Illique soli dæmon sub specie evocandi apparet. Hinc vocatur, qui mortuum rogare aut consulere voluit, ut solus cum solo colloquatur. Nam & Saul jubet evocari Samuelem, quem ipse consulat solus, non jubet ut mulier pro se consulat. Comites non adfuere, nec evocationi nec evocato. Omnino hæc forma fuit hujus νεκρομαντείας, qua anima Saul evocari debuit, non ad corpus suum, ut alias. Cum mulier evocatam animam interrogasset, quis esset, qui consulebat, & intellexisset Saul esse, trepide exclamavit se proditam esse. Saul jussam bono animo esse quærit quid videret. Respondet se videre אלהים *è terra ascendentes.* Singulari numero accepit Josephus: ἐξελθόντα θεῷ τινα τὴν μορφὴν ὅμοιον. Jonathan: מלאכא דיי חזיתי דסליק מן ארעא. *Angelus Domini video, qui ascendit è terra.* Rasi: *Duos angelos Mose & Samuel. Nam metuebat Samuel: forte ego postulor in judicio, & excitavit secum Mosen ut est in Thacanith.* Kimchi אלהים dicit significare גדול magnum ut in illo Exod. 22. 28. *Diis non maledices,* id est magnatibus. ורבוי עולים כרבוי אלהים לכבוד pluralem numerum in voce *ascendentes* esse, ut in voce *Deos*, ob convenientiæ syntaxin. In Dras, animam Mosis excitasse secum (לבקש רחמים) ut veniam precaretur pro Israel: ideo dici ascendentes. Et Deus benedictus dicit (Jerem. 15. 1.) Si staret Moses & Samuel coram me, non esset anima mea ad populum hunc. In Dras priori Samuel sibi metuit, (Nam ipsum existimasse quod vocaretur ad diem judicii) in hoc populo vult deprecatorem. Nisi est tam ineptum, quod non aliquo scripturæ loco Judæi palliare possint.

14. Quærit Saul è muliere, quæ species viri esset? Ipsa respondet, *Senem ascendere*, amictum (מעיל) pallio. Solebat Samuel vestiri pallio, ut inquit Rasi. Nam matrem ei fecisse pallium parvum & in pallio sepultum esse. Hoc peculiare illi, inde agnosci poterat, quod in pallio erat sepultus. Sic igitur corpus Samuelis videretur assumpsisse nisi dicendum quod solam animam habere cupientes eam non aliter videre potuerint nisi sub corporis repræsentatione quod scirent verum corpus non esse, cum animam esse putarent. Lxx. διπλοΐδα. Josephus ἱερατικὴν διπλοΐδα. Saul agnoscebat è descriptione ætatis formæ & habitus, quam de evocato mulier pronuntiabat, Samuelem esse. Nam ut inquit Lyranus, sepulturæ adfuerat & viderat, in habitu suo, ut solet fieri de religiosis, eum sepeliri. Quasi non & alii apud Judæos in habitu seu vestitu suo fuerint sepulti. Processit igitur & salutavit Samuelem inflexo corpore, deinde & humi strato venerabundus. Hæc erat adoratio civilis.

v. 15. Hic ille Samuel (Ios. τῆς δὲ Σαμουήλου ψυχῆς) Quid me inquietasti, cur me suscitasti? Salianus: *Turbatio hic juxta communem loquendi modum accipienda*

cipienda est, quia inquietari dicuntur, qui è loco quietis & pacis educti, molestiis negotiis implicantur. Alias enim turbationem non cadere, in animas sanctorum, quæ tunc in limbo patrum erant. Dæmon personam Samuelis simulat. Saul deflet suam necessitatem: Palæstinos urgere bello, Deum se reliquisse, nec dare oraculum nec per prophetas nec per somnia (Synecdochice intelligi vult omne genus oraculi: Dras dicit non meminisse Urim, quia coram Samuele pudet eum meminisse crudelitatis, quam patravit in sacerdotes eorumque civitatem) vocasse igitur ipsum, ut indicaret, quid faciendum. Infelicissimus homo, qui dæmonem consulit, quem Samuelem esse putabat.

v. 16. 17. 18. 19. Tum ille Samuel: Quid me consulis, cum Deus à te discesserit, & in adversarium sit factus? Dominus enim fecit, quod per me locutus est: regnum à te avulsum, dedit proximo tuo, Davidi. Nam fuisti immorigerus voci Domini, non exsequendo iram ejus in Amalec. Propterea id fecit Deus hodie. Dominus etiam te cum Israel tradet in manum Palæstinorum: & cras tu & filii tui mecum eritis (sub dominio & regione mortis) Etiam Dominus exercitum Israel tradet Palæstinis. Quod dicit secum fore, id non significat in tartara demergendos. Nam sane Jonathan vir probus qui ob patris peccatum hoc genere mortis & infelicitatis cecidit, cœli sinu est receptus. Et dæmon in persona Samuelis loquitur, qui in paradiso erat. Sensus igitur est, quod ad plures esset penetraturus, ut ille loquitur. Salianus: *Quamvis autem Saul his auditis, poterat vitandæ mortis causa non pugnare, futurum tamen erat, ut quocunque tandem casu moreretur: imo futurum erat ut statueret sibi nihilo minus pugnandum esse; & ut libere quidem sed tamen certissimè pugnaret sive formidans timiditatis opprobrium, sive potius, quasi jacta esset alea & omnia jam funditus perdita, desperatione plenus in interitum voluntarium ruens, atque ultro præcipitans.* Dæmon scire potuit ex revelatione Dei, multa etiam conjicere è circumstantiis. Hinc non potest elici, fuisse verum Samuelem aut ejus animam sive è dæmone sive a Deo (extra ordinem) suscitatam. Judæi, multi patrum, Jesuitæ aliique animam Samuelis fuisse putant. Judæorum sententiam tenet etiam Jesus Syracides Ecclesiastici cap. 46. v. ult. De hac re alibi fusius Deo volente. Samuel ille hoc dicto confestim (ut videtur) evanuit.

v. 20. Saul audito hoc sermone labitur humi, deliquio porrectus toto corpore. Josephus addit ἄφωνος. Horror enim eum occupaverat. Languebat etiam, quia toto die totaque nocte nihil gustaverat, animi mœrore & molestiis itineris confectus.

v. 21. 22. 23. Ingressa est mulier, nempe in cellulam aut conclave, in quo evocatus Samuel loquebatur cum Saul solo. Forte audiit corruentis strepitum. Cum eum videret jacentem humi & semianimum, hortata est ut cibum sumeret. Id cum ille abnueret, Ancilla tua, inquit, animæ suæ periculum adjit tui causa (τὸ παραβόλως ut inquit Iosephus, μανίας) parens tuæ petitioni: obsequere nunc mihi, ut cibo te reficias. Adduci non poterat, sed advenerunt famuli, qui simul cum muliere urgendo compulerunt, ut annueret. Surgens à terra, posuit se lectulo.

v. 25. 26. Vitulum in ædibus illa habebat saginatum. Ios. *ἕνα συνήθη καὶ τῆς κατ' οἶκον ἐπιμελείας καὶ τροφῆς ἀξιούμενον ὑπ' αὐτῆς ὡς γυνὴ χερνῆτις καὶ τούτῳ μόνῳ προσαναπαυομένη τῷ κτήματι.* Significat fuisse vitulum seu bovem lactantem, quam domi alebat sustentandæ sibi. Atqui Scriptura עגל מרבק: quod Ionathan reddit פטים *saginatus, pinguis.* Ita etiam Rabbini Rasi & Kimchi. Audi Kimchi: והמקום שמפטמין אותו שם יקרא מרבק. *Et locus, in quo saginant, appellatur* מרבק. In verbis magistrorum: המכניסה רבקא ורשה introducit in saginarium alii in copulam,

pulam, & triturat. Jerem. 46. 21. עֶגְלֵי מַרְבֵּק; Lxx.; *μόσχοι σιτευτοί*; Vulg. *vituli saginati.* Eadem vox Malach: 4 2. ubi Lxx. *μοσχάρια ἐκ δεσμῶν ἀνειμένα*; Vulg. *vituli de armento.* Annos 6. 4. עֲגָלִים מִתּוֹךְ מַרְבֵּק Lxx, *μοσχάρια ἐκ μέσου βουκολίων γαλαθηνά*; Vulg. *vitulos de medio armenti.* In illis omnibus locis non potest aliter sumi, quam pro vitulorum stabulo, in quo saginantur aut tenentur donec in pascua grandiores facti dimittuntur. Sumpsit igitur vitulum de stabulo. Malè hic Lxx. *δάμαλις νομάς.* Hoc tamen secutus est Josephus de more suo, qui ut extollat humanitatem & comitatem mulierculæ istius de suo addidit, unicum illi fuisse vitulum, (quæ vox generalis sæpe est ad sexum & ætatem in bubulo genere) quo se sustentaret paupercula. Conjunxit Hebræum textum cum Græco, & ex hoc illum exposuit. Eum mactat, parat. Sumit farinam, quam depsit, coquit azyma. Hæc festinata apponit. Cum edissent Saul & famuli, nocte sequenti in castra redierunt. Josephus comitatem pauperculæ insigni elogio celebrat: quæ homini interituro, à quo gratiam sperare non poterat, cum sciret interiturum & regnum alii accessurum: deinde, qui artem, qua victum sustinebat, vetuerat exercere. Qui tali homini liberaliter impenderit, unde se vitamque suam tuebatur. Multò inconvenientius celebrat regem, qui cum sciret se occubiturum cum filiis, magno tamen animo bellum inierit, ne deesset suis & rei publicæ, neve dehonestaret majestatem regii nominis. Maluisse pro subditis mortem pugnando oppetere & filios assumere in laudis illius societatem, quam superstites relinquere, incertum quales nam futuros. *διαδέχεσθαι γὰρ καὶ γένος τὸν ἔπαινον καὶ τὴν ἀγήρω μνήμην ἔχειν.* Eum & illi similem verè justum ac forte ac prudentem esse. Josephus contemptum mortis certæ pro patria effert ad cælum, sed nos arbitramur Saul, quem omnibus exemplo proponit, desperatione in certum interitum se præcipitasse. Nunc lubet addere quæ habet Kimchi ad finem hujus capitis. *Volo explicare opus Ob, prout invenitur scriptum. Dicunt magistri f. m. Baal Ob est, qui loquitur inter articulos & inter separationes (*אצילי*) manuum suarum. Idoni (*ידעוני*) est, qui ponit os animalis, cujus nomen Ieddoa (*ידוע*) in ore suo & loquitur res futuras. Sensus (*מבין הפרקים*) inter articulos, quod audiri faciat vocem submissam inter articulos membrorum suorum & de sub axilla ejus (*מתחת שחיו*) ministerio operum, quæ facit., qui timpitum edit (*שמקיש*) brachiis suis. Alii dicunt, Etiam incendit incensum dæmoni & dæmon est, qui respondet & loquitur. Porrò dicunt: Baal Ob unus facit ascendere in* בזכורו *& alius consulitur in cranio. Et sensus, ascendere facit in* בזכורו, *quod imaginetur* (aut assimilet) *quod faciat ascendere mortuum & loquitur & facit audiri vocem de sub terra, de super ore sepulchri* (foveæ) *quomodo Saul audivit vocem Samuelis, & vox admodum submissa, ut scribitur,* (Esai 29. 4.) Et erit ut Ob è terra, vox tua. *Qui consulitur in cranio etiam vocatur Ob, Sensus est, quod habeat cranium lapidis Soham aut vitri puri & facit opera, donec imaginetur,* (appareat) *quod egrediatur vox admodum submißa & imaginatur sibi de eadem voce consulens, & respondet, Sic exponunt magistri f. m. At magister sapiens, magnus Rambam b. m. exponit de opera Ob, de tinnitu (*הקשה*) brachiorum. Quia dicit, quod capiat ramum myrti manu sua & ille loquitur occulte verbis notis ipsis, postquam obtulit suffitum notum ipsis, donec audiat interrogans, quasi aliquis loqueretur cum ipso & responderet ad hoc, quod interrogat, verbis è terra, voce submissa admodum: & quasi non agnosceretur aure sed in cogitatione consentiret. Et sensus Operis cranii, quod accipiat cranium mortui & suffiat ei suffitum & incantet id, donec audiat quasi vocem egredientem de sub axilla ejus, depressa admodum, & respondeat ei. Porro dicunt magistri b. m. Tria de ascendere* בזכורו *dicuntur &c.*

I. Sam. XXX. 30. 3---16.

QUicquid hominum aut prædæ in Siceleg erat', abſtulerant Amalecitæ. An ſoli id oppidum tenuerint David & ejus viri cum familiis ſuis, incertum: videtur tamen. Nam abſtulerant uxores filios filiaſque (eorum non alios) nemine trucidato. Raptisque, quæ auferri poterant, igni dederant oppidum. Ea clades Davidem ſociosque admodum afflixit. Defleverunt eam alta voce, donec eos facultas attollendæ vocis deſtitueret. Quamvis Davidem eadem ſors, quæ cæteros premeret, populus tamen dolore amens cauſam Davidi imponebat: & in turba voces jactabantur de Davide lapidando. Ille in Domino animum ſumens,

Spem vultu ſimulat premit altum corde dolorem.

Abjathare cum Ephod adeſſe juſſo, rogat Dominum, an hoſtium copias ſum perſecuturus, an aſſecuturus ut meos & mea liberem. Oraculo annuente cum illis ſexcentis, raptim movet. Cum perveniſſent ad torrentem Boſor, ducenti feſſi ad torrentem ſubſtitere, quia trajicere non poterant. Quadringenti igitur progreſſi virum Ægyptium inveniunt ægre trahentem animam. Hinc aquam expediunt, palatham ficuum & duas ligaturas uvæ paſſæ. Tribus ille diebus noctibuſque nil cibi potusve guſtaverat. Cibo potuque refocillatum interrogant, Cujus & cujas eſſet? Reſpondet ſe eſſe Ægyptium, ſervum Amalecitæ, quem herus reliquiſſet, quia ante triduum ægritudine teneri incepiſſet. Aut fuit ea barbara inhumanitas, aut ſecum trahere nequibat ob agminis feſtinationem & defectum vehiculi. Se irruiſſe in auſtralia Crethæorum, Judææ & Calebitarum: & Siceleg igni dediſſe. Quærit ab eo David, Poſſet ne eum ducere ad eas copias. Se vero poſſe ait & facturum ſi fidem det jurejurando, vitæ ſuæ parſurum nec traditurum (ſi forte paciſcerentur) hero ſuo. Fide data duxit eos ad locum, ubi ſe ſtraverant hoſtes. Is locus ipſi notus quia forte herus juſſerat, ſi vires reciperet, eò contenderet, aut quia proficiſcentibus vulgatum fuit toto agmine, in eo loco quieturos. Strati ingenti complexu agris, genio indulgebant, edentes bibenteſque & choreas agentes læti prædæ magnitudine, quam è Judæa & Palæſtina ceperant. Veſpera erat & in primis tenebris cum eos improviſos David adortus cæcîdit uſque ad veſperam ſequentis diei.

Sextus belli dies.

I. Sam. XXX. v. 17. 18. 19.

HIc dies cædium & ſanguinis, quo Amalecitæ in deſerto Pharan & Iſraelitæ in monte Gelboë profligati ſunt. Amalecitas David cum primis tenebris adortus cæcidit uſque ad veſperam ſequentis diej Heb. מהנשף ועד הערב למחרתם Lxx. ἀπὸ ἑωσφόρου ἕως δείλης καὶ τῇ ἐπαύριον. Ralbag: Convenit, quod jam fuerit veſpera cum eos aſſequeretur & percuſſit eos uſque ad veſperam diei hujus: aut נשף erit mane: & ecce perſecutus eſt eos tota nocte, cumque aſcenderet aurora, vidit eos fuſos ſuper faciem agri, bellavitque in eos à mane ad veſperam. Hanc poſtremam expoſitionem tenet Joſephus: ἀπὸ πρώτης ὥρας ἕως ἑσπέρας. Hic verſio Gelenii Salianum decepit, quæ habet: *à prandio uſque ad veſperam*, Rufinus recte, *ab hora prima uſque ad veſperam.* Ingens cædes facta

ſoli quadringenti evaſere, qui juvenes & agiles ac firmi viribus, camelis (δρομάσι Joſ.) inſidentes celeri fuga ſe proripuerunt. Quicquid hominum pecorumque & reliquæ prædæ ceperant, incidit in manus Davidis & ſociorum: filii uxoresque liberati, nemine deſiderato.

I. Sam. XXXI. 1---7.

PRælium inter Palæſtinos & Iſraelitas eventum habuit, quem dæmon ſignificaverat. Joſephus acrem pugnam fuiſſe (καρτερᾶς μάχης) ſcribit, quod eſt ſimile vero. Saul & filii ejus (γενναίως ἀγωνισάμενοι) fortiter pugnando, ut qui in fortitudinis laudem intenti, pulchram mortem peterent, hoſtibus ſe intulere. Joſ. ἐπιστρέφουσι πᾶσαν εἰς αὐτοὺς τὴν τῶν ἐχθρῶν φάλαγγα καὶ περικυκλωθέντες ἀποθνήσκουσι, πολλοὺς τῶν παλαιστινῶν καταβαλόντες. *Convertunt in ſe univerſam hoſtium phalangem & cincti occumbunt, multis hoſtium dejectis.* Cum cecidiſſent tres filii Saul Jonathas, Abinadab & Melchiſue (ipſe vocat ἀμινάδαβον & μελχισόν; ſed μ pro β ſcribitur) inclinaſſe aciem Iſraelitarum, hinc confuſionem fuiſſe & cædem: Saul fugiſſe ſuorum caterva ſtipatum, quem ab hoſte immiſſos ſagittarios & jaculatores fortiter rejeciſſe: donec vulneribus confectus juberet armigero ut ſe transfoderet, ne in hoſtium poteſtatem vivus perveniret: eo detrectante, ipſe in ſtrictum gladium incubuit: cumque vulnus non ſatis penetraret, ab Amalecita adſtante, ut quidem ille apud Davidem jactavit, interfectus eſt. Armiger videns dominum cecidiſſe ipſe quoque in mucronem incubuit. In textu habetur v. 3. Pugnæ molem incubuiſſe in Saul poſt filiorum necem, eſſe deprehenſum à ſagittariis. Invenerunt eum המורים אנשים בקשת ויחל מאוד מהמורים: Illud poſtremum Lxx. reddiderunt: καὶ ἐτραυματίσθη εἰς τὰ ὑποχόνδρια. Sed non eſt ſignificatio vulnerationis, potius pavoris, quo correptus ex deſperatione in mortem feſtinavit. Dicit textus vidiſſe כי מת שאול: id exponit Kimchi קרוב מיתה. Nam non eſt mortuus antequam eum percuteret Amalecita. Niſi ille Amalecita mendacium jactaverit. Sic Kimchi in dubio, ſed Joſephus aſſerit Amalecitam adſtitiſſe ante mortem & interitum armigeri. Ralbag etiam an Amalecita dixerit verum dubitat. Diſputat Kimchi non peccaſſe Saul ſibi inferendo manus violentas, ne hoſtium in manus perveniret & illuſionem: cum certo ſciret ſibi vitæ finem imminere. Cum iſta clades divulgaretur, Iſraelitæ quotquot incolebant vicini Palæſtinis & loco prælii, oppida deſeruere, quæ Palæſtini occuparunt. אשר בעבר העמק אשר בעבר הירדן. Lxx. οἱ ἐν τῷ πέραν τοῦ κοιλάδος καὶ οἱ ἐν τῷ πέραν τοῦ Ἰορδάνου. Joſ. οἱ τὴν κοιλάδα πέραν τοῦ Ἰορδάνου κατοικοῦντες καὶ οἱ ἐν τῷ πεδίῳ τὰς πόλεις ἔχοντες. Vallis fuit Jezrael quam occuparunt Palæſtini. Hæc vallis uſque ad Jordanem inter montes Gelboë & Hermon pertinebat. Erat in tribu Iſachar & Manaſſis. Ita & Bethſan ceſſit Palæſtinis. Hebræa verba ſignificant *qui cis vallem & qui cis Iordanem.* Palæſtini igitur magnam partem Judææ hac victoria obtinuerunt. I. Chronic. X. 1-7. eadem narrantur. Ubi notatur cum in fugam acti eſſent Iſraelitæ Palæſtinos imminuiſſe Saul & filiis ejus. Cæſis filiis tribus Saul, molem incubuiſſe in Saul. Cum ſagittarii ipſum premerent, quo modo narravimus, obiiſſe. At verſ. 6. habetur totam domum ejus pariter occubuiſſe. Nempe excepto ejus filio Iſboſeth & præfecto militiæ Abner, qui poſt biennium interempti ſunt. Iſraelitas, qui in valle erant, habitationes ſuas deſeruiſſe. Saul obiiſſe (id v. 13.) in ſua tranſgreſſione quia Dei mandato non obedierat, nempe ad delendum Amalec, & quia ſagam conſuluerat. Hæc duo peccata præ cæteris non tam gravia fuerunt, quam dejectionem è regno & vita merita ſunt, ut è directo indignum facientia. Joſephus præter ſcripturam, crudelitatem in Achimelechum

chum & ejus familiam totamque civitatem ſacerdotum annumerat. An Saul excuſari poſſit ab homicidio & an ſalvatus per pœnitentiam à ſuperioribus delictis, potiſſimum conſultæ ſagæ, quærunt & diſputant interpretes. Multi & Judæi & Chriſtiani nituntur utrumque probare: condemnant tamen armigerum ejus homicidii, putantque apud Hieronymum Judæi, quod fuerit Doeg Idumæi filius. De Sauli ſalute æterna noſtrum non eſt inquirere, peccaſſe dicimus, quod ſibi ipſi manus intulerit. An pœnituerit cum traheret animam ab ictu non ſatis penetrabili, novit Deus. Non liquet ex hiſtoria maxime ſi vera ſit narratio Amalecitæ.

Dies belli ſeptimus.

I. Sam. XXX. 20--25.

David & ſocii non tantum ſua pleniſſimè receperunt ab Amalecitis ſed & ingentem prædam, quam hoſtes rapuerant. Hic Abulenſis fuſe diſputat an iſta præda juſte à Davide ſociiſque retineri potuerit. Nam Amalecitæ iſta vel juſto vel injuſto bello ceperant. Si juſto, eis auferri non poterant, quia facti erant legitimi domini. Si injuſto, dominium manſit penes illos, quibus adempta erant, eiſque reſtitui debuerunt. R. Sua ſine dubio recipere David ſociique poterant, ablata aliis acquiſiverant armis & quidem cum bellum promulgatum eſſet. In quo prior David eos læſerat, qui in agro Palæſtino habebat receptum. Quamvis Dei decreto ſubjecti eſſent exterminio Amalecitæ, tamen licita erat defenſio & ſuarum injuriarum perſecutio jure humano & Divino. Voluit eos Deus bello deleri, quantum fortitudine & vi armorum effici poterat & bello legitimo: noluit privatam licere in eos injuriam. Bellica igitur defenſio cum ipſis nullo jure illicita fuerit, jure etiam belli, non ut fures prædam poſſidebant. David igitur læto agmine, acta ante ſe ingenti ovium boumque multitudine, revertebatur victor, accinentibus triumphum & ingenti eum elogio celebrantibus, tanquam vindicem & liberatorem, qui paulo ante lapidibus impetere minati fuerant. Adeo ſucceſſibus lætis aut adverſis mutantur animi plebeii & militares. Qui ſubſtiterant ad torrentem Boſor, gratulabundi occurrunt, quos David humaniſſima ſalutatione viritim, progreſſus ante agmen, excepit. Multa ergò utrinque ſalutatio & congratulatio. At peſſimus quiſque eorum, qui in prælio fuerant, cæteros commovent, Non eſſe illis de præda communicandum, reciperent tantum uxores & liberos (& ſuas res ut arbitror.) Quibus David comiter reſpondet appellando fratres: Non ita agendum eſſe, cum Deus inſignem victoriam largitus eſſet, ipſoſque protexiſſet. Æquum eſſe, ut æquali diviſione præda diſtribueretur, inter eos, qui præliati fuerant & qui ſubſtiterant ad defenſionem impedimentorum. Ita factum eſt & hoc deinceps pro lege in Iſrael ex inſtituto Davidis uſque ad ſuam ætatem ita obtinuiſſe narrat ſcriptor primi Samuelis.

I. Sam. XXXI. 8--10.

At Palæſtini ſummo mane diei ſequentis poſt prælium, ſpoliant cadavera cæſorum. Inveniunt corpora Saul & filiorum. Sauli caput amputatum & arma per urbes Palæſtinæ circumtulerunt, ut victoriæ gaudium diffunderent. Supplicationes habitæ ad pulvinaria deorum cum oſtentatione capitis armorumque. Non leguntur truncaſſe filiorum corpora. Sed corpora Saul & filiorum mœnibus Bethſam affixa oſtentui ſuſpenderunt. Arma Saul intule-

runt in ædem Astharoth. Quod hic dicitur Astharoth, id I. Chron. 10. 10. legitur Dagon. Vicem reddunt Israelitis, qui sic fecerant de Goliatho. Saul autem qui vivens in illusiones venire noluit, in cadavere multiplicem illusionem debuit subire. Josephus filiorum capita similiter præcisa fuisse dicit & arma dedicata *εἰς τὸ Ἀσάρτειον ἱερόν*: at de circumgestatione tacet, tantum dicit missis nuntiis victoriam esse divulgatam. *Τὰ δὲ σώματα* inquit, *ἀνεσταύρωσαν πρὸς τὰ τείχη τῆς Βηθσὰν πόλεως ἣ νῦν Σκυθόπολις καλεῖται*. *Crucibus affixerunt corpora circa mœnia urbis Bethsanæ.* Ita reddidit Gelenius & Saliano reprehendendi Josephi dedit ansam: at Rufinus, *corpora suspenderunt super murum.*

Dies belli Octavus & Nonus.

I. Sam. XXX. 26---31.

DAvid de opimis spoliis misit dona senioribus Judæ proximis suis: Hæc est benedictio (dicunt ferentes) de spoliis hostium Domini. Bethelitis misit, & qui in Ramoth ad meridiem. Illis, qui in Jathar, Aroer, Siphmoth, Esthemoa, Rachel. Porro incolentibus oppida Jerahmeelitarum & Cenæorum. Item colentibus Hormam, Chor-asan, Atach, Hebronem, Atque ad omnia loca, quæ perambulaverat in exillo suo. Hic locus etiam mire depravatus est apud Lxx. interpretes, tum perversione tum additione.

I. Sam. XXXI. v. 11. 12. 13.

JAbesensum viri militares noctu profecti abstulerunt cadavera Saul & filiorum è mœnibus Bethsan: quæ in urbem suam reportata cremant oppidani. Ossa sepelierunt sub quercu & jejunarunt septiduo, 1. Chronic. 10. 12. תחת האלה. Hic תחת האשל. Lxx. hic *ὑπὸ τὴν ἄρουραν*, illic, *ὑπὸ τὴν δρῦν*. Josephus ignorabat quid esset *ἄρουρα*: putavit enim loci nomen esse. Audiamus eum: *καὶ προσελθόντες τῷ τείχει τῶν πολεμίων καὶ καθελόντες τὸ σῶμα Σαούλου καὶ τῶν παίδων αὐτοῦ, κομίζουσιν εἰς Ἰαβισὸν μηδὲ τῶν πολεμίων αὐτοὺς κωλῦσαι δυνηθέντων ἢ τολμησάντων διὰ τὴν ἀνδρείαν. Οἱ δὲ Ἰαβισηνοὶ πανδημεὶ κλαύσαντες θάπτουσι τὰ σώματα, ἐν τῷ καλλίστῳ τῆς χώρας τόπῳ Ἀρούρης λεγομένῳ. Καὶ πένθος ἐφ' ἡμέρας ἑπτὰ σὺν γυναιξὶ καὶ τέκνοις ἐπ' αὐτοῖς ἦγον κοπτόμενοι καὶ θρηνοῦντες τὸν βασιλέα καὶ τοὺς παῖδας αὐτοῦ, μήτε ποτοῦ μήτε τροφῆς γευσάμενοι.* Cadaverum combustionem omisit. Scire potuit *ἄρουραν*, apud Lxx. lucum seu opacum arboribus locum significare. Rufinus vertit *In optimo loco provinciæ quem Segeben appellant* ꝑ lege *Segetem.* Saul regnasse memorat Græca editio annis quadraginta: octodecim cum Samuele, viginti duobus solum: Rufini versio, *duos* solos post mortem Samuelis ponit, quod est verosimilius. Ita juxta Josephum regnaverit annis viginti in universum. Jonathan in verba (Et combusserunt ea illic) *Et combusserunt super illos, sicut comburunt super reges illic.* Respicit quæ legimus II. Chron. 16. 14. & 21. 19. Imò ipsa cadavera cremaverunt, ut textus diserte exprimit, quod non legitur factum esse in ullo sequentium regum. Martyr: *Combusserunt corpora: Non erat illa consuetudo Iudæorum, ut cadavera comburerent. Imo ea sepulturæ ratio à Christianis quidem nunquam recepta est. Isti tamen ita facere voluerunt, vel quod illa cadavera jam computruissent vel ne illa à Palæstinis repeterentur. Quidam putant eos incendisse tantum odores, quod factum est de Asa.* Tacitus de Judæis: *Corpora condere quam cremare è more Ægyptio.* Non igitur omnino cremandi morem ab ipsis alienum fuisse innuit. Quæ fecerunt Jabesenses vivorum solatia fuerunt, non mortuorum remedia: nec religionis sed civilis humanitatis.

FINIS.

TO-

TOMI SECUNDI
PEMPTADIS SECUNDÆ
Tractatus secundus
De Regno Davidis.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI I.
CAPUT. LVII.

Saul perempto, David in terra Allophylorum, perlato ad se mortis ejus nuntio, miro pietatis exemplo, flevisse traditur. Tum Chebron Judææ oppidum petiit. Ubi rursum regali unguento illitus rex appellatus est. Sed Abner, qui magister militiæ Saul regis fuerat, spreto David Isbaal, regis sui filium, regem constituit. Crebris deinde præliis inter duces regum concursum: pulsus Abner sæpius: fratrem tamen Ioab, qui ex parte David exercitui præerat, fugiens peremit. Quo dolore posteà Ioab, cum se Abner David regi dedisset, jugulari eum præcepit, non sine dolore regis, cujus fidem cruentaverat. Per idem tempus omnes fere natu majores Hebræorum publico consensu regnum ei totius gentis detulerunt. Nam per septem annos in Chebron tantum regnaverat. Ita tertiò rex ungitur, annorum circiter XXX. *Allophylos in regnum irruentes secundis præliis repulit. Ea tempestate arcam Domini, quæ in Cariathiarim oppido, ut supra retulimus, erat, in Sion transtulit. Cumque ædificare Domino templum in animo haberet, Divinum ei responsum redditum, semini ejus id reservari. Bello deinde Allophylos domuit, Moabitas subjugavit, Syriam subegit, stipendiumque ei imposuit. Auri atque æris ex præda immensum modum retulit. Bellum deinde adversum Ammonitas ex injuria Chanun regis eorum exortum. Syris denuo rebellantibus, qui cum Ammonitis in bellum conjuraverant, David summam rerum Ioab principi militiæ permiserat: ipse à bello remotus, intra Hierusalem commorabatur.*

Dru-

DRUSIUS.

FLEVISSE TRADITUR] Non tam de Davide hoc dicitur, quam de iis, qui cum eo erant. 2. Reg. 1. 11.

CHEBRON] vel Hebron. Sic Chermon vel Hermon. Hoc oppidum septem annis annis ante Tanim Ægypti conditum perhibetur.

JUDÆÆ OPPIDUM] ut suprà, *in terram Iudææ regressus:* ubi vulgati codices, *in terra Iuda.* Vide quæ annotavimus ad hunc locum. Sic *Bethlehem Iudà & Iudææ*, variantibus libris. Erat & tractus montosus, qui Hebron sive Chebron dicebatur: Unde 2. Sam. 1. 3. *Habitarunt in oppidis Hebron.* Nisi *oppida ibi posuit pro oppido, ut montes Gelboë, flumina Nili*, & quæ alia Grammatici annotarunt. Forsan *oppida Hebron* appellat viculos ejus. Cui firmando quod 1. Machab. 5. 65. τὴν χεβρὼν καὶ θυγατέρας αὐτῆς.

REX APPELLATUS] à tribu Juda tantum, Salmanticensis, *David cæpit regnare anno creationis, 884. Post trigesimum septimum annum regni ejus rebellavit Absalom, quemadmodum dicitur, & fuit à fine 40. annorum. Hic anni numerantur ab eo tempore quo postularunt sibi regem. Et aliquanto post, David regnavit 40. annis.*

ISBAAL] Sic vocatur 1. Paralip. 8. 33. ubi Lat. vetus, Esbaal. Ceterum 2. Sam. 2. 8. Isboset nominatur.

FRATREM JOAB] nomine Asael.

QUO DOLORE POSTEA JOAB] Vera causa erat ut Josephus refert, quod misere timeret, ne honore, quem obtinebat, privaretur, Davide imperium exercitus in Abnerem transferente. Orig. Jud. lib. 7. cap. 1.

JUGULARI EUM PRÆCEPIT] Imo ipse jugulavit eum 2. Sam. 3. 27.

OMNES FERE NATU MAJORES] Cur adjecit fere? nam nemo excipitur. Ceterum universæ tribus ei regnum detulerunt, cum prius seniores cum eo fœdus pepigissent. Quidam scribunt primum universas tribus, deinde omnes seniores venisse in Hebron, ibique eum unxisse regem super Israel. Vide 1. Sam. 5. 1. & 3.

PER SEPTEM ANNOS] Et sex menses, 2. Sam. 5. 5.

IN SION TRANSTULIT] Prius in domum Obed-edom, ubi fuit per tres menses. Sion autem alio nomine urbs David appellatur & superior civitas.

SEMINI ILLIUS] Filio Salomoni. Nota semen de uno dici. Sic Gen. 4. 25. *Posuit mihi semen pro Habel.* Sensus est, dedit mihi filium alium.

SYRIAM] Damascenam.

STIPENDIUMQUE EI IMPOSUIT] id est, tributum, ut c. 62. *cum laxari sibi stipendium poposcisset, quod Salomon gravissimum imposuerat.* Sic alibi passim in hoc libro, ut 77. & lib. 2. 16. 23. & 24.

EX PRÆDA] Quam de Ader-ezer rege Soba sive Sophenorum ceperat, 2. Sam. 8. 7. ex hoc ære post omnia vasa templi confecta fuerunt, 2. Sam. 8. 8.

AMMONITAS] filios Ammon.

CHANUN REGIS EORUM] vel, Chanon sive Hanon, quod scribunt Anon, sine aspiratione. In editione Græca est Ἀννων, cum duplici N. 2. Sam. 10. 1. Chanon, Hanon, ut Cham, Ham; Chebron, Hebron; Chermon Hermon.

SYRIS DENUO REBELLANTIBUS] Nam Ammonitæ mercede conduxerant eos ad hoc bellum.

SCHO-

SCHOTANUS.

SAUL PEREMPTO] Hinc incipit secundus liber Samuelis, septimus antiquitatum Josephi. Cum narratione secundi Samuelis & duorum librorum qui inscribuntur regum, componemus historiam Chronicorum à cap. XI. libri primi & deinceps usque ad finem libri secundi. In cap. XII. à v. I. ad 22. inclusivè commemoratur confluxus hominum ex Israel ad Davidem, cum ageret in Siceleg & eremo. E tribu Benjamin confluxere ad illum viri fortissimi, qui arcu & sagittandi peritia excellebant, deinde & funditores præstantissimi, utraque manu prompti. Ex ipsa illa tribu erant, è qua Saul.

1. 2. Caput erat Achiezer & Joas, filii Sema Gabathitæ.

3. 4. Jeziel & Palet filii Asmaveth.

5. 6. Beracha & Jehu Anathotæus.

LXX. v. 3. Ὁ ἄρχων Ἀχιέζερ καὶ Ἰωὰς υἱὸς (leg. υἱοὶ) Ἀσμὰ τοῦ γαβαθίτου· καὶ Ἰωὴλ καὶ Ἰωφαλὴτ υἱοὶ Ἀσμὼθ καὶ Βερχία καὶ Ἰηοὺλ ὁ Ἀναθωθί.

7. Ismæas (LXX. Σαμαίας) Gabaonita heros inter triginta & tricenis impositus.

8. 9. 10. 11. Jeremia, Jeziel, Johanan, Jozabad Gadarathæus.

12. 13. 14. 15. 16. Eluzai (Ἀζαί) Jerimoth (Ἀρμώθ) Baalia, Semaria, Saphatias Haruphateus (χαραφιήλ.)

17. 18. 19. 20. 21. Elcana, Issia (Ἰησουὶ) Azariel (ὀζριὴλ) Joëzer (Ἰωζαρὰ) Jasoban (Σοβοκάμ) Coritæ. Hi Coritæ erant, LXX. male interserunt copulativam καὶ οἱ κορῖται, quasi Coritæ ab illis fuerint distincti.

22. 23. Johela & Labudias filius Jroham è Godor. LXX. καὶ Ἰωλιὰ καὶ Ζαβαδίας υἱοὶ Ἰροὰμ καὶ οἱ τοῦ Γεδώρ.

Hi quos diximus, ad Davidem venerunt cum esset in Siceleg terræ Palæstinæ, antequam autem eò se transferret, cumque ageret in eremo, multi jam ad eum se contulerant. Gaditæ se ad eum separarunt למצד מדברה, *in munitionem sive munimentum versus desertum.* Notandum quod מצר & מצודה appellentur loca inaccessa in quæ se receperant David & sui quo tuti essent ab invasione & insidiis. Has voces LXX. aut non expresserunt aut non sunt interpretati. Hic pessimè ἀπὸ τῆς ἐρήμου. Non separati sunt ex eremo sed ad eremum. Gaditæ illi celebrantur quod fuerint prompti armis & bello, instructi parma & scuto עורכי צנה ומגן LXX. αἴροντες θυρεοὺς καὶ δόρατα, malè iterum: obtutu leonino, celerrimi pedibus ut capreæ in montibus. Undecim numero: 1. Ezer (Ἀζά) primus. 2. Abdias seu Obadias. 3. Eliab. 4. Masmana. 5. Jeremias. 6. Attai (Ἰεθί) 7. Eliel (LXX. corr. ἐλιάβ) 8. Johanan. 8. Elzabad (ἐλιάζερ) 10. Jeremias. 11. Machabani (Μελχαβαναί) Hi è filiis Gad, capita exercitus. Minimus centurio, maximus Chiliarcha erat. Nempe (ut videtur) in tribu sua domi istis numeris erant præfecti. Hi ingens fortitudinis specimen ediderunt, ea scilicet tempestate, cum apud Davidem in eremo agerent. Primo mense Jordanem pleno alveo labentem transeuntes, expulere incolas vallium ad ortum & occasum.

Judææ & Benjaminææ tribuum etiam quidam ad Davidem in illis locis inaccessis convenerunt. His David obviam progressus: Si in pace advenitis, ait, & ad auxilium, animo in vos omnes eodem fuero: at si dolo, ut me proditum inimicorum in manus tradere possitis, cum in me crimen non sit, Deus patrum videat & puniat. Horum omnium primus Amasai intellecta Davidis diffidentia, Spiritu impellente, Tui sumus, ait, ô David & tecum sumus ô

fili Isai. Pax, pax tibi tuisque auxiliaribus. Nam Deus tuus tibi auxilio est. Assumptos igitur præposuit turmis. E Tribu Manassis etiam ad Davidem se contulere, cum adveniret inter Palæstinorum copias, ut præliaretur in Saul; Quamvis Palæstinis non fuerint auxilio, cum duces Palæstini eos dimitti voluerint. Cum Siceleg peteret in discessu, ad eum transfugiunt è Tribu Manassis, Edna, Jozabad, Jediael, Michael, Josabad, Elichu, Sellathai, tribuni millium iu Manasse. Hi etiam Davidi præsto fuere adversus turmas (Amalecitarum) cum essent viri fortissimi: in militia præfecti. Eo enim tempore indies plures ad Davidem confluebant, ut copiæ in magnum numerum excreverint.

PERLATO AD SE MORTIS] Josephus primum comma primi capitus secundi libri Samuelis ita intellexit, quod reditus Davidis à pugna cum Amalecitis & prælium inter Israëlitas & Palæstinos in eundem diem inciderint. Tertio die post reditum Davidis à pugna illa, id est die nono belli Palæstini Siceleg venit vir quidam laceratis vestibus & pulvere capiti insperso. Qui humi procumbens Davidem veneratur. Cui David, Unde advenis? Respondet se advenire ex exercitu Israel. Eventum prælii interrogante Davide narrat inferiorem fuisse populum Israel cum magna clade, Saul etiam & Jonathanem filium cecidisse. Juvenis erat, qui id nuntiabat. Rogatus unde sciret, referebat se casu pervenisse in montem Gelboë illic vidisse Saul innixum hastæ, imminentibus curribus & equitum præfectis. Cum retrò vultum Saul reflecteret, se visum ab illo esse & rogatum quis esset: tum jussum, ut se interficeret, quia ictus penetrationem sustinuisset lorica & animam integrè traheret. Ita se occidisse ipsum, cum videret supervivere non posse, post incubitum in gladium seu hastam. Sustulisse se coronam, quæ in capite erat & armillam, quæ in brachio.

(I) Notandum, quod dicat se casu pervenisse in locum illum montis, ubi erat Saul (נקרא נקריתי) Lyranus, *Licet venisset ex proposito ad prælium, tamen fugiens casualiter venit ad locum ubi Saul erat vulneratus: vel forte in hoc dixit mendacium, sicut & in aliis ut patebit consequenter. Dicitur enim communiter quod erat filius Doëg: & ideo verisimile esset, quod esset juxta patrem suum, qui erat cum Saul.*

(II) נשען על חניתו innixum hastæ vel romphææ, cui se infixerat. Non penetravit nec potuit se transfigere, quia eum sustineret חשבץ Jon. רתיתא. LXX. *σκότος δεινόν.* Belg. *malienkoller.* Ralbag: Videtur, *quod postquam cecidit super rhomphæam & vidit, quod non transfoderet,* Saul incubuerit super eam viribus, ad perficiendem transfossionem. Cumque videret, quod non posset, ideò dixerit puero Amalecitæ, ut se interimeret. Non poterat supervivere vel ob vulnus, vel ob hostium incubitum. Ita putavit excusabilem se, quod prævenisset hostes illusuros, aut accelerasset mortem certam, quæ longis cruciatibus futura fuisset gravis.

III. Apportabat הנזר / quod in capite & אצעדה quæ in brachio. Jonathan prius reddit כלילא / alterum שׁשׁפתא. Lyranus: *Dicunt autem hic Hebræi, quod Doëg videns Saul mortuum, tradidit ista insignia regalia filio suo: ut portaret ad David & per hoc inveniret gratiam apud eum; & tunc semetipsum interfecit.*

V. Quia Saul Amalecitas clementius habuerat, Deus ita rem direxit ut per ejus gentis hominem interficeretur. Salianus: *Nec est absurdum istum adolescentem, quem supra cum Hebræis diximus, Doëgi filium, quique cum patre apud regem crebro aderat. ignotum fuisse Sauli in illa tanta animi ejus rerumque omnium perturbatione, oculis præsertim ex magna sanguinis effusione caligantibus. Sed nec se filium Doëgi apud Davidem nominavit, non ignorans illum Davidis fuisse inimicum. Et mox iterum*

se

se filium hominis advena Amalecita vocat, nesciens quo illos odio prosequeretur David, quidve illi recens in Siceleg perpetrassent & quid vice versa à Davide passi essent. Istum ergò Amalecitam jubet Saul, ut ipse ait, stare super se, ut incremento ponderis, gladius omnia viscera perfoderet &c. Non est existimandum Saul in ipso prælio gestasse diadema, nedum coronam ut ante dixi, sed galeam potius, quæ eum commodius à vulneribus protegeret & hostem ad ipsius cædem minus irritaret &c. Itaque Doëg hujus pater, cum esset Saulis armiger & haberet in sua potestate regis insignia, nec speraret veniam à Davide obtinere post ea filio suo ad Davidem perferenda dedit, si quo modo is in Davidis gratiam se hoc munere insinuare posset. Ista Salianus. Plerique istum Amalecitam Doegi filium faciunt, quia Amalecitæ oriundi sunt ab Esau. At Amalecitarum gens ab Idumæis distinctissima est. Regem in prælio gestasse insignia, quibus nosceretur, absurdum non est. Quemadmodum Iosephus ab ipsius corpore abstilisse asserit & verum fuisse Amalecitam: *περιελόμενος περὶ τὸν βραχίονα αὐτοῦ χρυσὸν καὶ τὸν βασιλικὸν στέφανον.* Quod hoc loco repetit. Cum igitur illa Dei nutu ad Davidem ferret, non eam gratiam, quam putabat, iniit.

Flevisse Traditur] David tam certis indiciis coactus credere, scidit vestimenta & in fletu ac lamentis cum jejunio totum diem cum amicis exegit. Mærori cumulum addebat Jonathan, fidissimus Davidis amicus. Super regis uncti Dei casu, item clade populi Dei & filiorum regis lamentabantur. Advocato autem ad se mortis nuntio, iterum rogat, quis & cujas esset. Professo dicit: Qui ausus es manum extendere, ut perderes unctum Domini? Simul præcipit alicui juvenum adstantium, ut eum interimat: Sanguis tuus, inquit, super tuum caput sit; nam os tuum in te testimonium dixit: Ego interemi unctum Domini? David rex erat ipso jure & Dominus in Siceleg. Ideò jus gladii in hunc hominem habebat. Threnum dixit in Saul & Jonathan. 2. Sam. 1. 18. *Et dixit* (ללמד) *ut docerent filios Iuda arcum. Ecce Scriptum* (כתובה) (על ספר הישר) *in libro recti.* Quis hæc intelligat? Josephus: *Ἐγράψε δὲ θρήνους καὶ ἐπιταφίους ἐπαίνους Σαούλου καὶ Ἰωνάθου, ὅστις, καὶ μέχρις ἐμοῦ διαμένουσι.* Intelligit hunc locum 2. Sam. 1. Quis liber recti sit & qua ratione hic laudetur, alibi dicendum fuerit.

Tum Chebron Judææ Oppidum Petiit] Hic sequitur. 2. Sam. cap. 2. Mox post nuntium acceptum de morte Saul, per Abiathar Pontificem in Ephod, interrogat Deum David, essetne ex ejus voluntate, ut in aliquod Judææ tribus oppidum ascenderet? Annuente Deo, quærit, Quod? Responsum Hebronem ire jussit. Lyranus: Respondit ei in Hebron: *quia in illa civitate sunt sepulti quatuor principales patriarchæ, prout dictum fuit Gen. 23. Propter quod Chaleb illuc ivit ad orandum Dominum ex devotione. Prout dictum fuit Num. 13. & Iosue 14. Propter quod Dominus voluit, quod ibi inciperet regnum David.* Josephus hic malè, rogatum esse Deum, per prophetam quam urbem Judææ tribus ipsi daret. Non est consultus Deus per prophetam nec una sola consultatione. Ita cum duabus uxoribus, totaque familia ipse & illius socii cum suis familiis, Siceleg relicta, in oppida Hebronis in se conferunt.

Regali Unguento] Judæa tribus per se eum sibi regem constituit. Eo facto accipit jabesenses in Saul & filios justa funebria persolvisse. quos ob id missis hominibus collaudat, suamque eis gratiam pollicetur monetque forti & bono animo esse, indicans simul se à tribu Judæa regem factum esse. Lyranus: *Ter fuit inunctus, primo in domo patris, ut dictum fuit supra 1. lib. c. 16. Secundo in Hebron super tribum Iuda, ut hic habetur; tertiò super totum*

tum populum Israël, ut habetur in cap.5. In signum, quod bonus Catholicus regno cælesti dignus debet habere unctionem Sp. S. in corde per veram fidem, in ore per confessionem: in opere per sanctam conversationem.

Isbaal Regis Sui] Abner militiæ magister apud Saul, cum cæteri regis sui filii objissent, Isboseth (seu Isbaal) rapit secum trans Jordanem, in locum in confinio Gad & Manassis. Josephus: Ἐπείχθη εἰς τὴν παρεμβολὴν καὶ τὸν περιλειπόμενον ἐξαρπάσας υἱὸν &c. An in castris fuerit Isbaal dubito. Imo domi relictus superstes fuit patri & fratribus. Hunc locum fuisse in regiam constitutum, dicit. Hebraicè μαάναιν appellari, quod Græce sonet παρεμβολάς. Hinc igitur circumtulit eum in Galaad, Assuræos, Jezrael, Efraim, Benjamin totumque Israël: compulitque omnes, ut eum pro rege reciperent. Absque dubio festinatò res acta est, ut prævenirentur molimina procerum, qui in Davidem inclinabant. Quorum numerus ingens erat & vulgi in eum favor. Apparet Davidem religione quadam se noluisse obtrudere, ut à volentibus sponte crearetur. Ea reverentia & diligentia Abneri undecim tribus abstulere. Notant magistri Judæorum; sed ut Dras, Abner in animo habuisse promissum seu oraculum Jacobo patriarchæ datum Gen.35. 11. Reges ex eo prodituros esse, cum nemo è Jacob nisi solus Benjamin nasciturus esset. Cum ergò Saul solus jam fuisset rex è Benjamin ad filium ejus pertinere regnum. De Isboseth dicitur, quod quadraginta annos habuerit, cum regnum iniret, biennium autem regnasse. Id postremum difficultatem habet, in quam inquirunt interpretes. David & Isboseth eadem tempestate inierunt regnum, David autem in tribu Judæa Hebrone regnum tenuit septennio & sex mensibus. At post Isboseth sublatum David toti Israël imperavit. Hic Ralbag hunc in modum disserit: *Ecce, si non regnavit nisi biennio. Vnum è tribus consequitur* (יחויב) *Quod si exspectavit Abner ad eum faciendum regem post mortem Saul quinque annos & dimidium; debuisset continuo post mortem Saul ne invalesceret David in toto regno Israël. Secundum, quod exspectaverint Israël ad regem constituendum Davidem super se post mortem Isboseth quinque annos & dimidium. Hoc etiam alienum valde in oculis meis. Quia etiam* (עם שכבר) *invenimus, quod jam voluerint Israëlitæ regem facere Davidem super se, etiam in vita Isboseth. Et ideo non convenit, quod tardaverint post Isboseth. Tertium, quod fuerit terminus hujus temporis* (partim) *inter mortem Saul & inter regnum Isboseth: &* (partim inde) *inter regnum David super totum Israël. Id etiam inconveniens ob causas memoratas in superioribus* (ענינים) *modis. Videtur mihi, quod verba illa* (Regnavit biennio) *significent, quod illud, quod narrat post hoc de re Abner & Ioab non fuerit, nisi postquam regnaßet biennio. Ideo cohærent verba* (Et biennio regnaverat) *cum verbis* (Egressus est Abner filius Ner & servi Isboseth filii Saul &c.) *Ecce autem in duobus annis primis, non fuit bellum omnino* (כלל) *inter David & inter semen Saul. Et nunc etiam non fuißet bellum* (זולת מה) *nisi monuisset Abner de re belli. Et hoc in signum, quod David non consensit persequi domum Saul & semen ejus: custodiit juramentum, quod ipsi juraverat, se non deleturum nomen ipsius. Prætereà operatus est David, ut esset felix, non festinavit finem ut perveniret ad eum regnum cito, donec voluit Deus benedictus &c.* Hanc sententiam amplectitur Salianus & Belgica versio recentior. Et sic sentiunt plerique interpretes & Pontificii & Protestantes. Seder olam magnum: Filius quadraginta annorum Isboseth cum regnaret &c. Et duobus annis regnavit *in Ierusalem* &c. *Invenitur, quod regnum Israël vacaverit quinque annis.* Et venerunt omnes seniores Israël ad regem Hebronem &c. Non est verosimile cæso Isboseth regnum Israël maxima sui parte sine rege tamdiu egisse, cum etiam Abner vivente Isboseth

ut

ut regnum in Davidem transferretur, laborare voluerit, habueritque pronos animos vulgi & procerum. Nos existimamus solum biennium inter mortem Saul & Davidis regnum super totum Israël intercessisse. Quod si quinquennium addendum sit, id non pertinere ad unius tribus regnum, sed ad moram illam, quæ adhuc fuit, antequam Hierosolyma sedes regni constitueretur. Si Hierosolymorum occupatio & totius Israël regnum cohæreant, dicimus septennium & sex menses computari à legitimi biennii Saul fine adeoque à prima Davidis unctione. Quinquennium & sex menses lapsi sunt in Davidis laboribus & exilio. Hoc tempore jus regni penes Davidem fuit, usurpatio apud Saul. Josephi lectio vulgata hunc filium Saul appellat ἰέβοσθον apud Lxx. interpretes vocatur ἰέβοσθε: mendum id utrobique post Rufini ætatem incubuit.

CREBRIS DEINDE PRÆLIIS] Ab Abner principium belli. Cum copiis suis Abner Gabaonem trans Iordanem petiit. Joab magister militiæ Davidis eodem contendit. Fortè illic copiis Israël occurrit Ioab ut invasionem ulteriorem impediret. Castra utraque illic posita sunt intermedia piscina. Cum castra considerent, obtulit Abner duellum inter duodenos, lectos ex utroque parte. Iosephus dicit Abnerum dixisse: *μαθεῖν βύλεται πότερος αὐτῶν ἀνδρειοτέρους στρατιώτας ἔχει.* Experimentum igitur virtutis & fortitudinis laudem ambiebat. Cum id non recusaret Ioab, utrinque duodeni (Benjaminæi è castris Abner, Davidici è qua tribu fuerint non scribitur) in certamen procurrunt. Idem genus pugnæ & armorum omnibus placuisse videtur. Nam alter alterius prehenso capite, gladium lateri adversarii impegit. Atque ita mutuis vulneribus ad unum omnes ceciderunt. Iosephus: *προσελθόντες τοίνυν εἰς τὸ μεταξὺ τῶν παρατάξεων οἱ πρὸς τὴν μάχην ὑφ' ἑκατέρων τῶν στρατηγῶν ἐξειλεγμένοι καὶ τὰς αἰχμὰς ἐπ' ἀλλήλους ἀφέντες σπῶνται τὰς μαχαίρας, καὶ τῶν κεφαλῶν ἐκλαμβανόμενοι κατέχοντες αὐτοὺς, ἔπαιον εἰς τὰς πλευρὰς καὶ τὰς λαγόνας ἀλλήλους ταῖς ῥομφαίαις, ἕως οὗ πάντες ὥσπερ ἐκ συνθήματος ἀπώλοντο. Progressi igitur inter acies, qui in certamen ab utrisque ducibus electi erant, emissisque hastis invicem, stringunt gladios, & apprehensis capitibus mutuo tenentes latera & ilia feriebant invicem, donec tanquam ex compacto omnes interirent.* Rufini versio male habet: *Procedentes inter medias acies quæ ex utraque parte locum facerent, ad certamen electi, eductis gladiis viri Davidis & tenentes capita hostium, eorum lumbos & latera suis gladiis perforarunt, donec omnes quasi ex uno constituto perimerent.* Hæc versio decepit Comestorem, Lyranum, Dionysium & P. Martyrem, qui non inspecto textu Græco Iosephi sententiam hanc esse putarunt. At Hebrææ veritati consonat versio Lxx. interpretum, Latina & Chaldæus. Utrumque imperatorem redarguit P. Martyr, quod humani sanguinis, quasi rei vilis effusione oculos suos & exercituum pasci voluerint. Nam ne quidem controversiæ determinandæ, ut inter Davidem & Goliathum, sed inanis gloriæ causa certatum esse. Hic sane conditio nulla fuit interposita. *Eo jam,* inquit, *perventum erat ut cum Deus gravissimis verbis edixisset, ne funderetur humanus sanguis, id jam pro ludo haberetur.* Hic nihil aliud quæsitum esse, *quam ut homines barbarico & belluino more sese mutuò sauciantes & cadentes, spectantium oculos pascerent horrendo spectaculo.* In Hebræo est ישחקו לפנינו *Ludant in conspectu nostro.* Sed pugna etiam ludi nomen apud homines militares invenit. Locus in memoriam certaminis dictus est חלקת הצורים; Lxx. *μερὶς τῶν ἐπιβούλων.*

Ex isto certamine irritatæ acies totis viribus concurrunt. Post acerrimam pugnam, in fugam aguntur Abner & Israëlitæ. Tres filii erant Sarujæ; sororis

 roris

roris David, editi patre (ut videtur) alienigena, quem Iosephi Græca editio appellat Συρὶ versio Rufini *Hasar*. Nomina eorum Joab, Abisai & Asael, omnes armis & manu prompti. Asael pernicitate pedum insignis comparatur cum caprea in agro. Lxx. ὡσεὶ δορκὰς ἐν ἀγρῷ. Iosephus: ἐπί τε ποδῶν ὠκύτητι κλέος εἶχεν. οὐ γὰρ ἀνθρώπους ἐνίκα μόνους ἀλλὰ καὶ ἵππον καταστάντα εἰς ἅμιλλαν λέγουσι περιδεδραμεῖν. Scriptura altius eum extollit, comparatione cum capreis. Quæ poëta de Camilla, in hunc quadrarent:

> *Illa vel intactæ segetis per summa volaret*
> *Gramina; nec teneras cursu læsisset aristas:*
> *Vel mare velivolum fluctu suspensa tumenti*
> *Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.*

Cursu valuit quidem, sed ut fratrum fortissimus fuerit aut illic palmam pugnando præripuerit fratribus, quod vult Iosephus, non concesserim. Καὶ ὁ διαφανέστερος τῶν ἄλλων μάλιστα ὁ νεώτερος Ἀσάηλος. Οἵτε ἀδελφοὶ προθύμως ἠγωνίσαντο. Hic non de pugna sed de persecutione sermo est, in qua fugientibus imminebant Davidici. Urgebat Asael Abnerum principem militiæ hostilis: à quo non deflectebat. Iof. ἐδίωκεν ὑπὸ ῥύμης καὶ τῆς ἐπ' ὀρθὸν φορᾶς εἰς οὐδέτερον ἐγκλιθεὶς τῶν μερῶν. *A platea & latione in rectum in nullam partium inclusus.* Quid hoc est? Forte legendum ἐγκλιθεὶς. Rufinus: *Recto cursu in nullam partem declinans.* Scriptura significat, quod quocunque se averteret Abner, eò incubuerit Asael. Cum igitur periculum immineret, rogat Asaelem quis esset, monetque aliò declinaret dextrorsum aut sinistrorsum, spoliaretque è multis fugientibus unum, cujus manubiis gloriosus ad suos posset reverti. Iosephus: καταστοχίζεσθαι τὴν ὁρμὴν αὐτοῦ πειρώμενος, ἐ ποτὲ μὲν εἰπόντος ἑνὸς τῶν ἑαυτοῦ στρατιωτῶν ἀφέμενος τῆς διώξεως ἀφελέσθαι τὴν πανοπλίαν. Hoc vertit Gelenius: *Et impetum ejus frustrari volens, primum unius militis armatura cum eo depacisci voluit ut persequi desineret.* Rufinus: *Et considerasset impetum sequentis & dixisset ut unius militis arma sumen abeo quiesceret.* Sensum expressit Gelenius. Lxx. rectè, Καὶ κάτασχε σεαυτῷ ἐν τῶν παιδαρίων καὶ λάβε σεαυτῷ τὴν πανοπλίαν αὐτοῦ. Cum illi monito non ausculraret Asael, persistens insequi: iterum monuit ut desisteret: ne importunitate ejus ipsum ferire cogeretur: quod illibenter esset facturus ob fratrem Ioab, cujus nollet inimicitiam in se & odium parare. Iosephus rectè, Μὴ κτείνας αὐτὸν ἀπολέσῃ τὴν πρὸς τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ παῤῥησίαν. Cum illius verba non admitteret Asaël urgens instansque, Abner inter fugiendum, aversa parte hastæ ad quintam costam eum percutit, transadigens hastam ut à tergo emicaret. Confossus concidit in eodem loco (תחתיו) Iosesephus πλήξας εἰς τοὐπίσω καιρίως παραχρῆμα ἀπέκτεινεν. Ralbag חומש interpretatur secunda interpretatione locum circa cor. הלב כלי זין האדם *Cor instrumentum armaturæ hominis.* Ionathan בסטר ירכיה *femoris.* Kimchi *Exponunt magistri b.m. In costa quinta, locum ubi fel & hepar sita sunt.* Ita in eo loco concidit, ubi vulnerabatur, cum penetratio vulneris è vestigio eum prosterneret. Ad cadaver Asaëlis subsistebant insequentes, (quidam non omnes. Nam sparsi insequebantur, ut solet) At fratres ejus Ioab & Abisai persequuntur Abnerum, usque ad solem occasum, donec (transeuntes cadaver fratris & incitati ultione ut inquit Iosephus: alii putant vero similius fratris casum non cognovisse ante lustrationem) pervenissent ad collem Ammæ, qui est ante Giæ (גיח) deserti Gabaonis. Locum Josephus appellat ὀμματόν, Rufini editio habet *Mathon.* Gelenius reddidit; Locum, qui ab aquæ ductu nomen accepit.

Id

Id non eſt in Græco Joſeph, ſed Gelenius adverſionem Latinam reſpexit. Benjamitæ conglobantur circa Abner ſeque recipiunt in cacumen collis cujusdam. Inde Abner ad Joab. An ſine fine comedet gladius? Noſcisne amaritudinem fore in poſtremo? Quouſque non dices populo, ut retro abeat, non pergens inſequi fratres. Joſephus: Ἀναβὰς δ' ἐπί τινα βουνὸν, ὡς ἔςη ἐπ' ἐκείνῳ μετὰ τῆς Βενιαμίτιδος φυλῆς αὐτὸς ἔπειτα καθεσκέπτετο καὶ τὸν Ἀβέννηρον. Joabum putat aſcendiſſe in eundem collem cum Benjamitide tribu, eosque & Abner ſpeculatum eſſe. Tum Abnerum voce alta exclamaſſe, non oportere nimis fervidè perſequi. Fratrem ejus non admiſſa admonitione trajectum eſſe. Abneri oratio indicat civilis ſanguinis fuſi pœnitentiam autores conſequi & gravem ejus jacturam eſſe. Dum in fervore eſt, id non ſentit nec cogitat perſecutor. Aut ſignificat ex inſperato victori etiam malum, quod doleat, poſſe evenire. quod non expreſſit Joſephus. Joab ita reſpondet ut cauſam cædis in Abner conjiciat. *Ut vivit Dominus,* dicit, *niſi tu fuiſſes locutus, populus à mane abductus eſſet à perſecutione fratrum.* Non poteſt id referri (ut quidem videtur) ad certamen duodenorum, ſed videtur Abner eo certamine finito aut etiam cum inclinaret Ilboſethiana acies, aliquid dixiſſe, quod in pugnam ſuos concitaret & Davidicos irritaret. Igitur ſignum datum eſt receptus (בשופר σάλπιγγι ut Lxx. & Joſephus) & perſecutio ac pugna finem habuit. Abner cum ſuis itinere feſtinato per noctem, campos & Jordanem & totam Bithron pertranſeunt donec pervenirent Mahanaim. Lxx. & Joſephus appellative εἰς τὰς παρεμβολάς. Bithron Lxx. ὅλην τὴν παρατείνουσαν. בערבה reddunt εἰς δυσμάς. Joab luſtrato exercitu cognoſcit præter Aſaelem novendecim viros deſiderari è Davidicis, ex adverſa parte ceciderant trecenti & ſexaginta. Joſephus ſcribit Joab eam noctem caſtra tenuiſſe in iſto loco. Poſt curatam funerationem cæſorum ſequenti nocte tota iter carpentes Hebrona pervenerunt. Bethlehemum igitur delatum eſt corpus Aſaelis & patrio monumento illatum.

II. Sam. III.

Hinc civile bellum inter Isboſeth & Davidem fuit, quod longo duravit tempore, biennio ſcilicet, in quo Davidis res indies in melius procedebant, Isboſethi ſenſim minuebantur. Hoc tempore & durante exilio Davidi nati ſunt ſex filii. Hebrone natos eſſe dicit Scriptura ſed ſecundum συνεκδοχήν, ut loquuntur. Ex Achinoam Jezraelitide habuit Amnonem primogenitum, ſecundum ex Abigail Carmelitide ſcriptura vocat Danielem 1. Chron. 3. 1. Chaleab 2. Sam. 3. 3. Lxx. in hoc poſteriori loco habent Δαλουία Joſephus in Græco vocat Danielem, in Latina verſione Rufini *Celeb.* Tertium Abſalom è Maacha filia Tholmai regis Geſſur. Quartum Adoniam è Haggith; quintum Sephaliam, filiam Abital; Sextum Jethream ex Egla. Secundus filius duo habuit nomina דניאל & כלאב. Kimchi: *Duo nomina habuit & talia multa in textu. Eſtque in eo Draas: Quando accepit David Abigail poſt mortem Nabal, dicebant gravidam eſſe è Nabal & hunc filium, quem peperit Abigail Davidi eſſe filium Nabal, ideo exiit* (קלסתר פניו) *forma faciei ſicut forma faciei Davidis ad removendum ſuſpicionem. Ideo vocant eum* כלאב / *q. d.* כלו אב (totus eſt patris ſui) *q. d. In omnibus lineamentis ſimilis eſt patri. Daniel fuit nomen ejus* (לעיקר כי) *ratio quia* dicebat David, judicavit me Deus à Nabal. Idem refert Raſi: & rumorem illum dicit ſparſiſſe ליצני הדור *irriſores iſtius ætatis.* Dras autem fuit R. Iſaac, ut idem notat. Kimchi de Abſalom notat: *Commentantur de eo, quod quoniam fuit filius pulchræ formæ, quam ceperat David in bello, ideo fuerit Abſalom defector & re-*

rebellis in patrem. Quia ita conjuncta est parasa סורר ומורה *cum parasa* יפת תואר *quasi dicat, Omnis, qui ducit eam aut mulierem non decentem egreditur ex ea filius defector & rebellis. Et verum est hoc Dras: Nam postquam captivata est, fuit tanquam coacta ut se converteret ad legem Israel at cor ejus non fuit rectum ad legem & planta egrediens habuit similitudinem radicis.* In textu dicitur לעגלה אשת דוד *Eglæ uxori Davidis.* Hic Kimchi: *Commentantur magistri b. m. Egla est Michal filia Saul. Quia Davidi dilecta erat, appellabat eam* עגלה (vitulam) *ut S.* (Jud. 14. 18.) Nisi arassetis vitula mea non invenissetis ænigma meum. *Et id quod dicitur fuisse Davidis juvat Dras, quamvis non adduxissent. Nam cur dicit de hac*, Uxor Davidis, *id quod non dicit de aliis, nisi quod fuerit uxor ejus prima. At hoc quod dicitur* (2. Sam. 6. 33.) Et Michal non habuit natum usque ad diem mortis suæ; *ab illa historia & deinceps non habuit natum in pœnam, quia spreverat Davidem, qui saltitaverat coram Domino sed à principio fuit ei natus. At secundum simplicem sensum exponendum est hanc Eglam fuisse aliam & Michal non commemoratur hic, quia non fuit illi filius ex ea: Et sic dicit textus, Filii qui fuerunt Hebrone. Et Michal, quamvis adduxerit eam Abner, cum adhuc Hebrone esset, non memorat eam hic, quia non fuit ipsi ex ea filius. Sed quod dicit*, Uxor Davidis *& sic in Chronicis*, Eglæ uxori suæ, *sanè non fuit è magna familia & non fuit nota ad recordandum nisi quod esset uxor Davidis. Licetque porro exponere, quod Egla hæc fuerit Sauli uxor, quam acceperat David post mortem Saul, S. D.* (2. Sam. 12. 8.) Et uxores domini tui in sinum tuum. *Et quamvis dicant non fuisse ductam viduam regis, ecce dicunt*, Ducit rex viduam regis alterius. *Ideo dicitur*, Uxor David, *q. d. Quæ non poterat esse uxor hominis alterius, sed Davidis, qui erat rex. Quamvis hæc opinio non sit nisi secundum sententiam R. Iuda, quoniam ipse dicebat:* Rex ducit viduam regis, *nec sapientes ei assentiantur, tamen sensus literalis verus est secundum R. Iuda. Et quamvis fuerit uxor soceri sui erat permissa. Et etiam ad verba Ierosolymitani* (Thalmud) *quod dicit*, Uxorem soceri vetitam esse, *non interdicunt eam nisi propter* (מראית העין) *honestatem sed è lege non est vetita. Et illi dicunt quod David Respham concubinam Saul acceperit in uxorem.* Ralbag probat fuisse ex uxoribus Saul & sic dici, quod ab alio duci non potuerit. Deinde quasdam earum pellicum, quas Hierosolymis accepit, fuisse è domo Saul. Abner columen domus Saul, durante bello civili. Hic stupro cognovit Respham, pellicem Saul. Non duxit sed vitiavit aut consuevit cum ea. Hoc cum redargueret Isboseth, viri militaris & ferocis animum ita pupugit, ut à se alienum fecerit. Respondebat Isbosetho: Sumne caput canis, qui adversus Judam hodie facio benignitatem Domui Saul patris tui, in fratres ejus & amicos, ut te non permiserim venire in manum David: tu ut à me poscas iniquitatem mulieris. Sic faciat mihi Deus & sic addat: quemadmodum juravit Dominus Davidi, sic facturus sum, ad transferendum regnum à domo Saul & statuendum solium Davidis super Israel & Juda à Dan usque Bersabe. Rasi exponit primo, Nunquid ego æstimor ut custos canum Davidis: quia habetur ליהודה. Propter accentum sub voce הראש & Maccaf inter duas voces (כלב־אנובי) posse exponi; *Nunquid volo esse caput in domo tua; melius ut sim canis & idiota in domo Davidis: & sic exponit Ionathan.* Kimchi etiam se versat varie. Lyranus: Nunquid caput canis ego sum id est vilis & abominabilis sicut canis apud tribum Juda de qua erat David: vel aliter caput canis, id est latrans contra David & tribum Juda ne obtineant regnum contra te. Isboseth ad suam ignominiam pertinere putabat, quod cum patris pellice consuerisset, aut regni affectationem esse, si eam sibi matrimonio jungeret. Parvam igitur gratiam sibi reddi putavit Abner pro suis beneficiis, qui consuetudinem cum muliere rem levem esse ducebat. Jurat se ad Davi-

dem

dem translatum esse regnum, ut Deus jurejurando promiserat. Cur igitur adversus Davidem hactenus annisus est, si scivit Davidi deberi regnum? Aut putavit se teneri pro regis sui filio: aut quæsivit dignitatem suam, quam se apud Davidem obtinere posse non sperabat. Interim res novi regis sui non posse subsistere, jam ab initio suspicatus fuerat, qui Asaëlem non nisi coactus interimere voluit, quia affectabat gratiam apud Ioab.

Ad ferox responsum inhorruit Isboseth homo timidus & ignavus, cujus regnum stabat non ita gratia apud populum, quam prudentiâ & fortitudine Abneri. Abner evestigio misit legatos ad Davidem per hæc verba: *Cujus est terra? Fœdus mecum facito: transferam ad te totum Israël.* Petiit igitur ut tutò ad Davidem liceret commeare. David dedit fidem sed sub ea conditione, ut non videret faciem Davidis, nisi adducens Michal conjugem suam ab altero viro abductam. Eandem rem petiit in id missis legatis ab Isboseth: noluit enim servo debere beneficium, ignaro domino. Nec quicquam videtur cum Abner voluisse agere, quod reciperet, nisi ratum haberetur ab Isboseth. Isboseth concedit, quod videbat se non posse recusare. Abner igitur è mariti ædibus mulierem abducit: quam maritus lacrymabundus sequebatur usque Bahurim: inde enim objurgatione Abneri compulsus domum se recipit. De Michal quæritur, Qui potuerit dari Falti, qui reddi Davidi? Kimchi: *Quære licet, Ecce Michal uxor Davidis fuit, quomodo data est Palti & quo modo accepit eam Palti filius Lais, cum esset uxor Davidis? Quod si dicas, quod (בעבירה ובאיסור) per trangressionem & in interdicto istam rem fecerint, quomodo accepit eam postea David? Fuit vetita ipsi quia (ברצון) in proposito fuit maritata (נבעלה) alii, cum adhuc esset ejus uxor. Quidam magistrorum b.m. dicunt, quod (קדושי) sponsalia Palti fuerint in transgressione. Et quidam eorum dicant quod Sponsalia Davidis in Michal fuerint sponsalia erroris.* S. D. (1. Sam. 17. 24.) Ditabit rex eum magnis opibus ואותו היום היה מלוה אצל שאול והמקדש במלוה אתה מקדשת. *Et ille ipse dies erat hoc mutuum apud Saul: spondente aliquo per mutuum non desponsatur puella. Et quamvis fuerint præputia Palæstinorum in sponsalia, etiam sic cogitabat Saul, quod mens Davidis esset super divitias, (שהיה מלוה) quæ erant mutuum. At Davidis mens fuit super ducenta præputia quæ ecce dabat in dotem & sponsalia. Et quidam dicunt, quod Falti filius Lais non sit ingressus ad eam & omnibus diebus, quibus fuit cum ea, gladius fixus fuerit inter eum eamque ne eam attingeret. At quod dicitur:* Ibat flens post eam על המצו הזאת, *quod præceptum hoc abiret è manu sua: quod fuisset usque adeò subigens inclinationem suam* (יצרו) *Hæc omnia admodum recedunt à simplici sensu. Verum est in oculis meis, quod David dederit libellum repudii Michali, quia videmus, quod Saul oderit Davidem, postquam affinitate junctus esset cum ipso, donec fugeret David propter Saul. Et cum videret, coëgit eum dare libellum repudii filiæ suæ, ne sederet* (עגונה) *detenta: qui fecit sic. Et Saul dedit eam in uxorem Falti filio Lais. Quod si dixeris, si ita, Interdicta fuit Davidi, ut eam reduceret, quia vetitum est homini reducere expulsam suam, postquam* (שנשאת) *ducta est ab alio aut desponsata, dicemus, quod non ex mente sua dederit libellum repudii. Quod si dicas, Quis eum coëgit? Nonne fugerat à Saul? Quamvis fugerit, videmus, quod fuerit apud Saul* S. D. (1. Sam. 20. 6.) Si desiderando desiderabit me pater tuus. *Et omnis res quæ docet quod postquam fugisset fuerit rediens ad ipsum. Et cum adhuc esset apud eum, coëgit eum dare libellum repudii & omnis libellus repudii factus non in judicio, rejectaneus. Quod si dicas. An nesciverunt domus judicii Saul, quod libellus ille repudii rejectaneus? Forte fuit eorum opinio, quod in judicio fuerit, quoniam fuit beneplacitum regis. Forte adhuc melius est ut dicamus, quod David antequam daret libellum repudii, dixerit coram duobus testibus ex amicis suis: Videte,*

 quod

quod ego coactus sum in datione libelli repudii. Et illi occultarunt rem illam & dedit libellum repudii & ecce libellus repudii non erat libellus repudii: quod Falti filius Lais non sciebat & Michal nesciebat: & putabant libellum repudii justum esse. Fortassis etiam sic, quod libellus repudii fuerit à principio secundum decentiam & per legatum misit eum David & post ea irritum fecit eum priusquam perveniret in manum ejus, quod illi ignorabant. Ecce Michal maritata fuit per errorem nec fuit interdicta Davidi. Fuit hoc quasi maritata fuisset per vim, cum putaret libellum repudii esse libellum justum: quia coactio & error æquantur in uxore conjugata (באשת איש) וכן אמר והיא לא נתפשה פרט לאנוסה ומעלה בו מעל פרט לשוגגת שמותרת לבעלה: Ita laborant Judæi ut Davidem absolvant à prævaricatione & simul Saul ac Falti. Sanè David ut per vim sibi ablatam repetiit, illa & Falti excusari non possunt nisi errore. Eam sibi comparaverat David multiplici discrimine, certando cum Palæstinis. Centum erant præputia dotis loco: Josephus hic etiam ut supra dicit *ἑξακοσίας πολεμίων κεφαλάς*. Lyranus: *Dicunt expositores communiter, quod plorabat ex gaudio, eo quod ad virum suum reducebatur absque hoc, quod eam tetigisset, sed sicut sororem servasset. Erat enim doctor in lege & sciebat sibi esse illicitum eam tangere carnaliter ipso David vivente Sicut dictum fuit supra primo libro cap. 23. Rabbi Salomo dicit, quod flebat dolens eo quod exercitium perfectionis ab eo recedebat. Reputabat enim exercitium magnæ perfectionis talem dominam sic pulchram & nobilem servare sicut sororem absque copula carnali.* Verba Rasi: על מצוה הולכת ממנו שכל אותן השנים נפץ הרב בינו לבינה במטה ולא נכשל בה:

Cæterum Abner instituto colloquio cum senioribus Israel & cum Benjaminæis, eis Davidem commendavit, tanquam virum divinitus electum, ut populo Dei præesset, cujus opera à Palæstinorum liberaretur pressura: quemque sibi diu optassent regem. Omnibus constitutis, viginti viris comitatus ad Davidem accessit. Quos David Hebrone, solenni epulo excepit. Ostendebat universum Israel inclinasse in partes Davidis. In hoc, ut totum regnum Israel reipsa traduceret certis conditionibus fœdus factum est. Quem locum dignitatis sibi Abner stipulatus sit, & quid de Isboseth filio Saul sit constitutum non possumus dicere. Davidem ipsi parsum voluisse & honoris ac eminentiæ magnum gradum constituisse, haud ambigo. Abner etiam absque dubio in excelso gradu statui debuit. Inde aliquousque abeuntem deducit David & dimittit à se. Josephus non contentus dixisse *γερουσιαστὰς τοῦ πλήθους*, cum quibus consultabat Joab de regni translatione in Davidem, addit *καὶ ταξιάρχους*. Eosdem posteà appellat *πρεσβυτέρους καὶ ἡγεμόνας*. Epulum describit: *ὑποδεξάμενος δ' αὐτὸν φιλοφρόνως καὶ λαμπρᾷ καὶ πολυτελεῖ τραπέζῃ ξενίσας ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ἠξίωσεν ἀγαγεῖν τὸ πλῆθος ἵνα παρόντι καὶ βλεπομένῳ παραδώσῃ τὴν ἀρχήν.* Sane nihil restabat, quam ut Abner dimissus populum ad Davidem adduceret palam regnum traditurum.

JUGULARI EUM PRÆCEPIT] Cum Abner esset apud Davidem, aberat Joab cum copiarum parte, revertuntur cum ingenti præda מהגדוד *à turma*: Chald. מן משריתא. Rasi: פשטו בגדוד לשלול על אויב *Proprie cum turma ad prædandum in hostem.* Kimchi: *Non narratur à qua turma aut unde adduxerint prædam.* Vel turma Davidicorum ex hostico egerat prædam vel turmam hostium prædantium cæciderat. Prius videtur. Sic Lxx: *ἐκ τῆς ἐξοδίας*; at Vulg. *Cæsis latronibus.* Josephus causam absentiæ non commemorat. Vix dum dimisso Joabus revertitur cum copiis Hebronem & cognoscit Abner fuisse apud regem ac in pace dimissum. Josephus: *καὶ μαθὼν ὡς εἴη παρὼν πρὸς αὐτὸν Ἀβέννηρος καὶ μικρὸν ἔμπροσθεν ἀπηλλαγμένος ἐπὶ συνθήκαις καὶ ὁμολογίαις τῆς ἡγεμονίας, δείσας μὴ τὸν μὲν ἐν τιμῇ καὶ τῇ πρώτῃ ποιήσηται τάξει, συνεργέντι τῆς βασιλείας ἐσομένου*

καὶ

καὶ τἄλλα δεινὸν ὄντα συνιδεῖν πράγματα καὶ τοὺς καιροὺς ὑποδραμεῖν, αὐτὸς δ' ἐλαττωθείη καὶ τῆς στρατηγίας ἀφαιρεθείη, κακοῦργον ἐπιτηδεύων ὁδὸν ἄπεισι. Cum intellexiſſet, quod fuiſſet Abenerus apud regem & paulò ante dimiſſus ſub fœdere & promiſſione principatus, metuens ne eum in honore & primo loco haberet, qui conciliaturus eſſet regnum & peritus alias res conſiderare & occaſionibus occurrere, ipſe vero imminueretur & imperatoris dignitate privaretur, malignam & pravam init viam. Scriptura commemorat cædem fratris cauſam odii & cædis fuiſſe. Joſephus exiſtimat hoc Joabum præ ſe tuliſſe, ſed aliam cauſam habuiſſe animo clauſam. Ipſum igitur regem objurgat, quod Abner ſalvum & incolumem dimiſiſſet: calumniatur proditoriè agere ut res illius exploraret. Adeo inſidioſum fuiſſe adventum. Cum regi perſuadere id non poſſet, ipſe inſcio rege mittit qui per ejus veſtigia viam caperent & aſſecuti Davidis nomine revocarent, quaſi quiddam ad rem pertinens per oblivionem illi ſignificare omiſiſſet. Apud locum dictum *puteum Siræ*; Chald: מגובא דסירתא / Lxx. ἀπὸ τοῦ Φρέατος τοῦ Σεϊράμ; Vulg. ciſternam Syræ. Joſephus: *ἐν τόπῳ τινὶ Βησιρᾷ καλουμένῳ, ἀπέχοντι τῆς Χεβρῶνος σταδίους εἴκοσι.* Lyranus: *Sic autem vocabatur locus ille, eo quod ciſterna illa erat, in quadam via communi eundi verſus Syriam, ut dicunt aliqui. In Hebræo habetur ex ciſterna Spinæ: quia ibi erat quadam ſpina notabilis & gratioſa.* Prima opinio futilis eſt quia Syria Hebræis dicitur Aram, altera conjecturæ incertæ. Kimchi: *Videtur, quod* Spinæ & cardui *fuerint locus putei illius, & ideo ita appellatum eſſe: at magiſtri b. m. per dras dicunt ciſternam & ſpinam ſignificare Abnero, occidendum eſſe, quod non confirmaſſet verba Davidis ad Saul, ſed impuliſſet ea verbis vanitatis de lecytho aquæ, quem abſtulerat à loco capitis: Dicebat ei unus puerorum, oblitus eſt eam in ciſterna, & invenit eam David & mendacium eſt, quod dicit ſe accepiſſe à loco capitis tui. Et de re ala pallii, dicebat, prehenſa fuit in Spinis alea pallii tui & ſciſſa, nec ſenſiſti, tum frangeretur, adeoque invenit eam David.* En inane commentum, ut ſit locus, unde retractus, monitorius juſti ſupplicii.

Cum Abner intraret urbem, excepit eum Joab, quaſi nomine regis ſecretò cum eo locuturus. Abducit eum אל תוך השער: Chald: לגו תרעא: Lxx. *ἐκ πλαγίων τῆς πύλης*: Vulg. *ad medium portæ*. Nempe ad interiora portæ ſolo fratre Abiſai, ut ex ſequentibus liquet, præſente. בשלי Lxx. vertunt *ἐνεδρεύων*: Chald. בשליא: Vulg. *in dolo*. Recte Joſephus *εἰς τὸ ἐρημότερον τῆς πύλης*. Hic ſane Joſephus diſcedit à Lxx. feliciſſimè Hebræi textus vim exprimens. Hebræum שלי & Chald. שליא tranquillitatem ſeu locum à turba remotum ſignificat. Alias Chaldaicè בשליא *ſubitò*: ſed alterum convenientius. Per Dras exponunt in ſignificatione extractionis calcei ex Exodi 3.5. של נעליך vide apud eundem Kimchi. Cædem illam Aſaelis Scriptura in tranſitu commemorat factam fuiſſe apud Gabaonem, in Joſepho Græco eſt *ἐν Χεβρῶνι*, pro *ἐν Γαβαῶνι* ut recte apud Rufinum. Quod extra mœnia egreſſus Abenerum exceperit & multa cum benevolentia deduxerit, ut ſolent illi, qui inſidias tendunt, non eſt etiam vero abſimile. Dras Judæorum eſt, ſimulaſſe, quod ad ſynedrium in porta, tanquam acturus adverſus eum ob cædem fratris, eum voluerit abducere. In illo loco ſolo ſine arbitris, interemit Abner percuſſum ad ilia ſeu coſtam dextram id eſt eundem locum, quo ille Aſaëlem percuſſerat. חומש Lxx. *ἐπὶ τὴν ψόαν* Joſ. *ἐπὶ τὴν λαγόνα.*

Non Sine Dolore Cum res illa ad Davidem deferretur ingemuit. Videbat enim non tantum fidem ſuam eſſe violatam, ſed & periculum eſſe abrumpendæ ſpei, quam de regno Iſrael in ſe traducendo conceperat. Quis enim non alienaretur à Davide, ſi virum tantum, conciliatorem pacis, poſt ſolennes fœderis epulas ſuo juſſu voluiſſet interfici? Deteſtatur facinus: Se

 in

insontem esse & regnum suum coram Domino à sanguine Abner: Precari Deum ut in caput recidat Joab totamque domum patris ejus. Nec amputetur è domo Joab gonorrhoicus & leprosus, quique stipiti nixus incedat, gladio cadat & panis habeat inopiam. Quinque igitur malorum genera illi imprecatur. Josephus memorat sublata in cælum dextera protestatum fuisse de sua innocentia & has diras in Joabum & domum ejus pronuntiasse. *Ἀρὰς δὲ κατὰ τοῦ πεφονευκότος αὐτὸν δεινὰς ἐπιθεὶς, καὶ τὸν οἶκον αὐτοῦ καὶ τοὺς συμπράξαντας ὑποδίκους ποιῶν τῆς ὑπὲρ τοῦ τετελευτηκότος ποινῆς.* Mandato Davidis Joab & Abisai totusque populus laceratis vestibus indutique saccis threnum faciunt Abenero, funus præeuntes, rex sequebatur funus. Cum eum sepelirent, fletum rex sustulit apud sepulchrum & totus' populus. Rex threnum instituit, quo Abeneri fortitudinem collaudabat & casum miserabrtur. *Anne Abner mortuus est instar fatui? Manus tuæ vinctæ non erant compedibus æneis. Cecidisti, ut cadere solent multi à filiis perversitatis.* Illis verbis auditis populus commotus fletum intendit. Rex igitur palam ostendebat se detestari Joabi facinus. Cum enim totus populus, magna luce diei, Davidem invitaret ad cibum, jurejurando affirmabat se nihil gustaturum ante occasum solis. Omnibus placuit regis animus & factum, innotuitque innocentem regem esse à cæde Abner. Rex testabatur: Scire oportet hodie ducem, magnum virum in Israel cecidisse. Ego in regno nondum satis confirmatus, non possum filiis Saruj.r, supplicium irrogare. Deus impio impietatem retribuat. Josephus interpretatur regem ἐπὶ τῇ ταφῇ, monumento insistentem primum sublata voce flevisse & tradidisse aliis. Videtur dicere quod illos funebres (ἐπιταφίους) threnos ipse flebili voce præiverit, subsequente populo. Notandum ante omnia, quod ipsum Joab voluerit doloris & luctus signa edere. Quo sane indicabat, se ejus impietatem detestari: & eum monere ad seriam resipiscentiam. Credi par est etiam multis verbis eum objurgasse, quamvis id scriptura non recitet. Diras illas in absentem an præsentem Joab dixerit, non indicat Scriptura. Ego in absentem malim, quia non videtur nimium alienare voluisse hominem.

II. Sam. IV.

ABneri mors audita non parum turbavit Isboseth & totum Israel. Isboseth enim tanquam manibus & capite truncum se regnumque fluctuare videbat. Israël Davidis vim metuebat, videbatque in nihilum recidisse spem pacis & finiendæ divisionis. Cæterum non diu supervixit Isboseth à duobus turmarum præfectis interemptus. Textus: *Et duo viri, præfecti turmarum* (גדודים) *fuerunt filii Saul*, (בן שאול) Kimchi: בן שאול *ut* לבן *aut cum* (עם בן) *secundum Thargum aut* שרי *stat in loco duorum, quasi diceret* שרי בן שאול. *Et Manahen exponit* חיו *ut* שברו. (fregerunt confecerunt) *Et sic* (Dan. 8. 27.) נהייתי ונחליתי *q. d. Occiderunt eum. Et enarrat* (textus) *rem hanc: Ecce ad indicandum quod si qui occiderunt filium Saul olim fuerint cum eo & principes ejus fuerint, ideo non cavebant ab illis domestici, cum ingrederentur interiora domus & cubiculum* (ובחדר משכבו) *& putabant, quod ad colloquendum cum eo ingrederentur. Et id quod dicitur* (v. 3.) Et fugerunt Beerothæi *non narrat ob quid fugerint. Forte fuerunt ipsis verba rixæ cum Saul aut cum filio ejus & nunc ad eum reversi erant. Forte pacem fecerant cum eo antequam venirent & venerant in domum ejus & non cavebant ab eis. Et erit expositio* (לוקחי חטים) *secundum hanc expositionem, quod venerint cum* לוקחי חטים *ad loquendum cum filio Saul. At secundum expositionem, quam exposuit Menahem erit expositio sensus, quod hi principes occiderint filium Saul; quod non significat Isboseth sed alium*

alium filium Saul, quem occiderunt aut vivente Saul aut post ejus mortem. Ideo fugerant Getthaim & fuerunt illic exules, usque ad diem hunc quo venerunt ad occidendum Isboseth, ad inveniendum gratiam in oculis David, ut venirent in hæreditatem suam Beeroth: & cum venissent in ædes Isboseth, alienos se ostenderunt feceruntque sicut emptores frumenti & sicut reddidit Ionathan כובני חטין *& ingressi sunt in ædes ejus & in conclave cubitus ejus: & occiderunt eum, non advertentibus domesticis, quia dixerant se loqui velle cum eo ad comparandum frumentum.*

Stare in loco duorum, id est repeti debet ut jungatur etiam שרי בן / בן. Putat Manahem, quod חזו hic significet *conficere*, frangere id est *occidere*. Quendam illos duos de filiis Saul occidisse, eoque Getthaim fugisse: Ubi se continuerint usque ad hoc tempus, quo capite Isboseth mercari voluerint restitutionem in Beeroth. Fugam ergo illam de qua v. 3. putat ob Davidis bellum evenisse.

Lyranus: *Circa primum* (occisionem Isboseth) *sciendum, quod libro de Hebraicis quæstionibus dicitur, quod mortuo Abner Isboseth constituit Rechob & Bennaa* (alias Bannaa) *qui erant de tribu Benjamin, ut patet in textu, duces suarum expeditionum, unde hic ubi dicitur* principes latronum, *in Hebræo habetur,* Principes turmarum *vel* cuneorum. *Postea isti duo de scitu Mephiboseth, conspiraverunt in mortem Isboseth ut Mephiboseth regem constituerent, qui erat debilis pedibus, & sic facerent sub eo quicquid vellent. Mephiboseth autem videns se ineptum regno, revelavit hanc conspirationem avunculo suo scilicet Isboseth: Et tunc illi scientes suum consilium revelatum, timore Isboseth fugerunt in Getthai, & fuerunt ibi, quousque redirent latenter ad interficiendum Isboseth, ut sic de eo amplius non timerent: & per hoc erga David gratiam & munera impetrarent. Dicitur etiam in libro de Hebraicis quæstionibus, quod hoc tradunt Hebræi. Sed ubi hoc sit ab eis traditum nescio, maxime, quia Rabbi Salomo, qui ordinavit glossas Hebraicas super totum vetus testamentum, aliter dicit super locum istum scilicet de Rechab & Bennaa, qui erant de civitate Beroth, ut habetur in textu: & quia illa civitas licet esset in tribu Benjamin, tamen erat propinqua terræ Philistinorum, & ideo mortuo Saule filii Israël dimiserant civitatem istam inde fugientes sicut & de multis aliis civitatibus, ut habetur supra lib. 1. cap. ult. Et maximè de civitatibus propinquis istis Philistæis: postea isti fugitivi aggregaverunt sibi multitudinem consimilium hominum, ut de prædis viverent. Et consimili occasione latenter & dolose venerunt ad interficiendum Isboseth, ut per hoc à David munera reportarent. Secundum igitur utrumque dictum litera in aliquibus locis est aliter exponenda: quæ tamen pro magna parte patet ex prædictis secundum utrumque modum dicendi.*

v. 2. Duo illi fuerunt duces גדודים id est turmarum, quæ ad populationem in hosticum solebant exire. Filii Remmonis. Quibus nomen בענה & רכב. Erat Remmon בארתי Berothæus. Addit Scriptura Beroth etiam ad Benjamin pertinuisse, quamvis in extremis finibus ad terminos Palæstinæ sita esset. Iosephus: ἀπὸ τῶν ἱερέμμαντος ἡμῶν, Βαναάθα, τῷ δ' ἑτέρῳ Θάνος ὄνομα ἦν. Rufinus: *à filiis Remmon, id est Banaa & Recha.* LXX. Βαανὰ & Ῥηχάβ, Josephus nihil aliud de conditione, quam quod fuerint πρῶτοι τάγματος.

v. 3. Berothæi fugerant in Getthaim, ubi usque ad diem illum, quo liber secundus Samuelis conscriptus est, habitabant ut inquilini. Berothæi omnes, non soli hi duo, qui Isboseth interemerunt, relicta patria contulerunt se in Getthaim, ob metum Palæstinorum, cum Saul & Jonatham in illa clade caderent.

v. 4. Cum narrasset filium illum Saul, qui in regni erat solio, vilem & contemptum suis fuisse, ut etiam sui generis duo præfecti eum occiderint: simul de Mephiboseth narrat ineptum fuisse regno, ut quem in eadem clade, gerula nutrix, in trepidatione & fuga, solo ex casu afflictum utroque pede claudum effecerit. Rasi id putat narrari, quod regnum ita cessaverit in domo Saul, omnibus filiis occisis aut ineptis regno. Contempta igitur hujus imbecillitate patruum trucidarunt. Quinquennis puer erat, cum id infortunium accideret. Causas impulsivas conjuratis Josephus fuisse dicit: quod reputaverint, *ὡς αὐ ἀποκτείνωσιν τὸν ἰέβοσθον μεγάλων παρὰ Δαβίδου τεύξονται δωρεῶν, καὶ στρατηγίας ἢ τινὸς ἄλλης πίστεως τὸ ἔργον αὐτοῖς ἔσαι.*

v. 5. Duo conjurati, consilio isto, veniunt secundum æstum diei, ad ædes Isboseth. Per æstum diei latere solebant homines sub tecto & secessu. Ipse autem Isboseth cubabat cubitum meridianum, *ἐμεσήμβριζε*, *meridiabatur*, Ionathan שנת מלכיא quod regum mos esset meridiari. Inter v. 5. & 6. Lxx. & Vulgatus (sequitur id quoque Iosephus) inserunt: *καὶ ἰδοὺ ἡ θυρωρὸς τοῦ οἴκου ἐκάθαιρε πυροὺς καὶ ἐνύσταξε καὶ ἐκάθευδε· καὶ Ῥηχὰβ καὶ Βαανὰ οἱ ἀδελφοὶ ἔλαθον. Et ostiaria domus purgans triticum obdormivit. Ingressi sunt autem domum latenter.*

v. 6. Veniunt עד תוך הבית *in interiora adium.* לקחי חטים, cum frumentum inde ementibus mercatoribus, vel quasi & ipsi frumentum empturi essent, ne quis causam intrandi suspectam haberet, aut quæreret, Illic eum solum inveniunt & ad ilia confodiunt: citoque evadunt. Hieronymus: *assumentes* spicas tritici quasi primitias frugum muneris loco attulerint. At hoc inconveniens verbis textus.

v. 7. Hic repetitio est expositiva facti, aut significatur, ut vult Kimchi, quod cum jam evasissent, consilium ceperint, auferendi capitis & deferendi ad Davidem. Ego prius malim. Ædes intrant, ubi ipse cubabat *in lecto*, בחדר משכבו Lxx. *ἐν τῷ κοιτῶνι.* Iosephus *παρὰ τὸ δωμάτιον.* Percutiunt, vitam elidunt, præcidunt caput, cum quo abeunt via solitudinis tota nocte. Loca sola & noctis tenebras captabant, ut evaderent ad Davidem.

Davidi exhibent caput Isboseth, quasi rem gratam præstitissent & præmio dignam. Id esse caput Isboseth, hostis sui; Deum ultionem dedisse de Saul & semine ejus.

David re insolita turbatus & humanam miseratus sortem, & qui osor esset proditionis: nunquam ea usus ne quidem in exteros, affirmat grandi asseveratione, per vitam Dei liberatoris: se qui Amalecitæ, nuntianti cædem Saul seque occisorem (quod rogatu ipsius Saul fecerat & animam agentis) loco præmii irrogasset mortis supplicium, non parsurum proditoribus, qui virum justum, intra ædes suas, in lecto suo obtruncassent. Iugulantur igitur & præcisis manibus corpora suspenduntur ad piscinam Hebronis. Iosephus orationem Davidis extendit, ut rei convenire putabat, refertque tormentis exquisitis affectos esse & sic morti datos. Torquere aut per tormenta enecare non erat moris Hebræi, sed Josephus sui temporis usum respexit. *Πάσαν αἰκίαν αὐτοὺς αἰκισάμενος διεχρήσατο.* Caput Isboseth illatum est in monumentum Abner. Quærit Abulensis, quare simpliciter sepelierit Isbosethi caput, non ita, ut Abner, cum fletu & pompa? Respondet, Abneri cædem in ditione ejus patratam, in ipsius invidiam redundaturam fuisse nisi publice suam innocentiam fuisset testatus. Ego etiam obseruo, Isboseth non appellari unctum, ut Saul. Nam cædes Saul eo nomine gravior reputatur, quia unctio ejus personam sanctam & inviolabilem præstabat. Hic tantum

tum

tum quod ſervi dominum, virum juſtum in ædibus proditoriè obtruncaſſent.

Omnes Fere Natu Majores] Nunc ſequitur regnum Davidis ſuper univerſum Iſael: *in quo* (Sic Lyranus) *aliquando floruit innocenter, & ſic fuit à Deo exaltatus: aliquando vixit inſolenter & fuit à Deo caſtigatus.* Proinde deſcribitur primò ejus innocentia, tum pœnitentia & patientia in adverſis.

Commemoratur primi Chronicorum duodecimo, qui confluxerint Hebronem ad Davidem, ut promiſſionem Dei de regno ſuper Iſraël in Davide implerent. Scriptura dicit capita eorum, qui inſtructi ad bellum. (Ioſ. *ἅπαντες οἱ τοῦ λαοῦ τῶν ἐβραίων πρῶτοι πρὸς Δαβίδην εἰς Χεβρῶνα ὅτε χιλίαρχοι καὶ ἡγεμόνες αὐτῶν.* Videtur ſolos milites veniſſe, cum reliqui domi hoc incerto rerum ſtatu ſe continerent. Hominum militarium ſive in armis agentium pars, non univerſi ad Davidem venerunt. Hic narratur de conventu militum, ſed eum confluxum ſecutus eſt conventus ſeniorum ex omnibus tribubus, de quo 2. Sam. 3. v. 1. 2. 3. 4. 5. 1. Chron. XI. 1. 2. 3.) Judææ tribus qui clypeos haſtaſque geſtabant, ad bellum inſtructi, ſex millia octingenti. Lyranus: *Non eſt mirandum, ſi de aliquibus aliis tribubus, in ſequentibus ponitur major numerus venientium ad Davidem in Hebron, ut habetur in litera; quia antequam David veniret in Hebron, major pars tribus Iuda adhæſerat ipſi David.* Exiſtimat igitur alios adveniſſe, cum regnum in Iuda adipiſceretur. Ioſ. *οὗτοι τῷ Σαούλου παιδὶ παρέμενον. Τούτου γὰρ χωρὶς ἡ Ἰούδα φυλὴ, τὸν Δαβίδην ἀπέδειξε βασιλέα.* Arbitratur, hos ſe à reliqua tribu hactenus ſeparaſſe, Saulis filio adhærentes. Abulenſis putat hos adveniſſe, ut intereſſent unctioni: reliquos autem non comparuiſſe, quia erant nunc occupati, ut pararent cibum tribubus reliquis, quæ magno numero ad Davidem inungendum confluebant, uti habetur. Sed (Saliani judicium) poterant nihilominus nominari. Simeonæi ſeptem millia & centum viri fortes fuiſſe dicuntur. E tribu Levi primo, quatuor millia & ſexcenti. Iojada erat Aaronitarum præfectus, cum quo erant tria millia & ſeptingenti. Hos cum ſuperioribus confudit Ioſephus. Iojadas non fuit præfectus Levitarum ſed (הנגיד לאהרן) Lxx. *ὁ ἡγούμενος τῷ Ἀαρών*: Illi quibus præfuit, diſcernuntur à Levitis. Sadocus etiam juvenis erat & heros fortis: è cujus domo patria erant viginti duo præſides. *Ioſephus* ſuperioribus Levitis adjungit Sadocum: *Μετὰ τούτων ἦν ὁ ἀρχιερεὺς Σάδωκος σὺν εἴκοσι καὶ δύο συγγενέσιν ἡγεμόσιν.* Benjaminæi tria millia. Nam adhuc multi erant de iſta tribu, qui domui Saul adhæreſcerent. Ioſephus male & in Græco & in editione Rufini, quatuor millia fuiſſe ſcribit. Efraimitæ, viginti millia & octingenti viri fortes & celebrati in domo patrum ſuorum. E dimidia tribu Manaſſitide, octodecim millia. In textu additur: אשר נקבו בשמות לבוא להמליך את דויד. Lxx. *καὶ οἳ ὠνομάσθησαν ἐν ὀνόματι τοῦ βασιλεῦσαι τὸν Δαβίδ.* Vulg. *Singuli per nomina ſua venerunt ut conſtituerent regem David.* Iſſacharitæ ſcientes intelligentiæ temporum, ad ſciendum, quid faceret Iſraël: capita eorum ducenta & omnes eorum fratres ſecundum os eorum. Ita Hebræa ſonant. Putant Rabbini, quod eis tribuatur ſcientia intercalandi & menſium. Lxx. *γινώσκοντες σύνεσιν εἰς τοὺς καιροὺς, γινώσκοντες τί ποιῆσαι Ἰσραὴλ διακόσιοι καὶ πάντες ἀδελφοὶ αὐτῶν μετ᾽ αὐτῶν.* Ioſ. *διακόσιοι μὲν οἱ προγινώσκοντες τὰ μέλλοντα, ὁπλῖται δὲ δισμύριοι.* Unde accepit illos vicies mille? Hic Vulg. *De filiis quoque Iſachar viri eruditi, qui noverant ſingula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Iſraël; principes ducenti: omnes autem reliqua tribus ſequebantur eorum conſilium.* Fratres eorum interpretatur de omni tribu & toto

Iſraël

Israël, cum ad cæteros illius tribus pertineat. E Zabulon, egredientes in militiam; disponentes bellum omni genere belli, quinquaginta millia (ולעדר) & ad ordines servandum, animo intrepido. Lxx, Ἐκπορευόμενοι εἰς παράταξιν πολέμου ἐν πᾶσι σκεύεσι πολεμικοῖς, πεντήκοντα χιλιάδες βοηθῆσαι τῷ Δαβὶδ οὐ χειρονίτως. Jos. ἐκ δὲ τῆς Ζαβουλωνιτῶν φυλῆς ὁπλιτῶν ἐπιλέκτων, πέντε μυριάδες. αὕτη γὰρ ἡ φυλὴ μόνη πᾶσα πρὸς Δαβίδην συνῆλθεν. οὗτοι πάντες τὸν αὐτὸν ὁπλισμὸν εἶχον τοῖς τῆς Γάδου φυλῆς. Lxx. interpretum versionem secutus est, quæ legit לעזר לדוד. Unde autem habet eos similiter Gaditis armatos fuisse? Vulg. *Porro de Zabulon, qui egrediebantur ad prælium stabant in acie instructi armis bellicis quinquaginta millia, venerunt in auxilium non in corde duplici.* De Nephthali principes (שרים) mille, & cum illis cum parma & hasta (בצנה וחנית) triginta septem millia. Jos, Ἐκ δὲ τῆς Νεφθαλίτιδος φυλῆς ἐπίσημοι καὶ ἡγεμόνες χίλιοι, ὅπλοις χρώμενοι θυρεῷ καὶ δόρατι. ἠκολούθει δὲ ἡ φυλὴ ἀναρίθμητος οὖσα. Lxx. hic Hebræo textui consimiliter habent triginta septem millia. Danitæ disponentes bellum viginti octo millia & sexcenti. Lxx. pro sexcentis ὀκτακόσιοι Jos. δισμύριοι ἑπτακισχίλιοι. Rufini editio Hebræo consonat. Ex tribu Aser egredientes in militiam ad disponendum bellum quadraginta millia. E regione Transjordanensi, è Rubenitis & Gaditis & dimidia tribu Manassis, in omni genere militiæ belli centum & viginti millia. Omne genus armorum exponit Josephus, θυρεῷ καὶ δόρυ καὶ περικεφαλαίᾳ καὶ ῥομφαίᾳ. Numerum rectè exprimit μυριάδες δώδεκα, at malè Gelenius viginti duo millia. Rufinus consentit Græco. Hoc igitur ordine Scriptura recenset viros belli, qui Davidem adierunt. Omnes illi, viri belli, servantes ordinem, corde sincero veniebant Hebronem ut Davidi regnum deferrent, super totum Israël. *Etiam* (ut additur in v.38.) *universus Israel reliquus unanimes erant, ut Davidem facerent Regem.* Qui igitur domi remanserant, cupiebant Davidem regem habere.

Omnes Natu Majores] Omnes seniores Israël (2.Sam.5. 3. 1. Chron. xi. 3.) omnes tribus (Ibid. v.1.) Idem significatur. Omnes seniores post illos milites venerunt, paulo post insecuti. Hi ad Davidem dicunt: Se esse cognatos, ex ossibus & carne. Quod videtur Judææ tribui proprie convenire, sed illi (ut puto) significant carum sibi esse & familiari conversatione cum omnibus consuevisse. Operam quam vivente Saul, egregiam fortemque domi militiæque præstiterat: tum & promissionem Dei de ipso commemorant. Hebrone igitur fœdus initum est & David tertio inunctus in regem. Jam enim universi populi regem fecerunt.

Triduo toto epulati sunt cum Davide. Ante epulas unctio peracta fuit. Ante unctionem initum est fœdus. Fœdus fecerunt coram Domino, ut habet textus. Deum assumpserunt in testem: populus spondens obedientiam & fidem, David justitiam & protectionem. Salianus: *Credibile est in tam solenni tantique momenti fœdere, non esse omissas cerimonias omnes adhiberi solitas, præsertim divisionem animalis & transitum per partes divisas &c. Illud autem coram Domino, etsi accipi possit, ut idem sit quod publice; in oculis omnium, aut Deo in testem assumpto: placet tamen conjectura Tostati, excitatum à Davide, quoddam sanctuarium & altare in Hebron, dum regnante Isbosetho non liceret populo libere adire tabernaculum, quod erat Gabaone, & arcam fœderis, quæ erat Cariathiarim, oppido utroque tribus Benjamin. Non enim videtur Davidis pietas ferre potuisse, ut tot annos cultu divino careret, cum etiam pontificem cum Ephod apud se haberet. Atque id sanctuarium & altare videtur significasse Absalom, cum peteret à Davide facultatem reddendi vota sua in Hebron. Crediderim Abjatharem* Pontificem, quasi Dei personam sustinentem, huic fœderi *intervenisse.* Imo nullum taber-

bernaculum ſtrui potuit aut ſanctuarium niſi per prævaricationem, niſi hoc quod à Moſe ſtructum eſt, cui ſucceſſit templum. Licuit in excelſis immolare, quia fixum locum tabernaculum non habebat. Et ſic explicat Ralbag. Ubi populus univerſus aut maxima pars, illic שכינה habitat, ut recte notat Kimchi. Tertiò (eodem Kimchi probante) invocatio divini teſtimonii ſignificari poteſt per eam phraſin ut non improbat ipſe Salianus.

TERTIO REX] Hæc unctio fuit approbatio ſeu confirmatio juris quod Samuelis unctio dederat. • Deus enim dat jus regnandi, qui populorum omnium dominus eſt. In libro Chronicorum habetur: Et unxerunt Davidem in regem ſuper totum Iſrael, ſecundum verbum Domini per Samuelem. *Quia* (ut inquit Kimchi) *non fuit ſtatutum verbum Samuelis uſque in diem hunc, quia Samuel unxit eum in regem ſuper totum Iſrael ſicut fuerat Saul rex ſuper totum Iſrael.* Ideo non geſſit David bellum *in Iebuſæum, ſedentem in Sion, donec eßet rex ſuper totum Iſrael: & mox cum unxiſſent eum, ivit illuc.*

Triduo apud Davidem epulati ſunt, quia fratres ipſis paraverant ut narrat textus: כי הכינו להם אחיהם / ὅτι ἡτοίμασαν οἱ ἀδελφοὶ αὐτῶν. Joſephus, τοῦτο δὲ τὸ πλῆθος εἰς Χεβρῶνα πρὸς Δαβίδην συνῆλθε μετὰ πολλῆς παρασκευῆς σίτου καὶ οἴνου καὶ τῶν πρὸς τροφὴν πάντων: quaſi ipſi ſecum attuliſſent apparatum eduliorum & vini. Scriptura narrat proximis è locis & uſque ex Iſſachar, Zabulone & Nephthali allatum eſſe (לחם) panem in aſinis, camelis, mulis & bobus: cibum farinæ, (דבלים) palathas ficuum (צמוקים) maſſas paſſarum, vinum, oleum, boves, oves in multitudinem, quia (שמחה) εὐφροσύνη, feſtum gaudium erat in Iſraele.

Hebrone regnavit ſeptem annis cum dimidio, in Jeruſalem triginta tribus annis. Notant Rabbini, quod ſex menſes non veniant in computationem, quando ſumma (בכלל) quadraginta annorum colligitur: ſicut nec in libro regum (1. Reg. 2. 11.) parti (בפרט) annumerântur: ratio, quod integrum annum non faciant. In dras quæritur, quid ſint illi ſex menſes? Reſpondet R. Iſaac in nomine R. Juda הסירים היו משלשים ושלש אלא שהכתובים חולקים כבוד לירושלם ומונם אותם שלמים: *Deficiebant è triginta tribus ſed quia ſacra ſcriptura honorem tribuit Hieroſolymis, numerantur integri.* R. Joden חשבון המחברת בולע את הממועט. Dicit R. Joden, Scriptum, quod ſex menſibus illic ſederit Joab, qui non veniunt è numero. A. S. Illi menſes, quibus fugit propter Abſalom & in (שעירה) fuit abnegans ſeipſum tanquam privatus non veniunt è numero.

Cum epulæ iſtæ finitæ eſſent (Joſephus continuò poſt illud triduum factum fuiſſe putat) ivit adverſus Hieroſolyma David cum viris ſuis: in chronicis dicitur totius Iſrael. Non alii ſane fuerunt quam viri militares & ſeniores deputati deferendo regno, ſi & hi ſeniores ad fuerint, quorum opera opus non erat. Cauſa ſuſceptæ expeditionis & quidem mox cum initio regni fuit, narrante David Kimchi, traditio, quæ apud ipſos erat, כי ציון ראש ממלכת ישראל ולא ילכוד אותה אלא מי שיהיה מלך על כל ישראל. *Quod Sion eßet caput regni Iſrael nec occupaturus eßet eam niſi qui rex eßet totius Iſrael.* Ad hunc autem diem regnum in Iſrael non fuiſſe ſtabilitum, quia regnum Saul non conſtitit. Illam urbem Jebuſæi tenebant, qui Salemæ conjunxerant montem Ire (יראה) & de ſuo nomine urbem Jebus appellaverant, Illi adhærebat ad meridiem mons Sion, in quo arcem munitiſſimam conſtruxerant: quam putabant eſſe inexpugnabilem. Contemptim igitur jactabant quod in Hebræo habetur תבוא הנה כי אם הסירך העורים והפסחים לאמר לא יבוא דוד הנה. Hoc Jonathan interpretatus eſt לא תעול הלכא אלהן באעדיותך חטאיא וחביא ראמרין לא למימר

יעול דוד הלכא | *Non ascendes huc, nisi abstuleris peccatores & reos, qui dicunt non intrabit David huc.* Lxx. οὐκ εἰσελεύσῃ ὧδε, ὅτι ἀντέστησαν οἱ τυφλοὶ καὶ οἱ χωλοὶ, λέγοντες, ὅτι οὐκ εἰσελεύσεται Δαβὶδ ὧδε Sensum benè expresserunt: Nota autem quod postremum לאמור intellexerint quasi contineat dictum cæcorum claudorumve de Davide. Josephus narrat cæcos claudosque & mutilos à Jebusæis positos esse in mœnibus ad ludibrium, ἐπὶ χλεύῃ τοῦ βασιλέως, simulque jactatum hos ipsius vim repressuros esse. Dras erat, quam exponit Kimchi: *In dras,* inquit, *invenimus: dicebant viri Iebus Abrahamo, Pange nobiscùm fœdus, quod semen tuum non sit capturum civitatem Iebus & nos vendemus tibi speluncam Machpela. Fecit sic. Viri Iebus fecerunt imagines æneas, quas statuerunt in vico urbis; quibus inscripserant fœdus jurisjurandi: cumque Israelitæ venissent in terram, non potuerunt eam ingredi ob jusjurandum* Q. D. (Jos. 15. 63.) Et Jebusæum habitantem Jerusalem non potuerunt filii Israel capere. *Cum David regnum injisset, voluit intrare, nec permiserunt ei* Q. D. Et dixerunt viri Jebus non venies huc: *Dixerunt illi non poteris donec removeris imagines illas, in quibus scriptum est fœdus jurisjurandi* Q. D. Nisi removeris cæcos & claudos. *Hæ erant imagines, quibus oculi nec vident, aures nec audiunt: pedes eorum non ambulant.* Exosi animæ Davidis *quia oderat ne audiret aut coleret idolum.* Q. D. Ideo dicunt, cæcus & claudus non venient in domum &c. Ralbag etiam: *Iebusæus inhabitabat Hierosolymam nec poterat expellere eos propter juramentum Abraham Abimelech factum quod erat inscriptum duabus statuis. Erant enim cæci & claudi quia oculi ipsis* &c. *Aut fortassis, quod imagines illæ in figura cæci & claudi factæ essent. Cæci ad indicandum de fœdere Isaac, quia in fine dierum suorum caligabant illi oculi, ut videre non posset. Et claudi propter Iacob, qui claudicabat ob femur suum. Et fecerunt hoc ad indicandum, quod* (ישתלש) *tertio repetitum esset ipsis hoc fœdus cum summis patribus eorum* (בכללם) *Et ob hanc caussam dicit Iebusæus Davidi:* Non venies huc nisi removeris prius cæcos & claudes, *in quibus est memoria hujus fœderis.* Locus Josue 15. 65. scribit non potuisse filios Judæ capere Jebus. Id interpretatur traditio, quam refert Josue יכולין הוו אלא שלא הוו רשאין *Potuerunt sed ipsis licitum non erat.* Nempe ob illud fœdus Abrahami. Inania & pugnantia cum simplici scripturæ sensu commenta sunt, quæ dicunt. Non expugnarunt Jerosolymam, quia non potuerunt. Abrahami fœdus cum Palæstinis, quid ad Jebusæos? Hoc tamen commentum è Rasi assumpsit Lyranus. Communis interpretum expositio sequitur Josephum. Abenesdras firmitudinem turris notatam voce צנור animos dedisse incolis, ut dicerent: Etiam cæci & claudi vim tuam repellent. Non metuimus te in bellum. David eo ludibrio incensus, πολιορκεῖν ἤρξατο (inquit Josephus) imo urget oppugnationem. Idem vult magna vi occupatam primò esse inferiorem civitatem: cum incutere metum vellent aliis, si qua eadem pertinacia oppida resisterent. Atqui nihil textus de inferioris urbis oppugnatione, quæ videtur facili negotio occupari potuisse aut occupata esse: tantum arcis Sion meminit quoad difficultatem expugnationis. מצודת ציון | Inaccessa munitio Sionis. Nam rupes alta & prærupta inaccessum faciebat locum: & vidimus loca inaccessa, quibus se tenuit David in exilio à Saul isto vocabulo dici. Præmium præfecturæ omnium copiarum & totius exercitus proposuit illi, qui primus eniteretur, cæsis Jebusæis, in arcem. Qui cæso Jebusæo id est claudis cæcisque, quos anima Davidis odit, attigerit בצנור. Rasi: *Significatio altitudinis turris, quia illic erant imagines illæ.* Nempe tempore Davidis præterierant generationes, quarum in juramento mentio erat. In earum enim ore tabulæ federis habebantur. Abimelech (ut narrat Kimchi) jam mortuus erat, qui cum Israelitæ terram ingrederentur & cum Benjamitæ bellum

gere-

gererent, adhuc erat in vivis. En fecunditatem nugarum. Ralbag de צנור, est canalis, è quo effundebantur aquæ. At Jonathan exponit כרכא. Cæterum Ralbagita pergit: *Et perdet eum ejus perditione cum* צנור *claudos & cæcos, qui sunt exosi animæ Davidis, propterea quod prohibent eum ne veniat in domum. Erit illi retributio sic & sic, quod non exponit.* Agit de loco (2. Sam. 5.8.) ubi non est expressio præmii quod exprimitur 1. Chronic. x1. 6. *Propterea dicebant.* Et illic cæcus & claudus iste vere prohibebit Davidem ne veniat domum, *Et ecce, forte corruptio ejus in hoc modo, præter amotionem fœderis, quod percusserant patres, quod ille perditurus esset ædificium in quo* צנור *| in cujus corruptione peritura erant imagines. Et forte quod dictum in expositione ista, sensus est* (אפשר בפירוש זה הענין שהוא) *forte est nomen loci, quem ingredi non poterant, nisi transirent ante illas imagines, per rotam solertiæ, qua movebant baculos ferreos; magnitudine ponderis motum validum efficiente. Adeo ut nemo illac transire posset, ut non percuterent ipsum imagines illis baculis. Et olim audivimus, quod facta fuerunt imagines sicut illæ, in quibusdam locis.* Subjicit id non mirari illos qui callent scientiam ponderum & sciunt quid fiat per motum; aquas, ventum, argentum vivum. Illas autem imagines factas fuisse in similitudine cæcorum & claudorum: quia armatæ baculis, ut solet id genus hominum. Videri etiam, quod fuerint juxta summitatem turris: ejecisse aquas ex ore &c. En Rabbini subtiles sunt in excogitandis fabulis & commentis? Salianus: *Quid est autem illud, quod dicitur in proverbio, claudus & cæcus non intrabunt in templum? Respondet S. Hieronymus in tradit.* In Hebræo habetur, cæcus & claudus non intrabit domum. Hoc est cæcus & claudus, subauditur, dicunt, intrabit quilibet domum cæcorum & claudorum, quandiu cæcus & claudus intus fuerint. *Dure sane, agitur enim in proverbio de cæcis & claudis ab ingressu domus arcendis; non de earum propugnatione ad alios arcendos. Respondent Lyranus & Abulensis ex libro Levitici: Scriptum esse non licere cæco & claudo intrare templum, ad exercendum sacerdotum ministerium &c. Illamque scripturam ex hoc facto in proverbium trahi cœpisse, quo utebantur Hebræi, ut vult Cajetanus, quando repellebant aliquem ab officio petito, tanquam ineptum & suspectum. Existimarem potius Davidem cum suis statuisse ad ultionem temerariæ jactationis istorum Iebusæorum & ad perpetuam rei memoriam, ut nunquam liceret cæco vel claudo intrare in arcem Sion. Quod præceptum inter Iudæos vulgatum, ad alia quoque deinde transferebatur.* Ita etiam sentire Vatablum, quia in Hebræo sine adjecto, *domum*, adjecerunt Græci *Domini*. Hæc etiam sententia est Kimchi.

Joab primus arcem conscendit meritusque est summam præfecturam militiæ universi Israel, qui hactenus Judaicæ habuerat. Kimchi narrat abietis arborem ingentem adductam fuisse & incurvatam. E qua Joab transsilierit in summitatem muri: cumque hostes eum cingerent, fortiter prælianti subvenerunt alii. Sic Kimchi, qui addit aliam fabulam: Quid fecit Joab? *Adduxit abietem viridem, quam fixit ad murum: incurvat cacumen ejus tenerum & apprehendit id David: exsilit Ioab super caput Davidis suspenditque se in arbore & insilit in murum. Hoc est quod dicit David* (Ps. 141. 5.) Percutiat me justus, benignitas; oleum capitis; non franget caput meum. *Quid facit Deus? Abbreviavit murum, donec ascenderet David post eum Q. D.* (Ps. 18. 30.) In Deo meo transsilio murum. Quis non miretur *ψευργίαν*? Eo genere concionandi & sermonum pascunt miserum & famelicum populum magistri Judæorum. Sic vis & usus sacræ scripturæ evacuatur. Hanc urbem David & secuti reges pro regia habuerunt, quia illic Deus suo nomini locum statuit. Ornavit igitur ædificiis & munivit operum firmitudine. Sionis montem incoluit, qui ab eo civitas Davidis appellatus est. Josephus non recte toti urbi id nomen factum esse dicit. Scriptura: *Et ædificavit David in circuitu, à Mello* וביתה *& interius.* Sic munivit &

ornavit montem, qui ideo ab ipso civitas Davidis dictus est. Rasi: *Excisus est humilis murus, quem impleverunt terra & altus tumulus in medio & declivis, incedensque in omnem ventum. Hic vocabatur Mello: super quem David ædes struxit. Hic ipse Mello erat in circuitu arcis* (מצודה) Kimchi: *A Mello &* ולפנים *& Mello erat locus prope murum. Hic locus latus erat ad congregandum populum, inde dicebatur Mello: Ab eo & interius ædificavit. In chronicis dicitur, quod Ioab ædificaverit reliquam civitatem.* Ralbag: *Et habitavit David in munitione, quam ceperat. Puto quod foderint in circuitu ad muniendam urbem illam & impleverint fossam illam aquis, sicut homines hodie faciunt ad muniendas urbes, ne facile ingrediantur homines. Ideo vocatus est locus ille Mello.* Diversitas opinionum prodit rem esse ignotam.

ALLOPHYLOS IN REGNUM] Cum Palæstini intellexissent Davidem inunctum esse in regem totius Israel adeoque ipsum successisse in causam, quæ ipsis erat cum Israel, omne nomen Palæstinum coiit in bellum quod narratur 2. Sam. 5.17. ad fin. & 1. Chronic. 14. 8. ad fin. David eo nuntio accepto descendit (אל המצודה Lxx. εἰς τὴν περιοχήν.) *ad munitionem.* In loco Chronicorum dicitur simpliciter adversus illos. Notat Kimchi locum illum in quo tendebant Palæstini, altiorem fuisse illa munitione, in quam ex Hierosolymis descenderat David: quia consulit Dominum, Anne ascendam adversus Palæstinos & dabis eos in manum meam? Quamvis in valle Raphaim castra posuissent. Oraculo confirmatus hostem adoritur & cædit, magna clade. Unde loco nomen factum est *Baal parasim* (Jonathan מישר גבריא Lxx. κοιλάδα τιτάνων) Idola sua fugientes relinquunt, quæ David igni combussit. Lignea enim comburebantur, fusilia fusione aboleri debuerunt. At Palæstini ex panico terrore, ut videtur, animis resumptis, in eandem vallem redeunt. In qua consederunt diffusa multitudine. Hic iterum consulto oraculo Urim & Thummim responsum fuit, Non rectà ascendere debere, sed circumeundo tergum ut veniret contra sycomoros. Nec iret in hostem, antequam strepitum audirent, incedentem per cacumina arborum. Id enim signum esse divinitus concessæ victoriæ. David obsecutus voci Dei hostes excidit à Gaba (in Chronicis à Gabaone) Gazera usque. Theodoretus strepitum istum sine vento fuisse è textu Græco allegat: ὅταν ἴδῃς, φησὶ, αὐτομάτως, ἀνέμου δίχα τὰ ἄλση κινούμενα. Josephus in eundem modum legisse videtur. πρὶν ἢ τὰ ἄλση σαλεύεσθαι μὴ πνέοντος ἀνέμου. Nunc id Lxx. non habent. Lxx. etiam habent ἀπὸ ἄλσους τοῦ κλαυθμῶνος Jos. Ἐν τοῖς ἄλσεσι τοῖς καλουμένοις κλαυθμῶσι. In Hebræo בכאים. Putat Abulensis terrorem quendam in omni conflictu Israel contra Cananæas gentes, cui quidem Deus benediceret, concussisse istos populos, sic & Palæstinos, nisi alius victoriæ modus exprimatur, idque ex promisso Dei per Mosem. Strepitus ille signum erat accedentis Dei ut populo suo adesset. Notandum prætereà in Josepho, Primò quod consulendi oraculi Urim modum ignorans προφητείαν esse dixerit pro more suo, at hic fusius mentem suam aperit. ὁ δὲ τῶν Ἰουδαίων βασιλεὺς (οὐδὲν γὰρ ἄνευ προφητείας καὶ τοῦ κελεύοντος τὸν θεὸν καὶ περὶ τῶν ἐσομένων λαβεῖν ἐγγυητὴν ἐκεῖνον ἑαυτῷ ποιεῖν ἐπέτρεπεν) ἐκέλευσε τὸν ἀρχιερέα τί δοκεῖ τῷ θεῷ καὶ ποδαπὸν ἔσται τὸ τῆς μάχης τέλος προλέγειν αὐτῷ· προφητεύσαντος δὲ νίκην &c. De secundo oraculo etiam dicit προφητεύει. Secundò, in prima pugna Davidem à tergo adortum esse hostes scribit: quod non patet nec videtur: quia oraculo confirmatus potius à fronte oppugnavit. Tertiò, ut extollat victoriarum magnitudinem scribit Palæstinis se conjunxisse universam Syriam & Phœnicem aliasque gentes quod inde videri, quia toties victi & multis millibus amissis, cum majoribus mox copiis redierint. Sic etiam post primam à Davide cladem triplo majore exercitu irruisse. Idolorum capturam aptat secundæ cladi.

Hic

Hic placet adnectere heroum Davidis catalogum, qui habetur 2. Sam. 23. & 1. Chronic. XI. Utrumque locum comparabimus: 2.Sam.23.v.8. hæc nomina fortium Davidis: ישב בשבת תחכמוני ראש השלשי הוא עדינו העצני על שמונה מאות חלל בפעם אחד: Id reddidit Chaldæus: *Hæc nomina heroum, qui fuerunt cum David heroë, capite* (משריתא) *exercituum, sedente in solio judicii & omnes prophetæ & seniores cingebant eum, uncto unctione sacra, electo & jucundo, pulchro forma sua & decoro aspectu suo, sapiente in sapientia & intelligente consilio, heroë in fortitudine, capite heroum: ipse præfectus super vasa armorum, exiens in ore vocis & vincens in prælio & contorquens, manu lanceæ suæ octingentos occisos vice una.* Ita totum versum refert ad Davidem. Syrus Anglicanus unum heroem Davidi proximum statuit, cui nomen גרדו. Hunc scribit primam ac tertiam sedem dignitatis obtinuisse, quasi unus instar duorum fuerit, quia non noverat duos distinguere, cum tamen versus sequens videatur manifestè ad tertium descendere. Syrum secutus est Arabs ejusdem editionis. In Chronicis lib. 1. XI. 11. Syrus & Arabs eundem גרדו reponunt. Magistri Judæorum sequuntur Chaldæum: Kimchi: דעת המתרג' וכן דעת רז"ל כי זה הפסוק על דוד יושב בשבת quod fuerit sedens בישיבה של תורה. Deinde ראש שלישי id est, *caput trium patrum* Deinde עדינו העצני exponit: *In hora, qua occupatus erat in lege mollificabat se instar vermis, in hora qua egrediebatur in bellum, indurabat se instar arboris. Quidam è magistris f. m. dicunt hunc versum ad Ioab pertinere, qui fuit sapiens, magnus & caput Synedrii: quod dicitur* תחכמני ראש השלישי. *At secundum literalem sensum videtur, quod heros unus fuerit ex heroibus David & caput heroum Davidis, cui nomen* עדינו העצני. De eo explicat appellative voces ישב & תחכמני: & vult ישבעם (quod est in Chronicis) etiam appellativum esse & significare idem, quod ישב בשבת, nempe *sedens in capite populi.* At quod illic dicitur filius Thachemoni, בן תחכמני idem esse vult, q. d. איש תחכמני *vir sapientiæ.* Quasi חכמה & תחכמני idem significarent. Hæc igitur omnia convenire *Adino Haesni.* Tres igitur opiniones proponit. Primam de Davide, secundam de Joab, tertiam de Adino. Tertiam illam Syrus ille (ut supra diximus) expressit. Unum igitur hominem præter Davidem aut ipsum Davidem isto versu putant describi. LXX. ita exprimunt istum versum: Ταῦτα τὰ ὀνόματα τῶν δυνατῶν Δαβίδ· Ἰεβοσθὲ ὁ Χαναναῖος, ἄρχων τοῦ τρίτου ἐστίν· Ἀδινὼν ὁ Ἀσωναῖος, οὗτος ἐσπάσατο τὴν ῥομφαίαν αὐτοῦ ἐπὶ ὀκτακοσίους στρατιώτας εἰσάπαξ. Vulg. *Hæc nomina fortium David. David sedens in Cathedra sapientissimus princeps, inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno.* Hieronymus hic Chaldæum & veteres Rabbinos maluit sequi quam Græcos, qui tamen verum viderunt. Ideo recte cum iis faciunt interpretes Belgæ. Ille qui hic vocatur ישב בשבת in chronicis appellatur ישבעם. LXX. in chronicis vertunt Ἰεσεβαδὰ υἱὸς Ἀχαμάν. Si vox בן in loco Samuelis non fuisset omissa, interpretes verum facilius vidissent: filius Thachcemonæi id est Thachcemonæus, ut puto duo illa nomina idem valent eoque pro uno debent haberi. ראש השלשי *caput tribunorum ut* שלישי pro שלישים dicatur. Primus ille trecentos in Chronicis dicitur confecisse, secundus octingentos in Samuelis loco. Quomodo autem fieri potest, ut unus tot homines uno prælio conficiat? Heroes obstantium hostium multitudinem sternunt instar pecudum: territis & fugientibus instant: agunt in flumina, quibus mergi & hauriri solent. Hi duo primi, Joseb & Adino Asanæus eminebant.

Tertius fuit Eleazar filius Dodo, filii Ahohi id est Ahohæi cujusdam. Tres illi heroes erant simul cum Davide, cum Palæstini in bellum exiissent. Palæstini enim & Israëlitæ oppositis exercitibus coierant. Cum concurrerent, Israëlitarum fusa acie ipse solus hostium molem incumbentem sustinuit, ingenti

edita strage & mactatis hostibus, donec fessa manus capulo adhæresceret. Actis igitur in fugam hostibus, nihil restabat Israelitis, nisi ut spoliarent. In Chronicis (lib. 1. cap. XI. 13.) scribitur locum, in quo hæc evenerunt, appellatum fuisse Pas-dammim. In agro segetis hordeaceæ prælium erat: fugientes premebat hostis. Medio agro hostibus se objecit: obstitit, terrorem incussit: eosque in fugam dedit. Sic magnam salutem & victoriam sua virtute peperit. In secunda triade heroum fuerunt, Samma, filius Age, Hararita; Abisai frater Joab; Banajas filius Jojadæ & quidem pontificis (ut Judæi volunt) Horum præcipuus fuit Abisai. Peculiaria singulorum opera quibus laudem præcipuam pararunt, commemorat scriptura. Abisai cum trecentis pugnabat solus, quos interfecit. Sammæ facinus inclytum fuit: Cum in vico rustico coacti essent Palæstini & prælium in agro lentis consereretur, inferiores fugientesque Israelitas propugnavit. Hostem sustinuit solus, repulit, in fugam egit. Ingens erat illa liberatio. Banajas viri fortissimi filius è Cabzeel duos validos leones è Moab stravit aut Ariel Moabitarum castellum duplex occupavit. Prius malim. Tempore nivis in antro occidit leonem. Ægyptio, viro giganti procero quinque cubitos, obviam processit, hastam liciatorio similem gestanti cum baculo. Hastam manibus extorquet, eaque dominum consodit. Ob fortitudinem & robur David eum satellitibus suis præfecit. Vulg. *Auricularium à secretis* Heb. אל משמעתו Ralbag: אל משרתיו חסרים משמעתו: Kimchi: אל עצתו או פי' שהפקידו על אישי משמעתו. Hi erant Crethi & Plethi, ut dictum, 2. Sam: 8. 18. Hi tres tempore messis ad Davidem venerunt, agentem in spelunca Odollam. Palæstinorum castra in valle Raphaim erant & in Bethlehem eorum præsidium, Davide in munitione seu loco inaccesso se continente. Cupido eum cepit aquæ è puteo in porta Bethlehem. Tres igitur illi, perruptis castris hostium è puteo aquam haustam detulerunt ad Davidem. Qui facinore attonitus noluit bibere sed libavit coram Domino, *Absit*, inquam, ut bibam sanguinem istorum virorum, qui cum periculo vitæ eam attulerunt. Lyranus id factum tribuit tribus primis, quia in fine versus 17. (2. Sam. 23.) & 19. (1. Paralip. 11.) dicitur, quod hæc fecerint *tres robustissimi*, in Latina editione. Atqui in Hebræo simpliciter שלשת הגבורים. Idem putat Davidem non ob concupiscentiam aquæ sed ut experiretur suorum fortitudinem & audentiam hoc proposuisse. Libationem aquæ scribit ostendere, quod exponens se periculis contra infideles faciat sacrificium Domino gratissimum. Hoc igitur argumento militem incendebant isto tempore ad bellum sacrum. Cæterum egregium fortitudinis bellicæ facinus ab homine impio adversus infideles edi potest, quod Deo gratum sacrificium non est nisi in quantum officium omne externæ obedientiæ in se laudabile est. David aquam libavit Deo, tanquam rem nimis pretiosam & care emptam, sanguine partam & periculis, quam ut eam homo siti restinguendæ aut suis voluptatibus & usui communi insumeret. Videri autem possit hoc factum pertinere ad Davidis, jam regis totius Israel, bellum cum Palæstinis supra memoratum. David adversus ingentes copias Palæstinorum se suasque copias loco inaccesso tueri debuit, ut horam victoriæ & modum à Deo editum operiretur. Coguntur illi qui Jasobam & Adino expungunt sive non inveniunt triada hanc confundere cum prima. Josephus quinque heroum facinora narrat in hunc modum: Primum appellat *Ἰέσσαιμον υἱὸν ἀχεμαίου* leg. ἀχεμαίου. Et Lxx. in secundo Samuelis Ἰέβοσθε habent, in primo Chronicorum Ἰεσεβαδά. Scribit Josephus quod variis præliis occiderit nongentos, adeò eum confundit cum Adino. Secundus igitur illi est Eleazarus filius Dodiæ: Lxx. υἱὸς πατραδέλφου, *υἱὸς Δωδί*. Duo sunt interpretamenta, quorum primum, quod ille-

illegitimum, abeſt in chronicis. Hic cum rege in Phaſdamin: Lxx. φαισδαμὶν Joſ. ἀρασάμω; Ruf. *Serpha*. Lxx. in Samuelis loco heroa illum malè appellant ἐλεαζάρ. Tertium Heroa Joſephus appellar σεβαῖν υἱὸν Ἰλὰ. Lxx. Σαμαίας υἱὸν Ἀσὰ. (leg. Ἄγα.) Mira diſcrepantia, in qua Joſephus Lxx. non eſt ſecutus. In Rufino eſt *Semeas filius Eli*. Heb. שמה בן אגא. Coacti erant Palæſtini in vico quodam, cum facinus illud memorabile edidit. Heb. לחיה / Lxx. εἰς θηρία, Joſephus vertit Σιαγόνα. חיה pro חוה videtur poni: ut acceperunt noſtri Belgæ. Heroum trium primorum forte facinus in Bethlehem interpretans במצודה accipit de arce Sionis: ἐπὶ τὴν ἀκρόπολιν ἀπῆλθον. Scribit Βηθλεὲμ diſtare viginti ſtadiis ab urbe Hieroſolymorum, intermedia valle, nempe Raphaim. Ἀβεσσαῖον quartum Heroa dicit ſexcentos interemiſſe, Rufini editio habet nongentos. Quintum Banæam, ἱερέα τοῦ γένει, occidiſſe duos fratres celebres è Moabitide, qui eum provocaverant, את שני אראל מואב. Lxx. τοὺς δύο υἱοὺς Ἀριὴλ τοῦ Μωάβ, quanquam in chronicis vox δύο abſit. Hic rurſum Lxx. ſecutus eſt. Quod tempore nivis leonem occidit, id ex conjecturis mirificè format: Nempe de caſu in foveam, è qua egredi nequeuntem & rugientem aggreſſus occidit. De Ægyptio gigante conſentit textui. Poſt hos enumerantur plures quam triginta ſine facinorum peculiarium mentione. 2. Sam. 23. hoc ordine:

1. Aſael frater Joab.
2. Elhanan filius Dodo è Bethlehem.
3. Samma Harodita.
4. Elica Harodita.
5. Halas Paltæus,
6. Ira filius Icces, Thecoita.
7. Abiezer Anathothæus:
8. Mebunnai Chuſathæus:
9. Salmon Ahohæus:
10. Macharai Natophathæus:
11. Heleb filius Baana Natophathæus;
12. Ithai filius Ribai è Gabaa filiorum Benjamin:
13. Banæas Pharhathonæus:
14. Hiddai è torrentibus Gaas:
15. Abi-albon Arbathæus:
16. Azmaveth Barhumæus:
17. Eljachba Saalbonæus:
18. è Filiis Jaſen Jonathan:
19. Samma Hararita:
20. Ahiam filius Sarar Hararita:
21. Elipheleth filius Ahasbai Maachathæi
22. Eliam filius Achitophel Gilonita:
23. Heſrai Carmelita:
24. Paarai Arbita:
25. Igaal filius Nathan è Soba:
26. Bani Gadita:
27. Selec Ammonita.
28. Naharai Berothita armiger Joab:
29. Ira Jethrita:
30. Gareb Jethrita:
31. Uria Hetthæus.

In-

In Chronicis post duos terniones enumeratio talis est: 1. Asael: 2. Elhanan filius Dodo è Bethlehem: 3. Sammoth Harodita: 4. Heles Phalonita (hic נ & ו pro ט) 5, Ira filius Icces Thecqita: 6, Abiezer Anathotita: 7. Sibbechai (hic ס & כ pro ס & נ) Chusathæus: 8, Isai Ahohæus, supra dictus est Salmon: 6, Maharai Natophathæus: 10. Heled filius Baana Natophatæus: 11. Ithai filius Ribai è Gabaa filiorum Benjamin: 12. Banæas Pharhathonæus: 13. Hurai à torrente Gaas (hic ר pro ד) 14. Abiel Arbathæus, illic Abi-albon: 15, Asmaveth Baharumæus (hic μετάθεσις literarum) 16, Eljachba Saalbonæus: 17, E filiis Jases Gizonæi Jonathan filius Sage Hararita (hic ה pro י) 18, Achiam filius Sachar, Hararita (Hic כ pro ר) 19, Eliphal filius Ur, illic Elipheleth, filius Ahasbai: 20. Hepher Macherathæus: 21. Achia Phalonæus: 22, Hesro Carmelita (hic ו pro י) 23. Nayarai filius Ezbai, 24. Joel frater Nathan (illic Igal filius Nathan) 25. Mebhar filius Hagri: 26, Selec Ammonita: 27. Nachrai Berothæus, armiger Joab: 28. Ira Jethræus: 29, Gareb Jethræus: 30. Uria Hetthæus: 31, Zabad filius Achlai: 32, Adina filius Siza, Rubenita, caput Rubenitarum & triginta. 33. Hanan filius Maacha: 34. Josaphat Methnæus: 35, Uzia Astharathæus: 36. & 37. Same & Jaiel, filii Hotham, Aroeritæ: 37. & 38. Jediael filius Simri & Joha frater ejus, Thisæus: 39, 40, 41, Eliel Hammachavim & Ieribai & Josavia filii Elnaam: 42. Jethma Moabita: 43, 44. 45. Eliel & Obed & Jaasiel Mesobæus. De his dicitur in chronicis, quod Davidi conciliarint regnum. Hinc existimo in Samuele solos heroas, in Chronicis cum illis alios recenseri, nempe integrum catalogum eorum, qui Davidi regnum elaborarunt & primi cum eo fuerunt. Fuerunt triginta præcipui heroes, inter quos duo terniones eminebant.

I. Chronic. Cap. XXVII.

HOc in loco conveniet id caput inserere. Notat Lyranus ordinationem fuisse militarem, popularem & familiarum. De militari primò. David unoquoque mense parata habuit viginti quatuor millia hominum: quæ per vices succedebant. Id Scriptura in hunc modum proponit: Hi sunt filii Israel secundum numerum suum, patrum capita, præfecti millium & centuriarum, cum suis prætoribus, regi servientes in omni re divisionum, accedentium & discedentium per menses anni. Quælibet divisio capiebat 24000. Nempe semper in armis erant viginti quatuor millia, ad subitos, & improvisos casus sive belli sive seditionis popularis.

1. Primæ divisioni in primo mense præerat Jasobam filius Zabdielis. Hic idem erat, qui filius Thachcemoni supradictus est, primus heroum & primæ legionis seu divisionis tribunus, è posteris Phares.

2. Secundæ legioni in secundo mense præerat Dodai Ahohæus: alter nomine Maceloth, illi adjunctus erat in præfectura qui vocatur הנגיד / ἡγέμων.

3. Tertiæ legioni in mense tertio præerat Banajas filius Jojadæ (הכהן) Belgica versio, *Opperamptmans*, prætorum primi. Iste Banajas heros erat inter triginta & supra triginta: quod fateor me non capere. Illius (מחלקת) legioni filius ejus Amminadab loco ipsius præerat. Ipse enim custodibus corporis regii egat præfectus.

4. Quartæ legioni (turmam vocat Vulg. διαιρέσεως LXX.) in quarto mense præerat Asael frater Ioab & post eum Zabodias filius ipsius. Hinc patet descriptionem legionum factam aut meditatam ante regnum David super totum Israel.

5. Quin-

5. Quintæ in menſe quinto Samhoth Iezerita.
6. Sextæ in menſe ſexto, Ira filius Icces, Thecoita.
7. Septimæ in menſe ſeptimo Heles Phalonita.
8. Octavæ in menſe octavo, Sobochai Huſathæus de Zarhitis.
9. Nonæ in menſe nono Abiezer Anathothites de Benjaminæis.
10. Decimæ in menſe decimo Maharai Natophathæus de Zarhitis.
11. Undecimæ in menſe undecimo Banæas Pharhathonæus è tribu Efraim.
12. Ultimæ in menſe ultimo Holdai Natophatæus ex Othoniele.

Popularis ordinatio habuit phylarchas (נגדים) Rubenitis præerat Eliezer filius Zichri: Simeonitis Saphatias filius Maacha: Levitis Haſabias filius Cemuelis: Aharonitis Sadoc: Iudæis Elihu è fratribus David: Iſſacharitis Omri filius Michaëlis: Zabulonitis Iſmaia filius Obadiæ: Nephthalitis Ierimoth filius Aſdriel: filiis Efraim Hoſea filius Azaziæ: dimidiæ tribui Manaſſis Ioel filius Phadaiæ: alteri dimidiæ verſus Galaad Iddo filius Zachariæ: Benjaminæis Iaaſiel filius Abner: Danitis Azarel filius Ieroham. de Gaditis non loquitur ſcriptura.

Familiaris ordinatio eorum ſequitur, qui poſſeſſionibus & aulæ præerant. Theſauris regiis præfectus erat Aſmoth filius Adiel: Theſauris, qui erant in agro, urbibus, vicis, turribus præſidebat Ionathan filius Oziæ. Operi ruſtico & agricolis præerat Eſdri filius Chelub: vinearum cultoribus Semei Romathita: ſed vini cellas curabat Zabdi Sephmæus. Olivetis & ſycomoris in humili & inferiori regione præerat Baal-hanan Gaderita, ſed cellis oleariis Ioas. Bubus in Saron præerat Sitrai Saronita; bubus vallium ſeu planæ ac inferioris regionis Saphat filius Adlai. Camelis præerat Ubil Iſmaelita. Nam (ut notat Lyranus) illi optimè norant camelos paſcere. Aſinis fœminis Iehdias Meronothæus. Minori pecori (ovibus vulg.) Iaziz Agarenus. Agareni in tentoriis habitabant, nomades erant. Hi igitur naturalibus & artificialibus poſſeſſionibus præfecti erant, at Ionathan patruus Davidis erat à conſiliis & ſcriba à ſecretis: Iaiel filius Hachmoni erat cum filiis regis. Achitophel etiam erat à conſiliis & Chuſai Archites amicus regius. Poſt Achitophel eum locum tenuit Iojada filius Banææ & Abjathar. Quidam putant Banajam vivente Achitophele conſiliarium fuiſſe, ſed habitum ſecundæ æſtimationis ab eo. Summus militiæ princeps fuit Ioab. Univerſæ copiæ militares populi Iſrael fuerunt 288000. Eum numerum militum populus edere debuit, qui habito delectu quotannis reſtituebatur: ſed viginti quatuor millia ſemper in armis erant, ad præſidia & ſubitos caſus. Legionum erant tribuni & præfecti millium ac centuriones ad uſum belli. Phylarchi, demorum & familiarum capita ab his differebant. Definitæ quoque erant chiliades ad regimen politicum, quibus præerant chiliarchi à militaribus diſtincti, qui etiam ſub ſe habebant centuriones. Nam omnium familiarum ſeu virorum gubernatio erat, non omnium militia: à qua multi eximebantur. Seniores erant oppidorum & vicorum id eſt cætuum conjunctim habitantium. Sic optimè compoſitum regnum Davidis erat regimine politico ad tuendam pacem & juſtitiam.

Arcam Domini] Ædes ſibi David ſtruxit magnificas in monte Sion. Hiram rex Tyri materiam (lignum cedrinum) & opifices ſubminiſtrabat. Nam Iſrael agro colendo quam opificio operam dabat, Tyrus eo genere hominum abundabat. Tum coacto concilio chiliarchorum, centurionum & principum, propoſuit de toto Iſaele congregando cum ſacerdotibus & Levitis ad arcam Domini è Cariathiarim deducendam in Sionis montem. Apud Ioſephum id perſuadet, quia neglectus ejus regnante Saul tot calamitatum cauſa

 fuiſſet.

fuisset. Id cum placeret, ita factum est, ut narratur 2. Sam. 6. & 1. Chronic. XIII. & XV. & XVI. In Samuelis loco dicitur, quod coëgerit omnem electum in Israel, את כל בחור בישראל/ ad numerum triginta millium. Putes fuisse tot millium numerum certi ordinis in quem adlegebantur, qui fortitudine, nobilitate aliisque rebus anteibant. Ordinem malim fuisse, quam delectum, quia non dicitur elegisse sed electum omnem congregasse. Universus hic populus cum Davide profectus est (מבעלי יהודה) versus Baalim Iuda. Lxx. male ἀπὸ ἀρχόντων Ἰούδα. Lxx. בחור de juvenibus interpretantur, quos sequitur Josephus τοὺς ἐν ἀκμῇ τῆς ἡλικίας. Hinc Lxx. etiam pro 30000. substituunt 70000. E domo Abinadab elatam novoque plaustro impositam, quam ducebat Oza & Achitob filii Abinadab, præcedebat rex & tota multitudo, canentes hymnos (Ios. ᾄδοντες πᾶν εἶδος μέλους ἐπιχωρίου) saltabant ad musicorum instrumentorum pulsationem (Ios. σύν τε ἤχῳ ποικίλῳ κρουσμάτων καὶ ὀρχήσεων) Instrumenta illa ita in Samuelis libro recensentur בכל עצי בראשים ובכנורות ובנבלים ובתפים ובמנענעים ובצלצלים. Quod Lxx. reddiderunt: ἐν ὀργάνοις ἡρμοσμένοις ἐν ἰσχύϊ καὶ ἐν ᾠδαῖς καὶ ἐν κινύραις καὶ νάβλαις καὶ τυμπάνοις καὶ ἐν κυμβάλοις καὶ ἐν αὐλοῖς. Primam vocem Chaldæus reddit בכל אעי ברון. Kimchi dicit hanc vocem esse genus (כלל) quia omnia genera musicorum instrumentorum è ligno abjetum conficiebantur. Inde species recenseri. מנענעים chald. reddit רביעין. Kimchi: Est instrumentum (נגון) pulsatile, in quo pulsando homo movet totum corpus: aut in quo clavi (יתדות) moventur tempore pulsationis seu cantus. Sic illi conjectant è voce. Chaldæum רבעין exponit, quod fuerint tabellæ tenues, quæ pulsabantur. In verbis magistrorum b. m. inveniri (Cholim cap. 16.) רביעית של אליית/ (quadrangulum luctus) cujus expositio sit, quod sint tabellæ lugentium mulierum, quas pulsabant ad luctum. צלצלים cymbala. Kimchi: הם שני כלי נחשת שמקישין אותו זה בזה ומשמיעים קול *Sunt duo instrumenta ænea quæ collidebant inter se & edebant sonum*, Apulejus de Deo Socratis barbaram Minervam, strepitu cymbalistarum & tympanistarum & Choraularum gaudere, ut Ægyptiam plangoribus, Græcam choreis. In chronicis hymnis adduntur κινύραι, Nablia, tympana, מצלתים וחצצרות. Quæ Lxx. reddunt ἐν κυμβάλοις καὶ ἐν σάλπιγξι. Josephus κρούσμασι, ὀρχήσεσι καὶ ψαλμοῖς addit σάλπιγγας καὶ κύμβαλα. Ita pulsatilia fidibus, cymbala & tubæ conjuncta fuere cantui vocis & saltationi. Cum pervenissent ad aream Nachonis (in Chronicis Chidon appellatur) calamitas lætitiam turbavit. Kimchi putat istum hominem prius Nachon, ex hoc casu Chidon dici cæpisse, מן יראו עיני כידו. Magistri dicunt prius Chidon inde Nachonem dictum esse, postquam ex ædibus Obededom arca esset educta. Alii volunt alterum esse nomen appellativum. Oza manu extensa apprehendit arcam, quia boves lapsabant. Jos. τῶν βοῶν γὰρ ἐπινευσάντων τὴν κιβωτόν. Heb. כי שמטו הבקר: Lxx. ὅτι περιέσπασεν αὐτὴν ὁ μόσχος, quasi esset שמטו. R. Salomo addit affixum שמטוהו. Deus eum percussit. Unde loco nomen פרץ עזה/ διακοπὴ ὀζᾶ. Ita habent Josephus & Lxx. Josephus scribit suo adhuc tempore ita vocitatum fuisse. Ea calamitate David perculsus arcam intulit in domum Obededom: εἰς τι χωρίον ἀνδρὸς δικαίου, ὠβαδάμου ὄνομα, λευίτου τὸ γένος. Timuit enim intra urbem recipere. Lxx. eum virum appellant Ἀβεδδαρά. In ædibus Obededomi Getthæi mansit tribus mensibus: à quo tempore eum Deus fortunabat evidenti modo. Interim David, cum ædes sibi struxisset, locum parat. Intellexerat enim benedictionem Dei in Obed-edom: Jos. ἀκούσας δὲ ὁ βασιλεὺς ὅτι ταῦτα συμβέβηκεν Ὠβαδάμῳ ὡς ἐκ πενίας καὶ ταπεινότητος ἀθρόως εὐδαίμονα καὶ ζηλωτὸν παρὰ πᾶσι τοῖς ὁρῶσι καὶ πυνθανομένοις τὴν οἰκίαν αὐτοῦ, θαρσήσας ὡς οὐδενὸς κακοῦ πειρασόμενος.

Quasi

Quasi David arcæ illationem calamitatis causam fore timuisset. Tentorium arcæ inferendæ statuit. Universum Israel congregavit in urbem Jerusalem, ut arcam eo adducerent. Coegit etiam filios Aaron & Levitas.

1. Inter filios Merari, Ahaia fuit princeps, cujus fratres 129.
2. Inter filios Gersomi, Joel princeps, cujus fratres 130.
3. Inter filios Elisaphan Samaia princeps; cujus fratres 200.
4. Inter filios Hebron Eliel princeps; cujus fratres 80.
5. Inter filios Uziel Aminadab; cujus fratres 112.

Hos quinque convocavit cum duobus pontificibus Sadoc & Abiathar. Dixitque illis: Vos patriarchæ Levitarum (ראשי אבות ללוים) sanctificate vosmetipsos & fratres vestros, ut portetis arcam Domini ad locum, quem ipsi destinavi. Nam antea cum non vos (sc. aderatis qui scitis quid debeat fieri: & monuissetis de aberratione) amputationem fecit Dominus Deus noster in nobis: quia eum rite non quæsivimus (כמשפט) Causam percussionis Ozæ definit. Kimchi: *Ut scriptum* in lege Mosis, ad portandam eam in humeris vectibus. Sanctificarunt se sacerdotes & Levitæ ad portandum arcam Domini Dei Israel. Et sustulerunt filii Levitarum super se arcam Dei, quemadmodum præceperat, secudum verbum Domini, in humeris suis vectibus. Erratum igitur, quod plaustro imposuissent. Josephus sacerdotes portasse arcam, anteà non portatam esse, sed & Ozam ideo punitum, quod cum non esset sacerdos, tetigisset arcam. *ἐκτείναντα τὴν χεῖρα καὶ κατασχεῖν θελήσαντα, ὅτι μὴ ὢν ἱερεὺς ἥψατο ταύτης, ἀποθανεῖν ἐποίησε.* Rursum: *τῶν ἱερέων βασταζόντων αὐτήν.* Falsum est id postremum verum primum. Nam non licuit ulli mortalium arcam inspicere aut attingere nisi sacerdoti: rursus arcam non gestabant sacerdotes (nisi extra ordinem) sed Levitæ Caathi posteri. Debebant sacerdotes arcam involvere antequam eam gestarent Levitæ. Vide Exod. xxv. 14. Num. iv. 15. & vii. 9. Hieronymus in tradit. Hebraic. *Iusserat Abinadab duobus filiis, ut portarent arcam Domini humeris suis. Et quia neque ipsi eam portaverunt neque Caathitis ad portandum dederunt, idcircò Oza multatus est morte. Fuit enim peccatum in non portando in sustinendo arcam jam pœna peccati.* Existimat tantum peccatum esse, quia plaustro imposuerant, non gestabant. Sic paulò post: *Ignorabat David ob quam causam indignatio Dei venisset in Ozam. Postquam vero cognovit causam, pro qua Oza percussus est, jussit eam portari in humeris.* Cajetanus: *Sed distulit Deus punitionem, usque ad sensibilem effectum peccati, quando scilicet arca inclinari cœpit & adire periculum cadendi in terram, ob quod vitandum: sicut & ad majorem ejus honorem humeris portari voluerat.* Theodoretus qu. 19. in 2. Reg. causam puniti Ozæ non esse temeritatem disputat. *Τινὲς μὲν προπετείας αὐτὸν δοῦναι δίκας εἶπον, ὡς ἐπιμανῶς προσενεχθέντα τῇ κιβωτῷ, ἢ παντὸς τοῦ λαοῦ, προσπηδήσαντα, τῆς ἱερᾶς ἐπικουρίας οὐκ ἐχρῆζε.* Non fuisse temeritatem quia *κλιθείσης τῆς ἁμάξης ἰσχυρῶς προσορέξαι τὴν χεῖρα.* Alterius delicti dedisse pœnam, quia non humeris sed plaustro imposuerant arcam. Deum enim præcepisse, ut sacerdotes eam humeris ferrent. Id patere è consequentibus & clarius è libro Paralipomenon. Causam illius delicti fuisse, quod scirent à Palæstinis arcam impositam & vectam fuisse plaustro. At illos nescivisse legem nec adfuisse sacerdotes. Errat in eo, quod legem sacerdotibus imposuisse dicat, ut portarent arcam, quia Levitis mandatum. Josephum redarguit, causam pœnæ statuentem, quod Oza, cum Levita non esset, arcam tetigisset. Disputat fuisse Levitam. Atqui Josephus non negat fuisse Levitam sed sacerdotem. Si autem peccatum Ozæ in eo, quod arcam plaustro imposuerit, cur ob commune delictum, unus punitur? Nempe magis deliquit, quod arcam attigerit. Id enim non sacerdotum Levitarum. Cæterum

imposita est ab omnibus Levitis plaustro, quare id etiam peccatum unius non fuit. Hic primam prævaricationem altera accumulavit. Cum monere debuisset periculum lapsus, uti humeris suis imponerent arcam è plaustro sublatam, ille voluit monenti Domino quasi reniti, ut in plaustro retineret manibus sustentando. Quo genere mortis igne an interna lue perierit, dicere non habemus. Ita periit, ut omnibus manifestum esset, ob hoc delictum puniri. Salianus putat hic quoque portatam fuisse arcam à sacerdotibus, ut per Jordanem Josue cap. 3. At expresse dicit v. 15. cap. 16. Paralip. quod filii Levitarum portaverint arcam; cum v. 14. sacerdotes & Levitæ distinguantur. Nam dicuntur se sanctificasse sacerdotes & Levitæ, ut arcam facerent ascendere. Scilicet portatio in vectibus (ut exprimitur) erat Levitarum, præesse negotio conveniebat sacerdotibus. Ita unusquisque sui officii satagebat.

Deductionis modus hic fuit. Davidis jussu principes Levitarum cantores constituerant cum instrumentis musicis: cum nabliis, cinyris & cymbalis: ut attollerent in altum vocem cum lætitia. Constituerunt igitur Hemanem filium Joëlis: & ex illius fratribus Asaph, filium Barachiæ. Deinde è filiis Merari Ethanem filium Cusææ. Hi primi ordinis: at secundi Zacharias, Ben-Iaaziel (legandum conjunctim) Semiramoth, Iehiel, Unni, Eliab, Banæas, Maaseias, Matthathius, Eliphele, Micneja, Obed-edom & Ieiel. Ex his duo ultimi erant janitores. Iejel postea vocatur Iehia. Erant hi Levitæ cantores sedecim numero omnes. Quatuor chori erant, Levitarum & sacerdotum:

I. Heman, Asaph & Ethan cymbalis æneis canebant.

II. Zacharias, Aziel, Semiramoth, Jehiel, Unni, Eliab, Maseia, Banæas. Hi nabliis canebant super Alamoth.

III. Matthathias, Eliphele, Micneja, Obed-edom, Jejel, Azarias cum cinyris super Seminith, ad tonum roborandum: Lxx, τ͂ ἐνισχῦσαι. Unus hic in tribus istis choris superest ultra numerum supra recensitum: illic igitur est Synecdoche. Chananias princeps Levitarum præerat elevationi. Nam peritus erat. Barachias & Elcana janitores erant.

IV. Quarto erat chorus sacerdotum. Sabanias, Josaphat, Nathanael, Zacharias, Banæas, Amasai, Eleazarus in eo erant, qui arcam præeuntes tubis canebant. Obed-edom (Lxx. Ἀβδεδόμ) & Jehia erant janitores.

Eo modo Scriptura in Chronicis Levitarum & sacerdotum ordinationem circa arcam deductam describit. Salianus: *Quæ autem fuerit hujus pompæ dispositio suspicari ex scriptura possumus, perspicuè explicare non possumus. Habemus autem uti dictum est, arcam portatam fuisse à quatuor sacerdotibus, neque plures videntur fuisse necessarii: sive quod via brevis esset, sive quod sexto quoque passu interquiescendum erat ad sacrificia. Ad latera aderant quaterni, qui dicuntur janitores arcæ, id est custodes, ut ait Lyranus, prospicientes ne quis temere ad arcam accederet & turbam summoventes; quorum Barachias & Elcana præcedebant, Obededom & Iehias sequebantur. Abulensis tamen ait eos ita dictos ab eo ministerio, quod ipsis postea in hac domo Domini demandatum est: vel quo in domo Obededomi functi fuerant. Eos autem, qui absolute dicuntur janitores, illo functos officio in tabernaculo, quod erat in Gabaone, etsi aliter Cajetanus. Arcam proximè præcedebant novem sacerdotes, duo sacerdotum principes, Abiathar pontifex & Sadoc, uterque cum vestibus omnique ornatu suo & septem alii clangentes tubis coram arca, quorum nomina habentur in textu. Erant autem hæ tubæ sacerdotales argenteæ, quarum erat usus in Iubileo, ut placet Abulensi: quo in numero fortè imitati sunt sacerdotes, qui ex Domini præscripto septenis tubis ad Iericho cecinerunt. Cum his autem videtur præcessisse arcam non exiguus numerus sacerdotum, sive ad canendas Dei laudes sive ad*

ad ſacrificandum: quanquam ad ſacrificandum fuiſſe videntur immixti Levitarum chori. Levitæ enim diſtributi erant in ſeptem choros, ut habetur in 2. Reg. 6. 12. (ſive 13.) Et erant cum David ſeptem chori & victima vituli. *Quæ verba contemnit Lyranus, quod in Hebræo non habeantur; & addita ſint, ut ait ab hominibus imperitis, ſed dicendum potius ab audacibus licentiæ expungi. Habentur enim in optimis quibusque editionibus ſeptuaginta, quos fas non eſt vocare imperitos: & in editione vulgata emendata, quibus conſentit Ioſephus &c. Quoniam vero ſcriptura non expreſſit, eſſentne omnes hi chori Levitarum; quidam putaverunt, unum fuiſſe ſacerdotum chorum, ſex autem Levitarum, quorum ſingulis præeſſent illi, qui paulo ante nominati ſunt principes. Alii eos aliter dividunt, ut eſt apud Abulenſem, quos ipſe non probat, nec tamen alibi ſatis explicat. Dicendum videtur, omnes Levitas diviſos fuiſſe in ordines duos. Nam ſecundum ordinem ſcriptura nominat cap 15 primi Paralip: prior ordo tribus choris, poſterior quatuor diſtinguebatur. Primo choro præerat Heman filius Ioel, qui habebat apud ſe Caathitas fratres ſuos. Secundo Aſaph filius Barachiæ, cui ſuberant Gerſonitæ. Tertio Ethan filius Cuſi ſive Cuſaiæ, qui præerat Meraritis. Erant autem omnes cantores* & cymbalis æreis concrepabant. *Et quoniam prior ordo videbatur honoratior poſteriore voluit David in priore aliquos de ſingulis Levitarum familiis reperiri, ne qua contingeret honoris aut præceſſionis cauſa, inter fratres Deo conſecratos æmulatio atque contentio. Hi ergo erant tres Levitarum chori in primo ordine, quem claudebat chorus ſacerdotum, ipſi arcæ immediatus. Sequebantur arcam quatuor Levitarum chori, ut ſeptem ſint chori Levitici; aut certe tres, ſi in hoc ſepteno numero etiam chorum ſacerdotum numerare placet; ſed eos aut perſonis aut rebus diſtinguere ex ipſa Scriptura, aliove ſcriptore non poſſumus. Illa tantum quatuordecim numerat, reliquis omnibus Levitis præpoſitos: quos bipertitò diſtinguit: quorum octo in nabliis arcana ceciniſſe dicuntur, reliqui ſex in citharis, pro octava canebant epinicium. Et fortaſſis illi octo aut potius ſex, duobus illis arcæ janitoribus in alium locum prope arcam tranſlatis, cum ſuis duos efficiebant choros, illi vero ſex totidem. Canebant autem omnes, etiam, qui janitores appellantur, ut docet Abulenſis; Sive id nomen illis 14. conveniat, ſeu potius duobus poſtremis, Obededomo & Iehieli. Qui etiam docet eos, qui arcana dicuntur ceciniſſe, habuiſſe argumentum ſublimius & obſcurius ſuorum canticorum; puta de rebus futuris aut Divinis: cum alii res divinitus geſtas, ſacris hiſtoriis comprehenſas canerent: & victoriale carmen de hoſtibus à Deo ſubjugatis modularentur: quale eſt illud, quod à Moſe & Maria, reliquoque populo Hebræorum in Ægyptiorum ſubmerſione decantatum eſt.*

Ea verba de ſeptem choris, & victima vituli rejicit Lyranus, quia non extant in Hebræo nec in libris correctis. Appoſita eſſe dicit ab hominibus imperitis. Lxx. interpretes ita habent: Καὶ ἦσαν μετ' αὐτοῦ αἴροντες τὴν κιβωτὸν ἑπτὰ χοροὶ καὶ θῦμα μόσχος καὶ ἄρνες. Hic eſt v. 13. cap. 2. lib. 2. Sam. Joſephus etiam ſeptem choros inde accepit, quos dicit præceſſiſſe arcam. In Hebræo eſt ויהי כי צעדו נשאי ארון יהוה ששה צעדים ויזבח שור ומריא. Vulgatus Græcum & Hebræum commiſcuit. Ad ſex paſſuum progreſſum ſacrificabant bovem & arietem. Male in Latino additur *ovem*.

David ipſe accinctus Ephod lineo, ſaltitabat omni vi coram arca Domini. In Chronicis dicitur David prætereà indutus fuiſſe במעיל בוץ / (Lxx. *στολῇ βυσσίνῃ*) quo veſtium genere quoque amicti erant Levitæ arcam portantes, cantores & Chananias. Conſtat Davidem in proximo fuiſſe juxta arcam. Si conjecturæ locus eſſet, dicerem, ante arcam proximos fuiſſe ſacerdotes ſeptem. Atque illos anteceſſiſſe Davidem cum duobus Pontificibus. Ad dextram arcæ Heman, Ethan, Aſaph, qui ſe faciebant audiri cymbalis. Ad ſiniſtram Zacharias cum ſuis. Poſt arcam Matathias cum ſuis. Chananias cum moderaretur, pone ſequebatur. Janitores duo ante arcam Obededom & Je-

hia, qui ſimul canebant ante arcam ad latera; Barachias & Elcana poſt arcam ad latera. Illorum enim officium cuſtodire arcam. In Chronicis dicuntur ſeptem boves & ſeptem arietes mactati eſſe. Hunc locum cum ſupra laudato 2.Sam. 6. ita concilio ut שור ומריא collective & indefinitè accipiam: definiri autem numerum in chronicis. Senis igitur paſſibus ſepteni boves & arietes immolabantur. Circumfuſi erant ſeniores Iſrael & chiliarchi & univerſus numerus Levitarum & ſacerdotum reliquorum.

Lxx. confundunt מעיל בוץ cum Ephod. In 2. Sam. 6. 14. Ephod lineum appellant *στολὴν ἔξαλλον*. Eodem verſu tribuunt Davidi, quod pulſaverit in organis coram Domino: *καὶ Δαβὶδ ἀνεκρούετο ἐν ὀργάνοις ἡρμοσμένοις ἐνώπιον κυρίου* Heb. מכרכר בכל עז לפני יהוה. Vulgatus illa, è Græcis addidit ad veritatem textus: *Et David percutiebat in organis armigatis.*

Iterum de peccato & Clade Uzæ.

KImchi ad 2.Sam. cap.6.v.6.7. Ad וישלח עזה ſubjicit ידו Extendit manum, כי שמטו שמטו הבקר *verbum intranſitivum, ut* כשמטו הבקר. *q. d. rupta fuerunt membra eorum à ſanctitate arcæ, quia non erat conveniens ut portaretur in plauſtro, ut ſuſtinerent eam boves ſed in humeris Levitarum debuit portari. Secundum ſententiam Ionathan* שמטו *eſt verbum tranſitivum. Nam reddidit* ארי מרגוהי תוריא: *Senſu, Demiſerunt eam & deſcendere fecerunt. Chaldaica verſio* ꝯ (תרחה ידו) eſt ותתמריג ידיה. *Quamvis venerit arca ex agro Palæſtinorum in hoc modo* (בזה הענין) *& non impulſi ſint boves Palæſtini: neſciverunt conſuetudinem lationis arcæ, & ſcopus ejus* (כונו) *in portatione ejus quam poſſent optima* (במוטב אשר יכלו) *Nam acceperunt plauſtrum novum & juvencas, quibus jugum nondum erat impoſitum. Sed Iſraelitæ, qui erant ſcientes lationis arcæ. Q. S. in lege* (Num. 7. 9.) Et filiis Cahath non dedit, quia operatio ſanctitatis erat ſuper illis, quam portabant humero. *In hoc peccaverunt, ideo oſtendit ipſis Deus benedictus ſanctitatem arcæ duobus modis: in depreſſione boum & morte Vzæ. Et modum, quo errabat David in hac re ſcriptura exponit. Cogitabat, quod non eſſet peccatum, ſi portarent eam in plauſtro: quamvis ſcriptum:* In humero portabunt. *Dicebat enim: eo tempore in deſerto præcepit Deus. Nam, quia portabatur tabernaculum in plauſtris, præcepit portare arcam humeris, ut oſtenderet ſanctitatem arcæ majorem eſſe, ſanctitate tabernaculi. Sed in tempore, quo non erat illic tabernaculum, cogitabat, quod peccatum non eſſet, ſi portarent eam in plauſtro. Et prætereà, quia plauſtro venerat ex agro Palæſtinorum. Et in hoc erravit.* על השל *ob errorem: Chaldaice enim* שגגה *(error) vertitur* שלו. *Et ſecundum interpretationem Ionathanis* על ראישהל. *Et Vza erravit, quando apprehendit:* *quia non erat conceßum niſi Levitis, qui erant ſanctificati è reliquis filiis Iſrael. Et hoc quod dicit ſupra, quod Eleazar fratrem ejus ſanctificaverit ad cuſtodiendum arcam, ſignificat, ad cuſtodiendum domum, in qua erat arca* לכבד | לרבץ לפני הארון *ut ſcopis purgaret & conſpergeret ante arcam, non ut eſſet mittens manum ſuam in arcam aut eam deduceret de loco in locum. Quia non conveniebat niſi filiis Levi. Et ſecundum confeſſionem Davidis, hoc peccatum fuit: ut ſcriptum in Chronicis: Quia vos in principio non eratis*, percuſſit nos Dominus Deus noſter: quia non requiſivimus eum ſecundum modum debitum. *Et magiſtri noſtri b. m.* commentantur, quod *peccaverit Vza in apprehendendo arcam, quia cogitabat, quod caderet arca in terram, quia boves inclinaverant. Et ecce imminuit ſecundum cogitationem ſuam de ſanctitate arcæ, quod non poßet ſtare per ſe ſine portatore & dicunt ideò eſſe punitum Vzam. Dicebat Deus benedictus, portatores ſuos portabat, nonne multo magis ſeipſam? Expoſuimus illud in libro Ioſue.* Secundum magiſtros, non fuit Levita: quia Levitarum erat portare arcam, cur non licuiſſet inclinatam ſuſti-

ſuſtinere? Domum Obed-edomi Deus omni genere felicitatis cumulavit. Benedixit Deus Obededomo, & toti domui ejus] Id exponunt per Dras, quod domus notet uxorem ejus & octo nurus: quæ ſenos uno partu ediderunt. Hi ſunt ſexaginta duo, junctis octo filiis. At cap. 16. primi chronicorum v. 38. dicuntur ſexaginta octo fuiſſe ſub Obededomi ſocietate.

Quod paſſibus ſenis unum bovem David & unum arietem obtulerit: ſeptenos obtuliſſe Levitas. Ideò dici in uno loco ויזבח in altero ויזבחו. Senorum paſſuum hanc eſſe rationem, quod Oza tacta arca ſenis paſſibus progreſſus occubuerit. Ideò, cum eis benediceret Deus, ut non ita offenderent, gratitudinis victimas immolaſſe in ſeptimo paſſu. Dras, auxilium Dei quod memoratur in eo fuiſſe, quod arca ſeipſam portaverit. Q. D. *Cum ſuſtuliſſent arcam in humeros vectibus, non ſenſerunt* כאלו אין משא בכתפים / *quaſi nullum onus in humeris eſſet:* hinc ſciverunt, quod Deus ipſis opem ferret. Ita Magiſtri dicunt, quod paſſu quolibet (שור ומריא) obtulerint, at paſſibus ſenis ſeptem arietes. Quidam, quod ſenis paſſibus bovem & מריא ſed ſenis ordinibus ſenorum paſſuum ſeptenos boves & arietes. P. Martyr: *Petrus Comeſtor putat hoc factum eſſe* (nempe percuſſionem Uzæ) *quod Oza nocte ſuperiori rem habuiſſet cum uxore ſua. Sed ea cogitatio nimis inſipida & diluta eſt. Neque enim res uxoria ita fœda eſt, ut iſti eam fœdiſſimi adulteri videri volunt. Sed ſuſtinere voluit currum ne rueret! Fateor, ſed non debuit efficere ut in hanc neceſſitatem veniretur. Sunt enim quædam, quæ videri poſſunt recte facta, cum tamen reipſa proficiſcantur & manent à peccato. Sed bono id conſilio fecit Oza? non dubito. Sed videndum eſt non tantum quo conſilio, ſed etiam quo animo quidque fiat. Fuit etiam Oza fortaſſis vir bonus. Sed boni quoque peccant. Et judicium incipit à domo Dei &c. Oza percuſſus eſt, quod attigiſſet arcam Domini. Id enim ne Levitis quidem fas erat. Arcam enim tantum ab illis geſtari non contingi aut ſpectari oportuit. At Ozam Rabbini ne Levitam quidem fuiſſe putant. Admonent hic Papiſtæ ne ſacramenta indigne & temere contrectentur. Rectè. Sed cur ipſi idem non faciunt? Cur mutilant & lacerant ſacramenta Chriſti: aut ea alio modo adminiſtrant, quam ille inſtituit? Hoc certè eſt Ozæ temeritatem imitari. Quare caveant in tempore. Non ſemper ferent impunè. Valet hic locus contra* ἐθελοθρησκείας*, & voluntarios ac ſuperſtitioſos cultus? quibus certè Deus non placatur, ſed offenditur. Abuſus eſt hoc loco fœdiſſimè Papa contra Imperatorem, cum ille Interim ſuum evulgaſſet, & aliquid de negotio religionis in Germania conſtituiſſet. Id, ſcilicet, indigne atque impatienter tulit bonus Papa: exclamat, non oportuiſſe Cæſarem iſta tractare, & inter alia interminatur illi vindictam Ozæ. Quaſi verò pii Principes, Theodoſius, Arcadius, Honorius, Solomon, Ezechias, Ioſias, aliique multi, quos longum eſſet commemorare, non tractarint res Eccleſiaſticas. Auguſtinus hoc agit multis, contra Donatiſtas. Nam illi quoque moleſtè ferebant, controverſias ſuas deferri ad cognitionem civilis magiſtratus. Et citat locum illum è Pſalmis,* Reges, ut ſerviant Domino. *Servire autem inquit, Domino, non poſſunt aut magis aut melius, quam ſi juvent atque inſtaurent Eccleſiam Dei. Quomodo percuſſus fuerit Oza non apparet. Quidam putant fulmine. Hieronymus in Paralip. putat illi brachium atque humerum exaruiſſe: & illam fuiſſe Diviſionem Ozæ. Cum enim debuiſſet brachium & humerum ſubjicere arcæ Domini, idque facere neglexiſſet, Deum voluiſſe ſupplicium de illis partibus ſumere, quibus offenderat. Auguſtinus de Mirabilibus ſacræ ſcripturæ. lib. 2. cap. 12. putat ſubitò mortuum & ſuffocatum, ut ſolent, qui corripiuntur apoplexia.* Iterum: *Iſte caſus ita repentinus & acerbus multum fortaſſis detraxit de authoritate Davidis apud populum, quaſi videretur tanto hoſpite & iſta omnia cœpiſſet invito atque irato Deo &c.* Iterum: *Sed quæri poteſt, Cur non Achio etiam percuſſus fuerit, qui præibat currui? Reſponderi poteſt, quod Achio, cum Levita non eſſet, tamen manum admovit &c. Deinde Oza non potuit queri ſibi factam injuriam,*

etiamſi

etiamsi ejus fratri parceretur. Et Deus abuti voluit ejus morte ad constituendam disciplinam in populo suo. Hieronymus: Si tamen ille est author traditionum in Paralipomena, ait: Abinadabum patrem mandasse Ozæ, arcam gestaret in humeris: illumque quod patris mandatum contemneret percussum fuisse à Domino. Sed hoc non constat, neque ex sacris literis, neque quod quidem ego legerim, ex quoquam Rabbinorum interpretum. Verum sic occurrit nobis & satis difficilis & non dissimulanda quæstio: Vtrum factum istud Davidis probari possit vel quod inceperit, vel quod ita subitò destiterit. Responderi potest, si David conscius fuerit voluntatis Dei & certo atque ex ejus verbo sciverit Deum velle deportari arcam in Sion, non debuit ullo pacto ab incepto desistere &c. At si David fuit incertus de consilio Dei, incidimus in aliud longè etiam absurdius: omnem videlicet hanc pompam & universum istum apparatum institutum fuisse sine fide &c. Vtrinque ergò laborat David. Nam si nesciebat voluntatem Dei, non debuit incipere. Si certò sciebat, non debuit desistere. Sed certum est ex historia, Davidem isto casu graviter fuisse animo conturbatum. Et probabile est eum ita attonitum nonnihil deflexisse de via.

De Obededomo quæritur, cur Getthæus dicatur, cum fuerit è tribu Levi? Respondent ibi exulasse, & quidem cum Davide. Martyr: *Fieri potest ut ibi natus fuerit, cum pater in ea civitate exularet.* At Levita quomodo relinquere potuit munus & vocationem, ut exularet apud exteros? *Hic possumus respondere,* inquit idem, *cum Israelitæ parerent Palæstinis fieri posse, ut missus ea fuerit ab illis, vel ad jus dicendum vel cognoscendas controversias vel ad aliud aliquid publici muneris obeundum. Potest etiam fieri, ut cum omnis religio deserta pene fuisset sub Saul & tot sacerdotes essent interfecti, iste saluti suæ consulere voluerit exilio.* Notabis in Abdedamo Deum non esse ingratum hospitem. Christus apostolos suos emisit nudos, illis tamen nihil defuit. Bona externa etiam largiri, nisi ubi explorare vult & aliter putat conducere. Benedicit magistratibus & rebus-publ. quæ sedem præbent Euangelio & Ecclesiæ. Aut si non benedicat in hac mortali vita, cumulatius reponit in cælo. *Qui enim vos*, inquit, *recipit, me recipit.* Honorantes se honorat. Sic benedixit duabus viduis, quæ aluerunt Eliam & Elizæum. Labano bene fuit in ministerio Jacobi, Ægypto toti bene consultum hospitio Iosephi. *Civitates Germaniæ*, inquit Martyr, *postquam voluerunt locum esse apud se exulibus Christi, omnibus fortunis & copiis magis abundant & florent quam anteà: etsi semper fuerint florentissimæ.* Iterum de pompa deductionis arcæ & organorum musicorum usu idem: *Videtur Musica maxime facta esse ad humanum ingenium. Homines enim in magna lætitia non possunt sibi temperare, quin rideant, gestiant, exultent, cantent & saltent: ut contra in mærore tacent, sedent & dejiciunt animos. Exultat David, quod putet sibi magno honori futurum, quod possit habere Deum hospitem. Populus etiam una triumphat & gaudet, quod videat religionem restitutum iri in integrum. Deus quidem non capitur ipse aut juvatur cantibus: sed illo pacto hominum tarditati atque ignaviæ consuli voluit. Ita enim effunditur & declaratur animi lætitia. Nec animi ipsi satis sæpe excitantur ad pietatem nisi hisce artibus impellantur. Homines etiam illarum regionum, ut sunt animis ardentioribus, quam nos, qui habitamus ad septentrionem, In musicis instrumentis magis quam nos & vehementius capiuntur. Itaque hodie quoque Christiani, qui sunt in Syria & in oriente, in resurrectione Domini, conveniunt inter se cum lyris & sistris & illum diem non tantum cantu sed etiam saltatione concelebrant. Ecclesias orientis statim à temporibus Apostolorum in sacro usu habuisse Musicam, apparet ex epistola Plinii ad Trajanum. Occidentales Ecclesiæ eam non receperunt in templa ante Ambrosium. Nam cum imperator peteret basilicam à Christianis, quam traderet Arianis & Christiani omnes maximo numero confluerent in illud templum & ibi die noctuque hærerent nec vellent abire, Ambrosius instituit Musicam, ut aliqua suavitate mæstitiam suorum consolaretur.*

De

De ſaltatione Davidis notandum primò quod idem Martyr annotat: Exultabat quidem mirifice & in ſummam lætitiam effundebatur, timebat tamen interim nequid à quoquam negligentius ageretur. Exemplum enim Ozæ ipſi & Levitis ob oculos verſabatur. Exultim & effuſe ſaltabat: Sic ſancti nonnunquam cœleſti lætitia pleni geſtiunt & vix ſe ſuumque corpus habent in poteſtate. Infans Johannes in utero quaſi applaudit Domino advenienti: Elias poſt impetratam pluviam correptus à ſpiritu Dei, procurrit ſaliens ante currum. Hæc ille: An autem iſta ſaltatio ad modulos muſicos expreſſa fuerit, non exprimitur. Lucianus in libello περὶ ὀρχήσεως notat in Delo inſula nunquam ſacrificatum ſine ſaltatione & Muſica. Ἐν Δήλῳ δέ γε οὐδὲ αἱ θυσίαι ἄνευ ὀρχήσεως, ἀλλὰ σὺν ταύτῃ καὶ μετὰ μουσικῆς ἐγίνοντο. Παίδων χοροὶ συνελθόντες ἐν αὐλῷ καὶ κιθάρᾳ, οἱ μὲν ἐχόρευον, ὑπωρχοῦντο δὲ οἱ ἄριστοι προκριθέντες ἐξ αὐτῶν. Τὰ γοῦν τοῖς χοροῖς γραφόμενα τούτοις, ὑπορχήματα ἐκαλεῖτο, καὶ ἐμπέπλησο τῶν τοιούτων ἡ λύρα. *In Delo neque ſacrificia ſine ſaltatione ſed cum ea & cum Muſica fiebant. Puerorum chori coacti in tibia & cithara, alii choros ducebant, optimi autem, qui judicati eſſent ſubſaltabant, Illa igitur quæ his choris ſcribebantur, vocabantur* ὑπορχήματα, *quibus implebatur Lyra.* Myſteria antiqua quæ inſtituerant Orpheus & Muſæus aliique, qui optimè ſaltabant, conſtabant ſaltatione. Initiabantur enim ῥυθμῷ καὶ ὀρχήσει. Qui arcana enuntiabant dicebantur ἐξορχεῖσθαι. Saltatio artificioſa celebratur à Luciano; πῶς οὖν οὐ πανάρμονιόν τι χρῆμα ἡ ὄρχησις, θήγουσα μὲν τὴν ψυχὴν, ἀσκοῦσα δὲ καὶ τὸ σῶμα, τέρπουσα δὲ τοὺς ὁρῶντας, διδάσκουσα δὲ πολλὰ τῶν πάλαι ὑπ' αὐλοῖς καὶ κυμβάλοις καὶ μελῶν εὐρυθμίᾳ καὶ κηλήσει, διά τε ὀφθαλμῶν καὶ ἀκοῆς. Romanos etiam ſaltationes ſuis diis feciſſe notum eſt. P. Martyr pergit: *In templo Dei ab initio nec muſica adhibebatur nec ſaltatio. David quidem & Salomon inſtituerunt muſicam, & inſtrumenta multorum generum. De ſaltatione autem ſacra nihil memini me legiſſe. Nunc autem David in reducendâ arca Domini, ut teſtetur ſummam animi ſui lætitiam, ſaltat totis viribus. Plato de legibus & de Repub ait ſaltationem* ἐνόπλιον, *& Pyrrhicam, robuſtam, ſeveram, & militarem: aliam autem modeſtam, & compoſitam, quam appellat* ἐμμέλειαν. *Taceo enim Cordacem, & Sicinnim, & alia obſcœna genera ſaltationum. Credibile eſt Davidem noſtrum ſaltaſſe Pyrrhicam: ſacerdotes autem & ſenes, ſedatius & modeſtius ſaltaſſe* ἐμμέλειαν. *Nihil hic erat leve, aut nugatorium. Omnia iſta referebantur ad gloriam Dei. Si quis hic quærat, An deceat Principem virum ſaltare publicè? reſpondeo, ſi corripiatur eodem ſpiritu, quo David, ſatis decet. Aliàs autem debet uſitatâ ratione Deum colere. Neroni vitio data publica ſaltatio. Suetonius ait, Caligulam in theatrum veniſſe cum palla, & deſaltaſſe canticum, & abiiſſe: idque illi probro datum à populo. Nec injuria: neque enim ibi ſaltatio erat in uſu, neque ille ſaltavit ad gloriam Dei. Non puduit Davidem ſe conjicere in multitudinem, & quodammodo ſe gerere pro ſervo. Nam, etſi alioqui ſummus ſit honos regius, tamen in cultu Dei nihil eſt diſcriminis. Quamvis ergò eſſet rex, tamen non puduit eum hac abjectione teſtari, ſe eſſe ſervum Dei. Non ita ſe gerere ſolent noſtri Papæ. Nam illi, cum Deum illum ſuum circumferri velint in equo, ſequuntur ipſi non quidem pedites, ſed omnino cum regiâ pompa, & in equo multò majoris pretii, quam ipſe Deus. David, ut fortius ſaltaret, induit ſe ephodo lineo. Poſuit interim ornamenta regia, ut ſignificaret Deum eſſe verum Regem Iſraëlis. Carolus V. cum inauguraretur Bononiæ, primum indutus eſt veſte linea, quali Papiſtæ uti ſolent in ſuis ſacris: ut omnino videretur unus eſſe quiſpiam è numero ſacerdotum. Non autem eo conſilio David amiciri voluit ephodo lineo, ut videretur ſacerdos, ſed ut ſaltaret expeditius.*

De arcæ illatione in urbem & Sionem.

TOtus igitur Iſrael, eo quo narratum eſt, modo, arcam Dei cum cantu & tripudiis cumque tubarum & buccinarum clangoribus (בקול שופר ובחצצרות)

Lxx. priorem vocem relinquunt, ἐν φωνῇ σαλπίγγος καὶ ἐν σάλπιγξι) atque omni significatione lætitiæ intra mœnia urbis intulere. Hinc qua via tendebat, in arcem & locum destinatum progrediuntur. Sine dubio magna populi caterva omnis ætatis comitata est, at mulieres (domi contineri solitæ ne in virorum turba conspicerentur) spectabant è tectis & fenestris. Michal, Saul filia prospectans è fenestra, cum arca civitati Davidis propinquaret eamque intraret, videt maritum saltantem ludentemque. Id cum indignum putaret regis majestati & fastigio, superba mulier, maritum in animo suo sprevit.

David arcam collocat in tabernaculo, quod ipse struxerat: Vetus tabernaculum erat Gabaone, quare id non attulerit causam dicere non possum. Arca suo loco reposita oblata sunt holocausta & pacifica (עלות ושלמים / ὁλοκαυτώματα καὶ σωτηρίου) Rabbi David Kimchi: *Aulæum tetendit ei superne, quamvis in domo Abinadab & Obededom fuerit in domo contignata. Quemadmodum effertur de illis vox domus, non tentorium. Quia statio ejus in illis non fuit nisi (דרך עראי) contingenter, sed nunc cum adduxisset eam David intra Ierusalem & scirent quod illic habitatura esset in seculum. Nam fuit cabbala in manu eorum, quod Ierusalem esset civitas sancta & illic ædificanda esset domus sanctuarii: quamvis non scirent in quo loco urbis, donec David struxit aram ex ore vatis Gad in area Areunæ Iebusæi: descenditque illic ignis è cælo. Tunc novit David, quod illic ædificanda esset domus sanctuarii. Sed usque ad ipsum tempus noluit eam introducere in domum contignatam sed sub aulæo, ut fuerat sanctuarium. Nunc etiam cum esset tentorium conventus in Gabaon: & (המשכן) & arca & duæ tabulæ & omnia vasa sacra sub aulæo erant. Introduxit ipse arcam hanc, in qua fragmina tabularum sic etiam sub aulæo: aut hæc est arca in qua fuerunt tabulæ integræ. Et hoc verum est, quemadmodum exposuimus supra in bello Palæstinorum, quo capta est arca. Hæc arca est, quam introduxit in domum seculorum intra oraculum. Si ita: Hæc est in qua fuerunt tabulæ integræ, aut integræ & fractæ secundum sententiam ejus, qui dixit tabulas & fragmina tabularum reposita in arca esse. At cur non adduxit David arcam in Gabaonem, ubi erat tentorium conventus? Quia sciebat futurum, ut arca veniret in Ierusalem & cogitabat, quod in diebus suis id esset eventurum & ipse structurus domum sanctuarii. Ideo cum introduxisset arcam in Ierusalem, quæsivit è Nathane propheta, an ædificaturus esset domum Domino. Nathan autem dixit ipsi quicquid est in corde tuo fac. Loquebatur id ipsi è corde suo Nathan non per prophetiam, quia cogitabat in corde suo sicut David, quod ipse ædificaturus esset domum.*

Sacris peractis benedicit David populo in nomine Domini exercituum. His rebus confectis ex sententia benedixit hoc est bene precatus est populo: postquam jam excepisset populum epulo magnifico. Qua orationis formula usus sit non exprimitur. Martyr: *Non credo illum usurpasse illa verba, quæ sunt scripta in Numeris* Benedicat tibi Deus &c. *Hæc enim verba erant propriè attributa Pontifici. Benedixit quidem David populo sed suo modo. Solomon quoque cum consecrasset templum stans benè precatus est populo. Conjunctæ erant functiones regis & pontificis: itaque mirum non est, si multa illis fuerint inter se communia. Vterque benedixit populo: utrique enim salus & incolumitas populi debuit esse curæ. Pontifices docebant & admonebant populum: reges etiam pro suo officio & potestate ἀρχιτεκτονικῇ & admonebant interdum & docebant, ut David, Salomon, Ezechias, Iosaphat, Iosias & alii.* Dionysius Carthusianus: *Imprecando subditis suis prosperitatem, gratiam & virtutes: quod facere potuit ut rex: cujus est pro bono communi solicitare ac deprecari: sacerdotibus verò, præsertim pontifici, competebat ex proprio officio spiritali authoritate benedicere populo ut habetur Numer 6.* Salianus; *sed nec Pontificem Abjatharem isti muneri, tam solenni die, tantaque occasione defuisse credendum est; præsertim cum solennis in lege præscripta esset benedictio, qua is populum prosequi debebat.* Distribuit populo viris & mulieribus

לאיש

לאיש viritim ut in Hebræo est. Maximam multitudinem confluxisse præter seniores principesque constat. Singulis distribuit ככר לחם ואפשר ואשישה. Ut habetur in Chronicis. Id Lxx. reddiderunt: ἄρτον ἕνα ἀρτοκοπικὸν καὶ ἀμορίτην. 2. Sam. 6. חלת לחם אחת ואפשר אחד ואשישה אחת: ubi Lxx: κολλυρίδα ἄρτου καὶ ἐσχαρίτην καὶ λάγανον ἀπὸ τηγάνου. Chaldæus hic vertit: גרצתא דלחם חדא גרצתא ופלוג חד ומנתא חדא / נרצתא notat placentam crassiorem, quam κολλυρίδα vocant Græci. Josephus: Καὶ τὸν ὄχλον ἱστιᾷ πάντα καὶ γυναιξὶ καὶ ἀνδράσι καὶ νηπίοις διαδοὺς κολλυρίδα ἄρτου καὶ ἐσχαρίτην καὶ λάγανον τηγανιστὸν καὶ μερίδα θύματος. Vides eum expressisse τοὺς ὁ. Kimchi: חלת לחם in Chronicis ככר לחם Est autem ככר חלה *majus. Nam* ככרות *fuerunt, sed factæ in dispositionem* (speciem) הלות. ואפשר אחד] חלת (tortam) *unam carnis, ut mos erat distribuere boves aut oves, in partes notas. Et dedit unicuique tortam panis & partem carnis &* אשישה *unam plenam vini. Sic exposuerunt doctores nostri b. m.* אשישה *per* גרבא דחמרא. *Sed* אפשר *exponunt quod sit vox composita è tribus nominibus & dicunt* אחד מששה בפר (id est unam de senis in juvenco) *q. d quod in juvenco sex fecerint partes, & unicuique unam dederit, scilicet sextam partem. At Ionathan reddidit* פלג אחד *q. d. unam partem*; & אשישה vertit מנתא. Ralbag: *Et dedit unicuique partem speciosam ad edendum & bibendum. Ecce* אפשר אחד / *ejus sensus* (הרצון בו) *ut exposuerunt magistri b. m.* Unam è sex in juvenco. *At secundum sensum literalem videtur, quod fuerit pars egregia, consueta dari unicuique viro in conviviis magnis. Et sensus ejus è sensu* (Ps. 16. 7.) שפרה עלי: *&* א *addititium. Significat, quod pars hæc fuerit in perfectione speciositatis, secundum partes solitas dari viatoribus, qui ad eos veniebant.* Xenia igitur distribuit toti populo. Credibile est non dedisse mulieribus & pueris sigillatim sed viritim, ut est in textu לאיש: ut viri communicaverint suis uxoribus & liberis. Ipse autem rex (& populus) domum non abiit priusquam ministerium Dei circa arcam ordinasset. E Levitis constituit ministros, qui Dominum Deum Israelis celebrarent. Caput omnium erat Asaph, homo non solum in arte musica egregius sed & Charismate prophetico donatus. Secundus ejus (משנהו) erat Zacharias. (יעיאל) Jaiel, Semiramoth (יחיאל) Jahiel, Matthathias, Eliab, Banæas, Obededom & (יעיאל) Jaiel (duo ejusdem nominis fuerunt) in nabliis & cinnyris. At Asaph in cymbalis (משמיע) Banæas alter & Jahaziel erant sacerdotes, qui in tubis jugiter coram arca fœderis Dei. Eo die dabat Dauid psalmum, qui caneretur in laudem Dei per Asaph & fratres ipsius. Hic habetur 1. Chronic. 16. à v. 8. ad 36. Populus ultima verba excepit acclamatione Amen laudabatque Dominum.

Asaph igitur & fratres apud arcam sunt constituti, ut Deo servirent jugiter ante arcam, ut in quemque diem ordinatum erat. Obed-edom autem filius Idithun & Hoza janitores erant. Sadoc pontifex & fratres ejus sacerdotes ante tabernaculum Domini super excelsum, quod erat Gabaone: ut Domino jugiter holocausta immolarent, mane & vesperi, juxta legem. Ἐνδελεχισμὸς sacrificiorum Gabaone exercebatur. Illic, ut magistri volunt, majus excelsum erat, cum minus esset in Sione. Apud sacerdotes (qui agebant Gabaone circa tabernaculum nec quisquam in Sione sacerdotum erat nisi ad clangendum) erant Heman & Jeduthun cum nabliis & cymbalis (pro illis, qui se faciebant audiri) & cum instrumentis musicis Dei. Filii Jeduthun erant illic janitores. Ita populus dimissus ad sua rediit & David domum suam ad domestica negotia se recipit. Textus dicit rediisse ut benediceret domui suæ. Michal obviam progressa maritum excepit indigna objuratione. Si Josepho fides, præmisit faustam precationem. Τάτε ἄλλα αὐτῷ κατηύχετο καὶ παρὰ τοῦ θεοῦ γίνεσθαι ὅσα περ ἂν παράσχειν αὐτῷ δυνατὸν εὐμενοῦς τυγχάνοντι. Sed Lxx. & quædam antiquæ

 editio-

editiones apud Abulensem habent etiam vocem *ἀπλέγησεν*, *benedixit.* Martyr: *Alii putant eam cum per animi impotentiam tenere se non poßet, evolasse foras, ut cum marito expostularet. Reprehensio ea tribus capitibus constat: Primum, quod David non retinuisset dignitatem in illa tumultuaria saltatione: deinde, quod abjecißet ornamenta regia: postremò, quod nihil fuißet discriminis inter illum & quemvis è populo aut stultum. Erat alioquin Michal mulier non mala. Nam & impense amabat maritum &c. Hac tamen in re graviter peccat.* In verbis ejus, ut mihi videtur duplex reprehensionis argumentum. I. Quod se nimis abjecisset, nec pro dignitate. II. Quod etiam nudasset se coram oculis ancillarum suorum servorum, ut se discooperire solet unus è fatuis. Quidam per istas ancillas intelligunt concubinas Davidis: quod absonum. Ego puto posterius in priore includi. Non intelligi inhonestam denudationem, sed qualis exigebatur in saltatione, in qua non teguntur brachia & pedes. Martyr: *Neque facile id recipio quod quidam putant Michalem ista dixisse convitiosius in David, quasi ille volebat corpus suum, quod habebat pulcherrimum oculis mulierculatum ostentare.* Credibilius est illam nihil aliud in eo reprehendisse, quam quod oblitus majestatis suæ sese immiscuisset in turbam saltantium. Tostatus putat Davidem à Michole rectè reprehensum. *De David autem*, inquit, *sic erat quodammodo. Nam ipse apparuerat Levis in duobus: primò, quia saltabat & subsiliebat, quod ad pueriles ludos pertinet non ad graves mores. Secundò erat Levis, quia exutus regalibus insignibus, induit se tunica byssina. Vnde quodammodo rectè indignata est Michol redarguens eum.* Non potest excusari, quam ipse Sp. S. videtur incusare, narrans gravem illam apologiam Davidis. Coram Domino (inquit) (quasi diceret non coram ancillis) me abjeci. Qui elegit me potius quam patrem tuum & universam ejus domum, statuendo de me, ut essem dux super populum Domini, super Israël & Judam coram Domino. Humilius abjiciam me & ero depressus in oculis meis:& apud ancillas,de quibus locuta es glorificabor. Ita David refutat omnes partes accusationis, paulo commotior, ut apparet, idque Zelo gloriæ Dei. *Certe mulieri prudenti*, (inquit Martyr) *magis placere debuisset hæc dejectio, quam quævis pompa regia.* Gregorium magnum audiamus concionantem: (Gregor. moral. lib. 27. cap. 27.) *Intueri lubet, quanta virtutum munera David perceperat, atque in his omnibus, quam fortis se humilitate servabat. Quem enim non extolleret ora leonum frangere, ursorum brachia dissipare, despectis prioribus fratribus eligi, reprobato rege ad regni gubernacula ungi, timendum cunctis uno lapide Goliam sternere, à rege proposita exstinctis Allophylis numerosa præputia reportare, promissum tandem regnum percipere, cunctumque Israëliticum populum sine ulla contradictione possidere? Et tamen cum arcam Dei in Hierusalem revocat, quasi oblitus prælatum se omnibus, admixtus populis ante arcam saltat. Et quia coram arca saltare, ut creditur, vulgò mos fuerat: rex se in divino obsequio per saltum rotat. Ecce quem Dominus cunctis singulariter prætulit, sese sub Domino, & exæquando minimis & abjecta exhibendo contemnit. Non potestas regni ad memoriam reducitur, non subjectorum oculis certando vilescere metuit, non se honore prælatum cæteris, ante ejus arcam, qui honorem dederat, recognoscit. Coram Deo legit vilia vel extrema: ut illa ex humilitate solidaret, quæ coram hominibus gesserat fortia. Quid de ejus factis ab aliis sentiatur ignoro: ego David plus saltantem stupeo, quam pugnantem. Pugnando quippe hostes subdidit: saltando autem coram Domino semetipsum vicit. Quem Michal filia Saul adhuc ex tumore regii generis insana, cum humiliatum despiceret &c.* Michal prolem è David nullam habuit, ex Phalti habuisse scribit Josephus. Deus (ut creditur) hunc ejus tumorem puniit: sed & providit ne ex illa proles orta solium regni teneret. Theodoretus qu. 20. in 2. Rege Ἀλλ' οὐ μόνον διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν στεῖρα διέμεινεν ἀλλ' ὥστε μηδένα ἐξ ἐκείνης βασιλεῦσαι τοῦ ἀτιμασθέντος. εἰκὸς γὰρ ἦν

τὸν

τὸν λαὸν τ̃ ἑκατέρωθεν εὐγενείᾳ λάμποντα προτιμήσῃ τ̃ ἄλλων. Pineda putat Davidem posthac abstinuisse ab illa conjugale debitum, in ultionem illius objurgationis: quod meritò improbatur Saliano. Nullam prolem habuit, cum tanto tempore in conjugio Davidis viveret: nec cum esset conjuncta alteri viro.

De conjugibus & liberis Davidis in Jerusalem sumptis & procreatis.

HOc modo regnum iniit & stabiliit David. Cum autem videret Deum sibi firmasse solium, pluribus conjugibus & concubinis se consociat. Plures igitur liberi utriusque sexus illi posteà nati sunt: Undecim filii his nominibus recensentur in 2. libro. Samuelis:

		Lxx.	
1	שמוע	Σαμμύς.	leg. Σαμμοῦς.
2	שובב	Σωβάβ	
3	נתן	Ναθάν	
4	שלמה	Σαλωμών	
5	יבחר	Ἐβεάρ	In Chronicis adduntur duo
6	אלישוע	Ἐλισοῦε	נגה Ναγὲθ & אלפלט ἐλιφαλήθ.
7	נפג	Ναφὲκ	Pro decimo habetur בעלידע &c.
8	יפיע	Ἰεφιές	Lxx. in lib. 2. Samuelis (in Romana editione) addiderunt 13. nomina id est totum
9	אלישמע	Ἐλισαμά	locum è Chronicis & quidem corruptissimè.
10	אלידע	Ἐλιδαί	
11	אליפלט	Ἐλιφαλάθ	

Ut in Lxx. ita & apud Josephum corruptissima sunt nomina ista Josephus ait: Ἐποιήσατο δὲ καὶ παῖδας ἕνδεκα ἀριθμὸν, οὓς προσηγόρευσεν, Ἄμνας, Ἔμνας, Ἐβαννάθαν, Σολομῶν, Ἰεβὰρ, Ἐλιὲλ Φάλνα, Ἐνναφὴν, Ἰενάε, Ἐλιφαλέ. Apparet fuisse expressos è corrupta editione τ̃ ό. In versione Rufini ita exprimuntur, Amnon, Ellum, Eban, Nathan, Salomon, Jebar, Eliel, Falna, Emnephum, Inas, Elifal. Hic separantur Eban Nahan. Ita Rufini editio legit undecim natos, cum Græca decem recenseat. Undecimam vult intelligi Thamar. Ego puto duos esse dividendos ex Una voce. At quæ ratio, quod undecim recenseantur in lib. 2. Samuelis, tredecim in Chronicis? Putat Kimchi duos illos mortuos esse sine memoria sui. Tredecim recensentur 1. Chron. 3. 5. 6. 7. 8. & 14. v. 4. 5. 6. 7. In primo loco significatur, quod quatuor priores è Bathseba nati sint. Præterea quod omnes isti fuerint filii uxorum legitimarum, ita ut è concubinis nati non referantur. Sed quæ differentia inter concubinas & uxores. נשים ופילגשים. Audiamus Kimchi: *Dicunt magistri nostri b. m. concubinæ sine scriptura & sponsalibus; uxores cum scriptura & sponsalibus* (בכתובה וקדושין) *Et quamvis in hoc sit dissensio in Thalmud Hierosolymitano: ubi dicunt:* ואיזו היא אשה ואיזו היא פילגש *Quæ est uxor, quæ concubina? R. Meir dicit, uxor est cum scriptura; Concubina est sine scriptura. Sapientes dicunt, unus ita, alter aliter. Est ipsis Scriptura: sed uxori est Scriptura cum conditione scripta: concubinæ est scriptura sed non est conditio scripta. Quamvis ita sit tamen* (סתמא התלמוד) *mos Thalmud secundum R. Meir. Traditionem habuerunt magistri nostri f. m. quod David habuerit octodecim conjuges & legitimas & concubinas. Et commentantur, non multiplicaverit sibi supra octodecim mulieres: quod probant præter Cabbalam è scriptura* (2. Sam. 12. 8.) Et addidi tibi כהנה וכהנה. *At sex mulieres habebat & dicit* sic & sic, *quod est duodecim.*

Porro כהנה *| quæ ſunt 18. Et eſt neceſſe dicere, quod Egla ſit Michal & in comprehenſione illarum ſex, quas habuit in Hebron. Ecce invenimus, quod habuerit, ſex mulieres Hebrone antequam ingrederetur Hieroſolymam. Dicit autem ſcriptura:* Et accepit David amplius concubinas & uxores è Jeruſalem. *Et invenimus, cum fugeret propter Abſalon, quod reliquerit decem concubinas ad cuſtodiendum domum. Si ita eſt, tantum duas uxores accepit Hieroſolymis & decem concubinas. Vna autem illarum uxorum, quas Hieroſolymis accepit, fuit Beth-ſabe.* Joſephus ſcribit ex undecim illis filiis quos recenſuit novem è nobilibus & legitimis conjugibus (*ἐξ εὐγενίδων*) natos eſſe duos ultimos è concubinis. Quod neſcio unde habeat aut deducat.

II. Sam. VII. I. Chronic. XVII.

CUm David proſpere & in pace ageret, ædibus ſumptuoſe ſtructis, propoſuit ſibi Deo ædem condere. Id cum Nathani prophetæ proponeret, laudavit ille ejus propoſitum. Nam loquebatur extra prophetiam: Sic aliquando multa falſa probabiliora ſunt veris. Sed proxima nocte Deus ſignificat Nathani verbum, quod ad regem deferre debuit: Se non habitaſſe in æde ab eo tempore quo populum ſuum ex Ægypto eduxerat. Davidem ſe ex paſtore feciſſe regem & magnum illi donaſſe nomen, inter magnos terræ. Se populo ſuo ſtabilem manſionem firmaviſſe. Succeſſorem filium, qui poſt longam & feliciter actam ætatem ſolium illius habiturus eſſet, ædem conditurum eſſe. Ita ſe Davidis domum & regnum in ſeculum ſtabiliturum, Meſſiæ & ſpiritualis Iſrael figuram proponit. De qua re hic agendum non eſt. 1. Chron. 28. *y.* 3. ratio narratur, quare David non eſſet ſtructurus ædem, quia miles erat & plurimum ſanguinis effuderat. I. Reg. 5. 3. refert Salomon non potuiſſe Davidem, quia bellis hoſtium urgeretur. Rationem arbitror diverſam duobus illis locis contineri. Nam nec licuit viro militari nec potuit ob molem bellorum. Quamvis igitur ea tempeſtate in pace ageret, paulo poſt tamen bellis fuit implicitus. Silebant bella potius, quam ut fida pax eſſet. Joſephus putat unicam rationem eſſe nempe effuſionem ſanguinis. *Οὐκ ἐπιτρέπει δὲ πολλοὺς πολέμους ἠγωνισμένῳ καὶ φόνῳ τῶν ἐχθρῶν μεμιασμένῳ ποιῆσαι ναὸν αὐτῷ.* Rationum illarum iſta erat cerimonialis immunditiæ, altera neceſſitatis. Cui tamen & cerimoniam incluſam eſſe putamus, nempe figuram regni Chriſti in pace animorum poſiti. Joſephus, humanam virgam interpretatur de *νόσῳ καὶ γῆς ἀφορίᾳ*. Hic Nathan quis fuerit incertum. Non eſt Davidis filius, non eſt Jonathan nepos Davidis è fratre, inter heroas ſupra recenſitus: quamvis id Hebræi velint apud Hieronymum. David lætus iſta annuntiatione introiit manſitque ante faciem Domini, *πρὸς τὴν κιβωτὸν παραγίνεται, καὶ πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον, ἤρξατο προσκυνεῖν.* Gratias agit Deo de ſua evectione & tam familiari communicatione, de rebus futuris, tanquam cum amico homine. Qui ita evexiſſet populum ſuum, eumque in ſeculum firmaret, impleret verbum ſuum & benediceret domui ſervi ſui in ſeculum.

II. Sam. VIII. I. Chronic. XVIII.

POſt id David Palæſtinos cædit & ſubigit. Scribit Joſephus fiducia promiſſionis prædictæ bellum ſuſcepiſſe, ut Palæſtinis aliiſque hoſtibus devictis pacatum ſucceſſoribus regnum relinqueret. *Καὶ συγκαλέσας πάλιν τὴν ςρατιὰν καὶ παραγγείλας αὐτῇ πρὸς πόλεμον ἑτοίμην παρεσκευασμένην τυγχάνειν. Convocato iterum exercitu denuntiatoque illi ut ad bellum ſe pararent.* Inde cum videretur

deretur omnia parata esse, Hierosolymis in Palæstinos se intulisse. Quibus victis prælio magnam regionis partem ademerit quam Hebræorum partibus adjunxit. Quod potestati Palæstinorum extorsit, in Samuelis loco appellatur את מתג האמה Chald. ית תקון אמתא. In Chronicis, *Geth & vicos ejus.* Rasi ita putat appellatam Geth, quod regem haberet sola de quinque satrapiis Palæstinæ. Ita non legitur de rege in satrapia alia istarum quinque. Ideo erat מקל רודה *baculus* dominationis in omnes Palæsticos. Kimchi: *Forte fuit* (אמת המים) *fossa aquarum transiens in civitate. Disposuerunt eam ut veniret deforis urbis in urbem. Ideo appellata est civitas, frenum fossæ. Loco suo in Chronicis*, Gath cum filiabus suis è manu Palæstinorum. *Gath & filiæ suæ complexim vocabantur* מתג האמה. *Est autem Medras in Barajetha verborum Eliezer sect. 36. Cum venit Abimelech ad Isaac & dixit.* Videntes vidimus quod Dominus tecum sit: Fac nobiscum fœdus juramenti, quod semen tuum non sit occupaturum terram Palæstinorum. *Et feriit cum ipsis fœdus juramenti. Quid fecit Isaac? Excidit cubitum unum è freno asini, cui insidebat, quod ipsis dedit ut esset signum fœderis juramenti in manu eorum. Cumque David regnum obtinuisset, voluit ingredi terram Palæstinorum, sed non potuit præ facultate signi fœderis è juramento Isaac, donec accepit ab illis signum federis Q. D.* Et accepit David frenum cubiti è manu Palæstinorum. *Tunc occupavit terram Palæstinorum.* Hoc nugamentum est, Lxx. autem Καὶ ἔλαβε Δαυὶδ τὴν ἀφωρισμένην ἐκ χειρὸς τῶν ἀλλοφύλων. Hoc secutus est Josephus. Hieronymus: *Frenum tributi erant quinque civitates Palæstinorum. quæ frequenter Israel sibi tributarium faciebant, quas ab eis tulit David & humiliavit eos fecitque sibi tributarios.* Quod huc usque tributum pependerint Israelitæ non est verosimile. Crediderim potius ita subactos prioribus cladibus, ut id omittere coacti sint; nec passus fuerit David. Quæ causa belli hujus fuerit, sitne ultrò illatum à Davide an propulsatum scriptura non memorat. Metheg Amma dictus fuerit terræ tractus, in quo Gath ejusque villæ. Hoc vero est simillimum. Hugo Grotius claustra montis Ammæ, circa oppidum Geth interpretatur: secutus Fr. Junium. Hujus & sequentium bellorum tempus quoque definitum non est in Scriptura. Proximum bellum fuit cum Moabitis, ejus etiam causa in ignoto est. *Rabbinorum enim fabula de occisis Davidis parentibus apud prudentes non facile fidem inveniet. *Abulensis putat Hebræos semper habuisse causam belli in Ammonitas & Moabitas, quia hostiliter advenientibus ex Ægypto se opposuerant. At meritis excidium & excidio devotis bellum inferri non potuit nisi peculiari Dei jussu & occasione. Scriptura totum bellum hac descriptione includit: *Percussit Moab & dimensus est eos funiculo, procumbere faciendo eos in terram. Et dimensus est duobus funiculis ad occidendum & plenitudine funiculi ad conservandum. Et Moab fuit in servos ferentes munus.* Chaldæus: *Et percussit Moabitas: & dimensus est eos* (בערבא) *sorte projiciendo eos in terram: & dimensus est duobus funibus ad occidendum & plenitudine funiculi ad conservandum &c.* Lxx. Καὶ ἐπάταξε Δαυὶδ τὴν Μωὰβ καὶ διεμέτρησεν αὐτοὺς ἐν σχοινίοις, κοιμίσας αὐτοὺς ἐπὶ τὴν γῆν· καὶ ἐγένετο τὰ δύο σχοινίσματα τοῦ θανατῶσαι καὶ τὰ δύο σχοινίσματα ἐζώγρησε· καὶ ἐγένετο Μωὰβ τῷ Δαυὶδ εἰς δούλους φέροντας ξένια. Vulg. *Et percussit Moab & mensus est eos funiculo, coæquans terræ: mensus est autem duos funiculos, unum ad occidendum & unum ad vivificandum. Factusque est Moab David serviens sub tributo.* Vides variationem Græcæ & Latinæ versionis ab Hebræo & invicem. Hebræus dimensionem in tres partes factam esse dicit, Lxx. in quatuor, Vulgata in duas. Cum Hebræo consentit Josephus. Lxx. autem corrupti sunt, ut patet è Theodoreto: τριχῆ διελὼν καὶ τὰς μὲν δύο μοίρας κατέκτεινε τὴν δὲ μίαν ἐζώγρησε. At editiones Sixti, Aldi, (Basiliensis) Vecheliana

con-

consentiunt in illa corruptione. Hæc exemplaria Salianus pro emendatioribus habet, Regiam & Complutensem editiones improbat ut emendatas ad Hebræum. Beda hunc locum ita explicat: *Quod scriptum est de David*, Percussit Moab & mensus est eos funiculo coæquans terræ *hyperbola debet accipi. Non enim fieri poterat ut homines in terram viventes tantum humiliarentur, donec ipsius terræ dorso, funiculo superextenso comprobante apparerent æquales: sed immensam humiliationem captæ & oppressæ gentis voluit scriptura hoc verbo accumulare, ut diceret coæquatos eos terræ, qui sub eo essent evirati atque contempti: ita ut in nullo amplius homines in terra degentes, quam terra ea quæ nullos haberet homines, possent valere.* Alii coæquationem exponunt de arcium eversione. Quam expositionem non improbat Abulensis. Pergit Beda: *Quod autem* mensus eos funiculo *dixit, funiculum allegorice pro sorte posuit eo quod funiculo solent agrorum spatia metiri &c. Significat autem quod tam libera dispositione David regiones Moabitarum hæredibus, quibus vellet, divideret, quam si possessor qui libet agros proprios ducto hinc inde funiculo dirimeret. Mensus est autem duos funiculos, unum ad occidendum & unum ad vivificandum. Et hoc allegorice dictum, significans, quod in sua potestate habuerit, nullo utique contradicente, quos eorum occideret contumaces, quibus parceret subjectis.* Sic igitur Metaphorice locum explicant at non est facile recedendum à proprio verborum significatu, maximè in historica narratione. Josephus putat significari, quod pars tertia bello tantum superfuerit, cum duæ tertiæ furore belli interiissent. Ego exposuerim: post debellationem, qui in armis erant, victos & humi jacentes dimensum esse, non iniisse numerum, ut solebant metiri agros: duas tertias morti, unam vitæ adjudicasse. Grotius: Tres designavit partes terræ Moabiticæ: in quarum una tantum indigenas reliquit superstites, occisis cæteris'ne difficilis esset custodia. Sic negligitur hoc השכב אותם ארצה. Quod omnino designat homines funiculo dimensum esse, cum humi decumberent. Coæquans terræ male redditum est. Ad hoc bellum putant pertinere facinus Banææ: quem scriptura testatur duos leones in Moab percussisse. Quod Hieronymus interpretatur duos fortissimos Moab. *Quando enim* David, inquit, eosdem Moabitas bello aggressus est & fecit tres funiculos duos ad mortificandum & unum ad vivificandum, isti potentes Moabitas tuebantur. Communis sententia est Hebræorum & Latinorum de duobus fratribus Moabitis, ut fatetur Abulensis, qui tamen à sensu proprio hic non vult recedere. Vatablus arces duas fuisse vult, quas Banæas expugnaverit.

Hinc bellum cum Syriæ regibus gessit. Eorum unus fuit Hadadezer (הדד־עזר) alias appellatur Hadar-ezer. Hic filius Rohab rex erat Syriæ Sobæ (צובה) Josephus Σωφήνῃ vocat. Regem appellat Adrazarum filium Arachi: LXX. ὑιὸν ῥαάβ. Josephum emendo τὸν ῥαάβου. Benjaminus in itinerario, dicit urbi & regioni Haleb fuisse antiquitus nomen Aram Soba. Hic proficiscebatur, ut poneret manum suam in flumine Eufratis: id est, ut eousque terminos imperii sui restitueret. Nempe multis successibus elatus recuperare voluit, occupata à Davide, aut quæ possidebantur à tribu Manassis. Alii ad aliud bellum egressum esse putant versus Eufratem, ut eum terminum imperii sui constitueret. Davidis regnum omninò violavit, quo ejus in se iram & vim concitavit. Ingentem ejus belli & expeditionis apparatum fuisse oportet. Nam victo ademit David mille currus, septem millia equitum & viginti millia peditum. In Samuelis libro Hebræus textus habet mille septingentos equites. Belgica versio è Junio & Piscatore separat illud mille & refert ad currus, quam vocem vult subintelligi. Septingentos equites id est tot decurias. Sic etiam conferunt 2. Sam. 10. 17. cum 1. Paralip. 19. 18. LXX. utro-

utroque loco ita ut in Hebræo Chronicorum. Josephus *ἑπτακισχιλίους*, mendum pro *ἑπτάκις*. Josephus etiam dicit equites illos peditesque occisos esse, cum in Hebræo sit וילכד: quod Lxx. vertunt *προκατελάβετο*. Kimchi observat, non percussos dici sed captos, quia non occidit David, nisi quos belli furor aut conflictus abstulit, cæteros captos & redemptos esse. Locum Samuelis cum loco Chronicorum ita conciliat, ut in primo nulla mentio curruum fiat, equites autem 1700. fuisse principes. Dicit autem in loco Chronicorum numerum peditum non haberi, in quo hallucinatur. Quidam putant Davidem esse, de quo scriptura dicat, quod manum suam imponere voluerit ad Eufratem, id est præsidia immunire. Id cum Hadar-ezer ferendum sibi esse non putaret, armis certasse cum David & victum esse. Alii volunt auxilia prius tulisse & per nefas partem terræ occupasse de regno Davidis. Sed ea in incerto sunt. David de mille quadrigis tantum centum usui suo retinuit (id est equos quadringentos) cæteris enervatis. Nam in lege interdictum erat equos multiplicari. Suppetias veniebat Hadrazaro Syria Damasci. Eas quoque copias profligavit cæsis viginti duobus virorum millibus. Anne Syria hæc in parte regni Hadrazari fuerit an confœderatione non exprimitur. Posterius malim. David præsidiis militum partem Syriæ Damasci firmavit quia propior erat regni sui finibus. Syros igitur illos tributarios fecit. Ita prospere agebat David, quocunque se verteret. Aurea scuta servorum Hadrazari Hierosolymis intulit. Jos. *Καὶ τὰς τε χρυσᾶς φαρέτρας καὶ τὰς πανοπλίας ἃς οἱ τοῦ Ἀδάδου σωματοφύλακες ἐφόρουν, ἀνέθηκε τῷ θεῷ εἰς Ἱεροσόλυμα.* Adadum vocat, qui est Hadrazarus, de quo suo loco dicemus. In Hebræo שלטי הזהב. Posuit ea באוצר בית המקדש, *in ærario sanctuarii.*

Plurimum etiam æris abstulit ex oppidis Hadrazari, בטח וברתי. In Chronicis טבחת & כון. Unum est nomen aliter formatum בטח & טבחת, sed כון videtur alterius oppidi esse nomen. Josephus scribit *Βετταίαν καὶ Μάχωνα καλλίστας τοῦ Ἀδραζάρου πόλεων.* *Μάχων* fecit è מכון Lxx. habent in Samuelis loco *ἐκ τῆς Μετεβὰκ καὶ ἐκ τῶν ἐκλεκτῶν πόλεων τοῦ Ἀδρααζάρ.* In Chronicis, *Ἐκ τῆς Ματεβὲθ καὶ ἐκ τῶν ἐκλεκτῶν πόλεων τοῦ Ἀδρααζάρ.* In Rufini editione est, *Baathan & Machon.* Josephus prædicat id æris genus: *ὃν καὶ χρυσοῦ κρείττονα ἔλεγον.* Ex eo ære factum est in templo Salomonis ingens labrum, columnæ & vasa ænea. Jos. *καὶ τοὺς καλλίστους ἐκείνους λουτῆρας ὅτε τῷ θεῷ τὸν ναὸν κατεσκεύασεν.*

Thou (תועי seu תועו) rex Hemath. Josepho *ὁ τῆς Ἀμάθης βασιλεύς.* Aquila Hemath vertit *τὴν Ἐπιφάνειαν τῆς Συρίας* apud Epiphanium. Hic quia inimicitiam & bellum perpetuum habebat cum Hadrazaro (Josephus timore impulsum scribit) misso filio & muneribus gratulatus est Davidi. Munera erant vasa aurea, argentea, ænea: quæ David consecravit cum omni auro argentoque è gentibus & terris quas subegit: E Syria, Moab, Ammon, Palæstinis, Amalec cumque manubiis Hadrazari. Non tantum Joab prospere rem gessit sed & Abisæus frater ejus in Idumæa felicissimo successu bellavit. Nam cæcidit Idumæorum in valle salis octodecim millia. Iu loco Samuelis legitur את ארם in Chronicis את אדום. Lxx. utroque loco similiter legunt *ἐπάταξε τὴν Ἰδουμαίαν.* Conciliant interpretes à cæde Syrorum reverventi evenisse hanc victoriam adversus Idumæos in Samuelis loco; *Et fecit David nomen cum reverteretur à percussione Syriæ, in valle Salis octodecim millia:* subint. *cæcidit.* In Chronicis: *Et Abisai filius Saruiæ percussit Idumæam* (Idumæos) *in valle Salis octodecim millia.* Nempe post victoriam à Syris, cum copiæ in reditu essent, Abisæus missus adversus Idumæos nobilem victoriam obtinuit & Idumææ occupatæ præsidia imposuit. E loco 1. Reg. 10. v. 15. 16. 17. 18. 19. &c. acute efficiunt eruditi

 quod

quod Idumæi coojuratione facta, præsidia trucidaverint & secundum prælium fecerint. Cujus memoriam celebraverit David ps. 60. & 120. Inde Joab idumæam ingressus cum exercitu, altero prælio in eadem valle occidit 12000. Ps. 60. 2.) deinde sepultis, qui occubuerant totam regionem sex mensium spatio pervagatus, omnes masculini sexus occidit. Hic Hadad puerulus è regio sanguine, cum servis quibusdam patris sui elapsus in Ægyptum concessit. Idumæa præsidiis insessa paruit & tributaria fuit David. Nota in editione τῶν ό legitur γεβελὲμ quod (notante Hieronymo) factum è בגיא המלח. In Latinis codicibus multis invenitur 23. millia: quæ agnoscuut Lyranus, Abulensis, Comestor. Cum David sibi nomen comparasse hoc bello legatur, id Rabbini referunt ad humanitatem suos sepeliendi: alii dicunt ad primam victoriam id pertinere, in qua David trophæum ad memoriam rerum gestarum erexerit. Ingens igitur nomen tot victoriarum successus Davidi & Israelitis pepererunt. Domi felix Judæa erat tanto rege, qui non tantum belli gloria sed & justitiæ eminuit. Joab summus militiæ magister erat: à commentariis (ἐπὶ τῶν ὑπομνημάτων) Josaphat filius Achilud: Sadoc cum Achimelech pontifices, Saræas scriba. Jos. Saræam vocat σισαίν; quia Sansam vocant Chronica: Lxx. σαρὰ & σισά. Banæas filius Jojadæ præerat Crethæis & Plethæis, corporis regii custodibus. Sic aula regis composita erat: Filii autem regis dicuntur fuisse כהנים, quod in Chronicis est הראשנים ליד המלך. Lxx. in loco Samuelis: Καὶ βαναίας υἱὸς Ἰωδαὲ σύμβουλος· καὶ ὁ χελεθὶ καὶ ὁ φελεθὶ καὶ υἱοὶ Δαβὶδ αὐλάρχαι ἦσαν. In Chronicis καὶ βαναίας υἱὸς Ἰωδαὲ ἐπὶ τοῦ χερεθὶ καὶ ἐπὶ τοῦ φελεθὶ καὶ υἱοὶ Δαβὶδ οἱ πρῶτοι διάδοχοι τοῦ βασιλέως. Chaldæus in loco Samuelis רברבין. Josephus: Οἱ δὲ πρεσβύτεροι παῖδες αὐτοῦ περὶ τὸ σῶμα καὶ τὴν τούτου φυλακὴν ἦσαν. Leg. è Rufino οἱ δὲ υἱοὶ πρ. voluit Hebræum textum interpretari. Rabbini magnates & præfectos explicant. Ralbag dicit hanc causam fuisse malorum, quæ à filiis ipsius Amnon & Absalom posteà orta sunt, quod filios non habuerit adstrictius. אם היה משגיח מסר בניו לא קרה להם כן Quæritur etiam quomodo Achimelech dicatur Pontifex? Josephus pro eo substituit Abjathar. Forte Achimelech Sione Sadoc Gabaone sacerdotes fuere, sed duobus superior Abiathar verè summus fuit.

II. SAM. IX.

IN tanto rerum prosperarum fastigio fœderis & amicitiæ cum Jonathan recordatus est. Quidam igitur libertus domus Saul ad regem vocatur, quem interrogat: Essetne aliquis è domo Saul superstes, cui insignem posset benignitatem præstare. Innuebat autem de semine Jonathan. Respondet Siba, (id liberto nomen) superesse filium Saul, utroque pede captum: Eum esse in ædibus Machir (id altori nomen) filii Ammiel, in Lodabar (λαβαθὰ πόλει Josephus, Lxx. λοδάβαρ) Misit igitur rex, qui eum adducerent. Mephiboseth (Josepho Μεμφίβοσθος, in Rufini versione Mephiboseth) nomen erat isti filio Jonathan. Hic, cum ad regem intraret, prolapsus in faciem adorat. Rex eum bono animo jubet esse. Se enim benignitatem facturum illi, ob patrem Jonathanem. Redditurum illi omnes agros avi sui, regis Saul. Lxx. πάντα ἀγρὸν. Jos. τόν τε πατρῷον οἶκον καὶ πᾶσαν τὴν οὐσίαν ἣν ὁ πάππος αὐτοῦ Σαοῦλος ἐκτήσατο. Et assiduum mensæ suæ socium fore. Hic ille regem veneratus, quid, inquit, dominus meus rex canem mortuum, ut ego sum, respicit? Rex accito Siba, Quicquid, inquit, Saul habuit & universa ejus domus, dedi filio domini tui: tu villicatione suscepta operaberis cum filiis servisque tuis, reditum

tum heri tui filio afferes, ut ipsi victus sit. Mephiboseth autem mensæ meæ assiduus accubitor erit. Cui Siba omnia se ita facturum esse pollicitus est. Etiam quia Mephiboseth ad mensam David accumberet, filio regis similem habendum esse. Mephiboseth filium parvulum habebat, cui Micha nomen erat. Illi Siba cum filiis quindecim & viginti servis famulitium præstabant. Habitatum concessit Hierosolyma ut regiæ mensæ accumberet.

II. Sam. X. I. Chronic. XIX.

POst id tempus in fata concessit Nahas rex Ammonitarum, in cujus solium filius successit. Id cum David intellexisset, memor beneficiorum à patre acceptorum (Quæ illa fuerint non patet) misit, qui eum solarentur. Cum intra fines regni Ammonitarum legati advenissent, proceres adolescentem stimulant: Prætendi à Davide amicitiam, reipsa exploratores misisse. Hanun (Lxx. Ἄννων & Ἄναν appellant) juventa improvidus legatos, rasis ex media parte barbis & vestimentis ad nates abscissis, cum contumelia dimisit. Cum id illi sive literis sive nuntiis regi significassent, misit obviam, qui juberent Hierichunte subsistere, donec barbæ excrevissent. Viderunt Ammonitæ se fœtere apud Davidem. Jos. David eam rem indignissime tulit, ostendens se non neglecturum injuriam & contumeliam, τὴν ὕβριν τε καὶ τὸν προπηλακισμὸν) sed bello vindicaturum. Ammonitæ igitur Syros conducunt ad belli societatem ingenti pecunia (Heb. Chronicorum אלף ככר כסף Jos. & Lxx. χίλια τάλαντα) Syri quatuor generum fuerunt, è Beth-Rohob, è Soba, è Maacha & Tob. Bethrohob Josephus è Chronicis vocat Mesopotamiam. In 2.Sam. 10. ita Lxx: ἐμισθώσαντο τὴν Συρίαν Βαιθραὰμ, καὶ τὴν Συρίαν Σουβὰ (καὶ ῥοὼβ) (hoc superfluum) Μααχα vocant Ἀμαλὴκ, pro Tob habent ἰστώβ. In Chronicis recte Μααχὰ scribunt. Ἴστωβος est regionis nomen non regis ut videtur Josephus existimare. Rohob & Soba dederunt viginti millia peditum, rex Maacha mille viros; è Tob fuere duodecim millia. In Chronicis refertur, quod triginta duo millia curruum habuerint: prætereà regem Maacha cum populo suo. Lyranus ita conciliat ut currus dicantur, qui è curribus pugnabant, alias numerum curruum incredibilem facias. Putatque simul pedites sub isto numero comprehendi. Ita convenit, si non videatur expositio, grandia dicere, quæ concedi nequeant. Quomodo enim pedites sub curruum nomine continebuntur? Chronica dicunt conducta esse currus & equites, nulla mentione peditum. Fr. Junius interpungit locum Chronicorum: conduxerunt sibi triginta duo millia (scilicet peditum) currus (numero non definito) regem Maacha & populum suum. Id improbat Piscator. Ego judicium suspendo. Copiæ istæ ante Medebam in finibus Ammonitarum castra metantur. Joab cum copiis Israël eò profectus est. Ita se disposuerant hostes, ut Ammonitæ in acie starent ante portam urbis, sed reges cum copiis Syrorum in campo. Pugnandum igitur cum duobus exercitibus, quorum alter à fronte, alter à tergo. Ne igitur circumfunderetur ab illo, si pugnam capesseret cum isto (uterque exercitus numero militum & curruum par Israëlis copiis videtur fuisse) copias divisit. Partem fratri Abisæo dedit pugnaturo cum Ammonitis, electorum numerum sibi sumit adversus Syros. Mandat fratri si Syri prævaleant, ut sibi suppetias ferret, quemadmodum, si Ammonitæ superarent, se auxilium laturum ipsi. Animat militem: Fortiter pugnemus pro populo & urbibus Dei nostri: Dominus faciat quod ipsi sit complacitum. Eunt igitur animis obfirmatis ad mortem aut victoriam: nam res erat plena aleæ. Joab primus

Tttt 2 (uti

(uti videtur) in Syros sese intulit: quibus facili negotio fusis & in fugam conjectis, Ammonitæ etiam terga dant seque intra mœnia recipiunt. Joab quoque fugatis hostibus aut clausis intra mœnia, Hierosolyma, dimissis copiis redit. Hæc gesta fuerunt prima æstate belli Ammonitici. Josephus scribit τῆς σεφανᾶς τὸ ἀκμαιότατον cum Joab fuisse. Urbem gentis primariam fuisse, circa quam certatum est: quod non apparet. Nomen scribitur Ἀρμαθά, scribendum ῥαβαθὰ vel ῥαβαθάμμανα. Scribit etiam Syros primò fortiter restitisse, quod non apparet è Scriptura: attamen addit, quod Ammanitæ fugerint, Abisæi adventu non exspectato.

At Syri ut maculam cladium delerent, majoribus copiis adversus Davidem & pro Ammonitis rem gesturi, evocant Mesopotamenos, qui convenerunt in Hælam. LXX. in loco Samuelis: Συνήγαγε τὴν Συρίαν, τὴν ἐκ τοῦ πέραν τοῦ ποταμοῦ χαλαμάκ, καὶ παρεγένοντο εἰς Αἰλάμ. Hæc cum non caperet Josephus putavit Chalamam esse regis nomen: πρὸς χαλάμαν τὸν τοῦ πέραν Εὐφράτου Σύρων βασιλέα. Atqui è glossa irrepsit alterum vocabulum Αἰλάμ. Omnes illæ Syrorum terræ gentesque suberant Hadrazaro. Militiæ summum præfectum habuit virum impigrum Sobach. David audita ea re, toto Israel excito ad arma trajectoque Jordane in Hælam venit. Campus, ni fallor, patens fuit, in quo duæ acies concurrere potuerunt. Ipse rex prælio interesse aut in proximo esse voluit. Credo etiam in Idumæa & Syria superioribus bellis adfuisse. Commisso prælio, ingenti clade succubuerunt Syri, qui soli pugnasse videntur, cum Ammonitæ se suis finibus continerent. Cecidit etiam Sobach belli dux summus. Cæsa feruntur curruum septem millia, equitum quadraginta. Septingenti currus (seu curules equi Josephus ἱππέων) in loco Samuelis, ubi, ut suprà, decuriæ capiendæ sunt. Reges igitur illi Syrorum subjecti Hadrazaro, missis muneribus & legatis Davidi se subjiciunt. Tantum igitur potentiæ Hadrazari decessit. Ego vero miror, ubi vastum illud Assyriorum imperium, quod Ctesias constraxit, ea tempestate latuerit, nisi ad intermundia Epicuri abierit. Hadrazarus enim gentibus Transeufratensium imperabat. David illis jugum imposuit, tanto motu Asia contremuit, quasi suo loco moveretur, nullus tamen rex Nini aut Babylonis se commovet.

SUL-

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

Cap. LVIII.

QUa tempestate Bersaben quandam miræ feminam pulchritudinis stupro compertam habuit. Hæc viri cujusdam uxor, qui tum in castris erat, fuisse traditur. Hunc David iniquo pugnæ loco objectum hostibus interficiendum curavit. Ita mulierem in matrimonio viduam, sed jam ex stupro gravidam, numero uxorum aggregavit. Tum per Nathan Prophetam graviter increpitus, licet agnito errore, castigationem Domini non effugit. Namque filium ex furtivo illo concubitn editum, paucos post dies amisit, multaque in domum familiamque ejus execranda acciderunt, ad extremum Absalon filius ejus arma impia adversus patrem sustulit, regno eum depellere cupiens. Adversus hunc Ioab acie conflixit, admonitus à rege ut victo parceret. Sed ille spreto imperio parricidiales conatus ferro ultus est. Flebilis ea victoria fuisse regi traditur. Tanta in eo pietas erat, ut etiam parricidæ filio ignosci voluerit. Vix hoc bellum exiinctum videbatur, aliud rursum exortum, Sabea quodam duce, qui pessimum quemque ad arma incitaverat. Sed propere motus omnis morte ducis repressus. Crebra deinde adversus Allophylos David prælia secundo eventu habuit, cunctisque bello domitis, & tam exteris, quam domesticis motibus compressis, florentissimum regnum in pace habebat.

Drusius.

BERSABEN QUANDAM] secutus errorem Græcorum vocat Bersaben, quæ in Ebræis & Latinis codicibus Bethsabe dicitur: quem errorem libentius scribis imputaverim, quam interpretibus. Videtur natus ex affinitate litterarum ϑ & ϱ.

VIRI CUIUSDAM] Uriæ Hetthæi.

IN CASTRIS ERAT] ante Rabbath filiorum Ammon.

MULTAQUE IN DOMUM, &c.] Thamar, vi compressa; Ammon, qui eam compresserat, occisus à fratre Ahalomo. Quæ duo sunt execranda crimina, videlicet incestus & fraternum parricidium.

ABSALON] Mendum quale in Abiron. Veritas scripturæ Absalom,

cum M. in fine. Contrà peccatum in Madiam quod Ebræi scrbunt Madian cum N. in fine.

ARMA IMPIA] Verè impia. Nam pietas contra parentem arma ferre prohibet.

PARRICIDÆ FILIO] Parricidam appellat, quia patrem occidere conabatur, aut quia fratrem occiderat. Quamvis & pro eo usurpetur, qui nefas aliquod impium in patriæ perniciem fuerit machinatus.

ALIUD RURSUM EXORTUM] Sigonius legendum opinatur, *cum aliud rursum exortum*: quod non improbo.

SABÆA] Malim, *Sabea*, qui & Sabee in edit. Rom. id est, σαβεὶ. Editio Lat. vulgata, *Seba filius Bochri, vir Iemineus*, id est, Benjamita. In Ebræo שבע quod antiquitus Sabe legebatur, ut פרע: unde Photiphares.

PRÆLIA SECUNDO EVENTU HABUIT] sic cap. 41. *secundo eventu prælium fecit*: ubi tamen alii codices, *secundum eventu prælium fecit*. Vide quæ notavimus ad illum locum.

SCHOTANUS.

II. SAM. XI.

BERSABEN] Bethsabe filia (אליעם) Eiam, uxor Uriæ Hetthæi. In hac femina David gravissimè lapsus, provocavit Dei iram, quæ domum illius gravissimis calamitatibus afflixit. Hostium victor, à libidine superatus felicitatem suam inquinavit. Occasio hæc erat: Redeunte tempore veris, quo reges ad bella prodeunt, Joab, cum suis servis & toto Israel misit in Ammonitas: qui rebus prospere succedentibus, profligatis hostibus, captis oppidis, pervastata regone, ipsam regiam obsidebant. David Hierosolymis desidebat. Sub vesperam David, cum surrexisset è cubili meridiationis (δείλης ὀψίας Josephus) in tectum ascendit. Illic (Jos. ἀπὸ τῆς στέγης τῶν βασιλείων, ἐν ᾗ περιεπάτει κατ᾽ ἐκεῖνο τῆς ὥρας ἔθος; Lxx. ἐπὶ τοῦ δώματος) cum inambularet, videt mulierem se lavantem (Jos. λουομένην ἐν τῇ αὐτῆς οἰκίᾳ ψυχρῷ ὕδατι *Lavantem se in suis ædibus aqua frigida*) Illius insigni specie captus, inquirit & vocat ad se missis nuntiis. Miscetur cum ea, quæ recens purgata facilius concipit. Inde domum dimissa, cognoscere se gravidam esse. Quod cum significasset regi, ille, ut crimen tegeret, scripsit Joabo, ut Uriam Hetthæum ad se remitteret. Ingressum ad se amicissimè excipit, interrogans de statu, Joab, populi & belli. Inde domum se recipere jubet pedes lavare seque curare. Et abeuntem sequitur portio de mensa regia. Lxx: ὀπίσω αὐτοῦ ἄρσις τοῦ βασιλέως. Jos. βασιλικὰς ἐκ τοῦ δείπνου μερίδας προσδίδωσιν αὐτῷ καὶ κελεύει πρὸς τὴν γυναῖκα ἀπελθόντα ἀναπαύσασθαι σὺν αὐτῇ. Idem scribit eo impensius regem molitum esse, ut maritum uxori misceret, quia adulteræ pœna mortis per legem posita erat. At Urias cubuit per noctem apud fores regiæ cum servis domini sui nec concessit domum. Cum id cognovisset rex Uriam rogat, quid cum tanto tempore abfuisset ab ædibus & uxore, eam non adiisset? Hic respondet, parum convenire, ut arca Domini foris versante, commilitonibus, toto Israel & Juda in castris agente cum Joab sub tentoriis & humi cubantibus ipse domi suæ cibum caperet & voluptates cum uxore. Ut viveret anima regis se id non facturum. Hæc locutum subsistere jubet in crastinum, ut ad Joab remitteretur. Substitit igitur in urbe & eo die. Sub vesperam cænæ adhibitum liberaliter excipit, madentem vix dimittit. Jos. Καὶ μέχρι μέθης προελθὼν ἐν τῷ πότῳ, διεξιμένου αὐτὸν

τοῦ βα-

τ̃ βασιλέως οἰκετῶν τ̃ παρόντων. Etiam sic ad uxorem non concessit, sed pernoctavit præ foribus regis. Altero mane epistolam dat Uriæ deferendam at Joab. In qua scriptum Uriam locandum esse, ubi fervidissimum bellum, adversus periculorum maxima: & subtractis adstantibus deserendum, ut circumfusus ab hostibus interiret. Salianus: *Intellexit Ioab Vriam aliquo scelere admisso contra regem, mortem esse commeritum; velle tamen regem in eum ita animadvertere, ut simul ejus honori parceretur. Non potuit tamen deseri à sociis in prælio, quin illi quoque de regis voluntate admonerentur sicque innocentissimus Vrias infamabatur.* His literis scriptis & regio sigillo obsignatis oneratur Urias. Comicus:

Aha Bellerophontem tuus me fecit filius,
Egomet tabellas detuli ut vincirer.

Joab, intellecta regis voluntate rem exsecutus est: In oppugnatione urbis obsessæ, posuit Uriam, ubi sciebat viros fortissimos. Illis erumpentibus desertus Urias, fortiter pugnans occubuit. Cum ipso & alii ceciderunt. Ad murum hostibus objecit Uriam, ut indicat in literis, quas ad regem rescripsit. Josephus totam rem pingit coloribus: Uriam in loco positum, ubi fortissimos hostium Joab opponi sciebat. Cum lectissimis militum eo in loco statuisse. Pollicitum se affore cum totis copiis: Si possent perrumpere murum. Urias rem alacriter suscipit. Significaverat autem Job latenter assistentibus, ut erumpente hoste, Uriam desererent. Cum igitur Hebræi assultum ad mœnia facerent, Ammanitæ loco metuentes, fortissimos opponunt: apertisque portis feruntur in hostem. Commilitones, ut edocti erant, Uriam deserunt. Urias hostes fortissimè excepit multosque interemit, sed circumventus cadit. Joab misso nuntio, qui regi eventum hujus prælii indicaret, dedit in mandatis: Si animadverteret regem excandescere, & objurgantem dicere: Cur ad mœnia appropinquastis. Eratne ignarum obsessos è muro tela ingerere? Nonne ita interiit Achimelech filius Jerubbaal? Tum adderet, Uriam etiam cecidisse. Cum nuntius ad Davidem accederet, narravit rem universam, subjiciendo in fine, Occubuisse etiam Uriam. Josephus Davidi tribuit, quod illa verba locutus fuerit, ut suspicabatur Joab, cumque nuntius adderet Uriam cecidisse, desiisse irasci. Nihil tale est in scriptura. David nihil aliud respondisse legitur nuntio, quam ut renuntiaret Joabo: Ne rem nimis dolenter ferret. Eam enim esse belli aleam, ut jam hunc jam illum tollat. At incumbat & urgeat fortiter, donec urbe potiretur. Bethsabe audita morte mariti eum luxit. Cum eluxisset, David eam ad se advocat & habet pro conjuge. Abulensis septem dies aut paulò plures in luctu transegisse putat: quia festinandum erat Davidi, ut partum ex adulterio non esse susceptum ostenderet.

LYRANUS: PLANXIT] *Ficte tantum & secundum apparentiam: quia benè volebat ejus mortem: ut per hoc lapidationem evaderet & uxor regis fieret: & ad istam intentionem procuraverat David mortem suam. Ad cujus intellectum pleniorem sciendum, quod dicit hic R. Sal. Quod viri procedentes ad bellum dabant uxoribus suis libellum separationis, ut libere possent contrahere si viri in prælio morerentur.* Et computabatur tempus à die dationis libelli. Et ideo, quia uxor Uriæ conceperat post recessum mariti sui, ipso mortuo evadebat pœnam lapidationis. Hæc exagitat Burgensis, tanquam inepta & non convenientia scripturis. *Nam* inquit, *hæc assertio R. Sal. dependet ex opinione quorundam Thalmudistarum asserentium, quod David nunquam fuit adulter cum uxore Vriæ.* Hanc assertionem falsam esse, quia impingitur ipsi crimen à propheta, quod & confitetur. Inanem etiam

esse.

esse. Nam & sinè tali libello post mortem maritorum poterant contrahere. Non invenio id in glossis Rasi quas hodie habemus. Theodoretus demonstrat ex ista historia, quod calamitates felicitate sæpe meliores & utiliores sint. Deinde & ex natura mulierosum fuisse, atque ita captum mulieris aspectu: Ὅσον μέντοι ὀνίνησι συμφορὰ καὶ θλῖψις καὶ μέριμνα καὶ ἐκ τῆσδε τῆς ἱστορίας μανθάνομεν. Διωκόμενος γάρ φησιν ὑπὸ τοῦ Σαοὺλ πᾶσαν κατώρθου φιλοσοφίαν· καὶ περιστελλόμενος δὲ καὶ τῇ φροντίσι τῶν πολέμων ἐνασχολῶν τὴν διάνοιαν κατὰ τοὺς θείους ἐπολιτεύετο νόμους· ἀνακωχῆς δὲ ὀλίγης τυχὼν τὸν ὄλισθον ἐκεῖνον ὑπέμεινε &c. Πολὺς ὁ πόλεμος καὶ σφοδρὸς ἄνεσις καὶ τρυφὴ καὶ βασιλεία καὶ ἐξουσία, καὶ σώματος ὥρα καὶ μετὰ τροφῆς κόρον ἡ προσβολή· ὅτι καὶ τοῖς ἀσκοῦσιν ὁ σπινθὴρ ὑπολύφεται οἷον ἀρδείαν ἐλαίου δεχόμενος τὴν τροφήν. Δῆλος δέ ἐστι καὶ σφοδρότερον κατὰ φύσιν ἐσχηκὼς τῆς ἐπιθυμίας τὸ πάθος (οὐ γὰρ ἂν πλείοσιν ἐχρήσατο γυναιξί, μὴ τῆς φύσεως τοῦτο δρᾶσαι βιαζομένης) ἀλλ' ἐκεῖνο μὲν οὐδεὶς νόμος τοῦτο δέ γε ἄντικρυς ὁ θεῖος ἀπηγόρευσε νόμος. Διακύψας τοίνυν ἁπλοϊκῶς, οὐ περιέργως εἶδε τὸ γύναιον λουόμενον· ἀλλ' οὐκ ἔφυγε τὴν θέαν ὡς ὀλεθρίαν· ἀλλὰ καταθελχθεὶς τῷ τῆς ὥρας δελέατι, τὸ τῆς ἁμαρτίας κατέπιεν ἄγκιστρον. Hoc illius primum peccatum adulterium scilicet, procuravit concupiscentia; alterum pudor, nempe homicidium. Cum putaret interposito tempore reversum in uxoris amplexus iturum, σωφροσύνην, καὶ τὴν ἀνδρείαν καὶ τὴν περὶ αὐτὸν εὔνοιαν ἔδειξεν· ἐν γὰρ τοῖς προδόμοις τῶν βασιλείων μετὰ τῶν σωματοφυλάκων τὸν ὕπνον ἐδέξατο. Μετεπέμψατο μὲν αὐτὸν τῇ ὑστεραίᾳ, ἐμέμψατο δὲ ὅτι τὸ σῶμα τῆς προσηκούσης οὐκ ἠξίωσε παραμυθίας &c. Ἀλλ' ὁ βασιλεὺς ἐπιμεῖναι αὐτὸν προστάξας ἑστίασε καὶ ταῖς συχναῖς φιλοτησίαις παρὰ τοῦ μέτρου πιεῖν κατηνάγκασεν· ἵνα τὴν ἐπιθυμίαν ἀρδεύσας ὁ οἶνος αὐτὸν ἐρεθίσῃ πρὸς κοινωνίαν. Ἐπειδὴ δὲ ἄπρακτα ἀπέβη τὰ σοφίσματα· πάλιν γὰρ ἐκεῖνος ἐν τῷ προδόμῳ τῶν βασιλείων σὺν τοῖς βασιλικοῖς ἐκαθεύδησε δορυφόροις· ὑπὸ τῆς αἰσχύνης κεντούμενος καὶ βιαζόμενος, τὰ πρὸς τὸν στρατηγὸν ὑπηγόρευσε γράμματα· ὁ δὲ τῶν γεγραμμένων οὐδὲν ἐπιστάμενος ἀπῄει, τὸ ξίφος φέρων τῆς οἰκείας σφαγῆς.

Otium & luxus animusque remissus in rebus secundis, hominem in istud crimen dant præcipitem:

Quæritur Ægisthus qua re sit factus adulter?
In promptu causa est, desidiosus erat.
Pugnabant alii tardis apud Ilion armis:
Quo tulerat vires Græcia tota suas.
Sive operam bellis vellet dare, nulla gerebat:
Sive foro, vacuum litibus Argos erat.

Exiguum tempus luctui impensum fuit, mensis forte, ut conjicitur ex lege de captivis. Eo transacto licuit traducere. Videtur tamen David imprudenter fecisse, qui suspicionem adulterii hac festinatione ducendi stabilit. Alias lex nusquam interdicit (quia adulteræ mortis pœna incumbebat) adulterio cognitam ducere & tempus annuum seu novem mensium mulieri non erat præfixum, quo abstineret post mortem prioris mariti, quamvis id videatur postulare ratio. At *adulterium nuptiis conglutinatum* (verba Grotii) *displicuit Deo. Neque tamen irritæ fuerunt eæ nuptiæ, neque filius posteà natus ob id minus legitimus. Multa enim in hoc genere non probe fiunt, quæ tamen rata sunt.* David in hujus peccati cursu & Bethsabe per simulationem multa agunt. David simulabat animum benignum, multa faciebat benignè in Uriam, ut ei supponeret illegitimè conceptum partum; Bethsabe jactanter mœrebat quem periisse lætabatur.

Gro-

Grotius: *Videtur Bethsabea fuisse fœmina non impudica, sed quæ spe dominationis ut Agrippina mater Neronis nihil abnueret. Adeò cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior est, ut ait Tacitus Annal. XV. 13.*

II. SAM. XII.

DEus curam habuit Davidis peccatis suis securè incubantis. Vivebat enim suaviter in complexibus suæ Bethsabe, quæ ei filium ex furtivo conceptu edidit. Nathan igitur divino alloquio (nocturno ut vult Josephus) missus regem obliqua similitudine aggreditur. Eum adeundi modum prophetæ arbitrio adscribit Josephus. Ἀστεῖος οὖν καὶ συνετὸς ἀνήρ· λογισάμενος ὡς οἱ βασιλεῖς, ὅταν εἰς ὀργὴν ἐμπέσωσι, ταύτῃ πλέον ἢ τῷ δικαίῳ νέμουσι, τὰς μὲν παρὰ τοῦ θεοῦ γεγενημένας ἀπειλὰς ἡσυχάζειν ἔκρινεν· ἄλλους δὲ λόγους χρηστοὺς πρὸς αὐτὸν διεξῆλθε. Incusantis igitur & facinus impium deferentis ad regem assumit personam: Duos in urbe viros habitare, pauperem & divitem. Divitem habere multas oves bovesque: pauperi tantum unam agnellam fuisse. Jos. πολλὰς εἶχεν ἀγέλας ὑποζυγίων τε καὶ θρεμμάτων καὶ βοῶν, τῷ πένητι δ' ἀμνὰς μία ὑπῆρχε. Hanc aluisse apud se liberosque suos. Edentem de pane suo (מפתו) cubantem in sinu suo; eoque loco filiæ fuisse. Jos. φιλοστοργίᾳ πρὸς αὐτὴν χρώμενος ᾗπερ ἂν χρήσαιτο καὶ πρὸς θυγατέρα. Advenisse viatorem (הלך ὁδοιπόρον) ad divitem: quem parcentem suis ovibus bubusque, ut viatori (אורח ἐληλυθότι) pararet, mactasse pauperis oviculam & apposuisse hospiti suo. Notant Rabbini omnesque alii (quia res manifesta est) per Divitem significari Davidem, cui multæ uxores erant: per pauperem Uriam, cui nulla uxor præter hanc. Quod autem dicit emisse ex eo esse, quia vir sponsalibus emit uxorem. Deinde educatam apud ipsum filiosque significari, quod Urias liberos habuerit ex alia conjuge, quæ erat defuncta. Si ita sit: Gravius crimen Davidis, qui liberos parente superstite orbatos orphanos fecit. Viatorem esse libidinem (Lyr. Diabolum) (יצר) quod autem duabus vocibus exprimatur הלך ואורח idem valentibus, ex eo commentantur: Figmentum malum in principio simile ambulatori, qui transit ad hominem non pernoctat: posteà simile evadere viatori, qui divertit ad aliquem & pernoctat: postremo patri familias simile reddi: id est qui dominium in hominem exercet. Ideo appellari in fine איש. David his verbis graviter incensus, cum non intelligeret mentem prophetæ, qui accusationi larvam imposuerat, ut loquitur Theodoretus: Κατηγορίας πειθοῦς ὑπεκρίνετο προσωπεῖον· ἑτέρως γὰρ ἐν ἄλλοις θεωροῦμεν τὴν ἁμαρτίαν καὶ ἄλλως θεωροῦμεν τὰ οἰκεῖα κακά· ὅθεν οὐχ ὁμοίως ἡμῖν αὐτοῖς καὶ τοῖς ἄλλοις δικάζομεν. Ἐπὶ μὲν γὰρ ἄλλων δικαίαν τὴν ψῆφον ἐκφέρομεν· πολλάκις δὲ καὶ ὠμοτέραν τὴν πληγὴν ἐπιφέρομεν· αὐτοὶ δὲ πλημμελοῦντες ἢ παραπέμπομεν τὴν αἴσθησιν τῆς διανοίας ἐκβάλλομεν, ἢ ὁρῶντες τὴν ἁμαρτίαν, συγγνώμην ὀρεγόμεθα. Proverbio veteri dicitur: *Semper homo aliud in se fert, aliud in alio judicat.* Notat etiam Theodoretus defensionem quandam in verbis Nathan intexi, quod malam cupiditatem appellaverat in Davide ξένον, ὡς ἔξω τοῦ Δαβὶδ καὶ γνώμην οὐδὲ πώποτε γεγενημένην. Ideo fuisse in eo peccatum ῥᾳθυμίας, *negligentiæ*, non κακοηθείας *malitiæ*. Eum vulnus accepisse ἐν περιπτώσει *casu fortuito*, οὐκ ἐκ γνώμης *non ex animi instituto*. Quam solidum id sit nescio. Pronuntiat David divitem illum capital commisisse. Ut Dominus vivit, mortis esse. Et quadruplo oviculam soluturum. Pœnam mortis pronuntiat: Non ex facinoris inse spectati natura. Nam rapinam & furtum morte non damnabat lex: quadruplo tantum solvebatur ovis. At circumstantiæ rem gravant. Quia non pepercit. Notant magistri Hebræorum, Quadruplo luisse

Vvvu Da-

Davidem, cum in filiolo, Thamar, Amnon & Absalon punitus sit. Theod. Ἐπειδὰν ὁ κατηγορούμενος τὴν καθ' ἑαυτοῦ ἀπόφασιν ἐξενήνοχε, τότε λοιπὸν ῥίψας τὸ προσωπεῖον, γυμνὸν ἔδειξε τοῦ κατηγορουμένου τὸ πρόσωπον. *Tu es ille vir.* Rem aperit sublato tegmine. Hactenus verbis, quæ à Deo acceperat aditum paravit, nunc illa promit. Deus jusserat ut exponeret quanta beneficia contulisset in eum, cui regnum dedisset, toties erepto è manibus Saul. Cui domum & uxores domini sui. Cui Judam & Israel. Si id parum, plura additurum fuisse. Deus significat, nisi David rerum felicium cursum peccando impediisset, plura bona fuisse secutura. Sed quomodo non meminit tot victoriarum adversus exteros, quibus regni fines ampliaverat? Josephus addidit de suo. Quid autem quod dicat uxores Domini sui in sinum ejus traditas esse? Id reticet aut incrustat Josephus: dicendo, quod multas legitimè duxisset. Kimchi putat Michal filiam Saul & Eglam illius uxorem intelligi. Forte & Rispam Saul concubinam duxisse. Cur igitur Uriam Hetthæum occidisset & quidem gladio Ammonitarum ejusque uxorem sibi consociasset? Ideoque gladium à domo ejus non cessaturum. E domo ejus se excitaturum, qui cum uxoribus ejus, claro die coiturus esset. Davidem fecisse in abdito, istum id esse facturum in propatulo. Observat Theodoretus quia in recensendis pœnis pro ratione ponitur & repetitur, quod Uriæ uxorem in matrimonium assumpsisset, non facta mentione adulterii, Ἀνάξιον δὲ ὁ λόγος ὅτι πλέον ὁ δεσπότης θεὸς ἐχαλέπηνεν ἐπὶ τῷ γάμῳ ἢ τῇ πρὸ τούτου γενομένῃ μοιχείᾳ. Ἐκεῖνο μὲν γὰρ ἐπιθυμίας ἦν σφοδροτάτης κάρον ἐργασαμένης τῷ λογισμῷ. τοῦτο δὲ αὐτοῦ τοῦ λογισμοῦ τὴν συγκατάθεσιν ἔχει, ὃν ἐχρῆν μετὰ τὸν ἄδικον φόνον θρηνεῖν καὶ οὐ τῷ γάμῳ συναπτεῖν προθυμούμενον. Gravius fuisse crimen matrimonium quam adulterium. David ista oratione percussus, confitetur se peccasse. Cui Nathan in solatium, Deus inquit abstulit peccatum tuum, non morieris. Sed quia isto facinore causam blasphemandi objecisti hostibus Dei, morietur filiolus, quem ex illa muliere genuisti. Grotius: *Gravis ad peccatum accessio, occasionem dare impiis gentib. male sentiendi de lege Divina, quam sperni à primis Hebræorum videant.* In Græco est παροργίζων παρώργισας, quod Theodoretus interpretatur, quod Dei cura & protectione nudatus, hostibus succubuerit: qui ob id Deum contempserint. Ideò evidentiorem esse versionem Aquilæ, παροξύνων παρώξυνας τοὺς ἐχθροὺς κυρίου. Dicit Davidem duplicem debuisse mortem, quia & adulter & homicida secundum legem interimebantur: mortis sententiam solvi confessione peccati. Grotius: *Erat quidem David supra legis pœnas, ut rex & post ipsum etiam regina. Sed Deus eorum, quæ magistratus punire non poterant, aut nolebant, se* vindicem fore minatus erat, Levitic. 26. 14. *Non eo tamen sibi ademerat ignoscendi potestatem, qua hic ita utitur, ut sola mortis pœna & amittendi regni Davidem liberet, multa alioqui mala alia ei inflicturus.* P. Martyr: *Sed quæ causa est, quod David non sit damnatus? Non tribunal altius suo habuit: Deum supra se habuit, qui vitam ei donavit: sed plenam multis crucibus, ut potius ad miserias, quam ad vivendum feliciter servatus videretur.* Pœnitentiam illius seriam ostendit Psalmus 51. quem Nathane digresso cecinit. Pœnam seriò & ex corde pœnitenti non inflixit Deus, sed disciplinam adhibuit. Augustinus lib. 22. adv. Faustum Manichæum cap. 67. *Quid aliud, quam cordis ejus profunda cernebat spiritus Dei, quando correptus per prophetam dixit, Peccavi: continuoque ad hoc verbum audire meruit, quod acceperit veniam? Ad quam rem nisi ad sempiternam salutem? Neque enim prætermissa est in illo secundum Dei comminationem flagelli paterni disciplina, ut & confessus in æternum liberaretur & afflictus temporaliter probaretur.* Ambrosius: *Ille rex tantus ac tam potens nec exiguo quidem momento manere penes se delicti passus est conscientiam: sed præmatura*

confessione atque immenso dolore reddidit peccatum suum Domino. Quem mihi nunc facile reperias honoratum ac divitem, qui si arguatur alicujus culpæ reus non moleste ferat? At ille regio clarus imperio, tot divinitus probatus oraculis, cum à privato homine corriperetur quod graviter deliquisset, non indignatus infremuit sed confessus ingemuit, culpæ dolore. Denique Dominum dolor intimi movit affectus, ut Nathan diceret, Quoniam pænituit te & Dominus abstulit peccatum tuum. Maturitas itaque veniæ profundam regis fuisse pænitentiam declaravit, quæ tanti erroris offensam traduxerit.

Filiolus haud multo post cum gravi morbo conflictari cœpit. Hic David, innata φιλοστοργίᾳ, quam passim prodidit & amore novæ conjugis, admodum se afflixit. Salianus observat ista sex opera. 1. Fervidam & continuam orationem ad Deum. 2. Jejunium rigidum. Josephus dicit per septem dies non potuisse induci à familiaribus ut ullum cibum degustaret, quod tamen non asserit textus. 3. χαμευνίαν & vigilias. 4. Domesticorum consuetudine & publica abstinuit. 5. Lugubria vestimenta induit. Jos. Μέλαιναν δὲ περιθέμενος ἐσθῆτα πεσὼν ἐπὶ σάκκε κατὰ γῆς ἔκειτο. LXX. in quibusdam editionibus, ἐκοιμήθη ἐν σάκκῳ ἐπὶ τῆς γῆς. 6. Sordidatus reorum in morem perduravit lotione & unctione intermissa. Non fuerunt satisfactoria opera sed orationis excitamenta. Quomodo autem speravit mutare Dei sententiam? Minas istas nescivit esse decretum. Seniores domus dicuntur eum compellasse. Septimo die infans obiit. Domestici non aûsi indicare mortem infantuli, quod rex morbum tam ægre tulisset mussitant inter se. Animadvertit rex, & inquirit. Intellecto, surgit, lavatur, ungitur, mutat vestes: Ingreditur domum Dei & adorat. Reversus domum, cibo se reficit. Id miratis familiaribus, quod videretur agere inverso more modoque, respondet; Cum viveret infantulus, Jejunavi & flevi. Quod cogitarem si forte Dominus misereatur, ut vitam donaret infantulo. Nunc obiit, cur jejunarem? Possumne reducere? Ad eum ibo, sed non revertetur ad me. Quærunt interpretes, Anne septimum illum diem à nativitate an à morbo numerare oporteat? A morbo ut indicat luctus ob morbum. Cajetanus & Vatablus putant à nativitate, Unde luctus causam suggerunt, quod sine circumcisione decederet. Dionysius putat falso licuisse in mortis periculo, diem octavum circumcisionis antevertere. De Davidis luctu inverso fuse differit Kimchi.

Bathsabe (puerpera forte) infantuli mater, mœroris cum marito particeps fuit, quem defuncto infantulo non poterat reprimere. David igitur eam consolatur, eam debito tempore cognoscit. Concipit secundò & parit filium, cui nomen Salomonis Deus per prophetam imposuit. Textus dicit Dominum dilexisse puerum. Id sane nihil aliud est, quam ostendisse in puero signa sui favoris: è quibus pateret magnum & insignem fore. Hebræorum traditionem hoc loco quidam interpretes commendant: Bethsabe admodum mœstam ob mortem filioli, metuentemque ut quicquid è Davide conciperet, vitale non esset, decrevisse prorsus abstinere à consuetudine Davidis. Davidem, vero, ut hanc suspicionem tolleret, oraculum illi exposuisse, quo regnum illius filio promitteretur: quod & jurejurando confirmat se effecturum. Eo respicere, quod Bethsabe Davidi in extremis versanti revocaverit in memoriam. 1. Reg. 1. 13. 17. Nobis ea traditio redolet Judaicam fatuitatem. Quoto anno Davidis Salomo natus sit, ignotum, nisi pro vero assumas, quod habet Josephus, quatuordecim annos habuisse, cum regni habenas capesseret.

At cum ista circa Bathsabe matrimonium & mortem infantuli gererentur, Joab in Ammonitide bellabat. Oppugnabat Rabbath filiorum Ammon. Diuturna fuit obsidio, ad annum & ultra duravit. Nam regia

erat natura & operibus munitissima: quo comportata fuerat annona & auxilia contracta. Forte etiam Deus non ita benedixit, ab eo tempore, quo David in illicitum amorem mulierculæ se induerat. Partem ejus tandem cepit, quæ dicebatur urbs aquarum. Josephus scribit puteum ademisse, qui solus aquas dabat, sic aquarum & rerum necessariarum ad victum inopia ad extrema fuisse redactos. Atqui in Græco & Hebræo est *urbs aquarum*. Ea pars firmissima fuisse videtur, quam cum cepisset Joab, misit ad Davidem: ut ipse adveniret, quo captæ urbis gloriam posset habere. David igitur evocato toto populo profectus urbem vi expugnat. Coronam regis suo capiti superimposuit quæ pendebat auri talentum, insertæque erant gemmæ lectissimæ. In textu numerus unitatis pro multitudinis numero positus esse videtur. Interpretes igitur Judæi fingunt fuisse magnetem, qui à ferro sit attractus, ut in aëre penderet. Josephus Sardonychem fuisse scribit. Martyr: *Mirandus est Hieronymus, qui in suis quæstionibus super librum Paralipomenon coronam hanc in capite idoli Ammonitarum fuisse dicit, quod dictum est Malcom: eo quod dii tutelares regum sint. At si hæc Corona fuit donarium aut ornamentum idoli, quomodo licuit Davidi illam ad privatos usus convertere cum Deus mandarit idolis consecrata comminuere non diripere? Respondet, Iudæos fabulari Davidem non rapuisse: sed à quodam Ithai milite raptam & Davidi postea datam esse. R. Kimchi quoque istius fabulæ meminit. Sed si non licuit per se accipere nec ab altero raptam sibi usurpare debuit. In quæstionibus suis in secundum librum Samuelis dicit aurum prius igne purgasse deinde conflasse sibi coronam. Unde juniores interpretes, ut Lyranus & alii præcepta de illis rebus idololatricis non usurpandis, de septem populis tantum intelligunt, de reliquis satis fuisse dicunt, si per ignem purgarentur, quæ ignem ferebant vel aqua abluerentur. Quemadmodum factum legimus contra Madiantas in libro Numerorum. Israëlitæ prædam multam abduxerunt, aurum, argentum, ferrum: quæ partim ipsi tenuerunt partim tabernaculo dederunt, purgaruntque per ignem & aquam. Revera neque in capite 20. Paralip. neque hic scribitur Milcom sed* מַלְכָּם. Corona ista, ut vult Kimchi, suspensa fuit sursum à parte capitis, cum sederet in solio, cum eam ob gravitatem capite sustinere non posset. Dicunt etiam magistri, quod lapis pretiosus æqualis ponderis fuerit, nempe (שואבת): magnes, quo in aëre suspendebatur. Multa disputat Judaicè de ista corona, an fuerit idoli ut habet Dras. Thargum כלילא מלכיהון / quod est sensus literalis.

Ingentem prædam ex urbe traxit: omnemque ejus populum eductum posuit sub *serris, tribulis* (limis) & *securibus*. Dissecti igitur, ut tradunt de Esaia vate sub rege Manasse. Horrendum genus supplicii & in hisce oris inauditum. Additur quod transire eos fecerit במלכן Chaldæus עבר יתהון בשוקיא. Kimchi מלכן vult esse locum, ubi per ignem Molocho traducebantur filii: si legatur per כ, cum ם & ן sæpe commutentur מלכן & מלכם: at sit per ב esse fornacem laterariam. Et hic accipiendum esse, quod sint combusti. Jonathan intellexit stratum lateribus solum, in quo contriti sint. Sic factum esse omnibus oppidis Ammonitarum, quæ capta fuerunt, ut puto, post regiam urbem. Crudele admodum videtur facinus. At mores gentium, improbitas populi & Divinum mandatum attendi debent: Nec in omnes ita sævitum. Cum gens serva facta fuerit atque commissa Sobi fratri Hanun. Et recurrendum est ad crudelitatem Nahas, qui Jabesenses ea conditione voluit dimittere, si alterum sibi oculum sinerent eripi. Ralbag putat Davidem hoc terrore voluisse compescere populos ne facile in populum Israel arma sumerent, aut contumeliam facerent.

I I. Sam. XIII.

THamar, ſoror Abſalomi ὁμομήτριος, vitiata ab Amnone filio Davidis primogenito, calamitatibus januam aperuit. Theodoretus: Ἡ μὲν τοι κατὰ τὴν Θάμαρ ἐπιθέσις ἀρχὴ ἐστι καὶ ῥίζα τῶν τῆς βασιλικῆς οἰκίας συμφορῶν. Specie ejus captus Amnon, cupidinis furore affligi, æſtuare, pallere, extenuari, vires concidere. Cupitum enim efficere aut moliri arduum videbatur. Sive quod propter virginitatem & aſſervationem, ea potiri non poſſet. Joſ. διὰ τὴν παρθενίαν καὶ διὰ τὴν φυλακήν. Sive quod grave videretur facinus. Prius malunt interpretes & videtur confirmari ſequentibus. Habebat autem amicum, Jonadab filium Samaa, fratris David, virum ſagaciſſimum: qui videns juvenem conſumi & marceſcere, conjectans id quod erat, acceſſit eum rogans ut ſibi cauſam indicaret. Eo aperiente ſororem ſibi adamatam, conſilium dat, quomodo optatis potiri valeat. Suaſit enim, ſimulata ægritudine cumque pater inviſendi cauſa accederet, roget ut ſororem ad ſe mittat, cujus è manu cibum ſumeret. Joſ. πέμψαι τὴν ἀδελφὴν αὐτῷ διακονησομένην. ῥᾷον γὰρ ἔσεσθαι καὶ ταχέως ἀπαλλαγήσεσθαι τῆς νόσου. Non prætendit amorem ſed ex morbo cupidinem. Paruit conſilio: cumque pater decumbentem viſeret, petiit ſororem mitti. Confeſtim miſſa eſt. Venienti præcipit, parare ſibi panes ſubcinericeos propria manu. Suavius enim epulaturum ex illius manibus. Ipſa autem in conſpectu fratris, ſubacta farina, formatas collyridas & frixas affert fratri. In Hebræo collyridæ illæ appellatur לביבות Chald. חליטתא. Cibum non attingit ſed jubet omnes excedere (Heb. מעלי) Joſ. προσέταξε δὲ τοῖς οἰκέταις περιεστηκόσι πάντας πρὸ τοῦ δωματίου. βούλεσθαι γὰρ ἀναπαύσασθαι, θορύβου καὶ ταραχῆς ἀπηλλαγμένον. Eo facto, jubet ſororem intra conclave (Joſ. εἰς τὸν ἐνδότερον οἶκον) cœnam inferre. Cumque illud puella feciſſet, apprehenſam conatur inducere, ut ſui copiam faceret. At puella reluctatur: Et vim paranti, Abſtine, inquit, vim frater, abſtine. Non eſt ita faciendum in Iſraele: noli hoc flagitium committere. Ego enim, quo dedecus meum amolirer: tu autem eſſes ut flagitiis onuſtus in Iſrael. Pete à rege, ut tibi tradat. At fervens libidine per vim comprimit. Facinore perpetrato, in contrarium mox affectum vertitur: & exoſam ac faſtiditam convitiis aggreſſus jubet è veſtigio, faceſſere. Quæ cum hanc injuriam priore graviorem diceret: mandavit famulo ut eam ejiceret & poſt expulſam foribus peſſulum obderet. Joſephus expulſionis injuriam in eo ponit, *quod conſtupratam vel uſque ad noctem manere non patiatur, ſed confeſtim extrudat clara adhuc luce, ut turpitudinis ſuæ teſtibus occurrat* (ἡμέρᾳ καὶ φωτὶ ἵνα καὶ μάρτυσι τῆς αἰσχύνης περιτύχῃ) Thamar dolore infamiæ cinerem impergit capiti; tunicam, qua induta erat, lacerat manuque impoſita capiti abiens indeſinenter vociferatur. Tunicam illam Hebræus vocat כתנת הפסים / Lxx. olim χιτῶνα ἀστραγαλωτόν. Theodoretus: Τὸν δὲ χιτῶνα, τὸν ἀστραγαλωτὸν ὁ μὲν Ἀκύλας καρπωτὸν ἡρμήνευσεν, ἀντὶ τοῦ καρποὺς ἐνυφασμένους ἔχοντα· οἱ νῦν δὲ αὐτὸν καλοῦσι πλουμαρικόν. ὁ δὲ Ἰώσηπος, τὸν μέχρις ἀστραγάλων διήκοντα. Joſephi verba ſunt, περιῤῥήξασα τὸν χιτωνίσκον (ἐφόρουν γὰρ τῶν ἀρχαίων παρθένοι χειροδετοὺς (leg. χειριδωτοὺς) ἄχρι τῶν σφυρῶν πρὸς τὸ μηδὲ βλέπεσθαι χιτῶνας. Sic τὰς ὁ expreſſit in verſu 18. ὅτι οὕτως ἐνεδιδύσκοντο αἱ θυγατέρες τοῦ βασιλέως αἱ παρθένοι τοὺς ἐπενδύτας αὐτῶν: *Sic enim veſtiebantur filiæ regiæ virgines* (מעילים) *palliis*, Joſephus per mediam urbem inceſſiſſe plorando ſcribit: quod non expreſſit nec innuit ſacra ſcriptura. Nam Abſalom in aula ei occurrere potuit, ubi gynæceum & puellæ conclave erat. Quidam in ædes Abſalomi ſe proripuiſſe mæſtam & tum demum, cum illas intraſſet, ejulatum & cætera luctus inſtituiſſe.

 Quæri-

Quæritur: Quomodo amor tam citò in odium mutatus fuerit? Ralbag: ירמה שנתעצמה כפי יכלתה לחלוק על רצונ: *Videtur quod confortaverit se, quantum poterat, ut ejus voluntatem à velleret.* Κεκτημένως ἐκεῖνον ipsum fieriit, quam manibus non posset. Alii Diaboli artificio mutatum esse animum ferunt, ut sequenti tragœdiæ latas fores panderet. Rasi: Dicunt magistri nostri ניטרין וקשרה לו ועשאתי כרות שפכה Honorius etiam post cupiditatem expletam in sororem amorem mutavit in odium. Quomodo potuit dicere Thamar, quod si peteret à rege obtenturum? Dicunt Judæi quod filia fuerit captivæ uterum ferentis, cum à Davide duceretur. Nempe conceptam è Davide fuisse antequam eam duxisset in matrimonium. Ita ex ancilla concepta non imputatur Israeli. Erat enim בנזותה in gentilismo, cum imprægnaretur: unde filia non est habita pro filia Davidis: כי אין הבן הבא לישראל מן השפחה או מן הגויה קרוי בן לישראל. David ex libidine, ut volunt, eam imprægnavit ante quam facta esset proselyta. Sic natos è serva Cananæa, haberi pro Cananæis, non Israëlitis. Figmentum id est Rabbinicum. Verius quod fratrem avertere studuerit, spem conjugii objiciens, quæ non erat. Nam timor artifex solaminum. Apparet precibus & suppliciis muliebribus egisse, non solum unguibus & repugnatione, quæ parum efficacia erant. Grotius: *Puella minimè perita juris tantum esse jus regis existimavit, ut connubium non jure gentium incestum posset permittere: aut etiam putavit non interdictas nuptias fratrum & sororum qui non essent ὁμομήτριοι: aut quidvis dixit, ut se præsenti periculo eximeret.* Imo quid posset rex non quid liceret allegat. Fortassis id obtineri posse ut contra legem permitteret. Absalom sororem consolatus, ut rem moderatius ferret, quia à fratre obvenisset. (Nam in fratrem non dari ultionis copiam) apud se iram & vindictæ propositum altius abdidit. Rem premendam esse silentio significabat: ne major fiat infamia quæ tam in eos redundet, qui intulerunt injuriam, quam qui acceperunt. Sic Ralbag: ר"ל ואין ראוי לפרסם גנותו. Significare etiam potuit, minori sibi dedecori esse quod ab illo decepta esset, à quo nihil mali meritò suspicaretur. David valde contristatus est. Videbat enim domum dehonestatam, se gravissima injuria affectum, qui per imprudentiam tantæ nequitiæ minister factus esset. Filiam in luctu, in infamia, spe conjugii æqualis aut honorati orbatam. Debuisset domum purgare administratione debitæ justitiæ: Amnonem punire. Quidam etiam Thamar redarguunt, quod clamare debuisset suppetias, ut in urbe & in hominum propinquitate. Atqui clamasse diserte non tradit Scriptura. Videtur tamen significare, quod per vim prævaluerit. Josephus suo more rem exornans clamorem exprimit. Cum intrà conclave secretum, amotis testibus, oppressa fuerit, clamor opem hominum concire non potuit. Secretum illud solitudini agrorum parem rationem habuit. Cajetanus excusari putat Davidem, quia res ei non innotuit ut judici, nec per testes probari poterat. Alii rectius Davidem lenitate & φιλοστοργίᾳ peccasse largiuntur. Lyranus è R. Salomone licitum potuisse conjugium sociari arbitratur. Quia imprægnata erat à viro alio mater cum Davidi conjungeretur: proinde Davidis filiam non fuisse Thamar. R. Non cepit mentem R. Salomonis, qui Judæorum communi de sententia ideò licitam fuisse putat, quod nata esset de captiva & gentili: è qua non dari cognationem. Sane permissa fuerit Amnoni si ex alia conjuge eam mater concepisset.

In versu 25. addita sunt à Lxx. hæc verba: Καὶ οὐκ ἐλύπησε τὸ πνεῦμα Ἀμνὼν τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ ὅτι ἠγάπα αὐτὸν ὅτι πρωτότοκος αὐτοῦ ἦν. Quæ adoptata sunt à Latino: Et noluit contristari Spiritum Amnon filii sui: quoniam diligebat eum, quia

quia primogenitus erat ei. Hæc verba agnoſcuntur à Theodoreto: *ἤλγησε μὲν ὁ βασιλεὺς τὴν παρανομίαν μαθών· φιλοστόργως δὲ ὡς περὶ πρωτότοκον υἱὸν τὸν Ἀμνὼν διακείμενος τῆς πονηρᾶς πράξεως οὐκ εἰσέπραξε δίκας.* Imo & agnoſcuntur à Joſepho, adeò ille in narrationibus adhæſit Lxx. interpretibus. Agnoſcit etiam Lyranus, atque iſta commentatur. *Videtur, quod David in hoc graviter peccaverit: quia non ſolum tenebatur filium increpare ſed & interficere, ut videtur, pro virginis violenta defloratione. Dicendum, quod non habebat ſibi infligere pœnam mortis: nec ratione deflorationis nec ratione violentiæ Primum patet, quia Amnon & Thamar erant perſonæ, nullo vinculo matrimoniali alligatæ: non ſolum per matrimonii conſummationem ſed nec etiam per affidationem. Lex autem non imponit pœnam mortis talibus. Unde Deut. 22. ubi pœna mortis infligitur virgini defloratæ in domo paterna, lex illa loquitur de virgine alteri affidata; ſicut ibidem diffuſius fuit declaratum. Similiter ſecundum patet, quia illa violentia & totum factum erat occultum nec poterat defloratio & violentia probari niſi per querimoniam ipſius Thamar & ſui corporis oſtenſionem: quod ipſa non fecit, imò ſimpliciter tacuit: & de conſilio fratris ſui Abſalom, ut patet in litera. Et ideo David non habebat viam interficiendi Amnon juſte. Tenendum eſt tamen, quod aliter corripuit eum ſecretò; licet non ſit ſcriptum. In tali autem correctione debet exſpectari oportunum tempus & aliæ circumſtantiæ. Et ſic intelligitur quod hic dicitur :* Noluit contriſtari ſpiritum Amnon filii ſui *ſc. pro tunc. Quia erat debilis & infirmus & dolens de facto. Quod patet ex hoc, quia habebat* Thamar odio: quia etſi non dolebat ratione *culpæ, dolebat tamen ratione læſionis incurſæ, ut prædictum eſt. Si autem quæratur, quare David non coëgit Amnon ad accipiendum Thamar uxorem patet reſponſio, quia propter odium contra eam conceptum, probabile erat quod interfeciſſet eam.* Hæc ille, qui nimis favet Davidi, ut Toſtatus iniquior eſt.

Abſalom odium in fratrem, egregius ſimulator & diſſimulator, longo tempore ita corde clauſum tenuit, apud quoſvis, apud patrem fratremque ipſum ut mali ſuſpicari nihil poſſent. Ipſe interim oportunitatem vindictæ ſpeculabatur. Jam alter annus abierat, ex quo illuſum erat pudicitiæ ſororis, quæ apud ipſum in cælibatu perſeverabat, & vitam exegiſſe videtur; Iturus erat ad tonſuram in Baal-Haſor, prope terminos Efraim. Lxx. *Βελασώρ*, Joſ. vitioſe *Βελσεφών*; In Rufini verſione Betſephon. Malè etiam dicit, *πόλις δέ ἐστιν αὕτη τῆς Ἐφραΐμ κληρουχίας:* Solebant ea occaſione ut in meſſe & vindemia, epulas & convivia celebrare. Invitat igitur patrem fratreſque ad ſolenne convivium, quo excuſante, quod nollet eum gravare, rogavit ut filiis ejus liceret proficiſci. Prima invitatio in v. 24. Ut rex & ſervi ſui cum ſervo tuo eant. Per ſervos, ut puto fratres intelligit. Acriter urgebat iſtam invitationem nec potuit perſuadere. Noluit David ire ſed benedixit filio id eſt bona precatus eſt aut gratias egit pro humanitate. Secunda invitatio in v. 26. Si minus, Eat mecum frater meus Amnon. Mirum quod Amnonis ſigillatim meminerit? Frater primogenitus erat & Abſalom omnis humanitatis oſtenſione rancorem nullum animo tenere videbatur. Et patrem invitaverat ut ſuſpicionem mali præoccuparet. Urgendo obtinuit ut omnes filios ire permitteret. Quo impetrato ſuis injungit ut cum animadverterent Amnonem vino hilarem (Joſ. *μέθῃ παρειμένον καὶ ὕπνῳ*) ad nutum ſuum (*νεύσαντος αὐτοῦ*) neminem veriti trucidarent. Cum dixero, trucidate, Ne timete. Juſſum meum eſt, fortiter agite. In v. 27. additio alia eſt τῶν ό: *Καὶ ἐποίησεν Ἀβεσσαλὼμ πότον κατὰ τὸν πότον τοῦ βασιλέως.* Agnoſcit vulgatus, non comparet in Joſepho. Cum ſervi Abſalom facerent, quod mandatum erat, ſtupor & trepidatio fratres occupat: & ſibi quiſque timens, inſilientes in mulas (Joſ. *ἵππους*) fugiunt. Rumor ad Davidem detulit omnes fratres ab Abſalom eſſe trucidatos. Rex igitur laceratis veſtibus, humi ſe projicit:

jicit: omnesque servi regis adstabant vestibus laceratis. Dolorem faciebat 1. Omnes filios simul periisse, 2. Et à fratre. 3. Nec causam cædis poterat perspicere. Jos. addit: Ob magnitudinem rei, credere non potuisse. Jonadab (Jos. male Ἰωνάθην & constanter appellat) filius Samaa: Monet ne tantum esse malum crederet, quantum nuntiaretur: negans se de morte cæterorum credere, cum causam non inveniret, sed Amnonem solum occubuisse. Absalomum enim ejus occidendi quæsivisse occasionem, inde ab eo tempore, quo sororem violaverat. Sciebat ille Jonadab Absalomum id semper quæsivisse. Lxx. (v. 22.) ὅτι ἐπὶ στόματος Ἀβεσσαλὼμ ἦν κείμενος ἀπὸ τ. ἡμέρας ἧς ἐταπείνωσε Θάμαρ &c. Mox observat speculator turbam adventantium à via post se (Vulg. *Per iter devium*) à latere montis (Lxx. addunt ἐν τῇ καταβάσει) Rabbenu Esaia dicit fugientes alia via, quam iverant & iter erat, ob metum Absalomi rediisse, ne ab illo interciperentur. Eoque cum speculator spectaret in viam rectam, à tergo apparuisse. Porro additur in Græca versione: Καὶ παρεγένετο ὁ σκοπὸς καὶ ἀπήγγειλε τῷ βασιλεῖ, καὶ εἶπεν, Ἄνδρας ἑώρακα ἐκ τῆς ὁδοῦ τῆς Ὠρωνῆν ἐκ μέρους τοῦ ὄρους. Non habet eà Vulgatus. Jonadab, ea turba visa ut locutus sum inquit, ita factum est. Cumque cessasset loqui apparuerunt filii regis: ejulatibus & lachrymis mutuis consalutatio facta est. Josephus (quod mirum) non observatione vigilis sed sono equorum & tumultu venientium admonitos esse regem & aulicos de adventu regis filiorum scribit. Absalom fugit ad Tholomai filium Ammihur, regem (Jos. δυνάστην) in Gessur, avum maternum. Hic iterum additio est in Lxx. εἰς γῆν Χαμααχάδ quam vulg. non agnoscit. Luget David filium multis diebus. Absalom in Gessur fuit triennio. Cum autem rex eluxisset, desiderium eum cepit stimulatum à matre Absalomi ut vult Aben-esdras exeundi ad Absalom: Lxx. ἐκόπασεν ὁ βασιλεὺς τοῦ ἐξελθεῖν πρὸς Ἀβεσσαλώμ. Videtur desiderum filii sui habuisse, non ut vellet reverti in patriam: sed ut mitteret per quos, de eo cognosceret. Dionysius: *Nec puto, quod David voluerit unquam Absalonem pro fratricidio illo occidere, cum & postea, quando gravius peccavit, prohibuerit eum occidi.*

II. Sam. XIV.

CUm autem Ioab filius Sarujæ, animadverteret, animum regis, in Absalomum esse: ut gratiam iniret apud filium regis, quem successurum patri suspicabatur, consilium iniit, quo regem permoveret ut Absalomo reditum concederet. Mulierem prudentem è Thecoë instruit: ut luctum simulans & lugubri habitu, nec oleo uncta, quibus edocebat verbis, regem adiret. Mulier ad regem admissa, & prostrata humi ac venerata, Salve rex, inquit. Cui rex: Quid tibi est? Illa se viduam esse, marito defuncto: cumque haberet duos filios, oborta in agro lite, nullis præsentibus, qui dirimerent, fratrem à fratre occisum esse. Jam universam familiam (ὅλη ἡ πατριά) se movere, ut rapiat superstitem ad necem. Sic hæredem quærere, ut prunam residuam exstinguant: quo mariti nomen aboleatur. Kimchi hanc mentem viduæ esse putat, quod injuste persequantur filium illi vindices, cum nullum testem habeant. Ut Scriptura testatur non adfuisse diremptorem ואין בני מסור לרודים אלא לשמים *Non est filius meus traditus ipsis sed Deo*, non homini. Deinde licuisse quidem vindicibus persequi etiam eum, qui soli Deo reus erat, ob casuale homicidium: ab his verò non quæri justitiam sed hæreditatem. Sic & alii putant, quod dubium esse velit, non certum fratricidium, & probationes deesse. Rex mulierem jubet bono animo esse, se de ista re mandaturum.

rum. Tum Thecoitis in se domumque paternam iniquitatem suscipit, ut ne regi & solio ejus imputaretur. Rex autem: Quicunque te appellat, ad me ducito, ne tibi pergat molestus esse. Quæritur An David de homicidio & quidem de parricidio potuerit dispensare? Quidam volunt: Hunc filium ex lege occidendum non fuisse, quia non erat convictus homicidii, nec per evidentiam nec per testes, nec per propriam recognitionem. R. Dionysius: Cognatio tota non fuisset homicidium persecuta, nisi facinus fuisset manifestum. Mulier ipsa id coram rege non inficiatur. *Nec licuit filiis Israel persequi & necare homicidam nisi sententia de hoc data à judice, coram quo oportebat homicidam convinci. Insuper si homicidium fuisset occultum, mulier per suam parabolam non conclusisset intentum de homicidio Absalonis, qui per servos suos fratrem suum coram multis occidit.* Verum ad hoc quidam respondent allegando & sequendo R. Salomonem dicentem: *quod omnes inducti ad Testimonium erant propinqui ipsius Amnon defuncti.* Id improbat: quia multus populus per iter devium adveniebat, qui factum viderant &c. Nempe adfuit famulitium condecens. Adfuisse etiam tonsores & pastores. Quosdam dicere, quod rex cum propinquis potuerit rigorem juris temperare ne occideretur. Rex misericordia tactus præter legem veniam facit, sed erat viduæ causa favorabilis & videbatur in publicum consuli. Mulier illa secundum Magistrum historiarum & Glossam, creditur fuisse proavia seu avia Amos prophetæ: nullo argumento.

Postquam parabola benè processisset ad muniendum viam accingitur scopo principali. Veniam igitur præfata sermonis continuandi & scopi enuntiandi. Cur igitur, inquit, ita cogitasti hanc rem contra populum Dei? Ex eo enim quod loquitur rex hanc ipsam rem, reus est: quia suum depulsum non revocat: *q. d.* (ita Fr. Iunius) *cum improbes postulatum familiæ: cur tu eadem ratione Absalomum persequeris: ad quem totius populi conversi sunt oculi, tanquam ad prunam suam, successorem tuum? Hinc enim colligitur, ut ex principio capitis sequentis Chileabum sive Danielem secundum Davidis filium jam tum mortuum fuisse quapropter regnum ad Absolomum redibat.* Populum igitur comparat viduæ, quæ moereret Absalomum suum superstitem regni successorem ad mortem quæri. Plures quidem filios habebat rex, sed hic in proxima spe regni & desiderio populi. Pergit igitur argumentari: Mortales sumus, vita diffluit instar aquæ. Deus sua providentia illi vitam conservavit, ut revocaretur. Se desiderio tabescentis populi motam audentiam habuisse & animum sumpsisse compellandi regis, quia videbat rem in discrimine esse. Deinde animatam, cum animadverteret regem misereſcere sui. Ad quietem regis verbum processurum, cum instar angeli polleat ad discretionem boni & mali: Deum ipsi affore. Significat, judice Grotio, regem se legi non debere adstringere, sed ex æquitate bono publico consulere. Josephus putat illationem è parabola, non ire ad similitudinem sed confirmationem à magis verosimili. Tu quidem senectuti & orbitati meæ auxilium benigne promittis: cæterum qui possum credere, te mihi consulturum, cum tibi ipsi non consulas. Tuum revoca, ut de meo possim credere. Id largire ancillæ tuæ confirmationi. *Cum Iosepho fere idem videtur sentire Theodoretus.* David, quo inclinabat, facile impelli potuit. Videbat tamen machinationem hanc ab altiori esse consilio. Theod. *Συνῆκεν ὁ βασιλεὺς τοῦ δράματος τὴν ὑπόθεσιν.* Rogat igitur, Nonne à Joabo suggestum esset. Illa fatetur, laudata regis sagacitate, qui angelum Dei æquaret perspicientia rerum abditarum.

Accersito igitur Ioab, dicit assecutum esse, quod cupiebat, & licere, ut Absalo-

ſalomum reducat. At ille adorato rege & verbis ejus libenter acceptis, è veſtigio Geſſur properavit & aſſumptum ſecum Abſalomum Hieroſolyma reduxit. Salianus cum Lyrano præcipuam cauſam admiſſæ à Davide reductionis putat fuiſſe metum, ne in Geſſur gentiliſmi contagione inficeretur. Id efficit è v. 13. verſione Latina. Rex vero (ita Joſephus) audiens filium adventare, miſit, qui ei denuntiaret, ne ad ipſum accederet. Nondum enim ita ſe affectum, ut reverſum videre ſuſtineat: ὥστ' εὐθὺς ἰδεῖν κατελθόντα. Seorſim igitur in ædibus ſuis ſive intra mœnia ſive in ſuburbano vixit privato cultu exſors aulæ & paterni conſpectus. Hic narrat textus de ejus inſigni ſpecie corporis, qua totus eminebat à vertice ad calcem ſine ullo defectu. Hinc exiſtimat Joſephus Scripturam voluiſſe quod formæ decori nihil deceſſerit, vel propter mærorem, vel quod non ea tractatione uteretur, qua uti regium juvenem par erat. Cultui & curæ corporis nihil defuit in homine qui vindictæ ſuavitate paſceretur potius quam carperetur ſenſu delicti. Joſ. Ἀλλ' ἔτι ἐξεῖχε καὶ διέπρεπε κατά τε τὸ εἶδος καὶ τῷ μεγέθει τοῦ σώματος καὶ τοὺς ἐν πολλῇ τρυφῇ διαιτωμένους ὑπερέβαλλε. Formæ illius in toto Iſrael parem virum non fuiſſe Scriptura teſtatur. Quotannis tondebatur ob gravitatem luxuriantis capillitii, atque ita pendebat cæſaries ducentos ſiclos regios. Joſ. ἦσαν δὲ εἰσι πέντε μναῖ. Ducenti ſicli valent quinque minas. Mina igitur pendebat quadraginta ſiclos. Joſephus male intellexit verba Græci textus, Καὶ ἐγένετο ἀπ' ἀρχῆς ἡμερῶν εἰς ἡμέρας ὡς ἂν ἐκείρετο: quæ interpretatur; τοσοῦτον μέντοι γε ἦν τὸ βάθος τῆς κόμης αὐτοῦ ὡς μόλις αὐτὸν ἡμέραις ἀποκείρειν ὀκτὼ, σταθμὸν ἕλκουσαν σίκλους διακοσίους. Quidam putant id non fuiſſe pondo ſed pretii æſtimationem. Lyranus: *Dicunt aliqui, quod tantum vendebat tonſionem capillorum mulieribus, quæ inde ornabant capita ſua. Sed hoc non eſt veriſimile, quod filius regis tonſionem capillorum ſuorum venderet. Præterea dicitur hic, quod ſemel in anno, ad minus tondebatur. Creſcentia verò capillorum unius anni non videtur ita longa, quod inde poſſent fieri talia ornamenta. Et ideò videtur magis probabile, quod ſcriptura ſolum faciat mentionem de hoc pondere ad oſtendendum, quod habebat multos capillos, quod facit ad pulchritudinem hominis: quia de pulchritudine Abſalom ſcriptura hic loquitur.* Notat Kimchi eum pulchritudine & ſpecie ſua intumuiſſe, ut ſibi regnum deberi putaret; ideo rebellaſſe, cum audiret Davidem Salomoni regnum deſtinaſſe. De illius tonſura & cæſarie: *Dicunt,* inquit, *magiſtri b. m. quod Abſalom fuerit Naziræus ſeculi: ita fuerit cabbala in manu eorum; quia è ſcripturis non vident hoc. Nam forte quod nutrierit comam, ob ſpeciem, ut eis ſuperbiret ſeque ornaret. De anno in annum, cum gravis eſſet ut portare non poſſet, tondebat eam. Sed hi b. m. traditionem habent, quod* בנזירות *(in Naziræatu) aluerit eam & docent ex hoc, quod ille, qui vovet in naziræatu ſeculi, omnibus diebus vitæ ſuæ quando gravis eſt coma ejus, levat novacula de decem menſibus in decem menſes.* Hieronymus vertit *ſtatuto tempore*, quod interpretatur de 30. diebus in triginta dies. At verum eſt, *de anno in annum.* Jactatum eſt de Priamo, quod ſpecie eſſet digna imperio: ſic etiam in hoc homine ſed in pulchro corpore habitabat animus crudelis & nefarius. Abſalomo nati ſunt tres filii maſculini ſexus, una femella (cui nomen Thamar) formæ præcellentis. In Græca verſione τῶν ὁ habetur: Αὕτη ἦν γυνὴ Ῥοβοὰμ υἱῷ Σαλωμῶν, καὶ τίκτει αὐτῷ τὸν Ἀβιά. Idem habet Joſephus. Martyr: *Filii ejus inglorii fuerunt: nihil enim de iis prætereà in Scriptura legitur. Græcè habetur neſcio, qua periodus, iſtam Thamaram fuiſſe Roboami regis uxorem, matrem Abiæ. Fortaſſis veterum Hebræorum traditio fuit, in ſcriptura non habetur.* In 2. Chronic. XI. 20. ſcribitur Roboamum duxiſſe Maacham: inde id eſt deſumptum. Biennio toto Hieroſolymis conſedit, quo non licuit in regis conſpectum venire. Cujus cum tæderet, Joabum

bum vocat quem ad regem mitteret ut plenam reconciliationem efficeret: eo recuſante ſemel atque iterum, juſſit ut famuli incenderent agrum hordei, qui Joabi erat, ſuo adſitus. Id ægrè ferens Joab Abſalomum adiit expoſtulatum de injuria. Reſpondet igitur, id eo fine factum, ut bis vocatum & recuſantem eliceret. Velle ut petitioni ſuæ iret ſatisfactum. Præſtitiſſe ut non rediiſſet ab exilio, quam regis intuitu arceretur. Si tantum ſuum peccatum eſſet, interimat potius. Joab verbis ejus motus effecit ut rex eum ad ſe vocaret, veneratumque more ſolito, oſcularetur. Joſ. τοῦ δὲ ῥίψαντος αὐτὸν ἐπὶ τοῦ ἐδάφους καὶ συγγνώμην αἰτουμένου τῶν ἡμαρτημένων ἀνίστησι καὶ τῶν γεγονότων ἀμνηστίαν ἐπαγγέλλεται. Grotius: *Apparet audax & violentum fuiſſe Abſalomi ingenium: adhæc ipſum magnificum, popularem, eloquentem, ac per hæc omnia ad ſeditiones etiam excitandas, validum, ut Gracchos ei comparare poſſis.*

II. Sam. XV.

Receptus in gratiam, brevi magnum equitatum & multos currus ſibi comparavit & ſatellitium armatorum quinquaginta: qui eum antecederent. Lege vetitum erat ipſis regibus multiplicare equos: id igitur mirum in Abſalomo, ut notat Ralbag. Mirum, quod Davidi nihil ſuſpicionis obortum ſit. At ille minime ſuſpicax erat. Deinde ſingulis diebus, manè ad viam portæ (Joſ. ὄρθριος πρὸς τὰ βασίλεια παραγίνεται) excipiebat comiter litigantes, rogitans, qui & unde eſſent & quam cauſam haberent? Cumque illi id ſignificaſſent, dicebat cauſam eorum juſtam bonamque eſſe ſed non eſſe apud regem, qui ex æquo & legibus jus diceret. Grotius: *Præcipuè accuſat fratres ex matre alia, qui aulæ & deſideriis civium ad regem deferendis præpoſiti erant,* Joſephus ſcribit eos, qui cauſa ceciderant, compellaſſe, ut apud quos, quia offenſi erant, facilior eſſet penetratio. Regi malos eſſe conſiliarios, fortaſſis & ipſum lapſum eſſe, judicio. Se vero ſi judicandi munus haberet; ſi ad ſe veniretur, æquabilius jus dicturum. Etiam quotieſcunque aliquis accederet ſeque proſterneret venerabundus, eum amplexus & erigens oſculabatur. Eo modo furatus eſt animos totius Iſraël: cumque ſibi videretur firmam comparaſſe benevolentiam, quarto anno à reditu ex exilio, petiit à rege veniam ſacri perſolvendi in Hebrone, quod voverat exul pro reditu. In textu Hebræo habetur מקץ ארבעים שנה *à fine 40. annorum.* Hic admodum laborant interpretes: Ralbag: *Convenit ut hi quadraginta anni ineant à tempore ortus regni in Iſrael nempe à tempore unctionis Saul: aut incipiant à tempore perfectionis quadraginta annorum à tempore unctionis David. Et fortaſſis indicatum fuit per prophetiam, quod Davidis regnum quadraginta annis duraturum eſſet: eoque cogitavit Abſalom hoc eſſe tempus, quo receſſurum eſſet regnum à David. Et videbatur ideò quod jam perficienda eſſet ejus cogitatio de cæde patris ſui, ut regnum ad ſe devolveretur.* Kimchi ſupputat à tempore, quo petierunt regem. Eum fuiſſe annum decimum Samuelis. Saul regnaſſe cum Samuele annum unum, duobus ſolum. Hos tres eſſe: rebellaſſe autem Abſalomum trigeſimo ſeptimo Davidis. Sic Raſi: ששאלו ישראל מלך לשמאל נתגלגל דבר מרד ודשפלה במלטרו: Martyr quadrageſimum annum Davidis fuiſſe ita ſupputat: *David vixit 70. regnavit 40. annis, partim in Hebron, partim in Ieruſalem. Succeſſit illi Salomon, qui cum incipit regnare, fuit circiter annorum XI. aut XII. Natus autem eſt poſt commiſſum adulterium. Igitur cum peccavit David, fuit 58. aut 59. annorum. Si enim à 70. auferas XI. ſuperſunt 59. Poſtquam hæc acta ſunt conſecutum eſt ſtuprum Thamaræ. Abſalom ſiluit per duos annos, poſtea occidit fratrem & fugit*

fugit in Gessur, ibi per triennium egit: reversus est: duobus annis non vidit faciem regis: posteà per duos annos molitus est conspirationem. Colliguntur nunc 9 anni. Pene igitur septuagenarius erat David cum hæc acciderent, anni respondent &c. Scio esse qui legendum dicant post quatuor annos. Videntur id ex Iosepho hausisse. Latina versio etiam sic habet, sed non est nobis integrum lectionem mutare. Idem: *Sunt, qui istos annos supputare velint à prima unctione Davidis. Hoc autem verosimile non est, quia ista unctio fuit occulta, supputationes autem à rebus claris & evidentibus solent sumi, quemadmodum ab egressu ex Ægypto. Sunt qui quadraginta istos annos volunt fuisse Iubilæi tunc currentis. Sed quare scriptura nunc tantum ita supputet, non videtur probabilis ratio reddi posse.* Vulgatæ Latinæ codices quidam legunt *quatuor*, pleriq; cum Græcis & Hebræis quadraginta. Theodoretus ἀντὶ πλὴς τεσσάρων legerat: ἀλλὰ τεσσάρων διεληλυθότων ἐτῶν, τῇ χρηστότητι τῶν λόγων προκατασκευάσας τὴν τυραννίδα. Sic Josephus & Theodoretus certi autores sunt, olim quatuor lectum fuisse in editione τῶν ό. Hieronymus in tradit. Hebraicis monet ita legendum non esse. Ejus verba audiamus: *Quadragesimus agebatur annus ex eo tempore, quo Saul Nobe civitatem cum sacerdotibus octoginta quinque propter David interemit. Et iccirco hic idem quadragesimus annus ponitur, ut monstretur divinam ultionem suscitari super David, eo quod Abimelech sacerdotem fefellerit & propter eum tot sacerdotum cædes facta fuerit. Cave lector plerosque mendosos codices, in quibus scriptum invenitur: post quatuor (non post quadraginta) annos. In veracioribus vero codicibus & in Hebraica veritate, non quatour sed quadraginta scribuntur anni. Si vero contentiosus quis, eosdem quatuor annos adstruere voluerit ab eo tempore, quo Absalom Amnon fratrem suum interfecit, usque ad illud tempus, quo patri dixit: Vadam & reddam vota mea, quæ vovi Domino in Hebron, perspicue se errare, si diligenter perscrutatus fuerit, inveniat: Cum utique Absalom interfecto Amnon in Gessur apud regem Thelmai tribus annis, in Hierusalem inde revocatus non viso patre, duobus moratus fuerit annis & sexto anno faciem patris viderit & contra eam perduellionem præparaverit.* Atqui, ô bone, quatuor anni non à cæde Amnon sed revocatione Absalomi sumendi fuerint. Hoc apprimè quadrat: unde conjeceris levi trajectione textum Hebræum curari posse, ארבעה שנים pro ארבעים שנה: finalibus literis permutatis. Grotius: *Haud dubius hic error scripturæ additis ad vocem ארבע literis duabus. Quatuor enim annos intercessisse dixit Iosephus, nec aliter Theodoretus. Et hoc verum esse res ipsa loquitur.* Sed ille levissimus error est trajectionis literularum trium. Idem Grotius: *Non dubito quin miraturi sint lectores rerum humanarum imperiti, quomodo Absalomus tantam populi partem concitare potuerit, in regem tantis meritis ac victoriis, adde & virtutibus præclarum: ii igitur considerent fuisse in populo multos, Sauli quondam caros, nunc non in pari honore & gratia. Multos, qui Isbosethi partes secuti fuerant, sibi aut metuisse, aut certè de profectu desperasse. Tum vero, ut ait Tacitus, unius invidia ab omnibus peccatur. Ioabi superbia & in atroci facinore impunitas regem onerabat, qui eum impunè sineret in cives grassari. Cæteris quoque Davidis ministris, sicut prudentia non aberat, ita ex longa potestate & diu blandiente fortuna elatiores minusque populares facti erant animi. Davidis ipsius pauca quidem erant peccata, sed illa in Vriam gravia post adulterium cædes, post eædem nuptiæ, omnes homines incertos reddiderant rerum omnibus carissimarum conjugii & vitæ. Apud feminas quoque infame fuisse Betsabeæ nomen, invisam potentiam, credibile est. Ad has odii causas accessit vindex Deus, ferri quo vellent, sinens, accensos semel animos. Bene dictum Euripidi in Erechtheo:*

Ἐξουσίᾳ δὲ μήποτ' εὐτυχῶν τέκνον,
Αἰσχροὺς ἔρωτας δημοτῶν διωκάθειν.
Ὃ καὶ σίδηρον ἀγχόνας τ' ἐφέλκεται.
Χρηστῶν πενήτων ἄν τις αἰσχύνῃ τέκνα.

Libido

Libido Pisistratidas, libido Tarquinios regno evertit, multosque alios, quorum mentio apud Aristotelem lib. 1. politicorum cap. 10.

Prensationes criminationesque, turbamenta vulgi, sine modo adhibita, insignem habuere effectum. Cum igitur Hebronem concederet simul exploratores id est concitores vulgi, per omnes tribus sparsit. Grot. *Saturninos, Pescenninos & alios ejus artificii: in quibus forte erant & sacerdotes & Levitæ, genus hominum ad res turbandas, ubi suis indulgerent affectibus, maxime idoneum.* His mandatum ut audito buccinæ sonitu, proclamarent, Absalomum esse regem Hebrone. Salianus arripit locum Hieronymi ex tradit. Hebraic. *Votum se vovisse mentiendo dixit: id est orationem facturum in loco, quo requiescunt Abraham, Isaac & Iacob. Quod aperte ostendit,* (inquit Salianus) *etiam Davidis tempore religiose coli solita monimenta sanctorum, votaque Deo sub eorum patrocinio facta esse ac persoluta. Re enim dubia vel insolenti, non benè texisset mendacium suum Absalom, nec habuisset ejus prætextus ullum apud Davidem probabilitatem. Absalonem imitati sunt, qui specie reformandæ religionis, reges legitimos è suis regnis exturbare conati sunt.* R. 1. Quod sanctorum monumenta in V. T. culta religiose fuerint, nullo exemplo probatur. 2. De Hebrone Absalom dicit quantum ad sensum animi erat, quia locus ob memoriam vocati illic ad regnum Davidis, suis conatibus videbatur esse oportunus: prætextu quod illic natus esset: & fortassis illic loci insigne excelsum fuit. Non erant ea tempestate illicita excelsa, quia seculum erat בין המנוחה ובין הנחלה id est inter tabernaculum (משכן) Silo & domum sanctuarii. 3. Absalom non prætexit religionis reformationem sed tribunalium juris. 4. Martyr: *Multa ergò conceduntur religionis nomine, quæ alioquin non darentur. Hoc vidit Absalom, petit ergò facultatem abeundi sub specie religionis. Et hypocrisis hæc: abutitur religione, ut inserviat ambitioni suæ.*

Salianus: *Hoc autem modo progressus est Absalom. Primò accepit à rege commeatum, ut multo cum comitatu proficisci posset, multasque victimas pacificas in convivia mactare. Secundo misit per universum regnum, qui ubique populos monerent, ut præscripto die & hora, ad clangorem buccinæ regem Absalonem proclamarent & ad eum confluerent. Tertio profectus est non solum cum ordinario cætu domesticorum & amicorum, qui consiliorum participes erant sed & ducentis* viris, qui Absaloni non favissent, nisi eos imprudentia implicuisset: forte è consilio Achitophel, ut & aliæ civitates, Hierosolymorum exemplum facilius sequerentur. Judæi fingunt tabellam Absalomo concessam de duobus, quos in comitatu haberet. Eam scedulam distinctim & sæpius binis ostendisse, donec ducentos aggregaret. Hoc drash est. Pergit Salianus: Quartò accivit Achitophel, totius machinationis architectum, quod etiam Lyranus, Abulensis, Dionysius existimant. Quintò Hebrone sacra & epulæ, inungitur & proclamatur rex Absalom, cum ingenti populi confluxu. Sacramento (ut credi par est) in nomen ejus adiguntur omnes. Martyr: *Audita erant tuba: allecti ergò dulcedine novarum rerum undique concurrunt. Alii quod aliquando patrimonii & nominis naufragium fecerint ad scopulum luxus & libidinis, cupiunt res novas. Sic ad Catilinam ambitiosi, obærati & alii nefarii homines undique confluebant, ut ex istis miseriis emergerent. Accurrunt ut ineant gratiam apud novum regem. Ita fit ut minor pars cum Christo faciat, major cum Antichristo. David intereà hæc ignorat: miserat filium sacrificatum, nihil tale suspicatus erat. Nuntius venit ad eum sed ut arbitror sero (credibile enim est conjuratos viam obsedisse) Is dicit populum, corde sequi Absalomum. Vis conjurationis intelligitur ex eo vocabulo,* Corde: *Volentes & ultronei veniunt, non coguntur.* Simul innuit universalem esse defectionem:

Est cor virorum Israel post Absalomum. Absque omni dubio consilium fuit Davidem cum suis ex improviso opprimere. David igitur omnibus servis, quotquot aderant celeri fuga abeundum edicit, ne opprimantur & urbs in cladem trahatur. Quibus obsequentibus decem concubinas ædibus custodiendis reliquit. Ingens turba regem sequebatur. Substiterunt in loco remoto à mœnibus ut consilium caperent & populus ordinaretur. Lustrans suos, *vidit adesse Crethæos* & Plethæos item Getthæos sexcentos viros, qui nuper è Geth ad eum venerant: incertum qua de causa. Jos. *καὶ τῶν ἑξακοσίων ὁπλιτῶν, οἱ καὶ πρώτης αὐτοῦ φυγῆς ἐκοινώνουν, ὅτι ἔζη σαῦλος.* Horum præfectum Ithai monuit ut retro abiret ad Absalomum. Nam cum ad certa negotia advenissent, iis curatis in patriam redituros esse. Esse autem inconveniens, ut peregrini sua causa inquietarentur. Se fidei illius agere gratias: iturum, quo Deus vocet. Recusat Ithai nec separari velle, sed comitari in omnem eventum. Transierunt igitur Cedronem, viri & imbellis ætas. Universa circumjacens regio ejulatu personabat, cum populus torrentem transgrederetur. Vertunt iter versus solitudinem. Sadoc etiam aderat cum omnibus Levitis portantibus arcam Domini. Sal. *Præter eos, qui secuti fuerant Davidem & una cum eo egressi ex Ierusalem, plerique alii arcam Domini & pontificem cum sacerdotibus & Levitis secuti sunt. Substiterunt ergo sacerdotes cum arca, ubi ad Davidem, qui erat adhuc cis torrenem Cedron, pervenerunt & eam in tumulo aliquo collocarunt, ut ab omnibus, qui cum Davide erant, videri atque honorari posset, dum pontifex apud eum Davidis nomine consuleret. Quæ est Hebræorum minime absurda sententia. Ideo; inquit Hieronymus,* arcam Dei deposuisse dicuntur, ut Dominus ab Abjathar sacerdote consuleretur, quorsum David ire deberet. Ascendisse autem Abjathar dicitur, id est, orasse, & quia oraculo Divino, non ei responsum est, iccircò in subsequentibus dixit David, ut reportaretur arca Dei in urbem. *Hæc ibi, quæ à Cajetano, Comestore, Lyrano, Abulensi, Hugone, Glossa, Dionysio, Emanuele Sa: tum referuntur, tum probantur.*

In tumulum istum ascendisse Abjathar videtur & Dominum orasse, donec tota multitudo transiisset. Jubet reduci arcam. Quidam putant denegatum Abiatharo esse responsum in logio, ideò David agnovisse Dominum necdum placatum esse. Theodoretus cogitasse casum, quo arca in Palæstinorum manus olim devenerat. Mandasse igitur retro referri. Dras est quia ipsi denegatum oraculum est, amotum esse sacerdotio & intrasse Sadocum. Sic Rasi è Seder olam, at Kimchi monet פשט esse, quod in locum separatum secesserit, ubi arca erat. Ideò Davidem locutum esse cum Sadoc, postea v. 29. comparet Abjathar, postquam scilicet populus transiisset. Commentantur Davidem agnovisse, quod venisset tempus, quo maledictionis eventus in domum Eli stringeretur. Ad Sadocum enim dixit David: Reportetur arca in urbem. Si gratiam invenero in oculis Domini, reducet me ut videam arcam & ejus habitationem. Quod si me repulerit: adsum, faciat, quod placet. Jos. *μετὰ τῆς κιβωτοῦ μένειν ἐκέλευσε, ὡς τοῦ θεοῦ καὶ μὴ μετακομιζομένης αὐτῆς, ῥυσαμένου* (leg. *ῥυσομένου*) Prætereà rex ad sacerdotem Sadoc, הרואה אתה Nonne tu videns es? Vel Nonne vides tu? Rasi, *Nonne vides tu, quod bonum consilium sit?* Alii volunt fuisse videntem seu prophetam. Prius malim aut ut videns significet hominem prudentem & rerum peritum. Ideò *Revertimini* in urbem cum Achimaas filio tuo & Abjathar, filio Jonathan. Ego considebo in campis solitudinis, In lectione est בעברות המדבר at in scriptura בערבות, operiens quod à vobis annuntiabitur. Duo igitur pontifices arcam Hierosolyma reducunt & in urbe manent ex consilio Davidis. David ascendit in montem olivarum flens gemensque, nudis pedibus, adoper-

adoperto capite, similiter universus populus flebat capitibus obtectis. Ita progrediuntur in verticem montis olivarum. Mos erat veterum; ut viri flentes caput obvolverent. Antequam in cacumen eniteretur, nuntiatum est Achitophel, consiliarium suum, in partibus filii esse. Precatus igitur Deum est, ut ejus consilium perverteret. Plurimum nocere regibus illi possunt, quibus nota sunt regum consilia. Et Achitophel perspicacia & prudentia summus habebatur. In cacumen eniso & Deum veneranti (Sive locum arcæ respexerit tantum ubi nunc erat, sive indefinitum locum domus sanctuarii) occurrit Husai Archita, lacerata tunica, pulvere insperso capiti. Cui David, Si mecum progrediaris, oneri eris, si in urbem reversus Absalomo te adjunxeris, poteris Achitophelis consilia disturbare. Sadoc & Abjathar ad manum esse, quibus rem indicare possit, quæ videretur notificanda, eorum filios Achimaas & Jonathan posse deferre. Grotius: *Non deserebant in tantis malis Davidem suæ artes: sed ubi leonina non proderat, assuebat vulpinam, verè ἀγχίνους & quæ ex usu erant, reperire solers.*

Observa: In Græco v. 32. pro Ἀρχίτης scribitur ὁ ἀρχιέταιρος Δαβίδ. In v. 34: Διεληλύθασιν οἱ ἀδελφοί σου καὶ ὁ κατόπισθέ μου διελήλυθεν ὁ πατήρ σου &c. Plura hic Davidi attribuunt, quibus instruit Husai ad decipiendum Absalom, quam veritas habet.

Josephus Davidem precatum esse: *ἀπαλλοτριῶσαι τὴν Ἀβεσαλώμου διάνοιαν πρὸς τὸν Ἀχιτόφελον. ἐδεδίει γὰρ μὴ τἀναντία συμβουλεύων πείσειεν αὐτόν, ἀνὴρ ὢν φρενήρης καὶ συνιδεῖν τὸ λυσιτελὲς ὀξύτατος.*

II. SAM. XVI.

HUsai regresso David è clivo montis descendens obvium habuit Sibam Mephibosethi famulum, cum asinis duobus, qui onusti erant rebus ad vitam necessariis. Lxx: *ζεῦγος ὄνων ἐπισεσαγμένων, καὶ ἐπ' αὐτοῖς διακόσιοι ἄρτοι καὶ ἑκατὸν σταφίδες καὶ ἑκατὸν φοίνικες καὶ νέβελ οἴνου.* Ducenti panes erant, centum uvarum passarum massæ, centum massæ fructuum æstivorum (קיץ) & uter vini. Salutato rege, offert ista jumenta ut inequitaret regis familia, edulia in cibum pro servis, vinum, ut bibant fessi in solitudine. Rogatus de filio domini sui, respondet eum Hierosolymis, in spem regni recipiendi è rebus turbatis, substitisse. David præcipiti ira Sibæ largitur, quæ Mephiboseth prius donaverat. Salianus ineptam fuisse calumniam observat. Nam nihil illic serebatur aut metebatur Mephibosetho. Homini elumbi & inutili ad regnum nec voluit nec potuit populus solium deferre. Credidit tamen David. Facilis ad credendum, facile decipitur. Grotius: *Sunt quædam ita speciosæ calumniæ, ut etiam prudentissimo regi possint imponere.* Attamen vel sola Jonathanis memoria & debilitas Mephibosethi retinere Davidem debuerunt, ne quid temere crederet. Vetus dictum principibus inprimis utile, *Νῆφε καὶ μέμνησ' ἀπιστεῖν.* Nec minus efficax dictum Mardonii, in Polymnia Herodoti. *Διαβολὴ γάρ ἐστι δεινότατον· ἐν τῇ δύο μέν εἰσι οἱ ἀδικέοντες, εἷς δὲ ὁ ἀδικεόμενος· ὁ μὲν γὰρ διαβάλλων ἀδικέει, οὐ παρεόντων κατηγορέων· ὁ δὲ ἀδικέει ἀναπειθόμενος, πρὶν ἀτρεκέως ἐκμάθῃ· ὁ δὲ δὴ ἀπεὼν τοῦ λόγου τάδε ἐν αὐτοῖσι ἀδικέεται, διαβληθείς ὑπὸ τοῦ ἑτέρου καὶ νομισθεὶς πρὸς τοῦ ἑτέρου κακὸς εἶναι.* Elegit ille nequam tempus afflictæ regis fortunæ animique in hac tanta perturbatione rerum fluctuantis. Perturbatio acumen offuscat, afflictio credula est. Callidus ille est, sequitur Davidem specie humanitatis, quæ gratissima erat, in communi illa defectione. Martyr: *Magna est calamitas Davidis: patitur injuriam & infert, quod postremum*

gravius

gravius est. Idem: *Hinc videmus, quanta sit humana infirmitas, etiam in sanctis viris, cum David in ipso supplicio sub ferula Dei peccet. Non par fuit, ut ita sententiam suam præcipitaret.* Theodosius legem tulit, ut si princeps in causa sua judicarit iracundius, exsecutio ad trigesimum diem differatur, quo corrigi possit sententia. Ambrosius illi hanc legem suggessit. In Davidis hac sententia, fuit temeritas, ingratitudo, postremum violatio juramenti. Genis lachryma madentibus, recens ab adoratione numinis præcipitatur in grave peccatum. Grotius: *Nempe ex confiscatione ob crimen perduellonis* Sibæ donat heri possessiones, qui venerabundus recipit. Multa interim reges in bello præsertim, opertis oculis donant, ut apud Senecam est de beneficiis IV. 37. Sic delatores, genus hominum publico exitio repertum & pœnis quidem nunquam satis coërcitum, per præmia eliciebantur. Tacit. annal. IV.

Cum usque Bahurim (in tribu Benjamin, aliàs עלמה ut dicit Kimchi) pervenissent, prodiit homo impudens è familia Saul, Semei filius Gera, qui & lapidibus & maledictis Davidem impetebat: quamvis heroibus & universa multitudine dextra lævaque stipatum. Lapides jaciebat in omnes, maledicta in regem. Verba maledicti: Exi, exi, vir sanguinum & vir Belial (LXX. ἀνὴρ ὁ παράνομος) Deus in te reduxit omnem sanguinem domus Saul, in cujus locum successisti. Nunc Dominus regnum tradidit in manum Absalomi filii tui. Ideo in infortunio es, quia vir sanguinum es. Hic Abisæus ad regem: Quid hic mortuus canis, maledicit Domino meo, regi? Transeam, ut demam ipsi caput. At rex: Quid mihi vobiscum filii Sarujæ? Maledicat, Dominus præceptum dedit, Maledic Davidi: quis igitur obloquatur: Cur ita facis? Filius, qui prodiit è visceribus meis, animam meam quærit: quanto igitur magis hic filius Jemini. Faciat, maledicat, Dominus ipsi dixit. Forte Dominus respiciet calamitatem meam: ut mihi bonum rependat pro hoc maledicto. David igitur cum suis progrediebatur, comitabatur autem Simei ex adverso ad latus montis, maledictis incessens, lapides & pulverem jactans. Theodoretus interpretatur verba Davidis. ἱμάς ἐστιν οὗτος φησὶ τοῦ θεοῦ καὶ ῥάβδος, οὐχ ὁρῶ τὸν ἱμάντα, ἀλλὰ τὸν μαστιγοῦντα. τῇ ἐμαυτοῦ παρανομίᾳ ἐπιγράφω τὰς συμφοράς. οὐχ ἅπτομαι τῆς ῥάβδου, ἵνα μὴ παροξύνω τὸν παίοντα. *Lorum est iste, inquit, Dei & virga: non video lorum sed flagellantem: meis iniquitatibus inscribo calamitates: non attingo virgam, ne irritem flagellantem.* Deinde: οὗτός φησιν ἐκ τῆς τοῦ Σαοὺλ ἐστι συγγενείας, παλαιὰν ἔχων περὶ ἐμὲ τὴν δυσμένειαν· καὶ εἰκὸς τινὰς εἰπεῖν, ὅτι καιρὸν εὑρὼν ἐγύμνωσε τὴν ἀπέχθειαν. Τὸν υἱόν μου, τὸν ὑπ' ἐμοῦ καὶ σπαρέντα καὶ τραφέντα καὶ εἰς τοῦτο ἡλικίας ἐλάσαντα καὶ τιμῆς, τίς ἐκπεπολέμωκέ μοι; δῆλον τοίνυν ὡς ἡ ψῆφος ἄνωθεν ἐξενήνεκται· Καὶ ὡς προσθήκην ἐπιφέρει τὸ πέρας· ἐγὼ δὲ φέρω καὶ τοὺς παροινοῦντας καὶ τοὺς φονῶντας, ἵνα ταύτῃ πραΰνω τὴν θείαν ὀργήν. Ita Davidis verba explicat, sed causam fuisse, quod Divinæ providentiæ cura destituta navis fluctuaret. εἰδέναι δὲ χρὴ, ὡς οὐ τῆς θείας ἐστὶν ἐνεργείας, ὅτι τοῦ Ἀβεσσαλὼμ ἡ ἀδελφοκτονία καὶ ἡ κατὰ τοῦ πατρὸς γεγενημένη μανία· ἀλλὰ τῆς θείας προνοίας ἡ οἰκία γυμνωθεῖσα σκάφος ἀκυβέρνητον ἐμιμεῖτο καὶ τῶν πονηρῶν δαιμόνων τὰς τρικυμίας ἐδέχετο. Kimchi: כי הוא רצה בטלטולי זה או פירושו הוא העיר את רוחו לבזות אותי לענוש עוני; Dein perventum est in Bahurim, ubi fessi se curant & reficiunt. Interim Absalomus Hierosolyma intraverat cum toto Israel, ad quem Husai accedit gratulabundus *Vivat rex, vivat rex.* Huic Absalom. Hæccine est tua beneficentia in amicum, cur eum non comitaris? Husai, ut edoctus, fabulæ inservit. Quem inquit, Dominus elegit & totus Israel, cum sequar, illi adhærebo. Deinde, Cui servirem? Nonne ita filio ut olim patri? Quidam, inquit Theodoretus, non laudant, quod mentitus sit Husai. Respondet

det ipse: Καὶ τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ ἐναντίον τῇ οἰκείᾳ ἐξετάζων προθέσει. Atqui scopus non facit opus bonum, quod sua natura malum est. Conatur ostendere, quod aliquando mendacium præstet fidei; quia Herodes melius fecisset, si cum veritate conjunctam cædem omisisset, quam cum implevit, quod juraverat. Ἄμεινον γὰρ ἦν μὴ ὀμόσαι, ἐπεὶ δὲ ὤμοσε τὸ ψεῦδος αἱρετώτερον τῆς σφαγῆς. Sic est: nemo juramento adstringi potest ad impium facinus, qui malè juravit, peccatum accumulat, si faciat quod juravit. At hic mendacium quo officiosus esse vult cum perfidia. Profuit regi suo, cui debebat obsequium sed modo recto & legitimo. Cur se obstringit alteri, ut nisi cum perfidia priori servire non posset? Mittit eum David ut exploret non ut communicet peccatis alienis. Theodoretus iterum: Καὶ ἐνταῦθα πάλιν ἡ ὑπόκρισις, οὐκ ἐπὶ κέρδει χρημάτων, οὐδὲ ἐπὶ λύμῃ ἑτέρων, ἀλλ' ἐπὶ ζήλῳ προφήτου καὶ βασιλέως εὐεργετουμένου ἐγένετο. Fatemur bonum esse animum, sed negare non possumus, quin mentitus sit. Deus voluit peculiariter hoc medio uti: Verum est, at illi agere debebant ex legis præscripto & id respicere atque intueri.

Cum Absalom consilium rei agendæ quæreret, Achitophel censuit illi id inprimis faciendum esse, ut populus cognosceret non geri rem ex composito nec esse offensionem, quæ facile posset coire, quo audentius adversus patrem agerent. Monarchæ qui bella gesserunt, pacem faciunt, qui in partibus fuerunt, dant pœnas. Non esse תחבולה זאת לבחון ut loquitur Ralbag. Vult igitur ut misceretur Davidis concubinis. Husai non adfuit; certè bonus vir in tam nefarium consilium non potuit consentire. Grotius: *Homo vafer scit nihil magis timere eos, qui principes sanguinis regii in factione sequuntur, quam ne ii principes reconcilientur cum rege & sic rex compos iterum regni factus, occasiones semet vindicandi quærat. Itaque hoc solent agere, qui in tali parte sunt, ut res perducantur ad abrupta, nullamque sanationem recipientia. Thorum autem patris qui violat, is plane creditur, nullum sibi receptum ad gratiam ejus relinquere. Sic Artabanes Persarmenius multos Persarum occidit, ut ad Romanos transiens fidem apud eos inveniret, ut narrat Procopius Gothic. IV. Quantus autem dolor patri ex stuprata per filium concubina, ex Iacobi animadversione in Rubenum intelligi potest.* Sic Iliad. ix. Phœnix narrat de suo peccato in pellicem patriam, quo patri ægre fecit matris instinctu. Idem ille consiliarius Davidis fuerat, Davidi dederat consilia, quæ optimo ejus scopo convenirent, Absalomo, quæ ejus moribus. τὰ τῷ τρόπῳ κατάλληλα Theod. Δεδιὼς γὰρ μὴ συναγάγῃ πάλιν αὐτοὺς ἡ φύσις, εἶτα τῶν καταλλαγῶν γενομένων δίκας ἀπαιτηθῇ προδεδωκώς, τὴν ἐσχάτην ἐκείνην παρανομίαν ὑπέθετο ὥστε μηδεμίαν παρείσδυσιν γενέσθαι καταλλαγῶν. Ut id consilium impleret tensum est tentoriam in tecto. קנופן chald. Dicunt Rabbini, quod statuerint quatuor columnas seu quatuor ligna, quæ obduxerunt pellibus. Hic Absalom inspectante toto populo violavit pellices; ad ipsum in tentorium illud palam introductas. Achithophel ea tempestate habebatur consilio optimus, ut ejus consilium duceretur par oraculo Dei, ut apud Davidem, ita & Absalonum.

II. Sam. XVII.

Cum id perfectum esset, deliberatum de ipsa rei summa & ratione belli. Consilium Achithophel dedit hujusmodi: Tribuantur mihi duodecim millia (Jos: malè μυρίων) delectorum ex Israël, ut Davidem hac nocte fessum trepidumque persequar. Superveniam enim inopinato & trepidantibus ac fugientibus imminens regem solum percutiam: quo cæso universum populum ad te reducam. Absque omni dubio salutare Absalomo, perniciosum

Davidi consilium fuit. Fervente enim trepidatione, fessos & incompositos dissipasset. Ille Achitophel Gilonita putatur fuisse avus Bathsabæ. Nam habuit filium Eliam inter heroas. 2. Sam. 23. 24. Quæ igitur causa quod tam infensus fuerit Davidi neptis suæ marito? Placuit hoc consilium Absalomo & senioribus Israel: voluit tamen Absalomus (ita Dei providentia rem curabat) Husæum audiri: Qui ita orsus, Consilium, quod dedit Achitophel, hac vice bonum non est. Nosti patrem & comites heroas esse animo imperterrito & offensionibus accenso, ut ursa catulis orbata. Et est pater tuus homo militaris, belli peritus, qui non pernoctabit cum populo. In specu aliquo se abdidit aut loco inaccesso. Quod si ex insidiis aliquot tuorum forte cæciderit, primæ aggressionis clades pervulgata trepidationem etiam fortissimis dabit, cum universus Israel sciat patrem tuum omnesque qui cum eo, viros bellacissimos esse. Ita refutato Achitopheli consilio, suum promit. Ego velim festinato ad te congregari, totum Israël à Dan usque Bersabe numerosum instar arenæ maris: & te ipsum prodire in aciem. Ita regem quocunque in loco se tenuerit, tutò obruemus, ut ros solo incumbit: ut nec ipse, nec sociorum quisquam evadere possit. Si etiam in urbem munitam se intulerit, funibus universam, ut nec lapillus supersit, trahemus in subjectum torrentem. Hoc consilium Absalom & totus Israel prætulerunt. Josephus non malè mentem verborum Husai interpretatur, postremum ita reddit: μηχανήμασι καὶ ἐρύγμασιν ὑποτίμοις καθαιρήσομεν.

Cum id consilium approbatum esset, Husai pontificibus Sadoc & Abjathar indicat, quid Achithophel, quid ipse consilii dedisset, enuntiandum Davidi. Inprimis monendum ne ea nocte in campis (Gr. [illegible]) solitudinis moretur, sed cum populo Jordanem festinus in tutum trajiciat: si forte Achitopheli consilium urgeretur: deinde ut & à suo tutus esset. Ita disposuerant enuntiandi modum: Jonathan & Achimaas extra moenia ad fontem Regel in latebris constiterant, quia in urbe versantes & ex urbe egredientes conspici haud ex re fore arbitrabantur. Ancillæ ministerio ad eos rem deferunt. Animadversi sunt à puero, qui indicat Absalomo. Missi igitur qui interciperent. Evaserunt in ædes cujusdam in Bachurim (vicus erat haud procul agro Hierosolymitano, ut inquit Josephus) illic in atrio puteus erat, in quem ingressi, mulier os putei velamine obtegit: cui inspergit (הריפות Græci ἀραφώθ, Latini *Ptisanas*, Jos. [illegible]) Cum inquirerent missi (forte equites) de juvenibus, quos cognoverant eo divertisse, responsum est, rivum transiisse. Cum insecuti non assequerentur eos, Hierosolymam redeunt. Juvenes egressi penetrant ad Davidem, qui re cognita, festinato itinere ad Jordanem suos pertraxit. Cum illucesceret, omnes ad unum flumen trajecerant. Achitophel consilium suum rejectum esse videns & quo res esset evasura, strato asino, domum reversus est: & dispositis rebus suspendio vitam finiit. Illatus est in monumentum patrium. Josephus Achithophelis ultima instruit oratione congrua ad suos: at errat, cum ab equitibus Jonathanem & Achimaas conspectos esse scribit (ἀποσταδίων τῆς πόλεως δύο) qui id ad Absalomum detulerint. Theodoretus de Achithophel: εἶπε δὲ [illegible] πολλὰ τῆς ἀνοίας ἐκείνης ἢ πονηρίας εἰσηγήσεως. Καὶ ἐπειδὰν [illegible] ὥπλισε τὸν υἱὸν, αὐτὸς παῖδα καθ' ἑαυτοῦ τὰς χεῖρας καθώπλισε· καὶ πρῶτος ἐμβαλὼν τῷ τραχήλῳ τὸν βρόχον, [illegible] τέλος· [illegible] τὸ τέλος, [illegible] τοῦ Δαβὶδ [illegible] τὴν [illegible] καὶ [illegible] τὴν προδοσίαν, [illegible]. David pervenit Mahanaim (Græci εἰς Μαναΐμ. Jos. εἰς [illegible] καλλίστην καὶ ὀχυρωτάτην πόλιν) Absalóm cum universo Israel trajicit Jordanem.

nem. Amasam filium Jethra Ismaelitæ genitum ex Abigail, filia Nahas, sororis Sarujæ matris Joab. Videtur scriptura (v. 25.) dicere, quod Abigail fuerit filia Nahas cum fuerit filia Isai. 1. Chronic. 3. 16. Nisi dicendum, quod Nahas ille avus Abigail. Ut videatur Isai duxisse conjugem filiam Nahas, regis Ammonitarum, è qua genuerit Sarujam & Abigail. Judæi volunt in Dras Isai appellari Nahas (נחש) quia mortuus est sine iniquitate בעטיו של נחש. Nempe ex vi peccati originalis tanquam actualium purus ר"ל בעצתו של נחש שיעץ לחוה לאכול מעץ הדעת ואז נקנסה מיתה על אדם וחוה ולא ליש עון אחת שמת בעבורו. Sic Kimchi, qui aliam patris sui expositionem narrat, nempe Isai serpentem dictum esse, quod genuerit tanquam צפעונים basiliscos, qui percusserunt in populis mundi. Id Esai. 14. 29. significari: E radice (נחש) egredietur basiliscus. Nempe è radice Isai qui vocatus est Nahas (serpens) proditurum esse regulum serpentem, qui sit Ezekias. Ismaelita fuit pater Amasæ, hic vitio scripturæ appellatur הישראלי pro הישמעאלי. Lxx. ὁ Ἰεζραηλίτης quod expressit vulgatus. Mendum antiquum est. Hieronymus Ismaeliten dictum scribit, quia Davidem fugientem non est secutus, imitatus opera Ismaelis. Iezraeliten dici, quia Amasæ filii peccatum non sequentis Davidem, deletum sit à Joabeum interficiente. Quæ sunt inepta. Israel & Absalom consederunt in terra Galaad: ad Davidem autem in Mahanaim agentem venerunt multi, quorum animi in fide constantes erant. Advenit enim Sobi filius Nahas è Rabbath filiorum Ammon. Credibile est, hunc fuisse alterum filium Nahas regis Ammonitarum, qui Davidi semper adhæserat, toto bello, quo frater Hanon cum eo colluctatus est. Et Davidem hunc regioni victæ præfecisse. Rabbini volunt fuisse ipsum Hanon, quod non facile admittit Kimchi nisi proselytus factus sit. Verosimilius putat fuisse Israëlitam, qui inquilinus erat Rabbæ. Tum Machir filius Ammielis è Lodebar & Barzellai Galaadita è Rogelim. Josephus scribit cum omni benevolentia acceptum à primatibus regionis, *κατά τε αἰδῶ τῆς τότε φυγῆς καὶ κατὰ τιμὴν τῆς προτέρας εὐπραξίας*. Sobi appellat Siphar *τῆς Ἀμμανίτιδος δυνάστην*. Hi attulerunt ad Davidem, 1. משכב *Stratoria* Chald. מכבין *sindonem*; Gr. *δέκα κοίτας ἀμφιτάπους*. 2. וספות (Chald. וקולין) *pelves*. Gr. *λέβητας δέκα*. 3. vasa fictilia. 4. triticum. 5. hordeum in farina & tosto 6. פול fabam. 7. & lentem eamque tostam. 8. Mel. 9. Buturum. 10. oves. 11. בקר שפות Gr. *σαφὼθ βοῶν* Lat. pingues vitulos, Chald. גובנין דחלב caseos è lacte. Hæc allata ut fessos & famelicos reficerent, qui per solitudinem properaverant. Jos. *οὗτοι πᾶσαν αὐτῷ καὶ τοῖς ἐκείνου τῶν ἐπιτηδείων ἀφθονίαν παρέσχον ὡς μήτε κλίνας ἐπιλείπειν ἐστρωμένας, μήτε ἄρτους ἢ οἶνον, ἀλλὰ καὶ θυμάτων ἀφθονίαν χορηγῆσαι, καὶ τῶν εἰς ἀνάπαυσιν ἅμα κεκοπωμένοις καὶ τροφὴν χρησίμων, δαψιλείαν παρασχεῖν. Hi omnem ipsi ejusque sociis necessariorum abundantiam præbuerunt, ut neque deessent lecti strati, neque panes neque vinum, sed & mactationum copiam subministrarent, præberentque simul fessis copiam ad quietem & alimoniam.*

II. SAM. XVIII.

DAvid lustratum populum subjecit chiliarchis & centurionibus, deinde tripartitò divisum Joabo, Abisæo & Ithæo Getthæo. Josephus scribit numerum invenisse quatuor millium. Id non est in textu. Ipse quoque in discrimen belli se committere voluit, quod populus omni modo prohibuit. Nam in eo incolumi plus situm esse, quam in victoria, aut amissa dimidia parte copiarum. Præstare unum illum decem millibus. Melius esse, ut pugnan-

tibus ex oppido suppetias submitteret. Videtur Absalom ex consilio Husai oppidum obsidione cingere voluisse: at David præmonitus suos obviam misit. Hoc videtur etiam sentire & dicere Josephus. In Græco: ὅτι σὺ ὡς ἡμεῖς δέκα χιλιάδες. Theodoretus ostendit olim fuisse: Καὶ νῦν ἀφαιρεθήσεται ἐξ ἡμῶν ἡ γῆ δέκα χιλιάσι. At lectio, quæ nunc habetur est Symmachi. Quomodo autem in uno plus situm quam in universis copiis Theod. εἰκὸς γὰρ ἦν κατ' αὐτοῦ μόνου τὰς δυσμενεῖς &c. Alteram causam non recipio; veritum populum esse, ne victor misereretur tyranni. Josephus etiam addit, hostem suspicaturum, quod alter exercitus cum rege esset. Persuasus David mansit in Mahanaim. Stabat autem circa portam egredientibus copiis per centurias & chiliadas. Totoque exercitu audiente ducibus & præfectis omnibus præcepit ut curam haberent juvenis Absalomi. Grot. *Nimis indulgenter & cum publica pernicie. Atqui Romanis antiquis, non populi tantum salus sed & disciplina castrorum antiquior fuit, quam caritas liberorum: L. Postliminium. ff. Filius. D. de Captivis. Cicero de finibus primo, de Manlio Torquato agens, ait eum ipsi naturæ patrioque amori prætulisse jus majestatis atque imperii.* Ita redarguit Davidem: at David salutem filii non prætulit saluti populi, quia victo parci voluit & victum servari, quo posset animæ ipsius consuli per admonitiones & pœnitentiam. Jos. φείσασθαι δὲ καὶ τοῦ παιδὸς Ἀβεσσαλώμου κρατήσαντας ἠξίωσε μή κακόν αὑτὸν ἐργάσηται τελευτήσαντος αὐτοῦ. Gelenius id bene reddidit: *ut post victoriam filio parcerent, ne occiso illo, aliquid mali in se ipsum statueret.* Quis eam mentem Davidis fuisse arbitretur? Rectè Josephum hic redarguit Salianus, ut αὐτοχειρίας fautorem, aut ab ea non alienum. De Absalomo non de seipso fuit solicitus: Rectè Josephus dixit, Votis persecutum esse copias. Prælium commissum est ad sylvam Efraim (ביער אפרים) Saltus ille Efraim videtur dictus, quod illic olim cæsi essent Efraimitæ, Judic. XII. vel quod illic Efraimitæ bello adversus Madianitas egregie pugnassent Judic. 7. vel (ut Lyranus) quod solo Jordane intermedio divisus esset à terra tribus Efraim. In v. 6. initio dicitur, Populus egressus est in agrum, obviam Israeli: LXX. Καὶ ἐξῆλθε πᾶς ὁ λαὸς εἰς τὸν δρυμὸν, ἐναντίας Ἰσραήλ. Falsum: populus in campum exiit. Josephus scribit Joabum aciem instruxisse ex adverso hostium in magno campo (ἐν τῷ πεδίῳ τῷ μεγάλῳ) quem à tergo circumfundebatur saltus (ἐξόπισθεν περιβεβλημένῳ δρυμόν) Scriptura de pugnæ certamine nihil, tantum de eventu: Josephus scribit Absalomum quoque suos ex opposito eduxisse & conserto prælio, fortiter pugnatum esse utrinque: Davidicis pro rege omni vi nitentibus, ut regnum reciperet, adversis, ne Absalomus amitteret, & pænas daret. Deinde his ne vincerentur plures à paucioribus, illis ut tot millibus superatis gloriosam victoriam reportarent, veluti qui animis & rerum militarium peritia antecellerent. In Græco Josephi aliquid deest. Nam οἱ δαβίδου γνώμῃ περιοῦχονίες ἐν τῷ τῶν πολεμικῶν ἐπιστήμῃ legitur, cum defectu, quem supplevit interpres: *Tandem ut erat dignum veteranis & rei militaris peritissimis hostem terga vertere coëgerunt.* Fusi Absalomici ingentem cladem passi sunt. Eo enim die cæsa sunt viginti eorum millia. Fugiebant toto passim campo persequentibus Davidicis. Saltus autem & valles plures hauserunt quam gladius hostium. A feris devoratos esse, Judaicum commentum est. Absalomus insidens mulæ (Jos. ἐπιβὰς τῆς ἡμιόνου τῆς βασιλικῆς) incidit in hostem. Josephus scribit plurimos illatos esse in Absalomum, ut insignem pulchritudine & statura corporis, atque id cum videret, conscensa mula se in fugam dedisse, ne vivus caperetur. Inter densos ilicis ramos capite implicito (capillitio Josephus & Rabbini hæsisse putant & cum eis communis sententia) pependit, jumento in cursum effuso & diffugiente Jos.

Φερό-

Φερόμενος δὲ ἐπὶ ῥύμης, καὶ ὑπὸ τῆς σάλης καὶ τῆς κινήσεως κοῦφος ὤν, ἐμπλακείσης αὐτοῦ τῆς κόμης τραχεῖ δένδρῳ μεγάλους ἐπιπολὺ κλάδους ἐκτεταμένῳ παραδόξως ἀνακρεμάννυται. Kimchi: Quia fuit illi capillus multus. Et dicunt magistri n. b. m. לפי שנתגאה בשערו נתלה בשערו: *Quia superbiit crinibus, suspensus est crinibus.* Id nunciatum cum esset magistro militiæ, quærit, Cur non transfixisset. Se enim daturum fuisse decem (Jos. *πεντήκοντα*) siclos argenti & zonam unam (ותגרה אחת *περιζώνην μίαν*) Cui ille regerit. Quod si mille (Jos. *δισχιλίους*) sicli argenti ad manum meam appenderentur, nolim manum inferre filio regis. Audivi enim tribus ducibus à rege mandari de Absalomo. Si adversum animam meam agerem, res emanaret ad regem & tu ipse nolles patrocinari. Ioab, mora, inquit, inutilis abesto accurrensque cum tribus (שבטים) sagittis ferro præfixis, eas trajecit per cor Absalom in mediam arborem. Quia, ut inquiunt Judæi tria corda furatus est, Cor patris, cor domus judicii, cor Israel. Dicunt enim, quod ducenti illi, qui in simplicitate cordis cum ipso iverunt Hierosolymis Hebronem, fuerint è senatu Sanhedrin. Decem armigeri Ioab circumfusi eum conficiunt. Hoc dicunt ideò factum, quia decem concubinas patris violavisset. Absalomo interfecto receptui signum datum & cædi ac persecutioni finis. Cadaver projectum est in patentem puteum, injecto ingenti cumulo lapidum. Struxerat sibi Absalom in valle regis Columnam: ut monumentum sui esset, quia prole mascula carebat. Ea dicta est *columna Absalomi.* Eam scriptor lib. 2. Samuelis suo tempore superfuisse scribit. Videntur illi tres filii, quorum supra meminimus, in fata concessisse. Sic sentit Theodoret at Josephus dicit cogitasse, quod filii durare non possint, ut ædificium. Hic finis Absalomi fuit. Theod. *Ἐκεῖνος δὲ τὴν ἀλιτήριον δίκην ἀξίαν εἰσέπραξεν. Ἐλαύνοντι γὰρ ἐν τῷ δρόμῳ περιστάντες ὑπὸ φυτὸν εἰσελθεῖν, ὃ δύο κλάδους εἶχεν ἐπικλινεῖς ἐγκαρσίους βεβλαστηκότας, οὐ πολὺ διεστῶτας ἀλλήλων· ἐκεῖθεν παρελθόντος τοῦ ἡμιόνου, ἐνεπάρη μὲν μεταξὺ τῶν κλάδων ἡ κεφαλή· ἐξηρτήθη δὲ ἅπας· διέλαθε δὲ τὴν ἡμίονον τὸ φορτίον· μετέωρος δὲ ἐκεῖνος ἐξηρτημένος, ἕτοιμον θήραμα τοῖς ἐναντίοις γενόμενος καὶ τὴν πάντων ... τὴν ψῆφον ἐπιδέχεται.* Lapidationem, quam populo Joab jusserit facere, fuisse loco sepulturæ. Hieronymus in tradit. Hebr. ineptas fabulas recitat: *Tradunt Hebræi, quod depositus de quercu petierit sibi inducias antequam perimeretur ut faceret sibi titulum ob memoriam sui eo quod non haberet filium talem qui regno dignus esset. Putabat enim filios non solum regno indignos, verum etiam ob peccatum suum, quod in patrem gesserat, præsenti vita indignos. In quo titulo manum dicitur defixisse & figuram manus suæ expressisse: & ob hoc titulum hoc modo vocari.* Universus igitur Israel ad sua tentoria se recipit. Achimaas Sadoci filius petiit veniam à Ioab, ut liceret victoriæ nuntio sibi esse ad regem. Cui ille, Non eo die id eum delaturum sed alio, quia regis filius obiisset. Mandat autem Cusi (Æthiopem quidam fuisse putant) ut abeat. Qui alacriter suscepto imperio, dat se in pedes. Achimaas nimium avidus iterum petit: cumque Joab diceret, bonum nuntium allaturum non esse, instat tamen. Impetrata venia celeri cursu per planitiem Cusi prævenit. Considebat David inter duas portas, cum custos enisus in tectum portæ ad mænia, virum festinato cursu accelerantem videt. Quod cum regi significatum esset, Si solus est, inquit, bonum nuntium affert. Mox custos alium videt: eum etiam nuntium portare rex conjiciebat. Jam custos agnoscebat cursum Achimaas. Rex igitur, Bonus, inquit, vir est bonum affert. Achimaas salutato & adorato rege, nuntiat Deum rebelles tradidisse. Hic rex, Quid est de Absalom? Respondet, se vidisse ingentem tumultum, nescire autem quid evenisset. Mox Cusi adfuit: quem eadem nunti autem

rex iterum rogat, Quid de Absalomo esset? Tum Cusi: Sic sit hostibus & rebellibus regis. Hic commotus rex, ascendit dolens gemensque in cænaculum portæ: Fili mi Absalom, fili mi, fili mi Absalom. Utinam ego, pro te mortuus essem, Absalom, fili mi, fili mi. Jos. οὗτος ὁ λόγος, οὐδὲ τὴν ἐπὶ νίκῃ χαρὰν εἴασεν οὔτ' αὐτῷ μεῖναι μεγίστην οὖσαν, οὔτε τοῖς στρατιώταις. Αὐτὸς μὲν γὰρ ἀναβὰς ἐπὶ τὸ ὑψηλότατον τῆς πόλεως ἀνεκλαίετο τὸν υἱὸν, τυπτόμενος τὰ στέρνα καὶ τὴν κεφαλὴν σπαραττόμενος καὶ ποικίλως αὑτὸν αἰκιζόμενος. Καὶ τέκνον ἐκβοῶν, εἴθε μοι τὸν θάνατον ἐπελθεῖν ἐγένετο καὶ ἅμα σοι τελευτῆσαι. Quod se eum in modum afflixerit David, ex scriptura non doceor: quod optaverit cum Absalomo oppetiisse non scribitur sed pro eo. Infeliciter enim, quoad animam, defunctum esse arbitrabatur. Quia in v. 18. בצר cum unico Jod, volunt per Dras significari, quod decem anni vitæ Absalom decesserint, quia incestavit patris concubinas. Aug. lib. 3. de doctrina Christ. cap. 23, *Rex autem David, cum hoc ab impio atque immani filio passus esset, non solum ferocientem toleravit, sed etiam planxit exstinctum. Non enim carnali zelo irretitus tenebatur, quem nullo modo injuriæ suæ, sed peccata filii commovebant. Nam ideò si vinceretur, eum occidi prohibuerat, ut edomito servaretur pœnitendi locus. Et quia non potuit, non orbitatem doluit in ejus interitu, sed quia noverat in quas pœnas, tam impiè adultera & parricidalis anima raperetur.* Idem contra Faustum Manichæum. *Idem David juvenem filium parricidiali furore præcipitem, qui & paternum cubile stupris nefariis maculaverat & contra patrem scelestum bellum gerebat & vellet conservatum & fleret occisum, anima scilicet tantis criminibus involuta sempiternas prævidens pœnas, quibus evadendis eum per pœnitentiam corrigendum vivere cupiebat humiliatum.* Rursus contra Gaudentium Donatistam: *Plus impius Absalom patrem sanctum Davidem exstinctus quam rebellis afflixit. Vivum namque eum comprehendi cupiebat, ut qui malitia grassabatur, pœnitentia sanaretur. Erat ergò ille persecutor patris non solum populum Dei dividendo, non solum contra Dei legem & contra legitimum patris regnum arma portando atque bellando: sed multò amplius persecutus est cor paternum, in illa impietate moriendo. Denique illum pater optimus pessimum filium, quem non desperando non defleverat vivum, spe finita flevit occisum,* Sic Bernardus, Lyranus, Dionysius, alii sentiunt. Non igitur eum temere accusare debuit Grotius Στωΐζων: *Nimis μεγαλοπαθὴς David.* Nec Josephus recte dolorem imputat affectui, quo hunc filium præ aliis diligebat. Hebræi tradunt gehennam sub eo patuisse: quod sine ratione dictum non est. Abulensis notat stuporem quo vitando casui, expediendæ vitæ non videtur egisse, quod poterat.

II. Sam. XIX.

Vulgatus rumor regem tanto dolore affligi, corrupit gaudium victoriæ. Nam mœstum ubique silentium erat & victus populus sparsi confusique se in Mahanaim recipiebant, tanquam si à clade fugaque evasissent. Rex afflictabat se capite obvoluto, alta voce ingeminans: Fili mi Absalom, Absalom fili mi, mi fili. Joab igitur ingressus acriter regem objurgat: Confudisti hodie faciem omnium servorum tuorum, qui vitam tuam, filiorum, filiarumque & uxorum tuarum liberarunt. Amans, qui te oderant, odio habens diligentes. Significas enim, duces militesque apud te in æstimio non esse. Animadverto enim, si Absalom viveret, nobis omnibus cæsis, te æquo animo eum eventum laturum fuisse. Surge igitur, prodi, loquere grata servis tuis. Jurejurando enim affirmo, nisi prodieris, neminem hac nocte apud te remansurum.

Quod

Quod tibi pejus fuerit omni malo, quod à juventa tibi accidit. Acrior quidem illa objurgatio erat, quam in regem & ab eo, qui luctus illius causa princeps fuerat: dissimulans aut pro nihilo ducens verum mœroris argumentum: verum tamen, quod de periculo admonebat. Rex igitur egressus, in porta se præbuit populo. Quod cum innotuisset, omnes eum adierunt. Josephus scribit Joab & populum audito luctu regis, non fuisse ausos vincentium habitu modoque ingredi in urbem, sed demissis vultibus & lachrymantes tanquam à clade intrasse. Joabi orationem mollit, tanquam si consolandi causa introjisset ad regem. Deinde minas addit: Si pergat, se populum tracturum in defectionem & regnum alii conciliaturum. Tum regem μετασχηματίσαντα αὑτὸν καὶ καθίσαντα δημόσιον εἰς τὴν τοῦ πλήθους θέαν, ad portas consedisse.

Israelitas ad sua reversos subiit pœnitentia & pudor: quod in regem tantis meritis fuissent rebelles. Eum à Palæstinis populum asseruisse, nunc expulsum solio rebellione filii, fugæ necessitatem subiisse. At, cum Absalomus, quem unxerant, sublatus sit, quo stupore cunctentur regem reducere. Ita missis nuntiis tributim alii alios excitant. At David (audito rumore) per literas mandat pontificibus Sadoco & Abjatharo ut profecti moneant seniores Judæ, Non convenire in communi populi motu ad ipsum recipiendum, ut ipsi, fratres sui, ossa & caro, postremi essent in reducendo. Voluit ad Amasam sigillatim dici, Non tantum se illi ignoscere, ut cognato sed & se eum creaturum esse magistrum militiæ, in locum Joabi. Cum enim dux fuisset in partibus Absalomi, magnum in eo momentum ad impellendum populum. Joab violentus, obsequii insolens, regis iram & deturbationem commeritus erat. Amasa hac pollicitatione & spe incitatus, universam tribum Judæam unanimi consensu ad Davidem flexit. Quæ missis legatis invitat regem ut revertatur, cum omnibus suis. Universa tribus Galgalis coiit, ut regem traducerent. Rex ad Jordanem se confert. Semeis filius Gera, Benjaminæus è Bachurim, suæ prævaricationis conscius, ut matura pœnitentia pœnam præveniret, cum Judæis, Davidi obviam festinat. Cum eo mille è Benjamin & Siba, servus domus Saul, cum quindecim filiis & viginti servis. Illi citi Jordanem transeunt, in occursum regis. Josephus putat Jordanem ponte junctum, ut rex trajiceret: at de pontone scriptura loquitur. Cum ponto trajiceret, ut regiam domum transportaret, hic Simeis ante pedes regis, parantis pontonem conscendere, provolutus, Domine mi, rex, inquit, ne imputes mihi delictum, nec recorderis, quod servus tuus inique egit, cum dominus meus rex Hierosolymis discederet. Peccavi, sed prior hodie è domo (vel ante domum) Joseph, regi meo in occursum veni. Hic Abisai: Non impune ferre debere, quod unctum Domini maledictis impetisset. At rex represso Abisai: Quid mihi vobiscum filii Saruiæ, ut mihi hodie pro adversario sitis? Hoc die nemo occidetur, quia hic mihi natalis regni est. Jurejurando vitam Semei confirmavit. De Mephiboseth, filio Jonathan scriptura quoque commemorat eum obviam processisse regi. Cum sic ad urbem Hierosolymorum rex advenisset. Narratur igitur (v. 24.) illum filium id est nepotem Saul toto illo tempore, quo rex in fuga fuerat, non purgasse pedes, nec mystacem totondisse, nec vestimenta lavisse. Jos. ῥυπῶσαν τὴν ἐσθῆτα περικείμενος, καὶ τὴν κόμην βαθεῖαν καὶ κατημελημένην ἔχων· μετὰ γὰρ τὴν Δαβίδου φυγὴν οὔτ' ἀπεκείρατο λυπούμενος οὔτ' ἐκάθηρε τὴν ἐσθῆτα. Rogatus à rege, cur se in fuga comitatus non esset, respondet se à procuratore suo deceptum, cum vellet asino strato ire ad regem. Deinde & falso delatum apud regem: quamvis regi, ut angelo Dei, potestatem permitteret plenissimè de se statuendi quod vellet. Cum enim domus sua patria mortis fuisset apud ipsum, tamen se adhibi-

hibitum esse mensæ regiæ. Nullam igitur causam habere, ut ulterius quid posceret. Rex illi, Sileas, inquit, volo ut inter te & Sibam agri dividantur. Mephiboseth: Omnia etiam tollat, quia rex incolumis & salvus rediit. Sine dubio David justitiæ limites transgressus est, cum præcipiti sententia Mephiboseth everteret: iterum cum re cognita calumniatorem non puniit, nec innocentem restituit. Judæi hanc divisionem punitam esse volunt divisione regni inter Roboam & Jeroboam, quod approbat Lyranus. Fingunt insuper è cælo auditam vocem ad iniquam hanc sententiam Davidis, id significasse. Iidem apud Hieronymum verba Mephiboseth pervertunt: quasi in ultimis illis verbis cum ipso Deo litigasset, quod Davidem reduxisset. Inde Meribaal appellatum esse. Hæc inepta & non cohærentia. Quidam putant Sibæ restitutum jus illud colonarium de quo supra cap. IX. 10. At res ipsa palam ostendit aliud.

Hinc v. 31. Scriptura regreditur ut exponat transitum Jordanis quia Barzellæi historiam & Sibæ rebellionem voluit persequi. Barzellæus Galaadita etiam è Rogelim advenerat, comitaturus regem, usque trans Iordanem. Hic vir senio grandi, octoginta annorum, opulentus, regem aluerat, quandiu in Mahanaim substiterat. Eum rex invitat, ut secum transeat, se eum Hierosolymis sustentaturum. Id recusat ob provectam ætatem, qua voluptatibus & deliciis percipiendis inhabilis: nec saporibus cibi potusque nec musicis concentibus frui posset, onus futurus regi sine oblectatione sui. Se comitaturum regem paulum ultra Iordanem, inde reversurum in patriam, ut avito monumento mortuus inferretur. Si omnino sedeat regi benevolum animum ostendere, esse Chamaam (filium suum, ut addit Josephus & recte) eum comitari posse regem si videatur & ei regem facere, quod placeat. Josephus errat, cum putat regem Chamaam (ipse Achimanum malè appellat) petiisse, cum Scriptura testetur patrem prius obtulisse. Nempe eo fine: ut se illa necessitate eximeret. Id igitur ita admissum est à rege & dimissus Barzellæus, cum osculo & benedictione, ultra Jordanem, cum rex & totus populus trajecisset.

Galgala inde progressus est rex cum Chamaam. Universa tribus Judæa regem Jordanem traduxerat & pars Israelitarum (חצי in Hebræo simpliciter partem aliquam notat ut Kimchi annotat) Erant enim tantum mille è tribu Benjamin cum Semei & forte pauci alii. Cæteri Israëlitæ (Jos. οἱ τῆς χώρας πρῶτοι) ad regem conveniunt Galgalis: cum indignatione & gravibus querelis, quod Judæi regem, quasi furati essent & sibi præripuissent: cum ad omnes æque pertineret. Hic Judæi respondent, quod tanquam privatum, quem sanguine contingerent, primi reducere voluerint: nec eam rem ipsis vitio verti oportere, cum nec regiis cibis usi fuerint nec muneribus donati. Ita suis sumptibus rem egisse. Non tulerunt hoc dictum cæterarum tribuum principes (οἱ τῶν ἄλλων ἄρχοντες) Se enim decem partes (Benjaminæi se Judæis conjunxerant) (In Græco δέκα χεῖρας) in regem habere & in Davidem, cum ipsi unam habeant. Male igitur se contemptos, ut non simul aut primi legatos mittere ad regem de reductione potuerint. Cum igitur altercatio exacerbaretur, Judæis arrogantius respondentibus, in magnum discrimen res adducta est. Josephus scribit Amasam (Ἀμασᾶν) primò persuasisse Judæis, ut regem revocarent deinde & alias tribus excitasse. Quod non apparet ü sacris literis. Τῶν μὲν πρεσβειῶν ἀφορμῶν πρὸς αὐτὸν εἰς Ἱεροσόλυμα, παραγίνεται. πάντας δὲ τοὺς ἄλλους ἔφθασεν ἡ Ἰούδα φυλὴ &c. Eorum verborum hic videtur esse sensus: Quod interim cum legati tribuum ad Amasam venissent Hierosolymam, ipsæ tribus aut earum primores, se contulerint ad regem, ut regem transportarent Iordanem: sed præventos esse a Judæis.

Il.

II. Sam. XX.

FOrte aderat in populo, homo nefarius, cui nomen Sabe, filius Bachri (Jos. Σαβαῖος υἱὸς Βοχορίου Lxx. Σαβεὲ, υἱὸς Βοχορὶ) Benjaminæus, qui ſublata voce in medio populi: Nemo noſtrum partem in David, filio Iſai, in veſtra tentoria Iſraelitæ. Simul buccina inſonuit (Lxx. ἐσάλπισε τῇ κερατίνῃ, Joſ. σαλπίσας κέρατι, Heb. בשופר) Tum populus Iſrael relicto David jungit ſe homini rebelli. Ἐν δὲ διχοστασίῃ καὶ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς. At Judæi regi ſuo adhærent à Jordane uſque Hieroſolyma. Ubi rex ſecludi juſſit concubinas, cum quibus Abſalom congreſſus erat, nunquam ſe ab eo tempore eis miſcuit. Illæ enim ſuſtentatæ regio ſumptu, viduam vitam tranſegerunt. Ἀνόσιον, inquit Theodoretus, ὑπέλαβε συνελθεῖν αὐταῖς μετὰ τὴν μυσαρὰν τοῦ παιδὸς συνουσίαν. Τοῦτο γὰρ καὶ ὁ νόμος ἄντικρυς ἀπηγόρευσεν· Ἑτέρῳ δὲ οὐ συνῆψεν, ἵνα μὴ τοῦτο πρόφασις γένηται τυραννίδος, ἄλλως τε δὲ οὐδὲ γάμος ἦν ὁ τοιοῦτος· ζῶντος γὰρ τοῦ ἀνδρὸς μοιχαλὶς χρηματίζει, ἐὰν γένηται ἀνδρὶ ἑτέρῳ, ὥς φησιν ὁ θεῖος ἀπόστολος. Εἰ δὲ καὶ ὁ νόμος ἐπέτρεπε τὸν ἀπεχθανόμενον τῇ γυναικὶ βιβλίον ἀποστασίου διδόναι· ἀλλ' ἐνταῦθα οὐ μῖσος ἐχώριζεν ἀλλ' ἡ τοῦ παιδὸς παράνομος συνουσία. Amaſam deinde miſit, qui univerſam Judæ tribum intra triduum colligeret: ſeque eo facto ſiſteret. At Amaſa morante ultra condictum, Abiſæum vocat: Cui dicit: Nunc nobis Sabe filius Bachri majus malum dabit, quam Abſalom dedit. Sume ſervos domini tui (multi Joab intelligunt, Abulenſis Davidem) perſequere, ne munitis urbibus in poteſtatem redactis, difficilem faciat ſui oppugnationem. Cum Joab primò non ſit compellatus à Davide, exiſtimat Joſephus eum magiſterio militiæ fuiſſe depoſitum: quod non puto. Exiſtimo enim Joab abſentem fuiſſe ob alia. Errat rurſus Joſephus, cum in ſecunda compellatione Joabum à rege compellatum eſſe putat & mandata accepiſſe. Videtur Kimchi exiſtimare, quod Joab etiam exierit, ſed ipſe mandatum in perſona à rege non acceperit. Lyranus ita conciliat ut in tres partes diviſus fuerit aut collectus exercitus. Prima ſub Amaſa è tribu Judæ, altera ſub Abiſai nempe eorum, qui erant de domo David tanquam famuli ejus & ſtipendiarii ſpeciales. Tertia bellatorum de diverſis tribubus Iſrael: multi enim ex omnibus tribubus conceſſerant ad Davidem & adhæſerant ipſi à fuga Saul. Hanc Joab ſummus dux militiæ commendatam ſibi ſpecialiter habebat. In abſentia ejus egreſſi ad iſtos congregandos mandatum accipit Abiſai. Abiſæus igitur profectus eſt cum viris Joab Crethæis & Plethæis, omnibusque heroibus. Hi Hieroſolymis exierunt ut Sabæum perſequerentur. Cum perveniſſent ad magnum lapidem, qui Gabaone eſt (jam Joab ſe copiis adjunxerat) occurrit Amaſa. Joſephus de Gabaone: κώμη δ' ἐστὶν αὕτη σταδίους ἀπέχουσα τεσσαράκοντα τῶν Ἱεροσολύμων. Scribit Amaſam magnum exercitum traxiſſe: quod non abludit à vero. Scripturæ verba de Joab in verſ. 8. חָגוּר מִדּוֹ לְבֻשׁוֹ וְעָלָיו חֲגוֹר חֶרֶב מְצֻמֶּדֶת עַל מָתְנָיו בְּתַעְרָהּ וְהוּא יָצָא וַתִּפֹּל: Chaldaice: אסיר מורין לבושוהי ועלוהי אספנק חרב מורזא על חרציה בלדנה והוא אזיל ופסע: Lxx: Καὶ Ἰωὰβ περιεζωσμένος μανδύαν τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ καὶ ἐπ' αὐτῷ ἐζωσμένος μάχαιραν ἐζευγμένην ἐπὶ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ ἐν κολεῷ αὐτῆς· καὶ ἡ μάχαιρα ἐξῆλθε· καὶ αὐτὴ ἐξῆλθε καὶ ἔπεσε. Latinus: *Porrò Ioab veſtitus erat tunica stricta ad menſuram habitus ſui & deſuper accinctus gladio dependente uſque ad ilia, quia fabricatus levi motu egredi poterat & percutere.* Vocem מדו Græci reddiderunt μανδύαν, ut ejus originis; Latinus accepit pro menſura. Verti debet, *Accinctus erat mandyam* (loricam & penulam alii vertunt) *qua erat indutus & ſuper eam cingulum gladii juncti ad ilia, in*

vagina sua; Et ille egrediebatur & decidebat: Levi motu gladius excidebat è vagina. Cum igitur prodiret ad salutandum Amasam, decidebat gladius, qui ad ilia loco non solito pendebat. Eum Joab prehensum arreptumque manu sinistra tenuit, cum dexterâ prensaret barbam Amasæ, ut osculaturus. Gladium igitur adegit in ilia non animadvertentis, eumque uno ictu intestinis effusis stravit. Sic evolvunt autores & videtur narrationi textus convenire. Prolapsum & in sanguine suo volutatum eo loco reliquit. Impium facinus sed ne magisterium militiæ acciperet. Quæ eadem causâ fuit occisi Abner. Mox festinant ad persequendum Sabæum. Unum è servis Joab apud cadaver constituit: qui proclamabat: *Quicunque stat à partibus Ioab, quicunque est Davidis post Ioab.* Voluit enim hac incitatione populum avertere, ne subsisteret ad cadaver. Verba autem illa mutat Vulgatus: *Interea quidam viri, cum stetissent juxta cadaver Amasæ de sociis Ioab, dixerunt, Ecce, qui esse voluit pro Ioab comes David.* Lxx. Hebræo textui adhærent. At cum cadaver in media jaceret via, in sanguine suo, omnes transeuntes subsistebant. Ideo vir ille amotum è via strato operuit: nec amplius fuit remora transeuntibus. Josephus unum relictum fuisse apud cadaver dicit, qui jussus sit proclamare, Amasam jure cæsum meritas pœnis dedisse: εἰ δὲ φρονεῖτε τὰ τοῦ βασιλέως, ἕπεσθε αὐτοῦ τῷ στρατηγῷ Ἰωάβῳ καὶ Ἀβισσαίῳ τῷ τούτου ἀδελφῷ. Cadaver amovisse εἰς τὶ χωρίον ἀπωτέρω τῆς ὁδοῦ.

Cæterum Sabæus omnes tribus cedendo pervagatus receptum habuit in Abel-Bethmaacha. In textu וכל הברים *Et totus Berim.* Nempe tractus terræ circa Abel ita appellatus, ut est communior expositio: Alii putant nomen fuisse populi, qui adhæserit Sabæo. Unde verba, quæ sequuntur huc trahunt: *Et congregati sunt & venerunt etiam post eum.* Ralbag: *Puto quod sint viri Beroth* (בארות) *quia Beroth fuit è Benjamin. Et refert, quod omnes viri loci istius congregati fuerint cum Sabe filio Bachri ut opem ferrent ei: etiam venerunt post eum.* At Kimchi: Post eum: *Nempe Ioab: cumque dicat* (אף) *etiam significat quod iverint primo post Sabe filium Bachri: Cum autem viderent, quod eum persequeretur Ioab cum viris suis locis quæ transierat Ioab ad persequendum Sabe filium Bachri, congregati sunt viri illorum locorum & venerunt post Ioab ad insequendum Sabe filium Bachri.* Lxx. כרים legerunt, vertentes καὶ πάντες ἐν Χαρρί. Simplicissimum est, quod Abel usque eum persecuti sint & per totum tractum Berim, donec Joab & illi conjuncti cum Joab, hominem compulerunt intra mœnia Abel. Hac igitur urbe obsessa & aggere facto, qui stabat בחל (Lxx. ἐν προτειχίσματι, in antemurali, Vulg. longius abiit) omnis populus Joab, corrumpebant murum ut eum sternerent. Jos. ὑπορύσσειν ἐκέλευσε τοὺς στρατιώτας τὰ τείχη καὶ καταβάλλειν αὐτά. Indignatum enim, quod portas clausissent. Judæi בכלי המנפץ האבנים להפיל החומה arietem intelligunt. Mulier igitur prudens & honesta, patriam periclitari videns Joabum per milites ad colloquium evocat. Qui postquam processit, *Vrbs*, inquit, *ista antiquitus sapientiæ nomine in eum modum inclaruerat, ut proverbio jactatum sit: Interrogando interrogent in Abel & sic fuerunt negotia perfecta. Ego è pacificis è fidelibus* civitatibus Israel sum: Tu vero quæris mortificare civitatem & quidem matrem in Israel, Quare absorberes hæreditatem Domini? Lxx. & Chaldæus aberrant à sensus simplicitate, magis tamen Lxx. locum pervertunt. Josephus illius proverbii nulla facta mentione, tantum increpat, quod præter morem & officium imperatorum Israel, qui adversus hostes pro Israelitis pugnarent, perderet urbem Israelitarum primariam, quæ nihil deliquisset. Theodoretus eum sensum ex versione τῶν ό. elicit: quod mulier sapientissima Joabum divinarum legum admoneat: quæ jubet ut primum mitteretur legatio dein-

deinde instrueretur acies adversus contradicentes. Τότε ἔφη ἡ αὐτή· εἰ ἐξέλιπον ἃ ἔθεντο οἱ πιστοὶ τοῦ Ἰσραήλ. Id est non oportet transgredi, quæ legibus sunt pronuntiata. Deinde subjungit: Ἐγὼ δέ εἰμι εἰρηνικὴ τῶν στηριγμάτων Ἰσραήλ, σὺ δὲ ζητεῖς θανατῶσαι πόλιν καὶ μητρόπολιν Ἰσραήλ. Καὶ ἵνα τί ὅτι καταποντίζεις κληρονομίαν κυρίου. Hæc interpretatur Theodoretus: *Quia tu, inquit, usus non es legatione, ego te doceo, quod urbs non habeat hostilem scopum sed pacem cupiat. Ne igitur evertas urbem,* οὐκ ἀλλόφυλον ἀλλ' ὁμόφυλον καὶ ὑπὸ τὸν αὐτὸν τελοῦσαν θεὸν καὶ δεσπότην. Joab respondet se non teneri cupidine perdendi: sed in urbe esse Sabæum filium Bochori, è monte Ephraim, qui rebellionem suscitaverit in regem. Eo tradito se abiturum. Id mulier recepit futurum esse: Sive jam antea ita convênerit inter ipsam & primores civitatis, sive persuasuram se esse putaverit. Posterius videtur è textu: Persuadet igitur populo in concione. Cæsus est Sabæus & caput projectum extra mœnia in castra Joabi. Josephus etiam mulieri attribuit congruam orationem, qua in concione usa sit. Joab igitur signum receptui dedit solutaque obsidione redit Hierosolyma. Ita regnum Davidis in tranquillitatem restitutum est. Joab toti militiæ præerat, Banæas filius Jojadæ Crethæis & Plethæis: Adoram tributo: Josaphat filius Achilud (המזכיר) à commentariis: (שיא) Sajas (supra dictus Saræas nisi alius sit) scriba (סופר) Sadoc & Abjathar pontifices erant. Ira autem Jairites sacerdos Davidis: vocem כהן alii exponunt de præfecto summo negotiorum, Belgæ, opper-officier. Banæam filium Jojadæ præfuisse ἐπὶ τοῦ χερεθὶ καὶ ἐπὶ τοῦ φελεθὶ habetur in Græca editione τῶν ό. Theodoretus legit ἐπὶ τοῦ πλινθίου καὶ ἐπὶ τοὺς δυνάστας. Quærit quid hoc sit? Πλινθίον, inquit, οἶμαι καλεῖσθαι, ὃ παρὰ τοῖς ἔξωθεν συγγραφεῦσι πλαίσιον ὀνομάζεται. Εἶδος τοῦτο στρατιωτικῆς παρατάξεως τετράγωνον ἐχούσης τὸ σχῆμα. ὥσπερ τοίνυν ὁ νῦν μάγιστρος ὀνομαζόμενος τῶν περὶ τὸν βασιλέα πεζεταίρων, ἀσπιδοφόρων φημὶ καὶ δορυφόρων, τὴν ἡγεμονίαν πεπίστευται· οὕτως ὁ Βαναίας τῶν βασιλικῶν σωματοφυλάκων ἡγεῖτο τῆς ἄλλης στρατιᾶς πάσης ὑπὸ τὸν στρατηγὸν Ἰωάβ. De Ira (Jether vocat) sententia illius, quod Abiathar & Sadoc pontificalem dignitatem obeuntibus ille intus in regia egerit τῇ θείᾳ κιβωτῷ προσεδρεύων καὶ τὰς βασιλικὰς ἱερεύων θυσίας. Mulierem illam sapientem in Abel Judæorum magistri jubent esse Sare filiam Aser, quæ sub ingressum in Ægyptum vaticinata sit: quasi aniculam septingentorum annorum fuisse oporteat.

Cæterum Dei severitatem & calamitatem illam Davidis, quæ in Seba finiit, facundè exposuit Salvianus lib. 2. de Gubernatione Dei: *Sed tamen, ut evidenter*, inquit, *agnoscas, censuram suam & examen sacrum non tam personis præstare quam causis, audi, quomodo Iudex Deus, qui pro David, servo suo sententiam assiduè evidentem dedit, contra David ipsum sæpius vindicarit. Et quidem hoc non in multorum hominum negotio, aut (quod forsitan potuisset Deum magis movere) sanctorum, sed in causa & unius hominis & barbari: & ubi tantum virum persona penitus non gravaverat, nisi causa multasset. Interfecto Vria Etheo, homine gentis impiæ & nationis inimicæ, statim fit ad David sermo divinus:* Uriam Etheum percussisti gladio, & uxorem illius accepisti uxorem & interfecisti eum gladio filiorum Ammon. Quam ob rem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum. Itaque hæc dicit Dominus: Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis: & dabo proximo tuo. Tu enim fecisti absconditè: Ego verò faciam verbum istud in conspectu omnis Israel & in conspectu solis. *Quid dicis tu, qui non solum non judicari quæcunque agimus, sed nec respici omnino à Deo credis? Videsne, etiam à secreto illo, quo David semel lapsus est, nequaquam Deo oculos abfuisse? Vnde & tu, qui ad solatium, arbitror peccatorum tuorum, considerari actus nostros à*

Deo non putas, ex hoc ipso & aspici te à Christo semper intellige, & puniendum forsitan esse propediem cognosce, quia etiam David sanctum vides: unum errorem suum nec secreto occultorum penetralium potuisse contegere, nec à præsentibus pœnis privilegio saltem magnorum operum vindicare. Quid enim ait ad eum Dominus? Tollam uxores tuas in conspectu tuo, & gladius non recedet à domo tua usque in sempiternum. *Vides quam præsens excipiat tantus vir pro uno statim errore judicium: protinus culpam secuta damnatio est; & damnatio statim puniens, nihilque reservans, atque ilico cohercens reum non in futurum differens reatum. Et ideo non dixit, Quia fecisti hoc, venturum judicium Dei senties; & futuro gehennæ igne torquebere; sed præsentia, inquit, tormenta senties, atque imminentem jam cervicibus tuis divinæ severitatis gladium sustinebis. Et quid post hæc? Agnoscit scilicet reus culpam, humiliatur, compungitur, confitetur, luget, pœnitet: gemmas regias abdicat, crepantia aurotextili indumenta deponit, purpura exuitur, diademate exhonoratur, cultu & corde mutatur: totum regem cum ornatibus suis abjicit, providum pœnitentem cum patrocinio ambitiosi squaloris assumit, jejunio exigitur, ariditate siccatur, fletu effunditur, solicitudine carceratur. Et tamen rex tanti nominis, sanctitate major, quam potestate, prærogativus meritorum antecedentium supereminens, cum tanto ambitu supplicet, non evadit.* Et hic tantus tam grandis fructus pœnitentiæ est, quod æternis quidem piaculis non addicitur, sed in præsenti tamen veniam non meretur. *Denique quid pœnitenti propheta ait?* Quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, filius qui ex te natus est morietur. *Præter pœnam acerbæ orbitatis, etiam hunc addi piissimo patri intellectum summi supplicii Deus voluit: ut dilectissimo Filio causa mortis pater ipse existeret, qui doleret, cum utique natum ex crimine puerum crimen ipsum occideret, quod creasset. Hoc ergo primum est divinæ animadversionis exordium. Primum utique non solum. Secuta namque est ærumnarum ingentium longa series, atque à domo ejus jugis admodum malorum continuatio non recessit. Thamar Amnonis furore corrumpitur: Amnon ab Absalone jugulatur. Scelus quidem grande ab uno fratre committitur, sed pejus tamen ab alio vindicatur. Inter hæc tamen David pater facinore utriusque punitur: duo filii peccant; sed tres duorum scelere perduntur. In Thamar enim virginitas amittitur. In Amnone etiam Absalonis perditio lugetur. Et quidem nescias, quem de filiis tam bonus pater gravius amiserit: illum qui manu fratris occisus est in hoc seculo, an illum, qui sua periit in futuro. Iam verò hinc juxta verbum Dei inæstimabilis mali cumulus. Insidias diu à filio pater patitur, regno pellitur, & ne occidatur, profugus abscedit. Impurior nescias an cruentior filius: quia interficere patrem non potest parricidio, fœdat incestu, præter incesti nephas, per industriam accumulandi sceleris elato: cum utique facinus, quod etiam secreta abominabile facerent, persecutor parentis publicè perpetraret: scilicet ut feralissimo crimine non pater tantum absens deformaretur, cum oculi etiam totius orbis publico fœdarentur incestu. Iam si addenda est & ipsius fugæ facies, quale illud fuit, cum tantus Rex tanti nominis, cunctis regibus altior, mundo major, omnes admodum suos cum paucissimis suis fugeret, in comparatione dudum sui egestuosius, in comparatione sui solus: fugiens cum metu, cum dedecore, cum luctu,* operto, *inquit scriptura,* capite, & nudis pedibus incedens: *super istis prioris status à seipso exulans penè jam post se vivens: dejectus usque, in servorum suorum, vel, quod grave est, contumeliam, vel, quod gravius, misericordiam, ut vel Siba eum pasceret, vel maledicere Semei publicè non timeret. In Dei judicio à se alter effectus, ut ei quem timuerat forsitan totus orbis, unus in faciem insultaret inimicus. Vbi sunt, qui à Deo respici res humanas negant?*

II. Sam. XXI.

CUm David florentissimum regnum possideret postquam Deus ejus lapsum castigaverat, contigit fame & annonæ caritate terras premi, idque toto triennio. Quidam id Absalomi rebellionem antecessisse putant, cum tamen causam non videam statuendæ ὑστερολογίας. Quarto anno consultum oraculum (per Urim & Thummim) respondit, id evenire ob Saul & sanguinariam ejus domum, qui Gabaonitas multos contra jus jurandum olim datum è medio sustulerat. *Hæc historia alibi non legitur* (inquit Fr. Junius.) *Nam ad cædem sacerdotum & excidium civitatis Nobæ* (de quo 1. Sam. 22.) *referri non placet: quia sacerdotum quoque hoc loco mentionem fecisset: & quia in eo facto zelo non ducebatur pro Israelitis, quod seq. v. dicitur, sed ultionis affectu. Verisimilius vero est, hoc ab eo factum esse, quum pythones & ariolos exterminaret è terra (I. Sam. XXVIII. 3. 9.) Quia istius zeli commune fuit gentes & gentium studia è medio Israel tollere.* Judæi quærunt, cur David non consuluerit oraculum ante annum tertium? Respondent primo anno existimasse, quod casu; secundo quod ob idolum Michææ venisset. Tertio animadverterunt peccatum aliud esse. Sic Kimchi è Sahadia. At audiamus discursum Kimchii sequentem: *Quæri potest, ubi Saul Gabaonitas occiderit? Respondebimus, quod cum percuteret Nob civitatem sacerdotum, illic cum eis fuerint Gabaonitæ, cædentes ligna & haurientes aquas, quos occidit cum sacerdotibus. Et id est quod dicit, Gabaonitæ non fuerunt è filiis Israel, quia erant reliquiæ Amorrhæorum. Quatenus sacerdotes condonaverant super sanguinem fratrum suorum hi autem noluerunt condonare. Et quod dicunt: dentur nobis septem viri è filiis ejus, id inde est, quod non essent relicti ex occidentibus nisi hi viri septem: & de iis dicit Et ob domum sanguinum. Et dicunt non nobis argentum aut aurum cum Saul, nolumus accipere opes sed animas propter animas, quas interemerunt & principes cœtus* (נשיאי העדה) *juraverunt illis. Et id quod dicit scriptura:* Et pepercit rex super Mephiboseth, *exponit R. Saadia gaon: Et gavisus est, quod Mephiboseth non fuerit ex occidentibus, quia parvus erat: ut dicit Scriptura, fuisse quinque annorum cum ingrederetur rumor Saul & Ionathan. Ideo exponit* ויחמול *per* וישמח. S. D. (Mal. 3. 17.) Et (וחמלתי) super vos, sicut (יחמול) vir super filium, qui eum colit. *Nam filius colens non habet opus condonatione sed homo gaudet in filio colente se. Et sic exponit* ויחמול *per* וישמח. *Et gavisus est super eo, quod non offendisset in re, propter fœdus & juramentum &c. ereptusque esset ex hac morte. Et id quod non detraxerunt eos è ligno secundum legis præceptum* (Non facies pernoctare cadaver ejus super ligno) *exponit, quod rex præceperit eorum suspendium, & putaverit, quod eos detracturi essent in vespera à lignis: quod non fecerunt sic, quia dicebant, Rex præcepit de suspendio, ipse etiam præcipiat de detractione. Tantum cum transiissent dies messis, & venirent dies pluviarum, petierunt à rege, ut eos detraheret ob pietatem Resphæ, quæ agebat custodem super eis, nec permittebat eis insidere volucrem cæli.* Rex vocatis Gabaonitis; quid vobis faciam inquit? Qua re expiabo ut benedicatis possessioni Domini? Illi nec de auro nec argento quantum ad Saul & familiam ejus: nec ullius de Israel mortem expetimus. Illius viri, qui nos afflixit & voluit exterminare de tota terra Israel, adversus juris jurandi fidem, illius viri de cognatione septem homines poscimus, quos suspendamus Domino apud Gabaam Saul. David pepercit Mephiboseth filio Jonathan, ob juramentum quod inter ipsos: dedit autem duos filios Resphæ, filiæ Ajæ; quos pepererat Saulo, quorum nomina Armoni & Mephiboseth & quinque filios Hadrielis filii Barzellæi. Hi quinque nati esse dicuntur è Michal; quod

Rabbini) exponunt ita dici, quia eos Michal educaverat, cum essent filii Merob, sororis Michal. Fr. Junius & Belgæ κατ' ἔλλειψιν dici arbitrantur, subintellecta voce (soror) Nonnemo putat in Hebræo textu mendum esse מיכל pro מרב. Gabaonitæ suspenderunt eos in monte, in principio messis hordeaceæ. Respha filia Ajæ cilicium tendebat, sub quo nocte & die durabat inde à principio messis, donec effunderetur pluvia super eos è cælo. Nam cum messis pluviam non habeat, usque ad dies pluvios operiri eos oportuit gratiam Dei propitiati. E siccitate annonæ caritas: siccitatis finis indicabat Deum esse placatum. Respha igitur toto tempore illo apud cadavera durabat, ne aves interdiu insiderent, nec belluæ noctu attingerent. Hanc mulieris pietatem admiratus rex ossa Saul & Jonathan è Jabes advecta simul cum ossibus suspensorum intulit monumento Cis patris Saul in terra Benjamin, in loco cui Sala nomen erat (צלע) R. Saadias multas quæstiones in hanc historiam proponit & solvit apud Kimchi. Inter alia quærit quomodo David delectum fecerit in illis septem deputandis ad mortem? Putat transiisse omnes ante arcam, quæ tetigerit suspendendos. Gratiam hanc à Davide factam filio Jonathan, quod non imposuerit ipsi eam necessitatem: aut quod Deum precatus sit ne tangeretur. Deinde filii non punientur ob delicta patrum? R. Unum legis versum (פרשה) potius transferendum esse, quam ut palam profanetur nomen Domini. In Dei enim nomine principes cætus tempore Josuæ juraverant. Hanc petitionem, qua postulant Gabaonitæ, sibi tradi septem homines è familia Saul Judæi admodum traducunt: primo crudelitatis (אכזריות) quam significet textus dicendo eos non fuisse ex filiis Israelis, id est gentilis feritatis. Tria enim esse (סימנים) signa in Israel: (רחמנים וביישנים וגומלי חסדים) miseratores, verecundos & benignos esse: quæ ab hoc facto Gabaonitarum procul fuerint. Ideo (secundò) noluisse Davidem ut cum populo Israel coalescerent. Ideo decrevisse ut in cætum non ingrederentur. Id quidem decretum fuisse à Josue, sed usque ad domum sanctuarii, inde à Davide ut obtineret in seculum. Ita in libro Esdræ Nathinæos appellari, quia in ministerium Levitis dati essent. Nempe istis Gabaonitis adjuncti alii à Davide, qui Nathinæi complexim dicti sunt Esdr. 2. 43—53. & 8. 20. His affines servi Salomonis, ut patet è secundo Esdræ. Sed hæc gratis dicuntur. Deus enim iratus fuit nec aliter placari potuit. Pependisse corpora supputant à decimo sexto Nisan, usque ad decimum septimum mensis Marchesuan. R. Salomon dicit ad mensem Thisri. Ita volunt palam (בפרהסיא) sanctificatum esse nomen Dei שהיו עוברין ושבין אומרים מה טבן של אלו אומרים להם מבני מלכים הם ומה עשו פשטו ידם בגרים אומרים אין לך אומה ראויה לידבק בה כאומה ז. E regio sanguine nepotibus filiisque parcitum non esse, qui manus extenderant in proselytos. Hæc etiam è Saadia Kimchi annotat. Simulque tantum effectum habuisse in gentibus ut centum & quinquaginta millia conversa fuerint: nempe illos, quibus ad onera portanda usus est Salomon. At cur illi patiuntur, filii pro patre? Aut præceptum Dei unum neglectum est, ut ejus honor in publico exaltaretur, aut rei & ipsi simul cum Saul fuerunt ejus cædis. Quam cædem quidam putant non fuisse proprie dictam occisionem, sed quia sacerdotes occisi essent, subtractionem alimenti. Hoc nihili est, nec recipitur. At cur soli septem dati & puniti? Dicunt Gabaonitas primo indefinite domum Saul petiisse, cumque id ut enorme non reciperet David, petiisse septem dari. Id non significat textus, quamvis id evidenter poscat Latina editio, quæ in v. 5. inseruit alienum verbum (*debemus*) Una igitur petitio de septem fuit. Non quod solos septem Saul interfecerit, sed quia is numerus Deo placuit ad expiationem pro

tota

tota domo. Dei enim nutum, aut oraculum aut insignem causam subesse oportuit, quod ausi fuerint Gabaonitæ definire numerum. Quod Saul fecit, id fecit, לכוונה טובה, bona intentione, sed contra Dei voluntatem. Peccatum in eo, quod primò eos, qui consecrati Deo erant, violaret; secundo, quod ageret contra fidem & religionem jurisjurandi. Filii non puniuntur ob patrum delicta (Deut. 24. 16.) hi tamen non potuerunt participasse in delicto, quia Merob data est Adrieli, postquam jam unctus esset David, atque adeo extremis temporibus Saul. Respondent magistri: Legem illam Mosis loqui במיתה בידי אדם *de morte per hominum potestatem*; ut de morte בידי שמים haberi, *Visitabo iniquitatem patrum in filios.* Nempe quando filii justi non sunt, כשאוחזין מעשה אבותיהם בידיהם *cum manibus suis apprehendunt opus patrum.* Scire debent Judæi, quod coram Deo nemo innocens. Objici potest, quod videatur in manu hominum fuisse, quia David pepercit Jonathanis filio. R. Deus definiit numerum septenarium, at personarum delectus fuit in arbitrio regis. Velim hæc enuntiata teneri.

1. Deus administrat hoc seculum distributione malorum & bonorum temporalium, quæ pænas & præmia dicimus.

2. Hæc distributio est in ipsas personas delinquentium & recte facientium, aut in alias, quæ ipsis aliquo modo privato aut publico consortio cohærent.

3. Qui pænas illas ex aliorum delictis recipiunt, illis istorum delicta non imputantur. Nam si illis aliorum delicta imputarentur, haberent aliud peccatum originale imputatum, præter Adameum: quod absonum.

4. Pænæ igitur irrogantur, quæ duplicem relationem habent. Unam ad peccata aliorum, ut ad hanc speciem seu hoc genus pœnæ definitæ sunt: alteram ad peccata sua, ut meritoriam causam pro persona patiente in se considerata.

5. Quicunque igitur plectitur; aliis debere potest, quod hoc genere pœnæ & his circumstantiis puniatur: sibi semper debet meritum & gravitatem pænæ.

6. Supplicia per homines irroganda aut sunt aliorum delictorum, aut è violatione Herem.

7. Aliorum delictorum supplicia non egrediuntur personam delinquentem Deut. 24. 16.

8. Sed pœnæ חרם violatæ exeunt in totam familiam: id est totis familiis per homines debent irrogari.

9. Hic tamen septem pro tota stirpe, ipso Deo ita disponente: quæ fuit non ἀντιδικάτως sed ἀφιβδόμως ut ita loquar. Salianus putat solos novem è stirpe Saul superfuisse, sed duobus parcitum ob Davidis cum Jonathane fœdus & juramentum. Fœminei enim sexus non haberi rationem. Atqui non determinatus est ille è re aut à Davide numerus, cum diserte sit postulatus ab ipsis Gabaonitis Dei voluntatem enuntiantibus ut arbitror.

10. Supplicium Herem neglectum totam gentem involvit. Ita triennalis fames regnum Israel afflixit, quamdiu malum expurgatum non erat.

11. Deus placatus pluviam dedit post aliquod tempus, non confestim (παραχρῆμα) quod vult Josephus. Inde in eodem capite (2. Sam. 21.) & 1. Chronic. 20. 4. 5. 6. 7. 8. bella quatuor cum Palæstinis commemorantur. Ignoratur tempus singulorum sed Lyranus putat liquere, quod Davide senescente & viribus fractis facta fuerint. Quatuor filii Rapha gigantis animum Palæstinis fecere ad bellum toties redintegrandum. Primum fuit, in quo David ipse

ipse prælio decertans ad virium lassitudinem usque, ab Isbibenob è filiis Raphæ, cujus hasta habebat trecentos siclos æris, quique novo gladio accinctus erat, urgebatur: sed Abisæus Palæstinum cæcidit, & regem discrimine liberavit. Viri igitur David jurant non ultra in aciem egressurum, ne lucernam Israelis exstingueret. Alterum bellum fuit in Gob (1. Chronic. 20. dicitur Gazera) Hic Sebbechai Husathæus percussit Saf, alterum Raphæ filium.

Tertio bello, quod etiam apud Gob, Elhanan filius Jaare oregim percussit Beth-halachmi (qui fuerat cum Goliath Getthæo) cujus hastile liciatorii modum habebat. Quarto bello apud Geth, gigas procerus, qui digitos senos in manibus & pedibus habebat, filius similiter Raphæ, cum Israelitis probra diceret, interfectus est à Jonathan filio Samaa, fratris Davidis. Sic quatuor filii Raphæ & Goliathus ceciderunt manu Davidis & heroum ipsius. Josephus primum & tertium bellum confudit. Ita Elhanani debitam gloriam dedit Abisæo, Abisæo suam adimit. Sobacohim in secundo bello plures dicit interfecisse è genere gigantum: atqui unum Sepphai interemit. χετθαῖον vocat, qui est χετταῖος. Tertium bellum Elhanani gloriam dedit contra fratrem Goliathi, quem Josephus confectum dederat Abisæo, ideo hic ἀνώνυμον alium substituit. Heroem illum vocat Nephanem: apud Rufinum Ethan est. Et Rufinus male plures quoque ab eo cæsos esse vult. Quarto giganti altitudinem dat sex cubitorum: quod scriptura non habet. Ita omnia perturbata sunt.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI PRIMI.
CAP. LIX.

TUm eum subita cupido incessit ad metiendas imperii vires populum censere. Ita à Ioab militiæ magistro decies centena & trecenta civium millia dinumerat. Hujus eum facti mox piguit pœnituitque veniam à Domino petens, quod in id animos extulisset, ut regni sui potentiam ex suorum potius multitudine, quam ex favore divino æstimaret. Itaque missus ad eum Angelus, trinam ei pœnam denunciat, dat arbitrium unam eligendi. Sed proposita trienni fame, trium mensium fuga, morte tridui, fugam & famem detestatus, mortem elegit momentoque temporis LXX. millia virorum interiere. Tum David videns angelum, cujus dextra populus prosternebatur, veniam precari, seque vivum pro omnibus pœnæ objicere: se dignum exitio, quia ipse peccasset. Ita aversum plebis supplicium; David in loco, in quo

ange-

angelum viderat, aram Domino statuit. Mox annis & morbo infractior, Salomonem filium ex Bersabee Uriæ uxore susceptum, successorem regni constituit. Is regali unguento per Sadoc sacerdotem unctus, patre adhuc incolumi, rex appellatur. David cum regnasset annos XL. defunctus est.

DRUSIUS.

DECIES CENTENA &c.] Israelitarum octingenta millia & Judæorum quingenta.

CUR IN ID] *quod in* Sigonius, probo vehementer.

ANGELUS] propheta Gad. Notum illud. *Quoniam angelus domini exercituum est.* Similiter sacerdotes angeli vocantur.

TRIENNII FAME] τρία ἔτη λιμὸς ἐν τῇ γῇ σου est in Græca editione 2. Reg. 24. 13. ut etiam in codicibus Ebræis, 1. Paralip. 21. 12. Qui tamen in priore loco habent *septem annis.* Quod sequendo legendum esset *septennii fame.*

TRIUM MENSIUM FUGA] *aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, & illi te persequentur,* 2. Sam. 24. 13. In Latina vulgata.

MORTE TRIDUI] *aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua.* Ibidem.

MORTEM ELEGIT] id est, pestilentiam quam & Chaldæi מותנא vocant: etiam interpres vetus, Psal. 91. 3. *à morte insidiarum* ubi codex Ebræus, *à lue,* sive *à pestilentia.* Gallicè mortalitè.

MOMENTOQUE] non momento, sed à mane usque ad tempus constitutum, quod Moëd vocant Ebræi, id alii de vespera, alii de meridie accipiunt. LXX. ἕως ὥρας ἀρίστου, usque ad horam prandii.

SEQUE VIVUM PRO OMNIBUS] Vide num legendum sit, *seque unum pro omnibus.*

IN LOCO, IN QUO ANGELUM VIDERAT] in area Areunæ (aliàs Ornæ) Jebusæi.

SALOMONEM FILIUM] Salmanticensis, David obiit anno mundi 3924. & tunc incepit regnare Salomo filius ejus, qui anno quarto regni sui cœpit ædificare templum, videlicet an. mundi 3928. In quo completi sunt anni 480. exitus ex Ægypto. Nam anno 448. egressi sunt.

URIÆ UXORE] quæ fuerat Uriæ uxor.

INCOLUMI] vivente.

REX APPELLATUS] desideratur verbum substantivum, ut cap. 67. *Sed missi cœlesti igne absumpti.* Hic *sunt*, ibi *est* subaudiendum. Aut legendum *Rex appellatur.* Potest etiam locus hoc modo distingui, *Rex appellatus: David cum regnasset annos XL. defunctus est*; ut verbum *est* ad utrumque membrum pertineat.

ANNOS XL] regnavit in Hebron septem annos & sex menses, in Jerusalem verò triginta tres. Simul efficiunt anno XL. omisso minore numero.

REGALI UNGUENTO UNCTUS] hoc fiebat propter Adoniam regni competitorem. Alioqui filii regum non ungebantur. Vide כסף folio 191. col. 4. & fol. 211. col. 2.

SCHOTANUS.

II. SAM. XXIV. I. CHRONIC. XII.

IRa Dei in populum, ſuperioribus illis famis & annonæ caritatis malis, addidit malum peſtilentiæ. Nam permiſſum eſt Satanæ Davidem incitare, ad numerandum populum Iſrael & Juda. Rex igitur mandat Joab militiæ magiſtro, ut à Dan uſque Berſabe numerum univerſi populi iniret. Id verbum cum diſpliceret Joabo, verbis comibus & obſequioſis regem ab eo propoſito avertere conatur. Augeat Deus, inquit, populum hunc in centuplum, ut oculi regis intueantur. At quorſum iſta rex appetit, cum id Iſrael in culpam eventurum ſit? Deus populum puniturus (certum genus delicti ignoramus) Davidem labi ſinit in peccatum, ut Davidis peccatum & populi eadem pœna caſtigetur. Sed quæritur, in quo David peccaverit? Vulgatum eſt ſuperbiam fuiſſe, qua incitatus imperii vires cognoſcere voluerit. Lyranus: *Gloſſa Gregorii ſuper hunc locum:* Pro qualitatibus ſubditorum diſponuntur acta regentium, ut ſæpe pro malo gregis vere boni delinquat vita paſtoris. David enim Deo teſte laudatus tumore repentinæ elationis inflatus, populum numerando peccavit & populus pœnam ſuſcepit; quia ſecundum meritum plebium diſponuntur corda rectorum. *Quale autem fuerit peccatum populi, quod demeruit, in litera non habetur; ſed libro de Hebraicis quæſtionibus, dicitur quod hoc fuit, eo quod populus non reſtitit David, ut debuit, in facto Vriæ, & ideo, in capite præced.* [2. *Sam.* 23.] *ultimus nominatur; ut ſententia hujus capitis præcedenti aliqualiter copuletur. Sed hoc dictum videtur falſum: quia peccatum David contra Vriam, uxorem ejus polluendo, & ipſum proditioſe occidendo, fuit ſecretum quouſque totum fuit completum, ut patet ex prædictis cap.* 12. *Propter quod dixit Nathan ad David, tu feciſti abſcondite &c. Propter quod patet, quod populus non potuit peccato David occurrere. Similiter nec poſt factum, quando venit ad notitiam populi: quia pœna jam determinata erat à ſummo judice Deo: ut patet ibidem per verba Nathan prophetæ. Et ideo melius dicitur, quod peccatum populi fuerit rebellio ejus contra David ſequendo Seba filium Bochri: qui erat homo peſſimus & ſeditioſus: & de hac rebellione ſolus Seba fuerat punitus &c.* Propter quod populus erat puniendus: quod factum eſt per peſtilentiam immiſſam à Deo ſuper populum, propter ejus numerationem. Alterum peccatum fuiſſe putatur, quod non dederint ſinguli pro hac numeratione dimidium ſiclum. Nempe voluiſſe Deum [Exod. 30.] ut populus non numeraretur generali numeratione per capita ſed per ſiclorum numerum. Hæc ſententia eſt Judæorum. Kimchi וכבר היה דבר זה נודע מן התורה כי אם ימנו את ישראל שלא יתנו איש כופר נפשו שיהיה בהם נגף ואפילו ימנה אותם לצורך: *Et olim notum erat hoc è lege, quod ſi numerarent Iſrael, non dando viritim Lytron animæ ſuæ in ipſis fore plagam, etiamſi in neceſſitatem numerarent.* Etiam debuiſſe juſtam cauſam eſſe cenſendi nec aliter licuiſſe licet oblationem darent. Proinde Joabum ſciviſſe, quod defectus ſive imminutio futura eſſet. Eandem ſententiam ſequitur Joſephus: ὁ δὲ βασιλεὺς δαβίδης βυλόμενος γνῶναι πόσαι μυριάδες εἰσὶ τοῦ λαοῦ, τῆς Μωϋσέως ἐντολῆς ἐκλαθόμενος, ὃς προεῖπεν ἐὰν ἐξαριθμηθῇ τὸ πλῆθος, ὑπὲρ ἑκάστης κεφαλῆς αὐτοῖς τῷ θεῷ τελέσειν ἡμίσικλον, προσέταξεν Ἰωάβῳ &c. Eam probat Hugo Grotius: *Nempe*, inquit, *non perſoluto cenſu, qui Deo quoties luſtrabatur populus, debebatur ex lege Exod.* 30. 12. *Erat autem non leve peccatum in tanta rerum opulentia Deum ſuo jure velle fraudare.* Notat hoc Martyr Iſraelitarum cenſum non fuiſſe neceſſarium, quia fines ad quos cenſus in aliis gentibus instituebatur

tur hic non urgeret, scilicet, impositio tributi & censura morum & subjectio. Finem in lege assignatum, ut cultus Dei conservaretur. *Non erant*, inquit, *Israelitæ vexandi tributis: non volebat Deus ut rex magnos Thesauros sibi congereret. Adhæc censura illa morum aliter fiebat apud Hebræos: fuerunt Levitæ, sacerdotes, qui docebant & monebant populum deinde Sanhedrin: nec apud Romanos proprium censuræ erat mores corrigere sed additamentum. Quoad militiam censu non erat opus. Nam Deus se militaturum pro eis promisit. Aliæ resp. quæ non habebant illam promissionem, prudentiæ judicabant esse, cogitare an pares essent hostibus, quemadmodum Aristoteles in Rector: de bello suscipiendo indicat. De subjectione autem quid opus erat, ea causa censum indicere? omnes sciebant Davidem electum à Deo, imperare debere multitudini David non aliam causam affert, quam ut sciam numerum militum: Deinde nullum imminebat bellum. Huc accedit quod Iosephus addit, oblitum fuisse Dei cultus, exactionis inquam illius, quæ tabernaculo debuit offerri. Peccatum ejus eò gravius videtur, quod liberatus esset ex multis periculis: quid ergò quærebat de numero? Fortassis nova tributa imponere volebat, sed non decebat: Ethnicis id congruit, Dion scribit de Augusto, quod excogitarit censum per universam ditionem Romanorum, ut colligere posset pecuniam ad alendas legiones, quibus sustentabatur respublica. Ideò ut Iosephus scribit misit Quirinium (Evangelista Cyrenium vocat) in Syriam ut censum haberet. Erat res odiosa, ideoque in Iudæa tumultus exorti sunt. Si David voluit aliquid novi tributi excogitare, non fecit suo tempore. Considerandum etiam illud, quod Deus voluit populum suum innumerabilem esse Erit, dicit propheta, tanquam arena maris, & stellæ cæli. Deus noluit ut fiderent copiis militum: potius curare debuit, ut populum bonum faceret, quam numeraret: sed à modestia ad jactantiam deflexit, ideo & ipse & populus puniuntur. Iam fuerant sæpe castigati bellis, fame quoque laborarant, nunc pestis eos consumet. An David in isto censu non tantum capita, sed etiam facultates describi voluerit, in historia non habetur.*

Verbum regis vim habuit adversus Joab, & duces copiarum, qui contrà nitebantur. Hi igitur Hierosolymis profecti universam regionem peragrarunt, populum numerando. Transito Jordane, primam stationem habuerunt apud Aroër ad dextram urbis, quæ sita erat in medio torrente Gad & ad Jaëzer. Hinc venerunt in regionem Galaad, in humilem tractum Hodsi: inde in Danjaan & circum Sidonem. Tum munitionem (מבצר *arcem*) Tyri, urbes Hevæorum & Cananæorum (Phœnicum) finito itinere ad austrum Judæ ad Bersabe. Novem mensibus & viginti diebus numeratione absoluta redierunt Hierosolyma ad regem. Benjaminæam tribum & Levitas non numerarunt, quia cor regis contremiscere cœpit & angi: Joab quoque animo reluctante numerationem hactenus perfecerat. Numerum detulerunt puberum, ætatis militaris [ab annis viginti] cum inferior ætas & sexus muliebris non sint numerata. In loco Samuelis habentur ex Israel octingenta millia, è Juda quingenta. In chronicis ex Israel undecies centena millia, è Juda quadringenta & septuaginta millia. Josephus Judæis centum millia detraxit, Israelitis addidit secundum locum Samuelis. Facile numerus Judæorum utriusque loci conciliatur, ut dicamus in loco Samuelis rotundum numerum haberi, qui triginta millia supplet: sed quid facias numero Israelitarum? Rasi: *In Haggada Amoræorum invenimus? Dixit R. Iosue, ben Levi Hagiographa addunt hic quia deficiunt, illa tribus, quæ numerata non sunt, Nam scriptum in Chronicis:* Levi & Benjamin non censebat inter ea: quia regis verbum Joabo abominabile erat. *Dicebat Joab: In his ego possum elabi & dicere, Tribus Levi non est numerata in numero reliquarum tribuum, nisi à filio mensis & supra: & Benjamin, quoniam ejus sufficientia defecit & consumpta est in concubinam Gabaa. Et in triginta duabus proprie-*

tatibus R. Eliezer filii R. Iose Galilai discimus, Scriptura una dicit: Et fuit totus Israel mille millium & centum millium & Juda quadringentorum & septuaginta millium: *Alia dicit:* Erat Israel octingentorum millium & viri Judæ quingentorum millium. *Discrimen invenitur trecentorum millium. Hæc trecenta millia* (מחשבו) *quæ est eorum conditio? Vadit scriptura tertia* (והכריע) *& solvit:* (1. Chronic.27.1.) Et filii Israel in numerum suum, capita patrum & præfecti millium & centuriarum, & prætores, ministrantes regi in omnem rem divisionis venientes & egredientes de mense in mensem, in omnes menses anni. Una divisio viginti quatuor millium; *dicit quod illa trecenta millia scripta fuerint* (בנימוס של מלך) *in portione regia: Nec fuit opus ea numerari. Ita viginti quatuor millia duodecies faciunt 288000. Supersunt 12000. qui sunt principes Israel* (נשיאי ישראל) Kimchi miratur utramque solutionem non loqui de discrimine triginta millium tribus Judææ. Ipse dicit: *Fortassis hæc triginta millia mortua sunt in plaga. Cum septuaginta millia mortua sunt, triginta millia fuerunt è Iuda mortua: quia hæc ipsa erat tribus Davidis; qui erat causa. Aut fuerunt in hac tribu plures peccatores. Et in dras, adhuc duas tabellas fecit, unam pauciores complectentem, aliam plures. Cogitabat si pauciores recipiat bene est; sin minus, plures habentem dabo.* Nempe noluit inflari Davidis animum, ut est apud Hieronymum in traditionibus. Hæc sunt commenta Judaica. Dici posset, cum transcriberentur numeri è tabulis in majorem duplicem librum, esse ob certas rationes quasdam partes omissas in hoc libro, quæ tamen in alio sunt adscriptæ. Cum Davidi nuntiatum per Gad prophetam est, Deo displicere hanc numerationem: Acerbis lamentationibus peccati sui veniam quæsivit, multis id modis detestatus. Deus illi (mane summo quo surrexerat) per eundem prophetam optionem proposuit trium plagarum, quarum unam effugere non posset: Trium annorum famem, trium mensium grassationem hostilem, trium dierum pestilentiam, quam Angelus vastator in omnibus finibus Israel esset effecturus. Difficilem electionem evadere non potuit: elegit pestilentiam, addita ratione, quod melius esset incidere in manus Dei quam hominum; quia apud ipsum multa esset miseratio. Josephus (cum loco Samuelis) famem septennalem dicit. Rationes Davidis ita exponit: *λογισάμενος ὁ βασιλεὺς ὡς εἰ λιμὸν αἰτήσειεν, ἔδοξε τοῦτο πεποιηκέναι τοῖς ἄλλοις, αὐτῷ μὲν ἀφόβως, ὅτι πολὺν αὐτοῖς ἐγκεκλεισμένον ἔχοι σῖτον, ἐκείνοις δὲ βλαβερῶς. Ἂν δέ γε τοὺς τρεῖς μῆνας νικωμένους αὐτοῖς ὅτι τοὺς ἀνδρειοτάτους ἔχοι περὶ αὐτὸν καὶ φρούρια. καὶ διὰ τοῦτο μηδὲν φοβούμενος εἵλετο τὸν πόλεμον, ᾐτήσατο τὸ πάθος κοινὸν καὶ βασιλεῦσι καὶ τοῖς ἀρχομένοις, ἐν ᾧ τὸ δέος ἴσον ἁπάντων γίνεται, προειπὼν, ὅτι πολὺ κρεῖττον εἰς τὰς τοῦ θεοῦ χεῖρας ἐμπεσεῖν, ἢ εἰς τὰς τῶν πολεμίων.* Hæ Josephi ratiocinationes in Dras apud Kimchi habentur. Cum id responsum Deo retulisset propheta, Pestis cœpit incumbere. Josephus ut narrationem theatrice instruat, narrat non uno modo obiisse homines. Cum unum malum mille causis & occasionibus (*προφάσεσιν*) raperet homines. Subitum & improvisum malum sæpe celerem mortem inferebat, at cum alii ruerent inopina morte, cum gravissimis doloribus, alii lenta tabe conficiebantur. Quidam caligine oculis oborta, difficilem respirationem trahebant: alii in funeribus domesticis curandis, ipsi sepulturæ immoriebantur. Cæterum quæ ratio conciliandi inter septennium & triennium famis? Dicunt una computari triennalem famem, de qua superius narratum, eam scilicet continuandam esse in proximum triennium. Nam in quarto anno post æstatem demum pluvia cœperat stillare, atque ita sine fame & annonæ caritate totus non fuit. Sic Kimchi. Sed & illud quæritur, Cur de sola pestilentia dicatur, per eam homines cadere in manus Dei, annon & Dei manus immittit fine hominum

minum

minum opera famem? R. Kimchi: Evenire quidem à Deo, sed quærendi cibi causa deveniri in manus hominum, ut cum olim Jacobi familia in Ægyptum descendit, At Deus triduum mortalitatis minatus, uno die nec toto, inflixit. מהבקר ועד עת מועד *A mane ad tempus constituti:* Lxx.: ἀπὸ πρωΐθεν ἕως ὥρας ἀρίστου. Id expressit Josephus. Chald. מעדן דמתנכים תמידא ועד דמתסק *A tempore, quo mactatur juge, usque dum adoleatur.* Kimchi: *Secundum Thargum &c. Quidam è magistris f.m. exponunt usque dimidium diei. Et illud tempus est constitutum è constitutis solis: quia ortus ejus est constitutum unum: Et quidam dicunt & ab illucescentia ortus usque splendorem* (חנץ) *solis. Ecce à misericordia Dei abbreviatum est tempus rei. Nam dicebat triduo, nec fuit nisi à mane usque ad tempus constitutum. In Dras, dedit Dominus verbum triginta sex horarum pœnæ: decretum est est super illas eodem die: venerunt magni* (פרקליטין) *advocati & cessare fecerunt eas. Hi sunt quinque libri legis, septem dies septimanæ, octo dies fœderis circumcisionis & meritum trium patriarcharum. Residuæ sunt tredecim: duo Amorai, unus dicit, in merito duodecim tribuum, alter in merito decem præceptorum & duarum tabularum. Ita relinquitur hora una. R. Haja dicit à mactatione jugis usque ad sparsionem sanguinis.* Fr. Junius totum triduum intelligit: & tempus constitutum, quod Deus per prophetam præfixerat. Contra hanc sententiam & de fine ad prandium disputat Lyranus. Non videri triduum fuisse quia infra dicitur, Venit autem Gad in die illa. *Et videtur loqui Scriptura de prima die pestilentiæ. Ad hoc enim venit Gad, ut David offerret holocaustum & cessaret plaga inchoata, ut habetur infra. Ex quo videtur etiam, quod tempus pestilentiæ non erat consummatum. Et ideò alii dicunt, quod tempus constitutum intelligitur tempus prandii: sed tale tempus non videtur esse constitutum in lege. Et Deo dicunt alii & melius, ut videtur, quod tempus constitutum intelligitur hora sacrificii vespertini. Illud enim statutum fuit in lege Exod. 29. Ita quod à mane primæ diei usque ad horam illam mortui sunt de populo 70000. virorum. Sed tunc occurrit dubium: quia sicut dictum est pestilentia trium dierum erat determinata: & sic videtur, quod sit mutatio facta in Deo. Ad quod dicendum, quod non: quia pestilentia trium dierum erat dicta per modum comminationis, sicut (Ionæ tertio)* Adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur, *quæ tamen non fuit subversa. Sic in proposito duo dies pestilentiæ ultimi fuerunt tantum per comminationem dicti. Primus vero dies per modum sententiæ diffinitivæ: propter quod fuit pestilentia tantum illo die: Ideo subditur.* Misertus est Dominus super afflictionem &c. Sententiæ igitur variant. Alii totum triduum, alii diem unum mortalitatis assignant. Qui diem unum, hi non totum omnes: at alii à mane ad prandium, alii ad horam sacrificii vespertini. Alii (hæc communis opinio Judæorum) à mactatione jugis sacrificii ad combustionem seu sparsionem sanguinis. Ultimum illud per se cadit. Nam horæ unius spatio tantum hominum cecidisse non est credibile. Si מועד notet tempus determinatum sacrificii jugis, posset videri ab exortu lucis usque ad horam sacrificii matutini cladem illam evenisse. Abulensis communem sententiam dicit esse, quod pestilentia unum diem non excesserit. Et hoc verè dicit: ipse tamen (assentiente Saliano) totum triduum accipit. Patres non potuerunt egredi verba Lxx. interpretum, à quibus miror Jesuitam discedere, cum posset commoda interpretatione conciliare cum vulgata editione. Theodoretum audiamus? Cum dixisset spe sua de Dei misericordia non excidisse addit: τριῶν γὰρ ἡμερῶν ὁ θεὸς θάνατον ἀπειλήσας ἐν ἓξ μόναις ὥραις τὸν θάνατον ἐπήνεγκε. συναριθμουμένων δὲ τῶν τριῶν τῶν ἡμέρας τὸ δωδεκατημόριον εὑρίσκεται τῆς ἀπειλῆς ἐπενεχθὲν τῷ λαῷ. οὕτως ὁ φιλάνθρωπος κύριος μείζονα μὲν τέχνηται τῆς ἀπειλῆς τοὺς ἁμαρτάνοντας δεδιττόμενος· πολλῷ δὲ τῶν ἀπειλῶν ἐλάττους ἐπιφέρει τὰς τιμωρίας.

ρίας. Καὶ γὰρ ἑπτακοσίων χιλιάδων τοῦ Ἰσραὴλ εὑρεθεισῶν, καὶ τοῦ Ἰούδα τετρακοσίων (sequitur Josephum) δηλονότι τὴν στρατεύσιμον ἡλικίαν ἀγόντων καὶ τῶν ἀώρων καὶ τῶν ἐξώρων καὶ μέντοι καὶ γυναικῶν ἐξῃρημένων, προσέτι δὲ καὶ τῶν Λευϊτῶν καὶ τῆς Βενιαμίτιδος φυλῆς· Μεταμεληθέντος γὰρ τοῦ βασιλέως οὐκ ἠριθμήθησαν· ἑβδομήκοντα χιλιάδες ὑπὸ τοῦ ἀγγέλου ἀνῃρέθησαν μόναι. καὶ ταῦτα πάντων ἐν ἀκαρεῖ διαφθαρῆναι δυναμένων· οὐ γὰρ ἐδεῖτο χρόνου τιμωρὸς ἄγγελος. Ἐν ἀκαρεῖ γὰρ ἀνεῖλε καὶ τὰ τῶν Αἰγυπτίων πρωτότοκα καὶ τὰς ἑκατὸν ὀγδοήκοντα πέντε χιλιάδας τῶν Ἀσσυρίων· τῆς φιλανθρωπίας τοίνυν ἀλλ' οὐ τῆς ἀδυναμίας ὁ χρόνος. Verum est quod Deus uno momento simul universam gentem conficere potuerit, angelus tamen tempore aliquo opus habuit, quia simul non potuit esse, in omnibus finibus Israel. Deinde non est credibile uno ictu oculi interiisse, potius cruciatibus & spatio ad Deum se convertere (quidam saltem) potuerunt. Errat etiam Theodoretus, cum Satan seu adversarium, qui incitavit Davidem ad numerandum, nihil aliud voluit esse quam λογισμὸν seu cogitationem numerandi, quam habuit, οὐκ ἐξ ἐνεργείας (neque jussus) ἀλλ' ἐκ συγχωρήσεως, *non ex operatione sed permissione Divina.*

Opus habuit successione locorum & temporum, ideò cum Hierosolyma percutienda aut percuti cœpta essent (quam urbem Dei benignitati postremam percutere placuit, partim ne putaretur ab hominum multitudine & sordibus habitationis angustæ clades originem habere naturalem, partim quia populosissimæ urbi parcitum voluit) angelus vastator visus est Davidi cum rhomphæa nuda. Miserabatur Deus urbis, ideò videri voluit speciem angeli, qua excitaretur David ad Deum placandum? Qui prehendi voluit, præbuit se regi. Antequam David angelum videret Deus illi mandaverat, ut lentè procederet. Sed quia parci debuit interveniente deprecatione visus est Davidi. David vidit angelum apud aream Areunæ Jebusæi in monte Moria. Jebusæus ille vocatur אֲרַוְנָא (ארניא) & in Chronicis אָרְנָן; Lxx. utrobique habent Ὀρνά. Theodoretus: Μετὰ ταῦτα τὰ κατὰ Ὀρνίαν ἢ Ἀδωνίαν, διώνυμος γὰρ ἦν, ὁ ἱστοριογράφος συνέγραψεν. Ille igitur aliter legit. Josephus vocat ὀρωνᾶν & ἐρφέναν. Videbat David angelum stantem inter cælum & terram, cum stricto gladio super urbem. Mons Moria in orientali parte urbis, urbs ipsa seu Acra ad occidentem erat, qua se porrigebat gladius. Angelus naturales causas commovit, aut sine illis subito, illos, quos Deus ipsi definiverat, percusserat. David cum senioribus induti saccis, in facies suas procumbunt. Proclamavit autem David ad Deum: Nonne ego sum, qui jusserim populum numerari. Ego deliqui & male egi, sed quid fecerunt hæ oves? Domine Deus mi, sit manus tua in me & domum patris mei. Angelus Domini (sive ille idem sive alius, Ego hunceundem fuisse puto) ad Gad prophetam, nuntiaret Davidi, ut ædificaret aram in area Ornan Jebusæi. David igitur eo se confert. Ornan etiam cum se converteret, vidit angelum cum quatuor filiis, qui aderant. Hi perterriti latebras quærunt. Occupatus erat in tritura. Non est anxie inquirendum, cur hic viderit, nec dici potest ab aliis pluribus visum non esse. Ornan iste ex Jebusæorum reliquiis, ut videtur, fuit. Huic parsum esse Josephus dicit, in occupatione urbis, quia erat ex præcipuis amicis Davidis. Putatur fuisse è regio sanguine Jebusæorum: quia rex appellatur v. 23. dici possit regem fuisse, cum David urbem expugnaret: sed invitum ac coactum à suis Davidi repugnasse. Judæi putant parsum esse, quod non esset è septem gentibus sed ortu Palæstinus. Atqui proselytis parci potuit. Lxx. eo loci vocabulum regis omittunt, ideò Josephus tantum dicit fuisse hominem opulentum & beneficiis in Israelitas insignem. Cum Ornan videret, prospiciens ex loco, in quo erat, adventare ad se regem, cum aulicis, prodit obviam

obviam & prolapſus veneratur eum. Cur, inquit, rex ad ſervum ſuum venit? David reſpondet, ut emam à te aream, in qua aram ponam Domino ad ſedandam plagam. Sive intelligat de graſſatione in omnibus finibus Iſrael, ſive jam accenſa fuerit in ipſis Hieroſolymis. Si Hieroſolyma penitus intacta fuerint, certum eſto Levitin & Benjaminæam tribus non evaſiſſe, etſi numeratæ non ſint. Ornan offerebat regi aream in donum, cum bubus triturantibus in holocauſtum, item tribula ſeu trahas & juga boum in lignum, & triticum in mincham. David regerebat: Se pretio debito empturum, quia de alieno inconveniens eſſet ſacrum facere. (Joſ. *οὐ γὰρ εἶναι δίκαιον προῖκα θυσίας ἐπιτελεῖν*) Appendit igitur illi (ut eſt in Chronicis) ſexcentos ſiclos auri pro loco iſto. In loco Samuelis ſcribitur, quod fuerint quinquaginta ſicli argentei. Salianus cum aliis putat hanc eſſe ſimpliciſſimam expoſitionem: ut primò empti ſint boves cum plauſtro & reliquis ad ſacrificium neceſſariis excitatumque altare opere tumultuario (Hoc enim maximè urgebat) idque pretio 50. ſiclorum argenti. Secundò vero cognita mox Dei voluntate de templo ibi excitando, Davidem totum illum collem Moriæ 600. auri ſiclis juſtiſſimi ponderis emiſſe. Sic verum, quod Hieronymus habet in quæſtionibus Hebraicis, Davidem boves 50. ſiclis, aream ſexcentis emiſſe. Hanc conciliationem præfero illi, quam Kimchi è magiſtris profert qui & hanc habet. Illius verba ſunt: *Pro qualibet tribu quinquaginta ſicli, qui ſunt ſexcenti ſicli argenti: at pondus eorum ſecundum pondus auri: Et hoc eſt quod dicit ſicli auri. Porrò dicunt: Una ſcriptura dicit,* In una tribuum tuarum: *at alia ſcriptura dicit;* Ex omnibus tribubus veſtris. *Hoc eſt quod dicit R. Iuda, Argentum ex omnibus tribubus veſtris, domus electionis è tribu una. Rabbi dicit propter Abba Ioſeph filium Doſthai, Boves & ligna & locum aræ quinquaginta: & univerſam domum ſexcentis. At verba ſcripturarum redarguunt verba Rabbi, quia dicit* (תנה) aream & boves argento ſiclorum quinquaginta, *& in area fuit ara. Et in Chronicis dicit,* Dedit David Areunæ pro loco ſiclos auri &c. *id eſt toto loco, qui fuit in agro, in quo ædificata eſt domus.* Idem vult Ralbag, quod area cum bobus empta ſit quinquaginta ſiclis argenti deinde univerſus locus ſexcentis auri. Hoc elici ex verbis Chronicorum: *Hæc domus Dei & hæc ara in holocauſtum Iſraeli* (1. Chronic. 22. 1.) Nam hoc docere, quod jam emerit locum, in quo ſanctuarii domus ædificata eſt. In Chronicis commemoratur Davidem vidiſſe, quod Deus placatus eſſet, quia cum holocauſta & pacifica offerebat, ignis de cælo lapſus holocauſtum abſumpſit. Ita plaga finem habuit. David exinde in illa ara ſacrificavit. Nam tabernaculum, quod fecerat Moſes & ara holocauſtorum Gabaone erant. Eo David aſcendere non poterat, præ trepidatione, in qua Deum deprecabatur in ſacco & cilicio. Angelus ipſi per Gad monſtravit aream Jebuſæi. Hic ipſe locus erat, in quo Abraham juſſus immolare filium, arietem obtulit; in quo deinde templum ſtructum eſt à Salomone. Kimchi ad verba ultima 2. Samuelis 24. *Ita exoratus* eſt Dominus terræ & plaga deſita eſt *ab Iſrael*: Tharg. וקביל יי צלות דירי ארעא ואתכלי מותנא מעל ישראל: *Et in dras: Omnia illa millia, quæ ceciderunt in diebus David, non ceciderunt niſi propterea, quod non quæſiverunt domum ſanctuarii: Et ecce* (דברים קל וחומר) *quanto magis: Et quid ſi illi, quum non fuerat in diebus eorum nec vaſtatio in diebus eorum, ceciderunt quia non quæſiverunt eam: Nos quando fuerit in diebus noſtris & vaſtatio in diebus noſtris, ſuper unum quoties & quoties* (id eſt quanto pluribus plagis tenemur) *Ideo diſpoſuerunt ſenes & prophetæ plantare in ore Iſrael, ut ſint orantes tribus vicibus quotidie* השב שכינתך ומלכותך לציון וסדר עבודתך לירושלם. אביר סלה:

1. P A-

I. Paralip. XXII.

CUm David cognovisset Deo placitum esse, ut illic loci domus Dei & ara holocaustomatum figerentur, omnia constituit & præparavit, quantum poterat ut opus ipsum structuræ nihil posset morari & structa æde universus cultus suo ordine procederet. Ordo iste potuerat disponi ante ædem constructam. Quicquid inquilinorum erat in universa regione Israel coëgit: & lapicidas constituit, qui lapides pararent ad structuram ædis Dei. Josephus scribit inquilinorum reperta esse centum & octoginta millia. Ex his constituisse lapicidatum octoginta millia: reliquos ad convehendos lapides deputasse & ter mille ac quingentos operariis præfecisse. Omne genus materiæ in promptu habuit. 1. Lapides, quod diximus. 2. Ferrum in ingenti copia, ad coagmentationes. 3. Æs immensum erat. 4. Ligni cedrini innumerabilis copia, quam Sidonii & Tyrii ad Davidem advehebant. Rex enim considerabat filii sui teneram ætatem & ædis struendæ splendorem, quæ omnibus terris decus nomini Divino futura esset: ideò ante obitum filio parare voluit, pro viribus & facultate sua. Filium ad se vocatum admonet: Se voluisse Domino ædem condere, sed divinitus prohibitum, quia ingentia bella gessisset & plurimum sanguinis effudisset. Nasciturum filium, qui in alta pace (inde Salomonis nomen habiturus) & summa prosperitate ædificaret, solium æternum super Israel possessurus. Hortari & optare igitur, ut gnaviter rem gereret & à Deo prudentiam mentemque capacem obtineat: utque in statutis Mosis incedat. Se in afflictione suorum temporum paravisse ad ædem Dei centum millia talentorum auri, millies millena millia talentorum argenti: (Jos. χρυσοῦ τάλαντα μύρια, δέκα δὲ ἀργυρίου μυριάδας ταλάντων.) æris, ferri, lapidum & lignorum copiam immensam: cui addere posset: comparasse etiam opificum peritissimorum numerum ingentem. Aggrediatur igitur & faciat cum Deo. Omnibus etiam principibus serio mandavit, ut præsto essent & opem omnem filio suo in re tanta accommodarent.

I. Reg. I.

CUm David consenuisset circa extremum vitæ tam frigido corpore fuisse traditur, ut nullis pellibus aut stragulis incalescere potuerit. Habebat tantum LXX. annos vitæ, cum decederet. At alii tardius, alii citius senescunt & defetiscunt. Lyranus: *Quod fuit satìs mirabile de tanta frigiditate in homine benè complexionato. Cujus una causa assignatur; quia à juventute fuit bellicosus: propter quod multos ictus & plagas sustinuit, ex quibus plurimus sanguis emanavit: propter quod citius senuit & infrigidatus fuit. Alia etiam causa additur, quia ex visione angeli tenentis gladium evaginatum super Hierusalem, ut dictum est supra 2. lib. 2is. supra modum territus fuit. Timor autem maximè infrigidat & maximè excessivus: propter quod timentes pallescunt & tremunt. Et ideò extunc David notabiliter infrigidatus fuit.* Aliam etiam causam assignat R. Salomo dicens, quod hoc fuit in pœnam peccati, quo abscidit oram vestis Saul, ut habetur supra lib. 1. cap. 24. Quod enim in hoc peccaverit videtur, quia ibidem subditur: Post hoc percussit cor suum David; eo quod abscidisset oram chlamydis Saul. Quandiu enim Saul in regno tolerabatur à Deo, David debebat eum revereri. *Et quia in hoc irreverenter se habuit ad ipsum fuit punitus pæna correspondente; sc. ut vestibus non calefieret in senectute: secundum illud Sap. XI.* Per quæ peccat quis, per hæc & punitur.

Secun-

Secundam cauſam Raſi affert è R. Samuele filio Nachman in Medras aggada. Ultimam dicit eſſe magiſtrorum. Kimchi primam cauſam tenet & ultimam dicit eſſe Dras omninò alienam (רחוק) at propiorem dras eſſe de angelo qui ipſum exterruerat. Abulenſis eam infrigidationem refert ad ægritudinem adventitiam, cum tamen ſcriptura ad ſenium & naturalem debilitatem ire videatur. Adeoque id videtur notari, quod paulò ante vegetior, ſubitò fuerit prolapſus.

Servorum ejus (nempe medicorum) conſilium fuit, ut quæreretur puella virgo, quæ eſſet cum rege, ei miniſtraret & in ſinu ejus cubaret, ut calor eſſet regi. Ralbag: *Notum, quod veſtes non calefaciant niſi in frigore, (*מצר*) ratione cuſtodiæ ſuæ, ne aër circumiens corpus infrigidet: ideò quæſiverunt illi ſervi ſui, quod eum calefaceret ob internum calorem ſuum (*מצד המימות בו*) & prætulerunt ut calefieret calore juvenculæ virginis: quoniam multa cauſæ conveniunt, quod eum calefactura eſſet. Unam, quia ipſa calida eſſet &c.* מצד אשר בחה והשנית מצד התחממות בהיותה עם הזכר והתעוררה למשגל והשלישית כי הוא גם כן יתעורר טבעו לקראת' מצד יפיה והיותה בתולה וזה יהיה סבה אל שיתחמם מעצמו: Honeſtius & verius Grotius: *Calor à corpore juvenili ac ſano maximè prodeſt ſenibus.* E vocabulo סכנת eliciunt, quod theſauros regis cuſtodierit. Dicunt Judæi virginem, quam mulierem calori fovendo aptiorem fuiſſe. Ex omnibus finibus Iſrael pulcherimam virginem quærunt. Inventa eſt Abiſag Sunamitis. Quam junctam regis miniſterio & cubili non cognovit. Fingunt Judæi ideò non eſſe cognitam, quod non debuerit uxores multiplicare ſupra octodecim, quas habebat: de qua cabbala ſupra diximus. Putatur iniſſe cum illa virgine matrimonium, ut Lyrânus & multi: at Abulenſis aliter ſentire videtur. Sed Lyranus adverſus Hieronymum benè tuetur hiſtoriæ veritatem. Ejus verba: *Gloſſa Hieronymi ſuper eum locum dicit ſic:* Nonne tibi videtur ſi occidentem literam ſequaris, figmentum eſſe de mimo vel Attellanarum ludicro, quod frigidus ſenex, obvolutus veſtimentis niſi complexu adoleſcentulæ non caleſcit &c. *Et ideò dicitur, quod hic eſt locutio parabolica: ita quod per Abiſag virginem intelligitur Sapientia, quæ eſt incorrupta, quæ conjungitur ſenibus, ſecundum quod dicitur* Job. 12. In antiquis eſt Sapientia. *Et hoc maximè fuit in David, in quo in ſenectute maxime viguit Spiritus prophetiæ, prout dictum fuit ſupra 2. lib. cap. 23. Et hæc ſapientia caleſecit regem David, ipſum ad amorem Divinum accendendo. Et talis modus loquendi parabolicus frequenter habetur in ſcriptura, ſicut habetur Judic. 9.* Iverunt ligna ut ungerent ſuper ſe regem &c. *ſicut fuit expoſitum ibidem. Sed ſalva reverentia Hieronymi, iſtud dictum ſtare non poteſt, ut videtur: quia circumſtantia literæ oſtendit manifeſte, quod Abiſag fuit quædam puella ad literam adducta ipſi David in remedium frigiditatis corporalis: quod etiam patet ex hoc, quia Adonias, qui erat juvenis, petivit eam pro uxore, mortuo David, ut habetur in 2. cap. Et ideò oportet dicere ad veritatem literæ, quod fuerit puella corporalis.*

Quia David ſenio fractus decumbebat Adonias regno imminuit. Prioribus enim fratribus (Amnone, Abſalomo, Chaleab) defunctis, ipſi regnum jure primogenituræ debebatur. Ideo aditum ſibi ſtruit, ut olim fecerat Abſalom, parando currus & equites & quinquaginta viros, qui armati eum præcurrerent. Specie quoque inſignis erat, & pater re cognita diſſimulavit iſtos paratus. Hæc duo putant animum addidiſſe quaſi & patre volente & diſſimulante regnum obtinere poſſet. Lenis nimium parens perſæpe indulgentia peccavit. Textus dicit v. 6. Adoniam fuiſſe natu ſecundum poſt Abſalomum. Quo videtur ſignificari quod Abſalomo mortuo jus primogenituræ in eum fuerit devolutum. Nam Cheleab ſive Daniel ſecundus Davidis filius, jam obiiſſe videtur, priuſquam Abſalomus ſolio inſidiaretur. In v. illius verbis ma-

Bbbbb tris

tria nomen reticetur. Unde quidam putant ad eandem matrem cum Abſalomo referri quia illa ipſum educavit. Sed Ellipſis eſt vocis Haggith. Jungit partibus ſuis Joab, militiæ magiſtrum & Abjathar pontificem; à quibus fatorum deſtinata implentibus adverſus Salomonem adjutus eſt. Quas cauſas habuerint, incertum eſt. Sed pontifex Sadoc, Banæas filius Jojadæ, Nathan propheta, Semei, Rei & heroes Davidis non adhærebant partibus Adoniæ. Adonias, ovibus bobusque & pinguibus aliis mactatis ingens convivium parat apud ſaxum Zoheleth, juxta fontem Rogel. Ad quod invitat cæteros fratres excepto Salomone: omnesque viros Judæ. Viri Judæ videntur fuiſſe primores tribus Judææ. Semei & Rei qui fuerint ignoratur. Ineptum enim eſt quod velint Semei alio nomine Nabat appellari, qui fuit pater Jeroboam. Abjathar fortaſſis Sadoci æmulatione gratiam novi regis occupare voluit. Sacrum ut puto, epulum fuit, in quo conjuratio iſta erupit in nervum. Deditos partibus Salomonis Nathanem, Banæam, heroas non adhibuerat epulo. Hic igitur inungitur ab Abjathar & feſtis acclamationibus rex ſalutatur. Nathan, rem cognitam aperit Bethſabeæ matri Salomonis, ſuadetque ut regem adeat moneatque jurisjurandi de Salomone regnaturo. Se ſuperventurum, ut abſolvat orſa. Bethſabea igitur ingreſſa ad regem (qui ob debilitatem interiori conclavi (החדרה *εἰς τὸ ταμεῖον*) ſe tenebat) & venerata de more, rogatur, quid vellet. Reſpondet: domine, juramentum dediſti ancillæ tuæ per Dominum Deum tuum Salomonem poſt te regnaturum eſſe. Nunc te inſcio Adonias ſolium occupat. Inſtitutoque epulo, omnes filios regis vocavit cum Abjathar pontifice & Joab militiæ magiſtro, præterito Salomone ſervo tuo. Domine rex, in te oculi univerſi populi, ut ſignifices ſucceſſorem. Ni feceris, te defuncto ego & filius meus peccatores erimus. Cum nondum ſermones iſtos finiiſſet, ſupervenit Nathan, qui narrato, quid fieret, quæſivit eſſetne ſecundum regis voluntatem & juſſum? Se vero id quærere, quia nihil tale rex ſibi indicaſſet. David advocat Bathſabeam ad ſe. (Nam in eodem conclavi quidem manſerat ſed ſeceſſerat paulo remotius à lecto, loquente Nathane cum rege) eaque adſtante repetit promiſſionem. Quod ſolita veneratione excipiens Bathſabea, Rex, inquit, vivat ſeculum. Mox vocatis Sadoco, Nathane & Banæa mandat, ut aſſumptis famulis ſuis, (Joſ. *τοὺς περὶ τὴν αὐλὴν ὁπλίτας*) Salomonem imponant mulæ regiæ devehantque Gehonem: atque illic inungendum eſſe à Sadoco & Nathane: deinde buccina perſonandum: Rex Salomo vivat. Hinc cum pompa deducendum ut ſolio ſuo imponatur. Velle enim ſe ut princeps ſit ſuper Juda & Iſrael. Excipiebat Banæas, Amen, Ita præcipiat Dominus Deus domini mei regis. Ut cum rege fuit, ita ſit cum Salomone ejuſque ſolium Davidico majus efficiat. Factum ex juſſu regio, Sadoc cornu olei è tentorio (מן האהל) ſumto, inungit Salomonem, præſente Nathane, item Banæa cum Crethæis & Plethæis, totoque populo, qui canente buccina voces in altum tollit, Vivat rex Salomo. Hinc comitatur ingens hominum turba procedentem ad regiam cum tibiarum ſonitu & fauſtis acclamationibus omnique ſignificatione gaudii quæ terram commovere videbantur. Cum conjurati & Adonias in epulo ad fontem dictum (Joſ. *παρὰ τὴν πηγὴν τὴν ἐν τῷ βασιλικῷ παραδείσῳ*) illum ſtrepitum audirent, ſtupentes & attoniti hærebant, quid vellet. Mox adeſt Jonathan Abjathari filius, qui intromiſſus narrat regem Salomoni dediſſe regni ſucceſſionem: ordine explicat rei geſtæ ſeriem. Inunctum, deductum in ſolium cum ſalutatione populi & ipſius Davidis aggratulatione & votis. Re audita trepidi conſurgunt & dilabuntur. Adonias Salomonis iram metuens ad aram Dei confugit ejuſque cornibus prehenſis (Joſ.

τῦ θυ-

τῆς ὑποστασίας ὃ δὴ συνέχει, ὑπολαβόμενος) eventum exſpectat. Invitatus, ut accederet, quia gratiam rex Salomo veniamque daret, noluit acquieſcere, antequam promiſſum jurejurando firmatum eſſet. Data igitur fide per jusjurandum ab ara progreditur & Salomonem veneratur. Cui Salomo pacem veniamque addicit, ſi ſe ut virum bonum & fidelem ſubditum decet, gereret.

N. Locum iſtum, in quo Adonias conjuratis epulum fecit, deſcribit; *Apud lapidem Zobeleth, quod eſt apud fontem Rogel.* Lxx. μετὰ αἰθῆ τοῦ Ζωελεθί, ὅς ἦν ἐχόμενα τῆς ῥωγήλ. Hebr. עם אבן הזחלת אשר אצל עין רוגל Chald: עם אבן סכותא די בסטר עין קצרא juxta petram ſpeculæ, quæ eſt in latere fontis fullonis. Sadoc inungit Salomonem, quia Adonias contra nitebatur; alias non ſolebant inungi, quorum indubia erat ſucceſſio. Inunxit ſacro oleo (ut dicit Joſephus) cooperante Nathane. Duo pontifices cum eſſent ea tempeſtate, eorum unus (qui ſummus proprie erat) Adoniæ adhærebat, atque ita excidit. Kimchi ſcribit è tabernaculo quod Gabaone erat, allatum fuiſſe cornu: cum enim apud arcam eſſe ſoleret, jam non erat, quia arca erat extra tabernaculum. Ἐνθρονισμὸς immediate inunctioni ſubjunctus poſſeſſionem regni dabat conſtituebatque in actu dominii. At altare, quod apprehendit Adonias, incertum eſt fueritne in Moria, an Gabaone.

David coëgit (1. Paralip. 23.) omnes principes Iſrael, etiam ſacerdotes & Levitas: numerati ſunt Levitæ ab anno trigeſimo quorum inventi tricies octies mille. Ex his, 14000. ad opus Domini, ſex millia, prætores & judices. Quatuor millia janitorum & quatuor millia cantorum.

Iterum numerati ſunt Levitæ, poſt ultima Davidis verba, quæ habentur principio 23. capitis lib. 2. Samuelis. Numerati autem ab anno vigeſimo. Peculiarem diſtributionem alii loco reſervamus. Inventæ ſunt familiæ quæ capite ſequenti recenſentur.

Comitiorum igitur prima coitio è principibus Iſrael dedit hanc diſtributionem Levitarum: Inde videntur convocati eſſe duces duodecim turmarum, cum ſuis minoribus præfectis. Putat Joſephus tum primum ordinem illum inſtitutum eſſe, in uſum Salomonis. Convocati illi cum præfectis facultatum cum heroibus & eunuchis aliiſque aliquo facinore, facultate aut munere inſignibus. Coram his erectus in pedes David orationem habuit, quæ habetur 1. Paralip. cap. XXVIII. à v. 2. ad 10.

Tradit filio tabellam in qua deſcripſerat formam ædis omniumque ad ædem pertinentium & miniſteriorum: quo pondere aurea & argentea vaſa & Cherubinos fieri oporteret. Monuit ut fortem & gnavam operam ſtruendæ ædi cum ſuis appendicibus impenderet. Hinc (cap. 29.) ad cætum converſus, monet ut filio (juveni & tenero) adjumentum præſtent. Se præter illa, quæ paraſſet ad ædem Dei, ex omnis generis materia è proprio fiſco erogare alia tria millia talentorum auri Ophir & ſeptem millia talentorum argenti puri: ad obducendos parietes, ad vaſa aliaque per artifices paranda. Joſephus: Καὶ νῦν δ' ἔτι τῆς ἰδίας ἀρχῆς διακόσια καὶ ἄλλα τρισχίλια τάλαντα χρυσοῦ καθαροῦ παρέξειν ἔλεγεν εἰς τὸ ἄδυτον καὶ εἰς τὸ ἅρμα τοῦ θεοῦ, τοὺς χερουβεῖς, οὓς ἐφεστάναι δεῖ τῇ κιβωτῷ καλύπτοντας. Rufinus: *Sed tunc oblationis primitias faciens alia tria millia* &c. Apparet locum mendoſum eſſe. Regem igitur tanta liberalitate præeuntem & invitantem ſecuti familiarum principes, phylarchi, chiliarchi, centuriones & præſides operis regii, contribuerunt in miniſterium domus Dei quinque millia talentorum auri, decem millia drachmarum & decem millia talentorum argenti, octodecim millia talentorum æris & centum millia talentorum ferri. Cui gemmæ erant, eas conferebat in gazophylacium domus Dei, cui præerat Jaiel

Gersonita. Cum cor promptum & spontaneam oblationem videret rex & populus, ingenti gaudio exultarunt. David Deo laudes dixit coram cœtu & precatus est pro directione filii in pietate & isto opere (v. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. Hinc jussu regis populus Deum laudibus celebrat, adoratis Deo & rege. Eo die pacifica Deo data: & postero die holocautomata, mille juvenci, mille arietes, mille agni cum suis libaminibus: pacifica in multitudine pro toto populo. Epulum sacrum convivati sunt eo die coram Deo, cum ingenti lætitia, Salomon secundo inungitur & Sadoc in summum pontificem, exautorato Abjatharo. Omnes principes & heroes & filii regis dederunt manum: se obsequuturos regi Salomini. Rasi: נתנו יד אמנה תקעו כף לשלמה לעברו בלב שלם: *Dederunt manum fidelitatis, fixerunt volam Salomoni ad serviendum illi corde perfecto.* Manumne manui junxerunt, an manu supposita femori jusjurandum dederunt? Prius videtur dicere textus. Immanis ille numerus holocautomatum superat omnem fidem: quomodo uno die tot holocausta consumi potuerunt? Crediderim inchoatam esse oblationem holocaustorum & cum pacificis continuatam in aliquot dies: adeoque plurium dierum tempus impensum esse, in quo & cerimoniæ circa inunctionem & consecrationem Sadoci peragi potuerunt. An ipse Abjathar Sadocum inunxerit & consecraverit, non dixerim. Sic plenissima facultate in solium patris Salomon positus est, læto Davide, quod suis oculis filium successorem vidisset. Hinc sumendum est initium regni Salomonis, hic finiunt quadraginta anni Davidis. Quantum supervixit David, non regni sed vitæ spatio accedit.

I. Reg. II.

NOn supervixit diu successioni filii rex David, morti autem propinquus vocato Salomoni hæc præcepit: Ineo viam universæ terræ (Jos. *ἐγὼ μὲν, ὦ τέκνον, εἰς τὸ χρεὼν ἤδη καὶ πατέρας ἐμοὺς ἀπελλάσσομαι, κοινὴν ὁδὸν ἀπιέναι ταύτην νῦν οὖσιν καὶ ἐσομένοις πορευόμενος· ἐξ ἧς οὐκέτι δ' ἔστιν τε ἐπανελθόντα γνῶναί τι κτ̃ τὸν βίον πραττόμενα*: fortis esto & virum te præsta. Custodi vigiliam Domini Dei tui, ut in ipsius incedas viis, ejus observes instituta, præcepta, jura & testimonia, quemadmodum scriptum est in lege Mosis. Quo agas prudenter in omnibus quæ facturus es & ad quæ te verteris. Ut Dominus stabiliat verbum, quod super me locutus est: Si filii tui viam suam custodiant, ut in conspectu meo fideliter, toto corde & tota anima ambulent, nullus vir amputabitur è throno Israelis. Hæc Josephus non male est interpretatus. Hinc mandat ut Joabi homicidia puniat pro sapientia sua ne ejus cani cum pace ad plures abeant. Cum duos duces Israel Abner & Amasam transfodisset: sanguinem civilem in pace fundens extra rationem belli: quo gladium lateri hærentem & calceamenta infecisset. Joab militiæ magister, cum in perpetuis bellis egisset David, favore & gratiâ militum accinctus fuisse videtur: deinde fortem & fidelem ubique operam præstiterat: nunc cum Adoniæ adhæsisset & in pace ac desertus à militibus ac plebis favore, patebat pœnæ. Quidam putant (v. 5.) אשר עשה לי accipiendum de Absalomo, quem contra mandatum regium interfecerat. In dras, quod in ignominiam Davidis tabellas scriptas de morte Uriæ palam ostenderit. Hoc futile. Kimchi multas Drasoth commemorat & expositionem prolixam de reliquis verbis circa Joab. Theodoretus varias caussas affert cur Joabum mandaverit interfici à filio, cui ipse pepercerat. 1. Eum esse reueritum tanquam laborum & periculorum socium. 2. *αὐτὸ τὸ θρασὺ ὑφορῶν.* 3. Cum Adoniæ fauere intellexisset, ne duorum alterum faceret:

ipsum

ipſum Salomonem interimeret aut adverſam ſtrueret aciem: ἢ περιφανῶς ἀντιπαρατάξηται καὶ διέλῃ τὸν Ἰσραήλ. Grotius: Nec remiſerat illi crimen David nec per legem remittere poterat ſed diſtulerat pœnam hominis & potentis & in bello utilis. Alterum mandatum fuit circa filios Barzellæi Galaaditæ, ut iis rependeret benignitatem præſtitam, adhibitione ad menſam. Hic de filiis mentio eſt, cum ſupra unius filii meminerit. Forte alii filii poſteà acceſſerunt, aut Chamaami filii intelliguntur. Machir regi idem benignitatis præſtiterat, cui gratiam factam eſſe credi par eſt, quamvis expreſſum non ſit. Sic de Mephiboſeth nulla hic mentio, ſive jam obierit, ſive ſubintelligi debeat, quod non ſcribitur. Cajetanus Davidem accuſat ingratitudinis in Mephiboſeth & domum Jonathanis. Nam nec in hoc loco præcipitem ſententiam emendat commendatione ejus apud filium ſucceſſorem. Sed quæ expoſita non ſunt diſertè, judicari rectè nequeunt. Sobi filius Naas fidelem quoque Davidi eadem tempeſtate præſtiterat, ſed, cum præfectus regius eſſet, debitum officii reddidit adſtrictioris & de provinciæ contributione non propriis bonis. Quamvis & illi inſigne beneficium redditum ſit, cum vel filia vel ſoror Salomoni juncta fuerit in matrimonium. Tertium mandatum fuit circa Semein filium Gera. Non enim ejuſmodi contumelias in unctum Domini impunitas ferre debuit. Juraverat ipſi David incolumitatem, ſed id promiſſum ipſius perſonam egredi non poterat, cum adverſus legem dilatio pœnæ non remiſſio locum haberet. Et Salomonem jus dicentem plena poteſtate non potuit circumſcribere. Ideo Toſtati philoſophemata non quadrant, de liberalitatis juramento, quod interpretationem accipiat ex intentione jurantis, non ſecundum communem verborum uſum. Paulo poſt ad ſuperos migrat,

Ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής.

Omnibus, quæ in rege requiri poſſunt, dotibus cumulatiſſimus. Robore corporis & animi, armorum laude & bellica gloria, deinde pietate in Deum & juſtitia exemplar boni regis: exercitus adverſis, cumulatus ſecundis. Meſſiæ typus & pater qui Iſraelis regnum in ſummum faſtigium deduxit felicitatis & gloriæ, cultum Dei, militiam & politicum ſtatum ſtatuit, compoſuit ac ſtabilivit: bello ac pace pariter optimus. Inculpatus per omnia niſi in cauſa Uriæ Hetthæi, quam magnis afflictionibus & ſeria reſipiſcentia diluit. Joſephus rectè: Μηδὲν ὅλως περὶ ποσοῦτο μέγεθος ἐξουσίας ἁμαρτὼν ἢ τὸ περὶ τὴν Οὐρίου γυναῖκα. Tantas divitias reliquit hæredi filio, quantas nemo alius vel Hebræorum (inquit Joſephus) vel aliarum gentium. Eum Salomo Hieroſolymis magnifice ſepelivit (Joſ. τοῖς τε ἄλλοις, οἷς περὶ κηδείαν νομίζεται βασιλικὰ ἄγεσθαι, καὶ δὴ καὶ πλοῦτον αὐτῷ πολὺν καὶ ἄφθονον συγκατέθαψεν. Ingentem auri vim illatam eſſe in monumentum, quæ quanta fuerit, inde conjici poſſe, quod pontifex Hyrcanus poſt annos mille & trecentos, ab Antiocho pio obſeſſus, obſidionem redemerit magna pecunia. Eum ter mille talenta ex Davidis monumento abſtuliſſe, quorum partem Antiocho dederit. Poſt multos annos Herodem aperta iterum cella magnam vim pecuniæ extuliſſe. Ταῖς μέντοιγε θήκαις τῶν βασιλέων οὐδεὶς ἐπέτυχεν. ἦσαν γὰρ ὑπὸ τὴν γῆν μηχανικῶς κατακεχωσμέναι· πρὸς τὸ μὴ φανερὰς εἶναι, τοῖς εἰς τὸ μνῆμα εἰσιοῦσιν.

F I N I S.

HISTORIÆ SACRÆ TOMI SECVNDI, PEMPTADIS SECVNDÆ Tractatus tertius

De Regno Salomonis.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI. I.

CAPUT LX.

SAlomon initio regni urbem muro circumdedit. Huic per soporem adstare Dominus visus est, petendi quæ vellet tribuens optionem. Sed ille non aliud sibi, quam sapientiam dari poposcit, reliqua omnia parvi æstimans. Ita somno excitatus cum ante sacrarium Domini constitisset, indultæ sibi à Domino sapientiæ documentum dedit. Namque duæ mulieres una in domo diversantes, cum eodem tempore pueros edidissent, atque ex his alter post diem tertium nocte obiisset, mater defuncti somno alterius insidiata, mortuum suum supposuit, viventem abstulit. Inde inter eas de puero altercatio, postremò res ad regem delata: difficilis judicii absolutio inter negantes, ubi testis deerat. Tum Salomon divinæ sapientiæ munere perimi puerum, corpusque ejus dividi inter ambigentes jubet. Cumque una earum judicio acquievisset, alia verò cedere potius puero, quam discerpi eum mallet, Salomon ex affectu fœminæ hanc verè matrem esse conjectans, puerum illi adjudicavit non sine circumstantium admiratione: si quidem latentem veritatem prudentia protulisset. Ita in admirationem ingenii prudentiæque ejus reges vicinarum gentium amicitiam ab eo fœdusque petiere, parati imperata facere.

DRU-

Drusius.

Urbem] Jerosolymam 1. Reg. 3. 1.

Ante Sacrarium] ante arcam fœderis.

Cum Eodem Tempore Pueros Edidissent] Intervallum erat dierum trium. Quando autem mortuus fuerit alter puer scriptura non prodidit. Vide 1. Reg. 3. 18.

De Puero] vivente.

Tum Salomon] Cum hujusmodi nomina Latina in O finiantur, ut Zeno, Plato, Jaso: nullum etiam sit N in nomine Ebraico, quis neget scribendum esse Salomo potius quam Salomon? tametsi recepta consuetudine aliter obtineat.

Schotanus.

Residua I. Reg. II.

Regnum Salomonis sequitur de quo Grotius: *Solomoni ego Numam comparo* (iniqua sane comparatione) *Uterque fato quodam perductus ad regnum: Sapiens uterque: templum struxit uterque, cerimonias externas uterque introduxit. Numa filios privatos post se reliquit, Salomon filium regem ex sextante.* Cum Davidem patrem sepelisset, nova conjuratio (ut videtur) Adoniam, Joabum, Abjatharum perdidit. Adonias & forma & ambitione Absalomo adsimilis accedit Bethsaben matrem Salomonis. Ea quæsito an adventus in pace esset, hominem admisit: qui se verbum habere præfatus, venia impetrata, locutus est: Scis regnum meum fuisse, & totum Israel (magnam partem) in me ut regem convertisse oculos, quamvis in fratrem inclinaverit, quod erat à Domino. Unum à te peto, quod obtinere velim. Jussus aperire: Loquere, inquit, cum rege Salomone, qui te non repellet, ut Abisag Sunamitin mihi concedat in matrimonium. Notat Grotius, Ne putetur ægre ferre, regnum in fratrem devolutum nomen fratris posuisse & rei Deum inscripsisse autorem. Tale illud:

tua est Lavinia conjux:
ulterius ne tende odiis.

Porro: *Multæ satis erant in Judæa feminæ: sed hanc voluit, quod regis fuisset. Non ferebat autem mos Hebræorum, ut aut qui in ministerio fuerant regio alterius se quam regis successoris ministerio addicerent, aut quæ uxores aut concubinæ fuerant, privato sociarentur. Hanc ergò cupiens jus ad se regni pertinere ostendit tentatque animum Salomonis, ut si metu juvenili hoc ei concessisset, auderet mox majora. Mulierem autem aggreditur ut regnandi ignaram, ita amoribus facilem.* Salianus: *Necesse est, hoc consilium de petendis nuptiis Abisagæ callidissimum excogitatum fuisse & ad propositum illum finem, occultatam admodum, habuisse vim, quam ne mater quidem Bethsabæa odorata fuerit: quæ à Scriptura tacita, à Salomone agnita, à nobis vix intelligi potest.* Rasi putat id magnum momentum habuisse, sicuti & regiæ mulæ nemo nisi rex insidere poterat. Eo illi impositus Salomo cum primò inungeretur. Visum est conjuratis nuptias tentari oportere: & per matrem regis. Illa pollicita operam suam accedit filium: Cui ille obviam progressus veneratusque, ad dexteram solii sui solium constituit. Hic ineptum Dras est: Solium positum esse

esse matri regis & matri regni, quæ Ruth. Kimchi: וזה רחוק מאד. Illa, A te, inquit, modicam rem peto. Salomo annuit: Pete mater mea, faciem tuam non repellam. Imprudentius annuebat amore & affectu in matrem. Sed cum rem aperuisset, vehementer commotus, Cur non, inquit, petis ei regnum eadem opera? Nam frater est & me major. Sanè laboras pro ipso, Abjathar & Joab. Kimchi: Intelligebat Salomo, quod occulte (בתואנה) quæreret regnum, quoniam interdictum esset cum ea misceri nisi rex esset. Et si daret ipsi Abisag putaretur confirmare in regno. Et intelligebat, quod Abjathar & Joab confirmarent manum ejus eique id consilii dedissent. Sic Thargum interpretatur verba Salomonis: *Nonne in consilio fuerunt ille, & Abjathar sacerdos & Ioab filius Saruje?* Jurat igitur per Deum, id verbum illi mortis causam fore: Ut vivit Dominus qui me stabiliit & sedere fecit in throno patris mei Davidis: qui mihi domum struxit, ut locutus fuerat: Adonia trucidabitur. Missus igitur Banæas eum interimit. Grotius: *Sic fermè Romulus Remum occidit per Centurionem Fabium Celerem. Sicut autem Roma eo tempore omnia manu à regibus gubernabantur ita & apud Hebræos olim. Vide II. Sam. 1. 15. & hic infrà 29. 46. Tum verò nihil in discordiis civilibus festinatione tutius, ubi facto magis, quam consulto opus. Tacitus hist. 1. Et sunt quæ moram non recipiunt, non pœnæ festinatione sed præveniendi periculi causa L. Si quis. D. de injusto, rupto, irrito testamento. Nec se exspectari jubent leges, cum ei, qui exspectare velit, ante injusta pœna luenda sit, quam justa repetenda, ut Cicero ait pro Milone.* Adde regem jubere, qui vitæ necisque potestatem habuit. At Grotius iniquior in Salomonem est in v. 52. cap. 1. Regum lib. primi. *Magna, inquit, se ab initio ostendit sapientia Salomonis, haud dubie sustentata virorum magnorum Nathanis, Sadoci & Banajæ consiliis. Nam*

Σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ.

Condonat enim crimen rerum novarum, quod punire in fratre & quidem primogenito odiosum satis fuerat: sed ea lege si nihil faciat in posterum, quo suspectum se possit facere, quæ lex aut frenum futurum erat Adoniæ aut honesta πρόφασις Solomoni. Non dissimile est, quod in causa Semeis infrà constituet Solomon:

Ἀεὶ γὰρ εὖ πίπτουσιν οἱ θεῶν κύβοι.

Theodoretus Salomonis factum, jubentis interfici fratrem ita tuetur: Διάφοροι τῶν ἀνθρώπων οἱ βίοι· οἱ μὲν γὰρ τὴν ἄκραν φιλοσοφίαν ἀσκοῦσιν· οἱ δὲ τὴν καλουμένην πολιτικὴν ἀρετήν· ἄλλοι βασιλείαν ἢ στρατηγίαν ἰθύνουσιν. χρὴ τοίνυν ἕκαστον ἐξετάζειν πρὸς τὴν τελείαν ἣν μέτεισι. Τοιγάρτοι τὸν Σολομῶντα οὐ προφητικὴν ἀπαιτητέον, οὐδὲ ἀποστολικὴν τελειότητα· ἀλλὰ τὴν βασιλεῦσιν ἁρμόττουσαν. Ἤιδει δὲ αὐτὸς τὸν Ὀρνίαν ἐφιέμενον τυραννίδος· καὶ γὰρ ἐπειράθη τὴν βασιλείαν ἁρπάσαι. Τῷ μὲν οὖν προτέρῳ συνέγνω τολμήματι καὶ σωτηρίας ἀξιώσειν ὑπέσχετο σωφρονεῖν ἀνεχόμενον. Ἐπειδὰν δὲ ᾔτησεν τὴν σύνευνον τοῦ πατρὸς, οὐκ ἔδωκε μὲν τὴν αἴτησιν τυραννίδος οὖσαν ὁδὸν τῇ βασιλείᾳ δὲ τὸ ἀστασίαστον μηχανώμενος, ἀναιρεθῆναι προσέταξε. Sane privato homini neminem licet interficere, nec vindictam propriam ulli mortalium persequi licet: publicum commodum tueri & legis transgressores & majestatis ac perduellionis reos punire judicis officium est. Ignoverat ut fratri, quod cum non agnosceret, & præter promissam modestiam, iterum delinqueret vim legis in eo exsecutus est. Abjathar noluit interficere, quia arcam Domini portaverat coram patre. Kimchi & Ralbag putant significari quod fugienti ab Absalom gestaverit: atqui pontifices aut sacerdotes non gestabant arcam, nisi imponendo in humeros Levitarum: portare arcam videtur significare, quod curam arcæ gesserit, & circa eam consuluerit pro Davide. Alteram causam ponit, quod cum patre fuerit afflictus ejusque afflictionum particeps.

Jussit

Jussit eum pontificio abire & in agris suis Anathothensibus vitam transigere. Ita impletum est verbum Domini, quod Silunte adversus Eli per Samuelem locutus erat. Pontificii ægre ferunt tantam potestatem à rege exercitam in Pontificem ideò partim confugiunt ad jussum Dei peculiare, quod erat enuntiatum per Samuelem, partim ad rationem temporis, quo potestas Ecclesiastica à civili nondum erat distincta. Sed neutra ratio valet. Nam oraculum Samuelis nulli mandabat regi, ut Eli posteros deponeret, tantum enuntiabat quid futurum esset. David non putavit se eo verbo obligari ad pellendum Abjatharem nec Salomo: quem Abjathari crimen coëgit potestatem regiam exercere. Non est alia ratio temporum, quia potestas suprema nulla Dei lege est adstricta ab Christiana disciplina. Grotii os eos redarguat: *Summi sacerdotes apud Hebræos, sicut à regibus instituebantur, ut alibi diximus, ita & ab iisdem gravi ex culpa destitui, imo & morte puniri poterant. Erant enim subditi; ideoque sedente rege stabat summus sacerdos.* Deinde in dicto scripturæ (ut impleretur sermo vel ad implendum sermonem) *ad* dicit esse ἐκβατικὸν non τελικόν. Neque enim hoc respexisse Salomonem. Joab audita cæde Adoniæ confugit ad tabernaculum Domini & altare. Quod cum esset Salomoni nuntiatum, Banææ præcipit ut illic eum jugulet. Cum Banæas ad tabernaculum venisset, mandat regis nomine, ut prodeat. Qui se proditurum esse negat sed eo in loco mortem oppetiturum. Id relatum est ad regem, qui ibi confici jubet & sepeliri: Banæas igitur ex jussu regis facit. Ita apud ipsam aram cæsus est, quæ illi nihil prodesse poterat מפני שהרג נפשות במזיד ובערמה ut loquitur Ralbag. Qui scribit ex hoc id disci, quod non potuerit ab ara protrahi, ut regi dederetur. Cæteroquin nihil potuisse prodesse, cum nec sacerdos esset nec opus in ara haberet. Consensisse regem ut illic moreretur אע״פ שלא היתה שם התראה הנה המלך יוכל לענוש ביותר ממשפטיה תורה ליסר העם *Quamvis nulla sit præmonitio; Ecce rex potest punire ultra judicia legis ad castigandum populum.* Sic factum esse à David jubente Amalecitam interimi: item Rechab & Baana, qui Isboseth jugulaverant. Putat autem jussum esse Banæam, ut mox eum sepeliri juberet ab aliis ne, qui sacerdos esset, pollueretur cadavere. Inde dici postea, quod sepultus fuerit, ab aliis scilicet, in domo in deserto. Describamus versa in Latinum sermonem, quæ habet Kimchi in v. 28. 29. 30. 31. 32. 33.

והשמועה] *Rumorem, quod interfectus esset Adonias & Abjathar expulsus, timuit de seipso. Quoniam ipse declinaverat post Adoniam at non declinaverat post Absalomum Quod si declinasset post Absalomum & non declinasset post Adoniam, non fuisset ipsi in pavorem: quoniam universo Israeli placuit ipsum constituere regem, non fuisset rebellio. qua reus fuisset mortis. Si enim esset ita fuisset Amasa reus mortis: at ecce David dicit se ipsum constituere principem exercitus & quæritur nunc sanguis ejus è manu Ioab. Sed in rebellione hac fuit reus mortis: quia noverat in animo Davidis esse, ut Salomonem regem faceret & rebellavit adversus David & Salomonem & declinavit post Adoniam. Antequam autem Salomo occidisset Adoniam, non expavit, quia non custodierat* (audierat leg. enim שמע) *quod præceperat David Salomoni. A rebellione non timuit, cogitans, Ecce rebellavit Adonias & condonavit ipsi Salomo: quia dixerat ipsi,* Non cadet è pilo capitis tui in terram: *sic etiam condonavit auxiliatoribus ejus. At postquam audiit, quod occidisset Adoniam & expulisset Abjathar, ne esset pontifex, metuit de semet ipso & confugit ad tentorium Domini: quia illic erat arca in Ierusalem & apprehendit cornua altaris, ut illic evaderet: quia ara erat illic, quemadmodum scriptum,* quod illic obtulerit David holocausta & pacifica ante aram. *Et Salomon non interfecerat eum, usque nunc, quia dicebat donec inveniatur illi aliqua iniquitas* (causa) *ad occidendum eum. Nam sic ipsi præceperat David:* Et facies secundum sapientiam tuam. *Et fuit exspectans illi, donec inveniret illi iniquitatem* (occasionem עלילא) *ad occidendum*

dendum eum. Postquam igitur nuntiatum est Salomoni in hunc modum: Ivit & apprehendit cornua aræ, *dicebat, hæc est aliqua rebellio quia cogitat eripi è manibus meis: Et ecce ipse adhuc est in opinione sua & rebellione sua: quoniam fugit à facie mea, at ego non præceperam occidere eum. Ideo præcepit Banæas ut eum percuteret. At magistri nostri f.m. dederunt aliam explicationem: quod post Absalom non* declinavit, *dicunt,* quæsivit (voluit) declinare, *sed non* declinavit, *q. d. Etiam in re Absalomi rebellavit Ioab in corde suo & voluit declinare, sed quod non declinaverit, post eum, cogitabat, adhuc est viror Davidis consistens, id est, robur ejus, sed in re Adoniæ, quia David consenuerat eratque affixus lecto, declinavit post Adoniam aperte. Et sapiens R. Abraham Aben-esdra dicit, quod Ioab non declinaverit post Absalomum, quia sciebat, quod aptus ille non esset regno, & sic etiam cogitaverit de Salomone.* אצל המזבח *ut dixerat, quod apprehenderit cornua aræ: & dicunt magistri f. m. Quod Ioab in re hac erraverit, quia non recipiebat ara nisi ob errorem & super tecto suo, ut S.* (Exod. 21. 14.) מעם מזבחי x apud aram meam, *non autem,* על מזבחי super aram meam. לא כי פה אמות *Dicebat sic ut Salomonem induceret in pœnam, quia cogitatio ejus erat, quod eum occisurus esset in ara Domini. Et quidam è magistris b. m. dicunt, quod* (הרוגי מלכות) *occisorum regni bona pertineant ad regem, ideo noluit prodire ne bona sua essent regis. Dicebat Salomo Banææ, Nunquid opum ejus ego indigeo. Fac quemadmodum locutus est & percute. Et quidam dicunt quod bona eorum veniant ad hæredes, sicut occisorum domus judicii. Et id quod dicit:* Non nam hic moriar, *non dicit nisi ob vitam horæ, ut protraheret vitam suam, donec iret Banæas ad Salomonem & rediret. Et porro in verbis eorum f. m. Nunquid Ioab, qui fuit sapiens magnus & caput synedrii Q. D.* (2. Sam. 23. 8.) יושב בשבת תחכמני / *nescivit quod scriptum in lege* (Exod. 21. 14.) Quando aliquis proposito incubuerit in proximum, ut eum astu occidat, inde apud aram meam rapietis eum ad mortem, *quia ivit & apprehendit cornua aræ? Nonne ipse occidit Abner & Amasam astu & Salomo misit ad educendum ipsum inde & ad judicium illius in domo judicii? Sed cogitabat Ioab occisi domus judicii non sepeliuntur in sepulchris patrum suorum, sed ipsi seorsim: melius est mihi ut moriar hic, ut sepeliar in sepulchris patrum meorum. Et hoc est quod dicit,* Non, hic enim moriar. *Et secundum autorem hujus Dras procedit explicatio τῦ* (וקברתו) *pulchrè. Q. D. Percute eum secundum verba ipsius ut sepelias eum in sepulchris patrum suorum.* כה דבר יואב וכה ענני *Duplicatur verbum è consuetudine scripturæ: quia ipse non dixit nisi* לא כי פה אמות. *Fieri potest quod ipsi dixerit verba alia, quorum* (תכלית) *summa est* לא כי פה אמות. *Magistri felicis m. dicunt, quod dixerit ipsi, Vade, dic Salomoni, ne judicet me duobus judiciis. Si velit me occidere recipiat in se maledictiones, quibus mihi maledixit pater ejus. Et Salomo dixit Banææ: Fac quemadmodum locutus est & percute eum: & ego recipiam in me maledictiones. Et sic videmus quod stabilitum fuerit.* Scribit hoc impletum in Roboam, Ozia, Asa, Josia, Jechonia. Primum gonorrhoicum, secundum leprosum, tertium scipione nixum, quartum gladio cæsum, quintum egentem panis fuisse. De tribus mediis non mirabere, at de Roboam quod fluxum habuerit, inde conjiciunt, quia festinavit ascendere currum (מרכב) 1. Reg. 12. 18. Et dictum est *Omne* (מרכב) *in quo equitaverit gonorrhoicus.*

וקברתו] *Et operam da illius sepulturæ, quia magnus & dux exercitus fuit. de Adoniæ sepultura non erat opus moneri, quia filius regis erat.* Dicit Salomo quod duo illi viri, quos occidit, ipso meliores fuerint & justiores. Hinc eliciunt subtiles magistri, quod illi (נצבים עליו) 1. Sam. 22. 17. nam copulam Vau præfigunt) quibus præcepit Saul, ut sacerdotes interimerent, quique id noluerunt facere; fuerint Abner & Amasa. Nam hi noluerunt parere imperio Saul rem contrà legem jubentis, at Joab paruit David, ut mortem Uriæ machinaretur, Ore præsens jusserat Saul David absens per epistolam. Nempe

rectam

rectam interptetationem dedisse loco Iosue 1. 18. illos, non dedisse Ioab, cum putaverit se simpliciter & absolute verbo principis morigerum esse debere. Non tantum in Ioab sed & in caput seminis rediturum esse malum & sanguinem, quem fuderat, in seculum: ut David, ejus domus & semen & thronus pacem habeant in seculum à Domino. Quod de semine dicit, putat Kimchi pertinere ad illas maledictiones quas in eum David protulerat. Banæam ascendisse dicitur, nempe ad locum tabernaculi & aræ מקום גבוה היה *fuit ille locus editus.* In domo sua in deserto sepultus fuit. Vocabulum (מדבר) deserti aliquando significat (מקום שאין שם ישוב כלל) *locum ubi nulla omnino est habitatio;* aliquando מקום שהוא בישוב אבל אינו עבוד יניחנו למרעה הבהמות, *locum, in quo habitatio est, sed quem incultum sinunt ad pasturam pecudum,* Addit Kimchi Dras esse, quod desertum sit locus communis & publicus omnibus & domum Ioab communem fuisse omnibus & patentem (כי נדיב הוא מאוד) *quia admodum liberalis erat.* A. S. מדבר significare, מנוקה purificatum à rapinis. A. S. Non fuisse sepultum in deserto. sed Israël cæde ejus fuisse factum instar solitudinis. Ita illi commentantur. Rasi שהיה ביתו הפקר כמדבר לעניים, *quod domus illius fuerit hospitale liberum ut desertum pauperibus.* Ita (ut testatur Lyranus) Hebræi eum docent esse salvatum, quia mors temporalis inflicta in pœnam & purgationem à peccato. In. v. 29. additio est: Καὶ ἀπέστειλε Σαλωμὼν ὁ βασιλεὺς πρὸς Ἰωὰβ λέγων· Τί γέγονέ σοι, ὅτι πέφευγας εἰς τὸ θυσιαστήριον; Καὶ εἶπεν Ἰωὰβ, ὅτι ἐφοβήθην ἀπὸ προσώπου σου καὶ ἔφυγον πρὸς κύριον. Nescio an Josephus illa respexerit, scribens: Καὶ κίνδυνον ἐκ τούτου διὰ τὴν πρὸς ἐκεῖνον εὔνοιαν οὐκ ἀλόγως ὑποπτεύων, καταφεύγει μὲν ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον. ἀσφάλειαν δὲ ἐνόμιζε αὐτῷ περιέσεσθαι ἐκ τῆς πρὸς τὸν Θεὸν εὐσεβείας τοῦ βασιλέως.

Josephus nuptias Abisacæ in Adonia eò magis metuendas Solomoni scribit & id Salomonem dimissa matre dixisse, quia potentissimos amicos habebat Joab & Abjathar. Nihil de nova conjuratione suspicatus est Josephus. Scribit Banæam Joabum causam dicturum apud tribunal ducere debuisse: πέμψας Βαναίαν ἐκέλευσεν ἀναστήσαντα αὐτὸν ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον ἄγειν εἰς ἀπολογησόμενον. Atqui Scriptura dicit prima etiam missione jussum ut Joabum interimeret. Quod ipsi caput ademerit ex jussu regio existimat. θάψαι δὲ αὐτοῦ τὸ σῶμα, ὅπως τὰ μὲν ἁμαρτήματα μηδέποτε καταλείπῃ τὸ γένος τὸ ἐκείνου, τῆς δὲ Ἰωάβου τελευτῆς αὐτὸς καὶ ὁ πατὴρ ἀθῷοι τυγχάνωσι. Non intelligo quid velit: Rufinus reddidit: *Et ejus cadaver sepeliri, ut peccata, quæ gessit, ejus nunquam desererent genus & à Ioab morte ipse ejusque pater esset innoxius.* Forte significat; ideo sepeliendum ut peccata in ipsum Joab ejusque genus averterentur, sublata è medio & penitus amota mali causa & fonte. Deinde ne videretur cædes esse, cadavere insepulto, quæ pœna justa erat. Aut postrema pars eum sensum habet: Inde à morte Ioab David & Salomonem insontes esse nec teneri sanguinis injustè effusi. Salianus dicit Salomonem patri suo mortuo pacem precari (v. 33.) *quod scilicet pœnas in purgatorio non sit luiturus, ob Ioabi peccata non punita; quod notavit etiam Abulensis.* Atqui pax Davidi futura ex ea justa punitione, non in se sed posteris & solio: ut expositio addita indicat. Salianus: *Nec juste fuso sanguine profanari poterat altare illud, quod perpetuò solebat sanguine cruentari: tota loci violatio consistebat in vi, quæ directè loci privilegium irritabat: inde enim asyla dici certum est, quod ab eorum quasi sinu reos abstrahere non liceret. Qui autem religioni ducebant reos ab altari extrahere, non autem eos ibi vel fame vel circumfuso igne vivos comburere, de quibus exempla profert Pineda, valde fallebantur, si nihilominus loci immunitatem se conservare arbitrabantur. Ideoque rectè credidit Salomon, perinde esse Ioabum ad aram*

 occidere

occidere vel eum inde extractum alibi jugulare. Vtrovis enim modo locus violabatur, nisi legis dispensatio intervenisset. Tyrinus: *Et credibile est non in ipso loco tabernaculi jugulatum esse Ioabum sed quantumcunque reluctantem à Banaja per pratorianam cohortem avulsum ab altari, extrà tabernaculum supplicio affectum fuisse, ut post etiam Athalia, jubente Iojada pontifice 4. Reg. XI. 15. Nam in ipso sacrario non videtur citra necessitatem humanus sanguis profundi potuisse. Vnde & Sanctius damnat hic Salomonem & Banajam non levis peccati, quod putet Iobum in ipso sacrario jugulatum fuisse. Sed Abulensis id excusat, eo quod supplicium de impio sumptum, etiam in loco sacro, non minus grata sit hostia Deo, quam arietum aut vitulorum, qui quotidie isthic mactabantur.* Dionysius: *Itaque Banajas interfecit eum juxta cornu altaris, ut in Scholastica continetur historia vel persuasit ei ab altari recedere, sive (ut aliqui dicunt) vi fuit ab altari retractus, quoniam in Exodo Dominus jussit: Si quis per industriam occideret proximum suum; vel per insidias, ab altari meo evellas eum ut moriatur. Ex quibus etiam verbis ostenditur quod Salomon non peccavit, occidendo eum in loco sacro.* De Asylis prolixe differentem P. Martyrem lector adeat. Adoniam & Ioabum interfici mandat rex, ut reos novarum rerum. Nec Adoniæ illud imputatur, quod Abisacen petierit in conjugium, quæ in patris sinu cubuerat ab illo non cognita; sed quod moliminis quæreret ansam. Ioabus interemptus est non ita ut sanguine suo aspergere aram potuerit. Hoc enim grande nefas. Sed in loco sacro id est atrio, haud procul ab ara. Ab ara extrahi debuit, qui homicidium de industria patraverat: cùm tamen ara tutum faceret à persecutione, suo modo & in certo genere delictorum.

Abjathar filius Achimelech, nepos Eli in sesensit impleri verbum Dei dictum per Samuelem. Transiit sacerdotium è genere Ithamari, in genus Eleazari, ante Eli in genere Eleazari fuerat. Eli successit Ozi filio Bocci, Abiezeris nepoti, qui post patrem Phinees eum locum tenuerat. Sic docet Josephus in fine libri quinti, at hic recenset sacerdotes è genere Phinees, qui ab eo in pontificium ordine successissent, nisi ad aliam familiam (nescio qua de causa) ea dignitas fuisset translata. Καταλύεται μὲν οὖν ἀπὸ τῆς ἱερατικῆς τιμῆς ὁ Ἰθαμάρου οἶκος διὰ τὴν προειρημένην αἰτίαν, καθὼς, τῷ Ἀβιαθάρου πάππῳ, προεῖπεν ὁ θεὸς, Ἠλί. Μετέβη δὲ εἰς τὸ Φινεέσου γένος, πρὸς Σάδωκον. Οἱ δὲ ἰδιωτεύσαντες ἐκ τοῦ Φινεέσου γένους, καθ' ὃν καιρὸν εἰς τὸν Ἰθαμάρου οἶκον ἡ ἀρχιερωσύνη μετῆλθεν, Ἠλὶ πρώτου ταύτην παραλαβόντος, ἦσαν οὗτοι. Ὁ τοῦ Ἀρχιερέως Ἰωσήπου (leg. Οζι) υἱὸς Βοκκίας· τούτου δὲ Ἰωάθαμος, Ἰωαθάμου δὲ Μαραίωθος, Μαραιώθου δὲ Ἀροφαῖος, Ἀροφαίου δὲ Ἀχιτώβος, Ἀχιτώβου δὲ Σάδωκος· ὃς πρῶτος ἐπὶ Δαβίδου τοῦ βασιλέως ἀρχιερεὺς ἐγένετο. In libro primo Chronicorum cap.6. habetur: *Ozi genuit Zaraiam, Zaraias genuit Merajoth, Merajoth genuit Amariam; Amarias genuit Achitob; Achitob genuit Sadoc.* Ita Josephi catalogus excedit:

Βοκκίας	Zaraias	Non convenit, nisi dicas, primo unum fuisse διώνυμον, secundò in Chronicis alterum omissum.
Ἰωάθαμος	. . . . .	
Meræbthus	Marajoth	
Arophæus	Amarias	
Achitobus	Achitob	
Sadocus	Sadoc.	

Sadocus igitur Abjatharo successit, ut Banæas Joabo. Jam restabat tertiùs, qui graviter deliquerat in Davidem Semeis. Eum rex ad se vocatum è Bahurim, jubet Hierosolymis habitationem figere, nec extra urbem digredi.

Quo

Quo die trajiceret torrentem Cedron morti dandum & culpam cædis sibi ipsi debere imputare. Id Semeis conceptis verbis (sic voluerat rex) se facturum esse recepit. Solicite id observauit: donec triennio elapso, duo mancipia ejus transfugerunt ad Achis filium Maacha, regem in Gath. Quod cum ipsi indicatum esset, præceps ira & avaritia: (fatis ad pœnam meritam hominem vocantibus) asino strato evectus est in Gath: atque inde servulos reduxit. Vocavit eum rex, & proposuit violationem verbi, quod fide juramenti firmaverat. Merito igitur luiturum pœnas impietatis, quam in Davidem, patrem regis edidisset: Deum autem solium Davidis firmaturum esse. Banæas jussu regis eum interimit. Josephus eam circumscriptionem ita narrat quasi jussus sit Hierosolymis considere, quia apud se eum esse voluerit: id est eodem loci: *αὐτῷ προσεδρεύοντα: μὴ καταλείψειν ἐμέ.* Addit etiam verbis Salomonis objurgatoriis: *Ἵνα γνῷς, ὅτι κερδαίνουσιν οὐδὲν οἱ κακοὶ, μὴ παρ' αὐτὰ τἀδικήματα κολασθέντες, ἀλλὰ παντὶ τῷ χρόνῳ, ᾧ νομίζουσιν ἀδεεῖς εἶναι μηδὲν πεπονθότες, αὔξεται καὶ γίνεται μείζων ἡ κόλασις αὐτοῖς, ἣν ἂν παραυτίκα πλημμελήσαντες ἔδοσαν.* Ita David, quod juraverat, fideliter servatum est, & luit ille pœnam, cum castigationem, quam receperat, non implevisset. Torrens Cedron ideo nominatus est, quod eum transire oporteret, ut iretur in Bahurim, ubi erant illius agri, villæ & reliquæ possessiones. Significatur, si tantum ab urbe progressus fueris, quantum distat Cedron. Nam alia via poterat procul exspatiari, nec Cedronem transiit, cum Gath proficisceretur. Banæas eum interfecturus dicitur exiisse. Kimchi: *Egressus est Banæas à facie regis eduxit secum Semei in locum judicii, atque illic eum percussit.*

I. Reg. III. II. Chronic. I.

Æmulis regni sublatis Salomon matrimonio sibi jungit filiam Pharaonis regis Ægypti. Quia hæc narratio immediate cohæret cum narratione de morte Simei, commentantur Judæi. Kimchi: *Quia hoc negotium* (textus ענין) *cohæret cum morte Semei, quod toto tempore quo Semeis stabat, non duxerit Salomo filiam Pharaonis, quia metuebat ab eo & reprehendisset eum ob hoc, quia* (רבו) *magister ejus erat. At anno quarto duxit filiam Pharaonis, quia Semeis consedit Hierosolymis triennio.* Salomon filium Pharaonis duxisse videtur, postquàm conversa esset. Nam videtur prædicari ejus pietas v. 3. post narratum illud conjugium. Sed Seder olam, laudante Rasi, sententiam putat esse, quod dilexerit Dominum, usque dum duceret filiam Pharaonis. Rasi: Dilexit Salomo Dominum, ut iret in statutis David] *Quadriennio, donec inciperet ædificare domum, sed postquam incipit ædificare & affinitatem contraxit cum Pharaone invenitur dictum* (Jerem. 32, 31.) Quia ad iram & æstum meum fuit mihi ista urbs, à die, quo eam ædificarunt & usque diem hunc. *Sic discimus in Seder olam. Discimus quod parasa non sint scripta secundum ordinem.* In Psalmo tamen XLV. celebratur id conjugium. Kimchi: Et quod S. E. (Deut. 7. 3.) Non jungeris affinitate cum illis, *id quidam doctorum f. m. exponunt, quasi de earum gentilismo dictum sit, sed si proselytæ factæ fuerint, licitas esse.* Alios dicere, quod חתונה (nuptiæ) cum gentilitate nondum exutis non sint nuptiæ. Salomonem transgressum esse hoc præceptum, quamuis eam ad Judaismum traduxerit. Quidam putant, quod filia Pharaonis non mutaverit religionem, nec etiam cor Salomonis mutare potuerit, usque dum in senectute etiam alias gentiles mulieres duxit, quæ simul cum Ægyptia ipsum pervertere. At licet conversa fuerit Ægyptia; non tamen liquet, quomodo ex lege Salomoni

 per-

permissa fuerit, quia non licuit introire ipsis in cœtum populi Dei, usque in tertiam generationem Deut. 23. 7. 8. Sed id Thalmudicus sapiens interpretatur de filiis maribus (cum sit בנים) non feminis. Eam expositionem, quamvis non sit נבקעה ההלכה כדברי זה החכם) decisa disputatio secundum verba hujus sapientis, admittit Kimchi.

In urbem Davidis, id est, Sionem conjugem induxit, donec domum propriam struxisset. Nam struxit domum Dei, domum propriam & Hierosolymæ mœnia circum totam urbem. Jos. κατασκευάσας τὰ τείχη τῶν ἱεροσολύμων πολλῷ μείζω καὶ ὀχυρώτερα τῶν πρόσθεν ὄντων. Deus ipsi benedicebat affatim: cumque admodum adolescens esset, leges custodiebat, justitiam colebat & mandata à patre exsequebatur. Jos. πάνθ' ὅσα οἱ τοῖς χρόνοις προβεβηκότες καὶ πρὸς τὸ φρονεῖν ἀκμάζοντες, μετὰ πολλῆς ἀκριβείας ἐπιτελῶν. In alta pace regnum feliciter administrabat.

Cum nondum domus sanctuarii ædificata esset & vastata Silo, ipse & populus universus in excelsis sacrificabat. Licitum id fuit, quamvis in Scriptura vox רק videatur eximere ex eo, quod Deum diligeret & faceret ex institutis Davidis. Eximit ex institutis Davidis: q. d. cætera omnia diligenter perficiebat, at nondum domum Dei, quod inter mandata patris potissimum, ædificaverat. Sic Kimchi. Causa dilatæ ædificationis, quod omnia prius paranda essent, antequam opus inceptaret. Æde igitur nondum structa Gabaonem se contulit aliquando (forte ante ductam filiam Pharaonis) ut immolaret. Habuit enim in animo solemne & ingens sacrum facere & id excelsum amplum erat. Mille holocausta obtulit in illa ara, quam Belaleel filius Uri fecerat sub Mose: hæc stabat ante tabernaculum Mosis. In ea ara erat ignis ille perpetuus, quem Deus emiserat in die octavo מלואים. Kimchi putat magnum dici dignitate non mensura. Contulit se eo cum Chiliarchis, centurionibus, judicibus (Sanhedrin) & patriarchis (qui hic 2. Chronic. 1. appellantur שרים) Cum illis se contulit Gabaonem, apud Josephum vitiose legitur χιβρῶνα. An omnia ista holocautomata obtulerit uno die seu una vice an repetitis vicibus & diebus incertum est. E verbis magistrorum videri dicit Kimchi, quod una vice illa omnia obtulerit. Hic iterum Ralbag somniat per holocautomata quæsitam esse prophetiam: כי יש בהעלאת העולות חשש בהגעת הנבואה Nocte insequente Deus per quietem visus est alloqui eum. Pete, quod dari tibi cupis. Salomon commemorata Dei benignitate in Davidem, qua eadem se regem in ejus loco posuerit, precatur promissiones ratas esse: quia tam numeroso & amplo populo impositus sit, cui nemo gubernando satis idoneus haberi possit, nedum se admodum adolescentem & rerum imperitum, ut sapientiam & prudentiam donet, moli tantæ parem, ut jus & æquum administraret. Deus electionis sapientiam collaudans quod non petiuisset multitudinem dierum, nec vitam hostium nec magnas opes, sed prudentiam in judicando, se id effecisse respondet. Dedisse enim ipsi cor sapiens & intelligens, ut similis ipsi nec fuerit temporibus præterlapsis, nec futurus esset seculis futuris. Adjecisse etiam opes & gloriam, quæ non petiisset, ut ipsi regum sui seculi (in Chronicis dicitur ante & post eum) nemo æquari posset. Si in suis institutis incedat, imitatus patrem, vitam quoque in longum protracturum. Hinc somno evigilans θεόπεμπτον visionem noctis esse cognovit: & lætatus est: cujus veritatem eventus mox comprobavit. Nam cum Hierosolyma reversus, ante arcam fœderis immolatis holocaustis & pacificis epulum celebraret cum servis suis, adveniunt duæ mulieres meretrices; iisdem ædibus habitantes. Ralbag: *Existimo quod fuerint pando-*

cea-

cautriae aut vendentes cibaria, ut Rachab meretrix (הזונה) : אפשר שהיו מפקירות עצמן *aut forte se ipsas prostituerunt.* Quarum una ita orsa est: Domine, cum ego & ista iisdem in ædibus maneamus, ego illic filium peperi. Tertio post meum partum die & ipsa infantulum marem enixa est. Cum forte in ædibus essemus solæ, ista suo infantulo incubuit. Quem cum videret obiisse, media nocte consurgens, mortuum dormienti mihi supposuit, ablato meo, qui viveret. Mane, cum ubera infantulo præbitura essem mortuum esse deprehendo & benè contemplata ex lineamentis alienum. Altera: Non ita est: vivens meus est, tuus ille, qui obiit. Contendebant in eum modum, sine ullis testibus & indiciis, quibus verum discerni posset. Tum rex, quia inter vos altercatio est, cujus sit vel vivens vel mortuus infantulus, æqua obscuritate quam nemo homo evolvere potest litem inter vos dividam. Simul mandat satelliti, ut viventem infantulum (Jos. utrumque & viventem & mortuum) ense dissectum inter contendentes partiretur. Illa quæ mater non erat ut ex alieno dolore voluptatem caperet, sententiam laudat, altera verò commotis visceribus maternæ affectionis, Mi domine, exclamat, dato ipsi viventem, ne interimite. Rex igitur veritate eruta, matri infantulum adjudicavit. Martyr: *Quid hic rex faceret: Personæ sunt pares, ejusdem instituti & viles. Sæpe disputarunt sapientes, quid sit agendum, cum aliquis pecuniam petit & se dedisse probare non possit. Recurrendum esse ad vitam & mores petentis & negantis. Nam qui petit, si bonæ famæ ac simplex fuerit, alter verò callidus & vafer: tunc credetur petenti. At Salomon ad ista remedia non potuit se recipere, cum ambæ mulieres ejusdem conditionis essent. Cæterum dixeris, An est regis causas vilium personarum cognoscere? Credendum porro est illum habuisse judices multò se inferiores, quibus talia judicia essent commissa. Ad hunc modum Iethro consuluit Moysi, ut non omnibus jus diceret, sed tantum causas difficiliores cognosceret: at respondendum est causam fuisse difficillimam: & forte mulieres ad summum tribunal appellaverant: ideò Salomon cogitur ex officio utramque partem audire. Sed cur quæstionibus & tormentis non agebatur? Dicerem ea ætate hoc genus examinis forte in usu non fuisse, nec ex lege Dei potest ostendi hoc genus probationis adhibitum esse. Neque hoc affero, quasi tormenta & quæstiones prorsus improbem. Affirmo tamen dubias & incertas esse tales probationes, cum in eis non superent magis veraces, sed qui magis robusti & pertinaces fuerint. Obscurissima igitur res est, quando non testibus, non tabulis, non argumentis agi potest. Habet utique hoc genus causæ, quod ad judicem attinet, ἀπορίας. Sic Davidi usuvenit, quando mulier Thecoitis illi proposuit cædem factam inter suos liberos, cum essent in agro soli, neque probari posset, uter alterum invasisset. Ibi necesse est, judicem potius divinare, quam judicem agere. Salomon ad conjecturas, cum esset hoc loco, descendit. Mulieres inter se verba eadem repetebant: quod non debet judicibus esse grave, molestum ac intolerabile. Nam quod semel dictum fuerit, quandoque non percipitur, sed repetitum diligentius expenditur. Videt rex quæ dicuntur & repetuntur non posse probari quare se convertit ad naturam explorandam, unde facti reddatur certior. Accipit igitur universalem propositionem, tanquam veram & indubitatam: Non posse fieri ut mater infantem suum non diligat. Qua propter Isaias cap. 49. dixit: An oblivisci potest mater filiorum? Quod si dixeris: Hanc sententiam veram non esse in universum, quod Medea filium occiderit, & Machabæa mater erga liberos maternum exuerit affectum: quin & matres esse repertas, quæ suos liberos comederint. Ad hoc dicimus: res naturales ut plerumque fit, non, ut semper, judicandas esse. Proinde Salomon prudenter cogitat, quomodo possit elicere affectum maternum qui latebat, & una foras educere mentitæ matris improbitatem: atque ita existimavit aliquid tentandum & dissimulandum.* H. Grotius: *Apparet hinc ἀγχίνοια Salomonis egregia. Non dissimile illud Ariopharnis regis Thracum, qui de tribus filios se Cimmeriorum regis dicentibus,*

tibus, eum pro filio habuit, qui jussus cadaver patris jaculis noluerat incessere, quæ historia est apud Siculum Diodorum. Item illud Galbæ, qui cum de proprietate jumenti quæreretur, levibus utrimque argumentis & testibus, ideoque difficili conjecturâ veritatis, ita decrevit, ut ad locum, ubi adaquari solebat, duceretur capite involuto, atque ibidem revelato, ejus esset, ad quem sponte se à potu recepisset, narrante Suetonio: qui & Claudii minimè spernendum judicium refert, qui fœminam non agnoscentem filium suum, dubiâ utrimque argumentorum fide, ad confessionem compulit, indicto matrimonio juvenis. Hæ sunt illæ fraudes, quibus uti magistratum bono subditorum & medicamenti vice vult Plato de Republica quinto. Inter illa signa quæ ἠθικὰ vocant Rhetores, validissimum est ad matrem indagandam, στοργή.

De Sapientia Salomonis.

INsignem Sapientiam ostendit in judicio causæ obscurissimæ, sed de illa sapientia fusius differendum & explicandum fuerit. Primò generatim deinde speciatim. Generatim ita Sp. S. 1. Reg. 4. 29. *Dabat Deus Salomoni sapientiam & plurimum intelligentiæ & amplum captum cordis, ut arena ad littus maris.* Explicat hoc Salianus: *Dicimus itaque* (inquit) *acquisitionem Sapientiæ Salomonis fuisse receptionem multorum habituum Divinitus infusorum, quibus fiebat habilis ad contemplationem objectorum, quæ sunt diversarum scientiarum propria. Quomodo dispositi sunt, qui eos habitus propria industria acquisiverunt. Sed melior fuit Salomonis conditio, sive quòd eos habitus non paulatim, & cum labore, sed puncto temporis, & sine ulla difficultate consecutus est; sive quia nemo tot habitus acquisivit quot ille accepit infusos; nemo tam claros atque illustres ut Salomon; nemo tam firmos, atque constantes, quæ sunt tres habituum perfectiones, quibus ita Salomon excelluit, ut verè dictum fuerit, nullum ante ipsum similem ei fuisse, aut aliquando futurum. Cum autem comparatio inter res ejusdem generis fiat, aut speciei, non potest scientia Salomonis cum prophetica comparari; quæ illustratio quædam est intellectus obiter transiens, non habitualiter perseverans. Et cum prophetica scientia sit de rebus, ad quas humana industria non potest assurgere, scientia Salomonis propria industria acquiri potest, quæ verè, & propriè sapientem facit; sicut illa videntem, sive prophetam: quæ fuit ferè cognitio Apostolorum, ut propterea non sit accurata comparatio sapientiæ Salomonis cum Prophetica, & Apostolica, ut fusius docet Abulensis.*

Ac ne Angelicam quidem sapientiam, cum Salomonica quis rectè contulerit: cum de humana duntaxat contentio sit instituta; ut illa verba significant, ut nullus ante te tui similis fuerit, nec post te surrecturus sit, *pertinent ad homines motui, mutationi ac successioni obnoxios; quod in Angelos non cadit. Adde quod Angelica scientia Salomonicam superat in cognitione rerum gestarum & individuorum proprietatibus, ad quæ humana scientia non pertingit. Temerarium item fuerit Salomonem cum eo conferre,* in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi; *qui verissimè ac sine exceptione, dixit:* Ecce plusquam Salomon hic. *Et de ejus plenitudine omnes accepisse maximus Evangelistarum profitetur.*

De beatissima Virgine nihil putat absurdi Tostatus fateri majore rerum naturalium cognitione præditum fuisse Salomonem beata virgine; eam tamen sapientiorem fuisse Salomone in cognitione Deitatis & secretorum theologicorum. A quo non multum distat Suares noster, qui sine ulla comparatione docet verisimile esse beatam virginem habuisse eam cognitionem omnem, ex accidente infusam, rerum naturalium, vel moralium, quæ ad perfectam scripturarum intelligentiam, & ad perfectionem theologicæ doctrinæ; item ad penetranda, explicanda, ac suadenda fidei mysteria, denique consummatam prudentiam, & cognitionem rerum agendarum, illi fuit necessaria, vel expediens: Nam hujus-

jusmodi ſcientia naturalis ex ſe, inquit, non eſt admodum neceſſaria virgini, neque ita accommodata ſtatui, & conditioni ejus, ut propter ſe eſſet expetenda, aut inquirenda. *Itaque videtur dici poſſe harum rerum in Salomone ſcientiam latius fuſam fuiſſe, & ad plura objecta expanſam; in beatiſſima verò Virgine excellentiorem, & ad ſuperiora objecta, nobilioraque relatam. Cur autem Adamo prætulerit Salomonem Abulenſis, non ſatis intelligo. Cum enim fateatur Adamum creatum in omni perfectione naturæ, negat tamen neceſſe eſſe illi dari maximum gradum in perfectione cognitionis naturalis. Sed quæ neceſſitas eſt, ut ea potius Salomoni tribuatur, quam primo, & maximo omnium mortalium doctori? Qui non quadraginta annis provinciam unam gubernare debuit, ſed nongentis regiones omnes, quas ejus omnes poſteri inhabitarunt, doctrina, præceptis, atque exemplis imbuere? Qui tanquam opus à Deo ipſo perfectum, debuit eſſe exemplar perfectionis humanæ, etiam in rerum naturalium perfectione. Denique id ſtatus ipſe innocentiæ longè abſolutiſſimus, in quo eſt conditus Adamus, requirit potius, quam ſtatus iſte nequitiæ: in quo omnia per peccatum turbata, depravataque ſentimus ac plangimus. Nec illa verba, quæ nullum fuiſſe, aut fore Salomoni ſimilem dicunt, huic noſtræ ſententiæ officiunt; ſæpe enim univerſæ propoſitiones in Scriptura cum aliqua exceptione accipiendæ ſunt; & hæc ipſa ſine controverſia Chriſti Domini exceptionem admittit. Excipiatur & Adamus orbis terrarum magiſter, opus Dei ſingulare, exemplar perfectionum, ad quas homo in hac vita evehi poſſet. Quin & ipſe Salomon hanc ſapientiam vehementer adſtringit, cum ait:* Ecce magnus effectus ſum, & præceſſi ſapientia omnes, qui fuerunt ante me in Jeruſalem.

Certum eſt ſapientiam Salomonis ſtetiſſe intra humanum modum, ideò nec Chriſti hominis nec Angelorum æquare nec cum illa comparari potuit: ſed Mariæ θεοτόκου ſcientiam æquare aut præferre ineptum fuerit & ſuperſtitioſum. Nam primò nullus erat tantæ ſapientiæ uſus in virgine originis regiæ quidem, ſed nunc infra multorum è plebe conditionem abjecta. Eam enim angelis hominibusque præficere ſapit παρθενολατρείας. Nulla ratio, quia ſimpliciſſimam & circa fœminei ſexus officia occupatam fuiſſe conſtat. At volunt Salomonis ſapientiam extenſive (ut loquuntur) majorem fuiſſe, hoc eſt ſparſam pluribus objectis & exercitiis, virginis intenſive & in ipſo habitu infuſo nobiliorem. Id etiam ſine cauſa dicitur. Nam quæ ratio ſive cauſa infuſi habitus? Non propinqua cum λόγῳ conjunctio, quia hanc non infert conceptio & partus filii Dei. Non cognatio cum Chriſto Servatore, quia ut matri Salomonis non acceſſit de menſura ſapientiæ filii, ſic nec matri Domini ex communione Chariſmatum & gratiæ. Conſtat matrem Salomonis muliebri facilitate & ſimplicitate pro Adonia filium adiiſſe, ſic & matrem Domini Dominum pro novis conjugibus Canæ in Galilæa. Utramque etiam legimus tuliſſe repulſam & eſſe repreſſam, ut quæ ſe immiſcerent rebus, quas nec caperent nec curare ipſorum partis erat. Adeo & Sapientia magna caruiſſe eaque non eguiſſe res certa eſt. Et cur cognatio illa carnalis ſapientem potius redderet quam opulentam? Sed & commentantur Mariam rerum Theologicarum Salomonem cæteris ſcientiis præpolluiſſe: quia ita ſtatui & conditioni utriusque quadraret. At ego ſcio Salomonem prophetico Spiritu donatum fuiſſe & edidiſſe monumenta nobiliſſima, quæ in partem canonicæ ſcripturæ dedicata omne ævum eccleſiæ erudiunt: nihil Divinæ autoritatis virgo beatiſſima ſcripſit aut ſcribere potuit. Nos eam cum Angelo agnoſcimus beatiſſimam mulierum in hoc, quod Dei filium, promiſſum & tot deſideriis expetitum & ſupra omnia deſiderabilem Meſſiam mundo ediderit, ſapientiſſimam fuiſſe non lego. Hoc igitur commentum eſt eorum, qui inſigni contumelia eam in numerum dearum imo ſummam dearum deorumque conſtituerunt.

Adamo Salomon cur non præferatur? Imaginem Dei habuit in statu innocentiæ, quæ non in perfectione naturali sed morali consistit: unde obtinuit, *justitiam originalem* appellari. Sed in naturali perfectione eum quoque conditum fuisse dicunt? Sic est: at alia est individualis, ut cum scholis loquar, alia specifica seu generis. Perfectionem habuisse, quæ generi hominum communis fuisset ante lapsum, non infitior: imo & supra ascendisse concedo. Nam primò prophetico spiritu, cum per quietem factum esset, vidit, Euam è corpore suo sumptam & conditam esse, eodem deinde animalibus ad se adductis nomina naturis quadrantia imposuit. Eodem prophetico spiritu Divina cognovisse & penetrasse non abnuerim. Sed prophetici spiritus revelatio fulget per intervalla, non est fixa & habitualis. Infusa illi notitia linguæ Hebrææ, quæ naturalis non erat similiter & conjugi infusa fuit. Ut autem in illo naturalis fuerit ingenii illa capacitas, qualis Salomoni fuit, cur concesserim? Non enim peculiare hoc beneficium Adamo concedi necesse fuit, nec legitur concessum fuisse. Nam quantum attinet institutionem in sacris mysteriis, & gubernamen subjectorum, si lapsus non fuisset, non fuisset luctandum cum tot machinamentis vaferrimæ nequitiæ, & quod in Divinis Ecclesiasticæ institutionis extra ordinem, dedisset Dei ipsius peculiaris revelatio. Opus igitur illi non fuisset ea prudentia & sagacitate nec tot rerum peritia. Post lapsum doctor fuit, sed ut puto, multo præstantiores illo vidit posterius ævum. Falsum est quod Salianus dicit, omnes mundi regiones nongentis seculis docere & regere debuisse: cum per familias & gubernatio & institutio divisa fuerit. Communionem quandam fuisse cum Adamo non nego sed ea ab illius experientia potius aut si forte prophetico spiritu, quam capacitate ingenii. Divinæ creationis exemplar perfectissimum in omni gradu perfectionis fuisse, hoc est quod probari debet. Nec status innocentiæ maximam sapientiam poscit, quia habet & continet maximam sanctitatem. Quæ amisimus respectu animæ ea sunt potius moralia quam naturalia, deinde felicitatem animæ amisimus magis quam integritatem physicam.

Constat Salomonis sapientiam in capacitate ingenii & promptitudine positam fuisse, ut quicquid occurreret, acutissimè judicaret. Ideò de omnibus rebus quarum notitiam & contemplationem haberi dabatur judicabat & discernebat melius, quam alii mortales; qui vident nec animadvertunt: occurrunt multa quæ non observant nec introspiciunt. Inductionum acumen sapientiæ origo est. Nam specierum intelligibilium multitudinem ipsius animo fuisse inductam nemo dixerit. Ἡ *ἐμπειρία τέχνην ἐποίησε*: sed tanto facilius, quanto acumen capacius & perspicacius est. תבונה & חכמה (v.29. cap. 4.) (ut inquit P. Matyr) *si una conjungantur, per eas exquisitas cogitationes de rebus maximis intelligimus, ut significetur egregia θεωρία: quod si disjungantur voce* תבונה *exprimitur accommodatio dextra & industria principiorum ad id, quod agendum est, quod vocamus prudentiam. Potuit itaque Salomon de rebus prudenter agendis optime judicare ac de ipsis alios instituere.* Sequitur in textu, Deum illi dedisse latitudinem cordis instar arenæ maris. Arena maris littus notat planum, quo mare terris prætexitur. Isto significatu indicatur ipsi fuisse cor docile & admodum capax. Quemadmodum cor angustum illis est, qui pauca valent comprehendere, aut quæ perceperunt malè retinent judicantque. Ita Dialecticæ naturalis summus vigor fuit in inventione, dispositione, memoria. Acutus fuit in perspiciendo, industrius in observando, tenax in retinendo. Aliàs arena explicari potest de numero perceptarum legum. Nam sicut arena micas & granula in se habet innumerabilia, sic, inquiunt, Salomonis intelligentia innume-

numerabiles notiones rerum, argumenta, ſcientias, propoſitiones continebat. Continebat ea vi aut actu.

Comparativè & è monumentis propriis Sapientia Salomonis oſtenditur. Primum (1. Reg. 4. v. 30. 31.) Alterum (v. 32. 33.) Ideò ſplendore ſuæ ſapientiæ populos regesque in admirationem ſui rapiebat. Videamus primò illam comparationem

v. 30. *Amplior fuit ſapientia Salomonis, ſapientia omnium filiorum orientis & omni Sapientia Ægyptiorum.*

v. 31. *Sapientior item fuit omni homine; atque adeo ipſo Ethan Ezrahao, & Heman & Chalchol & Darda filiis Mahol: fuitque nomen ejus in omnibus gentibus per circuitum.*

Primò præfertur filiis orientis & Ægyptiis. Cicero 1. de divinat. *Vt enim Ægyptii aut Babylonii in camporum patentium æquoribus habitantes, cum ex terra nihil emineret, quod contemplationi cœli officere poſſet, omnem curam in ſiderum cognitione poſuerunt.* Ralbag: ידמה בימי שלמה היתה חכמה גדולה בשתי אלו האמות Conſtat utramque gentem ſiderum, mathematum & naturæ ſcientia celebrem fuiſſe, præter ματαιοτεχνίας & ſuperſtitiones deinde curam etiam poſuiſſe in moralibus & vitæ prudenti moderatione. Moſes literis Ægyptiorum, Daniel Babyloniorum fuit inſtitutus. Hi bona & laudabilia ab vanis & ſuperſtitioſis diſcriminarunt. Ita & Salomo. Quemadmodum gentium illarum cyclopædiam ſuperabat, ita & hominum ſingularium neminem habuit orbis, qui ipſi poſſet comparari. Hic igitur quinque homines memorantur è gente Iſraël, qui inclaruerunt tum aliis ſcientiis tum ſacra poëſi. Cum igitur odæ illorum materiæ theologicæ ſublimitate, acumine ſententiarum, affectibus & motibus exprimendis inſigniter celebrarentur: rerum variarum ſcientiam habuerunt. Martyr. *Arbitror igitur fuiſſe divinarum laudum cantores, quas nemo rectè cantu & carminibus exprimet, niſi & doctiſſimus & ſapientiſſimus fuerit. Laudes quippe Dei ab operibus, actionibus & legibus ejus colliguntur: iis vero agnoſcendis & rectè judicandis, quanta ſapientia ſit opus, omnes intelligunt.* Legimus I. Chronic. 2. 6. quinque filios Zare filii Juda fuiſſe, Zamri (vel Zamdi) Ethan, Heman, Chalcol & Darda. An hi fuerint iidem, neſcio. At hi dicuntur filii Mahol. Ralbag, Mahol & Zare unius viri duo nomina fuiſſe putat, aut Mahol ſignificare chorum, quod cantuum & chori excellerent ſcientia. Ethan ille Ezrahita ſine dubio fuit ille, cujus mentio Pſ. 89. Quem pſalmum non tam habituali notitia compoſuit, quam prophetico ſpiritu. Loquitur enim in perſona Iechoniæ regis de ſua & populi depreſſione futura per captivitatem ſeu exilium Babylonis. Præter poëſin igitur & profundam ſapientiam prophetiæ ſpiritu fuit præditus. Heman non eſt ille (ni fallor) inter cantores, de quo 1. Chronic. xxv. 4. 5. 6. Sed alius ille qui Pſalmum 88. compoſuit. Ideo & ſapiens & poëta fuit & ſpiritu prophetico afflatus. Duo igitur iſti Ezrahæi fuerunt & fratres: quare ab illis ſeparaverim Chalcol & Darda. In loco Regum quatuor iſti dicuntur filii Mahol, in Chronicis filii Zare. Dixerim in Chronicis pro filiis Zare numerari, qui in Regibus oſtenduntur eſſe nepotes: quia fortaſſis iſto tempore è Zarchæis ſolus Mahol cum filiis ſuis ſuperſtes fuit, qui reliquere ſtirpem iſti domo. Nam dici nequit quanta varietate ſtirpes in genealogiis recenſeantur: Quatuor filii Mahol ſapientiſſimi ſuo tempore habiti adjunguntur cum Zamri, quia & ejus meminiſſe voluit. Fuerunt numero quinque, qui familias conſtituerunt. אזרחי & זרחי idem eſt ex appoſitione literæ א. Dras eſt, quod per אדם intelligendus ſit primus homo, (Hic enim animalibus nomina poſuit) per Ethan

Abrahamum & eum notari in fronte pſ.89. per Heman Moſem, quia dictum ſit (Num.12.7.) *in tota domo ſua fuiſſe fidelem:* per Chalcol Joſeph, quia D. (Gen.47.12.) *Et ſuſtentavit Ioſeph patrem ſuum:* per (דרע) *Dare* accipiendum eſſe (דור מדבר) generationem ſolitudinis, quæ appelletur filii Mahol, quia ipſis condonatum eſt opus vituli (נמחל להם מעשה העגל.)

Ad particularem ſcientiam ejus tranſeamus, quam autor libri Sapientiæ ſupra modum extendit cap.VII. 17. &c. Αὐτὸς γάρ μοι ἔδωκε τῶν ὄντων γνῶσιν ἀψευδῆ, εἰδέναι σύστασιν κόσμου καὶ ἐνέργειαν στοιχείων· ἀρχὴν καὶ τέλος καὶ μεσότητα χρόνων, τροπῶν ἀλλαγὰς καὶ μεταβολὰς καιρῶν, ἐνιαυτῶν κύκλους καὶ ἀστέρων θέσεις, φύσεις ζώων καὶ θυμοὺς θηρίων, πνευμάτων βίας καὶ διαλογισμοὺς ἀνθρώπων, διαφορὰς φυτῶν καὶ δυνάμεις ῥιζῶν. Ὅσα τέ ἐστι κρυπτὰ καὶ ἐμφανῆ, ἔγνων.

Quis iſta humanum modum ſuperare non videt? Inanis & ſupervacua eſt interpretatio. Addit ſe ab ipſa illa abſolute & abſtracte vocata ſapientia inſtitutum eſſe. Hoc equidem non eſt ingenium perſpicax & docile & omnia penetrans accipere, ut Scriptura narrat: quo per applicationem ad objecta, res & rerum momenta diſcendo pervidentur, ſed inſtillatam & infuſam habere ſcientiam. Porrò iſta ſapientia includi putat virtutum habitum & facultates. Platonicam ſomniat animarum & hominis interni ſubſiſtentiam antequam in corpus includantur: Παῖς δὲ ἤμην εὐφυὴς ψυχῆς τε ἔλαχον ἀγαθῆς. Μᾶλλον δὲ ἀγαθὸς ὢν ἦλθον εἰς σῶμα ἀμίαντον. Cap. 8. v.29. 20. Somniat Pelagianam puritatem. Orditur cap.9. orationem prolixam, qua Salomon Sapientiam à Deo ſit precatus. Δός μοι τὴν τῶν σῶν θρόνων πάρεδρον σοφίαν καὶ μή με ἀποδοκιμάσῃς ἐκ παίδων σου. Deinde: Καὶ μετὰ σοῦ ἡ σοφία ἡ εἰδυῖα τὰ ἔργα σου καὶ παροῦσα ὅτε ἐποίεις τὸν κόσμον καὶ ἐπισταμένη τί ἀρεστὸν ἐν ὀφθαλμοῖς σου καὶ τί εὐθὲς ἐν ταῖς ἐντολαῖς σου. Ἐξαπόστειλον αὐτὴν ἐξ ἁγίων οὐρανῶν καὶ ἀπὸ θρόνου δόξης σου πέμψον αὐτὴν ἵνα συμπαροῦσά μοι κοπιάσῃ καὶ γνῶ &c. Niſi enim Dei ſapientia inſtituat, neſciri, quid Deus velit. Λογισμοὶ γὰρ θνητῶν δειλοὶ καὶ ἐπισφαλεῖς αἱ ἐπίνοιαι αὐτῶν! Φθαρτὸν γὰρ σῶμα βαρύνει ψυχὴν καὶ βρίθει τὸ γεῶδες σκῆνος νοῦν πολυφρόντιδα. Corpore obſcurari noſtram mentem, hinc mali originem manare & aberrationis. Ita non in voluntatis diſtorſione ſed mentis oppreſſæ caligine moralem depravationem. Hæc eſt infectio à labe terrenæ molis.

Raſi dicit Salomonem è ſomno Gabaonis evigilantem mox cognoviſſe, quod haberet ſapientiam per quietem promiſſam: Ecce, inquit, *intelligebat* quod ſomnium ſuum veritas eſſet, quia intelligebat avem cantillantem (מצפצף) & linguam canum latrantium. Ideo feciſſe convivium, gaviſum & Deo gratias agentem. Ralbag illa verba, quod antecedentibus & ſequentibus ſapientia ſit ſuperior admiratur (parem ipſi inter mortales neminem fuiſſe aut fore) Si non dederit ipſi Deus prodigioſam ſapientiam (מה חכמה ברוך המופת) Monumenta & effecta ſapientiæ Salomonis ſequuntur.

v. 32. *Loquebatur etiam tria millia proverbiorum: & carmina ejus erant mille & quinque.*

v. 33. *Loquebatur etiam de arboribus, à cedro, quæ eſt in Libano uſque ad hyſſopum, quæ excreſcit è pariete: loquebatur etiam de omni jumento, avibus, reptili & piſcibus.*

Proverbia iſta partim habentur in libro proverbiorum & Eccleſiaſtis: è canticis iſtis eſt illud eximium, quod nuptias Chriſti & Eccleſiæ figurat. Obſervat Raſi ter in Proverbiis ſcriptum eſſe משלי שלמה: quaſi ideò de millibus tribus ſcriptum eſſet. Ralbag: *Videtur quod ex illis proverbiis fundaverit illa liber Miſle: & ex illis carminibus electum fuerit carmen, quod comprehendit liber cantici canticorum. Ideo dicitur in principio libri Miſle, Proverbia Salomonis, filii*

filii David regis Israël, ad cognoscendum Sapientiam & disciplinam. Hæc Proverbia, quæ in spiritu sancto notata sunt, visa fuisse utilia ad propositum, alia omissa. Sic etiam scriptum esse in fronte libri cantici: Canticum canticorum, quod Salomonis q. d. Hoc canticum esse electum inter cantica Salomonis. Kimchi dicit non inveniri ista proverbia & cantica apud Judæos; multos enim libros periisse ex Israel per captivitatem, sic etiam quod scripsit in naturali sapientia, cum loqueretur de stirpibus & animalibus. בכל מה שתחת גלגל הירח/ In omnium rerum sublunarium scientia eximium fuisse & composuisse libros, qui non exstent. Locutus est de omni genere arborum, hoc est, stirpium lignescentium à maxima ad minimam. Arborum expressione intelliguntur & herbæ, quæ non lignescunt: ita uno genere seu duobus arborum & fruticum etiam herbæ. Ingentem famam ejus sapientia habuit: ob quam in veneratione fuit suis & exteris.

Fuisse eum inventorem & autorem linguæ Arabicæ Pineda scribit: *Invenit namque alphabetum & linguam quam vocant Arabicam orientalem id est antiquissimam illam & cujus tantum usus in Arabia Iudæa vicina. Sic sane in libris plumbeis Granatensibus, miraculo, hoc nostro seculo, inventis & ab Apostolo Iacobo illiusve sanctissimis discipulis, Hispaniarum doctoribus exaratis, in plumbi laminis, asseritur scriptos esse Characteribus Salomonis, cum tamen sint Arabici. Et quidem non videntur potuisse appellari Characteres Salomonis ratione alia, quam quod ab illo primum inventi ac delineati fuerint. Quia autem Characteribus & scriptura peculiari respondet sua peculiaris lingua, ideò pari conjectura & verisimitudine, existimari oportet eundem Salomonem authorem fuisse Arabicæ linguæ antiquioris.* Nihil ad ista Salianus, ne videretur improbare, quod probare non potuit at linguam & Characteres istos didicisse à Nathane. Hoc est stultitiæ adjicere cumulum. Ita mutuò se muli scabunt. Quia Arabum lingua & characteres sunt, post Arabum in Hispaniam adventum libri isti plumbei exarati fuere & illic loci reconditi. Josephus Salomoni adscribit dæmonum pellendorum & subigendorum notitiam, quam & posteris tradiderit, παραφράζων hunc locum 1. Regum. Τοσαύτην δ' ἦν (add. ἦν vel scribendum τοσαύτην δ' ὁ θ.) ὁ θεὸς Σολομῶνι παρέσχε φρόνησιν καὶ σοφίαν ὥστε τοὺς ἀρχαίους ὑπερβάλλειν ἀνθρώπους· καὶ μηδὲ τοὺς Αἰγυπτίους οἳ πάντων συνέσει διενεγκεῖν λέγονται, συγκρινομένους λείπεσθαι κατ' ὀλίγον ἀλλὰ καὶ πλεῖστον ἀφεστηκότας τῆς βασιλέως φρονήσεως ἐλέγχεσθαι. Expressit septuaginta interpretes qui (v. 30.) Καὶ ἐπληθύνθη Σαλωμὼν σφόδρα ὑπὲρ τὴν φρόνησιν πάντων ἀρχαίων ἀνθρώπων. Hebr. בני קדם. Ideo sequentes versus accepit de illius ævi hominibus κατ' ἀντίθεσιν. Nam sequitur: Ὑπερῆρε δὲ καὶ διήνεγκε σοφίᾳ καὶ τῶν κατ' αὐτὸν καιρὸν δόξαν ἐχόντων παρὰ τοῖς Ἑβραίοις ἐπὶ δεινότητι. ὧν οὐ παρελεύσομαι ὀνόματα. Ἦσαν δ' Ἄθανος καὶ Αἵμανος καὶ Χαλκίος καὶ Δάρδανος υἱοὶ Ἡμάωνος. LXX. Καὶ ἐσοφίσατο ὑπὲρ πάντας τοὺς Αἰνὰν (leg. Αἰμὰν) καὶ τὸν Χαλκὰδ (Χαλκάλ) καὶ Δαρδάλα (Δαρδάδα) υἱοὺς Μάλ. Rufinus: *Erant autem Jethan & Heman & Ghacad & Darda filii Samad.* Rufinus absque dubio Lxx. interpretes secutus est.

Pergit: Συνετάξατο δὲ καὶ βιβλία περὶ ᾠδῶν καὶ μελῶν πέντε πρὸς τοῖς χιλίοις καὶ παραβολῶν. καὶ εἰκόνων βίβλους τρισχιλίους. Lxx. narrant locutum esse ter mille parabolas & odas quinquies mille. Hic non secutus est Josephus ipsos aut aliter legit: quod autem parabolarum & imaginum ter mille libros scripsisse dicit, planè abit à sensu & mente loci. Existimat enim ad singulas stirpes & singula animalia similitudinem seu iconem locutum esse, id est, ad omnia illa figuras quasdam sermonum commentum esse. Scribit enim consequenter: καθ' ἕκαστον γὰρ εἶδος δένδρου παραβολὴν εἶπεν ἀπὸ ὑσσώπου ἕως κέδρου. Hyssopum igitur inter δένδρα, ut scriptura עזים/ numerat. Τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ περὶ κτηνῶν

τῶν τ' ἐπιγείων ἁπάντων ζώων καὶ τῶν νηκτῶν καὶ τῶν ἀερίων. Οὐδεμίαν γὰρ τούτων φύσιν ἠγνόησεν, οὐδὲ παρῆλθεν ἀνεξέταστον· ἀλλ' ἐν πάσαις ἐφιλοσόφησε καὶ τὴν ἐπιστήμην τῶν ἐν αὐταῖς ἰδιωμάτων ἄκραν ἐπεδείξατο.

Hactenus scripturam secutus est, inde addit, quæ probari non possunt è scriptura: Παρέσχε δ' αὐτῷ μαθεῖν καὶ τὴν κατὰ τῶν δαιμόνων τέχνην εἰς ὠφέλειαν καὶ θεραπείαν τοῖς ἀνθρώποις. Ἐπῳδάς τε συνταξάμενος, αἷς παρηγορεῖται τὰ νοσήματα καὶ τρόπους ἐξορκώσεων κατέλιπεν· οἷς ἐνδούμενα τὰ δαιμόνια, ὡς μηκέτ' ἐπανελθεῖν ἐκδιώκουσι. Καὶ αὕτη μέχρι νῦν παρ' ἡμῖν ἡ θεραπεία πλεῖστον ἰσχύει. Artem adversus dæmonas in utilitatem & medelam hominibus præbuisse: deinde composuisse carmina, quibus leniantur morbi, modosque adjurationum, quibus vincta dæmonia expellantur, ut redire nequeant. Et hanc medelam apud Judæos ea tempestate valuisse plurimum. En cæcam gentem, quæ simulatis obsequiis dæmonum decepta, dæmonibus cultum præstitit. Nam incantationibus & carminibus putavit dæmonas vinciri & morbos curari: quæ cum non sint instituta Dei sed dæmonum inventa, famulantur & illigant honori inventorum. Eleazarum quendam memorat hominem Judæum, qui coram Vespasiano imperatore ejusque filiis & tribunis aliaque militari multitudine energumenos liberarit. Annulo enim qui sub signaculo haberet radicem de iis, quas docuisset Salomo, naribus hominis admoto extraxisse dæmonium. Deinde obsesso prolapso, adjurasse dæmonium, mentione facta Salomonis & recitatis, quas ille composuerat, incantationibus, ne denuo hominem infestaret. Cumque vellet persuadere & ostendere præsentibus, ea se vi pollere, posuisse in medio poculum aqua plenum aut pollubrum, quod ex ejus mandato egressus ex homine dæmon inspectantibus everterit feceritque evidens indicium, quod ex illo homine abiisset. Γινομένου δὲ τούτου, σαφὴς ἡ Σολομῶνος καθίστατο σύνεσις καὶ σοφία· δι' ἥν, ἵνα γνῶσιν ἅπαντες τὸ μεγαλεῖον αὐτοῦ τῆς φύσεως καὶ θεοφιλὲς καὶ λάθῃ μηδένα τῶν ὑπὸ τὸν ἥλιον τοῦ βασιλέως περὶ πᾶν εἶδος ἀρετῆς ὑπερβολή, περὶ τούτων εἰπεῖν προήχθημεν. Putat cum Abulensi Salianus (non abhorret Tyrinus) non esse absurdum creditu, quod Salomo scripserit exorcismos, quibus Judæi utentes, divina virtute dæmonas ejicerent ut in Evangelio quoque legamus. Quo refert dictum Christi Matth. XII. 27. Luc. XI. 19. *Si ego per Belsebub ejicio dæmonia, per quem igitur ejiciunt filii vestri?* De Apostolis ac discipulis Christi id interpretatur Chrysostomus: quos Dominus filios gentis appellat id est cives, ut Dei beneficia in istam gentem notet. Fuerunt & alii, qui in nomine Christi ejicerent Luc. 9. 49. Circumibant terras urbesque Judæi, qui dæmonibus pellendis æs corradebant. Hi exorcismos suos à Salomone traditos esse fingebant, ut vanitati suæ dignitatem & famam conciliarent: quos increpabat Euangelium eorumque formulas & libros igni adjudicabat Act. 19. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. Hi cum viderent efficaciorem esse apostolorum adjurationem in nomine Christi, id usurpare cœperunt. Hoc ipsis pessime cessit, quia non vocibus nec carminibus cedit sed imperio Christi. Nam quibus id mandati datum a Christo, ii id fide miraculorum recipiebant: eaque fide patrabant admiranda & ipsi spiritibus imperabant, non suo sed Christi nomine. Salomonem quoque narrant crassæ fabulæ dæmonia inclusisse ingenti, benè obturato, vasi quod defossum in solitudine sub terras pacem mundo præstabat, nisi rex ambitiosus, fundamenta moliens arci & urbi, operarum sudore claustra reserasset. Si imperium in dæmonas habuit eorum vexationibus seculum liberare regium erat. Sed ipse dæmonum oppugnationibus succubuit, in amores peregrinarum pellectus & ipsorum dæmoniorum cultum. Michael Glycas è Psello commemorat scriptum à Solomone de gemmis librum esse: *non tantum quo illa pacto colores hos vel*

vel illos accipiant, vel gignantur & coalescant: verum etiam quis uniuscujusque sit usus. Aliam enim pudicitiæ custodem esse pronuntiavit: aliam sulfureis inflammationibus resistere: aliam malos genios abigere. Pergit: *Quin etiam librum de geniis composuit, quo nimirum pacto è sublimi deducantur & qualibus formis appareant. Eorundem naturas atque proprietates complexus est: tum quo pacto vinculis adstringantur & certis locis adsueti abigantur. Hinc factum ut operas quasdam onerum eis imponeret. Nam & materiem (ceu perhibent) eos cadere cogebat & humeris onera portare. Idem hominum viscera exhulcerata vel carminibus vel verbis adhibitis sanabat.* Magos ad Salomonem artis imò vanitatis, seu perfidiæ suæ originem referre, ejusque nomen habere obtentui, mirum non est. An Salomon libros physicos scripserit meritò dubitari potest, quamvis absonum non sit collectas ex ejus ore sententias in literas esse relatas. Ezecias rex voluit per viros egregios, quos & spiritus Dei gubernabat ejus paræmias quasdam colligere; de physicis illis sententiis nihil curavit, quia ad scopum non faciunt sacrarum literarum. Ezeciam eas collegisse patet è Prov. XXV. 1. גם אלה משלי שלמה אשר העתיקו אנשי חזקיה מלך יהודה: Quæ Lxx. reddiderint Αὗται αἱ παιδεῖαι Σαλωμῶντος αἱ ἀδιάκριτοι ἃς ἐξεγράψαντο οἱ φίλοι Ἐζεκίου τοῦ βασιλέως τῆς Ἰουδαίας. Transtulerunt sequentia proverbia capp. XXV, XXVI, XXVII, XXVIII, XXIX. è libris sapientum & conjunxerunt libro proverbiorum, qui jam ante in nomine Salomonis exstabat. Nam à principio libri ad caput X est commendatio sapientiæ, inde specialia de rebus sapientiæ dictamina proponuntur: quibus illa sequentia conjungi voluit rex Ezekias. Composuit Salomon librum Ecclesiastis, quin potius ex ipsius dictantis ore excepta sunt, quæ leguntur in libro Ecclesiastis usque ad ultimi capitis v. 9. 10. Ubi narrat compositor libri qui è dictatis Salomonis, librum illum composuit, regem eundem ἐκκλησιάζοντα multa docuisse populum: deinde multa proverbia in ordinem redegisse: eloquenter & facunde selecta monita sapientiæ proposuisse. Tum subjungit monitum novum regis, de delectu parœmiarum, cum librorum faciendorum nullus finis sit & multa lectio animum fatiget. Summam discendorum ultimo monito complectitur. Ostendit in eo libro Salomon se incubuisse cognoscendis & fruendis rebus omnibus, quæ habentur & aguntur sub sole, ut perspiceret bonum hominis: *αἱ ἀδιάκριτοι* non legitur in Hebræo, voluerunt autem indicare Lxx. ista monita (*παιδείας* vocant seu *παροιμίας*) in libris sapientum scripta fuisse, inter alia aliorum ejusdem generis, sed jussu Ezeciæ separata & selecta huic libro accrevisse.

Curavit potius ethica & politica, quam physica: quamvis illa non neglexerit. Physices & mathematum scientias percalluisse certum est & latius fusam fuisse illius contemplationem, quam cujusquam ante aut post eum mortalium, ut tamen singularia quædam alii non invenerint aut perspexerint, ad quæ animum non appulit Salomon, non negaverim. Ita non est necesse dicere, quod notitiam habuerit nitrati pulveris, aut artis typographicæ, aut pyxidis nauticæ, tubi optici & multarum rerum, quas usus solers mundo aperuit. Quantumcunque vasta ingenii capacitas pluribus simul intendere non potuit æquali felicitate: nec quærere aut observare potuit, cum aliò mentem vertisset. Theodoretus putat è libris medicis & physicis Salomonis medicos multa collegisse. Judæus quidam in Thalmudicis eruditus, quo usi sumus, Aristotelem è libris Salomonis hausisse sua existimabat.

Regni

Regni & aulæ dispositio.

IMperitabat vasto illi terrarum spatio, quod inter Eufratem & Ægypti terminos patet. מתפסח ועד עזה / A Thaphsa usque Gazam. Non conterminæ urbes fuerunt, nec altera in hoc altera in isto termino mundi positæ. Gazæ situs notus est, Thaphsa hta fuit ultra Eufratrem. Qui his finibus reges positi aut tributarii erant aut satrapæ Salomonis. Ipse Israël in immensum excreverat, notabili Dei benedictione. Hi duces erant: Azarias filius Sadoci הכהן. Non exprimunt hoc LXX. Quidam putant Sadoci esse designationem, Dionysius significari quod Azarias fuerit specialis sacerdos & quasi capellanus regis: Primæ sententiæ quidam inter scribas numerari, qui sequuntur. Belgæ Opper-amptman. Nepos erat Sadoci hoc nomine, qui in sacerdotio successit post Achimaas: at hic fuit filius. Præfectus summus fuit universæ aulæ & negotiorum regis. Scribæ fuerunt Elihoreb & Achias filius Sisæ. Josaphat filius Achilud, המזכיר. LXX. ἀναμιμνήσκων, à commentariis. Banæas filius Jojadæ magister militiæ. Abjathar & Sadoc pontifices. Abjathar initio Salomonis pontificium obibat: inde depositus nomen priscæ dignitatis retinuit. Theodoretum non intelligo, qui ἀρχὴν non ἱερωσύνην putat amisisse. Azarias (LXX. Orniam vocant) filius Nathan על הנצבים / LXX. ἐπὶ τῶν καθεσταμένων: præfectus *iis, qui assistebant regi.* Sapientes enim de more, (inquit Salianus) aderant regi. Ideo consiliorum præfectum fuisse putat. Ego puto aulæ ministris, qui coram rege adstabant, præfuisse. Alius filius Nathan Zabad fuit ἑταῖρος βασιλέως רעה המלך. An Nathan unus amborum fuerit pater, & si ita, istene propheta an frater Salomonis fuerit, quæri video. In Hebræo occurrit vocabulum כהן inter בן נתן & רעה: quod incertum est, quo pertineat: ad Nathanne an ad Zabad. Græci hoc vocabulum etiam neglexerunt. Videtur ad Nathanem pertinere, ut significetur eum à propheta distingui. Amici regis apud Persas plurimi fuerunt: hic unus hac dignatione. Achisar (על הבית) Græci οἰκονόμος. Vatablus Gallice explicat *Le Prevost de l'Hostel*, vel potius *le Grand maistre.* Adoniram filius Abda super tributo. Infra cap. 5. vers. 14. repetitur. Ubi præest delectis. Ideò delectui præfectum interpretatur versio Junio-Tremelliana. Græca versio addit supervacuè Eliab filium Saph, quem dicit fuisse ἐπὶ τῆς πατριᾶς. Hoc nihil est.

Præter hos habuit Salomon præfectos annonarios, qui mense suo singuli in anno annonam regiæ domui procuraret. Annona in mensam regiam diurna erat triginta Cori similæ & sexaginta cori farinæ: decem pingues boves & viginti pascuales boves & centum oves (pecudes parvæ) exceptis cervis, capreis, bubalis (alii damas vertunt) & avibus altilibus. Josephus ovium loco ponit σιτευτὰς ἄρνας ἑκατόν. Deinde avibus etiam pisces jungit. Porrò annonam hanc putat reges ac præsides Syriæ ac Palæstinæ contulisse regi. Salianus: *Cum autem corus decem Ephi sive triginta sata, quæ & modii dicuntur, contineat, ut scribit Villalpandus ex communi Hebræorum sententia, & singula sata singulis hominibus abunde sufficiant: ut colligitur ex Genes. 18. Ubi jubet Abraham commisceri tria sata similæ & fieri panes, quos hospitibus tribus apponeret: sequitur panem qui quotidie dabatur ad annonam Salomonis duobus millibus & septingentis suffecisse, non septuaginta hominum millibus, ut putat Sethus Calvisius sectarius. Nam & absurdum est Salomonem tot hominum millia, quotidie, pacis tempore nutrivisse. Caro etiam pani proportione respondens, facile id commentum refellit: Nam ne quingenti quidem boves, nedum triginta neque mille arietes, nedum centum, neque deni quotidie cervi, caprea, bubali septuaginta*

ginta hominum millibus sufficerent. Adde quod falso nititur fundamento, cum coro tribuit octingentas libras, sine ulla probatione: cum ex Scriptura docuerimus non continere fere nisi triginta, si quidem libra panis cum reliquo obsonio, quotidiano victui unius hominis sufficiat. Errat denique cum ex proprio judicio similam convertit in triticum & farinam in siliginem. Neque enim ei ullus scripturæ textus favet & Iosephus scripturæ hoc loco plane consentit. Neque enim simila solum triticum est sed etiam farina, quam Lxx. & Iosephus vocant ἄλευρον, quæ proprie farina est triticea, ut ἄλφιτον bordeacea. Lxx. dicunt *ἀλεύρυ κεκοπανισμένυ* (farinæ pistillo tusæ) *μόσχοι ἐκλεκτοὶ: σιτευτὰ ἐκλεκτῶν* (ברברים אבוסים) quod Belgæ *aves altiles* cum Vulgato reddiderunt. Calvisius mensuram Cori non benè observavit, male intellectis Rabbinis, qui dicunt חומר inde dici, quod asinæ onus sit. Ipse definiit onus asini ad sexcentas libras, cum non ad pondus sed mensuram terminorum respiciatur. Deinde non habet septuaginta millia, ut narrat Salianus, sed quinquaginta quatuor millia. Præfecti annonæ, qui præsidebant universo regno in duodecim præfecturas diviso, sufficiebant singuli mense suo annonam.

1. Filius Hur in monte Efraim. Lxx. *Βὲν υἱὸς Ὤρ.* Josephus, *τῆς μὲν Ἐφραΐμου κληρουχίας ὄρης.*

2. Filius Dacar in Maces, Saalbin, Bæthsemes, & Elon-Bethhanan. Lxx: *καὶ Ἐλὼν ἕως Βηθανάν.* Jos.

3. Filius Hesed in Aruboth: habebat Socho & totam terram Hepher (Lxx. *ὀφὲρ*)

4. Filius Abinadab omnem tractum Dor. Huic in matrimonium cessit Thephath filia Salomonis. Tria hæc nomina confudit Josephus: *ἐπὶ δὲ τῆς Βιθθέμες* (*Βαιθσέμες*) *τοπαρχίας ἦν ὁ κλῆρος* (*τοῦ Δακάρου* supplendum. Filius Hesed omissus est. De quarto in hunc modum:) *Τὴν δὲ τὴν Δῶραν καὶ τὴν παραλίαν Ἀβινάδαβος εἶχεν ὑπ' αὐτῷ γεγαμηκὼς τὴν Σολομῶνος θυγατέρα.* Quartum ita ex pressserunt Lxx: *τοῦ Ἀμιναδὰβ πᾶσα Νεφθαδώρ. Τεφὰθ θυγάτηρ Σαλωμὼν ἦν αὐτῷ εἰς γυναῖκα.*

5. Baana filius Ahilud habebat Thaamach & Mageddo & totam Bethsan, quæ est apud Sarthana, infra Jezrael à Bethsan usque Abelmahula, usque trans Jocmeam. Lxx. *τὴν Θααναὰχ καὶ Μαγεδδὼ καὶ πᾶς ὁ οἶκος Σάν, ὁ παρὰ Σεσαθὰν ὑποκάτω τοῦ Ἐσραὲ, καὶ ἐκ Βηθσὰν ἕως Σαβαλμαουλᾶ, ἕως Μαεβὲρ Λουκάμ,* Corrupta ista & imperitè versa. Jos. *Τὸ δὲ μέγα πεδίον ἦν ὑπὸ Βανάιᾳ τῷ Ἀχίλου παιδί· συνυπῆρχε δὲ καὶ ἡ ἄχρι Ἰορδάνου πᾶσα.*

6. Filius Geber erat in Ramoth in Galaad. Habebat villas Jair filii Manassis, quæ in Galaad: etiam habebat tractum Argob, in Basan, sexaginta magnas urbes munitas cum æreis vectibus. Lxx. *Υἱὸς Νάβερ ἐν Ῥαβὼθ Γαλαάδ, τούτῳ σχοίνισμα Ἐργὰβ ἐν τῇ Βασὰν, ἑξήκοντα πόλεις μεγάλαι τειχήρεις καὶ μοχλοὶ χαλκοῖ.* Jos. *Τὴν δὲ Γαλααδῖτιν καὶ Γαυλωνῖτιν ἕως τοῦ Λιβάνου ὄρους καὶ πόλεις ἑξήκοντα μεγάλας καὶ ὀχυρωτάτας εἶχεν ὑφ' αὐτὸν, Γάβαρις διεῖπεν.*

7. Achinadab filius Iddo erat in Mahanaim. Lxx: *Ἀχιναδὰβ υἱὸς Σαδδὼ Μααναΐμ.*

8. Achimaas in Nephthali. Hic etiam duxit filiam Salomonis Basmath Lxx: *Ἀχιμαὰς ἐν Νεφθαλείμ· καὶ οὗτος ἔλαβε τὴν Βασεμμὰθ θυγατέρα Σαλωμὼν εἰς γυναῖκα, εἰς.* Utrumque hunc sub nomine Achinadab Jos. in unum confudit: dicens Galilææ toti præfuisse usque Sidonem. Deceptus fuit versione *τῶν ό.* quæ vocem *εἰς* non addit post Achinadabi partem: ut solet in aliis.

9. Baana filius Husai, in Aser & in Aloth. Lxx. *Βαανὰ υἱὸς Χουσὶ ἐν Ἀσὴρ καὶ Βααλώθ.* Jos. *τὴν δὲ περὶ Ἄρκην παραλίαν εἶχε Βανακάτης.*

10. Josaphat filius Parua, in Issachar. Lxx: *Ἰωσαφὰτ υἱὸς Φουασοὺδ ἐν Ἰσσάχαρ.*

Ἰωσάχαρ. Jos. Σαφάτης δὲ τὸ Ἰταβύριον ὄρος καὶ Κάρμηλον καὶ τὴν Γαλιλαίαν ἄχρι τοῦ ποταμοῦ Ἰορδάνου χώραν, ἀλλὰ δὲ τούτων πᾶσαν ἐπιτέτραπτο. Hæc ita Rufinus: *Sabath autem montem Taurum* (Itabyrium) *& Carmelum & inferiorem Galilæam: regionem autem usque ad Iordanem fluvium constitutam Basan disponebat.* Divisit quæ conjuncta sunt & duos præfectos pro uno constituit Rufinus. Græca etiam sana non sunt.

11. Semeis filius Ela in Benjamin: eadem Lxx. & Josephus. Sed in Josepho Συβεὶς pro Συμεής.

12. Gober filius Uri erat in terra Galaad, terra Sehon regis Amorrhæorum & Og regis Basan. Chald. Basan reddit מַתְנַן. Subjungitur ונציב אחד אשר בארץ. Chal. reddit: ואספרסנא חד די מסנא בארעא. Lxx. versum hunc (v. 19.) Γάβερ υἱὸς Ἀδαὶ ἐν τῇ γῇ Γὰδ Σηὼν βασιλέως τοῦ Ἐσεβὼν καὶ Ὤγ βασιλέως τῆς Βασὰν καὶ Ναασὶφ, εἷς ἐν γῇ Ἰούδα. Jos. Ταβάρης (leg. Γαβάρης) δὲ εἶχε τὴν πέραν τοῦ Ἰορδάνου χώραν. ἀλλὰ δὲ τούτων εἷς πάλιν ἄρχων ἀποδέδεικτο. Accipit ita: Unum omnibus esse præfectum, cum videatur ita intelligendum, ut unus fuerit in tota terra Galaad & regum memoratorum.

Reges & præfecti extra terram Israel, qui intra Ægypti fines & Eufratem, afferebant munera, ut est in v. 21. At in v. 24: *Et ipse dominabatur* (בכל עבר הנהר) Hoc Kimchi ita accipit, quasi reges Orientis, qui ultra Eufratem siti erant, attulerint quotidianam mensæ regiæ annonam in cervis, capreis, bubalis, altilibus avium: quibus eo sensu dicatur imperitasse, quia ipsum timerent; ideò jugiter attulisse munera. Sed עבר הנהר significat *cis flumen*.

Habuit Salomon quadraginta millia (ארות סוסים למרכבו) & duodecim millia (פרשים) II. Chronic. IX. 25. scribitur: *Salomo habebat quatuor millia præsepium equorum & curruum* (אריות סוסים ומרכבות) *& duodecim millia equitum.* At ejusdem libri capite primo v. 14. habuisse dicitur mille quadringentos (רכב) & duodecim millia equitum. Ita equitum id est celetum numerus semper idem est, sed magna variatio in currulibus. At editio vulgata Latina (2. Chron. 9. 25.) itidem habet quadraginta millia: sed vertit: *quadraginta* millia equorum in stabulis: Ralbag ita conciliat noni capitis locum, ut ארות idem sint quod אבוסים *præsepia*, atque quadraginta millia equorum fuisse in quatuor millibus præsepium: nempe decem equos in quolibet stabulo. Rasi: *Exponunt magistri nostri* (Sanhedr. cap. 2. fol. 21. 6.) *quadraginta millia* (ארות) *fuerunt & in quolibet quatuor millia stabulorum: aut quatuor millia* ארות (præsepium) *& in quolibet quadraginta millia stabulorum.* Kimchi: *Exponunt magistri b. m. Quadraginta stabula & in quolibet quatuor millia equorum, aut quadraginta millia stabulorum & in quolibet quadraginta equi; & sensus* ארות est אבוסים. Variat Kimchi allegatio ab allegatione Rasi. Lyra pro diversa positione in vulgata: Quadraginta millia præsepia equorum currulium &c. 2. Paralip. 9. dicitur, Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in stabulis: *& secundum hoc præsepia hic accipiuntur loca distincta pro quolibet equo. In una tamen domo, sicut fieri solet in stabulis, ubi inter equos ponuntur aliqua distincta, ut pote ligna vel hujusmodi ne percutiant se mutuò vel mordeant & ne unus comedat annonam alterius. Sciendum tamen quod 2. Paralip. 9. ubi translatio nostra habet quadraginta millia equorum in stabulis, in Hebræo habetur, quatuor millia præsepia equorum Et secundum hoc esset dicendum, quod præsepia hic accipiuntur pro domibus, ubi plures equi custodiuntur: ita quod de quadraginta millibus præsepiorum hic positis, quatuor millia erant, pro equis regis & famulorum suorum in diversis partibus regni sui, triginta sex millia pro equis aliorum suorum subditorum: quæ dicuntur hic esse Salomonis eo modo, quo bona subditorum, dicuntur esse bona principis, quia potest ea accipere in necessitate.*

Ita

Ita conciliant illa loca, ſed cum II. Paralip. 1. 14. (& 1. Reg. X. 26.) Locum I. Regum IV. 26. facile coit, quatenus illi mille & quadringenti currus ſemper apud regem fuere, reliqua millia triginta octo & ſexcenti diſtributa per urbes quadrigarum. Uſus curruum fuit ornamento inceſſus & comitatus regis & oſtentationi belli, ſi quis auderet ſe commovere, celeres ad equitandum diſpoſiti, ut notitia & literæ commearent. Nam equorum & curruum ad vecturas & onera uſus non fuit. Joſephus quadraginta millia φατνῶν, id eſt, ſtabulorum fuiſſe dicit τῶν ὑποζυγίων ἵππων. Deinde duodecim illa millia, partem dimidiam apud regem fuiſſe Hieroſolymis alteram dimidiam ſparſam per βασιλικὰς χώρας, in quibus manebant. In Lxx. locus hic I. Regum IV. 26. non exſtat, in 2. Chron. 9. 25. habent καὶ ἦσαν τῷ Σαλωμὼν τέσσαρες χιλιάδες θήλειαι ἵπποι εἰς ἅρματα &c. Quemadmodum regiæ menſæ tum aulicis, tum commeantibus ad regem inferebant annonam, ita etiam procurabant ſtramen & hordeum pro equis & dromadibus, duodecim illi principes. Joſephus ad unum præfectum ſumptuum utrumque reſtringit: quod ita fuerit, ſi unus ſupra illos duodecim poſitus fuit, ut ipſe nonè Scriptura exiſtimat.

Reges Vicinarum Gentium Amicitiam] Ut exteri reges ſtipendia ei pependerint aut ſuſceperint in ſe jugum aut leges tanquam à victore, non admiſerint, amicitiam & fœdus ambiiſſe certum eſt: ideo & miſſis legatis ſapientiam ejus explorabant & venerabantur. Ægypti rex & Hiromus rex Tyri arctiorem cum eo amicitiam habuerunt. Ægyptii enim regis (quem apud Euſebium Eupolemus Vaphre appellat) filiam habuit in matrimonio. Rex Tyri cum audiret Salomonem Davidi ſucceſſiſſe, gratulatus eſt per legatos: quia Davidi amicus & fœderatus fuerat. Utilis admodum imò & neceſſaria fuit Salomoni amicitia Hiromi, quia Tyrus abundabat opificum & artificum copia ad templum, deinde & nauticis hominibus, quorum arte & induſtria aurum, argentum, æs & peregrinæ merces advehebantur, ut ſuo loco dicendum.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI PRIMI.
Cap. LXI.

QUeis opibus confisus templum Domino immensi operis facere aggressus, paratis per triennium impendiis, quarto ferè imperii anno primum fundamentum jecit: à profectione Hebræorum ex Ægypto anno ferè octavo & octogesimo & quingentesimo. Licet libro regnorum tertio CCCCXL. fuisse referantur: quod nequaquam convenit. Siquidem per seriem superius comprehensam facilius fuerit, ut minus fortassis annorum, quam amplius, annotarim. Sed non dubito librariorum potius negligentia, præsertim tot jam seculis intercedentibus, veritatem fuisse corruptam, quam ut propheta erraverit: sicut in hoc ipso nostro opusculo futurum credimus, ut describentium incuria, quæ non incuriose à nobis sunt digesta, vitientur. Igitur Salomon cœptum templi opus vigesimo anno explicuit. Celebrato deinde ibidem sacrificio dictaque oratione, qua populum templumque benedixit, Dominus ad eum locutus est, denuntians fore, si quando peccassent ac Dominum reliquissent, templum illud solo æquandum. Quod jam pridem impletum videmus & mox (per) connexum rerum ordinem exponemus.

Drusius.

ANNO FERE OCTAVO ET OCTOGESIMO ET QUINGENTESIMO] Apud Josephum Rufini, *anno quingentesimo secundo.* Sed in exemplari Græco πεντακόσια καὶ ἐννενήκοντα καὶ δύο, *quingentesimo nonagesimo secundo.* CCCCXL.] 3. Reg. 6. 1. ἐν τῷ τεσσαρακοστῷ καὶ τετρακοσιοστῷ ἔτει τῆς ἐξόδου υἱῶν Ἰσραὴλ ἐξ Αἰγύπτου. Sic editio Romana: In Complutensi est ἐν τῷ ὀγδοηκοστῷ, id est octogesimo. Sic veritas Ebraica, Autor seder olam non dissentit. Salmanticensis Judæus: *Anno quarto regni sui cœpit Salomo exstruere templum, ann, mundi 3928. quo tempore finiunt anni 480. egressionis ex Ægypto. Nam anno 2448. egressi sunt.*

QUOD NEQUAQUAM CONVENIT] Imo convenit optimè. Nam anno altero Jephthe habitaverant Israelitæ in oppido Hesebon. ann. 300. Ab eo anno usque ad quartum Salomonis numerantur anni 140. His adde 40. annos, quibus vagati sunt per desertum, habes annos 480.

QUAM

Quam Ut Propheta Erraverit] Si prophetes errare non potest, possunt librarii, etiam in libris sacris. Quod miror quosdam tam pertinaciter negare. Nam in narratione Stephani Act. 7. quin aliquoties erraverint, ne Carneades quidem negaverit.

Explicuit] Absolvit, ut infra (lib. 2. cap. 13.) *nihil territus cæpta explicuit*. Sic explicare iter pro perficere: & *rem tibi explicatam reddo*, id est, perfectam.

Schotanus.

I. Reg. V. II. Chronic. II.

Queis Opibus Confisus] Cum Hiromus rex Tyri Salomoni successionem gratulatus esset. Salomon ad eum misit legatos & literas. Literarum istarum argumentum recitatur 1. Reg. 5. v. 3. 4. 5. 6. Et 2. Chronic. 2. v. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. In primo loco narrat Patrem voluisse Domino ædem struere, sed impeditum bellis, quibus tandem superior fuit, non potuisse. Dicit id regem Tyri scire. Josephus habet: ἴσθι *Scito*. Se otio frui: proinde in animo habere opus illud aggredi: quemadmodum & Dominus id ipsum in se (Davidis filium) rejecerat oraculo. Petere igitur, ut submittat subditos, qui ligna cedrina è Libano, cum suis subditis cæderent, cum Sidonii eo genere opificii præstabiles essent. Se mercedem præstiturum. Hunc locum expressit Josephus. In altero loco scribit: Petere se, ut operam junxerat patri suo, cui submiserat cedrina ad ædes suas, ita sibi adsit, cum paret Domino ædem condere, in qua coleretur moribus in Israel receptis. Eam ædem amplam fore pro magnitudine Dei sui. Illi ædem strui non posse, cui includatur, sed ut incensum illi adoleatur. Petere, ut sapientem sibi virum mittat, qui possit perite sculpere & operari in omni genere metalli: deinde in purpura, coccino, hyacinthino. Ut mittat ligna cedrorum, abietum, Algummim, è Libano, per suos lignatores: qui suis adsint in monte Libano. Se daturum ejus lignatoribus viginti millia cororum tritici tusi & vicies mille coros hordei: cum totidem millibus bathorum vini & totidem olei. Hiromi responsum gratulatur Salomoni, recipitque se missurum ista genera lignorum. Servos suos ea è Libano ad mare devecturos & ratibus per mare ad locum, quem velit, ut inde Hierosolymam transvehantur. Salomonem autem domui suæ, id est operariis, alimentum procuraturum. Ita in loco Regum (quem fere Josephus explicat) at in loco Chronicorum, Deo agit gratias (Deo Israel) quod Davidi filium egregium dederit & tantæ sapientiæ, qui domum strueret Domino & palatium regibus. Se mittere ipsi virum gnavum & industrium, Huram Abi (filium viri Tyrii, matre Israelitide) unicum artificem in auro, argento, ære, ferro, lapidibus, ligno: purpura, hyacinthino, syndone, coccino: sculpendi magistrum: quique polleat mente ad omnia genera formarum & operum, ut posset exprimere quod Davidis & Salomonis modulis contineretur. Salomon modo mitteret modum tritici, hordei, olei, vini: quem ipse promiserat. Suos materiam excisuros è Libano & ratibus devecturos Joppen.

1. Quomodo Hirami mater dicitur fuisse è filiabus Dan. 2. Paralip. 2. 14. cum 1. Reg. 7. 14. scribatur fuisse mulieris viduæ filius è tribu Nephthali? Hieronymus ita conciliat, quod de tribu Nephthalim pater ejus fuerit: quo mortuo uxor ejus, quæ (1. Reg. 7. 19.) mulier vidua appellatur, eundem Hiram Tyrum misisse discendi gratia & eo quod artem didicerat Tyri, pa-

trem Tyrium appellari. Hac est apud eum Hebræa traditio. Nempe patrem fuisse Hebræum de tribu Nephthali, matrem de tribu Dan, de genere Salomith sororis Oholiab. Abulensis ait Hiram à patre Tyrium, ratione matris ad duas tribus potuisse pertinere. Patrem nempe matris è tribu Dan, matrem è Nephthalim fuisse. Lyranus & Cajetanus putant matrem fuisse è tribu Dan, patrem oriundum de tribu Nephthali sed natum vel educatum Tyri: quibus consentit Fr. Junius & Torniellus. Et hæc est Judæorum magistrorum sententia. At Salianus & Emmanuel Sa putant matrem Nephthalitin fuisse ex oppido Dan, patrem Tyrium. Ego puto, quod mater è tribu Naphthali fuerit habitatione, origine Danitis, pater Tyrius ut appellatur, imo describitur à rege Tyri. Tribus Nephthali approximabat Tyro. In secundo Chronicorum 2. 13. dicitur לחורם אבי. Hæc verba pertinent vel ad virum istum, vel ad patrem regis Tyrii. Judæi & Franciscus Iunius accipiunt ita ut ad patrem regis pertineant, eo sensu quod hic artifex fuerit in ministerio patris regis. Plerique interpretes referunt ut sit nomen ipsius artificis: sed Vulgatus & interpretes Lxx. in hac mente reddunt אבי appellative: unde disputatur quæ sit ratio, quod pater regis appelletur: Belgæ cum Piscatore acceperunt pro cognomento: quod optimum. Ratio prima Piscatoris, quod inconveniens sit virum hunc à genere & origine tam accurate describi, nec tamen nomen ejus annotari. Secunda è 2. Chron. 4. 16. ubi appellatur Huram אביו. Quo loci Fr. Junius reddidit pater ejus existimatque hujus patrem eodem nomine illa fecisse. At incommodè & torte pronomen id eò referretur & constat patrem mortuum fuisse, cum Hiram rex Tyri hunc artificem mitteret. Tertiam rationem addimus, regis Hirami patrem habuisse nomen Abibali, non Hirami. Quartam: Constare, quod hic Hiram multis annis regnum tenuerit, nec videri hunc artificem tam grandi fuisse ætate, ut superiori regi artis suæ operibus servire potuerit. Levicula etiam quæstio est, quomodo dicatur fuisse faber ærarius 1. Reg. 7. 14. cum 2. Chronic. 2. 14. in omni materia artifex fuisse describatur? Optimè illud faber ærarius refertur à Fr. Junio ad patrem hujus artificis. Nempe ærarius faber, filium in isto artificio educaverat.

2. Mensuram illam modumque frumenti, olei, vini, Josephus, quotannis missam esse dicit regi Tyrio. *ὁ δὲ βασιλεὺς* (inquit) *ἀμείβεται χορηγῶν σῖτον ἐνδεχόμενος καὶ οἶνον.*

3. Ratibus ligna transvehebantur per mare Joppen. רפסודות in Chronicis, in libro primo regum דוברות. Josephus & Lxx. *σχεδίας* vertunt. Judæi consentiunt. Rasi in lingua Aschenez vocari ולוצין / *Vlossen.* Kimchi exponit trabes capitibus suis colligatas, quas in fluminibus & mari devehunt. דוברות à דבר significatione ducendi, ut utitur ea voce Thargum. In lingua Misnæ vocari אסדא / in Thalmud אסדא & אכסדא. Est Græcum *σχεδία.* Lyranus existimat naves hoc loco significari, quia ejusmodi ratibus temerè junctarum trabium mare navigari non possit. At littoris oram legere potuerunt observata cæli tranquillitate: vox רפסודות non aliud significare posse videtur. Puto enim Græcam esse origine, usitatam tempore illo, quo secundus liber Chronicorum conscriptus est, cum eo, quo scriptus est liber primus regum, nondum in usu esset.

4. Josephus istas regum *ἀμοιβαίας* literas scribit conservari & superesse non solum in libris Judæorum sed & archivis Tyriorum. Posse adiri præpositos archivis Tyriis (*τῶν ἐπὶ τοῖς Τυρίων γραμματοφυλακίων δημοσίων*) ut veritas noscatur. Operariorum parantium & advehentium materiam ingentem multitudinem habuit. Ex Israël delectorum triginta millia: quorum decem millia quovis mense in Libano cædebant, duobus mensibus domi quiescebant. Ita

operæ

operæ tribus mensibus redibant in orbem. Hujus delectus (φόρα) præfectus erat Adoniram. Præter hos in opere erant centum illa & quinquaginta-tria millia inquilinorum, quos David destinaverat. Lxx. millia convectorum, Lxxx. millia cædentium lapides in montibus (Jos. τ̃ λατομούντων) Operis istius præfecti (ἐργοδιῶκται) fuere ter mille & trecenti ut (1. Reg. 5. 16.) aut sexcenti (2. Chron. 2. 17. 18.) Lyranus trecentos & sexcentos ita conciliat: *Dicendum quod hic (1. Reg. 5. 16.) enumerantur præpositi, qui erant super operarios immediatè videndo, qualiter operabantur: & illi fuerunt tria milia trecenti. Trecenti autem, qui excedunt hunc numerum, non erant immediatè super operarios: sed reddebatur eis ratio ab eis, qui immediate præerant: & exprimuntur in 2. Paral. quia quod omittitur in uno loco, in alio exprimitur.* Lxx. utroque loco habent sexcentos, Josephus trecentos tantum novit. Rasi: *In Chronicis dicit:* Et sexcenti: *Dico ego, Tria millia & trecenti fuerunt præfecti super centum & quinquaginta millia, quia quilibet præfectus super quadraginta quinque & ultra. Et illi trecenti additi in Chronicis fuerunt præfecti super omnes, quia quilibet præfectus super quingentos & ultra. Et scias quod amplius sunt duæ scripturæ in hoc negotio ἐναντιοφανεῖς* (מכחישין זה את זה) *Q. D. in libro hoc* (1. Reg. 9. 23.) Et hi præfecti quingenti & quinquaginta. *Et in Chronicis dicit:* (2. Chron 8. 10.) Ducenti & quinquaginta. *Ecce quatuor scripturæ, ἐναντιοφανεῖς. Sed exponendum, quod scripturæ posteriores præfectos super omnes istos referant. Et Salomoni fuerunt isti inquilini ut portarent onera & exciderent in montanis: erant ipsi reliqui facientes opus in civitates thesaurorum, qui erant indigenæ quoniam hæ scripturæ dictæ illic & in libro regum, numerant* (נציבים) *inquilinos duobus numeris. Principes super quadraginta & quinque solos & trecentos honoratos conjungit cum ducentis & quinquaginta, qui fuerunt præfecti super struentes civitates thesaurorum & numerat quingentos & quinquaginta principes. At in Chronicis numerat omnes præfectos* (נציבים) *inquilinorum per se, magnos cum parvis ter mille & sexcentos: & omnes inquilini: at* (נציבים) *urbium Thesaurorum, qui fuerunt Israel ducenti & quinquaginta: numerat per se.*

1. Reg. v. v. ult. Et præcipiebat rex & attulerunt lapides magnos, lapides (יקרות) (Rasi כבדות *graves*) ad fundandam domum אבני גזית (Rasi sculptos & aptatos) Kimchi: *Præcepit cædentibus in monte ut cæderent & adducerent è monte lapides magnos in fundamentum domus: & hi sunt de quibus dicit, lapides decem cubitorum & lapides octo cubitorum: at reliquis ædificiis cædebant lapides parvos & illi vocantur lapides* (גזית) *Et sic dicit in propinquo supra lapides* (יקרות) *graves in mensuris* גזית. *Et erit* אבני גזית *in defectu Vau ministerialis.* Ergo lapides gazith sunt, qui minoris mensuræ & communis. Aptabant sculpendo ædificatores Salomonis & Hirami & Giblii. והגבלים Rasi: *Populus, cujus nomen Gebal & periti præparare lapides & ædificare.* S. D. (Ezech. 27. 9.) Seniores Gebal & sapientes ejus fuerunt in te ut firmarent tuam fracturam. Sic & Ralbag. Kimchi exponit generaliter de peritis artificibus ædificiorum, à גבול; quia novissent ad mensuram cædere & polire lapides ædificationi, alios autem de populo illo exponere. Sic Chaldæus vertit ארגבליא. Populus ille juxta montem Libanum colebat Josue XIII. 5. In Psalmo 83. 7. junguntur cum Ammon & Amalec. Nam referuntur populi, qui terram Israel circumsidebant à septentrione initio sumpto, & circumeundo ad ortum & meridiem. Vulgatus interpres reddidit Byblios: quod viri docti admittunt, quia oppidum illis locis Byblos fuit. Ego tamen nullam video rationem, cur Gabal in Byblum convertere voluerint. Lxx. eos omiserunt, adjecerunt autem textus veritati in fine cap. 5. primi regum: Καὶ ἡτοίμασαν τὰς λίθους καὶ τὰ ξύλα τρία ἔτη. Multa habent translata ex aliis locis in caput quartum, plura in caput tertium. Videtur Sulpicius,

ex-

expressisse ista ultima insititia, cum scribis: *Paratis per triennium impendiis.* In sextum caput transtulerunt v. 17. & 18. capitis V., ubi tamen omiserunt Gabalæos, sed pro בתי legerunt בני/ υἱοὶ pro οἰκοδόμοι. Mira illa est metamorphosis. אבני גזית verterunt λίθους ἀπελεκήτους.

A Profectione Hebræorum Ex Ægypto] In libro tertio regum scribi CCCCXL. annos notat. Sane ita habuit germana illorum interpretum Græcorum versio. Ideò Georgius Syncellus dixit Lxx. & Hebraicum dissentire at Eusebium dicere, quod Hebræorum magistri doceant illos 480. annos exactè colligi, μόνης τῆς ἐξ Ἰσραὴλ κριτῶν χρονογραφίας ἀριθμουμένης καὶ μὴ λογιζομένης ἰδίως τῆς τῶν Ἀλλοφύλων, ἀλλὰ τοῖς (leg. τῷ) τῶν κριτῶν συνυπονοουμένης. Non consonare id sacro libro Judicum, & sanctum Apostolum edere 450. annos (Act. 13. 20.) quibus judices ad Samuelem usque judicaverint. Eusebium dicere, Apostolum οὐκ ἀκριβολογούμενον εἰπεῖν ἀλλὰ ἐκδοχῇ κοινοτέρᾳ. Si illi anni juxta Apostolum 450. sumantur & quadraginta sub Mose & Jesu 27. & post Jesum 18. seniorum, tum viginti Eli, Saul 40, Salomonis 4. Ita colligi annos 559. Secundum Eusebium & Africanum 640. Nisi Apostolum dicamus ἐκδοχῇ κοινοτέρᾳ editione communiori & ex concessione seu recitatione opinionis vulgatæ, locutum esse, comminisci oportet ex ingenio, quæ non possunt accipi ab illo, cujus pectus aceto imbutum est. Josephus numerat annos quingentos, nonaginta & duos. Lubet subjicere ejus calculum per partes: Moses ann. 40. Josue 25. Seniores & ἀναρχία 18. Cusan Risathaim 8. Othoniel 40. Eglon 18. Ebud 80. Samgar. 1. Jabin Cananæus 20. Debora & Barac. 40. Madianitæ 7. Gedeon 40. Abimelech 3. Jair 22. Ammonitæ 18. Si addas Thole ann. ab ipso omissos, efficientur in summam anni 403. Hinc anni Jephthe 6, Ebsan 7, Elon 10, Abdon 8, Samsonis 20, Eli 40, Samuelis solius 12, Saul 20, Davidis 40, & quatuor Salomonis, colliguntur anni 168, Hi superioribus 403. additi efficiunt 571, sed & menses Davidis videtur conjungere. Tum addendi etiam sunt 20. anni Palæstinorum, qui quadraginta annis dominati sunt (Judic. 13. 1.) at Samson illis dominantibus annis viginti (Judic. 15. 20.) Unde apparet quam certa sit illa scriptura in Josepho in hoc loco, & emendanda esse alia loca, quæ hinc abeunt, tanquam in mendo cubantia. Centum & duodecim annis excedit Hebraicam veritatem. Nos in libro Judicum videmus per tempora pacis & servitutis (ut scriptura docet numerandum esse) colligi, ab initio Casan Risathaim ad finem Jair annos trecentos & unum. His adde annos

Ammonitarum	18
Jepthe	6
Ebsan	7
Elon	10
Abdon	8
Palæstinorum	40
Davidis	40
Salomonis	4
Subjugationis terræ	7
Mosis	40
Colliguntur anni	170

Quid igitur faciemus annis Josue & seniorum, quid Eli & Saul? Sic est: non Constat nobis, ubi incipiantur aut finiantur quadraginta anni Palæstinorum quos puto totum Eli judicatum complecti, finitos esse principio Samuelis.

Am-

Ammonitarum etiam dominationem includi annis Jair. Fieri poteſt quod Jair & Jephthe ſimul judicaverint. Nam duos ſimul judices aliquando fuiſſe in hiſtoria Judicum docuimus.

Principium Samuelis & arcæ ſubvectio à Davide viginti annis diſtant, ut dictum in hiſtoria Samuelis. Hoc principio poſito, initium Samuelis præceſſit templi conditum annis ſexaginta tribus. Ita Samuelis initium ab exodo annis 417: à Moſis obitu 377. poſt initium principatus Jephthe ſeu dominationis Ammonitarum 77. Si Samuelis principatus quadraginta annos Dominationis Palæſtinorum finiit, illi premere Iſraelitas cœperunt anno poſt exodum 377.

Templi fundamenta poſita ſunt, anno quarto regni Salomonis ſecundo menſe (die menſis ſecundo) quem ea tempeſtate vocabant Ziu: abſolutum eſt anno undecimo menſe cui nomen Bul. Ita ſeptem annis cum dimidio ædificatio abſoluta eſt. Columnas, lacum, vaſa & ornamenta poſteà Hiromus ille Tyrius conflavit. Joſephus rectè facit illos fuiſſe menſes lunares dicendo qui jam iſtis temporibus uſum ſolarium ſuſtulerant. Ideo menſem illum ſecundum Jar Hebræis appellari, Macedonibus Artemiſium. Inde dicit menſe Thiſri, qui ſeptimus eſt & Macedonibus Hyperberetæus dictus; feſtum actum eſſe encæniorum. Cæterum annum conditi mundi dicit eſſe milleſimum & vigeſimum ab adventu Abrahami in Cananæam; à diluvio milleſimum, quadringenteſimum & quadrageſimum; à condito mundo ter milleſimum centeſimum & ſecundum. Sine dubio reſcribendum μετὰ ἢ χίλια καὶ εἴκοσι καὶ δύο ἔτη Αβραάμου &c. Illud καὶ δύο repetendum fuerat. Deinde in annis à diluvio χίλια καὶ τριακόσια καὶ τεσσαρακαίδεκα: ut ſcriptum ſit τετρακόσια pro τριακόσια & τεσσαράκοντα pro τεσσαρεσκαίδεκα. In annis ab Adam τρισχίλια καὶ ἑβδομήκοντα: quæ poſtrema dictio transformata eſt in ἑκατὸν καὶ δύο. Vides prono lapſu ea mutata eſſe à librariis. Non enim per notas ſed plenis vocibus numeros veteres ſolebant ſcribere: ut vel hoc ipſum, quod in manibus eſt, ὀφθαλμοφανῶς docet. Audiamus Joſephum Scaligerum, magiſtrum temporum de conditu & encœniis templi, de emendatione lib. 5. lemmatis propriis. Primo: *Annus primus templi Salomonici eſt 480. iniens Exodi Hebræorum: priore Regum cap. VI. 1. Erat annus mundi 2932. quinquageſimus ſecundus viceſimi quinti Heled: ſive ſeculi Hebraici. Epagomenon Neomenia in IX. Octobris: neomenia Æthanim XIV. Octobris: Neomenia Ziu XI. Maij, ut anno ante Exodum. 480. enim anni ſunt quatuor ſecula Hebraica abſoluta. Ita eadem neomenia anni dierum erant tempore conditus templi, quæ fuerant anno Mundi 2452. qui anteceſſit annum Exodi. Zygonos Character 3. 0. 3. in quarta Octobris. Neomenia Tauronos XXX. Aprilis Erat annus 3696. periodi Iulianæ, Iudaicus 2763. Cujus Sivan 4. 0, 790. Maij. XXIV. Ita cum capite VI. prioris Regum dicatur templi fundamenta jacta menſe Ziu, hoc tempus incidit in menſem Majum. Sed Chronicorum poſteriore cap. 3. 1. notatur ſecunda Ziu, qua jaci cœpta fundamenta, quod tempus convenit diei duodecimo Maij feria ſexta. Animadvertendum vero, annos 2453. præciſe eſſe à conditu mundi, ad Exodum, ſi à verè initia rerum repetamus. A verno enim æquinoctio anni 764. periodi Iulianæ, ad vernum æquinoctium anni 3217. ejuſdem ſunt anni præciſe 2453. Sed ſi ab autumno anni 764. ordiamur annos mundi, erunt tantum anni 2452. & menſes ſex. Id notamus, ne quis errorem putet. Nam aliter fieri non poteſt. Cum igitur annus, quo templum inchoatum, ſit quadringenteſimus octogeſimus ab Exodo, manifeſte is erat annus periodi 3696, ut à nobis demonſtratum eſt: & propterea erat mundi annus 2932. ab autumno. Itaque ab initio rerum, ad initium templi, ſunt anni abſoluti 2931. & menſes ſeptem præciſi. In his igitur prudenter agendum & conſiderandum, utrum ab Exodo, hoc eſt à vere, annus incipiat, an ab autumno (antecedenti)*

Igitur fundamenta templi jacta, anno periodi Julianæ 3696. Maij. XII. feria sexta: Thoth die VIII. anno mundi 2932, Tauronos XIII. Ziu mensis dierum secunda: anno Judaico 2743; Iar 26, cujus character 2. 11.1077. Rursus animadvertendum, in referendis neomeniis, translationum Iudaicarum rationem nos non habere, sed tantum medii motus lunaris politici, hoc est, anni ordinarii Iudaici. Lemmate secundo, *Constructioni templi anni septem dati solidi, cum mensibus sex. 1. Regum cap. VI. 37.38. Ergo absolutum templum in autumno anni periodi Julianæ 3703. qui erat mundi 2940, & cujus jam unus mensis elapsus erat. Neomenia Zygonos, 5 22. 42. Octobris III. Erat annus sexagesimus vicesimi quinti Heled Hebraici. Neomenia Æthanim XII. Octobris, Neomenia Bul XI. Novembris. Annus Iudaicus 2751. Igitur anni sabbatici mense secundo encænia templi celebrata: si quidem primus mensis anni sabbatici incidit in initium autumni. Bul igitur est octavus mensis anni Paschalis, secundus autem anni sabbatici.* Maximus Scaliger confundit encænia cum consummatione templi: quæ scriptura accurate distinguit. Nam mense septimo Encœnia celebrata sunt, mense octavo templum absolutum est. Encœniorum celebratio describitur 1. Reg. VIII. toto: 2. Chronic. v. & vi. totis & vii. ad v. 11. Salomon coëgit omnes seniores, omnes phylarchas & patriarchas Hierosolymam, ut arca inferretur è monte Sion in templum. 1. Reg. 8.3. & 2. Chron. 5.4. Dicuntur seniores venisse: non venerunt hi soli, sed cum illis reliqui proceres. In primo loco Levitæ arcam dicuntur sustulisse, in altero sacerdotes. Intellige ita: Sacerdotes humeris Levitarum imposuerunt arcam. Non tantum arca sed & tabernaculum cum omnibus vasis quæ in tabernaculo erant, translata sunt. Anne tabernaculum Mosis è Gabaone translatum? Omnino: nam id tabernaculum erat, cum tentorium à Davide factum tantum arcam caperet. Ante arcam incedebat rex Salomon cum tota congregatione Israel: immolabant innumerabilem multitudinem ovium & boum. Universi sacerdotes se sanctificaverant, omnes ephemeriæ simul: ita & aderant omnes cantores ordinum trium Heman Asaph & Idithun. Hi cantores induti sindone cum cymbalis, nabliis, cinyris. Cum sacerdotes intulissent arcam in adyta & omnes cantores instrumentis musicis canebant & sacerdotes centum viginti cum buccinis simul clangebant. Ingens vox edita est, qua Benignitatem Dei in æternum durare ferebant. Simul nubes implevit domum. Tum Salomon lætus gloriam Dei insedisse domum, nobili oratione domum dedicat. Qua finita ignis cælitus demissus holocautomata & victimas absumit: tantaque nubes & gloria occupat, ut sacerdotes penè à ministerio præpedirentur. Ignis ad allapsum prostratis corporibus populus Dei benignitatem celebrat. Sacerdotes suis ordinibus & locis stabant: Levitæ canunt, sacerdotes clangunt. Holocautomatum & pacificorum immolationi ara ænea holocautomatum capiendæ non erat: ideò Salomon medium atrium sanctificaverat, ut per totum immolatio fieret. Victimæ boum viginti duo millia, ovium centum & viginti millia mactata sunt. Ita dedicatum est altare. Quatuordecim diebus celebrarunt, primis septem diebus dedicatio aræ (simul domus Dei) sequentibus festum (scenopegiæ) Octavus dies jejunii fuit. Dimissus est populus Ethanim mensis die vigesimo tertio. Scenopogiæ festum igitur incidit in diem decimum quintum: ille dies in Thisri est primus Scenopegiæ adeoque Thisri est Ethanim, Macedonum Hyperberetæus; Bul erit Marchesuan, Ziu erit Jar. Nec nisi menses lunares ævum Salomonis agnovit. Fugit igitur Scaligerum ratio quia amabat annum suum Abrahameum. Die octavo mensis septimi encæniorum celebratio cœpta est. Die igitur octavo mensis Ethanim arca illata est in templum. Secundum Sethum Calvisium, in calendario Juliano fuit dies septembris

bris vigesimus. Festum Scenopegiæ fuit 27. Septembris, populus dimissus est post diem octavum scenopegiæ id est, 23. mensis Ethanim, id est quinto octobris. Cum Deus jusserit ut decimo die ejus mensis festum expiationis esset, eum diem præcepit Salomon illatione arcæ in templum. Vide Levitic, XXIII. 27. 32. 34. 35. 36. Sic etiam Jar secundus dies est, quo fundamenta templi jacta sunt. Menses igitur Lunares in usu erant quotidiano Salomonis tempore, sed aliis nominibus: quia nomina hodierna è Babylone & Chaldæa assumpta sunt. Populus ingens Hierosolyma confluxerat ab ingressu Hamath usque ad fluvium Ægypti. Ante aram Domini solium ex ære, in medio atrio, stabat, longum quinque cubitos, latum totidem, altum tres. In eo ipse rex conspicuus, in genua procubuerat, manibus passis ad cælum, cum oraret. Antequam oraret, intellecto Dei gloriam domum suam implevisse benedixit populo & laudes ac grates Deo pronuntiavit: quæ habentur 2. Chronic. 6. v. 4---11. Hinc preces incepit, quibus fusis ignis delapsus est, ut diximus. Josephus post fuse explicatam templi ejusque vasorum fabricam, narrat ducibus senioribusque injunctum esse, ut populum cogerent: & vix effici potuisse, ut mense septimo convenirent. In idem tempus incidisse scenopegiæ festum. Imò prævenire voluit, ut illud festum commode agi posset & populum non oneraret nova coitione. Tabernaculum Mosis cum arca & vasis in templum illata esse. Deinde regem & populum & Levitas cum victimis, libamentis & incensis præcessisse. Lego enim προῆγεν pro προσῆγεν. Universum aerem circum-vicinum odorum suavitate perfusum fuisse. Ita & procul existentibus significasse *ἐπιδημίαν θεοῦ καὶ κατοικισμὸν, κατ' ἀνθρωπίνην δόξαν, εἰς νεοδόμητον αὐτοῖς καὶ καθιερωμένον χωρίον. adventum Dei & inhabitationem, juxta humanam opinionem* (seu gloriam) *in recens structum ab ipsis & consecratum locum.* Inter viam etiam saltitasse & hymnos cecinisse. Collocata arca per sacerdotes in adyto, in æde ante adytum candelabro & mensa & ara aurea; antę ædem ara ænea. Omnibus dispositis globu nubis, *οὐ σκληρὸν, οὐδὲ οἷον ὥρᾳ χειμῶνος ὑετοῦ γέμον ἵσταται· κεχυμένον δὲ καὶ κεκραμένον εἰς τὸν ναὸν εἰσρρύη.* Oculis sacerdotum offudisse caliginem, ut se invicem non possent cernere, mentibus autem omnium, speciem & cogitationem, tanquam Dei, qui descenderat in templum & libenter jam inhabitaret. Regem autem primo Deum affatum esse, cui universi habitatori, templum hoc condidissent in usum sacrificiorum ac precum. Hinc orationem ad populum convertisse docentem de Dei promisso ad patrem de se, condituro templum & habituro felicitatem. Nunc parte impleta eventis, Deo agendas esse gratias & cætera in fide exspectanda. Inde narrat longam orationem quam conversus ad templum & Dominum habuit. Post eam orationem humi stratum oravisse scribit Josephus: atqui preces erant illa verba quæ expressa sunt. Post has preces demissus est ignis. Hinc dicta ad populum benedictio (ut videtur) quam legimus 1. Reg. 8. v. 56---61. quæ componenda cum 2. Chronic. 7. 1 2. 3. Hæc etiam Josephus expressit. Scribit in templo epulatos esse sacrificio peracto Hebræos cum uxoribus & liberis. Errat quod eo festo encæniorum peracto, bis septem diebus Scenopegiam celebratam esse dicat: lapsus est inadvertentia. Hinc salutato rege Deoque orato ut eum regem diuturnum esse vellet, cum gaudio & tripudiis domum suam omnes rediisse.

De regia & throno Salomonis.

Regiæ ædificandæ, quæ digna esset tam opulento & florenti regno, tredecim annos impendisse traditur. Non quod magnificentius & sumptuo-

sius structum palatium fuerit, quia multum cedebat; sed quod tanta cura non incumberetur operi; nec præparata essent omnia in eum modum: nec ita adspiraret Deus. Has rationes reddit Josephus, qui accurate id palatium descripsit. His rationibus, aliam addit Lyranus, quod homines tam devoti non fuerint in regia ædificanda, quam templo Dei. Josephi autem descriptionem cum Scriptura componimus. Verba Josephi habent: τὴν δὲ ὅλην αὐλῶν διάταξιν καὶ τὴν διάθεσιν εἰπεῖν ἀναγκαῖον ἵν' οὕτως ἐκ τούτου στοχάζεσθαι καὶ συνορᾶν ἔχωσι τὸ μέγεθος οἱ τῇ γραφῇ μέλλοντες ἐντυγχάνειν. Οἶκος ἦν μέγας καὶ καλὸς, πολλοῖς στύλοις ἐρηρεισμένος, ὃν εἰς τὰς κρίσεις καὶ τὴν τῶν πραγμάτων διάγνωσιν πλῆθος ὑποδέξασθαι καὶ χωρῆσαι σύνοδον ἀνθρώπων ἐπὶ δίκας συνεληλυθότων κατεσκεύασεν. ἑκατὸν μὲν πηχῶν τὸ μῆκος, εὖρος δὲ, πεντήκοντα, τὸ δ' ὕψος τριάκοντα. κίοσι μὲν τετραγώνοις ἀνειλημμένον ἑκκαίδεκα πᾶσιν, ἐστεγασμένον δὲ κορινθίως. ἰσομέτροις δὲ φλιαῖς, καὶ θυρώμασι τριγλύφοις, ἀσφαλῆ τε, ὁμοῦ καὶ κεκαλλωπισμένον. ἕτερος δὲ οἶκος ἦν ἐν μέσῳ κατὰ τοῦ ὅλου τοῦ πλάτους πεπηγμένος, τετράγωνος, εὖρος πηχῶν τριάκοντα. ἀντικρὺς ἔχων ναὸν παχέσι στύλοις ἀνατεταμένον. ἦν δ' ἐν αὐτῷ ἐξέδρα διαπρεπὴς, ἐν ᾗ καθεζόμενος ὁ βασιλεὺς ἔκρινεν. ᾧ παρέζευκτο κατεσκευασμένος ἄλλος οἶκος τῇ βασιλίσσῃ, καὶ τὰ λοιπὰ τὰ πρὸς τὴν δίαιταν, καὶ τὰς ἀναπαύσεις οἰκήματα, μετὰ τὴν τῶν πραγμάτων ἀπόλαυσιν, ἐστρωμμένα πάντα σανίσι τετμημέναις ἐκ κέδρου. καὶ τὰ μὲν, ᾠκοδόμηντο λίθοις δεκαπήχεσιν, ἕτερα δὲ πρίστῳ τοὺς τοίχους καὶ πολυτελεῖ κατημφιεσμένα εἰς κόσμον ἱερῶν καὶ βασιλείων οἴκων θεωρίᾳ ἣ μεταλλεύεται τοῖς φέρουσιν αὐτὸν τόποις ἐπαινουμένη. καὶ τὸ μὲν ἀπ' αὐτοῦ κάλλος ἐπὶ τριστοιχίαν ἦν ἐνυφασμένον, τῇ δὲ μοίρᾳ γλυφίων παρεῖχε θαυμάζειν ἐπιστήμην. ὑφ' ὧν πεποίητο δένδρα καὶ φυτὰ παντοῖα σύσκια τοῖς κλάδοις καὶ τοῖς ἐκκρεμαμένοις αὐτῶν πετάλοις, ὡς ὑπονοεῖν αὐτὰ καὶ σαλεύεσθαι δι' ὑπερβολὴν λεπτότητος καλύπτοντα τὸν ὑπ' αὐτοῖς λίθον. Τὸ δὲ ἄλλο μέχρι τῆς στέγης χριστὸν ἦν καταπεποικιλμένον χρώμασι καὶ γραφαῖς. προσκατεσκεύασε δὲ πρὸς τούτοις ἄλλα τε πρὸς τρυφὴν οἰκήματα, καὶ δὴ καὶ στοὰς μηκίστας, καὶ ἐν κάλλει τῶν βασιλείων κειμένας, ἐν αἷς λαμπρότατον οἶκον εἰς ἑστιάσεις, καὶ συμπόσια χρυσοῦ περίπλεων. Καὶ τὰ ἄλλα δὲ ὅσα τοῦτον ἔχειν ἔδει πρὸς τὴν τῶν ἑστιωμένων ὑπηρεσίαν, σκεύη πάντ' ἐκ χρυσοῦ κατεσκεύαστο. δύσκολον δ' ἐστὶν καταριθμήσασθαι τὸ μέγεθος καὶ τὴν ποικιλίαν τῶν βασιλείων, ὅσα μὲν ἦν αὐτοῖς τὰ μέγιστα οἰκήματα, πόσα δὲ τὰ τούτων ὑποδεέστερα, καὶ πόσα ὑπόγαια καὶ ἀφανῆ, τό τε τῶν ἀνειμένων εἰς ἀέρα κάλλος, καὶ τὰ ἄλση πρὸς θεωρίαν ἐπιτερπεστάτην, καὶ θέρους ὑποφυγὴν καὶ σκέπην εἶναι τοῖς σώμασιν. ἐν κεφαλαίῳ δ' εἰπεῖν τὴν ὅλην οἰκοδομίαν ἐκ λίθου λευκοῦ, καὶ κέδρου, καὶ χρυσοῦ καὶ ἀργύρου πᾶσαν ἐποιήσατο. τοὺς ὀρόφους καὶ τοὺς τοίχους τοῖς ἐγκλειομένοις χρυσῷ λίθοις διανθίσας τὸν αὐτὸν τρόπον ὡς καὶ τὸν τοῦ θεοῦ ναὸν τούτοις κατηγλάϊσεν. εἰργάσατο δὲ καὶ ἐξ ἐλέφαντος θρόνον παμμεγέθη, σκαπτὸν, ἐν κατασκευῇ βήματος, ἔχοντα μὲν, ἓξ ἀναβαθμοὺς, ἑκάστῳ δὲ τούτων ἐξ ἑκατέρου μέρους δύο λέοντες ἐφειστήκεσαν, τοσούτων ἄνωθεν ἄλλων καθεστώτων. τὸ δ' ἐνήλατον τοῦ θρόνου, χεῖρες ἦσαν δεχόμεναι τὸν βασιλέα. ἀνεκέκλιτο δ' εἰς μόσχου προτομὴν τὸ κατ' ὄπιν αὐτοῦ βλέποντος, χρυσῷ δὲ ἅπας δεδεμένος. Id est, interprete Gelenio: *Operæ pretium autem fuerit totum ejus ordinem ac dispositionem indicasse, ut ex ejus descriptione totam amplitudinem lector colligere ac considerare possit. Basilica erat magna & pulchra, multis columnis suffulta, quam ad causas forenses agitandas, & lites decernendas condidit, capacem multitudinis, quæ eò jus peteret, longam cubitos centum, latam quinquaginta, altam triginta. Hanc sexdecim columnæ quadrangulæ sustinebant, tectam opere Corinthiaco, additis parilibus postibus cum valvis cælatis ad ornamentum loci simul & munimentum. In ejus medio fuit ædes alia, quadrata, lata triginta cubitos, columnis validis suffulta: & in ea tribunal magnificum, ubi Rex jura solebat reddere. Huic ædificio conjuncta erat domus in usum reginæ facta, & aliæ aulæ quo se negotiis peractis animi causa conferebant, omnes cedrinis tabulis constratæ: partim saxo quadrato decemcubitali constructæ partim ita ut solent regiæ vel templa, incrustata pretioso*

tioso marmore, quod è locis eo nomine celebribus apportatur. Et tribus quidem ordinibus aulæis babylonicis prætexebantur: quartus verò sculptorum admirabile artificium ostentabat, in quo effictæ erant variæ arborum ac plantarum species, frondibus & foliis tanta subtilitate expressis, ut agitari quodammodo viderentur. Reliquum verò quod supererat usque ad lacunar, opere albario tectum, & discoloribus picturis erat variegatum. Præter hæc erant & alia cubicula ad voluptatem facta, & porticus ad ornatum regiæ longissima, in quibus splendidissima triclinia referta auro, ut quæ aurea supellectili ad omne regii convivii ministerium erant instructissima. Difficile est enumerare amplitudinem ac varietatem aularum, tam majorum, quam mediocrium, tum quæ sub terrâ latebant, quæve in aërem elegantissimè attollebantur. In summa totum ædificium è marmore candido & cedro, & auro atque argento constabat: dispositis per parietes & laquearia variis lapillis auro inclusis, quemadmodum & in ornatu templi factum fuerat. Quin & ex ebore factum erat prægrande solium cælatum, specie tribunalis, quod sex gradibus ascendebatur, in quorum singulis extremitatibus leonum effigies erant impositæ, totidem aliis supernè imminentibus: quà verò parte rex insidebat, manuum effigies eum excipiebant: & quà reclinabatur, dimidiatus erat juvencus tergum suum respiciens: totumque tribunal auro coagmentatum erat.

Tres domos seu ædificia palatium illud complexum fuit. Primum dictum est domus saltus Libani, alterum domus regis, tertium domus reginæ, filiæ Pharaonis. Domus saltus Libani, ita dicta, quia in saltu arborum denso sita esset, aut (ut alii) à cedrini ligni è Libano copia, (Thargum vocat. בית מקירת מלכיא) longa erat centum cubitos, lata quinquaginta, alta triginta. על ארבעה טורי עמודי ארזים / Et ædificavit eam *super quatuor ordinibus columnarum è cedro:* & cedrinæ trabes super columnis. Rasi: הכרותות ארזים] *Tigna cedrorum: in longitudinem domus fuit ordo columnarum in solo* (pavimento) *& trabes à columna in columnam: Et ordo secundus è regione* (ממול) *atrii interioris* (חצר הפנים) *quod est atrium sacerdotum & atrium Israelis, Et hoc fuit ante porticum & vocabatur interius, quia fuit intus ab atrio mulierum. In scriptura non invenimus scriptum atrium mulierum sed in Misna.* Kimchi: Domus Sylvæ Libanon] *Ionathan reddidit, domus refrigerationis regum. Videtur quod consuetudo regum fuerit in illo tempore ædificare domum in Sylva, quæ erat nota in terra Israel & vocabatur Libanus. Et ædificavit domum hanc è lignis parietes suos & tabulata sua* (כותליו וקירויו) *Et ædificavit eam super quatuor ordines columnarum cedrinarum, super quatuor angulis domus & è columna ad columnam* כרותות *id est magna tigna, quæ vocantur* מרישים *in verbis magistrorum f. m. Ionathan reddidit* קרנתחן Ralbach: *Ecce videtur ex eo, quod memorat postea, quod hoc ædificium ædificaverit Salomo per se* (לעצמו) *Et ecce erat hoc ædificium ad refrigerium in diebus æstivis: Et ideo videtur quod fecerit multas januas. Et puto, quod sylva Libanon fuerit prope domum sanctuarii: & ob id domus sanctuarii vocatur Libanus. Et memoratur, quod jam ædificaverit hanc domum super quatuor ordinibus columnarum cedrinarum. Et puto quod columnæ cedrinæ fuerint omnes in latitudinem domus & illis divisa fuerit longitudo in tres divisiones: binæ columnæ in omni ordine.*

1. Reg. 7.3. (qui est versus sequens.) Et tectum erat cedro, desuper super costis, quæ supra columnas quadraginta quinque: quindecim ordo erat.

Rasi: וספן בארז] *Contignationes* (tabulata) *cænaculi desuper.* על הצלעות] *Sepimenta superiora, quæ super* (הכרותות) *trabibus: quatuor sepimenta in longitudinem domus, omnes januæ & fenestræ: quia domus æstiva erat facta ad aërem: & supra illa sepimenta tabulata tecti, quadraginta quinque asseres: Fuit tectum trium ordinum asserum super quatuor ordines columnarum: quindecim asseres ordo.* Kimchi: על הצלעות] *Illæ sunt trabes, quarum meminit: at Ionathan reddit* ממרציא

 &

& hic sensus est per se, quia paries vocatur מחיצא. Quadraginta *quinque*] *Isti sunt asseres cedri, quibus contignavit domum. Fuerunt quadraginta quinque, quia tres ordines fuerunt cujuslibet ordinis: fuerunt in eo quindecim asseres.* Ralbag: *Et ecce fuerunt trabes cedrinæ super columnis, quæ portabant asseres contignationis, quæ super illis erat. Et fuerunt magnæ & validæ. Et ecce longitudo earum, secundum id quod descripsimus triplex centum cubitorum. Et ecce fuit tectum asseribus cedrinis desuper super* (צלעות) *quæ sunt trabes cedrinæ, quæ super columnis: quæ fuerunt quadraginta quinque, quia quindecim columnæ fuerunt in quolibet ordine. Et propterea fuerunt tigna cedrorum, quæ supra illas quindecim. Et exinde declaratum, quod à termino densitatis columnæ unius ad terminum densitatis columnæ alterius, quæ illam consequebatur, fuerint tres cubiti & tertia cubiti. Et profecto densitas columnarum illarum fuit, ut videtur mihi ex eo, quod sequitur, duorum cubitorum & dimidii. In modo, qui fuit inter ordinem & ordinem triginta cubitorum. Et ex eo confirmatur, quod omnes columnæ cum trabibus cedri, quæ super illas, fuerint quadratæ.*

v. 4. Et Prospectus שקופים trium ordinum & מחזה אל מחזה fenestra ad fenestram, tribus vicibus. Rasi: *Prospectus trium ordinum & amplius fecit tabulata juxta tres ordines asserum: & tres ordines prospectuum* (שקופין) *quia latitudo quindecim asserum non contignabat domum in longitudinem suam, quæ erat centum cubitorum: & fecit juxta id ad contignandum domum tabulata asserum parvorum positorum super trabibus parvis residuis ex ordine* (כרותות) *trabium cedrinarum ad ordinem trium trabium* (מרישן) *istius ad finem istius. Et prospectus è duobus lateribus, secundum modum* (משקף שהדלת שקף בו) *prospectus, in quo janua impellitur: Et super illis prospectibus capita asserum parvorum secundum latitudinem asserum magnorum, quos posuerat primo.* ומחזה אל מחזה] *Capita asserum* (נסרים) *prospectus hujus è regione asserum prospectus illius.* מחזה *significatione* קצה *(termini, extremitatis.) Et Manahem sic interpretatur & componit cum* (Ps. 107. 30.) *|* מחוז חפצם *(terminum desiderii sui). Et omne* הזית *| quod in lingua Misne: Sic est in Seder* מערכת *semper. Et sic: Ipse fecit* מחזה *foris; In capitulo* שותפין *in Bava Bathra. Et Ionathan etiam reddidit* (זוי לקביל זוי) *angulus ex opposito anguli. Sed* שקופין *obturati & sic quadrati. Omnia* שקף *chaldaeus reddidit* כלונסא. Kimchi: שקופים שלושה טורים] *Fenestras fecit in domo hac, quas vocavit* שקופים: *quia homo prospectat ex illis. S. D.* (Gen. 26. 8.) *Prospectabat Abimelech è fenestra. Et quod dicit tres ordines, tres ordines asserum cedri inter fenestram & fenestram. Et quod dicit* מחזה אל מחזה *| prospectus ex opposito prospectus* (מראה כנגד מראה) *q. d. quod fenestræ fuerint in tribus partibus. Et id est quod dicit* שלש פעמים. *Et fuerunt fenestræ è regione fenestræ, id est, quod dicit* מחזה אל מחזה. *Et reddidit Thargum &c. Et in verbis magistrorum* (Ros Hossana fol. 22. 2.) ומדלא על גבי כלונסות. *Et erigebatur juxta perticas. Et sunt pali longi secundum speciem cannæ hasta &* זוי זוי *ut* זוית. Ralbag. ושקופים שלושה טורים. *Hæ sunt* (הצלעות) *costæ quarum meminit. Quia erat in similitudine liminaris* (משקוף) *cum columnis: & hoc manifestum, fuisse tantum tres ordines de illis super quatuor ordinibus columnarum* (מחזה אל מחזה שלש פעמים). *V. d. Ostium (apertura,) quod erat è regione ostii, ex opposito alterius alterum. Et hac res fuit in hac domo tripliciter. Quia tres aperturæ fuerunt in quovis latere longitudinis: una è regione alterius. Ecce aperturam vocat* מחזה, *quia per eam homo videt, quod foris est.*

v. 5. Et omnes aperturæ (ostia) [פתחים] & postes quadrati [שקף] prospectu: & è regione prospectus ad prospectus, ter.

Rasi: *Et omnes aperturæ* (seu ostia) *& postes, quibus obturabat refrigerium regium, fecerunt ostia, ostia, ob aërem: ideo vocat domum sylvæ, quod similis esset sylvæ,*

תבועים

רבועים שקף] *Ionathan reddit :* מחופין מרכעין והפן *obtecta fuerunt ostia asseribus tenuibus : & quadrata erant sicut aliarum ædium & non facta è lapide, sicut ostia porticus* [ומול מחזה אל מחזה ומול של מחזה זה מוסב לקראת מחזה האחרת ראש הנסר לקראת ראש הנסר שלש פעמים בכל תקרה ותקרה ואיני יודע היאך *: Et è regione termini hujus ambitus in occursum termini alterius : caput asseris in occursum capitis asseris, tribus vicibus, in quavis contignatione : at ego nescio quomodo.* Kimchi: *Ostia fuerunt quadrata non quod fuerint facta superne secundum speciem* כפה cippi. *Et sic postes portarum fuerunt quadrati non rotundi.* שקף] *Et est exponendum* שקף *sicut* משקוף. *Quia liminare, quod supra ostia fuit etiam quadratum : & liminare fuit fenestra quam faciebant supra ostium, ut ex ea prospicerent, quis vocaret in porta. Et fenestra illa fuit facta prospectus è regione prospectus, tribus vicibus, ut exposuimus.* Ralbag: *Vult dicere, quod ostia illa fuerunt in similitudine quadri* (מרובע) Idque ideò quia *liminare, quod erat supra ea, cum columnis quæ è duobus terminis ejus, posuerint Ostium in similitudinem quadri : triginta cubiti in omnem plagam, cum postibus* (שקופים) *qui supra id. Et ecce fuit hæc domus divisa in tres partes æquales. Hoc est, quod mihi videtur in expositione hujus domus : & hoc consentit valde, ad sermonem & phrasin quæ habetur de ea* (ללשון שבא בזה) *Et non vidimus expositionem tam convenientem* (והנה לא ראינו בו פירוש יאות לזה) Ita exponunt tres magistri, qui sua discrepantia ostendunt obscuritatem. Præcipuè autem controvertitur de vocibus צלעות & מחזה & שקופים. Chaldææ versio ita sonat: *Et domum suam ædificavit Salomo tredecim annis & consummavit totam domum suam. Et ædificavit domum refrigerii regum: centum cubitorum erat longitudo ejus & quinquaginta cubitorum latitudo ejus & triginta cubitorum altitudo ejus; super quatuor ordines columnarum cedri : & coronæ* (כרותות) *earum cedrinæ erant super columnas. Et obduxit tabulis cedrinis suprà ; tabulata* (צלעות) *quæ erant super columnas, quadraginta & quinque, quindecim ordine. Et vectium* (שקופים) *erant tres ordines & angulus* (מחזה) *è regione anguli tribus vicibus. Et omnes portæ & postes erant quadrata & operiebant vectes : & è regione anguli contra angulum tribus vicibus.* Græci in Romana editione: Καὶ τὸν οἶκον ἑαυτῷ ᾠκοδόμησε Σαλωμὼν τρισκαίδεκα ἔτεσι. Καὶ ᾠκοδόμησε τὸν οἶκον δρυμοῦ τοῦ Λιβάνου· ἑκατὸν πήχεις μῆκος αὐτοῦ, καὶ πεντήκοντα πήχεις πλάτος αὐτοῦ καὶ τριάκοντα πηχῶν ὕψος αὐτοῦ· Καὶ τριῶν στίχων στύλων κεδρίνων, καὶ ὠμίαι (כרתות) κέδριναι τοῖς στύλοις. Καὶ ἐφάτνωσε (ספן) τὸν οἶκον ἄνωθεν ἐπὶ τῶν πλευρῶν (צלעות) τῶν στύλων· καὶ ἀριθμὸς τῶν στύλων τεσσαράκοντα καὶ πέντε (addendum, πεντεκαίδεκα) ὁ στίχος. καὶ μέλαθρα (שקפים) τρία, καὶ χώρα ἐπὶ χώραν τρισσῶς. Καὶ πάντα τὰ θυρώματα καὶ αἱ χῶραι τετράγωνοι μεμελαθρωμέναι· καὶ ἀπὸ τοῦ θυρώματος (מחזה) ἐπὶ θύραν τρισσῶς. Vulgatus: *Domum autem suam ædificavit Salomon tredecim annis & ad perfectum usque perduxit. Ædificavit quoque domum saltus Libani centum cubitorum longitudinis & quinquaginta cubitorum latitudinis & triginta cubitorum altitudinis : & quatuor deambulacra inter columnas cedrinas : ligna quippe cedrina exciderat in columnas. Et tabulatis cedrinis vestivit totam cameram, quæ quadraginta quinque columnis sustentabatur. Unus autem ordo habebat columnas quindecim contra se invicem positas & è regione se respicientes æquali spatio inter columnas & super columnas quadrangulata ligna in cunctis æqualia.* Vide quam libere verterit ille interpres? Lyranus: *Sciendum quod secundum doctores nostros Salomon fecit Tria ædificia. Unum pro habitatione sua, aliud pro habitatione uxoris suæ, scilicet filiæ Pharaonis. Et tertium, quod vocatur domus saltus Libani, eo quod circa illud ædificium erant viridaria arboribus consita. De primo vero ædificio parum loquitur scriptura. Et hoc forte, quia erat de consimili opere, sicut & domus saltus Libani : quia hoc describitur satis diffuse, ut videbitur : hoc tamen excepto, quod in domo saltus Libani erant duæ mansiones, una inferior & altera superior ; sicut est in palatio regis Parisiis. In habitatione inferiori conservabantur*

bantur unguenta & pignenta & aromata & hujusmodi, propter quod parietes erant de lapidibus ut talia possent ibi melius conservari. In superiori verò ponebantur arma, unde vocabatur armamentum & erat tota de lignis in parietibus & columnis: & in utraque mansione erant tres ordines columnarum, & in quolibet ordine erant XV. columnæ, id est, XLV. in universo: & erant isti ordines secundum longitudinem domus, ita quod erant ibi quatuor deambulatoria, duo inter columnas & unum inter columnas & parietem in uno latere & aliud inter columnas & parietem in alio latere per modum ante principium hujus capituli figuratum, quantum ad frontem domus. Pavimentum autem ejus figuratur in pagina sequenti, & desuper tectum planum, quia sic fiebat in terra illa. Et in circuitum murus cum propugnaculo per quod transibant stillicidia projicientia extra aquam pluvialem, supra deambulatoria verò erant trabes arcuales laqueati tabulis cedrinis. Petrus Martyr universum ædificium accurate consideravit, quem differentem audiamus. *Domus longitudine centum cubitorum fuisse hic scribitur, latitudo quinquaginta. Non tamen necesse est opinari Salomonis regiam domo sacra fuisse ampliorem. Quoniam si una cum Sancto & sancto sanctorum comprehendamus vestibulum, nec non atrium sacerdotum, atrium Hebræorum purificatorum, atque atrium Ethnicorum & immundorum, longè majorem & propemodum immensam latitudinem & longitudinem deprehendemus, quam ipsius regiæ fuerit, quatenus ex Propheta Ezechiele atque Iosepho elicitur. De materie hujus domus antea diximus: nec ignobilis erat, nec etiam summæ dignitatis & ornamenti, sed in ea conservata est congrua mediocritas. In posteriori autem libro Melakim habetur, Samariæ domum regiam eburneam fuisse. Cum verò scribitur altitudinem regiæ fuisse triginta cubitorum, non omnes eodem modo interpretantur, cum aliqui statuant hosce triginta cubitos tantummodo ad primum tabulatum pertinuisse, quo pars inferior domus contegebatur. Inde verò usque ad tectum cubitos totidem, id est, triginta intercessisse, ita ut universa totius domus altitudo sexaginta cubitorum fuerit. Alii verò simpliciter accipiunt, Regiæ altitudinem triginta cubitos minimè superasse, quorum, ut volunt, quindecim inferiori parti, quindecim superiori dati fuerint. Unde consequitur altitudinem regiæ, altitudini sacræ domus æqualem fuisse.*

Regia pars inferior quatuor ordines cedrinarum columnarum habuit, ita ut in unoquoque ordine quindecim fuerint. Summa itaque columnarum ad sexaginta pervenit. Extremæ autem columnæ in lateribus domus cingebantur muro: non enim aperta fuit tota domus sed clausa ex parte, nec spacia intercolumniorum intus vacua erant, verum distincta & distributa in diversas mansiones & officinas regiis usibus opportunas. Tegebatur pars hæc inferior & laquearibus, & contignatione cedrina. Superior verò pars domus, non quatuor sed tres columnarum ordines habuit. & quia erant quindecim in unoquoque ordine, summa columnarum ad quadraginta quinque ascendit. Causam verò cur pauciores fuerint superius quam inferius in promptu est assignare, quia inferiores sustentabant gravius onus, nempe tabulatum quo nitebantur permulti homines, & in quo erant collocata pretiosa & gravia supellectilia, columnæ verò superiores tantummodo gravabantur superiori tecto. Et quia domus æstiva erat, magnum numerum fenestrarum habuit, & quidem in triplici regione, Meridionali scilicet, Aquilonari & Orientali. Quoque melius perflaretur, fenestræ sese mutuo respiciebant. In anteriori autem parte domus, fenestræ non erant collocatæ: quoniam adjunctæ porticus impediebant. Ostia quoque multa ibi fuisse consentaneum est, nempe in omni regione, & ad omnem cœli aspectum. Figura cum ostiorum, tum fenestrarum una eademque fuit, nimirum quadrata.

6. Porticum autem columnarum fecit: quinquaginta cubitorum erat longitudo ejus, & triginta cubitorum latitudo ejus: eratque ea porticus ante faciem illarum, columnæque & trabes ante faciem illarum.

7. Porticum quoque solii in qua judicaret, nempe porticum judicii fecit: quæ tecta erat cedro à pavimento usque ad pavimentum.

8. Do-

8. Domui autem suæ in qua manebat, fecit atrium alterum intra porticum illam, secundum opus istud erat: domum præterea fecit filiæ Pharaonis (quam acceperat Selomo) secundum porticum hanc.

9. Omnia illa erant ex lapidibus pretiosis, secundum mensuras lapidum dolatorum, serratorum serræ, intrinsecus & extrinsecus & à fundamento usque ad lapides mensuræ quatuor digitorum, & extrinsecus usque ad atrium majus.

Porticus ingressui domus ob varia commoda fuit apposita, . Primum qui erant in atrio, tempore pluvio eo se recipiebant. Evitabatur etiam ibi solis æstus: quin & prætoriani milites in ea porticu versabantur. Qui de architectura scripserunt, porticus ajunt antiquitus fuisse adjectas cum domibus illustrium hominum, tum sacris ædibus, nec non publicis ædificiis, idque non tantum ob memoratas causas, verum etiam ad ornamentum, nec non animi causa. Longa fuit porticus quinquaginta cubitos, lata vero triginta: altitudinis, ordinis, & numeri columnarum haud quaquam fit mentio. Quia, ut opinor, eadem ista fuerint cum ratione ac dispositione interioris domus. Atque hinc est, quod Hebraicè bis ponitur על פניהם *quod est juxta dispositionem & rationem eorum, quæ nimirum dicta fuerunt de ipsa domo.*

Regina Sabæ quæ venit ad Salomonem, ut Iosephus testatur, nil magis est mirata, quam domum saltus Libani. Nec prætereundum est, ibi fuisse armamentarium, quod ex cap. 9. posterioris libri Paralip. deprehenditur. Nam ibi commemoratur Salomonem fecisse centum peltas aureas, & permultos clypeos, quæ omnia deferri jussit ad armamentarium domus saltus Libani. Cum facta jam esset mentio porticus hujus domus æstivæ, illius occasione describitur altera porticus, quæ fuit domus urbanæ, inserviebatque judiciis & jurisdictioni: quare vocatur porticus judiciorum. Domus urbana fuit ad arcem Sion: porticus autem, quæ describitur fuit ad portam urbis. Etenim jus ad portas antiquitus dicebatur, quod scripturæ passim testantur. . Id autem ita fiebat, quo commodius eo confluerent, non tantum cives & homines urbani, verum etiam rustici atque agricolæ, qui extra civitatem commorabantur. Cedrinis tabulis tectum fuit à pavimento usque ad pavimentum. Horum verborum duplex occurrit interpretatio. Quidam enim putant ea locutione universum pavimentum esse intelligendum: hoc est à pavimento unius parietis usque ad pavimentum alterius parietis. Alii verò intelligunt, ipsos parietes cedrinis tabulis fuisse contectos à pavimento ad superius tabulatum, quod itidem pavimentum appellatur. Nam etsi tectum seu tabulatum erat inferioribus, attamen ambulantibus desuper erat pavimentum. Atque hanc interpretationem sequuti sunt Græci, qui verterunt ἀπὸ τοῦ ἐδάφους ἕως τοῦ ὑπερῴου: ὑπερῷον *autem significare summam partem muri, cui tabulatum seu contignatio incumbit, minimè dubium est. Latina versio habet: A pavimento usque ad summitatem. At magni non refert, utra expositio recipiatur. Cæterum, ut res ipsa liquidius patefiat, sciendum est Regiam domum habuisse atrium, in quod illi descendebant, qui domo egrediebantur: inde verò transibatur in porticum judicii, de qua nunc agitur. Deinde ultra porticum istam, aliud fuit amplissimum atrium subdivale, non dissimile, imò verò instar atrii domus Dei, quod fuit sacerdotum. Erat proinde ista porticus intra duo atria, quorum alterum erat interius, alterum verò exterius. De atriis autem interioribus mentio est apud bonos scriptores. Vitruvius enim lib. 6. eorum meminit. Et sanè atrium in medio habet aream, in quam ex omni parte aquæ tectorum defluunt. Dixerunt Latini atrium, ut aliqui putant à servis atriensibus, qui pretiosiora domus ibi custodiebant. Vel ab Atria urbe in qua primum reperta fuerunt. Verum Servius Grammaticus in Vergilium, existimat ea potius dicta ab atrore, quod nigra essent fumo, siquidem ignes luculenti & culina in atrio fiebant. Græci appellant* αὐλὴν, *quod sit locus apertus, & latè pateat. Sed quicquid sit jam intelligimus istam porticum judiciariam, mediam fuisse inter atrium interius & exterius. Nec tacendum est loca ista, ubi jus dicebatur, veteres appellasse basilicas, quasi essent Regiæ. Vnde Seneca scripsit:* Fremunt

Ggggg *basilicæ,*

basilica, strepitu judiciorum. Et Plinius in quadam epistola inquit: Ut audirem *causas in basilicam descendi. In Pandectis quoque de significatione verborum habetur, basilicas fuisse publicis rebus accommodatas. Et Vitruvius tradit: Foro debuisse adjacere. Rectè itaque collocata fuit haec judiciaria porticus ad atrium magnum, quod rationem fori habuit, quo mercatores convenire poterant, nec non illi, qui causas agebant. Quoniam verò illius porticus deformationem non habemus, quo ad longitudinem, latitudinem vel figuram, non pigebit referre, quae de forma Basilicarum & Tribunalium apud viros doctos leguntur. Fingatur Basilica instar cujusdam templi, quod in duo loca distinguatur: nimirum in partem inferiorem, ubi litigantes, quique varias causas habent, commorentur; ibi etiam sint Rei, Accusatores & Patroni. Ascendatur deinde ad partem superiorem, ubi situm videmus in templis altare, quod majus vocant. Ibi spatium est satis amplum, angustius tamen multo, quam inferius. Forma superioris partis est hemicycli, unde in summo curvatura extat, in cujus medio, principis tribunal, seu judicis, collocabatur, & ex utraque parte à dextris & à sinistris assessorum exstabant sellae. Unde adhuc in Italia partem illam templi supremam à tribunali tribunal vocant. Tradit Vitruvius formam seu figuram superioris hujus partis, ut nos diximus, hemicycli fuisse, longitudinem verò corda à cornu ad cornu quadraginta sex pedes habere dicit. Unde convincitur figuram illam non fuisse perfecti hemicycli: nam ibi linea tracta à media corda ad mediam curvaturam, viginti tres pedes habuisset: at non habuit nisi quindecim. Sciendum verò est thronum vel tribunal in media curvatura non omnibus datum fuisse, qui dicebant: verum summis duntaxat magistratibus, id est, consulibus, praetoribus nec non Dictatori. In provinciis autem proconsuli & Praesuli provincia concedebatur. Caeteri jus in subselliis dicebant. Nunc postrema sequitur aedificatio, qua domum fecit filiae Pharaonis. Gynaeceum illis habuit, quod, ut videtur, cum aedibus Regis conjungebatur. Causa verò cur Salomon filiam Pharaonis abduxerit ex arce, hoc loci non exprimitur, sed in posteriori lib. Paralip. cap. 8. affertur. Non erit uxor mea, inquit Rex, in domo Davidis quandoquidem consecrata est. Quibus verbis id respexisse videtur, quod mulieres legalem immunditiem saepissimè incurrebant. David tamen non ita fuit religiosus, qui uxores, & quidem plurimas, in sua domo habuit. Sed fortassis necessitate cogebatur id ferre, quod ei non vacaverit extruere tot aedificia. Filiae autem Pharaonis Salomon dicitur praecipuè domum aedificasse, tum ob nobilitatem generis, tum propter ejus egregiam formam, tum quia prima fuit ejus uxor, & inter alias principem locum tenuit. Utrum verò Salomonis reliquae uxores in ea domo habitarint incertum est: neque id sacra historia docet. Neque definitur hic, quae domus hujus fuerit mensura: dicitur quidem fuisse ut altera porticus, at id non accipiendum est, quod ad figuram seu mensuras: spectatur duntaxat materia, quod omnia fuerint ex lapidibus & praeclaris & expolitis: de quibus postea generatim loquitur, quod magni pretii ac ponderis fuerint & firmitatis, à duabus faciebus expoliti, ita ut splendor & pulchritudo eorum cum interius, tum exterius appareret: interius, inquam, versus Basilicam, exterius versus atrium magnum. Et ne credamus, in una tantum parte fuisse parietum: ad jam commemoratam expositionem illud adjecit: A fundamento, inquit, ad summitatem palmi seu quatuor digitorum nimirum parietis. Hoc idcirco ponitur, quoniam parietes in summo habent projectiones palmares, ut sustinere queant suggrundia.*

10. Fundatum autem erat lapidibus pretiosis, lapidibus magnis, lapidibus decem cubitorum, & lapidibus octo cubitorum.

11. Supra vero erant lapides pretiosi secundum mensuras lapidum dolatorum, & cedrinae tabulae.

12. Porro atrio majori per circuitum erant tres ordines è lapidibus dolatis,

latis, & ordo unus trabium cedrinarum, & atrio illi domus Jehovæ interiori, & porticui ejus domus.

Hic traditur lapides fundamenti egregiæ fuisse magnitudinis, quorum proditur mensura, ut eorum alii decem, alii octo cubitorum fuerint. Atrium verò, magnum habuit septum, quo claudebatur, & in eo tres fuerunt ordines lapidum, & superius lignum cedrinum addebatur. Adjicitur præterea similitudo ejus ornatus: Nam dicitur fuisse atrii sacerdotum, quod etiam septum habuit. In horum ædificiorum descriptione prolixi sunt Vilalpandus & Pineda & parum inter se consentiunt. Salianus: *Neque ego circa istarum trium domorum dispositionem invenio, quod mihi ipsi satis faciat: aut quod alius sperem facturum satis nedum admirationem sapientissimæ potentissimæque reginæ concitaturum. Sed neque id exigit aut pollicetur argumentum meum. Itaque hanc architecturam perito cuipiam & ingenioso architecto relinquemus.*

Solium regis fuit memorabilium ejus operum haud ultimum (descriptum 1. Reg. 10. v. 18. 19. 20. & 2. Chronic. 9. v. 17. 18. 19.) quod è Saliano repræsentabimus. *Dicamus igitur*, inquit, *primum, quod ad situm hujus solii vel throni attinet illum* in domuncula *collocatum fuisse* in qua sedebatur ad judicandum, *ut dicitur 3. Reg.* (cap. 7. v. 8.) *Innuitur regium solium medium fuisse: hinc inde autem humiliores fuisse thronos, regiis consiliariis & principibus assidentibus destinatos, ex quibus omnibus conflaretur judiciale tribunal, pluribus judicum sedibus constans. Hæc domuncula, ut ibidem dicitur, erat in media porticu, forma quadrata, longa & lata triginta cubitos, ut ait Iosephus; quanta scilicet erat latitudo porticus majoris. 3. Reg. Itaque media pars porticus erat huic domunculæ à dextris, media à sinistris: ut hinc inde populo, cui jus dicendum erat, subsistere, & inambulare inter expectandum liceret. Eam domunculam, qua parte constituuntur solia judicum, incurvatam, ut circuli fere tertiam partem referret, videtur affirmari posse ex Vitruvio, idque rationi valdè consentaneum est, ut judices ex suis soliis consultare, inter se de re proposita facile possent. Verum ut aliorum judicum thronos, de quibus nihil Scriptura tradit, omittamus, Salomonicum omnium pulcherrimum, & maximum videamus.*

Fecit ergo, *ait Scriptura*, Rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestivit eum auro fulvo nimis (Heb. מוּפָז) qui habebat sex gradus, & summitas throni rotunda erat in parte superiori, & duæ manus hinc atque inde tenentes sedile, & duo leones stabant juxta manus singulas. Et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde: Non est factum tale opus in universis regnis. *In 2. Paral. additur scabellum aureum, quo scilicet proximè adhærente sedi regiæ, Rex pro hypopodio utebatur. Villalp. pollicetur se de hoc throno uberiorem aliquando commentarium & exemplar exhibiturum, & quidem elegans & absolutum, ut spero: circa illum interim Pineda multa philosophatur. Nos id rudi Minerva animo utcumque designatum, non stylo, sed verbis, auribus, non oculis, Scripturam & Iosephum sectando exhibebimus.*

Primum igitur supra pavimentum stratum marmore fuerit plinthus quadrangula, marmorea aut ænea; qualis crepido altaris ænei, altitudine dimidii pedis, longitudine octo, decemve pedum, latitudine sex. Addito ad utramque oram, & angulos elegantibus quibusdam limbis, & diversis in medio florum ornamentis (hac basi quasi podio quatuor columnæ marmoreæ sive eburneæ, aut cedrinæ ebore convestitæ nitebantur, suis basibus, & capitellis elegantissimis ornatæ, quibus superposita erat abacus, quaternis tignis cedrinis contexta, & asseribus, indeque aureis laminis contecta, atque circumcincta in morem epistyliorum quam ornatissimorum, cui abaco thronus ipse insidebat) Huic plintho retractionem ante initium graduum, duorum pedum

tribuere possumus. Sequantur deinde sex gradus cedrinis tigillis, asseribusque contexti, ebore autem sectili convestiti, pedis unius retractione, altitudine semisse. Etsi enim Vitruvius retractiones graduum sesquipedales velit, altitudinem verò dodrantalem; id tamen de magnis ædificiis intelligendum est, in quibus longi gradus, non portas modo, sed tota propylæa late obeunt. His autem gradibus quatuor pedum longitudo abunde sufficit, ut uno utrinque pede plinthus provehatur. In singulis gradibus duo leunculi stabant, anteriores videlicet pedes rectos habebant, posteriores autem decore complicatos; hi gradus altitudinem prædictarum columnarum æquabant, sic ut epistylium quasi alterum gradum efficeret, etsi in gradibus non numerabatur, sicut nec plinthus. Erat enim quasi theatrum quadratum regio solio destinatum, in quo post duos tres ve retractionis pedes, erat scabellum aureum ejusdem cum gradibus mensura; nisi quis malit hoc scabellum fuisse quasi basim, sive plinthum altam, cui non adjunctum, sed superpositum esset ipsum solium, ut totum etiam à vicinis & remotis facilius conspici posset. Solium inquam ipsum opere magnificentissimo, materia pretiosissima ex cedro, ebore, auro, gemmisque nobilissimis.

Ad ejus latera adhærebant leones duo grandiores, vel leana, ut vult Cajet: ex vi vocis Hebraicæ, quæ tamen passim quasi ἀῤῥενικῶς sumitur. Erant autem in anteriores erecti pedes, posterioribus sub ventrem reflexis, & forte altero pede regiam sedem sustentabant, altero nitebantur. Brachiola vero cathedræ eorum capitibus decore jungebantur. Posterior autem cathedræ pars, qua reclinabatur Rex, dimidiatus erat juvencus tergum suum respiciens, ut ait Iosephus. At septuaginta cum numero multitudinis utantur, duorum saltem juvencorum formam agnoscunt Regis sedentis dorsum excipientium. His vitulorum capitibus rotunda throni summitas erat imposita, quæ summitate conchiliatum fastigium accipi potest, solido ex auro, summo artificio elaboratum, pyropis, smaragdis, & adamantibus undique fulgurans, oculosque perstringens. Denique probabile est ex incurvo fastigii hujus apice coronam regiam infiniti pretii, & exquisitissimæ pulchritudinis, capiti ex alto imminentem pependisse. Nec cancellos ingeniose fabrefactos, qui totum hunc thronum undique cingerent, aliquot pedum distantia defuisse. De isto eburneo dicit Scriptura: *Non est factum tale opus in universis regnis.* Intellige, *ad eam diem*; Potest etiam universaliter ad omnia tempora, quoad exquisitissimam artem referri.

De Supellectile, instrumentis & ornatu ædium Salomonis.

I. Reg. X. 2. E lignis almuggim faciebat fulcra domus Domini: & domus regiæ: item nablia cinyrasque cantoribus. *Non sunt* (inquit textus) *allata hujuscemodi ligna Almuggim, neque visa* (in Judæa) *usque in præsentem diem.* 2. Chronic. 9. 11. dicitur, quod gradus facti, ἀναβάσεις domui Dei & regiæ ex isto genere ligni. Almuggim & algummim pro eodem transpositis literis. עצי אלגומים Coralium interpretantur Rabbini: Lxx. ξύλα πεύκινα: Vulgatus, *Ligna thyina.* P. Martyr: *Est vero difficile admodum explicatu: quænam ista ligna fuerint: & quot ferme sunt interpretes, totidem sunt eorum sententiæ. R. Salomo & R. Kimchi coralia fuisse. At si objeceris, coralia esse lapides non ligna, respondent ea, dum sub aquis degunt, ligna seu frutices esse, qui ramusculis & baccis ornentur, ut in iis videre licet, cum extracta fuerint. Lapidescunt itaque cum ex undis educuntur. Tantæ fuerunt crassitudinis, ut Salomon potuerit ex eis fulcra id est columellas, tam in templo Dei, quam in sua regia facere. Non est verosimile, illa coralia multò majora illis fuisse, quæ ad nos perveniunt. At non tantum fulcra ex eis fecisse dicitur, verum etiam citharas & nabla in usum Levitarum. Quod utcunque factu difficilius videri potest ex coraliorum materia. Sed quando nostra ætate vidimus*

ex

ex lapide alabastrite fistulas confectas, quæ idoneæ fuerint ad musica instrumenta, quæ organa vulgo appellantur: absurdum non est, si ex majoribus corabis & nabla & lyra confici potuerint. Cæterum Iosephus & Græca editio ligna verterunt picea vel pineas & ne dignitas muneris imminuatur, adjecit Iosephus ea fuisse vulgarium dissimilia. Nam sic elaborata fuerunt, ut magnopere splenderent. Alii verterunt ligna Tina (Thyina) *sed quænam ea sint, me fateor ignorare. Nec desunt, qui velint ligna Hebeni fuisse: quod porro lignum tantummodo in India provenit: & iccirco poeta dixit:* Nam sola India nigrum Fert Ebenum. *Cujus durities est quodammodo lapidis, quocirca videri potest aptissimum ad fulcra facienda. Quamvis Galenus in 6. lib. de Facultate simpl. medicam. scribit, ejusmodi lignum in aqua contritum liquescere. Accedunt alii, qui ligna Presilia opinentur significari: quæ puniceo sunt colore, duritie verò ac firmitate admirabili.* Sed quicquid sit, ista de re non multum est *laborandum* Josephus è LXX. ξύλα πεύκινα è terra aurea allata fuisse materiam ὑποστηρίγμασι templi & palatii & ad instrumenta musica. Πάντων δὲ τῶν πώποτε κομισθέντων αὐτῷ, κατ' ἐκείνην τὴν ἡμέραν εἰσαχθέντα καὶ μεγέθει καὶ κάλλει διέφερεν. Ea ligna, quæ allata tum fuerunt ad Salomonem, cum apud eum esset regina Austri, fuisse præstantiora cæteris ejus generis prius allatis. ὑπολάβῃ δὲ μηδεὶς ὅτι τὰ τῆς πεύκης ξύλα τοῖς νῦν εἶναι λεγομένοις καὶ ταύτην ὑπὸ τῶν πιπρασκόντων τὴν προσηγορίαν ἐπὶ καταπλήξει τῶν ὠνουμένων λαμβάνουσιν, ἐστι παραπλήσια. Ἐκεῖνα γὰρ τὴν μὲν ἰδέαν ἐμφερῆ τοῖς συκίνοις γίνεται, λευκότερα δὲ καὶ στίλβοντα πλέον. Τοῦτο μὲν οὖν εἰς τὸ μηδένα τὴν διαφορὰν ἀγνοῆσαι, μηδὲ τὴν φύσιν τῆς ἀληθοῦς πεύκης, ἐπεὶ διὰ τὴν τοῦ βασιλέως χρείαν ἐμνήσθημεν αὐτῆς, εὔκαιρον εἶναι καὶ φιλάνθρωπον δηλῶσαι νομίσαντες εἰρήκαμεν. *Nemo autem arbitretur, quod ligna pini, illis quæ nunc dicuntur & hanc appellationem à vendentibus ad admirationem ementium accipiunt, sint affinia. Illa enim formam similia ficinis existunt, albicantiora autem & magis splendentia. Hoc autem, ut nemo discrimen ignoret, neque naturam veræ pini, quia ob regis necessitatem, illius meminimus, opportunum esse & humanum manifestare rati, diximus.*

Fecit etiam ducenta scuta (צנה θυρεὺς Iof.) auri שחוט: quorum singula penderent sexcentos auri siclos. In Hebræo שחוט / Chaldæo טבא. Volunt enim significari aurum purum, alii aurum ductile. Aurum præstantius, quod duci potest, ut notat Kimchi. Rasi, שש מאות זהב. רך נוח לדוקע: Siclos scias intelligi: sic Josephus: ἀνὰ σίκλους ἀγόντων ἑξακοσίους. Lxx trecenta & quidem δόρατα. Mira hic discrepantia τῶν o ab Hebræo textu v. 16. in primi regum cap. 10. Καὶ ἐποίησε Σαλωμὼν τριακόσια δόρατα χρυσᾶ ἐλατὰ, τριακόσιοι χρυσοῦ ἐπὶ τὸ δόρυ τὸ ἕν. In 2. Chronic. 9. 15. Lxx conveniunt cum Hebræo, & Josepho: διακοσίους θυρεοὺς χρυσοῦς ἐλατούς. ἑξακοσίων χρυσοῖ καθαροῖ ἱστᾶσαι ἐπὶ τὸν ἕνα θυρεόν. Omnino צנה notat majus scutum, quo cingitur corpus, ut patet Ps. v. 13. Ras: מקפת את האדם משלש רוחותיו Ambiens hominem tribus plagis. Et זהב notat aureum siclum. Rasi *Sexcenta* זהב: *quod est sex minarum, quia* זהב *est denarius.*

Trecenta scuta minora (מגנים) ex auro simili sed dimidii ponderis. In loco regum singulis trecenti auri, in Chronicis tres minæ attribuuntur שלש מנים זהב. Iof. & Lxx. μναῖ τρεῖς χρυσίου. Notat Kimchi Minam esse ליטרא / *libram.* Et libram centum auri valere. In loco regum Lxx habent ὅπλα, in loco regum ἀσπίδας cum Josepho. Ad ponderum rationem colligimus Minam (antiquitus) habuisse centum siclos. Siclus usitatissimus ponderis modus subintelligitur. Vulgatus pessimè trecentas minas minoribus scutis (quæ reddit peltas) attribuit: sed legendum *tres.* Frustra id excusatur minas pro siclis poni, ut Josephus scripsit viginti minis venditum esse Joseph, qui venditus est εἴκοσι χρυσοῖς, ut habent Lxx, ἀργυρίου secundum Hebræum textum. Cum argentum exprimatur

ponderis non nominati numero, intelligere Josephus minas potuit, quia siclos putavit viles esse. Lxx enim argenteos in aureos mutarunt eadem moti ratione. Adeò tolerabilior longè est Josephi ratiocinatio. Res ita est: antiquissimis illis temporibus siclus longè majoris ponderis fuit & forte minæ æquivalebat ad ætatem Josephi. In domo saltus Libani reposita fuerunt ista scuta. In ædibus Salomonis, omnia pocula erant ex auro: omnia vasa domus saltus Libani ex auro סגור. Additur in loco Regum (1. Reg. 10. 21.) Nihil erat argenteum. Nam argentum in magno pretio non erat temporibus Salomonis.

I. Reg. IX. II. Chronic. VII. v. 11. ad fin. & cap. 8.

Absoluta ade Dei & palatio, post vigesimum regni annum, iterum Deus in somnio Salomoni locutus est, ut prius Gabaone: *Exaudii* tuas preces: consecravi domum, (à te structam,) nomini meo in seculum: ut oculi mei & cor meum illic sint omnibus diebus. Si coram me ambulaveris, ut pater tuus David ambulavit, integro corde & sincero, ut facias secundum ea, quæ ego præcepi: thronum regni tui super Israël stabiliam in seculum, ut locutus sum patri tuo Davidi: Nullus vir amputabitur tibi de solio Israel. At si recesseritis tu & filii tui à me, meisque præceptis: abieritis autem, ut colatis deos alienos, Israelem delebo è terrâ, quam dedi: & hanc domum, quam nomini meo consecravi, à facie mea projiciam. Israel erit proverbio & dicterio inter omnes populos. Quicunque autem hanc domum, prius exaltatam, præterierit, stupebit & sibilabit. Dicetur: Cur Dominus ita fecit terræ & ædi huic? Cui alius: Quia Dominum Deum suum reliquerunt, suum ex Ægypto liberatorem, aversi ad venerationem & cultum alienorum numinum. Ideo Dominus malum id omne ipsis attulit. Josephus putat mox post absolutum templum dedicatumque id somnium regi oblatum fuisse: scribit Deum promisisse *βασιλέων ἀεὶ τῆς χώρας τὰς ἐκ τοῦ γένους αὐτοῦ καὶ τῆς Ἰούδα φυλῆς*. Davidis posteritas regno destinata, quod illi proprium è tribu illa. Videtur Josephus tempora post captivitatem Babylonicam designare, tam infelicia, ut nullum è tribu Judæa nedum Davidis familia regem viderint.

Cum Hiromus rex Tyri Salomonem adjuvisset eique subministrasset ad illa ædificia, cedros, abietes, aurum, quantum expetierat. Auri centum & viginti quinque talenta Salomoni miserat. Pro eo dedit ipsi Salomon viginti urbes in Galilæa. De ista donatione seu retributione differentem rursus Salianum audiamus: *Quod ad mercedem Hirami regis attinet, cum Salomon rectè pro sua sapientia intelligeret vel mercenario deberi mercedem suam; vel amico, & benefactori gratitudinem, expletis iis operibus ad quorum perfectionem Tyrii regis opera ipsi necessaria fuit, quod hoc anno contigit*, dedit Salomon Hiram viginti oppida in terra Galilæa. *Quod factum vix potest Cajetanus à sacrilegio excusare.* Sacrilegium enim videtur, *inquit*, sub dominio Regis Ethnici dare populos sanctos, & terram divinæ hæreditatis: *cum cuiquam principi non liceat regni sui partes detruncare, quos augere potius debeat, aut certè conservare. Itaque Dionysius probabile putat hunc Regem Tyrium ad fidem conversum fuisse, idque conjicit ex diutina ejus cum Davide, & Salomone amicitia. Cajet. significat id eum ex divina inspiratione fecisse, quippe qui non reprehensus à Deo, in apparitione, de qua proximè egimus. Verum illa apparitio antecessit hanc largitionem, ut diximus.*

Alii ut Abulensis, Vatablus, Sa, Pineda, & Torniellus, permutationem quandam intervenisse putant, ut Salomon viginti oppida Galilaa Hiramo dederit, Hiramus autem vice versa ei totidem rependerit: cum ex 2. Paral. satis constet civitates quas-

dam

dam Salomoni ab Hiramo datas. Contingit enim aliquando hujusmodi permutationes fieri, quæ sint utiles utrique permutanti, præsertim ob loci vicinitatem, aliamve opportunitatem. Alii ut Iosephus, & eum secuti nonnulli putant datas quidem eas urbes à Salomone, sed quod displicerent, ab Hiramo eidem restitutas, quod Torniellus non admittit; veritum enim putat regem Tyrium Salomonis indignationem; sed major fuisset ex querela indignatio, quam ex restitutione, qua haberet utilitatem, & tamen conquestum eum ex Scriptura constat. Dicendum arbitror cum Abulensi Salamonem dedisse viginti oppida, ad aliquot annorum usum fructum duntaxat, ut scilicet inde tributa colligeret, donec lignis illis cedrinis, & abiegnis, & centum viginti talentis auri, aliisve, si qui supererant, sumptibus, & operarum mercedi satisfactum esset, & maximè illis auri talentis, quæ Scriptura dicit misisse Tyrium Salomoni, non tamen post accepta oppida, sed ante, ut misit, *ut habetur vers. 14. per plusquam perfectum* miserat, *cum Vatablo, & Sa, interpretandum sit. Nam quis posset sibi persuadere regem Salomonem virum omnium sapientissimum, viginti oppida in regno suo non maximo, tam parvo pretio distracturum fuisse; cui tanto plura talenta quotannis, ex vectigalibus, tributis, navigationibus, negotiatione suppeterent? Et oppida, in medio prope regni sui vicino principi daturum, ut alias novas hinc inde dissipatas (civitates) ædificaret? Aut Hiramum, tam inopem fuisse consilii, ut summum & perpetuum dominium in viginti oppida, & opportuna regno suo, loco prædicta summa sibi contemnenda putaret?*

Questum itaque potius arbitror, quod ex oppidis non opulentis, neque fertili solo, sed palustri, & uliginoso, ut quidam interpretantur terram Cabul, vel arenoso, & infertili, ut alii, aut denique vili, & contemptibili, optatam utilitatem se colligere posse non speraret, intra annos pactos atque conventos. Nec obstat nominatio Galilææ gentium; æquè enim id nomen tribui potest vicinitati, aut temporariæ subjectioni, quam perpetuæ. Vicina enim erat Galilæa gentium, sive superior, Tyriis Sidoniis & universæ Phœniciæ, inferior autem Galilæa propinqua erat mari Genesareth, quod etiam mare Galilææ, ab ea dicebatur. Illa occidentalior erat, ista orientalior. Porrò terram Chabulen, Adrichomius collocat in tribu Aser, quæ Phœniciam ab occidente attingebat. Iosephus hæc oppida non procul à Tyro dissita fuisse scribit.

Verum enimverò iis quæ de terra Chabul cum Scriptura diximus non satis consentit Iosephus, qui de utraque Galilæa sic loquitur: Sed cum tanta sint utraque magnitudine, tantisque gentibus alienigenis cinctæ, semper tamen omnibus belli periculis restiterunt. Nam & pugnaces sunt ab infantia Galilæi, & omni tempore plurimi, neq; aut formido unquam viros, aut eorum penuria (λειπανδρία) regiones illas occupavit, quamquam totæ opimæ, ac fertiles sunt omniumque generum arboribus consitæ, ut etiam minimè agriculturæ studiosos ubertate sua provocent. Denique excultæ sunt ab incolis totæ, nec pars ulla est earum otiosa; quin & civitates ibi crebræ sunt, & ubique multitudo vicorum propter opulentiam populosa; ut qui sit minimus super quindecim colonorum millia habeat. *Et mox,* Hæc enim universa colitur, tota fructuum ferax. *Ita Iosephus; quæ si vera sunt, valdè fuit injusta Hirami querela, & injusta terræ Chabul denominatio; valdè imperitus rerum, qui terram perlustratam, satisque consideratam stultè contempserit, & repudiarit. Iosephus potius vanitatis, in commendanda utraque Galilæa suspectus redditur, quam ignorantiæ, qui eas quas gubernavit, probè nosse potuit.*

Certasse videntur principes isti benevolentia, atque muneribus; quando Hiram ita accepit à Salomone civitates, ut ei vice versa alias dederit, eodem scilicet jure, quo priores acceperat, quas Salomon liberaliter instauravit. Nam quas Hiram Salomoni dedit desertas fuisse, & ruinosas ex secundo Paralip. 8. colligitur, ubi dicitur, civitates quas dederat Hiram Salomoni, ab eo ædificatas, & Israëlitis cultoribus repletas.

Abun-

Abundabat enim populus Israël, & multiplicatus erat in infinitum diuturnitate pacis; etiam supra immensum illum numerum, quem David colligi jusserat, aliquanto ante mortem suam. Quibus etiam adjungebantur infinita proselytorum myriades, quæ Salomoni in extruendis fabricis suis jam servierant, & insuper servituræ erant. Josephus: Ἀντεδωρήσατο δὲ καὶ αὐτὸς μεγάλαις δωρεαῖς τὸν εἵραμον, σῖτόν τε κατ' ἔτος πέμπων αὐτῷ καὶ οἶνον καὶ ἔλαιον, ὧν μάλιστα διὰ τὸ νῆσον οἰκεῖν, ὡς καὶ προειρήκαμεν ἤδη, χρῄζων διετέλει. Πρὸς τούτοις δὲ καὶ πόλεις αὐτῷ τῆς Γαλιλαίας, εἴκοσι μὲν τὸν ἀριθμόν, οὐ πόρρω τῆς τύρου κειμένας, ἐχαρίσατο. Ἃς ἐπελθὼν καὶ κατανοήσας εἵραμος, καὶ δυσαρεστήσας τῇ δωρεᾷ, πέμψας πρὸς Σολομῶνα μὴ δεῖσθαι τῶν πόλεων ἔλεγεν. Καὶ ἔκτοτε προσηγορεύθησαν χαβαλὼν γῆ. Μεθερμηνευόμενον γὰρ τὸ χαβαλὼν κατὰ Φοινίκων γλῶτταν, οὐκ ἀρέσκον σημαίνει. P. Martyr: *Dubium* interea nec leve nec prætereundum occurrit: *An Salomon dando has civitates Ethnico principi recte fecerit. Quoniam videtur primo aspectu sacrilegium commisisse, cum terra Chanaan Dei peculiariter fuerit, & ab eo addicta populo suo Israëlitico. Laudabile porrò fuit Iehova templum extruere, nec reprehendi potest, quod ab Ethnico principe impensas acceperit. Animi quoque gratitudo probatur, sed quæ constet ex rebus licitis, quæque pios non trahat in periculum. Sed Israëlitis cum alienarentur à Iudæis, & in possessionem Ethnicorum traderentur, periculum imminebat, ne deficerent ad idololatriam: quia externus princeps vel successores ejus, cultum idolorum in civitate suæ ditionis facile poterant inducere. Videtur itaque Salomon plus Ethnicis concessisse quam debuerit: Hic nonnulli ex Hebræis ajunt, oppida hæc non fuisse Hiramo simpliciter data, sed factam commutationem quandam, ut vicissim dederit Salomoni totidem oppida: Et addunt meliores fuisse urbes, quas Salomon accepit, quam illæ fuerint, quas tradidit. Et ne videantur comminisci, quod asserunt, locum ex lib. paral. producunt, ubi dicitur Hiramum Salomoni dedisse viginti oppida. Alii Salomonem excusantes, dicunt periculum nullum ab Idololatria fuisse: quod Hiramus pius & religiosus princeps extiterit. Verum Iosephus quendam Menandrum, & Dium adducit, qui annales Tyriorum confecerunt, à quibus Hiramus commendatur, quod templum Olympii Iovis, Herculis & Astartha ædificaverit. Quare dici posset illum quidem ab initio idololatram fuisse: verum postea quando fœdus iniit cum Davide & Salomone, ita recessisse, ut tantum verum Deum Iehovam coluerit. Cæterum fingamus ita esse: tamen posteri ad idololatriam tandem potuissent attrahere Israëlitas, quibus dominabantur. Ad id isti respondent, non esse verisimile hanc donationem factam fuisse in perpetuum, sed tantum Hiramo dum viveret, eâ planè lege, ut Iudæi habitantes illic, religionem suam liberam haberent, Hiramo autem emptiones, & annui reditus cederent. Sunt & alii, qui Salomonem, inquiunt, non rectè fecisse, has civitates ab hæreditate alienando, ac deinde providentia divina factum, ut Hiramo tradita oppida non placuerint, ne scilicet de possessione Israëlitarum quicquam minueretur. Et sanè hac ratione locus iste cum eo, quod habetur in Paral. facile componitur: ut intelligamus, Salomonem prius Hiramo has viginti civitates dedisse, quæ cum illi non satisfacerent, eas restituit Salomoni, atque ita vere dici eas ab Hiramo Salomoni fuisse datas. Vocavit terram Chabul, quia lingua Phœnicum, ut Iosephus ait, id vocabulum significat, quod non probatur. Nonnullis videtur, minimè credendum Salomonem peccasse, cum illi Deus tam familiariter apparuerit, ac tam benignè fuerit colloquutus. Quibus dicimus post oraculum acceptum Salomonem has Civitates alienasse: Nec esse novum post revelationes divinas, & habita cum Deo colloquia, sanctos aliquando fuisse lapsos, cum id & Mosi & Davidi acciderit. Ad extremum dici posset, Regem Salomonem hoc non humana ratione ac voluntate fecisse, verum instinctu Dei, quo futura vocatio gentium adumbraretur.*

In Chronicis dicitur Salomonem ædificasse & Israelitis habitandas dedisse urbes,

bes, quas acceperat ab Hiramo. Condidit & alias plures, ut Hasor (חצור) Mageddo, & Gazara. Hæc erat in regione Palæstinorum. Pharao enim Ægypti rex cum copiis egressus, Gazara expugnaverat, igne combusserat & pulsis Cananæis in dotem filiæ tradiderat. Hanc natura munitam & oportunam fuisse ad bella & occasiones rerum dicit Josephus & ideo restauratam à rege Solomone. Struxit etiam Beth-horon inferiorem (& superiorem, urbes munitas, muris, portis & vectibus (solam inferiorem locus regum narrat & Josephus unius meminit) tum & urbem Baalath (Βαλὰθ) Profectus etiam adversus Hamath Soba, eam expugnavit. Thadmaram condidit etiam in solitudine & urbes thesaurarias in Hamath. Hæc habentur ita in Chronicis, at in libro regum nulla mentio Hamath. Lxx. locum Chronicorum ita exprimunt: *Καὶ ἦλθε Σαλωμὼν εἰς Βαισωβὰ καὶ κατίσχυσεν αὐτήν. Καὶ ᾠκοδόμησε τὴν Βαιθωρὼν τὴν ἄνω καὶ τὴν Βαιθωρὼν τὴν κάτω καὶ πάσας τὰς πόλεις τὰς ὀχυρὰς, ἃς ᾠκοδόμησεν ἐν ἡμάθ.* Josephus: *Ἐμβαλὼν δ' εἰς τὴν ἔρημον, τὴν ἐπάνω Συρίας καὶ κατασχὼν αὐτὴν, ἔκτισεν ἐκεῖ πόλιν μεγίστην, δύο μὲν ἡμερῶν ὁδὸν ἀπὸ τῆς ἄνω Συρίας διεστῶσαν, ἀπὸ δ' Εὐφράτου μιᾶς, ἀπὸ δὲ τῆς μεγάλης Βαβυλωνίας, ἓξ ἡμερῶν ἦν τὸ μῆκος. Αἴτιον δὲ τοῦ τὴν πόλιν οὕτως ἀπὸ τῶν οἰκουμένων μερῶν τῆς Συρίας ἀπῳκίσθαι, τὸ κατωτέρω μὲν οὐδαμοῦ τῆς γῆς ὕδωρ εἶναι, πηγὰς δ' ἐν ἐκείνῳ μόνῳ τῷ τόπῳ εὑρεθῆναι καὶ φρέατα. Ταύτην οὖν τὴν πόλιν οἰκοδομήσας καὶ τείχεσιν ὀχυρωτάτοις περιβαλὼν, Θαδαμόραν ὠνόμασε, καὶ τοῦτ' ἔτι νῦν καλεῖται παρὰ τοῖς Σύροις· οἱ δὲ Ἕλληνες αὐτὴν προσαγορεύουσι Παλμυράν. Irrumpens autem in solitudinem supra Syriam, eaque potitus, condit illic urbem maximam, duorum dierum itinere disjunctam à Syria superiore, ab Eufrate diei unius, à magna Babylonia sex. Causa, quod urbs illa ita seorsim ab habitatis partibus Syriæ colatur, quia inferiora nusquam aquam habent, in illo autem solo fontes & putei inveniantur. Hanc igitur urbem conditam & mœnibus validissimis cinctam, Thadamoram appellavit, quomodo nunc etiam à Syris appellatur, Græci autem vocitant Palmiram.* Josephus nullam Hamath mentionem habet. Hamath tractus terræ ad ortum septentrionalem terræ Canaan in Syria Soba. In hoc tractu condidit urbes munitas. Palmiram esse Thadamoram placet quoque Fr. Junio. Non fuit in Syria Soba, ut putat vir magnus, à qua manifeste discernitur. Nam textus Chronicorum narrat Salomonem condidisse Thadmor in deserto & omnes urbes thesaurarias in Hamath. Syriam Soba usque ad Eufraten, à partibus Libani pertinuisse patet, qua regione Antiochia & Epiphania sitæ fuerunt. Condidit urbes thesaurorum, urbes curruum, urbes equitum. Reliquias Cananæorum, quæ Libanum montem (inquit Josephus) usque ad urbem Amathen colebant, sub ditionem redactas, tributum pendere coëgit. Quicquid Cananæarum gentium de Amorrhæis, Hethæis, Pherezæis, Hevæis, Jebusæis supererat nondum subactum aut deletum id sub jugum redegit & ולמס עובר. Dedebant se ideo illis parsum est. Coacti sunt delectum pati ad serviles operas. Jos. *φόρον αὐτοῖς προσέταξε καὶ πρὸς τὸ θητεύειν αὐτῷ καὶ τὰς οἰκετικὰς χρείας ἐκτελεῖν καὶ πρὸς γεωργίαν κατ' ἔτος ἀπ' αὐτῶν ἐξελέγετο.* Ita Cananæi servi erant Hebræorum, Hebræi milites, ministri regii, duces, præfecti curruum, militum, præpositi operis. Nam Salomon *ἐργοδιώκτας* quingentos & quinquaginta constituit quos etiam opificiorum peritos fuisse oportet. Josephus etiam docuisse vult, eos, qui suberant. In Hebræo dicuntur fuisse שרי הנצבים. Rex Salomo non tantum condidit urbes alias sed & Hierosolymam ingentibus operibus muniuit & ædificavit Mello: quæ fuit domus conjuncta mœnibus in quam consilii causa coibatur. Sic citat è Kimchi Grotius. Rasi: *Fuit locus in Ierusalem in civitate David & vocabatur Mello, quod cingeretur muro obliquo, quem intus terra impleverant:* Lyranus: *Dicunt Hebræi, quod ibi erat quadam platea prope templum: quam David dimi-*

 serat

ſerat apertam ad hoc quod venientes de longe poſſent ibi manere in ſolennitate paſchæ, quando non habebant hoſpitia, & ut eſſent prope templum devotionis cauſa. Quam Salomon clauſit & quandam voraginem ibi exiſtentem terra implevit: ædificans ibi tabernacula pro ſervis & ancillis filiæ Pharaonis. Cujus domus erat juxta. Et in hoc peccavit. Sed hoc nugatorium eſt. Hinc textus dicit eum condidiſſe Hieroſolymis, in Libano & omnibus terris ſuæ ditionis 1. Reg. 9. 19. 2. Chron. 8. 6. At diſcrepantia eſt inter duo loca 2. Chronic. 8. 10. præpoſiti operarum numerantur 250, cum 1. Reg. 9. 23. habeatur 550. Raſi: שרי נצבים] *præfecti præfectorum.* Quingenti quinquaginta] *Trecenti ex illis fuerunt proſelyti, ſuper ſeptuaginta millia bajulorum & octuaginta millia excidentium in monte & tria millia & trecentos dominantes in populo, quod dixit ſupra* (cap. 5.) *ſolum de principibus conſtitutorum Salomonis* &c. Tria millia & trecenti. *At in Chronicis dicit ſexcentos: hos trecentos, qui deficiunt illic, hic numerat, qui fuerunt præfecti univerſales & ducenti quinquaginta reſidui fuerunt Iſrael & præfecti ſuper reliquos facientes opus: at in Chronicis numerat eos per ſe:* Et hi *præfecti conſtitutorum Salomonis, quinquaginta & ducenti dominantes in populo facientium opus.* Kimchi: Quinquaginta & quingentos] *Quoniam recordatur ſervorum è proſelytis in opere, ſimulque recordatur* principum Iſrael *principum conſtitutorum ſuper opus: Ideo dicit, quod fuerint quinquaginta & quingenti: at in Chronicis dicit quinquaginta & ducenti: trecenti fuerunt è proſelytis qui erant conſtituti ſuper tria millia & trecentos: & ducenti & quinquaginta fuerunt ex Iſrael, qui fuerunt conſtituti ſuper illos trecentos è proſelytis. Et numerat in libro hoc* (נציבי הגרים) *conſtitutos proſelytorum cum conſtitutis Iſrael complexim. At in libro Chronicorum non numerat conſtitutos proſelytorum ſed conſtitutos Iſrael: quia conſtitutos proſelytorum numerat illic cum reliquis proſelytis, ubi dicit tria millia & ſexcentos, cum facientes opus non fuerint niſi tria millia & trecenti, ut dicitur in hoc libro.* Ralbag: אלה שרי הנצבים] *Significat præpoſitos ſuper* נציבים (præſidibus conſtitutis) *qui fuerunt præpoſiti univerſales.* Quinquaginta & quingenti, dominantes in populo, facientium opera *Iam meminimus in antecedentibus* (במה שקדם) *quæ fuerunt de tribus millibus & trecentis dominantibus in populo facientium opus. Trecenti de proſelytis, qui reſidui è numero eorum, ſicut declaratum eſt ex eo, quod memoratum eſt de numero eorum, in* (סדר) *capitulo Chronicorum. Et ecce fuerunt illic præterea præfecti ſuper illos, ducenti & quinquaginta viri, ut memoratum in libro Chronicorum in hoc loco: Et forte quod illi ducenti & quinquaginta viri fuerint ex Iſraël & præfecti fuerunt ſuper omnes. Ideo numerat eos in libro Chronicorum, poſtquam ſupra meminiſſet, quod fuerit Salomo ponens filios Iſrael & dixiſſet quod fuerint viri belli.* Antequam Mello ædificaret, filiam Pharaonis in domum illi conſtructam introduxit è civitate Davidis (1. Reg. 9. 24. 2. Chronic. 8. 11.) In loco Chronicorum additur ratio: Uxor mea non habitabit in ædibus Davidis, regis Iſraelis, quia ſancta ſunt, ad quæ venit arca Domini. Mulier in loco ſacro iſto tantum pro tempore potuit commorari. Univerſum ordinem cultus Dei conſtituit ex lege Moſis, quantum ad ſacrificiorum ritus & dierum feſtorum, ex inſtituto David diviſiones, ſortes & excubias miniſtrantium. In nullo migratum eſt inſtitutum Davidis quoad ſacerdotes & Levitas, in negotio & theſauris. Singulis annis ter immolabat rex holocauſta & pacifica in ara, quam condiderat & incenſum dabat in altera, quæ ad oraculum.

SUL-

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

CAP. LXII.

Nterea Salomon florens opibus, omnium, qui unquam fuerunt, regum ditissimus: quique semper ordo rerum est, ab opibus in luxum & vitia delapsus, cum adversum interdictum Dei ex alienigenis conjugia sumpsisset, etiam esptingentas uxores & trecentas concubinas haberet, idola eis ritu gentium suarum, quibus litarent, constituit. Quibus rebus aversus Dominus, graviter increpito pœnam denunciavit, fore ut regnum ex parte majore ademptum filio, servo illius traderetur. Idque ita accidit. Defuncto Salomone anno Imperii quadragesimo, cum Roboam filius anno ætatis sexto & decimo regnum patrium tenere cœpisset, pars populi ab eo offensa discedit. Etenim cum laxari sibi stipendium poposcisset, quod Salomon gravissimum imposuerat, repudiatis precibus supplicum, favorem universæ plebis averterat. Itaque consensu omnium imperium ad Hieroboam defertur. Is medio genere ortus aliquandiu Salomoni servitutem pependerat. Sed cum ei responso Achiæ Prophetæ Regnum Hebræorum annunciatum comperisset, necare eum clam destinaverat. Quo metu in Ægyptum confugit: ibique uxore accepta ex stirpe regia, cognita demum Salomonis morte, in solum patrium regressus, voluntate populi, ut supra retulimus, sumpsit imperium. Penes Roboam tamen duæ tribus, Iudæ & Benjamin, resederant: ex his ad trecenta millia paravit exercitum. Quumque acies promoverentur, verbis Dei populus admonetur, prælio abstineret, ex suo nutu Ieroboam regnum accepisse. Ita spreto regis imperio exercitus dilapsus Hieroboam imperium invaluerat.

DRUSIUS.

EX ALIENIGENIS CONJUGIA SUMPSISSET] Id est, uxores alienigenas, videlicet filiam Pharaonis regis Ægypti, Moabitidas, Ammonitidas, Idumæas, Sidonias, Chetthæas, 3. Reg. 11. 1. Ut hic, *conjugia ex alienigenis sumere:* ita supra 40. dixit, *matrimonia ex victis assumere.*

IDOLA] Simulachra Chamosi, Astartes & Molochi.

SERVO ILLIUS] Jeroboamo.

SEXTO ET DECIMO] Corrige audacter, *uno & quadragesimo*, ex 2. Paralip. 12. 13. Error ut apparet ex numeris. Nam proclivis profecto lapsus de XLI. in XVI.

REGNUM PATRIUM] Præferrem, *paternum*: nisi Sulpicio patrius & paternus promiscuè usurpari scirem. Sanè *urbem paternam* idem dixit pro patriam, infra lib. 2. c. 13.

PARS POPULI] decem tribus.

HIEROBOAM] Codex Parisiensis, *Ieroboam*; in aliis est Hieroboam: quomodo Sulpicium scripsisse putarim: ei simile Hierusalem pro Jerusalem. Cæterum duo fuerunt hoc nomine: Jeroboam senior, qui patrem habuit Nabat dictum, & Junior qui filius Joas vocatur, Amos. 1. 1.

MEDIO GENERE ORTUS] Neque regio, neque plebejo, sed medio inter utrumque Pater ei Nabat, ut diximus, mater Serva. Genere autem Ephratæus erat, & servus, id est, aulicus Salomonis.

SERVITUTEM PEPENDERAT] Supra 41. *captivitatem pependerunt*, & infra lib. 2. c. 15. *pependisse servitium*.

ACHIÆ] Vel Ahiæ Prophetæ, qui & Ahias Silonites vocatur.

REGNUM HEBRÆORUM] Israëlitarum potius, id est, decem tribuum.

IN ÆGYPTUM CONFUGIT] Ad Sesac Regem Ægypti.

IBIQUE UXORE ACCEPTA EX STIRPE REGIA] Hoc de Hadad Idumæo Scriptura prodidit. Vide 3. Reg. 11. 19.

DUÆ TRIBUS] Una habetur 3. Reg. 11. 36. sed sub hac una comprehendebatur etiam tribus Benjamin. Vide quoque 3. Reg. 12. 20.

AD TRECENTA MILLIA] Legendum, *ad ducenta millia*. Nam erant centum octoginta millia. Quamvis in editione Romana ἑκατὸν ϗ̀ εἴκοσι 3. Reg. 12. 21.

VERBIS DEI] Per Semejam virum Dei, id est prophetam.

SCHOTANUS.

FLORENS OPIBUS, OMNIUM] Divitiæ & opes Salomonis unde comparatæ & quantæ fuerint, Scriptura narrat. Habuit mari & terra advectas. Navium ejus classes per mare è longinquis oris attulisse aurum, argentum & peregrinas merces scribitur. Ita habetur 1. Reg. IX. v. 26. 27. 28. *Rex Salomo etiam faciebat naves in Asion-gaber, quæ est apud Elath, in littore maris algosi, in terra Edom. Et Hiram mittebat cum navibus illis suos servos, nautas, peritos maris, cum servis Salomonis. Hi veniebant in Ophir & illinc afferebant aurum* &c. Sic 2. Chronic. 8. 17. 18. *Ibat Salomo in Asion-gaber & Elath ad littus maris, in terra Edom. Et Huram mittebat illi per manum servorum suorum, naves, item servos, peritos maris: qui ibant cum Salomonis servis in Ophir & afferebant illinc* &c. Tum 1. Reg. 10. 11. *Præterea naves Hiram, quæ aurum advehebant, ex Ophir afferebant plurimum lignorum Almuggim & lapides pretiosos.* Et v. 22. *Nam rex habebat in mari naves Tharsis* (אני תרשיש) *cum navibus Hirami: Hæ naves Tharsis veniebant semel in triennio, afferentes aurum &c.* 2. Chronic. IX. 10. *Præterea Hirami servi & Salomonis servi, qui afferebant aurum ex Ophir, afferebant ligna Almuggim & gemmas.* v. 21. *Nam regiæ naves navigabant in Tharsis cum servis Hurami: semel triennio adveniebant naves è Tharsis &c.* Tharsis aliquando regionis nomen est, ut Ezech. 27. 12. aliàs significat vastum & patens mare. Hic pro mari sumi patet, quia quicquid è Tharsis advectum est, ex Ophir venit. Quando pro regione sumitur, significare Hispaniam aut Tartessum doctissimo Bocharto nun-

nunquam concesserim. Multò minus Africa est aut Indiæ regio. Hispani Jesuitæ ut patriæ suæ gloriam cumulent, navigationem Salomonis ex parte in Hispaniam contendisse asserunt. Tarsis Josephus interpretatur mare Tarsicum: *Πολλαὶ γὰρ ἦσαν νῆες, ἃς ὁ βασιλεὺς ἐν τῇ Ταρσικῇ λεγομένῃ θαλάττῃ καταστήσας, ἀπάγειν εἰς τὰ ἐνδοτέρω τῶν ἐθνῶν παντοίαν ἐμπορίαν προσέταξεν ὧν ἐξεμπολουμένων ἄργυρος* &c. Vilium mercium è Judæa & Phænice allatarum commutatione comparatas esse Indorum opes certum est. Tarsis non est mare Indicum sed quodvis. Hieronymus variis in locis Tharsis vel Indiæ regionem esse vel omne pelagus ita appellari scribit. Sic in explicatione ultimi capitis Esaiæ: *Tharsis lingua Hebræa mare appellatur, & ut ajunt, Indiæ regio, licet Iosephus litera commutata Tharsum putet nuncupari pro Tharsis urbem Ciliciæ.* In Jonæ commentariis: *Vnde imitatus Cain Ionas & recedens à facie Domini, fugere voluit in Tharsis, quam Iosephus interpretatur Tarsum Ciliciæ civitatem, prima tantum litera commutata. Quantum verò in Paralipomenon libris intelligi datur, quidam locus Indiæ sic vocatur. Porro Hebræi Tharsis mare dici generaliter autumant, secundum illud:* In spiritu vehementi confringes naves Tharsis, *id est, maris. Et in Isaia.* Ululate naves Tharsis. *Super quo ante annos plurimos, in epistola quadam ad Marcellum dixisse me memini. Non igitur propheta ad certum fugere cupiebat locum sed mare ingrediens quocunque pergere festinabat, & hoc magis convenit fugitivo & timido, non locum fugæ otiosè eligere, sed primam occasionem arripere navigandi.* Ipsius verò Epistolæ ad Marcellum hæc verba sunt: *Quæris si Tharsis lapis Chrysolitus sit aut Hyacinthus, ut diversi interpretes volunt, ad cujus coloris similitudinem Dei species scribatur. Quare Ionas propheta Tharsis ire velle dicatur, & Salomon & Iosaphat in Regum libris naves habuerint, quæ de Tharsis solita sint exercere commercia. Ad quod facilis est responsio, homonymum esse vocabulum, quod & Indiæ regio ita appellatur, & ipsum mare quia cæruleum sit & sæpe solis radiis percussum, colorem supradictorum lapidum trahat, & à colore nomen acceperit, licet Iosephus τ. pro θ. litera mutata Græcos putet Tarsum appellare pro Tharsis.*

Quidam Cubam seu Hispaniolam & Americam Ophir volunt fuisse, ut Rabanus & Nicolaus de Lyra: hodie vir doctus de America Tharsis interpretatur. Alii Ophir accipiunt de Sofala Africæ. Utramque sententiam de Ophir refellit Caspar Varrerius tali dissertatione: *Quod vero insula* Hispaniola, *non sit Ophyra regio, adeò in promptu est, ut nullis nec argumentis nec rationibus egeat. Verum, quia communi judicio popularique intelligentiæ, quæ disciplinarum rationes minus attingit, accommodandæ sunt plerunque rerum argumentationes, id existimavimus faciendum, etiamsi doctioribus minus gratum futurum esse videatur.*

Primum omnium, illud maximè in confesso est, illam terrarum immensitatem & se in maximam latitudinem effundentem, quæ jam satis pervulgato vocabulo Terræ novæ nuncupantur, quam nostra memoria Hispani duce Christophoro Columbo Ligure, longis periculosisque navigationibus in Oceano Atlantico exhaustis repererunt, non modo ætate Salomonis Regis à nullis Asiæ, Africæ, atque Europæ gentibus: sed nec infinitis propè posterioribus seculis fuisse cognitam.

Nec illi mea quidem sententia audiendi sunt, qui hanc insulam eam ipsam esse arbitrantur, quam Aristoteles prodidit Carthaginenses olim invenisse ultrà Gades, multorum dierum navigatione, legemque hujusmodi constituisse, ut capitale esset, siquis eam incoleret, quia sic consultum fortasse videretur publicis illius Reipublicæ rationibus. Quis enim id pro certo affirmet in tanta insularum multitudine, quibus mare ipsum Atlanticum ad omnes cœli plagas veluti quibusdam maculis distinguitur? Sed esto, vera sint quæ de hac insula opinantur, nonne Salomon Carthaginis originem antecessit 150. annis ut auctores sunt Iosephus, & Eusebius Cæsariensis Episcopus? Accedit huc nec esse probabile

nec

nee verisimile, insulam ab Aristotele memoratam, in ipso statim Carthaginis ortu fuisse repertam, sed potius postquam urbs illa Romani Imperii æmula crevit, bonamque Africæ partem imperio ac ditione tenuit. Quibus viribus aucta, potuit fortasse ad maris etiam imperium animum adjicere. Nam duorum Pœnorum longinquas navigationes, ex Strabonis, Pomponii Melæ, Plinii, & aliorum auctorum monumentis, constat fuisse multis annorum curriculis post conditam Carthaginem, nempe in ipso urbis incremento, & ut ipse Plinius ait, florentissimis rebus Punicis. Præterea navigatio ipsa à mari Indico in Atlanticum, per Australem orbis plagam, non modo Salomonis ætate, nondum nota, sed nec satis explorata fuerat, usque ad tempora Emmanuelis Portugalliæ Regis inclyti. Cujus classes velis audacibus magnum illum Oceanum longè lateque diffusum percurrentes, utramque Indiam citra & ultra Gangem penetraverunt: erroremque Claudii Ptolomæi Alexandrini illustris Mathematici, aliorumque existimantium Indicum mare, minimè ad Oceanum Atlanticum pertinere, toti orbi summa cum laude eripuerunt. Nec illud me movet, quod scriptores aliquot (in quorum est numero, cujus modo mentionem feci, Plinius) memoriæ prodiderunt, extitisse aliquot multis ante seculis, qui ab ortu in occasum, per magnum ac prope immensum illum maris circuitum navigassent, ut de quodam Eudoxo accepimus, (forte capite damnatus) cum iram Ptolomæi Lathyri Ægypti Regis, quam incurrerat, declinare properasset, è sinu Arabico solvens fortunæ libidini & pelagi arbitrio se committens, usque Gades tandem pervenisse narratur. Sed nec me movent signa navium Hispaniensium, in mari Rubro ex naufragio reperta, tempore Tiberii Romanorum principis. Nec navigatio Hannonis Carthaginensis à Gadibus ad finem Arabiæ, quam literis prodidisse etiam fertur. Nam hujusmodi navigationes etiamsi fieri potuerunt, præterquam quod casu aut felicitate quadam potius accidisse, mea quidem sententia. videntur, quam consilio aliquo, aut scientia navigandi tantam incogniti & procellosi maris vastitatem, tamen non tam probatæ vel illis vel posterioribus seculis extitere: nec tantam fidem facere potuerunt, quanta opus erat ad tam inusitatam & periculis plenam navigationem aggrediendum. Suspecta namque ut arbitror, vulgò maximè fuerunt. Quapropter Strabo nobilis Geographus, historiam, quam Heraclidem Ponticum narrasse dicit, de certis navigationibus cujusdam Eudoxi Cyziceni, tempore Euergetis secundi Regis Ægypti, tanquam ineptam fabulam rejicit & explodit. In qua scripsisse asserit eundem Eudoxum, è mari Rubro in Æthiopiam delatum, lignum quoddam navigii, in quo effigies equi insculpta erat, se reperisse. Quod cum in Ægyptum detulisset, tandem à quibusdam naucleris (nostri maris forsitan navigationibus assuetis) Gaditanarum esse navium comperisse. Quo argumento satis sibi persuasum esse asserebat Eudoxus, totius terræ globum undique Oceano circumfundi. Quæ (tametsi vera extitisse crediderim) neutiquam refelleret nobilis Geographus, si in ea qua fuit ætate, navigaretur tota illa pars Australis Oceani, quemadmodum à nostris hominibus navigatur hodie, idque tanta ferè facilitate, quanta mare nostrum à cunctis fere nationibus Africæ & Europæ navigatur. Quando igitur illis temporibus, non modo non ita absoluta, ut oportebat, & plena quadam cognitione hæc navigatio pernoscebatur; nec ullis Geographicis Tabulis illustrata circunferebatur, quo littora & promontoria, portus, urbes, fluminumque ostia, atque horum omnium situs, ex certa cœli & syderum observatione internosci quocunque tempore adirique possent, sed etiam à Claudio Ptolomæo disciplinarum Mathematicarum peritissimo omnino sublata fuerat, qui fieri poterat, ut ætate Salomonis notum esset, quod nulla tot seculorum posteritas, præterquam memoria nostra, usu & experientia consecuta est?

Sed esto, Hispaniola *Insula Ophyra sit regio. Quorsum attinebat per tot vastissima vagari maria, & universum penè orbem laboriosissima navigatione, infinitis penè & casibus & erroribus obnoxia, peragrare, si per fretum Herculeum è nostro mari in Atlanticum exeuntibus, compendiaria navigatione & breviore temporis inter-*

intervallo, illuc licebat pervenire? Iam illud prætereundum censeo, quod hæc insula, præter aurum, nihil earum rerum gignat, quæ ex Ophyra Salomoni apportabantur, videlicet gemmas pretiosissimas, ebur, pavones, simias, & ligna optima, ex quibus cithara, aliaque Musicorum organa fabricabantur. Suspicor Vatablum istue ipsum habuisse ex libris Petri Martyris Anglariensis. Is enim narrat Christophorum Columbum, cum primum hanc Insulam reperisset, atque Indiæ partem, aut certè illi finitimam, ob plurimam auri ubertatem, illic animadversam, esse existimasset; persuasum habuisse Ophyram esse.

Quod verò nec Sofala *insula sit Ophyra regio, quam, supra diximus, Volaterranum ab aliquibus* Ophyram *fuisse existimatam, commemorasse, & quam Ludovicus Venetus, cum illuc appelleret, idem sibi Lusitanos quosdam affirmaße significat; ex toto nostro disputationis contextu, facile apparebit, quam rectè judicaverit Venetus, illos id falsò opinari.*

Grotius in v. 26. & 28. IX. cap. Primi regum ita commentatur. IN TERRA IDUMÆÆ] *Hinc videmus ad mare Rubrum usque pertinuisse Idumæos fines. Et ex nomine Edomi in Græcum verso mare illud Erythræum dictum est: quod male Latini Rubrum vertere, cum Erythram regis antiqui esse nomen rectè notent Strabo, Arrianus, Ctesias apud Photium, Solinus, Curtius, Stephanus. Cum Idumæam omnem perdomuit David, etiam hoc oppidum maritimum ad eum devênit. At unde Tyrii navigarunt? A Tyro Insula in sinu Arabico Tyriorum colonia, de qua videndus Strabo lib. XVI. & Stephanus. Nec aliter nomen hujus Insulæ scribunt Manuscripti libri Ptolomæi. Alii verò Tylen vocant, ut & Stephanus monuit, per tempora corruptâ pronuntiatione sed coloniam Tyriorum esse apertè dicit Strabo: quidam hanc insulam in Persico ponunt sinu: Theophrastus in Arabico: Plinius modò in Persico, modo in Arabico, nisi plures insulæ fuêre ejusdem nominis.*

28. IN OPHIR] *Pro* אופיר *& Lxx. & Iosephus legerunt* סופיר *hic & ubi in sequentibus idem nomen occurrit. Vbi verò dicemus hanc fuisse terram, an ad dextram egredientibus mare Rubrum, id est, in Africa; an ad sinistram, id est in Asia? In Asiam & quidem in partem Indiæ, quæ aurea dicitur, nos ducunt & Iosephus & Hieronymus. Lusitanorum quibus ea ora maximè pernotuit eruditissimi ajunt in eam partem Indiæ, quæ ultra Gangem est & Regnum Pegusia nunc dicitur, congruere omnes quas hic & infrà X. 11. & 22. habemus notas. Esse enim ibi auri & argenti magnam copiam, gemmas optimas, elephantes, simias, pavones, præterea ligna pulcherrima, unde cithara fiunt. Et fortè sapphiri nomen habent ab ea terra, & Sambra urbs apud Ptolomæum. Cogitemus tamen an fortè non in Indiam usque iverint naves Phœnissæ & Iudaïcæ, sed ad oppidum adsitum Arabico sinui, qua is ad Oceanum spectat, quod Aphar vocat Arrianus, Plinius Saphar, Ptolemæus Sapphara, Stephanus Sapphirinam, ut Indi nempe suas res huc tulerint, inde autem petierint longius ab India absiti.*

Lyranus communem veramque sententiam secutus quod sit regio Indiæ, eam fabulose describit: *Nomen est*, inquit, *provincia in India. In qua sunt montes habentes mineras auri: sed à leonibus & bestiis sævissimis habitantur: propter quod nullus ibi audet accedere, nisi navi stante prope littus ad refugium: & tunc nautæ explorantes horam, qua dictæ bestiæ se elongant, subitò exeunt & terram effossam unguibus leonum in navem projiciunt & recedunt. Quæ terra postea in fornacem projicitur, & quod est impuritatis consumitur & amovetur virtute ignis & remanet aurum purum.* Eadem apud Rabanum & Bartholomæum Anglicum. Josephi sententia est Ophyram esse illam regionem quam Græci mercatores χρυσῆν γῆν appellabant. Eam sententiam explicat & defendit Caspar Varrerius. *Nam Claudius Ptolemæus*, inquit, *eam ipsissimam, (ut Plautino more loquar,*

loquar; in India sitam scribit, libro septimo undecimæ Tabulæ Asiæ, his verbis. Super argenteam autem regionem in qua multa dicuntur esse metalla non signata, superjacet autem Aurea regio Besyngitis appropinquans, quæ & ipsa metalla auri quam plurima habet. *Hæc Ptolomæus. Quoniam vero ultra peninsula est: ad quam mercatores ex aurea regione exque insula Sumatra, tanquam ad nobilissimum totius Orientis emporium, maximam (ut hodie fit) auri copiam conferrent, evenit ut* Aurea Chersonesus, *appellaretur, cujus omnes meminere Geographi, omniumque maximè Ptolemaus. Quæ sine controversia eadem ipsa est, ubi oppidum nunc Malaca positum, sub imperio ac ditione Portugalliæ regum est, permanetque & durat ad hoc tempus, apud idem oppidum celebris cunctarum rerum mercatus, quo omnes negotiatores Orientalium partium, emendi & vendendi gratia confluunt. Cui oppido, propterea quod in extremitate cujusdam promontorii, quod Ptolomæus* Maleicolum *appellat, situm est, nomen* Malaca *inditum existimo.* Eamque terræ lingulam in altum excurrentem, mare vi reciprocantis æstus, à continente, cui tamen ponte conjungitur, abstulit. *Quo effectum est, ut* Malaca *in insula remanserit. Quemadmodum insula* Ormuzia, *(quæ ab incolis alio nomine Gerun appellatur) ubi totius regni Persici celebre emporium est, nomen traxisse videtur ab Armuzia à Plinio in eadem Carmaniæ parte, ubi hodie Ormuzium regnum est, commemorata. Hæc icirco meminisse libuit, ut gratiam inirem à curiosis in exquirendis antiquitatis vestigiis. Verum, ut ad propositum revertamur, si quis Ptolemai Tabulas, cum nostris Geographicis Tabulis, à peritissimis nauticæ artis hominibus confectis, diligenter contulerit, jam profectò reperiet inter sinum Gangeticum (nunc* Bengalicum *appellatum) & auream Chersonesum Auream & Argenteam regionem esse positam. Quo terrarum situ Pegusium regnum esse nemini dubium est. Atqui huic nostræ opinioni confirmandæ satis fidem debet constituere, quod citra & ultra Gangem nulla pars Indiæ sit, quæ aurum gignat præter* Pegusium & Somatram *insulam, quam multi falsò opinati sunt esse* Taprobanam. *Vt enim à nobis in quibusdam nostris Geographicis observationibus satis disputatum est, constat eam esse insulam* Taprobanam, *quæ his temporibus eodem ipso pene nomine Seilan appellatur, quo jam olim, auctore Ptolomæo, fuerat nuncupata. Quapropter omnem illam oram, quæ Pegusiis, Malaca & Somatra continetur, apud divinam historiam,* Ophyram *regionem esse appellatam facilè contenderim, ob locorum vicinitatem, quam inter se habent, ut nullus terrarum interjectus reperiatur. Nam ora ea maritima à sinu Gangetico in Pegusium, hinc autem in Malacam excurrit. Ab hac verò urbe ad Somatram, exiguus maris trajectus interpositus est. Cujus incolæ, illi præsertim qui* Benancabi & Barri *nuncupantur, ingentem auri vim ad Malâcæ Mercatus semper importare consueverunt. Præterea illud maximo ad hanc rem argumento esse arbitror, quod ingens cæterarum rerum copia apud Pegusium sit, quæ præter aurum & argentum ex Ophyra regione Salomoni offerebantur. Nam gemmas cujuscumque generis pretiosissimas, Indorum nulli præterquam Pegusii vendunt. Simias & Pavones quam plurimos habent. Sylvis lignorum pretiosorum, ex quibus apud nos citharæ aliaque id genus Musices instrumenta conficiuntur longè plurimis abundant.*

Clarissimus Bochartus Taprobanen, quæ hodie Seilon appellatur, Ophir Salomonis esse existimavit. Non probo quod Ophir Jectanis filium in Arabia collocet, sed Taprobanen amplissimis finibus Ophir contineri non abnuerim. Qui putant in Americam trajecisse naves Salomonis argumentum petunt è triennii insumptione, cum in Indiam brevior fuit navigatio. Hic responsionem Varrerii describere & subjicere etiam placet: *Narrat rerum Iudaicarum historia* Classem Salomonis *(ut ejusdem verbis utamur) cum Classe Hira semel per tres annos*

annos ire in Tharsis. Quæ verba in hunc sensum explicat Iosephus, ut hujusmodi navigationem ante triennium, haudquaquam fuisse confectam & absolutam existimet. Nos verò, tametsi hunc locum aliter ac censet Iosephus, intelligi posse (ut postea disputabimus) arbitramur, tamen pro virili parte, quantum fieri possit, ne aliquis resideat scrupulus, nonnullas colligemus rationes, quibus illum rectè sensisse intelligatur. Porro ut causas dubitationis explicemus, cum hac tempestate usu & experientia compertum sit, illos, qui à mari Rubro secundo cursu Auream Chersonesum navigare, atque inde commodè renavigare solent, totam navigationem decimo mense, aut summum, anno conficere, apparet omninò incredibilis & absurda illa navigatio, quæ cum unum atque idem maris spatium percurreret, id præterquam triennio non absolveret. Quæ causa impulit Franciscum Vatablum, ut crederet tam longi temporis intervallum, cum longissima hujusmodi convenire navigatione qualis esset à sinu Atlantico maris Rubri ad Hispaniolam Insulam. Ex quibus facile intellectu est, aut Ophyram regionem non esse ad oram maritimam Pegusiorum & Aureæ Chersionesi atque Sumatræ, aut, tam diuturnam navigationem, quæ perpetuum triennium complecteretur, esse prorsus vanam & commentitiis fabulis, quam vero similiorem. Sed si rectè diversæ temporum rationes expendantur, jam profectò non inepta nec absurda hæc Iosephi interpretatio judicabitur. Etenim si hujus facultatis, quæ vocatur navigatio, sive artis sive scientiæ volumus considerare originem, facile reperiemus, eam sicut aliarum artium & disciplinarum principia, ab exiguis initiis esse ortam atque deductam. Nam cum principio animadvertissent homines, magnas atque ingentes utilitates in fluminum & maris navigationibus esse constitutas cœperunt inire rationem, qua eis ad vitæ usus necessarios uti commodè & utiliter possent. Itaque primum rudis illa ætas, trabes invicem connectere atque conjungere cœpit, quas rates appellavit. Quibus primò in fluminum transvectionibus utebantur, deinde per ipsa flumina vecti ad finitimos importabant ea, quorum maximè indigere intelligebant, ex quorumque permutationibus alia similiter compararent, quibus etiam ad vitam tuendam & propagandam carere non poterant. Postmodum scaphas & lembos aliaque id genus minuta navigia, per solertiam excogitarunt: velis & remis, multisque rebus ad usus nauticos pertinentibus, paulatim inventis, non modo instruxerunt, sed etiam aliis ad decorem & ornatum appositis illustrarunt. At crescente jam cum longa experientia, & frequenti hujus rei usu, audacia, in altum se majoribus navigiis contulerunt. Primum propter oram maritimam navigantes, propinquitate continentis animos faciente, deinde ad interiora maris eos ducente peritia, cœpere procellosis fluctibus se opponere, & jam audacter ventis vela dare atque confidenter tandem & strenuè longa maris spatia transmittere. Vnde colligitur, hujus artis nauticæ scientiam, paulatim & per quosdam velut ætatis gradus crevisse, adeo ut, auctore Plinio, remum Copæ, & ejus latitudinem Platea, vela Icarus, Tyrrheni anchoram, malum & antennam Dædalus, rostra Piseus, Samii hippagum, & alia alii diversis temporibus invenerint, & plurima adjumenta huic arti subministraverint. Nec in tot sæculorum ætatibus, ad perfectam illam & omnibus suis numeris expletam navigationis rationem pervenerunt, usque ad illud tempus, in quo multa quoque Mathematices disciplinæ, ad rei nauticæ facultatem maximè pertinentia, fuerunt excogitata instrumenta. Quorum illud extitit, valdè post homines natos admirandum, quod vulgo Acum Nauticam appellant: Quæ septentriones nimia & mira quadam insita aviditate, ex vi contactus magnetis lapidis contracta, appetit: & cuspide veluti digito perpetuo ostendit. Cujus vim, nativamque lapidis in Arctos semper respectantis, antiquis ignotam fuisse manifestum est. Hinc illa summa admiratio, quam Argo navis, Argonautarumque è Thessalia in Colchos perquam brevis navigatio illis temporibus excitavit. Hinc Vlyssis nescio quos errores, priusquam in Siciliam Insulam ab Ilio pervenisset, intra tam exigua maris spatia exhaustos, admirata est maximè Antiquitas, quos illustris ille Græcus Poëta propterea egregiis decoravit numeris. Quum igitur (ut diximus) hæc ars non subito, sed per longa temporum intervalla nacta fuerit incrementa, repertæ sunt compendia-

pendiariæ navigationes, usu & consuetudine navigandi. Nam, ut Plinius refert, cum ab Syagro Arabiæ promontorio (quod hodiè Fartacum appellatur) Patalam Indiæ urbem petere consuetum esset, posterior ætas breviorem tutioremque esse navigationem, ab eodem promontorio ad amnem Zizerum, Indiæque portum credidit, diuque ita navigatum esse dicit, donec avidi & lucro inhiantes mercatores, aliam magis compendiariam navigationem invenerunt, qua singulis quibusque annis Romani in Indiam navigabant. Quo in loco (ut supra memoravimus) diligenter scribit, quem cursum Romani terraque marique, dum Indiam peterent, ad species, aliaque id genus aromata comparanda tenebant: & quo anni tempore hinc atque illinc proficiscebantur, quantoque spatio (quod annum esse significat) totum illud iter usque dum reverterentur conficiebant. Ita igitur usque ad Plinii tempora certos quosdam progressus fecisse videtur navigatio. Veruntamen multò ampliores usque ad nostram ætatem. In quo genere jure laudantur Lusitani, qui magnum fundamentum perpetuæ suæ commendationis & famæ jecisse, atque memoriam nominis sempiternam consecuti esse videntur, apud quos magis quam in cæteris nationibus hæc ars exculta est. Cum primi Atlanticum navigantes, cunctam Mauritaniæ & Æthiopiæ oram, usque ad magnum & vastum illud Bonam Spem *Promontorium, maris interiora magno impetu irrumpens, atque ab antiquis Geographis ignoratum, summa cum animi fortitudine & solertia, & magnis tandem exantlatis laboribus explorarunt, temporibus Infantis Henrici & Ioannis Portugalliæ Regis secundi, & plurimis annis antequam Christophorus Columbus Ligur occidentalem Oceanum navigasset, viamque munitam posteris reliquere, quâ perfectum est, ut postmodum in Indiam ab Vlisippone, summa, ut hodiè fit, facilitate navigaretur. Vt igitur hanc partem disputationis concludam: in illa ætate, in qua necdum tam strenuè tantaque artis peritia maria percurrebant homines, interdiu navigare, noctu verò in anchoris diem exspectare consuescebant. Vt nunc quoque fieri videmus in sinu Arabico, propterea quod illic & vadosum & maximè scopulosum sit mare. Tum etiam quoad fieri poterat, propter oram maritimam, atque secundis duntaxat flatibus navigabant, eò quod nondum aliis ventis vela dare, ad usumque & utilitatem navigandi trahere noverant, ut posteris temporibus inventum est. Alia tam tardæ ac lentæ navigationis causa erat, quod ob maris & locorum maritimorum insolentiam, naucleros pro diversitate regionum mutabant, aliosque mutuabantur vicinarum navigationum scientissimos: ut à nostris hominibus factitatum fuisse satis compertum est, cum primum in Indiam navigarunt, propterea quod certiorem & tutiorem cursum ignorarent. Sed alia quoque hujusce rei erat causa, quod cum id temporis navigia, propter modicam magnitudinem tantum cibariorum numerum capere nequivissent, opus erat aquandi & commeatus gratia, sæpius apud maritima loca ad id maximè opportuna, moras producere. Ad hæc mare Indicum (ut satis notum est) hyeme, quæ apud Indos à Kal. Aprilis circiter Kalend. Octobris protenditur, adeò procellosis & immodicis tempestatibus agitatur, ut infestum & invium hoc tempore efficiatur. Præterea sunt in illo cælo stati ventorum flatus, (quemadmodum apud nos Etesiæ certo æstatis tempore) quos* Mousoas *vocant, quibus exceptis, idoneæ ad navigandum tempestates nullæ sunt. Quare oportet hos tempestivos ventos expectare. Nam qui à sinu Arabico seu Persico vel ab urbe Goa in Auream Chersonesum navigant, nec statim illinc renavigare valent, sed tantisper ibi manere opus est, dum hujusmodi venti flare incœperint. Quapropter tres aut quatuor, & amplius menses apud Malacum commorantur. Itaque cum illa ætate non admodum vigeret, ut postea viguit, hæc navigandi scientia, cumque dies non noctes & proximè oram maritimam navigarent, ex quo tardiores efficiebantur navigationes, propter longos orarum anfractus, veluti quosdam in semet reductos Mæandros, idque verno non hyemali tempore. Deinde, cum in crebras, tum aquationes, tum lignationes, & in perquirendos novos naucleros, atque in expectandos commodissimos ventorum accessus, postremò in aurum comparandum, seu rerum permutationibus, seu quacumque alia ratione id fieret, non modicum temporis insumendum*

dum

dum esset, nihil mirum videri debet, si totum cursum antè triennium conficere nequiverint, Mitto instrumentorum nauticorum duplices apparatus, quibus illa ætas in nautica disciplina nondum satis exercitata, opinor non utebatur. Quorum penuria solet sæpe numero cursus navigationum retardare, dum reficiendis navibus, vi ventorum ac tempestatum corruptis incumbunt ut usu venire videmus nostris navibus, ex India huc properantibus, quæ in Insula Mosambique hyemare eisdem de causis sæpissimè coguntur. Quanquam, ut superius diximus, illa verba sacræ historiæ, semel per tres annos, *etiam in hunc sensum & fortasse veriorem explicari posse arbitramur, ut trinis annis semel classis Salomonis solita sit in Ophyram regionem navigare, non autem quod perpetuos tres annos in hanc navigationem insumpserit. Accidere namque poterat, ut ex tam longa navigatione navès adeo dissipatæ & dissolutæ redderentur ut integrum triennium, tum in navigatione peragenda, tum in classe maris jactationibus corrupta & conquassata, reficienda insumeretur. Quemadmodum accidere nostris navibus in Indiam navigantibus solitum est, ut quam paucissimas extitisse credamus, quæ duas amplius navigationes, in tam longinquas oras perficere quiverunt. Nec sic integræ omnibus suis partibus redierint, ut non refici & instaurari ad iterum navigandum, malis, carinis, lateribus, proris, puppibus, antennis, velis, gubernaculis, aliisque hujusmodi ad earum robur & firmitatem stabiliendam opus eis fuerit. Quapropter mirari desinamus, cum Romani in ea ætate, in quà jam ars ipsa navigandi ampliores fecerat progressus, plurimum terra marique possent, annum tamen (ut auctor est Plinius) in eadem Indica navigatione, quæ citra Gangem continebatur, absumerent, classem Salomonis longius (quippe ultra Gangem) progressam (qui nec opibus, nec navali disciplina, antiquis illis temporibus, nondum satis cognita nec culta, cum Romanis esset conferendus) ante triennium conficere nequivisse.*

Pineda existimat triennii iter fuisse, quotannis tamen è tribus classibus unam rediisse in portum Asion-gaber: qui non est Berenice, ut falso putavit Josephus. Nam Asiongaber fuit in sinu Elanitico, cum Berenice fuerit in opposito littore, qua est Ægyptus. Præter hanc classem dederunt ipsi multum auri negotiatores & apothecarii. Heb. סוחרים *(alias)* אנשי התרים ומסחר הרכלים. Vulg: *Negotiatores & scruta vendentes.* Item reges & dynastæ Arabiæ.

In cap. IX. primi regum v. 28. dicuntur ex Ophir allata esse auri talenta quadringenta & viginti. In cap. X. v. 14. annuus reditus dicitur habuisse sexcenta & sexaginta sex talenta auri, præter illa, quæ à negotiatoribus & Arabum regulis. In lib. 2. Chronicorum cap. 8. v. 18. (Hic locus respondet. 1. Reg. IX. v. 28.) habetur quadringenta & quinquaginta auri talenta. Differentia est triginta talentorum: quam Kimchi ex eo esse putat, quod hæc בהוצאות הדרך in sumptus viæ sint impensa. Reditus summa annua repetitur 2. Paral. 9. 13. 14. Salianus super illa loca ita disserit: *Quamvis ergò dubium esse possit, an hæc summa sexcentorum sexaginta sex talentorum annuatim classe devecta sit, cum locus unde afferretur, ibi taceatur: id tamen satis clarum videtur, tum ex eo quod aliquot ante versiculis classis meminit, quæ aurum de Ophir portabat, id est, advehere solebat: quod mox explicatius dixit, per singulos annos. Nec absurda est opinio Vilalp. quam probat Pineda triplicem fuisse Salomonis classem, quarum singula tertio quoque anno redirent confecto cursu. Singulis tamen annis una rediret, & primam quidem classem quadringenta & viginti auri talenta devexisse: alteram 450. tertiam verò crescente hominum industria, effossorum multitudine, auri cupiditate, etiam copiosiorem prædam reportasse. Fieri etiam posset, ut publicani, quæstores, & alii mercatores redemerint reditus navigationis utriusque Salomonis, & pacti fuerint diversis annis diversam auri summam.*

Alios reditus expositores aliqui, dum multa undique conquirunt, obruunt potius & obscurant, quam illustrant. Satis enim clarum est eos, qui praerant vectigalibus, fuisse duodecim illos praefectos, qui recensentur in Scriptura; quibus praerat Adoniram: qui tam ex alienigenis, qui inter Israëlitas viventes tributa pendebant, quam ex ipsis Israëlitis, qui postea jugum durissimum sibi diminui postularunt, regia vectigalia & tributa exigebant.

Negotiatores accipio mercatores copiosiores, qui diversas regiones obeunt, variarum mercium magnam vim comparant, & eas deinde in patrio solo minoribus mercatoribus cum lucro vendunt, quales erant celebres illi negotiatores Tyri. Scruta vendentes intelligo mercatores minores, qui varia & multiplicia genera mercium particulatim populo divendunt, illos dicimus vulgò vendere, en gros, *istos verò,* en detail, *& hoc ferè modo interpretatur Pineda scruta vendentes, ut scilicet intelligantur non tam qui vilia & sordida vendunt* præfractam strigilem, & soleam dimidiatam, *quam varia & multiplicia ut illi, sed non sordida & abjecta, ut iidem. Adde ut ea minutatim vendant, per ulnas scilicet, & palmos, per libras & uncias. Isti ergo mercatores vario vectigali thesauros Regis augebant, sed minimè certo, & constanti; ideoque nec nominatim recensetur.*

Vicini denique principes, aut etiam remoti, amici, & fœderati crebro vel ipsi vel per se, vel per legatos Salomonem invisebant; sive ut certamen aliquod inirent Sapientiæ, quod memorat Iosephus, sive ut ejus admirabili sapientia fruerentur; sive ut augustissimum templum, mortalium omnium opinione magnificentius; ædes regias & omnem earum apparatum contemplarentur. Quod nominatim de Regina Saba legimus, quæ sicut ingentibus donis Salomonem affecit, ita & reliqui principes, & reges ejus amicitiam ingentibus muneribus celebrabant. Quod cumulatè probatur ex 2. Paral. Omnesque reges terræ, *inquit,* desiderabant, videre faciem Salomonis, ut audirent sapientiam, quam dederat Deus in corde ejus; & deferebant ei munera, vasa argentea, & aurea, & vestes, & arma, & aromata, equos, & mulos per singulos annos.

Pineda toto opere de rebus Salomonis, præsertim lib. 4. ubi de ejus divitiis: & 5. ubi de splendore domus: & 6. in quo de regiis ejus corporis atque animi ornamentis, nihil indiscussum reliquit, quod ad hoc argumentum pertineat. Et Villalpandus in eodem desudavit: qui Salomonis opes, Assyriorum, Persarum, Græcorum, Romanorum etiam reditibus & opulentiæ confert & præfert. Reges alii eum agnoscebant non pro domino sed eminentissimo: *qui omnia regum ornamenta cumulatius possideret unus, quam singula universi,* ut loquitur Salianus. Reges Oceani & insularum, item Arabum & Sabææ dona afferebant. Ita plerique reges terræ eum venerabantur. Qui hic Ctesiæ Assyria comparaverit, mendacia etiam ejus & vanitatem (ut diximus & repetivimus) videbit. Regina Sabææ ipsi attulisse dicitur centum viginti talenta auri. Adeò auri argentique quasi fluvios versus Hierosolyma derivaverat. Omnia ex auro vasa & ornamenta parabat, cum argentum vile fuerit eo regnante. Munera afferebantur quotannis, aurea & argentea vasa, vestimenta, armatura, aromata, equi, muli. Argentum Hierosolymis tanta copia erat, quanta silicum, cedrorum ut Sycomororum in vallibus. Negotiatores regii (Nam ipse mercaturam faciebat) quadrigas ex Ægypto & equos singulares mercabantur. Quadrigæ sexcentis argenti siclis, equus centum quinquaginta venibat: Hos illi negotiatores vendebant regibus Hetthæorum & Syriæ. Ex Ægypto etiam in alias terras deferebantur, filamenta linea מקוה. Hanc vocem malè interpretes per אספה congregationem reddiderunt. Interpretari oportet v. 28. & 29. cap. x. lib. 1. Regum collatè cum 2. Chronic. 9. 28. & cap. 1. v. 16. 17. Existimat

mat Fr. Junius currum aut equum onuſtum mercibus netum pro vectigali dediſſe, quia tranſeundum erat per terram Salomonis in Syriam. India ſeu Ophir dabat præter aurum argentumque, ebur, ſimias, pavones. Joſephus addit Æthiopes, pavones omittit. In Lxx. editione confuſa ſunt iſta, & multa alia, in hiſtoria Salomonis. Non mirum immenſis theſauris cumulatum fuiſſe cui navigationes in auriferam Indiam & peregrinarum mercium negotiatio, præter munera & tributa reditus in ſummam incredibilem augebant.

De Reginæ Sabææ viſitatione.

INter alios excita fuit fama Salomonis regina Sabææ (שבא) ut eum ænigmatis experiretur: qui ejus temporis mos erat. Hieroſolyma adveniebat cum ingenti comitatu. Camelorum numerus maximus erat, ferentium aromata, plurimum auri & gemmarum. Illi Salomon explicabat quicquid abditæ ſcientiæ noverat. Regina contemplata ſapientiam Salomonis & domum, quam ſtruxerat: & cibum menſæ: conſeſſus aulicorum & ſtationes eorumque veſtitum & pocillatores: & aſcenſum regis in domum Dei: rapta in ſtuporem, poſt ſilentium aliquanti temporis erupit in hæc verba: Verbum, quod in patria audivi de tuis rebus tuaque ſapientia veriſſimum fuit. Non potui credere, antequam adveni & oculis meis vidi. Nec mihi rumor partem dimidiam enuntiavit. Sapientia tua opesque excedunt famam ad me delatam. Beati viri tui, beati ſervi hi, qui coràm te perpetui adſtant & ſapientiam tuam audiunt. Benedictus Dominus Deus tuus, cui complacitum fuit te ſolio Iſrael imponere. Quia Dominus Iſrael in perpetuum diligit, ideò te regem conſtituit, ut jus & juſtitiam facias. Donabat Salomoni centum & viginti talenta auri: plurimum aromatum & gemmarum. Aromata pretioſiſſima erant, & in tanta quantitate, quantam nulli mortalium videre ad eam diem contigerat. Joſephum nunc comparemus; primò de regio ornatu & inceſſu deque oblectamentis: deinde de Sabææ reginæ viſitatione & acceſſu ad Salomonem. Joſephus veſtimenta illa pretioſa, quæ muneri dabantur à regibus & dynaſtis interpretatur *ἀλουργεῖς ἐσθῆτας.* Aurum dicit, *τὸ ὑπὸ τῶν ἐμπόρων ἀχθέν.* Equorum & curruum multitudini, quam prius habuerat, adjeciſſe quadringentos currus. Habuiſſe enim mille. Equos habuiſſe viginti millia. *Ἤσκηντο δ' οὗτοι πρὸς εὐμορφίαν καὶ τάχος, ὡς μήτ' εὐπρεπεστέρους ἄλλους εἶναι συμβαλεῖν αὐτοῖς, μή τε ὠκυτέρους, ἀλλὰ καλλίστους τε πάντων ὁρᾶσθαι καὶ ἀπαραμίλλητον αὐτῶν εἶναι τὴν ὀξύτητα. Ἐπεκόσμουν δ' αὐτοὺς καὶ οἱ ἀναβαίνοντες, νεότητι μὲν πρῶτον ἀνθοῦντες ἐπιτερπεστάτῃ, τὸ δὲ ὕψος ὄντες περίοπτοι, καὶ πολὺ τῶν ἄλλων ὑπερέχοντες, μηκίστας μὲν καθειμένοι χαίτας, ἐνδεδυμένοι δὲ χιτῶνας τῆς τυρίας πορφύρας. ψῆγμα δὲ χρυσίου καθ' ἡμέραν αὐτῶν ἐπέσηθον ταῖς κόμαις, ὡς στίλβειν αὐτῶν τὰς κεφαλὰς τῆς αὐγῆς τοῦ χρυσίου πρὸς τὸν ἥλιον ἀντανακλωμένης. Τούτων περὶ αὐτὸν ὄντων ὁ βασιλεὺς καθωπλισμένων καὶ τόξα ἐξηρτημένων, ἐφ' ἅρματος αὐτὸς ὀχούμενος καὶ λευκὴν ἠμφιεσμένος ἐσθῆτα, πρὸς ἕω ἔθος εἶχεν ἐξορμᾶν. Ἦν δὲ χωρίον τι ἀπὸ δύο σχοίνων, ὃ καλεῖται μὲν Ἤταν, παραδείσοις δὲ καὶ ναμάτων ἐπιρρόιαις ἐπιτερπὲς ὁμοῦ καὶ πλούσιον. Εἰς τοῦτο τὰς ἐξόδους ἐρρωμένος ἐποιεῖτο. Exercebantur hi, ad ſpeciem & celeritatem,* ut neque *ſpecioſiores alios illis comparare poſſes neque velociores: ſed & pulcherrimi omnium conſpicerentur & velocitas eſſet, cum qua certari non poſſet. Ornabant etiam eos, qui inſcenderent, primò juventa admodum delectabili florentes tum ſtatura conſpicui & plurimum aliis ſupereminentes, promiſſo capillitio, induti que tunicis Tyria purpura. Ramenta auri quotidie comis ſuis inſpergebant, ut radiarent eorum capita, fulgore auri ad ſolem repercuſſo. His ſtipatus rex armatis & arcubus inſtructis, ipſe vehens curru & alba veſte indutus, ad auroram ſolebat egredi. E-*

di. Erat prædium quoddam quod vocabatur Hettan, duobus schœnis distans ab urbe, Paradisis & affluxibus aquarum perennium delectabile & uber, in hoc egressus faciebat. Turbat vox ἐρώμενος quam Rufinus vertit *delectationis causa.* Memorat deinde regem (φιλόκαλον) viarum curam habuisse, easque quæ ducebant Hierosolyma, lapidibus stravisse nigris, ut commodissimas faceret viatoribus & ostenderet eminentiam opum & principatus. Sycaminorum copiam, in Judææ campis provenientium æquasse cedrini ligni multitudinem. Præcepisse dicit negotiatoribus Ægypti afferentibus ad se vendere currum cum duobus equis sexcentis drachmis argenti: & ipsum misisse eos regibus Syriæ & ultra Eufratem. Equos plurimos & præstantissimos edebat Ægyptus, sicuti & byssum. Hæc sive pro vectigali ingentes dabant reditus, sive à negotiatoribus empta in proximas regiones lucro ingenti distrahebantur. De regiis ædificiis, hortis aliisque molitionibus habetur Ecclesiastis cap. 2. Observandum in transitu, quod מקוה LXX transtulerint ἐκ Θεκουέ, nullo sensu: & ideo neglectum à Josepho.

Reginam illam, quæ accessit ad Salomonem narrat Æthiopiæ & Ægypti reginam fuisse: cum certum sit Sabæam in Arabia esse, regionem thuriferam. Nicaulen appellat, intelligens Nitocrin Herodoti: de quo postea dicemus. Hanc moram fama tanta nuntiante, voluisse coram cognoscere rei veritatem. Illam exceptam splendide deinde ejus sophismata prompte solvisse. Καὶ τὰ προβαλλόμενα σοφίσματα ῥᾳδίως τῇ συνέσει καταλαμβανόμενος, θᾶττον ἢ προσεδόκα τις, ἐπελύετο. Cætera, ut in Scriptura. Addit admiratam fuisse Divini cultus ordinem. Scribit ipsi donasse viginti talenta auri, in Græco & Latina editione Rufini. Porro, λέγουσι δ' ὅτι, inquit, καὶ τὴν τοῦ ὀποβαλσάμου ῥίζαν, ἣν ἔτι νῦν ἡμῶν ἡ χώρα φέρει δούσης ταύτης τῆς γυναικὸς ἔχομεν. Arborem opobalsami ab illa muliere in Judæam esse translatam: quod ita non est. Scribit etiam Josephus Salomonem multa redonasse, nec minora quam acceperat.

I. Reg. XI.

EX ALIENIGENIS CONJUGIA] Regum ille & sapientissimus & omni felicitate cumulatissimus seipsum suamque illam prosperitatem evertit. Ios. Γενόμενος δὲ πάντων βασιλέων ἐνδοξότατος καὶ θεοφιλέστατος καὶ φρονήσει καὶ πλούτῳ διενεγκὼν τῶν πρὸ αὐτοῦ τὴν Ἑβραίων ἀρχὴν ἐσχηκότων οὐκ ἐπέμεινε τούτοις ἄχρι τελευτῆς, ἀλλὰ καταλιπὼν τὴν τῶν πατρίων ἐθισμῶν φυλακήν, οὐκ εἰς ὅμοιον οἷς προειρήκαμεν αὐτοῦ τέλος κατέστρεψεν. Prædicatam illam cunctis gentibus & toto orbe felicitatem evertit, sapientia non usus ad rectum moderamen vitæ. Nam cum esset natura φιλογύνης, ut LXX textui superadjecerunt 1. Reg. XI. v. 1. Ios. εἰς γυναῖκας ἐμμανὴς καὶ τὴν τῶν ἀφροδισίων ἀκρασίαν; Non contentus indigenis; Ios. οὐ ταῖς ἐπιχωρίοις μόνον ἠρέσκετο: alienigenas duxit, præter filiam Pharaonis, Moabitidas, Ammonitidas, Idumæas, Sidonias, Hetthæas. Mirum in gestis Salomonis Hetthæorum, tanquam validæ gentis & reges plures habentis scripturam meminisse: de quo etiam dictum est in historia Judicum. Ios. Moabitidas oblitus Tyrias adjecit: quas sub Sidoniarum nomine scripturam comprehendere putamus. Lxx Scripturæ adjecerunt Syras & Amorrhæas, non exprimunt Sidonias. Duplex crimen fuit Salomonis: Primo adversus legem duxit alienigenas, deinde alienorum deorum cultum instituit. Ios. Παρέβη μὲν τοὺς Μωϋσέος νόμους, ὃς ἀπηγόρευσε συνοικεῖν ταῖς οὐχ ὁμοφύλοις, τοὺς δ' ἐκείνων ἤρξατο θρησκεύειν θεούς, ταῖς γυναιξὶ καὶ τῷ πρὸς αὐτὰς ἔρωτι χαριζόμενος. Τοῦτ' αὐτὸ ὑπειδομένου τοῦ νομοθέτου προειπόντος μὴ γαμεῖν τὰς ἀλλοτριοχώρους, ἵνα μὴ τοῖς ξένοις ἐπιπλακέντες ἔθεσι τῶν πατρίων ἀποστῶσι μηδὲ τοὺς ἐκείνων σέβωνται θεούς, παρέντες τιμᾶν τὸν ἴδιον.

ἴδιον. Lex est Exod. xxxiv. 16. Deut. vii. 3. Grotius: *Duplex crimen: primum quod multas ingenti numero, barbarico more, contra interdictum* Deut. xvii. 17. *Deinde quod Sidonias, id est, Cananaas & Hetthaas contra interdictum* Deut. vii. 3. *Hic fons maximorum malorum fuit Salomonis posteris populoque Hebrao, sapienter pravisus Mosi.*

Ex illo fluere ac retrò sublapsa referri
Spes Solymum: fracta vires, aversa Dei mens.

v. 2. Super quibus dixit Dominus] *Hoc refer ad Sidonias ut dixi, & Hetthaas apparet id in ipsa lege. Catera femina obiter nominantur, ut intelligatur, unde istam multitudinem feminarum sibi Salomon comparaverit & quam variarum formarum fuerit appetens, vere φιλογύνης ut hic habent LXX. quanquam & ex aliis gentibus feminas ducere non licuit, nisi legi subjectas* Nehem. xiii. 23. *Ex septem autem populis ne tales quidem, ne latens malum erumperet.* Ingentem numerum feminarum sibi junxit: נשים שרות/ Lxx *γυναῖκας ἀρχούσας*, reginas matronas, septingentas: concubinas (פילגשים) trecentas. Nobile illud carmen epithalamium, quod Salomon scripsit cap. 6. v. 8. meminit sexaginta reginarum, octoginta concubinarum. Igitur post id scriptum, numerum ita multiplicavit. Id scriptum est in nuptias ipsius cum Ægyptia, dialogismo adumbrans nuptias Christi & Ecclesiæ. Ipsum diem nuptiarum repræsentat, cum invitantur filiæ Sionis ut intueantur regem Salomonem cum diademate, quo eum mater sua die nuptiarum insigniverat, cap. 3. v. 11. Ideo in antecedentibus thalamus regis descriptus est v. 7. 8. 9. 10. Qui thalamus inter memorabilia ejus opera debet haberi. His mulieribus animum dedit: Agglutinatus est amore. Ideò cor ejus inclinarunt. Notat Josephus dupliciter victum esse. Primo ab amore, *τῆς εὐνοίας καὶ φιλοστοργίας ἠναγκάζετο παρέχειν αὐταῖς δεῖγμα τὸ βιοῦν εἰς αὐταῖς πατρίων ἦν.* Ipsarum mores imitari & præbere signum amoris, similem vivendi morem. Deinde ab ætatis decremento, quatenus senio labascens, quod semel malè cœperat, continuat. *προβαινούσης δὲ τῆς ἡλικίας καὶ τοῦ λογισμοῦ διὰ τὸν χρόνον ἀσθενοῦντος ἀντέχειν πρὸς τὴν μνήμην τῶν ἐπιχωρίων ἐπιτηδευμάτων, ἔτι μᾶλλον τοῦ ἰδίου Θεοῦ κατωλιγώρησε, τοὺς δὲ τῶν γάμων τῶν ἐπεισάκτων τιμῶν διετέλει.* Construxit igitur excelsum Chamos idolo Moabitarum (in monte ante Hierosolyma) & Moloch (vel מלכם) (Lxx malè *τῷ βασιλεῖ αὐτῶν*) idolo filiorum Ammon: similiter omnibus diis externarum mulierum: quæ suis diis immolabant & incensum dabant. Ipse etiam ad cultum idolorum aversus fuit, incensum & victimas dedit Astartæ idolo Sidoniorum & Moloch Ammonitarum: profanoque ritu se composuit. Hæc duo sola nominatim exprimuntur, credibile quod & cæteris mulierum suarum diis adhæserit. Ita non ambulavit integre coram Domino: divisus inter Dominum & deos gentium, Cumque benè cœpisset & egregiè Deo se dedisset, annis prioribus, in senectute deflexit. Josephus etiam ante hac aberrasse dicit (*περὶ τὴν φυλακὴν τῶν νομίμων*) cum æneorum boum similitudines construxit, *τῷ ὑπὸ τῇ θαλάττῃ ἀναθήματι*, sub lacu illo ingenti: deinde & leonum ad solium suum: sed hic Josephus Judaice errat, qui nimis strictè secundum præceptum primæ tabulæ interpretatur. Salomon igitur in cultu Dei retinendo non fuit integer & constans ut nobilissimum in patre exemplum ad incitationem habebat. Eò gravior fuit illa declinatio, quod Deus, bis per quietem apparens, serio de hac re admonuerat.

Poenam Denuntiavit] Deus ipse pœnam denuntiavit per se, ut habetur v. 11. 12. 13. Non enim opus ut dicamus eam denuntiationem factam esse per Achiam aut alium vatem, ut vult Josephus. Minatus est Deus, quià se dereliquisset

quisset & sua statuta ac fœdus, regnum se ipsi ademturum & daturum ejus servo. Non futurum id ipso vivente, ob Davidis memoriam, sed filio: cui unam tribum relicturus esset ob Davidem & Hierosolymam, quam elegisset. Deus igitur tres ipsi adversarios excitavit, exteros duos, alterum Israelitam. Primus exterorum erat Hadad Idumæus è regio semine. Cum enim in Idumæa David fuisset, Ioab reliquias belli persecuturus denuò copias induxit totoque semestri rebellionem ulciscens, quicquid virilis sexus esset, exstirpabat. Idumæi quidam ex servis regiis puerulum Hadar, domini sui filiolum, secum rapiunt in Madianitin: mox assumptis quibusdam è Paran in Ægyptum ad Pharaonem trajiciunt: qui illi domum & alimoniam & agros dedit. Fuit admodum gratus Pharaoni, quia impiger juvenis: ideo conjugem dedit sororem Thachphanes reginæ. E qua genuit Genubath filium, quem ipsa regina in aula inter filios Pharaonis educabat. Cum Hadad in Ægypto audiret Davidem & Ioab finisse, petiit veniam à Pharaone redeundi in patriam, qui abnuit. Josephus conjugis nomen vocat θαφίνην: male. Scribit idem, quod Adar eo tempore impetrare non potuerat, impetrasse posteà, cum res Salomonis collabi inciperent ob impietatem ipsius & declinationem. Commeatu igitur accepto in Idumæam reversum esse, sed cum propter firmitudinem præsidiorum nihil posset rerum novarum in patria moliri, in Syriam se contulisse. Ibi incidisse in quendam Raazarum, qui à Sophenes rege Adrazaro profugus cum latronum manu regionem diripiebat. Hoc igitur conciliato, ejus ope Syriæ rex declaratus, Israelitarum ditionem, vivo adhuc Salomone, crebrò inrumpendo, rapinis omnia miscebat & cædibus. Scriptura secundum adversarium externum dicit fuisse, filium Eljadæ nomine Razon, qui deficiens ab Hadrazaro rege Sobæ post cladem à Davide, manum militarem coegit: cum qua prædas agebat & late populabatur. Damascum se contulerunt eamque sedem habuerunt. Israelitarum hostis fuit toto tempore Salomonis idque præter omne malum, quod faciebat Hadad. Nam infensus erat Israeli & Syriæ regnum invadebat. Hæc de Razone leguntur 1. Reg. XI. v. 23. 24. 25. Hic ambiguum est, Razon ne an Hadad regnum Damasci condiderit. Ad Hadad refert Nicolaus Damascenus & ex illo Josephus: cum inter se amici fuerint crediderim simul Damasci sedem habuisse. Quod & videtur textus dicere ob numerum multitudinis in fine v. 24. Forte Razone defuncto in sceptri possessionem successit Hadad, à quo sequentes deinde Syriæ reges orti sunt.

Internum hostem habuit Ieroboam filium Nabat Ephratæum, è Zareda (LXX mendose σαρίρα) filium Saruæ mulieris viduæ. E codicibus Septuaginta Patres scripserunt Ieroboami matrem fuisse meretricem. Caussam rebellionis Scriptura narrat. Cum Salomon Mello (ἄκραν LXX vocant) ædificaret, & quæ in civitate Davidis hiaverant, obstrueret, imposuit Ieroboam impigrum juvenem, tributis domus Joseph. Sumptibus enim illis tributa exigebantur. Forte egredienti Hierosolymis Ieroboamo soli solus occurrit Achas Silonita, nova veste indutus. Hanc vates in duodecim partes discerptam, proposuit juveni jussitque decem capere. Subjungens: ita dicit Dominus Deus Israel. Avellam regnum è manu Salomonis & tibi decem partes dabo. Unam tribum retinebit, ob Davidem servum meum & Jerusalem, quam urbem elegi ex omnibus tribubus Israel. Quia me dereliquerunt (cum rege subditi) seque incurvarunt Astartæ Deo Sidoniorum, Chamos Deo Moabiturum, & Melchom deo Ammonitarum: nec ambularunt in viis meis, ut facerent quod mihi placet, mea statuta & jura ut pater ejus David. At nihil hujus regni tollam de manu ejus: sed pono eum principem omnibus diebus vitæ suæ, ob Davidem servum meum,

meum, quem elegi, qui mea præcepta & statuta observavit. Ex manu filii ejus tollam regnum cujus tibi decem partes dabo. Filio illius unam dabo tribum: ut David servus meus semper lampada habeat in conspectu meo, in Jerusalem, urbe, quam mihi elegi, ut illic nomen meum ponerem. Ideo te sumam, tu regnabis; super omnia quæ anima tua cupiet rex eris super Israel. Si audieris, quicquid præcepero & ambulaveris in viis meis & feceris quod mihi placitum est, servans mea præcepta & statuta, ut fecit David pater meus: ero tecum & stabilem tibi domum condam, ut Davidi condidi: daboque tibi Israel. Ob id humiliabo semen Davidis. Non tamen in perpetuum. Josephus dicit constitutum fuisse τῆς τῶν τειχῶν οἰκοδομίας ἐπιμελητὴν ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις τῶν κύκλῳ περιβαλών. Male cepit Scripturam, quæ tributis in id colligendis præpositum fuisse narrat. Cum res ea emanasset, Salomon ei insidias struxit & molitus est necem, quam fugiens in Ægyptum evasit, in qua tum Sisac imperium obtinuerat, socero Salomonis, ut arbitror, defuncto. Observant Judæi apud Josephum hunc primum Ægypti regem proprio nomine in sacris literis dici, cum superiores communi vocabulo Pharaonis insigniantur. Hinc autem cum Josepho, quod superiores nomine proprio appellati non fuerint, concludere nolim. Deinde scribit Achiam eum de via in rus quoddam seduxisse: ἐκ τῆς ὁδοῦ μικρὸν ἀποκλίνας εἴς τι (leg. τι) χωρίον, εἰς ὃ παρῆν μηδὲ εἷς ἄλλος. Dare Davidis domui seu filio Salomonis μίαν φυλὴν καὶ τὴν ἑξῆς αὐτῇ. Non satis fideliter cætera interpretatur: sic omittit vatis postrema verba, quæ non intellexit. Omiserunt etiam Lxx. nempe v. 39. Scribit Josephus Jeroboamum cum natura fervidus esset & juvenis & magna semper appetens sermonibus prophetæ inflatum non quievisse. Cumque in præfectura sua (στρατηγίᾳ) esset (vult enim tribui Efraim fuisse præpositum) mox defectionem populi & res novas molitum. Hanc mentem & molitionem cum accepisset Salomon, mortem quæsivisse, quam Ieroboam declinans in Ægyptum concessit.

I. Observandum quod Josephus consonans sacris literis in Græco textu asserat, ἑπτακοσίας, septingentas Salomonem reginas habuisse, ἀρχόντων καὶ διασήμων θυγατέρας, at in Latina editione corruptè legitur *septuaginta*. Hoc cum legisset Lyranus, conatus est conciliare, Lxx. fuisse principaliores aliis, quas tantum Josephus numeret. Pergit: *Siquis autem velit sequi textum, prout sonat, potest dicere, quod Salomon ad tantam carnalitatem devenerat, quod frequenter de novo virgines habere volebat: sicut habetur Hest. cap. 2. de Assuero rege, qui quolibet die habebat unam & qua ingrediebatur vespere, egrediebatur mane, nec habebat licentiam revertendi ad regem, nisi rex eam vocasset ex nomine. Et secundum hunc modum intra duos annos poterat multiplicari numerus usque ad septingentas.*

II. Mulieres inclinarunt cor, ut sequeretur deos alienos] Lyranus: *Quod non est sic intelligendum, Salomonem sic fuisse infatuatum, ut in idolis crederet aliquid esse Divinitatis sed nolens offendere uxores suas ea adorabat. Sicut & Adam comedit lignum vetitum ad persuasionem uxoris suæ, ne eam contristaret. Sicut dicit Aug. super Genes. lib. XI. & de civitate Dei lib. 19. cap. XI. Quia vir non fuit seductus, ut dicit Apostolus, I. Tim. 2. Ita quod crederet, quod per* usum illius ligni haberet scientiam boni & mali, sicut suggesserat serpens. Alii putant sapientiam illi ademptam esse, postquam idolis struxit cultum. Ita sentiunt multi patrum. Sic Isidorus de vita & morte sanctorum cap. 34. *Salomonis principia bona fuerunt, novissima autem mala. Nam post miram virtutum gloriam amore depravatus fœmineo, acceptam sapientiam perdidit & in profundum idololatriæ flenda ruina se demersit.* Franciscus Georgius apud Salianum ideo idolis operatum esse Salomonem putat ut potestates dæmonum adstringeret. E Zohar fabulantur Judæi Salomonem traditum esse Satanæ Asmodæo, qui ipsum regno ejectum per aliquot

quot annos in deserto detinuit, ut hac castigatione ad Deum se converteret. Inde scripsisse in Ecclesiaste: Fui rex in Jerusalem: quasi eum librum in isto suo exslio composuerit. Eousque prolapsum ut magicas artes coluerit & vanissimas alias idolorum superstitiones, arbitrantur eruditi Jesuitarum: Pineda magicis artibus occupatum fuisse idque à mulieribus quæ eum obnoxium habuerunt docere nititur ex libris quibusdam plumbeis Granatensibus, Arabicè scriptis, miræ antiquitatis, qui ante non multos annos reperti sunt. Idem putat Salomonem filios suos Molochi igne aut alterius immolasse; quia tantum unum filium Roboam & duas filias reliquisse legitur. Hoc non admittit Salianus, quia Scriptura dissimulatura non fuisset ut de Achaz & Manasse. Nos sane ad cultum deorum prolapsum esse è Scriptura novimus atque hinc amisisse splendorem & gloriam, ut etiam suis servis videretur esse aspernabilis. Forte opes illas & immensam illam sapientiam perdidit, ut ad communem modum redierit: non tamen lubet περιλογεῖν & hominem penitus abjicere. Nimius amor mulierum perdidit Dei excitantem gratiam, qua destitutus semen tamen fidei non amisit, quamvis gravissime lapsus. Puniit Deus, orbatione donorum, sapientiæ opumque & reverentiæ ac gloriæ, qua omnibus prius conspiciendus erat & venerabilis. Pœnitentiam non egisse quidam putant, alii dubitant: nos asserere non ambigimus, quia recipimus libenter sententiam Hebræorum, quod in fine vitæ per Spiritum scripserit Proverbia, Canticum & librum Ecclesiastis: quo libro damnat universam mundi vanitatem, Dei reverentiam expertus commendat. E libro Proverbiorum cap. 24. v. 32. Hieronymus comment. in Ezechielem citat: *Novissimè egi pœnitentiam & respexi ut eligerem disciplinam:* ὕστερον ἐγὼ μετενόησα, ἐπέβλεψα τοῦ ἐκλέξασθαι παιδείαν. Ita leguntur in editione Romana. Salianus & Pineda è Beda & Ambrosii libro apocrypho, qui inscribitur de pœnitentia Salomonis item Isidoro: ipsum è traditione Hebræorum quinquies tractum fuisse per plateas *Jerusalem* causa pœnitentiæ. Item venisse in templum, cum quinque virgis, de quibus quatuor dedit, quatuor legis peritis, ut verberaretur ab illis, qui communi dixerunt consilio quod in Christum Domini manum non mitterent. Unde frustratus ab illis à se depositus est regno. Quæ sunt nugatoria.

III. Salomon obiit cum esset annorum quinquaginta quatuor, si quatuordecim annos habuerit, cum regnum iniret. At appellatur senex? Comparate & ob naturæ debilitatem. Judæi volunt duodecennem accepisse regnum, genuisse autem Roboam, cum esset annorum undecim. Id Hieronymus fieri potuisse docet apud Lyranum exemplo cujusdam mulieris nutrientis parvulum, qui in eodem lecto cum ipsa jacebat. Cum annum decimum puerulus implesset ipsaque esset calefacta vino, induxit ipsum ad carnalem copulam: & sic aliis noctibus sequentibus: quæ de eo concepit & intra duos menses venter ejus intumuit. Tribuit id Hieronymus virtuti potius Divinæ quam naturæ: ut facinus occultum per signum evidens panderetur. Josephus Salomonem octoginta annis regnasse scribit, quod assumit magister historiarum. Sepultus est in civitate Davidis. Dicit scriptura reliqua Salomonis scripta esse in libro verborum dierum Salomonis. Hoc Chronicon de rebus Salomonis exstitit cum libri regum & Chronicorum scriberentur, postea interiit.

II. Chronic. X. & XI. 1—4. I. Reg. XII. 1—24.

SUMPSIT IMPERIUM] Sicima Roboam concessit ut illic in regem à decem tribubus crearetur. Primores ad condictam diem Jeroboam ex Ægypto advo-

advocant. Adfuit igitur cum universo populo cujus nomine locutus est ad Roboam. Pater tuus jugum nostrum ingravavit: minue durum imperium & jugum, ut tibi serviamus. Ille deliberandi spatium sibi petiit in tertium diem. Cum senioribus, qui patri ejus ministraverant, consilium iniit, qui salubriter suaserunt: Si id unum & hoc die concederet populo, & lenibus verbis uteretur, in posterum subjectos habiturum; scilicet unius diei obsequio posse eum mercari diuturnum & firmum imperium. At Roboam ad juniores conversus, qui cum ipso adoleverant & coram ipso stabant, eorum consilium quæsivit. Hi indignum esse dicebant, ut se à subditis cogi pateretur: ageret pro rege. Respondeat: Minimum suum digitum crassiorem fore lumbis patris. Se intensurum gravitatem jugi. Patrem flagellis se scorpionibus in ipsos animadversurum: ut contumaciam subigeret. Id consilium placuit juveni & feroci. Nam à Domino fuit, ut prophetæ verbum impleretur. Elapso triduo, cum convenissent, ex consilio juniorum responsum est. Tum accensus populus: Quam partem habemus in Davide, quam hæreditatem in filio Isai? ô David consule Domui tuæ, ad tentoria tua abi ô Israel. Existimo Judææ tribus regnum ipsi delatum esse ante eum conventum, in quo de decem tribubus agitur. Josephus verba petentis populi flectit quasi sensu eadem essent cum responso seniorum. Εὐνούστεροι γὰρ ἔσεσθαι πρὸς αὐτὸν καὶ ἀγαπήσειν τὴν δουλείαν, διὰ ἐπιείκειαν ἢ διὰ τὸν φόβον. Deinde cum in triduum dilatum esset responsum suspectum fuisse, πρόχειρον γὰρ ἠξίουν εἶναι τὸ χρηστὸν καὶ φιλάνθρωπον καὶ τοῦτ᾽ ἐν νέῳ. Nonnihil tamen spei dabat, quod non recta abnuisset. Patrios amicos suasisse φιλοφρόνως, ὁμιλῆσαι τῷ λαῷ καὶ δημοτικώτερον, ἢ κατὰ βασιλείας ὄγκον. χειρώσεσθαι γὰρ οὕτως εἰς εὔνοιαν αὐτὸν, φύσει τῶν ὑπηκόων ἀγαπώντων τὸ προσηνὲς καὶ παρὰ μικρὸν ἰσότιμον τῶν βασιλέων. Arbitrari, quod Deus fecerit ut quod conduceret, ab ipso sperneretur. Junioribus nec ætatem nec Deum permisisse ut salutaria suaderent. Seniores (ut bene Grotius) *& longa atas & perpetuus usus negotiorum & regis tam sapientis consuetudo idoneos dandis consiliis fecerant.* Recte etiam Cicero. 2. de oratore: *Ad consilium de rep. dandum, caput est nosse rempublicam.* Audiamus Grotium politice disserentem ad v. 7.8.11. Ad v. 7. *Initia principatuum* difficillima: & opportuni motibus transitus rerum, quod apparuit seditione Pannonica & Germanicâ initio principatus Tiberii, ita ut non mirer Vespasianum prudentem & senem describi à Marcello apud Tacitum Histor. IV. novo principatu suspensum, & vultus quoque ac sermones omnium circumspectantem: ideo consilia sunt prudentum, in illis teneris principiis, cedere nonnihil consensui, & si ὑπερβολὴν admittimus, serviliter facere omnia pro dominatione. Tempore opus est, ut adolescat principis authoritas. Tum verò etiam rerum tristitia verbis lenienda est.

8. Adhibuit adolescentes, qui nutriti cum eo] *Frequens* id novis regibus, ut consiliis adhibeant potius familiares suos, quam eos quorum opera patres sunt usi. Causa hæc, quod ostendere potentiam suam volunt omnia mutando, & vetera illa obsequia, sæpe non honesta, de publico quamprimum repensare, gravi sæpe & suo & patriæ malo. Morum quoque similitudo habet ἑλκυστικόν τι. At vera sunt ista Euripidis in supplicibus:

——— ἀπώλεσας πόλιν,
Νέοις παραχθεὶς, οἵτινες τιμώμενοι
Χαίρουσι· πολέμοις τ᾽ αὐξάνουσ᾽ ἄνευ δίκης,
Φθείροντες ἀστούς· ὁ μὲν ὅπως στρατηλατῇ,
Ὁ δ᾽ ὡς ὑβρίζῃ δύναμιν εἰς χεῖρας λαβὼν,
Ἄλλος δὲ κέρδους οὕνεκ᾽, οὐκ ἀποσκοπῶν
Τὸ πλῆθος, εἴ τι βλάπτεται πάσχον τόδε.

Similiter Juvenum consiliis magno suo malo usum Hieronymum Syracusanum principem, discimus ex fragmentis Diodori Siculi.

Ego autem cædam eos scorpionibus] Id est, flagellis aculeatis ad modum scorpionum. Hæc juvenes illi dicebant accommodatè ad regis ingenium, ut adulantes solent. Fuit autem ingenium Roboami apud Hebræos, quale apud Romanos Appii Claudii, quem vehementi trucique ingenio fuisse ait Livius, ideoque perpelli nunquam quisse, ut apud populum ex consueta asperitate *orationis aliquid leniret atque submitteret. Hujus sunt illa:* Licentia tantum, concitum turbarum: & lascivire magis plebem quàm sævire. *Ejus & illud:* carcerem esse plebis Romanæ domicilium. Talibus hominibus sæpe insurranda Sophoclis ista in Antigone:

Ἀλλ' ἄνδρα κἂν τις ᾖ σοφὸς, τὸ μανθάνειν
Πολλ' αἰσχρὸν οὐδὲν, καὶ τὸ μὴ τείνειν ἄγαν.
Ὁρῇς παρὰ ῥείθροισι χειμάῤῥοις ὅσα
Δένδρων ὑπείκει, κλῶνας ὡς ἐκσώζεται.
Τὰδ' ἀντιτείνοντ' αὐτόπρεμν' ἀπόλλυται;

Scorpiones interpretatur Rasi אישגלנטיר / barbare in lingua vernacula: Eglantir, *quæ pungunt instar scorpionis.* Ralbag שבטים אשר בהם קוצים שעוקבים ומכאיבים Kimchi graviores scorpiones flagellis (שוטים) esse dicit, quia pungunt spinis, quæ insunt. Jonathan שוט reddidit per שרביט: עקרבים reddidit מרגנין. קטני redditur per digitum minimum, cum in genere notet האבר הקטן / minimum membrorum ut docet Kimchi. Lyranus dicit scorpionem genus esse flagelli durissimi habens in fine cordularum seu catenarum nodulos plumbeos vel ferreos. Ideo vocari scorpionem, quia graviter pungit: & quia sicut scorpio pungit cauda, eam reflectendo super caput, sic extremitas hujus flagelli in qua est plumbum vel ferrum percutiendo reflectitur ad anterius percutientis super caput percussi. Dilutum est, quod causam inflationis Ralbag deducat ab ætate, qua Salomon & Roboam imperium auspicati sunt: Nempe Salomonem fuisse adolescentulum, Roboamum virum quadraginta & unius annorum. Si Salomoni in illa ætatula paruerint, multo magis à se grandi accipere & capessere debere imperia.

Josephus dicit populum duritie responsi tanquam ferro ictum, indignabundum exclamasse, unoque ore imperium abjecisse. Inter alia dixisse habeat sibi soli templum à patre structum. Ut templum & cultum Dei mox aspernati fuerint, non crediderim. Nam Jeroboami artificium fuit, quod magnis conatibus ægre persuasisse videtur, cultum ab Hierosolymis aliò avertere. Dilapso populo misit Adoramum tributis præfectum. Josephus scribit mollitum dicta & lenitum populum missum esse: *ἵνα συγγνῶναι τοῖς εἰρημένοις εἴ τι προπετὲς ὑπὸ νεότητος καὶ δύσκολον ἦν αὐτοῖς, πείσειεν μαλακωτέρους.* At ira pertinax & tumidus furor populum exacerbaverant: quæstorem regium lapidibus obruunt. Quo facto Roboamus imperium suum in ministro proculcatum esse videns (forte & in ipsum ferebantur) trepide conscenso curru, Hierosolyma aufugit. Josephus inde à Judæis & Benjanimæis electum esse videtur existimare. Constat has tribus illi conventui non interfuisse. Decem igitur tribus Jeroboamum regem faciunt, soli illi ex istis tribubus, qui in oppidis harum tribuum incolerent in Roboami regno fuerunt. Roboamus indicto conventu duarum tribuum, copias coëgit centum & octoginta millium: ut reliquas ad officium cogeret. Sed Samæas propheta missu Dei à bello civili populum prohibuit.

F I N I S.

TOMI

TOMI SECUNDI,

PEMPTADIS SECVNDÆ

Tractatus seu liber quartus

DE

Duplici regno Israëlitarum usque ad deportationem decem tribuum.

SULPICII SEVERI

HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI. I.

CAPUT. LXIII.

SEd cum Hierosolymam Roboam obtineret, ubi templo à Salomone facto populus sacrificare Deo consueverat: veritus Hieroboam, ne ab eo plebem religio averteret, statuit animos ejus superstitione occupare. Itaque vaccam auream in Bethel, alteram in Dan constituit, quibus populus litaret: sacerdotesque omissa Levi tribu, ex plebe instituit. Invisum Domino flagitium expostulatio consecuta. Crebra deinde inter reges prælia, dubio eventu, regnum obtinebant. Roboam septimo & decimo imperii anno exacto vita functus est. In hujus locum Abiud filius ejus regnum Hierosolymæ sex annos tenuit, quamvis in Chronicis triennio regnasse referatur.

DRUSIUS.

NE AB EO]

VACCAM AUREAM] quam hic vaccam dicit, alii vitulum alii bovem vocant. Vacca etiam dicitur Tob. 1. 5. *τῇ βάαλ, τῇ δαμάλει* id est vaccæ. Lex. Græcolat. vetus, *δάμαλις, bucula, juvenca, vacca.* Sed & vocem עגלות quam nunc vitulas reddunt interpres vetus vaccas exposuit, Hos. 10. 5. In Lxx. quoque עגלה *δάμαλιν* ibid. v. xi. Vituli vox usitatior est. Sed Hos. 13. 2. עגלים vitulos, Jonathan convertit

תוריא

תוריא boves. Si עגל est bos, quis culpet Sulpicium עגלה vaccam reddentem? Contra Ps. 105. 21. & Num. 7. 3. bos à Lxx. redditur μόσχος. Videndus hac de re Augustinus cujus verba invenies alibi in his notis.

Ex Plebe] Ex plebe infima, pro qua 3. Reg. 12. 31. de extremis populi: & in Lxx. μέρος τι ἐκ τοῦ λαοῦ, partem aliquam è populo.

Expostulatio Consecuta] Per prophetam quendam Jadon nomine. Sic Josephus eum appellat Orig. lib. 8. cap. 3.

Abud] Mendum quale cap. 29. ubi Abiud pro Abihu legetur. Sic hoc loco legendum Abiu, abjecta D nempe ex Græco Ἀβιοὺ; quod in editione Romana 3. Reg. 15. 1. pro quo in fonte Abiam. Sed 2. Paralip. 12. 16. Abia legitur & Græce Ἀβιά. Par varietas in Ἀβιαθὰρ & Ἀβιὰμ.

Sex Annos Tenuit: Quamvis In Chronicis Triennio Regnasse Referatur] Ad historiæ fidem emendat Sigonius, Tres annos tenuit: quamvis in Chronicis sex annis regnasse referatur. Mirari satis non possum. Nam in Chronicis Eusebii, *quod quem Abia annis tribus*: nisi legendum hoc loco *annis sex*. Sane scriptum lectum 2. Paral. 13. 1. *tribus annis regnavit*: & in Lxx, τρία ἔτη ἐβασίλευσεν. Idem numerus, 3. Reg. 15. 2.

Schotanus.

De Roboami primi Iudææ regis imperio, 2. Chron. XI. & XII. I. Reg. XIV. 21. ad finem.

Roboam Hierolymam] Tenuit metropolim, in qua sedes cultus Dei. Firmavit (ut habetur 2. Chronic. XI. 5—12.) urbes Judææ & Benjaminææ tribuum munitionibus tanquam claustra regni, *Bethlehem*, Etam, Thecoë, Bethsur, Socho, Adollam, Gath, Maresam, *Siph*, *Adoram*, Lachis, Azecam, Zoram, Ajalon, Hebronem. His præsidia & præfectos imposuit: & reconditoria cibi, olei, vini. Tum scuta & hastas. Nihil omissum est ad commeatum & munitionem pertinens. Sic duabus tribubus imperavit, quæ exinde Judææ nomine dici cœperunt. Ipse annos natus erat 41. cum regnum iniret, quod tenuit annis 17. Mater ejus appellata erat Naama, Ammonitis genere. Lxx. (hic admodum distorti) dicunt Naamam illam fuisse filiam Ana (Hanun) filii Nahas, regis Ammonitarum. Ipsum sedecim annorum fuisse, cum regno admoveretur, imperasse annis duodecim. Josepho in annis regni & ætatis convenit cum veritate. Levitæ & sacerdotes è tribubus decem in Judæam se recipiunt relictis suis suburbanis, cum eos Jeroboam sacerdotio & ministerio deponeret, novo cultu instituto, pro excelsis, dæmonibus & vitulis, quos fecerat. Quicquid etiam hominum erat piorum & religiosorum, Deum Israel patrio ritu colentium, in Judæam concessit: auxit firmavitque Roboami regnum, triennio, quo in viis Davidis & Salomonis ambularunt. Roboam in matrimonium accepit Mahalath filiam Jerimoth filii Davidis: præterea Abihail filiam Eliab, filii Isai. Hæc ipsi peperit filios, Jeus Zamariam & Zaam. Deinde duxit etiam Maacham filiam Absalomi. Josephus illius Absalomi qui Davide natus iu patrem rebellis fuit è filia Thamar neptem fuisse scribit. Hæc Maacha peperit Abia, Atthai, Zesa & Salomith. Copulavit sibi octodecim matronas & sexaginta (Jos. τριάκοντα) concubinas: è quibus genuit viginti octo filios & sexaginta filias. Sed Maacham Absalomi filiam præ omnibus caram habuit: ideo ejus filium primogenitum fratribus præfecit, ut in eum regni successio devolveretur. Prudenter

ter agebat Roboam, filios suos (ut subsidia & firmamenta dominationis) spargendo, per omnes partes regionis urbesque munitas Judæ & Benjamin, quibus de commeatu abunde prospiciebat. Cum illi Deus regnum videretur firmavisse, Domini legem reliquit, cumque eo totus Israel. Ideo in pœnam ejus excitavit Deus Sisacum regem Ægypti (patronum & fautorem Jeroboami regis decem tribuum, qui ingentibus copiis Libyum, Suhitarum (Troglodytarum juxta Lxx.) & Æthiopum accinctus, omnibusque munitis oppidis Judææ potitus, ipsa Hierosolyma obsedit. Cum Hierosolymis coiissent omnes primores Judææ, ob Sisacum, qui bellum per Judæam gerebat, Samæas propheta ad regem & proceres venit cum verbis Dei. Quia me deseruistis ego etiam vos deserui in manum Susaci. Hoc audito rex & proceres coram Domino se humiliant, confessi ipsum justum esse. Ideo iterum missus est Samæas: Quia se humiliarunt, non perdam eos: ut sit evasio: ne ira mea per Susacum super Jerusalem effundatur. Ipsi tamen servient ut norint discrimen inter servitutum meam & regum terræ. Susacus igitur (quintus hic annus Roboami erat) obsidet urbem & capit deditione. Abstulit omnes thesauros domus Dei & domus regiæ, aurea etiam scuta abstulit, quæ fecerat Salomo. Loco aureorum Roboam ærea restituit: quæ sub manu præfectorum satellitum seu cursorum custodientium ostium domus regiæ. Quoties Roboam ibat in domum Domini, deferebant ea cursores, referebantque ad thalamum (תא) cursorum. Martyr: *Expendamus vices rerum, quomodo pro nostris conditionibus invertantur. Olim Hebræi spoliarunt Ægyptios, cum ex eorum servitute à Deo eriperentur: nunc è diverso ab Ægyptiis Judæi exspoliantur. Paulo anteà Solomon in Ægypto grande lucrum faciebat, quod à Pharaone facultas ei soli concessa esset, cum equorum, tum etiam quorundam mercimoniorum educendorum. Nunc etiam contra prædæ Ægyptiorum fiunt omnia lucra, opes & divitiæ Judæorum. Nonnulli attendentes, quam facilè sacrilegia contingant, ut illis occurrerent, decreverunt ea, quæ consecranda essent, ita fieri, ut opus materiam vinceret: nimirum ut permultum adhiberetur artificii, materia vero esset vilioris pretii, ut ne illiceret animos impiorum ad furta, dolos & sacrilegia. Verum Deus aliter censuit & in tabernaculo Mosis ac templo Salomonico multa voluit esse aurea, gemmata & argentea, quæ ut diutius retineri possent, remedium præsentissimum ostendit. Id autem fuit ut sese sanctè ac ritè colerent.* Voluit Roboam ista scuta deferri in comitatu ad domum Dei. Kimchi conjectat id fecisse vel ob metum rebellionis vel ad ostentationem. Bellum perpetuum ipsi fuit cum Jeroboam rege decem tribuum: Status potius belli, quam prælia de summa rerum: velitationes per turmas militares non conflictus totarum virium. Idololatriam definite explicat locus 1. Reg. cap. XIV. Inculcat scriptura bis matrem regis fuisse Ammonitin. Inde Rabbini observant, doceri, quod mali corvi malum ovum fuerit: machinationibus & imitamento matris abstractus. Aggravat scriptura idololatriæ modum: *Juda faciebat malum in oculis Domini: provocabant eum ad Zelum plus quam fecerant patres eorum, peccatis suis: quæ peccabant.* Condebant excelsa, erectas statuas (מצבות Chald. קמן. Lxx. στήλας) & lucos (אשרים) super omni colle edito, & sub omni arbore viridi. Solebant enim gentes excelsa, columnas, lucosque condere & deos suos colere in collibus editis & sub patulis arboribus. עץ רענן Chald. אילן עבוף *arbor frondosa*, Græci ξύλον σύσκιον. Sed quomodo (luci) אשרים potuerunt sub arboribus esse? R. Non hoc dicitur, quod omnia illa sub arbore opaca structa fuerint, sed quod partim super edito colle, partim sub arbore. Fuit etiam קדש, quod Lxx. malè reddiderunt σύνδεσμος, quasi legissent קשר: sed קדש est πόρνος, quod in lexico veteri Græco latino redditur *Scortum*. Fecisse dicuntur

tur secundum quamvis abominationem gentium quas Deus ante ipsos expulerat. Hæc fuit ἀκμή τις τ̃ ἑλληνισμοῦ καὶ πρόσβασις ἀλλοφυλισμοῦ, ut loquitur autor secundi Machabæorum cap. 4. Nam Jason, qui ab Antiocho Epiphane Pontificium erat mercatus, gymnasium sub ipsa arce struxit, & robustissimos epheborum subjecit petaso. Hoc interpretes accipiunt de prostibulis masculis, sed male. Loquitur enim de gymnasio, in quo nudi juvenes sub petaso exercebantur. Hic dicit Sp. S. in terra fuisse ejusmodi molles mares, quos diis suis statuebant ad fædarum libidinum exercitium.

Susaci exercitum scriptura dicit fuisse mille ducentorum curruum sexaginta millia equitum: Innumerabilis erat reliqua multitudo. Josephus non tantum eundem numerum scribit curruum equitumque sed & peditum numerum definit ad millia quadringenta, μυριάδες τεσσαράκοντα. Eum cepisse narrat urbes munitissimas ἀμαχητὶ sponte deditionem facientes. Et his præsidio firmatis (ἀσφαλισάμενος) Hierosolyma obsedisse. Regem Judææ & populum Hierosolymis inclusum, non potuisse supplicationibus suis à Deo impetrare ut victoriam annueret. Territos etiam esse Samææ prophetæ denuntiatione: at confessis & orantibus veniam cecinisse, quod scriptura memorat. Roboamo igitur propter metum dedente urbem, Susacum non stetisse pactis. Spoliasse templum Dei & regios thesauros exportantem auri argentique μυριάδας ἀναριθμήτους: nihil ipsis reliqui fecisse. Abstulisse scuta (θυρεοὺς καὶ ἀσπίδας) Salomonis, etiam aureas pharetras, quas à rege Sophenes dedicaverat David. Hujus expeditionis meminisse Herodotum Halicarnassensem: qui errans in nomine regis scribit, Sesostrin multis gentibus obitis, etiam Palæstinam Syriam sub jugum redegisse, λαβὼν ἀμαχητὶ τοὺς ἀνθρώπους ἐν αὐτῇ. Nam Roboamum dedidisse urbem ἀμαχητί. Hunc etiam columnis insculpsisse genitalia mulierum, in illa regione, quam tam levi opera subegerat, exprobrando ipsis ignaviam. *Sisac*, de quo hæc historia loquitur, est in Manethonis tabulis *Sesonchis*: *Herodoti Asychis*: sed gesta ejus male Herodotus refert ad Sesostrin. Martyr putat illum Susacum fuisse filium soceri Salomonis: sed hoc nullo argumento potest probari. Roboam defunctus infertur monumentis regum: homo ignavus & mulierosus: qui arrogantia sua amisit tantam partem imperii & ditionis suæ nec reliquam benè administravit.

De Abia, secundo rege Iudææ, II. Chronic. XIII. I. Reg. XV. 1-8.

ANno decimo tertio Jeroboami successit in Judæa Abia (alias Abiam) Matrem ejus Maacham fuisse diximus quam scriptura hic (2. Chronic. 13.2.) appellat Michæam filiam Urielis è Gabaa. Levis mutatio in nomine mulieris: sed Uriel videtur fuisse pater, avus Absalom. Triennio solo regnum tenuit, hæres belli cum Jeroboamo. Hoc exarsit, (incertum quo autore) sed conflatum Abias urget. Copias enim coëgit quadringentorum millium, virorum armis præstantium: quibus plures duplo opposuit Jeroboam. Josephus à parte Jeroboami bellum scribit inchoatum esse, quia ejus ætatem contemnebat: Abiam magno animo supra ætatem & spem hostis occurrisse. Cum acies utrinque starent in procinctu, Abias concessit in verticem montis proximi, cui nomen (צמרים) Samariam, Lxx. Σομορὼν, Jos. ὄρος Σαμαρῶν: è montibus Ephraim. Alta voce inclamat, petitoque silentio, in hunc modum fatur: Audite Jeroboam & totus Israel. Nonne vos scire oportet, Dominum Deum Israelis, regnum Israel Davidi dedisse in seculum, ipsi & filiis ejus fœdere salis? Nihilominus Jeroboam filius Nabat, servus Salomonis, filii Davidis, surrexit, & rebellavit in dominum suum. Præterea viri nefarii coacti ad illum, obfirmarunt

se

se adversus Roboam, filium Salomonis, juvenem (sensu & peritia rerum) & tenerum cordis, qui se adversus illos tueri non poterat. In animo vobis est, confirmare vos, adversum regnum Domini, quod est in manu posterorum Davidis. Numero abundatis, sed sunt apud vos aurei vituli, quos vobis Jeroboam posuit in Deos. Nonne expulistis sacerdotes Domini, filios Aaronis & Levitas? Et fecistis vobis sacerdotes, ut populi terrarum? Quisquis venit, & manum suam impletur juvenco, septem arietibus, fit sacerdos eorum, qui dii non sunt. At nos: Dominus Deus noster est, nec eum reliquimus: & sacerdotes, qui Domino serviunt, sunt filii Aaronis & Levitæ in opere. Hi accendunt coram Domino, quolibet matutino, holocausta, & qualibet vespera, odoramenta aromatum, præter instructionem panum, super munda mensa: & aureum candelabrum, ejusque lampadas, ut ardeant qualibet vespera. Nam vigilias Domini Dei nostri observamus, quem vos reliquistis. Ideo Deus nobiscum est, in prima acie, & ejus sacerdotes cum tubis clangoris, ut adversum Vos classicum canant. O filii Israel ne bellum gerite adversus Dominum Deum patrum vestrorum. Nam non bene cedet. Hanc luculentam orationem non satis fideliter expressit Josephus, qui non facit mentionem expulsorum sacerdotum & spuriorum adscitorum, nec cultum Dei à sacerdotibus Levitisque administrandum describit: Nec exprimit formam novam idololatriæ, quam Jeroboam instituerat: adjicit apologiam pro Roboami errato, qui duro responso populum alienaverat. At Jeroboam parum ista oratione motus partem copiarum occulte terga circumire præcepit. Ita Judæi intercepti in medio, nec mediocriter consternati, Dominum cum fiducia invocant. Josephus scribit Abiam, solatum esse populum, ut spem in Deo reponerent, qui circumveniri non possit; τὸν γὰρ οὐκ ἐγκυκλοῦσθαι πρὸς τῶν πολεμίων: Simul igitur invocant Dei opem & sacerdotes tubis canunt. Judæi etiam clamore sublato (ויריעו) invadunt hostem: quem Deus prostratum dedit. Victi igitur & in fugam effusi, ingentem stragem patiuntur. Cæsa enim memorantur quingenta millia. Josephus ex vero scribit nullam similem stragem in Græcorum aut Barbarorum commentariis legi. Humiliati igitur Israelitæ, invaluerunt Judæi, quia Domino Deo patrum freti hostem cæciderant. Cepit Abias Bethel Jesanam & Ephron, cum locis subjectis. Accisæ igitur vires Jeroboami, quas recolligere non potuit vivente Abia. Abias imitatus patrum exemplum, quatuordecim conjuges junxit, è quibus suscepit viginti duos filios & sedecim filias. Chronicorum liber scribit, reliqua ejus in historia Iddonis prophetæ contineri: quemadmodum scripserat Roboami res in sermonibus Samææ & Iddonis haberi. Nam cum olim exstarent nonumenta prophetarum qui res gestas composuerunt, inde in libros regum & Chronicorum, qui nunc exstant, transscriptæ sunt compendiariis excerptis. Cum triennium regnasset, obiit & monumentis majorum corpus est illatum.

De Ieroboamo primo rege decem tribuum.

REgni potitus condidit Sicima in montanis Ephraim, quam regiam esse voluit: item Phanuelem. At cogitans de stabiliendo regno, existimavit religionem mutandam esse, cujus centrum coibat in urbem Hierosolymorum, insessam à regibus Judææ. Ejus enim aditus nisi permittentibus illis regibus inaccessus erat. Quare aut deserenda religio, aut obsequium suscipiendum. Non confidebat promisso Dei, facto per vatem, Si Deo adhæreret, stabiliendum ipsi posterisque solium esse. Quod non apparebat, fides non admittebat,

Cogitatio ejus erat: Regnum redibit ad domum Davidis. Si hic populus ad ſacra Hieroſolymam adierit, & domum Domini, animis mutabuntur, revertenturque ad Roboam regem Judææ: me interfecto regi ſuo reconciliabuntur. Inſtabat (ut probabiliter ſcribit Joſephus) feſtum Scenopegiæ: ad quod populus ex legis præſcripto viritim in urbem tenebatur confluere. Metuebat igitur finem regni & vitæ. Inito igitur conſilio, ſtatuit religionem mutare: unde erat lucraturus averſionem ab urbe & alienationem animorum, quia tanquam vinculo religionis ſibi & inter ſe populus conciliatus, odium concepturus erat diſſidentium. In concione populum convenienti oratione allocutus eſt, quam fabricatur Joſephus: Nullum locum in terris Dei vacuum eſſe: ubique vota audiri. Non igitur, opus infeſtis & longis itineribus Hieruſalem petere, ſe commodiorem cultus aditum daturum eſſe, aureas duas vitulas (ἐπωνύμους τῷ θεῷ) unam in Bethel, alteram in Dan, conſecraſſe: ut pro locorum & habitationum commoditate, alteram cultus cauſa frequentarent. Sacerdotes etiam quoſdam & levitas ex ipſis conſtituturum, ut illius tribus & Aaronis filiorum miniſterio non egeant. Qui ex ipſis aveat ſacerdotium, afferat vitulum Deo & arietem (ſeptem in Scriptura) quo ritu etiam Aaron primus in ſacerdotem conſecratus eſſet. Vitulas illas ſeu boves (δαμάλεις Lxx. & Joſephus vocant) ad imitationem Ægyptiorum, quibus conſueverat in Ægypto exul, conſtituit, voluitque illis figurari Deum qui Iſrael ex Ægypto eduxerat. Adeo eundem Deum coli voluit ſed mutato ritu. Conſtruxit etiam domum excelſorum, fecitque ſacerdotes de populo quemlibet præterita tribu Levi. Feſtum inſtituit octavi menſis, die decimo quinto, ſimile feſto Judaico: in quo immolaretur in aris, in Bethel & Dan. iſtis vitulis, quas conflaverat. In utroque loco conſtituit ſacerdotes excelſorum. Hoc defectionis principium & ruinæ. Solent politici (quos vocant) religionis obtentu dominationem ſtabilire. *Nullum firmius animorum vinculum*; Philo (laudatus à Grotio) *Αἴτιον δὲ ὁμονοίας τὸ ἀνώτατον καὶ μέγιστον ἡ περὶ τοῦ ἑνὸς θεοῦ δόξα, ἀφ' ἧς οἷα πηγῆς ἑνωτικῇ καὶ ἀδιαλύτῳ φιλίᾳ κέχρηνται πρὸς ἀλλήλους.* Quod de Moſe falſo Tacitus, id de Jeroboam veriſſime prædicatur: *Quo ſibi in poſterum gentem firmaret, novos ritus contrariosque cæteris mortalibus* (Judæis) *indidit.* Modus hic fuit: Non voluit populum abducere à Deo, qui ex Ægypto liberaverat, ad externa numina: ne ſibi adverſantem haberet: cum nollet, ab eo, quod avitum erat & imbibitum, alienari. Tantum ritus mutavit & locum colendi. Cur autem hos ritus elegit? Similitudinem rituum priſcorum, ut facilius ſuſciperentur, imitatus eſt in multis & mens tantum erat ab aditu Hieroſolymorum avertere. Hinc neceſſe fuit loca ſtatuere, quæ ſe commoditate aliqua aut memoria veterum commendarent. Bethelis aram ſtatuerat princeps gentis Jacob, in Dan idolum Michæ accolæ multis ætatibus coluerant, ut habetur in octavo & decimo capite Judicum. Quare commodiſſimè huc impelli potuerunt animi hominum. Sed mentes retinendæ eſſe videbantur ſigno viſibili, ideò vitulas aureas, Dei monumenta ejusque adminiſtrationis poſuit. Cur non animalium aliorum ſed hujus potius? Grotius: *Volebat Deum coli in ea figura, qua Ioſepho Dei miniſtro, unde ortus erat Ieroboamus, dicata olim fuerat, & qua in Cherubinis partem faciebat præcipuam: ut vel illo aſpectu populus retineretur in veneratione poſteritatis Ioſephi, faciliusque crederet eis regnum deberi, quia orti eſſent ab eo, cujus maxima in omnes Iſraëlitas fuerant beneficia. Sic Iulia domus Æneæ laudes per omnes poëtas cani voluit, ut eo lenius ferret populus imperium illud velut fatis datum. Sic principes ſolent etiam ſacra ad ſuas utilitates torquere.* Aſſumit pro vero, quod Ægyptii in bobus Joſephi memoriam coluerint. Reprehendit

Jero-

Jeroboamum, quod Deo diffisus ab officio discesserit & decurrere voluerit ad ejusmodi vaframenta deinde non contentus in eo peccare; exstantem imaginem erexerit contra legem, quodque apud eam sacra fecerit: plura pro uno templa & sacerdotes non ex ea familia, quam Deus elegerat. Delirium est quod exstantes imagines magis vetitas velit fuisse quam pictas. Nihil ambitu fœdius: *Certe* (inquit Martyr) *injustissimas vices Ieroboamus Deo reddidit. Is usque ad regnum illum extulit: iste vero Deum ipsum usque ad boves dejecit.*

Festum de quo diximus, Salianus (cum Lyrano, Dionysio & aliis) putat fuisse Encænia id est dedicationem vel templorum vel vitulorum (sic dicitur indiscriminato sexu, cum feminæ boves fuerint) adeoque festinatam & celerrime confectam structuram: cui etiam dæmones (ut in conflando vitulo Aaronico) manum & operam commodaverint.

Theoduretus: *Ἀλλ' ὁ δείλαιος καὶ τρισάθλιος θεόθεν τὴν δυναστείαν λαβὼν, ἀνθρωπίναις αὐτὴν καὶ δυσσεβέσιν ἔγνω ἐπιχειρῆσαι μηχαναῖς. Λογισάμενος γὰρ, ὡς ὁ τῶν θυσιῶν νόμος δραμεῖν ἅπαντας εἰς τὴν μητρόπολιν ἀναγκάζει, ἀπιόντες δὲ συναφθῆναι τοῖς ἄλλοις πεισθήσονται καὶ ὑπὸ τὴν Δαβιδικὴν βασιλείαν γενήσονται, δύο δαμάλεις χρυσᾶς κατασκευάσας καὶ τοῖς ὁρίοις τῆς βασιλείας ἐπέστησεν. ἵν' εἰ μὲν πρὸς ταύτην, εἰ δὲ πρὸς ἐκείνην ἀποτρέχοντες, καὶ διὰ τὸ πελάζειν μὴ δυσχεραίνοντες, ἀσπασίως δέξωνται τὸ μὴ τρέχειν εἰς τὴν μητρόπολιν. ὅριον δὲ τῆς τῶν δέκα φυλῶν βασιλείας ἀπὸ νότου μὲν ἡ Βαιθὴλ, ἀπὸ βοῤῥᾶ δὲ, ἡ Δάν. ἔδει γὰρ συνιδεῖν τὸν ἐμβρόντητον, ὡς ὁ δωρησάμενος τὴν βασιλείαν ἱκανὸς ταύτην κρατῦναι. Ἐξήλασε δὲ καὶ τοὺς ἱερέας καὶ τοὺς Λευΐτας τοὺς ἐν ταῖς δέκα φυλαῖς οἰκοῦντας. καὶ τῶν δαμάλεων τοὺς τυχόντας ἱερέας ἐχειροτόνησε. Τοῦτο μόνον κατὰ λόγον πεποιηκώς. οὐ γὰρ ἔδει τοῦ θεοῦ τοὺς ἱερέας τοῖς οὐκ οὖσι λατρεύειν θεοῖς.* Levitæ & sacerdotes an expulsi sint, ut eorum prædiis & sacerdotio alios devinciret, an quia noluerint traduci ad idololatriam, incertum.

Videamus nunc Rabbinorum commenta. Quod dixerit Jeroboam, *Occident me*, והרגוני explicant doctores: גמירי דאין ישיבה בעזרה אלא למלכי בית דוד. Non licuisse considere in atrio domus Dei nisi regibus de domo David. Si igitur viderent Roboamum considere Jeroboamum stare, cogitaturos, rebellem esse, מורד במלכות הוא. Hinc occiso Jeroboamo adhæsuros Roboamo ut legitimo regi. Porro magistri dicunt, in exitu Semittæ seu annorum septimanæ Jeroboamum accepisse Diadema. Ideo cogitasse scriptum est (Deut. XXXI. 10. 11. 12. 13. Stato die à fine septem annorum &c. leges legem hanc. Si ego voluero prior legere, dicent, rex urbis prior leget. Si ego legam secundus (גנאי הוא לי) probrum mihi erit, si non legero, contemptus erit. Hæc Thalmudica afferunt Rasi & Kimchi. Inde Kimchi scribit Jeroboam consilium cepisse, cui consenserint illi, cum quibus deliberavit. Ritum novum cultus persuasisse hoc argumento, quod Deus domum Davidis spernendo, simul Hierosolymam, urbem regni Davidis sprevisset: ideo de loco alio cogitandum, quo sacrorum causa coirent. Vitulos erexisse, quia Aaron etiam per absentiam Mosis, vitulum conflaverit, להשרות שכינה בו / *ut in eo majestatem Dei faceret habitare.* Ideo Roboamum eadem verba usurpasse, quæ olim Aaron: כי לא היתה כוונתו. Quia scopus ejus non fuit, ut idolum Dei loco statueret. Duos fecisse vitulos, ut Israel non defatigaretur, si omnes in locum unum convenire necesse haberent. In Bethel collocasse, quia ille locus sacer esset ex sensu Jacobi patriarchæ & verbis Gen. XXVIII. 17. In Dan ideò, quia terminus esset terræ Israel.

I. Reg. 12. v. 28. [רב לכם מעלות] Hic Kimchi recitat dras: *Quid fecit? Statuit duo* פרדסיאות *aut* קסתראות: *unum super Thabor, alterum super Masspha.* Hoc innui Hoseæ v. 1. Quia laqueus fuistis in Maspha & rete expansum su-

per Thabor. Nempe volunt duo castra fecisse, munita præsidiis, quæ prohiberent Israelitas ire Hierosolyma.

v. 30. Res facta est in peccatum] Hoc interpretatur idem: Primò institutum fuisse à Jeroboamo in nomen Dei, non in nomen idoli, sed postea rem vertisse in peccatum, quatenus id accipiebant pro Deo: & ex eo egressi sunt in deos alios, sicut omnes gentes.

Ibid. usque Dan] Quod vis superstitionis populum usque adeò dementaverit, ut ex omnibus finibus Israel, Dan in extremo sitam adierint. Hinc prophetam (Amos 8. 14.) dicere: Vivit Deus tuus, Dan: & via Bersabe vivit. Quia via eorum erat à Bersabe ad Deum Dan: & in eo jurabant.

v. 31. Domum excelsorum] Fecit domum & struxit inibi excelsa. מקצות העם] Magistri: מן הקוצים שבעם, è spinis in populo. Observat idem Kimchi Levitas nec eo tempore nec sub Mose voluisse consentire in idolalatriam. Hinc proverbium exstitisse: מעולם לא עבר שבט לוי ע״ז. *Nunquam tribus Levi operata est idololatriam.* Ideo de illis dici (Deut. 33. 9.) *custodiverunt verbum tuum & observabant fœdus tuum.* Opponit, quod habetur 2. Reg. 23. 9. *At non offerebant sacerdotes excelsorum super altari Domini in Ierusalem, sed edebant infermentata &c.* Ad hoc duo respondet, Primo: Obtulerant in excelsis sed in nomen Domini. 2. Aut non deliquisse donec non deliquerunt reges Judææ: quibus ad idololatriam prolapsis quidam etiam è Levi lapsi sint. Illos autem fuisse è domo Ithamar, non è Sadoc, qui fuit ex Eleazar. Hos enim in seculum non immolasse Deo alieno, ut sit expositum in Ezechiele. Ob fidem suam & constantiam expulsos esse à Jeroboam.

32. In mense octavo] *Mutavit mensem septimum in mensem octavum ut Israelem amplius elongaret à statutis Ierusalem: aut si essent ex Israel, qui vellent ire in festo Scenopegiæ in Ierusalem:* (ut dicitur in Chronicis (2. Chronic. XI. 16.) Qui dabant cor suum ad quærendum dominum Deum Israel, venerunt Jerusalem ad sacrificandum) *fecit ipse festum in mense octavo, quia jam reversi erant domum, qui iverant Hierosolymam & fuerunt illic in festo quod fecerunt metu regis.* Sic fecit] *Secundum festum, quod erat in Iuda, in mense septimo, sic fecit in Bethel in octavo.*

Ralbag persuasum esse putat populum: Primò, quod ipsos liberaret molestia eundi in locum unum. Secundò, quod cæteris tribubus tribueret honorem. Præsertim cum scirent licuisse inter destructionem tabernaculi Silo & conditum domus sanctuarii, ut aliis locis & per alios sacrificaretur: לפי שקודם בנין בית המקדש אחר חורבן משכן שילה היתה העבודה מותרת בורים. Fuisse etiam multos, qui per idololatriam Salomonis alienati fuerint à cultu veri numinis, quibus facile persuaderi potuit imitatio facti Aharonis. Et (dicebat Jeroboam) Jerusalem etiam abominabilem videri quia illic Salomo ista idola statuerat. Inde in omnes partes peccatum emanavisse. Rectè ille observat, Fuisse ipsis in peccatum id ipsum institutum Jeroboami, quamvis in honorem Dei facere scopus esset. הנה לומר שכבר היה זה להטא עצם אף על פי שעשוהו לעבור השם יתברך כלשכן כשעשו מהם ע״ז. Et fecit domum excelsorum] Hic Ralbag: Patet quod in opposito domus sanctuarii, fecerit in ea domo multa excelsa, cum in domo sanctuarii unum solum fuerit. In hoc etiam tractum esse populum, quod liberatus fuerit à decimis cæterisque donis sacerdotii.

I. Reg. XIII.

Obiter notandum quod libri regum fusius exponant de regibus Israel, Chronicorum postremus de regibus Judæ. Festum illud octavi mensis agebat Jeroboam in Bethel, sacrificans in ara & incensum faciens. Adstanti ad aram supervenit vir Dei è Judææ terris, cum verbis Domini, quæ elata voce proclamat: Ara, Ara: ita dicit Dominus: En filius domui Davidis nascetur, cui nomen Josias. Ille super te immolabit sacerdotes excelsorum, qui odoramenta in te faciunt. Et cremabuntur super te humana ossa. Dabat etiam miraculum. Hoc est, inquit, miraculum, de quo Dominus locutus est. Findetur ara & cinis effundetur. Jeroboam auditis verbis prophetæ, ad iram provocatus, extensa super aram manu, hominem comprehendi jubet. Ea mox exaruit. Ara etiam scissa effudit cinerem. Rex obstupefactus miraculo & pœna, quia manum protensam retrahere non poterat, rogat virum Dei, ut pro se supplicaret Domino Deo suo, ad sanitatem recipiendam. Vir Dei Dominum supplex rogat & cum dicto manus restituta est. Sanatus rex rogat prophetam, se domum suam comitetur, ut cibum & munus capiat. At vates: Si dimidium domus tuæ offerres, non irem tecum: nec in hoc loco, aut panem ederem aut aquam biberem. Interdixit enim Dominus, qui & alia via hinc jussit discedere. Abjit igitur secundum Dei præceptum. Interim prophetæ seni, in Bethel habitanti filii sui annuntiant, quæ facta essent. Senex quærit qua via abiisset. Hoc etiam observarant filii ejus. Strato igitur à filiis asino festinans, assecutus est virum Dei, sedentem sub quercu. Quem percontatur, quis esset? Cognitoque invitat se sequatur; tecto suo succedat seque recreari cibo potuque patiatur. Id sibi à Domino interdictum esse, cum responderet, mentitur senex; Se quoque prophetam esse & per angelum verbum Domini habere: Ut hominem istum reductum cibo potuque reficeret. Fidem habens dicto, senem comitatur & ad mensam illius se reficit. Sed interim dum mensæ assiderent, verbum Domini venit ad prophetam illum senem: qui clamavit ad virum Dei è Judæa: Sic dicit Dominus, quia non es obsecutus Domini mandato, corpus tuum non humabitur in sepulchris patrum. Cum epulum finitum esset, senex hospiti suo asinum sternit: quo ille vectus in via obvium leonem habuit. Hic interimit vatem, sed asinum non attingit nec corpus dilaniat. Viatores illac transeuntes in oppidum referunt, corpus hominis in via jacere, adstantibus asino & leone. Hic ille senex, narrat, uti res erat, Vates est, qui ori Domini rebellis fuit. Ideo Dominus eum leoni tradidit, juxta verbum, quod erat ei locutus. Simul jubet, ut filii asinum insternant. Ergo ad locum pervenit: ubi corpus illæsum à leone. Nam asinus & leo adstabant: cum etiam asinum leo non occidisset. Cadaver igitur sublatum reportatumque in oppidum, cum luctu & honorifice sepulcro suo infert. Lessum etiam instituit dici: *Mi frater.* Mandatum dat filiis ut se defunctum suaque ossa corpori prophetæ illius apponant. Certò enim eventurum esse, quod verbum Dei per istum prophetam enuntiaverat, adversus aram Bethel omnesque domos excelsorum in oppidis Samariæ. Insigni hoc portento nihil motus Jeroboamus, perseveravit in cœpto. Id autem domui ejus in ruinam fuit.

Rasi scribit hunc prophetam fuisse Iddonem, quem Josephus (qui in eadem est opinione) Jadonem vocat. Sic communiter Rabbini sentiunt. Nam & Abiæ gesta in libro Iddonis dicuntur contineri: 2. Chronic. 13, 22. Hi non

non tantum id festum sed & alia è corde suo finxisse referunt.

Cur Deus interdixit vati ut ne ederet aut biberet in eo loco? R. Kimchi: *Quia vetitum est introire in civitatem Idololatrarum, nisi ad commonefaciendum ipsos* (להוכיח בהם) *& prohibendos ipsos, & loquendum ipsis in nomine Domini. Ut animadverteret populus, quod non esset ingressus illuc, nisi tantum ad narrandum prophetiam suam, prohibuit eum ab edendo & bibendo illic. Et ne memor esset via civitatis illius, neve reverteretur illuc, vetuit redire eum via, qua venerat.* Ralbag: Videtur, quod præceperit ipsi Deus benedictus de hoc: ut admoneat, שאין בהם תועלת והנאה כי כלם יאבדו בסוף בעבור זה החטא. Nullum in illis esse usum aut profectum, cum omnes tandem perituri sint ob hoc peccatum. Eadem via non esse reversurum, id indicare quod verba illa nihil profutura adversus ipsam rebellionem Jaroboami.

Solicite etiam Judæi inquirunt de isto sene propheta. Thargum quia dicitur נביא אחד / nomen ejus facit חד seu אחד / *unus*. Kimchi testatur in quibusdam exemplaribus legi מיכה שמיה *Michas nomen ejus*. Et sic esse in verbis magistrorum. Quosdam tamen dicere, quod fuerit Amasia sacerdos Bethel: alios prophetam Iddo seu Addo; rursum quosdam Ionathanem filium Gersom. Et principio fuisse ישיבה / Scholam in Samaria, ut scriptum est in verbus Iahiæ vatis, qui venit & ivit Bethel & habitavit illic. Quamvis autem ea tempestate (באותו הפרק) civitas Samaria nondum condita fuerit, quia Omri illam civitatem condidit: fuisse tamen vicum (כפר) quem Omri empto monte condidit in civitatem. Aut fuisse illic prius civitatem, quam firmatam alio nomine appellaverit.

Senem illum non fuisse pseudoprophetam, quemadmodum Iudæi & Iosephus volunt, inde patet, quia 1. Ille propheta Iudæus agnovit eum pro Dei propheta; unde ipsi affirmanti credidit: Deum aliter mandasse. 2. *Quia ad ipsum* factum est verbum Dei, quo moneretur Judæus ille de suo delicto & pœna. Quæritur, Cur punitus sit, qui credidit? R. Debuit inquirere diligentius nec solis verbis hominis credere adversus id, quod ipse sine medio à Deo acceperat. Qui ligaverat, solvere debebat. Cur non consuluit Dominum, aut aliud mandatum non exspectavit? Cur non est punitus ille, qui decipiebat? Hic non valet excusatio officiosi mendacii, qua prophetæ Dei voluit benignitatē facere nec qua voluit consulere sepulturæ suæ post mortem. Impie egit quamvis bono scopo. Pepercit ipsi Deus nec puniit χοινῶμως, quia tentari voluit obedientiam hujus qui in media sua missione erat. Uterque reus mortis à Deo, חייב מיתה בידי שמים. Objicit Ralbag Deum posse præceptum mutare, ut in Isaaci immolatione. Ipse vult Deum non mutasse, sed declarasse voluntatem suam: ut Isaac fieret עולה / ut initiaretur Isaac cultui Dei. Hic mutationem fore præcepti primi (שב הש״י מצווי הראשון) Id vero non convenire. Ideo debuisse cogitare, quod esset pseudopropheta nec fidem adhibere verbis ejus. Quod non sint puniti illi homines, id ideo quia Deus faciem suam abscondit, cum alias ex amore cito castiget. Deinde, miraculum hoc additum fuisse ad confirmationem superioris miraculi, cui non attendebat Jeroboam. Nempe id fuisse miraculum, quod habitare fecerit Deus prophetiam super pseudoprophetam. Ita Balaam propter Israel prophetasse, hunc ob virum Dei. Kimchi dicit inquirere debuisse, an esset propheta (אמת) veritatis. Imò an hoc ipsum esset Dei verbum, cum ipse sciret, quid Deus sibi ipsi locutus esset. Et Addit Kimchi pœnam fuisse prophetæ Dei, quod non ad ipsum in mensa veniret verbum sed ad pseudoprophetam.

Ossa sua tuta esse voluit senex propheta conjunctione in sepulchro cum ossibus

oſſibus viri Dei: cujus oſſa Joſias non erat crematurus.

Multa illa mirabilia circa hunc prophetam Judæum Jeroboami cor flectere non potuerunt ut ad ſanam mentem rediret. Lyranus: *Licet vidiſſet ſigna prædicta in altari & in manu propria, tamen non receſſit à malitia ſua. Cauſam autem hujus tangit Ioſephus: Nempe, quod propheta falſus perſuaſerit ei, quod prædicta non erant ſigna Divinæ virtutis oſtenſiva: quia ille, qui dederat, interfectus fuerat à leone tanquam falſiloquus. Dicebat etiam altare eſſe ſciſſum propter onus ſacrificiorum impoſitorum. Et manus regis arida ex labore offerendi, à quo cum quieviſſet, rediit ad ſtatum priſtinum virtute naturæ.*

v. 33. Quicunque volebat implebat manum ſuam &c.] Lyranus: *offerendo hoſtiam ſolennem ſicut Aaron fecerat & per hoc fiebat ſacerdos. Aliter etiam exponitur referendo ad Hieroboam, qui vendebat ſacerdotium. Et ideò qui implebat manum ſuam, dando ſibi maius pretium, obtinebant ſacerdotium.*

Joſephi narratio ſcribit: *γενόμενος δ' αὐτὸς ὁ ἀρχιερεὺς ἐπὶ τὸν βωμὸν ἀναβαίνει σὺν τοῖς ἰδίοις ἱερεῦσι.* Ipſe locum ſummi pontificis implevit. *Ἡ τιμελὴ τῶν ἱερείων ἐπὶ γῆν χυθήσεται.* חדשי vertit *πιμελὴ* ſicut Lxx. *ἡ πιότης*. Regem miratum temperantiam prophetæ, male ſibi metuiſſe. Senem prophetam (quem appellat *πονηρὸν ψευδοπροφήτην*) cum aſſequutus eſſet virum Dei, expoſtulaſſe, quod ad ipſum non eſſet ingreſſus nec xènia participaſſet. Prætendenti Dei interdictum, reddidiſſe, *Ἀλλ' οὐχὶ παρ' ἐμοὶ πάντως ἀπηγόρευκέ σοι τὸ θεῖον παραθέσθαι τράπεζαν.* Eſſe & ſe prophetam, ejuſdem religionis conſortem & miſſum à Deo, ut ipſum ad ſe adduceret. Fallitur deinde cum Deum ſuper menſa iſti Jadoni locutum eſſe exiſtimat; cum definite dixiſſe, quod à leone eſſet interiturus: *ἀφ' οὗ (λέοντος) διαφθαρήσεσθαι.* Porrò filiis miſſis corpus ejus in urbem reportaſſe. Hæc omnia aliter apud Lxx. Opinatur Joſephus iſta Deo ita volente contigiſſe, *ὅπως μὴ προσέχοι τοῖς τοῦ Ἰάδωνος λόγοις Ἱεροβόαμος ἐληλεγμένος ψευδής.* Addit poſt ſepultum prophetam & mandata filiis de ſua ſepultura data adiiſſe regem, increpantem, quod fatui iſtius ſermonibus ita eſſet turbatus. Miracula (ut retulit Lyranus) labefactaviſſe *(ἀναλύειν)* regis mentem à Deo & juſtis ac piis operibus in totum averſam in extremam impietatem dejeciſſe.

Interdictum vati datum à Deo, dicunt figuram habuiſſe Eccleſiaſticæ cenſuræ. Sic Cyprianus, Rupertus, Lucifer Galaguritanus. Salianus ſingularem deteſtationem loci continere, in quo idolum erat. Unde Abulenſem exiſtimare, ſi quo caſu contigiſſet, ut ei vel cibus ſumendus eſſet in Bethel, vel moriendum fame: Verbi cauſa, ſi ad plores dies detineretur in carcere, nec abire permitteretur, mortem potius ſubeundam fuiſſe, quam capiendum cibum. *Particularia enim Dei juſſa, quæ circumſtantias, utique à Deo praviſas, exprimunt, miti interpretatione explicari non poſſunt. Et Deus cum daret præceptum quod hujusmodi inducebat incommodum: Voluit ſibi nihilominus obtemperari, quod longè ſecus contingit in juſſionibus humanis.* Lyranus, Dionyſius, Hugo, Cajetanus, Vatablus, Sa, Angelomus, Eucherius, Adrichomius, Baradius &c. pſeudoprophetam putant fuiſſe: ita Pontificiorum communis ſententia fuit. Salianus, Torniellus, Serarius cum Abulenſi melius, non fuiſſe verius dici putant. Theodoretus & Procopius negant fuiſſe pſeudoprophetam, Auguſtinus non aliter quam prophetam appellat. Theodoretus de Hieroboamo: *Λίαν δὲ ἠλίθιος ὤν, προφήτην ἱκέτευσεν αἰτῆσαι αὐτῷ παρὰ τοῦ πεμψάντος, οὐ τῆς παρανομίας τὴν ἄφεσιν ἀλλὰ τῆς χειρὸς τῆς ξηρανθείσης τὴν ἴασιν.* Iterum: *Ἄλλος δέ τις προφήτης, ὃν τινες ψευδοπροφήτην νομίζουσι, λόγοις αὐτὸν ἐξαπατήσας μεταλαβεῖν σιτίων ἀνέπεισε.* Probat fuiſſe verum prophetam, qui falſis ſermonibus uſus ſit apud

virum

virum Dei, non ut eum luderet, sed ut benedictionem ab eo acciperet. Prophetam fuisse ex eo apparere, quod 1. prædixerit Deus per eum viro Dei, id quod erat eventurum. 2. crediderit prædictis de Josia. 3. Deinde prophetam, non aliter à Scriptura vocari. Deum fortassis eum non punivisse, quod veniam dederit mendacio, quia scopum intueretur 4. Pietatem ostendere, cum diceret: Hic est homo Dei &c. cum justa fecit & eodem loculo voluit condi. Concludit: Ἐκ τούτου τοῦ διηγήματος διδασκόμεθα, ὡς δυνατοὶ δυνατῶς ἐτασθήσονται. οὐ γὰρ ἔδει τὸν τῆς θείας ἀκηκοότα φωνῆς ἀνθρωπίνῃ πιστεῦσαι τἀναντία λεγούσῃ, ἀλλ' ἀναμεῖναι τὸν προστεταχότα λῦσαι ὅπερ γενέσθαι προσέταξεν. Deinde & accidisse id supplicium ad confirmandam prædictionem, quia latere non poterat tanti viri narratio. Terrorem eam incussisse. Εἰ γὰρ τροφῆς μετάληψις παρὰ τὴν θείαν ἐντολὴν γενομένη καὶ οὐκ ἐξ ἡδονῆς ἀλλ' ἐξ ἀπάτης γεγενημένη, τοιαύτην ἀνδρὶ δικαίῳ τιμωρίαν ἐπήνεγκεν, ὁποίας πειρασθήσονται κολάσεως οἱ τὸν μὲν πεποιηκότα καταλελοιπότες θεὸν τὰ δὲ τῶν ἀλόγων προσκυνοῦντες ἰνδάλματα; τετίμηκε δὲ αὐτὸν καὶ μετὰ τὴν τελευτὴν ὁ θεός &c. Ita custodem corporis positum esse occisorem: quatenus honorabat ut prophetam, quem puniverat ut transgressorem. Δεδιττόμενος δὲ καὶ τοὺς τηνικάδε καὶ τοὺς νῦν ὥστε μηδὲ τῶν σμικρῶν τοῦ θεοῦ καταφρονεῖν ἐντολῶν. Hinc etiam doceri resurrectionem. Ὁ γὰρ παραβάντα μὲν ἐκδεδωκὼς τῷ θηρίῳ τελευτήσαντα δὲ ἀξιώσας τιμῆς καὶ τιμήσας οὐ τὴν ψυχὴν ἀλλὰ τὸ σῶμα μόνον, δῆλον, ὡς οὐ περιόψεται διαλυθὲν εἰς φθοράν, ἀλλ' ἀναστήσει καὶ τῇ ψυχῇ τὸ ὄργανον ἀποδώσει, δι' οὗ τὴν ἀρετὴν ἐπεραγάσατο. Notat ἄνθρωπον θεοῦ non quemlibet prophetam appellari, sed qui facultatem perfectam nacti sint, τὴν ἀρετήν) ut Moses, Elias & siquis alius. Ideò hac appellatione declarari, ὡς τοῦ πρεσβύτου προφήτου πολὺ τιμιώτερος ἦν.

I. Reg. XIV. 1--20.

ABia filius Jeroboami æger patrem solicitum habuit. Eo monente uxor mutato habitu, ne regina esse nosceretur, Silunta se confert, ad Ahiam prophetam, qui Jeroboamo regnum prædixerat. Munus ferebat decem panum & crustulorum & vasculum mellis: consultura de eventu morbi. Martyr: *Notabimus Rehabeamum regem Iuda & Ieroboamum filios habuisse cognomines* &c. *Mitti ad prophetam quem pium & sanctum noverat, cur non ad suos vitulos aureos? vel ad sacerdotes & prophetas mendaces, quos instituerat? Quia nimirum experiebatur hac omnia esse vana & inutilia.* Mala conscientia ad Dei prophetam mittit; cui se invisum esse noverat ob institutum cultum idolorum. Fidem prophetæ expertus fuerat in vaticinio de regno eventuro. Ipsum conspectum & verba ejus verebatur. Non implorat opem per preces, de eventu tantum cupit certior fieri. Uxori potissimum fidit, eamque vult habitum mutare. Non quod metueret prophetam splendore regii apparatus perculsum, non ausurum vere oracula promere: sed ut ne propheta Deum consulere recusaret, ut ne reprehensiones uxor coram audiret, aut audire videretur. An cupiebat latere alios, quod oracula quæreret ab eo, qui ritus novos aspernaretur? Forte propheta ille latuit ob tyrannidem, ideò ignoto habitu accedere voluit, ut ne eum metu periculi quateret. Nam muliercula vilis missa à rege nihil terroris poterat afferre. Lyranus: *Ne responsum negaret aut veritatem celaret. Stulte admodum facit* (verba sunt Martyris) *& pugnat secum dum quærit ab eo Deo responsum, quem suis factis oppugnat. Quemadmodum ætate nostra princeps Turcarum dicitur, cum suscipit expeditiones,* largas eleemosynas mittere Christianis monachis, qui degunt in monte Atho & quibusdam aliis locis, illorum

am-

ambiens preces, cum tamen adversus Christum & ejus cultores bellum moveat.

Munus habuit נקודים / quod Jonathan verret כסנין. Et in verbis magistrorum פת באה בכסנין. Kimchi: והיא פת עשויה כעכין יבשים וכתסן אותם בבית המשתה Rasi: מן קליות מזבשין בתנור ועושין אותן קמח לעשות ממנו מאכל שקורין לו שתיתא חלמוד בלשון. Crustula fuerunt non laminæ parvæ, ut quidam apud Lyranum. Hæc crustula Ralbag scribit condita fuisse condimentis מתבל פת יבש בתבלין. בקבוק est vasculum angusti oris, Jonathan reddidit צלוחי. Vatis oculi præ senectute caligabant. קמו עיניו משיבו / ut etiam de Isaac loquitur scriptura. Kimchi: כי לעת הזקנה תיבש הלחות ויקומו יתרי העין ותכנס העין בחורה. *Tempore senii arescit humor & consistunt nervi & oculus colligit se in foramine suo.* At Dominus ipsum instruit de re tota. Cum igitur propheta strepitum pedum adventantis & ingredientis per ostium domus audiret, Intra (inquit) uxor Jeroboami; quid te dissimulas? Missus sum ad te, nuntiator duri. Abi dic Jeroboamo: ita loqui Dominum Deum Israëlis. Quia te extuli è medio populi, posuique ducem populo meo Israël. Regnum à domo Davidis avulsum, tibi tradidi. Tu autem non fuisti, ut servus meus David, qui præcepta mea servabat, meque secutus est toto corde, ut faceret id solum, quod mihi placet. Sed fecisti malum, amplius quam, qui te præcesserunt; fecisti deos alienos & fusilia simulachra, ut me provocares, quem post tergum abjecisti. Quapropter, malum adferam super domum Jeroboami: & de Jeroboamo delebo, mingentem ad parietem, clausum & derelictum in Israel (עצור ועזוב בישראל) (Ralbag: והנה העצור הוא שהוא בידו והעזוב הוא שהפקיד ועזב ביד צולתו) Kimchi: *Quamvis* sit clausus & relictus in loco, quem non penetrat primum excidium, tamen in fine excidam, ut nihil relinquatur. Patrem suum exponere de divitiis clausis arca & pecude relicta in agris. Amovebo posteros domus Jeroboami, ut amovetur stercus, donec penitus non sit. Qui de Jeroboamo in urbe moritur eum devorabunt canes: in agro morientem aves cæli. Nam Dominus locutus est. Abi igitur, domum propera: cum pedes tui intra urbem fuerint, puerulus morietur. (Ralbag: אות חוק על אמתותו) (Nam celeriter ire & morari inter eundum poterat) Totus autem Israël eum lugebit & sepeliet, quia hic solus de domo Jeroboami in sepulchrum veniet. Nam in eo aliquid boni coram Domino Deo Israelis in domo Jeroboami inventum est. (Hoc meritum non erit sed donum Dei. Videtur alicujus ætatis fuisse, ut prodere potuerit ingenium) At Dominus sibi regem excitabit super Israël, qui eo die domum Jeroboami delebit. Sed quid & nunc erit? Percutiet etiam Dominus Israël, ut arundo in aquis agitatur: & Israëlem eradicabit à bona hac terra, quam patribus eorum dederat, dispergetque ultra flumina, quia lucos fecerunt ad irritandum Dominum. Tradet Israelem, ob peccata Jeroboami, qui peccavit & Israëlem fecit peccare. Abiit igitur uxor Jeroboami advenitque Thersam (illic degebat Jeroboam) Cum pedem attolleret supra limen, puer exspirat. Honorifice sepultus est, toto Israele lugente, ut vates cecinerat. Reliqua Jeroboami Scriptura dicit haberi in Chronicis regum Israelis. Exstabant enim Chronica regum tam Israëlis, quam Judææ separatim. Cum viginti duobus annis regnum tenuisset, moritur. Percussus est à Domino ut, dicit Scriptura. Incertum quo plagæ genere. Quidam ex argumento verborum Ahiæ à canibus aut alitibus discerptum fuisse volunt. Sed verba illa cladem, qua familia interitura erat, notant. Eos esse projiciendos canibus & volucribus. Grotius annot. in hoc caput: *Tota hac historia* usque ad comma 21. non fuit in LXX: *sed fuit in aliis quibusdam versionibus. Sic historia de cultu vituli*

tuli

tuli deeſt in Ioſepho. Joſephus hiſtoriam hanc habet. Scribit Jeroboamum neque modum neq; finem feciſſe, ſingulis diebus aras in excelſis lucisque ſtruxiſſe & his ſacrificos è vulgo aſſignaſſe. Id vertiſſe in perniciem familiæ. Filium appellat *ὀβίμην.* Uxorem depoſita ſtola ſumpſiſſe *σχῆμα ἰδιωτικόν.* Vatem voce elata eam eſſe affatum : *Εἴσελθε ὦ γύναι Ἱεροβοάμου τί κρύπτεις σαυτήν; Τὸν γὰρ θεὸν οὐ λανθάνεις, ὃς ἀφιξομένην τίμοι φανεὶς ἐδήλωσε ϗ προσέταξε τίνας ποιήσομαι τοὺς λόγους.* Deinde breviter ſummam verbi Divini proponit : in qua dicit : *βασιλεὺς γὰρ ἐξεγείρεται ἐξ ὑπ' ἐμοῦ λαοῦ παντός.* Diſpergendum populum *εἰς τοὺς πέραν Εὐφράτου τόπους.* Filium obiturum cum ingreſſu ejus in urbem. Mulierem igitur feſtinabundam perrexiſſe domum, lugentemque nondum defunctum. *Ἔμελλε γὰρ αὐτὸν ἐπειχθεῖσα θᾶττον ὄψεσθαι νεκρόν.*

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI PRIMI.
CAP. LXIV.

Huic Aſab filius ſucceſſit, à David quintus fere, quippe abnepos ejus: fuit religioſus Domini cultor. Namque deletis aris lucisque idolorum veſtigia paternæ perfidiæ ſuſtulit. Fœdus cum rege Syriæ firmavit; ejus auxilio Hieroboæ regnum, quod tum à filio tenebatur, multa clade affecit: ac ſæpe victis hoſtibus prædam ex victoria retulit. Poſt unum & quadrageſimum annum æger pedibus deceſſit. Huic triplex peccatum aſſcribitur: unum, quod ſocietate regis Syriæ nimium confiſus ſit: alterum, quod prophetam Domini, hoc ipſum increpantem, in vincula conjecit: tertium, quia in pedum dolore remedium non à Domino, ſed à medicis ſperaverit. Sed initio regni hujus, Hieroboam rex decem tribuum defunctus eſt, regnum Nadab filio reliquit. Is malis operibus, & tam ſuis quam maternis meritis inviſus Domino, non ultra biennium regno potitus eſt, privataque imperio indigna progenies Banachiæ filium ſucceſſorem habuit, æquè à Domino alieniſſimum, Isque ſexto & viceſſimo imperii anno defunctus eſt: regnum ad Helam filium devolutum, nec ultra biennium retentum. Namque eum Zambri princeps equitum epulantem interfecit, regnumque occupavit: vir perinde in Dominum atque homines impius. Ab hoc pars populi ſeceſſit, Thamni cuidam regium nomen delatum. Sed Iambri ante hunc ſeptem annos, & cum eo duodecim regnavit.

DRU-

DRUSIUS.

ASA] Rectum est Asa. Nam etiam in LXX. legitur ἀσὰ 3. Reg. 15.

QUINTUS FERE] Quartus erat à Davide, ut ex serie Regum videre licet, Salomo, Roboam, Abiam, Asa. Sanè Davidis filius Salomo erat, nepos Roboam, pronepos Abiam, abnepos vero, id est, filius pronepotis, Asa. Ideo sequitur, *quippe abnepos ejus*. Quod autem in Chronicis Eusebii, *post quem quintus Asa an. 41.* Id aliter legitur in editis à Scaligero, *Hebræorum Iuda rex quintus Asa ann. 41.*

CUM REGE SYRIÆ] Benhadado.

AUXILIO JEROBOÆ] Sic declinant Adam, Adæ: Abraham Abrahæ. Nam est Obliquus à recto Jeroboam.

A FILIO TENEBATUR] Non à filio, sed à Baasa, qui filium ejus occiderat, eique in regno successerat. Vide sequentia.

QUOD SOCIETATE REGIS SYRIÆ NIMIUM CONFISUS SIT] 2. Paral. 16. 7. *Qui habuisti fiduciam in rege Syriæ*, &c.

IN VINCULA CONJECIT] ibid. vs. 10.

IN PEDUM DOLORE, &c.] vers. 12. *Ægrotavit etiam Asa ann. 39. regni sui dolore pedum vehementissimo, nec in infirmitate sua quæsivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est.* Verba sunt interpretis vulgati, loco superius citato.

INITIO REGNI HUJUS] Si Josepho credendum, *secundo jam anno regni Asa exacto.* Scribit hoc Josephus Orig. Jud. lib. 8. cap. 5. Quod tamen verum non videtur. Nam legimus 1. Reg. 15. 25. *Nadab filius Ieroboam regnavit super Israel anno secundo Asa regis Iuda.*

MATERNIS] Assentior Sigonio legenti, *paternis meritis*. Nam quia Jeroboam cultum vitulorum instituerat, ideo progenies ejus invisa Domino erat. vide 3. Reg. 15. 30.

BANECHIÆ FILIUM] Olim emendavi, nec adhuc pœnitet, *Baasa Achia filium.* Vix dubito quin Severus ita scripserit. Vide 3. Reg. 15. 27.

IS SEXTO ET VICESIMO IMPERII ANNO DEFUNCTUS EST] Ex eodem loco legendum, *quarto & vigesimo.* Nam disertè ibi vers. 33. *regnavit Baasa filius Abia super omnem Israël in Thersa 24. annis.* Nec dissident LXX. ubi ἔικοσι καὶ τέσσαρα ἔτη. Idem numerus est in Eusebio, nisi quod in Latinis Scaligeri lectum XXIX. pro XXIV. Nam etiam Græcum exemplar habet ἔτη κδ. Vide, si otium.

AD HELAM FILIUM] Scribendum hoc nomen absque aspiratione, *ad Elam filium*, nisi magis placet *ad Ela filium.* Nam est Ela in textu Ebræo 3. Reg. 16. 6. Græcè ἠλὰ ὑὸς Βαασά. Quod cum leviter ibi scriptum sit, mirum cur Sulpicius aspirarit. An exemplari usus fuit in quo ἠλὰ? videtur.

ZAMBRI] Antiquum est pro Zamri. Sic Mambre pro Mamre: Ambri pro Amri. His adde Nembrod quod nunc scribunt Nimrod. Ceterum in uno codice offendi, *Iambri.*

PRINCEPS EQUITUM] Dux mediæ partis equitum.

AB HOC PARS POPULI SECESSIT] Non à Zamri secessit, sed post excessum ejus populus divisus est in partes duas; quarum una secuta est Thebni sive Thabni, ut quidem antiqua lectio erat. Josephus Thamanum appellat: error natus, ut credibile, est ex antiquo charactere. Qualis & in [illegible]. Vide sis castigationes nostras in Historiam Tobiæ.

Sed Jambri] veritas Scripturæ Amri, quod nunc legunt Omri. Amri, Ambri, ut Zamri, Zambri. Simile mendum 1. Machab. 9. 36. in Ἰαμβρὶ. Nam emendant Ἀμβρὶ: rectè an secus, viderint eruditi.

Ante hunc septem annos, et cum eodem duodecim regnavit] Cum bona venia, cumque pace tuâ Severe, Amri regnavit duntaxat duodecim annos, videlicet sex in Thersa & totidem in Samaria à se condita, 3. Reg. 16. 23. Minus certum, quod de Thamni scribit. Nam quam diu regnaverit non est proditum sacris monumentis.

De Asa rege Iudæa, item Nadab, Baasa, Ela, Zambri Thabni & Omri regibus Israël.

II. Chronic. XIV.

Huic Asab] Historia hujus capitis continetur 2. Chronic. XIV. XV. XVI. & 1. Reg. XV. à v. 9. ad finem. Item cap. XVI. à v. 1. ad 28. Abiæ mortuo & sepulto in monumentis regum, in civitate Davidis, successit filius Asa. Hac tempestate decennium pacis fuit ab Israël. Deum pie coluit: removit aras alienorum & excelsa: frangebat columnas (מצבות) & succidebat lucos. Præcepit Judæis, quærere Dominum, Deum patrium, & facere legem & præceptum. Ex omnibus Judææ urbibus sustulit excelsa & (חמנים) (Lxx: εἴδωλα, qui במות hic reddiderunt θυσιαστήρια) At quomodo autor libri Chronicorum dicit eum sustulisse excelsa, cum posteà ea dicatur reliquisse, quamvis cor ejus rectum fuerit coram Domino R. In publico, in oppidis Judææ sustulit (ita loquitur scriptura) ex fundis privatis tollere non potuit. *Sic Grotius.* Rectius (ut communiter sustulisse dixeris excelsa *idolorum*, non excelsa, in quibus Deus colebatur, ut inter destructam Siluntа & ædificatum templum. Removit גלולים patrum suorum: id est deos stercoreos; Lxx. *ἐξαπέστειλε πάντα τὰ ἐπιτηδεύματα, ἃ ἐποίησαν οἱ πατέρες αὐτοῦ.* Removit etiam molles mares (קדשים) (Ralbag: חם המוכנים למשכב אסור) Lxx. *τὰς τελετὰς* Nempe in deorum initiis (*μυστηρίοις*) effeminatorum erat usus. Etiam Maacham (Lxx. *Ἀνα* appellant) matrem (aviam) gubernatione (מגבירה) dejecit, quia fecerat (מפלצת לאשרה) Lxx. *σύνοδον ἐν τῷ ἄλσει αὐτῆς.* mox *καταδύσεις.* Hieronymus vertit Priapum. Grotius: *Rectius sic: Amovit eam ab honore Augustæ, quod fecisset Terriculam in luco. Quia autem in hortis Græciæ & Italiæ solebat poni forma Priapi, ideò ex simili hanc vocem sic posuit interpres. Amovit ab honore Augustæ, id est excubias militares abstulit, ut matri Nero.* Ralbag putat מפלצת appellari, quia inducit פלצות וצרות רבות לעובדיו. Adeò nesciunt quid fuerit. Illud Miphleseth delevit & combussit ad torrentem Cedron. Combussit, quia materiam ad usum non licuit adhibere, לפי שע"ז היא אסורה בהנאה. Ideo cinerem sparsum esse Ralbag dicit in torrentem, ne quis eo uteretur. Intulit in domum Domini sanctificata patris sui & sua, aurum, argentum, vasa. Ejusdem decennalis tranquillitatis commoditate usus, condidit urbes munitas in tribus Judææ solo. Dicebat enim: Condamus urbes nostras & mœnibus cingamus, turribus & vectibus, dum pace fruimur, quam Deus nobis eum quærentibus, largitus est. Prosperitate igitur gaudebant & structuræ feliciter succedebant. Asa quadraginta & uno annis imperavit. Nadab patri Jeroboam successerat, aut simul cum eo regnum tenuerat biennio. Citò amotus ob impietatem, qua patrem æmulatus est. Secundo

cundo anno Asæ cœpit regnare. Tertio anno Asæ Baasa eum interemit per conspirationem, cum Nadab & universus Israel Gabbathonem obsiderent. Baasa occidebat quicquid animatum esset de domo Jeroboam, implens oraculum, quod Dominus per Ahiam Siluntinum locutus erat. Baasa tertio anno Asæ iniens, viginti quatuor annis imperavit, adhærens illi ipsi defectioni, quam Jeroboam instituerat. Thersa erat regia ejus. Cum hoc Baasa bellum aut incerta pax fuit Asæ toto tempore, quo vixit Baasa. Ego dividias illas incepisse puto à decennio primo Asæ, quia id à tranquillitate intelleximus commendari. Nam & illud decennium exierat cum Æthiopes bellum facerent. Martyr: *Impedivit Baasa hoc suo parricidio sacrum bellum. Nam eo Nadabus Israëlitis vindicare nitebatur Gibbethon urbem, quam eis Palæstini subtraxerunt. Istud etiam non rarò vidimus inter Christianos accidisse, ut cum aliqui principes adversus Turcas aut Saracenos bellum gererent ab aliis domi sint perturbati: in quo præclaro facinore nec beatissimus Pater sibi temperavit. Cum enim Fridericus Ænobarbus in Palæstina res præclaras gereret contra Saracenos, Papa ferro & flammis vastavit Apuliam, quæ imperatoris erat, & eam conatus est ditioni suæ adjungere.* Dominus Asæ longam pacem concessit, in qua ita coaluerat populus, ut copias ex eo ingentes virorum bello bonorum habere potuerit. Habuit enim è Juda trecenta millia ferentium scutum & hastam: è Benjamin ducenta & octoginta millia scuta ferentium & arcum tendentium. Josephus: *στρατὸν δ' εἶχεν ἐπιλέκτων ἀνδρῶν ὡπλισμένων θυρεὸν καὶ σειρομάστην, ἐκ μὲν τῆς Ἰούδα φυλῆς μυριάδας τριάκοντα, ἐκ δὲ τῆς Βενιαμίτιδος ἀσπίδας φορούντων καὶ τοξοτῶν, μυριάδας (πέντε καὶ) εἴκοσι.* צנה ורומח Josephus vertit *θυρεὸν καὶ σειρομάστην*, ut מגן semper *ἀσπίς*. Lxx: *θυρεὸς καὶ δόρατα*: נשאי מגן *πελταστοί*. Zare (זרח) Æthiops (הכושי) adversus Asam venit, ducens hominum decies centena millia, currus trecentos. Josephus: *Ἑβδομήκοντα μὲν πεζῶν μυριάσιν, ἱππέων δὲ δέκα, τριακοσίοις δ' ἅρμασι.* Unde habet quod decem myriades fuerint equitum? Immensæ istæ copiæ] Æthiopum & Libyum usque Maresam, Judææ oppidum, irruperant. Ita sunt vices rerum: quinto anno Roboami Sisac Æthiopum dominus erat, nunc Zare Æthiopiæ rex Ægyptum (ut videtur) subegerat. Profectus adversus eum Asa, castra posuit in valle Saphatha, haud procul à mœnibus Maresæ. Visa multitudine vociferatur ad Deum: Domine, tu æque infirmis ac valentibus potes victoriam dare. Opem fer, Domine Deus noster. Te nitimur, tuoque in nomine venimus adversus hanc multitudinem. Domine, tu Deus noster, ne invalescat homo mortalis adversus te. Cum hæc dixisset, Deus (ut scribit Josephus) signum dedit victoriæ. Ideò magnis animis manus conserunt. Deus sane percussit Æthiopas pro Juda, eosque in fugam egit. Quo genere percussionis Deus barbaros percusserit, non exprimitur. Fugientes persecutus est Asa cum suis usque Gerar (Lxx. malè Γεδώρ) Jos. *ἄχρι τῆς Γεραρίτιδος χώρας.* In tam effusam fugam dati sunt atque ita contriti, ut se recolligere non potuerint. Tantam stragem Deus & Judæi fecerunt. Victores ad spolianda castra versi, ingentem prædam reperiunt. Percusserunt omnes urbes circa Gerar, in circuitu late, quia terror à Domino eas perculerat. E direptione istarum urbium opima spolia trahunt. Rabbini dicunt receptas esse manubias quas Sisac abstulerat. Quod ineptum: quamvis damnum compensatum. Etiam tentoria pecudum (Nomadas) cædunt, capiuntque ovium & camelorum ingentem numerum. Sic læti ditatique Hierosolyma redeunt. אהלי מקנה Græci *ἀλιμαζονεῖς* corrupta Hebræa voce. Arabes Scenitæ, fœderati Æthiopibus Scenitis, ut loquitur Grotius.

II. Chronic. XV.

JUdæis & Asa redeuntibus cum triumpho domum occurrit Azarias filius Oded (Oded est Iddo propheta juxta Hieronymum) in Spiritu Dei. Qui, Audite ait, Asa, totus Juda & Benjamin: Deus vobiscum est, quando cum ipso estis. Quærentibus præbebit se; deserentes deseret. Israel multis diebus fuit sine vero Deo, sine docente sacerdote & lege. Sed cum in angustiis suis converterent se ad Dominum Deum Israël, eumque quærerent, inventus est. Illis tempestatibus non erat pax ingredienti & egredienti: sed multæ perturbationes super omnibus incolis illarum regionum. Populus in populum, urbs in urbem collisæ frangebantur. Deus enim eos omni angore perterrefecerat. Estote igitur fortes nec remittite manus. Nam præmium pro opere est. Hæc verba Azariæ, quorum referentia malum in v. 3. 4. 5. 6. interpretatur Jos. per futuri mali comminationem: Καὶ γενήσεσθαι χρόνον ἐκεῖνον, ἐν ᾧ μηδεὶς ἀληθὴς εὑρεθήσεται προφήτης ἐν τῷ ὑμετέρῳ ὄχλῳ οὐδὲ ἱερεὺς τὰ δίκαια χρηματίζων. ἀλλὰ καὶ αἱ πόλεις ἀνάστατοι γενήσονται καὶ τὸ ἔθνος κατὰ πάσης σπαρήσεται γῆς ἔπηλυν βίον καὶ ἀλήτην βιωσόμενον. Hortatur ut boni essent dum tempus erat, nec sibi ipsis inviderent Divinum favorem. In Lxx. perturbatus est textus & futurum indicat. Vulgatus etiam de futuro accipit. Grotius bene: *In Hebræo non est illud transibunt. Vnde rectius, quod deest, impleas per fuerunt. In Israele id est tribubus: fuerunt sub Ieroboamo.* Hieronymus in traditionibus Hebraicis: *Tradunt hoc 52. annis post eversionem templi impletum ita ut in his quinquaginta duobus annis nec avis volaverit nec bestia pertransierit per Ierusalem & Israel fuerit absque spe & omnes gentes in conturbatione.* Hæc nugacia: sed apparet de futuro accipere cum Græcis & Latina versione. Ideo Hebræorum sectatores & sectarios iterum hic reprehendit Salianus. Asa animatus verbis prophetæ hujus & Oded (patris fortè illius) abominationes tollit è Juda & Benjamin, & ex oppidis, quæ in montibus Efraim occupaverat. Instaurat aram, in atrio, Domini. Congregavit totum Juda & Benjamin omnesque inquilinos cum ipsis, qui ex Ephraim, Manasse & Simeone confluxerant. Nam plurimi ex Israël ad eum transfugiebant, illecti prosperitate, quam ipsi Dominus concedebat. Cojerunt igitur Hierosolymis in tertio mense, anno decimo quinto regni Asæ. Eo die sacra faciunt è spoliis hostium, septingentos boves & septem millia ovium. Pepigerunt fœdus: se quæsituros Dominum Deum patrum suorum, toto corde & anima. Neci dedendum, quisquis non quæreret Dominum Deum Israëlis, à parvo ad magnum, à viro ad mulierem. Jurabant Domino elata voce & cum jubilo: cum buccinis & tubis. Universa Judæa lætabatur hoc jurejurando. Nam toto corde juraverant, tota voluntate quæsiverant Deum, qui se passus est inveniri. Dabat ipsis circumquaque tranquilitatem. Nullum bellum ortum est usque ad trigesimum quintum annum regni Asæ. Hic dubium est: Quomodo potuit Baësa Asambello impetere, regnantem anno trigesimo sexto, cum Baësa tantum vigintiquatuor annos regni impleverit? Cœpit regnare anno tertio Asæ 1. Reg. XV. 33. Si biennio adjicias aut Triennio annos vigintiquatuor, 26. aut 27. annum Asæ habebis. Mortuus igitur decennio ante 36. annum Asæ. Martyr: *Respondetur, Non esse accipiendam hanc supputationem ab initio regni Asæ: verum ab eo tempore, quo cœpit cum Israelitis bellum gerere. Id autem accidit post victoriam, quam de rege Æthiopum adeptus est: decennium minimum postquam regnare cœpit. Nam, uti jam diximus, otium & pacem per totos decem annos obtinuit.*

nuit. Addamus itaque viginti sex annis istis decem, constabitque ratio numeri nempe triginta sex annorum, ut in Paralipomenis legitur. Quod si quæratur, decennium primum, quod pacatum ac tranquillum fuit, in quos reges Israelis incurrerit: Dicemus duos annos adscribendos esse Ieroboamo (Etenim vigesimo anno ejus Asa regnum suum auspicatus est) Deinde secuti sunt duo propemodum anni Nadabi. Reliqui sex Baasæ assignabuntur. Nam etsi regnasse dicitur vigintiquatuor annos, id accipiendum est ut in historia scribitur, super totum Israelem, quoniam post occisum Nadabum per sex annos minime ab omnibus, ut rex admittebatur. Alii conciliant hanc diversitatem, ut intelligatur illos triginta sex annos, de quibus in Paralipomenis fit mentio, supputandos esse à tempore, quo laceratum est regnum defuncto Salomone: sed prior sententia mihi videtur planior. Grotius dicit quosdam legere *quintum annum*, omissa tricesimi nota: quia (1. Reg. XV. 16) dicuntur bellasse interse Asa & Baasa toto vitæ suæ tempore. Sed contextus aliud suadet. Nam post annum decimum quintum tranquillitas fuit, quæ rupta est anno isto, de quo quæritur. Ralbag: in XV. Regum: *Est dubium in eo, quod scriptum est de hoc in libro Chronicorum. Nam illic scriptum, quod hoc fuerit in anno trigesimo & sexto regni Asa & jam invenimus* (וכבר) *quod in anno tertio regni Asa regnaverit Baasa: & non regnavit Baasa nisi vigintiquatuor annis: quomodo quadrat cum hoc, quod fuerit illud bellum in anno trigesimo & sexto regni Asa* ואולם התר זה הספק והוא לפי מה שאומר והוא שכבר שקטה הארץ וכו׳ *Et profecto solvit hoc dubium & illud secundum quod dicit & illud quod olim quieverit terra ab omni bello decem annis in diebus Asæ, ut scriptum in libro Chronicorum. Cumque vidissent Israëlitæ prosperitatem ejus, collecti sunt ad illum multi ex Israël, in anno decimo quinto regni ejus. Quia tunc bellabat cum Israel & adduxerunt prædam magnam, ut illic scriptum est. Etiam illic scriptum est.* Et bellum *non fuit usque ad trigesimum* quintum annum regni Asa. *Sensus est, quod non fuerit ei bellum cum Israel ante hoc. Nam non quadrat dicere quod non fuerit ei: Cum illud stet* (התחשב) *est clarum* (מבואר) *quod dicit usque ad trigesimum quintum annum regni Asa, esse decimum quintum annum regni Asa; quia tunc ei fuit bellum cum Israel. Et profecto numerat triginta quinque annos à tempore divisionis regni: quia jam fuerunt viginti anni Roboami & Abiæ & Asa quindecim. Et ecce in anno vigesimo sexto Asa ædificavit Baasa Ramam. Et puto, quod numeravit à tempore divisionis regni: quia illud, quod fecit Asa super negotio ædificationis Ramæ causavit etiam hic divisionem regni: quia jam cœperat regnum reverti ad ipsum ante hoc, ut memoravimus. At propter hoc peccatum relictum est regnum Divisum ut prius. Et ecce hoc peccatum fuit, quod posuerit carnem brachium suum, in eo quod misit ad Benhadad regem Syriæ, nec confisus fuerit in Domino, qui prostraverat exercitum Æthiopum coram ipso. Et puto, quod ob hanc causam ægrotaverit pedibus, tempore senectutis suæ. Quia ipse miserat hunc ad Benhadad, quasi non essent ipsi pedes ad eundum in bellum, ideo fecit Deus benedictus, ut debilis esset virtus pedum in tempore senii.* Scribitur, quod Nadab regnaverit in anno secundo Asæ. Ad hoc ita commentatur Ralbag: *Notum, quod mortuus sit Ieroboam in anno secundo Asa, quia viginti duobus annis regnavit & jam regnaverant viginti annos Roboam & Abiam: & non absolverat annum & imputatur annus ille ipsi & Nadab filio ejus: nec absolvit Nadab annum tertium Asa, qui imputatur ipsi & Baasæ. Ideo dicit quod Nadab regnaverit biennio & Baasa viginti quatuor annis. Ideo absoluti sunt in anno vigesimo sexto Asæ. Nec absolvit (Baasa) annum illum & imputatur ipsi ille annus & Omri. Et postea regnavit Omri duodecim annis, ideo illi anni terminantur in trigesimo octavo Asa:* ובזה התתר ספקות רבות יפלו במנין אלו השנים שנחשבו כאן ולכאן: *In hoc solvuntur multa dubia, quæ occurrunt in numero isto-*

rum

rum annorum, qui computantur hic & illic. Grotius tertium Annum Asæ, quo cœpit regnare Baasa (1. Reg. XV. 33.) incipit ab suscepto illius bello in Israëlem. Hoc enim è superioribus ante versum dictum repetendum esse. Quod aliis discutiendum relinquo. Videndus Kimchi in 2. Paral. 16.

II. CHRONIC. XVI.

ANno trigesimo sexto Asæ, Baasa rex Israel adversus Judæam profectus condit Ramam (הרמה) ut ingressum & egressum Asæ (aditus Judææ) clauderet. Quod cum non ferendum sibi putaret Asa, omne aurum argentumque promit è thesauris domus Dei & regiæ (quod reliquerat Susacus rex Ægypti) Quæ mittit ad Benhadad regem Syriæ, Damascum, cum his verbis: Fœdus est inter me & te ut patrem tuum meumque: En mitto argentum & aurum, ut rupto fœdere, quod tibi est cum Baasa rege Israel, eum cogas cœptum adversus me opus omittere. Hic Benhadad fuit filius Tabrimmonis, nepos (חזיון) Hazion è posteris Hadad Idumæi, hostis Salomonis. Fœdus videntur habuisse reges Israel & Juda inde à divisione regni cum domo Hadad: quia inter se hostes, externum bellum sustinere non poterant. Nec potuit fortuna fortunatius & oportunius aliquid struere novo Damasci regno, quod invalidis adhuc Assyriis, Israelitarum opibus scissione infirmatis coaluit. Tabrimmonem Benhadadi patrem regnavisse Damasci liquet è verbis legationis Asæ: an & Hasion regnum tenuerit, incertum est. Damascenus Nicolaus scribit filium patri successisse ab Hadad in decimam successionem. In quo fallitur. Nam successor Benhadadi Hasael non fuit ejus filius. Crediderim tamen hactenus filium successisse in locum patris. Successio igitur regum ista fuerit: Rezon, Hadad, Hazion, Tabrimmon, Benhadad. *Benhadad persuasus muneribus*, missis ducibus suis adversus urbes Israel, percussit Jon, Dan, Abel-maim (Abel Beth-maacha) & omnes urbes thesaurorum in Naphthali: totam Chinneroth. Ita Baasa coactus ab opere cæpto destitit, seque Tharsam recepit. Asa igitur universum Judææ populum (nemine excepto) jussit coire, ut simul omnes lapides & ligna tollerent: id est totam materiam, quam Baasa congesserat. Ex ea materia condidit Asa Gabe Benjamin & Maspham. At Deo displicuit Asæ factum, in quo ter (notante Martyre cujus hic commentarium in factum illud describimus) peccavit: *primum quod fiduciam suam non in Deo sed in carne collocavit: deinde, quod hostes populi Dei acciverit in terram Chanaan: postremò, quod exspoliarit veri Dei templum, ut munus ex ejus ornamentis ad regem Syriæ mitteret. Non facit consectanea suis prioribus factis. Nam anteà, quæ cum ipse tum pater ejus Abiah dedicaverat, introduxit in templum: nunc verò è contrariò illius compilat ornamenta. Hoc non dico quasi non liceat in durioribus casibus hisce thesauris uti. Sed hoc dico, Asam non fuisse tunc in eam necessitatem conjectum, quæ ab eo id exigeret, quod fecit. Qui volunt ejus culpam elevare vocabulum* ▭ נותרים *significare volunt ornamenta illa quæ redundabant, quod præter instrumenta necessaria divino cultui, alia multa ornamenta superessent. Potest etiam ea vox præstantia & eximia, quæ cætera excellerent, indicare, quasi Rex ad Ben-Hadadum ea miserit, quorum pretio & splendore facilius illum in suam sententiam pertraheret. Iam spectemus templum Salomonicum suis ornamentis bis exspoliatum, idque brevissimo spatio temporis, per Roboamum scilicet & Asam: ille ut expleret Sesacum Regem Ægypti, is ut subsidia Benhadadi redimeret. Sunt qui ex isto loco probare velint, licere piis principibus auxilio infidelium abuti. Sic sunt ingenia & mores adulatorum, ut ex Divinis literis non remedia scelerum, sed illorum defensionem quærant. Sed homines imperiti ac ridiculi minimè advertunt hoc Asæ factum*

ctum non probari Deo, sed graviter accusari. Misit enim ad Asam (ut in Paral. legitur) Iehu filium Hanani, qui diceret nomine suo: Quia nixus es auxilio regis Aram, ideo tuas manus evasit exercitus Syriæ. Nonne ope mea regem Æthiopum & Lubim vicisti? Oculi Domini per orbem terrarum discurrunt, ut se robustum præbeat iis qui recto animo erga se fuerint. Stultè egisti cum in magnum crimen veneris, in gravia bella incides. At quæ bella sit passus in posterum Asa, non legimus in divinis literis: unde apparet, multa fuisse gesta regum Israël & Iudæ, quæ conscripta non extant.

Auditis iis verbis rex Asa incensus est ira contra virum Dei, atque illum conjecit in carcerem. Hic est mos principum ut laudari velint, non vituperari, & injuriam sibi esse ducunt, siquando illorum vitia taxentur, ita ut cum eis non liceat, nisi ex præfinito loqui. Semper meminerunt se Reges esse. homines autem ferè nunquam. Quamobrem cum in manu sua vident situm, ut ulciscantur, suis reprehensoribus minimè parcunt, & ob leves noxas gravissimas iras gerunt. Prophetam qui sibi gratulabatur victoriam, amico animo audivit: etenim quæ ab eo dicebantur, non nihil ad ejus laudem pertinebant. Nunc reprehensionem sui facinoris non potest ferre. Hac in re multum superatur à Davide, quem imitari volebat. Nam ille Prophetis ac verbo Dei semper cessit, & resipuit cum reprehenderetur. Verum Asa virum Dei, qui culpam nullam commeruerat, imò potius de se benè meritum (qui enim vitia nostra taxant, utique beneficio nos afficiunt) in carcerem conclusit. Profectò illi debuisset magnum honorem habere, saltem Dei causa, qui eum miserat, Proinde lapsus est graviter. Nam (ut in Paral. additur) multos adhuc homines oppressit. Quod ego de illis existimo dici, qui hanc Prophetæ injuriam indignè ferebant. Nos verò decet, ut in speculo contemplemur hosce magnorum virorum lapsus, quo illis animadversis nobisipsis dicamus, Qui stat, videat ne cadat. Et cum cœperimus rebus nostris metuere, nos in preces conjiciamus à Deo petentes, ut à nobis lapsus hujusmodi amoliatur.

Si reprehenditur Asa, quod fœdus cum impio rege fecerit, conficitur plana & aperta ratione, ab hoc genere fœderum nobis esse cavendum. Non prohibentur certa pacta & conventiones cum infidelibus præsertim de finibus. Nam qui eis finitimi sunt, licitè curare possunt, ut pacatè ac tranquillè agatur, & de commerciis & rebus necessariis ad vitam vel importandis vel exportandis convenire possunt. Nam Paulus ad Romanos dixit, Quantum in vobis est, pacem cum omnibus habete. Et Iacobus unà cum Labano in monte Gilead fœdus percussit, & multi reges & imperatores Christiani ad eundem modum sæpe cum impiis fecerunt. Hodie Veneti propter viciniam cum Turca pacem colunt. Poloni etiam cum Scythis, quos hodiè Tartaros vocant. Sed ea fœdera, quæ habent communes expeditiones & auxilia mutua, non sunt permittenda. Nam ex ista exercituum commixtione semper aliquid mali ac impietatis fidelibus affricatur. Et sanè in talibus castris impii sua idola invocant, illis victorias asscribunt, per illa jurant, quibus rebus Deus vehementer offenditur, & idcirco non erit iis propitius, qui se ad eos adjungunt. Paulus ad Cor. voluit ut à fratribus potius pateremur injurias & contumelias, quam ut adversus eos litigaremus circa tribunalia Ethnicorum. Si valet ea ratio seu monitio, quemadmodum apud nos valere debet, potius pericula & damna ferenda sunt, quam ut ad auxilium impiorum confugiamus. Deinde consulamus animos nostros, & cogitemus nobiscum, quidnam de idololatris & impiis judicemus, quidve de nobis illi è contra sentiant. Nos illos ut canes despicimus, atque illi nos ut canes habent. Illos nos perhibemus hostes Dei: quo igitur ore, quave fronte nos ipsos illis conjungimus? Quæ potest esse conventio lucis ad tenebras? Si Deo verò fidem non servant, quomodo speramus illos nobis fore fideles. Nec quisquam dixerit, Deum quoque operâ infidelium uti, quia nostrum & Dei non est æqua ratio. Nam ille solutus est legibus, & quidem jure. Nam si hoc datur Imperatoribus (ut habetur in Parag. de legibus & Senatusconsultis, l. Princeps) cur Deo non magis attribuetur? Ideo quæ ab eo geruntur, non sunt à nobis trahenda in exemplum, qui sub ejus legibus constringimur. Unde complura

Deus facit, quæ nobis minimè fas est imitari. Licuit ei Hebræis mandare, ut aliena bona secum auferrent ex Ægypto solventes, nemini autem nostrum liceret servo suo idem mandare. Petiit item ut Abrahamus filium suum mactaret: quod nos à quopiam mortalium non possemus requirere. Deinde ipse non periclitatur ut impiorum vitiis contaminetur: nobis autem illud est timendum. Maneat itaque illi sua libertas, nos verò faciamus, quæ leges ejus nobis præscripserunt. In divinis literis Iosaphatus reprehensus est (quemadmodum & noster Asa) quod se conjunxisset cum Achabo & Iezabele. Rex item Amazias taxatus est à Propheta, quod centum millia Israelitarum mercenariorum conduxisset, ut sibi militarent, & jussus est eos missos facere, quod ea conjunctio Deo non probaretur. Cumque dixisset, Iam centum talenta exposui pro eorum stipendio. Quasi Deus, inquit Propheta, non queat totidem ac multo plura tibi rependere. Frequenter etiam reprehenduntur Heb. à Proph. quod ab Ægyptiis & ab Assyriis auxilia postularint. Satis hæc exempla declarant, hujusmodi fœdera invisa esse Deo. Et parum utilia certè fuerunt Assamonæi. qui dum vehementer à Macedonibus premerentur, fœdus auxiliare cum Lacedæmoniis & Romanis percusserunt: at quantum apparet, frustrà. Non enim quicquam fuerunt ab illis adjuti. Et quam fragilia sint hujus generis fœdera, præsens historia demonstrat. Is quippe Benadadus rex Syriæ fœdus habebat cum Rege Israel, qui tamen corruptus muneribus regis Asæ, id fœdus violavit. Vnde quod fecit Baasa, facile posse facere cogitandus erat adversus Asam, modò lautius aliquod munus vel aliqua major commoditas ei fuisset objecta.

Est præterea id turpe, quod rex Iudæ, cultor Dei, fiat author Benadado frangendi fœderis. Pii siquidem animi est, hortari homines ad servandam fidem datam. At iste impellit regem Syriæ ad eam violandam. Et illi (ut verisimile est) perjurium suadet. Non enim citra juramenta solent iniri fœdera. Labitur etiam Asa, quod ex Rege libero se quodammodo tributarium facit Syriæ tyranno. Hoc est ingenium humanum, ut sit ultionis quam cupidissimum. Subeunt homines gravia discrimina & servitutes, ut de inimicis ultionem sumant: quod etiam fabulantur equo usu venisse, qui ut sese ulcisceretur de cervo, hominem sessorem admisit, à cujus servitute nunquam postea liber evasit.

Deus prophetam (הרואה) Hanani mittit ad regem: qui, Quoniam ait, fretus fuisti rege Syriæ, non Domino, Deo tuo: ideo exercitus regis Syriæ manibus tuis elapsus est. Nonne Æthiopes & Libyes magnum exercitum faciebant cum multis curribus & equitibus? Cum tamen Deo nitereris, in manum tuam eos tradidit. Nam domini oculi percurrunt universam terram, ut se validum ostendat iis, quibus cor integrum est ergà ipsum. In eo stultè egisti: Nam ab hoc tempore bellum erit adversus te. Significat Deus, se Asæ, si ipsi fuisset confisus, daturum fuisse victoriam, qua non tantum Israel, sed & Syros (ipsis auxilium ex fœdere ferentes) superasset. Nunc ipsi munera perisse, quibus nil nisi perpetuum bellum mercatus esset. Rex ille niti poterat Dei promissione causæque justitia, & precibus opem implorare ab eo, qui Judæis se affuturum esse fuerat pollicitus.

Rex graviter iratus comprehensum vatem in carcerem (בית המהפכת) compegit. Quin & quosdam è populo oppressit ea tempestate. Nempe eos, ut creditur, qui vati favebant ejusque causæ. Anno regni trigesimo nono, è pedibus cœpit laborare gravissimo malo. (Hieron. podagrico humore.) In quo non quæsivit Deum sed medicum opem. Anno primo & quadragesimo in fata concessit. Sepultus est in sepulchris, quæ sibi fecerat in civitate Davidis. Collocaverunt cadaver in lecto quem impleverat (בשמים וזנים) Rasi: נפח שבת לו עלה מכף רגלו עד קדקדו: quia dicitur in pedibus עד למעלה. Græci ἀρωμάτων καὶ γένη μύρων μυρεψῶν. Vulg. *Vnguentis meretriciis.* Ad quæ Grotius: *Putavit esse masculinum pro fœminino* זונות: *sed est vox Chaldæa terminatione tantum Hebræa, significatque varia genera cujusque rei, usurpaturque de penu Psal. CXLIV. 13.*

de

de cantu ... rio Dan. III. 5. Et ponitur pro סם *Hebræo* apud Chaldæos interpretes, Genes. 1. 11. 12. *Græci hic non malè χίτη μύρων.* Rasi: Species aromatum sunt & aromata fuerunt præparata præparationibus; opere (apothecarii) præparantis præparationem. Et comburebant super ipso combustione magna. Hic Rasi: Combusserunt ipsi bona aromata, in cinerem & hunc cinerem sparserunt super eum. Græci: *Ἐποίησαν αὐτῷ ἐκφορὰν μεγάλην σφόδρα.* Hieronymus: *Notandum, quod regibus causa reverentiæ combustiones vestimentorum & aromatum fiebant. Unde dicitur: Et juxta combustiones majorum facient tibi.*

I. Reg. XVI. 1--28.

Multum decedebat regno Baasæ per felicitatem Asæ, sicut supra diximus. Simeonis tribus ex opinione Tornielli, cum principio Roboami, è finibus suis egressa est, quod nollet Roboamo parere, nec posset protegi à tribubus cæteris longè dissitis. Id non probat Sabianus: quia multi de hac tribu ad Asam accesserunt 2. Chronic. 15.9. Baasa minister ultionis Divinæ in Jeroboam, eidem impietati adhæsit. Josephus dicit malum & impium fuisse supra Jeroboam & filium ejus. Ideo misit Deus Jehu filium Hanani (יהוא בן חנני נגיד) Lxx: Ἰοῦ υἱὸν Ἀνανί. Jos. γεμουῦ leg. Ἰηοῦν. Qui propheta ipsum in hunc modum allocutus est: Quia te è pulvere exaltavi in ducem populi mei Israel & ambulasti in viis Jeroboami & fecisti peccare populum meum Israël, me provocans ad iram per eorum peccata. Ecce depascam post Baasam & domum ejus: faciam domum tuam, ut domum Jeroboami filii Nabat. Qui de Baasa in urbe morietur, eum devorabunt canes, morientem in agro volucres cæli. Baasæ mortuo & sepulto Tharsæ successit filius Ela, anno 26. Asæ. Biennio regnum tenuit eversus à Zambri, præfecto dimidiæ partis curruum, (Jos. ἱππάρχου τῆς ἡμισείας τάξεως) qui conjurationem conflavit adversus eum. Irrumpunt conjurati in ædes Arsæ, præfecti domus (Jos. οἰκονόμου) regemque vino madentem obtruncant anno 27. Asæ. Zambri rerum potitus universam domum Baasæ percussit. Non pepercit mingenti ad parietem, nec consanguineis nec amicis. Sic verbum Jehu impletum est, quia Baasa & Ela Israel peccare fecerant, suis vanitatibus. Non legimus, quod idololatriæ genus aliud induxerint, sed à Jeroboamo inductum videntur intendisse. In fine v. 7. habetur: Quia percusserat אותו. Hoc Vulgatus ita accipit, quasi prophetam occiderit. Rectius refertur ad domum Jeroboami. Grotius, *Ieroboamum regem suum. Nam & hoc crimen pœnam à Deo merebatur, cum nullo Dei jussu id fecisset.* Nec aliud voluere Lxx: *τοῦ πατάξαι αὐτόν.* Kimchi, Ideo punitum esse ob cædem illam, quia consimiliter fecit & idem crimen patravit, ob quod punitus erat Jeroboam & Nadab, ipsius ministerio. Id sane crimen gravius fecit & justiorem pœnam, quod ipse commiserit id ob quod alios percusserat. Propinquos & amicos ejus quod occidisse tradatur, in id commentatur Grotius: *Quinque proximas domos, ut moris fuisse in illis locis ait Philo in vita Iosephi.* Quam vellem verba edidisset! Zambri per conjurationem interfecit Elam, in regia urbe Tharsa, cum exercitus Gabbathonem Palæstinorum obsideret. Igitur exercitus, re audita, in castris regem creat Omri magistrum militiæ. Grotius: *Sic Othonem sibi principem fecerant, qui in urbe erant; exercitus vero Vitellium: & cum Vitellium urbs recepisset, exercitus imperatorem fecit Vespasianum multaque talia sunt in historia Romana. Et olim exercitus destruxit decemvirale imperium. Sunt enim tali tempore quasi duæ civitates & pars validior infirmiorem trahit.* Soluta obsidione universæ copiæ cum Omri Tharsam obsident & expugnant.

Zambri urbe capta recipit se in palatium domus regiæ (ארמון בית המלך) Lxx. ἄντρον τοῦ οἴκου τοῦ βασιλέως. Jos. εἰς τὸ μυχότατον τοῦ βασιλείου. Rufinus: *In locum aulæ regiæ secretiorem.* Incensa regia ipse eodem incendio se confecit. Solo septiduo tenuit principatum. Narrat Sp. S. id evenisse illi, quia viam Jeroboami inibat: id est eandem stabiliebat idololatriam. At cæso Zambri populus in duas partes scissus est, quarum una Thabni filium Ginath sequebatur ut ei regnum conciliaret, altera adhærebat Omri. Pars hæc superior fuit, protrito Thabni ejusque sequacibus. In anno trigesimo primo Asæ Omri regnare cœpit. Josephus Ἀμαρῖνον appellat Lxx. Ἀμβρί. Josephus corruptus est in voce Gabathonis, ubi semper scribi debet per formam Γαβαθὼν γαβαθῶνος. Hic duodecim annis imperium tenuit, sceleratior superioribus regibus, eidem cultui idolorum, qui à Jeroboamo obtinuerat, insistens. Tharsæ sedem habuit sexennio primo, inde empto monte Somron à Semer duobus talentis (ככרים) argenti, condidit novam civitatem in isto monte, cui nomen fecit שמרון (Lxx. Σεμερὼν vel Σεμηρών) Jos. ἐν Μαρίωνι ὑπὸ δὲ Ἑλλήνων Σαμαρεία καλουμένη. Scrib. ἐν Σαμάρωνι. Προσηγόρευσε δὲ αὐτὴν αὐτὸς Σαμάρειαν ἀπὸ τοῦ τὸ ὄρος ἀποδομένου αὐτῷ, ἐφ' οὗ κατεσκεύασε τὴν πόλιν, σεμάρου. Leg. Σαμάρωνα. Observat Josephus ex comparatione regum Israel & Judææ patere providentiam Dei circà res hominum. Israelitarum enim reges ob impietatem brevi tempore alius ab alio, cum totis familiis sublati sunt, cum Asa rex Judæorum feliciter longo tempore ad senectutem usque regnaverit. Ombri autem sex postremos annos in nova urbe exegit, in qua etiam sepultus est.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI PRIMI.
CAP. LXV.

AT in parte tribus Iudæ Asa mortuo, Iosaphat filius ejus regnare cœpit, vir religiosis virtutibus merito clarus. Is cum Iambri pacem habuit. Defunctus est autem cum regnasset annos V. & XX. Hujus Imperii tempore Achab Iambri filius rex decem tribuum fuit, ultra omnes in Dominum impius. Namque Iezabel filia Basæ regis ex Sidone in matrimonio accepta, Baali idolo aram lucosque constituit & prophetas Domini interemit. Quo tempore Helias Propheta oratione cœlum conclusit, ne pluviam terræ daret: idque regi denunciavit, ut se impius causam mali esse cognosceret. Igitur suspensis cœlo aquis, cum loca omnia adusta solis ardoribus non victum hominibus,

non

non pabulum jumentis darent, ipse se intra periculum famis Propheta concluserat. Ea tempestate, cum eremum petisset, corvis cibum ministrantibus, vixit. Aquam torrens proximus, donec aruit, dedit. Inde admonitus à Domino, Sareptæ oppidum petiit: ad mulierem viduam divertit. Cumque ab ea esuriens cibum peteret, illa causari, non esse sibi nisi pusillum farris & pusillum olei: quo absumpto, una cum filiis mortem expectaret. Sed cum Helias verbis Dei polliceretur, nec hydriam farre, nec vas oleo esse minuendum, mulier poscenti fidem non cunctata prophetæ credere promissorum fidem consecuta est. Siquidem divinis incrementis tantum accresceret, quantum quotidiè detrahebat, Eodem tempore, ejusdem viduæ filium mortuum Helias in vitam reduxit.

DRUSIUS.

ASA MORTUO] Asa mortuus est anno regni sui quadragesimo primo, 2. Paral. 36. 13. Quamvis in editione Græca ἐν τῷ τεσσαρακοστῷ ἐπὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ. In Chronico Eusebii, *Hebræorum Iuda rex quintus Asa ann.* XLI.

VIR RELIGIOSIS VIRTUTIBUS] Est qui mavult, *religionis virtutibus*: ego nihil mutandum putarim.

IS CUM JAMBRI PACEM HABUIT] Potestne hoc ita esse? Nam Amriante Josaphatum fato functus est. Id liquet ex 3. Reg. 16. 29. Achab autem filius Amri sive Omri regnavit super Israel anno trigesimo octavo Asa regis Juda, ut habetur 3. Reg. 16. 29.

CUM REGNASSET ANNOS V. ET XX.] Sic 2. Paralip. 20. 31. & in Chronicis Eusebii, *Hebræorum Iuda rex sextus Iosaphat religiosus ann.* 25. Quod ibi *religiosus*, id est, εὐσεβής, hic dicitur, *religiosis virtutibus clarus*.

ULTRA OMNES] id est, supra omnes. Sic alibi, *ultra modum* pro supra modum. Sic *ultra famam*, & lib. 2. cap. 27. *ædem sacratam ultra omnia mortalia illustrem*. In vita Martini, *ultra humanum modum*.

BASÆ REGIS EX SIDONE] aut Basæ delendum, aut Ethbaal pro eo reponendum. Sic enim yocatur 3. Reg. 16. 31. Quanquam in libris Græcorum Ἰεθεβάαλ. Josephus Jethobalem vocat, lib. 8. cap. 7. Apud Menandrum Ephesium, εἰθώβαλος ὁ τῆς Ἀστάρτης ἱερεύς.

BAALI] id est, Jovi Syrio. Jupiter iste in Babylonia Bel dicebatur. Qua de re diximus alibi.

HELIAS] Leniter scribendum Elias. Nam est Aleph in scriptura Ebraica.

ORATIONE COELUM CONCLUSIT] In Epistola Catholica Jacobi apostoli, cap. 5. vers. 17. *Elias homo erat eisdem quibus nos passionibus obnoxius, & precibus precatus est, ne plueret: & non pluit super terram annos tres & sex menses.*

CIBUM] Carnes & panem.

TORRENS PROXIMUS] torrens Carith contra Jordanem positus.

INDE] postquam aruisset torrens.

SAREPTÆ OPIDUM] Locutio est, ut *Vrbs Roma*: alioqui dixisset, *Sareptam opidum*. Sed est cur malim *Saraphtham*, haud nescius in Bibliis Græcis esse Σάρεπτα τῆς Σιδωνίας.

Nisi Pusillum Farris] eo labor ut credam Severum ſcripſiſſe, *pugillum farris*: tamen non adſevero. Movet me primò, quod in editione τῶν Lxx. *δρὰξ ἀλεύρου ἐν τῇ ὑδρίᾳ*: deinde quod apud Hieronymum, *quantum pugillolus capere poteſt*. *δρὰξ* enim eſt pugillus, quantum videlicet pugno comprehendi poteſt. Mirum autem cur pro farina far poſuerit.

Una Cum Filiis] *Καὶ τοῖς τέκνοις μου* eſt in Lxx, qui לְבָנַי legerunt pro לִבְנִי, id eſt, filio meo. Sic apud Hoſeam iidem legerunt *filios meos*, ubi nunc in Ebræo, *ex Ægypto vocavi filium meum*.

Nec Hydriam Farre] Videtur farris vocabulum pro farina uſurpare. Hoc primum: Deinde hydriam appellat, quem Ebræi cadum indigitant, quia videlicet in Bibliis Græcis legerat, *καὶ ἡ ὑδρία τοῦ ἀλεύρου*; & hydria farinæ.

Nec Vas Oleo Esse Minuendum] Hoc vas Ebræis dicitur צפחת. Græcis interpretibus *καψάκης*, quæ & *κάψα*, id eſt, capſa. In Hieron: eſt lecythus.

Tantum Accresceret] eſt cur malim, *tantum accrevit*.

Ejusdem Videns Filium] Liber eſt inter opera B. Auguſtini, cui Titulus, *De Mirabilibus Scripturæ*. In eo ſcriptum lectum, *Ebræi cenſent Jonam fuiſſe filium illius viduæ, quem Elias è mortuis ſuſcitavit*. Quod verum an falſum ſit, aliis expendendum relinquo.

Mortuum] Miraculum hoc elevant, qui verè mortuum fuiſſe negant, in qua opinione fuiſſe videtur Moſes Cordubenſis, cognomento Ægyprius. Nam quod in textu, *& anima ejus non relicta in eo*, tale quid legimus in Daniele, cujus hæc verba ſunt, *& anima non relicta fuit in me*. Id certis in morbis accidere, certius eſt, quam ut probari debeat. Adito ſis ad More part. 1. cap. 42. & lege, quæ Interpres Sem Tob annotavit ad illud caput.

Schotanus.

II. Chronic. XVII.

Josaphat] Sulpicius Joſaphati res obiter perſtrinxit, quæ fuſe explicantur 2. Chronic. 17. 18. 19. 20. capitibus. Joſaphat regnum ingreſſus, ante omnia ſe munit adverſus Iſrael. Præſidia imponit munitis locis Judæ, perque univerſam regionem illius tribus: in urbibus etiam Efraim, quas pater Aſa ceperat. Textus dicit חיל in urbibus Judæ הבצורות; נציבים in terra Judæ & civitatibus Efraim. Copias militares urbibus munitis, aliis ſimpliciter præſidia impoſuit. Dominus cum eo erat, quia ambulabat in prioribus viis Davidis (antequam rebus ſecundis infatuatus in Uria offenderet) Notant Rabbini præcedentes reges Judææ Davidem, Salomonem, Roboam, Abiam, Aſam cum agerent pie in primis annis, deflexiſſe poſtea & potiſſimum in diebus ſenectutis. Non quærebat Baal, ſed Deum patris ſui, in cujus præceptis incedebat, non ad formam Iſraël. Dominus igitur regnum ipſi ſtabiliit. Univerſus Juda munera afferebat: opibus & gloria invaluit. Temporis progreſſu altius animum extulit in viis Domini: quia porro excelſa & lucos è Judæa ſuſtulit. Atqui primi regum ultimo v. 44. poſtquam v. 43. dictum erat Joſaphatum ambulaſſe in omni via patris ſui Aſæ (intellige priori) à qua non receſſerit, faciens, quod placeret Domino, adjicitur: *Non tamen tollebantur excelſa: populus immolabat & adolebat in excelſis*. Eadem ferè cap. 20. hujus libri v. 32. 33. Sed additur: *Nam populus non compoſuerat cor ad Deum patrum ſuorum*. Concilia-

ciliatur quod excelsa idolorum sustulerit, quibus adduntur luci, non Dei. Et ultima verba v. 33. in cap. 20. lib. 2. Chronicorum, non significat idololatriæ adhæsisse populum, sed non penitus animum ita composuisse ut adigi posset, omne sacrum Hierosolymis facere, atque illi loco animis affigi. Hic igitur illius defectus fuit sed vitio duritiæ populi, non segnitiæ Josaphati. Ideo non est opus locum hunc refigere ut placere sibi satis ostendit Grotius. Tertio anno regni misit ad principes suos (præfectos) Ben-chail, Obadiam, Zachariam. Nathanielem, Michæam, ut in urbibus Judææ doceretur. Doceri legem voluit & populum institui. Cum illis misit Levitas Samæam, Nathaniam, Zabadiam, Asaelem, Samiramoth, Jonathanem, Adoniam, Tobiam & Tob-adoniam. Cum his Levitis sacerdotes Elisamam & Joram: Hi docebant in Juda & liber legis Domini erat cum ipsis. Circumibant per omnes urbes Judææ docentes populum. Observat Rasi duces illos militares cum sacerdotibus & Levitis missos esse, qui populum in officio continerent, ne refragarentur sacerdotibus & Levitis, eisque molestiam facesserent. Simul ut judicibus & prætoribus recens institutis præstarent obedientiam, eosque reciperent. Evulgato interprete Hugo Grotius turbat, cum putat illos duces ad docendum missos esse, æque ac sacerdotes & Levitas. *Docere*, inquit, (ad v. 7.) *& explicare legem non tantum sacerdotum erat & Levitarum, quorum sequetur mentio sed omnium eruditorum, quod & nunc observatur apud Iudaos. Peritissimi autem legum esse debebant, qui regi à consiliis erant.* Jos. dicit id cum magno fructu factum fuisse. Vero simile est istos à Josaphato missos instituisse scholas & synagogas, iisque præfecisse ordinarios doctores? Deus panicum quendam terrorem adsitis populis immisit, quo detenti non inferebant arma. Etiam è Palæstinis afferebant munus (מנחה) וכסף משא. Hoc reddit Rasi: משאות של כסף. Lxx. *ἀργύριον καὶ δόματα.* Junius & Piscator, *Pecuniam indictionis.* Vulg. *vectigal argenti.* Jos. *πολὺς φόρος.* Distinguitur munus à tributo pecuniario. Arabes afferebant צאן pecudum minorum septies mille, septingentos arietes, & totidem hircos. In Græco & Latino locus est perturbatus. Jos. pressimè etiam sexaginta & trecentes agnos & totidem hædos. Arabes illi minorum pecudum pastores fuerunt. Crescebat igitur & supra modum invalescebat. In Hebræo habetur: הולך וגדל למעלה. Hic notant Rabbini tres esse, de quibus ea forma loquendi (וגדל) usurpetur, Isaac Samuel & Josaphat; cum de Mose, David & Mordechai dicatur וגדול. Hoc majus esse. Condebat in Judæa בירניות; Lxx. *οἰκήσεις*, Jos. *βάρεις.* Vulg. *domos ad instar turrium.* Rasi מגדלים גדולים לחוזק: & urbes thesaurorum: In quibus (ut Rasi) reponebatur proventus, vinum & frumentum: *Magesin* vulgo appellamus. Vulgatus male *urbes muratas*, sed cum Lxx. *πόλεις ὀχυράς.* Multum ipsi facultatum erat in urbibus Judæ: Et viri bellicosi, (גבורי חיל) in Jerusalem. Militiæ hic ordo secundum domos patrûm. In Juda duces millium. Dux militiæ supremus Ednas, cum quo trecenta millia virorum fortium. Secundus ab illo Johanam, cum quo ducenta octoginta millia. Tertius Amasias, filius Zachri, (qui se sponte Domino tradiderat) cum quo ducenta millia. In Benjamin dux millium supremus Eljada, vir fortis, sub quo ducenta millia, armatorum arcu & scuto. Secundus ab illo Jozabad cum quo centum & octoginta millia, חלוצי צבא; Lxx. *δυνατοὶ πολέμου*; Vulg. *Expeditorum militum.* Hi præsto erant regi: Vulg. *Erant ad manum regis.* Lxx. *λειτουργοῦντες τῷ βασιλεῖ.* Præter hoc erant qui in urbibus munitis per Judæam positi erant. Numerum tot centenorum millium semper militiæ regiæ populus præstare debuit, quæ in armis esset & ordinariis copiis accenseretur: ut delectibus novis non esset quærendus exercitus, si ingrueret necessitas.

II.

II. CHRONIC. XIX.

CApite sequenti (id est 18. secundi Chronic.) commemoratur consociatio cum Achab, impio rege Israël. Nam illi auxilium tulit adversus Syros. Hoc unicum in ipso reprehenditur. Bello illo cecidit Achab, Deus Josaphatum præstitit incolumem. Hierosolyma igitur reverso occurrit Jehu filius Hanani: qui nomine Dei regem redarguit: Anne te decebat impium juvare & amare eum quem Deus odit? Ob id graviter offendisti Dominum: in te tamen inventæ sunt res bonæ. Nam lucos è terra sustulisti, & cor tuum appulisti ad quærendum Deum. (Jos. malè *διὰ τὴν ἰδίαν αὐτοῦ ὕσιν ἀγαθὴν*, liberaturum eum Deum ab hostibus. leg. *ῥύσεσθαι* pro *ῥύσασθαι*.) Hierosolymis igitur erat: Jos. *ἐπ' εὐχαριστίας καὶ θυσίας, ὁ βασιλεὺς τρέπεται τῷ θεῷ.* Unde iterum peragravit populum, à Bersabe usque ad montes Efraim: reducens populum ad Dominum Deum patrum suorum. Oppidatim etiam judices constituit per Judæam: quibus pie præcepit: Videte quid agatis. Nam judicium obitis, non hominibus sed Deo: qui vobis adest in judicio. Pavor igitur Domini subeat animos. Observate & facite. Nam apud Dominum Deum nostrum non est injustitia, nec personarum susceptio, nec munerum. Judæi quærunt cur constitutio judicum conjuncta sit cum excisione lucorum, seu laudatione Josaphati ob excisionem lucorum. *Cum diceret* (verba Rasi) *videns res bonæ inventæ sunt apud te, quia removisti lucos, consuluit librum legis* בא לו (אצל ספר תורה) *an remotio esset secundum jus; & à principio vidit scriptum* (Deut. 12: 2.) Perdendo perdetis &c. *usque* (v. 3.) Et lucos eorum comburetis igne & sculptilia deorum eorum excidítis. *Et recordabatur quod scriptum in parasa* כי תשא (Exod. 34. 13.) Et eorum columnas confringetis &c. *miratur de se, quod benè fecisset in oculis domini, quod amovisset lucos, lucos Israel: quoniam non commonefaciebat illa loca nisi de lucis eorum* (ושוב חזר) *& redit ad lectionem in parasa* מאפטים ושטרים *Et invenit scriptum* (Deut. 16. 21.) Non plantabis tibi lucum. *Et tunc gavisus est, quod eos removisset. Etiam vidit illic scriptum* (Deut. 16. 18.) Judices & prætores constitues tibi. *Confestim statuit judices* (מוחוקים) *in omnibus urbibus Judæ oppidatim.* Hæc est inanis argutia: Addit fecisse judices מוחוקים in urbibus munitis ad cogendum & incurvandum eos judicio à principio. Iterum constituisse שאינו מוחוקים / scilicet in urbibus non munitis, adeò (בל כך) in urbibus non munitis: quia istæ metuerent magis rebellare, quam habitantes in urbibus munitis, quæ confidebant in civitatibus suarum munitionum. מוחוקים dicit præsidiis militum stipatos. Etiam Hierosolymis constituit judices è levitis & sacerdotibus & capitibus patrum super judicium Domini & lites, cum rediissent Hierosolyma. Quibus præcepit: Ita facite in timore Domini, fideliter & integro corde. Et in omni causa, quæ à fratribus vestris, qui in urbibus suis habitant, inter sanguinem & sanguinem, legem, præceptum & statuta & jura: eos monete, ne rei fiant Domino, & magna ira sit super vos & fratres vestros. Ita facite nec eritis culpabiles. Ecce Amaria, princeps sacerdotum (כהן הראש) vobis præest in omni causa domini: & Zabadias filius Israel, dux domus Judæ in omni negotio regis: etiam apud vos sunt prætores (&) Levitæ, Fortes & alacres estote; & facite. Dominus erit cum bonis.

Hugo Grotius totam rem judiciariam ita evolvit? Primo, quod dicitur de urbibus munitis, ita interpretatur, quasi in urbibus noviter structis aut bello acquisitis, effecerit ut esset minus synedrium nempe XXIV. virorum, Qui

Qui de cauſis civilibus & capitalibus non exceptis judicarent. Atqui totam Judæam judicum tribunalibus firmavit, cum judicia jacerent neglecta, ob infelicitatem temporum. Quantum ad judices Hieroſolymitanos exiſtimat numerum ad paucos recidiſſe, omiſſa coopratione metu regum, quibus ſuſpecta erat Synedrii (ſummi) autoritas: more legitimo impleri numerum juſſit, partim ex ſacerdotibus & Levitis (qui quod ab aliis laboribus vacarent legis ſtudio erant aptiſſimi) partim ex eruditis aliarum tribuum. Oppidani judices in cauſis difficilioribus relationem faciebant ad Synedrium, tum quod ibi eſſent homines doctiores, tum ne ſuper paribus rebus varie judicaretur, & inde naſcerentur diſcordiæ. Amariam fuiſſe נשיא: cujus erat ſententia ſua præire in omnibus iis, quæ erant lege Dei definita. Zabadiam fuiſſe ſecundum in ſenatu, quem vocabant אב בית דין. Cum autem tribum Judæ diu ſub rege rexiſſet, aptiſſimum fuiſſe, qui ἐν πολιτικοῖς σύμμασι cæteris præiret ſua ſententia. *Synedrium* (inquit) *non tantum judiciis maximis praerat & ad aliorum judicum relationes reſpondebat ſed & regi in rebus magnis, puta de bello ſuſcipiendo conſilium dabat ut notatur* Thalmude, *titulo* de rege cap. 5. §. 3. *Et apud Maimoniden titulo de rege cap. V. 2. Ioſephus in explicatione legis de rege:* πραττέτω δὲ μηδὲν δίχα τῆς ἀρχιερέως καὶ τῆς τῶν γερουσιαστῶν γνώμης. Levitas fuiſſe apparitores ad juſſa exſequenda. Ut alia non dicam Amarias fuit ſuper negotiis Dei, Zabadias ſuper negotiis regis. Sic diſcernit ſcriptura דבר יהוה & דבר המלך, Lxx. λόγος κυρίου & λόγος βασιλέως. Amarias poſt ſummum pontificem primo loco fuit, hic præſidebat tribunali cauſarum Dei, Zabadias, (נגיד) domus Judæ præſidebat tribunali cauſarum regis. Sic enim tribunalia diſtincta fuiſſe videntur, alterum Eccleſiaſticum, alterum civile: De utroque complexim v. 8. 9. 10. Diſtinctim v. 11. Joſephus etiam non diſtinguit illa duo ſuprema tribunalia nec cauſas, quas judicatura erant. Scribit ἄρχοντας δ' αὐτῶν ἀπέδειξεν ἀμασίαν (leg. Ἀμαρίαν) τὸν ἱερέα καὶ Ζαβαδίαν ἐκ τῆς Ἰούδα φυλῆς ἑκάτερον. Rufinus & Gelenius neglexerunt vocem ἑκάτερον; qua Joſephus ſignificat collegas fuiſſe in præſidatu. Admonitionem, quam huic ſupremo tribunali dederit rex, argumentum ſumpſiſſe ab urbe & templo. Μάλιστα γὰρ τὰς ἐν τῇ πόλει κρίσεις ἐν ᾗ τόν τε ναὸν εἶναι συμβέβηκεν τοῦ θεοῦ καὶ δίαιταν ὁ βασιλεὺς ἔχει, προσήκει σπουδαίας εἶναι καὶ δικαιοτάτας.

II. CHRONIC. XX.

POſt id tempus Moabitæ & Ammonitæ, Idumæi aliique populi (ducibus Ammonitis ut videtur, ſed cauſa belli in ignoto eſt) bellum inferebant Joſaphato. Dicuntur è Syria veniſſe & partibus trans mare (mortuum) E Syria non ſatis capio: nec habet Joſephus. Cum regi nuntiatum eſſet copias illas eſſe in Haſaſon-thamar, quæ eſt Engaddi, ingenti trepidatione plenus ad Dominum quærendum ſe compoſuit. Supplicationem indixit per totam Judæam. Engaddin urbem aſphaltitæ lacui adſitam trecentis ſtadiis diſtare Hieroſolymis notat Joſephus: adeoque ſuperato lacu hoſtes in regni fines irruiſſe. Ejus oppidi agrum pulcherrimam palmam & opobalſamum ferre. Coiit igitur populus ex omnibus oppidis Judææ ad quærendum Dominum. In concione in domo Domini in novo atrio ſtetit rex, alta voce preces præjens: Domine Deus patrum noſtrorum, nonne tu Deus in cælo es? Dominator es ſuper omnia gentium: eſtque in manu tua vis & robur, ut nemo tibi reſiſtere poſſit. Omnino incolas hujus terræ coram populo tuo Iſraël pepuliſti, eamque dediſti ſemini Abrahami, amatoris tui in ſeculum. Illi eam incoluerunt tuoque nomini in ea ſacrarium condiderunt, cum hac fiducia:

Si malum superveniat, gladius judicii, pestis, fames, consistemus ante ædem hanc & faciem tuam: quia nomen tuum in hac æde est. Ex angustia nostra clamabimus ad te, tu audies & liberabis. En filii Ammon & Moab, & incolæ montis Seir, per quos transire noluisti Israël, cum ex Ægypto adveniret: Declinabant enim neque eas delebant. Hæc est gratia, quam referunt, ex hæreditate quam nobis dedisti, nos ejectum eunt. O Deus noster nonne tu judicabis? Nam in nobis non est facultas adversus tantum multitudinem. Nos quid agendum sit ignoramus, oculos in te conjecimus. Hæc oratio regis, quæ & fiduciam in Deum & causæ justitiam breviter exponit. Stabat autem totus Juda, coram facie Domini, etiam parvuli, conjuges & filii. Hic Spiritus Domini, in media concione, cecidit super Jaaziel; filium Zachariæ filii Banææ, filii Jahielis, filii Matthaniæ, Levitam è filiis Asaph. Qui dixit: Animum advertite, universè Juda & incolæ Hierosolymorum & tu rex Josaphat: ita loquitur ad vos Dominus. Nolite timere nec paveatis hanc multitudinem. Bellum enim Dei est, non vestrum. Cras contra eos descendetis: En veniunt per ascensum Sis, invenietisque eos in termino vallis, ante solitudinem Jeruel. Hoc prælium vos non dimicabitis: consistite & videte, en salus Domini vobiscum est ô Juda & Jerusalem. Ne timete nec pavescite, cras egredieмini contra eos & Dominus erit vobiscum. Ad hoc oraculum Josaphat & Juda & omnes habitatores Jerusalem ceciderunt proni in terram coram Domino eumque adoraverunt. Levitæ autem è filiis Caath & Core, consurgebant ut Dominum Deum Israël, alta voce, in editum celebrarent. (למעלה / Lxx. εἰς ὕψος, *in editum.*)

Diei sequentis matutino cum copiis suis rex Judæus egreditur versus solitudinem Thecoë. Egredientes monet rex; ut confidant Domino & credant prophetis, sic enim prosperè acturos. Cum enim Deo rem committerent, fide tantum opus esse & sic se comparare, tanquam invitante Deo, ad spolia, post victoriam irent. Deliberat igitur cum populo, constituit Domino cantores, (ψαλτῳδοὺς) qui sanctam majestatem celebrarent, instructum agmen præcedentes. Sanctam majestatem (ita Piscator) להדרת קדש; Lxx. ἐξομολογεῖσθαι καὶ αἰνεῖν τὰ ἅγια. Solenne carmen erat: *Eja Deum laudate, Deum facilemque bonumque, Larga benignum semper indulgentia.* Cum agmen triumphabundum, cum vociferatione gaudiosa, & hymnis iter ingrederetur, immisit Deus hostibus furorem quo divisi inter se mutuam perniciem moliti sunt & confecerunt. Primò Ammonitæ & Moabitæ cum incolis Seir in bellum consurgunt: quos ex insidiis obtrivêre: deinde in semet scissi & ad arma provoluti mutuis vulneribus cecidere. Cum Judæi venissent usque ad speculatoriam turrim in solitudine, & versus castra hostium pergerent, vident solum quaqua versus cadaveribus constratum, nec quenquam hostium superesse. Igitur versi ad spoliandum; in immensa corporum strage capiunt substantiam & pretiosa utensilia, quibus sese onerant & toto triduo spoliando occupantur. Quarto die colligunt se in vallem Baracha, ubi Deum concelebrant: unde valli nomen. Hinc cum suis Josaphatus Hierosolyma rediit, rege in principiis se tenente. Cum nabliis, cinyris & (חצצרות) tubis. Nempe Levitæ canebant & sacerdotes. Sic abeunt in ædem Domini. Jos. Per aliquot dies in sacrificiis occupatus fuit (rex) & epulis. In exteras quoque gentes fama tam mirificæ victoriæ perlata terrorem intulit. Jos. *καταπλάγησαν αὐτὸν, ὡς φανερῶς αὐτῷ τοῦ θεοῦ τὸ λοιπὸν συμμαχοῦντος.* Quamvis autem increpitus fuisset ob societatem cum Achab, nimium tamen se conjunxit rebus Ochoziæ regis Israël, filii Achab, patris impietatem æmulantis. Cum eo simul

navium instruxit in Asion-gaber, ituram in Oceanum. Eleazarus autem filius Dodava è Maresa, Dei propheta, de interitu classis illius vaticinatus est: Quia societatem injisti cum Ochozia, Dominus opera tua confregit. Classis in mari periit sine ullo effectu. Josephus ita de interitu classis: Πρὸς ὃν (Ochoziam) κοινωνήσας ἐπὶ κατασκευῇ νεῶν, εἰς τε πόντον πλευσοῦν κὴ τὰ ἐπὶ θρᾴκης ἐμπόρια, διήμαρτε τ̃ κτήματ@. ὑπὸ γὰρ μεγέθους ἀπώλετο τὰ σκάφη. Lxx: οὐκ ἠδυνάσθη πορευθῆναι εἰς θαρσεῖς. Cur Pontum & Thraciæ emporia intelligit per Tharsis? Cur magnitudinem navium fuisse causam naufragii scribit? Josaphat pacem habuit post Ammoniticam victoriam: triginta quinque habuit annos cum iniret regnum, quod tenuit annis viginti quinque. Matri ejus nomen erat Azuba, quæ filia Salhi, (שלחי) Refert scriptura res ejus à Jehu filio Hanani, annotatas in libro regum Israëlis. Annalium igitur scriptores erant prophetæ, è quorum monumentis decerpta sunt quæ habentur in libris regum & Chronicorum.

De Achab rege Israël I. Reg. XVI. v. 29. ad fin. & cap. XVIJ.

OMri in decem tribuum regno successorem habuit filium Achab, qui cœpisse scribitur in anno tricesimo octavo Asæ, regnasse annis 22. Ab ejus fine contigit illa nobilis victoria Josaphati ab Ammonitis, quam suprà descripsimus. Sed cum Omri duodecim annis imperasse traditum sit & cœpisse anno 31. (v. 23.) Asæ, dubium oritur: quod ita solvunt: Bellum Omri cum Thabni durasse quinquennio, eoque septennio solo solum regnasse. At iste Achab modum idololatriæ, quæ hactenus obtinuerat, supergressus, Baal coluit. Qui aram struxit in æde Baal (Lxx: ἐν οἴκῳ τῶν προσοχθισμάτων αὐτοῦ) Samariæ, urbe regla: fecit quoque lucum. Nam in matrimonium sumpsit Jezabel, filiam Ithobali regis Sidoniorum: mulierem impiam & superstitionibus addictissimam. Lxx. regem istum Sidoniorum appellant Ἰεθεβαάλ. Josephus Baal appellat βὴλ, Tyriorum Deum. Idololatriam Achabi deducit. Eo regnante Jel Bethelites Hierichuntem, quæ inde à temporibus Jesu filii Nun, in ruderibus jacuerat, instauravit. Id fecit cum jactura, quam prolocutus erat Jesus. Fundamenta jecit in Abiram filio primogenito, portas statuit in Segub, filio minimo. Prolapso & vergente in ruinam statu decem tribuum sub impio rege, qui idolum Baal introduxit, supra impietatem Jeroboami, dedit Deus prophetam Eliam, acerrimum vindicem veritatis. Lxx. appellant Ἠλιού, qui Josepho & in Novo testamento Ἠλίας. Thesbites erat ex incolis Galaad. Jos. ἐκ πόλεως θεσβώνης τ̃ γαλααδίτιδ@ χώρας. Hic Achabo prænuntiavit siccitatem fore, sine rore & pluvia, donec ipse aliud annuntiaret. De isto Jacobus (Jac. 5. 17. 18.) *Elias, homo erat similis nobis passionibus & oratione oravit ut non plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex. Et rursum oravit: & cælum dedit pluviam & terra dedit fructum suum.* Lyranus: *Copulat autem Rabbi Salomo hanc sententiam* (Si erit ros &c.) *cum fine præcedentis capituli dicens, quod occasione mortis filiorum Ahiel dixit Achab Eliæ, arguens ipsum de idololatria; Potest esse quod verbum discipuli impleatur & tamen verbum magistri non impleatur. Iosue vero fuit discipulus Moysi, ut habetur* Exodi 24. *Et videmus maledictionem ejus impletam super Ahiel, qui reædificavit Hiericho, ut dictum est. Moyses autem imprecatus est maledictionem super filios Israël transgredientes legem & servientes diis alienis, sic quod clauderetur cælum & prohiberetur pluvia, ut habetur in Deut. & tamen Israël jam à pluribus annis recessit à lege & servivit diis alienis & tamen non videmus pluvias esse*

prohibitas. Et quoniam Elias percepit quod Achab hoc dicebat, quasi parvi pendens comminationes Moysi & judicia Dei, ideò oravit Dominum, ut clauderet cælum. Hæ nugæ sunt. Ne igitur siccitate premente urgeretur vates, verbum Dei ad eum, mandavit: Abi hinc ad orientem, late apud torrentem Carith (*LXX. χοῤῥάθ*) qui est ante Jordanem. Bibes è torrente: præcepi corvis, ut te alant. Ex illo Domini verbo, ad illum locum se confert. Corvi singulis matutinis & vespertinis afferebant panem & carnem: potum autem habuit è torrente. Cum autem siccitatis continuatione & torrens arescere, jubetur à Domino Sarepta ire. Jos. πόλιν οὐκ ἄπωθεν τῆς Σιδῶνος καὶ Τύρου, μεταξὺ γὰρ κεῖται. Viduam Dominus illic loci se disposuisse dicebat, apud quam victum & alimoniam haberet. Cum portæ urbis appropinquaret, videt mulierem viduam ligna colligentem (Jos. χερνῆτιν ξυλιζομένην) Ad hanc (Deo sine dubio præmonente; Jos. τοῦ δὲ θεοῦ δηλώσαντος ταύτην εἶναι τὴν μέλλουσαν αὐτὸν διατρέφειν) inquit, affer aquam ut bibam. Cum id prompte faceret, frustum panis petiit dari. Jurejurando illa asserit nihil se intus habere, præter pugillum farinæ (Jos. καὶ μίαν ἀλεύρου δράκα) in urna & pauxillum olei in lacytho: ne quidem habere (מעוג) Lxx. ἐγκρυφίαν; Se vero ligna duo (ξυλάρια) legere ut illud farinæ paret, ultimum esura cum filiolo & moritura. Hic Elias: Noli esse solicita: abi fac, ut locuta es: sed prius mihi (עגה קטנה) Lxx. ἐγκρυφίαν μικρὸν; Lat. subcinericeum panem parvulum, quem mihi afferes huc; postea tibi & filio parabis. Nam ita loquitur Dominus Deus Israël: Farina fideliæ & oleum vasculi non deficient, donec Dominus pluviam mittet in terram. Illa fidem adhibuit verbis prophetæ factumque ita est. Basilius Seleuciensis: φιλοτίμως ὑπεδέξατο τῷ πόθῳ τῆς φιλοξενίας τὸ βάθος τῆς πενίας νικήσασα. Factum est ut credidit. Propheta enim apud ipsam alimoniam habuit longo tempore. Post hæc filius hospitæ prophetæ ex morbo obiit. Hinc mulier ejulans & voces, quas dolor exprimebat, emittens, querebatur de adventu ejus, qui peccata ejus detexisset, ideo mulctatam se filii morte dictitans. Ille consolabundus tradi sibi filium jubet. Quem sinu exceptum, detulit in cænaculum (אל העליה) (εἰς τὸ ὑπερῷον) in quo ipse colebat: posuitque in lectulo suo. Tum ad Deum clamat. Domine, Deus mi etiamne viduam, apud quam commoror, ita afflixisti, ut ejus filium interimeres? Ter se expandit super puerum, clamando: Domine Deus mi, revertatur in ipsum obsecro anima pueri hujus. Audiit Dominus, revixit puer. Quem propheta è cænaculo delatum matri suæ reddidit: quæ obstupefacta, Nunc scio, inquit, te virum Dei esse & verbum Dei esse veritatem in ore tuo. Scribit Rasi putasse, quod illa farinæ & olei multiplicatio in ejus gratiam ab alio propheta facta fuerit: nunc videns, quod mortuum suscitasset, prophetam ipsum esse (בעצמו) agnovit. Kimchi agnovisse, quod illa promissio de non defectura farina & oleo usque ad finem siccitatis, vere esset eventura, ut Dei oraculum. At melius, quod veracitatem prophetæ veri generaliter hoc indicio agnoverit. Elias habitavit in Galaad, sed fuit ex urbe תשב. Contendunt de ejus tribu, alii è Gad, alii è Benjamin, alii volunt fuisse Phinees. Singuli nituntur verbis scripturæ: כל אחד מהם סומך דבריו אל הפסוקים בדברים רחוקים ואנחנו לא ידענו האמת: Sic Kimchi: *Quilibet ex illis verba sua è scriptura probat longe quæsitis verbis, at nos non novimus veritatem.* Hæc sani hominis verba sunt. Addit prophetam zelo quodam contendisse adversus idololatriam, minatum, quod Deus cælum clausurus esset è verbis Mosis, ob eorum defectionem, confidens quod Dominus verbum suum esset stabiliturus. Quasi minatus fuerit, antequam verbum Domini haberet. Deinde narrat Eliam

& Achab simul ivisse consolaturos Hielem; qui filios amiserat. Eliam dixisse quod id evenisset ob iniquitatem, quia struxerat Jericho, ex verbo Josue. Tum Achab injecisse, uter major fuisset Josue an Moses. Eliam respondisse, Mosen ut qui fuisset alterius præceptor. Hic Achab: Atqui verba discipuli evenerunt, non verba magistri &c. Eadem habet Rasi. Ralbag prolixè disserit de Elia, quod sit Phinees: Quosdam magistrorum consentire in eo, quia invenerunt in genealogiis: Quia commemoratur in lege (Num. XXV. 12.) quod Dominus benedictus, dederit ipsi fœdus pacis. Et dicit vates (Malach. 2. 5.) Fœdus meum fuit cum ipso vita & pax. Ideo videtur quod dederit ipsi Deus mirificam longitudinem dierum. In historia concubinæ inveniri; Tum in diebus Davidis (1. Chronic. 9. 20.) Et Phinees filius Eleazari (נגיד) dux super eos ante & Dominus cum eo. Jam se exposuisse in libro Judicum, quod ipse fuerit angelus qui visus est Gedeoni: Et auferebat eum spiritus Domini, sicut angelum Domini, ut invenimus de Elia &c. Etiam Deum precatum esse ut raperet spiritum suum, quia non esset patribus melior, ut semper viveret. Ita raptum esse non mortuum. Deinde scriptum Eliæ ad Joram filium Josaphat &c. Vides verba Malachiæ præcipua eis argumenta ita statuendi subministrare. Johannes Hierosolymitanus contendit Eliam habuisse sub se viros religiosos, (monachos) quos sub regula quadam & disciplina erudiebat, ad torrentem Carith. Nempe habitatio ad torrentem in solitudine fabulandi ansam dedit. Rasi observat Dominum Eliæ revelasse, quod esset alendus apud viduam, non tamen in particulari, quænam esset illa. Ideo Eliam exemplo Eliezeri, rogasse Dominum, ut sibi ostenderet, quænam esset illa, per hoc signum, quo petebat aquam sibi præberi. Lyranus notat expandisse se Eliam super corpore pueri ex magno affectu quasi ostenderet se paratum illi dare partem vitæ suæ. Tribus vicibus se extendisse, 1. quia omnis perfectio in tribus consistit, principio, medio & fine. *Ratio autem figuralis* (inquit) *quia per istam extensionem propheta super puerum mortuum figurabatur, quod genus humanum* à morte culpæ esset suscitandum per incarnationis mysterium. 2. Profitendo in fide Trinitatis mysterium. Notat Hieronymus præfatione in Jonam Hebræos commentari, quod filius suscitatus fuerit propheta Jonas. Eum scilicet ideò vocari בן אמתי/ quia mulier suscitato filio dixit: Novi nunc, quod verbum Domini in ore tuo (אמת) veritas: quasi diceres filium veritatis.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI PRIMI.
Cap. LXVI.

TUm jussu Domini regem adiit, exprobratoque ei sacrilegio poposcit ad se omnem populum congregari. Qui cum properè convenisset, accitis idolorum ac lucorum sacerdotibus CCCC. fere & L. inter eos inde orta est altercatio. Helia Dominum prædicante, illi superstitiones suas asserebant. Postremo, placuit fieri periculum, ut si cujus cæsam hostiam missus ignis cœlo absumeret, rata esset religio, quæ virtutem edidisset. Ita sacerdotes occiso vitulo Baal idolum invocare cœperunt; frustraque consumptis invocationibus imbecillitatem Domini sui facilè fatebantur. Tum forte Helias irridens eos: Ne forte, inquit, dormiat, clamate vehementius, ut somno, quo tenetur, evigilet. Enimverò miseri trepidantes mussare, & tamen quidnam Helias facturus esset, exspectare. At ille, cæsum vitulum imposuit, quum prius sacrarium aquâ opplesset: invocatoque Domino, exspectantibus cunctis, ignis cœlo delapsus, aquam cum Hostia absumpsit. Tum verò populus solo stratus Dominum fateri, idola execrari: postremo Heliæ jussu prophani sacerdotes comprehensi deductique ad torrentem necati sunt. Redeuntem inde Regem propheta prosecutus est. Sed cum ei Iezabel regis uxor vitæ periculum pararet, ad remotiora secessit. Ibi eum Dominus allocutus est, septem millia virorum esse adhuc pronuncians, qui se idolis non dedissent. Mirum id Heliæ fuit, qui solum se à sacrilegio immunem esse crediderat.

Drusius.

EXPROBRATOQUE EI SACRILEGIO] Accipio ut cap. 30. *populumque luxui & sacrilegio deditum* id est, idololatriæ. Amat enim Sulpicius noster cultum idolorum sacrilegium vocare. Nam cultus ille honorem Deo debitum, quæ res sacra est, legit ac furatur. Vide quoque c.74. sed & infra, ait, *Mirum id Eliæ fuit, qui se solum à sacrilegio immunem esse crediderat.*

SACERDOTIBUS CCCC. FERE ET L.] Suo more addidit *fere*, quod hic planè redundat. Nam prophetæ Baal erant quadringenti & quinquaginta. Præterea non optima fide hæc refert, cum ait, *accitis idolorum ac lucorum sacerdo-*

cerdotibus CCCC. & L. Nam præter idoli Baal sacerdotes CCCC. & L. erant etiam luci sive lucorum sacerdotes CCCC. vide 3. Reg. 18. 19.

DOMINI SUI] Dei sui.

TUM FORTE] Id verbum *forte* otium agit. vide Sigonium.

CÆSUM] In partes dissectum.

VITULUM] *Bovem* est in nostra vulgata & הפר in Ebræo, id est, juvencum. Quas ætates sub uno nomine *μόσχος* Græci comprehendunt.

SACRARIUM] Aquæductum, qui circum altare. Vocat autem sacrarium quia locus erat sacratus Deo. Cæterum aquam effudit super holocaustum tanta copia, ut circa aram redundaret ipsamque scrobem (aquæductum alii vocant) quæ circum altare repleret.

CUM HOSTIA] Cum holocausto.

AD TORRENTEM] Cison, qui torrens est Galilææ inferioris, ad radices montis Thabor: unde oritur.

REGEM PROPHETA PROSECUTUS EST] Donec veniret in Jezrael.

AD REMOTIORA SECESSIT] In desertum Bersabee; quod in finibus Judææ.

QUI SE IDOLIS NON DEDISSENT] Pro dedidissent. vid. 3. Reg. 19. 18.

SCHOTANUS.

Adhuc de Achab rege Israël. 1. Reg. 18.

POst longum tempus, anno tertio siccitatis elapso, præcipit Dominus Eliæ: vade & ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ. Miseretur Dominus. Kimchi dicit, multos ob siccitatem se convertisse & vitam mutasse in melius, ideo Deum voluisse reddere pluvias. Alteram causam fuisse illa septem millia, quæ Baal non adoraverant. Elias igitur abiit ut se ostenderet, qua tempestate annonæ caritas & fames summa erat Samariæ. Ob summam aquarum penuriam jusserat Achab Obadiæ (seu Abdiæ) præposito domus suæ peragrare terras ad investigandum aquam. Hic Dei metuens erat. Nam cum Jezabel, Dei prophetas persequeretur & occideret, abdidit duabus speluncis quinquagenos: eosque aluit pane & aquis, etiam in tanta caritate aquæ. Huic igitur rex mandat omnes fontes & torrentes (valles) pervestigare, si forte fœnum possit inveniri, quo alerent equos mulosque, ne penitus jumenta interirent. Heb. ולא נכרית מן בהמה. Ralbag: *Id est, Ne exscindamus nos ipsos ob jumenta quia de illis nihil reliquum est.* LXX. *Καὶ οὐκ ἐξολοθρευθήσονται ἀπὸ τῶν κτηνῶν.* Verterim Ne jacturam faciamus omnium jumentorum. Partitis itineribus, aliam rex, aliam dispensator viam ingreditur. Obadiæ obvius fit, Elias. Jos. *καὶ πυθόμενος παρ' αὐτοῦ τίς εἴη, καὶ μαθὼν προσεκύνησεν αὐτόν.* Atqui Scriptura videtur dicere, quod Obadia prophetam mox agnoverit. Cum & habitu peculiari fuerit vestitus. Mox propheta mandante, ut adventum suum regi indicet, quo, inquit, meo merito me mittis ad occisurum? Jos. videtur existimare, quod (v. 91.) de morte Eliæ loquatur cum de sua dicat. Quamvis in sequentibus verbis agnoscat Obadiam de suo periculo loqui. Jurejurando enim asserit nec regnum esse, nec populum, quo non miserit Achab inquisitum de Elia: ab illis juratis exigens quum negabant esse. Jos. *ὅτι μηδένα τόπον καταλίποι, εἰς ὃν οὐκ ἀπέστειλε τοὺς ἀνάξοντας εἰ λάβοιεν ἐπὶ θανάτῳ.* Quomodo mittit ad omnia regna? Ad gentes circumvicinas non in universum orbem terra-

terrarum: aut ſi ad gentes diſſitas, non omnes ſimpliciter per totum orbem. Syri Iſraelitis hoſtes erant, tamen ad eos legatos mittere potuit. Juramentum exegit à volentibus non imperavit, quia non erant ſub ejus Dominio. Si miſiſſet ad Joſaphatum indicium ei factum eſſet, non autem propheta in necem traditus. Exiſtimant quidam juramentum eſſe & inquiſitionem factam à mercatoribus & peregrinantibus cujusvis populi qui in Iſraelis regno erant. Tu mandas, ut indicem te adeſſe: forte te auferret Spiritus Dei neſcio quo: indicium vanum morte luerem. Scito me Domini timentem à pueritia. Nonne tibi indicatum eſt, me, cum Jezabel in prophetas Domini cædibus graſſaretur, centum prophetas ſpeluncis abditos pane & aqua aluiſſe? Si illud innotuerit, quomodo non requiſitum & punitum à Jezabel? Fortè quod occultum erat indicat à Spiritu revelari potuiſſe Eliæ. Elias per nomen Dei cui miniſter erat, aſſerit ſe pergere ad Achab, ut ſe ei oſtenderet. Obadias indicat regi qui venientem ſub oculos prophetam affatur: Tune es ille turbator Iſraelis? Joſ. διήρετο μετ᾽ ὀργῆς, εἰ εἴη ὁ τὸν τῶν Ἑβραίων λαὸν κακώσας καὶ τῆς ἀκαρπίας αἴτιος γεγενημένος; Elias reddit: Ego non turbavi Iſrael, ſed tu & domus patris tui, quia præcepta Domini reliquiſtis & ſecuti eſtis Baalim, Joſ. ξενικοὺς θεούς. Nunc mitte & congrega totum Iſrael ad me in montem Carmel: ſimul quadringentos & quinquaginta prophetas Baal & quadringentos luci, qui aluntur è menſa Jezabel. Omnis igitur populus & omnes Pſeudoprophetæ juſſu regis cöeunt in montem Carmel. Hic Elias ad populum: uſque quo claudicatis in utrumque latus: Lxx. χωλανεῖτε ἐπ᾽ ἀμφοτέραις ταῖς ἰγνύαις; Joſ. μέχρι πότε διῃρημένους αὐτοὺς καὶ ταῖς δόξαις βιώσειν, Si Dominus Deus ſit, eum ſequantur: ſi Baal ſit illi adhæreſcant. Populo nihil reſpondente iterum Elias: Ego ſolus relictus ſum (cæteris pulſis aut occiſis) propheta Domini, at prophetæ Baal quadringenti & quinquaginta. Dentur nobis duo juvenci: *quorum unum* eligant ipſi, in partes ſecent & imponant lignis ſine igne: alterum ego parabo, componam ſuper ara & lignis ſine igne. Invocate vos nomen Dei veſtri, ego invocabo nomen Domini. Deus qui igne demiſſo reſponderit, Deus eſto. Ad hoc totus populus: Bene habet. Voluit Elias, ut prophetæ Baal prius experirentur, quia multi numero erant. Juvencum igitur cæſum aræ imponunt. Nomen Baal magna vociferatione invocant à mane ad veſperam: Baal audi audi nos: Sed nec vox erat nec qui reſponderet. Suo more fatigabant ſe aſſilientes ad aram, quam fecerant. Cum meridies præteriiſſet Elias illudens, vocem, inquit, extollite. Deus enim iſte forte altis cogitationibus immerſus eſt, aut occupatus negotiis, aut peregre profectus. Forte ſopitus eſt, ut evigilet. Alta voce clamabant, ſeque ipſos pungebant machæris & lanceolis (Lxx. & Joſ. ἐν μαχαίραις καὶ σειρομάσταις) ut ſanguis affatim efflueret: ſed non erat vox nec reſponſum, nec attentio. Vulg. è Lxx. tranſiliiſſe aram dicit, quam ſtruxerant. Joſephus Deos numero plurali ſine mentione Baal & bovem feminam indicat in hoſtiam ſumptam eſſe. Eo igitur modo prophetabant (bacchabantur) uſque ad horam ſacrificii veſpertini: atque ita matutini ſacrificii tempus ipſis conceſſi ad finem labebatur. Elias igitur jubet ad ſe accedere univerſum populum. Joſephus ſcribit è ſuo, juſſiſſe ut pſeudoprophetæ ſ. cederent, populus accederet prope, obſervaturus ne clanculum ignem iniiceret. Populo accedente reficit collapſam Domini aram. Sumit enim duodecim lapides, ad numerum tribuum, ad quas (in parente) verbum Domini factum erat: Iſrael nomen tuum erit. Illis lapidibus condit aram in nomine Domini: tum foſſam facit circum aram, latam ita ut caperet duo ſata ſeminis (כבית סאתים זרע.) Latinus: *quaſi per duas aratiunculas*) (Lxx. δύο μετρητάς). Ligna componit, diſſecat

cat juvencum. Jubet quatuor urnas aquæ infundi aræ & lignis & holocautomati. Id iterum & tertiò ipso jubente factum est. Ita aqua circum aram diffluebat. Præterea fossam aqua replet. Minchæ tempore Elias ad aram accedit. Dominum autem his verbis precatur: Domine, Deus Abrahami, Isaaci, Israëlis: innotescat hodie, te Deum esse in Israel, me autem servum tuum, me inquam, omnia ista fecisse, secundum verbum tuum. Responde Domine, responde: ut hic populus agnoscat, te esse Deum &c. Cecidit ignis Domini, qui consumpsit holocautoma & ligna & lapides & pulverem: quin & aquam absorbet in fossa. Populus id videns, prolapsus in faciem, proclamat: Dominus Deus est, Dominus Deus est. Præcipit populo, ut omnes pseudoprophetas comprehenderent, nec quemquam sinant evadere. Populus recenti miraculo alacer omnes comprehensos adducit ad Eliam: qui abductos ad torrentem Cison jugulavit. Hoc facto ad Achab, Ascende, inquit, comede, bibe: quia sonus est ingentis pluviæ. Achab igitur ascendebat ad cænam, sed Elias enisus in cacumen montis Carmel, pronus versus terram faciem inter genua posuit: dixitque puero suo: Vade, prospice, versus mare. Qui cum id fecisset, renuntiat se nihil videre. Jubetur iterum abire & prospicere: idque repetere septies. Septimo prospectu, videt nubeculam magnitudine palmi (Jos. οὐ πλέον ἴχνους ἀνθρωπίνου) ascendere è mari. Tum propheta jubet puerum dicere regi: Festinandum esse ne à pluvia occupetur. Interim cælum nubibus & vento inhorruit, secutusque est grandis imber. Achab festinabat Jezraelem, sed manus Domini apprehendit vatem, qui accinctus præcurrit regem, usque in urbem. Scribit Josephus pseudoprophetas à populo interfectos esse jussu vatis: ita interficere, ad ipsius os non manus referri debet. Non existimat vatem (ἔνδον) in urbem introjisse, sed usque ad urbem cursu contendisse. Jezrael urbem hoc loco Ἰεζάελ editio Græca appellat: quam & agnoscit Rufinus.

Nunc dubia quædam circa hoc caput solvenda fuerint. I. Cum dicatur Achab misisse per omnia regna & sub juramento inquisivisse jam diximus id commode accipi oportere & quomodo accipi debeat. Merito rejicit Ralbag illius sententiam, qui putat Achabum subegisse totum mundum שמלך בכפה. Nam nec toti Israëli imperavit quia multas urbes subegerunt Syri, quorum rex plateas habebat in ipsa urbe Samariæ. Ideo fecit jurare gentem regnumque ידוך אהבה ובקשה לא ברוך יראה ושרודה·

II. At si miserit ad eum quærendum cum tanta diligentia, quomodo non invenit eum cum esset prope Sidonem, quæ est intra terminos Israël? Adde Sidoniis imperitasse & oppido Sareptæ Ithobalum socerum Achabi, patrem Jezabel. R. Aut occultavit eum vidua, ut nescierint illic prophetam esse ipsi cives: aut cives etiam prodere noluerunt. Prius malim: deinde & addi potest visum esse & quæsitum, sed subito à Spiritu Dei aliò translatum, ut evaderet manus persequentium. Sic Kimchi. Ex ista translatione, ut supra intelleximus confirmat sententiam suam de Eliæ similitudine cum angelo Dei. הנה היה אליהו בכך כי כאשר היה במקום אחד היה רוח ה' נושאו אל מקום אחר In montes fuisse abreptum conjicit Kimchi, quia cum raptus esset in cælum, discipuli quæsitum iverunt, si forte demissus esset in aliquem montem. Grotius verba v. 12. Domini Spiritus asportabit te, interpretatur, *Imperabit tibi ut eas alio*: quomodo Matth. 4. 1. ἀνήχθη ὑπὸ τοῦ πνεύματος. Josephus: Εὐλαβεῖσθαι αὐτὸν ἔφασκε, μὴ τοῦ θεοῦ φανέντος αὐτῷ πάλιν εἰς ἄλλον ἀπέλθοι τόπον. Sed Grotius cum Josepho errat.

II. Cultum Baal, qui fuerit, conatur Ralbag evolvere: *Negotium Baal*

fuit, ut ego arbitror, in hunc modum: Faciebant imaginem, inquam eliciebant secundum suam opinionem facultatem ministratem superiorem dominatoris in populum istum & super clima istud. Et propheta Baal faciebant מינים מהפעלות ית״ע בהם להם מן מה מהקסם תשפע להם ההודעה לפי מחשבתם מהשליט ההוא *species ex operationibus qua occurrere faceret in iis ipsis speciem illam, quæ è vaticinatione influeret ipsis notifilationem secundum cogitationem suam ab illo dominatore, cujus virtutes descenderunt in causa Baal, quem faciebant secundum cogitationem suam. Et sic fuerunt prophetæ luci, quem plantaverant in tempore determinato* (מגבל) *Et fecerunt occurrere ipsis speciem è divinatione ex illis operationibus* (הכנתות) *occultis. Iam declaravimus defectum, qui facit occurrere è notificatione divinationis.* Ille homo nihil somniat nisi defixionem spiritus prophetici & virtutum cœlestium. Sacra historia distinguit inter בעל & בל; Baal & Bel; Græci utrumque in nomine βῆλȣ confundunt. Bel (βῆλος) Babylonius pater Nini, ut omnes historici consentiunt: Baal Phœnicum rex antiquissimus. Hunc Virgilius sub nomine Beli accepit. *Quam Belus & omnes A Belo soliti.* Servius illic: *Primus rex Assyriorum, ut supra dictum est: quos constat Saturnum, quem eundem & Solem dicunt, Iunonemque coluisse: quæ numina etiam apud Afros posteà culta sunt. Vnde & lingua Punica Bal Deus dicitur. Apud Assyrios autem Bel dicitur, quadam sacrorum ratione & Saturnus & Sol. Alii hunc Belum Saturni temporibus regnasse ejusdemque Dei hospitem fuisse dicunt.* Quid Tyriis & reginæ è Tyro oriundæ cum Deo & rege Assyriorum? Tyrii & Sidonii coluerunt בעל / antiquissimum regum suorum, primi Saturni seu (אל) filium. Quemadmodum superioribus Phœniciæ regibus Dei & superioris regionis nomina posita sunt, אל / שמים / עליון / שדי / ita & huic nomen בעל. Hunc posteritas Phœnicum coluit & Astarten: hæc plurali numero dicuntur בעלים & אשתרות / ob statuarum & templorum multitudinem, qua colebantur. Hic Belus Tyrius, qui alius ab *Assyrio Belo*, videtur Mosi esse suppar aut recentior. Jam igitur constat, quando Baal fuerit, qui mox post obitum inter Deos relatus est.

III. Cum quadringenti & quinquaginta prophetæ Baal fuerint & quadringenti luci solius, qui factum, quod soli quadringenti & quinquaginta concertaverint cum Elia (v. 22.) R. Omnes sanè voluit Elias convocari (v. 19.) nec videtur Achab abnuisse (v. 20.) Hinc conjiciunt Rabbini, quod diffisi viribus Dei sui prophetæ illi quadringenti noluerint venire, qui è mensa regina alebantur. Izabelem enim pro ipsis intercessisse, שלא הוכרחו ללכת / ne cogerentur venire. Cæteros enim coactos esse ab Achab non illos.

IV. Miraculo utitur Deus ad persuadendum illis, qui de Dei ipsius potentia & missione Eliæ non credebant. Fuit enim Elias extra ordinem missus, non pro modo reliquorum vatum, ut loqueretur de Christo & minis ac promissionibus vitam gubernaret sed ut Dei cultum collapsum instauraret. Acerrimus vindex veri Dei & veri cultus, fortiter se opposuit inductioni falsorum numinum & imminenti ruinæ. Prophetæ Baal corpus suum vulnerabant cultris & lanceolis. Sic etiam factum à cultoribus Deæ Phrygiæ. Mart. epigr. lib. XI.

Alba minus sævis lacerantur brachia cultris,
Cum furit ad Phrygios enthea turba modos.

Tertullianus lib. ad Martyres: *Num quod hodie apud Lacedæmona solennitas maxima est* διαμαστίγωσις *id est flagellatio, latet? In quo sacro ante aram nobiles quique adolescentes flagellis adfliguntur adstantibus parentibus & ut perseverent adhortan-*

hortantibus. Martyr: *In Italia quoque majori hebdomada præsertim ante Pascha insani verberant usque adeo graviter flagellis, ut ex dorso affatim fluat sanguis. Et inde putant se condonationem peccatorum egregiè promereri. Quam est gravis, molesta & operosa res, depravatus cultus.*

VI. נסיון *experimentum* tentamen seu indicium quod constituit Elias de igne, non protulit è motu proprio cordis sed definita jussione Dei. Non enim id quadrat, quamvis Kimchi dicat sic fieri potuisse. Sed dicas, si definita jussione posuerit ignis indicium, quid opus fuit precibus suis eum impetrare? R. Voluit Deus precibus impetrari, quod promiserat. Et ad promissionem ex fide orare potuit.

VII Martyr: *Populus ait idem interpres* (Kimchi) *ultrò se contulit eo, quod cupidus esset videndæ novæ probationis & experientiæ prophetæ autem Baal non convenerunt nisi vi & jussu regio adacti. Ego vero arbitror non omnes Israëlitas promiscue convenisse verum primores ex unaquaque tribu & familia; nimirum tribunos, centuriones, decanos & alios hujusmodi. Cæterum id posset mirum videri, quomodo impius rex ita voluerit Eliæ gratificari, quem alioqui habuit invisum, ut prophetas & populum congregaret? Respondetur, cum promisisset Elias daturum admirandum portentum, regem quoque fuisse captum rei novæ cupiditate: vel cum fame laboraret ea ditio & cœlum adhuc esset clausum, verebatur, ne adversando postulatis prophetæ, aliquod gravius malum incurreret. Et fortassis Elias promiserat se post illud experimentum daturum pluvias vel ad id veniendum est, quod Scriptura testatur Cor regis esse in manu Dei &c.* Id præterea notabimus ab Elia regi deferri munus in causa religionis congregandi concilium, nec eo vocari tantum prophetas, verum etiam populum. Quorum neutrum hodie Pontificii dare volunt.

VIII. Conditionem ab Elia oblatam prophetæ quoque recipiunt ideò, quia approbante populo eam conventionem salvo pudore non licebat eis resilire. Forte Diaboli potentiæ confisi receperunt. Sed Deus eum cohibuit.

IX. Comminiscuntur Judæi in verbis Aggadæ verba (רחוקים מן השכל) ut loquitur Kimchi. Cum enim eligerent pseudoprophetæ unum juvencum cumque accipere vellent, non potuerunt movere è loco suo, donec illi diceret Elias: Vade cum ipsis. Tum juvenis Eliæ: Ego & socius meus egressi sumus eodem utero & educati in eodem præsepi (גדלנו באבוס אחד) Ille vadit in partem Dei & nomen Dei sanctificabitur super ipso: at ego ascendo in partem Baal ad provocandum creatorem meum. Dicit ipsi Elias, Vade cum ipsis: sicut nomen Dei benedicti sanctificatur propter hoc, quia populus meus sanctificabitur propter te. Dicit ipsi, Siccine tu consulis mihi? Ego non movebo me loco donec tradas me in manum eorum (ח׳וה׳) Hoc est quod dicitur, אשר נתן בידם. Egregia vero interpretatio verborum, v. 26. Quem dederat eis sc. Achab, non Elias. Multa nugatur Ralbag circa sacrificium & cultum prophetarum Baal. Vult eos Martem coluisse sanguine, & fuisse diem Martis, cujus prima hora planetam istum hoc sacro honoraverint.

X. Ara, quam ædificavit seu instauravit Elias, quorundam opinione est illa, quam statuit Saul (1. Sam. 15. 12.) Sed ista ara non fuit. Et Carmel, de quo hic, procul distat ab illo loco, de quo ibi. Dras igitur, ut plerumque, ineptit. Fuit una de aris Dei, quæ multæ fuerunt ante conditum templum. Has aras Dei Jeroboam jussit everti, cum cultum Dei adstringeret ad Bethel & Dan: aut Izabel cum Dei cultum exstirparet.

XI. Numerus tribuum expressus est numero lapidum, ut cum omnibus fœdus factum esse significetur: utque moneretur reditus ad conjunctionem cum

Juda. Inepta verba ſunt quæ meritum tribuum in auxilium trahi dicunt, cum ipſis idololatria exprobretur.

XII. Aqua perfundi juſſit aram & quæ in ara, ut illuſtrius eſſet miraculum, atque omnibus manifeſtum nullum latere dolum. Raſi להגדיל את הנס. Cadi duodecim fuſi ut duodecim lapides.

XIII. At unde aquam habuit in ea aquarum penuria? Forte in propinquo fons fuit: aut è mari propinquo hauſerunt. Ineptiunt Judæi è digitis Eliæ tanquam è fontibus aquas manaſſe. Hoc tum factum ab eo miraculum eſſe. Nempe dicunt Eliſæum fudiſſe aquam ſuper manus ejus; hinc autem digitos in fontes mutatos eſſe. Huc trahunt quod 2. Reg. 3. 11.

XIV. Cum aſcendit in ſummitatem montis, non quærit puriorem aërem, ad preces, ut id inter alias cauſas Ralbag ponit. Nam aëris qualitas nil facit ad exauditionem. Inde poterat proſpicere & aerem undique liberum intueri.

XV. Cur ſe ad terram incurvat & faciem ponit inter genua? Audiamus hoc & alia explicantem Martyrem. *Aliqui opinantur duas prophetæ actiones deſcribi & priori oſtendi prophetam ſe ad terram incurvando gratias Deo egiſſe de impetrato igne cælesti & confutatis atque occiſis Baalitis: deinde putant illum conſediſſe, atque oraſſe Deum pluviæ impetrandæ cauſa poſito capite ſeu facie ſua inter genua: eo quippe habitu corporis orabat, non proſtratus, neque ſublatis manibus, neque genibus flexis. Ego verò exiſtimarim, unam duntaxat actionem deſcribi, quæ priori parte verſus in ſumma proponitur, deinde poſteriori latius explicatur: primum dicitur ſe inclinaſſe, ad terram, quomodo autem id factum fuerit poſtea exponitur, quod ſcilicet caput vel faciem collocarit inter genua, non ſuſpiciendo cælum oculis, ſed potius terram intuendo. Habitus ille corporis, animi ſubmiſſionem teſtabatur. Oportet homines, cum Deum precantur, ex una parte majeſtatem ejus intueri, ex altera parte habere perſpectam ſuam vilem & abjectam conditionem, ut cum ſe intelligant pulverem ac cinerem eſſe, non facile audeant, oculos ad cælum attollere. Non commemoratur, quid ſuis precibus dixerit; quia fuit ejus oratio prorſus animi ac mentis: ſed antea cum imploraret ignem, apertè locutus eſt, ut qui aderant, noſſent illum non agere magicis carminibus aut excantationibus, ſed veri Dei nomen invocare. Hic verò nullus aderat, quem poſſet inſtruere vel ædificare. Sciebat ille porrò pluviam eſſe dandam: nam ei hoc Deus indicaverat, quandò juſſit ut ſeſe regi oſtenderet:* Dabo enim *inquit* pluviam: *& nihilominus orat & prolixa utitur ſupplicatione. Nam Deus utrumque volebat, nimirum & pluvias populo concedere, & Prophetæ orationibus interpellari. Quin ipſe Chriſtus norat ſe clarificandum & Apoſtolos vi divina corroborandos & ſanctificandos, nihilominus tamen hæc à Deo patre ſuo fideliſſimè petiit. Iam agnoſcimus precibus Heliæ cælum aperiri, quemadmodum ipſis eiſdem antea clauſum fuerat, quod Iacobus in ſua Epiſtola teſtatur. Puero ſuo mandat, ut aſcendat ad ſpeculam maris & indicet, ſi quod cernat ſignum pluviarum: nam ex mari nubes aſcendunt, & inde oriri prius conſpiciuntur, quam cælum tenebris obducant. Siquis roget, cur ipſe Propheta eo non concedebat, & orando per ſe ipſum inquirebat, an ſigna ulla pluviæ darentur? Ad hoc reſpondetur eum noluiſſe, aſpectu corporis & externa viſione animum ſuum a precibus diſtrahi: collecto enim affectu ac vehementi volebat apud Deum inſtare, ut audiretur. Sibi verò indicari aſcendentes nubes mandat, ut cognoſceret quando ſuæ preces eſſent auditæ, ut in tempore valeret regem, admonere, cui mox adfuturam pluviam prædixerat, cum ejus indicia nulla jam tunc vidiſſet. Prædixit autem vel ex magna erga Deum fiducia, vel quod prophetico Spiritu ſic omninò fore præſenſiſſet. Perſeverantia ſua infracta nos commonefacit, ut etſi ſtatim non audimur, à precibus tamen non deſiſtamus. Etenim illi uſque ad ſex vices renunciatum eſt, nullum ſignum futuræ pluviæ dari, qui tamen animum non deſpondit, ſed*

per-

pervexit fortiter ac fideliter orando &c. Deus etiam confirmavit Heliæ corpus & alacrem ejus animam reddidit, ut, curreret una cum rege ac ejus currum præcederet. Voluit Deus Prophetam virum sanctissimum, illud obsequium regi præstare. At hodie secus agitur. Imperatores. ac Reges pedites eunt ante Papam, quod ætate nostra non semel est visum. Cucurrit sanè strenuè Helias, quia non tantum assecutus est regem, qui præcesserat, sed ante illum currebat instar satellitis vel anteambulonis. Nihilominus tamen eo habitu triumphum agebat de Baalitis jam confutatis & cæsis. Voluit ob oculos regi esse, [in]culcaret illi & in animo imprimeret donum ac beneficium Dei. Testabatur etiam eo gestu datam esse pluviam ad verbum ejus, ut, ab initio futurum prædixerat. Deinde ita currendo pacem offerebat populo, modo amplecterentur justum & sanum Dei cultum. Ingrediebatur etiam urbem, ut populum de veritate melius adhuc informaret, suisque concionibus institueret. Forti est animo, ut qui non timeat reginam Iezebelem, & Baalitas ejus, quadringentos inquam prophetas lucorum.

XVI. Dras Judæorum est, puerum illum qui ministrabat Eliæ & versus mare prospiciebat de cæli habitu, fuisse filium viduæ, quem è mortuis suscitaverat, nempe ipsum prophetam Jonam.

I. REG. XIX.

CUm Achab Jezabel uxori suæ indicasset, quæ facta erant per Eliam, nihil miraculo mota, minata est illi mortem ob cædem prophetarum Baal. Quod ipsi denuntiat misso nuntio, & sub juramento per deos suos: se crastini diei illa hora id illi facturum, quod suis sacerdotibus fecerat. Fugit igitur in Bersaben Judææ. Relicto illic puero, diei iter pergit in solitudinem. Illic fessus considet sub junipero. Rogat Deum, ut animam eripiat laboranti. Satis se vixisse, nec suis majoribus præstare. Hinc argumentantur Ralbag aliique de illius longævitate, ut probent esse ipsum Phinees. Tandem in somnum lapsum, excitavit attactu Dei angelus: qui jubet vesci appositis. Erat enim ad caput (עגת רצפים) Lxx. ἐγκρυφίας ὀλυρίτης: Vulg. *Subcinericius panis*: Chald. הררא מעפפא, & hydria aquæ. Cum edisset & bibisset, denuo se in somnum componit. Secundò excitat angelus attactu, jubetque se reficere, quia via longa conficienda. Refectus, vi cibi quadraginta diebus & noctibus ambulat usque ad montem Dei Horeb. Illic ingressum speluncam & pernoctantem Dei verbum affatur: Quid hic tibi Elia? Ille reddit: zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum. Nam filii Israel fœdus tuum deseruerunt: aras tuas diruerunt, & prophetas tuos occiderunt. Ego solus supersum, cujus animam quærunt. Tum ille: Prodi, consiste in hoc monte in conspectu Domini. Antequam prodiret, transit Dominus: at ante eum, ventus vehemens validusque subvertens montes & conterens petras ante Dominum. Dominus non erat in isto vento. Post ventum tremor terræ, in quo nec erat Dominus. Post terræ motum ignis, in quo nec Dominus erat. Post ignem sibilus auræ tenuis. Eum Elias audiens faciem contegit superinjecta ora pallii, constititque in ore speluncæ (ut jussus erat). Vox ad eum, Quid hic inquit, tibi Elia? Qui repetit idem responsum: sed Dominus ad eum. Abi, in viam tuam revertere versus solitudinem Damasci. Urbem ingressus, unge Hazaelem regem Syriæ. Jehu filium Namsi in regem Israel unges: Elisæum autem filium Saphat ex Abelmehola in prophetam pro te. Eveniet ut Jehu eum occidat, qui evaserit gladium Hazaelis: utque evadentem gladium Jehu occidat Elisæus. Ego mihi servabo in Israel septem millia, qui genua non flexerunt ante Baal, nec ore suo eum osculati sunt. Elias igitur inde profectus reperit

Elisæum arantem cum duodecim jugis bonum, ipsum præcedentibus, quorum duodecimo aderat Elisæus. Cumque venisset Elias ad eum injecit ipsi pallium suum. Ille intellecto se vocari in prophetæ ministerium, omissis bobus sequitur abeuntem Eliam. Rogat autem veniam, valedicendi parentibus. Quo permisso, jugum boum immolat: & aratri lignis coquit carnes, quas distribuit populo. Tum osculo patri & matri valedicit, abit, adhæret Eliæ. Josephus scribit Bersaben quo propheta fugit, fuisse in extremis finibus tribus Judæ, conterminam Idumææ. Querulas preces prophetæ sic interpretatur: *ηὔχετο δ' ἀποθανεῖν, οὐ γὰρ δὴ κρείττων εἶναι ἐκείνων ἀπολωλότων, αὐτὸς ζῆν γλίχεσθαι.* Quasi respiciat ad prophetas occisos. Atqui Lxx. *ὅτι οὐ κρείσσων ἐγώ εἰμι ὑπὲρ τοὺς πατέρας μου.* Arboris genus sub qua obdormiit Elias, non exprimit: Lxx. reliquerunt Hebræam vocem, *ῥαθμέν.* Non exprimit fuisse angelum, qui prophetam excitavit ad cibum: *διεγείραντος δ' αὐτόν τινος.* Lxx. in v. 5. non exprimunt fuisse angelum *(ἰδού τις)*, sed in repetitione v. 7. Josephus unam excitationem & unam refectionem habet solam. In apparitione Domini ordinem rei non explicat: quasi simul illa cum Domino apparuerint portenta: de vento autem & sibilo auræ nihil. Alloquium Dei apud ipsum non meminit reservationis reliquiarum Dei in Israel, dicit prophetam solatum quod in manus inimicorum deventurus non esset. Impios pœnam daturos Azaëli & Jehu. Silentio præterit Elisæum. Nec meminit sacri, quod obiit Elisæus.

Verba, quibus Elisæo Elias veniam dat valedicendi parentibus ita sonant: Abi, revertere: Nam quid feci tibi. Lxx. *Ἀνάστρεφε, ὅτι πεποίηκά σοι.* Vulg. *Vade & revertere quod enim meum erat feci tibi.* Videtur admonere ne negligat Dei mandatum, quod ipse illi detulerat. Grotius: *Cogita, ad quantum munus* (imò cujus jussu) *te vocaverim. In sacris dici solebat: Hoc age.*

v. 2. Targum: כדין יעבדון דחלתא וכדין יוספן אלהן. Kimchi: *Modo juramenti,* sicut: Ita faciat Deus mihi &. sic addat. Loquitur autem in numero plurali, quia mens ejus ad Deos, quos colebat, Baal & lucum (*האשרה*) & à stupore (*תימה*) Id quod vertit Jonathan (כדין יעבדון דחלתא ד״י) in exemplari bono inveni כדין יעבדון דחלתא; & hoc rectum, & exemplar, in quo scriptum דחלתא ד״י error scribæ est.

v. 3. Bersabe in Juda, id est in Judææ regno. Sed portio Simeon Judææ tribui assignata fuerat.

v. 4. רתמים] Kimchi: *Est arbos humilis, cujus pruna calida est admodum. Quidam exponunt de arbore quæ vulgò genista, alii* Jenevre. Una dicitur, quia in solitudine non inveniebat aliam arborem, sub qua latere poterat. Grotius: *Valetudinis incuriosus.* Nam Juniperi grauis umbra, *Marone teste.*

v. 6. Notat Kimchi: non comedisse totum panem, non ebibisse omnem aquam: quia secundò edit. Lxx. *καψάκης ὕδατος* pro צפחת מים.

v. 8. Quadraginta diebus abstinuit cibo & potu & videtur dici, quod tanto tempore fuerit in itinere. Judæi autem ne eum in hoc Mosi patiantur comparari, putant eum vi cibi durasse, Mosen sine cibo. In Horeb Deus erat Mosi locutus & legem tulerat: adeoque ad eum montem quasi alligata erat temporis servilis conditio. Huc vocatur Elias, ut qui populo sub servitute viventi reditum ad Deum, cum quo illic populus ille in fœdus primò coierat, denuntiabat. Abiens eò, non suo motu, sed ductu Spiritus iter fecit. Non legitur aliquid gustasse nec est vero simile antequam in terram habitatam rediit.

v. 9. Quid tibi] Kimchi: טעם השאלה תולדת הדברים nempe ad hominum morem.

v. 11.

v. 11. Thargum dicit angelorum exercitum venti, motus terræ & ignis: pro Domino שכינתא דיי. Pro sibilo auræ tenuis, exercitum angelorum laudantium in silentio. Per illum mollem sibilum vulgo Euangelium putant designari, in opposito ad horrorem legis: quia in Euangelio acceditur ad Deum non in legis impletione. Grotius admoneri putat prophetam, ut sibi ab ira caveat, ad quam natura suapte ferebatur. Deus suas proprietates & judicia indicat: confirmat vatem, impiis minatur malum.

v. 13. Operuit faciem, non tantum in signum reverentiæ, sed & quia Dei gloriam nec poterat nec licebat intueri. Theodoretus docet Deum ostendere, quod ventis & igne & motu terræ grassari posset in impios, sed parcere iræ, cum mallet in clementia administrare genus humanum. Metum & timorem vult Eliæ datum seu potius ex cursu naturæ sibi permissæ incussum, ut debilitatem agnoscens Dei revelationibus non intumesceret.

Tyrinus. R. *Salomo apud Lyranum putat Eliam non in eodem solum monte sed & in eadem Spelunca latuisse, in qua Moyses olim inclusus vidit gloriam Dei,* Exod. 33. *Et Iosephus tradit, eundem locum etiam ante Moysis ætatem &c.* Isti homines locorum sanctitates admodum venditant. Putant etiam Eliam suopte motu in Horeb concessisse, quasi illic aditurus Deum. Id ostendi ex interrogatione Dei, quid agis hic? R. Quamvis impulsu Sp. S. eo concesserat non tamen ex imperio expresso: & prima causa initæ fugæ quam nondum ex animo dispunxerat vates, inquiritur.

In vocatione Elisæi non narratur totum, si proprie dicta unctio divinitus imperata sit. Ea peracta illi pallium injecisse videtur ut insigne vatis. Tyrinus: *Hoc signo illum vocat ad suum institutum & cætum discipulorum suorum, quasi investiens illum habitu monachali: sed unctione seorsim adhibita prophetam consecravit.* Distincta fuerunt prophetia, schola, habitus seu vitæ modus. At habitus seu vitæ modus ad prophetiam pertinebat. Nihil cum monachis commune habuit Elias aut Elisæus. Johannes Hierosolymitanus scribit Eliam post reditum suum in Carmel collegisse multitudinem hominum, ut illic sub regula vitam traducerent. Non fuisse factam proprie dictam unctionem, optimi interpretes existimant sequentes Josephum. Tantum indicatam Dei voluntatem. Vocabulum ungendi notat declarare, ἀποδεικνῦναι, regem. Quemadmodum χειροτονεῖν sæpe nihil aliud, quam creare & constituere sine tali ritu simpliciter. Hazaël sanè non fuit unctus ab Elisa, sed tantum illi Dei voluntas denuntiata. Jehu unctus fuit 2. Reg. 9. Id verò difficilem solutionem habet, quomodo versu 17. dicatur occidendum esse à Jehu, quem relinquit Hazael, quum Hazaelis grassatio post initium Jehu fuerit, 2. Reg. 10. 32. Cum etiam Elisæi fames ante Jehu fuerit? Hic respondet Ralbag: (כהפך) contra factum esse: ut sensus sit quos non producet ætas ad Hazael, interimendos à Jehu, & quos non duceret ætas ad Jehu ab Elisæo (מסברת אלישע) interituros esse: ut tantum conserventur illa septem millia quæ ad idola non deflexerant. Duo igitur in illis septem millibus notari putat. Primò, Illa non contaminasse se idolis, Secundo, ab ira Dei & pœnis tutos fore. Videtur Apostolus, qui verbum in tempore præterito allegat de solo primo intelligere Rom. XI. 4. Lxx. καταλείψεις, quasi ad Eliam referatur. Paulus dicit κατέλιπον ἐμαυτῷ. Hic Apostoli allegatio non quadrat cum versione LXX.

S V L-

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

Cap. LXVII.

EA tempestate Achab rex Samariæ vineam Nabuthæi, adhærentem sibi concupivit. Quam cum ille ei vendere noluisset, dolis Izabel interfectus est. Ita Achab vinea potitus est, cum tamen Nabuthæi mortem doluisse referatur. Mox per Heliam verbo Domini increpitus agnitoque crimine, cilicio indutus, egisse pœnitentiam traditur. Quo facto, imminentem pœnam avertit. Namque Rex Syriæ magno cum exercitu, duobus & triginta regibus in societatem belli ascitis, fines Samariæ ingressus cum Rege urbem obsidere cœpit. Arctis deinde obsessorum rebus, dat belli conditiones, si aurum & argentum & fœminas tradidissent, fore uti vitæ eorum parceret sed tam injustis conditionibus extrema perpeti satius visum. Et cum jam omnium desperata esset salus, propheta à Domino missus, regem adit, hortatur, ut in prælium exeat, cunctantem multis confirmat. Ita eruptione facta fusi hostes copiosaque præda reperta. Sed post annum reparatis viribus, Syrus in Samariam regressus, acceptam cladem ultum ire cupiens, rursum victus est. Eo prælio CXX. millia Syrorum interiere. Regi venia data, regnum ei & pristinus status concessus. Tum Achab verbis Dei à propheta increpitus, cur abusus divino munere, hosti sibi tradito pepercisset. Igitur Syrus post triennium bellum Hebræis intulit. Adversum hunc Achab, pseudoprophetarum impulsu, in prælium descendit: spreto Michæa propheta & in vincula conjecto, quod ei exitiabilem fore pugnam denunciasset. Ita eo prælio Achab interfectus Ochoziæ filio imperium reliquit. Is æger corpore, cum ex ministris, qui idolum pro salute ejus consulerent, misisset: Helias à Domino monitus, obviam se eis obtulit, increpitosque renunciare regi jubet, mortem ejus consequuturam. Tum rex comprehendi eum ac deduci ad se jubet: sed missi, cœlesti igne absumpti. Rex, ut propheta prædixerat, abiit, successit autem Ioram ei, frater ejus: isque duodecim annis imperio potitus est.

DRUSIUS.

VINEAM NABUTHÆI] suspicor initio scriptum fuisse Nabuthæ. Nam in editione Græca scriptum ναβυθαί. Solet autem nomina Ebraica indeclinata relinquere. Apud Josephum invenio Nabuthus, ut in nostra vulgaria, Naboth. Nabuthæus aliud est. Sanè Nabuthæi Arabes appellantur, quos ναβαταίους Græci vocant, 1. Mach. 9. 35.

ADHÆRENTEM SIBI,] id est, palatio suo. Tale est, *Ivit ad Pompejum* pro ad domum Pompeii.

DOLIS JEZABEL INTERFECTUS EST] falsis subornatis testibus, qui dicebant eum Deo ac regi maledixisse, lapidibus obrutus est.

CUM TAMEN NABUTHÆI MORTEM DOLUISSE REFERATUR] 3. Reg. 21. 16. καὶ ἐγένετο ὡς ἤκουσεν ἀχαὰβ ὅτι τέθνηκεν ναβυθαὶ ὁ ἰεζραηλίτης, καὶ διέρρηξε τὰ ἱμάτια αὐτοῦ καὶ περιεβάλετο σάκκον. Hæc non habentur in Ebræo, nec apud Hieronymum. Sumpta autem videntur ex versu 27. ejusdem capitis, ubi Græci, Καὶ περιεβάλετο σάκκον ἐν τῇ ἡμέρᾳ ᾗ ἐπάταξεν τὸν ναβυθαί. Aliter Josephus, qui narrat ipsum exiluisse gaudio & ad visendum in prædium se confestim contulisse, lib. 8. cap. 7.

ACTIS DEINDE OBSESSORUM REBUS] Sigonius reponit *fractis*. Quid si *arctis*, ut infra lib. 2. cap. 15. *arctis suorum rebus*? nisi sane respexit ad illud Terentii, *actum est*.

FOEMINAS] Uxores & filios. Hæc Historia refertur in libris Ebræorum cap. 21. post occisum Naboth. Hos ut solet, secutus est Sulpicius. Nam secundum Ebræos (*Samaria*) obsessa fuit antequam Naboth occideretur.

CXX MILLIA] in fonte est centum millia duntaxat. Quem numerum etiam Græca editio agnoscit 3. Reg. 21. 29. Sed & Josephus lib. 8. cap. 8. Eodem tempore fuerunt ruina muri oppressa in Aphec viginti septem millia, ut fortasse Sulpicius ediderit CXXVII. millia.

A PROPHETA] à propheta quodam, qui & unus de filiis prophetarum dicitur 3. Reg. 20. 35. Quod noto ut discas filios prophetarum etiam prophetas vocari.

PSEUDOPROPHETARUM IMPULSU] qui numero erant circiter quadringenti viri 3. Reg. 22. 6.

SPRETO MICHÆA] Est cur prætulerim Michaia. Nam in μιχαίας, unde vulgatum Michæas, non est diphthongus Græca, ut vulgus existimat. Quid igitur? Ebræi scribunt מיכיה, in qua scriptura prius Jod quiescit, posterius legitur & est I. consonans. Ex quo liquet sonandum esse Michaja per consonam & non Michæam per Dipthongum.

OCHOZIÆ FILIO IMPERIUM RELIQUIT] 3. Reg. 22. 40. Καὶ ἐβασίλευσεν ὀχοζίας υἱὸς αὐτοῦ ἀντ' αὐτοῦ. Critici Ebræorum legerunt Achazias.

IS ÆGER CORPORE] ex casu quodam, de quo 4. Reg. 1. 2.

IDOLUM] Numen Accaronitarum, Beelzebub sive Baalzebub: quod latinè sonat ut si dicas *Iupiter musca*. Nam Baal *Iupiter*, & Zebub, *musca* id est μυῖα. Græci certè sic legunt τῷ Βάαλ μυῖαν θεὸν ἀκκαρών.

A DEO MONITUS] per angelum.

SED MISSI] πεντηκόνταρχοι, hoc est quinquagenarii sive semicenturiones cum militibus ipsorum.

CŒLESTI IGNE ABSUMPTI] Desideratur verbum substantivum, ut dicas *absumpti sunt*. Similis locus, cap 59. Vide quæ scripsimus ad illum.

OBIIT] sine prole sive ut cum Tertulliano loquar, improlis aut illiberis. Itaque in regnum ei successit Joram frater ejus, anno secundo Joram filii Josaphat regis Juda.

DUODECIM ANNIS IMPERIO POTITUS EST] 4. Reg. 3. 1. καὶ Ἰωρὰμ υἱὸς Ἀχαὰβ ἐβασίλευσεν ἐν Ἰσραὴλ ἐν ἔτει ὀκτωκαιδεκάτῳ Ἰωσαφὰτ βασιλέως Ἰούδα, καὶ ἐβασίλευσε δώδεκα ἔτη.

SCHOTANUS.

I. REG. XX.

Benhadad junior Benhadadi filius, rex Damasci totis viribus, sociatisque triginta & duobus regibus, curruum equorumque cum magna copia movet in Israelitas Samariamque obsidet. Missis nuntiis ad Achab, in urbem, leges pacis ponit: Argentum tuum & aurum tuum meum est: præterea uxores tuæ & optimi liberorum mei sunt. Respondebat Achab: Secundum verbum tuum, Domine mi rex. Tuus sum & omnia mea. Redeunt legati: Ita loquitur, inquiunt, Benhadad, misi quidem ad te, dicendo: Argentum tuum aurumque tuum conjuges & liberos mihi dabis. At crastini diei hoc tempore mittam servos meos ad te, domum tuam, domosque servorum tuorum scrutaturos, ut quod placuerit sumant & auferant. Rex igitur Israel vocatis omnibus senioribus terræ: Videte, inquit, hunc malum quærere. Miserat ad me de meis conjugibus, liberis, auro argentoque, quæ non denegavi. At seniores omnes totusque populus dixerunt: Non audias neque acquiescas. Responsum igitur dedit legatis: Paratum se facere quæ primo flagitaverat, sed hoc, quod nunc proponeret, facere se non posse.

Vigesimum hoc caput Josephus & Lxx. ponunt post caput. XXI. ubi de Nabuthæo. Benhadad Lxx. υἱὸς Ἀδὲρ, Josephus υἱὸς Ἀδάδου & Ἄδαδος. Josephus socios illos reges (πέραν Εὐφράτου) ultra Eufratem regnavisse putat. Fuerunt in clientela Benhadadi. Amplissimum igitur illud Syriæ regnum fuit, quod nequaquam consistere potest cum fabulis Ctesiæ de imperio Assyriorum: sed reges hi Syriæ illius temporis Græcis Assyrii appellabantur. Duo postulata ita distinguit Josephus, ut primo Syrus petierit Achabi solius res, secundo, omnium etiam subditorum. De primo voluit Achab concedere pacis causa & ut subditis parceretur. Grotius ita: *Do me meaque in tuam fidem. Sic hæc verba Achabus intelligebat, Benadad autem de rerum proprietate.* Ita Kimchi & Ralbag accipiunt: Ego tuus & omnia mea, id est שתהיה ממשלתך אני לעבדך ולעשות לו מס Ut omnes ad tributum & obsequia subjecti essent. Dras est, quod per desiderium oculorum intelligatur lex quam auferre voluerit, ut idololatriam induceret. Miratus igitur est Achab secundam legationem. Jos. Ἄχαβος δ' ἀγασθεὶς ἐπὶ τῇ δευτέρᾳ πρεσβείᾳ τῇ τοῦ βασιλέως, Achabus miratus ob secundam legationem missorum regis. Gelenius malè, *lætus secunda legatione Syri.* Domos servorum, Jos. τοὺς τῶν φίλων καὶ συγγενῶν οἴκους. Posteà πάντων οἰκίας. Benhadad repulsam indignissimè ferens jurat per deos suos pulverem Samariæ non suffecturum, ut sequentium militum singuli pugillum capiant Lxx: εἰ ἐκποιήσει ὁ χοῦς Σαμαρείας ταῖς ἀλώπεξι, παντὶ τῷ λαῷ τοῖς πεζοῖς μου. Vulg. *Si suffecerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi, qui sequitur me.* Chald. Juramentum tantum habet דחלתא non אלהין. *Si sufficiet pulvis Samariæ, ut feratur* (בשעולי) *plantis pedum populi, qui mecum est.* לשעלים Lxx. acceperunt pro שועלים *vulpes.* At שעל Chald. שעל *pugillus.* At interpres habet בשעולי quod doctissimus vir in An-

Anglicanis bibliis reddidit *soleis*: sed Rasi שנרבק בפרסת. Sic & Kimchi: qui adhærescat plantis. Sic Chaldæi sententia erit, milites suos plantis pedum posse efferre pulverem Samariæ. Sed interpretatio Hieronymi vera est. Cum Rasi & Kimchi consentit Ralbag: כמלא שעלי הוא מלא אגרופו Jos. ἀπειλῶν ὑψηλότερον τῶν τειχῶν, οἷς καταφρονεῖ, χῶμα τούτοις ἐπεγείρειν αὐτοῦ τὴν στρατιὰν, κἂν δράκα γῆν λαμβάνωσιν. ἐμφανίζων αὐτοῦ τῆς δυνάμεως τὸ πλῆθος καὶ καταπλήττόμενος. *Minatus, celsiorem muris quos contemnebat, aggerem adversus eos suum excitaturum exercitum, si singuli pugillum capiant. Ostendens copiarum multitudinem & perterrefaciens.* Achab inclusus mænibus Samariæ sedebat, ac universa subditorum intra munitiones concesserant, ob metum Benhadadi. Legatis Benhadadi minas istas afferentibus respondet אל יתהלל חוגר כמפתח: Chald. לא ישתבח דמודרז ותחית בקרבא כגבר' דנצח וסליק מנא: Sensus est, Non posse gloriari eum, qui accingitur ad prælium, sed qui discingitur confecto prælio. *Ne triumphum canat ante victoriam,* Jos. μὴ καυχᾶσθαι καθωπλισμένον, ἀλλὰ τῇ μάχῃ κρείττω γενόμενον, *Non debere gloriari armatum sed victorem.* Gelenius iterum aberrat in interpretatione. Cum Josephus communi & apertæ sententiæ interpretum accedat: mirum est Lxx. reddidisse: Καυχάσθω μὴ καυχάσθω ὁ κυρτὸς ὡς ὁ ὀρθός. Bibenti Syro cum regibus in tentoriis legati attulerunt Achabi responsum. Mox suis, Disponite, qui disposuerunt adversus urbem. Lxx. οἰκοδομήσατε χάρακα καὶ ἔθηκαν χάρακα ἐπὶ τὴν πόλιν. Josephus hoc accepit: præcepit, περιχαρῶν (leg. περιχαρακῶν) τὴν πόλιν καὶ χώματα βάλλεσθαι καὶ μηδένα τρόπον ἀπολιπεῖν πολιορκίας. Vulg. *Circumdate. Et circumderunt.* Gald. אודרזו וכמנו על קרתא / *Accingimini & insidiamini adversus civitatem.* Rabbini, disponite instrumenta obsidionis: expedite arma ad bellandum. Incertum igitur jusseritne instrui aciem ad oppugnationem & urbem corona capiendam, an obsideri & arcte includi: Ego malim prius. Nam accedit propheta ad regem Israel: Ita loquitur Dominus, Vidistine illam multitudinem ingentem. Scilicet acies instruebantur & ingens coibat multitudo patentes conspectui. Hanc (ait) Dabo hodie in manum tuam, ut scias me Dominum esse. Achab excipiebat, Per quos? Propheta reddebat, per pueros præfectorum provinciarum (נערי שרי המדינות) Iterum Achab, Quis prælium incipiet? Cui vates: Tu. Jos. ἡγεμόνος σοῦ, διὰ τὴν ἀπειρίαν ἐκείνων. Pueri illi præfectorum provinciarum numerati, erant ducenti quinquaginta. Universus populus numerum faciebat septem millium. Lxx. διακόσια τριάκοντα: Jos. διακόσιοι καὶ τριάκοντα δύο. Oppidani igitur portis exeunt, in primo agmine pueri, in altero populus. Cum Benhadad & regibus potantibus per exploratores id nuntiaretur: Jussit vivos capi, sive ad pacem sive ad bellum exiissent. Dicitur v. 17. Benhadad *misit*: vero *miserat* sive insidias sive exploratores, quorum quidam nuntiant eruptionem oppidanorum. Cum ad manus ventum esset, pueri in hostem irruunt, fortiter præliantur, & sternunt, quem primum habebant obvium. Ita territis proximis & terga vertentibus, consternatio universum exercitum in fugam præcipitem effudit. Fuga igitur totis castris & cædes tanquam pecudum. Nam populus in secundo agmine intulit se fugientibus. Ita omnia cæde & sanguine & ruina complent. Equi currusque strati, corrupti. Nobilis victoria fuit cum ingenti clade hostium. Hunc ordinem pugnæ & victoriæ, quem dixi, videtur scriptura ostendere: at Josephus vult, primo agmine puerorum egrediente, instructum populum intra mænia stetisse ad eventum expeditionis. Cum pueri principum excubias cæcidissent, & partim pepulissent ac insequerentur usque castra hostium: hoc viso Achab emisisse populum. Inopinato oppressisse, cum epulis & vino indulgerent. Benhadad, in equum sub-

ſublatus, accelerata fuga evaſit. Achab cum ſuis perſecutus hoſtem & ſpoliatis caſtris lætus divesque in urbem rediit.

Benhadadum clade confuſum animant ſervi, fortunam ſecundò experiatur, Fortes ſe quidem præſtitiſſe deos Iſrael tutelares & præſides regionis, Prævaluiſſe autem loci conditione: cum dii montrium ſint: Si in vallibus aut campis concertent ſe ſuoſque deos ſuperaturos. Suadere igitur ut reparatis copiis militum, equorum, curruum & dimiſſis regibus, eorum loco ſtatuat præſides provinciarum. Secundò rem committat prælio. Videntur iſti ſocii, reguli & clientes non ita adſtringi potuiſſe, ut præſides ſeu ſatrapæ: aut ex Syrorum opinione, non ſatis fortem fidelemque operam navaſſe. Syriæ rex ſuos audiit, ut in bonam ſpem ingenia hominum prona ſunt, maximè cum dementat ſuperſtitio. Parat igitur ſe omni conatu pro virium modo. Id cum clam teneretur, idem ille propheta monuit Achabum, quid pararetur in annum ſequentem. Cum principio veris, quo reges ſolebant egredi ad bellum, Benhadad luſtratis copiis, Aphecam (Joſ. in magno campo) ſe confert, bellum geſturus cum rege Iſrael. Iſraelitæ *(juxta monitum vatis jam parati)* luſtrati & commeatu inſtructi, obviam eunt poſitis caſtris, quaſi duo greges caprarum eſſent: cum Syri omnia in circuitu implevisſent. Illic vir Dei (id hic de iſto vate Scriptura enuntiat) adiit regem Iſrael; quia Syri, (inquit) ferunt Dominum eſſe Deum montium non vallium, immenſum illum hominum numerum in manum tuam tradam, ut ſciatis me Dominum eſſe. Nam in campis caſtra erant & concertandum erat. Caſtra caſtris oppoſita fuerunt uſque in ſeptimum diem: quo prælium commiſſum eſt. Eo die cæſa ſunt ab Iſraelitis Syrorum centum millia peditum. Reſidui recipiunt ſe intra Aphec: at illius urbis mœnia corruentia ſeptem & viginti millia opprimunt. Ipſe autem Benhadad panico terrore ob hunc caſum perculſus nec fidens loco, *in quo erat*, de cubiculo in cubiculum fugitat tremens horrenſque. Joſephus, *καρτερᾶς τῆς μάχης γενομένης, acri pugna commiſſa*; Syros ſuccubuiſſe. Iſraelitas victoriam perſequentes multos ſtraviſſe: confuſum agmen trepide fugientium à ſeipſis obtritum & proculcatum. Adadum fugientem cum fidiſſimo ſervorum (*εἰς ὑπόγαιον οἶκον*) ſe abdidiſſe.

Præfecti provinciarum appellantur פחות: quo nomine appellatus eſt procurator Judææ ſub imperio Perſarum: non exſtat id vocabulum ante hunc locum, ubi de Syriæ regibus agitur. Aphec aliud eſt (ut notat Kimchi) filiorum Judæ aliud in tribu Aſer. Hoc Judææ tribus fuiſſe atque huc Iſraelitas provocatos eſſe à Syro, quod campo patenti aſſitum eſſet.

v. 28. Repetitur bis ויאמר: Nam ſcriptum eſt (ויאמר אל מלך ישראל ויאמר) Ideò draſam fingunt Judæi: Prima dictione (אמירה) ſignificari illam traditionem victoriæ in populum: altera, non parcendum eſſe Benhadad, ſi incideret in manus ejus. Johanan duplex ויאמר opus habere commentatione dicebat. Hanc draſam putant confirmari, cum infra redarguitur Achab, quod pepercisſet devoto. Nam cum pavidus & trepidus fugitaret de conclavi in conclave, ſervi ejus ad eum dicunt: Audivimus reges domus Iſrael eſſe reges clementes: ſaccos igitur lumbis, funes capitibus induamus: exeamus ad regem Iſrael, forte vitam tibi largietur. Legati ita induti ad Achabum veniunt, rogantes ut vitæ Benhadadi parceret. Cum Achab eum putaret in ſtrage communi periiſſe, miratus ſupereſſe. Si vivat, inquit, frater meus eſt. Hoc verbum animadverſum aſſumunt legati, Frater tuus, Benhadad, inquiunt vivit. Jubet igitur ad ſe adduci. Adductum aſſumit in currum. Fœdus illic initum eſt iis legibus: ut Benhadad redderet urbes, quas pater ejus (vide

1. Reg.

1. Reg. 15. 16.) occupaverat; ut Achab plateas haberet in urbe Damasci, sicuti Benhadad habuerat Samariæ.

Ubi delituerit Benhadad incertum est. In aliquo loco terræ Israel crediderim latuisse, Quid enim opus vitam pacisci, si in tutum evaserat? Jos. *οὕτως γὰρ τὸ παλαιὸν ἱκέτευον οἱ Σύροι:* Hoc habitu Syros olim supplicavisse. Sacci in lumbis (ut Grotius) signum luctus; funiculi circum capita, devotionis. Josephus narrat Achabum porrecta dextera venerantem in currum extulisse, & dato osculo, bono esse animo jussisse. Conditionem de Damasco sic interpretatur: *Καὶ Δαμασκὸν, ὥστε ἐξελαύνειν εἰς αὐτὴν καθὼς καὶ οἱ πατέρες αὐτοῦ εἰς Σαμάρειαν εἶχον τοῦτο ποιεῖν, ἀνήσειν. Et Damascum, ut in ipsam digredi, sicut & ipsius patres in Samariam ita facere jus habuerant, permissurum.* Grotius: *Solent reges securitati suæ prospicere. Quod hic Latinus dixit plateas* חצות *septuaginta vertunt ἐξόδους, origine non abnuente. Intellige munitiones, quibus reprimerentur Damasceni, ne terras Israelitarum posthac irrumperent. Confer.* 2. Sam. 8. 4. Nihil simile. Fœdere deinde icto & jurejurando firmato, Benhadadus egregie donatus dimittitur. Tum quidam è filiis prophetarum (hic præsidebat Elias, ut olim Samuel) dicebat proximo, per verbum Domini, Percute me. Cum recusaret, vates ille (quem Josephus & Hebræi item Theodoretus & Procopius perperam Michæam esse volunt) Quia, inquit, voci Domini non es obsecutus, te digressum à me leo percutiet. משל (inquit Kimchi) על האחאב. Id ita factum est. Percussit, an occiderit, non disputo. Hinc alii occurrens similiter dixit: qui percussit & vulnus dedit, Sic ille vates læsus cinere faciem deturpat. Tum regi illac transeunti acclamat: Servus tuus egressus erat in pugnam, cum ad me quidam hominem adducit meæque custodiæ & fidei tradit. Custodi eum, inquit, si quo pacto desideretur, tu loco illius eris, aut talentum argenti dabis. Cum igitur servus tuus aliis se occuparet, desideratus est. Reddit rex, ita judicium tuum est, ut ipse pronuntiasti. Deterso igitur celeriter cinere, agnoscendum se regi præbet, agnitusque, Sic ait Dominus, inquit, Quia virum anathematis mei, è manibus dimisisti, erit anima tua loco animæ illius, & populus tuus loco populi illius. Ita rex Israel dolens fremensque Samariam petiit. Addit Josephus in carcerem conjecisse prophetam. Petiit propheta ab alio sibi instigi vulnus, ipse sibi non fecit: quod notandum.

Josephus vulnus capitis sibi infligi petiisse prophetam scribit & cranium vulneratum esse. Obvelato & obvoluto capite (tacet de cinere) ad regem venisse. A tribuno (ταξιάρχου) datum in custodiam captivum. *κέχρηται σχήματι πρὸς αὐτὸν τῷ γινομένῳ πρὸς τοὺς μέλλοντας λέγειν: Nomine mutato narratur fabula de te.* איש חרמי interpretatur *βλασφημήσαντα*. Chald. גבר דחייב קטול. Lxx. *ἄνδρα ὀλέθριον:* Vulgatus exprimit *virum dignum morte*. Debuisset, *morti destinatum*, quod sine dubio voluerunt Lxx. Kimchi exponit cum Chaldæo חרימתי: aut virum captivitatis meæ, quia חרם aliquando idem cum רשת. Grotius: *Hostem Israëlis pertinacem. Achabus victoriam non sua virtute sed singulari Dei dono nactus, non debuerat de Adado* (sic loquitur cum Josepho) *aliquid statuere, nisi Deo consulto per Urim ac prophetas.* Ego puto egisse, quod sciret esse illicitum. Sane devotus erat Benhadad cum universis copiis: quod si non est expresse denuntiatum, persecutione Dei fuit indicatum. Qui autem חרם dimittit, animam suam exitio obstringit.

I. Reg. XXI.

UT Achab se anathemati, cum parceret hosti, ita & iræ Dei amplius obnoxium fecit injusta cæde Naboth Jezraëlitæ. Hic enim vineam habebat accubantem palatio (היכל) Achabi regis Samariæ. Palatium illud erat in oppido Jezraël, quod Azaren (leg. Ἰεζράηλαν) appellat Josephus. Rogatus ab Achab erat (Jos. sæpe) ut quantolibet pretio venderet agrum: aut unum è regiis loco illius eligeret. Grotius putat vendi potuisse ad Jubilæum usque. Ultra enim (inquit) certum erat non licere. Si credi possit Jubilæi legem eâ tempestate fuisse observatam. Achab vineam petebat לגן ירק, Lxx. εἰς κῆπον λαχάνων. Kimchi: הוא העשב שהוא מאכל האדם או עשבים שיש להם ריח טוב ומנהג לעשות מהם גן בחצר הבית או אחרי הבית: *Et herba, quæ cibus hominis, aut herba in quibus odor bonus: è quibus mos erat facere hortum in atrio domus aut post domum.* Naboth (Νάβωθος Josepho) respondebat: *Absit à me, ut tibi dem hæreditatem patrum meorum.* Grotius: *Neque lex id permittebat nisi egestate gravi presso. Vide Levitici* XXV. 25. *Deinde naturaliter amamus res avitas.* Non licuit spernere aut levi de causa negligere figuram possessionis cœlestis. Achab domum redit (סר וזעף ut supra v. 43.) Lxx. καὶ ἐγένετο τὸ πνεῦμα Ἀχαὰβ τεταραγμένον, supra reddiderunt συγκεχυμένος καὶ ἐκλελυμένος. Ralbag: וזעף וכעוס מאד. Composuit se lecto, & cibo abstinuit, avertit faciem. Lxx: συνεκάλυψε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ. De decubitu Josephus præterit, balnei abstinentiam addit. Uxor sciscitata de causa morbi intelligit rem. Josephus sic exornat regis narrationem: ὡς χρησάμενος ἐπιεικέσι πρὸς αὐτὸν λόγοις καὶ βασιλικῆς ἐξουσίας ὑποδεεστέροις ὑβρισθείη μὴ τυχὼν, ὧν ἠξίου. Izabel: אתה עתה תעשה מלוכה: Chald. את כען תצלח מלכותך. Lxx: σὺ νῦν οὕτω ποιεῖς βασιλέα. Vulg. *Grandis authoritatis es & benè regis regnum Israel.* Quasi dicat regni vim nescire, qui patitur sibi insultari à subditis. Tacitus annal. lib. XIV. de Poppæa: *Aliquando per facetias incusare principem & pupillum vocare, qui jussis alienis* (matris Agrippinæ) *obnoxius*, non modo imperii sed libertatis etiam *indigeret.* Cæterum Naboth non fuit contumax postulatis principis, sed legis Divinæ reverens. Unde conjicias cum Tyrino, inter idololatras illum quoque Dei cultorem exstitisse. Jubet bono animo esse edere, bibere, solitis curationibus uti, se procuraturam ut vineam Nabothi accipiat. Scribit igitur literas Achabi nomine, quas & illius sigillo obsignat ad seniores & nobiles (החורים) Lxx. ἐλευθέρους Chald. חורביני. Quod Anglicana biblia parum benè vertunt *magistratus.* Jos. τοὺς προεστηκότας τῶν Ἰσραηλιτῶν; malè Rufinus, *Iudices Israëlitarum:* Existimo Iosephum scripsisse Ἰεζραηλιτῶν: quod cum non intelligerent librarii, verterunt Ἰσραηλιτῶν. Scribit, proclamandum esse jejunium & Naboth collocandum in loco honoratissimo populi. Ex adverso statuendos duos viros Belial, qui testimonium dicant: Blasphemasse Deum & regem. Damnatum extra oppidum ducant & lapidationis supplicio tollant. Parent seniores & nobiles, rem ut edocti erant, conficiunt: quod literis significant reginæ. Quæ virum monet de re confecta & sine pretio in possessionem venire vineam. Quorsum proclamatum est jejunium? Kimchi scribit in die התענית) afflictionis, solitos fuisse scrutari opera sua & si esset aliquid obliqui, id corrigere. At patrem suum vocem צום exponere per קבוץ congregationem. Sic Ieremiæ 46. 6. ביום צום: nempe è lingua magistrorum, qui dicunt צומת הגידין idem esse quod קבוץ הגידין *collectio nervorum.* Quærit Kimchi, cur principes illi (השרים והסגנים) maluerint interficere Naboth per for-

formam judicii, quam fubmiffis percufforibus. Cur non nudo juffu reginæ fine (עדות) teftimonio & fine verbo refponfionis (בלא דבר התשובה) Si juffum reginæ indicaffent populo, non permififfent eum fine caufa interimi. Et fi fine judicio Izabel eum voluiffet interficere, non habuiffet jus in vineam. Achab & Izabel fuiffe quidem impios in Deum, quoad idolorum cultum, fed ut raperent vineam, non fuiffe permiffuros Ifraëlitas. Non paffuros fuiffe regem, qui non ftabiliret terram judicio, prohibere tamen ab idololatria non potuiffe, cum fola feptem millia pura effent ab idololatria: idolorum autem cultores longe plurimi: לפיכך בקשה איזבל עלילה שיהיה נבות כי הרוגי מלכות נכסיהם למלך. Occiforum ob regnum bona fifco five regi ceffiffe. Hæc tamen fententia non eft communis omnium magiftrorum, ut teftatur Rafi. Nam quosdam dicere, quod cefferint filiis, ideò Achabum filios quoque Nabothi interemiffe (è 2. Reg. 9. 26.) ut hæreditatem ejus invaderet. Ralbag quærit fi delinquens in regem, bona perderet, quid opus fuerit, addi, quod Deo maledixerit. R. Id factum augendo crimini. Etiam quærit Kimchi cur non ufus fuerit jüre regio, quod habetur. I. Sam. VIII. de fumendis vineis, agris, olivetis? Refpondet autem, Id tantum licuiffe in cafu neceffitatis, & tantum de fructibus non de ipfis agris. Id ex eo probat, quia non dicitur de domibus, quod fcilicet eæ fructum non ferant. Hinc patere כי על הפירות אמר ולא על גוף הקרקע quod de fructibus loquatur, non de corpore fundi. Illi judices nequitiæ Izabel inftrumenta fuerunt, ne dignitate & loco moverentur. In regno Judææ majorem vim fuiffe, quam in regno decem tribuum, ut quidam volunt, nulla probabili ratione confirmari poteft.

Izabel igitur per imaginem juftitiæ & judicii hominibus illufit, non tamen Deo: qui ad regem Jezraelem, ut vineæ poffeffionem caperet, in ipfam vineam mifit: Occidifti & adjifti hæreditatem? Tum: Canes linxerunt fanguinem Naboth, lingent canes fanguinem tuum. Jofephus & alii interpretes fic accipiunt quod in eodem agro, in quo Naboth interiit, periturus effet. Accipi ita poteft ut ad folum Achabum pertinens peculiariter & inde in filium Joram tranflatum. At Jofephus addit Achabi quoque corpus à canibus devorandum effe. Achab indignatus reddit: Inveniftine me, inimice. Excipiebat vates: Inveni te, quia te ipfum vendidifti, ut facias quæ difplicent Domino. Cujus hæ minæ funt: Inducam fuper te malum & pofteros tuos amovebo: delebo de Achab, quod commingit parietem, claufum & derelictum in Ifraël. Domum tuam reddam ut domum Jeroboam & Baafæ: quia me provocafti & Ifraël fecifti peccare. Canes etiam Izabel devorabunt, בחל יזרעאל in propugnaculo Jezraël. (Lxx. ἐν τῷ προτειχίσματι) Qui de Achab morietur in urbe, eum comedent canes, qui in agro, volucres. Similis comminatio & pœna antehac facta fuit Ieroboam & Baafæ. Omnium impietatem fuperavit Achab, cum deaftros expulfarum gentium coluerit, quo impellebatur à fuperftitiofa & imperiofa conjuge. Achab autem, his verbis auditis, ut faciles motus habuiffe videtur, veftem lacerat, faccum induit, jejunio fe affligit. Humi cubat & tardo inceffu inambulat. ויהלך אט: Chald. והליך יחיף: Lxx. ad ejus humiliationem addunt lachrymas: dicunt καὶ ἐπορεύετο κλαίων: Item amictum facco fuiffe eo die, quo Naboth interemerat. Hoc ego capere non poffum, nifi fit affumentum refumptum è v. 16. In quo iidem Græci dicunt Achab audita morte Nabuthæi luxiffe laceratis veftibus & amictum facco. Hic igitur illi interpretes volunt: ob prophetæ verba iterum eum in modum fe compofuiffe, quo prius, ipfa die mortis. Hanc pœnitentiam (inefficacem) Eliæ fignificat Dominus, feque ideò malum illud non tempore illius, fed filii illaturum. Videtur, inquit

quit Kimchi, ſi non pœnituiſſet regem, interiturum fuiſſe à Iehu in agro Iezrael: nunc Deum diſtuliſſe pœnam in tempus filii. Cum anima ipſius fuerit loco animæ Benhadad interemptus eſt in Ramoth & ſanguinem è curru linxerunt canes. Joſephus ſcribit Eliam indicaſſe regi verbum Dei de dilatione pœnæ: quod non habetur in ſcriptura.

Joſephus ſcribit honoratiorem locum conceſſum eſſe Nabotho, in concione. Nam nihil de jejunio: πανημερὸς ἐκκλησίαν, προκαθίσαι (non προκαθῆσθαι) εἶναι γὰρ αὐτὸν γένους ἐπιφανοῦς. Prophetæ objurgaturi acceſſum ita deſcribit: ὡς δ' ἧκε πρὸς αὐτὸν, εἰπόντος τοῦ βασιλέως, ὅτι βούλεται χρήσασθαι αὐτῷ, αἰσχρὸν γὰρ ὄντα ἐπὶ ἁμαρτήματι ληφθῆναι ὑπ' αὐτοῦ, κατ' ἐκεῖνον ἔφη τὸν τόπον, ἐν ᾧ &c. *Vt autem veniebat* (Elias) *ad ipſum (cum dixiſſet rex, ut vellet de ſe ſtatueret: turpe enim, verſantem in peccato deprehendi ab ipſo) Eodem loco, inquit, in quo &c.* Hunc locum, ſuo more omninò pervertit Rufinus. Mens igitur Joſephi pœnitentiam egiſſe, antequam compellaretur à vate: quem advenientem horrebat nec accedere volebat in ipſum locum criminis: juſſiſſe, unde ſe ſtatueret, quod vellet. Ita negat & tollit, quod habetur v. 20 quamvis non agnoſcat aſſumentum v. 16. Quia lætum fuiſſe audita morte Nabuthi ſcribit.

I. Reg. XXII.

Triennium ſine bello inter Iſraël & Syros tranſiit, in quo abſque dubio factum eſt, quod de Nabotho diximus. Illo anno tertio Joſaphat rex Iudææ, qui filio ſuo Ioram filiam Omri (alias Achabi filia dicitur. 2. Chronic. 21. 6.) in matrimonium acceperat, viſit Achab veniens Samariam. Exceptus honorifice & rogatus ab Achab, ut ſibi ſuppetias ferret adverſus Syros, quia Ramoth in Galaad ab ipſis repetitum ibat armis. Eam urbem videtur Benhadad noluiſſe reddere ex legibus federis. Ideò bellum recruduit, quia Achab putabat id ſibi ferendum non eſſe. Ea lege convenit inter reges, ut pari conditione uterque exercitus eſſet tam equitum quam peditum. Ioſaphat igitur copias ſuas è Iudæa advocat. Prius autem quam bellum inirent, Ioſaphat conſuli voluit verbum Domini. Obſervandum non voluiſſe conſuli prophetas Baal ſed Domini. Achab quadringentos pſeudoprophetas cogit: qui uno ore victoriam pollicebantur. At Ioſaphato res ſuſpecta erat, ideo quærit, Eſſetne præter eos propheta aliquis Domini, quem poſſit conſulere? Reſpondet Achab, unum eſſe præter iſtos, per quem Dominus poſſit conſuli: eum autem ſibi inviſum, quia nil niſi malum canere ſoleret. Nomen illi Michæas filius Iemlæ. Redarguit ejus hoc verbum Ioſaphat. Achab miſſo cubiculario celeriter accerſit Michæam. Ambo reges, quilibet in ſuo ſolio ſuoque veſtitu conſidebant, in area ad portam Samariæ: coram illis prophetabant prophetæ. Zedecias, filius Cnaënæ, fecerat ſibi cornua è ferro. His, inquiebat, feries Syros, donec eos obtriveris. Idem canebant omnes prophetæ: Aſcende Ramoth in Galaad: proſpere ages. Nam Dominus in manum tuam tradet. Qui miſſus erat ut vocaret Michæam, En, ait, verbum omnium prophetarum bonum eſt, ſit tuum conforme: loquere bonum. At Michæas, ut, inquit, vivit Dominus quod mihi dicet, eloquar. Cum veniſſet ad reges, Achab ad eum: Michæa, Ibimusne ait Ramoth in Galaad? Michæas autem: Aſcende, inquit. Nam proſpere ages: quia Dominus eos tradet in manum tuam. Achab videns illa verba eadem eſſe cum verbis pſeudoprophetarum, ſuſpicatur, Prophetam ludere: Igitur: Quoties, inquit, te adjurabo, ut nihil mihi dicas niſi verum in nomine Domini? Tum Michæas: Videbam

bam, inquit, totum Israelem, dissipatum in montibus, ut oves destitutas pastore. Dicebat autem Dominus: Hi domino orbati sunt quisque domum suam redeat in pace. Simili isto ostendit eventum prælii. Rex Israël ad Josaphat, Estne ut dixi, non vaticinabitur mihi bonum sed malum. Ex hoc loco Judæi conjiciunt illum, qui Achabo denuntiaverat, permutationem ipsius pro Benhadad fuisse Michæam. Et ideò placuit τοῖς ὁ capitum sedes permutare. Addebat Michæas: Videbam Dominum insidentem throno suo, totumque exercitum cæli, adstantem à dextris & sinistris. Dicebat autem Dominus: Quis Achabo persuadebit, ut ascendat & irruptionem faciat in Ramoth Galaad. Cumque adstantium diversi essent sermones, prodiit spiritus qui consistens ante faciem Domini, Persuadebo, inquit: Dominus, autem qua re? Egrediar & spiritus mendax ero in ore omnium ejus prophetarum. Dominus illi: Persuadebis & prævalebis. Exi, fac ita. Dominus igitur spiritum mendacii posuit in ore omnium horum prophetarum: & locutus est malum adversus te. Zedecias pseudopropheta progressus alapam Michææ impegit: Qua via, inquit, Spiritus Domini à me transiit, ut te alloqueretur? Michæas: Videbis eo die & fugies de conclavi in conclave, ut lateas. At Achab jussit eum reduci ad Amonem, urbis præfectum & Joas filium regis, cum mandato ut inclusus carceri aleretur pane & aqua miseriarum: donec incolumis è bello domum reverteretur. Michæas vero: Si tu ullo modo in pace redieris, Dominus per me non est locutus. Audite id omnes quotquot adestis. Reges in bellum exeunt. Achab voluit ut Josaphat suo vestitu iret, sed ipse habitu mutato prælium iniit. Nam rex Syriæ edixerat præfectis curruum, quos habebat triginta duos, ut solum regem Israël oppugnarent. Hi cum viderent Josaphat regio habitu, eumque regem esse Israel putarent, aggrediuntur Josaphatum: Pressus ille proclamat. Hinc & aliter agnoscunt Achabum non esse: desistunt igitur. At miles quidam nihil minus cogitans, forte jaculatus Achabum inter conjuncturas & loricam trajicit: qui ad aurigam; avehe me ex acie: quia lethale vulnus accepi. Fortiter enim pugnatum est. Regem autem in curru sistunt è regione Syrorum: in quo circa vesperam exspirat. Sanguis autem è plaga affatim confluxerat in sinum currus. Tum proclamatum est per castra, ut quilibet domum suam abiret. Dimisso exercitu regium cadaver Samariam perlatum & illic sepultum. Cum autem currum abluerent, in piscina Samariæ, canes ex verbo Eliæ sanguinem lingunt. Multas urbes Achab condidisse traditur & domum Eburneam, quæ evolute narrata fuerunt in annalibus regum Israël, qui perierunt. In regno succedit Ochozias: quem cum evertere potuisset Josaphat, in federe mansit.

I. Isti prophetæ Achab, quomodo dicuntur prophetæ Domini aut quomodo illud profitentur; cum Izabel prophetas Domini sit persecutus? Videtur quod post datam pluviam publice concessus fuerit cultus Domini. Hinc igitur falsi prophetæ, qui id nomen venditabant. Judæorum Cabbala est: Josaphat agnovisse, quod isti Domini prophetæ veri non essent, quia omnes eodem tenore prædicabant. סגנון אחד עולה לכמה נביאים ואין שני נביאים מתנבאים בסגנון אחד. Sensus est idem argumentum diversis verbis efferri. Adducunt exemplum Obadiæ & Jeremiæ. Obadiæ v. 3. זדון לבך השיאך: *Superbia cordis tui decepit te.* Jerem. 49. 16. תפלצתך השיא אותך זדון לבך. *Terror tuum decepit te, superbia cordis tui.* Hic non idem habitus verborum & orationis est: at quadringenti pseudoprophetæ eadem verborum forma, iisdem literis & syllabis loquuntur. Id putant doceri, cum missus ille dicit ad Michæam eos (פה אחד) uno ore bonum vaticinari. Non verborum forma, sed

ſenſu rerum convenientia ſignificatur. Et mira iſta conſonantia in minimis circumſtantiis monuit ex compoſito rem geri: fucum eſſe & fallacias. Alia etiam produnt mendacium. Joſ. συνεὶς ἐκ τῶν λόγων Ἰωσάφατος ὅτι ψευδοπροφήται περιτυγχάνουσι. Noluit negare quod prophetæ Domini eſſent, ſaltem profeſſione, ſed falſum effutire odoratus eſt.

I I. Scribit etiam Joſephus Achabum narrare, quod Michæas ipſi denuntiaſſet, moriturum in clade à Syris, ideò in carcere haberi. Miſſum ad eum vocat εὐνοῦχον, qui in Hebræo סריס: nec Græca nec Hebræa vox *Spadonem* proprie notat. Adjuratum Michæam à rege: λέγειν τ' ἀληθὲς ὅρκῳ ἐπηρεασθείς. Non refert viſionem de Spiritu malo, quem Deus in tribunali ſedens, emiſerit ad decipiendum per prophetas: ſed regem jam animo volventem & credere incipientem averſum fuiſſe per Sedeciam, qui uſus fuerit duabus rationibus: Primò, Eliæ verbis non convenire hujus vaticinium. Eliam dixiſſe, quod in agro Nabuthi Achabus periturus ſit & illic canes ejus ſanguinem lincturos, hunc diceret, caſurum in prælio cum Syris ante diem tertium. Secundò, hinc quoque experimentum capi poſſe. Infligit ipſi alapam. Si, inquit, Dei propheta eſſet, meam manum areſcere faciat, ut manum Ieroboami vates ille (Iadon vocat) cum adverſus eum manum rex extenderet. Cum igitur nihil Sedeciæ eveniret, animum reſumpſiſſe ut fata impleret. Hæc verè Iudaica fabula eſt. Sedeciæ promiſſum πάλιν καταστρέψειν τὴν Συρίαν. Fugam Sedeciæ à Michæa, de cella in cellam, interpretatur, ζητοῦντα φυγεῖν τῆς ψευδολογίας τὴν δίκην. שר העיר ἄρχοντα τῆς πόλεως vertit, de regis filio tacuit: nomen præfecto facit Ἀχάμωνα. Conveniſſe inter reges, ut Ioſaphat in ſuo habitu iniret prælium, Achabus poſita veſte regia: idque ideo factum ut eluderet vaticinium, de ipſo occidendo, & eum in modum diſpergendis militibus Iſraël: καταστοχαζόμενον ὑπὸ τοῦ Μιχαίου προειρημένα. Εὗρε δ' αὐτὸν τὸ χρεὼν καὶ δίχα τοῦ σχήματος: *Invenit eum fatum etiam ſine inſignibus.* Edictum Syriæ regis ejus argumenti fuiſſe putat, ut neminem alium occideret miles, niſi ſolum regem Iſraëlitarum: Ego ita capio, quod iſte ad necem quæri debeat & ſolus peti, cæteri ut ad ipſum via fieret. Putat prælium commiſſum fuiſſe à mane ad veſperam, antequam rex Iſrael poſſet inveniri. Eum, qui in incertum emiſſa ſagitta regem percuſſit, dicit fuiſſe παῖδα βασιλικόν τινα τοῦ Ἀδάδου, Ἀμανον ὄνομα. Unde id nomen Amanus? Apud Raſi, è traditione ſcribitur fuiſſe Naaman. An hoc idem voluit Ioſephus, qui Iudaicas traditiones aliquando miſcet? Ille ſagittam emiſit בתמו / id eſt בלא מתכוין לאחאב ut non in Achabum intenderet. Dras putat תמו ſignificare duas viſiones, ſcilicet Eliæ & Michææ. Percuſſit inter juncturas & loricam: בין הדבקים ובין השרין: Lxx. ἀναμέσον τοῦ πνεύμονος καὶ ἀναμέσον τοῦ θώρακος. Hoc ſecutus eſt Ioſephus, διὰ τοῦ θώρακος κατὰ τοῦ πνεύμονος. Scribit Achabum celari voluiſſe exercitum, quid factum eſſet, atque ita duraſſe in curru uſque ad ſolis occubitum, tum defeciſſe, & mortuum eſſe. Syros ſe ob noctis ſuperventum in caſtra recepiſſe: præconem (στρατοκήρυκα Lxx. & Ioſ.) regis mortem indicaſſe, atque domum copias rediiſſe. Ego puto notari poſſe è textu v. 35. Quod rex ſit mortuus poſt prælium ſolutum aut ſaltem quod uſque ad prælii finem mors fuerit occultata. Κρήνην dicit in qua abluebatur currus Achabi; ἐν τῇ Ἰσραὴλ κρήνῃ, leg. Ἰεζραήλης. Αἱ δὲ ἑταῖραι λουόμεναι ἐν τῇ κρήνῃ τὸ λοιπὸν λελουμέναι τούτῳ διετέλουν: Exprimere voluit Hebræum וחזנות רחצו / Chald. ומני זינא שטפו, *vaſa armorum laverunt*: Lxx. καὶ αἱ πόρναι ἐλούσαντο ἐν τῷ αἵματι. Si Ioſephi mens non ſit meretrices in poſterum ſe lavare ſolitas in ſanguine vel aqua iſta, quam polluerat, ſanguis Achabi, tum nihil video. At videntur ſenſiſſe Lxx, quod eo ipſo ſanguine ſcorta ſe abluerint

iſto

isto tempore. Belgæ: **Lechten de honden syn bloed / daer de hoeren wiesschen.** Fuit aquarum collectio immunda, qua se lavare solebant meretrices.

III. Deum jussisse narrat Michæas, ut ille malus Spiritus decipiat & persuadeat. Supra hominem aliquid videtur istos homines agitasse. Id apparet sæpe eo usque abripi impios qui Dei Spiritum mentiuntur, ut mendacia sua ipsi credant & dæmone agitante tanquam œstro insaniant. Nugatur Ralbag divinationes illas defluere ab exercitu cælesti. De eo alias.

II. Reg. I. *De Ochozia filio Achab.*

OChozias filius Achab patri successit in idololatria & regno. Nam Izabel matris suæ secutus est instituta. Puniit eum Deus defectione Moabitarum, qui ad hoc usque tempus decem tribuum regno adhæserant, ut Idumæi regno Judææ. Sic divisio cesserat post defectionem Jeroboami. Anno secundo (in hoc finiit) delapsus per cancellos è cænaculo & gravissime læsus, misit Beelsebub consulturos de eventu. Cancellos describit Kimchi: הוא ארובה ואותים אותה בעצים שתי וערב ומניחים נקבים להאיר בבית התחתון ומפני זה נקראת שבכה שהיא עשויה מעשה שבכה שהיא הרשת Lxx. *διὰ τῦ δικτυωτῦ.* Jos. *συνέβη καταβαίνοντα ἀπὸ τῦ στέγυς κατενεχθῆναι, Descendentem è tecto, prolabi evenit.* Accarone id idolum erat. בעל־זבוב *ζεὺς ἀπόμυιος*, inter cognomenta Baal. Hoc oraculum eo tempore admodum celebre fuisse videtur, quia inde nomen *τῷ διαβόλῳ*, principi dæmoniorum. Judæi illudentes appellabant בעל־זבול, *Iovem stercoreum.* Jos. *θεὸν μυῖαν.* Lxx. *Βάαλ μυῖαν θεὸν Ακκαρών*: quem locum Josephus malè cepit: quia nomen idoli non erat *θεὸς μυῖα* sed *Βάαλ μυῖα.* Angelus Domini ad Eliam Thesbiten dicit: Surge, occurre missis regis Samariæ: dic illis: Ideone, quia Deus non est in Israël proficiscimini ad consulendum Beelzebul Deum Accaronis? Ideo ita dicit Dominus: Non descendes è lecto, quem conscendisti, sed morte morieris. Eo dicto abiit. Missi retro reversi regi id nuntiant. Nempe virum obvium habuisse, qui ita fuerit locutus. Rex quærit de viri habitu, suspicatus Eliam esse. Illi referunt, hirsutum, Zona pellicea accinctum. Elias est, inquit. בעל שער, significat hominem fuisse hispidum, ut cum Lxx. accepit Josephus, alii accipiunt de veste. Johannes baptista illo modo vestitus erat: qui habuit vestimentum de pilis camelorum & Zonam pelliceam in lumbis. Kimchi: *Videtur. quod Elia ea tempestate non fuerit cum eo, quia per vices erat in aliquo loco & solus errabat in montibus ob prophetiam.* Quærit etiam quomodo non fuerit agnitus à missis, cum Samariæ aliquando egerit? R. Eos non fuisse Samariæ, cum illic ageret Elias: & ab aliquo tempore non fuisse eum Samariæ, quia illi insidiabatur. ideo Michæam vocatum fuisse à regibus ituris in bellum, in Ramoth Galaad. Misit itaque rex, quinquagenarium cum quinquaginta viris, ut eum adducerent בהכרח, per vim ut videtur inquit Ralbag. Inveniunt confidentem in vertice montis. Eo illi ascendunt. Denuntiat ipsi nomine regis quinquagenarius, ut ad eum veniret. Vir Dei, rex dicit, descende. Cui Elias: Si ego vir Dei sum, ignis de cælo lapsus te cum tuis absumat. Quod cum factum esset & nuntiatum regi, misit alium quinquagenarium cum suis quinquaginta: cujus eadem aggressio, idem casus fuit. At tertius quinquagenarius cum suis hominibus, duorum casu edoctus, accedens in genua provolvitur & supplex orat, ut sui suorumque misereatur, nec in eandem sortem mittat cum superioribus. Josephus violentam aggressionem expressius describit: Jubet venire, ni sponte sua faciat, jussum se, ut vi coactum pertrahat. Porrò *ὁ δ' εἰπὼν πρὸς αὐτὸν διὰ πεῖραν τῦ προφήτυς ἀληθῆς ὑπάρχειν, εὔξασθαι πῦρ ἀπ' ὐρανῦ πεσὸν ἀπολέσαι τὺς*

στρατιώτας καὶ αὐτὸν, εὐχῇ τε πρηστὴρ κατενεχθεὶς, διαφθείρει τόν τε ταξίαρχον καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ. Gelenius reddidit: *Ille præfatus se prodigium editurum quo verus propheta nosceretur & igne ad suas preces cælitus misso, ipsum, unà cum militibus, conflagraturum, malum hoc eis imprecatus est moxque candens turbo delatus centurionem (præfectum) & ejus comitatum perdidit.* Tertium quinquagenarium μυθοποιοὶ, volunt fuisse Abdiam, procuratorem Ochoziæ, qui abhinc discipulus Eliæ fuerit factus, seque tradiderit in ejus regulam & disciplinam. Ad ejus preces Angelus Domini jubet ut abeat, nihil metuens. Abiit igitur cum eo. Regi eadem verba Domini coram annuntiavit: Cui sine liberis decedenti successit frater Ioram. Imperium iniisse scribitur v. 17. anno secundo Ioram regis Iudæ: atqui, ut habetur. 2. Reg. 8. 16. Iorami regis Israel anno quinto Ioram rex Iudæ iniit, cum adhuc esset Josaphat in vivis: Conciliant ita, ut Joram Josaphati filius in collegam assumptus fuerit anno decimo octavo parentis, in gratiam Achab: cujus sororem ducebat. Ut is effectus videatur fuisse profectionis Josaphati ad Achab. Nempe ut affinis regni gubernaculis admoveretur. Facilis sane Josaphat fuit, qui etiam cum primo negasset Ochoziæ societatem negotiationis marinæ, inde se passus est induci. Unde naufragium consecutum est. Biennio fere toto ante mortem videtur Joramo filio regnum in totum tradidisse. Nisi dicendum quod reges in oriente habuerint in more, cum in bellum irent filios adoptare collegas: quod fecerit Josaphat cum auxilium ferret Achabo in Syros. Rasi è Seder olam אלא ראוי היה יהושפט ליהרג ברמות גלעד ובשכר שזעק תלו לו שבע שנים ומאותה שעה הוא מונה לבנו. En Idaicè nugatur debuisse mori in Ramoth Galaad sed quia clamavit, salvatus est. Hinc igitur filio annos imputari. Kimchi vult Josaphat filium collocasse in solio septennio ante mortem, ob dissensionem inter filios, idque videri sibi, quod innuatur. 2. Chronic. 21. 3. Illic enim dicitur, quod Joramo regnum dederit, quia erat primogenitus מה זה צריך לומר זה ידוע כי המלוכה היא לבכור אלא שנראה כי היה מחלוקת בין בניו לפיכך נתן לו המלוכה בחייו Ralbag existimat Josaphat cum filiis Achab regnum habuisse in Israel toto vitæ suæ tempore. Hunc honorem illi habuisse, ideo dici. 2. Reg. 16. In anno quinto Joram regis Israel & Josaphat regis Juda, Hanc sententiam fuse evolvit, Audiamus Martyrem: *Dicitur autem cæpisse imperare anno secundo regni Ieborami filii Iehosaphati. Quod prima fronte pugnare videtur cum ea Chronologia, quam Scriptura demonstrat: quandoquidem ait Iehosaphatum viginti quinque annos regnasse. Memorat etiam Ahaziahu regnare capite decimo septimo vel decimo octavo regni Iehosaphati. Neque plus regnavit Ahaziahu, quam duos annos. Quare mortuus est anno vigesimo Iehosaphat: Cujus regni cum anni quinque superessent, quomodo potuit Ieboramus filius Ahazlahu inaugurari secundo anno Ieborami, filii Iehosaphati. Videtur sane in regnum successisse adhuc vivo Iehosaphato, imò regnasse cum eo quinque annos. Aliqui volunt librariorum errore mendum irrepsisse: sed hoc ego cuneo ad nodos istos dissolvendos minimè utor. Vnde tres aliorum sententias referam. Aliqui dicunt Iehosaphatum, Ieboramum filium suum se vivo instituisse regem, nempe sub initio regni Ahaziahu, qui cum regnasset duos annos, rectè frater ejus dicitur cæpisse regnare anno secundo alterius Iehorami, qui regnabat adhuc suo patre vivo. Cur autem Iehosaphatus tam citò Ieboramum filium suum inaugurari voluerit, duæ possunt causæ assignari. Prima, quod multos habuit liberos, eosque parum inter se concordes. Ideo ne de regno certamen iniretur, voluit rem definiri, & primogenito regnum dedit, aliis verò munera, & quasdam munitas urbes. Alia causa fuit, quod videbat se vocandum ad bellum in Ramoth Gilead: Et cum sit ancipitis eventus & sæpe mortem pugnantibus afferat: priusquam eo veniretur, filium constituit regem. Alii dicunt occiso Achabo Ieboramum filium ejus nondum*

vendum adolevisse, ut posset regnum administrare: quare à Iehosaphato & aliis tutoribus fuisse gubernatum ob affinitatis necessitudinem: Deinde mortuo Iehosaphato duos adhuc annos intercessisse, priusquam Ieboramus Achabi filius regnum per seipsum gubernaret. Et icircò dicitur cæpisse imperare anno secundo Ieborami filii Iehosaphati. In libro verò סדר *scribitur, Iehosaphatum, cum à Syris in prælio esset capiendus, revera fuisse occidendum eo nomine, quod impio tulisset auxilium: at Deum clamantem ad se audivisse ac ejus vitæ adjecisse aliquot annos, sed ita ut non ipsi, verum Ieboramo filio ejus adscriberentur, Atque ita factum esse, ut frater Ahaziahu scribatur cæpisse regnare anno secundo Ieborami filii Iohesaphati.*

Theodoretus quærit quid sit *δικτυωτὸν ὑπερῷον*? Respondet, *οἶκος ἦν ὥρᾳ θέρους ἐπιτήδειος, πολλὰς ἔχων φωταγωγοὺς δικτυοειδῶς κατεσκευασμένας, ἃς δικτυωτὰς ὀνομάζουσιν οἱ πολλοί. Erat domus tempore æstatis accommoda habens multas fenestras instar retis constructas, quas multi appellant perforatas.* Atqui in Græco textu non est *δικτυωτὸν ὑπερῷον* sed *διὰ τοῦ δικτυωτοῦ ἐν τῷ ὑπερῴῳ.* Idem *Βάαλ μυῖαν* ita accipit, quasi fuerit animalculi istius figura idolum. *Ἄξιον δὲ θρηνῆσαι τῶν δυσσεβῶν τὴν ἀλογίαν· οὐ γὰρ μόνον τὰ μέγιστα τῶν ζώων ἐθεοποίησαν, ἀλλὰ καὶ τὰ σμικρότατα καὶ εὐτελέστατα καὶ μύσους μεστά. Τί γὰρ μυσαρώτερον μυίας; ἀλλ' ὅμως τὴν εἰκόνα ταύτης θεὸν ἀπηγόρευσαν, καὶ τὸν ὄντως καταλελοιπότες θεὸν, τὸ αὐτῆς ἴνδαλμα περὶ ζωῆς ἐπηρώτων. καὶ ἣν ζῶον τῶν ῥιπῖσιν ἐλαύνουσι, ταύτης τὸν τύπον θεὸν προσηγόρευσαν.* At verosimilius quod in muscis abigendis beneficium præstiterit aut officium habuerit. Ut apud Pausaniam in Eliacis Hercules *ἀπόμυιος*, quia muscas pepulisset. Deinde prophetam non posse accusari crudelitatis, quod duos quinquagenarios cum suis militibus cælesti igne absumpserit. *Τολμηρὸν ἄγαν τὸ νεμεσῆσαι τῆς θείας οἰκονομίας, Nimiæ audacia est divinæ irasci dispensationi.* Duos illos, qui interierunt convenisse cum scopo mittentis, *συμβαίνοντες τῷ σκοπῷ τοῦ πεπομφότος.* Tertium pietate & fide ornatum & experientia edoctum de virtute prophetæ, *ἠπίοις λόγοις χρησάμενον τὴν τιμωρίαν διαφυγεῖν, usum verbis placidis effugisse supplicium.* In prophetæ illius munere continebatur & ministerio Spiritus, quem habebat, suppliciis adversantes persequi, ut indicat Dominus Luc. IX. 54. 55. 56.

II. Reg. II. *Eliæ translatio.*

AD primos annos Jorami regis Israel pertinet Eliæ translatio. Cum ea immineret, forte Elias & Elisæus simul ambulabant è Galgalis. Tum Elias ad Elisæum, hic consiste: Nam Dominus me Bethel ire jussit. Elisæus asseveratione ad vitam Dei & Eliæ asserit se non discessurum ab ipso. Simul igitur Bethel abeunt. Filii prophetarum illius loci egressi loquuntur cum Elisæo: Scin' Dominum à capite tuo hodie sublaturum esse Dominum tuum. Ille, Scio, inquit, silete. Hic Elias iterum ad Elisæum: Consiste hic, Dominus me misit Hierichuntem. Elisæus reddit sub eadem asseveratione, se non discessurum. Hierichuntem igitur ambo adveniunt: ubi quoque prophetarum filii ad Elisæum: Scin' Dominum hodie dominum tuum à capite tuo ablaturum: Quibus ille: Scio silete. Tertio Elias hic ad illum: Hic subsiste: nam Dominus misit me ad Jordanem. Tertio ille asserit se non discessurum ab illo. Ambo igitur abeunt. Abeuntes à tergo sequuntur quinquaginta de filiis prophetarum: qui consistunt eminus. Cum ad Jordanem venissent, Elias pallio involuto percussit aquas: quæ divisæ siccam in medio semitam, aperuerunt: qua cum transissent in adversam ripam, Elias ad Elisæum, Pete, quod faciam, priusquam à te attollar. Elisæus petiit sibi duplicem portionem Spiritus prophetici, quem habuerat. Quod arduum esse Elias dicebat, eventurum

tamen, si videret suis oculis sublimem à se attolli: si non videret, non eventurum. Pergentibus inter colloquendum igneus currus cum igneis equis adstabat, qui inter utrumque divisionem facit. Eum in modum Elias per turbinem in cælum subvectus est. Videbat eum subvehi Elisæus, qui proclamabat: Pater mi, Pater mi, currus Israel & ejus equitatus. Sic ex oculis sensim subducitur. Accipit vestimenta sua eaque lacerat in duas partes: quod signum mæroris. Sustulit etiam Eliæ pallium quod ab ipso deciderat. Ad Jordanem reversus, dicebat, ubi est Dominus Deus Eliæ, etiam ipse? Simul pallio Eliæ aquas percussas divisit, ut medium transitum darent. Cum transisset, viderunt eum filii prophetarum, qui ex opposito Hierichunte erant. Spiritus Eliæ (inquiebant) recumbit in Elisæo: occurrunt & salutant venerabundi. Tum ad eum: En inter servos tuos quinquaginta viri expediti sunt, eant dominum tuum quæsituri: si forte eum Domini Spiritus sustulit demisitque alicubi vallium aut montium. Ipse dicebat, eundum non esse. Cum autem urgerent cogerentque, permisit. At hi omni vicina regione diligenter perlustrata, toto triduo, eum non inveniunt. Redeunt igitur ad eum Hierichuntem. Oppidani Elisæum adeunt: En habitatio hujus oppidi bona est, ut dominus videt, sed aqua mala & terra sterilis. Jussit afferri vas novum (צלוחית חדשה) cum sale. Cum illo vase egressus, in fontem aquarum salem injicit, adjicitque: Sic ait Dominus, Has aquas sanavi: non erit in eis mors aut sterilitas. Abhinc aquæ salubres fuerunt. Inde iter faciens versus Bethel: puerulos obvios habet, qui per ludibrium acclamabant: Ascende calve, ascende calve. Conversus & intuitus maledicit eis in nomine Domini. Duo igitur ursi è saltu proximo, illati in puerulorum turbam, quadringinta duos dilaniant. Inde in montem Carmelum abiit, è Carmelo reversus est Samariam.

v. 1. השמים pro שמימה versus & usque in cælum. בהעלות, cum eum mox elevaturus esset. Lxx. ἐν τῷ ἀνάγειν, at sensum expressit Vulgatus: *cum levare vellet.* בסערה, Lxx. ἐν συσσεισμῷ, Vulg. Per turbinem. Non fuit turbo, cum igne & igneo curru, cum in solo terræ Eliam reciperent sed quando receptus in altum efferebatur: ut patet in v. XI.

v. 2. *Conside hic*, Ter Elisæum conatus est avertere: aut ter affectum ejus tentavit. Rasi dicit voluisse avertere, ex affectu calido mansuetudinis, ne conspiceretur ascendere. Apparet Deum per Spiritum prophetiæ revelasse Eliæ, quod eo die & ubi sursum recipiendus esset. Aliquid revelatum fuerat Eliæ & filiis prophetarum in Bethel & Hierichunte. Sed Elias & prophetarum filii ignorabant rem eam retectam esse Elisæo. Scire enim non potest hic propheta, quid alii Deus aperire voluerit, nisi & hoc ipsum aperiatur. *Misit me Bethel*, Partem suæ missionis, non totam missionem aperit. Sic aliam & aliam partem posteà.

Johannes Hierosolymitanus & ex eo Salianus fusè depingunt abitum Eliæ à suis Monachis, quibus Elisæum successorem commendaverit. Quod quomodo consistit, si transitum ejus filii prophetarum ignorasse putent Elisæum? Ipse Salianus dicit: *Nec putandum est ideos ab Elia didicisse. Non enim dixisset Elias cæteris discipulis, quod omnium præcipuo Elisæo tacuisset.* Sed placet ipsis ubique invenire loca religiosa & religiosos, ut appellant.

Quæ forma pallii fuerit, quam Elias gestavit, curiose quæritur. Abulensis contendit fuisse è pilis camelinis, Johannes Hierosolymitanus fuisse ex ovinis scribit. Serarius Johanni credit fuisse laneum & coloris albi: quale gestant Monachi ordinis Carmelitarum. Johannes describit fuisse vestem rotundam à collo usque ad medias tibias, totum corpus operientem, anterius apertam, sed

alibi

alibi undique clausam, superius angustam, inferius amplitudine expansam. Non fuit ad certæ regulæ modum, sed ut communiter gestare solebant homines, quamvis è pilis, ut in more erat prophetarum. Zachar. XIII. 4. *Non induentur pallio è pilis ad mentiendum.* Pallium propheticum commune erat omnibus prophetis, non fuit proprium ordini Carmelitarum, id est illis prophetis, qui in Carmelo monte habitabant. Quæres: si fuit communis habitus Eliæ, quomodo (in cap. 1.) ex eo conjicit virum istum fuisse Eliam? Potuit enim alius de tanto numero prophetarum esse. R. Habitus propheticus cum verborum illa fiducia conjunctus, indicabat virum. Deinde & illud dici potest, quod Zona pellicea illi fuerit propria. Notam alteram facit, quod fuerit ipse pilis horrens & hispidus. Nisi significet χιτῶνα λάσιον seu τρίχινον. Sed aliud est χιτὼν, aliud pallium: quod hic LXX. vocant μηλωτήν. Aliud est שק seu cilicium. Addo, si fuit communis habitus Carmelitarum ordinis, quo modo Eliam notare potuit? Ad regulam igitur sui vestitus illos prophetas in Carmel non adstrinxerat.

Semelne tantum an iterum Elisæus pallio percusserit aquas Jordanis non patet. Utrumque & Eliam & Elisæum orationem cum percussione & fide conjunxisse res loquitur. Quamvis de solo Elisæo exprimatur. Verba Elisæi non sunt diffidentiæ sed plenissimæ fiduciæ: ubi est Deus Eliæ, Etiam ipse? LXX: Πῦ ὁ θεὸς Ἠλιοὺ, ἀφφώ. Reliquerunt sine interpretatione אף הוא. Theodoretus existimat, cum ad primam percussionem aqua non obediret, cum his verbis prophetam secundò percussisse: διαβῆναι βυληθεὶς τὸν Ἰορδάνην ὁ προφήτης καὶ τῇ μηλωτῇ τὸ ὕδωρ ἐπάταξεν ὥσπερ εἴρηκεν, ἀλλ' ἀποτρέχειν νομίσας εἰς θαυματουργίαν τὴν μηλωτήν. Ἐπειδὰν δ' οὐχ ὑπήκουσε τῶν ὑδάτων ἡ φύσις τὸν τοῦ διδασκάλου θεὸν τὸν τοῖς ἀνθρώποις ἀόρατον ἐκάλεσεν. Ἀφφὼ γὰρ ὁ κρύφιος ἑρμηνεύεται κατὰ τὴν ἔκδοσιν τῶν ἄλλων ἑρμηνευτῶν. Verba textus: (v. 14.) Accipiebat pallium (אדרת) Eliæ, quod ipsi deciderat & percutiebat aquam & dicebat, Ubi est Dominus Eliæ? Etiam ipse: & percutiebat aquam & dividebatur &c. Incertum est adhæreatne illud אף הוא sequentibus an antecedentibus verbis. Distinctio Hebraici accentus discriminat ab antecedentibus. Sic Judæi magistri accipiunt. Ralbag interpretatur: Etiam ille quando percussit aquas: confestim huc & illuc dividebantur. Kimchi: Etiam illud factum est Elisæo: qui precatus erat, ut sibi fieret, quod erat Eliæ factum. Ralbag putat semel ab Elisæo aquas esse percussas, Kimchi bis nempe ante & post illa verba. Kimchi scribit quosdam illud הוא de Elia interpretari, quia spiritualis erat. Ipsum percussisse & viam fecisse Elisæo. In Dras אף הוא docere, quod facta fuerint miracula ab Elisæo in fissione Jordanis magis, quam ab Elia. Nam prima fissione merito amborum, fissione secunda merito unius sancti factam esse. Et sic dici: Sit quæso duplex portio de spiritu tuo super me. Hinc posse commentum institui: Octo miracula per Eliam, sedecim per Elisæum. Id commentum refert Rasi è capitulis R. Eliezer filii R. Jose Galilæi גדולה חציית אלישע כפלים כשל אליהו שבתחלה זכות שניהם ועכשיו זכותו יחידי. Alii, *Etiam ille*, connectunt anterioribus: Omninò ille, ut הוא notet eum, qui non exprimitur; ὁ δεῖνα: quod voluit ille qui reddidit κρύφιος. Græci mire exposuerunt ἀπφὺς & ἀπφὼ seu ἀφφώ. Exposuerunt πατρὸς ἡ διπλασίων χάρις: Item, πατὴρ ἡ πολύμαθος ἀγίου ἡ δι' ἡμᾶς ἐνέργεια: Item ἀντὶ τοῦ νῦν. Quæ nauci non sunt. Mirum, quod vatum filii (id est discipuli) velint inquirere, an forte depositus esset Elias, cum sciverint eo die tollendum esse? R. Kimchi: Nesciebant tollendum esse in cælum sed forte separandum in aliquem peculiarem locum, ut cum quadraginta diebus & noctibus fuit in monte Dei. Et sic forte sæpius factum. Ego dixerim quod ab-

abreptum fuisse putaverint, ut moreretur, adeoque separata anima abjiciendum cadaver in terram. Ventus nempe abstulerat, quem putabant eum in terram dejecturum. Rasi nugatur, cum Eliæ abitu Spiritum prophetiæ defiisse nec tam fuisse copiosum in Israël.

Elisæus Sale injecto sanat aquas, ut salubri aëri & habitationi commoditas esset aquarum. Sale injecto, id est, ut Kimchi loquitur: נס בתוך נס הוא: *Miraculum in miraculo*. Sic per lignum amarum amaras aquas dulces esse redditas dicunt. Ralbag novam lagenam voluisse, ne quis medicamen in ea fuisse cavillaretur. Hoc secundum Elisæi miraculum, qui tanquam filius primogenitus duas portiones spiritus accepit. Communis veterum interpretatio fuit quam & sequitur Salianus. Non superavit magistrum sed hæres fuit ex præcipua parte. Quo Elias raptus sit disputatur: Pontificii alii in paradisum terrestem, alii in peculiarem locum: nos in cælum raptum esse nulli dubitamus. Josephus scribit incertum esse, an mortuus fuerit. Jos. κατ᾽ ἐκεῖνον δὲ τὸν καιρὸν, Ἠλίας ἐξ ἀνθρώπων ἠφανίσθη. Καὶ οὐδεὶς ἔγνω μέχρις τῆς σήμερον αὐτοῦ τὴν τελευτὴν &c. Περὶ μέντοιγε Ἠλία καὶ Ἐνώχου τοῦ γενομένου πρὸ τῆς ἐπομβρίας ἐν ταῖς ἱεραῖς ἀναγέγραπται βίβλοις, ὅτι γεγόνασιν ἀφανεῖς. θάνατον δ᾽ αὐτῶν οὐδεὶς οἶδεν. Kimchi scribit igne elementari corpus ejus combustum esse & in sua elementa rediisse, ipsum factum esse spiritualem. Alias ex communi Judæorum sententia in Paradisum primi Adami abiisse cum corpore. Dras dicere quod decem sint in horto Eden. Locus, in quo Elias est è terris sublatus, non exprimitur, sed Kimchi putat quod fuerit idem ille, in quem collectus est ad patres Moses. Nempe id ideo sic factum esse, quod esset vicinus magnitudini Mosis, & in honorem ejus.

Elisæum plura non tantum miracula fecisse sed & majori dono Spiritus prophetici polluisse contendunt illi, qui פי שנים duplicem portionem capiunt in comparatione ad Eliam, ut Judæi in commentis & ut patres eorumque sequaces. De sanatione aquarum Hierichuntis & fonte Elisæi Josephus prolixe scribit lib. 5. Haloseos, ubi & summopere agri istius bonitatem celebrat. Παρὰ τὴν Ἱεριχοῦντα, ἐστι πηγὴ δαψιλής τε καὶ πρὸς ἀρδείας λιπαρωτάτη, παρὰ τὴν παλαιὰν ἀναβλύζουσα πόλιν, ἣν Ἰησοῦς ὁ Ναυῆ παῖς στρατηγὸς Ἑβραίων, πρώτην εἷλε γῆς Χαναναίων δορίκτητον. Ταύτην τὴν πηγὴν λόγος ἔχει κατ᾽ ἀρχὰς οὐ μόνον γῆς καὶ δένδρων καρποὺς ἀπαμβλύνειν ἀλλὰ καὶ γυναικῶν γονάς. Καθόλου τε πᾶσιν εἶναι νοσώδη τε καὶ φθαρτικὴν, ἐξημερωθῆναι τε (forte δὲ) καὶ γενέσθαι τοὐναντίον ὑγιεινοτάτην καὶ γονιμωτάτην, ὑπὸ Ἐλισσαίου τοῦ προφήτου. Γνώριμος δ᾽ ἦν οὗτος Ἠλία καὶ διάδοχος, ὃς ἐπιξενωθεὶς τοῖς κατὰ τὴν Ἱεριχοῦντα, περισσὸν δή τι φιλοφρονησαμένων αὐτὸν τῶν ἀνθρώπων. αὐτούς τε ἀμείβεται καὶ τὴν χώραν αἰωνίῳ χάριτι. Προελθὼν γὰρ ἐπὶ τὴν πηγὴν καὶ καταβαλὼν εἰς τὸ ῥεῦμα πλῆρες ἁλῶν ἀγγεῖον κεράμου, ἔπειτα εἰς οὐρανὸν δεξιὰν ἀνατείνας δικαίαν, καὶ πηγῇ σπονδὰς μειλικτηρίους χεόμενος, τὴν μὲν ᾐτεῖτο μαλάξαι τὸ ῥεῦμα καὶ γλυκυτέρας φλέβας ἀνοῖξαι· Τὸν δὲ ἐγκεράσασθαι τῷ ῥεύματι γονιμωτέρους ἀέρας, δοῦναί τε ἅμα καὶ καρπῶν εὐθηνίαν τοῖς ἐπιχωρίοις καὶ τέκνων διαδοχὴν, μηδὲ ἐπιλιπεῖν αὐτοῖς τὸ τούτων γεννητικὸν ὕδωρ, ἕως μένουσι δίκαιοι· Ταύταις ταῖς εὐχαῖς πολλὰ προσχειρουργήσας, ἐξ ἐπιστήμης, ἔτρεψε τὴν πηγὴν καὶ τὸ πρὶν ὀρφανίας αὐτοῖς καὶ λιμοῦ παραίτιον ὕδωρ ἔκτοτε εὐτεκνίας καὶ κόρου χορηγὸν κατέστη. Τοσαύτην γοῦν ἐν ταῖς ἀρδείαις ἔχει δύναμιν, ὡς εἰ καὶ μόνον ἐφάψαιτο τῆς χώρας, ὀνησιμώτερον εἶναι τῶν μέχρι κόρου χρονιζόντων. παρὸ καὶ τῶν μὲν δαψιλέστερον χρωμένων; ἡ ὄνησίς ἐστιν ὀλίγη τούτου δὲ τοῦ ὀλίγου δαψιλής· ἄρδει γοῦν πλέονα τῶν ἄλλων ἁπάντων, καὶ πεδίον μὲν ἐπεισιν ἑβδομήκοντα σταδίων μῆκος, εὖρος δὲ εἴκοσιν, ἐκτρέφει τε ἐν αὐτῷ παραδείσους καλλίστους τε καὶ πυκνοτάτους; τῶν δὲ φοινίκων ἐπαρδομένων γένη πολλὰ ταῖς γεύσεσι, καὶ ταῖς προσηγορίαις διάφορα. τούτων οἱ πιότεροι πατούμενοι, καὶ μέλι δαψιλὲς ἀνιᾶσιν, οὐ πολλῷ τοῦ λοιποῦ χεῖρον, καὶ μελιττοτρό-

φος

φος δὲ ἡ χώρα· φέρει ἥ τε καὶ ὀποβάλσαμον, ὃ δὴ τιμιώτατον τῶν τῇδε καρπῶν, κύπρον τε καὶ μυροβάλανον, ὡς οὐκ ἂν ἁμαρτεῖν τινα εἰπόντα, θεῖον εἶναι τὸ χωρίον. ἐν ᾧ δαψιλῆ τὰ σπανιώτατα καὶ κάλλιστα γεννᾶται. τῶν μὲν γὰρ ἄλλων αὐτοῦ καρπῶν ἕνεκεν, οὐκ ἂν ῥαδίως τι παραβληθείη κλίμα τῆς οἰκουμένης, οὕτω τὸ καταβληθὲν πολύχουν ἀναδίδωσιν. αἴτιον δέ μοι δοκεῖ τὸ θερμὸν τῶν ἀέρων, καὶ τὸ τῶν ὑδάτων εὔγονον, τῶν μὲν προκαλουμένων τὰ φυόμενα, καὶ διαχεόντων, τῆς δὲ ἰκμάδος ῥιζούσης ἕκαστον ἰσχυρῶς, καὶ χορηγούσης τὴν ἐν θέρει δύναμιν. περικαὲς δέ ἐστιν οὕτω τὸ χωρίον, ὡς μηδένα ῥαδίως προσιέναι· τὸ δὲ ὕδωρ πρὸ ἀνατολῆς ἀντλούμενον, ἔπειτα ἐξαιθριασθὲν γίνεται ψυχρότατον, καὶ τὴν ἐναντίαν πρὸς τὸ περιέχον φύσιν λαμβάνει. Χειμῶνος, ἀνάπαλιν χλιαίνεται, καὶ τοῖς ἐμβαίνουσι γίνεται προσηνέστατον. ἔστι δὲ καὶ τὸ περιέχον οὕτως εὔκρατον, ὡς λινοῦν ἀμφιέννυσθαι τοὺς ἐπιχωρίους, νιφομένης τῆς ἄλλης ἰουδαίας, ἀπέχει δὲ ἱεροσολύμων μὲν σταδίους ἑκατὸν πεντήκοντα, τοῦ δὲ Ἰορδάνου ἑξήκοντα· καὶ τὸ μὲν μέχρι ἱεροσολύμων αὐτῆς ἔρημον καὶ πετρῶδες. Τὸ δὲ μέχρι τοῦ ἰορδάνου, καὶ τῆς ἀσφαλτίτιδος, χθαμαλώτερον μὲν, ἔρημον δὲ ὁμοίως καὶ ἄκαρπον. ἀλλὰ τὰ μὲν περὶ ἱεριχοῦντα εὐδαιμονεστάτην οὖσαν ἀποχρώντως δεδήλωται. *Ad ipsam vero Hiericho largissimus fons est, rigandisque arvis uberrimus, juxta veterem scaturiens civitatem: quam Iesus Nave filius, Hebræorum ductor, primam in Chananæorum terra bello possederat. Hunc fontem aliquando ferunt non solum terræ atque lignorum fructus, sed etiam fœminarum partum obtundere solitum, cunctaque pariter morbo ac peste corrumpere. Postea verò mansuevisse, contraque saluberrimum ac feracissimum esse factum ab Helisæo propheta: qui Heliæ notus* (familiaris) *fuerat atque successerat. Receptus enim hospitio ab Hierichuntinis habitatoribus, quod humaniores eos expertus erat, ipsos & omnem regionem illam perpetua gratia remuneratus est; progressusque ad fontem, lagenam fictilem salis plenam in profluentem aquam misit. Iuxta deinde ad cœlum dexteram* (justam) *tendens, fontique immergens* (fundens) *blanda libamina: ipsum quidem precabatur ut fluenta leniret, ac dulciores aquarum venas aperiret: Deum vero ut fœcundioribus auris flumina temperaret, orabat: tamque ubertatem fructuum quam successionem prolis daret indigenis nec eos genitrix filiorum aqua deficeret, quoad justi manerent: Ad has preces ex disciplina manibus quoque multa operatus, fontem immutavit: & qui antea causa erat his orbitatis ac famis, idem victus ac fœcunditatis autor est effectus. Denique rigationis ejus tanta potentia est, ut si attigerit modo terram, sapidior fit, aquis diu perseverantibus. Vnde eo quæ largius abutuntur, exiguum emolumentum habent: quæ vero parcius plurimum. Amplius tamen quam cæteri fontes latam planitiem permeat, optimos autem in ea paradisos ac densissimos educat, palmarumque irriguarum genera, tam sapore quam nominibus varia: quarum pinguissimæ calcibus pressæ, plurimum mellis emittunt, non multum alio melle deterius: quanquam & mellis altrix est illa regio, & opobalsami ferax, qui omnium carissimus est fructus ibi nascentium. Itemque cyprum & myrobalanum gignit: ut qui divinum esse illum tractum dixerit, non erraverit. Vbi & larga & optima generantur quæ sunt carissima. Sed nec in aliis ei fructibus aliqua facile toto orbe regio certaverit: adeo multiplicatum quod satum est reddit. Cujus rei causa mihi videtur esse aquarum vis læta, & aëris calor: cum hic provocet, quæ nata fuerint, atque diffundat: liquor autem firmis singula radicibus stringat, viresque suggerat æstivo tempore: quo sic perusta est illa regio, ut nihil facile procedat ac pullulet. Aqua tamen si ante solis ortum hauriatur, auræ spiritu refrigescit, naturamque contrariam aëri sumit: hyeme verò contepescit, eaque mensis mitissima efficitur. Tanta est autem cœli temperies, ut quo tempore in alia Iudææ regione ningit, lino illic tantum indigenæ vestiantur. Distat autem ab Hierosolymis CL. stadiis, & ab Iordane stadiis LX totumque habet ab Hierosolymis spatium desertum atque saxosum: ad Iordanem verò & lacum Asphaltitem, licet humilius, æquè tamen incultum ac sterile. Sed de Hiericho quam sit fortunatissima satis dictum est.*

1. Notabis Josephum appellare fontem πηγὴν, quem scriptura מוצא המים. Sed scribit fontem illum irrigare campum longo latoque spatio.

2. Justitiæ meritum tacite innuere, δεξιὰν δικαίαν.

3. Fontem illum non tantum stirpes & terram sed & homines fecundare: quod absonum.

4. Absurdius quod libamina suavia in fontem dicit immisisse & precatum esse non tantum Deum sed & fontem. Hic gentilismus est.

5. Similis insaniæ est, quod ex scientia manibus multa operatum fuisse referat, quasi magus fuisset.

6. Voluisse & precatum esse, ut aqua salubris esset & illius efficaciæ, donec incolæ justi essent.

Deinde multis prædicat & ostendit regionis ubertatem & opes. Hierichus planities erat in qua palmetum & balsami paradisus & regia, ut describit Strabo: Ἱερικοῦς δ' ἐστὶ πεδίον κύκλῳ περιεχόμενον ὀρεινῇ τινι καί που καὶ θεατροειδῶς πρὸς αὐτὸ κεκλιμένη. Ἐνταῦθα δ' ἐστὶν ὁ φοινικὼν, μεμιγμένην ἔχων καὶ ἄλλην ὕλην, ἥμερον καὶ εὔκαρπον, πλεονάζων δὲ τῷ φοίνικι, ἐπὶ μῆκος σταδίων ἑκατὸν, διάρρυτος ἅπας καὶ μεστὸς κατοικιῶν. ἔστι δ' αὐτοῦ καὶ βασίλειον καὶ ὁ τοῦ βαλσάμου παράδεισος. Ἔστι δὲ τὸ φυτὸν θαμνῶδες, κυθίσῳ ἔοικος καὶ τερμίνθῳ, ἀρωματίζον: οὗ τὸν φλοιὸν σχίζοντες, ὑπολαμβάνουσιν ἀγγείοις τὸν ὀπὸν, γλίσχρῳ γάλακτι παραπλήσιον. Ἀναληφθεὶς δ' εἰς κογχάρια λαμβάνει πῆξιν· λύει δὲ κεφαλαλγίας θαυμαστῶς καὶ ὑποχύσεις ἀρχομένας καὶ ἀμβλυωπίας. Τίμιος οὖν ἐστι καὶ ὅτι ἐνταῦθα μόνον γεννᾶται. Καὶ ὁ φοινικὼν δὲ τοιοῦτος ἔχων τὸν καρυωτὸν φοίνικα ἐνταῦθα μόνον, πλὴν τοῦ Βαβυλωνίου καὶ τοῦ ἐπέκεινα πρὸς τὴν ἕω. Μεγάλη οὖν ἀπ' αὐτῶν ἡ πρόσοδος. Καὶ τῷ ξυλοβαλσάμῳ δὲ ὡς ἀρώματι χρῶνται. Tacitus hist. v. *Exuberant fruges nostrum ad morem præterque eas, Balsamum & palmæ. Palmetis mira proceritas & decor. Balsamum modica arbor. Ut quisque ramus intumuit, si vim ferri adhibeas pavent venæ: fragmine lapidis aut testa aperiuntur.* De balsamo, opobalsamo & xylobalsamo Plinius cap. 12. cap. 25. de palmis lib. 13. cap. 12. Ubi inter alia annotat palmarum fructiferarum undequinquaginta esse genera: 1. Regias sive Bagou: 2. syagros. 3. margarides: 4. sandalides: 5. Caryotas. *Ab his*, inquit, *caryotæ maxime celebrantur & cibo quidem sed & succo uberrimæ. Ex quibus vina orienti, iniqua capiti; unde pomo nomen. Sed ut copia ibi atque fertilitas, ita nobilitas in Iudæa, nec in tota sed Hierichunte maxime. Quanquam laudatæ & Archelaide & Phaselide atque Liviade gentis ejusdem convallibus. Dos his præcipua, succo pingui lactentibus, quodamque vini sapore in melle prædulci. Sicciores in hoc genere Nicolai, sed amplitudinis præcipuæ, quaterni cubitorum longitudinem efficiunt. Minus speciosi sed sapore caryotarum sorores; hoc ob adelphides dictæ, proximam suavitatem habent non tamen eandem.* Constat nobis palmarum caryotarum arbores fuisse Hierichunte ante emendationem aquarum, quam fecit Elisæus. Nam arbores istæ salsum diligunt solum. *Ergo* (inquit Plinius) *ubi non est tale, salem aspergunt, non radicibus, sed longius paulo.* Optime igitur provenerunt in solo salso: nec solum est mutatum ab Elisæo, sed venæ aquarum, quæ per salsum solum decurrebant. Atque ita fuit illustrius miraculum. Id hactenus interpretes non observarunt. Aqua dulci homines & sata ali potuerunt post illud Elisæi miraculum quamvis solum salsedine per naturam suam infestum esset. κακοζηλία Pontificiorum salem infantibus tingendis & aquis lustralibus adhibet, ut Abulensis & Durandus testantur. *Mirum eos*, inquit Martyr, *interdum non uti ficubus, eo quod Esaias aliquando eas adhibuerit cum Ezechiæ sanaret ulcus.* Vide illum.

SUL-

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

Cap. LXVIII.

AT in parte duarum tribuum Iosaphat rege defuncto Ioram filius regnum tenuit annos duodeviginti. Is Achab filiam uxorem duxit, socero quam patri propior. Post hunc Ochozias filius imperium adeptus est. Hoc regnante Helias translatus refertur. Eodem tempore Helisæus discipulus ejus multis signis potens exstitit: quæ omnia notiora sunt, quam ut nostro stylo egeant. Ab eo est viduæ filius resuscitatus, Syrius lepra purgatus. Famis tempore, omnium rerum copia, fugatis hostibus invecta, in usum trium exercituum aquæ præbitæ: de exiguo olei immodicis incrementis solutum mulieris debitum & ipsi sufficiens vivendi substantia data. Hujus temporibus, ut diximus, Ochozias duarum tribuum erat rex: decem vero Ioab, ut supra retulimus, imperabat. Interque eos fœdus ictum. Nam & adversus Syros junctis viribus bellatum: & adversum Iehu, qui per prophetam in regem decem tribuum unctus fuerat, pariter in prælium egressi, eadem pugna interiere.

Drusius.

ANNIS DUODEVIGINTI] Id est octodecim cum octo tantum regnaverit, 2. Peralip. 21. 5. *Triginta duorum annorum erat Ioram cum regnare cœpisset & octo annis regnavit in Ierusalem.* Si fides habenda Davidi Camio, Joram iste una cum patre regnavit annis septem. Siquidem Joram rex decem tribuum cœpit regnare anno secundo hujus Jorami 4. Reg. 1. qui erat decimus octavus Josaphati 4. Reg. 3. 1. Josaphat autem regnavit annis XXV. Adito sis ad commentarium ejus in hunc locum.

POST HUNC OCHOZIAS] Qui Achazias Hieronymo. Sic etiam Ebræi hoc nomen scribunt & legunt.

HOC REGNANTE HELIAS TRANSLATUS REFERTUR] De tempore quo translatus fuit Elias nihil mihi lectum præter quod Judæus Salmanticensis observavit in libro Johasin, cujus verba non pigrabor Latina facere: *Ascensio Eliæ fuit anno mundi 3047. anno decimo octavo regni Iosaphat, quando regnabat Ioram filius Achab. Videtur autem quod Elisæus tunc acceperit patrum traditiones ab Elia. Cæterum ex libris præteritorum apparet quod venerit Epi-*

stola ab Elia ad Ioram filium Iosaphat circa annum 3062. mundi conditi, translato jam ante Elia. Nam Iosaphat pater ejus &. Ioram filius Achab venerunt ad Elisaum prophetam. Sed in Seder Olam relatum allatam fuisse illam Epistolam in principio regni filii Iosaphat, septem videlicet annis postquam raptus est. Et aliquanto post, *Videtur ex textu quod Elisaus mortuus sit anno trigesimo septimo regni Ioas, regis Iuda, qui est annus mundi 28. Secundum aram minorem. Quod si est, vixit Elisæus annum unum supra quinquaginta post ascensionem Elia.* Et iterum, *Ex Seder olam discimus anno decimo Ioas regis Israel, qui fuit septimus post obitum Ioas regis Iuda, vita functum Elisaum. Quod si verum, vixit Elisaus 16. annos post raptum Elia. Et rursum, Autor Seder olam ait Eliam revelandum, quum venerit Messias, qui mox iterum abscindetur. & postea revelabitur ubi venerint Gog & Magog.* Hactenus Salmanticensis. De ipso Elia variant quoque sententiæ doctorum. Alii sacerdotem fuisse tradunt, & quidem R. Levi contendit eum Phinees fuisse, quem sequitur universus Israël, ait idem, quem modo nominavi, Salmanticensis. Alii scribunt oriundum ex Gad tribu, in qua Galaad. Certum autem fuisse ex inquilinis Galaad: patrem habuit, ut alii volunt ex eadem tribu, matrem ex Benjamin: unde alibi de seipso, *Ego*, inquit, *sum ex filiis filiorum ipsius Rachel.* Quidquid horum verius, inquit Judæus ille, cum venerit, ipse indicabit nobis.

TRANSLATUS] Judæorum vulgus & sapientes credunt eum translatum in hortum Eden, hoc est in Paradisum, ibique vivere cum anima & corpore: à quibus diversi abeunt Recentiores rabbini, & in his R. David, qui scribit eum turbine raptum è terra in aërem usque ad sphæram ignis, ibique consumptum corpus ejus, Spiritum autem rediisse ad Deum, qui dedit ipsum.

HELISEUS] Scribo Eliseus; quod factum putarim ex Ebræo Elise Latina declinatione. Nam ex Græco ἐλισσαῖος esset Elisæus, cum diphthongo. *Quanquam* in edit. Rom. ἐλισσαιὲ אלישע Elisa, & ἀρχαϊκῶς Elise, ut תרח Thare.

MULTIS SIGNIS POTENS] Apud Nicolaum de Lyra recensentur miracula sedecim edita ab Eliseo, cum Elias tantum octo ediderit. Quo accommodant duplum, quo præditus fuit, Spiritum Elisei. Quem tamen locum aliter alii enarrant. Habetur autem 4. Reg. 2. 9.

AB EO EST VIDUÆ FILIUS RESUSCITATUS]. Enumerat nunc aliquot signa sive miracula Elisei, sed plura Scholastici recensent ex libris Ebræorum.

Sedecim Elisei miracula.

1. Jordanis divisio.
2. Aquarum sanatio.
3. Puerorum laceratio.
4. Aquæ impetratio pro tribus regibus.
5. Olei multiplicatio.
6. Sunamitidis fœcundatio.
7. Filii ejus suscitatio.
8. Pulmenti dulcoratio.
9. Panum multiplicatio.
10. Naaman leprosi curatio.
11. Giezi infectio.
12. Ferri natatio.
13. Oculorum pueri sui apertio ad videndum equos & currus igneos &c.

14

14. Adversariorum excæcatio.
15. Abundantia commeatus inopinata in porta Samariæ.
16. Suscitatio mortui ad tactum ossium ejus.

VIDUÆ] Sunamitidis.

SYRUS] Naaman princeps exercitus regis Syriæ, qui à Græcis vocatur ναιμὰν ὁ ἄρχων τ̃ δυνάμεως συρίας; aut variantibus libris ὁ ἀρχιστράτηγος βασιλέως συρίας.

IN USUM TRIUM EXERCITUUM] Israel, Juda, & Edom. Hæc habentur, 4. Reg. 3. 16.

DE EXIGUO OLEI IMMODICIS INCREMENTIS SOLUTUM &c.] Historia extat, 4. Reg. 4. 7.

REHOZIAS] Filius Joram.

JORA] Frater Ochoziæ, 4. Reg. 1. 17. filius Achab, 4. Reg. 3. 1.

SYROS] Hazael regem Syræ.

JEHU] Puto Sulpitium scripsisse Jeu. Nam sic Græci ἰηοῦ. Quamvis in edit. Rom. ἰοῦ.

PER PROPHETAM] Eliseum.

SCHOTANUS.

HAbuit Sulpicius rationes, ob quas Eliam regnante in Judæa Ochozia translatum esse putavit, nobis tamen certum est vivente Josaphato excessisse rebus humanis. Ideo ad superius caput retulimus. Rationibus Sulpicii suo loco satisfaciemus.

II. REG. III. *Iorami expeditio adversus Moabitas.*

ELisæi quartum miraculum factum fuit occasione belli, quod suscepit Joram adversus Moabitas: quorum rex Mesa (מישע) sub Ochozia defecerat ab Israël. Joram impius sed idolum Baal, quod pater struxerat diruit: adhærens impietati primi Jeroboami, relinquens additamenta Omri & Achabi. Mater tamen Izabel patriis diis adhærebat: & eum cultum *omni modo firmabat*. Moabitarum rex pecuarius erat. Jusserat ipsi rex Israel tributum centum millium agnorum & centum millium arietum cum vellere, Id est intonsarum pecudum, σὺν πόκοις. Negantem tributa redacturus ad obsequium, auxilium implorat Josaphati, qui annuit: Ego ero ut tu, & meus populus ut tuus; mei equites, ut tui. Placuit aggredi Moabitas, per solitudinem Idumææ & illius regem (præfectum) cum copiis assumere. Cum itinere septem dierum circumduxissent exercitum, aquæ defecerunt. Rex Israël, animo fractus & desperabundus: Heu, inquit, convocavit Dominus tres reges, quos in manum Moabitarum tradat. Tum Josaphat quærit Anne adesset aliquis prophetarum Domini, per quem Dominus posset consuli. Servorum regis unus adesse Elisæum dicit, qui olim ministraverat Eliæ (qui aquam manibus illius affuderat) significat magistrum obiisse, discipulum superesse qui possit adiri. Putat Kimchi, quod Elisæs per Spiritum prophetiæ copias comitatus sit: ut ederet hoc miraculum. In medio populi ibat: ignoratus regibus. Tum tres reges eum adeunt: (In Hebræo וירדו) unde eliciunt descendisse curru in honorem Dei & Elisæi. Etiam Josaphat suo nomine dicitur, duo reliqui appellantur reges: dicunt id significare ejus humilitatem, qui coram vate habitu regio deposito voluerit videri, Alias, quod regis nomen ei non quadret postquam cum Achab

adversus Syros bellavit adjudicatus à Deo ob id morti.) Horum Joramo Elisæus: Quid mihi tecum, inquit, abi ad prophetas patris & matris. Reddit rex: Absit, sed Dominus tres reges convocavit, tradendos in manum Moabitarum. Hic Elisæus: ut vivit Dominus exercituum, coram quo adsto, nisi assumerem faciem Josaphati regis Judæ, te non respicerem neque intuerer. Adducite igitur Psallentem (מנגן) Kimchi refert Judæos magistros dicere, quod ob luctum à morte Eliæ recesserit ab Elisæo Spiritus prophetiæ; qui non habitat nisi in lætitia. Alios, quod ira & indignatione accensus in Joram, eum affectum disiicere debuerit. Hoc etiam Ralbag: ידוע כי הכעס מונע התבודדות לשכל בעת הגעת הנבואה מפני טרדת המחשבות אשר יהיה בהם הכעס: Psallente illo cecidit super eum manus Dei: per quam dixit: Ita loquitur Dominus: Fac in hac valle multas fossas. Nam ita dicit Dominus: Non videbitis ventum neque pluviam, hæc tamen vallis aquis replebitur. Deum scilicet miraculo editurum aquas in illa planitie, quæ sufficerent ut homines & jumenta & pecudes biberent. Non id tantum, inquit sed & Moabitas tradet in manum vestram. Percutietis omnes urbes munitas & electas: omnem bonam arborem excindetis, omnes fontes aquarum obturabitis; omnemque bonum agrum lapidibus corrumpetis. Lex arbores frugiferas vetat perdi, sed hic ipsius Dei præceptum & regio cum plenitudine devota erat. Sequentis diei mane, quo offerebatur Mincha, aquæ veniebant ab Idumæa. Ralbag miratur hoc mane, quia non putat per noctem locutos esse reges cum propheta, nec dilatos esse reges in crastinum. Putat igitur illa verba ויהי בבקר per se stare & ad antecedentia referri: Post meridiem aquas cæpisse confluere in vallem. Et sequenti die mane Moabitas cæsos. Id probat v. 22. Forte ait Kimchi, aquæ istæ depluerunt è cælo, sed in remoto loco, ut ipsi neque ventum neque pluviam animadverterint: aut Idumææ fluviorum aliquis, voluntate conditoris ruptis aggeribus erupit usque castra. Moabita coëgerat omnem ætatem quæ balteo accingitur. Cum universis copiis considebant in finibus & aditu regionis. Cum solis orientis radiis aquæ istæ (quas prius non viderant, quia pedetentim & per noctem potissimum affluxerant) irradiarentur visæ sunt rubere colore sanguineo. Nihil igitur aliud poterant coniicere, quam hosties copias intestino bello & conflictu se confecisse. Hac spe pleni ruunt versus castra Israelitarum, ut ad prædam non prælium. Excepti igitur præter opinionem, usque ad internecionem cæsi fuissent, nisi se intra munitiones recepissent. Totam igitur terram pervadunt Israelitæ, urbes deditione & vi capiunt: corrumpunt omnia, agunt feruntque. Supererat una Cirhareseth; intra quam inclusus arcteque obsessus rex, re desperata tentat cum septingentis, perrumpere castra hostium, qua tendebant Idumæi. Repulsus filium primogenitum, solio successurum, in mænibus, hoste inspectante, immolat in holocaustum. Reges hoc viso, soluta obsidione, domum quisque suam reversi sunt.

Josephus hanc expeditionem exponens, dicit Josaphat compellatum de auxilio, prolixe promisisse non tantum de se, ἀλλὰ καὶ Ἰδουμαίων τὸν βασιλέα συναγκάσειν, ὄντα ὑφ' ἑαυτὸν, στρατεύεσθαι. Joramum cum copiis profectum esse Hierosolyma & splendidè exceptum. Visum illis per Idumææ deserta, qua minime hostis exspectaret, iter facere. Sic tres reges cum suis copiis Hierosolymis profectos, circuitu septem dierum facto, ducibus itineris abberrantibus, in tantam aquarum incidisse penuriam, ὡς ἀγωνιᾶν πρὸ ἅπαντας, μάλιστα δὲ τὸν Ἰώραμον, καὶ ὑπὸ λύπης ἐκβοῆσαι πρὸς τὸν θεὸν, τί κακὸν αἰτιασάμενος ἀγάγοι τοὺς τρεῖς βασιλέας ἀμαχητὶ παραδώσειν αὐτοὺς τῷ Μωαβιτῶν βασιλεῖ. Josaphat eum confirmasse & misisse in castra esset ne unà aliquis Dei propheta. Eliam adiisse

tres

tres reges, qui extra castra tabernaculum habebat, *καθωπλισμένος*. Eliam repellentem rogatum esse à Joramo *ἰδεῖν προφήτην & σώζειν αὐτούς*. Elias, *πρὸς τ̃ ψάλλοντα ἔνθεος γενόμενος*, jussit in torrente deprimi fossas. Sic Lxx. Item Vulg. *Facite alveum torrentis hujus fossas & fossas*: נחל vallis & torrens. Nam sine nube, vento & pluvia aqua plenum fore, ut exercitus & jumenta potum habeant. Sequentis diei mane priusquam sol oriretur *ὁ χειμάῤῥους σφοδρῶς ἔῤῥυει*. Nam Deum pluisse multum, intervallo trium dierum in Idumæa. Moabitas videntes aquam ex sole rutilare & apparere sanguineam, opinatos propter sitim hostes in semet arma vertisse, rogasse ut ad diripienda castra hostilia ire permitteret. Israëlitas urbes hostium *καταστρέψαι. Καὶ τοὺς ἀγροὺς αὐτῶν διέφθειραν καὶ ἠφάνιζαν πληροῦντες τ̃ ἐκ τ̃ χειμάῤῥων λίθων*.

Agros lapidibus corrumpebant, ut cultui essent inhabiles, simulque ut sata perderent, שישחיתו תבואתה. Nam unusquisque lapidem è dirutis muris urbium in agrum illum, quem corruptum volebant, projiciebat: eoque modo implebant cumulis lapidum ruderumque ut etiam murorum rudera in totum illuc transferrent, notante Rasi. Solius urbis, in qua rex obsidebatur, muri manserunt.

In v. 24. legitur ויבו pro ויכו: de quo Kimchi disputat. Sed quis miretur in varia lectione codicis alicujus ב irrepsisse pro כ?

In fine v. 25. ויסבו הקלעים ויכוה: *Circumdederunt fundibularii* (*σφενδονῆται*) *& percutiebant eam*. Cum solus illius urbis murus superesset, eum quatiebant הקלעים: Verterim, *balistarii* sive *libratores*. Rex videns murum cedere & perfodi, usque ad periculum expugnationis, sciensque non esse spem paciscendi, quod חרם esset, conatus est perrumpere & viam vi facere. Cum id non posset, Chamos Deo gentis tutelari obtulit filium primogenitum. Id fecisse ex consilio suorum ad imitationem Abrahami, commentum est Judaicum. Quidam Soli obtulisse putant & ideo חמה defectè legi pro חומה: alii Deo vero. Ralbag & pater Davidis Kimchi putant intelligi filium regis Edom. Nam pater Kimchi putat eum fuisse captum à rege Moabitarum; ad quem liberandum cum duobus regibus Idumæus se conjunxerit, videns autem eum occubuisse, solutam esse obsidionem. Qui filium suum obtulisse idolo dicunt illi volunt Deum recordatum quod & ipsi idola colerent atque ob eam causam ira Dei coactos obsidionem soluisse. Communiter miseratione motos solvisse obsidionem, cum tamen in Hebræo sit קצף indignatio. Existimaverim, indignum facinus abominatos, ne adversus desperatos pugnando militem irent perditum, Deo & suo fato reliquisse. Vel, ne quid tale iterum fieret & invidia facti in Abramidarum religionem recideret, ut Cl. Grotius. Cæterum, qui filium regis Edom ab eo crematum esse volunt, rationem petunt ex Amos 2. v. 1.

Lyranus libenter amplectitur Judaica commenta: eum audiamus & Burgensem censorem ejus cum Doring ejus propugnatore. Lyranus: *Et facta est indignatio magna in Israel*] *Ex compassione enim reputaverunt indignum ultra obsidere regem in tanta afflictione positum. Sed hæc expositio non videtur rationabilis; primò quia illa immolatio non erat ad Dei placationem, sed magis ad offensionem. Etiam dato quod sibi fieret, quia occidere innocentem nisi hoc esset ex speciali & expresso Dei præcepto: cui omnis homo quantumcunque innocens est mortis debitor: propter quod Abraham hoc modo voluit immolare filium suum ut habetur Gen. C. XXII. Iste autem rex Moab non habuit tale præceptum, erat etiam idololatra. Secundo quia filii Israel quærebant mortem regis Moab & populi sui. Et ideo non est verisimile quod recederent ab obsidione propter immolationem primogeniti sui, sed quod magis remanerent, quia illa immolatio*

molatio fuit signum, quod non poterant diu tenere civitatem; & hoc provocat ad remanendum magis in obsidione magis quam ad recedendum. Propter quod aliter exponit R. Salomon literam prædictam, dicendo: Quod rex Moab requisivit à sapientibus suis quod esset meritum, propter quod Deus Israël tanta fecerat pro illo populo, & faciebat. Et responderunt quod hoc erat propter meritum Abrahæ patris ipsorum, qui filium suum Isaac voluit immolare Deo Israel, quod audiens rex Moab cepit filium suum primogenitum & immolavit tum Deo sive soli, quem pro Deo colebat. Et facta est indignatio super Israel. *In Hebræo Ira supra Israel sive ipsius Dei offensio contra filios Israel, eo quod tunc fuerunt recordatæ iniquitates eorum coram Deo propter angelum qui præerat Moabitis: videlicet, quod ipsi tanta mala vel pejora fecerant immolando, filios suos & filias suas dæmonibus, ut habetur Ps. CIV. Propter quod tunc in vindictam hujus mali cecidit pestilentia & mortalitas in exercitu Israel: & sic fuerunt compulsi recedere ab obsidione propter peccata sua præterita. Simile autem hujus habetur Dan. X. ubi dicitur quod Angelus qui præerat Persis restitit angelo, qui præerat Judæis: & impedivit liberationem captivitatis ad tempus, quærendo & procurando bonum Persarum quibus præerat: ut ibidem plenius expositum est.* Hæc censet P. Burgensis:

Hæc ratio R. Salomonis non videtur rationabilis, tum quia non videtur indignatio Dei supra Israel rationabiliter causari ex peccato adversariorum, licet ipsi Israëlitæ magis offendissent. Non enim videtur rationabile ut peccatum alicujus aggravetur ex eo quod alius in eodem genere peccati minus peccet; tum quia hic non fit aliqua mentio de angelo Moabitarum, sicut in Daniele; tum quia nec ipse Angelus habuisset rationem impugnandi Israelitas ex peccato Moabitarum, & ideo melius diceretur, quod Rex Moabitarum quærens à sacerdotibus suis, quod esset meritum Israelitarum propter quod Deus eorum tantum fecisset pro eis? Ad quod ipsi responderunt, quod populus Israël colebat Deus Moloch, & hoc cum tanta devotione & affectione, quod & filios suos eis offerrent & in igne immolarent; juxta illud Psal. allegatum. scil. Immolaverunt filios suos &c. & ideo rex audiens hoc immolavit filium suum, ex quo rationabiliter indignatio Dei fuit supra populum Israël; & quod peccata eorum præbebant exemplum perniciosum & occasionem, ut etiam aliæ gentes graviter peccarent; quæ quidem expositio magis consonat rationi. Verisimile enim est quod sacerdotes Moabitæ magis commendarent populum Israël de cultu Deorum quam de cultu Dei. Primò, quia hoc erat magis conforme ritui gentium; secundo quia in eodem tempore jam populus Israël recesserat à cultu Dei; Tertio quia magis referendum erat meritum Israëlitarum, ad hoc quod principaliter exercebant, quam ad immolationem Isaac, quæ tot temporibus retroactis fuit facta, & forte nunquam venerat ad Moabitarum noticiam, qui historias sacras non habebant. Defensio Doringii ista est:

In Cap. III. 4. Reg. Ubi postillator adducit R. Salomonem exponentem indignationem Dei contra Israël propter factum regis Moab, qui immolavit filium suum, Burgensi autem non videtur expositio R. Salomonis rationabilis, ideo dicit aliter. Quod Sacerdotes Moab quæsiti à rege de merito filiorum Israël, responderunt, quod coluerunt Moloch, & ei filios suos immolaverunt; & hic pravo exemplo motus Rex immolavit filium suum: unde Deus indignabatur Israëli. Sed illud Burgensi videtur dictum irrationabile: Sciebant enim sapientes gentium quod ex recessu à Deo Israël & cultu Idololorum Judæis non poterant provenire prospera, sed potius adversa, prout Balac de consilio Balaam practicavit cum filiis Israel, de qua practica habetur Num: XXII. Sapientes igitur Moabitarum hanc practicam scientes non poterant allegare Judæorum idololatriam pro merito, de quo Rex Moab non quæsivit, sed quæsivit quo merito filii Israël tanta bona à Deo receperint ad quod bene respondet R. Salomon, Sapientes respondisse, quod merito patris Abraam, qui filium suum immolavit. unde ad instar Abrahæ rex ille volens habere similem à Deo suo fortunam, immolavit filium suum; sed Deus offensus propter crudelitatem illam,

illam, quia innocentem occidit, & non Deo sed idolo immolavit, nec ad mandatum Dei sicut Abraam, ideo potius debuit ei cedere ad demeritum, quia non adinstar exempli Abraæ factum. Sed angelus Moabitarum restitit, quia exemplum virtuosum Abraæ, in exemplum perniciosum convertit, allegans coram Deo, quod filii Israël immolaverunt filios & filias suas dæmonis; & sic fuit ex quadam, ut ita dicam, rememoratione, Dei contra Israël indignatio. Et non valet quod Burgensis objicit, quia de illo angelo non scribit: est enim argumentum Wicklef ab auctoritate negativa, sic enim scribit: Quod rex consuluerit sacerdotes. Et tamen in hoc concordat cum R. Salomone. Cætera Burg. argumenta solubilia sunt faci iter.

Cæterum Elissæum adhibuisse psaltem dicunt Judæi, quia non nisi in lætitia prophetia habitet. Grotius id arripuit ut omnia, quo ostendat V. & N. T. discrimen, quod nimis extendit. *Ajunt* inquit, *Hebræi* שכינה *non intervenire inter animi angores: contrarium in novo fœdere.* Profectò ille non capit, quod dicit, ideò differentem Martyrem præstat audire. *Quærunt interpretes,* inquit, *cur propheta rogaverit psalten sibi advocari. Et à majori parte respondetur ut animum perturbatum iracundia contra Ieboramum pacaret, & pristinæ tranquillitati restitueret, quo magis idoneus ad oracula fundenda redderetur. Dices fortassis, justa ille commotus est iracundia contra Ieboramum: sic enim scelera ejus corripi merebantur. Fateor illum excanduisse cum ratione, quia tamen homo erat, potuit modum excedere. Deinde fac illum se intra justos limites continuisse, non tamen fieri potuit, quin animus aliquantulum esset distractus. Nam hæc est iræ natura, ut mentem avertat à pulcherrimarum rerum consideratione. Oportuit itaque vires animi disjectas colligere, & sedata iracundia, tranquilla esse mente. Addunt præterea interpretes Dei spiritum, & præsertim vaticinandi facultatem, in animo mæsto & corde tristi nolle habitare, sed menti jucundæ atque hilari adhærere. Atque in lege divina idcirco præcipi, ut qui sacrificia ea, quæ pacifica vocabantur offerebant, una coram Deo ederent, biberent, ac læti essent, non tamen extra temperantiæ atque frugalitatis metas. Nam Deo gratias agere de beneficiis acceptis oportebat: erant quoque preces & laudes offerendæ: quæ omnia Deus ex animo læto proficisci volebat. Sicut enim datorem erga proximum vult esse hilarem, ita etiam talem erga se requirit. Izhacus jam grandis natu, cum arida & squallida senectute premeretur, & suis natis vellet futura prædicere, ac illis ad extremum bona precari, ut ad id faciendum se compararet, prius nonnihil cibo & potu se voluit recreari. Sunt adhuc qui arbitrentur Elisæum tantum ex abitu Eliæ moerorem concepisse, ut eum antea non potuerit extergere. Atque ideo nunc psaltem voluisse accersiri, ut aliquam inde lætitiam perciperet.*

Quæ jam allata sunt non oppugno: sed verisimilius puto Elisæum voluisse aliquod pium & sanctum carmen, coram se cani, quo Dei opera, quæ olim in gratiam fecisset populi sui, memorarentur, admixtis una laudibus, precibus, & gratiarum actionibus. Hac enim ratione solent ad cœlestia & Divina piorum animi attolli atque sancta voluptate mirum in modum permulcentur. Saul, ut sacra historia tradit, homo alioqui perditus & detestabilis, Davide canente Divina carmina, bene habebat à cacodæmone, quo torquebatur. Itaque ut David psallendo, malum spiritum abigebat: sic Elisæus volebat consimili opera bonum spiritum elicere. Nemo autem ignorat, quanta sit vis Musices ad permovendos hominum animos & affectus, cum utraque pars animi habeat & sentiat illic suam oblectationem. Sensus auditus, qui disciplinæ ac eruditionis esse dicitur, sonos blandos, & suaves admittit, quibus jucundè mulcetur. Mens verò & numeros & modos animadvertit, notat item spatia seu distantias, proportiones, & alia hujusmodi quibus mirificè se oblectat. Præficæ funeribus antiquitus adhibebantur. Et clangor tubæ non solum militibus, verum etiam equis addit animos, redduntur enim solito feraciores. At fortasse dixeris, Quid illi facient, qui psalte ac externis hisce voluptatibus destituuntur? an de-

an desperabunt se adepturos vaticinandi facultatem & cætera spiritualia bona? Minimè. Omnes enim qui verè Christiani sunt, illa unica & summa consolatione, quoties libuerit, frui possunt, qua experiuntur, se pacatam habere conscientiam: & cum sint justificati per fidem Iesu Christi, sibi Deum sentiunt & benignum & placatum: unde præclara lætitia illum prædicant & invocant, atque nomini ejus gratias agunt, idque uti par est læto atque hilari animo. Christus etiam, quando voluit patri gratias agere, quod Evangelii mysteria sapientibus & prudentibus hujus mundi absconderit, & ea revelarit parvulis, dicitur spiritu exultasse. Nec dubium est spiritum sanctum eos exhilarare, quos inhabitat: sicuti è diverso cacodæmon, id est, spiritus nequam, illos quos pervaserit, facit tetricos ac tristes: & ita eos agitat, ut in desperationem conjiciat, ita ut multi eorum denique sibi ipsis manus afferant. Qua re profectò vix in hac vita quicquam homini tristius evenire potest.

Notandum præterea est, non esse in prophetarum potestate situm, cum libuerit oracula fundere. Movet quippe Deus illorum mentes ad vaticinandum, quando voluerit. Dixit Elisæus, ut suo loco audiemus, de muliere Sunamitide, In amaritudine anima ejus est, & Deus me celavit.) *Vnde non malè Scholastici dixerunt, Prophetiam esse donum, ut loquuntur, actuale non habituale. Nam qui habitu aliquid tenet, quoties voluerit, in actum erumpit, at nemo prophetat, cum ei visum fuerit. Non tamen est negandum, quin pii viri ad prophetiam & ad alia charismata gratis data se possint accommodare seu præparare, jejuniis, precibus, lectionibus, atque consimilibus Christianis exercitiis, ut Daniel & socii ejus leguntur fecisse. Adhæc Paulus in Epistola priori ad Corinthios, hortatur Christianos, ut charismata utiliora persequantur ac maximè dent operam ut prophetent. Id autem non scripsisset, nisi ad hoc munus se potuissent quoquomodo adaptare. Ad justificationem tamen, opera præparatoria non sunt admittenda, cum omnia quæ ante regenerationem fiant, sint peccata, quæ minimè ad gratiam Dei nos reddunt idoneos.*

Potuit etiam fieri, ut Psaltes adhibitus fuerit non tantum ob Prophetam, sed etiam propter adstantes, ut adjuti musica & pio carmine, mentem utcumque lenitam à præsenti molestia tollerent ad Deum. Sic in templo apud Hebræos, cantores, qui erant Levitæ, sacris carminibus & Musicis instrumentis provocabant adstantem multitudinem, ad divinas laudes, ad gratiarum actiones, & preces.

At quispiam dixerit, Elisæus videtur importunè atque intempestivè agere, qui mandet adesse cantorem inter lugentes ac tristes. Nonne proverbio jactatur, & in Ecclesiastico scribitur, Musica in luctu importuna narratio? Fateor eos qui lugent abhorrere à Musica: nam potius vellent secum habere unà plorantes ac lamentantes: Etenim lacrymæ plurimum eos oblectant. Attamen inficiari non possumus, quin cantu mitigetur eorum mœror. Deinde proverbium fortassis ad eos pertinet, qui desperatis rebus in summo versantur dolore, quo loco nunc Hebræi non erant. Nam etsi Elisæus in gratiam Ieborami testatus erat se nihil velle facere, nihilominus tamen propter Iehosaphatum pollicitus erat se non nihil præstiturum. Oportet id etiam addere, psaltem, carmina, & musicam non esse rem necessariam ad prophetiam adipiscendam, alioqui nullus prophetarum citra hæc adjumenta potuisset vaticinari, quod non ita se habuisse in divinis litteris demonstratur. Ne autem Prophetia causa, vel Psalti, vel naturalibus Elisæi adscriberetur, sacra historia perhibet, super illum factam esse manum Domini, hoc est, divino spiritu fuisse correptum.

II. Reg. IV. *Olei multiplicatio.*

QUintum miraculum Elisæi fuit multiplicatio olei (2. Reg. 4. 1--7. Id hunc in modum factum est: Mulier vidua unius de filiis prophetarum, cujus mari-

maritus paulò ante obierat, pressa à creditore, opem viri Dei implorat. Defunctus, inquit, est maritus meus, quem tuum servum nosti Dei timentem fuisse. Nunc creditor duos liberos in servitutem rapit. Josephus scribit hanc fuisse viduam Obediæ illius, præfecti domus Achabi. qui centum prophetas servaverat à sævitia Izabel. Idem sentit Chaldæus interpres & Rabbini: Idem Theodoretus & multi. Eum alendis prophetis æs alienum contraxisse: nunc ejus familiam opprimi. Rogat igitur ut ob illa pie facta beneficium præstet. *προφήτας θρέψαντα, ὑπὸ τῆς Ἀχάβου γυναικὸς Ἰεζαβέλας ἀναιρουμένους ἑκατόν.* Eleganter: *ἀναιρουμένους*, qui quærebantur ad necem. Illi filii prophetarum in Targum appellantur תלמידי נבייא. Rasi illum creditorem fuisse scribit Joramum regem, filium Achabi שהיה מלוהו ברבית מה שזן דנביאים בימי אביו. Id è R. Thanchuma, qui ideo percussum eum esse inter sua brachia dicit & dici sic: 2. Reg. 9. 24. Quia illis usuram abstulerat. Sed ut falsum est Joramum fuisse illum rigidum fœneratorem, sic & falsum est, quod hic de filiis prophetarum fuerit Obedias, præfectus domus Achabi. Credatne aliquis discipulum Eliæ Achabi aulicum fuisse? Nec verum est quod Josephus dicit matrem cum liberis in servitutem rapi. Nam ob æs alienum debitores eorumque liberi in servitutem mercenariam abducebantur: etiam divendebantur, ut alias docetur. Thargum addit Obediam mutuo sumpsisse ad alendum prophetas, quia nollet eos alere è facultatibus Achabi, quia rapina erant. Elissæus commiseratione motus rogat quo pacto subveniri possit: quid domi rerum haberet? Nihil sibi in ædibus superesse respondet. Nam cætera ipsa vendiderat aut rapuerat creditor) nisi olei fideliam. Lxx, *οὐδὲν ἐν τῷ οἴκῳ ὅτι ἀλλ' ἢ ὃ ἀλείψομαι ἔλαιον.* Hoc expressit vulgatus. Quis autem credat mulierem in rebus arctis oleum unctui potius quam esui reservatum habuisse? Heb. אסוך שמן. Iosephus secutus non est Græcos, in hac historia. Tum propheta jubet illam ire & acceptis commodato, à vicinis, vacuis vasis compluribus, foribusque cubiculi clausis, post se filiosque, fundere oleum in vasa omnia. Jos. *τὸν γὰρ θεὸν πληρώσειν πάντα.* In fide paruit prophetæ. Filii afferebant vasa, illa transfundit, manante oleo, donec ultimum vas repletum esset. Deo creante, fideliæ oleum continua multiplicatione exæstuabat: at cum mulier post ultimum vas aliud à filio afferri posceret, atque ille redderet, nullum superesse, substitit oleum. Ralbag: *Ecce fuit hoc prodigium, quod in evacuando vase isto totus aër ingressus illic mutatus fuerit in oleum per modum conversionis baculi in serpentem. Fuit hoc uno tempore tantum. Ideo præcepit ut peteret principio vasa vacua ab omnibus vicinis, quot habere posset; ut esset ipsi ex oleo pretium magnum. Et ipsa erat fundens in vas; quod cum plenum esset, filii ejus auferebant vas plenum & ponebant vas vacuum. In modo, ut una fusione omnia vasa repleta fuerint unum post aliud.* Stabat sane fideliam tenens & continuo fundens, donec vasa omnia implevisset. Kimchi superstitiosius ideo se loco non movisse, quia miraculum non durat, nisi in loco, in quo cæpit. Nusquam superstitiosior Kimchi est, quam in hujus miraculi expositione. P. Martyr: *Augmentum istud olei divina potentia ac bonitati est adscribendum sed qua ratione contigerit, explicare non est facile. Disputatur hac de re à sententiariis in tertio distinct. 18. ubi quærunt in Eva formatione, quo pacto ejus corpus justæ magnitudinis evadere potuerit ex Adami parva costa. Magister sentent, & Vgo de S. Victore id tradiderunt factum esse nulla materiæ aut substantiæ nova adjectione. Nam si ut inquiunt, additamentum exterius fuisset accersitum, non licuisset Adamo posteà dicere, Hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea: quia mulieris corpus potius ex adjecta substantia debuisset effictum dici, quam ex osse atque carne Adami, cum inde multò plures partes & majores*

accepisset. Alii vero & melius arbitrantur tantum augmentum non potuisse fieri absque accessione substantiæ ac materiæ novæ: nam ajunt hoc augmentum non potuisse fieri solum penes magnitudinem. Etenim id nihil aliud fuisset quam eandem materiam, dum erat in costa, fuisse contentam sub minoribus seu brevioribus quantitatis finibus; & posteà cum efficeretur muliebre corpus, translatam fuisse ad ampliores & majores quantitatis terminos; quod non potuit nisi ex rarefactione materiæ contingere, atque tunc mulieris corpus rarius quodammodo evasisset aëre. Quare inquiunt Deum novam adjecisse substantiam, sive quod eam creaverit, sive quod ex conversione circumstantium elementorum illam adjecerit: quemadmodum ex aëre qui convertitur in aquam, scaturire fontes & augeri perpetuò videmus. Et in hac sententia fuisse videtur Augustinus, qui super Iohannem agens de multiplicatione panum, quibus Dominus aliquot millia hominum pavit, illos, inquit, fuisse multiplicatos, quemadmodum, parva grana crescunt in amplissimam segetem: id autem fieri dubium non est ex terra atque humoris ejus conversione in fruges. Et licet per hujusmodi adjectionem formatum fuerit corpus mulieris, potuit nihilominus dici os ex ossibus & caro ex carnibus Adami: quandoquidem in ea locutione, fundamenti, cui accessiones factæ sunt, ratio cum primis habita est. Et quæ disputata sunt de costa effictà in corpus Evæ, ac de panibus à Christo multiplicatis, eadem statui debent de olei augmento.

Mulier ad prophetam reversa rem totam illi indicat: qui jubet vendere oleum, ut solvat debitori, & de residuo vivat cum filiis.

Sextum & septimum Elissæi miraculum Sunamitidis fæcundatio, & filii resuscitatio.

QUæ sequuntur in cap. hoc quarto & totum caput quintum item sextum ad v. 8. desiderantur in Josepho: quod mirum, Duo miracula circa Sunamitin præstita referuntur à v. 8. ad 38. In Sunem oppidulo Isachar, haud procul monte Carmelo, degebat matrona opulenta & nobilis: quæ virum Dei illac transeuntem excepit hospitio & epulis. Frequenter illac solebat propheta transire, cum è Carmelo iret Galgala, Bethel & Hierichuntem, filios prophetarum in illis locis aditurus: & ex illis locis Carmelum repetens. Quemadmodum ejusmodi circuitum solebat facere & faciebat alias, rapiendus jam in cælum. Simul ut confirmaret fideles in decem tribubus, ne ad idololatriam desciscerent. Cum animadverteret gratum se esse mulieri, ad hanc crebro divertebat, ut sumeret cibum. Illa autem ad maritum: Animadverti, virum sanctum esse, virum illum Dei, qui hac sæpe transit & ad nos solet divertere. Faciamus parvum cænaculum parietis, ponamusque ei lectum, mensam, sellam, candelabrum: ut eò declinet, quum ad nos venerit. Martyr: *Cænaculum extrui voluit ne propheta in conspectu servorum, ancillarum & universæ familiæ agere cogeretur. Nam ita mens distrahitur & studia impediuntur preces item libere ut decet, non funduntur. Prophetæ, quamvis Spiritu Dei agebantur, vacabant nihilominus legendis libris legis & aliis sanctis scripturis: nec semper ex occulto instinctu Dei, verum ex iis, quæ didicerant, loquebantur. Vnde Paulus, licet ad tertium cælum raptus fuerit libros tamen & membranas offerri sibi postulavit. Vir Sunamitidis, ut pius & prudens, consilium sanum uxoris approbavit & ex ejus voluntate perfecta sunt, quæ illa monstraverat.* Observat Ralbag, nescivisse primò quod Elisæus esset, aut quod propheta sed ex more & pro hospitalitate sua eum ut alios viatores ad se vocasse. Nondum enim Elisæum ita inclaruisse. Animadvertisse ex habitu rerum & morum, quod vates esset, ideò voluisse illi cænaculum

lum strui. מפני ראותה כל מנהגיו בתכלית מהשלמות. Rasi dicit se cognovisse è capitulis R. Eliezer, quod fuerit soror Abiseg Sunamitidis: addit Kimchi, matrem fuisse Iddo prophetæ. Nugacius est, quod & hi annotant è magistris agnitam fuisse ejus sanctitatem, quia non subsisteret musca in mensa ejus nec fluxus in sindone: קרי על סדינו.

Quodam igitur die venit illuc & declinavit in cænaculum & ibi requievit. Ait autem ad Giezi, puerum suum, voca Sunamitin. Quæ vocata adstitit. Vates quæsivit (per servum), quid remuneraturus esset pro tanta solicitudine & cura sui. Essetne conveniendus rex aut dux militiæ? In textu dicitur coram eo mulier adstitisse, & tamen ille cum ea locutus est per servum. Nempe è modestia & reverentia vocata cum esset, ipsum prophetam, in cænaculo non ausa fuit accedere, mansit ante fores. Ubi ad eam missus Giezi. Sic multi: at Junius v. 13. & 14. Piscator etiam 15. includunt parenthesi ut scilicet contineant actionem Eliæ cum servulo. Cui illa: In medio populi mei habito. Quod dictum ita accipiunt Theodoretus & ex eo Procopius, Ἀπραγμοσύνῃ χαίρω καὶ εἰρηνικῶς διάγω, καὶ πρός τινα ἔχειν ἀμφισβήτησιν οὐκ ἀνέχομαι. In otio vivo inter meos populares, eminere non studeo, nec rebus præesse; litem non sustineo. Lyranus, Comestor, Vatablus: *Inter consanguineos meos habito, qui possunt mihi esse interpretes apud regem, si quid negotii habuerim propter quod, sit conveniendus.* Sic illi è Rasi & Kimchi. Elisæo autem Giezi dixerat, sine dubio non posse rem gratiorem mulieri præstari, quam si filium daretur parere, quia prole careret & maritum senem haberet. Vocata mulier adstitit ad ostium. Vir Dei ad eam: למועד הזה כעת חיה אתי חובקת בן Chald. לזמנא הדין כעדן דאתון קימין תהא מחבקת ברא. Lxx. Εἰς τὸν καιρὸν τοῦτον, ὡς ἡ ὥρα, ζῶσα σὺ, περιειληφυῖα υἱόν: Vulg. *In tempore isto, in hac eadem hora si vita comes fuerit, habebis in utero filium.* Piscator: *Hoc ipso anni tempore, cum hoc tempus vigebit, tu amplexatura es filium.* Sensus simplicissimus, anno vertente. Illa, Noli, inquit, Domine mi, vir Dei: mentiri ancillæ tuæ.

Martyr: *Sed mirum videri potest. Cur Elisæus potius egerit cum hospita, quam cum ejus viro, cum id videatur fuisse commodius. Respondetur, quod vel mulier caput & præcipua causa fuerit accepti beneficii vel quod forte summo mane vir domo egressus erat ad rustica opera. Fuit enim, ut ex historia deprehenditur, agricultura studiosus. Messis enim tempore inter messores versabatur.* Si admittamus parenthesin Junii & Piscatoris, per famulum egit cum muliere, non ipse per se. Pergit Martyr: *Ultro se offert vir Dei ad loquendum ejus causa Regi aut Imperatori. Regi quidem ut ipsi jus diceret, si aliqua implicata esset lite. Imperatori verò, si fortassis à præsidiariis militibus ejus bona gravarentur. Pollebat eo tempore vir Dei gratia & authoritate, cum apud regem, tum apud Imperatorem: quod in bello Moabitico, cum exercitus in summo versaretur discrimine, opem tulerit potum suppeditando ultra vires naturæ. Nec tamen hoc semper usu venit prophetis, quia sæpe fit ut rectè docentes ac beneficiis afficientes, odium regum & principum incurrant ut Elia, Michæa atque permultis aliis contigit. Sed quandò id assequuntur, ut sint apud Magistratus gratiosi, favorem quo pollent, ultrò afflictis impertiunt. Unde liquet ministris Ecclesiæ, quamvis eis politica non licet administrare, posse tamen cum magistratibus agere, non tantum eos docendo & instruendo sed etiam pro calamitosis & oppressis intercedendo. Quod Augustinus & sedulo & strenuè præstitit, quemadmodum ex ejus epistolis facile apparet: quamvis Christus ipse, ut mihi licuit in Euangelicis historiis observare, hoc genus officii attigisse non legitur. Est item munus pii magistratus audire ministros verbi Dei, quando accedentes ad se pro miseris intercedunt. At secus fieri videmus. Nam plerunque in-*

dignantur & succensent, dicentes, Cur non agitis vestra? Sinite ut ipsi civilia, tractemus, vos ecclesiastica & Spiritualia gubernate. Grotius: *Non indigna res est, ut propheta ita & episcopi officio miserabiles personas commendare principibus. In canonibus Africanis habemus*: Honestum est ut episcopi intercessionem his præstent, qui iniqua vi opprimuntur, ut si vidua affligatur, aut pupillus exspolietur, *Deinde*: ut de qualibet provincia episcopi ad eum fratrem & coëpiscopum nostrum preces mittant qui in metropoli consistit: ut ille & diaconum ejus & supplicationes destinet, tribuens commendatitias epistolas, pari ratione ad fratres & coëpiscopos nostros, qui in illo tempore in his regionibus & urbibus morantur, in quibus felix & beatus Augustus remp. gubernat. Si vero habet episcopus amicos in palatio, qui cupit aliquid, quod tamen honestum est, impetrare, non prohibetur per diaconum suum rogare ac significare his, quos scit benignam intercessionem absenti posse præstare, si tamen opportunum fuerit. *Rursum*: Qui verò Romam venerint, sicut dictum est, sanctissimo fratri & coëpiscopo nostro Romanæ ecclesiæ preces, quas habent, tradunt: ut & ipse prius examinet si honestæ & justæ sunt & præstet diligentiam atque solicitudinem, ut ad comitatum perferantur.

Quem præter spem aceperat, cum mœrore summo infelici casu amisit. Cum enim crevisset, die quodam puer exibat ad patrem apud messores. Illic ex æstu aut alias ob causas morbo oborto, de capitis dolore queri cæpit. Pater ægrotantem ad matrem deferri jussit, in cujus gremio & genibus residens, circa medium diem exspirat. Mortuum mater imponit lectulo viri Dei. Ralbag. חשבה שבזכות הנביא יחיה הולד יותר נשמר שם. Observatur de fide mulieris: Non est soluta in lachrymas sed de remedio prudenter cogitavit. Funus collocat lectulo & claudit ostium. Martyr: *Cur vero ita fecerit, multa rationes possunt reddi: Non evulgavit familia suum mortuum, quod omnia videret statim implenda luctu & tumultu & forte se impediendam à profectione, quam suscipiendam constituerat. Ostium vero clausit ne cerneretur à familia puer defunctus ac forte humaretur, priusquam à viro Dei esset reversa. Vel quod mihi magis fit verisimile ne ludibrio & convitiis nomen Dei exponeretur. Qui enim alieni erant à cultu Iehovæ, illi facile insultassent, dicentes: Pulchra & solida porrò sunt ejus munera: dedit isti mulieri filiolum & ad breve tempus eam aliquantulum exhilaravit, posteà in perpetuum mærorem conjecit.*

Vocat virum suum, seu mittit ad virum, ut mitteret unum è pueris cum una asinarum, quia excurrendum haberet ad Dei virum. Quo rogante, cur adire virum Dei vellet, cum nec neomenia nec sabbatum esset. Cui responsum est ab ea, Pax. Salianus dixit iter ad Carmelum ab oppido Sunam longum ita esse, ut eodem die eo non potuerit pervenire, sed putat in vico aliquo pernoctasse postridieque clara jam luce ab Elisæo in itinere agnitam missumque ad eam Giezi à propheta. Festis diebus populus solebat adire Synagogas peritosque legis ad audiendum verbum Dei. *Calendæ autem*, inquit Salianus *& Sabbatum pro pervigilio eorum dierum videntur sumi.* Kimchi למדו ח״ל כי חייב אדם להקביל פני רבו בשבת וברגל:. Asina strata mandat puerum sine mora agere, nec subsistere nisi jussum. Id interpretantur alii ita ut ipsa insederit festinabunda, alii ut puer asino insidens festinet nec se respiciat, qua pedibus sequeretur. Cum jam Carmelo appropinquaret vidit eam eminus & agnovit Elisæus: missoque obviam Giezi percontatur, de sua, viri & filioli salute: quæ respondet *Pax*: Id est omnia in salvo. Ita mulier ad maritum & Giezi. Atqui non erant res domesticæ salvæ, videtur mentiri. *Qui eam tuentur*, inquit Martyr, *duplici utuntur interpretatione, quia oratio elliptica est. Nam potest esse sensus, mulierem*

rem id quod acciderat in bonam partem accepisse, quod à Deo immissum fuerit &c. Aliter sensus est, Pax id est tranquillitas scilicet domus est, quam proficiscens inquiro.

Cum in montem ad virum Dei pervenisset, genibus ejus advolvitur. Giezi eam abstrahere volens, à vate prohibetur, dicente: Video amaram animo esse, mihi tamen Dominus id non indicavit. Illa prophetæ: Nunquid petivi filium à Domino meo? Annon dixi ne fallas me? Durus sermo adversus prophetam Dei. Qui intellecto quid evenisset hospitæ suæ, mandat Giezi, ut deferens scipionem suum, imponat ipsum super defuncti pueri faciem. Putavit per Giezi, imposito baculo puerum in vitam revocari posse. Non est putandum quod ita mandaverit Elisæus ex se sine Dei præcepto & prophetia. Sed infirma fides mulieris miraculum distulit. Notavit Vatablus prophetam voluisse suum baculum sumi à servo, ut si forte revivisceret, hoc miraculum non sibi aut Giezi sed Deo tribueretur. Mandat servo tria ista: ut succingeret lumbos, ut curreret, ne quempiam invia salutet nec salutantes vicissim salvere jubeat. Christus etiam suis Apostolis (Luc. 10.) mandavit neminem in via salutarent. *Vterque illorum voluit*, (ut inquit Martyr) *ut animus obeundæ vocationi intentus esset, nec distraheretur variis curis, careret mora, & ut contentissimis precibus munus commendatum perficeretur.* Etiam ad literam posse accipi, quia tam grave & urgens officium salutationem excluderet. Ambrosius in Lucam: *Festinatio enim jubebat eum contendere, ut celebrandæ resurrectionis exsequeretur officium, ne confabulatione alicujus obvii mandato deflecteretur à munere. Ergo & hic non salutationis officium aufertur, sed obstaculum impediendæ devotionis aboletur: ut quando Divina mandantur, paulisper sequestrentur humana.* Theodoretus: Ἤιδει αὐτὸν φιλότιμον καὶ κενόδοξον· καὶ ὅτι τοῖς κατὰ τὴν ὁδὸν ἐντυγχάνουσι τοῦ δρόμου τὴν αἰτίαν ἐρεῖ, ἡ δὲ κενοδοξία τὴν θαυματουργίαν κωλύει. Quidam putant ideò neminem salutare debuisse, ut ne quid ageretur emanaret ad patrem pueri, sed ipso necdum rei conscio resuscitatio conficeretur.

Sequebatur famulum præmissum vates, coactus à muliere, quæ voluit ipsum vatem ire. Giezi eos antecesserat & posuerat baculum super faciem pueri & non erat vox neque auditio. Iccirco rediit in occursum ejus, nuntians: Non surrexit puer. Ineptum est cum Judæis causam non suscitati pueri adscribere inobedientiæ Giezi, quasi per viam jactaverit se baculo suscitaturum puerum mortuum. Vera causa fuit incredulitas matris, quamvis Martyr necessarium non putet ut semper fides adsit. Sic mannam incredulis datam, & apertas maris vias: at alia res. Nam Deus aliquando miraculo vult convincere contumaces, alias per miraculum credentibus dare beneficia. *Deus*, inquit ipse, *miracula sæpe dat non fidei sed honori ac gloriæ sui nominis.* Hic autem mulieris fides ornanda erat. Causam ipse assignat, *Videtur*, inquit, *Elisæus non recte atque ordine fecisse, qui facultatem edendi miracula voluerit alteri delegare. Nam Deus contulit ei de spiritu Eliæ, ut miracula faceret sed non dedit ei facultatem, ut hoc genus potestatis alteri committeret.*

Elisæus ingressus cœnaculum & funere conspecto, clausit ostium attente & sine distractione oraturus. Conscendens incubuit super puerum: os suum applicat ori pueri, oculos oculis, manus manibus. Eo modo se extendit, ut & incaluerit caro pueri. Hinc surgens perambulat ædes modo huc modo illuc se inferens. Rursum enisus in cœnaculum eodem modo porrigitur super corpus pueri. Tum puer sternutat septies: aperit oculos. Ita revocatum in vitam matri reddit, quæ ad pedes ejus provoluta est cum humili veneratione. ויעל ויגהר עליו / LXX. καὶ ἀνέβη καὶ συνέκαμψεν ἐπὶ τὸ παιδάριον ἑπτάκις. Vocem

cem ויזורר non reddiderunt. Et ויגהר non verterant Lxx, ſed Græcis literis expreſſerant ἐγχαὰρ ἐπ᾽ αὐτόν. Alii ἐπέκαμψεν: alii συνεκάλυψεν. Ralbag ſeptenis vicibus incubuiſſe & molimen repetiſſe vatem putat.

Magno molimine & ſenſim ſuſcitatio peracta eſt: quo innuitur miraculi magnitudo & difficultas ac lucta fidei. Kimchi notat, prophetarum morem fuiſſe ut adjungerent ſibi beneficio afficiendum, quod ejus præſentia orationem ſuam accendi vellent. Sic Iſaac oraſſe pro uxore, ut fecundaretur, לפני אשתו. Hoc tamen ſemper factum non eſt. Martyr: *Attendendum prætereà eſt hunc geſtum corporis Eliſæi nihil fuiſſe profuturum, niſi fuiſſet à Deo inſinuatus. Iuvit quidem puerum defunctum, ſed quatenus verbum Dei adjunctum habuit. Et ſanè omnes ritus & cerimoniæ, ſi nudè, ſimpliciter, ac ex natura ſua conſiderentur, videri poſſent circulatorum & impoſtorum geſticulationes & nullarum virium. Etenim ſacramenta ipſa, Dei verbo remoto, frigidæ & inanes actiones eſſent. Nam edere panem, ac vinum bibere, nec non aſpergi aqua, niſi præceptum Dei fuiſſet interpoſitum, & ejus verbum adjectum, res eſſent nullius momenti, cum tamen eo interpoſito, magnæ ſint cum dignitatis tum etiam commoditatis.*

Eſt præterea hic allegoria non omittenda, Prophetarum eſſe ac miniſtrorum Dei, ut ſeſe ad illos accommodent, qui eorum fidei ac gubernationi ſunt commiſſi, quantum divina lex patitur. Ita ſe Paulus geſſit, qui ad Cor: Epiſtola priore ſcripſit ſe omnia eſſe factum omnibus, illis qui erant ſub lege, quaſi eſſet ſub lege, & viciſſim illis qui lege carebant, quaſi eſſet abſque lege. Hoc eſt os ſuum ad os mortui & oculos ſuos ad oculos ejus, nec non ſuas manus ad ejus applicare. Sanos & valentes ad infirmos oportet deſcendere, quantum Lex & verbum Dei patiuntur. Mirabitur forte aliquis Eliam & Eliſæum attigiſſe cadavera, cum ex illo contactu juxta legem immundi fierent. Sed immunditiès legales, etſi pædagogiæ quædam erant, non tamen peccatis annumerabantur, niſi quis per contemptionem & data opera leges illas violaſſet. Imò interdum neceſſè fuit contaminationes illas incurrere. Nam ſepelienda erant cadavera, idque jure charitatis, quod fieri non poterat citra legalem immunditiam. Quin ipſe Moſes Legiſlator, cum igni cæleſti Nadab & Abihu filii Aharonis extincti eſſent, juſſit patruis eorum, ut eos humarent: quod fieri non potuit abſque immunditia. Erant quidem illa mandata tantiſper ſervanda, quandiu graviora præcepta non imminebant implenda, quemadmodum Eliſæo & Eliæ conſolanda erat vidua, & illuſtrandum nomen Dei, quibus ut mandatis graviſſimis, cedebat legalis immunditiès.

Cum aliquandiu incubaſſet Eliſæus ſuper puero, in lectulo ſuo, caro pueri incaluit: quod primum fuit vitæ indicium. Neque putandum eſt, calorem illum è carnibus Eliſæi dimanaſſe, ſed ex intimis pueri viſceribus erupiſſe, Deo vitam reſtituente. Hoc animadverſo dicitur Eliſæus, cum ſe dejeciſſet à lectulo, huc & illuc ambulaſſe. Nec (ut arbitror) ambulando à precibus deſiſtebat. Cur autem ſic ambulare voluerit, incertum eſt, cum ab Hiſtoria cauſa & ratio non aſſignetur. Conjicere tamen licet, ex illo ſenſu caloris nonnihil illum redditum alacriorem, ita ut præ lætitia exiluerit. Et forte nimium laboravit illo habitu & illa incubatione totius corporis, unde nonnihil preces remittebantur: nihilominus tamen ad priſtinam incubationem redit, ut excitandum puerum foveret, inſtar gallinæ, quæ ſuis ovis incubat, donec pulli excludantur. Dum autem ſecundo incubaret, alia ſigna vitæ puer edidit. Nam primum ſepties ſternutavit vel oſcitavit. Vtrumque enim verbum Hebraicum ſignificat. Deinde oculos aperuit. Hinc videmus fieri miracula bifariam. Quandoque tota ſimul eduntur perfecta & abſoluta, interdum paulatim & aliqua ſucceſſione. Quemadmodum hic factum videmus, & à Marco refertur, qui cæcum quendam narrat ſic lumen recuperaſſe, ut ab initio non viderit perfectè, cum homines viderentur ſibi arbores ambulantes: illorum quippe lineamenta & membrorum diſtinctionem cernere adhuc non poterat. Diſcimus præterea hinc non ſemper impetrari à Deo poſtulata

repente,

repente, atque ideo perseverandum assiduò in precibus, nec statim abjiciendum institutum orandi, si è vestigio non audimur. Neque dilatio miraculi ascribenda est infirmitati Dei: nam ille procul dubio valuisset puerum subito vitæ restituere. At sæpe rem differt, ut suos in fide ac precibus diutius exerceat.

Vallesius de sacra philosophia, ut soler, nimium naturæ facultatibus tribuens, in sananda aqua Hierichuntis & excitando filio Sunamitidos physicarum qualitatum rationem secutum esse modum faciendi miracula existimavit.

Octavum & nonum Elisæi miraculum; pulmenti dulcoratio & panum multiplicatio, 2. Reg. 4. v. 38. ad finem.

CUm Elisæus rediret Galgala; ubi fuerat cum Elia eunte ad translationem & ni fallor, post id sæpius; fames terram premebat. Habitabant filii prophetarum coram eo eodem in collegio scilicet, unisque ædibus. Jussit ut unus puerorum apponeret ollam grandem pulmentum cocturus filiis prophetarum. Cum esse natale solum prophetæ & illic notabile collegium prophetarum & Schola Theologica non minus quam centum prophetarum (ut inquit Martyr) voluit eos adversus famem consolari. Grandem ollam seu lebetem oportet fuisse, qui tot hominibus sufficeret. Prophetarum mensam tenuem fuisse ista quoque docet olla quia non perdices, capones aut phasianos, vel piscium pretiosa & multa corpora, sed pulmentum in ea fuisse traditur, נזיד Ch. תבשילא, Lxx. ἕψημα, Belg. *moes.* Olus fuisse historia docet. Nam ex agro collectæ herbæ & olerum fructus instruebant ollam. Ille, qui in agrum exierat, collecturus ארות id est, ירקות, olera (Lxx. relinquunt vocem Hebræam ἀριώθ, reperit vitem sylvestrem, (stirpem viti sylvestri adsimilem) è qua colligit in gremium cucumeres seu cucurbitas sylvestres (colocynthidas) easque reversus domum in ollam conscidit: quia eas non noverat. Ralbag dicit quosdam exponere cucumeres amaros (קשואין) alios colocynthidas. De primo genere והם בתכלית הרוע והסכנה לאוכל מהם. De secundo: גם כן כמו סם המות. Cum autem ex olla haustum pulmentum viris appositum esset, gustato amarissimo edulio, exclamant trepidi: Mors est in olla: nec poterant edere. Elisæus jubet afferri farinam eaque in ollam infusa, hauriri & apponi. Ita noxiæ vires & amaror emendata sunt & suaviter epulati sunt. Colocynthis dupliciter inconveniens fuit: Primo amarissimo sapore, deinde quia (ut loquitur Matthiolus) *cordi, jecinori & ventriculo maximè adversatur: quin & universum perturbat corpus, fastidium & intestinorum tormina excitans. Abradit enim intestina & vasorum oscula aperit, adeò ut etiam cruenta sæpe eliciat. Hinc meritò fit, ut eam dari prohibeant, nisi prius malefica ejus vis prorsus aboleatur iis additis antidotis quæ ad id præstant.* Plinius: *Chrysippus medicus damnabat eas in cibis. Sed omnium consensu stomacho utilissimæ judicantur & interaneorum vesicarumque exulcerationibus.* Pugnare videntur Plinii verba cum Matthioli judicio. Ex hoc loco tamen & Galeni ac Dioscoridis assertione constat in cibis nequaquam prodesse: quanquam potius amaritudinem, quam vim visceribus inimicam prophetarum filii incusavisse videri possint. In Græca versione inseritur nomen Giezi, quasi illi (nominatim) jusserit Elisæus ut emendatum pulmentum infunderet & apponeret. Sic emendatum est ut nihil mali fuerit in olla: ut habet textus Hebræus; & Græce οὐκ ἦν ῥῆμα πονηρόν. Quod Vulg. ad solam amaritudinem restrinxit. Quam tamen solam *mortis* vocabulum à prophetis in illa trepida exclamatione prolatum non videtur indicare. Vallesius fatetur miraculose factum, ut farinæ injectione emendata sit colocynthis sed putat (ita etiam existimat de salis in-

jectione in aquas Hierichuntis) farinam esse inter illa, quæ corrigunt noxam colocynthidos. Audiamus: *Sed, quo pacto, dices fieri potuit, ut vera colocynthis* (veram fuisse disputavit ex notis quæ in hoc loco indicantur; quia sarmenta & folia habebat viti sylvestri non dissimilia; & appelletur cucurbita agri, quemadmodum apud Persas, teste Mesue, cucurbita deserti; & amarissima fuerit, quemadmodum & Persæ apud eundem eam fel terræ appellant) *quæ non amara solum est, sed adeò perniciosa, ut si supra quatuor obolos, etiam emendata sumatur; possit supra purgationes & exulcerationes ventris & mortem afferre; atque adeò admota exterius enecet fœtus, solius farinæ sive triticeæ sive hordeaceæ immistione emendari adeò, ut mox daretur turbæ abundanter pro cibo? Non certè id naturaliter & citra miraculum effectum est, cum præcipuè inter agrestes herbas collectæ illæ colocynthides sint: cultura enim hortenses effectæ, non parum fortasse mitescerent, agrestes verò, præcipuè quæ non inter alias, sed seorsim nascuntur, perniciosissimæ sunt. Itaque miraculo effectum est, ut dulcescerent & noxam deponerent; ita tamen, ut hîc quoque velut in aliis plerisque, modus quidam naturalis operationis retentus sit. Nam medici omnes inter emendantia colocynthidem, recensent ea quæ lenta sunt & glutinantia, cujusmodi esse constat amylum, quod ex tritico conficitur, atque post hoc, etiam farinam triticeam: hæc enim suæ substantiæ modo lento & glutinoso, & sapore grato, atque ut ita dixerim, cibali, præsentem jam dysenteriam sanant, & imminentem antevertunt, ejusque caussis & efficientibus, & jam paratis obsistunt, mordacitatem & amaritudinem, aut acrimoniam hebetantia, & membranas internas ventris oblinentia. Haud dubiè igitur amylum & farina triticea, in emendantibus colocynthidem non instrenua sunt, non ita tamen, ut tantum, tam citoque valerent, nisi plus solito illis aspiraßet prima causa, quæ, ut rerum naturam à principio fecit, ita utitur ea ut vult.*

Post hæc quidam è Baal Salisa (Chald. *E terra austri*) בעל reddunt planitiem: sed puto nomen loci esse. Lxx. corrupte βαιθσαρισά) attulit viro Dei primarum frugum cibum: qui fuit viginti panes hordeacei, וכרמל בצקלנו. Ralbag putat, quod hordea torruerint & fregerint & colligaverint in grandes partes; id vocitasse כרמל; vas in quo portabant vocatum fuisse צקלן. Alii interpretantur כרמל spicas virentes & צקלן de folliculis, quibus vestiuntur. Circà tempus paschatis hordeorum messis est, tritici autem spicæ virides edules sunt. Lxx. partem alteram doni prophetæ allati interpretantur παλάθας. Jubebat Elisæus populo apponi: at minister: Qui apponam centum viris? Elisæus reddit: Appone populo ut edant, quia ita dicit Dominus: Edent & reliquiæ erunt. Ita factum est: nam Dominus multiplicavit substantiam panum & frumenti. Hoc miraculum illustre fuit sed longe minus illis Christi, qui septem panibus quatuor millia virorum: tum quinque panibus quinque millia virorum pavisse legitur. Cum utrobique forte major numerus mulierum & puerorum adfuerit.

II. Reg. V.

Naaman Syrus sanatus à lepra, quæ immissa Giezi. Hoc est decimum & undecimum miraculum Elisei.

NAaman supremus dux militiæ regis Syriæ, vir bellicosus & inclytus insigni victoria, quam Syrus præstiterat, eoque regi suo percarus & honorabilis, lepra erat infectus. *Per eum*, inquit textus, Dominus salutem dederat Syris. Eam salutem Judaica dras ita exponit, quod hic fuerit vir ille, qui in simplicitate sua arcum tendens Achabum interfecit. Alia dras per eum Dominum retribuisse Syris beneficium quod præstiterat Jacobo Laban, convivium magnum

magnum faciens. Gen. 29. 22. Nempe gentilibus beneficia retribui in hoc non futuro seculo. Hæ sunt ineptiæ, apparet ejus potissimum opera ingentem Syris victoriam partam esse. Forte turmæ militares (גדודים) (Lxx. *μονόζωνοι*, Vulg. *Latrunculi*) prædatum egressæ ceperant adolescentulam Israelitin: quæ serviebat uxori Naamanis. Hæc prædicabat divina opera Elisæi prophetæ Samaritani: herum suum absque dubio sanitatem recepturum, si eum vatem adeat. Movet virum, impetrat à rege suo veniam adeundi prophetæ & literas ad regem Israel. Assumpto igitur munere ad prophetam decem talentis & sex millibus auri & decem vestimentis mutatoriis proficiscitur Samariam. Literæ ad regem ita scriptæ erant: Ubi hæ literæ in manus tuas venerint, scito servum meum Naamanen à me missum, ut eum à lepra liberes. Lectis literis tanquam re tristi perculsus Joram, vestimenta lacerat. Deusne, inquit, sum, potens occidere & in vitam reddere, ut mittat mihi quem à lepra sanem? Profecto, animum advertite, causam quærit adversus me. Quidam putant regem Joram lacerasse vestes, quia Syrus blasphemè homini tribueret, quod Deo sit proprium. Sane Deo proprium est morbum curare verbo sine herbis aut mediis à Deo creatis: & lepra pro incurabili morbo habetur: non puto tamen hanc mentem regis Israel fuisse in laceratione vestium, qua blasphemiam ita abominetur. Metuit bellum, cujus causam quæri putat. Regum quorundam membra ut aliorum hominum vi medica polluisse novimus, verum rex Israel videt morbum hunc naturæ mediis vinci non posse, aut regis Syri scopum esse existimat, more prophetico & modo miraculi, ab illo sanari posse hominem. Prius videtur. Rex Syrus non videtur existimasse, quod Rex Israel per se posset sanare sed mens fuit, ut subditum suum de quo inaudierat, ad id faciendum adigeret. Ignorabat enim modum prophetæ: qui nullius hominis subest imperio. Cum autem de adventu Syri & regis indignatione cognovisset (sive per rumorem sive prophetiam) Elisæus, misit ad regem: Cur vestimenta tua lacerasti? Veniat ad me, cognoscet prophetam esse in Israel. Mirum autem, quod regi Israel de Elisæo non subierit animum cogitatio. A peregrino quæritur in regis sui mente non erat. Venit igitur Naaman cum equis & curru & substitit ante domum Elisæi prophetæ, de quo quæsierat, exitum & alloquium operiens. Martyr: *Quod Naaman venerit ad Elisæi domum cum universo comitatu equorum & quadrigarum, manifestum, inquam, & non occultum effectum est & exercitium non leve fidei ejus nec non spectatum exemplum piæ modestiæ. Hodie principes volunt Missas apud se fieri & per aulas & cubicula sacellanos habere longè magis fas esse judicantes, ut Deus ipse ad eos accedat, quam ut ipsi ad sacros cœtus fidelium illum quærant: cum tamen hoc multo sit justius, quando fieri potest. Legitur aliquot principes Romanos, dum essent cum imperio Athenis & libuisset audire quosdam philosophos, deposuisse fasces, cum scholas ingrederentur. Quod si id illi rectè fecisse dicuntur, humana sapientia tantum deferendo, quanto magis Christiani principes collaudandi sunt, cum se ad verbum Dei honore efficiendum submittunt & deprimunt?* At Elisæus intra ædes manens, per nuntium mandat: Abi, lavare septies in Jordane, restituetur caro tua & mundus eris. Eo accepto responso indignatus Naaman & contemptum sui ægerrimè ferens (sic enim illa fides hoc tentamine concussa est,) cogitabam, inquit, Egredietur ad me, stabit, nomen Domini Dei sui invocabit: manu sua locum mulcebit, ut lepram abigat. Nonne Abana (vel Amana) & Farfar fluvii Damasci, meliores sunt omnibus aquis Israël; adeoque illis præstaret lavari, ut emunder? Ita plenus iræ discedebat. Adeunt autem eum servi sui, Mi pater, inquiunt, si propheta rem difficilem præcepisset, fecisses omnino,

mnino, quanto magis cum rem facilem injunxerit, Lavare & mundaberis? Quærit Martyr, cur Deus voluerit aquis non contactu manus Elisæi Syrum sanari? *Causa potest afferri*, inquit, *ne scilicet arbitraretur in ipso* corpore vel manu prophetæ aliquam vim seu facultatem fuisse naturaliter salutarem. Naaman maluit conspicua & ad oculum magnifica, quam simplex & nudum verbi Dei mandatum seu promissum. Non sine causa Damascum ejusque flumina, quoad externam amænitatem & aquarum puritatem, Samariæ & Israeliticæ terræ fluminibus præponit. Videri potest Benjamini itinerarium. Servi eum Patrem appellant: sive quod more gentis fecerint, ut viro honorato id nominis dederint: seu quod clementiam ejus in se celebraverint.

Paret monito, descendit in Jordanem, septies lavatur & mergitur. Videt & miratur se sanum integrumque abstersa vitiligine. Hic non fuit typus baptismi nostri sed *ἀντίτυπον* quid. Sic enim lotio seu mersio hæc symbolum est credenti purificandi corporis ut baptismus mundandæ animæ. Sed quia Deus sub hoc symbolo voluit conferre purificationem, ut medio, cum quo res conjuncta fuit, ideo septies repeti debuit, quemadmodum debuit repeti seu bis sive septies incubitus Elisæi super excitando puerulo. At baptismus non indicat conjunctionem sed factam donationem rei. Quam donationem nulli personæ negatam esse charitas judicat, de qua bene existimare possumus, jure meritoque.

Naaman exultabundus cum toto comitatu ad virum Dei rediit. Coram quo profitetur. En, nunc scio, nullum esse Deum in toto orbe, nisi in Israël. Proinde benedictionem accipe à servo tuo. Fueritne in prophetæ ædibus, an alio in loco apud prophetam, non exprimitur: in ædibus seu hospitio, ubi diversabatur propheta, fuisse arbitror. Revixerat fides ipsius, qua amplexatur Deum verum. Elisæus accipere renuit, etiam sub jurejurando; Vivit Dominus, coram quo adsisto si capiam. Urgebat Syrus, sed propheta constanter repulit. Martyr: *Non recusat Elisæus munus, quasi sit nefas, illud accipere, sed ut magis commoveat & afficiat Naamanis animum ergà veram pietatem, cum animadvertat Dei prophetas abstinentes ab iis commodis & utilitatibus mundanis, quas idolorum sacerdotes magno studio captabant. Sic etiam nonnulli philosophorum leguntur fecisse, qui egregia & opulenta munera magnorum principum & regum quandoque repudiarunt, quo declararent præclarissimam philosophia vim & facultatem, qua homines reddebantur earum rerum contemptores, quas alii unice suspiciebant. Noluit Elisæus donum exponere contemptui, quasi esset res emptitia & venalis. Addit se multò alienum esse à scelere Simonis magi, qui gratiam Dei emere constituerat, quo eam deinde aliis pluris venderet. Videre adhac quam flagitiosum esset, pietatem convertere ad quæstum. Et cum apud Comicum histrio glorietur, se nunquam arti suæ avare statuisse pretium: tanto magis par est, ut prophetæ ac ministri Dei nullam præferant cupiditatem mundanarum rerum, quasi velint sacram doctrinam & charismata Spiritualia pretio vendere.* Naaman videns id se prophetæ non posse persuadere: Si non, inquit, servo tuo detur onus duorum burdonum terræ. Nam servus tuus non amplius holocausta & pacifica aliis diis offeret sed Domino. Obscurum videtur prima fronte cur id postuletur. Nam videtur liberum fuisse Naamani, ut de illa terra pro suo arbitrio acciperet. Quidam respondent, Naamanem sensisse aquas Jordanis sibi utiles fuisse Dei jussu per prophetam edito, ideò sperasse, terram quoque secum ablatam, accedente consensu & verbo Dei sibi fore in Syria utilem. Alii putant non petisse cujusvis terræ sarcinam, verum ejus, quæ erat in domo prophetæ. Nam à propheta eam petiisse non à rege. A domino illius non ab alieno. Cum vellet

Deo

Deo Iſraëlis deinceps ſacrificare: quod non licuit, niſi in terra Chanaan. Sic voluiſſe aram è terra non è lapidibus quadratis & expolitis, ut habetur Exod. 20. Non licuit è rapto Deo facere אלא אמר שלא יעשה המזבח לה׳ בגולה אם לא מרצון הנביא והמלך Merito iſta rejicit Martyr: *Nam hæc erant cærimoniæ, atque ideò ethnicum hominem non adſtringebant. Naaman autem conversus quidem eſt ad cultum veri Dei, qui apud Hebræos pro Deo habebatur ſed non ſuſcepit Iudaiſmum, quare licuit ei ex terra Syriaca & lapidibus ejus regni aram exſtruere ſuper qua vero Deo immolaret. Sed videtur hoc feciſſe forte quadam propenſione erga Iſraelitarum Deum, ut etiam ea terra, ceu externo ſymbolo voluerit ejus admoneri. Quod etiam ſtulto conſilio hodie nonnulli æmulantur, qui redeuntes Hieroſolyma vel Roma ſeu Compoſtella, pulverem, lapillos & neſcio quas nugas inde referunt. Quin & ſacrifici Papæ ſecum circumferunt lapidem quendam conſecratum, ut ajunt, delibutum oleo, crucibus conſignatum & verbis pſeudo epiſcoporum excantatum, ſuper quo miſſam faciunt quam citra illum facere non auderent.* Sic D. Martyr. Ego autem exiſtimo gentili converſo, ſeu Judaiſmum ſuſceperit per circumciſionem, ſive tantum fuerit σεβόμενος vel ἰουδαΐζων, ut loquuntur Acta apoſtolorum, non licuiſſe aram ſtruere ad ſacra faciendum, in ullo loco orbis. Nam & illi ſe convertere debuerunt verſus Hieroſolyma atque inibi Deum adorare, poſt quam tabernaculum à Moſe ſtructum fuit: ad arcam fœderis reſpiciendum erat & adytum. Pergit D. Martyr: *Sed redeo ad Naamanem, qui ſuam fidem in patria ſacrificiis teſtari voluit. Sed quid ei proderat Samaria terra, cum Deus non ibi ſed Hieroſolymis in templo Salomonico ſacra ſibi fieri mandaverit? Prætereà Iſraëlitæ Samariæ terram idololatria & graviſſimis ſceleribus contaminaverant. Quare nec illi audiendi videntur; qui opinati ſunt, Naamanem cogitaſſe terram illam ſibi ſubſternere cum Deum Iſraëlitarum invocaret. Ego potius ejus factum interpretarer, quod altare ſtructum ex ea terra voluerit eſſe apud Syros monumentum inprimis ſuæ fidei, deinde miraculi per Eliſæum editi, quo à lepra curatus fuit: Poſtremo teſtimonium Dei veri, qui ab Iſraëlitis coleretur. Atque hæc teſtata volebat non modo ſibi, verum etiam regi & populo Syriaco: quod porrò nihil aliud erat, quam ſuam fidem publice profiteri.* Hanc ſententiam amplectimur. Fuit civile & hiſtoricum monumentum, tumulus iſte, quem ex ea terra ſtruxit, non ara cultus Divini. Sacrificavit Deo Naaman ſuis impendiis in Dei templo Hieroſolymis. Eſt tamen communis ſententia, quod aram ſtruxerit & ſacrificaverit. Theod. ὁ δὲ θαυμάσιος ἐκεῖνος ἀνὴρ καὶ αὐτὴν τοῦ Ἰσραὴλ τὴν γῆν ἠγιάσθαι πιστεύων ἠξίωσε δύο γόμους ἡμιονικοὺς ἐκ ταύτης λαβεῖν ὥστε ἐπὶ ταύτης μόνης προσφέρειν τῷ δεσπότῃ θεῷ τὰς νενομισμένας θυσίας. Salianus exiſtimat ſacerdotem Iſraëliticum ſibi ſociaſſe, per quem immolaret. Nugæ! Si vel terra Hieroſolymorum alio tranſportata aræ Dei idoneum ſolum eſt, mirum, quod non inde Judæi olim in Babyloniam aut hodie in omnes orbis regiones transferant, pro aris cultus Moſaici. Deus ſane alligavit loco, è quo tranſlata terra inutilis eſt, quia non terram ſed locum elegerat. Non ſcribitur in textu quid propheta ad hoc primum poſtulatum reſponderit, ego annuiſſe puto, quia ita, ut expoſui poſtulatum hoc intelligo. Si autem eo ſenſu accipiendum ſit, quod terræ ineſſe ſanctitatem putet & in ea extra Hieroſolyma ſacrificare, minimè annuit ſanctus propheta. Alterum poſtulatum v. 18. *Hac in re condonet ſervo tuo Dominus.* Videtur petere ut vates pro ſe à Domino veniam petat. Cujus autem rei? *Quandò ingredietur dominus meus ædem Remmon* (idolum Damaſci & Syriæ erat) *ut adoret ibi: & ipſe innixus fuerit ſuper manum meam & incurvavero me in æde Remmon: Hoc incurvare meum in æde Remmon, condonet quaſo Dominus ſervo tuo, in hac re:* Hoc

 quod

quod commissurus erat Naaman, cujus sibi petit veniam, agnovit peccatum esse: aut saltem rem ejusmodi, ut sine venia facere trepidaret. Si peccatum erat, cur, nisi ex infirmitate permitti petit sibi? Indicat sibi rem esse cordi, cum bis repetat: Condonet Dominus servo suo. Vitio apparet dandum esse, quod nimio studio cuperet suam dignitatem retinere. *Nam si* (inquit Martyr) *gradui ac muneri suo cessisset, omne periculum evasisset imminentis peccati.* Sed hæc res fusius disputanda fuerit, ut Nicodemitis, quos vocant, defensio eripiatur. Hi volunt sibi licitum esse, ut sine urgente necessitate adsint cultui damnato, dummodo corde aliter sentiant. Quidam volunt Naamanem veniam precari rei præteritæ, cum in ignorantia sua domino incubante humeris corpore prostrato jacuerit humi in honorem idoli. Sed id puto nec res nec verba textus patiuntur. Nam veniam idololatriæ præteritæ precatus est nec dubitavit sibi condonatam esse. Loquitur de scrupulo, qui ipsum habebat solicitum. Omnem suam incurvationem imputat regis sustentationi, quæ sanè cum nondum conversus esset, ex ignorantia & devotione propria ipsius proficiscebatur. Cum de futuro sit solicitus agnoscit absque omni dubio, non licere, ut simulet idololatriam externo gestu, quamvis ab ea animo alienus esset. Hoc tamen est, quod illi Nicodemitæ contendunt. Id quærit, An civile servitium regi suo, in æde Remmonis, possit præstare, se incurvando non Remmonis sed regis causa? Porro. Non angit ea res conscientiam ipsius, ut videtur, cum regi suo non Remmoni famularetur ullo modo, sed externam speciem habebat culti idoli: quam speciem ne quidem dare vellet sine peculiari Dei permissu. Et sane peculiaris permissio Dei circa illum non poterat ab alio in exemplum trahi. Deinde cum & omnis mali species vitanda sit, ne offendiculum præbeamus, sic offendiculi ratio aberat, cum publice sine dubio sit protestatus, non dare se idolo honorem, sed regi suo officium. Et speciem istam non voluntate sua, sed ita poscente officio & Dei permissu faciebat. Tria igitur ista conjuncta erant, 1. Professio fidei suæ cum improbatione cultus. 2. Urgens officii necessitas. 3. Dei specialis permissio. Quidam Naamanis accusant postulatum vitii, alii excusant. Accusat Martyr, sic etiam Junius & Piscator. Alii excusant, ut cum plerisque Lyra & Burgensis. Lyrani cum censura Burgensis & Martyris dissertationes apponam quia conciliare conor. Lyranus: *Sed quia non solum adorare idolum sed etiam simulare hanc adorationem est peccatum, ideo dicunt hic aliqui, quod quia Naaman erat Neophytus, ideo in hoc sibi dispensavit Elisæus, & similiter, quod posset ædificare altare ad offerendum sacrificia extra templum, & etiam extra totam terram Israël. Sed istud non videtur convenienter dictum primo quod Naaman fuit Neophytus, quia propriè dicitur Neophytus, de novo conversus ad aliquam legem, sic circumcisus de novo apud Iudæos, & Baptizatus apud Christianos. Naaman verò non fuit conversus ad Iudaismum, quia non fuit circumcisus; nec per consequens ad legem Mosaicam obligatus, sed credidit Deum, qui colebatur à filiis Israël esse verum Deum & ab omnibus colendum, quod & multi gentiles fecerunt & sine legis Mosaicæ observantia salvati fuerunt, quia ad ipsam non tenebantur, sicut alias diffusius dictum est. Secundo, quia ea, quæ per se dicta sunt mala, non sunt dispensabilia, quia non possunt bene & absque peccato fieri, de quibus, est simulatio Idololatriæ; & ideò non videtur benè dictum, quod Helisæus in hoc ipsi Naaman dispensaverit, sed solum ei declarat illud esse sibi licitum, quod timebat esse illicitum, sic solent facere conscientiæ timorosæ. Habebat autem iste Naaman officium sustentandi regem: quia sicut regina modo per milites sustentantur, ita similiter tunc temporis reges per principes magis sibi propinquos. Istud autem non erat illicitum de natura sua; æqualiter enim poterat fieri extra templum idoli,*

idoli, sicut & intra. Sicut si aliqua puella Christiana capta à Saracenis, esset obsequio alicujus dominæ deputata ad portandum caudam suæ vestis, non videtur illicitum, quod eam portaret intra phanum Machometi, sicut & extra, dum tamen hoc non faceret propter reverentiam aliquam Machometi, sed solum intendens suum officium exsequi. Et hoc petebat Naaman ab Helisæo, scil. quod idem officium, quod licitè faciebat Domino suo extra phanum idoli, posset sibi facere intra, non ad aliquam idoli reverentiam, sed ne incurreret domini offensam; & hoc concessit ei Helisæus, quia non erat illicitum, ut dictum est. Tertio non videtur bene dictum, quod ei dispensaverit de altari construendo & ibidem offerendo, non solum extra Hierusalem, sed etiam extra Iudæam, quia illud solum fuit probibitum Iudæis post templi ædificationem, & quando arca Domini habuit stabilem mansionem, prout dictum fuit Deut. XII. & I. lib. VII. Naaman verò non tenebatur ad legem Mosaicam, ut prædictum est. Ideo potuit alibi licitè Deum colere altare ad hoc ædificando & etiam offerendo, sicut & filii Israël ante legem datam, ut patet de Abraam, Isaac & Iacob in Gen. & in pluribus locis. Quod autem ad hoc Naaman onus petiit de terra Israël fuit ex speciali devotione, ut dictum est, licet ad hoc non teneretur, & ideo circa hoc non fuit aliqua dispensatio, sed liciti concessio. Hic ita censet. Burgensis:

Licet Naaman non fuisset conversus ad Iudaismum neque circumcisus, fuit tamen Neophytus, quia de novo conversus ad legem naturæ, quam hactenus non servabat; secundum quam est illicitum adorare idolum, & etiam simulare illam adorationem prout ipsemet postillator asserit in hoc loco dicto, quod simulatio idololatriæ est per se mala. Sed omnia, quæ sunt per se mala, sunt illicita de jure naturæ, cujus principale principium est, quod bonum est prosequendum, & malum est vitandum, ut communiter tenetur. Sed advertendum est quod licet idololatria & ejus simulatio sint illicita de jure naturæ, tamen illud quod habet speciem illius simulationis seu adorationis, si non sit ibi adoratio, nec ejus simulatio, non videtur illicitum de jure naturæ, ut pote in præsenti casu. Si Naaman intrans phanum idolorum exercendo officium suum in sustentando dominum suum, non adoraret idolum, neque etiam simularet se adorare neque talem adorationem seu simulationem intenderet, adhuc tamen est ibi species mali: quia bis, qui talia non bene discernunt, apparere posset ipsum intrare causa adorandi, sicut & dominus suus intrabat, quod licet de jure naturæ non sit probibitum, probibetur tamen de jure divino, teste Apostolo, I. Thess. V: Ab omni specie mali abstinete vos. *Vnde declinationem bujus videtur petere Naaman, & Helisæus declaravit, sibi non esse illicitum, & hoc non dispensando, quia Helisæus non habebat potestatem dispensandi generaliter, sed hoc solum sibi declaravit.* Pro Lyrano Doring: *Vbi postilla dicit, Naaman Syrum non conversum fuisse* ad Judaismum & per consequens non neophytum, sicut quidam dixerunt, Burgensis objicit, dicens, *Quamvis Naaman non fuerit conversus ad Iudaismum tamen fuit conversus ad legem Naturæ, quam hactenus non servabat, ideò debuit dici neophytus. Sed assumptum videtur falsum, quia secundum Apostolum ad Romanos,* Et gentes ea, *quæ legis sunt naturaliter* faciunt, *ergò non minus Naaman quam alius. Nec sequitur, Ignoravit unum verum Deum & ejus cultum, quem nunc professus est, igitur nunc primum conversus est ad legem naturæ; juxta principia illius legis naturaliter impressa, quamvis non perfectè intellexit & fecit. Vnde sic Iudæi legis transgressores & Christiani mali per pœnitentiam vel per prædicationem conversi, non dicuntur Neophyti, sic nec Naaman & alii sub lege naturæ imperfectè viventes. Habuit enim Naaman ex babitu illius legis, quod species mali sit ab omnibus naturaliter vitanda, si tamen commodè vitari non posset, esse culpam venia dignam. Intelligens denique ex miraculosa cura circa eum in nomine Dei Israël facta, solum illum verum Deum esse, & solum adorandum; banc conclusionem elicuit, quod de cæterò idola colere nollet, sed Deum Israel, in omni loco, etiam in templo Remmon, quando juxta suum officium, quod in litera exprimitur, intrare cum rege oporteret, qui ingressus, quia speciem mali prætendere posset,*

venit

venit expiandus. Supplicavit igitur Helisæo, ut pro hujusmodi expiatione Deum deprecari vellet, & annuit Helisæus, dicens: Vade in pace. Frustra igitur dicit Burgensis, quod Helisæus hoc declaraverit, quod exercitium sui officii speciem mali haberet, quia Naaman hoc ex lumine naturali videt, & quia petivit ab Helisæo solum orationem pro se ad Deum, non dispensationem, sicut quidam dicunt; nec declarationem sicut Burgensis dicit.

Martyris dissertatio solidioris pietatis & sublimioris Theologiæ est: *Sed qui*, inquit, *eum utcunque defendere conantur, actionem procumbendi coram idolo subtiliter atque acute distinguunt. Si Naaman, inquiunt, eo animo genua flexisset, ut sui regis actionem imitaretur tum utriusque illorum opus ejusdem formæ, rationis, & naturæ fuisset, & idcirco idololatriæ damnaretur: siquidem imitando regem, idem facere voluisset, quod rex faciebat: Illius verò institutum erat, Deum Rimmonem colere, quare, nec imitator idolatriæ potuisset absolvi At hoc minimè quadrat in Naamanem, qui Elisæo jam contestatus erat, se posthac nolle holocausta & victimas diis alienis facere. Idcirco restat, illam actionem tantummodo genus officii erga regem fuisse. Quæ porrò ex genere suo indifferens erat: nam cum rege sedente sedere, cum stante stare, cum genu flectente genu flectere, neque ad virtutem, neque ad vitium per se attinent, sed tam bene, quam male possunt fieri, quo fit, ut formam & speciem ab adjectis, quæ circumstantias vocant habere dicantur. Eas vero si hoc loco spectemus actio Naamanis vitiosa deprehendetur. Etenim habenda est imprimis loci ratio, qua fit, ut in phano, & coram idolo una cum rege adorante, procumbendo, Naaman quoque se unum ex idololatris faciat.*

Deinde ipsius temporis consideranda est qualitas, nempe quod tunc se coram idolo Rimmone prosterneret, cum rex adoraret, siquidem homines haud solent, quamdiu sunt in templo adorare, sed tum demum cum opem numinis implorant, cum gratias illi agunt, cum ejus bonitatem potentiamve collaudant & celebrant. Eæ qualitates & circumstantiæ ostendunt Naamanis actionem contaminari. Sed illam adhuc inde non parum excusare nituntur, quod in factis hujus generis, ipse respectus non parvi sit momenti, quia, ut inquiunt, genua flectere siquis idolum non respiciat, nihil in se habet, quod peccatum redoleat cum è diverso, quisquis procumbit ad simulachrum, ad illud respiciens, ab idololatria immunis haberi nequeat.

Unde arbitrantur, eo respectu à Naamane remoto, eoque in rege posito, idololatriæ peccatum in rege solum, non in Naamane inhæsisse: Atque ut sunt arguti, simile huc afferunt Principis, quem permulti nobiles comitentur, dum sese ad scortum confert. Ut illi rei scortationis minimè fiunt, quod herum officiose consectentur, quandoquidem ut id faciant, justis & honestis legibus obligantur: neque hominem illum ut scortatorem, sed ut principem suum comitantur. Cæterum simile allatum, cum re de qua agitur multum habet diversitatis. Nam qui principem ita sequuntur, ex ea consectatione suspicionem scortationis minimè subeunt: omnes quippe intelligunt ad principem, non ad ipsos pertinere scortum, at in procubitu Naamanis coram idolo, non apparet discrimen, cum statuæ cultus ex æquo tam Naamani quam regi adscribi potuerit.

Atque in ista disputatione id obiter est attendendum, personæ quæ ita genu flectit rationem haberi oportere, quæ interdum ignota est. Et idcirco, dum cernitur in phano una cum aliis coram simulachro prosterni, creditur idem facere, quod alii faciunt. At si agnoscatur à cultu idololatrico abhorrere, posset existimari alia de causa una cum rege adesse ac procumbere, præsertim si protestatio intercessisset, quam sacra historia non tradit Naaman in templo coram Syris fecisse. Voluisse etiam illum suum locum ac principatum retinere, virtuti, non vitio adscribunt, Quoniam, inquiunt, cavendum erat, ne impius & perditus idololatra ei surrogaretur, at pietati promovendæ familiaritas illa cum rege admodum proderat. Dicuntur ista quidem utcunque plausibiliter, ne dixerim callidè atque astutè: nec facile dici potest, quam proni sint homines ad peccata quovis modo vel excusanda

fenda vel elevanda. Quamobrem hæc missa faciamus, id sequentes, quod in divinis literis habetur: non tantum scilicet, peccata esse cavenda, sed ab omni specie mali abstinendum. Nec licere cuiquam alterum ad peccandum suo exemplo inducere. Quocirca, cum Naamanis actio formam & speciem quam apertissimam idololatriæ haberet, atque alios, exempli argumento, in idololatriæ scelere confirmaret, mala erat, neque à recto sanoque judicio damnari non potest. Quodque affertur de successione periculosa. & utili familiaritate cum Rege, non est eo usque audiendum, ut eorum gratia injusta & illicita committantur, cum Apostolus disertis verbis ad Romanos dixerit: Non esse facienda mala, ut bona eveniant. *Idcirco mala exempla & idololatria caveatur cum primis, eventa verò & successus Deo committantur.*

Quid porrò Naamanem à culpa excusemus, cum illam ipsemet in opere suo agnoscat? Non enim de justo & honesto facto peteret, ut sibi Deus aut ignosceret aut propitius fieret: Deinde utut illius idololatriam excusemus, ejus turpem simulationem tueri non possumus. Ajebat utique Christus: Ita luceat lux vestra coram hominibus, ut cernentes recta opera vestra, glorificent patrem vestrum. *Ergo providendum est, ne homines opera nostra prava intuentes, Deum verum, quem colimus, blasphement, & illa de causa, in sua impietate constabiliantur. Siqua in re candidè agere oportet, id pietas & religio postulat, ut in se quam religiosissimè compleatur. Non licet piis hominibus in duas partes claudicare: nec licet nobis hac in parte duorum dominorum servis esse nec in bove, ut lex jubet, atque asino est arandum: Prohibetur item ager diversi generis semente conseri. Neque vestis usus concedebatur, quæ lana & lino contexta esset, quia ritus interdicti & à Deo mandati simul confundi non debent. Quare Naamanem, qui cultum veri Dei jam erat professus, una cum Rege ante idolum Rimmonem procumbere, piorum virorum judicio minime comprobatur. Multo fortius eo Principes protestantes Augustæ cum Carolo quinto ejus nominis se gesserunt, nam ii deducebant quidem imperatorem ad suam missam proficiscentem, verum tantummodo usque ad fores Ecclesiæ indeque discedentes, abitu suo quid crederent, quidvè sentirent de missa, publicè testabantur.*

A nonnullis quæsitum est quidnam captivæ puellæ faciundum foret, quæ heræ idololatræ cogebatur inservire, ac eunti ad fanum Dei sui vestem attollere? Consulendum ei fuit: quàndoquidem aliter non poterat, ut iret, sed caveret sibi, ne genua flecteret, seu speciem ullam adorationis & reverentiæ simulacbro præberet, ut quam ab idololatria esset aliena, omnes adstantes intelligerent. Non enim simpliciter & omnibus modis interdictum est piis hominibus, ne in fanis præsentes adsint, dum prophani & execrandi ritus exercentur. Etenim adfuit Elias, cum Pseudoprophetæ sui Baali sacrificarent, sed ut irrisor, & quidem liberrimus adfuit: insultabat quippe illis dicendo: Clamate vehementius, quod Deus ille vester, vel in itinere vel in diversorio est, gravibus negotiis distinetur, aut cum fortasse dormiat, vos minimè audit. *Quo animo, quo vultu, quo gestu, & quibus verbis adsit quispiam horrendæ idololatriæ, permagni refert. Nonne aderant in campo socii Daniel jam in regno assequuti magistratus & præfecturas, cum statua regis aurea maxima pompa erigeretur? Aderant quidem, sed illam non adorarunt, & Regi constanter ausi sunt dicere, se illam nunquam adoraturos, Adfuit item vir Dei sacro Hieroboamico, cum ipse Rex vitulis immolaret, at missus à Deo venit eo, improbavit & detestatus est, quod agebatur, iis adjectis minis, quas loqui Deus illi mandaverat. Ingressus est etiam Paulus deorum templum Athenis, non sanè ut ritus idololatricos approbaret, sed ut argumentum & occasionem inde caperet, confutandæ idololatriæ.*

Deduxit quoque Valentinianus Iulianum usque ad fanum, sed ibi colaphum impegit æditup, qui ad eum Ethnico more lustrandum aqua impura togam ejus perfuderat. Omnia deinde argumenta istam audaciam assimulandi, & scandalizandi adstantes oppugnant, quæ Paulus de accubitu in idolo & comedendis idolothytis ad Corinthios

perscripsit. Nec non illa rationes, quos ad Romanos exposuit, ad nimium fortes & audaces reprimendos, qui cibi & potus causa debiliores noxia libertate offendebant. Mathathia, viro Assamonaeo splendoris & dignitatis inter Hebraeos amplissima dabatur venia; ut aliam quampiam carnem edens, se tantum assimularet suilla vesci. Quod ille facere prorsus recusavit, dicens perinde esse comedere prohibita atque ea comedisse assimulare.

Lectores praterea moneo, ut expendant, sacram historiam an fecerit vel non fecerit Naaman, quod se facturum verebatur, minimè tradere, ideoque nullum argumentum ex ejus facto posse duci. Deinde si fecisset, ex eo non consequitur, ordine, rectè justè, sapienter, ac piè fecisse: colligamus potius, ut præfati sumus, illum in eo facto culpam agnovisse, qua venia & condonatione opus haberet. Nihil est itaque quod suos accessus ad impuras missas hoc exemplo aliqui excusent, cum ipse Naaman hoc peccatum apud prophetam oret ignosci. Fieri quoque id potuit, ut pia sanctaque Prophetæ intercessione Naaman adjutus, domum redierit, jam confirmatus, ut non amplius genua flexerit apud Rimmonem. Hæc illi: nos his axiomatis rem includimus:

I. De futuro veniam petere, non commissi præteriti, certum esto.

II Non petit rei dubiæ declarationem, sed certæ dispensationem.

III. Hæc res peccatum non erat, sed aliquid adiaphoron.

IV. Et quidem quod speciem habebat peccati, prima facie intuentibus.

V. Licitum sub circumstantiis debitis.

VI. Requirebat tamen peculiarem dispensationem, quæ removeret speciem mali adhærentem.

Non licet igitur mente adhærere Deo, & cultui Dæmoniorum interesse, multò minus illum exercere. Non licet illi adesse, nisi ex necessitate muneris civilis: quia idolum nihil est in mundo. Et ut scandalum infirmorum & gloriatio hostium præcludatur. Nihil facit ad rem, quod non fuerit circumcisione factus proselytus. Nam & qui cultum Dei suscepit, licet extra communionem politiæ Judaicæ, ab idoli omni communione & specie debuit abstinere. Speciem non facit cultus, qui publice protestatus est se nihil habere cum idolo. Utimur nummis idoli signo percussis, nec tamen quicquam communicamus cum cultu idoli. Sed quia & scandalum caveri debet infirmorum, Dei specialis permissio accedit in Naaman. Non potest enim infirmus ad imitationem abripi adversus conscientiæ sensum: quia nemini putabit licitum, nisi cui speciali indulto fuerit concessum. Qui igitur cum suis dominis ingredi contra conscientiam noluerunt: quique nec infirmis scandalum, nec inimicis gloriandi materiam datum esse voluerunt, eos laudo cum D. Martyre. Damnabiles sunt Nicodemitæ, qui solum Deo animum, corpus idolorum cultui tradunt, aut detestationem nullam palam in præsentia illius cultus significare volunt.

At manet difficultas, Quomodo Naaman Syrus non ita detestatus est cultum Remmonis, ut præsens esse ob animi reluctationem non potuerit? Dicemus, non licuisse illi munus suum deponere: nisi regis cum venia, cui obnoxius erat.

Hugonis Grotii annotatio est: *Talem gestum coram simulachro ullo exhibere Israëlitis lege erat vetitum, sine ulla exceptione animi aut interpretationis. At alienigena lege ista non tenebantur. Cum vero hic Syrus nunquam ingrederetur idolium, nisi regis causa, ipse vero profiteretur se cultorem Dei summi & in ejus honorem humum Israeliticam ad sacrificia sibi attulisset, facile intelligebant adstantes, Syrum hunc flexionem illam corporis regi præstare non Saturno aut simulacro ejus.* Idem ille Luc. IV. 27. De facto Naamanis disputat, Non posci ab eo veniam actus εἰδωλολατρικοῦ. *Quare*, inquit, *quod de corporis procubitu in templo Remmanis*

manis dicit, intelligendum ita mihi videtur, ut sit non peccati necdum perpetrati deprecatio (quam nemo sapiens admiserit) sed potius interpretatio facti ambigui. Nam cum corporis ista dejectio tam θρησκείας esset signum, quam ejus venerationis, quæ regibus exhibebatur, testatum volebat Naaman, se, quoties regem in templum comitatus, ibidem esset procubiturus, facturum id in honorem non Remmanis sed regiæ majestatis, paratus scilicet id ipsum coram rege atque aliis palam profiteri. Quare non tam hoc ut condonaret, quam ut æqui consuleret Deus precabatur. Nam, סלח, quod ἱλάσκεσθαι vertunt LXX. hunc sensum non respuit, ut videre est Num. XXX. Et יסלח Græce καθαριεῖ, valet, innocentem habebit. Scilicet facta & dicta dubiæ significationis tali testatione purgari solent. Ita ex Eusebio discimus Christianum quendam cum more Persarum regem adorasset, abstinuisse ab adoratione postquam ad Christum abnegandum erat provocatus: & ex Tertulliano Christianos veteres Imperatoribus tribuisse Domini appellationem, quando non cogebantur, ut Dominum Dei vice (id est quasi Deum) dicerent. Hactenus Grotius: Nos putamus evidens esse, quod non sit nuda testificatio, quia facti petit veniam: non tamen peccati. Facti indifferentis veniam petit, ut simul abesse possit scandalum & hostium triumphus. In eo etiam Grotius aberrat à mente Naamanis: Non testatur se in honorem regiæ majestatis procubitum illum facere, sed ex necessitate famulatus, quo corpus ipsius regio corpori fulciendo simul versus terram incurvabatur. השתחוה significat venerationem, qua caput versus terram deprimebatur, ut solum attingeret facies. Illi sæpe non semper præmittebatur dejectio illa in terram per extensionem manuum ac pedum. Ego etiam existimavi in superioribus illum ipsum procubitum significari voce illa Hebræa, & Græca προσκυνήσεως, sed nunc melius expensa re & pensitatis locis, quibus ille salutationis seu venerationis ritus describitur, video differre, quamvis sæpe cohæreant. De quo alias. Quod autem Grotius in Lucæ loco solam esse testificationem de sensu facti ambigui arbitratur non consentit sibi ipsi secundum hujus loci annotationem. Nam in hac annotatione veniam vult peti de facto contra legem. Patet eum Pontificiis gratificari, quando secundum præceptum Decalogi Christianos non obligare docet. Vide eum in expositione Decalogi.

De Naamane Syro disputat Tertullianus lib. 4. adv. Marcionem: *Si autem,* inquit, *Helisæus prophetes creatoris unicum leprosum Naaman Syrum ex tot leprosis Israëlitis emundavit, nec hoc ad diversitatem facit Christi, quasi hoc modo melioris, dum Israelitam leprosum emundat extraneus, quem suus Dominus emundare non valuerat, Syro facilius emundato, significato per nationes emundationis in Christo lumine earum, quæ septem maculis capitalium delictorum inhorrerent, idololatria, blasphemia, homicidio, adulterio, stupro, falso testimonio, fraude. Quapropter septies quasi per singulos titulos in Iordane lavit: simul & ut totius hebdomadis caneret expiationem & quia unius lavacri vis & plenitudo Christo soli dicabatur, facturo in terris sicut sermonem compendiatum, ita & lavacrum. Nam & hoc opponit Marcion: Helisæum quidem materia eguisse, aquam adhibuisse & eam septies: Christum vero verbo solo & hoc semel functo, curationem statim repræsentasse: quasi non audeam & verbum ipsum in substantiam creatoris vindicare. Nullius rei non ille potior autor, qui prior. Incredibile planè ut potestas creatoris verbo remedium vitii unius operata sit, qui verbo tantam mundi molem semel protulit? Vnde magis dinoscitur Christus creatoris, quam ex verbi potestate? Sed ideo alius Christus, quia aliter quam Helisæus, quia potentior Dominus famulo suo. Quid constituis Marcion, proinde res agi à servis quemadmodum ab ipsis dominis? Non times ne in dedecus sibi vertat, si ideo Christum negas creatoris, quia potentior fuit famulo creatoris,*

toris, qui ad Heliſai puſillitatem major agnoſcitur, ſi tamen major. Par enim curatio licet diſtet operatio. Quid amplius præſtitit tuus Chriſtus, quam meus Heliſæus? Imo quod magnum præſtitit tui Chriſti verbum? cum id præſtiterit, quod fluvius creatoris? Vide Nugas Marcionis valide eliſas, quibus Heliſæi; hoc factum deprimit: vide etiam allegoriam Tertulliani.

Eliſæus repudiaverat ingentia dona, quæ obtulerat & obtruſerat Syrus. Ea tamen animum Giezi cupidine incendunt. Ut vivit Dominus, quia tanta occaſio eſt, inſequar Syrum & prædam capiam. Vix præceſſerat Syrus כברת ארץ: Lxx. ineprè, εἰς δεβραθὰ τῆς γῆς: nec minus inepte Vulg. *Electo terræ tempore:* noſtri *Exiguum terræ ſpatium.* Ralbag dicit ſignificari ſuburbanum agrum, in quo horti & vineæ. Feſtinantem & gradientem gradus, cum videret, Naaman deſiliit curru prophetæ benefactoris ſervum excepturus. Rectene omnia, inquit. Hic Giezi, Recte, ſed miſit me dominus meus; Modo ad me venerunt duo juvenes è filiis prophetarum, è montibus Ephraim; ipſis dari velim talentum argenti & veſtes mutatorias duplices. Naaman autem, ſi placet, cape duo talenta: idque urget tanquam beneficii ingentis loco habiturus, ſi admitteret. Cum videret non renuere, ligat duo talenta in duobus ſaccis, quæ cum veſtimentis duobus pueris imponit. Hi præcedunt Giezi comitantem uſque in clivum. Eum putat Fr. Junius fuiſſe collem præputiorum, de quo Joſue. Cum Eliſæum Galgalis habitaſſe doceatur cap. 4. v. 38. Piſcator id non admittit, quia Eliſæus tum habitabat Samariæ ſupra v. 3. & deinceps. Et clivus hic, haud procul diſtabat Samaria. Collis præputiorum aliquot millibus ſejunctus fuit ab urbe Samariæ. Deinde collis ille præputiorum ſitus erat prope Jordanem meridiem verſus, cum Naaman Samariæ ad orientem iter inſtituerit. Fortaſſe etiam עפל, quod hic, nomen proprium loci eſſe. Ad clivum illum aſſumit talenta & veſtes à pueris, deponit in domo, in qua occuli poſſe putabat. Dimiſſis igitur famulis Naamanis, redit ad herum. Qui ad eum: Unde Giezi? Cum negaret ſe aliquo abiiſſe, Eliſæus, Nonne cor meum, tecum ambulabat, cum vir ille ſe è curru ad te verteret. Q. D. Cor ſuum in Spiritu vidiſſe ſervum euntem ad Naamanem; Deo prophetice iſtam itionem repræſentante. Nonne, inquit, tempus erat capiendi argenti & veſtes, oleas, vineas, oves, boves, ſervos & ancillas? Significat deſtinaſſe ipſum ſibi comparare iſta argento illo, quod acceperat à Naamane. Ideo adhærebit tibi & tuo ſemini in ſeculum lepra Naamanis. *In ſeculum*: Ralbag omnibus diebus ipſorum aut uſque Jobel, ut Exodi XXI. 6. Prius verius. Cum dicto adfuit res. Nam ab ipſo exiit lepra oppletus & nivis in morem albicans. Ab eo tempore Giezi non miniſtravit Eliſæo: quid autem factum ſit iſtis muneribus, ſintne relicta aqud Giezi an adempta ſcriptura non exponit. Salianus probabile eſſe putat, quod in ipſius poteſtate fuerint relicta, ut præmium fidi miniſterii & tanquam lepræ miſeriis compenſata. Sed cum legamus cap. VIII. v. 4. Giezi narraviſſe regi, mirabilia opera Eliſæi & famulum Eliſæi appellari, putant Salianus & alii hanc de Naamane hiſtoriam poſt id tempus contigiſſe: niſi per pænitentiam veniam delicti acceperit & ſanitatem receperit. Hoc poſterius admitti, non poteſt, quia vates præcinit, lepram ipſi & ejus ſemini in ſeculum adhæſurum. Potuit Giezi, licet leproſus regi exponere, ſui miniſterii facinora: & Eliſæi famulus appellari, ex præterito. Non ſane facile admiſerim tantam tranſpoſitionem.

II. Reg. VI.

TRia hic miracula Elisæi narrantur usque ad v. 24. Inde obsidio & fames Samariæ. Duodecimo miraculo fecit natare ferrum. Nam collegium id est ædificium, in quo distinctis mansionibus filii prophetarum habitabant (Galgalis an Hierichunte) nimis arctum erat, quam ut caperet. Referunt Judæi magistri (ut est apud interpretes Rasi, Kimchi, Ralbag) amoto Gehazi majorem fuisse confluxum, cum ejus malitia & acerbitas prohibuerit aditum. Hoc comminiscuntur ex cohærentia textus. Adeunt virum Dei discipuli illi, rogant permitteret ædificare. Velit omnes simul ire ad Jordanem: ut inde singuli è sylva cæderent tignum ad locum ædificandum, ubi habitent. Ralbag ita accipit: ut pars, quam non caperet ædificium (tabernaculum aut ædes illa altera) huc habitatum concederet. Hieronymum & Johannem Hierosolymitanum amplectuntur Pontificii, qui ut Monachos in casulis habitasse ad Jordanem, vitata urbium frequentia, victitasse polenta & herbis agrestibus scribunt. Theoderetus: ὁ δὲ τῶν προφητῶν χορὸς τὴν ἐσχάτην πενίαν ἠσπάζετο. Οὐδὲ γὰρ οἰκίας εἶχον ἀλλὰ καλύβαις ἐχρῶντο. διὸ ὁ τὸν μέγαν προφήτην ἱκέτευσαν συναπελθεῖν αὐτοῖς ξύλα τεμοῦσιν εἰς τὴν τούτων κατασκευήν. *Prophetarum* chorus extremam paupertatem diligebat. Nec enim ædes habebant sed tuguriis utebantur. Ideo magnum prophetam supplices rogant, ut una cum ipsis iret, cæsuris ligna ad horum *structuram*. Constat habuisse uxores, & unum communem locum voluisse ædificare ad inhabitandum. Martyr: *Videtur fuisse genus vitæ monastica, libera tamen citra vota & superstitiones. Vacabant Divinis literis & laudibus, nec non sanctis precibus: mittebantur semper ad plebem ædificandam & sanctos homines, qui degebant inter idololatras in religione sana & vera confirmandos. Videntur præterea exercuisse aliquas artes manibus operando, quo sibi victum quærerent, ne fidelibus essent onerosi.* Observandum, quod in Judæa, ubi sacerdotes & Levitæ erant, ejusmodi collegia prophetarum non fuerint. Deus enim, ubi ordinaria deficiebant pro sua clementia extra ordinem ipse mittebat afflabatque multos, qui sub unius magni inspectione prophetæ per collegia degebant, quod Dei Spiritus ejusmodi societates inhabitare amaret. Propheta annuit cum ipsis una ire. Cum igitur *filii prophetarum* (verba sunt Tertulliani lib. contra Judæos) *super flumen Iordanem lignum securibus cæderent, exiliit ferrum & mersum est flumine, atque ita Helisæo propheta superveniente petunt ab eo filii prophetarum, uti ferrum flumini, quod mersum fuerat, erueret. Atque ita Helisæus accepto ligno & misso in eum locum, ubi submersum fuerat ferrum statim supernatavit & lignum mersum est, quod receperunt filii prophetarum.* Ille qui ferrum amiserat, exclamat, quia acceperat commodato. Grot. *Religiose cavendum est, ne quis ex beneficio damnum sentiat.* Hinc non potest erui communis omnium paupertas, ut argumentatur Theodoretus: τοσαύτῃ δ᾽ ἐχρῶντο πενίᾳ, ὡς μηδὲ ἀξίνην ἀρκοῦσαν κτήσασθαι. Hæc superstitio est. Monstrat viro Dei locum, ubi mersum erat: qui præcidit lignum quo (aptato sicut Spiritus jusserat inquit Martyr) illuc misso, supernatavit ferrum: quod mandat ut tolleret. Martyr notat triplex fuisse miraculum: Primum ferrum emersisse, inde insertum esse manubrio (scilicet illi ligno præciso & aptato) Tertio duo conjuncta mansisse in superficie aquarum: lignum detinuisse ferrum in sublimi, non autem pondere ferri tractum esse ad ima fluminis. Hæc ille è Ralbag & Kimchi. Inepta illa sunt, ut quod pondere ligni ferrum detentum in supernatatione. Concedo lignum demersum & suo attactu traxisse ferrum, non tamen insertione ma-

nubriali aut pondere. Hoc miraculum transsubstantiatores trahunt in defensionem hujus paradoxi. Atqui ferri substantia sublata non fuit, nec qualitas ponderis seu gravitatis detracta: ministerio angelorum, quod facile, ferrum è fundo ad summa elevatum est. Judæi argutantur è voce ויעצב/ quasi aptam & proportionatam dedolationem notaret. Chald. reddit וקץ. Agitationem aquarum ex injectu ligni aliquid fecisse ad superelationem ferri bene negat autor Mirabilium S. Scripturæ. Tertullianus allegoriam facit ad lignum crucis. *Quid manifestius hujus ligni sacramento? Quod duritia hujus seculi mersa in profundo erroris & à ligno Christi id est passionis ejus in baptismo liberatur, ut quod perierat olim per lignum in Adam, id restitueretur per lignum Christi.* Theodoretus ad incarnationem: Τοῦτο δὲ πάλιν προτυποῖ τὴν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν οἰκονομίαν· ὥσπερ γὰρ τὸ μὲν κουφότατον ξύλον ὑποβρύχιον γέγονεν, τὸ δὲ βαρύτατον ἐπιπόλασε σίδηρον· οὕτω τῆς θείας φύσεως ἡ κατάβασις τῆς ἀνθρωπίνης ἐπραγματεύσατο τὴν ἀνάβασιν.

Cum autem rex Syriæ bellum gereret cum rege Israel, occultas machinationes Elisæus regi Israel solebat indicare: Militem in insidiis ponebat, quæ sine effectu detegebantur. Nam vir Dei mittebat ad Regem Israël: Caveas transitum per ea loca, quia insidentur à Syris. Id frequentius factum. Apparet Syrum bello superiorem, agros habuisse in potestate. Id autem molitum ut per insidias ipsum regem interciperet. Errat Josephus, qui tantum semel indicatum fuisse putat. Scribit autem regem exire voluisse ad venatum, sed prophetæ monitu non ivisse. Sæpe id factum indicatum, & veritas moniti prophetæ per Joram explorata. Auget autem, cum Regem Syriæ domesticos suos per convitia proditores appellasse & minatum esse mortem deprehenso scribit. Turbatus igitur, convocatis suis criminatur, proditores, esse in suis, qui regi Israel consilia sua enunciaret. Hic unus, Absit, inquit, sed Elisæus propheta, qui in Israël est, enunciat regi suo, quæ in secreto conclavi & cubiculo loqueris. Hoc audiens eum in potestate habere voluit. Exploratio igitur Dothane (in tribu Manassis) morari misit ingentem manum hominum cum equis curribusque, quæ per noctis tenebras & silentio oppidum cingunt. Cum minister prophetæ (nescio quis fuerit) summo mane egressus videret urbem circumsideri, extimuit: Domine, inquit, quid facimus? Noli, inquit propheta, metuere: plures sunt, qui nobiscum, quam hostium. Rogat etiam Deum ut ministro oculos aperiret. Oculis apertis vidit montem plenum esse igneis equis & curribus, circum Elisæum. Hoc decimum tertium illius miraculum fuit. Jos. ὁ δὲ θεὸς ἐπήκοος τῶν εὐχῶν τοῦ προφήτου γενόμενος πλῆθος ἁρμάτων καὶ ἵππων τῷ θεράποντι περὶ τὸν Ἐλισσαῖον κεκυκλωμένον θεάσασθαι παρέχει· ὡς αὐτὸν ἀφιέναι μὲν τὸ δέος, ἀναθαρσῆσαι δὲ πρὸς τὴν ὄψιν τῆς νομιζομένης συμμαχίας. Martyr: *Cum Deus, uti propheta rogaverat, ejus oculos aperuisset, conspexit totum montem completum equitibus & quadrigis igneis, & multo plures adfuisse ad Elisæi defensionem, quam essent urbis obsessores. Imaginariane fuerit hæc visio, an aspectui oculorum demonstrati fuerint equites & quadrigæ igneæ, certo statui non potest: cum utrumque fieri potuerit. Non tamen dubium est angelos fuisse, qui ea specie se ostenderunt, quemadmodum factum est, cum Elias curru igneo veheretur in cælum ab equis igneis. Mirabitur fortassis quispiam, quomodo Elisæus visus fuerit circumdari ab igneo exercitu, cum esset in urbe. Ita porro visum fuit, quo minister prophetæ intelligeret peculiariter missos fuisse angelos ad illum tuendum. Vidit itaque puer ista de causa imaginem seu speciem Elisæi residentem in medio castrorum, non quod Elisæi corpus revera & in civitate fuerit & in monte. Ostendebat hæc visio auxilia divina & efficacia & numero Syris prævalere. Nihil enim est igne magis efficax & actuo-*

actuosum: Deinde tanta fuit multitudo, ut totum montem complerent. Sequens miraculum verbis D. Martyris attexam: *Ita confirmato ministro, propheta urbem egressus est, quo conspecto milites ad eum descendebant, vel ut eum caperent, vel ut de illo sciscitarentur cum de viro Dei, tum de urbis dispositione. Is vero statim ad preces animum convertit, postulans ut oculi militum excæcarentur: non sane ut nihil viderent, quomodo alioquin iter fecissent usque in Samariam? Sed ut quæ viderent, nequaquam discernere possent. Cernebant ergò viam, cernebant rura & oppida, sed non agnoscebant quanam essent: quemadmodum & virum Dei habebant in conspectu, à quo ducebantur, nec agnoscebant prophetam esse, quem quærebant. Non fuit hæc ergo plaga ἀορασία sed ἀκρισία, quæ non poterant discernere, quæ videbant. Hoc impedimento Christi discipuli tenebantur, ne illum agnoscerent in via, quem præsentem videbant habitu peregrini ornatum. Et Sodomitæ, cum essent juxta domum Loti, non poterant illam ab aliis discernere, nec ejus portam invenire, à qua tamen procul non erant. Vt ergò Deus eos percussit, quia in Lotum manus injicere volebant: ita Syri etiam ἀκρισίᾳ laborare incipiunt, quod Elisæum capere statuissent. Negat Elisæus illam esse viam, negat etiam illam esse urbem, non quidem absolute & simpliciter, sed suam rationem refert ad eorum consilium & rei eventum. Non enim eo itinere capturi erant Dei prophetam, nec in ea urbe illum deprehensuri, sed in Samaria, quo illi statuerant proficisci. Vera itaque hac ratione dicit. Atque illis comem & benignum se præbet.* Ego ipse, *inquit* ad locum vos deducam, ubi coram habebitis virum, quem quæritis. *Milites ἀκρισίᾳ percussi eum sequuntur.* Idem affectus est quem in Sodomitis descripsimus. Affectum illum Hebræi vocant סנורים. Ralbag שלא יראו היטב. Ita eos existimasse aut visum esse illis quod urbs, quam habebant in conspectu, non esset illa, quam querebant forte quia per noctem iverant. Eliam interrogatum dixisse Non ita est, errastis in via nec est illa urbs, in qua sit Elisæus כי כבר הלך לעיר אחרת, quia jam versus aliam urbem se conferebat: Aut sensum esse non est Dothan. Sed priorem expositionem esse veriorem. Lyranus putat prophetam dicere suam mansionem diuturnionem & propriam non esse sic sed Samariæ. Non mentitur Elisæus nec agit dolo illicito: ut bene evolvit D. Martyr. Hic Grotius suo more: *Dolus in hostem licitus habebatur illo tempore.* Quasi propheta pro temporis & legis veteris captu egerit, quod tum licitum, hodie ex lege nova sit illicitum. Ipse in de jure belli & pacis lib. 3. cap. 1. §. 17. disputat falsiloquium in hostem licitum esse, sine limitatione V. & N. T. Falsiloquium scilicet in sermone asserenti. Abulensis: *Magis videtur dicendum, quod mentitus fuerit & tamen mendacium illud fuerit officiosum; vel non reputatum est mendacium, quia illud dicebat Elisæus, de incitante, ad hoc, quo manifestaretur gloria Dei per ostensionem istius miraculi.* Hæc verba merito improbat Salianus. Josephus ἀχλὺν Deum immisisse καὶ τὰς ὄψεις ἀμαυρῶσαι. Cum jam essent ita percussi, in medios hostes egressum esse vatem, rogasse quem quærerent.

Cum illi dicerent se Elisæum quærere, traditurum se eum respondisse, si sequerentur se in urbem, ubi esset. Καὶ οἱ μὲν ἠγνοηκότες τῷ προφήτῃ τὰς ὄψεις ὑπὸ τοῦ θεοῦ καὶ τὴν διάνοιαν ἐπεσκοτισμένοι σπουδάζοντες εἵποντο. Duxit eos intra Samariam, petiitque ut illo affectu liberarentur. Cognoverunt igitur se in media urbe Samariæ esse. Quærit rex à propheta, Sumne eos percussurus, mi Pater. Nequaquam, inquit propheta, quos tuo gladio & arcu cepisses, an cæderes? Sic interrogative locus in Hebræo conceptus est. Lxx. Vulg. Josephus sine interrogatione accipiunt: *Hostium qui paulo leniores sunt, captivis solent parcere.* Si parcitur captis bello, quanto magis parcendum miraculo venientibus in potestatem, nisi Deus aliter jusserit. Omninò jus in illos nullum

lum habebat, quia eos armis ſuis in poteſtatem non redegerat. Verba prophetæ ampliat Joſ. *Τούτους δὲ μηδὲν ἐργάσασθαι τὴν ἐκείνου χώραν, θείᾳ δὲ δυνάμει πρὸς αὐτοὺς οὐκ εἰδότας ἐλθεῖν.* Epulis refici jubet & dimitti. Magno igitur epulo excepti hoſpitaliter redierunt in Syriam. Poſthac turmæ populantium Syrorum in terram Iſraël non redierunt. Joſ. ſcribit regem Syriæ admiratum *τὸ παράδοξον καὶ τὴν τοῦ θεοῦ τῶν Ἰσραηλιτῶν ἐπιφάνειαν καὶ δύναμιν, καὶ τὸν προφήτην, ᾧ τὸ θεῖον οὕτως ἐναργῶς παρῆν, κρύφα μὲν οὐκέτι διέγνω τῶν Ἰσραηλιτῶν ἐπιχειρεῖν βασιλεῖ τὸν Ἐλισσαῖον δεδοικώς, φανερῶς δὲ πολεμεῖν ἔκρινε τῷ πλήθει τῆς στρατιᾶς καὶ τῇ δυνάμει νομίζων περιέσεσθαι τῶν πολεμίων.* Id quod dicit videtur textui quadrare: nempe, cum videret per inſidias nihil ſe poſſe efficere, ob Eliſæi divinam efficientiam, voluit totis viribus experiri & aperto bello. Quantis igitur poteſt copiis Samariam obſidet Benhadad ſecundus, viam faciens miraculo Eliſæi decimo quinto. Nam ex arcta & diuturna obſidione annonæ caritas & fames, ut aſini caput octoginta argenteis veniret & quarta pars Cabi ſtercoris columbini quinque argenteis (ſiclis argenti) Ralbag putat hanc famem univerſam preſſiſſe regionem, ut quæ ſit illa ſeptennii, quam Sunamitidi ſignificaverit Eliſæus, ut memoratur capitis octavi principio. Fortaſſis & alias cauſas fuiſſe illius caritatis annonæ præter belli ſævitiam, quæ ſata corrumpebat & agrorum uſum prohibebat. Ralbag dicit non poſſe ſe æſtimare, quæ utilitates fuerint ſtercoris columbini, in fame. Forte quia corruperant hoſtes proventum terræ, idque longe lateque, grana è diſſitis partibus collegiſſe, quorum partem non conſumptam è ſtercore egeſto Samaritani collegerint. Joſephus dicit veniſſe aſini caput *ὀγδοήκοντα ἀργυρῶν νομισμάτων*, ſextarium ſtercoris columbini quinque argenteis monetæ. Emptum autem fuiſſe ſtercus columbarum *ἀντὶ ἁλῶν*: id eſt vice condimenti, ut vertit Gelenius; *pro ſale* ut Rufinus.

Ex illa fame res horribilis accidit. Nam regem in mœnibus prætereuntem (Joſephus dicit ipſum regem quotidie mœnia & excubias obiiſſe, nequis prodendi viam iniret, cura & inſpectione & conſilium & opus impediturum.) inclamat ſuppetias mulier. Serva obſecro. Cui rex unde tibi ſuccurram ex areane an torculari uvarum. Cum id non eſſe diceret, quod peteret, ſed aliud quid, rex quærit quid eſſet? Illa: Convenerat, inquit, mihi cum vicina, quandoquidem nullum aliud adverſus famem remedium eſſet, ut jugulatis infantibus (nam utriq; erat filiolus) unum atque alterum diem hoc cibo ſe alerent. Se prius ſuum occidiſſe, quo heſterno die conſumpto in communem alimoniam, alteram illam mulierem à pacto diſcedere, & ſuum abſcondiſſe filium. Joſ. ſcribit regem maledixiſſe mulieri, *ἐπηράσατο αὐτῇ τὸν θεόν*: putabat enim aliquid cibi poſcere. Cum ſibi nec aream nec torcular eſſe diceret. Audita mulieris querela lacerat veſtimenta: & apparuit regem cilicio ſuper carnem indutum eſſe. Excanduit autem in Eliſæum. Ille tolerationem obſidionis ſolabatur & ſuadebat promiſſo liberationis Divinæ. Ioſ. tollendum dixiſſe, qui in tantis malis nullum dignaretur à Deo petere ſubſidium ſed cauſas iræ in vatem alii alias fingunt. Iurat rex eo die ſe prophetæ caput ablaturum. Cum nuntius præmiſſus properaret ad ædes, in quibus Eliſæus & cum eo ſeniores eſſent, indicat vates ſenioribus miſſum à rege ad fores eſſe regemque ipſum inſequi: nuntium ut amoverent nec permitterent ingredi. Vix verbum finierat, cum nuntius adeſt & ægre objectis foribus excluditur. Rex veſtigia premit: qui ad Eliſæum vociferatur: Ecce malum hoc à Domino, quid amplius Dominum exſpectem? Ioſephus (& ipſum ſecuti interpretes plerique) exiſtimant regem juſſi ſui pœnitentem acceleraſſe, ut ſpiculatorem præveniret, ne regii mandati exſecutio procederet. Seniores illi, qui aderant prophetæ, non fuerunt urbis

aut

aut regis, qui constituebat consistorium politicum, si fides Josepho, sed discipuli Elisæi. Videtur se Elisæus suamque vitam tueri per vim. sed respondet Martyr: *Defendit quidem se vir Dei, non quidem eo jure, quo dicitur licere, vim vi repellere: quod inter privatos locum habet; ille vero modo cum rege conflictabatur, cujus sententia quamvis dura & injusta, ferenda est subditis: sed usus est jure prophetico, quo pervidit regem non permansurum in sententia sed statim adfuturum, quo mortem prophetæ impediret: ideo tantum a discipulis & collegis petit ut remorarentur nuntium ad ostium domus ne statim ingrederetur.* Elisæus Ioramum appellat בן המרצח filium homicidæ, quia Achab pater, non quidem suopte impetu, sed persuasus & suo consensu Nabothi & prophetarum cædem fecerat. Quidam verba illa, quæ in v. 33. non ad regem sed ejus nuntium referunt, ut regis nomine ea pronuntiantem: quod non videtur. Iosephus dicit regem expostulasse cum vate, quod se cum civibus despiceret nec peteret à Deo finem istorum malorum.

II. Reg. VII.

AD ea verba excipiebat Elisæu: Audite verbum Domini: Ita loquitur Dominus: Cras secundum tempus hoc satum similæ vendetur & duo sata hordei siclo, in porta Samariæ (Jos. ἐν τῇ ἀγορᾷ). Jos. scribit regem cum præsentibus exhilaratum illi dicto adhibuisse fidem. השליש, Tribunus, (Jos. τῆς τρίτης μοίρας ἡγεμὼν Lxx. τριστάτης) cujus manui rex innitebatur: Lxx, ἐφ' ὃν ὁ βασιλεὺς ἐπανεπαύετο; Jos. τὸν φίλον αὐτὸν ἐπερηρεισμένον, bona paraphrasi. Ille ex incredulitate, Si Dominus fenestras in cælo faceret, an id fieri posset? Id est si de cælo plueret frumentum, id fieri non posse. Propheta autem, tu, inquit, oculis tuis videbis sed de eo non comedes. Hoc vaticinium ita eventum habuit: Mos erat ut leprosi extra mœnia degerent: quatuor igitur hac lue infecti haud procul mœnibus agebant. His cum nemo ad victum largiretur & extrema necessitas urgeret, Si inquiunt, in urbem introeamus, quod & lege prohibemur, si concedatur; fame tamen moriendum erit, & hic si subsistamus, eadem sors manet: ingrediamur castra hostium, si recipiant, vivemus, si occidant, festinata morte defungemur. Cum id certum esset, in crepusculo primo diei imminentis veniunt in castra, ac nemine occurrente, in primum tabernaculum ingressi cibo potuque se largè reficiunt, aurum etiam argentumque & vestes exportata recondunt. Hinc in aliud progressi, quod & vacuum erat, inde similiter furantur. Cum audentius progressi per castra (Jos. vult quatuor tentoria expilasse) omnia vacua esse hominum, plena prædæ omnis generis viderent, suspicantur, hostes relictis castris abisse. Nam per noctem, Dominus panico terrore hostem terruerat, quo in fugam fuerant conjecti. Audiebant enim, aut videbantur sibi audire (Jos. strepitum in eorum auribus sonuisse nempe rei, quæ non erat) ingentem strepitum equorum & maximarum copiarum hostilium in se adventantium: unde incerto autore editus rumor est, quem accipiebant omnes pro vero, Regem Israel conduxisse reges Hetthæorum & Ægyptiorum (Jos. regem Ægypti & regem insularum) Tanta autem trepidatio totis castris incessit, ut relictis omnibus, tentoriis, equis, asinis, cæterisque ut se habebant, saluti suæ consulere fuga optimum esse putaverint. Id cum primo crepusculo erat factum. Leprosi igitur conjicientes, quod res erat. Hic dies, inquiunt, læti nuntii est & gaudii. Si ad clarum diem exspectemus, iniquitas nostra nos involvet, eamus nuntiemusque domui regis. Clamant igitur ad custodem portæ urbis, se in castra venisse hostium, neminem hominem invenisse, nec hominis vocem sed equos asinosque alligatos & tentoria, ut se habere so-

 lent:

lent. Hinc res delata est ad custodes regiæ, Rex lecto excitatus, vocatisque suis in consilium, Rem sibi suspectam esse dicit. Sciunt nos esurire. Desperant urbem fame capi posse, insidias struunt: castra plena omni affluentia ostentant, ut ad diripienda castra egressos capiant vivos, urbemque ex improviso occupent. Hoc consilium quidam laudavit ut prudens & cautum, sed sibi videri quinque de superstitibus equis mittendos esse ut rem explorent. Verba in v. 13. quæ includi debent parenthesi: *Si quidem illi sunt, sicut universa multitudo Israelis, quæ remansit in ea; illi, inquam, profectò sint, sicut universa multitudo Israelis, quæ jam consumpta est.* Lxx, ἰδοὺ εἰσι πρὸς πᾶν τὸ πλῆθος Ἰσραὴλ τὸ ἐκλεῖπον. Vulg. *Quia ipsi tantum sunt in universa multitudine Israël, alii enim consumpti sunt.* Vulgatus ita locum accipit, quasi tantum quinque relicti essent equi, ideo in proxime superioribus, non dicit quinque residuorum, ut alii interpretes sed quinque residuos. Piscator hic audiendus est: *Verto*, Ecce ipsi sunt (ut) tota multitudo Israelitarum, qui reliqui sunt in ea (imo) ecce ipsi sunt, ut tota multitudo Israelitarum qui consumpti sunt. *Hæc verba includenda sunt parenthesi. Sunt autem dicta per prolepsin. Objectio: At periculum est ne nobis equi isti pereant, intercepti ab hostibus. Respondet, At non est, quod tantopere de illorum conservatione simus soliciti: quum non debeant esse meliore conditione, quam ipse populus.* Pene idem Fr. Junius. Josephus similem sensum odoratus, sed tantum duos ab illo nominatos esse scribit & de suo aliquid addit. πέμψαι γε μὴν συμβουλεύσαντος δύο τῶν ἱππέων τοὺς τὴν ἄχρι Ἰορδάνου πᾶσαν ἐξερευνήσοντας ἵν᾽ εἰ ληφθέντες ὑπὸ λοχώντων τῶν πολεμίων διαφθαρεῖεν, φυλακὴ τῇ στρατιᾷ γένωνται τοῦ μηδὲν ὅμοιον παθεῖν αὐτὴν ἀνυπόπτως προελθοῦσαν. προσαριθμήσειν δὲ φησι τοῖς ὑπὸ τοῦ λιμοῦ τεθνηκόσι τοὺς ἱππέας, κἂν ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν ληφθέντες ἀπόλωνται. De signo & omine accipiunt Judæi. Ejus consilium non displicuit, sed pro quinque duos sumpserunt. שני רכב סוסים, Lxx. δύο ἐπιβάτας ἵππων; Chald. תרין רכבי סוסן. Vulg. *duos equos.* Hypallagen esse putat Fr. Junius, pro, *equos vectura.* Piscator, *duos equos currales*, eodem sensu. Hi emissi usque ad Jordanem vestigia fugæ explorant. Reperiunt viam totam plenam vestimentis & vasis, quæ Syri inter fugiendum projecerant. Id cum illi regi nuntiassent, populum emisit prædatum castra Syrorum. Tanta illic copia annonæ inventa est, ut satum similæ venierit siclo, duo sata hordei siclo, ut erat à Dei viro prædictum. Rex autem Tribunum illum, quem supra memoravimus, portæ præfecerat: in qua oculis suis, quod crediderat fieri non posse, impletum videns, turbæ concursu proculcatus interiit. Satum, teste Josepho, continebat modium Italicum cum dimidio. Hoc numeratur pro decimo quinto miraculo Elisæi: quamvis non dicatur esse factum opera interveniente illius sed ab illo prædictum, quod Dominus facturus erat immediatè.

II. Reg. VIII.

CUm jam septennis fames, finem haberet, rediit in patriam Sunamitis. Hujus filium Elisæus revocaverat in vitam, ut supra narratum est. Ei etiam hanc gratiam retulit; imminentem famem prædixit mulieri, cum jam ut videtur, maritus illius in fata concessisset. Monuit, ut alio abiret peregrinatum, donec annonæ illa caritas laxaretur. Cum familia profecta erat in Palæstinam. Reversa in terram Israël ad regem ut agrum domumque recuperaret, proficiscitur. Ea ipsa tempestate rex Israël cum Gehazi colloquebatur de magnis operibus, quæ ediderat Elisæus. Narrabat Giezi ab illo mortuum esse resuscitatum: Commodum autem mulier ad regem admissa est: quam intuitus

tus Gehazi, dicit hanc ipsam esse, & filium illum quem Elisæus vitæ reddidisset. Rex igitur de omnibus mulierem percontatus, eunuchum dat comitem, qui curaret restitui agrum cum reditibus à tempore abitus. Judæi commentantur, quatuor istos leprosos, qui fugam Syrorum in urbem annuntiaverant, fuisse Giezi cùm tribus filiis. Hinc regi fuisse gratos. Septem illos annos famis etiam explicant. Primo anno edisse, quod erat in ædibus, secundo quod in agris; tertio carnem bestiæ mundæ; quarto bestiæ immundæ; quinto carnem שקצים ורמשים; sexto carnem filiorum & filiarum suarum; septimo carnem brachiorum suorum. לקיים, ut statuerent, quod dicitur: *Quisque carnem brachii sui comedent.* Illum סרים, qui missus est cum illa matrona, spadonem fuisse vult Kimchi, quamvis lege Dei vetitum fuerit, tamen fuisse in more regibus Israël ut in gynæceo ministrarent. Hos à gentibus aut morbo mutilatos fuisse secundum Esth. 2. 3. Hoc nihil est.

Benhadad secundus rex Syriæ in morbum inciderat. Josephus scribit ex fuga domum reversum, ubi cognovit ex vano timore se una cum exercitu in fugam conjectum, ratus omnino adversum se habere numen, per animi ægritudinem in morbum incidisse. Sed quæcunque causa morbi fuerit, gravi morbo tenebatur. Ibat damascum Elisæus. Quæ causa eundi? Ut ungeret Hazaelem, quod Eliæ in mandatis datum. In dras, illuc ivisse Giezi ad Naamanem Syrum, ut ei benefaceret: quia ipsius lepra illi adhærebat: ut quidem putat Kimchi. Alios dicere, ne deficeret à lege; quem voluerit Elisa reducere ad pœnitentiam. Vide cætera apud Kimchi. Cum in vicinia Damasci esset vates, id regi est nuntiatum, qui misit Hazaelem cum munere, consulturum de eventu morbi. Hazael munus habebat, ex omnibus Damasci bonis: quicquid eximium in regia erat & quodcunque ager optimum ferebat, ut inquit, Josephus. Quia textus dicit omne bonum Damasci id etiam commentationem Judaicam non effugit. Nec regia dona solum à præstantia sed & à magnitudine ac mole sua commendantur. Fuerunt enim sarcinæ quadraginta camelorum. Consuevisse reges prophetas liberalissimis ornare donis, sacra docet historia. An Elisæus receperit, non traditur. Abulensis & Martyr non recepisse disputant. Cum venisset ad prophetam: Filius tuus Benhadad, rex Syriæ, misit me ad te, quæsitum, An ex isto morbo sit convaliturus. Elisæus: Abi, inquit, nuntia vivendo vives. Deus enim mihi ostendit moriturum esse. De hoc versu 10. Martyr: *Si particula לא pronuntiaretur; ut scribitur, nulla esset in hoc responso vel obscuritas vel pugna. Nam dixisset propheta, Minimè vita vivet & Deus mihi demonstravit eum moriturum. Sed omnes interpretes affirmant א loco ו ibi positum: ut sit sensus dicere ei, Vivendo vives. At tunc gravissimum oritur dubium. Quia propheta videtur author esse Hazaëli ut hero suo mentiatur. Nam si Deus ostenderat Benhadadum interiturum, quid ei respondere oportuit: Vivendo vives? Mirificè laborant interpretes in hoc nodo solvendo.* Rasi. Vivendo vives: כלפי *de Hazael dicit quid vivendo vivet loco Benhadad ad regnum.* Sensus, quod Hazaelem dicat victurum & regnaturum. Lyra hanc expositionem judicat esse contortam, ideò vult prophetice dictum non imperative aut inductive. Dic ei id est dices ei: quam propheta videbat eum sic illi dicturum. Kimchi: *Scriptum per א secundum mentem ipsius quod non esset victurus & lectum לו per Vau, quia dicit ipsi quod victurus esset.* Et ostendit mihi Dominus, quod moriendo morietur] *Q.D. E morbo vivet, nisi interimatur. Sed ostendit mihi Dominus quod interficient eum; Et secundum sensum quando dicit Elisa Hazaeli, quod futurus esset rex Syriæ, dicit ipsi: Et ostendit mihi Dominus, quod morietur moriendo intellexit Hazael, quod vellet, dicere, quod ipse eum esset interfecturus, sed quod id non diceret* (בפירוש) *disertè.* Ralbag.: Vade dic ipsi, vi-

vendo vives. q. d. *Quod jam ostendisset ipsi Deus benedictus quod moriendo esset moriturus; tantum ut ne dicerent ei, quia à terrore moreretur. Dicit ipsi vivendo vives. Et hoc verbum convenit prophetis, quia in hoc magis verificatur veritas prophetiæ eorum.* P. Martyr prolixe discutit hoc dubum. Quatuor sententias refert, Primam Kimchi; alteram Gersomidæ, qua nolit per consternationem esse autor mortis illius, aperte eam annuntiando. Tertiam, prophetam loqui de vita æterna & beata, non de vita corporis. Quartam, quæ est Lyrani. Sed Martyris tota dissertatio bibliothecam nostram locupletet: *David Kimchi pugnam, quæ se offert prima fronte, ita conciliat, quasi duæ partes oraculi, diversa respiciant. Nam primam partem vult spectare ad morbi naturam, de qua fuerat ab Hazaële interrogatus, quasi diceret: Morbus quo laborat non est lethalis, & quod ad illum attinet, vivendo vivet: quamvis Deus mihi patefaciat, alia ratione illum priusquam convalescat à morbo, extinguendum: quæ posterior pars oraculi, additur, ne propheta deprehendatur fallax, cum postea Benhadadus deprehenderetur mortuus. Dicit igitur vir Dei, non stabit per morbum, quin vivendo vivat, cum tamen Deus mihi ostenderit Regem esse moriturum: sed alia ratione: commoda est expositio, textui convenit nec facile potest refutari. Sed juxta illam duo annotabimus. Primum responsum viri Dei non esse perfectum, quia etsi Propheta Benhadadum prædicit moriturum, non tamen indicat manu Hazaëlis esse interimendum. Deinde videtur hac prædictione solicitare animum Hazaëlis ad regnum affectandum, quod posteà reverà sic affectavit, ut naturalem mortem sui heri exspectare non potuerit. Ad primum respondemus, Deo satis fuisse de natura morbi respondere. Nam de eo cumprimis vir Dei rogabatur. Ad alterum quoque respondetur non esse novum atque inusitatum ut homines impii ex Dei verbis & operibus occasionem peccandi arripiant. Nam hoc merentur illorum scelera, ut unde vitam & salutem poterant nancisci, exilium inde & æternam mortem hauriant. Altera interpretatio est Levi Ben Gerson. Ea statuitur voluisse prophetam lætum nuncium præferri ad Benhadadum, ne si mors denunciaretur, quæ illi jamjam imminebat, tanta opprimeretur tristitia, ut ea consternatus ilicò mortem obiret. Quod fraudi esse potuisset viro Dei, quasi suo terrifico vaticinio Regem necasset: quod illi tanto magis exitio fuisset, quanto Rex ille à Syris plurimi fiebat. Cæterum hæc expositio mihi omnino videtur explodenda, quandoquidem nemini fas est quenquam ad mentiendum inducere. Ac multò minus prophetam decet id committere, quia tunc mendacium facile pro verbo Dei admitteretur, quod utique de illibata & syncera Dei fide permultum detraheret. Deinde non existimo virum Dei adeo meticulosum vel corporis vitæ cupidum fuisse, ut verum occultare voluerit, & falsum dicere, quo præsens periculum evitaret. Heliæ porro discipulus fuerat, & ejus duplicem spiritum assequutus fuerat. Ille vero Achabo regi potentissimo multo acerbiora coram prædixit, nempe sanguinem ejus lingendum à canibus in eo loco, quo Nabothi sanguinem linxerant. Et Ochoziæ prædixit cum per nuncios, tum etiam coram: de lecto quem ascendisti non descendes, sed morieris. Iis de causis hanc secundam interpretationem rejicio. Tertia deinde occurrit, qua statuitur Elisæum non de vita corporis, verum de æterna & beata, quam expectamus post hoc seculum, respondisse. Eamque promisisse arbitrantur vatem regi Syriæ, quod fuerit ad verum Deum Iehovam ex animo conversus. Ac id ex eo probant, quod non idola consuluerit, sed quemadmodum historia tradit, ipsum Iehovam, deinde ministerio viri Dei usus fuerit ad id non pseudoprophetarum. Cæterum non est verisimile prophetam voluisse responso æquivoco uti, ut cum rogaretur de vita corporis, de spirituali & cælesti redderet oraculum. Nec etiam certum est regem Syriæ solidè ac ex animo conversum esse ad cultum veri Dei. Nam etsi consulit illum atque id per Elisæum, fortassis vehementi cupiditate recuperandæ valitudinis id fecit, non ex pietate. Nam & impii quædam opera faciunt sæpenumero quæ sunt communia sanctis viris, sed id haudquaquam ex vera pietate ac religione syncera, verum ut aliquid boni consequantur, vel aliqua imminentia pericula evitent.*

Quarta restat interpretatio non improbanda, sed admodum probabilis, quæ nullum hic agnoscit vatis præceptum, sed tantum prædictionem eventus. Quasi sit in his verbis ἐναλλαγὴ, hoc est modorum commutatio, ut imperativus modus sit loco futuri indicativi, ceu dicatur: Respondebis tu quidem ac dices hero tuo, Vivendo vives, ut ei blandiaris, nec illum perterrefacias: Deus autem mihi ostendit, illum esse moriturum. Vaticinatur ergò quid ille sit responsurus ex animo suo & voluntate, non autem quicquam imperat. Nec est difficile demonstrare litterarum sacrarum testimonio, hanc enallagen esse in usu, & tempus futurum indicativi modi, pro Imperativo usurpari, cum in Decalogo præcepta enuncientur futuro tempore. Nam dicitur non mæchaberis, non occides, non furtum facies, cum ad imperandi vim & formam ista pertineant. Mandat quippe Deus ut hæc non committantur. Modum autem imperativum pro futuro indicativi quandoque poni, testimonia permulta demonstrant, sed in præsentia duobus ero contentus. In lib. Gen. cap. 20. Deus mandat Abimelecho Regi Geraræ, ut restituat uxorem Abrahamo: nam, inquit, propheta est, orabit pro te, atque addit וחיה id est, Vivito, quod ponitur pro eo, quod est, vives. Et in lib. Proverb. cap. 3. habetur ומצא חן & invenito gratiam, si hoc feceris, quod tibi præcipio. Est admodum facilis & aperta hæc interpretatio quocirca tam prima, quam hæc postrema videtur sequenda. Cur autem propheta non indicaverit Hazaëli Regem Syriæ illius manu perimendum, certa & firma ratio non potest afferri. Verum quidem est Kimchi existimare ita hæc à propheta enunciata, ut Hazaël id satis percipere valuerit. Sed hoc ille proprio sensu affirmat, non quod ex verbis textus eliciatur. Emanuel Sa ita explicat: Potes ei dicere quantum ad vim morbi attinet, non esse lethalem, revera tamen Dominus ostendit mihi &c. Quæ satis, inquit Salianus, commoda est multorum explicatio. Nec tamen absurdum puto interpretari illud, Vade & dic ei, quasi dictum esset, vades & dices ei, nolens scilicet esse mali nuntius. Sic Dominus dixit Spiritui malo (1. Reg 22. v.3.) qui pseudoprophetas decepturus erat Egredere & fac ita. Vel dic ei, si volueris, eum curatum iri, nihilominus ostendit mihi Dominus, quia morte morietur. Sensum igitur commodum habet τὸ קרי/ quod universa sequitur natio interpretum, Chaldæus, Lxx, Vulgatus, Lutherus & cæteri. Maluerunt כתיב sequi & abire à communi sententia Junius, & Belgæ. Piscator Junium vertentem, Non omnino revalesces censet. Verto, inquit, cum aliis: Dic ei omnino convalesces. Sed ostendit mihi Iehova, eum moriturum. Ita ut in Hebræo pro לא id est, non, legatur לו id est, ei quam lectionem confirmat accentus maccaf: & ipsa sententiæ simplicitas. Vult enim propheta impium illum Benhadadum vana spe deludi, sicut ipse anteà deluserat exercitum ejus, introducendo eum in urbem Samariam supra cap. 6. Deinde, si legatur לא id est, non: & particula illa adjungatur sequentibus, ut dicatur, Non vivendo vives: vel Non omninò revalesces: sensus erit, Non est certum te victurum seu convaliturum sicut Gen. 3. v. 4. Non moriendo moriemini: idem valet, quod, Non est certum vos morituros, ut ibidem in annotatione tradit Fr. Junius. Sed hoc genere responsi authoritas prophetæ in discrimen apud Benhadadum venisset, quasi nihil certi posset indicare. Belgæ verterunt: Gaet henen/ segt: Ghy en sult ganschelijck niet genesen. Annotatio: Heb. Ghy sult levende niet leven. And. aldus: Segt hem/ ghy sult levende leven: verstaende dit spottischer wyse ghesproken. Vergel. 1. Reg. 22. 15. De woorden worden oock vertaelt aldus: Gy zoudt connen sekerlijck genesen. Ende de sin is dan; dat de fieckte Benhadads wel uyt haer natuere/ niet en was ter doodt/ alsoo dat hy daer van zoude hebben connen opstaen/ maer dat hy evenwel sterven zoude/ door eene andere maniere/ eer de sieckte een eynde zoude nemen. Satis liquidum est licet negativam non admittamus nullum ἄτοπον sequi: Grotius tamen: Si hanc lectionem sequimur, fuerit hic non dissimulatio sola, qualem ponit Iosephus, sed plus aliquid,

quod tunc adversus extraneos & idololotras habebatur pro licito.

v. 11. Et statuit faciem suam & posuit (עד בש) ad confusionem; & flevit vir Dei.

Quidam verba primi hemistichy referunt ad Hazaelem, quod intenderit oculos in prophetam miratus, quod videretur contraria mandare. Plerique referunt ad prophetam. Nempe avertisse faciem suam volentem se continere à lachrymis & dissimulare animi mærorem appositis ad vultum manibus sed tandem lachrymas erupisse. Sic Rasi, Kimchi, Ralbag. Aut in ipsum Hazaelem intuitum, donec Hazael confunderetur. Josephus *Καὶ ὁ μὲν οἰκέτης τοῦ βασιλέως ἐλυπεῖτο ταῦτα ἀκούσας. His auditis regius famulus dolore affectus est.* Septuaginta Regia & Complutensia Hazaelem exprimunt: septuaginta Romanæ editionis non exprimunt. Flevit igitur propheta, & Hazaele quærente causam lachrymarum, dixit: Quia scio, quæ mala his facturus filiis Israel: munitiones eorum igne succendes & juvenes (electos) eorum interficies gladio & parvulos eorum elides & prægnantes divides. Jos. *παιδία μὲν ἀπολεῖς προσρήγνυς πέτραις, τὰς δ' ἐγκύους ἀναῤῥήξεις γυναῖκας.* Tum Hazaël, Enim verò quid servus tuus, canis, ut faceret rem hanc tantam? Ostendit mihi Dominus, Te regem Syriæ fore. Cum Hazael ad regem rediisset, retulit verbum prophetæ fuisse, vivendo vives. Postera die (מכבר) (Chald. נסיב גתנכא) (Lxx. *μαχβάρ*) (Jos. *δίκτυον*) udum stragulum injecit in faciem ejus, quo elisit animam. Volunt Rabbini per speciem refrigerationis & remedii factum esse, quod machinabatur & inferebat mortem. Hazael iste & Adar (Ader) apud Damascenos pro diis culti fuerunt ob benefacta & structuras templorum quibus Damascum ornaverant. Eorum nimiam Damasceni ferebant antiquitatem, teste Josepho. *Πέμπουσι δ' αὐτοῖ* (Damasceni) *καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἔτι τε τιμῇ τοῦ βασιλέως, καὶ σεμνύνονται τὴν τούτων ἀρχαιότητα, οὐκ εἰδότες ὅτι νεώτεροί εἰσι καὶ οὐκ ἔχουσιν αὐτοὶ οἱ βασιλεῖς ἔτη χίλια καὶ ἑκατόν.* Non legimus, quod aut Elias aut Elisæus Hazaelem unxerit. Ideò unctio pro designatione videtur esse accipienda. *De Ioram filio Iosaphat. 2. Paralip. 23.*

II. Reg. VIII. 16--19.

Defuncto in Judæa Josaphato succedebat filius Joram, qui natus annos triginta duos accepisse regnum traditur & annos octo obtinuisse. Hic sequebatur impietatem domus Achab, cujus filiam duxerat. Defuncto patre, cujus collega fuerat viventis, cum stabiliisset sibi solium, fratres suos Azariam Jajelem, Zachariam; Azariæum, Michaëlem & Saphatum interimit. Pater enim illis dona multa constituerat auri, argenti & rerum pretiosarum (למגדנות) cum vrbibus munitionum (ערי מצירות) Hoc igitur sustulit, cum nonnullis principum Israël. Noluit Deus domum Davidis perdere, ob fœdus, quod cum Davide fecerat. Et quia dixerat ipsi & filiis se semper lampada daturum. Achabi posteritatem ideo delevit, ut Jeroboami & Baasæ, ob idololatriam, Davidis posteritati delinquenti pepercit. Ipse tamen ob sua delicta pœnas in sua persona pertulit. Idumæi defecerunt à domo Davidis, & sibi regem constituerunt. In superioribus sub Josaphat comemoratur rex Edom, sed ut Rasi recte annotat לא מלך גמור היה אלא נציב *Non rex perfectus sed præfectus.* Joram cum præfectis & curribus profectus eoque noctu adortus magna clade affecit. Cæcidit enim Idumæos, circum se & præfectos curruum. Non potuit tamen Idumæos sub jugum redigere, qui usque ad Johannem Hyrcanum regem ex Hassamonæis à Judææ dominatione liberi manserunt. Medio tamen tem-

tempore paruerunt Chaldæis, Persis, & Macedonibus. Defectionem Idumæorum ita describit Josephus: Cum defecissent circa idem tempus regemque superiorem qui Jorami patri paruerat, interfecissent, & quem vellent sibi constituissent, Joramus cum equitibus, quos habebat, & curribus noctu in Idumæam irrupit: & corruptis finitimis regni sui ulterius non est ausus progredi. Nec ista expeditione quicquam profecit. Omnes enim defecerunt itemque qui regionem colunt, quam vocant Labinam. Lobna (sive Labina) enim post istam expeditionem defecit. Faciebat excelsa in montibus Judææ: Hierosolymitas in idololatriam induxit: etiam coëgit ad cultum alienum.

Ad impium regem delata est epistola Eliæ prophetæ, quæ habebat in hunc modum: Ita dicit Deus patris tui Davidis, quia non ambulasti in viis patris Josaphat & Asæ regis Judæ: sed ambulasti in via regum Israël & fecisti scortari incolas Jerusalem: secundum scortationem domus Achabi: & interemisti fratres domus paternæ, te meliores: ecce Dominus percutiet plaga magna in populo tuo, & liberis tuis & uxoribus & in omnibus facultatibus tuis. Eris etiam in ægritudinibus, per ægritudinem viscerum tuorum, donec viscera tua egrediantur ex ægritudine, anno super annum. Argumentum hujus epistolæ Josephus recitat. At quomodo ab Elia, qui ante annos aliquot in cælum erat translatus, ad eum venire potuit epistola? Argumentum epistolæ videtur pertinere ad postremos annos Jorami regis Judæi, qui regnum iniit anno quinto cognominis regis Israël, finiit illius duodecimo: Elias autem excessit è rebus humanis anno primo, uti videtur. Jorami regis Israël. Judaicum delirium est Eliam misisse Epistolam è paradiso seu circumvagatione sua invisibili per orbem. Lyranus: *Dicunt autem Hebræi, quod istæ literæ fuerunt ei allatæ post translationem Eliæ in cælum: de qua habetur 4. Reg. 2. Et hoc videtur rationabiliter dictum: quia in illis literis fiebat mentio de occisione fratrum suorum. Illos autem non occidit vivente patre ejus Iosaphat ut satis patet ex principio hujus capituli: nec Iosaphat etiam hoc permisisset &. Elias vero raptus fuit ante mortem Iosaphat, quod Helisæus, qui remanserat loco Heliæ, post ejus raptum prophetavit tribus regibus de aqua eis danda, propter reverentiam ipsius Iosaphat &c.* Grotius: *Credidere ergò ab Elia, postquam humanis rebus ereptus est, scriptam hanc epistolam: quod non est, quod magis miremur, quam quod Iudas Machabæus somnio divinitus immisso vidisse scribitur 2. Maccab. XV. Oniam sacerdotem & Ieremiam prophetam pro populo orantes.* Kimchi: *Hoc fuit postquam ascendit: Et hic est sensus, quod revelatus sit Elias in Spiritu prophetiæ & posuerit in ore ejus verba hujus scripti.* Voluisse ut scriberet, quo putaret rex cælo venire scriptum & se humiliaret: non dicitur, quod verbum venerit ab Elia sed scriptum: nec est auditum in literis sacris à seculò, quod homines per quietem visi sint aliquem alloqui & imponere mandatum Dei nomine. Malunt igitur scriptum quoddam ab Elia vivente & futura prævidente scriptum esse & delatum (à nescio quo) ad regem Judæ. Piscator existimat hunc Eliam fuisse alium ab illo Thesbite. *Hoc*, inquit, *non potest intelligi de Elia Thesbite: quum ex 2. Reg. 2. constet illum in cælum raptum fuisse temporibus Iosaphati. Nec vero putandum Eliam Thesbiten epistolam hanc scripsisse ante sui in cælum assumptionem, eamque apud aliquem deposuisse, ut suo tempore redderetur. Nam hoc commentitium est & textui adversatur, ex quo manifestum est, epistolem hanc tum demum scriptam esse, quum Ioramus peccata illa, propter quæ hic objurgatur, perpetrasset. Quare necessariò intelligere oportet de alio aliquo propheta, cui nomen Elia fuerit. Sic fuerunt duo prophetæ, quorum utrique nomen fuit Micha: prior filius Iemlæ, qui vixit sub rege Achabo. 1 Reg. 22. 8. posterior Morasthites, qui vixit tempore Iothami Mich. 1. v. 1.* Interpretes Belgæ videntur

dentur non improbabilem existimare sententiam, qua scriptam esse putatur hanc epistolam ab Elia Thesbite. In hoc enim scripto videri vaticinatum esse Eliam de statu regni Judæ sub Joram, ut vir Dei, qui Bethel veniebat, longo ante tempore de rege Josia prophetavit 1. Reg. 12, 2. Et Esaias de Cyro cap. 44. 45. Et Daniel de Monarchiis & regnis terræ Dan. 2. 7. &c. Aliud autem est de regibus post futuris prophetare, aliud est ad ipsos epistolam dirigere. Deus igitur juxta hoc vaticinium excitat Spiritum Palæstinorum & Arabum אשר על יד כושים, qui ad latus Æthiopum, Jos. τῶν ἔγγιστα τῆς Αἰθιοπίας κατοικούντων. LXX. καὶ τοὺς ὁμόρους τῶν Αἰθιόπων. Josephus Palæstinos hic ἀλλοφύλους vocat, imitatus LXX: id in superiori historia non fecit. Hi irruptione facta in Judæam; omnes facultates abstulerant quæ erant in domo regis, etiam liberos & conjuges: unde illi nullus filius relictus est nisi minimus Joachaz seu Achazia. Videri posset quod ipsa Hierosolyma eodem impetu invaserint, quia ibi domus regis sed apparet è cap. 22. v. 1. domum regis in castris fuisse quæ direpta sunt à barbaris. Post id Deus eum affecit morbo intestinorum, qui curari non poterat. Hic morbus toto biennio afflixit regem, quo tandem intestina putrefacta egessit simulque animam, vario & multiplici genere ærumnarum. Non est facta super eo combustio, ut super antecessoribus. Fœtidum cadaver non est illatum monumentis regiis, quamvis in civitate Davidis sepultum fuerit. Jos. Περιύβρισε δὲ αὐτοῦ καὶ τὸν νεκρὸν ὁ λαός· λογισάμενοι γὰρ οἶμαι τὸν οὕτως ἀποθανόντα, κατὰ μῆνιν θεοῦ, μηδὲ κηδείας τῆς βασιλεῦσι πρεπούσης ἄξιον εἶναι τυχεῖν· οὔτε ταῖς πατρῴαις ἐνεκήδευσαν αὐτὸν θήκαις οὔτε ἄλλης τιμῆς ἠξίωσαν. Heb. וילך בלא חמדה. ἐπορεύθη οὐκ ἐν ἐπαίνῳ.

De Ochozia rege Iudae 2. Chronic. 22. II. Reg. 8. 24. fin.

Hierosolymitæ Ochoziam filium Jorami natu minimum regem faciunt. Hic patris facta imitatus, cum se matri regendum daret & Achabicæ domus consiliariis uteretur, infelici exitu, anno secundo regni finiit. Cum enim Joram apud Ramoth in Galaad bellum gereret cum Hazaele rege Syriæ, junxit vires suas Ochozias. Josephus causam belli hanc facit; Joramum defuncto Benhadad spem cepisse recuperandæ Ramoth, urbis in Galaad. An Ochozias ipse præsens fuerit in prælio, quo vulneratus est Joram, incertum est: existimo non adfuisse. Cum igitur Joram, sive in oppugnatione urbis (ut vult Iosephus) sive conflictu alio vulnera acceperit, decumberet, decumbentem Ochozias visere venit. Curandi enim vulneris causa receperat se Iezraelem. In Iosepho & hic scriptum ἄζαρη pro Ἰεζράελα. Copias reliquerat in obsidione, quibus (teste Iosepho) præerat Iehu filius Namsi. Ochoziam Dei decretum traxit ad Joram, ut eodem exitio periret. Simul cum eo perierunt filii fratrum Ochoziæ, qui in regis ministero: etiam duces Judæ qui Regem comitati fuerant. Nemo supererat de domo Ochoziæ, qui regnum posset occupare. Athalia etiam mater Ochoziæ universum semen regium Iudæ sustulit: cæterum Iosabat filia Ioram quæ in matrimonio Iojadæ pontificis, Ioas filium Ochoziæ, surreptum è numero filiorum regis qui ad cædem conquirebantur & cum nutrice conclavi inclusum, occultavit. Ita salvatus sexennio latuit in domo Dei. Iosephus scribit inter occisos latuisse infantulum, quem Iosabath regiam ingressa furtim abstulerit & in templo clam aluerit. In v. 6. עזריה scribitur pro אחזיה. In Chronologia Ochoziæ ingens se ingerit difficultas. Nam 2. Chron. 22. v. 2. scribitur Ochoziam quadraginta duos annos natum iniisse regnum, cum tamen Ioram moriens tantum quadraginta annos habuerit: sic efficeretur biennio

nio ante natum parentem vivere cæpisse. In lib. 2. Reg. cap. 8. 26. viginti & duos annos habuisse scribitur, cum regnum illi patris morte obveniret. Multi eruditi eò descendunt, ut vitium librarii in loco Chronicorum agnoscant. Dionysius Petavius Rationarii temporum part. 2. lib. 2. cap. XI. *Quare necesse est in Hebrais codicibus* (Adde, inquit Usherius, Latinos) *numerum esse corruptum, atque in 2. Paralip. itidem, ut in 4. Reg. VIII. 26. pro 42. legendum 22. quod in Sixtiana editione LXX. interpretum loco illo libri paralip. habetur.* Salianus scribit plerosque graves & religiosos viros admittere istam corruptionem in libro Chronicorum. Piscator fatetur, quod se alias explicare nequeat. Junius reddiderat per trajectionem verborum. *Cujus matri nomen erat Athalia, nata Omri, agentis quadragesimum secundum annum, quum Achazia regnaret, qui uno anno regnavit Ierusalaimis.. Hanc quæstionem,* inquit Piscator, *solvere equidem non possum; nisi statuendo* ארבעים *mendose hic legi pro* ארבע. *Sic enim intelligetur Achaziam à Ioramo genitum esse anno ætatis ejus vigesimo sexto, reliquos vero, qui natu majores fuerant annis superioribus. Interim non possum acquiescere in versione nostrorum, qua conati sunt ex isto nodo se expedire. Nam versio ista prorsus violenta est & vim verbis atque sententiis facit: ut cuivis illam, cum textu comparanti, patere potest. Primò sententias trajicit insolenter ultimam ponens loco primo, eamque connectens cum sententia prima; cui tamen nequaquam cohæret. Nec eos juvant loca ubi similem trajectionem existere dicunt, puta 1. Sam. 20. 16. Esd. 10. 17. & Nehem. 12. 22. Etenim talis trajectio ibi non reperitur. Deinde dubium est, quonam sit referenda vox* agentis: *an ad vocem proxime præcedentem Omri an ad remotiorem* cujus. *Numerant illi quidem tot annos, quot hic commemorantur, ex quo Omri planè adivit regnum usque ad regnum Achaziæ, sed isti anni neutri possunt attribui, quum neuter tot annos regnaverit. Et tamen verba versionis præ se ferunt, ipsum Omri egisse quadragesimum secundum annum, quum Achazias regnaret. Annotant illi quidem pleonasmum esse in verbis textus:* Achazia quum regnaret ipse. *Sed istum pleonasmum verba textus prorsus repudiant: quippe quæ ita sonant:* Filius quadraginta & duorum annorum *erat* Achazia, quum regnaret. *Ubi hic pleonasmus? Versionem autem, quam proposui, postulat ipse ordo verborum & sententiarum nec non significatio vocis* במלכו *id est cum* regnare inciperet: *eandemque confirmat collatio similium locorum, ut supra cap. 20. v. 31. & cap. 21. v. 5. Et infrà cap. 24. v. 1. & cap. 25. v. 1. & cap. 26. v. 3. & cap. 27. v. 1. & 8. & cap. 28. v. 1. & cap. 29. v. 1. & cap. 33. v. 1. & 21. & cap. 34. v. 1. & cap. 36. v. 2. 5. 9. 11. Item 1. Reg. 14. v. 21. & cap. 22. v. 42. Item 2. Reg. 14. v. 2. & cap. 15. v. 2. & 33. & cap. 16. v. 2. & cap. 18. v. 2. & cap. 21. v. 1. & cap. 22. v. 1. & cap. 24. v. 1. & cap. 25. v. 1. Quæ inductio exemplorum merito sufficere debet ad locum præsentem, tanquam per omnia similem, similiter interpretandum.* Iudæi conantur se expedire. Rasi: *Sed biennio antequam nasceretur Ioram pater ejus decretum est decretum hoc super domum David, quod finienda esset cum domo Achab. Et sic dicet Scriptura* (v. 7.) Et conculcatio Ochoziæ erat à Deo *&c. Et à die quo duxit Asa filiam Omri, Iosaphato filio suo decretum est decretum hoc; sic traditum est in Seder olam & in thosiphtha Sutæ. Quin in omnibus scripturis non invenimus quod Iosaphat duxerit filiam Omri, tantum invenio:* Et affinitate junctus est Achabo. *Fortassis hæc fuit soror ejus, quam duxit. Et in anno. 31. Asa duxit eam Q. D. in regum libris:* Et in anno 31. Asæ regnavit Omri. *Et quando duxerat Asa filiam ejus Iosaphato filio suo, elatus est Omri & occidit Thabni. I & computa ab anno 31. usque dum regnat Ochozias & invenies 42. annos. Et porro Scriptura alia dicit in regibus: In anno duodecimo, Ioram filii Achab regnavit Ochozia filius Ioram. Et Scriptura alia dicit,* In anno. XI. Joram regna-

regnavit Ochozia. *Ingratiis nostris Ioram pater ejus non erat mortuus, nisi anno duodecimo Ioram filii Achab: quod ecce scriptum, In anno quinto Ioram filii Achab, regnavit Ioram filius Iosaphat & octo annis regnavit. Et quod dicit iterum in anno undecimo Ioram, quia regnavit in vita patris sui annum unum: quia pater erat percussus morbis gravibus*, S. Q. D. Et post hæc omnia percussit eum Dominus &c. Et regnare fecerunt habitatores Hierosolymorum Ochoziam filium ejus annum unum *in vita patris sui. Et hoc scribitur:* in anno XI. Ioram. *Et quod dicit* in anno XII. Ioram: *post mortem patris sui, tunc fuit annus 12. Iorami.* Non abhorret Cl. Usserius à mendo: quod tamen facile admittendum non esse judicat: sed omnibus benè subductis, ubi res & ipsa scriptura & codices eo ducere videntur, admitti potest. Salianus rationes subduxit: *Diversimodè hunc nodum explicare conantur. Primo Hebræi in suo Chron. 10. 17. ajunt hos annos 42. Ochosiæ numerandos esse, à tempore contractæ affinitatis cum Achab familia, cui sententiæ consentit Genebrardus in Chronol. At quid hæc ad annos vitæ Ochoziæ, de quibus agimus? Deinde affinitas inita non est Iosaphato ducente filiam Amri, ut illi sine ulla probatione asserunt, sed Ioramo ducente Athaliam filiam Achabi, ut supra non semel demonstravimus: ex quo non quadraginta duo anni, sed viginti tres tantummodo numerantur. Non animadverterunt filiam pro nepti sumi, cum Athalia dicta est Amri filia, quæ neptis erat: secundo Divus Hieronymus in quæstionibus Hebr. in 2. Paral. ait Ioramum vixisse annos quadraginta, & regnasse annos viginti octo. Octo quidem ante quam fratres occideret, cum adhuc innocenter viveret.* Viginti verò anni, *inquit*, quibus regnavit, ideo à numero ejus auferuntur, quia in languore & tribulatione deduxit eos: ideo filio ejus tribuuntur, qui non amplius, quam viginti duos annos habens regnare perhibetur ne de numerorum summa remanentes errorem indagini temporum facerent. *D. Hier. ex parte secutus est Vatablus. Nam ait Ioramum fuisse regem viginti octo annos, sed eo vivente filium ejus regnum administrasse viginti annis.*

Verum scriptura ubique ei octo tantum annos disertissimè tribuit, ut de hac veritate ambigere non liceat; nusquam autem significavit vel unum mensem ne dum viginti annos amplius regnaße. Deinde si Ioram vixit quadraginta annis, ut ipse fatetur & affirmat Iosephus, & omnes consentiunt & regnavit viginti octo, ergo duodecim annorum erat cum regnare cœpit, non triginta duorum, quod tamen scriptura ter affirmavit; vel sexaginta, non quadraginta tantum annis vixit. Constat præterea Ioramum, sub ipsum initium regni sui, & mortem Iosaphati patris sui, fratres interfecisse, non post octo annos, qui ne uno quidem die, saltem post mortem patris, innocenter vixisse perhibetur. Nec viginti annos in languore traduxit, sed duos duntaxat, ut habetur in paral. Denique ut ait Torniellus: *Si scriptura sacra viginti annos de regno Ioram substractos, ejus filio Ochosiæ tribuere voluisset, ne Chronologiæ sacræ deessent, certè non ejus vitæ, sed regno tribuendi erant, ut diceretur non uno sed viginti & uno anno regnaße: in Chronologia enim non vitæ sed regni annos omnes numerant.*

Tertia explicatio est Vatabli, & habetur apud Abulensem, quem multi secuti sunt, ut Sa in hunc locum 2. Par. Azor. Gordon. 1. tom. Chron. Ut Ochozias regnaverit cum patre 20. annis, solus autem post ejus mortem, uno. Itaque viginti duorum annorum erat, cum regnare cœpit, ut dicitur 4. Reg. 8. Sed cum patre, cum quo regnavit 20. annis. Et rursum quadraginta duorum annorum erat, cum regnare cœpit, ut dicitur 2. Paral. 22. sed solus. Verum præter ea quæ dicta sunt contra secundam expositionem, & alia, quæ apud Tostatum leges loco citato, quid fiet istis viginti annis? Quomodo non mendosam reddent sacram Chronologiam? Quod sanè fatetur Azor. Sed forte satius est alibi mendum minore damno agnoscere. Alii dicunt non augere chronologiam, quia includuntur in annis Iosaphati, qui Ioramum socium regni quinto anno sui principatus assumpserit: sed hæc gratis dicuntur, & vitantur loca valdè salebrosa, atque ambigua. Deinde

fic

sit patrem, filium, avum simul regnasse oportuerit, per duodecim annos, quod inauditum est. Et si Ioram tantum octo annis bonus fuit, quomodo ejus impietatem pius & religiosus pater duodecim annis toleravit.

Aliqui trajectionem in verbis Hebraeis 2. Par. c. 22. agnoscunt, & quae posteriora sunt, transferunt in priorem locum, in hunc modum. Regnavit Ochozias filius Jorani regis Juda, cujus matri nomen Athalia filia Amri, agentis quadragesimum secundum annum, cum Ochosias regnaret, qui uno anno regnavit Hierosolymus. *Voluit enim quadraginta duos annos non ad Ochosiam, sed ad Amri pertinere; à cujus regno pacifico in Samariam translato, hic sit annus quadragesimus secundus: qui ex octo annis Amri, viginti duobus Achabi, cum Ochosia filio ejus, & duodecim Iorami conflentur. Verum dura est, nec parum audax ista verborum transpositio, quae magnum vulnus corpori ad sanandum naevum inferre videatur. Nihil quoque ad rem praesentem faciunt Samaritani isti anni, ut omittam duram quoque illam phrasim, ut Amri dicatur agere annum quadragesimum secundum, qui ante annos triginta quatuor erat mortuus: sic enim nunc David diceretur annum agere sive filius esse 170 annorum, quia ante 170. annos regnare coepit, qui jam à 130. annis abiit è vivis. Nihilominus hanc aeram Samaritanam probat Serarius, nec improbat Genebrardus & alii, quamvis textui Latino aptari non possit*

Dicendum est igitur Ochosiam tribus & viginti duntaxat annis vixisse, uno tantum, partim solum partim cum patre regnosse, ut dixi in fine anni praecedentis, in locum autem Paral. mendum irrepsisse. Ita sentit Cajetanus in 2. Paral. quem sequitur Torniellus anno 127. quintae aetatis, Et Turcellinus cap. 5. suae Chronol. q. 14. Ioan. Mariana in 2. Paral. cap. 22. nu. 2. Iacobus Gordonus in 4. Reg. 8. Dionys. Palatinus in doctrina Temporum, Tirinus in cap. 22. 2. Paral. v. 2. & in Chronico cap. 29. Menochius in 4. Rom cap. 2 126. Scaliger, Capellus; sed omittamus sectarios.

Probatur primum: Quia hic annus regni & mortis Ochosiae est tantum 27. à contracta affinitate cum Achabo & inito matrimonio inter Ioramum patrem Ochosiae, & Athaliam filiam Achabi, quod anno septimo Iosaphati contigisse, eodem loco documus. Secundo, si quadraginta tribus annis vixit Ochasias, Iosaphat trimulus aut quadrimulus genuerit Ioramum patrem Ochosiae. Nam Iosaphat 25. annorum erat cum regnare coepisset, & viginti quinque annis regnavit, ut dicitur in 3. Regum 2 Sexagenarius ergò mortuus est: adde ab ejus morte ad hanc diem 5. annos, fient 65 (vel ad summum 68 si placet omnes annos regni Iorami separare ab annis regni Iosaphat, quod tamen fieri non potest) horum ergo 65 vel 68 annorum Iosaphati, 43. tribuendi erunt Ochosiae; Ioramo autem, quando eum genuit saltem viginti, qui efficiunt 63 supersunt ergo Iosaphato duo anni, vel ad summum quinque, quando genuit Ioramum, quod absurdissimum est Tertio, ut disputat Cajetanus, totum tempus Iorami regis Iudae, & Ochosiae filii ejus, includitur in regno Iorami regis Israël At is tantum 12. annis regnavit, ergo non potuit regnare Ochozias cum patre 20 annis & uno solus. Nam in Scriptura habetur Ioramum filium Iosaphati regnare coepisse 5. anno Iorami filii Achab, & nunc ambo eodem anno moriuntur nec tantum duo Iorami, sed etiam Ochosias Iorami Iudaei filius.

Neque verò valdè absurdum est in notis numerorum etiam Scripturae, mendum irrepsisse: certè in hoc ipso loco Septuaginta Sixti non quadraginta duos annos, sed tantum viginti habent, & ibidem in scholio notatur in aliis libris legi, ἐτῶν εἴκοσι καὶ δύο. Nec est qui ignoret in bibliis nuper editis jussu summorum pontificum multa in editione vulgota esse emendata. At hoc emendatum non est, quia ea lectio antiquitate nititur, & Hebraeorum, multorumque Graecorum codicum, atque Latinorum authoritate, denique quia plerique viri graves locum quoquo modo interpretari, quam mendosum dicere maluerunt, quod nunc tamen multi viri docti & religiosi dixerunt, cum viderent id nullam in partem fidei obesse posse, & unum Scripturae locum pluribus aliis ejusdem Scripturae locis. & apertis rationi-

tionibus officere. Sed hæc aliquanto spinosiora jam omittamus.

II. Reg. IX.

Elisæus jussu Dei vocat ad se quendam de filiis Prophetarum (conjiciunt seu commentantur Jonam filium Amitthai, viduæ Saraptanæ filium) cui mandat, accingi captaque lenticula (פך) olei, quam porrigebat, ire Ramoth Galaad. Quærere Jehu filium Namsi: eum evocare è medio fratrum (sociorum) abducere in intimum conclave (חדר בחדר) Effundere lenticulam in caput ejus, dicendo: Ita dicit Dominus, Ego te inunxi in regem super Israël. Hoc facto, celeriter apertis foribus profugere. Juvenis ille suscepto itinere, reperit Jehu considentem inter principes exercitus. Habeo verbum ad te, inquit, dux. Cui Jehu, ad quem è nobis. Ille, ad te. Surgit & comitatur. Iuvenis ille eum deprompta lenticula inunxit: Ita (inquit) loquitur Dominus Deus Israël: Inunxi te in regem, super populum Domini, super Israël. Tu percuties domum Achab domini tui, ut ulciscar sanguinem servorum meorum prophetarum Domini & omnium servorum Domini è manu Izabel. Peribit tota domus Achab: exscindam de Achab mingentem ad parietem etiam clausum & derelictum in Israel. Constituam enim domum Achab, ut domum Jeroboam filii Nabat & domum Baasæ, filii Achiæ. Izabelem devorabunt canes in agro illo apud Iezraël: nec erit, qui sepeliat. Intelligimus plus verborum in mandatis datum esse illi prophetæ, quam supra expressum est in narratione ablegationis. Defunctus mandato, festinanter apertis foribus se proripuit. Iehu redeuntem ad servos domini sui, rogant Satin Salvæ res? Quid fecisset ille (משגע) Lxx. ἐπίληπτος, *arreptitius.* Ipse respondet, Virum nostis & sermonem ejus. Non est ita, inquiunt, enuntia nobis. Quibus ille rem totam aperit. Hoc audito, festinanter quisque vestem suam (pallium) detractam sibi, supposuit Iehu; אל גרם המעלות/ Chald. לדרגת שעיא/ Lxx. ἐπὶ τὸ γάρεμ τῶν ἀναβαθμῶν. Kimchi: *Ad gradum supremum in gradibus.* Ionathanis versionem exponit אבן שמסמנין אותה לדעת השעות/ id est *horologium.* Quam sententiam de horologio Rasi admittit. Quasi in lapide edito horas indicante collocatus fuerit. Ralbag *Vnusquisque principum qui illic erant, accepit vestem suam, eamque posuit sub Iehu ut elevarent gradus in quibus eum sublimarant, ut longe celsior esset ipsis omnibus, more regis.* Tribunal igitur erectum, in quo eum constituunt. Simul buccina (κερατίνῃ) (שופר) canunt Iehu regnare. Conjurationem igitur facit adversus Ioram: qui in conflictu cum Syris graviter vulneratus, quod diximus, Iezraela concesserat, ut vulnera curarentur. Urbs Ramoth videtur esse expugnata, sive illo conflictu, sive post abitum regis. Malim illo conflictu, sive etiam ante illum. Nam scriptura dicit, Regem & totum Israel urbem custodiisse adversus Hazaelem & Syros. Forte Hazaël audita occupatione urbis, ad eam recuperandam copias tenebat in vicinia. Fuit consilium Iesu urbem clausam tenere, nec permittere, ut quisquam rem aliquam Iezraela posset deferre. Igitur ex improviso oppressurus Joram & Ochoziam, qui gratia visitandi eò venerat (Festinatio prophetæ illius, quam supra memoravimus, eundem finem spectabat: ut res in occulto festinaretur) cum expedita manu conjuratorum, Iezraëla advolat. Adventantem conspicit è turri speculator: indicatque regi: Agmen militum advenire. Missus ad cognoscendum eques, jubetur subsistere & agmen sequi, Secundo missus eodem modo adhæsit. Quod indicat speculator, simul dicens, incessum esse ut incessum Iehu: quia præceps ageret. Ioram igitur & Ochozias instructis curribus, suo

suo quisque evehuntur in occursum. Incidunt in eum in agro Naboth. Ioram autem ad Iehu quam primum in conspectum venit: Estne, inquit, adventus tuus cum pace? Excipit Iehu: Quæ pax, donec fornicationes matris tuæ Iezabel & veneficia tanta sunt. Ioram animadvertens quid ageretur clamat ad Ochoziam hostilitatem esse. Verso igitur curru fugit, sed fugientem Iehu sagitta trajicit inter brachia: cor ipsum configit. Corruens in currus sinum animam efflat. Præcipit Iehu Badecaro (שלשה tribuno suo) ut cadaver abjiciat in agrum Naboth Iezraelitæ. Recordare enim, inquit, cum ego & tu junctis lateribus patrem ipsius à tergo sequeremur equitantes, Dominum ipsi id oneris imposuisse: Si heri vesperi non viderim sanguinem Nabothi & filiorum ejus, dicit Dominus, & tibi id non retribuam in isto agro, dicit Dominus. Projice igitur illum in illum agrum ex verbo Domini. Ochozias id videns fugam capessit per viam domus horti (Lxx. *βαιθγάν*) Iehu eum persequutus, Et eum, inquit, percutite (אל המרכבה) in curru. Percusserunt fugientem in ascensu Gur (Lxx. *Γαῒ*) qui est apud Iebleam. Fugit Mageddo atque illic mortuus est. 2. Chronic. 22. 9. scribitur quod abditum Samariæ è latebris protraxerint ad Iehu: atque ita interemerint. Rasi conciliat ita: Fugam accelerasse per viam horti Iezraëlis Samariam, persequente Iehu. Porro & illud difficultatem habet, quomodo Samariæ interfectus sit, quum Iehu nondum Samariam in ditionem redegisset, quod factum die sequenti. In Dras: Occultasse se Samariæ, cum doleret (אוכרות) & scriberet nomina idolorum loco eorum. *Et secundum verba eorum, dicendum est, quod ista occultatio non fuerit propter Iehu sed hic est sensus ejus: Quærebat Ochoziam & capiunt eum quando fugiebat via horti & ipse impie agebat à principio, cum venisset Samariam & occultaretur propter duces Iuda ut faceret abominationem hanc, quia incolæ Samariæ erant idololatræ: Et produxerunt eum viri Iehu ipsum persequentes ad Iehu: Qui dicebat Percutite eum in curru* במעלה גור *quia illi eum ad ipsum adduxerunt.* Fugit Mageddo] *percussus* (בניכיזיות) Kimchi: *Videtur, quod in via percusserint eum sicut præceperat, Percutite eum in curru & ipsi jecerunt in eum sagittas & percusserunt. Ipse autem fugit percussus Mageddonem & mortuus est illic. Non est* (כמש proprie) *mortuus sed* (נשתקק) *obriguit, ab æstu vulnerum ut dicitur de Nabal* (1. Sam. 25. 37.) mortuum est cor ejus, in medio ejus, *cum mortuus non sit propriè ante diem decimum.* Et sic sensus (וימת שם) quod obriguerit: postea autem servi ejus sustulerunt eum, ut lateret Samariæ: *at servi Iehu qui persequebantur eum, invenerunt eum latentem Samariæ: & produxerunt ad Iehu in Iezrael & occiderunt eum hic, quia tunc non erat mortuus.* Martyr: *Ista possunt ad hunc modum componi, ut intelligamus fugientem Ochoziam vulneratum ad clivum Gur, sed leviter, ita inquam, ut potuerit Samariam se recipere: ubi etsi aliquantisper latuisset, reductus est tamen ad Iehu in Iezreelem, ubi rursus cæsus est Iehu mandato & voluntate: unde gravissimè vulneratus, venit in Mageddo, atque ibi est mortuus. Tria loca fuerunt non multum inter se distantia Iezreel, Iblea & Mageddo, eaque pertinent ad tribum Manasse.* Salianus putat Ochoziam non venisse Samariam, sed in loco Chronicorum, voce Samariæ totum regnum Israël intelligi. Videri igitur innui, quod è Mageddone protractus fuerit ad Iehu, ut coram illo interimeretur. Grotius putat Iehu excessisse modum, quia de Ochozia occidendo non habuit mandatum. Atqui erat de genere Achabi. Hunc autem sepulturæ concessit ob Iosaphati pietatem & quia erat è genere David. Iezabel his rebus intellectis & ingredi urbem Iehu, ornat caput & oculos pingit stibio (בפוך) Stibium ad oculorum nigrorem expetitum mulieribus autores celebrant. Quin & ut oculi dilatentur. Nimi-

rum μεγαλόφθαλμοι mulieres multis gentibus laudatæ. Unde Juno βοῶπις Homero. Quæ autem causa ornandi capitis & stibio pingendorum oculorum, in hoc extremo discrimine? Quidam putant, Iehu ad amorem voluisse pellicere: quod non est verosimile ex ingenio & ætate mulieris: nec ex alloquio quo Iehu excepit. Alii putant rugis & senili faciei gravitatem voluisse conciliare. Mulier procax & animi imperterriti caput fenestra efferens Iehu prætervehentem sævis verbis excipit: Estne pax ô Zambri, parricida domini sui. Iactat non esse ista prospere cessura, exitium Zambri minitatur. Ille sursum elevatis oculis & conspicata, quam petebat quæque se commodum obtulerat, proclamat: Quis est mecum? Nempe cui dem mandatum expediendum incunctanter? Offerunt se duo aut tres eunuchi (scilicet ipsius Iorami aut Iezabelæ alio nunc respicientes) quibus præcipit, ut è fenestra dejicerent. In ædibus erant, arreptam è fenestra præcipitant. Paries sanguine respersus & equi, qui eam proculcarunt. Per parietem Salianus intelligit illud antemurale, quod 1. Reg. 21. 23. Quod definite exprimitur in vaticinio. In Hebræo habetur, respersisse sanguine parietem & equos, deinde subjicitur, & conculcavit eum. Id subtiliter accipiunt: quasi velit textus dicere, quod primo proculcata sit ab equo Iehu, in quem deciderat deinde ab aliis equitibus, qui eum sequebantur. Occupata urbe, refectisque corporibus & epulo finito venit in mentem de Iezabel, quam ut regis filiam sepeliri mandat. Qui ad id missi sunt, inveniunt à canibus totam esse devoratam, calvaria, pedibus & palmis manuum tantum relictis. Quo nuntiato Iehu recordatus verbi Eliæ, Hoc inquit, Dominus per Eliam profatus est: In agro Iezreel comedent canes carnes Izabel. Ita cadaver erit pro stercore agri. Unde nec dici poterit: Hæc est Izabel. Hic fuit exitus illustrissimæ feminæ, quæ pestis fuit regni & domus Achab. Fuit ipsa filia Ithobali, nurus Omri, uxor Achabi, mater Ochoziæ & Iorami regum Israël. Cum dicunt duces de propheta ungente Iehu משגע / puto significari φοιβασμὸν seu Bacchationem prophetarum, non delirium. Iosephus videtur de delirio accepisse: καὶ πεσόντι μαίνεσθαι αὐτὸν λεγόντων. Et hoc probasse Iehu, cum nollet rem edere.

2. Iosephus præterit collocationem in edito tribunali, cum rex proclamaretur.

3. Scribit Iehu petiisse ut nemo militum rem enuntiaret Joramo: τῶν ἰσότης λαμπρὰν ἐπιδεῖξαι αὐτοῦ τῆς εὐνοίας καὶ τοὺς ἡγεμόνας ἅπαντας ἀποδεῖξαι αὐτὸν βασιλέα. Atqui urbis portas clausas habuit, neminem exire permisit. Idque petiit fieri à ducibus: non militibus.

4. Σχολαίτερον, dicit, ἢ μετ' εὐταξίας ὥδευεν Ἰηοῦς. Contrarium est in textu. Lxx. autem mirifice: Ο ἄγων ἦγε τὸν Ἰοὺ (Ἰηοῦ) υἱὸνΝαμεσσὶ ὅτι ἐν παραλλαγῇ ἐγένετο.

Theodoretus allegat: καὶ ἡ ἀγωγὴ Ἰηοῦ, υἱοῦ Ναμεσσί, διότι ἡ παραλλαγὴ ἦγεν (l. ἐν παραλλαγῇ) subjicit: Ἔνια μέντοι τῶν ἀντιγράφων ἔχει καὶ ὁ ἄγων ἦγε τὸν Ἰηοῦ τυπτόμενος ὁ θεός. Proinde exemplaria editionis Lxx. interpretum variabant.

5. Iof. Βαδάκω (Βαδεκάρῳ) τῷ τῆς τρίτης μοίρας ἡγεμόνι.

6. Iof. Ταύτης γὰρ καθεζόμενος ὄπισθεν τοῦ ἅρματος τοῦ Αχάβου λέγοντος ἀκοῦσαι τοῦ προφήτου.

7. Porrò scribit Ochoziam in quodam (προσβάσει) clivo cum currum in aliam viam deflexisset, latiturum se sperans, confixum ab ipso Iehu: vulneratumque relicto curru & equo conscenso Mageddonem evasisse: ubi curationi operam dans obiit. Ita finiisse regem, post unius anni dominationem qui patre Joram pejor fuerat.

8. Ie-

8. Iezabelam è turri prospectantem alloquutam esse Iehu: ô servum, qui dominum occidit: Illum interrogasse, quæ esset. Non est tamen verosimile Iehu reginam de facie non agnovisse, hominem Jorami familiarem, & ducem copiarum. Tandem mandasse ut ex alto dejiceretur.

9. Tantum à sepulturis inventa fuisse ἀκρωτήρια, extrema: cæteris consumptis à canibus: quos admodum grandes & sævos oportet alitos fuisse illic loci.

10. Iehu eo audito miratum fuisse Eliæ prophetiam: ἔτος γὰρ αὐτὴν εἰς Ἰεζάβελα προεῖπε τῷ τρόπῳ ἀπολέσθαι (ἀπολεῖσθαι) τὸν τρόπον.

II. Reg. X. 1--27.

Achabo erant 70. liberi qui Samariæ alebantur. Hos cum vellet perdere, scribit Iehu literas (binas inquit Iosephus) ad principes Iezraelorum & seniores & ad nutritios (παιδαγωγοῖς) Hi erant Samariæ. Josephus: τοῖς ἄρχουσι τῶν Σαμαρέων. Tantum numerum liberorum habuit Achab, è multis conjugibus: & בנים nomine etiam nepotes includuntur, ex more sermonis Hebræi. Iezraela & Samaria duæ regiæ erant. Literarum argumentum erat: His literis moniti, quia apud vos sunt domini vestri filii: etiam equi & currus, arma & urbs munita, eligite optimum & justissimum in regem, & collocate in solio: proque eo bellum gerite. Bellum denuntiat cum irrisu, securus de eventu, ut loquitur Grotius. Illi trepidi erant paventesque, cum animadverterent duos reges succubuisse. Conspirant igitur principes urbis & seniores & qui domui erant præfecti, missisque seu literis seu nuntiis imperata se facturos & ipsum pro domino agnoscere significant. Rescribit igitur, si parere velint, capita filiorum regis ad se deferentes, crastini diei illa hora adsint apud se, Iezraelis. Alebantur filii regis apud primates urbis. Nihil miserti omnes perimunt. Jos. οἱ δὲ ἄρχοντες, μεταπεμψάμενοι τοὺς τροφεῖς τῶν παίδων προσέταξαν ἀποκτείναντας αὐτοὺς τὰς κεφαλὰς ἀποτεμεῖν καὶ πέμψαι πρὸς Ἰηοῦν. *Magistratus autem, vocatis altoribus puerorum præcipiunt, ut illis interfectis capita præcidant mittantque ad Iehu.* Non ita scriptura, quæ tantum fecisse proceres dicit ut imperatum erat. Miserunt illa capita. An ipsi novum regem adierint, non exprimit Scriptura. Videtur tamen ita factum esse & fieri oportuisse. Existimo eodem die sub vesperam misisse capita, postero die ipsos venisse ad Iehu. Miserunt capita in corbibus (πλεκτὰ ἀγγεῖα vocat Josephus) Quæ cum ad domum Iehu essent delata & ipsi indicatum (Ios. δειπνοῦντι μετὰ τῶν φίλων) jussit in duos acervos componi ad fores januæ in crastinum. Diluculo sequentis diei progressus contemplatusque amputata capita subsistit & ad populum, qui seu spectaculi causa seu vocatus coierat (Puto & proceres Samariæ adfuisse) hujus argumenti orationem habuit: Laude dignos esse (justos) qui Zelum Domini essent exsecuti. Se quidem conspiratione facta in dominum suum, eum occidisse; at videte, inquit, cumulum occisorum, qui manibus meis aut servorum meorum non interierunt. Cum enim bellum ipsis aut obsequium denuntiassem, obsequium maluerunt. Cognoscite igitur Divinitus illa administrari: nempe è verbo Domini, quod adversus domum Achab per Eliam elocutus est, nihil intercidisse. Finis igitur alloquii fuit populi animos ad obsequium sui disponere, docendo à Deo & Dei jussu illa omnia facta esse. Hinc pergit Dei iram exsequi. Nam omnes residuos domus Achab, qui Iezraelis erant, omnes illius magnates, notos (Theodor. videtur legisse γνώστας quod interpretatur vates) & sacerdotes ad unum omnes sustulit. Jos. tantum de cognatione Achabi, συγγενείας, scribit. Eo facto festinat Samariam ut reli-

reliqua peragat & componat. In via, apud (בית־עקד) Pastorum. Vulg; *ad cameram pastorum.* Lxx. βαιθακάθ (l. βαιθακάδ) τῶν ποιμένων. Grotius: *Hebraam vocem retinuere* Lxx. ἐν βαιθακὰν, *ut facere solent, ubi hærent. Significant ea voces locum ligationis, nempe, ut Hebræi existimant, quod ibi oves tondendæ pedibus ligabantur.* Sic Abenesdras, Kimchi & Ralbag. Alii exponunt domum congregationis pastorum. In via inquam, ad locum dictum ipsi occurrunt fratres Ochoziæ, ut scriptura appellat. Accipiendum est de filiis fratrum. Nam in Chronicis (2. Chron. 22. 1.) narratum est omnes fratres fuisse interemptos, ab hostibus, qui irruperant. Rogati qui essent quidve venirent, respondent se esse fratres Ochoziæ, venire filios regis & reginæ visitatum. Jehu vivos capi jussit. Capti & occisi apud puteum Beth-eced ad unum omnes, viri quadraginta duo. Hic igitur fuit tertius tragoediæ actus, qui hos perdidit, quod essent è sanguine Achabi. Hinc progresso obvius fit Jonadab filius Rechab. Ad quem salutantem dicit: Estne animus tuus integer ut animus meus cum animo tuo est? Jonadab autem, Est, inquit, Est, porrige manum. Data manu ad se in vehiculum assumit, ut videret, quomodo exsequeretur zelum Domini. Honorificam mentionem filiorum Jonadab facit Ieremias cap. 35. Ob reverentiam & obedientiam erga memoriam & præcepta patris. Filiis enim posterisque suis peculiare vivendi genus imposuit. *Non bibetis vinum vos & filii vestri usque in sempiternum. Et domum non ædificabitis nec sementem facietis nec vineam plantabitis aut habebitis: sed in tentoriis habitabitis omnibus diebus vestris, ut vivatis diebus multis super terram, in qua vos peregrinamini.* Johannes Hierosolymitanus, narrat istum Ionadab fuisse Elisæi discipulum, ex quo is filium Sunamitidis suscitaverat, ejusque omne institutum, excepta continentia, amplexum. Elisæus igitur votum & institutum continentiæ habuit scilicet. Rechabitæ oriundi erant è Cinæis, Mosis cognatis, de quibus suo loco dictum est. Constat ex Iud. 1. v. 26. quod isti Cinæi apud Hierichunta constiterint, donec Iudæa tribus australia occuparet. In solitudine Iudææ habitationem fixerunt. Hinc ab illis sese separavit Heber, qui in tribu Manassis consedit Iudic. IV. 11. Legimus 1. Chronic. 2. v. 55. de quibusdam familiis scribarum, quæ habitabant in Jabes. Tharhathæi erant, Simathæi, Suchathæi. Lxx. bene propria nomina esse agnoverunt, vulgatus transformavit in ordines canentum, resonantium & scenitarum. Hi omnes orti esse dicuntur ex Hamath, parte domus Rechab. Scribæ isti Levitæ non fuerunt (ut vult Piscator) si fuerunt Cinæi. Scribarum officium erat in scripturis & actis publicis scribendis ut reip. & sibi utiles essent. His alioqui nulla erat attributa peculiaris hæreditas, sed tantum cum quibus vellent, concessa habitatio. Sic Fr. Junius. Ex illo Hamath ortus est Rechab, pater Ionadab. Hic Rechab novam familiam condidit Rechabitarum dictam. Nam (ut apparet) habitationem è deserto Iudææ (ubi Iabes) transtulit in partem decem tribuum. Filius Ionadab novum suæ domui instituit vitæ genus non ad religionem & cultum Dei peculiarem, quod nulli mortalium licet, sed ob causas civiles & œconomicas, idque eo tempore quo fixum locum habitationis habere & agrum colere satis periculosum erat, ob crebras hostium irruptiones. Voluit igitur suos austero vitæ generi assuescere & aliis occupationibus victum quærere. Cinæi igitur & Rechabitæ non sunt iidem, quia exigua pars Cinæorum fuerunt Rechabitæ. Historia non scribit omnes Cinæos id vitæ genus secutos esse sed solos Rechabitas. Noluerunt Cinæi in universum portionem hæreditatis peculiarem sumere, sed placuit illis mutare sedes & ubi res ferret, considere. Ineptus est Bolducius, qui filios Rechab ex eo dictos esse putat, quod institutum Eliæ & Elisæi sequerentur: qui

qui appellati sunt currus Israëlis (רכב) Vult fuisse monachos, ad formam monachorum, qui in Papatu sunt. Iste Ionadab voluit suos posteros ita vitam instituere, primò, quia antiquum gentis institutum erat Nomadicam agere vitam. 2. quia damnis belli voluit liberari. 3. sacris literis liberius vacare. At promisit obedientibus longam vitam? R. Nam quia in isto genere meritum erat, sed obsequio mandati patris juxta præceptum quintum decalogi. Describamus discursum Martyris: *Illud quoque non præteribo, Hieronymum in Epistola ad Paulum, de institutione Monachi, nec non & alibi scribere, olim Rebabitas patres fuisse Monachorum. Potuit forte hoc verum esse de illis Monachis, qui Hieronymi ætate vixerunt. At si forte idem pater huc rediret, & nostros videret monachos, eos pronunciaret longè dissimiles Rebabitarum evasisse. Quia illi non bibebant, isti verò sunt strenui potatores, nec diluta vina expetunt, sed generosa & præstantissima. Illi domos non possidebant; isti tales ædificant & mercantur, ut jure possint cum regiis conferri. Possident vineta praclarissima, & agros fertilissimos, in urbibus etiam habitant, ne dixerim grassantur. Quid ergo commune habent tum Rebabitis? Certè nihil. Sed hoc misso, admonendum Lectorem censeo, inscriptionem Psalmi 70. apud Græcos extare, pro filiis Rebabitarum, qui fuerunt primitiæ captivitatis. Nec enim id in Hebræo habetur. Vnde autem Græci hauserint, ignoro. Idcirco tamen arbitror dici Rebabitas captivorum primitias, quoniam primi, ut est verisimile, cum degerent per pascua & saltus, capti sunt & afflicti à Chaldæorum exercitu.*

Sed grave occurrit dubium an Ionadabus rectè fecerit, ita suos posteros adstringendo præceptis, & onerando gravibus mandatis? Certè vinum, agri, domus, civitates & vineta, sunt res bonæ, quas Deus ad humanum usum condidit: cur igitur in universum ab iis vult suos posteros abstinere: præsertim cum tanta severitas interdum Charitati adversetnr? Potest etiam incidere tenuis valetudo, & ea corporis infirmitas, ut vino sit utendum; quemadmodum Paulus Timotheo suo præcepit. Ad hoc respondeo, causas fuisse honestas, ut antea retuli (quibus hic homo adductus est, ut hæc institueret, sed tamen hoc est adjiciendum, non fuisse ab eo præceptam hanc observantiam tanta severitate, ut nulla intercedere posset exceptio. Etenim præcepta non tantum hominum, verum etiam Dei, lege charitatis condienda & temperanda sunt; juxta regulam à Deo positam, Misericordiam volo, non sacrificium. *Sacrificia quidem ille præcepit, verum si aliquando misericordiæ impendendæ proximis obstarent, ad tempus vel ad horam seponenda fuerunt. Interpretanda igitur erant præcepta Ionadabi, ut non astringerent liberos, si qua forte ursisset necessitas, quæ, ut vulgò dicitur, est mater dispensationum, seu relaxationum. Carthusiani sunt hoc nomine accusandi, qui abstinentiam à carnibus tam arctè profitentur, ut etiam si quis ageret animam, illas non suppeditarent. Proinde si per valetudinem quis Rehabita opus habuisset vino, per Ionadabum uti licebat: quemadmodum & in præsentia, quia compellebantur necessitate, ingressi sunt urbem Hierosolymorum, nec accusantur violatæ obedientiæ. Imo Deus testimonum perhibet ad hanc formam,* Quia *obedistis voci patris vestri, & omnia implevistis, quæ vobis* mandavit, *& cæt. Dicit illos omnia implevisse, cum tamen jam tunc in urbe agerent. Ergo Deus non judicavit illos transgressos voluntatem patris, licet in urbe degerent. Adhæc, Ionadabus non sic præcepit, quasi opinaretur eas res immundas esse natura sua, quarum usu posteris interdicebat. Hæc fuit Manichæorum insania, qui putarunt vinum, carnes, & alia id genus immunda esse, quod fuerint à quodam malo Deo creata. Talia non sensit Ionadabus, sed propter causas jam allatas, ea suis posteris vetuit. Præterea Rehabitæ non erant obstricti voto ad ea præstandum, sed tantum abstinebant, ut suo parenti obsequerentur.*

Et quia præceptum, quo vinum prohibebatur, videtur prima fronte durius, idcirco sciendum est, non eandem esse omnium locorum & regionum conditionem. Siquidem in nostris hisce tractibus abstinere prorsus à vino, maximæ hominum parti esset incommodum,

nec posset tolerari. At non sic est in Syria, vel Palæstina, ubi laboratur vehementi æstu, & aquæ sunt præclaræ nec inutiles ad potandum. Unde ibi & sunt & esse possunt homines magno numero abstemii. Ac ita esse lex Dei confirmat de Nazaræis, quæ illis prorsus interdicebat usum vini, toto eo tempore, quo voto astringebantur. Nec tam duriter, credendum est, Deum voluisse agere cum suis Nazaræis, ut eis mandaret intolerabilia. Quare cum præceptum solvi posset necessitatis causa, nec in illis regionibus esset admodum observatu difficile, absolvendus est Ionadabus, qui sic præceperit. Quibus addere possumus tale præceptum fuisse admodum illis congruum, quia Nomades erant, & discurrebant in plaustris unà cum suis gregibus, lacte utentes pro cibo, & sero loco potus. Nil ergo eis mandabat præter morem consuetum. Et nihilominus in tam arcta disciplina, matrimonia eis non interdixit. Monachi verò è diverso faciunt, omnibus delitiis abunde fruuntur, & se defunctos omni pietate arbitrantur, si nuptiis abstineant.

Hunc virum Iosephus scribit veterem illius amicum, qui salutatione facta, cœperit ejus factum collaudare, ut qui secundum voluntatem Dei, domum Achabi exterminasset. Invitatum & susceptum esse à Iehû in currum ut comitatus Samariam coram intueretur, quomodo, nulli impio parcens prophetas & sacerdotes falsos esset puniturus. *κάλλιστον δ' εἶναι θεαμάτων καὶ ἥδιστον ἀνδρὶ χρηστῷ καὶ δικαίῳ κολαζομένους πονηρούς.* Samariam igitur cum venisset; percussit omnes, qui Achabum contingerent. Ita plenissimè impletum est vaticinium Eliæ. Illud vaticinium eos, qui de Achabo in urbe morerentur, à canibus; qui in agro à volucribus comedendum: peculiariter autem Iezabel ad ante murale Iezraelorum à canibus devorandam. Comedendum à canibus dicit, non quod universi essent absumendi, sed quod canes sanguinem saltem essent lincturi. Ita Achabi sanguinem lingebant canes 2. Reg. 22. 38. quod illic refertur ad vaticinii implementum. Iorami etiam cadaver projectum fuit in agrum Nabothi; quia extra urbem cæsus projici debuit volucribus. Achabi cadaver, dixeris, etiam eo debuit projici, in campo enim & acie occubuit. Non est universaliter capiendum, sed indefinite: In uno impletum membrum hoc & illud vaticinii totius veritatem absolvit. Quin etiam accipi potest conjunctim, quod videtur esse divisum.

Qui de Achab in urbe moritur *Et qui in campo moritur*	} utrumque comedent {	canes & volucres.

Gustatio sola implet vim vocabuli edere. Sed ut diximus in Iezabel peculiare supplicium: etiam peculiare in Joram. Nam cadavera aliorum projecta non sunt in agrum Naboth. Puto tamen omnia cadavera domus Achab, projecta foras aliquandiu jacuisse priusquam ignobili sepulturæ mandarentur. Præter Joramum & Jezabelam cæteri communia passi sunt cum posteris Jeroboami & Baasæ.

Jehu omnes pseudoprophetas & sacerdotes Baal astu circumventos interemit, quarto tragœdiæ actu. Grot. *Norat vulpina non minus quam Leonina uti homo ἀμφιδέξιος.* Convocato enim populo jactat Achab Baal parum & negligenter coluisse, sibi in animo esse, multum & diligenter colere. Cogerent igitur omnes prophetas, & servos & sacerdotes Baal, desiderato nemine (*τὸν δ' ἀπολειφθέντα τῶν ἱερέων θανάτῳ ζημιώσειν*) magnum enim sacrum celebrare velle. Promulgat diem festum (עצרה) Baal (Ios. *ὁ δὲ θεὸς Ἀχάβου Βάαλ ἐκαλεῖτο*) Conveniunt frequentes in ædem Baal, quàm replent totam. Nemo desideratus est. Præfecto vestiarii mandat pro omnibus servis Baal vestes produci, quod factum est. Nam peculiari genere & forma vestium sacro operati esse videntur. Deinde Iehu cum Ionadab ingressus ædem, dicit sacer-

doti-

dotibus Baal. Inquirite & videte ne adsit quis de servis Domini: solos enim Baal servos interesse fas est. Cum intrarent ædem ut holocautomata & pacifica immolarent, foris disposuit octoginta viros: quibus imperat, ut omnes jugularent, ne quem sinerent evadere. Si quis evaderet animas eorum pro illis fore. Ios. ἀπειλήσας ὑπὲρ τῶν διαφυγόντων τὰς ἐκείνων ἀφαιρεθήσεσθαι ψυχάς. Cum sacrificium holocautomatum esset consummatum Iehu signo dato satellitibus & ducibus cædem incipere præcipit. Omnes ad unum cædunt & cadavera extra portas efferunt. Hinc in urbem reditum est. Ædem Baal ingressi statuas (מצבות) loco suo extractas comburunt. Ipsam quoque Baal statuam diruunt. Ædem Baal dirutam converterunt in publicas latrinas. Id ita fuit, usque ad diem quo secundus liber regum conscriptus est. Putant quidam interpretes in fine v. 27. quamlibet urbem tota regione intelligi: quia plures ædes Baal conditæ esse videntur. Mihi tantum liquet de una in urbe Samariæ: quamvis aras lucosque plures fuisse concesserim. Statuæ plures fuerunt, quæ à statua Baal videntur distingui. Josephus etiam tantum unum templum agnoscit, in quo Bal Tyriorum cultus sit. Mendacium illud quo usus est Iehu, quidam conantur defendere, sed defendi non potest, licet officiosum & bono fine editum esse probetur: comparari potest cum genere illo fraudis, quo orthodoxi olim usi sunt ad detegendam perfidiam Donatistarum. Fertur & Constantius Magni Constantini pater edictum proposuisse, quasi nollet in aula sua Christianos ferre: ut dignosceret: quinam animo sincero Christi cultui adhærescerent. Laudandum sane, quod ipsa idololatriæ instrumenta & monumenta everterit.

SULPICII SEVERI

HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

CAP. LXIX.

SEd regnum Ioram Iehu tenuit. Posito Ochozia in Iuda rege: qui uno anno regnavit, mater ejus Gotholia imperium occupavit, adempto nepoti imperio, etiamnum parvo puero, cui Ioas nomen fuit. Sed huic ab avia præreptum imperium, post octo fere annos per sacerdotem & populum depulsa avia redditum. Hic initio regni observantissimus Divini cultus fuit, magnisque sumptibus templum exornavit: post adulatione principum depravatus adoratusque ab eis Dei iram meruit. Namque ei Azael rex Syriæ bellum intulit: inclinatisque rebus suis auro templi pacem redemit. Nec tamen ea

potitus est, facti invidia à suis interfectus anno imperii quadragesimo. Huic Amassia filius successit.

DRUSIUS.

POSITO OCHOZIA, ID EST SEPULTO] Sepultus autem fuit cum patribus suis in civitate David. Vide 4. Reg. 9.24. Alii *posito*, id est, mortuo: quod in Euangelio animam ponere.

JEHU TENUIT] Annis viginti octo.

GOTHOLIA] γοθολία. Sic Græci olim legerunt, ut Hieronymus Athalia. Quomodo & critici Hebræorum Massoritæ. Hujus Athaliæ furorem evasit Ioas à Iosaba sorore Ochoziæ occultatus 4. Reg. XI. 2.

PER OCTO FERE ANNOS] Iosaba filia Ioram habuit occultum Ioas annos sex 4. Reg. XI. 3. Septimo restitutum ei fuit regnum per Jojada pontificem. Quomodo igitur verum esse potest, quod ait, *post octo fere annos*? An scripsit, *post sex ferè annos?* Nam *fere* in hoc autore plurimum redundat.

PER SACERDOTEM] Per Jojada pontificem, qui uxorem habuit Iosaba, יהושבע / quæ secundi Paralip. 22. 11. Iosabeth vocatur: id est יהושבעת cum ת in fine. Hujus pontificis meminit Eusebius. in Chronico per hæc verba, *Iojadas apud Hebræos insignissimus erat pontifex, qui solus post Moysen vixit annos centum triginta.* Vide 2. Paral. 24. 5.

HIC INITIO REGNI] Quandiu doctorem Iojada sacerdotem habuit. 4. Reg. 12. 2. imò cunctis diebus Iojadæ sacerdotis 2. Paralip. 24. 2.

ADULATIONE PRINCIPUM] Principes Judæ intelligit, quorum adulatione corruptus à pietate defecit. 2. Paral. 24. 17.

AZAEL] Scribendum aspiratè Hazaël. Nam in fonte חזאל. Historia hæc habetur. 4. Reg. 12. 17. & 18.

FACTI INVIDIA] Cujus facti? An quod pacem auro templi redemisset? Scriptura dicit eum interfectum ob cædem Zachariæ filii Iojada pontificis. 2. Paral. 24. 26.

A SUIS] Servis sive aulicis; in queis Iozachar filius Samaath & Iozabad filius Somer, 4. Reg. 12. 21. Vide quoque 2. Paralip. 24. 26. Ubi pro Iozachar legitur Zabad & pro Somer Samarith Moabitidis.

AMASSIA] Prope est, ut credam Sulpicium edidisse Amessia sine Amessias. Nam ita est in editione τῶν ό; ut etiam apud Eusebium in libris veteribus. Quanquam in aliis Amasias, ut & in Latina nostra vulgata.

Regnum Iehu II. REG. 10. 28. ad fin.

QUamvis Baal destruxerit, quem Achab, cum suis coluerat, aureas tamen vaccas reliquit. Adeo difficile est totum Dei jugum admittere, & quibus assuevimus, repudium mittere. Movit etiam illum (ut credibile) ratio civilis, qua motus Jeroboam istum cultum instituit. Nihil voluit populo suo esse commune cum Jerosolymis. Deus igitur (per prophetam) denuntiat, non fore dominationem firmam in domo ejus, nisi ad quartam generationem. Hoc illi datum, quod vindictam Dei plenissime in domum Achab exercuisset. Eo regnante Israël atteri cæpit à Syris. In omnibus enim finibus cladem passi sunt ab Hazaele: Ademit ipsis quæ ad ortum Jordanis sunt: totam terram Galaad & Gaditarum & Rubenitarum & Manassæorum; usque ad Aroer; quæ erat

erat ad torrentem Arnonis; fcilicet totam Galaditin & Bafan. Ita accipio v. 33. Viginti octo annis Iehu imperium tenuit.

Regnum Athaliæ & Ioas in Iudæa II. REG. XI. & XII. 2. Paralip. XXIII. & XXIV.

ATHalia omne femen regium fuftulit, ut fibi folium firmaret, folus Joas filius Ochoziæ fexennio latuit. Anno feptimo Iojada pontifex centurionibus adductis in domum Domini, oftendit regem, ut agnofceret eum in vivis effe. Exultant & confpirant cum eo quinque centuriones, Azarias filius Jeroham, Ifrael filius Johanan, Azarias alter filius Obed, Maafeias filius Adææ & Elifaphath filius Sachri. Hi profecti per oppida Judææ colligunt omnes Levitas: & patres domorum Ifraëlis. Levitas videntur collegiffe, ut res minus fufpecta effet, quia hi ad facra & pontificem pertinebant. Simul tamen addiderunt patriarchas ut in commune confuleretur. Hi igitur in domo Domini regem falutant & fœdus faciunt feque facramento adftringunt de rege reftituendo. Nam domui Davidis & filio debebatur folium ex oraculo (ut paffim fupra dictum eft). Centuriones illi fuerunt facerdotum & Levitarum: Patriarchæ Ifraël id eft populi. Nam Ifraël ita folet Levitis & facerdotibus in oppofito ftatui. In loco Chronicorum כרי pro כרים. Chaldæus vertit גבריא / Ingens multitudo Levitarum erat, ut patet è numeratione Davidis. Chiliarcho לכרי (1. Reg. XI. 4.) fecundum Chaldæum fignificat centuriones fortium (id eft bellicoforum feu militum inter Levitas): & fic centuriones curforum feu fatelbitum. Ordinem rei ita inftruunt (v. 5. in c. XXVIII. fecundi Paralipomenorum) ex confilio & imperio Iojadæ. Tertia pars veftrum (בָּאֵי השבת) ingredientium Sabbathi facerdotum & Levitarum erunt janitores fappim. Rafi annotat non tantum ingredientes Sabbathi fed & egredientes, ficut dicitur v. 8. Non dimiferat Pontifex cuftodias (partes, ἐφημερίας) Claffes (המשמרות) folebant novari Sabbatho, tam facerdotalis quam Levitica, una egrediente, alia ingrediebatur: fed tunc pontifex detinuit cuftodiam egredientem cum ingrediente, eafque divifit in tres partes. Placet, quod obfervat Martyr, ex illis, qui ingrediebantur illo die (Sabbatum erat) unam dimidiam partem adhibitam, ut altera dimidia miniftraret. Sic egredientium fortem in duas divifam, quæ ambæ ad hanc cuftodiam adhiberentur. Tertia pars ad domum regis & tertia ad portam fundamenti. Kimchi dicit portam fappim (dictam alias בית האפים) fuiffe ad auftrum atrii. Porta יסוד in libro 2. Regum, dicitur סור Sur. Hanc portam magiftri in tractatu Joma Hierofolymitano dicunt effe orientalem & feptem habere appellationes. In 2. Reg. porta poft fatellites appellatur quæ hic dicitur porta ספים. At quomodo potuit tenere in opere eos qui jam defuncti erant? R. defuncti erant opere reliquo, fed ad cuftodiam conclavium & atriorum femper tenebantur. Illi facerdotes & Levitæ qui facris operabantur, ingrediebantur domum Domini, quia fanctificati erant, reliquam multitudinem voluit præfidere ad cuftodiam. Cum illa multitudine cuftodientium erat totus Juda (capio de patriarchis & fi qui illis adjuncti fuerunt) Levitæ cingere & tueri regem debuerunt, fuis armis inftructi. Secundum hunc ordinem factum eft, ita templum & rex cuftodiebantur. Data etiam arma centurionibus, haftæ, & clypei quæ Davidis regis fuerant. Erant enim in domo Domini. Cum jam regem producerent populus ftabat armatus ad dextram & finiftram, verfus aram & ædem, id eft circum regem. Coronationem ita defcribit Textus: ויתנו עליו את הנזר ואת העדות וימליכו אותו וימשחהו יהוידע ובניו ויאמרו וגו'

Ponunt super eum coronam & testimonium & regem eum faciunt & ungunt eum Iojada & filii ejus & dicunt, Vivat rex. Coronam eandem esse volunt, quam David abstulit è Rabbathamanis: sed hoc Iudaicum & nugatorium. Per testimonium alii coronam (eam enim reges Iudææ semper gestavisse) alii librum legis, alii vestes regias: בגדי מלכות. Unctus est à Iojada ejusque filiis, & salutatus rex. Altus igitur clamor salutantum & celebrantium regem excivit Athaliam. Progressa in templum, conspicatur regem adstantem columnæ: principes & buccinæ apud regem: universus terræ populus lætitiam agitabat & buccinis clangebat: erantque cantores musicis instrumentis, qui admonebant hymnum esse canendum. Hoc spectaculo commota vestes lacerat & clamat: *Conjuratio, conjuratio.* Iojada autem evocatis centurionibus, qui præerant istis copiis, præcipit: Abripite eam אל מבית השדרות. Rasi, *ad locum ordinatum in consessum principum:* Kimchi: *sensus: locum ingressus regis è domo sua in domum Domini. Nescio quid significet vox* שדרות / *Ionathan interpretatur* סדריא. Lxx. tantum ἐκτὸς τοῦ οἴκου: & vulg. *extra septum templi.* Quicunque eam sequitur, gladio occidetur. Noluit eam in domo Domini occidi. Injiciunt manus: venit in ingressum portæ equorum domus regiæ: illic eam jugulant.

Ita dejecta Athalia Ioas positus est in solio. Hanc historiam intricatissimè verterunt Lxx. Iosephus ita digessit: Centuriones, qui cum Pontifice conjuraverant, è tota regione congregasse sacerdotes & Levitas & τοὺς τῶν φυλῶν προεστηκότας. His sacramento ad fidem silentii adactis ostendisse regem ex eo genere, quod Deus regnare voluisset. Universæ turbæ coactæ tres partes fecisse: τὴν τρίτην ὑμῶν μοῖραν φυλάττειν αὐτὸν ἐν τῷ ἱερῷ, τὴν δὲ τρίτην τὰς φυλακὰς ἐφεστάναι τοῦ τεμένους ἁπάσας. ἡ δὲ μετὰ ταύτην ἐχέτω τὴν τῆς ἀνοιγομένης καὶ φερούσης εἰς τὸ βασίλειον πύλης φυλακήν. Reliquam multitudinem inermem in templo esse voluisse: neque armatum ingredi ad regem nisi sacerdotem. Ordinasse etiam ut pars quæpam sacerdotum & Levitarum, circa regem esset, strictis cum gladiis. Si quis ingredi ausit armatus, eum mox occidendum: Δείσαντες γὰρ μηδένα παραμεῖναι τῇ φυλακῇ τοῦ βασιλέως: *neminem ut metuentes adsisterent in custodiam regis.* Huic consilio Jojadæ (Ἰώαδον vocat) paruisse. Ioadum aperuisse armamentarium Davidis, quod in templo fecerat, & distribuisse arma; δόρατά τε καὶ φαρέτρας καὶ εἴ τι ἕτερον εἶδος ὅπλου. Deinde & armatos statuisse in circuitu ad templum, qui manu ad manum juncti introitum ita occluderent. Uncto rege multitudo gaudens καὶ κροτάλιζον ἐβόα· σώζεσθαι τὸν βασιλέα. Athaliam excitam clamore & strepitu cum militibus advolasse. Ipsam intra templum admissam sed prohibitos cæteros, qui armati erant. Cum videret regem ἐπὶ τῆς σκηνῆς & regio indutum vestitu, laceratis vestimentis & graviter exclamans jussit insidiantem interfici. Ipsam vero jussu Ioadi in vallem Cedronis abductam jugulasse centuriones: nempe ad portam mulorum regis &c.

In Athalia admiranda vis ambitionis emicuit: Martyr: *Qui carent liberis, ad suam consolandam orbitatem, sibi consueverunt alios adoptare, ista vero posteros, quos habebat, interemit. Qua in parte belluino se prodit fuisse animo &c.* Medea apud poëtas liberos suos interfecit: sed ad facinus æstuantem ancipiti animo depingunt? Itaque illa apud Senecam:

Quid anime titubas? ora quid lachrymæ rigant?
Variamque nunc huc ira, nunc illuc amor
Deducit? Anceps æstus incertam rapit.

Ut

Ut sæva rapidi bella cum venti gerunt ;
Utrinque fluctus maria discordes agunt,
Dubiumque pelagus fervet : haud aliter meum
Cor fluctuatur, ira pietatem fugat,
Iramque pietas ——

Hæc autem bellua, si potuisset invenire nepotem, sine ulla animi lucta jugulatum dedisset. Cum filius occubuisset, nepotem scilicet ad necem quæsivit ; cum omni stirpe Iosaphat : libidine dominandi ut furiis agitata. Fidem superat nepotem voluisse tollere, quem alere potuisset & regnare tutelæ nomine. Domus Davidis servata est in uno puero. Amita furata est eum è Gynæceo cum nutrice, in templumque abdidit. Per cubiculum lectorum non intelligitur locus, è quo est surreptus, sed in quo servatus. Ille locus in quo servatus est non fuit in palatio sed templo. Existimare enim quod in cubiculo multis tricliniis strato, ubi necatorum cadavera fuerunt, servatus sit, non cogit textus: qui in templo abditum fuisse docet. Fuerunt enim in templi appendicibus permulta cubicula, in quibus Levitæ ac sacerdotes aliique agebant. Non est opus statuere cum Rasi, puerum collocatum fuisse in solario quo tegebatur sacra ædes: ubi fuerunt multa scrinia & gazaphylacia. Potuit, inquit Martyr, utrumque fieri, ut & statim fuerit abditus in aliquo thalamo sacerdotum, deinde ut esset tutior ejus absconsio & occultior delatus sit ad loca templi superiora. At cum nutrice abditus, non igitur in superioribus ædis. (Cum ea) dicitur occultatus, intellige nutrice, non Iosabath. Nam nec Iosabath nec maritus semper agebant in templo toto sexennio.

Pravo mulieris affectu abusus est Deus ad decreta sua perficienda. Nam destinaverat Iosaphati posteritatem tollere, quod esset materno genere è Iezabel atque Achabo derivata. Iram Dei hinc colligas contrà idololatriam : *& quam parum illi* (inquit Martyr) *probentur affinitates cum idolorum cultoribus contractæ : quandoquidem nec Iosaphato pepercit, probo alioqui principi & qui vehementer ei charus exstiterat.*

Potuit Iojada Pontifex & egregio publico& personæ munerique suo convenienter regem solio restituere. Grotius : *Quare non mirandum est si Iojada & civis bonus & in magno magistratu constitutus* (*nam in illo populo etiam pontificium erat magistratus*) *ac per affinitatem obstrictus ad curam regis pupilli, cujus sororem (imò amitam) in matrimonio habebat vi regnantem vi depulit. Fuit is vir magni animi φιλόπατρις, quales duo Bruti.* Iojada non asseruit sibi regnum suæque domui sed illi ad quem jure pertinebat. *Qua in parte*, inquit Martyr, *Assamonai non leviter peccaverunt : non quidem eo nomine, quod pugnaverint pro asserenda religione & patria cum exteris nationibus, sed quod regnum sibi ipsis potius vendicarent, quam tribui Iuda ac familia Davidis, ad quam jure pertinebat. Cessantibus itaque aliis proceribus regni instaurationis cura devoluta est ad ipsum Pontificem, quam rex officio suscepit, laudandus est non reprehendendus.* Duobus præterea quæsitis respondet Martyr. Quorum primum est, An non peccaverit in eo, quod templum exposuerit cædibus & sanguini hominum effundendo ? Alterum An Pontificem & Levitas decuerit armis rem gerere ? Respondet ordine: *Ad hoc* (inquit, primum scilicet) *respondetur : cum Athalia Tyrannide potiretur, Comitiorum usitatum locum in Mispah, ubi in difficilioribus casibus aliàs solebat populus congregari, ut ex libro Iudicum, & primo Samuelis constat, non facile concedendum fuisse. Quare delectus est locus idoneus, & suspicionibus minimè obnoxius*

xius. Quod si aperta vi agere voluisset Iojada, facile bellum civile ortum fuisset, & cives inter se commissi: nam & Athalia suos habuit fautores, nec prorsus milite destituta erat. Ad hoc igitur, ut Rex, qui latebat in templo, inde posset facilius produci, nec non inungi a Sacerdotibus & defendi ab impressionibus aliqua munitione clausi ædificii, non poterat commodior locus, quam templum fuerat, decerni. Quod verò attinet ad cædes & humani sanguinis effusionem, hæc non tanti fiebant, quanti à superstitiosis fieri solent. Deus in lege constituit, sicut habetur in Deuteronomio: Ut quicunque *imprudens aut nolens aliquem interemisset, ad civitates refugii se reciperet. At siquis prudens & data opera cædem fecisset, illum, inquit, Deus, vel ab altari meo abstrahito. Cumque Ioabus nollet inde cædere, Salomon præcepit, ut illic occideretur, nec veritus est Dei tabernaculi violationem. At dixeris, Adoniæ tamen cum eandem ob causam eo confugisset, pepercit. Fateor, sed tamen id non ideo fecit, quod existimaret, si ibi casus esset, propterea polluendum tabernaculum, sed vel quod de ejus salute spem non prorsus abjecisset, vel quia, ut Ioabus duplicis cædis, & quidem injustissimæ, minimè reus erat. Quando itaque templo licebat parcere, id libenter faciebant: cum autem impii alibi non possent coërceri, in ipso templo eos occidere non extimescebant, cum illorum cædes esset quoddam genus sacrificii Deo non ingrati.*

Superest ut videamus, an Pontificem & Levitas decuerit armis rem gerere, imò an in universum Ecclesiasticis arma tractare exemplo Iojadæ & suorum collegarum, conveniat? Quod ut commodius fiat, distinguendum in hac quæstione cumprimis arbitror inter Veteris & N. Testamenti conditionem seu statum. Quoad veteres, mihi dubium non est, id licuisse. Quoniam Levitica tribus exempta prorsus non erat à Civilium rerum administratione, imò illi quemadmodum est dictum, commissa erant judicia, non tantum Ecclesiasticarum, sed etiam civilium rerum. Deinde administratio sacrificiorum & Sacramentorum non erat usque adeo frequens, quia tantum uno loco, id est, in templo Salomonico fiebant sacrificia. Cumque viginta quatuor classes essent cum Levitarum tum Sacerdotum, vix in anno semel aut bis vel paulò plus, his inserviebant sacris. Quare illis vacabat & judicia & res civiles administrare. Atque id etiam multis exemplis illustrari potest. Cum iter facerent Israëlitæ per desertum, Levitæ quoque sua habuerunt castra, & armati cum aliis suis fratribus procedebant. Deinde Moses Levitas deduxit ab una porta castrorum ad alteram, qui nudatis gladiis interficiebant obvios idololatras, non fratribus, non cognatis, neque affinibus parcentes: quibus tandem Moses ait: Consecrastis manus vestras. Banajas quoque filius Iojadæ præfectus erat exercitui Salomonis vice Ioab, cum tamen esset sacerdos. Eli pontifex erat, qui tamen principatum in populo gessit, & multos annos judicabat Israëlem. Quod item fecit Samuel homo Levita, qui etiam bello interfuit, & Agagum Regem Amalek interfecit. Assamonæi etiam, quorum genus erat sacerdotale pugnarunt adversus Macedones, & multis præliis interfuerunt. Cur verò antiquitus & principatus & sacerdotium quandoque conjungerentur, hæc ratio potest assignari, quod in illis personis Christus adumbrabatur, cui & verum sacerdotium, & supremum regnum debebatur: sed post ejus adventum in terram, nos alium sacerdotem non habemus, præter ipsum unicum nostrum redemptorem ac mediatorem. Qui verò sunt ab eo instituti Ecclesiarum ministri, hi ad prædicandum Euangelium filii Dei, & ad Sacramentorum administrationem sunt destinati. Quare ab externo principatu & administratione civilium rerum par est, ut sibi temperent cum sic à Christo fuerint eruditi. Apostolis enim dixit: Principes *gentium illis dominantur, vos autem non* ita: *Et rogatus à quodam, ut juberet fratrem secum hæreditatem dividere, ait: Quis me constituit judicem super vos? Ostendens vocationi suæ, dum erat in terris, non congruere, ut hæreditati hercìscundæ præesset. Eodem autem modo existimare debent ministri se missos, quemadmodum ille à patre fuit missus. Deinde Paulus formans Timotheum suum, & de sacro ministerio instruens, inquit: Nemo admiscet se negotiis vitæ: ubi argumento à comparatis utitur, nimirum à minori ad majus. Perinde ac si diceret: si non licet*

iis qui sacramento militari tenentur, alia negotia seu vitæ instituta suscipere, multo minus hi, qui ministerio sacro mancipati sunt, se debent admiscere aliis curis. Etenim vocatio eorum totum requirit hominem, quia non bis terve in anno illos officio suo fungi oportet, sed ut (ut monuit idem Apostolus) tempestivè ac intempestivè prædicent Evangelium, & studiosè incumbant lectioni & doctrinæ. Id tamen sciendum est, non penitus arma esse adempta ministris Ecclesiæ, quia tales possunt casus interdum incidere, quibus liceat eis ea tractare. Nam siquis eorum in solitudine, ubi non liceret implorare civium auxilium, vel opem Magistratus, invaderetur à sicariis, liceret ei vim vi repellere & armis uti si essent ad manum, adhibita defensione tutelæ, ut loquuntur, inculpatæ. Nam eo loco, qui sic invaditur, non est privata persona, sed armatur à magistratu & à legibus justis ac publicè receptis. Nam ipsæ ac æquus Magistratus nolunt suos cives temere perire, idcirco eo casu arma suppeditant. Deus item voluit suis legibus, ut si fures noctu venirent ad aliquam domum armis instructi, si à domino ædium occiderentur, id impune fuerit. Quod existimentur, non modo venisse ad furandum, sed etiam ad cædem faciendam. Deus autem nihil injusti sanxit. Cum ergo ministri non tantum Ecclesiæ serviant, sed etiam sint cives urbium & partes Reipublicæ, non debent nudari privilegiis, quibus alii cives fruuntur, præsertim cum eorum usu à sacro ministerio non avocantur. Quandoque etiam contingere posset, ut tanta esset in oppido penuria hominum, ut absque opera ministrorum non posset defendi murus vel porta, nec hostis repelli, eo casu non impediuntur, imò tenentur & jure quidem laboranti patriæ opem ferre. Verum si talis aut consimilis necessitas non urgeat, minimè duco esse pii Magistratus illos urgere ut militent. Quia salva conscientia non possunt suam deserere vocationem, nec valent illam unà cum exercitio militari obire. Sed quin ad breve tempus & urgente necessitate fieri liceat minimè inficior. Nec etiam nego in castris esse posse, ut militibus concionentur, imo sum author, ut id sedulo fiat: nam ibi potissimum est opus verbo Dei, cum propter scelera, quæ bella comitari solent, reprehendenda, tum ad animos pugnantium confirmandos: quandoquidem ipse Deus legem tulit, ut in Deuteronomio habetur, ut sacerdotes in castra proficiscerentur ad promissiones Dei militibus inculcandas. Nec tamen propter has exceptiones, Papæ ac Episcopi nostrorum temporum excusantur, cum ipsi bella indicant & gerant, imo principes inter se committant, nec bene seu tranquillè habere sibi videantur, nisi cum omnia cædibus, armis & bellis ardent.

Quæritur & id cur iste Ioas prætereatur in Genelogia Matt. 1. Et an sit Achaziæ filius. Martyr iterum: *Ad hoc* (primum) *respondeo, non illum modo prætermissum esse verum etiam Ochoziam patrem ejus, & Amasiam, qui ei successit. Nam, inquit Matth. Ioramum filium Iosaphati Oziam genuisse, cum inter Ioramum & Oziam tres illi regnaverint. Cur autem istos magis quam alios Evangelista præterierit, non facile est explicatu. Sunt qui hoc referant ad oblivionem, quasi Evangelista sit oblitus trium illorum Regum, quos omisit, aut deceptum nomine consimili. Dicit enim Ioramum genuisse Oziam, cum procrearit Ochoziam. Equidem est nonnulla literarum & syllabarum in illis nominibus allusio: sed inter Ochosiam, & Oziam tres reges occurrunt. Verum oblivio Evangelistis non est asscribenda, quia non ex voluntate seu capite suo, verum ex spiritus sancti afflatu suas historias conscripserunt. A numine autem procul esse oportet oblivionem, quia nec fallit, nec fallitur Alii causam ex eo depromunt, quod noluerit Evangelista eos commemorare, qui derivati essent aut conjuncti cum Achabo & Izabele. Quasi verò non sint in genealogia Christi multi alii contaminati & polluti homines. Deinde Amasias rex, qui præteritur, commercium habuisse non legitur cum scelerata familia Achabi. Quare ab aliis dicitur, consilium fuisse Matthæi tres status facere in hac genealogia: Vnum ab Abrahamo usque ad Davidem: alterum à Davide usque ad captivitatem Babylonicam: Tertium ab ea usque ad Christum: sed ita ut in singulo quoque gradu poneret quatuordecim generationes. At si tres reges intermissos connumerasset*

rasset à Davide usque ad exilium Babylonicum, decem & sex tum, non quatuordecim generationes recensuisset. Quod ut evitaret illos præteriit. Cur verò istos potius quam alios omiserit, non potest ratio aßignari. Videtur sibi reliquisse liberum, ut quos vellet expungeret, qui tamen facile possent resarciri à lectore, si consulere voluerit sacram historiam. Et cum hæc non sint ad salutem necessaria, si à nobis ignorentur, nihil nobis de beatitudine prædicitur. Illud etiam revocandum esse in memoriam, quod Paulus jubet, ne simus in genealogiis perscrutandis nimis anxii & morosi.

Deinde: *Sacra historia videtur illum facere Achaziahu interfecti filium. Alii verò negant, eumque asserunt prognatum è stirpe Nathanis, sed non illius prophetæ objurgatoris Davidis. Quamvis non defuerunt, qui hoc affirmarint, asserentes illum prophetam à Davide fuisse adoptatum. Sed falluntur, nec legerunt lib. Paral. priorem cap. 3. ubi filii Davidis numerantur, inter quos Nathan legitur Davidis & Batsabe filius major natu Salomone, ad quem voluntate Dei regnum translatum fuit. Vnde Augustinus, qui scripserat aliquando Nathanem hunc fuisse illum prophetam, & filium Davidis adoptivum, palinodiam cecinit in libro retractationum. Et Gregorius Nazianzenus in suo carmine genealogico duos fecit Davididas, Salomonem inquam & Nathanem. Regnum cessit Salomoni, verum ea lege, ut siquando posteritas ei defecisset, imperium ad stirpem Nathanis rediret. Vnde conciliatur genealogia Lucæ cum ea, quam scripsit Matthæus. Lucas quippe genus Christi, ad Nathanem filium Davidis perducit. Matthæus verò ad Salomonem, quorum utrumque verum fuit. Nam si genus Salomonis in Achazia extinctum, successit Ioas, non quidem carne genitus ex Achazia, sed ex genere Nathan, qui tamen idem potuit dici Achaziæ filius, quod ei successerit, ac si fuisset ejus filius. Quare pertinebat ad Nathanem carne, successione ad Salomonem, cujus genus instauravit, alioquin extinctum. Hanc sententiam Erasmus in annotationibus capite tertio Lucæ sequitur, nec non Faber Stapulensis in Epist. ad Hebræos, & pro ea tuenda Ioannes Annius adducit historiam Philonis, hoc apertissimè scribentis. Quæ tamen pars in libris Philonis, quos habemus, quantum sciam non extat. Annotavit item Erasmus hunc Ioram dictum etiam fuisse Symeonem, ut extat apud Lucam, nec non Eli. Hos autem, qui jus regni habebant, ceu propinquos, deficiente regia stirpe, Hebræi vocabant* אחי שמים*, quod est fratres principis seu Regis, quod primi eßent post eorum stirpem. Cum itaque non essent Achaziæ interfecto liberi, regnum ad alios recedebat, nimirum ad stirpem Nathanis. Illos omnes Athaliam ajunt peremisse hoc uno excepto Ioa, quem neglectius custoditum Iehoseba sustulit è medio & ita locum illum intelligunt paralip. quod vis non eßet in familia Achaziæ retinendi regni, quod scilicet non habuerit hæredem marem.*

Si hanc interpretationem sequamur, dicemus causam ejus cædis fuiße præcipuam, quod Athalia videret, regnum ad aliam familiam transferendum, quod ei modis omnibus displicebat, ne scilicet redigeretur in ordinem, & ne cultus Baalis, cui mirificè studebat, aboleretur. Alioqui mulier cupida regnandi, si verè avia fuisset infantuli, illum potuisset jure ad se accipere, ac ejus prætextu tyrannide quam diutissimè frui, nec potestate fuisset spoliata, quam cupiebat retinere. Licuerat quippe illi regnum administrare loco nepotis, qui patre fuisset orbatus. Opinio hæc satis est probabilis, & eam verba Lucæ mihi persuadent: nec obstant verba historiæ, quæ illum appellant filium Achaziæ, quia ut filius haberi debet, cum illi successerit, & genus ejus instauraverit. Nec secus intelligendum est, quod legimus, Deum promisisse de Salomone, quod sessurus esset in paterno solio, nec ipse modo, verum semen ejus in seculum. Quoniam & Ioas ratione jam adducta valuerit proli Salomonicæ annumerari. Hæc Martyr, at ego video in historia regum & Chronicorum,

corum, ubi ex professo perscribuntur ea, quæ ad reges pertinent, & diligenter annotantur regum stirpes, ne quidem matribus prætermissis, Ioas Achaziæ filium constanter appellari, eumque hac origine describi. Vide locis quæ habuimus, & 2. Reg. XIV. 13. Coronato unctoque rege, Iojada auctore & dirigente fœdus factum, quo Pontifex; universus populus & rex se obstringebant se Dei populum fore: id est se parituros Dei legibus, pro sua quemque parte. Deinde fœdus inter regem & populum. Populus promisit obsequium, deinde regis salutem sibi curæ fore. Grotius: *Nam ut rex populo quicquam promitteret, moris apud Hebræos non fuit. Tum ubi is mos est, ante coronationem, non ea jam peracta id fieri solet.* Iosephus etiam utriusque federis meminit, sed inverso ordine: *Ὡς δὲ τὰ περὶ τὴν χειροτονίαν τοῦτον ἐστρατήγει τὸν τρόπον, συγκαλέσας πάντα δῆμον καὶ τοὺς ὁπλίτας εἰς τὸ ἱερὸν ἐξώρκισεν εὐνοεῖν τῷ βασιλεῖ καὶ προνοεῖν αὐτοῦ τῆς σωτηρίας καὶ τῆς ἐπὶ πλεῖον ἀρχῆς. Ἔπειτ' αὐτὸν τὸν βασιλέα τιμήσειν τὸν θεὸν καὶ μὴ παραβῆναι τοὺς Μωϋσέως νόμους, δοῦναι πίστιν ἠνάγκασε.* Ralbag fœdus inter populum & regem duabus partibus dicit constare: Quod ipse illis in regem, illi ipsi in populum sint futuri.

Regis jussu instaurata est publica religio. Grotius recte: *Atque adeò religionis quoque publicæ status nunquam non à regis ac Synedrii arbitrio pependit. Quod enim post regem magistratus simul cum populo Deo se fideles fore promiserunt, id intelligi debet quatenus in cujusque id futurum erat potestate. Ne simulachra quidem falsorum deorum, quæ publicè exstabant, dejecta unquam legimus, nisi jussu aut populi in libera rep. aut regum, cum regnabantur.* Hæc Grotius rectè sed iniquè P. Martyri imponit: Quod ejus sententia inferioribus magistratibus jus sit resistendi injuriis ejus, cujus summum est imperium. Distinguit enim inter *παμβασιλείαν* & regnum Laconicum: ut ipse Grotius. Videri potest locus à Grotio adductus è comment. in 3. Judic. Regis igitur mandato populus ædem Baal irrumpit: aras & statuas evertit; ædem diruit. Matthanem sacerdotem Baal ante aras mactant.

Ordinem sacrorum Iojada restituit: munera in æde Domini. Ut sacerdotes è Levi, ex divisione Davidis holocautomata offerrent, juxta legem Mosis, cum gaudio & cantu juxta institutum Davidis. Janitores etiam ad portas domus Domini statuit, ne quis immundus intraret.

Hic peractis centuriones, præterea illos, qui 2. Reg. XI. את־הכרי ואת הרצים 2. Paralip. 23. את האדירים ואת המושלים בעם appellantur, (Jos. *ἡγεμόνας* vocat Vulg. fortissimos viros ac principes populi) assumit: totumque terræ populum (id est plebem) Simul deducunt regem per sublimem (Lxx. *τῆς ἐσωτέρας*) in palatium. In loco Regum appellatur porta satellitum seu scutariorum (cursorum) Collocant in solio regni cum festo gaudio. Solium hoc ipsum fuisse, quod fecerat Salomon, non affirmaverim. Hinc (post epulas aliquot dierum teste Iosepho) dimissus populus quievit. Sequitur regnum Ioas 2. Reg. XII. & 2. Paralip. 24. Ioas septennis imperium accepit; matri ejus nomen fuit Sebia è Bersabe. Justitiam & pietatem secutus est donec superstes fuit Iojada, qui eum dirigebat: eique conciliator fuit conjugii cum duabus conjugibus, è quibus filios & filias genuit.

Cultum Dei instauravit, reliquit tamen excelsa, in quibus populus Domino immolabat & adolebat odoramenta. Templum Dei opus habuit reparatione, de qua cogitavit Ioas anno fere regni sui vigesimo primo. Corruperant ædem sub Athalia ejus filii qui perfracta æde sacram pecuniam & sacra vasa elata in cultum Baalim converterant. Rex Ioas pecuniam colligi voluit hoc modo: Primo dimidium sicli ab iis, qui transgrediebantur in censum

ſum populi id eſt annum vigeſimum (Exod. 30. 12. 13. 14. 15. 16.) Hoc oppidatim à Levitis ſumi mandat. Id quotannis, faciendum erat, quia ſemper aliqui in tanto populo tranſibant in annum cenſus. Secundò voluntariam oblationem, quantam quisque vellet, aſſumi. Tertium genus fuit æſtimationis ex Levitic. 27. כסף נפשות ערכו. Fracturæ ædis non reparabantur. Joas igitur poſt biennium advocatos ad ſe Jojadam & ſacerdotes Levitas redarguit. Cauſam neglectæ rei apparet fuiſſe, quod ſacerdotes nollent æſtimationem impendi in reparationem ædis. Decretum eſt igitur eam non accipere. Sacerdotes maluerunt omitti ob rationem temporum quam in reparationem ædis converti. Sic intelligi debet vexatus à multis verſus 2. Reg. 12. 8. Hanc autem rationem ineunt. Arcam benè munitam, in cujus operculo foramen erat, ponit Jojada ad dexteram aræ holocautomatum. Proclamatum eſt à præconibus ut utrumque genus collationis dimidii ſicli & oblationis in arcam apportaretur. Huc igitur promptè contulerunt omnes, potiſſimum principes. Et Levitę ad limina conſtituti è manibus intrantium & offerentium ſumptum in gazophylacium injiciebant. Plenum gazophylacium ſcriba regius cum ſummo ſacerdote aut ejus conſtituto deplebant. Ingentem pecuniam collegerunt, quam curatè appenſam præfectis operarum tradunt, dandam fabris lapicidisque & in materiam ligni lapidumque æris & ferri. Ita rupturæ ædis refectæ ſunt: & huc pecunia converſa. Non impendebant eam in argenteas patinas, furcas, pelves, buccinas: aut ullum aureum ſine argenteum vas templi. At poſtquam operis ſatisfactum eſſet, & ſarta tecta omnia, reſiduam pecuniam detulerunt ad regem & Jojadam. Notant ſacræ literæ rationes non eſſe exactas ab illis, qui pecunias in operas diſtribuebant: quod ſatis appareret eos fideliter agere. Alii ita accipiunt, quod ſua fide ſuoque periculo opus probatum exhibere debebant. Sed fruſtra rationum mentio ubi ita convenerat, ut ſuam acciperent ſummam. Pecunia ſacrificiorum pro reatu & peccato non veniebat ad reparationem ædis nec in hanc collationem, quia ex lege ſacerdotum erat. Cum viderent ſupereſſe pecuniam poſt ædem pleniſſimè reparatam, viſum eſt vaſa ſacra facere aurea & argentea ad ſerviendum, immolandum & incenſum. Ita ἐνδελεχισμὸς reſtituitur ſtetitque vivente Jojada. Joſephus meminit tantum unius generis collationis ſcilicet ſemiſicli Moſaici: quod aberrat plane, cum textus ſit evidens: quamvis multi non capiant. Deinde ipſum populum putat immiſiſſe pecuniam ſeu munera in arcam: reſpiciens ad ſui temporis morem ubi gazophylacium alio loco poſitum à quovis ingrediente poterat adiri. Non enim populo aditus fuit usque ad aram. Notat diſerte Scriptura manibus Levitarum *injectam* pecuniam qui lato vocabulo appellantur ſacerdotes 2. Reg. 12. v. 9. Pecuniam eſſe numeratam quotidie ſcribit præſente rege à ſcriba & ſacerdote gazæ ſacræ (ἱερέως τ͂ γαζοφυλακίου) Sic & error eſt, quod quotidie arcam depletam fuiſſe dicit. Hoc tamen & Grotius probat. Jojada obiit anno vitæ centeſimo & triceſimo & ob merita in domum Dei & regis illatus eſt monumentis regiis. Eo defuncto Joas adulatione principum corruptus, qui humili obſequio & ſupplicíis animum regis impulerunt, idololatriam permiſit. Iſti enim principes idolorum cultui dediti omni modo flagitarunt ſibi veniam fieri. Quia in Hebræo eſt וישתחוו comminiſcuntur Iudæi, inſtar numinis coluiſſe quod dicerent ſexennio in ſanctuario latuiſſe ubi alius ad horam durare nequeat. Principum imitatione, ut ſolet, vulgus deflexit. Serviebant lucis & idolis relicto patrio Deo: quod Dominum graviter offendit. Cujus iram in Iuda & Ieruſalem denuntiant prophetæ monentque redire in viam: ſed ſurdis (quod ajunt) cecinere. Dei ſpiritus etiam Zachariam filium Iojadæ

corri-

corripuit. Hic in concione ex edito suggestu verbum Dei proloquitur: Ita loquitur Deus: Cur transgredimini præcepta Domini: ideo res vestræ improspere cadent. Dominus enim derelictus à vobis vicissim vos derelinquet. Cum proceres dediti idolis liberam redargutionem ferre non possent, per conjurationem, regio edicto impetrato, multis, ut apparet, indignantibus, lapidatus est in atrio domus Domini dum sacris operatur ut verosimile est. Non est hic ille Zacharias Barachiæ filius, de quo Matth. 23. 35. qui occisus est inter templum & aram. Ille est, quem narrat Iosephus occisum à Zelotis de bello Iud. lib. v. cap. 1. juxta Latinam distinctionem. Hic enim fuit ultimus justorum ab ista gente interemptorum: quem eadem impietate sua, quæ in posteros transiit, jam quasi absumpserant. Non quadrat sanguinem à Iudæis exigendum in Iojadæ filio terminari & tot justos qui postea sunt occisi ipsumque Dominum excludi. Quod in ipso sanctuario Zachariam occisum esse velint Iudæi in Dras, id eliciunt ex Threnor. 2. 20. An propheta & sacerdos in sanctuario trucidabuntur? Cum ibi narretur, quid factum sit in Hierosolymorum excidio per hostes. Sacerdos moriens provocavit ad judicium Dei: Videat Dominus & quærat. Ioas igitur ingratus fuit in benefactoris & suæ amitæ filium. Deus eam impietatem citò ultus est. Expeditionem Syrorum duplicem fuisse persuadet Salianus, quamvis cum Iosepho plerique unam esse velint. Primam existimo evenisse ante mortem Zachariæ post ejus vaticinium & commemorari in loco Chronicorum. In hac ipse Hazaël adfuit, qui Getham expugnavit. Minitantem Hierosolymis missis vasis sacratis templi & ingenti vi auri domus Dei & regiæ, pacavit: fœdam pacem mercatus illis omnibus traditis, quæ Josaphat, Joram, Ochozias & ipse sacraverant. Missa dicuntur ad Hazaëlem, quia Hierosolymam nondum obsederat, sed minitanti, ut ne accederet, objecta est offa & pax redempta. Infida pax fuit. Nam cum inimici Zachariam ferre non possent, omnibus modis iram effundere laborarunt, donec regem impellerent: occiso per factionem sacerdote, Dei ultio affuit. Syrorum exigua manus (sub rege Benhadad, ut patet dispicienti) in Iudæam illata conflixit cum ingentibus copiis hostium, quas ad internecionem cæcidit. Hic illi principes cæsi sunt aut insecuta populatione regionis valde afflicti. Syri igitur exsequuntur Dei judicium. Magnam prædam præmiserunt & secum traxerunt in Syriam. Priusquam abirent rex in gravem & multiplicem morbum (מחלוים) inciderat. Contemptus igitur conjuratione aulicorum in lecto suo cæsus interiit. Textus dicit pœnas luisse cædis filiorum Jojadæ: ubi incertum fuerintne plures filii Iojadæ occisi, an pluralis numerus pro singulari ponatur. Quadraginta annis imperavit: sepultus est in civitate Davidis sed non illatus in monumenta regum. Annum ejus 23. notat Scriptura, in quo ædes Domini refecta est. Eum à conditu templi Kimchi numerat centesimum quinquagesimum quintum. Salianus addit biennium: Scaliger quadriennium. Genebrardus à Judaica traditione non abhorrere videtur, quæ ferebat sanguinem Zachariæ usque ad adventum Nabuchodonosori instar ollæ bullientis, quasi ultionem deposceret, ferbuisse. 2. Reg. 12. 20. cæsus esse dicitur in domo Mello, qua descenditur Sellam. Grotius. *Qua descenditur ex domo in viam publicam, qua cum adjectitia litera alibi dicitur* מסלה. Vatablus dicit domum Mello fuisse in clivo loci appellati Sella.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

Cap. LXX.

AT in parte decem tribuum defuncto Iehu Ioáchas filius ejus regnavit, invisus Deo, malis operibus, ob quæ regnum ejus Syris prædæ fuit, donec Dei misericordia depulsis hostibus, pristinum habere statum cœperunt. Ioachas diem functus Ioæ filio reliquit regnum. Is Amassiæ regi duarum tribuum civile bellum intulit, victoriaque potitus, multam prædam in regnum suum convertit. Idque ob Amassiæ delictum accidisse traditur. Siquidem Idumæorum fines victor ingressus, idola gentis ejus assumpserat. Hic novem annos regnasse scribitur, quantum in libris regnorum reperi. Sed in Paralipomenis atque etiam in Chronicis novem & viginti amis imperium habuisse annotatum est. Ea nimirum id persuadente ratione, quæ in his regnorum libris facile perspici potest. Ioram enim rex decem tribuum octavo anno imperii Amassiæ traditur regnare cœpisse, unumque & quadraginta annos imperium tenuisse; regnante demum Ozia Amassiæ filio, quarto imperii ejus anno defunctus est. Qua ratione novem & viginti annos regi Amassiæ effecit. Itaque nos hoc ipsum secuti, quia rationem temporum persequi placet, Chronicorum authoritati accessimus.

DRUSIUS.

IOACHAS] Prætulerim Ioachaz. Nam sic est in bibliis Græcis Ἰωάχαζ cum z in ultima. Ioachas se tuetur consuetudine illa, qua postrema nominis barbari in ς mutant, ut Annibal, Ἀννίβας.

IOÆ FILIO] Ioas, Ioæ; ut Judas, Judæ, Thomas, Thomæ. Regnavit XVI. annis.

CIVILE BELLUM INTULIT] Non bellum ei intulit, sed illatum excepit. Vide Sigonium & 4. Reg. 14. 11.

AMASSIÆ] Editio Paris. *Amasiæ.*

QUANTUM IN LIBRIS REGNORUM REPERI] Errat. Nam 4. Reg. 14. εἴκοσι καὶ ἐννέα, id est viginti novem.

IN PARALIPOMENIS] 2. Paralipom. 25. 1.

ANNOTATUM EST] Alibi annotatum, absque verbo substantivo. Quod in his libris novum non est.

JORUM

JORAM ENIM REX DECEM TRIBUUM] Adhuc quæro ubi Jeroboam in Paralipomenis Joram vocetur. Affirmat hoc siquidem Sigonius, sed affirmat tantum, non probat. Quod sic affirmatur eodem modo negari potest. Sed quæramus amplius.

OCTAVO ANNO] Quintodecimo, 4. Reg. 14. 23.

OZIA AMASSIÆ FILIO] Ozias vocatur, 2. Paral. 26. 1. qui 4. Reg. 142. & 15. 8. Azarias dicitur. Fuit ergo *διώνυμος* id est binomius.

QUARTO IMPERII EJUS ANNO] Reponunt *Trigesimo-octavo imperii ejus anno.* Recte an secus, ubi plus otii erit, videro.

REGI AMASSIÆ EFFECIT] Eusebium intelligit, qui in Chronicis ita scribit: *Ebraeorum Iuda Amasias annos XXXIX.*

SCHOTANUS.

Regnum Joachaz & Ioas in decem tribubus, Amasiæ in Judæa hoc capite comprehenditur, quo pertinet 2. Reg. cap. XIII. & XIV. usque ad v. 21. & 2. Chronic. cap. XXV.

De regibus Israel agemus prius. In anno 23. Ioas regis Judææ, id est, illo ipso, quo templum instaurari cæpit, Ioachaz filius Iehu cæpit regnare. Regnum tenuit annis 17. Hic etiam Jeroboami impietati mordicus adhæsit. Ideò Dominus per Hazaelem regem Syriæ (amplis victoriis illustrem) & filium ejus Benhadad: ejus nominis tertium, ultionem exercuit. Acerba fuit illa ultio & gravis pressura. Nam universus Israel ita cladibus attritus & consumptus erat, ut è tam numerosa gente tantum superfuerint quinquaginta equites (Jos. quingentos dicit) decem currus & decem millia peditum. Hic Ioachaz Deum seriis supplicationibus & precibus placat. Miseratus autem Dominus afflictæ gentis dedit Salvatorem id est ducem aliquem nobilem & egregium, qui Syros cladibus contusos, ita repressit, ut Israelitæ agros colere & in suis tabernaculis libere agitare vitam possent, ut superiori tempore. Cæterum nec cladibus nec beneficiis populus subigi potuit ut Jeroboami prævaricationem deserens, Dominum integre coleret. Salvatorem illum Cajetanus exponit de propheta Elisæo, quod non quadrat; cum sine dubio illum intelligat Sp. S. qui factis fortibus & manu Syros afflixit. Nolim etiam referre ad successorem hujus regis, (cum Rasi Kimchi & Ralbag multisque aliis) quum ejus precibus Deus concesserit & humiliationi, quod ipse videret & in quo fructum suæ resipiscentiæ ipse agnosceret. Deinde & v. 8. גבורתו fortitudo seu robur ejus celebratur: quod non potest locum habere nisi adversus Syros revaluerit. Forte dixeris cum Ralbag quod per Elisæum collegam regni fecerit filium, qui patre vivente feliciter conflixerit cum Syris. Sed nec hoc placet filium regis non exprimi nomine qui tam notus erat, quique in regno successit. Dicere cum Tyrino, quod in conflictibus adversis, ubi stragem sæpius passus est, fortem se sed à fortuna desertum ostenderit, id non implet vim vocis גבורתו. Multo minus de ipso Ioachaz accipi potest, quem nulla causa erat, ut Scriptura non exprimerit. Cum de ipso loqueretur, id ad ipsum non referens, distinguit. Liberatorem istum fuisse angelum conjicit Lyranus, quia Ioachaz (in cujus vita liberatio contigit) vires non habuit, quibus certaret adversus Syros. Angeli quidem certant pro gentibus & populis sed adjuvando certantes. Sæpe exigua manu magnæ copiæ sunt victæ & deletæ. Hic tantum principium fuit liberationis sed ulterior per Ioas, plena per Jeroboam vide infrà v. 22. 23. & cap. 14. v. 25. 26. 27. Omnibus diebus Ioachaz Hazael premebat & affligebat

bat Israelem, sed afflictio moderationem quandam habuit, ut respirare posset.

Hazael & Ioachaz eodem fere tempore obiisse videntur. Ioachaz illatus est majorum monumentis Samariæ, Hazael absque dubio sepultus Damasci est & post mortem inter deos relatus. Joachaz decessit trigesimo septimo anno Joas Judæi absoluto, cum ejus vigesimo tertio ineunte cæpisset regnare, sic concilio apparentem dissensum. Ioas igitur filius Ioachaz cæpit regnare anno Ioas vigesimo octavo inituro. Sic quadriennium exegerat antequam Amasias regnum intraret: qui dicitur post ipsum vixisse annis quindecim. Ioas secutus est patrum vestigia in cultu vaccarum. Eo regnante ex vita exiit Elisæus propheta. Decumbentem & proximum fato accessit Ioas rex: provolutus, super faciem, ingemuit cum Lachrymis: Mi pater, mi pater, Currus Israel & equitatus. Elisa jussit afferre arcum & sagittas, jussitque manum apponere. Ipse quoque manus suas regiis manibus imposuit. Porro præcipit fenestram ad ortum aperiri & sagittam emitti. Dicebat autem: Est sagitta liberationis Domini & sagitta liberationis adversus Syros. Syros in Aphec pecuties donec eos consumes. Hinc fasciculo sagittarum terram percutere jubet, non definiens quot vicibus: rex autem cum ter percussisset terram, substitit. Indignatus propheta, quinquies aut sexies, inquit, si percussisses, ad consumptionem eos cæcidisses: nunc eos ter percuties. Obiit Elisæus & sepultus est. Non memorant sacræ literæ ubi sit sepultus; vanæ igitur sunt conjecturæ. Alii Samariæ, alii in Carmel, alii alibi sepultum fuisse dicunt. Intra mœnia urbis non fuit sepulchrum ejus. Nam cum aliquando sub initium anni mortuus terræ mandandus esset: quo tempore turmæ Moabitarum regionem populabantur: metu talis turmæ per festinationem illatus est in monumentum Elisæi. Mortuus autem contactu ossium revixit & domum regressus est. Israeli salus evenit per Ioas, ut *Elisæus* prædixerat. Nam Ioas tribus cladibus fregit vires Syriæ & recuperavit urbes Israël, quas Hazael occupaverat.

Josephus filium Iehu appellat *ἰωάζαν*. Eum scribit cæpisse regnare anno Ioas (Judæi) vigesimo primo. *Τοῦ μὲν πατρὸς*, inquit *οὐδ' αὐτὸς μιμητὴς γενόμενος ἀσεβήσας δὲ ὡς οἱ πρῶτοι τὸν θεὸν καταφρονήσαντες*. Leg. *ἀλλ' ἀσεβήσας ὡς καὶ οἱ πρῶτοι*. Errat Iehu pium fuisse existimans, cum vaccas coluerit. Sed Iosephus putat tantum permisisse, ut colerentur. Ioachazi liberationem describit ita: *δίδωσιν αὐτῷ ἐκ τοῦ πολέμου καὶ τῶν κινδύνων ἄδειαν. εἰρήνης δ' ἡ χώρα λαβομένη ἀνέδραμέ τε πάλιν εἰς τὴν προτέραν κατάστασιν καὶ εὐθηνίαν*. Joas filium Joachaz scribit fuisse *ἀγαθὸν καὶ οὐδὲν ὅμοιον τῷ πατρὶ τὴν φύσιν*: cum tamen scriptura idem illi quod patri det elogium. Si putat ideò meliorem fuisse, quia pater dicitur resipuisse, aut quia hic mortem vatis deflevit, sciat Dominum agnitum in vitulis & hanc tantum fuisse superficiariam speciem pietatis ubi cor integrum non est. Ioas Elisæum appellasse *πατέρα καὶ ὅπλον*. Lxx. *πάτερ, ἅρμα Ἰσραὴλ καὶ ἱππεὺς αὐτοῦ*. Non est absimile vero, quod dicit conquestum esse regem se nudari præsidio, in miseris temporibus, cum ita urgerent Syri. Sed addit: *αὐτὸν γὰρ μηδέ ποτε χρήσασθαι πρὸς τοὺς ἐχθροὺς ὅπλοις ἀλλὰ ταῖς ἐκείνου προφητείαις ἀμαχητὶ κρατεῖν τῶν πολεμίων*. Videtur existimare Elisæum esse illum soterem, de quo textus. Scribit regem tria emisisse jacula, nec quicquam de percussione terræ. In Elisæi sepulchrum latrones quosdam projecisse occisi à se viatoris cadaver, quod in vitam redierit (*ἀναζωπυρῆσαι*) Locum non benè percepit.

Tyrinus: *Quod vero manui regis arcum tendentis suam propheta manum superimposuit, designabat conatibus regis affuturam præsentem manum seu opem Dei, cujus propheta personam hic gerebat; vel etiam opem ipsiusmet prophetæ quantumvis*

jam

jam brevi è vivis abituri, nunquam tamen regi defuturam. Nam ex limbo quoque sanctorum patrum decreverat suis ad Deum precibus regi & Israëli deinceps operari. Egregia interpretatio! Sed & Pontificii ex eo, quod testatur propheta, si sæpius rex terram percussisset, Syros contusurum fuisse, probant, Deum non tantum ab æterno certò præscire, quæ de facto futura sunt sed & omnia, quæ quaque conditione posita futura essent, licet nunquam de facto futura sint. Nemo tamen dixerit, inquam ego, Deum prænosse futurum, quod ipse non decreuit futurum esse. Decreverat Deus, ut toties Joas Syros cæderet, quoties terram percuteret, (utrumque definitum erat) Quia sæpius terram non percussit, certum est Deum non decrevisse ut pluribus cladibus Syros quateret. Imputet sibi & suæ tamen negligentiæ quod tam brevi numero substiterit. Ossium Elisæi contactu (cadaver igitur computruerat) revixit mortuus. Non legimus in veneratione fuisse ossa Elisæi: certe neglecta jacuerunt in conditorio & cum propè illud essent vespillones, plebeium cadaver eò projecerunt. Grotius: *Major indies lux ad spem vitæ alterius. Et ostendit Deus, quam sibi cari sint sancti etiam mortui. Eadem causa fuit cur ad martyrum monumenta tam multa mira Deus siverit fieri, agnoscente etiam Porphyrio, ut ad tertium librum de verit. Relig. Christ. annotavimus.* Sosinissat & Papissat! Cœpit Elisæus præesse filiis prophetarum inde à translatione Eliæ, quod fuit in principio regni Joram. Joram regnavit annos 12. Jehu annis 27. Joachaz ann. 17. Hi sunt anni 56. Si verum sit quod Elisæus decesserit anno 10. Joas ut est in Seder olam Rabba, jam 66. annis præfuit. Admodum senex obiit. Judæi mire fabulantur de ista resuscitatione. Rasi: *Magistri nostri quidam dicunt vixisse & genuisse filios. Sensus quod vixerit ad stabiliendam benedictionem Eliæ, qua dederat ipsi duplicem portionem de spiritu suo. Elias autem suscitavit mortuum unum, ipse duos, unum in vita sua filium Sunamitidis, alterum in morte sua, hunc virum & dicunt quod genuerit filium. Et vir iste fuit Sellum filius Thekvæ. Et ipse fuit è magnis generationis: & faciebat eleemosynas quotidie. Quas Eleemosynas faciebat? Impleverat utrem aquis, sedensque ad portam urbis, quicunque accederet è via, ei potum dabat eumque reficiebat. Ex merito Eleemosynarum, quas faciebat, resedit Spiritus sanctus super uxorem ejus.* Q. D. (2. Reg. 22. 14. & 2. Chronic. 34. 22.) Ad Holdam prophetin uxorem Sellum, filium Thecvæ. *Cumque mortuus esset, retribuit ipsi totus Israël beneficentiam, & iverunt ad eum sepeliendum. Et viderunt turmam & projecerunt virum in sepulcrum Elisæi & attigit ossa Elisæi & vixit & postea genuit Hanameel,* Q. D. (Jerem. 32. 7.) Ecce Hanameel filius patrui tui. *Et sic dicitur in Thargum Thosiphtha:* Hic est Sallum filius Thecvæ & genuit postea Chanameel. *Quidam autem dicunt quod non vixerit nisi ne sepeliretur cum Elisæo justo, vir autem iste fuerit impius.* H. S. R. (Ps. 26. 9.) Ne colligas cum peccatoribus animam meam (ודקדקו) *Argutantur in id quod habetur:* Et resurrexit super pedes suos; *super pedes suos stetit, at domum non ivit. Si sic: non vixit nisi ne esset sepultus apud Elisæum: cum exiisset è spelunca mortuus est & sepultus in alio loco. At benedictio duplicis portionis stabilita est quando sanavit Naaman. Nam leprosus habetur ut mortuus.*

Anno secundo Joas regis Israël, Amasias in Judæa regnare incipit, annos natus 25. Pater annos 47. vixit, natus igitur est cum pater haberet annos 22. Mater Hierosolymitana, nomen habuit Joaddam. Imitatus est patrem, reliquit excelsa, aliàs deditus Deo colendo. Firmato regno, percussores patris interemit: percussorum liberis pepercit ex lege Deut. 24. 16. Quia Idumæa longo jam tempore sui juris fuerat inde ab imperio Jorami (Nam Joram inutili expeditione, Ochozias & Joas nulla eos attigerant) totas regni vires ad hoc

bellum contraxit. Josephus non tantum Idumæos sed & Amalecitas & Gabelitas voluisse oppugnare autor est. Secundum domos patrum, constituebat Chiliarchas & centuriones lustrato populo ab anno vigesimo: invenit trecenta millia delectorum, in bellum egredientium, tractantium hastam & peltam. Ad hos conduxit ex Israël centum millia virorum fortium, centum argenti talentis. Sed vir Dei ad eum missus monuit dimittenda esse auxilia Israëlitarum. Quia Dominus non sit cum Israël, cum filiis omnibus Ephraim. Si inquit, ire placet omnino, ito & feliciter rem gerito: at Dominus sternet te coram hostibus. Apud ipsum enim est vis auxilium ferendi & sternendi. Apparet regem ægre adduci potuisse ut dimitteret. Cæterum sarcasmo illo vatis motus, Quid igitur, inquit, fiet de centum talentis, quæ numeravi. Vates autem, Plura habet Dominus, quæ donare vobis possit. Dimisit igitur turmas Efraimitarum frementes & indignantes, tanquam ob contumeliam.

Amasias cum suis in hosticum progressus, collatis signis, fortiter dimicans in valle salis, occidit decem millia filiorum Seir. Oppidum Sale (Heb. את הסלע rupem) per vim subegit. Ch. וכבש ית כרכא. Munitionem in rupe expugnavit. Eam appellavit Jecteel. Nominis rationem esse volunt, quod illic jura Mosis constituerit. Hoc oppidum putatur esse, quod Græcis Petra appellatur, & Arabiæ Petrææ nomen dedit. Josephus & multi non urbem sed tantum rupem, in quam multi confugerant, volunt fuisse. Decem millia captivorum ab ea rupe præcipitata letho dedit. Sed illi, quos domum dimiserat, dum abest in bello Amasias, irruptione facta in urbium Judææ fines qua prætendebantur regno Israël ab urbe Samariæ usque Beth-horon (in Josepho male est *βηθσεμήρων*: Salianus emendat, *ἀπὸ Βαιθώρων μέχρι σεμήρων*) Tria millia hominum occidunt, magnasque prædas auferunt.

Amasias autem idola filiorum Seir, quos vicerat, secum in Judæam translata statuit: cultum iis præstans, adorationem & incensum. Quod indignatus Dominus ursit vatem, arguentem, quod deos, qui suum populum non potuerant protegere, assumpsisset. Cui rex, Quis, inquit, te consiliarium meum fecit: ni desistas, verberabere. Reddit vates: Video definitum esse apud Deum te perdere, quia hoc fecisti & consilio meo morem non geris.

Inflatus igitur prospero successu quamvis Idumæam in formam provinciæ non potuerit redigere, provocat Joas regem Israel. Scribit Josephus, quod monuerit, ut rediret in obsequium domus David aut cerneret ferro. Hic respondet apologo: In Libano carduus ad cedrum mittebat, petens filiam cedri filio suo in matrimonium, mox autem à feris conculcatus emarcuit. Idumæos magna clade afflixisti, ideò in magnum de te sensum elatus es. Subsiste domi, non expedit concutere felicem statum. Bene monenti non paruit: quia Deus idololatriam Idumæam punire voluit. Ambo igitur reges apud Bethsemes Judæ infestis signis concurrunt: quo congressu victi Iudæi in castra confugiunt. Ioas ipsum regem Iudæorum cepit in Bethsemes. Eum trahens captivum Hierosolyma intrat. Mœnia illic dejicit à porta Ephraim usque ad portam anguli, quadringentorum cubitorum longitudine. Diripit omne aurum argentumque & omnia vasa domus Dei (quibus custodiendis præfectus erat Obed-edom id est obededomi posteritas) tum omnes thesauros domus regiæ. Sic acceptis obsidibus Samariam repetit. Patentem rupturam dicitur fecisse in porta Efraim & inde usque ad portam anguli. Putant hanc portam inde appellatam, quod versus Efraim respexerit, sive quod Efraimitæ per eam ingredi solerent. Hac igitur porta urbem voluit patere, qua è suo regno aditus erat proximus.

Vixit

Vixit Amasias quindecim annis post Ioas defunctum sed in contemptu suorum. Hinc conjuratio est in eum facta, quam fugiens, Hierosolymis in Lachis se confert. Sed & eo missis percussoribus interfectus est & in equis Hierosolymam relatus conditusque in monumentis regum Iudææ. In 2. Reg. 14. 20. In Ierusalem, apud patres suos, in civitate Davidis 2. Chronic, 25. 28. Apud patres suos in urbe Iudæ: urbs Iudæ est Ierusalem nisi fallor. Iosephus scribit Amasiam irritatum apologo, vehementius exarsisse: exercitum autem illius, ante pugnam, metu divinitus perculsum iniisse fugam. Ideo desertum à suis Amasiam captum esse. Hinc minitatum Ioas Amasiæ mortem nisi præciperet Hierosolymitis ut se cum copiis, portis apertis, admitterent. Hæc facta esse anno decimo quarto Amasiæ. Iudæi somniant prophetam illum, qui regem redarguit, fuisse Amos, regis ipsius fratrem, patrem Esaiæ prophetæ. Lyranus: *In libris de Hebraicis quæstionibus dicitur, quod illa idola cum morarentur in Idumæa, dederint responsa: quod hoc accidebat Idumæis, eò quod negligentes fuerunt in cultu eorum. Quod audiens Amasias eos coluit. Sed hoc videtur fictitium: quia nulla glossa Hebraica hoc dicit: nec aliquis expositor autenticus. Videtur etiam esse contra textum, quia propheta de hoc reprehendens dixit, Cur adorasti deos, qui non liberaverunt populum suum &c. Non enim dicitur populus alicujus veri Dei aut falsi: nisi cultum impendat sibi secundum ordinem illius ritus. Vnde & filii Israël, quando non colebant debito modo Dominum, dicebantur non populus ejus, ut patet Osee. 1. cap. Et in pluribus aliis locis V. T. Item quia Amasias respondisset prophetæ causam dictam idola colendi, ut videtur probabiliter.*

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI PRIMI.
CAP. LXXI.

IGitur Amasiæ Ozia filius successit. Nam in parte decem tribuum Ioas diem functus, Ioram (Ieroboam) filio locum fecerat: postque hunc Zacharias ejus filius regnavit. Horum nos regum, omniumque qui in parte decem tribuum Samariæ præfuerunt, annotanda esse tempora non putavimus: quia brevitati studentes, superflua omisimus, & ad cognitionem temporum ejus potissimum partis annos credimus persequendos, quæ in captivitatem posterius abducta prolixius tempus in regno habuit. Igitur Ozias regnum Iudæ adeptus, præcipuam curam Domini cognoscendi habuit, Zacharia propheta plurimum usus. Esaias etiam sub hoc primum prophetasse traditur, quo merito prosperis eventibus adversus finitimos bella gessit, Arabas etiam

 devi-

devicit. Iamque Ægyptum terrore nominis sui concusserat, elatusque secundis rebus, illicita præsumens, incensum Deo obtulit: quod solis facere sacerdotibus fas erat. Itaque cum per Azariam sacerdotem increpitus eo loco discedere cogeretur, atque in iram exarsisset, lepra oppletus, decessit. Quo morbo affectus, vita functus est, quum regnasset annos duos & quinquaginta. Regnum inde Ioathæ filio datum: isque admodum sanctus fuisse traditur, prospereque imperium administravit: gentem Ammonitarum bello victam, stipendium præstare coëgit: regnavit autem annis XVI. eidemque Achaz filius successit.

DRUSIUS.

IORAM] Jeroboam, sub quo Amos prophetavit Amos 1. 1. Supra, *Ioram enim rex 10. tribuum unum & quadraginta annos imperium tenuisse traditur.* Quod firmatur authoritate scripturæ. Vide 4. Reg. 14. 23. In Eusebio tamen, *Hebræorum Israël XII. Ieroboam ann. XLII.* Nec aliter est in exemplari Græco.

ZACHARIA PROPHETA] Secutus est eos qui 2. Paral. 26. 5. legunt *intelligens in visionibus Dei.* Nam diversa lectio alium sensum continet. Vide si vacas, Observat. lib. 14. cap. 20. & 22.

ADVERSUS FINITIMOS] Philisthæos.

ARABAS] Qui in Gurbaal habitabant.

OBTULIT] Offerre voluit. Nam quo minus offerret impeditus fuit à sacerdotibus. Sic alibi, *pugnavit*, exponitur pugnare cogitavit. Nam verba quandoque conatum duntaxat designant.

PER AZARIAM] Comitatum 80. aliis sacerdotibus.

SACERDOTEM] Pontificem. Notavi alias. Sic Ebræis כהן sacerdos usurpatur pro כהן גדול sacerdos summus. Sic angelus pro archangelus: ἀρτοποιὸς pro ἀρχιαρτοποιὸς: pistor pro pistorum principe.

DECESSIT] Non è vita, sed abiit templo.

JOATHÆ FILIO] Joatham Græci scribebant pro Jotham: unde obliquus Joathæ: cujus scripturæ rationem nondum investigare potui.

ADMODUM SANCTUS] Admodum pius, hoc est ὅσιος, non ἅγιος. Quamvis utrumque vox Latina significet.

GENTEM AMMONITARUM] Filios Ammon, à quibus diversi Ammonitæ, licet interpretes hæc nomina confundunt. Vide 2. Paral. 20. 1.

STIPENDIUM] Tributum ut cap. 62. *cum laxari sibi stipendium poposcisset.* Erant autem 100. talenta argenti: 10000. cororum tritici & totidem hordei.

SCHOTANUS.

Hic abbreviata narrantur 2. Reg. 14. à v. 21. ad finem & cap. XV. ad v. 8. Item 2. Chronic. 26. Hic describitur Judæorum regum Oziæ & Iotham, item Israelitæ Jeroboam vita. Jeroboam filius Ioas regnavit annis quadraginta & uno, qui patrum vestigiis institit in colendis vaccis. Illi Ionas propheta Dei verbis promisit felicitatem armorum adversus Syros: atque ex illa prædictione recu-

recuperavit fines Israel ab ingressu Hamath usque ad mare camporum. Jonas iste filius Amitthai fuit è Gath Hepher in tribu Zabulon. Deus populi Israel afflictissimum statum miseratus per Ionam regi solatium obtulit. Nam *clausi & derelicti* quoque premebantur ut loquitur Scriptura: id est, nemo tutus erat ab injuriis: nemini parcebatur, omnibus manus inferebantur ut gentem internecione delerent & vix aliqui supererant. Sic Syrorum & aliarum gentium grassationes attriverant populum. Noluit autem Deus gentem eradicari. Jeroboam igitur continuo victoriarum cursu attritos Syros vectigales fecit. Scriptura dicit; Damascum & Hamath, quæ ad Judam pertinerent, ad Israel reduxisse. Hoc interpretamur: Davidem & Salomonem, qui in Judæa regnarunt, eas urbes subjecisse sibi, has Jeroboam ad regnum Israel, quod tum in Judæa regnantes obtinebant, retraxisse. Florentissimum igitur fecit regni decem tribuum statum ex afflictissimo. Nam ab Hamath usque ad mare camporum patebat ditio regni Israel. Mare camporum est lacus Asphaltites, qui in campis longe patentibus fundebatur. Post montes Seir patebant campi: qui inter montes Seir & solitudines Moab extensi erant à lacu illo ad sinum Arabicum: ut est Deut. 2.8. Hoc tempore Syri sane non Assyriis sed Israelitis paruerunt ita usque ad Eufratem regnum Israel patuit. Amasiæ in Judæa successit Azarias (sive Ozias) filius qui matrem habuit Iecholiam Hierosolymitanam. Undecim annis filius post patrem videtur regnare cœpisse, quia Ierobo-am filius Ioas Amasiæ anno decimo quinto imperium inivit; unde sequitur, Oziam istius Ieroboami decimo quinto regnum iniisse aut decimo sexto, Atqui 2. Reg. XV. 1. scribitur iniisse anno Ieroboami 27. Interregnum igitur XI. annorum. Amasia tantum quindecim annis supervixit post Ioas, ut est expressum 2. Chronic. 25. 25. Si ita interpreteris turbant ista verba (2. Chronic. 26. 2. & 2. Reg. 14. 22.) Condidit Elath & reduxit ad Iuda postquam rex obdormisset cum patribus suis. Ubi videtur doceri, quod simul cum patre aliquot annis regnaverit. Quod esse non potest quia post patrem interemptum factus rex est à toto Iuda 2. Reg. 14. 21. Tantas turbas facit locus 2. Reg. 15. 1; Ubi etiam LXX. Ἐν ἔτει εἰκοστῷ καὶ ἑβδόμῳ Ἱεροβοάμ: quamvis Iosephus scribat: Τὸν αὐτὸν δὲ χρόνον καὶ Ὀζίας ὁ τοῦ Ἀμασίου υἱὸς ἔτος ἤδη πέμπτον πρὸς δέκα βασιλεύοντος Ἱεροβοάμου τῶν δύο φυλῶν, ἐβασίλευσεν ἐν Ἱεροσολύμοις. Kimchi: *Et quia dicit postquam obdormivit rex cum patribus suis videtur quod ante obdormitionem patris sui regnaverit: Quod si non ita, non opus fuit dicere postquam obdormivit rex: & quando fuit nisi post mortem patris? Sed regnavit anteà postquam fugit pater Hierosolymis propter conspiratores. Et nescimus quando fuerit hoc, quod conspiraverint & fugerit Lachis. Et non apparet è textibus, quod mox quando fugiebat, miserint post eum & occiderint eum illic & portaverint eum in Hierusalem & sepeliverint eum & in regno constituerint filium suum. Et forte quod illud* (Et miserunt post eum) *non fuerit mox, cum esset in Lachis sed post tempus. Et ad verba autoris Seder olam quod cum rediret è bello Edom & bellaret cum Israel, conspiraverint contra ipsum servi ejus. Scriptura,* (ומעת) *in Chronicis:* Et à tempore, quo recessit Amasias à post Dominum conspiraverunt contra eum conspirationem &c. *At cum reverteretur è bello Edom ille recessit à Domino, quia introduxit deos Seir. Et Autor Seder dicit, quod in anno decimo tertio Amasia fecerit bellum Edom. Et si sic est, cum reverteretur è bello, postquam bellasset cum Israël conspirarunt contra eum servi ipsius & occiderunt eum. Totum factum est in anno decimo tertio Amasia aut anno decimo quarto. Et ecce residui erant ex annis regni sedecim aut quindecim anni quia Scriptura dicit quod regnaverit annis 29.* &c. Seder olam illud cubare; cum patribus exponit mori instar patrum. Nam & illi violenta morte ceciderant.

rant. Et vult nihil aliud isto enuntiato *postquam* doceri, quam quod vivente patre regnaverit, quamvis non notetur quot annis. Rasi putat quindecim annis Amasiam in Lachis se tenuisse & illis regnasse filium. Hoc late refutat Kimchi. Nam scripturæ initium Oziæ connectit cum morte patris: Deinde ita pater tantum quatuordecim annos regnavisset. Porro filio tantum 52. anni tribuuntur, qui ineunt à morte patris &c. Ipse ita interpretatur: quod felicitas quæ recesserat à Iuda, post mortem regis, qui abegerat, redierat, atque ita Elath ab hoc rege (quod prosperitatis) condita est. Commentario in v. 1. cap. 15. libri secundi regum Kimchi fuse disputat de istis viginti septem annis, quos vult cum magistris numerari à fine Ieroboami. Nam 27. & 14. faciunt 41. annos, quibus regnavit Jeroboam. Seder olam vult isto anno percussum esse Oziam & simul à fine Jeroboami computandum. Interregnum nec Hebræi nec Iosephus agnoscunt: quamvis multis interpretibus placeat. Salianus duplex initium Jeroboami facit, unum à morte patris, alterum cum patre. Hic initium conregnationis intelligi, quod incidit in annum quartum Amasiæ. Id probatur Cl. Usserio, quia anno 6. regni sui Ioas in bellum Syriacum profecturus filium sumpserit collegam. Fr. Junius connectit v. 1. cum quinto, medius 2. 3. 4. parenthesi inclusis, quasi hic non ageretur de principio regni Oziæ sed de anno, quo Ozias lepra infectus est. Hoc non admittitur à Piscatore. Harum conciliationum nulla satis firma est meo judicio. Ozias decimum sextum agebat annum, cum regno admoveretur, quod tenuit annos 52. Deum piè quæsivit, similiter primis annis patris Amasiæ. Nam nec ille excelsa sustulit. Zachariam ducem & magistrum pietatis habuit, hominem המבין בראות האלהים ut habetur 2. Chronic. 26. 5. Rasi: שמבין ביראת האלהים שטבה היא ונתירא מיי. *Quod intelligere faceret* (sive informaret sc, regem) *de timore Dei, bonum esse & quod ipse timeret à Domino.* Kimchi significari putat, quod esset propheta. Rasi deducit vocem à ירא, Kimchi à ראה. Lxx. *τοῦ συνιέντος ἐν φόβῳ κυρίου*. Vulg. *intelligentis* & videntis Deum. Rasi igitur & Lxx. legerunt ביראת vel ביראות: quemadmodum annotationes Iunio-Tremellianæ testantur ita legi in antiquissimo manu scripto exemplari principis Electoris Palatini. Arridet ut sit à ירא, hac mente, quod Zacharias eum erudierit in timendo Dominum, legendumque sit non בִּירְאוֹת timoribus sed בִּירְאוֹת *in timenda.* Rectè enim Piscator plurale יראות *timores* rejicit. Instruebat ille Zacharias & informabat regem in cultu & timore Dei. Hieronymus in tradit. *Zacharias filius Zachariæ, filii Iojadæ, qui post mortem patris natus postumus, patris nomen sortitus est*, intelligens *&* videns *dicebatur. Intelligens propter sacerdotium, videns propter prophetiam.* Salianus: *Habuisse videtur hic Zacharias filiam nomine Abiam, quæ nupsit regi Achaz, qui ex ea genuit Ezeciam regem, quod etiam in locum* (quem hic consideramus) *Hieronymus affirmat: nec repugnat ætas.* Colenti & quærenti Deum regi, Dei benedictio adfuit. Primum felicium operum memoratur, restitutio Elath ad sinum Arabicum. Idumæorum enim vires nec dum satis coaluerant à clade Amasiæ. Restitutam igitur coloniam fecit Iudæorum, quos posteà ejicit Rasin rex ultimus Syriæ, reddito oppido Idumæis. An autem hinc ad imitationem superiorum regum instituta sit navigatio in Indiam, non scribitur.

Cum Palæstinis feliciter bellat: Geth, Jabne (Iamniæ) & Azoti mœnia diruit. In Azoto (tradente scriptura) & Palæstina condidit oppida: ut munimenta essent suis & frenum hostibus. In Azoto id est agro Azotiorum. Miror Iosephum qui Azotum omisit. Ut Palæstinos ita & Arabas aliosque illis adjunctos populos bello vicit. Arabas quos vicit scriptura collocat in Gurbaal. Lxx.

τοὺς

τὰς κατοικοῦντας ἐπὶ τῆς πέτρας. Jos. τοὺς τῇ Αἰγύπτῳ γειτνιῶσιν Ἄραψι. Ammonitæ munera dederunt, id est tributum, quod non fecerunt nisi armis aut metu armorum coacti. Cum Arabibus junguntur Meunim, Jos. (מעונים) quos LXX. appellant Minæos. Nescio sintne ille populus cujus meminit Dionysius Periegetes.

Bellis feliciter gestis, in pace ædificia, armorum & munitionum apparatum, exercitia militaria instituit. Mœnia Hierosolymorum reficit, ad portam anguli, ad portam vallis & angulos. Ita quam Ioas rex Israël fecerat, hic reparavit aperturam. Ios. προσοικοδόμησε δὲ καὶ πύργους πολλοὺς πεντήκοντα πηχῶν ἕκαστον: In solitudine etiam turres id est castella (Ios. Φρουράς) Copiarum habuit trecenta & septem millia, & quingentos. Hæ sæpe lustrabantur per Iejelem scribam & prætorem Maasejam; Duce militiæ Hanania. Patriarchæ seu capita patrum erant duo millia & sexcenti. Iosephus στρατιώτας ἐπιλέκτους μυριάδας ἑπτὰ καὶ τριάκοντα (adde καὶ πεντακοσίους) ὧν ἡγεμόνες ἦσαν καὶ ταξίαρχοι καὶ χιλίαρχοι γενναῖοι καὶ τὴν ἀλκὴν ἀνυπόστατοι, τὸν ἀριθμὸν δισχίλιοι (adde καὶ ἑξακόσιοι) Hi diligenter ad munia & artem belli exercebant & exercebantur. Pro totis copiis viritim apparabat scuta, hastas, galeas, loricas, arcus, usque ad lapides funditorum. Ios. διέταξε δ' εἰς φάλαγγα τὴν ὅλην στρατιὰν καὶ ὥπλισε ῥομφαίαν δοὺς ἑκάστῳ καὶ θυρεοὺς καὶ θώρακας χαλκοῦς καὶ τόξα καὶ σφενδόνας. Præterea ex arte mathematica opera Hierosolymis struxit novæ inventionis per peritissimos artifices. Instrumenta scilicet, quibus esset usus in turribus & angulis ut jacula & saxa contorquerentur. Ios. Ἔτι δὲ καὶ πρὸς τούτοις μηχανήματα πολλὰ πρὸς πολιορκίας κατεσκεύασε πετροβόλα τε καὶ δορυβόλα καὶ ἅρπαγας καὶ ὅσα τούτοις ὅμοια.

Hinc rei bellicæ studiosum fuisse apparet: sed & agriculturæ & pecuariæ deditus erat. Pecoris vim numerosam aluit in vallibus & campis; vineas & segetes habuit in montibus & ובכרמל arvis. שפלה ומישור pecori, montes & Carmel vineis & segetibus scriptura deputat.

Quoto anno prosperitatem suam abruperit Ozias, non constat. Iudæi in Seder olam, ut supra meminimus, inchoant à 27. anno Ieroboami, eoque (2. Reg. 15. 1.) notari principium מלכות המנוגעת regni percussi non integri: notari autem annis non à principio sed fine Ieroboami numerandis. Id Iudæi propterea excogitarunt quod si Iaroboami principium hos annos daret, tantum annos XI. Oziæ sanitati & integritati tribueret. Id quod consequeretur ex sententia Fr. Iunii. Hinc consequitur Oziam lepra percussum anno sui regni vigesimo quinto aut vigesimo sexto secundum Iudæos. Et Iotham conceptum esse è concubitu patris leprosi. Unde etiam Iudæi deducunt כי מותר למצורע לשמש מטתו בימי חלוטו. Nam Iotham viginti quinque annorum erat, cum pater post annum regni 52. moreretur. Miratur Kimchi hanc magistrorum sententiam, quæ non est juxta scripturas. Nam amoto per lepram Ozia Iotham juri dicundo adhibitus est: ut pateat extremis annis imperii Oziæ casum istum evenisse.

Cum Ozias ascendisset in sublime, animo intumuit adversus Dominum transgredi. Intrat enim in sanctum incensum daturus & super ara thymiamatum (incensi) Sequuntur eum Azarias & sacerdotes Domini, octoginta numero, viri impigri. Hi resistebant regi: Non est fas tibi, Ozia, ut Domino incensum adoleas: quod est sacerdotum, ad id sanctificatorum. Exi sancto. Transgressus enim es, nec erit tibi gloriæ à Domino Deo. In iram effervescenti & incensum manu gestanti, in fronte vitiligo effloruit, coram sacerdotibus in domo Domini, super ara incensi. Intuiti eum Azarias pontifex & sacerdotes observant leprosum esse. Ideò festinanter extrudunt, quin & ipse se proripit, quia percussus

cussus erat à Domino. Lepra ipsi adhæsit usque ad finem vitæ. Mansit in domo separata ; בבית החפשית : alias per ו penultimam literam scribitur : Lxx, ἐν οἴκῳ ἀπφουσώθ. Cum hærent de significatione vocem Hebræam solent relinquere. In Thalmud Hierosolymitano exponitur, in domo sepulchrorum: quia separati eo modo instar defunctorum sunt. Iotham regis domui & judiciis populi præfuit : donec rex decederet. Sepultus est apud patres in agro sepulturæ regum: non est illatus in speluncam, quia fuerat leprosus. In loco Regum scribitur sepultum esse in civitate Davidis : in loco Chronicorum, in agro sepulturæ regum. Unde elicitur, agrum quendam fuisse seu campum patentem ad sepulturam regum : qui non ob certam causam excludebantur, fuerunt illati in speluncam sepulturæ.

Factum regis habuit causam superbiam & elationem, quam tamen nimis extendit Iosephus : διεφθάρη τὴν διάνοιαν ὑπὸ τοῦ τύφου, καὶ χαυνωθεὶς θνητῇ περιουσίᾳ τοῦ ἀθανάτου καὶ πρὸς ἅπαντα διαρκοῦς τὸν χρόνον ἰσχύος ὠλιγώρησεν. Non quod Deum contemneret, sed fallu existimavit licitum sibi esse, quod vellet. Incidisse dicit in patris peccata. At non incidit in idololatriam.

Occasionem Iosephus scribit fuisse festum. Ἐνστάσης δ' ἡμέρας ἐπισήμου καὶ πανδήμου ἑορτὴν ἐχούσης. Porro scribit fuisse habitu indutum sacerdotali, ἐνδὺς ἱερατικὴν στολὴν, εἰσῆλθεν εἰς τὸ τέμενος (sic legendum non θέμενος) Etiam dicit sacerdotibus minitatum esse mortem : ἠπείλησεν αὐτοῖς θάνατον εἰ μὴ τὴν ἡσυχίαν ἄξουσι. Iudæi referunt acerram capitibus sacerdotum voluisse impingere. Narrat deinde inter hæc verba, ingentem terræ motum fuisse & fisso templo (διαρραγέντος τοῦ ναοῦ) fulgorem solis in faciem regis incidisse : atque exinde ortam lepram. Eodem terræ motu ad urbem prodigium evenisse : πρὸ δὲ τῆς πόλεως πρὸς τῇ καλουμένῃ Ἐρωγῇ τοῦ ὄρους ἀπορραγῆναι τὸ ἥμισυ τοῦ κατὰ τὴν δύσιν καὶ κυλισθὲν τέσσαρας σταδίους ἐπὶ τὸ ἀνατολικὸν ὄρος στῆναι ὡς τάς τε προόδους ἐμφραγῆναι καὶ τοὺς παραδείσους τοὺς βασιλικούς. Constat sub Ozia, incertum quo anno ingentem terræ motum exstitisse, cujus memoria duravit in posteros, ut patet ex Zachar. 14. 5. Biennio ante istum motum prophetare cœpit Amos, Amos 1. 1. Iosephi locus in mendo hæret & ipse malè interpretatus est verba Zachariæ. Nam propheta non dicit Oziæ tempore sic fissum fuisse montem : prædicit futura sub Messia ἀλληγορικῶς. Incertum est quo anno Oziæ iste motus acciderit. Terræ motus accidit vivente Jeroboamo, qui decessit anno Oziæ 26. Constat igitur non pertinere ad tempus lepræ. Si velimus Oziam anno 27. Jeroboami cœpisse, ante annum ejus decimum quartum terræ motus exstiterit. Prioribus annis Oziæ, Hoseas, Amos cœperunt vaticinari, Esaias circa ejus finem. Esajas historiam rerum gestarum ejus & totam vitam peculiari libro condidit, qui non exstat. Vaticinium Amos stetit intra annos, quibus simul regnarunt Ozias & Jeroboam. Syris & decem tribubus potissimum prædixerunt exitium & exilium Hoseas & Amos. Joël putatur ad idem tempus pertinere, quia cap. 1. & 2. easdem calamitates famis & siccitatis describere videtur, quarum meminit Amos cap. 4. Obadias quando prophetaverit dici nequit : at cladem Idumæis prædicit ab Assyrio: quæ evenit Ezecia regnante.

Iosephus Oziam sepultum esse scribit in hortis suis : ἐκηδεύθη δὲ ἐν τοῖς ἰδίοις κήποις. Successit illi filius Iotham, viginti annorum juvenis ; cui mater Ierusa, filia Sadoc. Sedecim annis tenuit imperium, sanctè & pie ; imitatus Oziæ patris pietatem, liber à tali exorbitatione. Hunc Iothamum magistri extollunt supra omnes reges, ut de quo nullum notetur delictum. R. Simeon Ben Johai dicit in tractatu Succa, Si Abraham in se suscepisset iniquitates omnium ætatum usque ad se : se voluisse suscipere ætatum iniquitates, quæ ab Abra-

Abrahamo ad ipsum fluxissent. Si autem socium haberet Jotham omnium simpliciter generationum usque ad finem mundi ab Abrahamo fluentium. Quis non stupeat cæcitatem sive insaniam. Jotham regnante populus tamen (משחיתים) perdite faciebat: quod videtur exponi debere de immolatione in excelsis, quæ Jotham non sustulit. Condidit portam altam ad domum Domini: & multa ad murum Ophel (עפל) urbes quoque condidit in montibus Judææ: in sylvis (בירניות) Lxx, *οἰκήσεις*; Vulg. *Castella*: & turres. Bellum etiam gessit cum rege Ammonitarum, quem superatum coëgit tributa pendere. Eodem illo anno centum talenta argenti & decies mille coros tritici & decies mille hordei. Idem pependerunt secundo & tertio anno. Quæ fuerit causa, quod non pependerint ulterius dici non potest, nisi hæc in mulctam: ut intelligamus præter ordinarium vectigal, quod post parentis decessum aut defectum negaverant solvere hoc modo solutum esse. Sic invaluit, quia composuit vias coram Domino. Regnante Jotham, annis ejus supremis, Rasin Syriæ rex ultimus & Phace filius Remaliæ à Domino mitti cœperunt in Judæam. Jotham sepultus est apud in majores civitate David.

Josephus similiter suis magistris admodum extollit pietatem Jothami. *οὗτος ὁ βασιλεὺς οὐδεμιᾶς ἀρετῆς ἀπελείπετο, ἀλλ' εὐσεβὴς μὲν τὰ πρὸς τὸν θεόν, δίκαιος δὲ πρὸς ἀνθρώπους ὑπῆρχεν.* Structuras ipsius circa templum & murum in hunc modum describit: *ὅσα γὰρ ἐπισκευῆς ἐδεῖτο ἢ κόσμου πάντα φιλοτίμως ἐξειργάσατο.* Templi porticus & vestibula (*προπύλαια*) urbis mœnium partem labantem restituisse. Scriptura de templo *τὴν πύλην ὑψηλήν*, de urbe Ophel exprimit: de urbibus præterit Josephus, turres non sylvis sed urbi tribuit. Ammanitis tributum annuum ejus summæ imposuisse, quod si verum, triennio solo videri potest supervixisse; aut post illud triennium Israelitæ & Syri Jothamum distinuerunt.

Scribit Iosephus prophetam Nahum sub hoc rege exstitisse, qui de Assyriorum & Nini subversione vaticinatus est. Scriptura eum vocat Elcosæum. Refert partem vaticinij e cap. II, v. 8. 9. 10. 11. 13. Eam ex Hebræo, Græco & Iosepho exhibemus:

v. 8. Hebræa: Nineue ut piscina aquarum, à diebus, quibus fuit, sed fugient: Sistite, sistite sed nemo respiciet.

Lxx. *Ἔσται Νινευὴ ὡς κολυμβήθρα ὕδατος· τὰ ὕδατα αὐτῆς καὶ αὐτοὶ φεύγοντες οὐκ ἔστησαν, καὶ οὐκ ἦν ὁ ἐπιβλέψων.*

v. 9. H. Prædamini argentum, prædamini aurum: Nam non est finis apparatus, gloriæ omnium desiderabilium vasorum.

Lxx: *Διήρπαζον τὸ ἀργύριον, διήρπαζον τὸ χρυσίον, καὶ οὐκ ἦν πέρας τοῦ κόσμου αὐτῆς· βεβάρυνται ἐπὶ πάντα τὰ σκεύη τὰ ἐπιθυμητὰ αὐτῆς.*

v. 10. H. Vacuata est, imò evacuata est, exhausta est & cor eorum liquescit, genua tremunt & in omnibus lumbis est dolor, & omnium eorum facies obducuntur, ut olla.

Lxx: *Ἐκτιναγμὸς καὶ ἀνατιναγμὸς καὶ ἐκβρασμὸς καὶ καρδίας θραυσμὸς καὶ ὑπόλυσις γονάτων καὶ ὠδῖνες ἐπὶ πᾶσαν ὀσφύν. καὶ τὸ πρόσωπον πάντων ὡς πρόσκαυμα χύτρας.*

v. 11. H. Ubi est habitatio leonum & pascuum leunculorum? ubi leo, annosus leo & catulus leonis ambulabat, nec erat quisquam qui eum terreret.

Lxx: *Ποῦ ἐστι τὸ κατοικητήριον τῶν λεόντων καὶ ἡ νομὴ ἡ οὖσα τοῖς σκύμνοις; οὗ ἐπορεύθη λέων, τοῦ εἰσελθεῖν ἐκεῖ σκύμνον λέοντος, καὶ οὐκ ὁ ἐκφοβῶν;*

v. 13. H. Ecce ego contra te, dicit Dominus exercituum: & currus eorum in fumum comburam & gladius tuos leunculos consumet & exscindam è terra rapinam tuam & vox nuntiorum tuorum non amplius audietur. Vide τοὺς ό.

Ddddd Hæc

Hæc proposuit Josephus: Ἔσται Νινύας κολυμβήθρα ὕδατος κινουμένη οὕτως καὶ ὁ δῆμος ἅπας ταρασσόμενος καὶ κλυδωνιζόμενος οἰχήσεται φεύγων, λεγόντων· στῆτε καὶ μείνατε καὶ χρυσὸν ἑαυτοῖς καὶ ἀργύριον ἁρπάσατε. ἔσται δ' οὐδεὶς βουλησόμενος (σώζειν γὰρ αὐτοὶ τὰς ψυχὰς ἐθελήσουσι μᾶλλον ἢ τὰ σώματα) Δεινὴ γὰρ αὐτοὺς ἐν ἀλλήλοις ἔρις ἕξει καὶ θρῆνος καὶ παρέσεις τῶν μελῶν, αἵ τε ὄψεις ὑπὸ τοῦ φόβου μέλαιναι τελέως αὐτοῖς γενήσονται. Ποῦ δὲ ἔσται, τὸ κατοικητήριον τῶν λεόντων καὶ ἡ μήτηρ σκύμνων; λέγει δέ σοι ὁ θεὸς Νινύα ὅτι ἀφανίσω σε καὶ οὐκέτι λέοντες ἐκ σοῦ προϊόμενοι ἐπιτάξουσι τῷ κόσμῳ. Hæc inspicienti apparet Josephum è versione non ex Hebræo quod non intelligebat, hausisse. Deinde textum non plene sed decerptim produxisse. Porro paraphrasin aliquam fecisse quia verbis non ita quam sensui adhæsit. Sic etiam adjecit ad expositionem, ut illa manifestè quæ uncinulis inclusimus. Verba tamen versionis in multis retinuisse, res loquitur. Evidens autem est, quod aliam versionem habuerit, quam quæ nunc exstat & fertur τῶν ό. Nam & alicubi vicinior est Hebræo. Scribit autem Nahumum ista de casu Nini prophetasse centum & quindecim annis ante ejus excidium. Ad tempus Iotham refert hanc prophetiam, ego arbitrarer factam esse post deportationem decem tribuum aut liberationem Hierosolymorum à copiis Sanacharibi, in solatium populi Dei. Sed si sub Iotham fuisse concesserim & centum quindecim annis ante implementum fuerit, in Iosiæ principatum incidet Nineues excidium. Nam Achaz regnavit annis sedecim, Ezecias viginti novem, Manasses quinquaginta quinque, Amon biennio. Hi anni sunt centum & duo: tredecim igitur, qui residui sunt dividi debent inter Iosiam & Iotham. Antequam Ninus interiret, dissolutum est à Medis imperium Assyriorum regnante Sardanapalo: quod contigit tempore Ezeciæ regis, ut testatur idem ille Iosephus. Convenit illi cum Herodoto, quem interpretatur. De hac re dicemus in pemptadis sequentis Libro primo, cum Deo.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI PRIMI.
CAP. LXXII.

CElebris circa hæc tempora Ninivitarum fides traditur. Id opidum olim ab Assur, Seon filio conditum, caput Regni Assyriorum fuit: frequens tum incolentium multitudine, alens virorum millia C. & XX. atque, ut in magno populo, abundans vitiis. Queis Deus motus, Ionam prophetam ex Iudea ire præcepit, ac denuntiare urbi excidium, sicut olim Sodoma & Gomorcha divinis ignibus conflagrassent. Verum propheta prædicationis istius ministe-

rium

rium detrectans, non contumacia, sed præscientia, qua videbat Dominum pœnitentia populi placandum, navim, quæ longè diversa regione Tharsos petebat, conscendit. Sed ubi in altum processum nautæ sævitia maris compulsi, quisnam esset mali causa sorte exploravere. Cum super Ionam sors decidisset, tanquam piaculum tempestatis in profundum projectus est: exceptusque à ceto, marino monstro, ac devoratus, post triduum fere Ninivitarum littoribus ejectus, jussa prædicat, urbem scilicet ob peccata populi triduo perituram. Igitur non dissimulanter, ut olim Sodomis, audita est vox prophetæ: ac statim jussu regis exemploque, populus universus, quin & recens nati cibo potuque abstinere jubentur: jumenta itidem & diversi generis animalia compulsa fame ac siti, lamentantium species cum hominibus præbebant. Ita imminens malum aversum. Ionæ apud Deum conquerenti, quod fides dictis non affuisset, responsum: pœnitentibus veniam negari non posse.

DRUSIUS.

CIRCA HÆC TEMPORA] Quartus liber Regum ostendit Jonam sub Jeroboam Ioas filio vixisse, 4. Reg. 14. 25. Atque ita exposuit quoque Josephus, & post eum S. Hieronymus. A quibus non dissidet Funccius, qui missum fuisse scribit Jonam ad Ninevitas circa tempora Uziæ sive Oziæ. Nam Ozias & Jeroboam filius Joas, qui secundus & junior dicitur, una regnaverunt. Vide Josephum lib. 9. cap. 11.

SEON FILIO] Nihil etiam dubitans lego *Sem filio.* Nam Assur filius Sem Gen. 10. 22, Hic Niniven primus condidit, Gen. 10. 11. Eucherius, *Assur, Assyrii, ab Assur filio Sem. Hi urbem Ninum ex nomine Nini regis condiderunt, quæ nunc Ninive vocatur.*

ALENS VIRORUM MILLIA C. & XX] Imo hominum qui non poterant discernere inter dextram & sinistram, hoc est puerorum. Si verum hoc, ut est verissimum, quantus putas, erat numerus aliorum, qui discernere poterant inter utramque manum?

SICUT OLIM SODOMA, &c.] Hoc de suo adjecit & ex ingenio prompsit: aut ex commentario aliquo sumpsit. Sane in scholiis Camii Ebræi, *Evertetur quemadmodum eversæ fuerunt Sodoma & Gomorra, Nam opera eorum similia operibus Sodomitarum.*

SED PRÆSCIENTIA QUA] Alibi est, *quia.* Vide Jon. 4. 2.

THARSOS] Tharsum Ciliciæ Josephus. Sed vide an legendum sit Tharsis. Nam sic est Jon. 1. in edit. Græca. *Καὶ ἀνέστη ἰωνᾶς τοῦ φυγεῖν εἰς θαρσίς.* Adhibe lectiones meas.

A CETO] à magno aliquo pisce, quem lamiam fuisse nonnulli putant. Nam balæna, quod fauces augustiores habeat, hominem integrum vorare nequit.

POST TRIDUUM FERE] Redundat *fere.* Nam Jonæ 2. 1. *Fuit Ionas in visceribus piscis tres dies & tres noctes.*

NINIVITARUM LITTORIBUS] Historia narrat illum in aridam ejectum, nulla mentione facta littorum, in quæ ejectus fuerit.

TRIDUO PERITURAM] Expressit lectionem Græcam *ἔτι τρεῖς*, quam

 cor-

corruptam esse indicat Theodoritus, legendumque ἔτι τεσσαράκοντα: *adhuc quadraginta dies*: cui assentior. Licet eam excusare conetur Augustinus de civit. Dei lib. 18. cap. 44. Prosper Aquitanus.

Sic Ninive monitis Ionæ sub tempore cladis
Credidit, & tribus in luctus jejuna diebus
Promeruit morum excidio consistere regno.

SCHOTANUS.

JONÆ CAP. 1. 2. 3. & 4.

IOnæ historiam hoc loco ponit Sulpicius. Constat illum vixisse sub Ioas aut Jeroboam filio Ioas regis Israel: ideo hanc prophetiam alii ad tempora Ioas alii Jeroboam referunt. Vaticinatus igitur est antequam Assyrii Syriam, Israël, Judæam attigissent. Primus regum qui Israelitas afflixerunt, fuit Phul, regnante in Israël Manahem, in Judæa Ozia. Historia ita se habet: Nineves, Assyriæ urbis, impietas in memoriam Dei venit, voluit Deus urbem præmonitam, quia amplissima erat & numerosissimi populi. Fuit, ut dicitur. Ionæ. 3. v. 4. urbs magna Deo. Amplitudinem ejus celebrant antiqui scriptores. Diodorus Siculus Ctesiæ fabulas secutus, Ninum urbem ad Eufratem voluisse condere scribit ὥστε μὴ μόνον αὐτὴν εἶναι μεγίστην τῶν τότε οὐσῶν κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, ἀλλὰ μηδὲ τῶν μεταγενεστέρων ἕτερον ἐπιβαλλόμενον ῥᾳδίως ἀνυπερθέσθαι. Figura quadrangulam oblongam, ἑτερομηκὴς τὸ σχῆμα. Nam longitudo erat centum quinquaginta stadiorum, latitudo nonaginta: ita ambitu toto 480. stadiorum. Condita non fuit à Nino, sed à Nemrod, nec ad Eufratem, sed ad Tigrim. Duas fuisse Ninos tantæ amplitudinis stupor est dicere. Benjamin in Itinerario: *Erat Nineve ad Hiddekel ripam ædificata, nunc excisa penitus est: pagi tamen & castella multa sunt intra antiqui ambitus spatium. Inter hanc urbem & eam, quæ nunc Musal, quondam Assur dicta, pons tantum interest. Estque Persiæ regni initium Musal & habet synagogas trium prophetarum Abdiæ, Ionæ & Nahumi.* Ita allegat è Genebrardi versione, ni fallor, Drusius, sed in editione Hebræa Imperatoris היא עיר גדולה מאד מימי קדם והיא יושבת על נהר חדקל ובינה ובין נינוה הגשר לבד והיא חרבה אבל יש שם כפרים וכרכים רבים. Ionas accepto mandato horruit exsequi: ideò Ioppen abiit; ubi conscensa navi solvente ut in mare iret procul esse voluit à terra inspirationis prophetarum. Fugit igitur Ionas ne obiret munus & mandatum adeoque in diversam tendebat regionem, ut esset remotior ab Assyria. Fugit תרשישה/ quod alii accipiunt de Tarso Ciliciæ, quidam de Carthagine, alii de Tartesso Hispaniæ: simpliciter significat, quod navem primum solventem conscenderit quamcunque regionem peteret. Navis quidem definitum locum petebat; sed Ionæ id curæ non erat quem locum peteret. Soluto igitur naulo, ut moris erat, in inferiorem navis partem se confert. Illic quieti compositus cursum Deo committit & nautis. Sed tempestate & vento vehementissimo jactata navis, cum præsens naufragium minitari videretur, nautæ vectoresque singuli suum numen (variarum enim gentium & religionum erant) trepidi invocant: nec quicquam silescente, sed inhorrescente mari & vento, sarcinas projiciunt. Interim Ionas somno quiescebat. Forte dierum aliquot cura & insomnia fessum sopor oppresserat. Eum nauclerus excitat: Quid altum dormis: Surge? implora auxilium Dei, si forte audiat & salvi evadamus. At frustra imploratis numinibus, omnibusque tentatis, tempestas

stas ingravescebat: placuit igitur sortiri, quis iræ causa foret & piaculum sedandæ tempestati. Sors Ionam tetigit. Eum igitur circumsistunt, quis esset, quod commissum? Hebræum se esse respondet, cultorem Dei cæli, qui mare & terram fecit. Exposuit etiam quæ causa fugæ. Horror omnes occupat tanti numinis, cujus gloria omnes pervaserat regiones. Cumque tempestas intenderetur, Quid tibi faciemus, inquiunt, ut mare conticescat. Ille intrepidus nec sine numine: Projicite me in mare, scio enim me peti. Interim contendebant omni vi remorum littus attingere. Remigabant viri ut appellerent navim ad aridam. Apparet littus in conspectu habuisse. Solebant enim oram littoris legere, qua tutum erat. Sed omnis conatus frustrà fuit, mari tumidius sæviente. Extremum igitur consilium exsequuntur: Invocato Domino, ne sanguinem istius viri sibi imputaret: Dominum enim ipsum sic voluisse. Jona in mare projecto, subitò conquierit: quo facto terror omnes occupat. Soteria Deo immolant & nuncupant vota. Nescio, An sit trajectio: Prius enim vota nuncupantur deinde sacra faciendo solvuntur. Alii exponunt: dixerunt, se immmolaturos ut idem sit cum sequenti membro. Domini imperio & nutu balæna prophetam deglutitum demittit in alvum: in qua triduo hæsit & Dominum precatus est, certusque de salute vota nuncupavit. Carmen tamen illud quod extat 2. cap. 2. 3. 4. 5 6. 7. 8. 9. compositum est ab illo cum salvus in terram ejectus esset. Ideo bene annotatio Belgica v. 1. & 2. dirimit: ut v. 1. simpliciter dicatur esse precatus & multa meditatus esse, quæ in ordinem digesta edidit in eucharistico carmine, quod inchoatur v. 2. Quomodo id fieri potuerit, quærebant gentiles per irrisum. Quæstionem hanc solvit Augustinus Epist. 49. qu. 6. Eum differentem audiamus: *Postrema quæstio proposita est de Iona, nec ipsa quasi ex Porphyrio, sed tanquam ex irrisione Paganorum. Sic enim posita est:* Deinde quid *sentire, inquit, debemus de Iona, qui dicitur in ventre Ceti triduo fuisse, quod ἀπίθανον est & incredibile, transvoratum cum veste hominem fuisse in corde piscis. Aut si figura est, hanc dignaberis* pandere. Deinde *quid sibi etiam illud vult supra evomitum Ionam cucurbitam natam, quid causæ fuit, ut hæc nasceretur? Hoc enim genus quæstionis, multo cachinno à Paganis, graviter irrisum animadverti. Ad hoc respondetur, quod aut omnia divina miracula credenda non sunt: aut hoc cur non credatur causa nulla sit. In ipsum autem Christum, quod tertio die resurrexit, non crederemus, si fides Christianorum cachinnum metueret Paganorum. Cum autem hinc quæstionem non proposuerit amicus noster, Vtrum credendum sit, vel Lazarum resuscitatum esse quarto die, vel ipsum Christum tertio die resurrexisse: multum miror hoc quod factum est de Iona, eum pro incredibili posuisse: nisi forte facilius putat mortuum de sepulchro resuscitari, quam vivum in tam vasto ventre belluæ potuisse servari. Vt enim omittam commemorare, quanta magnitudo belluarum marinarum, ab eis qui experti sunt, judicetur, venter quem costæ illa muniebant, quæ Carthagine in publico fixa populo notæ sunt, quot homines in spacio suo capere posset, qui non conjiciat, quanto hiatu patebat os illud, quod velut Ianua spelunca illius fuit: nisi forte, ut posuit, vestis esset impedimento, ne Ionas devorari posset illæsus, quasi per angusta sese coartaverit, qui per abruptum aëris præcipitatus, sic exceptus est, ut prius reciperetur ventre bestiæ, quam dente laceraretur. Quanquam scriptura neque nudum neque vestitum in illud antrum dejectum esse dixerit, ut possit intelligi illuc etiam nudus irruisse, si forte opus erat, tanquam ovo corium, ita illi vestem detrahi, quo facilius sorberetur. Sic enim sunt homines de Prophetæ hujus veste soliciti, quasi aut per fenestram parvam repsisse, aut in balneas intrâsse dicatur, quo etiam si necesse esset intrare vestitum, vix molestum esset, non tamen mirum. Sed habent revera quod non credant in Di-*

vino miraculo, vaporem ventris quo cibi madescunt, potuisse ita temperari ut vitam hominis conservaret. Quanto incredibilius ergo proponerent, tres illos viros ab impio rege in caminum missos, deambulasse in medio ignis illæsos? Quapropter si nulla isti divina miracula volunt credere, alia disputatione refellendi sunt. Neque enim debent unum aliquod tanquam incredibile proponere, & in quæstionem vocare, sed omnia quæ vel talia, vel etiam mirabiliora narrantur. Et tamen si hoc, quod de Iona scriptum est, Apuleius Madaurensis, vel Apollonius Tyaneus fecisse diceretur, quorum multa mira, nullo fideli autore jactitant, quamvis & dæmones nonnulla faciant angelis similia, non veritate, sed specie: non sapientia, sed planè fallacia: tamen si de istis, ut dixi, quos vel magos, vel Philosophos laudabiliter nominant, tale aliquid narraretur, non jam in buccis creparet risus, sed typhus. Ita rideant scripturas nostras. Quantum possunt rideant, dum per singulos dies rariores paucioresque se videant vel moriendo, vel credendo: dum implentur omnia quæ prædixerunt, qui hos contra veritatem inaniter pugnaturos, vanè latraturos, paulatim defecturos, tanto antè riserunt: nobisque posteris suis, non solum ea legenda dimiserunt, verum experienda promiserunt. Non sanè absurdè, neque importunè requiritur, quid ista significent, ut cum hoc expositum fuerit, non tantum gesta, sed etiam propter aliquam significationem conscripta esse credantur. Prius ergò non dubitet, Ionam prophetam, in alvo ingenti marinæ belluæ triduo fuisse, qui vult scrutari, quorsnam hoc factum sit: non enim frustra factum est, sed tamen factum est. Si enim movent ad fidem, quæ figuratè tantum dicta, non facta sunt: quanto magis movere debent, quæ figuratè non tantum dicta, sed facta sunt. Nam sicut humana consuetudo verbis, ita divina potentia etiam factis loquitur. Et sicut sermoni humano verba nova, vel minus usitata, moderatè ac decenter aspersa, splendorem addunt, ita in factis mirabilibus congruenter aliquid significantibus, quodammodo luculentior est divina eloquentia. &c. Gregorius magnus lib. 6. moral. in Iob. cap. 12. meditationem in hanc historiam proponit: *Sed quia nonnunquam astute se aliquid sapere electi moliuntur, libet ad medium alium sapientem deducere & quomodo in internis consiliis astutia mortalium comprehendatur, demonstrare. Prudenter quippe Ionas sapere voluit, cum ad prædicandam Ninevitarum pœnitentiam missus, quia electu gentibus Iudæam deserere timuit, prædicationis officium implere recusavit. Navim petiit, fugere Tharsis elegit, sed protinus tempestas exoritur: ut videlicet cognoscatur, cujus causa mare turbetur. Ionas in culpa deprehenditur, in profundum mergitur, ceto sorbente repente devoratur, atque illuc gestante bellua pervenit, quo ire sponte contempsit. Ecce fugitivum Dei tempestas invenit, sors legat, mare suscipit, bellua includit & quia autori suo obedire renititur, ad locum, quo missus fuerat, suo reus carcere portatur. Iubente Deo, ministrare homo prophetiam noluit, adspirante Deo bellua prophetam vomuit. Comprehendit ergò Dominus sapientes in astutia eorum, quando & hoc in usum suæ voluntatis redigit, per quod sibi voluntas humana contradicit.*

In Pirke R. Eliezer Judæi mira somniant de Iona ejusque eventu. Quinta feria Ionam à facie Domini aufugisse: quia non successerant, quæ Deus per ipsum prius denuntiaverant. Refugisse appellationem pseudoprophetæ. Dedisse naulum, cum ingrederetur navim, quod solet dari ab egredientibus. Itinere unius diei progressis ventum ingruisse & tempestatem, cum naves aliæ euntium & accedentium tranquillo mari & cælo uterentur. R. Simeon, cum sortes jacerentur à nautis inter se sortem cecidisse in Ionam. Cum deturbaturi essent Ionam, eo demisso adusque genua maris fremitum conticuisse, recepto in navem, resævisse. Umbilicum tenus immisso iterum siluisse: extracto denuo infremuisse. Tandem dejecto, mare quievisse. R. Tar-

Tarphon ſciſcit Deum ab hexaëmero piſcem præparaſſe, qui Ionam devoravit. Ionam ingreſſum eſſe os balænæ, ut cum aliquis ſynagogam amplam intrat & ſubſiſtit. Duos oculos piſcis feneſtrarum inſtar admiſiſſe lumen. At R. Meir margaritam in viſceribus balænæ ſplenduiſſe inſtar ſolis in meridie: qui dederit Ionæ conſpiciendum quicquid in gurgitibus profundi maris abditum lateret: quo applicant locum Pſ. 97. 11. *Lux ſata eſt juſto.* Ionam liberaſſe ſuum piſcem à Leviathanis faucibus oſtenſo ſignatorio annulo Abrahami, inde à piſce tanquam redhoſtimenti loco, deductum ut luſtraret abdita loca abyſſi & gehennam: oſtendiſſe illi inter alia templum Domini & lapidem fundationis. Singula iſta conantur locis Scripturæ ſtabilire. Nautas Joppen reverſos, cum ſe circumcidiſſent, Deo immolaſſe &c. Ad ejuſmodi nugarum portenta quis non ingemiſcat de gentis excæcatione? Quanquam non ſint minoris multa ſtuporis, apud Pontificiorum ſcriptores, qui legendas & vitas patrum compoſuerunt.

Piſcem Lamiam fuiſſe diſputat Rondeletius, non propriè appellatam Balænam. Balænam enim pulmonibus ſpirare, cui generi aſpera arteria ventriculo gulæque anguſtiorem facit capacitatem. Earum vero partium in Lamia tantam capacitatem eſſe, ut Ionam capere potuerit, quemadmodum, cadavera tota in ea inventa fuiſſe experimento compertum ſit. Eſſe piſcem carnivorum, voraciſſimum & hominivorum. Maſſiliæ enim & Nicææ aliquando captas eſſe lamias, in quarum ventriculo homo loricatus ſit inventus &c.

Sulpicius Ninevitarum littoribus ejectum eſſe Ionam. Pineda piſcem aliquem magnum è rubro mari, circumnatata Africa Dei nutu, Ionam excepiſſe: hinc ad conſueta loca abiiſſe, ut vatem revomeret in litus ſinus Arabici. Nonne præſtat humilia ſapere? Piſcis in mari mediterraneo Ionam ſuſceptum reddidit litori Phœnicio. Gregorii tamen magni ſententia vult tanquam in carcere tranſportatum eſſe ad locum, quo ire abnuerat. Piſcis Dei nutu Jonam egeſſit in terram: ubi ſecundò miſſus Domini voluntatem exſequitur. Nineves amplitudinem trium dierum iter patuiſſe narrat ſcriptura. Si in ambitu tantum ſpatii continuit, magna fuit, major ſi in longitudine: quidam de vicis & plateis accipiunt: quæ intra triduum non potuerunt peragrari. Strabo de Nino: Πολὺ δὲ μείζων ἦν τῆς Βαβυλῶνος, ἐν πεδίῳ κειμένη τῆς Ἀσσυρίας. De Babylone ſcribit: τὸν κύκλον ἔχει τοῦ τείχους τριακοσίων ὀγδοήκοντα πέντε σταδίων. Joſephus de Hieroſolymis: Τῆς πόλεως δὲ ὁ πᾶς κύκλος σταδίων ἦν τριάκοντα τριῶν. Quanta differentia eſt inter 33. & 480, tantum ſuperavit Ninus Hieroſolymam, nonaginta quinque ſtadiis ſuperabat Babylonem. Vere magna urbs dici potuit, quomodo eam etiam appellavit Moſes Gen. x. 12. Diodorus Siculus Romam noverat & μεγαλοπόλιας ἀθήνας, ampliſſimas (præter Ninum & Babylona) urbium, quas ſol adſpexerat, potuit tamen in comparatione ad Ninum effari, nullam ejus amplitudinis fuiſſe. Athenæ ducenta ſtadia cum Piræeo in ambitu mœnium habuerunt. Roma extra mœnia connexis ædificiis ampliſſime habitabatur. Propheta ſedulo incipiens fungi mandato munere, jam iter diei peregerat & toto die clamaverat, Ninum perituram poſt quadraginta dies, cum rumor ad regem defertur. Quidam exiſtimant uno die zelum prophetæ confeciſſe, totam urbem, adeoque quod trium dierum opus erat. Malim unum tantum diem & unius diei iter peregiſſe: niſi dicendum, quod tertiam partem urbis, quæ tridui iter habuiſſet totam confecturo, peragraverit prædicando, antequam Rex & oppidani ſupplicationem & jejunium ſuſciperent: non commemorato, quot dies prædicando inſumpſerit. Nam prædicando & clamando tardius proceſſerit, quam ſi nullius rei curæ adſtrictus

ctus perambulasset. Post quadraginta dies perituram esse urbem clamabat. Lxx. male expresserunt triduum, de quo alias. Cum res ad regem delata esset, ipse & cives afflictis & depressis animis jejunium suscipiunt. Ipse rex solio suo exsiliens (אדרת) regalem vestem, qua indutus, superexuit, sacco induitur, cineribus consider. Jejunium proclamatur jussu regio & procerum: Nec homo nec jumentum, armentum & grex, gustanto quicquam: ne pascunto nec bibunto aquas: operiuntor saccis homines & jumenta. Ad Deum fortiter clamanto: quisque se avertito ab impietate & scelere. Forte pœniteat Deum, desinat iræ, ut ne pereamus. Clamat perituram non definit genus judicii: Kimchi ut Sulpicius, vult innui in verbis ut subversionem Sodomæ & Gomorrhæ. Sane, intelligit, exitium per manum Divinam, non per homines inferendum. Ideò in umbra extra urbem videre voluit, quid esset eventurum. Proclamaverat perituram non expressa conditione. Augustinus in Gen. qu. 43. lib. I. *Etiam hoc notandum est quomodo dicat Deus tanquam prædicens sine dubio futurum*, quod admonendo dicit, ut à peccato abstinendo caveatur. Numerum 40. tanquam pœnitentiæ sacratum quidam notaverunt. Eucherius comm. in Genes. *Adhuc XL. dies & Nineve subvertetur, ut per tot dies accommodatos humiliatio pœnitentium & accepta remissio peccatorum intelligatur.* Etiam parvuli jejunant & jumenta pastu & adaquatione arcentur. Ambrosius de jejunio Ninevitarum: *Pietas esse creditur in tali causa parvulis quoque cibi substantiam, denegare.* Et mox: *Mira res jejunat pro peccato, quem peccati conditio non constringit:* Apud Virgilium in luctu testificando:

Non ulli pastos illis egere diebus
Frigida, Daphni, boves ad flumina: nulla neque amnem
Libavit quadrupes aut graminis attingit herbam.

Grotius: *Factum hoc, ut etiam mutorum animantium spectaculo magis commoverentur homines ad dolorem.* Præter hæc jubentur ab impia vita & iniquitate abstinere. *Id est* (inquit iterum Grotius) *Rapta restituant, sine quo non est vera pœnitentia.* Spe incertæ veniæ, tamen aliqua apprehensione de Dei misericordia, tanta edunt pœnitentiæ signa. Hic nulla fides in Christum. Regem illum fuisse Sardanapalum putant plerique, quod absonum est: sed vanitas Ctesiæ orbem infatuavit: de quo suo loco. Forte fuit ille Phul qui Israëlitas afflixit. Nam magnum temporis intervallum eum non discriminat.

Dei benignitas afflictione illa visa, quod comminata erat, distulit. Elapsis quadraginta diebus Jonas cum videret nihil eorum fieri quæ ipse futura esse denuntiaverat, magno dolore indoluit, de auctoritate sua se existimans periclitari: *quamvis non sit legati præstare ne rex sententiam mutet.* Sublata igitur ad Deum oratione, *O Domine*, inquit, hoc cogitabam, cum essem adhuc in patria. Ideo mare petii & fugam capessivi. Sciebam enim te clementem & misericordem Deum esse, longanimem & multum benignitate & pœnitentem de malo. Usurpat vulgo celebratum de Deo proverbium, quod passim occurrit. Tolle igitur animam meam: præstabilius mihi est mori quam vivere. Vitæ tædium eum ceperat, quia existimationem perisse putabat. At Dominus negare justam esse tantam indignationem.

Finita prædicatione egressus urbe versus ortum, sub tugurio (è virgultis forte contexto) consederat in umbra, operiens eventum vaticinii: nihil accidere videns, per indignationem, uti diximus cum Domino expostulabat. Dominus autem creavit arbusculam, quæ ramis & foliorum amplitudine solaretur hominem, & defenderet ab æstu. Lætabatur Jonas isto umbraculo, quo ipsi

ipsi gratissimum defensaculum & latibulum præstabat: sed insequente die post magnum quoddam vatis de arbore gaudium, in ipso auroræ exortu, vermis arbusculam admordet: quo morsu (radice læsa) enecta emarcuit. Æstu igitur diei & Euro leni flante, qui fervorem illis locis infert, exanimis vates, in mortem exsolvi optat. Fecerat quidem sibi tugurium, sed forte, inquit Kimchi, exaruerant ligna; quia ultrà 50. dies consederat in isto loco. Kimchi admodum fuse agit de ea arbuscula. Primò eam exortam, ut esset signum (להשכילו בגזרת ה') quo intelligeret decretum Dei, & quod ipsius misericordia sit super omnia sua opera. Deinde quæ species herbæ sit קיקיון. Scribit esse herbam quæ longis altisque ramis facit umbram. In Misna haberi ולא בשמן קיק *Neque oleo Cic*: ad quod in Gemara: *Quid Cic? Res Lacis dicit, cicaion Ionæ. Dicit Rabba filius filii Hannæ* (לירדי) *videtur mihi esse cicajon Ionæ & similis est Selolibæ & inter divisiones crescit* (glossa: *In fissuris aquarum provenit*) *& ad os* (חנון) (al. חנותא) *diversoriorum suspendunt illud* (glossa: *Ad januas tabernarum suspendunt illud ad umbram & bonum odorem*) *& è granis illius* (מפרצידוהי) *faciunt unguentum* &c. *Et expositionem Selolibæ inveni in responsis gaonim: Arbor infrugifera est in loco nostro & faciens grana, è quibus faciunt oleum. Cuicunque autem frigus est multum, bibit ex eo. Nomen ejus in lingua Arabica Elceroa.* Res Lacis in Gemara addit: *In ramis ejus quiescunt* כל בריתי דמערבא omnes aves occidentis: nempe terræ Israël. In Ægypto Cici appellatur, quæ Græcis κρότων, Latinis Ricinus: sed hæc vicina stirps est non eadem: quod miror Mercerum & Drusium non animadvertisse, qui triumphant ambo invenisse se, quod latuerat Hieronymum. Dioscorides ita de Cici Ægyptio: *Provenit parvæ ficus altitudine, folio platani majore, læviore & nigriore: ramis caudicibusque cavis in arundinis morem: semine in uvis asperis, quod corticibus exutum ricinum animal repræsentat, ex quo oleum nomine cicinum exprimitur, cibis fœdum, lucernis emplastrisque utile.* Plinius: *Proximum oleum est, quod fit è cici arbore in Ægypto copiosa, alii crotonem, alii trixim, alii sesamum sylvestre appellant, ibique non pridem & in Hispania repente provenit altitudine oleæ, caule ferulaceo, folio vitium uvarum gracilium pallidarumque.* Hieronymus comment in Ionam: *In hoc loco quidam Canthelius de antiquissimo genere Corneliorum, sive, (ut ipse jactat) de stirpe Asinii Pollionis, dudum Romæ dicitur me accusasse sacrilegii, quod pro Cucurbita hederam transtulerim. Timuit videlicet ne si pro cucurbitis hederæ nascerentur, unde occulte & tenebrose biberet, non haberet. Et revera in ipsis cucurbitis vasculorum quas vulgò* Saucomarias *vocant, solent Apostolorum imagines adumbrare, è quibus & ille non suum sibi nomen assumpsit. Quod si tam facilè vocabula communicantur, ut pro horneliis seditiosis tribunis Æmilii consules appellentur, miror cur mibi non liceat hederam transferre pro cucurbita. Sed veniamus ad soria Pro cucurbita sive hedera in Hebræo legimus* קיקיון *quæ etiam lingua Syra & Punica Elkeroa dicitur. Est autem genus virgulti vel arbusculæ lata habens folia in modum pampini & umbram densissimam, suo se trunco sustinens, quæ in Palæstina creberrimè nascitur & maximè in arenosis locis. Mirumque in modum, si sementem in terram jeceris, citò confota, consurgit in arborem & intra paucos dies, quam herbam videras, arbusculam suspicis. Unde & nos eodem tempore, quo interpretabamur prophetas, voluimus id ipsum Hebrææ linguæ nomen exprimere, quia sermo Latinus hanc speciem arboris non habebat: sed timuimus grammaticos, ne invenirent licentiam commentandi: & vel bestias Indiæ vel montes Boeotiæ, aut istiusmodi quædam portenta confingerent: secutique sumus veteres translatores, qui & ipsi hederam interpretati sunt, quæ Græcè appellatur κισσός. Aliud enim, quod dicerent, non habebant. Discutiamus ergò historiam & ante mysticos intellectus solam literam ventilemus. Cucurbita & hedera hujus naturæ sunt ut per terram reptent & absque furcis vel adminiculis, quibus innituntur,*

tantur, altiora non appetant. Quomodo igitur ignorante propheta cucurbita in una nocte consurgens umbraculum præbuit, quæ naturam non habet sine pergulis & calamis vel hastilibus in sublime consurgere? Cicejon autem cum in ortu subito miraculum præbuerit & potentiam ostenderit Dei in protectione virentis umbraculi & naturam suam secuta est &c. In epistola, quæ exstat in opere epistolarum Augustini descriptionem eandem reperias. Rabba cicejon & Selolibam vicinas plantas sed distinctas facit. Selolibam esse ricinum seu Elceroa Kimchi è responsis Geonum describit. Si Seloliba est Elceroa propriè dicta, cicejon aliud erit. Ægyptus tamen Selolibam videtur appellasse Cici; quæ ideo distingui debet à Cicejon Jonæ. Non esse cucurbitam nec hederam evincit Hieronymi argumentatio. Rabba Cicajon dicit provenire in paludibus & ad stagna, at Ceroa Hieronymi in locis arenosis provenit. Dicit tamen illam eandem à Syris vocari Cicejon. Dicit vocari Cicejon & Ceroa à Syris: si non fallit nos: unum nomen diversis stirpibus fuit. Jonas locum commorationis quæsivit, qui esset prope aquas, ut credi par est, quemadmodum Elias apud torrentem: Assyria & Ninus aquis abundabat.

Cum Jonas indignaretur de arbusculæ interitu, increpitus est à Domino, qui pluris faceret unam arbusculam, quam tantam urbem. In arbuscula eum non laborasse, fuisse vile genus stirpis, quæ una nocte orta sit, una nocte citò interierit. Ita veteres de herba solstitiali. Plautus:

> *Quasi solstitialis herba, paulisper fui*
> *Repente exortus sum, repentino occidi.*

Si tu, inquit Dominus, tanti facis arbusculam, æquum igitur fuit me respicere grandem illam urbem, in qua plures quam centum & viginti millia sunt infantium, qui non possunt discernere inter dexteram & sinistram: in qua innumera multitudo jumentorum. Futile est quod Rasi per jumenta intelligi putet homines adultos, qui sic dicantur, quod instar jumentorum creatorem non agnoscerent. Theodoretus scopum loci esse: *εἰ γὰρ οὐκ ᾔδει, φησὶ, δέξασθαι τὴν τῶν ἁμαρτωλῶν μετάνοιαν, ἐχρῆν γοῦν οἶκτόν τινα λαβεῖν τοσούτων μυριάδων, οἷς διὰ τὸ νέον τῆς ἡλικίας οὐ τῆς δεξιᾶς καὶ ἀριστερᾶς χειρὸς ἡ γνῶσις ἐνετέθη· πρὸς δὲ τούτοις καὶ κτήνη πλεῖστα τὸν ἀριθμὸν ἡ πόλις ἔχει οὐδεμίαν οὐδὲ αὐτὰ δίκην ὑπὲρ ἁμαρτημάτων ὀφείλοντα.*

Josephus scribit illi in mandatis datum ut annuntiaret amissuros esse imperium, quod cum timeret facere, fugisse à Deo. Sic etiam postea scribit, prædicasse, quod amissuri essent imperium. Ratio ejus sententiæ, quod sciret eos prius longe amisisse imperium, quam interiit urbs. Certum enim est in his sequi potius Herodotum quam Ctesiam: quia videbat in comparatione cum scriptoribus, qui ipsa gentium archiva consuluerant, Herodotum veriora dicere. Scribit Jonam ejectum in pontum Euxinum. Inde enim in imperium Assyriorum & Ninum brevissimus aditus. Jonæ vitam Epiphanius & Dorotheus è fabulis conscripserunt. Viduæ Sareptanæ filium fuisse suscitatum ab Elia. Post reditum ex Assyria evitandæ ignominiæ falsi vaticinii, cum matre exulatum abiisse *εἰς Σὰρ, χώραν ἀλλοφύλων*. Illuc abiisse. Vaticinatum esse de destructione Jerusalem à gentibus ab occasu &c.

SUL-

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

Cap. LXXIII.

AT in Samaria Zachariam regem admodum impium, quem superius regnasse memoravimus, Sella quidam interemit, regnumque occupavit: idem, Manæ insidiis exemplo facti sui perit. Mane ereptum Sellæ imperium tenuit, filioque Phace reliquit. Eundem vero Phace quidam ejusdem nominis interemit regnumque occupavit. Mox ab Osee interemptus, eodem scelere, quo assumpserat, imperium amisit. Hic ultra omnes reges superiores impius, pœnam sibi perpetuamque genti captivitatem à Deo meruit. Namque ei Salmanassar rex Assyriorum intulit bellum victumque tributarium sibi effecit. Sed cum occultis consiliis rebellionem pararet, regemque Æthiopum, qui tum Ægyptum obtinebat, in auxilium accerseret, idque Salmanassar comperisset, perpetuis eum in vinculis in carcerem conjecit, urbemque excidit, populum universum in regnum suum abduxit, Assyriis in hostili solo ad custodiam positis. Exinde ea pars Samaria appellata: quod lingua Assyriorum custodes Samaritas vocant ex quibus plerique divinas ceremonias receperunt, reliquis in errore gentilitatis perseverantibus. Hoc bello Tobias in captivitatem ductus est.

Drusius.

SELLA QUIDAM] Sellum filius Iabes, qui in Græcis Bibliis σελλὺμ vocatur, 4. Reg. 15. 10. Hic regnavit in Samaria μῆνα ἡμερῶν, hoc est interprete Hieronymo, *mensem unum*. Ceterum in Eusebio *est dies tres*.

MANE] Alibi Manes. Manem, Manes, ut Joseph, Joses, & est contractum ex Manahem. Aut Mane, ut Iose, in quo abjecta ultima ex Joseph: Manem, Mane, ut Joseph, Jose. Sic Goliath, Golia: Mariam, Maria. Paulò ante *Manæ insidiis*, qui est obliquus à Mane, nisi legendum *Mane insidiis*. Porrò in contractione Manem pro Manahem nullum est mendum, ut quidam censent. Nam similis contractio in Manaim pro Mahanaim, id est, castra.

FILIOQUE PACHE RELIQUIT] Phaceia est 4. Reg. 15. 24. Phaceas in Chronic. Eusebii regnavit ann. 10.

PHACE QUIDAM EJUSDEM NOMINIS] Hic in fonte Phacee dicitur, nomine quidem affini & cognato, sed tamen alio diversoque. Græci quoque, in his nominibus variant. Nam Phaceia vocatur in eorum libris *Φακεσίας*: alter autem *Φακὲ υἱὸς ῥομελίου*. Sic edit. Rom. quam nunc solam consului. Hic Phacee regnavit ann. XX. Sub hoc Theglath Phalassar Rex Assyrius magnam partem populi transtulit in Assyriam, 4. Reg. 15. 29.

AB OSEE PEREMPTUS] Vocatur Hosee filius Ela *διακρίσεως ἕνεκα*. Nam alius erat propheta filius Beeri: cujus prophetia etiamnum extat.

HIC ULTRA OMNES REGES SUPERIORES IMPIUS] Aliud colligas ex 4. Reg. 17. 1.

SALMANASSAR] Hunc Eusebius perperam cum Sennacheribo confundit. Sanè in historia Ebraica Tobiæ Salmanassar, quem Græca Enemessarum appellat, pater est Sennacheribi, qui filio imperium reliquit. Sub hoc Tobias in captivitatem ductus fuit.

REX ASSYRIORUM] Idem Regem Chaldæorum eundem appellat: quam rectè viderint, qui harum rerum intelligentiam habent.

REGEMQUE ÆTHIOPUM] Quærendum unde hoc habeat. Nam 4. Reg. 17. 4. vocatur Rex Ægypti. Nomen ei in codicibus Ebræis סוא *So*, quod orientales Judæi legunt סיא *Si*. Quanquam in Hier. Sua: & in edit. Rom. *Σηγὼρ βασιλέως Αἰγύπτου*. Josephus habet *Soam Ægyptiorum Regem*. Chrysostomus hom. XXX. in Johannem, *Huic* (Salmanassari) *Osee primum paruit; inde defectione facta Æthiopibus confœderatus est. Quod cum Assyrius intelligeret; gentem illam obsessam cepit, neque amplius illic habitare permisit*. Ecce nihil dissidet à nostro Sulpicio. Mirum unde hauserint. Porro Ægyptum tunc obtinebat (Eusebius mihi autor) Bocchoris, cujus ann. XXXIII. aut XXXIV. incidit in nonum Hosee. Regnavit autem annos XLIV. quem Sacalon Æthiops devicit: ejusque regnum occupavit. Hæc indigent diligentiore inquisitione. Utinam mihi nunc tempus & otium superessent.

URBEMQUE EXCIDIT] Cepit, non excidit penitus. Adito sis ad fontem ipsum.

IN REGNUM SUUM] In Assyriam, 4. Reg. 17. 6. in Halach & Chabor, flumine Gozan & urbibus Mediæ, ibid. Chalach de opinione quorundam sunt Colchi, & Chabor Iberi. Viderint eruditi.

ASSYRIIS IN HOSTILI SOLO AD CUSTODIAM POSITIS] Josephus ait fuisse gentem Persicam ex eo tractu, qui ab amne Chutho denominatus est. Orig. Jud. lib. IX. cap. XIV. Forsan Assyrios appellat quia subditi erant Regi Assyriorum. Siquidem coloni erant ex Chutha & Babylonia: item ex Ava, Hemath & Sepharvaim, 4. Reg. 17. 24.

EXINDE EA PARS SAMARIA APPELLATA] Non exinde, O bone, sed ab urbe ejus nominis; quæ à monte vocitata, ut & mons, à quodam Semer. Res est certa. Tamen Isid. Orig. lib. 15. *Samariam Sennacherib rex construxit, vocavitque Samariam, id est custodiam, quia quando Israël transtulit in Medos, ibi custodes constituit*. Hæc omnia indigent patrocinio Serarii. Nam ut quidam advocati sunt malarum causarum, sic ille patronus est falsarum & absurdarum opinionum, quæ in patribus. Primum enim Sennacherib non transtulit Israëlem in Medos; sed ejus pater Salmanassar. Deinde non construxit Samariam, quam longè ante conditam scimus. Nomen etiam Samariæ ante hæc tempora in usu fuisse certius est, quam ut probari debeat. Postremò non constituit ibi custodes, sed transtulit colonias ex Chutha & aliunde.

QUOD

QUOD LINGUA ASSYRIORUM CUSTODES SAMARITAS VOCANT] Eusebius in Chron: *Sennacherib rex Chaldaeorum ad custodiendam regionem Judaea incolas misit Assyrios, qui aemulatores Iudaeae legis facti Samaritae nuncupati sunt: quod in Latina lingua exprimitur custodes.* Quam multa hic male sana. Adesdum Serari. Defende sis Eusebium: qui Salmanassar & Sennacherib in unum confundit: qui Samariam regionem Judææ vocat: Sennacheribum regem Chaldæorum appellat: Samaritas Judææ legis æmulatores dicit. Non inficior aliqua ex his à me defendi posse, sed tibi potius, qui otio abundas, hæc provincia convenit. Ego interim alios patres adducam, qui ab Eusebio in hac Etymologia non dissentiunt. Epiphanius contra hæreses lib. 1. tom. 1. *Interpretari posses Samaritas custodes propterea quod custodum locum in terra obtinebant: aut quod custodes essent constituti secundum legem Mosi.* Eucherius p. 285. *Samaritae custodes, eo quod à Babyloniis illic ad custodiam collocati essent Judaeorum.* Ceterum Samar verbum est Hebraicum non Assyrium. Assyrii & Chaldæi pro eo Natar usurparunt. Unde in ea lingua custodes potius Nataritæ dicerentur.

EX QUIBUS PLERIQUE DIVINAS CEREMONIAS RECEPERUNT; RELIQUIS IN ERRORE GENTILITATIS PERSEVERANTIBUS] Hæc ita restitui possent ad veritatem historiæ, *qui divinas caeremonias receperunt, & simul in errore gentilitatis perseverant.* Nam *cum Dominum colerent* (verba sunt interpretis antiqui, 4. Reg. 17. 33.) *diis quoque suis serviebant juxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerant Samariam.* His adde quod in eod. cap. vers. 41. *Fuerunt igitur gentes istae timentes quidem Dominum, sed nihilominus & idolis suis servientes: nam & filii eorum & nepotes sicut fecerunt patres sui, ita faciunt usque in hodiernum diem.*

DIVINAS CEREMONIAS] Lege præceptas, quam solam recipiebant, rejectis prophetis & hagiographis.

SCHOTANUS.

Ultima regni decem tribuum, quæ habentur 2. Reg. XV. à v. 8. ad 32. & cap. toto XXI. & XVII.

Jeroboam defuncto successit filius Zacharias, quintus Iehuidarum, in quo impletum verbum Domini, quod legitur 2. Reg. X. 30. Quartum posteritatis Iehu solio insessurum. Cum enim faceret malum coram Domino, sectatus vitularum idololatriam Israëliticam, post sextum mensem per conjurationem interfectus est à Sellum filio Iabes. Sellum dicitur eum occidisse (קבל עם) LXX, κεβλάαμ. In secessione palam. inspectante populo Zachariam occidit. Jos. δολοφονηθεὶς ἀπέθανεν ὑπὸ φίλου τινος. Sellum regnat mensem unum (ירח ימים) Jos. οὐ πλείονα χρόνον ἡμερῶν ἀυτὴν κατέσχε τριάκοντα. Nam Manahem filius Gadi (Jos. dux exercitus, στρατηγὸς) Tharsæ agens, Samariam advolat: cæsoque Sellum ipse occupat thronum. Thaphsæ incolæ sive studio in Sellum sive alia causa, portas claudunt Manahemo. Ille urbe potitus, quicquid incolarum erat intra mœnia & in territorio, usque Tharsam jugulat, nec gravidarum mulierum uteris parcens. Adeo sævitiæ modum non tenuit homo immitis & crudelis. Hic etiam Jeroboamicæ perfidiæ adhæsit. Decennio tenuit imperium: sed & à Phul rege Assyriorum (quem ineptè Phul Belochum appellant multi) mille talentis argenti bellum redemit & societatem emit: ut se firmaret adversus factionem adversam. Hanc pecuniam exegit à potentibus & divitibus, qui viritim quinquaginta siclos contulerunt. Josephus tantum bellum esse re-

demptum scribit. Et male: τὸ δὲ κεφάλαιον τοῦτο συνήνεγκε τὸ πλῆθος μναιαίμου προσαχθὲν κατὰ κεφαλὴν δραχμὰς πεντήκοντα. Videtur in eos tractus cum copiis venisse Assyrium, invitatum forte dissidiis & secessionibus populi: & quia in proximo Syros urgebat. Hic Assyriæ regum primus est, quem nomine suo Scriptura expressit. Palum Græco diceres, si flectere vocabulum velis, ut in nomine Sardanapali. Assyrius igitur accepta pecunia firmat Manaemi solium & copias reducit. Post Manahem defunctum morte naturali filius Phaceia rerum potitur: quem etiam implicitum impietati Ieroboamicæ post biennium solio & vita deturbat, militiæ ejus magister Phace, filius Romeliæ. Nam per conjurationem eum Samariæ in palatio oppressit cum Argob & Arie & quinquaginta Galaaditis. Hic summæ rerum viginti annis præfuit, insistens ut antecessores ejus omnes primi Ieroboami perfidiæ. Eo regnante Theglath Phalasar rex Assyriorum magnam partem Israelitarum deportavit in Assyriam. Nempe expugnatis Ione, Abelbeth maacha, Ianoe, Cades, Hasor, Galadena regione & Nephthalitide ac tota Galilæa, incolas transtulit in alia sui imperii loca. Hunc Phace sustulit Hoseas filius Elæ per conjurationem. Adeo fluctuabat sine certo hærede solium, in prædam raptoris, vi sive per insidias prævalentis. De filii Manahemi interitu Josephus: δολοφονηθεὶς ἐν συμποσίῳ μετὰ φίλων ἀπέθανε. De prima deportatione: καὶ τήν τε γαλααδίτιν ἅπασαν καταστρεψάμενος καὶ τὴν πέραν τοῦ Ἰορδάνου χώραν καὶ κυλίδαν (leg. κάδισαν) καὶ ἄσωρα τοὺς οἰκήτορας αἰχμαλωτίσας μετέστησεν εἰς τὴν αὐτοῦ βασιλείαν. Hoseas ille ultimus regum fuit, in quo populus esse desiit. Impius enim fuit: non fuit tamen ejus impietatis, cujus fuerant præcedentes reges; ut Scriptura testatur. Josephus: Ἀπέθανε δ᾽ ὑπὸ τὸν αὐτὸν καιρὸν καὶ ὁ τῶν Ἰσραηλιτῶν βασιλεὺς Φακέας (distinguendum hoc nomen à nomine superioris regis, quod fuit Φακείας: ita emendanda Iosephi lectio) ἐπιβουλεύσαντος αὐτῷ φίλου τινὸς Ὠσηὲ τοὔνομα· ὃς σχὼν τὴν βασιλείαν ἐπ᾽ ἔτη ἐννέα πονηρός τε ἦν καὶ περὶ θεὸν ὀλίγωρος. Quidam in eo meliorem fuisse existimant, quod non ut reges superiores, volentes ire Jerusalem, positis custodibus impedierit. Jam enim vitulas fuisse ablatas per reges Syriæ & Assyriæ. In ipsum (incertum quo anno) Salmanassar Assyriorum rex expeditionem suscipit: à quo subactus ut imperata faceret, sub annuo tributo, obnoxius deinceps regnat. Pertæsus obsequii fœdus ferit cum So rege Ægypti: quod cum comperisset Salmanassar, & quia annuatim tributum non penderet, cum copiis profectus, universam regionem subegit. Mox Samariam obsidet & triennali obsidione expugnat. Regem in vincula compegit: populum universum traduxit è patrio solo in Assyriam; in (חלח) Hala, (חבור) Habor, ad flumen Gozan & in urbes Mediæ. Ita populus è terra Canaan abductus, peregrinas terras adiit, nunquam reversurus. Nam cum Deus tanto beneficio gentem illam ex Ægypto eductum fovisset in Cananæa, immemor Dei deos alienos coluere. Statuta gentium expulsarum & regum Israel secuti, & cordis sui arbitrium, excelsa condiderant in omnibus locis à specula ad urbem munitam. Statuas posuerant lucosque: sub omni arbore patula, in omni tumulo diis gentium se prostituerant. Prophetas spreverant & universum Dei verbum. Duabus vaccis à Jeroboamo positis inde à divisione tribuum, cultisque sine ulla intermissione, gentilium abominationes, lustrationes per ignem, divinationes & auguria accumulaverant, profusi in omne malum, donec illum populum Deus abjecit, juxta minas vatum, toties ingeminatas.

Ultimorum regum Israel annos cum annis regum Judææ ita componit Scriptura:

Anno

Anno Mundi	Reges Judææ.	Reges Israël.
3140	Ozias regnat annis 52.	Anno 27. Jeroboami
4153	Hoseas & Amos prophetant sub Jeroboam & Ozia	Jeroboam moritur. Interregn. ann. XI.
3176	Anno 38. Oziæ	Zacharias regnat 6. mensibus
3177	Anno 39. Oziæ	Sellum filius Jabes mense uno. Manahem occupat solium: Phul rex Assyriorum eum firmat.
3189	Anno 50. Oziæ	Manahem trucidato Phaceias regnat.
3191	Anno 52. Oziæ	Phace filius Romeliæ imperat.
3192	Jotham incipit regnare.	Annus Phace 17.
3207	Achaz incipit. Obsidio Jerusalem per Phace & Rasin.	Theglathphalasar Assyrius partem decem tribuum deportat.
3210		Hoseas occiso Phace regnum voluit occupare, sed variis seditionibus interregnum quasi 9. annorum fuit. 2. Reg. XV. 30.
3218	Achaz regis 12.	Hoseas domesticis turbis superior regnum sine controversia tenuit. 2. Re. 17. 1.
3220	Sabbat. Ezecias regnat.	Salmanassari vectigalis fit.
3226	Ezeciæ ann. 7.	Rebellem post triennalem obsidione expugnat Salmanassar & finem populo regnoque facit.

Ut concilientur loca in speciem pugnantia, videtur inter Jeroboami filii Joas finem & Zachariæ filii initium interregnum fuisse annorum undecim. Si enim Ozias incepit regnare anno 27. Jeroboami, qui annis 52. imperium tenuit (connumerata conregnatione cum patre) sequitur XI. annos fluxisse ἀβασιλεύτως inter finem Jeroboami & principium Zachariæ. Nam 26. sublatis è 52. remanent 26, quibus vivo Jeroboamo regnatum est ab Ozia: His adde annos XI. absolutos. Sic conciliat istum locum accuratissimus Usserius.

Secunda difficultas in v. 40. cap. ejusdem XV. lib. 2: Regem. Vigesimum annum attribuit Jothamo, qui est quartus Achazi. Causa potuit subesse cur à Jotham numeret. At si quarto anno Achaz cœpit Hoseas quod probat computus annorum qui regibus Israël attribuuntur, quomodo dicitur cœpisse anno duodecimo Achaz cap. XVII. vers. 1. quod & sequens collatio cum Ezecia comprobat? Interregnum & hic cum cl. Usserio statuimus. Tam turbato regni statu nihil certum & stabile erat.

Josephus computum init hujus deportationis; evenisse annis nongentis quadraginta septem post occupationem terræ, à ducatu Josue annis octingentis, à defectione decem tribuum annis ducentis quadraginta, mensibus septem diebus septem. Græcè ita: Μετῴκησαν ἐν αἱ δέκα φυλαὶ τῶν Ἰσραηλιτῶν ἐκ τῆς Ἰουδαίας μετ' ἐτῶν ἀριθμὸν ἐνακοσίων τεσσαρακονταεπτὰ ἀφ' οὗ χρόνου τὴν Αἴγυπτον ἐξελθόντες αὐτῶν οἱ πρόγονοι ταύτην κατέσχον τὴν χώραν, ἀπὸ δὲ στρατηγοῦντος Ἰησοῦ ἐτῶν ὀκτακοσίων.

σίαν. ἀφ᾽ οὗ δὲ ἀποστάντες ἀπὸ Ῥοβοάμου τοῦ Δαβίδου ἐγγόνου τὴν βασιλείαν Ἱεροβοάμῳ παρέδοσαν, ὡς μοι καὶ πρότερον δεδήλωται, ἔτη ἐστὶ διακόσια τεσσαράκοντα, μῆνες ἑπτὰ, ἡμέραι ἑπτά. Hæc Rufinus in hunc modum vertit: *Migraverunt ergò decem tribus Israëlitarum de Iudæa, post annos numero nongentos quadraginta septem à quo tempore egredientes ex Ægypto majores eorum hanc tenuere provinciam sub principe Iesu: ex quo autem recedentes à Roboam, qui fuit ex genere David, regnum Ieroboam tradiderunt sicut & prius a me significatum est, anni tunc erant ducenti & quadraginta & menses septem & dies septem.* Locus est planè perturbatus. Secundum Rufinum deleri debent anni octingenti, hoc modo: τὴν χώραν στρατηγοῦντος Ἰησοῦ. ἀφ᾽ οὗ &c. Ab exodo ad conditum templum numerat annos 592. Sunt autem inde ad finem Salemonis secundum ipsum 77. Jam numerat ducentos quadraginta (cum plures sint) à Roboami initio. Ita habemus annos 909. ab exodo: quibus si detrahas annos quadraginta Mosis, supererunt 89. Sed ἐπέχομεν.

De locis, quo deportati Israelitæ fuse & doctè disserit Nicolaus Fullerus miscellan. lib. 2. cap. 5. Ubi refutat eos, qui Tartaros origine Israelitas esse arbitrantur. Chabor haud quaquam confundi debet cum Chebar Ezechielis, nec in Mesopotamiam sed ultra Tigrin, deinde versus septentrionem remoti fuere. Illic immisti gentibus tandem evanuerunt. Cum in urbes Mediæ deportati fuerint, discimus Mediam ea adhuc tempestate paruisse Assyriis id est anno M. C. 3228. Deportationis & deportatorum fabulator Iudæus sub nomine Esdræ, libro vulgo dicto quarto, in hunc nondum meminit. cap. 13. vers. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. *Et quoniam vidisti eum colligentem ad se aliam multitudinem pacificam. Hæ sunt decem tribus, quæ captiva facta sunt de terra sua, in diebus Osee regis, quem captivum duxit Salmanasar, rex Assyriorum & transtulit eos trans flumen & translati sunt in terram aliam. Ipsi autem sibi dederunt consilium hoc ut derelinquerent multitudinem gentium & proficiscerentur in ulteriorem regionem ubi nunquam inhabitavit genus humanum: vel ibi observare legitima sua, quæ non fuerant observantes in regione sua. Per introitus autem angustos fluminis Eufratem introierunt. Fecit enim eis tunc altissimus signa & statuit venas fluminis, usque quo transirent. Per eam enim regionem erat via multa itineris; anni unius & dimidii. Nam regio illa vocatur Arsareth. Tunc inhabitaverunt ibi usque in novissimo tempore: & tunc iterum, quum cæperint venire; iterum Altissimus statuet venas fluminis ut possint transire: propter hac vidisti multitudinem cum pace.* Abarbinel in Esai. 27. 12. *Eveniet* in die illo; Dominus percutiet à fluento fluminis usque ad torrentem Ægypti: sed vos congregabimini ad unum unus, *filii Israël*: commentatur prophetam obsignare verba sua de redemptione Israelis & salute ejus dicendo: *Eveniet in die illo* &c. Q. d. Excussurum esse spicas ut educeret triticum è stramine. Hanc esse parabolam, de eductione Israël è medio populorum. Fluvium hic memoratum esse fluvium Sambationem, ad quem migrarunt decem tribus. Quosdam dicere, quod sit fluvius Eufrates, qui in terra Assur. Josephus etiam existimavit Israelitas decem tribuum in Mesopotamia suo tempore degere. Est igitur sententia hæc Iosephi diversa ab illa Esdræ nugatoris. Sabbaticus annis à Josepho in Syria collocatur Halos. lib. 7. cap. 24. Latin. edit. Autor orchotholam testatur juxta quorundam sententiam esse in Scythia extra Imaum montem בתוך משך הרים ארוכים ויהודים רבים ומסגרים שם לפי דעת הכותבים *In medio tractus longissimorum montium: & Iudæi multi conclusi illic, ut scriptores opinantur.* Sed Judæos dicit non Israelitas. Ille idem Flumen Sambationem supra Calecut oriri scribit & discriminare inter Indos & regni Iudæorum terminum. Iosephi Sabbaticus fuit in finibus regni Agrippæ. Benjamin in itinerario dili-

diligenter distinguit inter Iudæos & Israelitas. In Aria (עאריה) scribit viginti quinque Israelitarum millia haberi: & esse principium cætuum habitantium in montibus חפתון. Plures centum cætibus Israelitarum illic commorari. Hos prima captivitate (הגלות הראשון) à Salmanasare abductos. Inter quos etiam sint תלמידי חכמים eosque Chaldaicè (בלשון תרגום) loqui. David Abroi Amatiensem Pseudo-Christum voluisse Iudæos in montibus Haphthon colligere, ut expugnaret Ierusalem. Vinctum datumque esse in carcerem in urbe Dabastan ad ripam fluvii Gozan: sed miraculo solutum & egressum mirabilia patrasse: tandem à Zinaldino (מלך תתרמים) rege Turcarum, cliente regis Persarum per insidias interfectum esse. Regem Persarum Iudæis istis montanis & suæ ditionis muneribus placatum esse. Hemdanem Mediæ maximam civitatem Israelitarum quinquaginta millibus habitari. In urbe Gina ad fluvium Gozan octo fere esse Israelitarum millia: in Samarcant quinquaginta millia. Montes Nisbon ad flumen Gozan esse. In eorum urbibus, ut Israelitæ quidam in Perside, inde orti, affirmaverint quatuor Israelitarum tribus residere, Dan Zabulon, Aser & Naphthali. Nempe hoc significari loco scripturæ, qui dicit abductos esse in Hala, Habor montes Gozan, montes Mediæ. Ita pro נהר & ערי legit בהר & הרי. De ista regione, quæ viginti dierum iter patet, mira fabulatur: non visa sed audita scilicet! De Israelitis fabulandi materiam suppeditat ignotarum orbis regionum & insularum vastitas. Adeo itum quoque est in ultimam Tartariam, Americam, & australem orbem. Genebrardus Arsareth Esdræ putat esse veterem Tartariam ad desertum Belgian, in orientis septentrionalis angulo, è quo illi sub annum Christi 1200. duce Cingis erumpentes, cum antea ignoti essent & loco & nomine, Imperium Cham Tartarorum, quod hodie memoratur, constituerint. Nam in Hebræorum annalib. apud R. Salomonem in Esai. 27. 12. 13. decem tribus in oriente perditæ fuerunt. Facile amplexas esse Mahometismum, quod jam ab ævo circumciderentur & corrupta quadam Mosaicæ religionis specie tinctæ essent. Hæc multis arrident. Cæterum hæc sententia est Judæorum in Esaiæ dictum locum, quod Israelitæ è regione longinqua, quæcunque sit, sint adventuri ad Ægypti torrentem, ut simul cum Iudæis ex Ægypto occupent Hierosolymam. Videri possunt præter Abarbinelem, supra citatum Rasi & Kimchi. Fluvii Gozan positum Benjamin collocat ad montes Nisbon sive Nisbor: qui ab urbe Samarcand distans triginta duorum dierum itinere. Superius tamen Tabrestan esse sitam dixerat ad Gozan, septidui itinere sejunctam ab Ispahan, regia Persarum, quatuor dierum ab Hemdan Mediæ. Etiam Siphaz (שיפאז) quatridui itinere distare ab Ispahan; & septiduo à Gina, quæ accubet Gozano flumini, triduo distans à Samarcand. Vide quantum hoc flumen sit! Certe majus illis fluminibus, quæ magnitudinis laudem apud Scriptores habent: Gehonem in Corasan inter illa numerat Geographus Nubiensis.

So Ægypti rex collusit cum Hosea Israelita: hic vel est Bocchoris Saites apud Diodorum & Manetho vel Sabacos Æthiops, qui post illum Bocchori vivo cremato Ægypto potitus esse dicitur. Sanè qui apud Herodotum Anysi successit Sethon Vulcani sacerdos temporibus Ezeciæ vixit.

Salmanassar an alius Assyriæ regum (fortè plures successu temporis) in locum vacuum alias nationes induxerunt. Nam Esdr. IV. v. 2. ferunt se eo translatas esse ab Asarhaddone: v. 10. à magno & inclyto Asnappato. Translatæ sunt è Babel, Chutha, Ava, Hamath, Sepharvaim. E Babylonis sive urbe sive territorio translatæ sunt, quia Babylon seu ejus regio Assyriis hac tempestate paruit. Chutha secundum Josephum regio Persidis fuit & Chuthum flumen. Maxima inde pars traducta fuit, ut videtur, quia Judæis כותים commu-

muniter appellati sunt. Tres reliquæ nationes fuerunt ex Ava (עוא) Hamath Syriæ (חמת) Sepharvaim. Cum colere cæpissent, Deus eos immissis leonibus inquietat, qui magnam hominum stragem fecerunt. Noluit enim Deus habitatores ferre, à quibus non qualicunque modo agnosceretur. Errat Josephus, qui peste afflatos esse scribit. Supplicant igitur regi: Quietam sibi habitationem non concedi. quod Dei locorum præsidis cultum ignorarent. Missus igitur sacerdos ex illis, qui Bethel incoluerant, docet ipsos modum colendi Domini. In Hebræo v. 27. 28. ambiguus sermo est, ut non discernas unum ne an plures sacerdotes rex mitti voluerit. Unum ut ab eo populus disceret semel, vel successive cedente ad continuatam institutionem. Posterius magis placet. Populus Domini cultum suscepit sed junctum cum cultu patriorum numinum. Nam sua numina in ædibus excelsorum posuerunt, quas fecerant Israelitæ. Patria numina colere non destiterunt; Babylonii Succoth Benoth; Chuthæi Nergal; Hamathæi Asima; Avæi Nebha (Græci ἐβλαζὲρ) & Thartac; Sepharvæi Adramelech & Anamelech. Horum cultus nefarius, quia diis suis liberos in holocaustum cremabant. Existimant Babylonios fecisse tentoria, in quibus virgines in honorem Veneris cupientibus sui copiam facerent: qui mos Babyloniis: sed videtur hic esse nomen numinis, quod colebant. Nergel dicunt fuisse deam, quæ colebatur in forma gallinæ sylvestris: Asima colebatur in forma hirci, ut docere volunt ex Esai. 34. 14. Sed hæ conjecturæ sunt parum probabiles. Sacerdotes sibi fecerunt è minimis populi: Deum miscuerunt cum idolis. Mireris Deum hoc cultu, qui mistus cum deastris nec secundum legis præscriptum, placatum acquievisse: sed ostenditur in profanis gentibus probari, quod Deum quocunque modo susciperent. Et hactenus probari, ut terram tutis incolere liceret. Quia majus nefas Israelitæ patraverant, deficientes à numine patrio, quod ipsos peculiari modo sibi acquisiverat & sacraverat. Placuit, quod Deum susciperent & Israelitas priores incolas pudefacerent, non placuit quod integram bonitatem non præstarent. Hoc volunt versus postremi à 34. ad finem in cap. 17. lib. 2. Regum. Misturam Domini & idolorum istæ gentes tenuerunt, usque ad illud tempus quo regum libri compositi sunt. Tobias hoc bello in captivitatem ductus est, ut illius historia loquitur. Quam qui fabulam esse non videt, aut cæcus est aut tergiversatur. In hac quidem luce literarum & veritatis. Apparet tamen antiquam esse & ab homine compositam, qui antiquitatis & historiæ haberet aliquam peritiam. Tobit illum deducit è tribu Nephthalim, è Thisbe abductum prope Cades, suprà Aser. Dei cultui adhærentem Hierosolymis & danda Deo afferentem. Annam uxorem è familia duxisse, genuisse Tobiam. A communibus abstinuisse inter gentes, in urbe Nineve. Gratiam apud Salmanassarem obtinuisse: cujus sit factus mercator. In filii ejus Senacheribi incidisse iram, cum sepeliret cadavera Judæorum cæsorum, postquam è Judæa cum dedecore rediisset. Ita abiisse alio, bona publicata esse. Sed intra quinquagesimum diem regem à filiis duobus occisum esse; quibus fugientibus in montes Armeniæ, Sarchedonus (ita Asarhaddonem vocat) imperium obtinuit. Ab hoc Tobiti ex fratre nepotem Achiacharum, rationibus regiis præfectum esse (*ἐπὶ πᾶσαν τὴν ἐκλογιστίαν τῆς βασιλείας αὐτοῦ καὶ ἐπὶ πᾶσαν τὴν διοίκησιν*) deinde & pincernam (*καὶ ἐπὶ τοῦ δακτυλίου*) annuli præpositum, secundum à rege. Hunc reditum procurasse patruo. Cui deinde infortunium evenerit & mirifica liberatio, ut in processu libri digeritur. Filium Tobiam vixisse annis 127. Intra quos viderit Ninum eversam esse, juxta vaticinium Jonæ. Ninum (inquam) eversam esse à Nabuchodonosor & Assuero. Quam veræ sint illæ temporum annotationes, alias dicemus, ipsam historiam autor pro vera credi noluit sed viri boni formam voluit pingere.

TOMI

TOMI SECUNDI BIBLIOTHECÆ

Hiſtoriæ Sacræ

PEMPTADIS SECUNDÆ

liber ſive tractatus quintus,

DE

Regno Iudææ ſolius uſque ad captivitatem Babylonicam.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI. I.

CAPUT LXXIV.

AT in parte duarum tribuum rex Achas, ob impietatem inviſus Deo, cum finitimorum bellis ſæpe premeretur, deos gentium colere decrevit: nimirum, quia eorum illæ auxilio victores frequentibus prœliis exſtitiſſent. Ita in hoc nefariæ mentis piaculo diem functus eſt, cum XVI. annis in regno fuiſſet. Huic Ezechias filius ſucceſſit, multum paterni diſſimilis ingenii. Namque initio regni, populum, ſacerdoteſque ad Dei cultum cohortatus, multis diſſeruit, ut frequenter caſtigati à Domino, ſæpius eſſent miſericordiam conſecuti, ut poſtremum decem tribus in captivitatem nuper abductæ, ſacrilegii pœnas diſſolverent: curandum eis ſedulo, ne eadem pati mereantur. Ita converſis ad religionem omnium animis, levitas ſacerdoteſque omnes ad celebranda ſecundum

dum legem sacrificia ordinavit: celebrarique Pascha instituit, quod jam pridem fuerat omissum. Cumque dies festus adesset, dimissis per omnem terram nunciis, conventus diem edixit: ut si qui post abductionem tribuum in Samaria resedissent ad solenne sacrum convenirent. Ita frequentissimo conventu dies sacer publica lætitia exactus, longo post intervallo religione legitima per Ezechiam restituta.

DRUSIUS.

ACHAS] cum in libris Græcorum sit ἀχὰζ, putarim Sulpicium scripsisse Achaz tamen non adsevero. Nam Achas se tuetur ea consuetudine quam notavi Observat. lib. IX. cap. IX. Sic in hoc libro reperies Joachæ, qui est obliquus à recto Ioachas. Sic ἰωσὴς pro ἰωσὴφ legitur apud Iosephum, & alibi Ioses pro Ioseph. Quod tamen & aliam rationem habet. Nam etiam Iose dicimus, unde potest esse Joses, ut ex Jesu factum Jesus, Græca & Latina declinatione.

FINITIMORUM] Syrorum & Israëlitarum.

DEOS GENTIUM] Moloch 4. Reg. 16. 3. Baalim. 2. Paral. 28. 2. Deos Dammasci sive Darmasci. 2. Reg. 28. 23.

EORUM ILLÆ] gentes videlicet.

PIACULO] id est crimine. Proprie crimen ob quod expiatio fieri debet.

EZECHIAS] rectius scribitur Ezecias. Primum quia Græci sic scribunt ἐζεκίας: deinde quia est Coph in Ebræo charactere, quam consonantem antiqui expresserunt semper per C, simplex. Vide Alphabetum nostrum vetus.

DECEM TRIBUS IN CAPTIVITATEM NUPER ABDUCTÆ] Hæc dicere tunc non potuit. Siquidem oratio hæc habita fuit anno Ezeciæ primo: tribus autem abductæ primum anno septimo ejusdem. Loquor de annis regni ejus.

SACRILEGII] Idololatriæ, ut 30. 66. & 77.

LEVITAS SACERDOTESQUE] maluissem, *Sacerdotes levitasque.* Nam digniores primo loco nominandi. Quod tamen ubique non observatur. Hic perspicuè discriminat sacerdotes à levitis, ut dubitare nunc incipiam de iis quæ scripsi cap. 51. ad, *Samuel sacerdos.* Nam eo labor ut potius credam Sulpicium errasse, qui putarit Samuelem revera sacerdotem; & siquid sapio in his rebus, etiam pontificem fuisse.

CELEBRARIQUE PASCHA INSTITUIT] hoc Pascha celebratum fuit mense secundo. Primum quia sacerdotes nondum omnino sanctificati erant mense primo: deinde quia populus tunc adhuc universus non convenerat; postremo quia lustratio templi primum absoluta fuit die decima sexta mensis primi, ut habetur 2. Paral. 30. 3.

PER OMNEM TERRAM] Israël & Juda.

CONVENTUS DIEM] Decima quarta mensis Iar, qui secundus est à Nisan in anno Mosaico.

EDIXIT] libri quidam, *indixit.*

SCHO-

Schotanus.

De Achaz rege Iudææ 2. Reg. 16. & 2. Chrônic. 28.

Achaz Jothamo successit in regno Judææ. Regnum iniit natus annos viginti, tenuit annis sedecim; Impius fuit in Deum cumulate. Nam viam tenuit regum Israël; præterea fecit fusiles statuas Baalim; adolebat etiam in valle filiorum Hinnom: filios cremabat juxta abominationes gentium, quas Dominus expulerat, ut in eorum Israelitæ locum succederent. Immolabat & incensum dabat in excelsis & collibus & sub quavis frondosa arbore.

Hic prima mentio est vallis filiorum Hennom, loci cultu nefario infamis. In valle ista, quæ prope Hierosolymam fuit, excelsa Thophet ædificaverant, in quibus in honorem Moloch & Baal filios suos igne lustrabant aut cremabant. Jerem. VII. 31. 31. & XIX. 5. 6. In ista valle locus fuit dictus (תֹּפֶת) Thopheth: ubi excelsa & Moloch & Baal. de Achaz dicitur in loco Regum: Etiam filium suum הֶעֱבִיר בָּאֵשׁ, *fecit transire ignem.* In loco Chronicorum וַיַּבְעֵר אֶת בָּנָיו בָּאֵשׁ *combussit filios suos igni.* Ponitur in primo loco singularis pro plurali; ubi de sola lustratione, de combustione in altero loco. Utrumque fecit. Quod enim summus vir Hugo Grotius combustionem videtur negare, expressis scripturæ locis contradicit. Nam & Sepharvæi comburebant filios שֹׂרְפִים 2. Reg. 17. 31. Et exprimitur combustio apud Jeremiam. Rectè igitur observavit Lyranus utrumque obtinuisse: unde & *transferens per ignem* (quod habet vulgatus) utroque modo capi posse putat. Dicunt Judæi Idolum Moloch æneum & intus concavum fuisse. In cavo positum ignem, donec idolum canderet. Tum in manibus idoli puerum consecratum poni consuevisse. Sacerdotes interim percussisse tympana, ne patres clamorem pueri morientis audirent. Fabulæ isti locum dedit vocabulum תפת quasi à tympanis dictus esset. Scribit Lyranus purificationem per ignem apud Tartaros suo tempore in usu fuisse. *Ideò*, inquit, *extranei venientes ad præsentiam imperatoris transeunt inter ignes factos hinc & inde: ut sic purificati appareant coram ipso.* Josephus: ὡλοκαύτωσε τὸν παῖδα. Vulgatus in loco Regum: *Filium suum consecravit, transferens per ignem.* In loco Chronicorum: *Lustravit filios suos in igne.* Lxx. primo loco, τὸν ὑιὸν αὐτοῦ διῆγεν ἐν πυρί. Altero: Καὶ διῆγε τὰ τέκνα διὰ πυρός. Sic Lxx. utroque loco legerunt verbum עבר: Iosephus tamen expressit בער. Addit ritu Chananæorum id factum: Nam non tantum Moloch sed & Baal ita sacrificatum esse Scriptura indicat multis locis. Hanc impietatem Deus per Syros & Israelitas puniit. Rasin rex Syriæ ingenti clade vicit Achaz, & captivorum multitudinem immensam Damascum abduxit. Simul Elath, ad sinum Arabicum, quam Ozias ceperat, Judæis extorsit: coloniam Syrorum eo induxit. In Hebræo est ארמים 2. Reg. 16. 6. quod per ד legit vulgatus (cum Lxx.), interpretans Idumæos. Iosephus, ἐγκατῴκισεν αὐτῇ Σύρους. Grotius. *Non solent reges potentes, quæ ab hostibus ceperunt, iis reddere quorum olim fuerunt.* השיב *recepit*; relatione ad rem, quæ iterum capta est, non imperium, cujus nunc facta est. Phace filius Romeliæ, fœderatus fuit Syris. Simul sed divisis copiis irruisse in Iudæam videri possunt & duabus cladibus Achaz attrivisse. In prælio adversus Phace ceciderunt uno die centum & viginti millia militum. Zachri, vir bellicosus ex Efraim, Maasejam filium regis sua manu obtruncat, item Asdricam, præfectum domus & Elcanam secundum à rege. Captivos ab-

abduxerunt ducenta millia, conjuges filiaſque & ingentem vim ſpoliorum. Samariæ erat propheta Domini, cui nomen Oded. Hic progreſſus obviam copiis captivos ad urbem trahentibus, denuntiat iram Domini. En, inquit, ira Domini vobis tradidit fratres e Juda: vos autem cædibus graſſati eſtis ſævitia, quæ cælum tangit. Adhæc filios Judæ & Jeruſalem in ſervos ſervasque rapitis? Apud vos delicta adverſus Dominum Deum veſtrum. Audite igitur me, reſtituite captivos. Nam ira Domini in vos. His verbis moti quidam patriacharum ex Efraim, Azarias filius Johanan, Barachias filius Meſellemoth, Ezecias filius Sellum & Amaſa filius Hadlai, cum multitudine oppidana, occurrunt advenientibus. Non introducetis, inquiunt, hos captivos, in culpam in nos adverſus Dominum, Cumulumne addere paratis peccatis & delictis, quæ multa ſunt & iram accenderunt? Milites igitur relinquunt captivos & prædam apud principes & multitudinem. Hi autem quos nominibus expreſſimus, captivos ſuſcipiunt: curant, veſtiunt, calceant, cibo potuque recreant, ungunt: curatos reducunt, infirmis poſitis in aſinos, Hierichuntem, urbem palmarum. Cæterum duo reges ſuperiores præliis Hieroſolymam obſident, quam tamen expugnare non potuerunt. His calamitatibus acceſſerunt Idumæi, qui ſtragem fecerunt & captivos abduxerunt. Palæſtini etiam in auſtralem regionem & vallium illati, Bethſemes, Ajalon, Gaderoth, Socho, Thamnam, Gamezo cum ditionibus ſubjectis occupaverunt, quæ ejectis Judæis incoluerunt. Intereà dum ad urbem ſedent videtur Elath à Syris eſſe occupata. Joſephus proceſſum rerum hunc facit: Duos reges ſimul obſediſſe quia Achaz non facientem pugnæ copiam intra urbem compulerant. Quam cum poſſe capi deſperarent, Syrum Elath oppugnaſſe, multisque Judææ locis occupatis, cum præda & captivis domum abiiſſe: Achaz cognito Syros abiiſſe, cum ſe parem eſſe Phace putaret, eductis copiis & prælio conſerto victum eſſe. Zachariam ſupremum copiarum Iſrael ducem, filium regis (Ἀμίαν vocat Lxx. Μαασίαν) inter emiſſe & (Lxx. Ἐζεκρὰν ἡγούμενον τοῦ οἴκου) (Joſ. τὸν ἐπίτροπον τῆς βασιλείας αὐτοῦ Ἰερικάμ: leg. Ἐζεκράμ) Vivum cepiſſe Elcanam (Joſ. τὸν τῆς Ἰούδα φυλῆς στρατηγόν) (Lxx. διάδοχον τοῦ βασιλέως) Captivos ſcribit fuiſſe è Benjamitica tribu. Prophetam vocat Ὠδήλαν leg. Ὠδήδαν. Hunc magno clamore (μεγάλῃ βοῇ) acclamaſſe, Dei nutu ob iram in Achaz viciſſe. Improperat ſolam captivitatem non cædem. Quatuor principes concione convocata populum concitaſſe. Ordinem illum rei geſtæ, quem Joſephus habet, probat Eſaiæ locus cap. 7. Raſin videtur rei caput fuiſſe & concitaſſe Phacen. Nuntiatum eſt Achaz Syros bellum minari, fretos ſocietate Iſraelitarum. Syri enim filium Thabeëlis in Judæa regem conſtituere volebant. Unde apparere putes ſub ipſum initium Achaz, cui ille filius Thabeëlis Judæus ſolium cogitans adverſabatur, has res eveniſſe. Alii illum è magnatibus Syriæ fuiſſe volunt. Judæam tributariam facere & inter ſe partiri voluerunt. Eſaias Dei juſſu Achaz indicat non eſſe illi metuendum ab illis regibus. Nam intra 65. annos Efraim conterendum eſſe, ut non amplius eſſet populus. Mirum quo referendi ſint illi anni, quod initium, quem finem habeant. Judæi ſecundum Seder olam, principium deducunt à prophetia Amos, qui adverſus Damaſcum prophetavit, cap. 1. v. 3. 4. 5. Hic autem vaticinatus eſt biennio ante terræ motum, qui contigit regnante Ozia. Kimchi ita ſupputat: Amos propheta ſſe anno 17. Jeroboam filii Ioas, qui regnavit annis 41. Manahem 10. annis. Hi ſunt quinquaginta & unus. Phaceias biennio. Habentur quinquaginta tres. Phace 10. Ita ſunt ſeptuaginta tres. Hoſee novem. Jam erunt 82. Quibus ſi detrahas 17. remanebunt 65. Raſi ita ſupputat: Amos vaticinatur biennio ante percuſ-

ſionem

ſionem Oziæ: quam volunt fuiſſe ipſum motum *(הרעש)* Percuſſus anno vigeſimo quinto. Jam anni 27. Oziæ, 16. Iotham, 16. Achaz & 6. Ezeciæ, faciunt annos 65. Franciſcus Junius ſupputat ab ipſa clade Damaſci. *Nam caput Syriæ Damaſcus & Reſin caput Damaſci;* ובעוד vertit, *deinde*. Nempe ubi illa eſſe deſierunt. Quarto anno Achaz Syros abductos. Sic duodecim anni Achaz, Ezeciæ 29. Manaſſis 24. Anno igitur Manaſſis 24. Efraim deſierit eſſe populus, cum Aſarhaddon illuc induceret peregrinos. Non poſſum probare, quia ad eum uſque terminum non prorogo regnum Aſarhaddonis: deinde Efraim ſane populus eſſe deſiit cum à Salmanaſſare abduceretur. Eſaias regi Achaz veritatis ſignum poſuit rem à condito orbe maximè admirandam, partum virginis. Hunc, quia in domo Davidis eſſet exſtiturus ſigno eſſe, quod ab illis regibus domus Davidica exſtingui non poſſet. Quærebant enim hoc, qui alienum imponere ſolio nitebantur. Vaticinatus tamen eſt miſerias & calamitates ab Aſſyriis & Ægyptiis. Achaz preſſus ab hoſtibus & parum credulus Eſaiæ verbis, miſit ad Theglath Phalaſar regem Aſſyriæ ſe ſuaque illius arbitrio & clientelæ permittens. Filius tuus & ſervus ſum. Eripe me de manu regum Syriæ & Iſrael, qui in me inſurgunt. Argentum & aurum è theſauris domus Dei & regiæ ſumpſit, etiam à principibus, quod miſit Aſſyrio. Non tulit ipſi opem Aſſyrius ſed afflixit potius. Opes ſuas homo Deo rebellis illi dedit. Aſſyrius acceptis donis cæteros hoſtes graſſari permiſit: ſed Damaſcum obſeſſam expugnatamque deſtruit. Raſin interimit: populum deportat in Cir. Hanc Cir non eſſe Cyrenen certa res, quia illius imperio non continebatur. Joſ. In ſuperiorem Mediam, in earum locum Aſſyriis gentibus poſitis. Sic igitur de Damaſco impletum, quod Amos & Eſaias cecinerant. Hic finis fuit regni Syriæ & Damaſci, quod à Salomonis ſteterat morte.

Achaz expugnata Damaſco ad Aſſyrium proficiſcitur; contemplatuſque aram Damaſci: ejus formam expreſſam miſit ad Pontificem Uziam: qui ſedulo ejus formæ aram ex juſſu regio parat: paratamque habuit ante regis reditum. Rex conſpectam, probatamque uſui ſacrorum poſuit ad ædem Domini. Nam æneum altare coram Domino, amotum ab aditu ædis, conſtituit ad ſeptentrionale latus ſui altaris. In hoc altari ſacrificat: immolat, libat, adolet, aſpergit. Mandat Uziæ ſacra fieri in iſto altari: juge ſacrificium, regium, populi: holocautomata, minchas, libamina, aſperſiones. Æneum altare fore לבקר ad inquirendum. Hoc exponit Kimchi, ut ſit illius altare עקר, fundamentum & præcipuum: alterum Salomonium ex præſcripto Moſis factum טפל, acceſſorium: quo uteretur rex per occaſionem. Idem Raſi & Ralbag. Quidam putant idolorum cultui illic poſitum eſſe: ſed idola in templo coluiſſe non videtur. Id enim Scriptura non tacuiſſet. Communiter volunt ex eo factum eſſe horologium Achaz regis: quod caret fundamento. Uzias pontifex paruit regi contra legem; qui quidvis potius perferre debuit, quam miniſterium ad rem illicitam præbere. Amputavit המסגרות המכונות *τὰ συγκλείσματα τ̃ μεχωνώθ*; Vulg. *cælatas baſes.* Chald. גדנפי בסיסיא. Belgæ, **de lyſten der Stellingh.** Et removit deſuper illis luterem: & lacum ab æneis bobus, quem depoſuit in lapideo pavimento. Et tegmen Sabbathi, quod in æde ſtruxerant & exteriorem regium introitum ſuſtulit ob regem Aſſyriæ. Grotius ita interpretatur: Tegmen Sabbathi fuiſſe tranſitum quendam ſub tecto, quem ædificaverant ſacerdotes, ut illac die Sabbathi intrarent in templum ad inchoandam *ἐφημερίαν*. Ingreſſum exteriorem fuiſſe primam portam, per quam rex ingredi ſolebat in templum. Hos introitus vertiſſe in aliam partem templi ne ingredientes rex aut ſacerdotes tergum obverterent Aſſyriæ, eòque regem Aſſyrium

minus

minus revereri viderentur. Nam ingreſſus iſti ad orientem ſpectabant. Præterea Achaz vaſa domus Domini collecta fregit & fores ædis tandem occluſit. Sic ceſſare fecit cultum Dei. Aras fecit in omnibus angulis Ieroſolymorum: & excelſa oppidatim per Judæam ad ſacrificandum diis alienis.

Joſephus dona tuliſſe ad regem Aſſyrium putat, cum Damaſcum proficiſceretur, ſicut antè pactus erat. Inſipienter ſcribit coluiſſe deos Syriæ, cum ab illis bello premeretur. Deinde coluiſſe Aſſyriorum deos & omnium gentium potius quam patrium: occluſiſſe tandem templum, καὶ τὰς νενομισμένας ἀπαγορεῦσαι θυσίας ἐπιφέρειν καὶ περιδύσαι τῶν ἀναθημάτων αὐτόν (ναόν) Lapſus igitur eò eſt, ut ne quidem in ſuo altari Damaſceno Deo ſacra fieri paſſus ſit. Vita exceſſit cum tenuiſſet imperium annis ſedecim. Sepultus eſt in urbe, ſed non illatus in monumenta regum Judæ & Iſrael.

De Ezecia rege reſtituente Dei cultum 2. Chronic. 29. 30. 31.

Ezekias paterni admodum diſſimilis ingenii, regnum accepit annos natus vigintiquinque, obtinuit viginti novem. Matri nomen Abia, filiæ Zachariæ. Illene Zacharias fuerit, qui Oziam inſtituit, incertum. Compoſuit ſe ad modum Davidis. Mox enim primo menſe primo anno regni fores ædis Domini aperit & reficit. Convocatis ſacerdotibus & levitis (etiam populo ſecundum Ioſephum) in vicum orientalem (id eſt atrium ſacerdotum, inquit Lyranus: ſed non placet) orationem habuit amicam & ſeriam. O Levitæ aurem præbete: Vos ipſos & ædem Domini purificate: foras efferte immunditiem ſanctuarii. Patres enim ſuos feciſſe quod Deo diſpliceret, eum reliquiſſe, tergum obvertiſſe tabernaculo Domini. Clauſiſſe fores atrii, lampadas exſtinxiſſe: incenſum deſiiſſe & holocautoma. Ideo iram Dei in Hieroſolymam & Iudam effuſam, calamitates & contemptum effeciſſe, quæ nunc ſint. Patres gladio hoſtium occubuiſſe: filios, filias conjugesque in captivitatem abreptos. Sibi in animo eſſe, cum Domino Deo Iſraël fœdus facere, ut ira ejus averruncetur. Filii mei, inquit, ne eſtote ſegnes. Deus enim vos elegit, ut coram illius facie conſiſtatis, ad ſerviendum ipſi: ut ejus ſervi ſitis & incenſores. Exiſtimant Rabbini primo die primi menſis regem coronatum eſſe: atque eo ipſo die, aperuiſſe templum & convocaſſe ſacerdotes ac levitas. Obſequuntur regi Levitarum familiæ. E Caathitis Maſath filius Amaſai, Ioël filius Azariæ. E filiis Merari Cis filius Abdi, Azarias filius Iehallelel. E Gerſonitis Joa filius Zamma & Eden filius Joæ. E filiis Eliſaphan (אליצפן) Samri & Jeïel. E filiis Aſaph Zacharias & Matthanias. E filiis Heman Iehiel & Samei. E filiis Iduthun Samæas & Uziel. Hi colligunt fratres eosque ſanctificant. Adeunt igitur ex juſſu regio, ſecundum verba Domini, ad purgandam ædem. Sacerdotes introeunt efferuntque in atrium ſordes templi, quas Levitæ extulerunt in torrentem Cedron. Se ſanctificare incipiunt primo die menſis, ingrediuntur atrium Domini: purificant ædem octiduo, abſolventes die decimo ſexto primi menſis. Hinc adeunt regem ſignificantes ſe totam ædem ſanctificaſſe, item altare æneum holocautomatum cum ſua ſupellectili & menſam propoſitionis cum ſua ſupellectili. Vaſa etiam, quæ Achaz, ſuo ſub imperio, perfide projecerat. Ea eſſe coram altari. Ezecias igitur ſummo mane convocatis principibus urbis intrat ædem. Afferunt ſeptem juvencos, ſeptem arietes, ſeptem agnos, ſeptem hircos in ſacrificium peccati pro regno, ſanctuario & Iuda. Mactati igitur boves & ſacerdotes ſuſceptum ſanguinem, ſpargunt in aram: conſimiliter factum in arietibus & agnis. At hircos in ſacrificium pro peccato afferunt

afferunt coram rege & populo: qui ipsis imponunt manus (confer Levitic. IV. 15.) Hos sacerdotes mactant eorumque sanguine expiant super aram, ut reconciliationem facerent pro toto Israël. Nam rex id holocaustum & ἱλασμὸν jusserat pro toto populo. Constituebat Levitas in æde Domini cum cymbalis nabliis & cinyris, juxta institutum Davidis & Gad videntis regii & Nathanis prophetæ. Notabis videntem regium & prophetam discriminari. Nam id præceptum erat à manu Domini per manum suorum prophetarum. Hæc verba textus referri debent ad Davidem non Ezeciam. Stabant igitur Levitæ cum instrumentis Davidis & sacerdotes cum (חֲצֹצְרוֹת) tubis. Iusserat Ezecias ut holocaustum offerretur in ara: simul cum holocausti initio incipiebat cantus Domini cum tubis & instrumentis Davidis. Tota igitur multitudo adorabat cum cantus inciperet & tubæ: usque ad finem holocausti. Sacrificio finito, incurvatur rex omnesque qui cum eo & adorant. Tum rex & principes ad Levitas, ut Dominum laudarent verbis Davidis & Asaph videntis. Laudabant cum magna lætitia (עד לשמחה) & incurvabant cervices & adorabant (ויקדו וישתחוו) Hinc Ezecias: Nunc manus vestras Domino implevistis: accedite, adducite victimas & laudes in domum Domini. Concio igitur inducit victimas & laudes: omnesque voluntarii corde, holocausta. Holocausta, quæ adduxit concio, erant septuaginta boves, centum arietes & ducenti agni. Et sanctitates (קדשים) sexcenti boves & minorum pecudum tria millia. At nimis pauci sacerdotes erant, nec poterant omnibus holocaustis cutem detrahere. Adjuvabant (ἀντελάβοντο αὐτῶν LXX.) eos Levitæ, donec opus esset consummatum: donec se cæteri sacerdotes sanctificassent. Nam Levitarum animus promptior ad sanctificandum fuerat quam sacerdotum. (Vulg. *Levitæ* faciliori ritu sanctificantur quam *sacerdotes*) Holocausta etiam erant magna multitudine: cum adipibus pacificorum & libaminibus præter illa holocausta. Ita opus domus Domini constitutum est. Ezecias & universus populus lætabantur, super illo, quod Dominus paraverat populo. Nam res illa cito peracta est.

Josephus non est assecutus continentiam hujus narrationis. Deinde cum non exprimatur pater regis, sed includatur tacito nomine, sub patrum voce, Iosephus eum diserte exprimi inducit τὰς τοῦ πατρὸς ἁμαρτίας τοῦ ἐμοῦ. Atqui pietas regis id studiose evitavit. Nec solus Achaz peccaverat, commune crimen patrum erat. Purificato templo, statutoque Dei opere rex cum principibus & tota Ecclesia (קהל) Hierosolymorum consilio habito statuit pascha facere in mense secundo. Nam non poterant id facere in tempore illo: quia sacerdotes, qui possent sufficere (vel quantum satis esset) non erant sanctificati & populus non coierat Hierosolyma. Id placuerat regi & toti Ecclesiæ. Decretum igitur de verbo proferendo per totum Israël à Bersabe usque Dan, ut coirent ad Pascha Domino Deo Israelis celebrandum in Jerusalem. Nam longo tempore non celebraverant ex præscripto. Ezecias igitur ad totum Israel & Iuda misit: scripsit etiam literas ad Efraim & Manasse: ut venirent ad domum Dei & Pascha facerent. Tabellarii cum literis à manu regis & principum transeunt. Literarum argumentum erat: Filii Israel convertimini ad Dominum Deum Abrahami, Isaaci, Iacobi: convertet se ad residuos è manu regum Assyriæ. Nolite imitari patres & fratres vestros, qui ob suas prævaricationes in desolationem dati, ut cernitis. Nolite cervicem obfirmare, ut patres vestri. Porrigite manum Domino, accedite ad sanctuarium, quod in seculum sanctificavit & servite Domino Deo vestro: sic iræ ejus fervor à vobis avertetur. Nam si convertamini ad Dominum, fratres vestri & liberi

Gggggg misе-

miſericordiam conſequentur apud captivitatis ſuæ dominos, ut in hanc terram remittantur. Nam Dominus Deus veſter eſt pius & clemens, nec avertet faciem ſuam à vobis, ſi ad eum fueritis reverſi. Oppidatim per Efraim, Manaſſe, Zabulonem tabellarii profecti ſunt. Plerique riſu & ſannis eos excipiebant: quidam tamen è Manaſſe, Zabulon, Aſer, humiliati Hieroſolyma concedunt. Manus Domini unanimes Judæos (è tribu Juda & Benjamin) Hieroſolyma coëgit. Immenſa igitur hominum multitudo coierat, ad Paſcha celebrandum & feſtum azymorum, ſecundo menſe. Prius igitur tollunt aras, quæ Hieroſolymis erant, & כל המקטרות / *πάντα, ἐν οἷς ἐθυμίων τοῖς ψεύδεσι: Univerſa in quibus idolis adolebatur incenſum:* quæ abiiciunt in torrentem Cedronis. Agni igitur Paſchales mactati decimo quarto die ſecundi menſis. Sacerdotes & Levitæ reliqui pudore ducti ſedulo ſe ſanctificaverant & holocauſta pro ſe intulerant in ædem Domini. Conſiſtebant igitur in ſtationibus ſuis, ſecundum modum, quem tradiderat Moſes. Sacerdotes ſpargebant ſanguinem ſumptum è manibus Levitarum. Nam multitudo erat in eccleſia, quæ ſe non ſanctificaverant. Ideo Levitæ mactationi præerant agnorum paſchalium, pro iis, qui mundi non erant, ut eos Domino ſanctificarent. Raſi: *Et ne mireris cur non mactaverint* (בעלים) *patres familias ipſi: quoniam proxime ſcriptum quod multitudo in catu qui non ſe ſanctificaverant. Et Levitæ fuerunt ſuper &c.* Nam multitudo populi, multi ex Efraim, Manaſſe, Iſſachar, Zabulon, non purificaverant ſe: qui tamen ederunt Paſcha, ſed non è præſcripto. Diſputat Raſi potuiſſe Judæos, qui prope erant, ſe ſanctificare: ſed procul diſſitos in decem tribubus, cum veniendum eſſet ex regia invitatione, & ad diem in literis præfinitum, non habuiſſe ſpatium purificationis. Hos igitur excuſationis majorem habuiſſe materiam. Sanguinem igitur ipſorum agnorum paſchalium Levitæ deferebant ad ſacerdotes, ut inſpergerent aræ. Sic v. 16. ultima verba interpretatur Lyranus: quod non quadrat. Tantum ſimpliciter quod munus fuerit & opus Levitæ & ſacerdotis, videtur memorare. Grotius duplicem laxationem legis hic fuiſſe dicit: Primam; quod Levitæ mactaverint agnos paſchales, quod ſacerdotum officium fuerit poſt primum Paſcha. Regio juſſu illam legem laxatam eſſe. Alteram, quod immundi ederint. In prima errat, contra communem ſententiam, nec poteſt probare è Joſepho ſuam opinionem. Expreſſa lex eſt, quæ dat mactationem dominis: & hic Levitæ dominorum nomine, non ſacerdotum ſuccidanei id faciebant, כי autem in principio v. 17. hanc reſpuit interpretationem. Sed de eo aliàs. Ezecias rex precatur pro iis, qui cor ſuum diſpoſuerant ad quærendum Dominum, quamvis id non perfeciſſent ſecundum puritatem ſanctuarii. כטהרת הקדש *κατὰ τὴν ἁγνείαν τῶν ἁγίων.* Hic notent Judæi eſſe puritatem ſanctuarii & aliam moralem. Illa ſanctuarii nulla eſt, ubi ſanctuarium non exſtat. Scribit textus: Dominum audiviſſe Ezeciam regem & ſanaviſſe populum. Sanaviſſe illud quidam exponunt, quod non percuſſerit, id eſt peperciſſe: ſeu condonaſſe iniquitatem. Sic apud Hieronymum Judæi, ex eo apparere dicunt, Deum peperciſſe, quod guſtantes è veſtigio non ſint mortui. Alii plagam incubuiſſe, quam ad preces regis Deus ſanaverit. Hoc modo Iſraelitæ ſeptiduo feſtum azymorum agitarunt Hieroſolymis, magno cum gaudio. Levitæ autem & ſacerdotes quotidie laudabant Dominum cum inſtrumentis roboris Domini. עז / *robur*, notat laudem & encomium: ut in Pſ. 8. 3. & 29. 1. Rex loquebatur ad animum omnium Levitarum, peritorum in bona ſcientia Domini. Sic ederunt feſti ſacra ſeptiduo, immolantes victimas pacificorum & laudantes Dominum Deum patrem ſuorum.

Viſum

Visum fuit ecclesiæ addere septiduum, quod & actum est festa lætitia. Nam Ezecias ecclesiæ dabat mille juvencos & septem millia pecudum minorum: principes mille juvencos & decem millia pecudum minorum. Sacerdotes magno se numero sanctificaverant. Eo modo læte egerunt tota ecclesia Judæ cum sacerdotibus, Levitis & tota ecclesia eorum, qui venerant ex Israel: item inquilinis, qui è terra Israël habitatum in Judæam concesserant. Tam festum gaudium à diebus Salomonis Hierosolymis non fuerat. Sacerdotes è tribu Levi, in fine populo benedicunt, voce audibili: eorumque precatio venit in habitaculum sanctum in cælum.

His rebus perfectis Israëlitæ omnes egressi Hierosolymis in urbes Judææ, evertunt statuas, succidunt lucos, destruunt excelsa & aras, in tribu Juda & Benjamin: inde in Manasse & Efraim. Omnia evertunt: cumque id effectum dedissent, ad sua quisque revertuntur. Mirum, quod in terris decem tribuum idolorum instrumenta everterint, quæ erant sub alio rege. Grotius putat id factum in locis decem tribuum, quæ Judææ regi parebant. Sed cum Achaz ita fuerit coarctatus, ut ipsam Judæam tueri non potuerit, miror quæ loca de decem tribubus sub ipsius imperio fuerint. Nunc Ezeciæ initium erat, nec quicquam bello egerat. Hoc tempus fere ἀναρχίας erat, Hosea in arctum redacto, & plerisque locis Israël regi Assyrio parentibus. Denique divinus ille impetus fuit, qui non subjicitur imperio hominum.

Ezecias cultum ordinat, ἐφημερίας sacerdotum & Levitarum constituendo. Quamque ad opus suum: sacerdotes ad holocautomata & pacifica: Levitas ad ministerium, ad laudandum & confitendum in portis castrorum Domini. Et portionem regiam ex ipsius facultatibus ad holocautomata ἐνδελεχισμοῦ, Sabbatorum, neomeniarum & festorum: ut est in lege Mosis. Præcipit etiam populo nempe commorantibus Jerusalem, dare portionem sacerdotum & Levitarum, ut assidui esse possent in lege Domini. Hoc verbo promanante, attulerunt filii Israël primitias (Kimchi בכורים או תרומה גדולה) frumenti, musti, olei, mellis & omnis proventus agri. Etiam attulerunt decimas omnium, cumulatè. Filii Israël & Judæ, qui in oppidis Judææ incolebant, afferebant etiam decimas boum, minorum pecudum; & decimas sanctitatum, quæ sanctificatæ erant Domino Deo ipsorum: multosque aggerabant cumulos. Primitias decem tribuum Israëlitæ afferebant, cæteri etiam decimas. Mense tertio (primi anni) cæperunt cumulos facere: mense septimo compleverant. Cum Ezecias & principes eos contuerentur cumulos, Deo & populo ejus bona loquebantur. Rex autem admiratus inquirit è Levitis & sacerdotibus unde & quando? Azarias caput sacerdotum è domo Sadoc respondet; Ab eo tempore, à quo cæptum esset thrumas afferri ad ædem Domini, fuisse esui & potui & abundavisse. Dominum enim benedixisse populo, ut tantum abundaverit. Condendæ multitudini & copiæ horrea jussit præparari rex ad ædem Domini. Mira illa fuerat benedictio. Ita sumptus impensi in cultum Dei & pauperes opes augent. Iis illata thruma, decimæ, consecrata, summa fide. Præficitur Chonanjas Levita, qui summus esset, & secundus Semei frater ejus. His suberant Jahiel, Azarias, Nahath, Asahel, Jerimoth, Jozabad, Eliel, Jesmachias, Mahath, Banæas, inspectores. Sic præceperant rex & Azarias, præses domus Dei. Jam Core filius Jemna Levites, janitor ad orientem, præerat spontaneis oblationibus Dei: ut daret Thrumam Domini & sanctitates sanctitatum. Et ad manum ejus Eden, Meniamin, Jesua, Samæas, Amarias in urbibus sacerdotum, cum fide, ut fratribus suis darent in ἐφημερίαις, magno & parvo. Alimentorum distributio facta

 est

est in sacerdotes, v. 15. 16. sacerdotum liberos mares, v. 16. Levitas v. 17. Levitarum uxores & liberos utriusque sexus v. 18. Loca, in quibus distributio facta est, præter Hierosolymam suburbia sacerdotum v. 19. Sic Ezecias cultum Dei instauravit & stabilivit. Josephus ista generalius & confusius exsecutus est.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

CAP. LXXV.

PAri deinde industria, qua Divina curaverat, rem bellicam administravit, Allophylosque frequentibus præliis contudit: donec ei Senacherib rex Assyriorum bellum intulit, magno cum exercitu fines ejus ingressus, lateque agris vastatis, nullo obsistente, urbis obsidionem urgebat. Ezechias enim multitudine inferior; non ausus manum conserere muris se tuebatur. Rex Assyrius portis assultans, minitari excidium, deditionem imperare, Ezechiam frustra Deo confidere, se Dei nutu potius arma suppressisse: victorem omnium gentium, eversorem Samariæ, effugi non posse, ni matura deditione sibimet consuluissent. In hoc rerum statu Ezechias Deo fretus, Esajam prophetam consulit: ejusque responso edocetur, nihil ex hoste periculi fore, divinum autem auxilium non defuturum. Nec multo post Tirchac rex Æthiopum regnum Assyriorum invadit. Quo nuncio Sennacherib ad sua tuenda conversus, fremens & clamitans, victori sibi victoriam eripi, bellum omisit: missis ad Ezechiam literis, cum verborum contumeliis denuncians, se paulo post rebus domi compositis, ad excidium Iudææ mature rediturum. Sed nihil his Ezechias motus, orasse Dominum traditur ne hanc tantam hominis insolentiam inultam sineret. Ita eadem nocte Angelus castra Assyriorum aggressus, multa hominum millia letho dodit: Rex trepidus in oppidum Niniven confugit, ibique à filiis interfectus, dignum se exitium tulit. Per idem tempus Ezechias æger corpore, morbo incubuerat. Cumque Esaias ei verbum Domini annunciasset, vitæ ejus finem adesse, flesse rex traditur: ita XV. annos prorogari sibi ad vitam meruit. Quibus peractis nono & vigesimo imperii anno decessit: regnum Manasse filio reliquit.

Drusius.

Verbis Obsidionem Urgebat] Jerosolymorum urbem significat, ideoque scripsi hoc nomen litera majuscula.

Rex Assyrius Portis Assultans] hoc fecit per duces suos, in queis erat Rabsaces, quos Jerosolymam cum valido exercitu miserat, dum Lachis obsideret. Historia refertur 4. Reg. 18. 17.

Arma Suppressisse] sumpsisse pro suppressisse legendum censet Sigonius: id quod sententia mirabiliter confirmat.

Esajam] antiquum est pro Jesajam. Sic Ezeciel dicebant pro Jezeciel, prima nominis prorsus abjecta.

Tirchac Rex Æthiopum] Tharaca est in editione Latina, & in Græca θαρακὰ Jes. 37. 9. & 4. Reg. 19. 9. Sed in Ebræo Tharhaca, quod nunc legunt Thirhaca. Josephus autor regem eum, quem Tharsicem nominat, suppetias tulisse Ægyptiis contra Sennacheribum, qui tunc Pelusium obsidebat. Sennacheribum autem, cum ab Ægyptiaco bello soluta obsidione reverteretur, in itinere comperisse exercitum suum, quem in Judæa sub Rabsacis imperio reliquerat, pestilentia immissa deletum prima nocte posteaquam urbem oppugnare occœperat. Hæc Josephus lib. 12. cap. 2. Vide Sigonium.

Æthiopum] non eorum qui supra Ægyptum, ubi nunc regnum Abyssinum, sed eorum qui in Arabia degebant, quam Chusæam appellant: unde & Zara erat rex Æthiopum, de quo alias.

Regnum Assyriorum Invadit] non invasit regnum Assyriorum, sed egressus erat ad pugnandum contra Sennacherib, qui tum Lobnam obsidebat, vel certè contrà ipsius ducem Rabsacem, qui validis copiis Jerosolymam premebat, ejusque cives ad deditionem sollicitabat.

Se Paullo Post Rebus Domi Compositis] hæc aliter textus. Nam hæ litteræ missæ ante cladem Jerosolymitanam, quam subsecuta est abitio, vel potius fuga Sennacheribi.

Multa Hominum Millia Letho Dedit] centum octoginta quinque millia 4. Reg. 19. 36. & Jes. 37. 36.

A Filiis] Adramelech & Sarasar. Interfectus autem est in templo Dei sui Nesroch, post quem regnavit filius Asarhaddon. 4. Reg. 19. 37.

Dignum Se Exitium Tulit] suspicari aliquis posset Sulpicium initio scripsisse, *dignum se exitum tulit*; sed nihil mutemus.

Morbo Incubuerat] morbus iste lethalis erat, quod significat ἡ γραφὴ, cum ait, *in diebus illis ægrotavit* Ezecias rex usque ad mortem. 4. Reg. 20. 1.

Verbum Domini Annuntiasset] vide num scripserit, *verbo Domini annuntiasset*.

Schotanus.

De Ezecia rege bellis prospero 2. Reg. 18. 19. 20.
2. Chronic. 32. Esai. 36. 37. 38. 39.

Ezecias in Deum pius ita fuit, ut dicatur non habuisse parem antecedentium & succedentium regum in solio Judææ. 2. Reg. 18. 5. De Josia dicitur, quod ei similis non sit ortus. Hic, ut bene observavit Theodoretus

Non comparat inter se eos, neque alterum alteri anteponit: sed utrumque cum aliis regibus componit Scriptura. Neuter à reprehensione liber fuit. Pietas illius sustulit æneum serpentem, quia illi populus incensum dabat sub nomine Nebustan. Ambiguum tamen est Ezeciasne an populus colentium ei id nomen fecerint. De populo malim. Arma felicissimè tractavit. Palæstinos magna affecit clade, usque Gazam cædens, à specula ad urbem munitam. Quocunque se verteret, prosperos successus habuit. Annua tributa & obsequium negavit regi Assyrio. Theglath-Phalasar, Salmanassar, Sargon, Senacherib per successionem tenuerunt solium Assyriæ. Theglath Phalasar Achaz patrem Ezeciæ stipendiarium habuit: & puto Ezeciam in fide perstitisse, sub Salmanassare, qui Israëlitas subigens non attigit Judæos. Sargonem inter Salmanassarem & Senacherib interpono ex Esai. 20. Nam idem ille Thartan, qui sub Sargone dux militiæ fuit, etiam servit Senacheribo 2. Reg. 18. 17. Hic Sargon Ægypti & Æthiopum victor fuisse videtur è dicto 20. cap. Esaiæ. Azotum cepit Thartan, ut illic exprimitur. Cum in vicinia esset Sargonis exercitus, non est verosimile ab eo defecisse Ezekiam. Sargon brevi tempore tenuit imperium. A successore defecit Ezecias. Senacherib igitur coactis copiis in Judæam se intulit: cui cum imparem se Ezecias esse sciret intra munitiones, non ausus congredi, vires suas contraxit. Urbibus quibusdam expugnatis ad Lachis sedentem Assyrium, veniam defectionis rogat & consequitur: mercatus pacem trecentis talentis argenti & triginta talentis auri. Ut eam summam conficeret, corrasit omne argentum, quod in domo Dei & regia erat. Aurum etiam detraxit valvis & postibus templi, quod ipse obduxerat: ut regi Assyrio solveret. *Ex hoc habetur argumentum quod principes in necessitate, possunt accipere de thesauris ecclesiæ pro conservatione Reip.* Hæc Lyranus. Honestam causam habuerat Assyrius & prosperos successus: sed quia elatus & ardens ultionis præter fidem pacti bellum urget, bonitas causæ & Deus ad Ezeciam transierunt. Grotius lib. 2. de jure belli ac pacis: *Sed quia in alium peccavit, debet primum ei, quem læsit, offerre satisfactionem viri boni arbitratu: ac tum demum pia erunt ejus arma. Sic Ezecias cum fœderi non stetisset, quod cum rege Assyrio majores ejus pepigerant, bello petitus fatetur culpam & regi permittit arbitrium mulctæ. Idque cum fecisset & postea eorum bello lacesseretur, fretus bona conscientia vim hostium sustinuit & Deum habuit faventem.* Cum Ezecias intelligeret regem Assyriæ meditari Hierosolymorum obsidionem (2. Chron. 32. 3.) habito consilio cum principibus & heroibus, obstruunt fontes & torrentem media regione labentem, ut siti urgeretur. Ædificat Mello, reparat murum & alterum foris addit. Armorum copiam parat, duces facit & ordinat militiam. Coactoque populo in vico portæ urbis, animos addit verbis: Nolite timere, estote fortes: A nostris partibus plures quam illius: ille carnali brachio, nos Deo nitimur. Populus animos & fiduciam sumpsit. Accepta ista auri argentique summa, Thartanem Rabsaren & Rabsace cum magno exercitu misit Hierosolymam. Substiterunt (Jos. *πρὸ τῶν τειχῶν*) juxta aquæ ductum piscinæ superioris, quæ erat apud altam viam agri fullonis. Ad eundem locum adierat regem Achaz vates Esaias, Esai. VII. 3. Hic castris positis poscunt ut Ezecias ad se prodiret in colloquium. Rex non prodiit, sed misit tres ex intimis, Eliacim filium Helciæ, præpositum domus (Ios. *τὸν τῆς βασιλείας ἐπίτροπον*) & Sobnam scribam (Ios. *Σουβαναῖον*) & Joahum filium Asaph, à commentariis, (cancellarium) Ad eos Rabsace: Ita dicit rex magnus, rex Assyriæ. Quæ vos fiducia cepit? Jerosolymis intrà mœnia sedetis? Quid ab Ezecia ducimini, perituri fame & siti? Nulla facultas ad bellum superest. Nitimini Pharaone, scipione

pione arundinaceo: nitentis manum perfodit. Forte Domino confiditis? At illius excelsa & aras Ezecias diruit: qui voluit ad unam aram cultum fieri. Certate cum domino meo, si bis mille equos præstiterim, equites non subministrabitis. Non possetis sustinere minimum ducum domini mei. Sed confiditis Ægyptio, ob equites & currus. Quid Nunquid ego sine Domino expeditionem suscepi? Dominus id mihi præcepit: Istam terram profectus perdito. Tres Judaici legati petunt ut Syro sermone loqueretur, cum ipsis, non Judaico: quia intelligerent istum sermonem. Nolebant à populo intelligi, qui erat in mœnibus. Rabsacen Judaice loqui potuisse patet: & ad illius verba blasphemantia, quæ deinde locutus est, legati vestimenta lacerant. Ex his duobus magistri putant effici Judæum fuisse: quia ad blasphemiam hominis gentilis non solebant vestes lacerari. Ego hoc falsum esse arbitror, & neutrum argumentum efficere, ut Judæus apostata fuerit. Rabsace excipit: Se non esse missum ob Ezeciam dominum eorum sed ob viros in mœnibus quos adigerent ut secum stercus suum esitarent & urinam biberent. Alta voce Judaicè fatur: Audite verbum magni regis, regis Assyriæ. Ita dicit: Ne decipiat vos Ezecias: nam non poterit vos expedire. Suadet vobis fidere Domino tanquam liberaturo urbem ab Assyriis. Sic dicit rex Assyriæ: mecum agite, pacto munere, & exite ad me, ut quisque de vite & ficu sua edat & aquam putei sui bibat. Donec vos transferam in terram vestræ similem, terram frumenti, musti, panis, vinearum, olearum, olei, & mellis. Ne date aures Ezeciæ dicenti, Dominus nos eripiet. Non potuisse deos aliarum gentium populos suos liberare ab armis Assyriorum: Hamath, Arphad, Sepharvaim, Hena, Iva: ne quidem Samariam. Ad hæc populus tacuit, è regis mandato. Legati ad regem laceratis vestibus reversi referunt verba Rabsacis. Ad ea rex vestimenta scindit: indutusque sacco intrat templum. Josephus, qui superiora non infeliciter παραφράζει subdit: ὁ δὲ πρὸς ταῦτα, τὴν βασιλικὴν ἀποδὺς ἐσθῆτα, ἀμφιασάμενος δὲ σάκκους καὶ σχῆμα ταπεινὸν ἀναλαβὼν, τῷ πατρίῳ νόμῳ πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον τὸν θεὸν ἱκέτευε καὶ βοηθῆσαι τῷ μηδεμίαν ἄλλην ἐλπίδα ἔχοντι σωτηρίας ἠντιβόλει. Missis Eliacimo & Sobna ac senioribus sacerdotum (τῶν φίλων τινὰς καὶ τῶν ἱερέων) saccis vestitos, ad Esaiam prophetam: Dies est, inquit angustiæ & increpationis & blasphemiæ. Nam filii venerunt usque ad partum & vires non habet parturiens. Forte Dominus Deus tuus audierit omnia verba Rhabsacis, quem dominus suus, rex Assyriæ misit, ut Deum viventem contumelia afficeret & argueret verbis, quæ Dominus Deus tuus audiit. Preces igitur concipe, pro reliquiis, quæ residuæ sunt. Ios. scribit petiisse ab Esaia preces & sacrificium. Paruisse vatem. Oraculum fuit: Nuntiate, inquit Esaias, domino vestro. Ita Dominus: Noli timere ad verba, quæ audiisti: quibus me blasphemarunt servi regis Assyriæ. Immittam in ipsum Spiritum, ut audito rumore redeat in terram: & gladio eum in terra sua sternam. Ios. Esaiæ oraculum fuisse: ἀμαχητὶ τοὺς πολεμίους ἡττηθέντας ἀναχωρήσειν αἰσχρῶς, καὶ οὐχὶ μεθ' ἧς νῦν εἰσι θρασύτητος. Τὸν γὰρ θεὸν προνοεῖν, ὅπως διαφθαρῶσι· καὶ αὐτὸν γὰρ τὸν βασιλέα τὸν τῶν Ἀσσυρίων ἀποχωρήσειν διαμαρτόντα τῆς ἐπὶ τὴν Αἴγυπτον πραγμάτων καὶ παρερχόμενον &c. Rabsace reversus est ad Senacheribum oppugnantem Lobnam: quo concesserat relicta Lachis. Cum Senacheribus audiret Tharacam regem Æthiopum, adventare, secundo misit literas ad Ezeciam, eodem modo in Deum blasphemas. Has Ezecias lectas explicuit in templo coram Domino, cum precibus quibus magnitudinem Dei extollit supra idola gentium precaturque ut salutem dando gloriam suam asserat. Josephus hic discedit à tramite: Ezeciam contempsisse literas ob fiduciam in Deum easque complicatas in æde deposuisse. Τὰς δὲ ἐπιστολὰς πτύξας εἰς τὸν

ναὸν

ναὸν οἴκου κατέβη. Lxx.: Ἀνέπτυξεν αὐτὰ Ἐζεκίας ἐναντίον κυρίου. Etiam est aberratio in argumento epistolarum: Insanum appellabat, qui putaret se posse servitutem evadere, ab eo, qui multas gentes magnasque subegisset. Minabatur seipsum funditus deleturum, nisi apertis portis se cum copiis reciperet. Esaias mittit ad regem verbum Domini: Exaudii, quæ precatus es adversus regem Assyriorum. Inde verbum Domini recitat de interitu Assyriorum. Contemni eum à filia Sionis & rideri. Blasphemasse sanctum Israëlis. Jactasse magnifica per legatos suos: quasi suis curribus alta montium conscendisset & Libanum arboribus denudasset: quasi soleis alveos fluminum exsiccasset. Ab antiquo autem Deum maximas urbium solo stravisse: ita ejus inspiratu animos fumi & concidere. Non neglecturum minas & fastum ejus: sed naribus injecto hamo & ori freno retracturum per viam, qua venisset. Signum addit: eo anno edant, quod sponte sua provenisset; sequenti, quod inde exoriatur. Tertio sationem fore. Ex his verbis docet Scaliger annum fuisse Sabbaticum, qui successit, id est decimum quintum Ezeciæ: quia jam pulso hoste esuri essent anno sequente, quod è sponte natis progerminaret. Inde feliciora tempora successura, quibus feliciter reliquiæ Judæorum & Sionis coalescerent. Autor Seder olam vult anno undecimo Iobel Assyrium venisse: quo impedierit sementem nempe anno quarto septimanæ. Ideo cæpisse sationem anno sexto, cum instaret Sabbaticus: quasi sequenti anno post mortem Assyrii metus nondum cessaret. De rege Deum dicere: Non venturum in eam urbem, nec sagittam ullam immissurum. Non venturum cum clypeo adversus eam urbem, nec vallum aggeraturum. Via, qua advenerat, rediturum, non introiturum istam urbem: quam Dominus tueri velit, sui & Davidis causa. Eadem illa nocte angelus Domini in exercitu Assyrio percussit centum & octoginta quinque millia hominum. Percussit subita morte, tanquam *fulmine* ictos, ut sine voce ulla conciderent. Nam nescii erant cladis viventes, donec cadavera viderent. Cum sequenti mane (sive Judæi sive Assyri residui, quod malim) pedem efferrent tentoriis vident tota passim castra cadaveribus consita esse. Rex igitur perculsus tanta clade, domum se recipit. Putat Piscator in castris ad Lebnam ubi ipse rex præsens erat eam stragem factam esse. Josephus rem aliter narrat: Assyrium regem trivisse longum tempus in oppugnatione Pelusii: cumque aggeres educti essent in altitudinem oppugnationi idoneam, rumor affertur de adventu Tharacæ (malè legitur θαρσικὴν pro θαρακὴν) cum ingentibus copiis, per solitudinem ducentis in regnum Assyriorum (εἰς τὴν τῶν Ἀσσυρίων) turbatum relicta obsidione pedem retulisse. Revertentem ab Ægyptiaco bello invenisse copias sub Rabsace ad Jerusalem divinitus immissa peste, prima nocte obsidionis percussas, stratis centum octoginta quinque millibus militum cum ducibus & ordinum ductoribus. Hac clade territum & de toto exercitu solicitum, cum reliquis copiis domum abisse. In oppugnatione Pelusii non erat, cum rumor de regis Æthiopum adventu eum quateret, cumque divinitus ejus exercitus ad Hierosolyma sterneretur: sed in oppugnatione Lobnæ, quæ est in Judæa. Forte pars copiarum Pelusium oppugnabat, exercitu trifariam diviso. Ipse Lobnæ (sive Lebnæ) erat, quæ in medio inter Hierusalem & Pelusium. Simul igitur Ægyptum & Judæam impugnabat. Josephus hic Herodotum laudat. In editione Græca verba quædam exciderunt. Nam ita loquitur: Ταραχθεὶς οὖν ὑπὸ τούτου ὁ βασιλεὺς Σεναχήριβος *** (supplet Scaliger) λύει τὴν πολιορκίαν. Ἡρόδοτος δὲ γράφει Σεναχήριβον) ἐπὶ τὸν ἱερέα τοῦ Ἡφαίστου στρατεῦσαι ἔλεγεν (Scal. λέγων) ὡς οὗτος ὁ βασιλεὺς ἐπὶ τὸν τῶν Αἰγυπτίων βασιλέα ἐλθὼν ἱερέα ὄντα τοῦ Ἡφαίστου &c. In Rufini versione

idem

idem hiatus est: ut antiquum esse liqueat. Gelenius supplevit & sanare conatus est: *Territus igitur hoc rumore Senacheribus propere inde cum suis abiit.* Herodotus autem hunc contrà Vulcani sacerdotem bellum gessisse dicit; nimirum quod idem & rex esset & sacerdos. Incusat Herodotum, quod Senacheribum non Assyriorum sed Arabum regem appellet: atqui exprimit Arabum & Assyriorum fuisse. Subegerant enim Assyrii Moabitas, Ammonitas, Idumæos, Palæstinos, quos Arabiæ Herodotus deputat. Sargon Senacheribi successor, quem Salianus cum Senacheribo confundit & hanc historiam turbat, Azotum subegerat, & aperuerat aditum in Ægyptum. Ægyptios etiam Æthiopasque gravi clade affecerat. Pelusium oppugnavit Senacheribus. Berosus quoque Senacheribi in Chaldaicis meminerat, *καὶ ὅτι πάσῃ ἐπεστράτευσε τῇ Ἀσίᾳ καὶ τῇ Αἰγύπτῳ.* Viderunt alii in Iosepho etiam verba illa *λέγων οὕτως* abundare. Sequentia enim non sunt Berosi sed ipsius Iosephi. Existimat cum suis magistris Kimchi, audito rumore de Tharaca, Senacheribum ivisse adversus Ægyptios Æthiopasque: iis profligatis secum traxisse captivos adusque Hierosolymam, ea proxima nocte pestem in castris sæviisse. Ratio ita sentiendi, quod cladem Ægyptiorum & Æthiopum cap. 20. Esaiæ referant ad Senacheribum. Judæos spoliasse castra Assyriorum. Captivos autem Iudaismum suscepisse. Huc applicat multa scripturæ loca Esai 43. 3. & 45. 14. & 19. 18. Scriptura refert cæsos ab angelo in exercitu Assyrio כל גבור חיל ונגיד ושר. Vulg. *Virum robustum & bellatorem & principem* Græci: *πάντα δυνατὸν καὶ πολεμιστὴν καὶ στρατηγὸν καὶ ἄρχοντα.* Significat, bellicosissimum quenque & duces interiisse. Hanc cladem Deus Assyriis intulit ad preces Ezeciæ & Esaiæ. Hanc cladem & expeditionem Esaias prædixerat cap. X. E quo malè elicitur expeditio in Ægyptum v. 24. & 26. Nam non via in Ægyptum sed modus agendi Ægyptiacus notatur. Senacheribus autem contemptus & inglorius vitam finiit, cæsus à filiis Adramelech & Sareser, cum adoraret in æde idoli Nasrochi, Esar-haddon, Græcis Sardanapalus, imperium obtinuit. Ezeciæ divinitus liberati clarum nomen fuit universis Asiæ gentibus, quæ hinc animos extulerunt excutiendi jugum Assyriorum. Ezecias prosperabatur, quo se cunque verteret: munera oblata Domino & regi, pretiosissima rerum, in memoriam istius victoriæ & miraculi. At rex paulo post in gravissimum morbum incidit (causam fuisse volunt Judæi & veteres quod minus gratus in Deum fuerit. Nempe non legitur, quod Deo publicas gratias egerit. Unde tamen ingratitudo concludi non potest): Missus est Esaias vates, ut dispositis rebus suis morti se pararet. Morbum enim lethalem esse. Rex facie obversa ad parietem Dominum rogat cum multis lachrymis. Josephus putat id potissimum doluisse, quod sine liberis esset & successore, & tantum vitæ, ut gigneret, esse precatum. Nondum vates pedem extulerat ex atrio medio (LXX: *ἐν αὐλῇ τῇ μέσῃ*) cum alloquium Domini accipit: Ezeciæ diceret suis verbis, preces se lachrymasque ejus aspexisse, convaliturum & tertio die in ædem Domini ascensurum. Addere enim ævo ejus quindecim annos, defensurum ab Assyriis, sui causa & Davidis, ipsum & urbem. Indicatur potentiam Assyriorum adhuc metuendam esse. Kimchi existimat morbum regis fuisse ante casum Senacheribi: & ex argumento hujus loci. Jussit etiam vates massam ficuum imponi vulneri. Ita rex convaluit. Grotius turbat de oratione Ezeciæ, in qua dicit se ambulasse coram Deo, in veritate & in corde perfecto. *Prædicabant illi*, inquit, *generosa quadam conscientia fiducia Deo opera sua, ut Nehemias XIII. 14. In Novo fœdere non æque id videmus fieri, quia & vis gratiæ multo major est & profectus indies major requiritur, ut de Christiano dici possit.*

Nilque putans actum: dum quid ſupereſſet agendum.

NEſcit quid dicat, nec intelligit diſcrimen utriuſque Teſtamenti. Iterum de Lachrymis Ezeciæ: *Minus clarè revelata ſpe vitæ æternæ mors etiam magis timebatur.* De ficubus bene: *Non quod in ficubus vis eſſet medendi morbo deplorato ſed ſignum divinæ efficaciæ.* Simile vide Joh. IX. 6. Valleſius de ſacra Philoſophia cap. 39. diſputat in ficubus fuiſſe aliquid facultatis, ſed miraculo potiſſimum adſcribendam ſanationem. *Nam etſi eſt indicatum, ficus vim medicamentoſam habere ad illius morbi curationem accommodatam; tantam verò non habent, ut qui ægrotabat uſque ad mortem, die tertio poſſet ſanus in templum aſcendere, ut Ezeciæ evenit, niſi Deus peculiari auxilio & ſolito majori medicaminis vim auxiſſet.* Judæi dicunt ficum exulcerare cutem integram, ideò fuiſſe נס בתוך נס; miraculum in miraculo ut ſolet Deus. Ioſephus ſcribit Deum delectatum, quod non tam ob regni voluptates, quam ſucceſſorem, mortem deprecaretur. Nihil tale in textu, rem tamen veriſimilem reddit Dei promiſſio facta Davidi, de poſteris in ſolio ſeſſuris. Cumque id Deus deſtinaſſet futurum, oratio medium fuit rei decretæ. Cum Deus promitteret regi eum convaliturum, petiit roborandæ fidei ſuæ ſignum. Hoc factum ante applicationem ficuum. Non petiit ex diffidentia ſed agnitione ſuæ imbecillitatis, quam cupiebat confirmari. Ralbag ut ſciret ſub conditione non promitti ſanitatem & annos. Kimchi ut ſciret non dici conſolationis cauſa ſed ex Dei verbo. Sic & Ioſephus λέγοντι ταῦτα ἥκοντι παρὰ τοῦ θεοῦ. Dedit optionem utrum vellet eligendi: In ſolario Achaz ſolem decem gradibus uno momento progredi, an retrocedere. Ezecias accelerationem deſcenſus non tam admirabilem putavit eſſe quam regreſſum. Sol igitur decem lineis retroceſſit in ſolario. Joſ. τὸν ἥλιον ἠξίωσεν, ἐπειδὴ σκιὰν ἐπὶ δέκα βαθμοὺς ἀποκλίνας ἤδη πεποίηκεν ἐν τῇ οἰκίᾳ, ἐπὶ τὸν αὐτὸν ἀναστρέψαι τόπον ποιήσας αὐτὴν πάλιν παρασχεῖν. Ralbag hæret: Si umbræ retroceſſio à motu Solis, quomodo non hoc fuerit majus miraculum, quam Moſes fecerit. Fuit enim in ſuperioribus, cum Moſes in inferioribus miracula patraverit. Non poſſe dici, quod non fuerit in motu ipſo Solis, quia Babylonii regis legati inquiſiverunt de miraculo, quod evenerat ſuper terra 2. Chronic. 32. 31. Vult ipſe miraculum in umbra non in ſole eveniſſe. Nam nubes umbram induxiſſe lineis mutatione mirifica. At Raſi miraculo hoc diem in matutinum tempus rediiſſe. Grotius: *Erat Gnomon conſtans ut ait Eliahu Chomer, ex ſemicirculo: in cujus cavo erat globus, in quem cadens umbra reſpondebat cæſuris factis in ſemicirculo ad numerum, ut ajunt XXVIII. Eæ cæſuræ hic vocantur* מעלות, *id eſt, gradus. Per horum decem retroacta eſt umbra. Eam umbram ſolem vocat Eſaias 38. 8. quia à ſole fieri ſolebat. Nihil opus erat univerſi curſum immutari, tantum ſigni cauſa. Simili figura feneſtræ ſolis nomine appellantur Ierem. XV. 9.* Junius & Piſcator putant in ipſo Solis motu miraculum fuiſſe, ut plerique. Veterum ſane iſta ſententia eſt. Vatablus & Paulus Burgenſis volunt umbram miraculo retrò abiiſſe, Solis curſu nihil mutato. An autem lineæ iſtæ integras an dimidias horas indicaverint, quis deciderit? Ex hoc miraculo dijudicari non poteſt controverſia de motu terræ. Nam umbram in ſolario, ſtante ſole, terræ motus mutatus reducere potuit. Nec eſt hic ſermo de ipſo ſolis corpore, ſed de ejus lumine & umbra. Sanatus rex & proſperatus non ut oportuit gratus Deo fuit: ideò iram Dei accendit in ſe populumque. Cum autem ipſe & populus ſe humiliarent, Dei ira dilata eſt in tempus conſequens. Opes illius admodum auctæ ſunt. Ideo fecit apothecas

cas argenti, auri, gemmarum, aromatum, scutorum, omniumque instrumentorum desiderabilium. Etiam proventuum frumenti, musti, olei: item stabula omnis generis jumentorum & caulas pro gregibus. Civitates etiam fecit & copiosum pecus boum, ovium ac caprarum. Obturavit scaturiginem aquæ Gehonis superiorem, quam recta deduxit infernè ad occidentem civitatis David. Arcanis viis aquas duxit ut & hostibus eas interciperet & urbi aquæ non deessent. Huc pertinet illud Taciti: *Fons perennis aquæ, cavati sub terra montes & piscinæ cisternæque servandis imbribus. Præviderant conditores ex diversitate morum crebra bella: inde cuncta quamvis adversus longum obsidium.* Ezecias etiam insignem hymnum Deo composuit, qui habetur Esai. 38. à v. 10. usque ad 20. Cum autem legati Merodach Baladan regis Babyloniorum cum muneribus gratulatum de recepta sanitate & quæsitum de miraculo venissent, relictus sibi à Domino, gavisus est cum quodam animi tumore. Miraculum illud Grotius interpretatur de strage Assyriorum. Ostendit illis omnes opes & facultates suas; quicquid in aperto aut reconditum haberet in ædibus suis & tota ditione. Venit ad eum Esaias vates missu Domini: Quid illi viri dixerunt, unde advenerunt? E dissita regione, advenire respondet Ezecias, Babylone. Quid illi apud te viderunt? Quicquid, rex inquit, in ædibus meis est: omnia ipsis ostendi. At Esaias, verbum Domini audi: Veniet tempus, quo thesauri tui & quod patres tui recondiderunt usque in hunc diem deportabitur Babylona: nec relinquetur quicquam. Filii etiam tui, qui ex te prodierint, aulici erunt in palatio regis Chaldæi. Humiliter id verbumq; Domini accepit rex gratulatus sibi, quod stabilis pax ævo suo promitteretur.

Cum occubuisset Ezecias, sepultus est in superiori parte sepulchrorum posterorum Davidis. Universus Juda & omnes incolæ Hierosolymorum ejus funus honore affecerunt. Merodach Baladan apud Ptolemæum appellatur Mardoc empad. Hic regnare cœpit Ezeciæ anno 9. Nabonassari 27. Sub eo Babylonii defecerunt ab Assyriis. Hujus Baladæ meminisse etiam Berosum Josephus testatur. De Ezecia mirum est (ideò non prætereundum silentio) eum natum esse patris Achaz anno 12. Nam Achaz decessit natus annos 36. Filius succedit annorum 25. Non debet ejus rei miræ evitandæ causa excogitari adoptio aut interregnum & Chronologiæ hiatus.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

Cap. LXXVI.

IS à patre multum degenerans, relicto Domino, culturas impias exercuit: ob quod in potestatem Assyriorum traditus, malo coactus agnovit errorem: populumque adhortatus est, uti relictis idolis Dominum colerent. Nihil sanè dignum memoria gessit, regnavit autem annos V. & L. Amon deinde filius ejus regnum adeptus est: paternæ impietatis hæres, Domini negligens, suorum insidiis circumventus periit. Ad Iosiam filium imperium devolutum est. Is admodum religiosus fuisse traditur, summaque cura divina administrasse, Helchia sacerdote usus bene. Is cum in templo librum verbi Dei scriptum, repertum à sacerdote, legisset, quo continebatur, Hebræam gentem ob crebras impietates & sacrilegia delendam, piis ad Deum precibus fletuque jugi imminentem cladem avertit. Quod ubi indultum sibi per Ollam prophetissam comperit, majore cura, utpote obligatus divinis beneficiis, cultum Dei exercuit. Igitur vasa omnia, anteriorum regum superstitionibus consecrata, cremavit. Namque eo prophani ritus invaluerant, ut soli ac lunæ divinos honores darent, eisdemque etiam ex metallis sacraria ædificarent. Quibus Iosias in pulverem redactis, sacerdotes quoque prophanarum ædium interfecit. Sed ne sepulchris quidem impiorum pepercit: quod olim prædictum à propheta, impletum animadversum est. Hujus octavo & decimo Imperii anno pascha celebratum. Post triennium fere adversus Nechao regem Ægypti, qui bellum Assyriis inferebat, in prælium egressus, priusquam inter se acies concurrerent, sagitta ictus est. Exque eo vulnere in urbem relatus decessit, cum regnasset annos I. & XX.

Drusius.

Culturas Impias Exercuit] Alius hoc diceret, idola coluit. Nam impius omnis cultus, qui tribuitur idolis.

Ob Quod In Potestatem Assyriorum Traditus] qui eum vinctum duxerunt Babylonem, 2. Paral. 33. 22. Vide, si otium.

Hel-

HELCHIA SACERDOTE] Scribo Helcia. Nam in fonte חלקיה. Rursum hic sacerdotis nomen usurpat pro sacerdote summo, quem pontificem appellant.

LIBRUM VERBI DEI] id est, Legis. Nam lex & verbum Dei se invicem explicant. Aliter cap. 75. *Cumque Esaias ei verbum Domini annuntiasset.*

SACRILEGIA] culturas Deorum falsorum, quas modo superius culturas impias dixit: nos idololatrias vocamus.

PER OLDAM PROPHETISSAM] Emenda, *per Oldam prophetissam*, quam LXX. τὴν προφῆτιν. Hieron. Prophetidem appellat. Scribi autem debet Holda, cum aspiratione, Græcè ὀλδά. 4. Reg. 22. 14.

UT SOLI AC LUNÆ DIVINOS HONORES DARENT] τῷ ἡλίῳ καὶ τῇ σελήνῃ καὶ τοῖς μαζουρὼθ καὶ πάσῃ δυνάμει τοῦ οὐρανοῦ. In Latina vetere, *& soli & lunæ & duodecim signis & omni militiæ cæli*, 4. Reg. 23. 5.

QUIBUS IN PULVEREM REDACTIS] Quomodo in pulverem redacta si ex metallis? & quænam hæc sacraria? An fana & delubra? Sed ea ex metallis non fiunt; An potius altaria excelsave? 4. Reg. 23. 4. legimus, *Et præcepit rex Helciæ pontifici & sacerdotibus secundi ordinis & janitoribus ut projicerent de templo Domini vasa omnia quæ facta fuerant Baali & luco & universæ militiæ cæli: & combussit ea foris Ierusalem in convalle Cedron, & tulit pulverem eorum in Bethel.* Quem locum si non habuit in mente, tum certè respexit ad eum qui habetur in eodem cap. v. 15. *Insuper & altare quod erat in Bethel & excelsum quod fecerat Ieroboam filius Nabat, qui peccare fecit Israël: & altare illud excelsumque destruxit atque combussit & comminuit in pulverem, succenditque etiam lucum.*

NE SEPULCHRIS QUIDEM IMPIORUM PEPERCIT] qui in monte prope Bethel erant 4. Reg. 23. 16.

A PROPHETA] à propheta quodam ex tribu Juda, 3. Reg. 13. 2.

OCTAVO ET DECIMO] 2. Paral. 35. 19.

PASCHA QUOD EBRÆI PHASE VOCANT] Id habetur in edit. vulgata, loco citato. Errant qui Pascha dictum existimant παρὰ τὸ πάσχειν, non minus sanè quam qui nomen Jesus derivant παρὰ τὸ ἰάω ἰήσω sano. Nam utrumque Ebraicum est Jesus dictus à salvando, & Pascha à transiliendo. Phase in forma Chaldaica פסחא / quod antiquitus legebant Phascha, & aspirata in tenuem versa Pascha. Nihil verius. Sic ex Chermel sive Charmel factum Carmelus, id est, κάρμηλος.

POST TRIENNIUM FERE] Nihil mutandum. Nam hallucinatus fuit noster, qui hunc regnasse scribit ann. XXI. cum regnarit ann. XXXI. Ex quo sequitur hæc accidisse tredecim annis post celebratum Phase. Siquidem Pascha celebratum fuit, ut habetur 2. Paral. 35. 19. decimo octavo anno imperii Josiæ. Nihil certius.

ADVERSUS NECHAO] Pharao Nechao, 4. Reg. 23. 29. Hic ab Ebræis Necho vocatur voce Monosyllaba. Siquidem scheva non constituit syllabam apud eos. Græcè est Φαραὼ Νεχαὼ, & 2. Paral. 35. 20. νεχαώ.

PRIUSQUAM INTER SE ACIES CONCURRERENT] Dum aciem instruens ab uno cornu ad alterum vehitur, ictus fuit sagitta cujusdam Ægyptii. Josephus.

CUM REGNASSET ANN. I. ET XX.] modo monui legendum esse I. & XXX. Quod ita esse disces ex 4. Reg. 22. 1.

SCHOTANUS.

HÆc habentur 2. Reg. 21. 22. 23. uſque ad v. 31. 2. Chronic. 33. 34. 35. Manaſſes duodecim annorum puer, patri ſuccedit, matre natus Hephſiba. Annis quinquaginta quinque tenuit imperium. Ad extremam impietatem proſtratus, abominationes ſequebatur gentium quas Dominus pro Iſraelitis expulerat. Reſtituit excelſa quæ pater deſtruxerat: ſuſcitavit aras Baal & lucum, ut fecerat Achab rex Iſraël: coluit adorans omnem exercitum cæli. In illa ipſa æde Domini, de qua dictum erat: In Ieruſalem collocabo nomen meum, aras condidit exercitui cæli, in duobus ædis atriis. Filium ſuum traducebat per ignem. ועונן ונחש Lxx. καὶ ἐκληδονίζετο καὶ οἰωνίζετο: Vulg. *Ariolatus eſt & obſervavit auguria.* Jun. Piſc. *Præſtigiisque & conjectationibus uſus eſt.* ועשה אוב וידענים fecit Ob & Idonim: Græci, ἐποίησε τεμένη καὶ γνώστας ἐπλήθυνε. Theodoretus pro τεμένη legit ἐγγαστριμύθους. Explicat κληδὼν ἡ διὰ λόγων παρατήρησις, quod ſit obſervatio per verba: οἰώνισμα δὲ ἡ διὰ πτηνῶν, obſervatio per aves: γνώστας interpretatur aruſpices, τὺς δὲ ἥπατι μαντευομένους. Prætereà ſculptile luci poſuit in domo ſancta Domini. His generibus ipſe aberravit & ſeduxit populum: quo factum eſt ut Judæi pejus egerint ipſis Amorrhæis. Ideo Deus per prophetas fulminavit: Ob hæc peccata Manaſſis tale malum ſe inducturum in Judam & Jeruſalem, quo audito aures tinniant. Extenſurum ſuper Ieruſalem regulam Samariæ & perpendiculum domus Achab: abſterſurum ſe eam urbem, ut abſtergitur alabaſter & ſubvertitur in os ſuum. Reliquum hæreditatis ſuæ ſe traditurum in manus hoſtium, prædæ & proculcationi. Sanguinem quoque innoxium fudit Manaſſes, quo Ieruſalem replevit. In prophetas etiam cædibus graſſatum eſſe teſtatur Ioſephus. Vulgatus rumor babet Eſaiam ſerra diſſectum eſſe ab hoc rege. Regem igitur & populum contumacem Deus punit. Nam regis Babylonii copiæ incurſabant Judæam, orto diſſidio inter reges, quorum anteceſſores amicitia & pace conjunctiſſimi fuerant. Hi Manaſſem interceptum latentemque in ſpinis (δόλῳ ληφθέντα) Babylona abducunt, vinctum æreis duabus catenis. Cum Babylone vinctus in carcere teneretur, ad Deum ſe convertit & luculentam orationem fudit: quam celebrat Sp. S. hodie tamen non habemus. Sicuti nec exſtant verba videntium, qui ad ipſum miſſi fuere. Chronicorum autor dicit ea haberi inter verba regum Iſrael. Orationem ſcribit haberi, totumque ejus peccatum & prævaricationem ſecundum loca perſcriptam, in verbis videntium ſive Hozai. Converſum Deus reſtituit ſolio. Reverſus omnem idololatriam expurgavit, quam prius inſtituerat. Tantum populus in excelſis ſacrificabat ſed Domino. Reparavit aram Domini, inque ea obtulit euchariſtica & laudes. Ædificavit murum exteriorem civitatis Davidis ad occidentem Gehonis prope torrentem, uſque ad ingreſſum per portam piſcium, quem circumduxit clivo, extollens eum valde. Præpoſuit etiam præfectos omnibus civitatibus munitis in Juda. Joſ. Διοικησάμενος δὲ τὰ περὶ τὴν θρησκείαν ὃν δεῖ τρόπον καὶ τῆς τῶν ἱεροσολύμων ἀσφαλείας προενόησεν. ὥστε παλαιὰ τείχη μετὰ πολλῆς ἐπισκευάσαι σπουδῆς καὶ ἕτερον αὐτοῖς ἐπιβαλεῖν ἀναστῆσαί τε καὶ πύργους ὑψηλοτάτους, τά τε πρὸ τῆς πόλεως φρούρια, τοῖς τ' ἄλλοις καὶ δὴ καὶ σιτίοις πάντων εἰς αὐτὰ χρησίμων ὀχυρώτερα ποιῆσαι.

In hujus regis hiſtoria torquet ſe Scaliger, quomodo Rex Aſſyrius Manaſſem Babylonem duxerit, putat partem Babyloniæ ſub Aſſyriis fuiſſe. At Aſſyrii ea tempeſtate nihil agri Babylonii tenuerunt. Levis eſt obſervatio ex ſtylo & idiotiſmo populi è Babel reducis, Aſſyrium nomen Perſis quoque & Babylo-

niis

niis attribui. Libri Chronicorum ſcripti ſunt poſt captivitatis tempora, ideo in illis temporibus notandis, cum Aſſyrii regnare deſiiſſent, nullam jam confuſionem *ὁμωνυμία* pariente, Aſſyrii etiam pro Babyloniis dicuntur. Ne quis hoc miretur, ſciat Perſas etiam Aſſyrios dici, Eſdr. VI. 22. *Flexerat ad eos cor regis Aſſur.*

Amon ſucceſſit patri Manaſſi, natus annos viginti duos. Ob impietatem, qua patris ſcelera imitatus eſt non pœnitentiam ſolo biennio regnavit. Matrem habuit Meſullemeth filiam Harus è Iotba. Conſpiratione ſuorum interiit. Sed plebs concitata cæſis percuſſoribus Ioſiam octennem ſolio imponit. Sepultus eſt in monumento patrio vel juxta illud apud domum regiam, in horto Ozæ. Amonem excepit Ioſias, matre natus Idida, filia Adææ de Boſcath. Hic Davidem æmulatus, à vero rectoque non declinabat. Annus ejus regni octavus, duodecimus & decimus octavus celebrantur. Anno octavo, adoleſcens ſedecim annorum cæpit quærere Deum patris ſui Davidis. Id Ioſephus interpretatur ut ſuperius dictum, Δαβίδου τοῦ βασιλέως ἐπιτηδευμάτων καὶ σκοπῷ ὡς κανόνι περὶ τῆς ὅλης τοῦ βίου ἐπιτηδεύσεως κεχρημένος. Quo magiſtro uſus fuerit non ſcribitur expreſsè, ſed de Helcia ſummo pontifice dubitari res non ſinit. Anno duodecimo cæpit Judam & Jeruſalem purgare ab idolis & idolorum inſtrumentis, excelſa, lucos fuſiles & ſculptulis ſtatuas evertit. Eaſdem ſtatuas in pulverem comminutas inſperſit colentium monumentis. Oſſa ſacerdotum in aris, in quibus immolaverant, cremat., Ipſo jubente & inſpectante aræ Baalim deſtructæ: ſimulque Hammanim, quæ ſuper aris erant. חמנים quid ſint, non expreſſerunt Lxx, Vulg. ſimpliciter vertit *ſimulachra.* Junius & Piſcator *ſubdivales ſtatuas.* Lxx. Eſ. 27. 9. & 2. Chronic. 145. &c. verterunt εἴδωλα: Levitic. 26. 30. τὰ ξύλινα χειροποίητα. Eſai. 17. 8. βδελύγματα. Ignorabant quid eſſet. Conjungi ſolent cum lucis & excelſis. Hic ſupernè impoſita aris eſſe apparet. Exciſa eſſe dicuntur, ut molem fuiſſe oporteat, at cui uſui? Raſi in Leviticum dicit ſpeciem idoli, quam ponebant juxta hortos, quod in ſole poneretur, ita appellatam. Abeneſdras, domos factas ad adorationem ſolis. Omnes volunt deductum à חמה *ſol*, vel חמם æſtu & calore. Hæc conjectura eſt ſine probabili fundamento. Ut hic Ioſias, ita antea ea excidit Aſa 2. Chronic, 14. 5. Non contentus Judæam purgaviſſe tranſiit in tribus Manaſſis, Ephraim, Simeonis, Nepthali, in loca quæ deſerta erant. Aras, lucosque evertit, ſculptilia in pulverem comminuit. Hammanim excidit in tota terra Iſrael. Hoc opere perfecto rediit Hieroſolyma. Illa quæ narrantur cap. 23. ſecundi Regum à v. 4. ad 21. facta fuerunt ante celebratum Paſcha & ante 18. annum regis, ante inventum librum legis & templum inſtauratum. Rex præcepit Helciæ & ſacerdotibus ſecundæ & janitoribus, ut omnem ſupellectilem Baal & Aſera (videtur Aſtarte ſignificari) & exercitus cæli è templo efferrent. Combuſta ea in agris extra urbem & pulvis delatus Bethel. Chamarim (ſacerdotes) inſtitutos à regibus Juda, ut incenſum adoleretur in excelſis, in urbibus Judæ & circum Ieruſalem ſoli, lunæ, planetis & alii exercitui cæli, abrogavit. Aſeram etiam ex æde Domini elatam exuſſit ad torrentem Cedron: pulverem inſperſit ſepulchris plebeiis. Fregit ædiculas cinædorum, ad ædem Domini, in quibus mulieres texebant domunculas Aſeræ. Educit omnes ſacerdotes ex oppidis Judæ, qui immolaverant in excelſis. Omnia excelſa diruit à Gale uſque ad Berſabe: etiam excelſa portarum & quod erat ad januam portæ præfecti urbis Ioſue ad ſiniſtram in urbis porta euntis. Sacerdotes excelſorum, qui Domino in excelſis ſacra fecerant, non ſunt admiſſi ut immolarent in ara Domini, edebant tamen Azyma cum fratribus. Polluit etiam Topheth, in valle filio-

filiorum Hennom, ne quis filium filiamve in honorem Molech per ignem traduceret. Equos soli positos à regibus Judæ, ad introitum ædis Domini, ad cubiculum Nathan-melech, aulici, in Parvarim, amovit: currus solis igni combussit. Prætereà aras, quæ in tecto cænaculi Achaz erant, factæ à regibus Judææ; aras etiam à Manasse in duobus atriis structas fregit, in pulverem comminuit, pulverem abjecit in torrentem Cedron. Excelsa quoque ad Ierusalem, ad dexteram montis Mashith, structa à Salomone, Asthoreth idolo Sidoniorum & Chamos abominationi Moabitarum & Melchom Ammonitarum polluit. Fregit erectas statuas, excidit lucos: & loca illa implevit ossibus humanis. Excelsum & aram in Bethel, facta à Ieroboam filio Nabat, diruit. Excelsum combussit, & diminuit in pulverem & succendit lucum (אשרה) In monte vicino sepulchra erant, è quibus ossa rapta succendit & concremavit in illa ara, ut eam pollueret. Ita impletum est verbum Domini, quod vates ille ad Ieroboam enuntiaverat. Animadvertit monumentum viri Dei: de quo cum quæreret, responsum illi est illius viri Dei esse. Tuta præstitit illud sepulchrum, ossa Samaritani vatis cum ossibus viri Dei. Omnes ædes excelsorum, factas à regibus Israël, ita destruxit ut ædem in Bethel: Sacerdotes excelsorum mactabat in aris, & in eis combussit ossa humana.

Hic quæritur, Quomodo templum purgatum non sit, quomodo tota regione idololatrica ista manserint: cum Manasses illa dicatur sustulisse? R. Manasses extremis vitæ annis reversus è Babel, non potuit efficere, quod inceperat. Cessare fecerat idololatriam, Dei cultum non instauraverat. Amon restituit idololatriam.

Anno regni decimo octavo purgata æde & terra templum refici curat. Voluit autem janitores à populo viritim tributum colligere. Misit Saphan filium Azaliæ, filii Mosollami, scribam, in domum Domini ad Helciam, summum pontificem, ut numeraret collectam pecuniam: eamque daret operarum præfectis: ut merces solveretur fabris operantibus in domo Domini, ad sarta tecta. Cum illis operarum præfectis non sunt initæ rationes, quia apparebat agere fideliter: sicuti & supra commemoratum est de restauratione per Ioas. Helcias pontifex narrat Saphani se invenisse librum legis in domo Domini. Adeo res corruptæ erant, ut liber legis neglectus esset & incognitus vulgo. Pontifex exemplar in æde Domini protraxit in lucem. Saphan acceptum librum perlegit. Reversus ad regem refert numerationem esse factam, pecuniam datam præfectis. Deinde addit sibi datum librum esse, à Pontifice: quem & legit audiente rege. Comminationes scriptas Deut. XXVIII. & Levitici XXVI. legisse putatur. Rex ad verba inhorruit, laceratisque vestimentis accitos ad se Helciam pontificem, Achicam filium Saphan, Achbor (in Chronicis Abdon) filium Michææ, Saphanem scribam, Asæam servum regium jubet consulere Dominum pro se, populo, & toto Juda, super verbis libri hujus, qui erat repertus. Nam iram Domini magnam esse, quæ accensa sit, quod patres sui aures non præbuerint scriptis in illo libro. Missi adeunt Holdam propherin, uxorem Sellum filii Theovæ, filii Harhas (sive Hasra) custodis vestium, habitantem in secunda parte Hierosolymorum. Holda oraculum aperuit in hanc sententiam: Dominum ob delicta populi, secundum minas legis, malum allaturum super locum istum ejusque incolas: sed regi, quia se humiliasset, parsurum, ut antequam id eveniat, ad patres colligeretur in pace. Sic in libro secundo regum de restauratione templi & inventione libri legis, at in secundo Chronicorum addita quædam sunt. Non est solus Saphan missus ad Pontificem sed cum eo Maaseja, præfectus urbis & Ioha filius Ioachaz à commenta-

mentariis. Deinde pecunia collecta est ab illis, qui è Manasse, Efraim & toto Israël residui erant: tum è Judæis & Benjamin. Præfectos operarum, qui operis solvebant & materiam coëmebant, fuisse Levitas Iahath & Obadiam è filiis Merari: Zachariam & Mosollam è Caathitis. Hi quoque periti erant canere instrumentis Musicis. Nam Levitas fuisse scribas, prætores & janitores. Librum legis inventum esse cum pecuniam è gazophylacio eximerent. Nempe abditum inter cætera ornamenta & pretiosa. Leviculæ quædam mutationes literarum in quibusdam nominibus deprehenduntur.

Cum librum legis haberet rex & consuluisset Holdam, convocat omnes seniores Judæ & Jerusalem. Hi universum populum coire jusserunt. Die dicta rex intrat templum, simul totus Juda omnesque incolæ Hierosolymorum; sacerdotes, prophetæ totusque populus, à maximo ad minimum. Legebat in auribus ipsorum ipse rex verba libri fœderis, qui fuerat inventus. Ipse adstans ad columnam verbis conceptis præiit sacramentum, in quod universum populum adegit. Ita se Deo consecrant fœdere, se ejus legem & præcepta sancte religioseque esse observaturos.

Iste rex diligentissime abolevit Oboth & Idonim, Theraphim, stercoreos deos, abominationes (שקוצים) quæ in tota regione: omnique modo verba libri legis stabilivit: sed Phase celebratum est in anno illius decimo octavo, quale à diebus Samuelis agitatum non fuerat. Celebratum est decimo quarto die primi mensis. Nam populus se jam præparaverat. Rex sacerdotes constituerat, in custodiis suis, eosque confirmavit ad ministerium domus Domini. Præceperat Levitis, præparantibus (instituentibus) totum Israël ad legitimum modum cultus, qui sancti erant: Ponite arcam sacram in æde, quam struxit Salomo rex Israël. Non enim nunc ut olim incumbit vobis eam portare de loco in locum. Servite Domino & populo. Serviebant abinde populo & Domino: Domino in cantico, populo in mactandis & excoriandis victimis. Reges priores arcam loco suo sustulerant, eoque illa circumferebatur: quod non debebat fieri, æde stabili condita. Arca igitur jam in locum suum restituta erat. Dras est, mandasse arcam abscondi, ne in captivitate hostibus manifesta esset. Dicunt lapidem fuisse in æde sanctitatum in occasu: super quem constituta fuerit arca & ante eam lecythus mannæ & virga Aaronis. Et tempore quo Salomon ædificavit domum, cujus finis futurus erat per vastationem, struxisse locum ad occultandam eam inferius במטמנות עמוקות ועקלקלות *in latebris profundis & tortuosis.* Lapidem operuisse illum locum in quem ex præcepto Josiæ arcam abdiderunt. Jussit ut parati essent secundum domos patrias, secundum ephemerias, juxta præscriptum Davidis & descriptionem Salomonis: ut ex ordine consisterent in sancto juxta suas distributiones patriarum domorum, pro fratribus & populo. Ut mactarent pascha, se sanctificarent & pararent pro fratribus, juxta verbum Domini per Mosem. Dabat Josias pro populo minorum pecudum agnos & hædos, totum in paschata, omni qui inveniebatur, in numerum triginta millia & boum tria millia. Et principes ejus in spontaneam oblationem pro populo & sacerdotibus & Levitis. Helcias & Zacharias & Jahiel principes domus Dei dabant sacerdotibus in paschata duo millia & sexcentas minorum pecudum & trecentos boves. Prætereà Chonanias, & Samæas, & Nathanael fratres ejus. Hasabias, Jaiel & Jozabad, principes Levitarum (הרימו Lxx. *ἀπήρξαντο*) dederunt Levitis in Paschata quinque millia minorum pecudum & boves quingentos. Sic parabatur operatio: sacerdotes consistebant in statione sua: & Levitæ secundum divisiones suas ex præcepto regis. Mactabant pascha & spargebant sacerdotes ex manibus

 eorum

eorum: Levitæ etiam excoriabant. Removebant autem holocauſtum ut ea darent ſecundum diviſiones in domum patriam filiis populi: ut offerrent Domino, ut ſcriptum in libro Moſis: ſic etiam de bobus. Coxerunt Paſcha igni ex ritu ſuo: ſanctitates coxerunt in ollis, lebetibus & ſartaginibus: eaque celeriter dividebant filiis populi. Inde etiam parabant pro ſe & ſacerdotibus. Nam ſacerdotes occupati fuerunt uſque in noctem offerendis holocauſtis & adipe. Ideo parabant Levitæ pro ſe & ſacerdotibus filiis Aaron. Etiam parabant pro cantoribus & janitoribus: ut non haberent opus ex officio ſuo decedere. Cantores filii Aſaph ſtabant loco ſuo ex præcepto Davidis, Aſaph, Heman & Idithun videntis regii. Sic igitur totum officium eo die diſpoſitum eſt, ut Paſcha celebraretur & holocauſta offerrentur in ara Domini juxta præceptum regis Joſiæ. Sic Iſraëlitæ quotquot erant fecerunt Paſcha in die illo & feſtum azymorum ſeptem diebus.

Quantum ad hiſtoriam Paſchatis attinet, debent ſacrificia diſcerni ab eſu agni. Ad ſacras functiones illius diei univerſæ familiæ ſacerdotum & Levitarum coierunt. Sacerdotes ſuo loco, janitores etiam cantoresque, ſuo loco. Cæteri Levitæ, quorum ſatis magnus numerus, quia portandis arcæ, tabernaculi, eorumque inſtrumentis nulli deputati erant hoc tempore, quicquid pecudum datum erat mactarunt, excoriarunt & ſanguinem tradiderunt ſacerdotibus. Primò ſepararunt holocautomata, ut cætera darent populo, ad offerendum Domino. Holocautomata tota cedebant aræ, non ita victimæ cæteræ. Pecudum itaque cæterarum ab holocauſtis ſeparatas dederunt carnes populo, ut eas debito modo conſumerent in honorem Dei. Iſtæ carnes partim erant victimales partim agnorum paſchalium. Agnorum paſchalium carnes in verubus aſſatæ ſunt, cæteræ coctæ in vaſis. An populus ipſe agnos aſſauerit, an Levitæ incertum. Levitæ videntur feciſſe hoc die: quo populus in templo occupatus erat nec poterat domi ſuæ parare. Et ob eam cauſam ſanguis iſtorum agnorum, quod alias non ſolebat fieri datus eſt in aram. Levitæ igitur pro ſacerdotibus, cantoribus, janitoribus, populo, pararunt paſchata, quæ ipſi finito ſacro publico in familiis ſuis comederunt. Joſephus ſcribit Joſiam conſtituiſſe judices & inſpectores populi inſtituiſſe, qui res adminiſtrarent. Mandaſſe miſſis præconibus per totam regionem, ut ſpontaneum munus in ædem Dei inferrent, argenti aurique ad paraturam templi. Octavo decimo anno ſui regni Joſiam pontifici in mandatis dediſſe, ut ex reſiduo pecuniarum κρατῆρας καὶ σπονδεῖα καὶ φιάλας funderet ad uſum miniſterii. Argentum aurumque in theſauris huc quoque conferri. Prolaturum iſta Pontificem, inveniſſe ſacros libros Moſis. Hujus regis felicitas & pietas infelici fine terminata eſt. Nam Necos Ægypti rex cum copiis adverſus Carchemis, oppidum Eufrati accubans, proficiſcenti occurrit, arma minitans. Cui Necos, miſſis nuntiis, quid mihi tecum, rex Judææ? In te non ſum profectus, ſed domum, cum qua mihi bellum eſt. Præcepit mihi Deus ut feſtinarem. Abſtine à Deo, qui mecum eſt, ne te perdat. Noluit monitioni ſalutari, quæ à Deo erat, auſcultare Joſias. Conſertum prælium eſt in valle Mageddo. Defunctus ex vulnere curru ſecundo, quem habebat, vectus eſt Hieroſolyma: Sepultus eſt cum patribus, toto Iſraël & Juda lugentibus. Jeremias propheta, qui ab anno ejus decimo tertio, cum rex expurgandis idolis occuparetur, cœpit vaticinari, threnum fecit: ita omnes poëtæ & poëtriæ, in ſuis threnis de Joſia locuti ſunt: qui exierunt in uſum populi & inter threnos conſcripti exſtabant cum ſcriberetur liber 2. Chronicorum. Joſephus ſcribit regem Ægypti bellum habuiſſe cum Medis & Babyloniis, qui Aſſyriorum imperium everterant. Τῆς γὰρ Ἀσίας βασιλεῦσαι πόθον εἶχεν. Conſtat illum

Necon cum rege Babylonio bellum gessisse ex Jerem. XLVI. 2. Hic alius est ab illo, qui 2. Reg. 23. 29. rex Assyriæ dicitur. De conflictu & victoria regis Ægyptii contra Josiam Herodotus scribit lib. 2. Καὶ Σύροισι πεζῇ ὁ Νεκῶς συμβαλὼν ἐν Μαγδόλῳ ἐνίκησε. Μετὰ δὲ τὴν μάχην Κάδυτιν πόλιν τῆς Συρίης ἐοῦσαν μεγάλην εἷλε. Cadytis illa est Jerusalem: nam non est Carchemis, quam expugnasse videtur Necos, regnante Nabopollassaro Babylonio: & copias suas ad Eufratem collocasse. Errat Josephus cum putat Josiam obiisse, postquam venisset in Jerusalem deceptus loco Chronicorum, qui è loco regum debet exponi. Oppidum, ad quod conflictus fuit, vocat Mendem: Regi Ægyptio transitum denegasse & hinc ad arma ventum. Epicedium Josiæ ab Jeremia compositum esse, μέλος θρηνητικόν· ὃ καὶ μέχρι νῦν διαμένει. Jeremiam etiam vaticinia de gravibus malis urbi eventuris in scripto reliquisse, & halosin Romanam ac Babyloniam destructionem. Eadem & vaticinatum esse Ezecielem, qui duos libros scripserit primus de istis rebus. Utrumque sacerdotem fuisse, Jeremiam egisse Hierosolymis usque ad eversionem urbis.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI PRIMI.
CAP. LXXVII.

Ioachas inde filius ejus regnum adeptus tribus mensibus tenuit, captivitati ob impietatem destinatus. Namque eum Nechao rex Ægypti vinctum captumque duxit. Nec multo post in vinculis diem functus est. Iudæis stipendium annuum imperatum, rex eis Eliachim arbitrio victoris datus, qui postea immutato nomine Ioachis vocitatus est. Hic Ioachæ fratris Iosiæ F. fuit, fratri quam patri propior, sacrilegio invisus Deo. Igitur cum Regi Ægyptio pareret, quippe cui tributum penderet, Nabuchodonosor Rex Babylonius Iudæam terram occupavit armis, & per triennium jure belli victor possedit. Etenim cedente jam rege Ægypti, determinatisque inter eos imperii finibus, convenerat Iudæos ad Babylonem pertinere. Ita cum Ioachis exactis in regno annis undecim, filio ejusdem nominis locum fecisset, isque regis Babylonii in se iram concitasset, Deo nimirum agente, cui constitutum erat Iudæam gentem captivitati & internecioni dare, Nabuchodonosor Hierosolymam cum exercitu ingressus, urbem murosque ac templum solo stravit: auri immensum modum & sacra ornamenta vel publica vel privata, puberesque

omnes virilis ac muliebris ſexus tranſtulit: relictis, quorum imbecillitas aut ætas faſtidio victoribus fuit, quæ turba inutilis ſervitio, exercendis colendisque agris, ne incultum eſſet ſolum, deputata. Hisdemque rex Sedechias præpoſitus, ademptis viribus inani tantum umbra regii nominis conceſſa.

DRUSIUS.

IOACHAS] Supra Achas pro Achaz, ſic hoc loco eſt Joachas pro Joachaz, ex ea conſuetudine, quam ibi notavimus.

REGNUM ADEPTUS EST] Opera populi, 2. Reg. 33. 30. *Tulitque populus terræ Ioachaz filium Ioſiæ & unxerunt eum & conſtituerunt eum regem pro patre ſuo. Viginti trium annorum erat Ioachaz cum regnare cæpiſſet, & tribus menſibus regnavit in Ieruſalem.*

VINCTUM] Vinctum duxit in Rebla ſive Reblatha, quæ eſt in terra Hamath.

NEC MULTO POST IN VINCULIS DIEM FUNCTUS EST] Apud Ægyptios, 4. Reg. 33. 34.

STIPENDIUM ANNUUM] Centum argenti talenta & unum auri, 4. Reg. 23. 33.

ELIACHIM] אליקים Eliacim potius, qui erat frater Joachazi & filius Joſiæ; frater, inquam, major natu.

JOACHIS VOCITATUS EST] Nomen ei mutatum ab ipſo Pharaone Nechao. Sic Nabuchodonoſor mutavit nomina ſociorum ejus. Mos iſte perantiquus eſt. Debet autem ſcribi Joacis per C. ſimplex. Nam in Ebræo Ioacim. Notum Græcos ultimam nominis barbari in S. mutare. Quod ex libris meis ita tritum ut nihil magis. Hoc primum: deinde Ioachis, qui & Ioachin & Iechonias non filius erat Ioſiæ, ſed nepos. Qui certè in unum confundendi non ſunt. Nam nepotem eundem facere cum filio imperitiæ eſt Serarianæ. Caveant qui verum amant.

HIC IOACHÆ FRATRIS IOSIÆ F. FUIT] Falſum conjicio leg. *hic Ioachæ frater, Ioſiæ F. fuit.* Ioſias enim quatuor filios habuit Johannem, qui à nonnullis Ioachaz eſſe creditur, Ioacim, Sedeciam & Sellum. Doctores Ebræi ſcribunt Ioacim, qui & Eliacim, duobus circiter annis majorem fuiſſe Ioachazo. Quod ſic probant: Textus ait, *filius viginti trium annorum erat Ioachaz cum regnare inciperet:* & alibi, *filius viginti quinque annorum erat Ioacim cum regnare inciperet.* Idem ait, Ioachaz tribus tantum menſibus regnaſſe 2. Paral. 36. 2. Hæc manifeſta ſunt. Aliud argumentum, 4. Reg. 23. 30. *Tulit populus terræ Ioachaz filium Ioſiæ & unxerunt eum.* Cur unxerunt? Nam filii regum non ungebantur, niſi ob certam cauſam. Reſpondent Ebræi, quia Ioacim natu major erat, quia implebat locum patrum ſuorum, quod non faciebat Ioacim. Dixi Ioachaz à nonnullis credi eundem eſſe cum eo qui in paralipomenis Iohannes vocatur. Obſtare videtur quod Iohannes iſte nominetur primogenitus. Reſpondent ideo fieri, quod adoptione primogenitus eſſet. Nam in regno prælatus fuit ipſi Ioacim. Abenezra cenſet Iohannem primogenitum non regnaſſe, Sellum autem eſſe Ioachaz. Secus R. David, qui Sellum opinatur eſſe Ioachin, nepotem Ioſiæ. Moris enim eſſe ut nepotes filiorum nomine cenſeantur. Sic in primo librorum Moſis, *quæ fecerat ei filius ejus minimus,* id eſt, nepos Chanaan. Idem ſcribit, cum diem ſuum obiret Ioſias, Ioachaz egiſſe annum 23. & Sedeciam 24. & Ioacim 25. Addit Sedeciam à patre regem conſti-

constitutum fuisse, post à populo Ioachaz ei prælatum. Qua de re alias plura, si Deus permiserit.

Rex Babylonius] Ab aliis dicitur Rex Chaldæorum. Rex autem Babylonius vocatur, 4. Reg. 24. 1. βασιλεὺς βαβυλῶνος.

Judæam Terram Occupavit Armis] Una cum regione sive terra etiam regem subegit, qui propterea vocatur servus Nabuchodonosori, triennii spatio. Nam post rebellionem fecit.

Filio Ejusdem Nominis] Non planè ejusdem nominis. Nam vel in Græca editione pater ἰωακεὶμ vocatur, filius ἰωαχεὶμ sive ἰωαχίμ. Ecce discrimen in una littera. Quale & apud Ebræos, qui ultimam insuper efferunt per N. Scribunt enim Joachin: unde & Joachis, ut ex Joacim factum Joacis. Sulpitius autem qui hæc confundit non est audiendus.

Nabuchodonosor Jerosolymam Cum Exercitu Ingressus] Prius servi Nabuchodonosoris expeditionem fecerant contra Ierosolymam, cumque urbs in obsidionem venisset, & ipse Nabuchodonosor ad urbem à suis obsessam venisset, egressus Ioachim ad eum cum matre, &c. dedidit se ei anno octavo regni Nabuchodonosoris, qui erat mensis tertius à quo regnare cœperat Ioachim Ierosolymæ. Habentur ista 4. Reg. 24. 11. & 12.

Ingressus] Hoc admodum credibile est, licet Scriptura disertè non exprimat. Quid enim vetat Ioachin primum egressum esse ad Nabuchodonosor in castra extra urbem & ipsum Nabuchodonosor postea ingressum esse urbem? Simul hæc vera esse possunt, & sunt profectò, si non fallitur aut fallit nos noster Sulpitius.

Urbem Murosque Ac Templum Solo Stravit] Falsum est.

Auri Immensum Modum] Abstulit inde omnes cum templi tum regiæ thesauros. adhæc confregit vasa aurea omnia, quæ Salomo rex fecerat ad templum Domini, 4, Reg. 13. 13.

Puberesque Omnes] Omnem Iuventutem ex urbe captivam duxit, Iosephus: totam Ierosolymam, omnes milites numero 10. M. omnesque fabros & artifices. 4. Reg. 24. 14.

Sedechias] Melius; *Sedecias*. Hic patruus erat Joachin, & prius Matthanias dicebatur, quod nomen ipse Nabuchodonosor postea mutavit, imposito ei Sedeciæ nomine. Vide 4. Reg. 24. 17.

Inani Tantum Umbra Regii Nominis Concessa] Hæc ex ingenio Sulpicii manarunt, non ex sacris libris.

Schotanus.

Regnum trium Regum Ioachaz, Ioacim, Iechonias descriptum invenitur 2. Reg. 23. à v. 31. ad finem & cap. fere toto 24. Porrò 2. Chronic. 36. ab initio ad v. 11.

Populus terræ (id est indigenæ vel plebs) Ioachaz imponunt solio patris annos natum 24. Matri ejus nomen Hamutal, filiæ Ieremiæ è Lebna. Unctus esse scribitur quod non fiebat in ordinaria successione: sed ipsi electione peculiari delatum est regnum. Balsamo unctum volunt, quia oleum unctionis abditum intra terram à Iosia cum arca. Hic impius & sceleribus majorum insistens depositus est à Pharaone Neco. Ad se enim vocatum (seu adductum per suos) Reblæ in terra Hamath in vincula conjecit: mulctamque Judææ

 im-

imposuit centum talentorum argenti & unius auri. Cum hoc regnavit Sellum, de quo Ierem. 22. 9. 10. 11. 12. Nam id de Iechonia exponi non potest. Sed dixeris mihi, quomodo an Sellum est Ioachaz cum sint nomina duo ad duorum fratrum distinctionem? Respondeo utriusque fratris eandem fuisse fortunam. Ioachaz impositus solio collega dato Sellum. Eliacim alterum Iosuæ filium (cui nomen mutavit Ioacim) regno præfecit; Ioachaz secum in Ægyptum deportavit, qui illic vitam finiit. Ioacim argentum aurumque à populo, ut cujusque census erat, exactum Pharaoni dedit. Ieremias ingentis siccitatis meminit, ob quam supplicavit Deo, qui negavit exauditionem. De hac cap. XIV. XV. Ambigo referamne ad Iosiæ an Ioacimi tempora, prius tamen malim. in anno primo Ioacimi prophetavit, domum Dei Hierosolymis instar Silo vastandam esse & urbem destruendam nisi obediant & convertantur. Hoc in multis oppidis Judææ proclamavit. Ideo eum comprehenderunt sacerdotes, prophetæ & populus ut neci dederetur, sed principes liberarunt. Quidam è senioribus adduxerunt exemplum Michææ, qui regnante Ezecia, Sionem instar agri arandam esse prophetaverit & Ierusalem in rudera prolapsuram, montem ædis in densam altamque sylvam. Non esse occisum sed regem populumque supplicasse Deo, quem pœnituit. Verba illa habentur Michææ, 3. 12. Fuit & alius propheta, Urias filius Samææ in Cariathiarim, qui adversus urbem & regionem cecinit. Cum res ad regem Ioacim pervenisset, vitam ejus quæsivit: sed fugit in Ægyptum. Rex missis Elnathan filio Achbor & aliis quibusdam retractum gladio occidit. Corpus projectum est in sepulchra plebeja. Sed Ieremiam tuebatur Achikam filius Saphan, qui eum tradere noluit in manum populi. Hæc cap. XXVI. In diebus etiam Ioacim Rechabitarum exemplo ostendit, indignam rem, Judæos non obsequi præceptis Dei, cum illi mordicus adhærescerent Ionadabi patris sui mandatis. Hoc in cap. XXXV. sed non est factum ante annum Ioacim quartum, quia expeditionis Nabuchadnessari meminit, quæ jam facta fuerit.

Annus quartus Ioacim primus est Nabuchadnessari, quem pater cum potestate regia præfecit bello. Hic annus est prophetici ministerii Ieremiæ vigesimus tertius Ierem. 25. 1. 3. Quo minatus est populo captivitatem in Babel 70. annorum. Ingenti clade cæcidit Nabuchadnessar copias regis Neco ad Eufratem *apud Carchemis, quam Ieremias prædixit cap. 46.* Babylonius subjugavit Ægyptum, ut eodem capite habetur. Sed an ista subjugatio illo anno an sequenti tempore evenerit, hæreo. Victoria illa Babylonius usque fines Ægypti videtur progressus esse. Iosephus scribit totam Syriam usque Pelusium excepta Judæa cepisse. Hierosolymam obsedit & ad deditionem coëgit. Partem etiam populi è nobilioribus & partem vasorum ædis Domini in terram Sennaar transtulit. Inter deportatos Daniel fuit Dan. 1. Ipsum regem duabus æreis catenis Babylona tractum seu vinctum ut eo traheret, mox solvit, reddiditque solio, sed sibi subditum (2. Chron. 36. 6.) Hæc fuit prima deportatio sed levior. Triennio Ioacim paruit Babylonio. Hinc defecit confisus Ægyptio, qui & ipse jugum excussit seque gravius commovit. Antequam deficeret, factum est quod scribitur Ierem. 36. Dictante Ieremia Baruch in volumine exceperat minas propheticas. Factum hoc anno quarto Ioacim. Ieremias præcepit Baruch, ut illud vaticinium populo prælegeret: si forte illa durities molliri posset. Baruch observata opportunitate, cum in anno sequente jejunium indictum esset toti populo in nonum mensem, legisse librum dicitur in panegyri, in domo Domini, in cubiculo Gamariæ filii Saphan scribæ, in superiori atrio, ad januam novæ portæ domus Dei, audiente toto populo. Cum Michæas filius

Gama-

Gamariæ iſta audiſſet, detulit ad principes, qui conſidebant in cubiculo ſcribæ. Principes mittunt Judi filium Nathaniæ ad Baruch: qui cum volumine adfuit. Sumptum ab illo volumen legitur coram rege ſedente ad focum. Iudi, qui legebat, conſcidit, impoſuitque igni. Nec rex nec aulici, veſtes ad hoc factum lacerant: rex etiam Baruch inquiri jubet. At ſe abdiderat & protegebatur à Domino. Jeremias à Domino juſſus eſt volumini alii inſcribere idem vaticinium: & dicere regi, à Babylonio terram perdendam: ex illius ſemine neminem ſeſſurum in ſolio: cadaver ejus ſub dio projiciendum. Dictante Ieremia Baruch alterum conſcripſit, cui plura addita.

Rebellem in Babylonium atterunt turmæ Chaldæorum, Syrorum, Moabitarum, Ammonitarum. Obdormivit cum partibus, ſed cadaver Babylonii (ut videtur) monumentis erutum abjecerunt in campum. Ita comparamus locum Ieremiæ 36. 30. cum 2. Reg. 24. 6. Nam ante mortem Ioacimi regis Babylonii Ægyptiis ademerant, quicquid in Aſia tenebant usque ad torrentem Ægypti 2. Reg. 24. 7. Pharao poſt primam (ut videtur) expeditionem Nabachadneſſari Gazam expugnaverat (Ierem. 47.) Imminente illa clade Ieremias prædixit clades Palaſtinis & Phœnicibus eventuras à Babyloniis. Moabitis cap. 48. Ammonitis & Idumæis cladem nuntiat cap. 49. Omnino ad tempus poſt Zedeciam everſum & Hieruſalem exciſam iſtæ prophetiæ habuerant implementum ut patet ex collatione cum Ezechiele. Implementum inquam, univerſum at clades & imminutio virium, ſubjectioque quædam, quam exuerant, præceſſiſſe videntur. At Ægyptio intra torrentem & ſuas paludes incluſo, Hieroſolymam Nabuchadneſſar anno octavo ſui cum patre regni ſubegit. Anno proximo exſpirante copiæ Babylonicæ Jeruſalem obſidere cœperunt, Joacim nondum defuncto. Obit, dum urbs obſeſſa eſt. Iechonias filius ejus ſuccedit. Cujus mater, nomen habuit Nehuſtha, filia fuit Elnathan, Hieroſolymitana. Ille etiam veſtigiis inſtitit impietatis paternæ. Principio anni ſequentis Nabuchadneſſar in caſtra venit. Cui ſe ſuaque monitu Ieremiæ prophetæ tradit. Iechonias (alias Iojachin & Chonias) regnum tenuit tribus menſibus decem diebus: poſt quod tempus Nabuchadneſſar per ſuos Babylona eum traduxit, cum pretioſiſſimis vaſis ædis Domini, cum omnibus theſauris regiæ & ædis Domini. Omnia aurea vaſa, quæ Salomo fecerat & deinde reſtituta erant per Ezechiam & Joſiam, abſtulit. Regem cum matre conjugibus omnibus aulæ miniſtris & principibus, ſerviſque regiis tranſtulit: omnes fabros ferrarios & lignarios, omneſque milites in armis exercitatos. Omnes captivi numerum decem millium implebant. Opificum in ligno & ferro mille erant: viri induſtrii & gnavi ac expediti ſeptem millia. Etiam ſacerdotes & prophetæ abducti ſunt. Tantum inutilem turbam reliquit, ne urbem oppida agroſque ſine cultura deſtitueret. Hæc ſecunda & potiſſima fuit deportatio, è qua Lxx. anni à Ieremia denuntiati capiunt initium, ut patet Ieremiæ 29. v. 10. & Ezech. cap. 1. 1. 2. VIII. 1. XX. 1. XXIV. 1. &c. Nam Ezeciel aliter non inſtituit numerationem, quam ab hoc initio. Sed de eo poſteà. Ioſephus ſcribit ab Ioacim admiſſum eſſe intra mœnia Babylonium regem, metu rerum, quas propheta prædixerat. Nabuchadneſſar contra fidem datam occidiſſe Joacim & inſepultum extra mænia projeciſſe. Babylonem abduxiſſe triamillia hominum præter eos, quos occidit. Inter abductos fuiſſe Ezecielem. In his multum errat. Addit Babylonium Jechoniæ (malè ſcribitur ἰωαχίμῳ pro ἰωαχίνῳ) dediſſe regnum, ſed mox metuentem, ut paternæ ultor necis exſiſteret obſediſſe. Regem bonum, ut ſua deditione populus & urbs ſervaretur, ſe dedidiſſe. Babylonium violata iterum fide, tantum numerum tranſtuliſſe.

SUL-

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI PRIMI.

Cap. LXXVIII.

SEd Ioachis tribus mensibus tempus imperii habuit. Is cum populo Babyloniam translatus, & in carcerem conjectus est: trigesimum post annum emissus, atque à rege in amicitiam receptus, mensaque & consiliis particicipatus, non sine solatio depulsæ calamitatis decessit. Interea Sedechias rex turbæ inutilis, quanquam sine viribus, infido ingenio & Dei immemor, qui non intelligeret captivitatem ob delicta gentis illatam postremis denique malis debitus, regis animum offendit. Ita ei post novem annos Nabuchodonosor bellum intulit: compulsumque intra muros confugere triennio obsedit. Qua tempestate Ieremiam prophetam, qui jam sæpius imminere urbi captivitatem pronunciaverat, consulit, si quid spei forsitan superesset. Sed ille, cœlestis iræ non ignarus, eadem sæpius interrogatus, respondit, ipsi regi specialem pœnam denuncians. Tum vero Sedechias in iram excitatus, trudi prophetam in carcerem jubet: moxque eum crudelis facti piguit. Sed obsistentibus Iudæorum principibus, quibus jam inde à principio moris fuerat bonos premere, absolvere innocentem non est ausus. Iisdem cogentibus, in lacum immensi profundi, cœnoque ac sordibus, atque ex eo exitiabili fœtore horridum, demissus est, ut ne simplici quidem morte expiraret. Sed rex licet impius, aliquanto tamen sacerdotibus mitior, educi prophetam de lacu, & carceris custodiæ reddi jubet. Interea obsessos vis hostium & penuria urgebat: consumptisque omnibus quæ mandi poterant, fames invaluerat. Ita defessis inedia defensoribus opidum captum incensumque: Rex, ut propheta dixerat, effossis oculis Babyloniam translatus: Hieremias misericordia hostili carcere exemptus. Cum eum Nabuzardan princeps regius, captivum cum cæteris duceret, delata sibi optione ab eo, utrum in solo patrio deserto desolatoque subsistere, an secum abire in summis honoribus vellet, residere in patria maluit. Nabuchodonosor abducto populo, residuis, quos belli conditio vel prædæ fastidium reliqui à victoribus fecerat, Godolian ejusdem gentis præposuit, absque ullo insigni regio, aut imperii nomine: quia præesse paucis & calamitosis, nulla dignitas erat.

De u-

DRUSIUS.

TRIBUS MENSIBUS] Et decem diebus.

CUM POPULO] Cum matre, uxoribus, eunuchis & dynaſtis Judææ.

TRIGESIMUM POST ANNUM] Deſiderantur ſeptem anni. Nam 4. Re. 25. 27. diſerte; Factum eſt anno triceſimo ſeptimo transmigrationis Joachin regis Judæ, menſe duodecimo, vigeſima ſeptima die menſis, &c. Adhibe Sigonium.

A REGE] Evilmerodach. Hoc accidit anno primo regni ejus.

CONSILIIS PARTICIPATUS] Sic participare aliquem ſermone dixit Plautus, & prandio Apulejus.

TURBÆ INUTILIS] Tenuis plebecula. Supra: *quæ turba inutilis ſervitio, exercendis colendisque agris, ne incultum eſſet ſolum, deputata.* Alio ſenſu Homerus dixit *ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης*: & alius, *inutilia pondera terræ.*

POSTREMIS MALIS DEBITUS] Qui debebat extrema mala pati. Sic, *mors* naturæ debita: &, *cælo debita progenies.*

POST NOVEM ANNOS] Anno nono regni ejus, menſe decimo, decimo, decimo die menſis, 4. Reg. 25. 1.

TRIENNIO OBSEDIT] Reſcribendum ex hiſtoria *biennio fere.* Nam biennium integrum nondum exactum erat. Siquidem obſeſſa fuit menſe decimo anni noni, capta autem menſe quarto anni undecimi, nona die menſis.

TUM VERO SEDECIAS, &c.] Hæc paulò aliter narrantur Ier. 36. 16. Nam conjectus fuit in carcerem ante obſeſſam urbem non à rege, ſed à proceribus; cum eum Ierias quidam in porta Benjamitica comprehendiſſet, objecto crimine quod ad Chaldæos transfugeret. Sed pro Sulpicio faciunt quæ habentur Ierem. 32. 2. Vide, ſi vacas.

SPECIALEM POENAM] Ierem. 37. 16. *in manus regis Babylonis traderis.*

IUDÆORUM PRINCIPIBUS] Ierem. 34. 4.

IN LACUM IMMENSI PROFUNDI] Qui erat in veſtibulo carceris: Lacum autem dicit *λάκκον*, qui Ebræis eſt בור / id eſt locus ſubterraneus in carcere.

SED REX] Monitus ab eunucho Abdemelech.

SACERDOTIBUS] Principibus.

OPIDUM CAPTUM] Undecimo anno Sedeciæ, menſe quarto, nona menſis. Jerem. 39. 2. anno mundi conditi 3338. Salmanticenſis.

PRINCEPS REGIUS] Hic in fonte dicitur magiſter lanionum ſeu carnificum. Id interpretantur quidam *præfectus ſatellitum*: alii *magiſter equitum.* Hieron. *magiſter militiæ.* Jerem. 4. 1.

RELIQUI FECERAT] Videtur ſolœciſmus eſſe, pro *reliquos fecerat*: quales nonnulli ſunt in Cicerone. Sigonius tamen conjicit legendum *reliqui fecerat*, & Victor Giſelinus, *reliquias fecerat.* Judicium eſto penes eruditos. Ego in ſolœciſmum eo magis inclino, quod ſciam vitium hoc orationis in Sulpitio novum aut inſolens non eſſe. *Ego*, inquit præfat. in vitam B. Martini, *cum primum animum ad ſcribendum appuli, quia nefas putarem tanti viri latere virtutes, apud me ipſe didici ut ſolæciſmis non erubeſcerem: quia nec magnam iſtarum rerum ſcientiam non contigiſſem: & ſi quid ex his ſtudiis olim fortaſſe libaſſem, totum id deſuetudine tanti temporis perdidiſſem.* Diximus in Cicerone aliquos

esse soloecismos. Si non sunt, tamen esse videntur, ut in his verbis, *Quo in discrimine mirifica Senatus, incredibilis Italiæ totius, singularis bonorum omnium consensus.* Nam in orationis cursu ea vox exit, quæ parum respondet superiori structuræ. Quocirca est quod metuant Serarii ferulam cum ipse Sulpicius, tum etiam princeps Latinæ eloquentiæ Cicero. Nam in pueriles Grammaticorum leges ambo peccarunt.

Schotanus.

ZEdecias (ante ἐνθρονισμὸν appellatus Matthanias) matre natus Hamutal filia Ieremiæ è Lebna, annum agens vigesimum primum, impositus est rex residuo populo. Hic impietati post tot calamitates & clades, quasi Deum & extremum exitium gentis urbisque provocaret, adhuc deditus, rebellione fœdum exitum meruit. Josephus errat & hic, cum Zedeciæ & Ioacimi eandem fuisse matrem scribit. Nam Ioacimi mater fuit Zabuda filia Phadææ è Ruma: Ios. ζαβύδα ἐκ πόλεως ἀβύμας.

Ieremias multa passus sub Ioacim, graviora sub Zedecia tulit. Cap. XX. continentia videtur pertinere ad regnum Ioacim. Paschur filius Immer sacerdos erat (פקיד נגיד) Lxx. καθεσταμένος ἡγούμενος, Vulg. *Constitutus princeps*; Chald. ממנא סגן כהניא. Vicarium Pontificis fuisse volunt. Cum audiret prophetam in atrio domus Domini, mala minantem Iudææ, eum percussit conjecitque in carcerem, qui in superiori porta Benjamin, ad ædem Domini. Sequente die prophetam producit è carcere qui ipsi canit, nomen ejus fore Magor Missabib: eum multa mala suis oculis visurum & re experturum in communi clade. Abducendum Babylona & illic vitam finiturum, cum omnibus amicis, quibus falsa prophetaverat. Inde solutus in querelas apud Dominum est de suis jactationibus & injuriis, quas pateretur.

Prophetiam cap. XXIV. habuit eo anno, quo Iechonias deportatus est, in qua mala minatur residuis & qui in Ægyptum aufugerant. Zedecias ad rebellionem concitatus est fiducia virium Ægypti, quæ se denuo commovit; & pseudoprophetarum clamoribus. Anno quaro regni defecisse videtur. Eo anno Jeremias (cap. 27.) per legatos variarum gentium, qui ad Zedeciam (ut videtur) concitandum ad societatem rebellionis advenerant, mittit juga regibus Idumææ, Moab, Ammon, Tyri & Sidonis. Videntur in eo loco distingui rex Tyri & rex Sidonis. Dominum enim illa regna Nabuchadnessaro dedisse: qui se non dedat, malè periturum. Imperata facientem populum prosperè acturum. Ne igitur pseudo prophetis aures adhibeant. Monuit etiam regem Zedeciam, ut se intra officii & obsequii fines contineat: si non pareat, audiendo pseudo prophetas: non impedituros sua apud Deum intercessione quominus reliqua domus Dei & regiæ vasa non auferantur.

Quinto mense ejusdem anni (Jerem. 28.) Hananias filius Azur, propheta è Gabaone, dixit ad Ieremiam in æde Domini, audientibus sacerdotibus & toto populo, Dominum jugum regis Babylonii confracturum, & intra biennium, deportatos & vasa restituturum patriæ suoque loco. Cui Jeremias, se quidem optare, ut ita eveniat, sed eventu veritatem vaticinii & missionis aperiri. Tum Hananias jugum, quod Jeremias gestabat, collo ejus ereptum frangit: Ita Dominus, inquit, intra biennium jugum Babylonium franget è cervicibus omnium populorum. At Dominus jubet Jeremiam enuntiare: Jugum ligneum fractum esse, cujus loco ferreum repositurus sit Dominus. Nam gentes illas esse edomandas. Minatur Hananiæ obitum intra ejus anni exitum.

Mori-

Moritur septimo mense. In cap. 29. Jeremias literas mittit Babylona, per Elasam filium Saphan & Gamariam filium Helciæ, legatos Zedeciæ ad Nabuchadnessarum. In illis literis monet deportatos ne aures aperiant pseudoprophetis & fatidicis, qui canebant imminentem liberationem. Quiete agant in obsequio regis, Deum ipsis benedicturum & post annos LXX. reducturum in patriam. Malè autem fore populo & regi, qui in patria remanserant. Gladium, famem, pestem, in eos grassatura. Infelicem exitum minatus etiam est Achab filio Colææ & Zedeciæ filio Maaseiæ, pseudoprophetis & adulteris. Hi capti, in vincula conjecti & ad ignem assati miserabili morte interierunt. Unde in proverbium abiit (quod & propheta futurum dixerat) ponat te Deus ut Zedeciam & Achab. Minatus etiam est Samææ Necholamitæ, qui populum captivorum pseudophetis ductabat. Hic miserat literas ad Saphaniam filium Masaiæ, totumque populum Hierosolymorum: quibus Saphaniam Pontificem cæterosque sacerdotes redarguit, quod officio suo non satisfacerent, cum Jeremiam, se pro vate venditantem non compescerent: qui ausus esset literas mittere Babylona ad deportatos, canentes longum exilium.

Admodum confuse quoad annorum consequentiam digestæ sunt illæ tabulæ vaticiniorum Jeremiæ, quas nobis Divina providentia voluit conservari. Id patet ex superioribus, sed & XXXII. XXXIII. XXXIV. ad obsidionem pertinent sub Zedecia, XXXV. & XXXVI. ad regnum Joacim. Inde redit ad continuatam historiam obsidionis, expugnationis & servitutis Babylonicæ. Continuat historiam usque ad caput XLIV. inclusive. Cap. XLV. pertinet ad quartum annum Iojacim & conjungi debet cum cap. XXXVI. Ad eundem annum referri debet cap. XLVI. Hinc prophetiæ adversus varias gentes, subnexæ sunt, incertum autem quo anno datæ. Vaticinium contra Babel, scriptum cap. L. & LI. transmissum est Babylonem in anno quarto Zedeciæ: per Saræam filium Neriæ, filii Machseiæ, bonum & pacificum principem: qui tabellas legit Babylone & lectas appenso lapide demersit in Eufratem, Jerem. LI. 59. 60. &c. Historia captæ Jerusalem est in ultimo capite. Cum anno nono Zedeciæ finiente, qui quintus est à cæpta rebellione Nabuchadnessar Hierosolymam obsidione premeret, & bellum circumferret adversus Judææ munitas urbes, Jeremiæ suasu inierunt rex & populus fœdus cum Deo, per medias partes vituli transeuntes: dimiserunt servos Hebræos quia annus sabbaticus erat. Eo ipso tempore regis Ægyptii copiæ in Judæam ire parabant, quarum adventu audito Chaldæi obsidionem solverant. Sic in bonam spem animati retrahunt servos ancillasque. Tum Dominus per vatem excidium minatur. Hæc habentur in capite XXXIV. quod cohæret cum capite XXXVII. In quo ad Jeremiam nondum conjectum in vincula à rege mittuntur Juchal filius Selemiæ & Saphanias Pontifex, ut Dominum oraret. Hic vates fide solita oraculum promit: Copias Pharaonis, quæ auxilio venerant, retro abituras in Ægyptum: Chaldæos secundò obsessuros urbem & expugnaturos. Ne credant Chaldæos domum abituros; si etiam universus Chaldæorum exercitus deleretur, à paucis residuis & vulneratis Jerusalem in cineres redigendam esse. Cum igitur Hierosolyma libera essent, Chaldæorum abitu, Jeremias excedere urbe cogitat: seque molestiis eximere. Sed egredientem porta Benjamin custos portæ nomine Jerias filius Selemiæ, filii Hananiæ, quasi transfugium pararet ad Chaldæos, comprehendit, ducitque ad principes: qui cæsum mittunt in carcerem, in ædibus Jonathanis scribæ: quas in eum usum destinaverant. Sic demissus est in lacum & cellulas, in quibus pluribus diebus hæsit. Inde rex clanculum ad se adductum domum suam, de exitu re-

rum interrogat. Jeremias respondet venturum in potestatem regis Chaldæorum. Supplicat deinde regi, ne in ædes Jonathanis remittatur. Nihil enim se commeritum esse. Nunc patere mendacia pseudoprophetarum, quæ Chaldæos non esse adventuros clamitaverant. Forte jam redierant Chaldæi ad obsidendam urbem. Rex eum in vestibulo custodiæ posuit: ubi usque ad captam urbem mansit, quotidiano demenso tortæ panis cibatus.

Cohæret, ut puto, tempore caput XXXVIII. Jeremias concionabatur de clade & calamitate futura, qua urbs & rex Zedecias deventuri essent in manus regis Chaldæorum, ideo in vestibulo carceris tenebatur: sed in carcere inclusum principes acrius incensi petunt ad necem, quia videbatur militum animos intimidare & populi. Rex eum concedit furori, cum non posset obsistere. Igitur è suo carcere abreptum compingunt in puteum Malchiæ, filii Hammelech, qui etiam erat in vestibulo carceris. Funibus demittunt in puteum, in quo profundum cænum, aqua non erat. In lutum alte mergebatur propheta, cum vitæ periculo. Ebedmelech Æthiops, unus eunuchorum, adit regem sedentem in porta Benjamin. Rogat ex isto puteo liberetur interiturus communi famis exitio, sine noxia regis & principum. Permittente rege assumptis triginta viris, è cella regia, (loco ut Grotius conjicit subter cellam penuariam, quo peniculi usu detriti abiiciebantur) promit veteramenta. Hæc vates axillis supposuit, ut illæsus funibus extraheretur. Restitutus igitur est loco pristino in vestibulo carceris. Inde eum rex clanculum adductum ad se in tertio ingressu ad ædem Domini, consulit. Responsurum se vates promittit fide data per jusjurandum, non esse occidendum nec tradendum in manum eorum, qui animam illius quærebant. Accepta fide respondet: Id esse oraculum Domini Dei Israel: Si sua sponte ad duces Chaldæos exeat, ipsum & urbem conservatum iri: sed si id renuat, ipsum non evasurum, urbem in cineres redigendam. Rex dicebat se metuere Iudæos transfugas, ne traditus illis ludibrio sit. Asserit Ieremias non esse tradendum si voci Divinæ pareat. Si autem obediens non sit, sibi à Domino esse revelatum, conjuges filiosque abducendos, ipsum venturum in potestatem hostium, urbem igni perituram. Fato obtorpuerat rex: metuensque homines potius quam Deum, noluit, ut Ieremias mutua dicta enuntiaret. Si à principibus rogetur, responsurum, supplicem se fuisse regi, ne in Ionathanis ædes reduceretur. Quod ita factum. Grotius ad hoc, quod Jeremias dicit se si traderet, non periturum: *Deus non tantum*, inquit, *novit, quæ eventura sunt sed & quæ eventura essent, si hoc vel illud fieret, partim quod omnes hominum affectus ipsi perspectissimi sunt, partim, quod vi sua omnipotente & affectus vertere & effectus quosvis etiam sine eo impedire posset.*

Dum in vestibulo carceris hæret, accepit vaticinium cap. XXXII. In quo jubetur agrum emere ab Hanameele, apud Anathoth, (XX. stadiis dissitam ab urbe) cum jam in extremis versaretur urbs, hoste, peste, fame subacta: in signum quod terra suo tempore, incolis esset implenda. Iterum accipit vaticinium eodem in loco (Cap. XXXIII. urbem capiendam: sed & solatur promissi Messiæ adventu.

Expugnatio urbis in hunc modum facta est: Nono anno Zedeciæ mensis decimi, die decimo, obsidere cæpit urbem Nabuchadnessar & excitatis operibus machinisque urgere, Ezech. XXIV. 1. II. Reg. XVV. 1. Scribitur Ezechielis XXI. 19. 20. 21. 22. 23. regem Babylonium, cum primum copias duceret è Syria, in ambiguo fuisse, viamne Rabbathamana ducentem an Hierusalem iniret, consuluisse exta & Theraphim. Deo autem ita moderante

rante aruſpicinam monſtraſſe ei Hieroſolymam: ut Judæi ante Ammonitas percuterentur. In cap. XXIII. v. 23. 24. deſcribit gentes, è quibus copiæ illæ Nabuchadneſſari cojerint & quibus generibus armorum: Filii Babel omnesque Chaldæi, Phecod & Soa & Coa, omnesque filii Aſſur: & viri corporis robore validi, juvenes conſpicui, duces præfectique, equis ſedentes: cum carris curribus, rotis: peltis, ſcutis, galeis. Cauſa, ob quam Deus iſtam miſeriam adduxit, fuit idolomania amens (qua ipſam Dei ædem impleverant ut eſt apud Ezech cap. VIII.) oppreſſio, cædes inſontium, pſeudoprophetarum veſania. His enim abundabat ſeculum illud, præ alio quovis. In agris & urbe miſerrimam faciem dabat bellum: cæde, peſte, feris, fame ſævitum. Ut famem adumbraret Ezechiel cap. 4. ſextam partem Hin aquæ pro demenſo diurno, viginti ſiclorum pondere cibum: laganum hordei coquebat, ad focum humano ſtercore inſtructum: ut ſordes notaret. Cum omnia paſſim cadaveribus ſtrata jacerent ita Deus rem, notabili ſigno ſuæ juſtitiæ moderabatur, ut loca idolorum, luci, aræ, ædes cadentium corporibus occuparentur: ubi prudentes manum Dei animadvertebant. Urbe occupata, ita etiam factum eſt. Fames quoque adegit matres veſci carnibus liberorum, quos manibus ſuis jugulaverant, Threnorum III. 20. & IV. 10. Ezechielis V. 10. minatur Deus patres à filiis, filios à patribus eſum iri. Quomodo impletum eſt quod Deus per Moſem prædixerat Levitic. XXVI. 29. Deuteron. XXVIII. 33. Habitum modumque miſeriarum obſeſſæ, potiſſimum captæ urbis miſeratur & deflet in threnis Jeremias. Dei miſeratio per prophetas quiritans, ac meliora & moderationem proponens ſurdis canebat fabulam, donec tanquam tempeſtate malorum obruerentur. Militum & incolarum numerus imminutus erat, animi & corpora languebant. In anno undecimo Zachariæ menſe quarto, die nono, per ruinas copiæ Chaldæorum noctu irrumpunt. Hinc fuga, cædes, ejulatus cadentium, clamor occidentium. Rex perfoſſis ædibus effugit initque viam camporum; milites per viam portæ inter duos muros, qui ad regiam ſeſe effundunt. At copiæ hoſtium urbem circumfuſæ regem inſecutæ aſſequuntur in campis Hierichuntinis, diſſipata multitudine, qua erat ſtipatus. Raſi fabulatur regem fugientem per cryptam ſubterraneam, cujus oſtium procul à mœnibus erat, divino nutu deprehenſum: quia caprea ſylveſtris monſtrabat ductum cryptæ venantibus quaſi Chaldæis. Id vult perſuadere ex Ezech. 17. 20. & 12. 12. 13. Captum adducunt ad Nabuchadneſſarum Reblathæ in terra Hamath conſidentem. Judicium in eum tanquam ſubditum, rebellem, facinoroſum habitum eſt: ſententia pronuntiata. Filios primum ante oculos ejus jugulant, deinde ipſum oculis priuant: excæcatum in vinculis duobus æneis trahunt Babylona. Principes & amici Sedeciæ etiam cæſi ſunt Reblathæ.

Joſephus ſcribit duobus vatibus diverſo loco, Ezechiele in Chaldæa, (qui ſuam prophetiam Hieroſolyma tranſmiſerat) Jeremia Hieroſolymis, prophetantibus, ob id maximè non eſſe habitam fidem à Zedecia, quod in aliis convenientia, de ipſo rege diſcrepantia dicerent. Conveniebant *ὅτι ἡ πόλις ἁλώσεται καὶ Σεδεκίας αὐτὸς αἰχμάλωτος ἔσται.* Differebant: *διεφώνησε δὲ Ἰεζεκίηλος εἰπὼν, οὐκ ὄψεσθαι Βαβυλῶνα τὸν Σεδεκίαν, τοῦ Ἰερεμίου φάσκοντος αὐτῷ ὅτι δεδεμένον αὐτὸν ὁ Βαβυλώνιος ἀπάξει βασιλεύς.* Ezechielus videbatur diſſonare, qui dicebat Babylona viſurum non eſſe. Jeremiæ verba cap. XXXII. 4. *Sedecias rex Iudaæ non evadet manus Chaldæorum: ſed dabitur in manus regis Babylonii: os ejus ad os illius loquetur & oculi illius oculos videbunt. Sedeciam Babylona traducet: ubi erit, donec eum viſitem.* Repetit in capite XXXVIII. eum venturum in poteſtatem hoſtium, Ezechiel cap. XII. fugam & eventus regis Zedeciæ fuſiſſimè depinxit,

pinxit, de perfoſſione parietum & nocturna fuga, obvoluto capite; capiendum in reti Dei & Babylona abducendum; in Chaldæa moriturum, quamvis non ſit viſurus Chaldæam. Diſſipandam turbam comitantium, cum caperetur. v. 12. 13. 14. Res enucleatur, quæ in ſuperioribus prophetice effigiata fuerat. Jeremias igitur non prædixit effoſſionem oculorum, quam Ezeciel apertè innuit. Non prædicit Jeremias, nec tamen negat. Verba illius, *Erit illic, donec eum viſitem*, indicant ad mortem usque in vinculis fore. Mortuum, ut Joſephus teſtis eſt, regia funeris pompa ſepelivit. Partem igitur aliquam adjecit Ezechiel, quam non habet Jeremias, nulla tamen eſt ἐναντιοφάνεια. Judaicum commentum ſequitur Joſephus, cum non adhibitæ fidei hanc cauſam aſſignat.

Scribit Joſephus octennio Zedeciam adhæſiſſe Babyloniis & manſiſſe in fide, quia anno nono oppugnatio cœpit. Sed aliter differre eam potuerunt. Deinde in illo abitu, quo ob Ægyptios obſidionem reliquerant victos prælio Ægyptios eſſe & omni Syria exutos. Cætera Joſephus inſtruit ſuo modo, nec video diverſum à ſacris literis dicere. Philoſophatur de utrinsque prophetæ conſonantia quoad rei eventum & ſublimi Dei ſcientia.

Duces, qui præerant copiis Hieroſolyma obſidentibus & expugnantibus Jerem. XXXIX. 3. Nergal-ſareſer, Samgar-Nebo, Sarſechim, Rabſaris, Nergal-Sareſer, Rab-mag. Corrupte apud Joſephum, Νηργελίαρος, ἀρέμαντος, ἐμεγάρας, Ναβώσαρις, ἐχαράμψαρις. LXX. Μαργανασὰρ, καὶ Σαμαγὼθ, καὶ Ναβουσάχαρ καὶ Ναβουσαρὶς, Ναγαργὰς, Νασερραβαμάθ. Quid fœdius corrumpi poteſt? Hebræas voces inepte diviſerunt. Ego puto hos ducum præcipuos eſſe illos, quos notat Ezechiel cap. IX. 2. Hos dicit veniſſe à via portæ altæ, quæ ad ſeptentrionem erat. Jeremias ſcribit dicto capite, illos cum urbem irrupiſſent cum cæteris ducibus, veniſſentque ad portam mediam, animadverſos (nam improviſo per noctem invaſere) à Zedecia & militibus. Tum eos fuga in diverſam partem abiiſſe. Qui occidi debuerint, quibus vita ſervari, ſcriba Dei deſignabat in illa viſione.

Princeps ſpiculatorum & Babylonicæ militiæ magiſter Nabuzardan (qui adſtabat coram rege) miſſus à rege, menſis quinti die decima (in decimo nono anno Nabuchadneſſari) incendit domum Domini & domum regiam; ædes etiam magnatum. Copiæ, quas ſecum duxerat, univerſum murum Hieroſolymorum ſolo ſternunt. Saræam ſummum pontificem (כהן הראש) & Saganiam ſecundum à pontifice (כהן המשנה) Chald. כהנא רבא & סגן כהניא) cum tribus cuſtodibus liminis (Ioſ. τοὺς φυλάσσοντας τὸ ἱερὸν ἡγεμόνας· τρεῖς δὲ ἦσαν οὗτοι) è templo: ex urbe eunuchum unum, qui fuerat præfectus militum & ſeptem viros è videntibus faciem regis (Ioſ. τοὺς φίλους αὐτοῦ) qui in urbe reperiebantur: tum ſcribam principem militiæ, qui ad militiam colligebat populum terræ (ſignificat delectibus faciendis præpoſitum) præterea ſexaginta viros è plebe (populo terræ) qui in urbe deprehendebantur. Hos abductos Reblatham Chaldæorum rex gladio percuſſit. Viliſſimos plebis & reſiduos populi in urbe, cum perfugis, totam reſiduam multitudinem Babylona abduxit. Quosdam tamen de plebecula reliquit, ut vineis & agris operarentur. Captiva facta eſt Judæa gens, præter eos, qui fuga evaſerant in varias terrarum regiones, ut excidii & ſuorum peccatorum illic teſtes eſſent, juxta Ezechielis potiſſimum vaticinium. Qui in aliqua dignitate conſtituti fuerant, capite pœnas perfidiæ luerunt. Joſedec Saræræ filius inter captivos Babylona abductus eſt.

Chaldæi etiam æneas columnas, quæ erant in æde Domini & baſes & lacum æneum, confringunt. Æs univerſum Babylona traductum eſt. Tollunt etiam

iam lebetas, palas, creagras, phialas (מזקות) mortaria, omniaque ænea vasa, quibus ministerium in templo solebat obiri. Tum & pelves, thymiateria, phialas, lebetas, candelabra & mortaria cyathosque, quæ partim erant de auro solido, partim de argento. Duæ columnæ, unum mare (lacus) duodecim ænei boves, qui erant loco baseon, facta à Salomone, immenso pondere æris constabant. Cujuslibet columnæ altitudo erat octodecim cubitorum, filum duodecim cubitorum eam ambibat. Crassitie quatuor digitorum, concava erat. Capitellum quadratum impositum æneum altitudine quinque cubitorum, cum reti pendentibus in ambitu centum malogranatis.

Hunc finem habuerunt Hierosolyma & resp. Judæorum. Scribit Ieremias captivitate septimi anni Nabuchadnessari, traducta esse tria millia & viginti tres Iudæos: Ios. decem millia, octingentos & triginta duos: Captivitate anni decimi octavi (qui & decimus nonus appellatur) octingentos triginta duos. In anno vigesimo tertio septingentos & quadraginta quinque. De duabus illis postremis deportationibus nihil habet Iosephus. Scriptura apud Ieremiam è tribus illis deportationibus colligit quatuor millia & sexcentos. Iosephus scribit tria millia abducta cum morte Joacimi, quam secuta sit alia deportatio, Jechonia deportato. Cum tribus illis millibus Ezecielem vatem in captivitatem venisse. Errat qui etiam deportationem Danielis miscet cum deportatione Sedeciæ: quia quartum annum Joacim cum multis non observat. Tam exigua multitudo, præter paucos in Judæa residuos, supererat numerosissimæ gentis. Cæteros mortis genus multiplex absumpserat aut fuga per varias regiones dispersérat. Cæterum paucitas Babylona deductorum, in exilio admodum aucta est. Quantum Jeremiam attinet, de illo Nabuchadnessar peculiariter præceperat Nabuzardani, ut ejus curam gereret. Ebedmelech etiam Æthiops, quia pro propheta solicitus fuerat, vitam suam in præmium accepit. Nabuzardan igitur & Nabusasban, Rabsaris & Nergal-saresar, Rabmag & omnes duces regii, Jeremiam è vestibulo custodiæ liberatum tradunt Godoliæ filio Achicam, filii Saphan, ut eum domum suam educeret. Ita in medio populi habebatur. Ductus est cum populo Ramam; unde eum ad se vocat Nabuzardan, commemorans, Deum ob impietatem populi mala ista immisisse, juxta illius vaticinium: se ipsum solutum vinculis dimittere, potestate facta eundi quo velit. Si placeat Babylona proficisci, sibi curæ fore: si etiam malit in patria manere, sub Godoliæ manu, universam terram ipsi patere. Godoliam enim à rege oppidis Judææ præfectum esse. Jeremias in patria remanere eligebat: quanquam malo suo, ut in loco dicetur.

Hierosolymæ casus incidit in annum Mundi 3360; templum incensum anno 427. à conditu. Josephus scribit annis quingentis & quatuordecim, mensibus sex & diebus decem ab inunctione Saul Sedeciæ interitum remorum fuisse. Tribuit Saul viginti annos; quibus adde quadraginta Davidis & triennium Saul, sunt 63. Hos si conjunxeris cum 427. habebis 490. Ita vitium est in numeris Josephi, viginti quatuor annis verum superat. Notabis tamen annos viginti regni Saul hic in Græca etiam editione haberi, ut supra in Latina Rufini: eoque ejus loci lectionem Rufinianam approbari. Cum dicit templum exustum esse annis à suo conditu 470. mensibus sex diebus decem, grandius deviat. Annos à condito mundo tria millia quingentos & tredecim fuisse elapsos menses sex dies decem: à diluvio 1950. menses sex dies decem: ab exodo ponit 1062. menses sex, dies decem. Magna in his perturbatio est. Sed animadverto à templo condito ad exustum ex illius sententia annos esse 470. Nam si conjungas 592. ab exodo ad templi conditum, invenientur dicti 1062.

Com-

Computat igitur ab origine Mundi ad caſum Sedeciæ 3515: à diluvio 1859. Rufinus habet 1957. Legerim igitur in Græco χιλίων ὀκτακοσίων πεντήκοντα ἐννέα.

.. Scribit Joſephus templum incenſum eſſe, μηνὶ πέμπτῳ, τῇ νουμηνίᾳ. Fallitur, fuit die decima.

Numerum ſeriemque pontificum, qui in templo Salomonico obierunt munus ſuum, Joſephus ita diſponit & exprimit: (1) Sadocus, (2) Achimas (3) Azarias (4) Joramus (5) Iſus (6) Axioramus, (7) (8) Phideas (9) Sudeas (10) Julus (11) Jothamus, (12) Urias (13) Nerias (14) Odeas (15) Saldumus (16) Elcias (17) Saræas (18) Joſadocus) In Seder olam tres primi conveniunt; (4) Joachaz (5) Iojazib. Fortè permutatione facta Iſus Ioſephi eſt Ἰωάζος: Ioramus. Ἰωάραμος. (6) Ioſaphat, à quo planè abludit ἀξιώραμος. (7) (8) Iojada, (9) Phideas. Hic etiam tranſpoſitio eſt: ut Σουδίας ſit pro Ἰουδίας Joſepho. In ſequentibus etiam ordinis ſeriem non tenuit Ioſephus, ut excollatione patebit (10) Sedecias à Ioſepho confuſus cum Σουδίας: ſeu potius à librariis cum legendum eſſet: Ἰουδίας, Σεδεκίας. (11) Ioel, (12) Iotham (13) Urias (14) Nerias (15) Hoſaia Ioſepho ὠδίας, leg. Ωσίας, (16) Sallum, Ioſephus ſcripſerat Σάλλυμος, (17) Helcias (18) Azarias. Hic etiam in Ioſepho cum Sareas confuſus eſt: Ἀζαρίας, Σαραίας. (19) Saræa (20) Ioſedec. Sic Ioſephus & Seder olam poſſunt conciliari, ſed turbat locus 1. Chronic. VI. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. (1) Sadoc (2) Achimaas (3) Azarias (4) Iohanan, pro Ioachaz (5) Azarias. Sed de hoc ſubjicitur: *Hic eſt, qui Pontificium obiit in æde, quam Salomon Hieroſolymis ſtruxerat.* Hæc verba admodum difficilia ſunt & variis interpretationibus locum aperuerunt. Si accipiantur, quod iſte primus fuerit pontifex in templo Salomonis, falſum eſt. Si ſimpliciter accipiatur, pontificem fuiſſe in illo templo, quid hic, quod illi deſignando proprium fuerit? Alii volunt tempore Oziæ fuiſſe pontificem & hic notari, quod admodum maſculè pontificium tuitus ſit. In hanc expoſitionem Rabbini potiſſimum inclinant. Sed non eſt ille, ut patet è ſerie. Ego dixerim verba iſta debere referri hyperbato quodam ad Sadoc, qui quarto loco ante illum memoratur. Similiter illud Gen. X. 11. 12. *Hæc eſt magna illa urbs,* non poteſt referri ad proximè nominatam Reſen, ſed ad dictam quarto ante loco Nineve. (6) Amarias (ſub Ioſaphat) (7) Achitob (8) Sadoc (9) Sellum (10) Helcias (11) Azarias (12) Saræas (13) Ioſedec. In hoc catalogo ſunt pauciora nomina. Inter Ioachaz & Sellum ſoli ſunt Azarias, Amarias, Achitob, Sadoc: cum Seder olam habeat decem. Ad hunc ſcopulum curſum ſiſtimus.

Chronicum Alexandrinum Pontifices à Salomonis tempore in hunc modum enumerat: Σολομὼν ἐκβαλὼν τὸν Ἀβιάθαρ τῆς Ἀρχιερωσύνης καθίστησι τὸν βαρὺχ ὄντα ἐκ τοῦ γένους τοῦ Ἐλεαζάρου. Paulo inferius Pontificem dicit Aaronem, inter prophetas ponit Sadocum. Deinde Achimelechum Iudæorum pontificem nonum ſcribit inclaruiſſe regnante Aſa, Ioannânum decimum pontificem ſub Ioſaphat: ſub eodem Azariam. Sub Ioram Achitobum: ſub Gotholia Sadocum: ſub Ioas Ioada, quem ſolum poſt Moſen perveniſſe ad CXXX. vitæ annos; poſtea CXX. ſcribit. Uriam ſub Ioatham: quem usque ad regem Ezeciam producit. Huic ſub Ezecia ſucceſſiſſe Sobnar. De eo, ὃν διαπέξατο (fortaſſe διεδέξατο legendum ut monuit editor Matthæus Raderus) Ἐλιακεὶμ ὁ τοῦ Χελκίου προδόντος τοῦ Σοβνᾶ τὸν λαὸν καὶ αὐτομολήσαντος πρὸς Σενναχηρεὶμ βασιλέα τῆς Συρίας. Elaicimum ſucceſſiſſe Sobnæ transfugæ ad Senacherim. Sobna non fuit pontifex nec Eliacim: ſed in errorem autor inductus eſt, quia de Sobna & Eliacim ſcriptum eſt אשר על הבית Domus præfecti appellantur, Sobna 2. Reg. 18.18.

Eſai.

Esai. 22. 15. Eliacim Esai. 36. 22. Per domum volunt intelligi ædem Domini. Et quia post Sobnam in illo officio fuit Eliacim, successisse in pontificio. Nam Esai. 22. v. 15. Sobnæ præfecto domus Esaias minatur abjectionem & successionem Eliacimi. Unde ille scriba Sobna, qui cum Eliacim ad Rabsacen missus est à rege, alius est ab illo Sobna præfecto domus. Abjectionem interpretantur de defectione ad Senacherib. Et pontificem fuisse admittit Rasi. Hieronymus vertit *præfectum templi* item *præpositus domus* voluitque fuisse pontificem: de Eliacim vertit, *qui erat super domum*. Salianus & eruditi Iesuitarum adversus illam veterum sententiam disputant non fuisse summum pontificem, ad templum tamen ejus functionem volunt pertinuisse, quia ab Hieronymi versione in Esai. 22. 15. tenentur constricti. Eliacim in illa dignitate successisse putant, qua & regiæ & sacræ pecuniæ quæstor fuerit. Sed nihil ad utrumque pertinuit templum & sacra pecunia: fuerunt præfecti aulæ: & Sobna ille, qui cum Eliacim ad Rabsacen mittitur omnino alius est. Post Eliacim in pontificio succedit Sellumus juxta id Chronicon. Deinde: Hebræorum pontifex Azarias. Hic sub Iosia fuit, ejus successorem Sarajam sub Sedecia constituit.

Anni à divisione regni ad eversionem politiæ Iudaicæ è Setho Calvisio.

NOn est obloquendum apertæ veritati nec indulgendum luxuriæ ingeniorum quæ (teste Plinio) etiam ἐγκυκλοπαιδείας obscurat. Ipsa Scriptura Ezechielis 4. numerum annorum à divisione regni ad finem utriusque partis, in quas per Jeroboam secessit, accurate definiit. Quam definitionem optimè evolvit & defendit Sethus Calvisius Isagoges Chronologicæ cap. 40. *Anni*, inquit, *à condito mundo usque ad Abrahamum in Mose ita numerari possunt, ut ex generationibus patriarcharum anni rectè colligi & computari possint. Post Abrahamum cum anni in servitute Ægyptiaca confunderentur neque amplius generationes patriarcharum annotarentur, providit Deus historiæ Ecclesiasticæ magno illo annorum numero, quadringentorum scilicet & triginta annorum peregrinationis filiorum Israel, qui à septuagesimo quinto anno Abrahami, usque ad exodum Israëlitarum numerarentur. Posteà cum iterum in male constituta rep. Israelitarum, tempora judicum historiæ confunderentur, eandem confusionem Deus iterum emendavit; magno illo numero annorum, quadringentorum & octuaginta, qui ab exodo Israelitarum ex Ægypto, usque ad jacta fundamenta templi elapsi, in una summa, 1. Reg. VI. proponuntur, quibus posteà anni triginta septem usque ad obitum Salomonis & distractionem regni rectè addi possunt. A distractione regni, usque ad captivitatem Babylonicam iterum de numero annorum controversia orirentur, nisi Deus per Ezechielem cap. 4. annos peccatorum Israëlis in una summa collegisset. Etsi enim illo seculo anni regum Iuda & Israël, ita annotantur, ut sciri possit, quando quisque regum cœperit & quot annos imperaverit: manifestum tamen est, quod quidam reges cœperint patribus suis viventibus & regni administrationem simul gerentibus, quemadmodum id collatio regum Iuda & Israel manifeste ostendit: unde historiæ simul cum chronologia hujus temporis turbarentur, si absque hoc numero Ezechielis esset. Is enim capite quarto suæ prophetiæ jubetur portare peccata Israëlis, diebus trecentis & nonaginta: & deinde etiam peccata Iudæ, diebus quadraginta: quibus diebus si singuli pro singulis annis computentur, ut Deus ibi vult, anni. 390. numerantur à Ieroboam, qui peccare fecit Israel, usque ad excidium Hierosolymæ, quod jam instabat, elapsi: & deinde etiam anni 40. à prædicatione Ieremiæ prophetæ, quæ à decimo tertio anno Iosiæ regis cœpit, ut ipse Hieremias scribit cap. 25. usque ad idem excidium. Verius-*

riusque enim numeri idem finis est obsidio scilicet gravissima & fames in urbe Hierosolymorum intoleranda, quam statim secuta est expugnatio. Hunc autem numerum annorum 390. ex annotatione historiarum hujus temporis ab initio Ieroboami, usque ad excidium Hierosolymæ, nos etiam colligemus, ita quidem ne conjecturas lectori obtrudamus, ne etiam sacræ Scripturæ vim faciamus, sed ut ubique sacræ Scripturæ manifesta verba, & sententiam propriam perpetuò sequamur. Non autem omnium regum imperia hic numerabimus: id enim in alium locum rejicimus, sed tantum eorum regum, qui ad Chronologiam faciunt, quorum initia in quendam annum incidunt, quo alius in regno altero rex imperavit, & quorum anni invicem ita connectuntur ut non nisi ex istis summa reliquorum annorum colligi possit, initio facto à Ieroboam qui peccare fecit Israël, qui statim cœpit, cum Rehabeamo ab obitu Salomonis, anno Mundi 2969. atque hic est annus primus Ieroboami: unde colligitur ejus annum vicesimum, esse annum Mundi 2988. hic vicesimus annus Ieroboami est primus annus Regis Assæ, 1. Reg. 15. vers. 9. Ergo Assa cœpit hoc anno Mundi 2988. & hinc ejus anni computantur. Porrò tricesimus octavus annus regis Assæ, est primus Achab Regis Israëlis 1. Reg. 16. vers. 29. Si jam primus annus Assæ est annus Mundi 2988. ergò ejus tricesimus octavus, est annus Mundi 3025. Hic igitur annus Mundi est primus Regis Achab.

Annus quartus Achabi, est annus Mundi 3028. & idem quartus annus Achabi est primus Iosaphati, 1. Reg. ult. vers. 41. ergo annus mundi 3028. est primus annus regis Iosaphat.

Annus decimus octavus Iosaphati est primus annus Iorami regis Israël, 2. Reg. 3. vers. 1. decimus octavus autem annus Iosaphati incidit in annum mundi 3045. ergò hic annus est primus Iorami regis Israel.

Duodecimo anno Iorami regis Israel, incipit Ahasia rex Iuda, 2. Reg. 8. vers. 25. Duodecimus annus Iorami est annus Mundi 3056. Ergo hic est primus Ahasiæ. Hic interficitur cum fere annum regnasset, à Iehu, qui succedit in regno Israelitico Iorame. Incipit igitur Iehu anno Mundi 3057. Hujus annus septimus est annus Mundi 3063. & est primus Ioas regis Iuda. 2. Reg. 12. v. 1. Ergò Ioas cœpit anno Mundi 3063.

Annus tricesimus septimus Ioas regis Iudæ est annus Mundi 3099 &c. idem hic annus est primus regis Israelitici Ioas 2. Reg. 13. v. 10.

Annus secundus Ioas regis Israelitici est annus Mundi 3100. & hoc secundo anno Ioas cœpit Amazia rex Iudæ. Cœpit ergò hoc anno Mundi 3100 2. Reg. 14. v. 1.

Hoc loco intrudunt Bucholzerus & Crentzhemius in Chronologiam regum Iudæ tres annos affirmantque contra expressa Scripturæ verba, Amaziam cœpisse quinto anno Ioas regis Israelitici: quod tamen nuspiam scriptum est, idque faciunt hac de causa, quod Ioas rex Israelis tribus annis cum Ioachas parente imperavit. Verum si hic ab expressis Scripturæ verbis recedendum est, & numeri augendi, cur non idem faciendum in aliis locis, ubi filii cum parentibus simul imperarunt? Vt Ioram cum patre Iosaphat imperavit fere quadriennium; sic Hizkia cum patre Achab ferè triennium, cum ubique similis sit ratio: quo facto nihil certi in tota historia relinqueretur. Vera causa autem cur hos annos Crentzhemius & Bucholzerus intruserint, si studiosi Chronologiæ forsan quærant, hæc est: Persuaserant sibi certò, concludi posse ex concione Christi habita Nazarethæ in patria sua, de anno acceptabili post Baptismum, anno primo ministerii sui, ut isti volunt Luca 4. hunc annum primum ministerii Christi fuisse Iubilæum, qui necessario ipsis in quinquagesimum quemque incidit. Quo minus autem anni à condito mundo numerati, id ostenderent, deerant ipsis anni quatuor, si anni Iubilæi à divisione terræ numerarentur. Hos igitur annos ut sibi acquirerent, facile intellexerunt, id fieri non posse, si eos tandem assumerent, quando historias sacras ad annos Olympiadum, & alias gentilium epochas alligassent: hunc igitur locum, qui corruptioni, ob duorum regum concursum simul cum parentibus imperantium, magis opportunus erat, elegerunt, cui tres annos adde-

adderent; quartum enim dudum ante exodum assumserant. Sed nec Iubilæum, ex concione Christi demonstrari posse: nec Iubilæos quinquagesimo quovis anno exactè numerandos esse: nec hoc loco contra Scripturæ sensum apertum, numeros augendos censeo. Hoc commentum adeo placuit, ut non veriti sint hanc ob causam sacræ Scripturæ vim facere, & regi Ioas asscribere annos imperii novendecim cum sacra Scriptura expressè ipsum tantum sedecim annis imperasse affirmet, 2. Reg. 13. vers. 20. cap. 14. v. 17. Et deinde propter hanc eandem causam annos peccatorum Israelis 390. ab Ezechiele numeratos triennio post, ab apostasia scilicet Rehabeami regis Iudæ incheoant, ne videantur pugnare cum hoc suo commento: cum tamen Ezechiel distinctè de tempore peccatorum Israelis ibi loquatur, non de tempore peccatorum Iudæ, quod quadraginta tantum annis definit; & præterea constet expressè ex textu, Ieroboamum non post triennium idololatriam illam instituisse, sed sacerdotes Domini ditione sua ejecisse, statim primo anno imperii, 1. Reg. 12. Nos sacræ scripturæ verba retineamus, ejusque ductum sequamur.

Annus igitur quindecimus Amaziæ, est annus Mundi 3114. Et idem primus annus Ieroboami regis Israel 2. Reg. 14. vers. 23.

Annus vicesimus septimus Ieroboami est annus mundi 3140: hoc eodem anno capit Vsias vel Azarias 2. Reg. 15. V. 1. Est ergo hic 3140. annus Mundi, primus etiam Vsiæ.

Annus quinquagesimus secundus Vsiæ sive Azariæ, est annus mundi 3191. Estque primus annus Pekah regis Israel. 2. Reg. 15. vers 27.

Annus decimus septimus Pekah regis Israel est annus Mundi 3207. Et est primus annus Achas, regis Iudæ, 2. Reg. 16. v. 1.

Annus duodecimus Achas regis Iudæ est annus mundi 3218. Est ibidem primus regis Israel Hoseæ. 2. Reg. 17. v. 1.

Annus tertius Hoseæ est annus mundi 3220. & primus Ezechiæ regis Iudæ. Hic annus primus Ezechiæ, necesse est ut sit Sabbaticus, quoniam ejus annus decimus quintus est Sabbaticus Esa 37. v. 30. Divide annum mundi 3220. per septenarium, nihil est residui, ergo est Sabbaticus, idem annus est Olympiadicus 46. finiens; annus urbis 23. Annus Nabonossaris 18.

Hactenus ex collatione initiorum regum Iudæ & Israelis, quæ certissima & immota sunt annos Mundi usque ad Ezechiam continuavimus, qui sequuntur usque ad eversionem Politiæ Iudaicæ, ex annis regum Iudæ assumendi sunt.

Ezechias, imperavit annis	*29.*
Manasses,	*55.*
Ammon,	*2.*
Josias,	*31.*
Ioahas, menses	*3.*
Iojakim, annis	*11.*
Iechonias, menses	*3. dies 10.*
Zedekia, annis	*11.*
Summa, anni 139. menses 6. dies. 10.	

Additi hi anni ad annum Mundi 3220. quo Ezechias capit, efficiunt annos 3360. exceptis quinque mensibus. Sic anni 390. apud Ezechielem additi ad annum Mundi 2969. quo Ieroboam, qui peccare fecit Israel circa Septembrem cœpit, 1. Reg. 12. efficiunt annos 3360. exceptis iisdem quinque mensibus. Computatio igitur hæc annorum Regum Iudæ & Israelis, secundum expressa sacræ Scripturæ verba instituta, consentit cum computatione Ezechielis, & veritatis testimonium inde sibi acquirit certissimum.

Ex hiſtoria Eutychii Alexandrini breviarium temporum à capta arca à Palæſtinis uſque ad everſionem Sedeciæ & excerpta.

Arcam ſubſtitiſſe apud Palæſtinos quatuor menſibus & في نسخة اخرى *in alio exemplari*, ſeptem. In nominibus locorum & hominum ſæpe variat à texto Hebræo. Samuelem dicit mortuo Eli populum rexiſſe annis viginti. Saul ab ipſo regem unctum. Filium Ionathan cum mille viris Naſimo, qui (in Jubu fuerat) intuliſſe bellum & feliciter pugnaſſe, ipſum multoſque occidiſſe: ita irritatas eſſe Alienigenarum tribus. Hiſtoriam innuit 1. Sam. XIII. ubi Ionathan irritavit Palæſtinos cæſo eorum præſidio. נציב *præſidium*, accepit pro nomine proprio hominis. Saul regnum tenuiſſe annis viginti. Ab exitu ex Ægypto ad initium Davidis annos prætergiiſſe ſexcentos ſex: Abraham mille centum & tres: à Phalec mille ſexcentos quinquaginta quatuor: à diluvio bis mille centum octoginta quinque; ab Adam quatuor millia quadringentos quadraginta unum. Davidem ſcribit condidiſſe urbem اورشلم, quam ipſe appellaverit civitatem Davidis: eſſe autem Sionem. Davidem arcam introduxiſſe in شيلو. Silunem putes ſignificare, ſed mendum eſt. Regno Davidis tribuit annos quadraginta; Salomonem anno duodecimo ætatis regnum iniiſſe & templi ſtructuram cæpiſſe. Hiramum regem Tyri, fœderatum Davidis dici inveniſſe purpuram primum. Purpuram enim inventam eſſe à paſtore. Salomonem ob idololatriam dejectum eſſe من ديوان النبي *è gradu prophetico.* Servum Salomonis Reboam, natum furaci muliere, cui nomen Siſera, condidiſſe urbem Sair in limitibus Efraim: accepiſſe conjugio filiam ſororis reginæ, uxoris Siſac. Struxiſſe, cum regnum accepiſſet, Nables, in qua ſedem regni fixit.

Annos regum Judæ & Iſrael numerat fere conformiter ſacro textui, ſed Iothamo dat annos 26. Eliam Arabibus الخضر dictum eſſe. Eliſam habuiſſe diſcipulum Ionam prophetam, à quo unctus Iehu. Rezin Damaſci regem vaſtaviſſe Lam Syriæ urbem, in qua abductis inde Judæis Romæos poſuerit, qui eam urbem incoluerint uſque in diem quo ipſe ſcripſit. In Hebræo ארמים pro ארומים vel אדומים. Ineptum de Romanis. Samaritas à Salmanaſſare abductos in Amid, Muſal & Babel. Samaritanos novos colonos eo tranſlatos eſſe. Eorum filios, ſeparatos à Judæis, Davidis & reliquorum omnium prophetarum abjeciſſe prophetiam, dicendo non fuiſſe prophetam poſt Moſen. Hos inſtitutos primitus eſſe à quodam ſacerdote Iſraelita, cui nomen Lun. Regnante Ezecia Romæum condidiſſe Romam. Manaſſem captum à rege Babylonio, bovis ænei, cui ignem ſuppoſuerant, alvo incluſum, ingemuiſſe ad Deum. Simulacroque dirupto ab Angelo in Hieruſalem tranſlatum. Helciam pontificem, qui librum legis invenit ſub Joſia fuiſſe patrem Jeremiæ prophetæ. Hunc prophetam arcam abdidiſſe in media rupe. Necho regem Ægypti ſuperaſſe prælio regem Muſal & fugaſſe. Mageddo eſſe Menbai. Bagtaneſſar (Nabuchadneſſar) coëgit Ioacim ſibi dare tributum, quod Necos impoſuerat. Ioacim rebellem obiiſſe ſed filium Iechoniam obſeſſum à Nabuchadneſſare ſe tradidiſſe & abductum eſſe Babylona. Ad hanc captivitatem Danielem refert, ut plerique, cum eos prima fugiat. Sedeciam urbe elapſum contendiſſe fuga ad ſpeluncam Canun., at è fuga retractum. Prophetam Habacuc fugiſſe in terram Iſrael, inde in Ægyptum. Numerat à regno Davidis ad deſtructum templum quadringentos ſeptuaginta ſeptem. Rectum eſſet ſi adimeret decennium Iotham: & ſi Salomon initio regni templum condere cæpiſſet: quæ ille ſic eſſe voluit. Ab exitu numerat mille octoginta tres.

tres. Si superiores demas (477) supereſſe videbis 606. qui ab exitu ad Davidis regnum effluxerant, ut ſupra retulimus. Ab Abraham mille quingenti nonaginta. A Phalec mille ſexcenti ſexaginta duo. Ab Adam quater mille nongenti & octodecim. Iechoniam anno vitæ octavodecimo incepiſſe regnum. Sic 2. Reg. 24. 8. at 2. Chronic. 36. 9. octavum annum habemus. Lyranus ſolvit (ſed hæc communis ſolutio eſt) fuiſſe octavo anno vitæ aſſumptum in ſocietatem regni, eo defuncto octavum decimum egiſſe. Si hoc ſatisfaciat ingeniis acutioribus, non ſatis ſcio. Sedeciam fuiſſe Iechoniæ patruum Iosiæ filium, recte dicit. Apud Matthæum cap. 1. v. 11. ſcribitur Iosiam genuiſſe Iechoniam & fratres ipſius. Ibi fratris vocabulum ſumitur latius & generatio accipi debet mediata, qua genuit nepotem ex filio. Tribuuntur Iosiæ filii Iohanan (qui eſt Ioachaz) Ioacim, Sedecias, Sellum. Ioacimus genuit Iechoniam & Sedeciam. Ita fuerunt duo Sedeciæ: ſed qui imperio admotus fuit, erat prior. Iohanan regnum guſtavit unctus à populo: quod illius eſt, tribuitur Sellumo Ieremiæ XXII. ut ſupra meminimus. Videtur, ut & diximus, Ioachazo collegam datum eſſe Sellum, quia duo intermedii minus grati populo fuerunt eoque Ægyptio regi acceptiores. Forte ex urbe Ioacim & Sedecias ad Necon profugerant, cum interea duo fratres communiter ſceptro potirentur. Utrumque Ægyptius abduxit. Ioachaz viginti trium erat annorum cum regnum iniret, Ioacim viginti quinque & idem annus erat: Ioacim igitur grandior natu? R. Eodem anno nati eſſe potuerunt, ſed ex genealogia 1. Chronic. 3. 15. patet majorem fuiſſe Iohanan, qui ſine dubio eſt Ioachaz. Cum igitur regnum iniret Joachaz viginti tres annos abſolverat: antequam frater inſtitueretur, jam vigeſimum quintum inierat: eumque annum frater jam jam erat initurus. Non enim eſt neceſſe ut fines regum cum principiis ſequentium regum tam arctè cohæreant. Id præſtat conſiderare, quam facile generationis & genealogiæ ordinem mutare. Scriptura accurata eſt in ordine generationum, nec debet mutari, maximè ubi exprimit adjectis numeris, primus, ſecundus, tertius &c.

Externa teſtimonia apud Euſebium lib. 9. præparationis capp. 30. 31. 32. 33. 34.

EUpolemus apud Euſebium de Davide & Salomone fuſe ſcribit. Scripſit librum de prophetia Eliæ, in quo notavit Moſem prophetaſſe annis 40. Deinde Jeſum filium Nave annis triginta, qui vixerit annis 110. πήξαιτο τὴν ἱερὰν σκηνὴν ἐν Σηλοῖ, fixiſſe ſacrum tabernaculum in Silo. Poſtea extitiſſe Samuelem prophetam. Deinde Dei voluntate à Samuel regem electum eſſe, Hunc regnaſſe annis 21. Dehinc Davidem hujus filium δυναστεῦσαι rerum potitum eſſe. Ecce ingentia errata: 1. Samuelem ſucceſſiſſe Joſue, nulla mentione aut cognitione judicum interjectorum. 2) Davidem fuiſſe filium Saul. Hunc autorem quis habeat pro homine Judæo aut Judaicarum rerum perito? Non hauſit iſta è Lxx. interpretibus ſed alia rudi informatione. Davidis victorias celebrat. Syros ad Eufratem colentes & Comagenes & Aſſyrios Galadenam & Phænicas ſubvertiſſe. Expeditiones feciſſe in Idumæos, Ammanitas, Moabitas, Ituræos, Nabatæos, & Nabdæos. Item adverſus Suronem regem Tyri & Sidonis. Eos omnes tributa pendere coëgiſſe. De Surone falſum, quem ſocium non ſubjectum habuit. Cum Ægyptiorum rege Vaphre (Οὐαφρῇ) percuſſiſſe fœdus. Cum templum Deo condere vellet, petiiſſe à Deo monſtrari ſibi locum aræ. Viſum ipſi angelum, ſtantem ſuper loco, in quo

ara Hieroſolymis ſit ſtructa. Eum interdixiſſe, ne faceret templum, quia ſanguine eſſet pollutus humano & bellum multis annis geſſiſſet. Huic angelo nomen fuiſſe Dianathan. Eum mandaſſe, ut filio permitteret ſtructuram, ipſe vero pararet ad ſtructuram idonea: aurum, argentum, æs, lapides, ligna cupreſſina & cedrina. Davidem hoc audito, naves feciſſe in Achanis (ἀχάνοις leg. αἰλάνοις) oppido Arabiæ & miſiſſe effodiendi metalli artifices in inſulam Οὐρφῆ (leg. Οὐφρῆ) rubri maris, auri fodinas habentem. Unde illi id in Judæam tulerint. Cum regnaſſet David annis quadraginta filio Salomoni, puero duodecim annorum regnum tradidiſſe, coram pontifice Eli & duodecim phylarchis ſimul cum ingenti copia rerum ad templi ſtructuram pertinentium. Vides diligentem fuiſſe at in multis labi.

Literas mutuas inter Salomonem & reges Ægypti ac Tyri ad verbum ex ipſo producit Euſebius.

Βασιλεὺς Σολομὼν Ὀυαφρῇ βασιλεῖ Αἰγύπτου
φίλῳ πατρικῷ χαίρειν,

Γίνωσκέ με παρειληφότα τὴν βασιλείαν παρὰ Δαβὶδ τοῦ πατρὸς, διὰ τοῦ Θεοῦ τοῦ μεγίστου, καὶ ἐπιτεταχότος μοι οἰκοδομῆσαι ἱερὸν τῷ Θεῷ, ὃς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν ἔκτισεν· ἅμα δέ σοι γράψαι, ἀποστεῖλαί μοι παρὰ σοῦ λαῶν, οἳ παραστήσονταί μοι μέχρι τοῦ ἐπιτελέσαι πάντα κατὰ τὴν χρείαν, καθότι ἐπιτέτακται.

Salomon Rex Vaphræ Ægypti Regi Amico paterno ſalutem.

Noveris me ſummi Numinis beneficio Regnum à Davide patre accepiſſe, à quo Templum Deo Cœli Terrarumque molitori ædificare juſſus fuerim, ſimulque abs te per literas petere, uti ad me ex Regni tui hominibus fabriſque mittas, qui ſuam mihi operam navent, donec uti par eſt cuncta, prout juſſus ego ſum, accuratè perfecero.

Βασιλεὺς Ὀυαφρὴς Σολομὼν βασιλεῖ μεγάλῳ χαίρειν.

Ἅμα τῷ ἀναγνῶναι τὴν παρὰ σοῦ ἐπιστολὴν, σφόδρα ἐχάρην, καὶ λαμπρὰν ἡμέραν ἤγαγον, ἐγώ τε καὶ ἡ δύναμίς μου πᾶσα ἐπὶ τῷ παρειληφέναι σε τὴν βασιλείαν παρὰ χρηστοῦ ἀνδρὸς, καὶ δεδοκιμασμένου ὑπὸ τηλικούτου Θεοῦ. περὶ δὲ ὧν γράφεις μοι περὶ τῶν κατὰ τοὺς λαοὺς τοὺς παρ' ἡμῖν, ἀπέσταλκά σοι μυριάδας ὀκτὼ, ὧν καὶ τὰ πλήθη ἐξ ὧν εἰσι, διασεσάφηκά σοι· ἐκ μὲν τοῦ Σεβερθίτου νομοῦ, μυρίους· ἐκ δὲ τοῦ Μενδησίου καὶ Σεβεννύτου, δισμυρίους· Βουσιρίτου, Λεοντοπολίτου, καὶ Βαθερθίτου, ἀνὰ μυρίους. Φρόντισον δὲ καὶ δέοντα αὐτοῖς καὶ τὰ ἄλλα, ὅπως εὐτακτῇ, καὶ ἵνα ἀποκατασταθῶσιν εἰς τὴν ἰδίαν, ὡς ἂν ἀπὸ τῆς χρείας γενομένης.

Vaphres Rex Salomoni Regi magno Salutem.

Literas tuas ſimulatque perlegi, cum ingentem animo cœpi lætitiam, tum genialem cum univerſo exercitu populoque meo diem egi, quod à viro optimo, tantoque Numini probatiſſimo Regnum acceperis. Quod autem à nobis homines fabroſque poſtulas, eorum octoginta millia ad te miſi, quorum etiam natale ſolum tibi indicare juvat. Ex Sebrithide præfectura decem millia, ex Mendeſia & Sebennitide, viginti millia, ex Buſiritide, Leontopolitide, & Bathrithide circiter triginta millia numerantur. Supereſt ut iis quæcunque opus fuerint, abunde ſuppeditari cures, partim ne quod inter eos turbarum excitetur, partim ut ædificatione perfecta, ſalvi ad ſuos incolumeſque revertantur.

Baſi-

Βασιλεὺς Σολομὼν Σούρωνι τῷ Βασιλεῖ Τύρου καὶ Σιδῶνος, καὶ φοινίκης, φίλῳ πατρικῷ χαίρειν.

Γίνωσκέ με, παρειληφότα τὴν βασιλείαν παρὰ Δαβὶδ τοῦ πατρὸς, διὰ τοῦ Θεοῦ τοῦ μεγίστου, ἐπιτεταχότος μοι οἰκοδομῆσαι Ἱερὸν τῷ Θεῷ, ὃς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν ἔκτισεν· ἅμα δὲ καί σοι γράψαι, ἀποστεῖλαί μοι τῶν παρὰ σοῦ λαῶν, οἱ συμπαραστήσονται ἡμῖν, μέχρι τοῦ ἐπιτελέσαι τὴν τοῦ Θεοῦ χρείαν καθότι μοι ἐπιτέτακται. γέγραφα δὲ καὶ εἰς τὴν Γαλιλαίαν, καὶ Σαμαρεῖτιν, καὶ Μωαβῖτιν, καὶ Αμανῖτιν, καὶ Γαλααδῖτιν, χορηγεῖσθαι αὐτοῖς τὰ δέοντα ἐκ τῆς χώρας κατὰ μῆνα, κόρους σίτου μυρίους· ὁ δὲ κόρος τοῦ οἴνου, ἐστὶ μέτρα δέκα, τὸ δὲ ἔλαιον καὶ τὰ ἄλλα χορηγηθήσεται αὐτοῖς ἐκ τῆς Ἰουδαίας, ἱερεῖα, δὲ εἰς κρεωφαγίαν ἐκ τῆς Αραβίας.

Salomon Rex Suroni Tyri, Sidonis ac Phœniciæ Regi, Amico paterno salutem.

Noveris me, summi Numinis beneficio, Regnum à Davide patre accepisse, à quo Templum Deo Cæli Terrarumque molitori ædificare jussus fuerim, simulque abs te per literas petere. uti ad me ex Regni tui hominibus fabrisque mittas, qui suam nob is operam navent, donec Divinum illud opus. prout jussus ego sum accurate perfecero. Cæterum in Galilæam, Samariam, Moabitidem, Amanitidem, & Galaditidem scripsi, uti ex regionibus illis, quæcunque opus fuerint, iis affatim suppetant; nempe in singulos menses, Cororum tritici decem millia, qui singuli Artabas sex continent; itemque Cororum vini decem millia, qui singuli metra decem efficiunt, oleum autem ac cætera ex Iudæa; hostias verò quarum ipsi carnibus vescantur, ex Arabia suppeditari jussi.

Σούρων Σολομῶνι Βασιλεῖ μεγάλῳ χαίρειν.

Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς, ὃς τὴν γῆν καὶ τὸν οὐρανὸν ἔκτισεν, ὃς εἵλετο ἄνθρωπον χρηστὸν ἐκ χρηστοῦ ἀνδρός. ἅμα τῷ ἀναγνῶναι τὴν παρὰ σοῦ ἐπιστολὴν, σφόδρα ἐχάρην, καὶ εὐλόγησα τὸν Θεὸν, ἐπὶ τὸ παρειληφέναι σε τὴν βασιλείαν. περὶ δὲ ὧν γράφεις μοι περὶ τῶν κατὰ τοὺς λαοὺς τοὺς παρ᾽ ἡμῖν, ἀπέσταλκά σοι Τυρίων καὶ Φοινίκων ὀκτακισμυρίους, καὶ Αρχιτέκτονά σοι ἀπέσταλκα ἄνθρωπον Τύριον, ἐκ μητρὸς Ἰουδαίας, ἐκ τῆς φυλῆς τῆς Δαβίδος, ὑπὲρ ὧν ἂν αὐτὸν ἐρωτήσῃς τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν πάντων, καὶ Αρχιτεκτονίαν, ὑφηγήσεταί σοι καὶ ποιήσει. περὶ δὲ τῶν δεόντων καὶ ἀποστελλομένων σοι παίδων, καλῶς ποιήσεις ἐπιστείλας τοῖς κατὰ τόπον ἐπάρχοις, ὅπως χορηγῆται τὰ δέοντα.

Suron Salomoni Regi magno Salutem.

Benedictus Deus Cæli ac Terræ conditor, qui Virum optimum ac parentis optimi filium elegerit. Literas tuas simulatque perlegi, summam animo voluptatem cepi, Deoque gratias egi quod Regnum capessisses. Quod autem à nobis homines operasque poscis, Tyriorum ac Phœnicum octoginta millia ad te misi, atque inter cæteros Architectum, patria quidem Tyrium, sed Matre Iudæa eademque ex Davide tribu natum; qui tibi, quæcunque ex eo quæsieris, quæ cæli hujus ambitu continentur, quæque ad Architecturam pertinebunt, ea cum scienter edisserat omnia, tum etiam facile perficiet. Quod superest, partium tuarum erit, ad locorum præfectos scribere, uti huic tantæ hominum multitudini quæcunque necessario fuerint, diligenter abundeque provideant.

Index

FINIS.

BIBLIOTHECÆ SACRÆ HISTORIÆ TOMI SECUNDI PEMPTADIS TERTIÆ

liber ſeu tractatus primus

DE

Rebus externis ab Exodo ad primam Monarchiam.

Hic finis regni Iſrael in decem tribubus primum, deinde & in duabus. Voluit tamen Deus conſervari reliquias Judæorum, ut in patriam reduces remp. haberent ſed ſub exterorum dominatione tenerentur. Regnum igitur Iſraël ſui juris & omnino ſeparatum ab exteris fuerat ante deportationem Babylonicam, nunc deinceps gentium imperiis ſubjectum aut innexum. Quam hiſtoriam cum ſcribere incipiamus & exteris rebus immiſceri, libuit digredi ad anteriora, gentiumque præcipuarum antiquitates, quæ fuerunt ſtante Regno Iſraël, proponere uſque ad finem regni in Iſraël: ab exitu ex Ægypto repetitas, ut temporibus conjuncta Judaica & gentilia (quantum porrò opus erit ad intellectum rerum populi Dei) deinceps proſequamur. Utile enim fuerit intelligere origines populorum, cum quibus res fuerit Dei populo, ſimulque oſtendemus, tempora Hebræi calculi & ſacræ hiſtoriæ narrata ab externis ſcriptoribus & vero rerum proceſſu comprobari. Profanæ enim hiſtoriæ novitate, ortu & incremento Moſis origines & hiſtoriam Judicum ac regum in ipſa ſtatui veritate teſtabuntur.

Increverunt & claruerunt iſto tempore potiſſimum res Ægyptiæ, Aſſyriæ, Medicæ, Chaldææ, Græcæ. Romanæ enim in cunis & apud matrem erant, cum regnum & reſp. Iſraelis finem accepit. Ab Ægyptiis tanquam antiquiſſimis initium facturus eram ſed eas explicuiſſe videor, quantum ſatis eſt, in ſecunda mundi ætate, niſi quod poſtrema omiſerim. Aſſyrias etiam Chaldæaſque ex parte expoſui ſed ulterius fuſiusque differendas. Quæ igitur omiſſa illic ſunt, hic addidero.

Res antiquæ Ægyptiorum.

MEnem primum regem poſt deos & heroas Ioſephus ſcribit mille trecentis & amplius annis ante Salomonem, multis ante Abrahamum fuiſſe. Cum templum condiderit Salomo 592: poſt exodum, Men exodum præceſſit annis 708. Diluvium præceſſit exodum annis 797. Proinde Men iſte nonaginta ferme annis poſt diluvium regnare cœperit. Quod principium, (ut reor) vero

antiquius est. In Rufini editione habetur mille triginta annis priorem Salomone fuisse: quod dabit annum à diluvio 460. Videtur Iosephi menti non convenire, quia ita Abrahamo non erit antiquior. Nisi dixeris Abrahami generationem, qua progenuit gentem Judæorum, innui: quod tamen mihi non probatur. Octava post diluvium generatione Ægyptus regnari cœpit, id est sub Ragau, si fides Constantino Manassi, id est multis annis ante Abrahamum. Ragau natus est ann. M. 1787. id est 131. post diluvium. Hoc non abludit à Josepho in Græco, sed ille Menem, qui Memphin condidit, cum primo rege qui inter Deos fuit, non debuit confundere. Ægyptus igitur regnata est prima regionum & quidem juxta annum M. 1800.

Mæris ex Herodoti affirmatione vixit circa annum M. C. 2600. Inter Menem primum regem & Mærim, Herodotus ponit, reges trecentos triginta & unum. Diodorus Siculus tantum 81. numerat. Nitocris femina sola in hac serie & numero, ab Iosepho refertur ad Solomonis tempora, in quo valde errat. Illa apud Manetho est quinquagesima, ultima scilicet in illis quinquaginta duobus, quos Siculus regnasse dicit annis plus mille & quadringentis; in Manetho habentur anni 1579. Memphitarum regibus accensetur à Manetho, apud Eratosthenem est inter Thebanos: nempe 22. Duæ fuerunt reginæ ejusdem nominis, ut existimo. Busiris primus successit illis juxta Diodorum: si ille sit iste, quem notat Isocrates, vixit circa annum 2400. Potest esse Achthoës, apud Manetho regum sævissimus; primus in Dynastia nona, quæ fuit Heracleopolitarum. Post Heracleopolitas regnarunt Diospolitæ. Diospolin sive Thebas condidit Busiris secundus juxta Diodorum. Osymandyas inter Diospolitas admodum celebratur. Uchoreus Memphin condidit, octavus post Busirim secundum, cum Manethos Memphitas jam desiisse regnum dicit. Duodecim post illum ætatibus successisse Diodorus refert Mœrin. In quo eum fallit ratio. Fuit enim post Mœrin, eoque annum M. C. 2600. Post Sesostrin multis ætatibus fuit Amosis. Amosis sive Thumosis, qui expulit pastores, secundum Herodotum fuit ante Sesostrin, quia inter Sesostrin & Protea unus tantum rex interponitur. Secundum Manethon & Diodorum longo intervallo sequitur. Manethos tamen Harmain & Sethon id est Danaum & Ægyptum pene trecentis annis disjungit. Atqui Danai adventus in Græciam, quo expulso Ægyptus regnare cæpit, fuit regnante Sthenela apud Argos, centum fere & octoginta annis ante bellum Trojanum id est annum M. C. 2580. Si inde retrò trecenti anni numerandi sint, pervenies ad annum 2380, quo Amosis fuerit. Si Sesostris supra illum removendus sit, immanem ejus antiquitatem feceris. Constat autem eum Trojano bello sesquiseculo paulò minus antiquiorem fuisse. Si Amosin componamus cum Inacho, ut veteres volunt, uno fermè seculo Exodum antecessit. Cetes sive Proteus belli Trojani tempore ad annum 2760. Remphis sine Rampsinitus. Hinc per septem ætates ignavi reges, è quorum numero fuit Nileus, Nileo secundum Eratosthenem successit Amurthæus annis 63. In hoc finit regnum Thebanorum, quod (ut Eusebius refert) steterat annis 1075. Finis circa annum Mundi 2900; principium igitur Menis circa 1825. Ita incidimus in tempus, quod apud Constantinum Manassen habetur. Nec dissonat Iosepho. Quo igitur annovendi sunt dii & heroës, qui tot millibus annorum regnavisse dicuntur? An dicendum, quod isti dii & heroës fuerint simul cum primis regibus, aut fuerint plurium regionum domini atque ideo inter deos relati? Ego malim abstinere judicium quam de incerto pronuntiare. Qui ex his antiquitatibus Hebræo calculo eunt derogatum, in iis merito judicium desideres, si quidem seriò agant.

Rham-

Rhampsinitus Protei successor, dives opum: sed ædificium gazæ condendæ fabrum ita ferunt struxisse, ut occulto aditu posset ad pecunias perveniri. Id moribundum filiis indicasse, qui inde furati sunt mirifico eventu. At usque ad regem hunc fuisse in Ægypto πᾶσαν εὐνομίην, jus æquum.

Cheops regnat annis 50. Ægyptios lapidibus cædendis advehendisque & struenda pyramide admodum afflixit. Diodorus χέμβην vocat: dicitque ab eo ad suam ætatem annos mille effluxisse. Ipse vixit sub Julio Cæsare & Augusto. Ut id, quod significat suæ ætatis, incidat ferme in annum M. 3900: à quibus si mille detraxeris, remanebunt. 2900. At nondum tot anni erant, cum Cheops regnaret. Alii, ut scias licentiam fingendi, tria millia & quadringentos dicebant fuisse. οὐκ ἐλαττόνων ἢ χιλίων ἐτῶν, ὥς φασι, διεληλυθότων εἰς τὸν καθ' ἡμᾶς βίον ὡς δ' ἔνιοι γράφουσι πλειόνων ἢ τρισχιλίων καὶ τετρακοσίων) &c.

Chephren, alii Chabryim vocant, sive frater germanus sive filius successit annis 56. Hic alteram pyramidem struxit. Uterque rex ab sævitiam & asperitatem in subditos, incognito loco sepulti sunt, ne cadavera eruerentur. Herodot. Τούτους ὑπὸ μίσεος οὐ κάρτα θέλουσιν Αἰγύπτιοι ὀνομάζειν. ἀλλὰ καὶ τὰς πυραμίδας καλέουσι ποιμένος Φιλιτίωνος, ὃς τοῦτον τὸν χρόνον ἔνεμε κτήνεα κατὰ ταῦτα τὰ χωρία. Absque dubio hic est ille, cujus filiam duxit Salomo: quem Eupolemus appellat *Vaphre*. Mycerinus dilectus subditis, quia clementior & fana deorum, quos duo superiores reges clauserant nec aperiri permiserant, recluserat. Principio regni filiam, quam tenerrime diligebat, amittit, cujus desiderium ipsi grave erat, ideo filiam in lignea bove cava & inaurata sepelivit. Oraculum ei ab eo tempore sexennii vitam determinavit. Ob vitæ brevitatem pyramidem suam perficere non potuit. Hos reges omisit Manethos qui dynastiam vigesimam secundam hic supponit, quæ fuit Tanitarum.

Asychis est Sisac in sacris literis, pyramidem condidit ingentis operis: gravissimam legem tulit in debitores æris alieni. Apud Manetho appellatur Sesonchis vel Sesochis. Palæstinæ subjugatio nulli superiorum regum convenit: quamvis Sesostri adscribatur orbem domuisse. Regnavit annis 21. juxta Manetho.

Anysis cæcus, Bocchoris Saites Manetho & Diodoro. Inter hunc & Asychin nullum regem interponit Herodotus, Diodorus & Manethos multos. Diversa etiam gestorum narratio est. Herodotus narrat adversus eum in Ægyptum excurrisse Sabacon Æthiopem, profugiente & latitante Anysi in paludibus. Post quinquaginta annorum regnum excessisse Ægypto & indigenis patriam restituisse. Tunc Anysin è latebris progressum ad regnum rediisse. Scribit Herodotus illam insulam non potuisse inveniri ante Amyrtæum, qui plus septingentis annis ab eo tempore fuerit remotus. Amyrtæus à Dario Notho defecit, circa annum O. C. 3539: sic Anysis regnavisset ante annum M. C. 2839. Scribendum τριακόσια fuerit ad veritatem, sed lapsus est Herodotus. Nam successori ejus res fuit cum Sanacharibo rege Assyriæ. Scribit Diodorus Bocchorin vivum crematum esse à Sabaco. Manethos in dynastia Æthiopum illi successisse refert Sevechum & Tharacam. Cum isto Tharaca res fuit Sanacharibo obsidenti Hierosolymam sub Ezecia. Et si fides Herodoto Sethon Vulcani sacerdos ejus tempore in Ægypto imperium tenuit. Nam adversus eum infeliciter pugnavit Sanacharibus. Audiamus Herodotum: Τὸν ἐν ἀλογίῃσι ἔχειν παραχρησάμενον τῶν μαχίμων Αἰγυπτίων ὡς οὐδὲν δεησόμενον αὐτῶν ἄλλα τε ἀτιμα ποιεῦντα ἐς αὐτοὺς καί σφεας ἀπελέσθαι τὰς ἀρούρας, τοῖσι ἐπὶ τῶν προτέρων βασιλέων δεδόσθαι ἐξαιρέτους ἑκάστῳ δυώδεκα ἀρούρας. μετὰ δὲ ἐπ' Αἴγυπτον ἐλαύνειν στρατὸν μέγαν Σαναχάριβον βασιλέα Ἀραβίων τε καὶ Ἀσσυρίων. οὔκων δὲ ἐθέλειν τοὺς μαχίμους τῶν Αἰγυπτίων βοηθέειν,

θέειν. Τὸν δ' ἱερέα ἐς ἀπορίην ἀπειλημμένον, ἐσελθόντα ἐς τὸ μέγαρον, πρὸς τὤγαλμα ὀδύρεσθαι οἷα κινδυνεύει παθέειν. ὀλοφυρόμενον δ' ἄρα μιν ἐπελθεῖν ὕπνον καί οἱ δόξαι ἐν τῇ ὄψει ἐπιστάντα τὸν θεὸν θαρσύνειν ὡς οὐδὲν πείσεται ἄχαρι, ἀντιάζων τὸν Ἀραβίων στρατόν· αὐτὸς γάρ οἱ πέμψειν τιμωρούς. τούτοισι μὲν δὴ πίσυνον τοῖσι ἐνυπνίοισι παραλαβόντα Αἰγυπτίων τοὺς βουλομένους οἱ ἕπεσθαι, στρατοπεδεύσασθαι ἐν Πηλουσίῳ. Ταύτῃ γάρ εἰσι αἱ ἐσβολαί. ἕπεσθαι δέ οἱ τῶν μαχίμων μὲν οὐδένα ἀνδρῶν, καπήλους δὲ καὶ χειρώνακτας καὶ ἀγοραίους ἀνθρώπους· ἐνταῦθα ἀπικομένους, τοῖσι ἐναντίοισι αὐτοῖσι ἐπιχυθέντας νυκτὸς μῦς ἀρουραίους κατὰ μὲν φαγεῖν τοὺς φαρετρεῶνας αὐτῶν, κατὰ δὲ τὰ τόξα· πρὸς δὲ τῶν ἀσπίδων τὰ ὄχανα· ὥστε τῇ ὑστεραίῃ φευγόντων σφέων γυμνῶν ὅπλων πεσεῖν πολλούς. Καὶ νῦν οὗτος ὁ βασιλεὺς ἕστηκε ἐν τῷ ἱρῷ τοῦ Ἡφαίστου λίθινος, ἔχων ἐπὶ τῆς χειρὸς μῦν λέγων διὰ γραμμάτων τάδε, ἘΣ ἘΜῈ ΤῚΣ ὉΡΈΩΝ ἘΥΣΕΒῊΣ ἜΣΤΩ. Hæc Laurentius valla interpretatus est: *Eumque bellatoribus Ægyptiis abusum fuisse, contemptui habens tanquam sibi non oportunos & cum aliis ignominiis affecisse, tum vero agris exuisse: quibus fuerant à superioribus singuli donati duodeni. Ex quo factum est, ut, quum postea Sanacharibus Arabum Assyriorumque rex cum magnis copiis invasisset Ægyptum, noluerint ei opitulari. Tum sacerdotem consilii inopem, in cænaculum se contulisse: ibique apud simulacrum comploraße quanta pati periclitaretur: eique inter lamentationem obrepsisse somnum: & inter quietem visum adstare Deum exhortantem nihil eum molesti passurum, si copiis Arabum obviam iret: se enim auxiliarios ei missurum. His insomniis fretium sacerdotem, sumptis Ægyptiorum iis, qui sequi vellent, castra in Pelusio posuiße. Hac enim Ægyptus invaditur: nec eum fuiße quempiam bellatorum sequutum sed institores & operarios & forenses homines. Eo quum pervenissent noctu effusam ipsis hostibus vim agrestium murium, qui illorum tum pharetras tum arcus, tum scutorum habenas abederunt, ita ut postera die hostes armis exuti fugam fecerint multis amissis. Eoque nunc iste rex in templo Vulcani lapideus stat, manu murem tenens, atque hac per literas dicens, IN ME QVIS INTVENS, PIVS ESTO.* Valla aliquando obscure, aliquando malè vertit. παραχρᾶσθαι πρὸς *male tractare. Donati duodeni* leg. *Duodenis.* Nam singulis istorum bellatorum duodecim ἀρούρας donaverat. Mensura ista comprehendit pedes quinquaginta, dimidium plethri. Cæterum in hac narratione comprobatur veritas historiæ sacræ. Cladis enim regis Assyriorum quam passus est, cum oppugnaret Hierosolyma, sub rege Ezecia, hic exstat memoria. 1. Rex ille nomine exprimitur, cujus fabulator Ctesias, professus se Assyria scripturum non meminit. Atqui nihil notabilius unquam accidit in rebus Assyriorum. Rex ille cum suis aliquot antecessoribus victoriis ingentibus Assyrium nomen imperiumque auxit. 2. Divinitus esse contusum victumque referebant sacerdotes, quamvis Dei Israëlis laudem, ut solent, ad idolum transtulerint. 3. Referunt ad regem Ægyptium quod ad Judææ regem pertinet. At fieri potest, quod Ezecias Ægyptiis & Æthiopibns amicis & faventibus fuerit usus; unde quod fœderatorum erat, ad hunc regem transtulerunt. 4. Murium copia adrosis scutis, pharetris, & jaculis dicunt interiisse exercitum. Ego ut non negaverim etiam plagam murium accessisse: ita scio à muribus deletas non esse copias Assyriorum. Fugientium multos cecidisse referunt postera die, at quo cædente aut persequente? Non dicit regem Ægyptium manus conseruisse cum Assyriis. 5. Æqualis iniquitatis est & perversionis ad propriam laudem, quod nullam mentionem faciant regis Tharacæ, quem constat bellum gessisse & cum copiis progressum esse ultrà Ægypti fines.

Sethon iste, ut ex hac narratione constat, vixit ad annum M. C. 3236. Ad hunc regem sacerdotes referebant ætates seu γενεὰς effluxisse à Mene rege primo

ex hominibus CCCXLI. è quibus conficit annos 11340. Centum annis dat tres generationes. Ita ſtatuæ pontificum, à Mene ad Sethonem numerabantur 341.

Poſt Vulcani ſacerdotem ut Herodotus; aut poſtquam Sabacos regnum indigenis reddidiſſet (Quod erat Tharacæ adſcribit Savaco) biennio fuit *ἀναρχία.* Sed cum in tumultus & cædes populus rueret, ut Diodorus refert: quia non poterant ſine rege agere, ut ſcribit Herodotus: *οὐδένα γὰρ χρόνον οἷοί τε ἦσαν ἄνευ βασιλῆος διαιτᾶσθαι.* Duodecim igitur duces quindecim annis per duodecim partes Ægypti concorditer regnum tenuerunt. Hi mauſoleum inſanæ ſubſtructionis, in quo defuncti conderentur, ædificarunt. Regum enim Ægypti antiquus mos fuit per manus traditus ſubſtructionum molibus ad poſteros famam nominis ſui propagare. Pſammetichus unus iſtorum erat regum, qui in Syriam profugerat, cum Sabacos Æthiops patrem ipſius Necon interemiſſet. Revocatus à diſceſſu, in Saite nomo, unde oriundus, imperium obtinuit. Hic incidit tandem in odium & bellum ab cæteris undecim regibus. Fugatus in paludes, Ionas & Caras, qui prædandi cauſa mare obibant, in iſta loca delatos ſibi confœderavit. eorumque ope ſublatis æmulis univerſæ Ægypti imperio potitus eſt. Apud eum magno in honore milites illi exteri fuere: quod indigne ferentes Ægyptii, numero 1200, novas quæſitum ſedes in Æthiopiam abierunt. Bella geſſit in Syria; Græcorum inſignis amator fuit, cum Athenienſibus aliiſque Græcis icto fœdere. Hinc Græci Ægyptum adire cæperunt, infamem hactenus inhoſpitalitate. Diod. *οἱ μὲν γὰρ πρὸ τούτου δυναστεύοντες ἀνεπίβατον τοῖς ξένοις ἐποίουν τὴν Αἴγυπτον, τοὺς μὲν φονεύοντες, τοὺς δὲ καταδουλούμενοι τῶν καταπλεόντων.* Annos quinquaginta quatuor regnum tenuit. Nam ex calculo Herodoti, qui in finem Pſammeniti à principio Pſammetichi annos computat 147. (Finis Pſammenti anno M.C. 3426.) Pſammetichus cœpit regnare anno M.C. 3280. Anno 3262. vivere deſierat Sethon. Defunctus eſt Pſammetichus anno 3334. regnante Joſia, annum jam viceſimum ſeptimum. Azotum obſedit annis 29. tandem expugnavit.

Necos patri Pſammeticho ſucceſſit anno, quo diximus. Foſſam deprimere aggreſſus eſt è Nilo in Sinum Arabicum: in quo opere centum viginti millia hominum. Sed opus imperfectum relinquere coactus copiis terreſtribus & claſſibus parandis in utroque mari ſumptus operamque impendit. Copiis illis terreſtribus in Syriam contendens, Joſiam bello interfecit, potitusque eſt urbe Cadyti. Hanc ego Jeruſalem eſſe exiſtimo, Ægyptiis forte ita appellatam. Aut nomen eſt קדושה *cadoſa* & ש in ת verſa קדותה *cadyta* vel *cadytis.* Sanctam eam urbem vel ſanctitatem vulgo eſſe appellatam ab accolis haut ambigo. Notandum autem quod Herodotus Hieroſolymorum & Sardium eandem amplitudinem ſuo tempore fuiſſe dicat. Has aras peragraſſe virum *φιλοΐστορα,* ſi ex Græca gente quiſquam fuit & *φιλομαθῆ,* dubitare non poſſum. Septendecim annis imperium tenuit, vir gnavus & induſtrius, victus tamen à Babyloniis, qui novus hoſtis, Aſſyrio ſublato ſucceſſit. Pſammis filius Neco, ſucceſſit patri, anno O. C. 3351. id eſt anno proximo poſt Jechoniæ deportationem. Hic expeditionem fecit in Æthiopiam. Cum hoc videtur conſilia ſociaſſe Sedecias de ſua defectione à Nebuchadneſſaro.

Apries (hunc exponit Diodorus duobus præcedentibus regibus præteritis) filius patrem excepit anno O. C. 3357. de eo ſequenti tractatu agendum erit.

De rebus Assyriis.

HIc se nobis maxima aperit difficultas propter impudentissimum fabulatorem Ctesiam, qui cum in aula regis Persarum Artoxerxis multis annis vixerit, judicatus est veritatem potuisse scire. Veritatis se studiosum fuisse jactabat. Diodorus Siculus οὗτος οὖν, φησὶν ἐκ τῶν βασιλικῶν διφθερῶν (ἐν αἷς οἱ Πέρσαι τὰς παλαιὰς πράξεις κατά τινα νόμον εἶχον συντεταγμένας) πολυπραγμονῆσαι τὰ καθ' ἕκαστα καὶ συνταξάμενον τὴν ἱστορίαν εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐξενεγκεῖν. *Hic igitur dicit è regiis membranis in quibus Persæ juxta quandam legem habebant res gestas ordine descriptas) multa cura se inquisivisse singula & composita in historiam extulisse ad Græcos.* Verum est quod Persarum reges habuerint Chronica seu ephemeridas, in quibus conscripta continebantur eventa secundum annos diesque, ut annotatum est in libro Esther: quod si ea consuluerit Ctesias, nihil illa rerum Assyriarum & Medicarum continuerunt. Qua fide Indica scripserit, sciunt omnes, eandem in Assyriis & Medicis præstitisse credas. Non est hominis prudentis, fidem facile adhibere mendaciorum insigni architecto. Josephi Scaligeri judicium de eo est: *Ineptus Græculus modo Herodoto adversetur, quid dicat pensi nihil habet &c.* Deinde: *Multa à Ctesia & humanitus peccata & consultò per* ζηλοτυπίαν *in Herodotum malignè mentita, etiam ex iis, quæ Photius nobis reliquit, manifestò odorari possumus.* Vossius: *Miretur aliquis homini adeò vano tantum fidei habitum esse à Diodoro Siculo, Trogo & aliis, ut eum, quam Herodotum sequi in plurimis mallent: Nempe imposuit iis, quod Ctesias profiteretur, se cuncta habuisse ex regiis membranis.* Notitiam rerum Asiæ ante Cyrum Græcis scriptoribus proditam scire oportet duobus velut gradibus increvisse. Primam enim, quæ ante Alexandrum Magnum fuit, duo scriptores edidere Herodotus & Ctesias. Herodotus pater historiæ, altero antiquior Ctesias recentior, tanto dissensu, ut oriens & occidens à Gadibus usque auroram & Gangem latiore discrimine non sint sejuncti. Ctesias tanta fiducia dissona tradit & seriem filumque historiæ à Nino ad Artoxerxem nectit, ut sibi credi postulet, Herodotum ubique arguat inscitiæ & fabularum. Græci cum putarent recentiorem & qui in Perside vixit, accuratius verum penetrasse & tradidisse, Ctesiæ fidem secuti sunt. Hinc tanta infamia mendacitatis laboravit apud omnes Herodotus, quasi jucunda non vera scribere sibi propositum habuerit. Post quam Alexander Asiæ imperium armis quæsivit & aditum Græcis in illa loca aperuit, indigenarum monumenta inspicere & ex iis veritatem noscere potuerunt. Hic Hecatæus, Megasthenes, Berosus, Hieronymus, Alexander Polyhistor, Eupolemus & alii res antiquas ex suarum gentium monumentis prodiderunt. Alii etiam ipsos gentium illarum scriptores in Græcum sermonem transtulerunt, ut Sanchuniathonem & Mochum, rerum Phœniciarum conditores. Athenæus lib. 3. Παρὰ τοῖς τὰ Φοινικικὰ συγγεγραφόσι Σουνιάθωνι (leg. Σαγχωνιάθωνι) τοῖς ἑοῖς πολίταις. Hanc ulteriorem notitiam omnes φιλαλήθεις avide amplexi sunt: quam utinam temporum injuria non invidisset, deletis monumentis omni pretio majoribus. Aliquam tamen è fragmentis & naufragis tabulis diligentia Iosephi, Eusebii, Clementis conservavit. Ex illis ipsis reliquiis, quanto verior sit Herodotus Ctesia, apparet. Ipsæ sacræ literæ (ut fatetur Scaliger) Ctesiæ vanitatem arguunt, fidem Herodoti approbantes. Sed hoc inferius patebit, in rem ipsam euntibus. Græculi tamen damnare non potuerunt Ctesiæ fabulas: quæ in vulgus exierant, arripuerunt: ut Cephalion & Trogus. Cephalion iste tanti fastus erat, ut patriam dissimularet: atque id Homeri se facere diceret exem-

emplo. Vixit sub Hadriano, scripsit compendium historicum à Nino & Semiramide usque ad Alexandrum Magnum. Ille jactabat auctorum congeriem, crediderim tamen fidem Ctesiæ potissimum secutum esse. Trogus Pompejus, ut ex breviario Justini notum, è Ctesia etiam Assyria & Medica descripserat, ut notiore & magis obvio. Si enim ex fide Assyria & Medica fuisset scripturus, ex vicinarum gentium annalibus scriptoribusque magno labore debuisset conquirere. Nemo enim ex professo integro & continuo opere Assyria & Medica præter Ctesiam conscripserat, Diodorus Siculus comparavit inter se Herodotum & Ctesiam utriusque narrationes proponens sine interpositione sui judicii, lectoribus arbitrium relinquens, quod vellent, sentiendi. Non obscure tamen ostendit, inclinationem in Ctesiam. Cum in tanta esset Ctesias notitia & solus (ut videtur) continuam regum Assyriæ successionem proposuisset, Africanus & ex eo Eusebius Chronicis tabulis temporum Assyriæ apud eum ordinem digesserunt. Hoc maximam calamitatem intulit historicæ veritati. Strues enim illa commentitia inserta veris relationibus, non tantum recepta est publicè sed & præjudicium ipsi veritati Hebraicæ creavit: cum viderent duo ista conciliari non posse, mallent autem stolida credulitate, relinquere textum sacrum, quam creditam illam regum & temporum extensionem vocare in dubium. Hoc argumento existimarunt probari LXX. interpretum Chronologiam & ausi sunt quidam nostris etiam temporibus Hebræo calculo præferre: & Hebrææ veritatis fidem in dubium vocare. Si nos possimus ostendere, Ctesiæ illa Assyria cum veritate non posse consociari hujus teli ictum obtuderimus. Concedimus enim hoc, si Ctesias verus sit, sacrarum literarum narrationem vacillare. Miramur viros magnos qui posse coire arbitrati sunt. Josephus Scaliger vir summus & magister unicus temporum, Ctesiæ fidem damnavit, Herodotum veriorem esse pronuntiavit, illas tamen narrationes illudque syntagma Assyriarum & Medicarum rerum assumpsit ad temporum digestionem.

Diodorus Siculus fidelissime Ctesiam exhibuit ejusque narrata in summam redegit. Inde igitur Ctesiam nos ad examen veritatis vocabimus, primò in Assyriis rebus deinde Medicis. Hoc examine peracto explicabimus Herodotum & cum veritate conspirare patefaciemus. In Assyriis primo loco Ninus est, imperii Assyriorum conditor. In eo primo loco considerandum est tempus, quo vixit. Scaliger initium ejus figit in anno M. C. 1717. Quod conatur efficere è temporibus regum Assyriæ. Scaliger: *Ambo* (Ctesias & post eum Diodorus) *ab initio Nini ad exitium Sardanapali 1360. annos putant. Deinceps Medi ab initio Arbacis ad initium Cyaxaris, quem Ctesias Astibaren nominat, res Assyriorum obtinuerunt annis 242. annis. Ergò ab initio Nini, ad initium Cyaxaris anni sunt præcise 1602. Cyaxares inivit imperium Medorum anno secundo Olympiadis 37. quod colligitur ex dinumeratione temporum apud Herodotum & diserte exstat apud Eusebium. Ergò initium Cyaxaris consurgit ex anno periodi Iulianæ 4083. de quibus deductis 1602. solidis, ab initio Nini ad initium Cyaxaris, remanet annus primus Nini respondens anno 2481 in periodo Iuliana. Rursus Callisthenes rescribens Aristoteli de ultima antiquitate rerum Chaldaicarum dixit annum captæ ab Alexandro Babylonis fuisse millesimum nongentesimum tertium Computi temporum Chaldaicorum. Capta est Babylon anno periodi Iulianæ 4383. Deductis 1902. absolutis remanet annus P. I. quem jam diximus fuisse primum ab initio Nini. Ergo computus annorum quo utebantur Chaldæi, inibat ab anno primo Nini, non à Nimrodo, quod aliquando putavimus. Et sane Chaldæi, quia antiquius imperium Assyriaco, aut vetustiorem regem Nino memorare non poterant, jure ab eo annos suos putabant, quo antiquiorem non norant.*

Sub-

Subjungit deinde & admodum sibi plaudit de invento VIII. Aprilis, quod sit antiquissimum Neuruz Chaldaicum. Cæterum in oratione ista Scaligeri satis mirari non possumus virum tantum, adeò errores erroribus cumulat: quia ipse sibi fingit, quam voluit, antiquitatem imperii Assyriorum. Hac enim vesania imbuta mens magistri temporum incomparabilis, insignem maculam inussit nobili beneficio in remp. literariam inventæ methodi ad veritatem temporum statuendam. Immortales laudes debentur isti heroi, quas frustrà æmulatio subruere aut imminuere nititur. Ab hac commendatione antiquitatis in historia gentilium Inachum in rebus Græciæ, Amosin in Ægyptiacis, Ninum in Assyriis multò longius vero in anteriora removit. Quod si iste defectus Chronologiam ejus non deformasset nihil illi ad consummatam perfectionem defuisset. Officit id apud doctos viri illustris laudibus & sacrarum literarum veritati Chronologicæ apud imperitos. Ex eodem fonte Ctesiam toties falsi compertum, toties damnatum advocavit ut mendaciorum architectus sententiam de veritate pronuntiaret. Benè autem se res habet, quod fateatur unum Ctesiam (Nam ex eo Diodorus assumpsit) hujus sententiæ fundum esse.

Nini initium connectit cum anno M. 1717. Constat Phaleg, sub quo homines aut primum nato, aut adulto dispersi sunt ab opere turris Babylonicæ, natum esse anno M. C. 1757. Cœpit igitur Ninus monarchiam condere & orbem victoriis peragrare, antequam cultores essent istarum regionum, aut ab hominibus primis illæ occuparentur. Quid tam alienum ab omni sensu dici potuit? Si hoc telo non satis disjicitur hoc initium imperii Nini, nescio quo argumento ulla veritas defendi queat. Si Ninus cœpit imperare, sexaginta annis post diluvium, fuit inter primos ἀρχηγέτας gentium primosque nepotes Noë. Mirum igitur à Mose præteritum, qui universam sobolem Noë, è qua orbis propagatus est, anxie describit. Ut hunc ictum declinet Scaliger, Ninum eundem vult esse cum Assur. Atqui Moses diserte pronuntiat non Assur sed Nimrod cœpisse dominari. Eoque in loco non describitur dominatio Assur sed imperium Nemrod. Gen. X. 9. 10. 11. hæc tria de eo narrantur. I. Eum fuisse primum bellatorem & monarcham, *robustum venatorem coram Domino.* II. Quod principium regni habuerit? *Principium regni ejus Babel, Arech, Accad, Chalne.* III. Quomodo regnum ampliaverit, sedemque imperii aliò transtulerit: *Condidit Ninum & vicinas urbes.* Hoc est initium imperii Assyriorum, quod primum in terris, si simul Chaldaicum initio conjunctum comprehendas. Gratulatur sibi Scaliger, quod invenerit regnum Babylonico antiquius & regem vetustiorem Nimrodo: quod utrumque evidenter contradicit sacris literis, quæ Nimrod antiquissimum & primum regem, Babylonicum primum imperium statuunt. Si mansisset Scaliger in prima sententia, qua Nemrod voluit esse Ninum (quanquam hoc alienissimum sit à vero) non tam prolixe aberrasset. Porrò Ninum præcessit Belus, annis, ut volunt, 54. imperio possesso. Qui Babylonicum Assyrio imperium conjunxit anno regni sui Assyriaci 27. Sic enim computat Scaliger. Africanus apud Eusebium narrat Chaldæos primos se appellasse reges: quorum primus Euechous sit in sacris literis Nemrod. Eorum dominationem post annos 215, (Scaliger habet annos 224) reges septem ab Arabibus esse subjugatam possessamque annis 216. Sic secundum Scaligerum 40. annis ante annum 27. Beli Chaldæorum imperium duraverat. Belus regnare incepit anno M. C. 1662. id est anno septimo post diluvium. Jam tum igitur regna in mundo erant. Anno M. 1689. desiit Arabum in Babylonia dynastia. Deme annos 440. relinquetur annus M. 1249. id est plusquam quadringentis annis ante diluvium. Duæ illæ dynastiæ in imperio

Chal-

Chaldæorum rejici non possunt. Indicant veritatem Chaldaica nomina & excerptæ sunt sine dubio è Beroso scriptore Chaldæo. Horum fini Belum subjiciebat Berosus. Et Belo isti principium regni Assyriorum multi autores tribuebant. Berosus nunquam Belum Assyrio imposuit imperio sed Babylonio. Illi autores quos sequitur Africanus in imperio Assyrio designando, imperium illud à Belo incipere voluerunt idque secundum Ctesiam. Ninus Beli filius fuit sed Belus Babylonius & Assyrius ille, ni fallor, distingui debent. Anne fieri potest, ut aliquis ita sui obliviscatur, ut hoc in loco Scaliger: qui Chaldæos nullum antiquius Assyrio regnum nullum vetustiorem regem Nino agnovisse pronunciat, cum Berosus dynastias duas in Chaldæa & ex eo Africanus, ex Africano ipse Scaliger posuerint? Fuit regis filius, Beli Ninus, patris non minus gloriosi, quam ipse fuit. Idem ille Scaliger locum quendam in Curtio, cunctis eruditis approbantibus restituit. Ille locus est lib. 3. *Ex quo eminebant duo aurea simulacra cubitalia: quorum alterum in, alterum belli gerebat effigiem.* Ita legitur in editionibus primis. Ita etiam lego in editione Tubingensi anni 1513. apud Thomam Anshelmum Badensem: & in editione Antverpiensi anni 1546. apud Johannem Loeum. Pro *in* recentiores ediderunt *pacis*, quia ea bello benè adjungitur. Scaliger secutus vestigia ipsius textus: *alterum Nini, alterum Beli gerebat effigiem.* Ideo autem eas imagines expressas esse, quia duo imperia Chaldaicum in Belo, Assyrium in Nino figurabant. Nam Belus Babylonici, Ninus Assyriaci autores fuerunt. Belûm istum Nino antiquiorem fuisse non dubitaverim. Sciebant igitur Chaldæi alium regem & quidem suum vetustiorem Nino.

Si Euechous Nemrod esset, qui post dispersionem hominum cæpit imperare circa annum 1660, jam in Belo desierit Arabum dominatio anno M. C. 2100. Sed quicquid dixerint antiquitatis Nini prædicatores, Euechous non est Nemrod. At de eo posteà Scaliger assumit Callisthenis ad Aristotelem literas de antiquitate Chaldaica: Sic confundit diversissima. Nam Callisthenes non scribebat de antiquitate regis alicujus aut regni Babylonici sed observationum Astronomicarum. Quid si dicamus observationes à cœpto turris opere deductas id est ab anno 1717. inde non sequetur Nemrodi multo animus Nini tam antiquum esse initium. Nemrod cæpit regnare post dispersionem, multò serius Ninus. Quia in eundem annum conveniunt Ctesiæ tempora cum observationibus Callisthenis, ideò putat confirmari initium Nini. Ab hoc enim rege prius, ut posteà à Nabonassare epocham observationum inscriptionem cæpisse? At quis dixit Scaligero, quod illi epocham à Nino in usu habuerint? Ctesiæ supputatio à Nino & observationum antiquitas in principium idem coëunt. Temeraria & fortuita est illa coïtio. Sed videamus quomodo coëat. Astyages finiit, Cyro Persarum imperium capessente ad annum M. C. 3391. Constat enim Cyrum in Perside iniisse olympiadis LV. anno primo. Imperium Medorum stetit juxta Ctesiam annis 317. Ita pro Sardanapali casu & Nini eversione monstrabitur annus 3074. Hinc auferri debent 1360. pro initio Nini: Habebis annum 1714. Nam Astyages non imperavit annis 40. sed 35. ut diserte testatur Herodotus. Constat eum regnasse annis 35. non 40. Deioces (malè Cyaxares apud Diodorum) decimæ septimæ Olympiadis anno secundo rex apud Medos electus est, id est anno M. C. 3240. Hinc secundum Herodotum incepit Medorum imperium. Quibus si addantur regum Mediæ apud Herodotum anni (150) rursum exsurget annus M. C. 3390. absolutus scilicet. Unde apparet triginta quinque annis regnasse Astyagem. Notabis porro Ctesiæ attribuere Diodorum, quod 1360. annos numeret,

ret, à Nino ad Sardanapali casum πλείω τῶν χιλίων καὶ τριακοσίων ἔτη δ' ἑξήκοντα. Non igitur exactè anni 1360. Rursum: Ἡ μὲν οὖν ἡγεμονία τῶν Ἀσσυρίων ἀπὸ Νίνου διαμείνασα ἐπὶ τριάκοντα (adde καὶ πέντε) γενεάς, ἔτη δὲ πλείω τῶν χιλίων καὶ τετρακοσίων ὑπὸ Μήδων &c. Si annis plus mille quadringentis steterit, eversa sunt ratiocinia Scaligeri. Ante annum M. 1670. Ninus regnare cœpit. Hoc est cum Noë nondum quatuordecim annis extra arcam fuisset. Si Cephalionis fragmentis adhibemus fidem, qui Ctesiam sequi se profitetur, centum annis diluvio Ninus est antiquior. Justinus Trogi abbreviator stetisse imperium Assyriorum dicit annis 1300. sed legendum me autore 1400. Sed his omissis Ctesiam in suis narrationibus aggrediamur.

Diodorus: Τὸ παλαιὸν τοίνυν κατὰ τὴν Ἀσίαν ὑπῆρχον ἐγχώριοι βασιλεῖς, ὧν οὔτε πρᾶξις ἐπίσημος οὔτε ὄνομα μνημονεύεται. πρῶτος δὲ τῶν εἰς ἱστορίαν καὶ μνήμην παραδεδομένων Νῖνος ὁ βασιλεὺς τῶν Ἀσσυρίων μεγάλας πράξεις ἐπετελέσατο.

Antiquitus ante Ninum Asiam regibus fuisse regnatam, sed quorum res gestæ sint in obscuro, quia non egrediebantur limitibus suorum regnorum. De his regibus abbreviator Trogi: *Principio rerum, gentium nationumque imperium penes reges erat: quos ad fastigium hujus majestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio provehebat. Populus nullis legibus tenebatur, arbitria principum pro legibus erant. Fines imperii tueri magis quam proferre mos erat: intra suam cuique patriam* (ἐγχώριοι βασιλεῖς *Diodoro*) *regna finiebantur. Primus omnium Ninus rex Assyriorum veterem & quasi avitum gentibus morem, nova imperii cupiditate mutavit.* Paulo post: *Fuere quidem temporibus antiquiores. Vexoris Ægypti & Scythia rex Tanaus quorum alter in Pontum, alter usque Ægyptum excessit: sed longinqua non finitima bella gerebant: nec imperium sibi sed populis suis gloriam quærebant; contentique victoria, imperio abstinebant. Ninus magnitudinem quæsitæ dominationis continua possessione firmavit.*

II. Somniat Justinus seu Trogus Ninum fuisse proximum aureæ ætati, qua sine ambitione sceptra obtinebantur. Interim Vexorin Ægypti regem ut lib. 2. docet, mille quingentis annis Nino fuisse antiquiorem. Vexoris ille Sesostris est, quem Mœri posteriorem fuisse docent Diodorus & Herodotus ut suprà à nobis est ostensum. Primus Scytharum rex Targitaus, ipsis Scythis prodentibus apud Herodotum lib. 4. Darii in Scythiam transitum non amplius quam mille annis antecessit. Darii in Scythas transitus fuit anno M. C. 3439. Targitaus igitur primus rex vivebat anno circiter 2440: fuit antiquior Tanao si non est ipsus. Sic removetur Ninus post annum M. C. 2500. Ante quem Vexoris fuerit quindecim seculis.

III. Cum Ninus imperium sibi quærere vellet domiti orbis, amicitiam contraxisse refert Diodorus, cum Ariæo rege Arabum, quod gentem eam fortissimam esse animadverteret. Junctis igitur copiis Babyloniorum regionem subjugasse primam: Regem captivum abduxisse cum liberis & interfecisse. Quis fuit ille Babyloniæ terræ rex, cum Babylon nondum esset? Scriptura dicit Babylona urbem in terris primam fuisse. Hic plurimas urbes fuisse dicit & in ipsa Babyloniorum terra. κατ' ἐκείνους δὲ τοὺς καιροὺς ἡ μὲν νῦν οὖσα Βαβυλὼν οὐκ ἦν ἐκτισμένη, κατὰ δὲ τὴν Βαβυλωνίαν ὑπῆρχον ἄλλαι πόλεις ἀξιόλογοι.

IV. Hinc Armeniam aggreditur, cujus rex Barzanes obviam occurrit cum donis, eoque recipitur in gratiam. At Mediæ regem Pharnum, acie victum cum liberis septem & conjuge cepit & in crucem egit. Hinc annis septendecim inter Tanaim & Nilum omnes populos perdomuit, exceptis Indis & Bactrianis.

V. Bellum Bactrianum haud felici successu tentatum in aliam distulit occasio-

casionem. Interim magnæ molis urbem, quam Ninum appellavit, condere est aggressus. Eam ad Eufratem condidit. Ninum regum Assyriæ sedem fuisse ad Eufratem? Assyria est ultra Tigrin. Id meritò Josepho Scaligero excussit hominis detestationem, qui dummodo Herodoto contradiceret, nihil pensi habebat. De ista Nino ad Eufratem nihil cognoverunt rerum gestarum Alexandri scriptores, nihil Romanorum & Parthorum arma: nullus Geographus meminit. Philostratus in vita Apollonii, Ammianus Marcellinus meminerunt. Priori commodum hoc fuit, quia mendacia scribebat, alter fidem adhibuit Philostrato. Et mirabantur vulgo homines, aperto jam oriente armis Alexandri & Romanorum nullam Ninum nec Nini ullius vestigia ad Eufratem superesse. Marcellinus lib. 14. in Comagene collocat veterem Ninum: *Comagena nunc Eufratensis clementer assurgit, Hierapoli, vetere Nino & Samosatis civitatibus amplis illustris.* Philostratum secutus est, ejusque fidem. Apud eum Damis Apollonii discipulus antiquam Ninon habitasse scribitur. Hinc Marcellinus accepit & alii. Straboni Comagene parva est regio cui adjecit Seleuciam Pompejus. *Zeugma* (ista Plinius) *LXXII. millib. passuum à Samosatis transitu Euphratis nobile. Ex adverso Apamiam Seleucus, idem utriusque conditor ponte junxerat.* Quatuor insignes urbes Antiochia apud Daphnen, Seleucia, Apamia & Laodicea Seleucidis (quæ & τετράπολις) regionis erant, distinctæ à Comagene. Antiochia illa caput Syriæ erat & regia. Nulla in his locis Ninus fuit, nisi aliquis vicus aut oppidum vile hoc nomine fuerit, quem vicum mythologi persuadere voluerunt esse ipsa Nino Assyriæ antiquiorem. Quis credat hic fuisse regiam regum Assyriæ? Ctesias etiam Ninon tantum unam noverat. Pergamus nunc reliquam fabularum telam detexere.

VI. Semiramidis originem refert. Ortam esse è Palæstina prope Ascalonem. Apud eam enim urbem lacum ingentem esse & profundum juxtaque templum Dercetus: cujus simulachrum faciem habeat mulieris, reliquum corpus in piscem effigiatum. Causam hujus figuræ hanc fabulantur: Venerem offensam Dercetœ injecisse amorem juvenis cui nomen Syri fuerit. E quo gravida, editam femellam exposuit in loco deserto: ipsam se mersit lacu. Mutatam esse in pisces. Ex eo Syris pisces sacros esse. Infantulum columbæ alis tegunt, lacte rostris allato alunt. Cum ita annum primum egressa solidiore alimento indigeret, è caseis particulas attulisse. Pastores cum viderent caseos arrosos, mirantur primo, inde observant quid fieret. Virgunculam enim insigni specie reperiunt, donantque Simmæ, regiorum pecorum magistro. Is liberis carens, pro filia educat, nomine imposito è columbarum nutricatione. Quis autem intellexit unquam columbarum Syriacam appellationem cum nomine Semiramidis habere affinitatem? Hanc fabulam de Semiramidis origine nescio an è Ctesia recitet Diodorus.

VII. Sequentia Ctesiæ extra dubium sunt. Maturam & forma præcellenti virginem ductam esse à Menone, Syriæ præside: qui ex ea filios duos sustulerit, Hypaten & Hydaspen. Fuit autem maritus in Semiramidis potestate ob formam feminæ & prudentiam. Circa id tempus alteram in Bactrianos expeditionem parat Ninus. Copias supra fidem ingentes cogit, decies septies centena peditum millia, ducenta ac decem millia equitum, currus falcatos decies mille ac sexcentos. Estne quisquam, qui credat ea tempestate (altero seculo post diluvium) Asiam tot homines habuisse? Diodorus frustrà copiarum numerum defendit, quia ignoravit mundi novitatem. Cum enim ante Ninum exordium rerum pluribus seculis antecessisse existimaret & homines murium in modum è terra ebulliisse, adduci potuit ut crederet.

VIII. Ea tempestate Bactrianis imperabat Oxyartes, qui cum quadringentis millibus in aditu regionis occurrens, centum hostium millia per angustias ingressa cæcidit, victus tamen est virium Nini incubitu. Cum se intra munitiones continerent Bactriani castellis facile expugnatis, Bactra potissimum obsidionem protrahebant. Menones desiderium non ferens, malo suo Semiramin uxorem ad se vocat in castra. Ea in itinere novum vestis genus commenta est: quo postea eæ gentes usæ fuerint. Cum in castra advenisset, (ut heroina erat virili animo) speculatam excubiis regligentius custodiri partem urbis in edito sitam, assumptis expeditis eluctatam in ardua, expugnationi aperuisse initium. Ita in notitiam regis penetravit: qui visæ amore captus, cum à volente non posset marito, extorsit invito. Ex ea suscepit Ninyan filium. Defuncto Semiramis ad Eufratem, juxta urbem Ninon, mausoleum condidit. Justinus è Trogo: *Postremum illi bellum cum Zoroastre rege Bactrianorum fuit: qui primus dicitur artes magicas invenisse & mundi principia siderumque motus diligentissime spectasse. Hoc occiso & ipse decessit, relicto impubere adhuc filio Ninya & uxore Semiramide.* Ctesias regem Bactrianorum Oxyarten vocat apud Diodorum, nec meminit artium magicarum. In historia tamen Ctesiæ Zoroastres fuit memoratus cum artibus Magicis. Arnobius: *Ut inter Assyrios & Bactrianos Nino quondam Zoroastreque ductoribus non tantum ferro dimicaretur & viribus, verum etiam magicis & Chaldaeorum ex reconditis disciplinis invidia nostra hac fuit?* Iterum: *Age nunc veniat quaso per igneam Zonam interiore ab orbe Zoroastres, Hermippo ut assentiamur autori. Bactrianus & ille conveniat, cujus Ctesias res gestas historiarum condidit in primo.* Ita locus debet distingui. Zoroastres enim secundum Hermippum fuit ex locis ultra Zonam torridam, Bactrianorum rex fuit juxta Ctesiam. Oxyartes & Zoroaster hic idem nomen est.

De Semiramide Assyria.

I. Diodorus è Ctesia primo exponit admiranda opera, quæ per universam Asiam Semiramis struxit. Babylona condidisse adhibitis ad operis structuram vicies centenis hominum millibus. Ambitum mœnium 360. stadiorum fuisse, latitudinem quæ sufficeret sex curribus transitum, altitudinem incredibilem. Pontem admirabilem, triginta pedes latum, quo urbis partes flumine divisæ jungerentur. Duas regias mirabili firmitudine & opere: arcem intra murum 30. stadia complexum. Lucum Babylonium, cuniculum subter alveum fluminis: Beli templum. Hortum pensilem fatetur opus esse regis cujusdam Syri. Quæ de magnificentia urbis & operum dicuntur vera sunt, sed falso tribuuntur Semiramidi Assyriæ, quam certum mihi est, nunquam Babylona in potestate habuisse. Urbem & turrim condiderunt primò homines primi ex oriente illuc progressi Gen. XI. Ornavit absque dubio Nemrod. Belus teste Abydeno, primus urbi murum circumdedit & derivatis aquis locum fecit habitabilem: hinc Nabucodrosorum illa ingentia opera condidisse. Berosus ubi ostendit, qui, quæ reges Babyloniæ, urbem & opera condidissent, redarguit Græculos Ctesiam eumque secutos ad Semiramidem Assyriam ista referentes. De Beroso testatur Josephus: Ταῦτα μὲν, inquit, οὗτος ἱστόρηκεν περὶ τοῦ προειρημένου βασιλέως καὶ πολλὰ πρὸς τούτοις (add. ἐν τρίτῃ) τῶν Χαλδαϊκῶν, ἐν ᾗ μέμφεται τοῖς Ἑλληνικοῖς συγγραφεῦσιν, ὡς μάτην οἰομένοις ὑπὸ Σεμιράμιδος τῆς Ἀσσυρίας κτισθῆναι τὴν Βαβυλῶνα καὶ τὰ θαυμάσια κατασκευασθῆναι περὶ αὐτὴν ὑπ' ἐκείνης ἔργα ψευδῶς γεγραφόσι. Et merito accedit Josephus Beroso patrias res scribenti.

II.

II.* Justinus è Trogo: *Hæc nec immaturo ausa tradere imperium nec ipsa palam tractare, tot ac tantis gentibus vix patienter uni viro nedum feminæ pariturus simulat se pro uxore Nini filium, pro femina puerum. Nam & statura utrique mediocris & vox pariter gracilis & lineamentorum qualitas matri ac filio similis. Igitur brachia ac crura velamentis, caput tiara tegit; Et ne novo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu & populum vestiri jubet: quem morem vestis exinde gens universa tenet. Sic primis initiis sexum mentita puer esse credita est. Magnas deinde res gessit: quarum amplitudine, ubi invidiam superatam putat, quæ sit fatetur quemve simulasset. Nec hoc illi dignitatem regni ademit sed admirationem auxit; quod mulier non feminas modò virtute sed etiam viros anteiret. Hæc Babyloniam condidit murumque urbi cocto latere circumdedit, arenæ vice bitumine interstrato: quæ materia in illis locis passim è terra exæstuat.* Non video, qui cohæreant, immaturum fuisse & tamen statura æqualem matri, quæ mediocris staturæ esset. Novi habitus originem paulo aliam, quam Diodorus refert. Babylona condidisse cum Ctesia harum fabularum principe, narrat. Curtius: *Semiramis eam condiderat, vel (ut plerique credidere) Belus.*

III. Semiramis (ut refert Diodorus) in Media duos paradisos, admirabili opere condidit. In urbe Egbatanis magnificam regiam. In Perside aliisque regionibus egregia opera struxit. Ægyptum obiit, Libyæque maxima parte subacta Ammonis oraculum adiit. Oraculum significavit: Ἐξ ἀνθρώπων ἀφανισθήσεσθαι καὶ κατὰ τὴν Ἀσίαν παρ' ἐνίοις τῶν ἐθνῶν ἀθανάτου τεύξεσθαι τιμῆς: ὅπερ ἔσεσθαι καθ' ὃν ἂν χρόνον ὁ υἱὸς αὐτῇ Νινύας ἐπιβουλεύσῃ. Æthiopiæ plurima in ditionem redigisse. Nunquam Ægyptum nedum Libyam Æthiopiamque adiit Semiramis: quemadmodum ex Ægypti historia regum & dynastiis certum est, sed Ctesias inde materiam venatus est nugandi & contradicendi Herodoto: deinde uti omnem suam de his regionibus & rebus notitiam ostentaret.

IV. Scribit Diodorus compositis Ægypti Æthiopiæque rebus cum exercitu Bactra se contulisse, quasi alas haberet ipsa & ejus milites. Cum pace frueretur Indiam aggredi voluisse. In triennium se instruxisse. Navium architectos è Phœnice, Syria, Cypro naves solutiles & portatiles parasse. Boves nigros in similitudinem elephantorum machinatam, comparasse peditum tricies centena millia, equitum millia quingenta, curruum centum millia. Apparatum cæterum adsimilem. Stabrobates rex Indorum operam dedit, ut apparatu in nullam partem esset inferior. Indum Semiramus felici successu victis Indorum copiis, superavit: sed in interiora cedentibus consulto Indis tracta, superatur elephantorum Indicorum virtute. In fugam pulsa per pontem copias traducit recipitque in Bactra, vix tertia parte superstites. Paulò post insidiis filii appetita, regnum illi tradidit: Tum à conspectu hominum, ut ad deos migratura subduxit se nec amplius visa est. Creditum est in columbam esse commutatam. Fabulas istas Ovidius suis metamorphoseon libris inseruit:

Illa quid è multis referat (nam plurima narrat)
Cogitat: & dubia est de te Babylonia narret
Derceti, quam versa squamis velantibus artus
Stagna Palæstini credunt coluisse figura.
An magis ut sumptis illius filia pennis
Extremos altis in turribus egerit annos.

Strabo non credit Cyrum & Semiramin in Indiam penetrasse nec quenquam ante Alexandrum M. Nearchus refert Alexandrum incitatum fama Cyri & Semira-

miramidis expeditionis Indicæ, in istam expeditionem vehementius incubuisse. Cum Cyrus fugisset cum 7. hominibus, Semiramis cum viginti. Id conari voluisse quod illis infeliciter cesserat. Megasthenes negat fidem esse habendam antiquis narrationibus Indicis. Credit eò penetrasse Bacchum & Herculem, non credit de Cyro & Semiramide. Eratosthenes etiam & plerique alii ne quidem de Hercule & Baccho credunt. Semiramin cogitasse Megasthenes concedit sed obiisse πρὸ τῆς ἐπιχειρήσεως.

IV. Ex Athenæo aliisque quibusdam scriptoribus multum diversa ab istis Ctesiæ narrationibus (quo ad originem & subvectionem Semiramidis ad diadema) Diodorus refert: Meretricem fuisse eleganti forma, adamatam à Nino, pervenisse in thorum: blanditiis suis à viro impetrasse imperium in quinque dies. Ita sceptri compotem, cum prompta ad obsequium omnium ministeria haberet, maritum primò in carcerem, inde morti dedisse. Ctesiæ computus Semiramidem refert ad annum M. 1772. ut defuncta sit anno 1814. Porphyrius paulò ante Troica aut ipsis temporibus vixisse asserit. Quod improbatur à Scaligero, Bocharto aliisque summis viris, consentit tamen cum Herodoto & veritate.

De Ninya & sequentibus regibus.

1. NInyas contentus elaborato à parentibus imperio, belli studia deposuit & veluti sexum cum matre mutasset, raro à viris visus, in feminarum turba consenuit. Hoc tamen usus est consilio: Quo firmius tutiusque regnum haberet & terrori esset subditis, præsidia & præsides provinciarum singulis annis mutabat.

2. Eum morem fere posteri secuti sunt usque ad Sardanapalum. Regum nomina Ctesias retulit sed quia nihil memorabile gesserunt, ab iis, qui è Ctesia sua hauserunt, omittuntur. Diodorus refert Teutamum vigesimum à Ninya, auxilia misisse Priamo adversus Græcos duce Memnone Tithoni filio. Priamum ὑπήκοον ὄντα τῷ βασιλεῖ τῶν Ἀσσυρίων, ab eo petiisse subsidium. Memnonem ducem fuisse Persidis, arcem Susis condidisse, viam stravisse suo nomine ad posteros notas. Primus Ctesias Memnonem illum fuisse regis Assyrii ducem dixit. Strabo de urbe Susorum: Λέγεται γὰρ δὴ καὶ κτίσμα εἶναι τιθωνοῦ τοῦ Μέμνονος πατρὸς, κύκλον ἔχουσα ἑκατὸν καὶ εἴκοσι σταδίων, παραμήκης τῷ σχήματι ἡ δ' ἀκρόπολις ἐκαλεῖτο Μεμνόνειον. Refert etiam alios sentire, quod Memnon sit ille, quem Ægyptii Ismanden vocant. Hic Osymandyas est, de quo vide apud Diodorum. Cum tam diversimodè de Memnone sentirent autores, Ctesias sui Teutami (alludente vocabulo ad nomen Tithoni) subditum facere potuit.

3. Cephalionis fragmenta apud Eusebium habentur, quæ describam ut appareat, illum nullam certiorem notitiam attulisse ad scribendum, quam invenerat in Græculis illis prioribus ante tempora Alexandri. Exordium, quo inchoabat opus suum de Assyriis, Musarum nominibus inscriptum, ejusmodi erat: Ἄρχομαι γράφειν ἀφ' ὧν ἄλλοι τε ἐμνημόνευσαν καὶ τὰ πρῶτα Ἑλλάνικός τε ὁ Λέσβιος καὶ Κτησίας ὁ Κνίδιος, ἔπειτα Ἡρόδοτος ὁ Ἁλικαρνασσεύς. Τὸ παλαιὸν τῆς Ἀσίας ἐβασίλευσαν Ἀσσύριοι, τῶν δὲ ὁ Βήλου Νῖνος. Inde infert (verba sunt Eusebii aut Africam) γένεσιν Σεμιράμεως καὶ Ζωροάστρου μάγου ἔτει νβ τῆς Νίνου βασιλείας. Verba Cephalionis: Μεθ' ὃν Βαβυλῶνά (φησιν) ἡ Σεμίραμις ἐτείχισε τρόπον, ὡς πολλοῖσι λέλεκται, Κτησίᾳ, Ζήνωνι, Ἡροδότῳ καὶ τοῖς μετ' αὐτούς. Ipsiusque expeditionem adversus Indos & cladem & quod filios suos occiderit & ab uno filiorum Nino occisa sit, qui suscepit imperium. Rursum deinde verba Cephalionis affert,

quæ

quæ post hæc & alia sequuntur: Καὶ τῶν λοιπῶν εἰς χίλια ἐτῶν ἀριθμὸν ἦρχον παῖς παρὰ πατρὸς ἐκδεχόμενος τὴν ἀρχὴν, καὶ ἔχων ἥττων οὐδεὶς αὐτῶν ἐβασίλευσεν τῶν γ καὶ κ (leg. λ.) Τὸ γὰρ ἀπόλεμόν τι καὶ ἀφιλοκίνδυνον γυναικῶδες αὐτοῖς ἦν ἀσφαλές. Ἔνδον γὰρ ἔμενον, οὐδέ τι αὐτοῖς ὧν ἔργον ἐπεποίητο. οὐδὲ ἑώρα τις αὐτούς, πλὴν ἄιτε παλλακίδες καὶ τῶν ἀνδρῶν οἱ γυναικώδεις. Τοὺς δὲ βασιλεῖς τούσδε ὅστις εἰδῆσαι βούλεται, Κτησίας ἐστὶν ὁ λέγων τὰ ὀνόματα αὐτῶν κ (leg. λ') εἶναι καὶ γ. Ἐμοὶ δὲ ἡ γραφὴ τί τερπνὸν, ἢ τί χαρίεν ἔμελλεν ὀνομακλήδην ἀναπτύξειν βαρβάρων φανέντι τυράννους, δειλοὺς καὶ μαλακοὺς βαρβάρους. Post ea etiam affert, quæ ad annos pertinent: Ἐτῶν δὲ ὄντων ἀπὸ Νίνου τετρακοσιοστῷ καὶ χ. Βέλιμος ἐβασίλευσεν Ἀσσυρίων, καὶ ἀφικνεῖται Περσεὺς ὁ Δανάης εἰς τὴν χώραν αὐτοῦ ναῦς ἄγων ρ. Ἔφυγε δὲ Περσεὺς Διόνυσον τὸν Σεμέλης υἱέα. Et deinde: ὑστέρῃ δὲ γενεῇ κατὰ Πανίαν ἄρχοντα ὁ τῶν Ἀργοναυτῶν στόλος ἐπί τε Φᾶσιν καὶ Μηδείαν τὴν Κολχίδα καὶ Ἡρακλέα πλανηθέντα ἀπὸ τῆς νεὼς διὰ τὸν ἔρωτα τοῦ Ὕλα λέγουσι περὶ τοὺς Καππάδοκας ἀληθῆναι. Et rursum: χιλίων δὲ ἐτῶν ἀπὸ Σεμιράμεως εἰς Μήτραιον βασιλέα ἂν ἀριθμοῖτο, περιτελλομένων. Μήδεια Κολχὶς ἀνεχώρησεν Αἰγέως. ἧς υἱὸς Μῆδος· ἐξ οὗ Μῆδοι, καὶ ἡ χώρα ἐκλήθη Μηδία. Deinde infit: Μητραῖος δὲ τὴν ἀρχὴν διαδέχεται πεντηκοστὸς ζ καὶ κ αὐτοῖς κατὰ ἔθη τὰ Ἀσσυρίων καὶ νόμους. Καὶ ἄλλο μὲν οὐδὲν ἐγένετο οὐδὲ ἐπὶ τούτου καινὸν ἔργον, Ἀγαμέμνων δὲ καὶ Μενέλαος οἱ Μυκηναῖοι ἐστράτευσαν σὺν Ἀργείοισι καὶ τοῖσι ἄλλοισι Ἀχαιοῖς εἰς Ἴλιον πόλιν τοῦ Πριάμου τοῦ Φρυγὸς στρατηγίης.

Hæc in eum finem potissimum videnda exhibuimus, ut pateat Cephalionem, vanissimi ingenii hominem, nihil nisi scrinia, compilasse. In regibus enumerandis usque ad Sardanapalum apprimè convenit inter Diodorum & Cephalionem. Teutamus apud Diodorum est vigesimus quintus (emendata lectione) à Ninya, apud Cephalionem vigesimus septimus à Nino. Diodorum allegamus ut allegatur apud Eusebium lib. 1. Chronicorum in editione Græca Scaligeri. Cephalio à principio Nini ad Belimum colligit annos mille & quadraginta: mille annos à Semiramide ad Metræum. Si anno secundo Metræi contigerit exitus Hebræorum ex Ægypto id est anno M. C. 2443. sic annus primus Semiramidis convenerit anno M. C. 1452. Scaliger accusat merito Eusebium, quod Assyriorum regum Ctesiæ catalogum mutilaverit, Abrahami natalem conjungat cum anno 43. Nini, ipse etiam Belimum non expressit: qui inter Lampraen & Panyam inseri debet.

Reges triginta quinque à Nino ad Sardanapalum numerat Ctesias & ex eo Diodorus & Cephalio, à Belo quadraginta & unum exhibet Scaliger. Eusebius consentit cum, Ctesia Diodoro & Cephalione in numero regum, discedit ab eo Scaliger. Mille ducentos & quadraginta annos Eusebius universæ dat durationis; imminutæ ultrà annos 160. Catalogus regum apud Eusebium

I. Ninus ann.	52.	Id etiam apud Cephalionem.
II. Semiramis ann.	42.	Ita & apud Diodorum Ctesiae.
III. Ninyas seu Zameis ann.	38.	
IV. Arius ann.	30.	
V. Aralius ann.	40.	
VI. Xerxes, seu Baleus ann.	30.	
VII. Armamitres ann.	38.	
VIII. Belochus ann.	35.	
IX. Baleus ann.	52.	
X. Altadas ann.	32.	al. Sethus.
XI. Mamitus ann.	30.	
XII. Manchaleus ann.	30.	al. Aschalius.

XIII.

XIII. Spherus ann. 20.
XIV. Mamitus 2. ann. 30.
XV. Sparetus ann. 40. al. Spartheus.
XVI. Ascatades ann. 40.
XVII. Amintes ann. 45.
XVIII. Belochus ann. 25. Apud Agathiam Belus appellatur Filia ejus Atossa quæ & Semiramis regnavit una cum patre annis 12. Hic desiit stirps Semiramia.
XIX. Bellepares ann. 30. al. Balatores. Hic hortulanus astu imperium sibi & suo generi rapuit & firmavit usque Sardanapalum.
XX. Lamprides ann. 32.
XXI. Sosares ann. 20.
XXII. Lampraes ann. 20. Post hunc est Belimus apud Cephalionem
XXIII. Panyas ann. 45. Hic Cephalioni & Diodoro erit XXIV.
XXIV. Sosarnus ann. 19.
XXV. Mitræus ann. 27.
XXVI. Tautanes ann. 32. Cephalioni & Diodoro XXVII.
XXVII. Teuteus ann. 40.
XXVIII. Thineus ann. 30.
XXIX. Dercylus ann. 40.
XXX. Eupales ann. 38. al. Eupacmes.
XXXI. Laosthenes ann. 45.
XXXII. Pyritiades ann. 30.
XXXIII. Ophratæus ann. 20.
XXXIV. Ophratenes ann. 50. al. Ephacheres.
XXXV. Ocrazapes ann. 28. al. Acracarnes.
XXXVI. Sardanapalus ann. 20. Hic fuit ultimus dynastiæ secundæ, quæ fuit Belitaridarum secundum Bionem & Polyhistorem.

Scaliger inter Teutæum & Thinæum interserit Arabelum, Chalaon, Anabon & Babion; quibus anni 42, 45, 38, 37. in summa 162. Sic Teutamum removet longe antè casum Ilii, cum quo tamen Ctesias, testibus Diodoro & Cephalione, eum conjungit. Certum est Eusebium non sequi numeros annorum Ctesiæ, quamvis eadem nomina regum exprimat; sequitur enim Castorem Chronographum, qui Ctesiæ annos contraxit. Georgius Syncellus: ὁ μέντοι Εὐσέβιος καίπερ πραγματείαν οὐ τὴν τυχοῦσαν συλλεξάμενος φιλοπόνως, καὶ ταύτῃ τὴν ἑαυτοῦ χρονικὴν συγγραφὴν κατασημηνάμενος &c. ἐν λξ βασιλεῦσι τὴν Ἀσσυρίων ἀρχὴν περιέλαβεν, ἔτεσι δὲ αῦ, τῷ Κάστορι μᾶλλον ἀκολουθήσας οὐ κατὰ τὴν μαρτυρίαν προσήγαγεν ασπ ἔτη φάσκοντα τοὺς Ἀσσυρίων βασιλεῖς ἄρξαι. Scribit Castorem dicere, quod Assyrii regnaverint annis 1280. Fragmentum Castoris è Canone chronologico non integrum legitur in lib. 1. Chronicorum Eusebii Græco: Πρῶτον μὲν εἶναι τοὺς Ἀσσυρίων βασιλεῖς κατειλήφαμεν τὴν ἀρχὴν ἀπὸ Βήλου πεποιημένους· τὰ δὲ τῆς βασιλείας αὐτοῦ ἔτη μὴ παραδεδόσθαι σαφῶς, τοῦ μὲν ὀνόματος μνημονεύομεν, τὴν δὲ ἀρχὴν τῆς χρονογραφίας ἀπὸ Νίνου πεποιήκαμεν ἐπὶ Νίνον τὸν διαδεξάμενον τὴν βασιλείαν παρὰ Σαρδαναπάλου. Sensus est Beli annos non tradi evidenter, ideo se à Nino Chronographiam texere usque ad Ninum. Plura descripserat Eusebius, sed sequentia invidit vetustas. In his quod à Nino ad Ninum Assyriorum monarchia steterit annis 1280. Si iste Ninus ultimus, quem ignoravit Ctesias, regnum

gnum tenuerit annis 40. pariabunt Castoris & Eusebii rationes. Non pariasse per omnia videtur ostendere Georgius, cum dicit Eusebium τῷ Κάστορι μᾶλλον ἀκολυθῆσαι.

Quod triginta quinque reges fuerint à Nino ad Sardanapalum, secundum Ctesiam, in eo consentiunt veteres, quamvis aliter arbitratus sit Scaliger. Sic enim Scaliger in Canonum Isagogic. lib. 3. *Constat Assyrios totius orientis, præterquam Indorum, dominos fuisse. Atque ut illud certum est, ita hoc controversum, quot reges & quot annos imperarint. Diodorus triginta quinque memorat è Ctesia. Ita enim Eusebius legebat apud Diodorum:* Σαρδανάπαλος δὲ τριακοστὸς ἐστὶ καὶ πέμπτος ἀπὸ Νίνου τοῦ συστησαμένου τὴν μοναρχίαν. *At in editione Henrici Stephani nostri* τριακοστὸς *tantum legitur. Quare locus corrigendus. Cephallion 23. tantum numerat. Sed fuit ille nugacissimus scriptor. Vellejus Sardanapalum tertio & trigesimo loco à Nino ponit, uno tantum rege à Ctesia & Diodoro dissidens nisi error sit, cujusmodi non pauci in illo luculento scriptore leguntur, non illius sed librariorum vitio, de duratione imperii non minor est dissensio. Cephallion ille nugatur mille annos durasse: Iustinus MCCC; quod sequitur Aur. Augustinus lib. 12. cap. de civit. Diodorus sexaginta amplius sed verecunde, ut ait Georgius Syncellus* &c. Vir ille tantus multa hic errat: Primò falsum est, quod Cephalion 23. reges solum numeret, cum vigesimum septimum faciat Teutamum &c. Secundò falsum est, quod Cephallion tantum mille annos illi imperio tribuat. Legantur illa ἀποσπασμάτια, quæ supra ex Eusebio exhibuimus. Non pauciores numerat Ctesia, ad quem provocat. Eundem errorem errat Syncellus. Tertiò Diodorus non asserit 1360. annos, nec ponit timide sive verecunde: sed solum quid narret Ctesias, scribit, cui non magis assentitur quam Herodoto. Utinam Diodorus cognovisset scriptores Asiæ, qui in Asia fuerunt & illinc hauserunt, post Alexandrum M. vidisset quid sit discriminis ad veritatem inter Ctesiam & Herodotum. Quartò Vellejus consentit cum Ctesia in numero regum. Nam cum post Semiramidem numeret triginta tres, adjunctis Nino & Semiramide erunt triginta quinque.

Scaliger putat secundum Africanum Semiramidem instaurasse Babylona anno M. C. 1718. qui annus primus Nini sit juxta Ctesiæ rationes. Hic potius adhærendum Africano, quia verisimilius Chaldæos epocham instituisse ab instaurata Babylone, quam ab initio Nini regis Assyriorum. Bene tamen fecit Sethus Calvisius, quod potius secutus sit Ctesiam: quam Africanum. Quatuor istos reges vult inserciri. Apud Eusebium sane Africanus à Belo ad Sardanapalum dicit illustres historicos Polybium, Diodorum, Cephallionem, Castorem, Thallum aliosque numerare reges quadraginta & unum. Atqui jam vidimus Diodorum, Cephalionem, Castorem sequi Ctesiam. Plane sibi non constabat Scaliger in Assyriorum imperio.

De Sardanapalo.

ULtimus regum Sardanapalus fuit, vir muliere corruptior ut Justinus loquitur. Mollities & luxus illius scriptoribus admodum celebrantur. Fertur epigramma sepulchro suo voluisse inscribi, quod Græce versum sonet:

> Ταῦτ' ἔχω ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα καὶ μετ' ἔρωτος,
> Τέρπν' ἔπαθον· τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια κεῖνα λέλειπται

Vita fœda ipsum & imperium evertit. Belesis enim Babylonius præfectus, sacerdos & astrologus, Arbaci præfecto Medorum vaticinatur ipsius imperium

fore, quod Sardanapalus obtinebat. Hac ſpe elatus cum cæterarum quoque nationum ducibus familiaritatem iniit. Cæterum ad regem videndum (quod nemini ante eum permiſſum fuerat) cum admitti magna ambitione ægrè obtinuiſſet: invenit eum inter ſcortorum greges purpuram colo nentem & muliebri habitu (cum mollitia corporis & oculorum laſcivia omnes feminas anteiret) penſa inter virgines partientem. Quibus viſis, indignatus tali feminæ tantum virorum ſubjectum, tractantique lanam ferrum & arma portantes parere, multò magis ad ſpem à Chaldæo monſtratam enitendum ſibi duxit. Progreſſus igitur ad ſocios, quid viderit refert: Negat ſe ei parere poſſe, qui ſe feminam malit eſſe quam virum. Fit igitur conjuratio, bellum Sardanapalo infertur. Medis, Perſis, Babyloniis & Arabibus concitatis magnæ copiæ militum (numero 400000) ad urbem Ninum convenere, verbo, ut ſucceſſionem admitterent: reipſa ut Aſſyriorum imperium everterent. Sardanapalus re audita cæterarum nationum copias in eos duxit. Commiſſaque in campis pugna rebelles ſuccumbunt & multis ſuorum amiſſis ad montes LXX. ſtadiis à Nino diſſitos compelluntur. Cumque denuo fortunam belli experturi in plana deſcendiſſent, acie adverſus illos inſtructa Sardanapalus per præcones edicit, ducenta ei talenta ſe daturum ei, qui Arbacem interfecerit. Duplum cum Mediæ præfectura, illi, qui vivum tradiderit. Idem de Beleſi proclamatum eſt. At cum nemo his promiſſis incitaretur, prælio iterum conſerto, multos rebellium occidit, reliquis in fugam compulſis, qui ſe ad montana recipiebant. Duobus adverſis præliis fracti, in provinciam cuique ſuam abeundum eſſe plurimis viſum eſt, ut munitioribus locis occupatis ad reliqua belli conſilia pro viribus ſe pararent. At Beleſis portentis deorum eos confirmat, per labores & ærumnas rem cupito fine perficiendam eſſe. Tertio collatis ſignis, tertium victi ſunt & rex caſtris hoſtium potitus: victis ad montana profugientibus. Ipſe quoque Arbaces egregie dimicans vulnus accepit. Spe igitur victoriæ abjecta, duces ſuam quiſque domum abire conſtituunt. Hic Beleſis rurſum animos firmat, quia ſiderum obſervatio intra quinque dies inſperatam mutationem addiceret. Revocatis ita cunctis & definitum exſpectantibus tempus, nuntiatur magnas è Bactris copias in auxilium regis adventare: quæ ſi regiis adjungerentur, perniciem fore rebellibus. Proinde Arbaci uiſum eſt cum militum fortiſſimis & promptiſſimis ire obviam, ut ſi verbis defectionem non poſſent perſuadere, armis cogerent. Facile perſuadentur, primo duces, mox totus exercitus. Ita regis vires in ſe derivarant. Rex autem ignarus defectionis Bactrianorum & ſucceſſu elatus in otio & epulis caſtra habuit: quam occaſionem ſpeculatus Arbaces, noctu ex improviſo caſtra regia oppugnat. Compoſiti in incompoſitos, parati in imparatos facile prævalent: caſtra expugnant, vaſtamque hoſtium edunt ſtragem reliquis intra urbem compulſis. Exinde rex Salæmeni uxoris fratri imperio copiarum tradito, urbis defendendæ curam in ſe ſuſcepit. At rebelles bis regios, collata acie fundunt: interfectoque Salæmene, alios opprimunt, alios ab ingreſſu urbis excluſos in Eufratem præcipites agunt, paucisque exceptis, totum exercitum internecione delent. Tanta autem cædes fuit, ut flumen longo ſpatio ſanguis rubefecerit. Rege circumſeſſo, multas gentes amor libertatis ad hoſtes traxit. Sardanapalus igitur regnum in ſummo diſcrimine eſſe animadvertens, tres filios, duasque filias cum ingenti vi pecuniæ mittit ad Cottam Paphlagoniæ præfectum, regi ultra alios fideliſſimum: miſſisque per omne regnum nuntiis delectus agit & neceſſaria parat tolerandæ obſidioni. Oraculum editum fuerat: urbem capi non poſſe, niſi prius fluvius urbi hoſtis fieret. Id nunquam fore arbitratus ſtatuit

ex-

exſpectare milites, qui comparabantur & ſecurus exitum operiri. Hoſtes animoſe obſidionem urgent: ſed ob murorum firmitudinem, cum inſtrumenta quatiendis muris, ea ætate nondum inventa eſſent, nihil efficere poterant. Regis etiam providentia omnium rerum neceſſariarum copiam urbi proſpexerat. Ita biennium exactum: tertio anno Eufrates, continuis auctus imbribus, partem muri ſternit. Quo viſo oraculum eventu impleri exiſtimans, animum deſpondet rex, ſpe ſalutis abjecta. Ingenti igitur exſtructa incenſaque pyra ſe ſuaque omnia in incendium miſit. Hoc ſolo, inquit Juſtinus, imitatus virum. Nam belli motu audito non ut virum defenſurum ſe regnumque ſuum, ſed ut metu mortis mulieres ſolent, primo latebras circumſpexiſſe, mox deinde cum paucis & incompoſitis in bellum progreſſum eſſe & victum: nec ulterius tentata re, igni ſe & ſua tradidiſſe.

Rebelles igitur urbem ingreſſi & potiti Arbacem regem ſalutarunt. Hic cum ſociis certaminum pro cujusque dignitate præmia deſignaret, provinciisque ſatrapas deſignaret, Babylonius quoque Beleſis acceſſit, cui ſatrapiam Babyloniæ dedit. Hic oſtendit ſe in medio belli diſcrimine votum Belo feciſſe, debellato Sardanapalo, regiaque incenſa è cineribus Babylona tranſlatis aggerem excitaturum eſſe, prope templum Beli, qui navigantibus per Eufratem, perenne monumentum eſſet, illius qui Aſſyriorum imperium deſtruxerat. Ideo id petebat, quod ex Eunucho transfuga latente apud ſe, de divitiis crematis cognoviſſet. Arbaces rei ignarus libenter annuit. Beleſis igitur navibus adhibitis cum cineribus magnam auri argentique vim tranſtulit; ſed re evulgata, ducibus judicium rex de Beleſi committit. Hi capitale ſupplicium decernunt, quod Arbaces memoria meritorum & regnum à clementia auſpicari volens non tantum remiſit ſed & opes tranſportatas & præfecturam habere permiſit. Hac moderatione gloriam apud omnes conſecutus & ſimili lenitate erga cives uſus urbem ſolo æquat: quicquid opum erat Ecbatana Medorum cum imperio traducit.

Athenæus ſcribit Arbacem à Parameize eunucho adductum ubi regem conſpiceret, muliebriter veſtitum ornatumque vidiſſe. Indignatum tali regi tantum imperium parere, ſuo gladio Sardanapalum obtruncaſſe. Ita ſcribere Durin & pleroſque, Cteſiam vero quod illi bellum intulerit, ut narravimus. *Οἱ μὲν πολλοὶ, ὧν ἐστι καὶ Δοῦρις, ἱστοροῦσιν ὑπὸ τούτου ἀγανακτήσαντος εἰ τοιοῦτος αὐτῶν βασιλεύει συγκεντηθέντα ἀποθανεῖν.* Iſte Duris Samius qui Macedonica & alia compoſuit, appellatur à Cicerone *homo in hiſtoria diligens.* Adeò nulla ratio eſt, cur illi Cteſiam præferamus. Secundum hunc ſine bello Sardanapalus interiit. Clearchus in monumento illius inſculptos fuiſſe digitos manus inter ſe colliſos, quo ſignificabat res hominum nullius momenti eſſe. Ejus ſepulchro fuiſſe inſcriptum Athenæus dicit: *Σαρδανάπαλος Ανακυνδαράξω ἀγχιάλην ἔδειμε καὶ Ταρσὸν μιῇ ἡμέρῃ, ἀλλὰ νῦν τέθνηκεν.* Hinc liquere mollem & deſidioſum non fuiſſe, *οὐκ ἄπρακτον.* Amyntas lib. 2. de manſionibus, inſigne monumentum Nini fuiſſe dirutum à Cyro, quod fama ferret Sardanapali ſepulchrum fuiſſe: in quo Chaldaicis literis inſcriptum fuerit epigramma, id Græce verſum eſſe à Chærilo. *Ἐγὼ δὲ ἐβασίλευσα, καὶ ἄχρι ἑώρων τοῦ ἡλίου φῶς, ἔπιον, ἔφαγον, ἠφροδισίασα, εἰδὼς τόν τε χρόνον ὄντα βραχὺν, ἐν ᾧ ζῶσιν οἱ ἄνθρωποι καὶ τοῦτον πολλὰς ἔχοντα μεταβολὰς καὶ κακοπαθείας; καὶ ὧν ἂν καταλίπω ἀγαθῶν, ἄλλοι ἕξουσι τὰς ἀπολαύσεις, διὸ κἀγὼ ἡμέραν οὐδεμίαν παρέλιπον τοῦτο ποιῶν.* Monumentum illud non fuit ad Eufratem, in fictitia Nino Cteſiæ, ſed ad Tigrin. Nemo enim præter Cteſiam (ex eo Ammianus Marcellinus alter Græculus & Philoſtratus) Ninum ad Eufratem ſomniavit. Clitarchus in libro quarto de Alexandro,

narrat Sardanapalum ſenio obiiſſe. γήρᾳ τελευτῆσαι μετὰ τὴν ἀπόπτωσιν τῆς Σύρων ἀρχῆς. Ariſtobulus ſcribit apud Anchialen, quam ædificaverat Sardanapalus, ab Alexandro illic caſtra metante, conſpectum fuiſſe Sardanapali monumentum, cui Aſſyriis literis inſcriptum eſſet: Σαρδανάπαλος Ἀνακυνδαράξεω παῖς ἀγχιάλην καὶ Ταρσὸν ἔδειμα ἡμέρῃ μιῇ. ἔσθιε, πῖνε, παῖζε· ὡς τ' ἄλλα τούτου οὐκ ἄξια. Stabat enim in monumento imago lapidea, conjunctis dexteræ manus digitis, ut ad ſonum elidendum. Phœnix Colophonius jamborum poëta Ninum Aſſyriæ regem traducit, ut luxurioſiſſimum, qui ſuo monumento tale quid juſſerit inſcribi. Id non de Nino primo ſed ultimo Sardanapali ſucceſſore capiendum eſt.

Vides lector, ita diſcrepantia ſcribi à Græciæ hiſtoricis illis, quibus meritò majorem fidem adhibeas quam vaniſſimo hominum Cteſiæ ut nihil certi ſit & veri. Admodum miror, quod Ninum commentus ſit, ubi non erat. Nempe Nini pene memoria deleta erat: & cum Sardanapali monumentum alibi eſſe ſciret, Ninum putavit ad Eufratem eſſe.

De rebus Aſſyriorum ex Herodoto & ſacris literis.

HAud paulò certiora promere poſſumus ex Herodoto, qui ſolus de Græcis Alexandro prioribus Aſſyriorum res antiquas convenienter ſacræ veritati ſcripſit. Videamus & comparemus: Duo potiſſimum notanda: latitudo longiſſimè continuatæ dominationis, & Exitus ſeu finis. De priori prius. Cteſias Ninum univerſæ inter Indos & Nilum imperaſſe & tantum imperium poſteris uſque ad Sardanapalum reliquiſſe aſſerit: Syriam inter provincias ejus imperii nominatim refert. Sacræ literæ, quæ à Joſue & deinceps uſque ad captivitatem Babylonicam, res Syriæ antiquas accuratè deſcribunt, Ammonitàs, Moabitas, Idumæos, Judæos, Syros ſub propriis & ſui juris regibus uſque ad tempora Oziæ egiſſe disertè commemorant. Quin & ab Abrahami vocatione id eſt anno mundi conditi 2023. (quo tempore ſecundum Euſebium Semiramis in vivis eſſe deſierat) res Cananææ & Syriæ oſtendit. Multa illic mentio regum, qui vicinis infeſti fuere aut dominati, altum ubique ſilentium Aſſyriorum. Nemrod primus Nini rex & conditor, Babylone & Nini, haud latis finibus regnavit. Abrahami tempore Babylonis & Nini diverſi reges fuerunt. Amraphel fuit rex Sennaar non fuit rex Aſſyriæ. Hic videtur fuiſſe ſub clientela regis Elam. Nam rex ille ſubegerat Sodomitas totamque Pentapolin & regiones vicinas, ut Gen. XIV. Ad quas pervenire non potuit niſi per Babyloniam. Illi igitur tres reges Amraphel, Arioch, Thadeal copias conjungunt: junctis copiis rebelles Sodomitas puniunt. Hi duodecim annos paruerant Chadorlaomer, monarchæ illi tot gentium vicinarum domino, decimo tertio jugum excuſſerant. In tanta commotione Syriæ à Tigri uſque ad fines Ægypti nihil ſe movet Aſſyrius monarcha, quaſi in rerum natura non eſſet. Imperii dimidia pars eripitur, nec quicquam ſe movent illius duces & ſatrapæ. Dicere, quod hi reges ſub obſequio Aſſyrii egerint, id eſt mero meridie, manu oculis oppoſita, lucem eſſe negare. Ingentia bella geſſerunt reges Ammonitarum, Moabitarum, Idumæorum, Amorrhæorum, Amalecitarum, quibus ad Eufratem uſque dominati ſunt: de Aſſyrii regis jugo nec fando audierant. Poſſem oſtendere victorias & bella crudeliſſima, ingentes ſtrages & everſiones, quæ ad ſe pertinere Aſſyrius nunquam putavit. Joſue illa bella in Cananæam, quibus Syriam cælen concuſſit, nihil ad Aſſyrium. Nullus hic illius ſatrapa, nullum

il-

illius patrocinium, nulla defensio, nequidem nomen Assyriæ, in omnibus illis auditum est. Judicum temporibus vicini reges & dissiti, etiam Chusanrisathaim Israëlitas presserunt. Illi Assyrii, ad quos postremis temporibus confugiebant, opem quærentes afflicti reguli & populi, quique sui imperii & nutus esse voluerunt, quicquid etiam stantibus regnis Israël & Juda gereretur, de nomine non audiuntur. Necdum igitur Assyriis hæ regiones paruerunt. Qui enim alii paret, non agit pro arbitrio, nec res domini sui agit raptatque sine illius commotione. Cum Saul regnum acciperet, Palæstini latè dominabantur, sui juris, quibus nihil cum Assyrio. Si communi domino subjecti fuissent Palæstini & Israëlitæ, ad dominum de injuriis questum se contulissent. At paruerunt Palæstini, qui jugum Israëlitis imposuerant, volentibus & probantibus Assyriis? Quis igitur ille satrapa, sub quo Palæstina erat? Cur à gente subjecta patitur vinci Israëlitas quos suæ ditioni poterat subjicere? Si sub tributo Palæstini egerint *αὐτόνομοι*, ferri posset, quanquam nec sic omnis mentio Assyrii ubique in tantis rebus potuit abesse. Sed secundum Ctesiam Palæstina Satrapam Assyrium habuit. Davidis & Salomonis amplissimum regnum, quo vicina subacta sunt & armis victa, Assyrios istos altum stertentes non potuit è veterno excitare. Ammonitæ concitant ad arma quicquid gentium poterant usque penè ad ripam Tigris, non tamen mittunt ad Assyrium, cujus scilicet subditi erant. Post Salomonem ortum est regnum Damasci amplum & potens, quod crevit Israëlitis divisis. Illa tria regna Israël, Juda & Syriæ continuis inter se collisa concertationibus fuerunt, donec tandem sub Phul Assyriorum versus occidentem per Mesopotamiam potentia invaluisset. Hinc progressi Assyrii primò Syriam deinde regnum decem tribuum deleverunt. Mos enim Assyriorum erat non relinquere reges suo loco, quos devicerant, sed deprimere & ipsas gentes in alias transferre regiones. Hæc ignota erant Ctesiæ quæ scire debuisset. Dices mihi, Potesne hoc conciliare cum Herodoto? Possum. Nam Herodotus ab initio monarchiæ ad defectionem Medorum annos tantum quingentos & viginti numerat. Deinde superiora Asiæ tenuisse tot annis scribit. Lib. 1. *Ἀσσυρίων ἀρχόντων τῆς ἄνω Ἀσίης ἐπ' ἔτεα εἴκοσι καὶ πεντακόσια πρῶτοι ἀπ' αὐτῶν Μῆδοι ἤρξαντο ἀπίστασθαι.* Superiorem Asiam tenuisse scribit, quod ut inferiorem adimit, ita universè accipiendum etiam non est. Deinde latissime dominati sunt paulo antè defectionem Medorum. Quemadmodum Sanacharibum ipse commemorat Arabum Assyriorumque regem, cui Babylona non subjicit. Dionysius Halicarnassensis, diligentissimus rerum investigator consentit Herodoto. Ita enim loquitur lib. 1. *Ἡ μὲν γὰρ Ἀσσυρίων ἀρχὴ παλαιά τις οὖσα καὶ εἰς τοὺς μυθικοὺς ἀναγομένη χρόνους, ὀλίγου τινὸς ἐκράτησε τῆς Ἀσίας μέρους. Ἡ δὲ Μηδικὴ καθελοῦσα τὴν Ἀσσυρίων καὶ μείζονα δυναστείαν περιβαλομένη χρόνον οὐ πολὺν κατέσχεν ἀλλ' ἐπὶ τῆς τετάρτης κατελύθη γενεᾶς.* Omnia cum Herodoto pariant. Ejus principium ad fabulosa tempora pervenire, quæ ad olympiadum initium terminari Varro docuit. Certum est illum cum Porphyrio Ninum non multò superiorem bello Trojano statuere. Non dat Asiam universam illi imperio. In Medorum temporibus apertè consentit Herodoto &c. Genebrardus vidit veritatem ausus que est falsi arguere communem illam narrationem de rebus Assyriorum à Ctesia acceptam: disputationes ejus apponam, quibus circa initium olympiadum & æræ Nabonassari adolescentiam imperii Assyriorum docet incipere. Primò de tertia ætate: *Tum florentissimum*, inquit, *regnum Aßyriorum in toto oriente* Ios. lib: 1. cap.9. *Quare omnes Chronographi Abrahæ seculum cum Nini temporibus componunt, qui Aßyriorum rex primus scriptores est nactus ait Diodorus Siculus lib.3. Sic ab ultima*

ma memoria suam historiam Trogus, Iustinus, Diodorus & alii repetentes, à Nino incipiunt. Ninus regnavit primus ut autumat superiorum profanitas, ferme apud vos, ô gentes. Ultra stilus non progreditur. Ab Assyriis, si forte ævi historiæ patescunt. Qui verò Divinas literas lectitamus, ab ipsius mundi natalibus compotes sumus. Tertullianus de Pallio. Nam Nimrod fuit superior &c. *Quia & nonnulli ejus regnum aliquot annis antiquius Abrahamo faciunt sed minus congruenter. Nam cum anno 48. ætatis ejus, contigerit populorum divisio & regnorum ortus, inter quæ primum est regnum Nimrad, Ninevitico minimum 62. annis antiquius, Ninus imperare non potuit, nisi duodecimo post natum Isaac. Hæc ex arnal. Hebr. de quo imperio multa aut potius omnia fabulantur. Nam & nomen Nini & sequentium regum fictum esse videtur ab urbis Nineve vocabulo: cujus conditorem non Ninum sed Assur Scriptura nominat. Gen. 10. Qua mentiendi libertate, Britanni à fictitio Bruto, Franci à Francione, Parisienses à Paride, Treverenses à Trebeta Nini fratre &c. se ortos jactitant. Deinde hoc Abrahæ seculo & consequentibus, per annos amplius mille, Persia, Syria, Chaldæa, Arabia, Palæstina, Mesopotamia & cæteræ regiones orientis privatos habebant monarchas, nec Assyriis quicquam concedebant, usque ad tempora scilicet Oziæ, sive 1. Olympiadu. Gen. enim 14. Amraphel rex est Sennaar sive Babyloniæ, Arioch rex Ellasar, Codorlaomer Elamitarum sive Persarum, Thadalgentium. Nam quod Iosephus hos reges diserte nominatos facit regis Assyriorum, qui totam Asiam devicisset, satrapas, hoc obscurare est Scripturam, non in sua perspicuitate relinquere. Præterea in sequentibus bibliorum historiis profundum erit de regibus Assyriorum silentium usque ad Phul, quem putant esse Nabonassarem Ptolemæi. Contra reliquorum orientis regum crebra mentio, ut Chusan Mesopotamiæ, Iud. 2. Benadad & aliorum Syriæ per cunctos libros regum & Paralip. Postremò Berosus (Nam cætera posteà refellentur in Ozia, quando primum Assyriorum nomen terribile Syris ac Iudæis esse cœpit, atque adeò innotescere, cum tamen Syria Assyriæ esset vicina) Berosus, inquam, Chaldæus, non ille fictitius Annii sed quem citat Iosephus lib. 1. contra Appionem, arguit Græcos scriptores, quod retulerint ad Semiramidem multa, quæ ad Nabugdonosorem infinitis post seculis sunt referenda, ut de Babylonis structura &c. Oportet ergò totum istorum imperium, siquidem amplum fuerit comprehensum fuisse Tigri & Indo fluviis & aliqua fortassis Eufratis parte, nec Eufratem ante dimidiatam quintam ætatem tranasse. Unde quæ de illis & illorum successione, amplitudine, gestis & rebus dicam, faciam ne quid de præcipuis præteriisse videar. Alioqui ad fabulosam Diodori historiam pertinent.*

Secundo idem Genebrardus de temporibus Oziæ: *Post Ocrasapem trigesimum quintum Assyriorum vel potius Ninive regem, nominant Sardanapalum. Euseb. Atqui ante hunc sequentes in bibliis recensentur Phul 4. Reg. 15. Theglath phalasar, ibid. Salmanasar cap. 17. Senacherib cap. 19. & apud Herodot. Assaradon id est Sardanapalus. Malo ergò pro 36. regibus numerare 41. Errorem auxit Metasthenes Annii & similes autores ab Annio suppositi, qui biblicos appellant reges Babyloniorum cum Scriptura disertè vocet Assyriorum. Et certe Nineve adhuc imperabat, ut quæ ad Ionæ prædicationem, qui hoc seculo vigebat, conversa legatur. Quin adhuc stetit per annos fere ducentos, nempe ad annum primum Nabugdonosoris, qui fuit quartus Ioachim Iechoniæ patris Ierem. 25. Idque juxta prophetiam Nahum contra Ninivitas ad vomitum redeuntes.* Paulò post: *Hic ego incipio primam adolescentiam monarchiæ Assyriorum, usque adeo ab historicis decantatæ. Nam ante hoc tempus Eufratem minimè trajecisse probari potest certissimè atque ita colligi esse fabulosa, quæcunque de ea exteri scriptores prodiderunt. Sed & regum nomina & series, quam à Nino deducunt, atque hic etiam nos ex illorum sententia inseruimus, est suspectissima. Primò quoniam eorum ne apiculus quidem in sacris exstat: ubi primæ antiquitates diligentissimè designantur,*

tur. Certè si tam potens & ampla fuisset illa monarchia, in tanto annorum spatio, propter viciniam, illi commercium aliquod, aut res aliqua fuisset cum Iudæis, cum Syris, cum finitimis aliis populis, quorum bella & res solet scriptura attingere. Secundo, Temporibus Abrahæ Amraphel rex Sennaar, sive Babylonis, Arioch rex Elasar, Chodor laomer rex Elamitarum, qui sunt Persæ, Thadal rex gentium, ut sui juris nominantur. Gen.14 qui in terra Chanaan contra reges Sodomorum & Gomorrhæorum bella gererent. Istæ ergò nationes non erant tunc sub jure Assyriorum. Tempestate Mosis & Iosue, cum Hebræorum fama feratur ad longinquissimas quasque terras pervenisse, ut etiam è Mesopotamia Balaam vates fuerit excitatus; nihil de Assyriis, quos tamen præcipuè commotos oportuit, & cum reliquis regibus Orientis, occurrere ad reprimendam, retardandamque tam numerosi populi inundationem, qui non sola Palæstina contentus fore videatur. Tertio, per sequentes deinceps patriarchas, Reges, Prophetas, Iudices, succedentibus libris, reges Syriæ, Mesopotamiæ, Damasci, Moab, Arabiæ, Ægypti, Æthiopiæ, reliquarum ferè regionum Orientis, præterquam Assyriæ, perpetuo occurrunt. Nam de illa altum silentium. Quin & David Mesopotamiæ partem acquirit, nec ullus Assyriorum rex se ei opponere narratur. Aut nulli ergò erant ante Phul, qui primus nominatur & terret regiones eis Euphratem; aut non valdè potentes. 4.Reg. 1.4. Balaam in suo prædicto, Num.24 de Assyriis loquitur, ut valdè infirmis, qui non possent regulos juxta Euphratem subigere, & vaticinatur de eorum sub tempora novissima incremento: Cinæe, *inquit*, robustum quidem nunc est habitaculum tuum, at quandiu poteris permanere? *Et postea:* Heu quis victurus est, quando ista faciet Deus? *Quasi multa adhuc superessent sæcula. Quinto, Ionas propheta qui vaticinabatur sub hoc Amazia & Ozia ævum, Ninivem quidem magnam urbem fuisse, & Regem habuisse narrat, at eum describit ut potientem regno non multum extra Assyriam diffuso, quare ne regem quidem Assyriorum eum nominat, sed Ninivæ. Sextò, exteri scriptores, qui nihil tribuerunt incertis rumoribus & fabulis, Epochen sive principium calculi figunt in Nabonassare Assyriorum rege, annis duntaxat ante Alexandri magni mortem 424. ut Ptolem. lib.4. Almag. tanquam insigni aliquo principe, qui superiores certa virtute & potentia superarit, ac meritò principium numerandi secuturis ætatibus tribuere potuerit. Septimò, hanc eandem Epochen statuit Scriptura, nempe circa annum 27. Oziæ, quando terræ motus ille prodigiosus vicissitudinum mundi prænuntius extitit, & Phul, qui & Nabonassar, hoc imperium cæpit condere. Eo enim respexisse videtur Esaias cap.7. Adhuc 65. anni & Ephraim desinet esse populus, id est, 65. anno Imperii Assyriorum, qui idem est sexagesimus quintus terræmotus Oziani, Ephraim à Salmanassare evertetur. Hos enim annos reperies ut & vidit Kimhi à 27. Oziæ ad 6. Ezechiæ. Octavò, Hic primum apud prophetas, Esaiam, Oseam, Amos, & alios Assyrii nominis terror nationibus incutitur, virga furoris Domini appellatur &c. Nono, Iosephus lib.1. contra Appionem, Berosum profert Græcos arguentem, ut multa atque adeo multa de hac monarchia fabulatos. Decimò, in Assyria duntaxat regnatum est annis quingentis & viginti ante Arbacem Medum, qui Sardanapalum sustulit.* Herodot lib. 1. *Vndecimò, postremò Semiramis, non nisi quinque generationibus Nitocrin præcessit, quæ in Assyria regnabat Medorum temporibus proximè ante Cyrum.* Ibid. *Atqui hoc tempus non est ejus dimidium, quod huic Monarchiæ affingitur, sed nec bellum Trojanum transgreditur. Vnde neque ejus meminit Homerus, &c. Imò verò si tres generationes, ut lib.2. ipse ait, centum annos duntaxat conficiunt, ne dum quidem Semiramis extitit hoc Oziæ seculo, sed Manassis, annis circiter 160. ante Cyrum. Atque hæc quidem adversus vulgares historicos, qui nesciunt Assyriorum nomen ut exortum dicatur è Nini remotissima radice, cæpisse duntaxat celebrari circa Oziæ, & Olympiadum & Romæ conditæ seculum.*

Cur hanc dissertationem Genebrardi prætervehuntur eruditi obseratis auribus?

Ille

Ille quidem non recte Chaldæos reges cum Aſſyriis poſterioribus confundit. Nec recte interpretatur vaticinium Balaam. Deinde Semiramin Babyloniam Herodoti non diſtinguit ab Aſſyria. Cæterum argumenta efficaciſſima ſunt, quibus docet non imperaſſe Aſſyrios ad occidentem Eufratis ante tempora Oziæ. Nunc agendum de exitu Imperii.

Exitus Aſſyriorum imperii fuit in Sardanapalo, ſeu Nino ſucceſſore Sardanapali, ſecundum Caſtorem Chronographum, quem non bene cepit Cl. Uſſerius, cum ab eo reſurrexiſſe putat ſublapſam dominationem. Caſtor maniſeſte à Nino incipit & in Nino terminat id imperium. Hic Ninus fuit homo voluptatibus & otio deditus, ut eum deſcribit Phœnix Colophonius poëta Jamborum apud Athenæum.

Duo hic teneri velim, quæ oſtendam. Primo ſemel tantum everſum eſſe & à Medis imperium Aſſyriorum, nec revixiſſe in longum poſt Sardanapalum. Secundo ſemel everſam eſſe Ninum, nec poſt id tempus reſtauratam. Primum probo. 1. Nullus unquam antiquus ſcriptor, nec ipſe Cteſias imperium everſum convaluiſſe oſtendit. Ex oppoſito ſucceſſiſſe Medos Sardanapalo ſive everſa tantum dominatione, ſive etiam è vita, uno ore clamant. Secundo Scriptura ruinam unam denuntiat quanquam poſt luctam. Eisdem argumentis probamus Ninum everſam ſemel eſſe: id enim ut illud & ſcriptorum conſenſus & Scriptura teſtantur. Exiſtimant plerique Chronologi poſt everſam dominationem Sardanapali, imperium illud in tria regna diviſum eſſe, Medicum, Babylonicum, Aſſyrium. Nempe Phul Ninum exaltavit. Alii putant Babylonios reges ſimul Aſſyriæ imperaſſe. Hoc poſtremum Euſebius exiſtimavit. Nam Chronicorum lib. 1. Ἀναγκαῖον δὲ εἰπεῖν τῇ πρώτῃ αἰχμαλωσίᾳ ζητήσει, πῶς τῆς τῶν Ἀσσυρίων βασιλείας πρὸ ϙϛ ἐτῶν καθαιρεθείσης ὑπὸ Ἀρβάκου τοῦ Μήδου καὶ ταύτην εἰς Μήδους μετενηνεγμένου ἡ γραφὴ τὸν Σαλμανασὰρ βασιλέα Ἀσσυρίων καλεῖ καὶ τὴν ἀποικίαν εἰς Ἀσσυρίους φησὶ τῶν ι φυλῶν &c. Σαλμανασὰρ δὲ καλῶς ἂν εἴποι, νοηθείη αὐτὸς οὗτος ὁ ἀπὸ (ὑπὸ) Ἀρβάκου βασιλέως Ἀσσυρίων καὶ Μήδων, ὃς ἦν τῶν Ἀσσυρίων μὲν ἀρχηγὸς, ὑπὸ δὲ τὴν ἡγεμονίαν ἄρτι καταπεπταγμένος. Οὕτω γὰρ φασιν οἱ τὰ Βαβυλώνια καταγράψαντες, ὅτι Ἀρβάκης τὴν βασιλείας προσηγορίαν καὶ τὸν πλοῦτον εἰς Μήδους μετήγαγεν, Ἀσσυρίων δὲ βασιλέα κατέστησε Βέλεσυν, ὑφ' αὐτὸν διέχοντι καὶ οὕτω λοιπὸν ἦσαν κατὰ διαδοχὴν ὑπὸ Μήδοις τεταγμένοι, ὥσπερ δοκεῖ. Ἕως γὰρ ἡ βασιλεὺς Ἀσσυρίων καὶ Μήδων Δαρεῖος ὁ καὶ Ἀστυάγης, ὃν Κῦρος καθελὼν εἰς Πέρσας &c. Scaliger ad hoc fragmentum: *Quæris, quomodo factum, ut, quum conſtet Sardanapali exitium imperio Aſſyriorum finem feciſſe, tamen Scriptura aliorum regum Aſſyriæ meminerit Theglath phalaſſari, Salmanaſaris, Sancheribi. Ratio, quam hic affert, frigidiſſima eſt. Nos in canonibus veram reddimus.* Audiamus, quomodo illud explicet canonum Iſagogicorum lib. 3. *Ingens*, inquit, *illud imperium Aſſyriorum, quod integrum manſit & tutatus eſt Arbaces, in multas lacinias, ſub Arbacis ſucceſſoribus diſcerptum eſt: quod perſpicuè docet Oroſius lib. 1. cap. 19.* Exin regum Aſſyriorum imperium in Medos conceſſit. Deinde multis prœliis undique ſcatentibus, quæ per ordinem diſſerere nequaquam aptum eſt, per varios proventus ad Scythas Chaldæosque & rurſus ad Medos parili via rediit. *Sub Artyca enim Nabonaſſarus à Medis deficiens novam dynaſtiam in Babylonia condidit & Salmanaſſar rex Aſſyriorum decem tribus in Mediam deportavit. Rurſus ſub Arbiane Sennacherib rex Aſſyriorum à filiis occiditur. Ita ut Medis Imperantibus non ſolum Aſſyriam alii invaſerint, ſed etiam partem Mediæ, jam tum Salmanaſſar obtineret, quum in eas regiones decem tribus deportavit. Præterea Eſajas qui ſub Soſarmo III. Medorum Rege prophetare cœpit. c. XIII. Aſſyriæ exitium minatur à Medis. Non ergò ſemper Aſſyrii Medis paruerunt: ſed*

quod jam diximus, Chaldæi ab ipsis non semel defecerunt, & rursus Medi eorum rebellionem ulti sunt, quod tam certo constat, ut ex eo Esaiæ loco, & ex verbis Orosii paulo ante productis colligi possit, Imperium Medorum varia rebellionum & defectionum fortuna agitatum fuisse. Quin etiam non solum sub Artyca Nabuchodonosorus à Medis defecit, sed etiam sub Pania XXIV. Assyriorum rege Chaldæi Phœnicibus bellum intulerunt, non facturi, siquidem Assyriorum imperio subjecti fuissent. Quare illud Imperium clarius est origine & vetustate sua; quam amplitudine, quam non semper integram perpetuavit: quæ initio quidem immensa fuit, postea per subditarum nationum defectiones in multas quasi lacinias divulsum est, regibus Assyriorum in luxum solutis, & quidvis potius, quam arma, & salutem regni sui meditantibus. Denique si Ctesiæ credimus, vivente Sardanapalo, alius rex in urbe Nino regnabat. Athenæus enim libro XII. hæc ex Ctesia refert de Sardanapalo: τὺς γὰρ τρεῖς υἱὺς, καὶ δύο θυγατέρας, ὁρῶν τὰ πράγματα κακούμενα, προπεπόμφει εἰς Νίνον πρὸς τὸν ἐκεῖ βασιλέα, &c. *Ctesiam secutus Diodorus Sardanapalum alibi quam in urbe Nino perisse scribit. Primi, ut nobis, videtur jugo Medorum excusso pristini regni jus asseruerunt Assyrii, quorum quinque tantum Reges nobis subministrat sacra historia, in quibus etiam Sennacheribi meminit Herodotus, quem Arabum regem vocat, quia, ut putamus, Arabes Scenitæ Babyloniis finitimi, gens acris & strenua, Medis jam in luxum & molliorem vitam solutis, videntur Assyriorum fines invasisse, & in illis regnum obtinuisse. Secundo Babylonii rebellarunt annis CXXVI. ab exitio Sardanapali, Duce Nabonassaro, à cujus initio omnes motuum cœlestium rationes deducuntur, ut nullum vetustiorem temporum titulum noverit astronomia. Non enim sub Arbace Babylonii rebellarunt, ut comminiscitur Orosius lib. 2. cap. 11.* Discedente autem Arbace in Medos, partem regni penes se retinuere Chaldæi, qui Babyloniam sibi adversus Medos vindicarunt. *Sed fallitur. Primus enim Nabonassarus defecit à Medis, & novum imperium in Babylonia condidit. Post Nabonassarum illud ingens imperium diversis interregnis, latrociniis, tyrannorum invasionibus concussum tandem in potestatem Cyri venit.*

Dignum vero testem Orosium, qui de imperio Assyriorum supra Ctesiam & contra Eusebium doceat, cum nihil habeat, nisi è Justino Trogi abbreviatore & Eusebii Chronicis. Assyriæ exitium minitari Esaiam, cum periisset, ineptum est. Sardanapalum alibi, quam in urbe Nino oppressum esse non dicit Ctesias apud Diodorum, sed ad Cottam Paphlagoniæ præfectum misisse filios filiasque cum ipse Nini esset in discrimine. Athenæus tamen tanquam è Ctesia, *τὺς γὰρ τρεῖς υἱὺς ϗ δύο θυγατέρας ὁρῶν τὰ πράγματα κακούμενα προπεπόμφει εἰς Νίνον πρὸς ἐκεῖ βασιλέα.* Sardanapalum alibi, quam in urbe Nino periisse verum esse posset, sed non potest verum esse, ut alius in urbe Nino rex fuerit, ipso vivente. Lacinias quascunque comminiscatur Scaliger in quas divisum sit imperium Assyriorum, nunquam efficiet ut omnes quos Scriptura memorat reges fuerint post defectionem Medorum. In tabulam conjiciamus, Herodoteam & sacrarum literarum narrationem de regno Assyriorum:

A. O. C. 1780. Nimrod condit Ninum.

* * * *

2710 Ninus monarchiam condit in regionibus ad ortum & Septentrionem.
2752 Semiramis imperio potita annis 42. Reges intermedii ignorantur. Nisi quis Ctesiæ velit credere.
3177 Phul ultra Tigrim fines imperii propagat: affligit regnum Israel sub Manahem.
3186 Theglathphalasar infestat regnum Juda & Israël.

3212 Sargon Aoztum expugnat Ef. 20.

3219 Salmanaffar expugnat Samariam. Hac tempeftate Media fuit fub imperio Affyriorum, quia eo Ifraëlitas tranftulit. Rurfum (tefte Jofepho) ex intima Media & Perfide Chuthæos in Samariam traduxit.

3230 Senacherib oppugnat Hierofolymam & regem Ezeciam. Hic ab Herodoto appellatur Sanacharibus. Apud Athenæum corrupte Anabaxares & Anacyndaraxes. Ita enim appellant patrem Sardanapali. Prior vox non eft adeo corrupta. Nam fibili litera, quæ facile excidit, & transpofitione reftituris itemque ξ mutata in χ (pro litera ח) habebis Sanaxarabes Sanacharabes. Eft igitur facili negotio verum nomen reftitutum.

3235 Afar-haddon: אסר־חדון & אסר־חדון־פול. Efar-haddon-pul, Sardanapalus. Nemo quifquam negare poteft veritatem hujus nominis. Reftituimus igitur duorum regum nomina apud Græcos fcriptores leviter corrupta, atque ita eruimus, quis fit ille Sardanapalus, fub quo defecerunt Medi. Caufa defectionis fuit turpis fuga & θρύλλος clades regis Sanacharibi in Judæa. Cui accedebat quod filii duo patrem interfecerint & fuga evaferint in Armeniam. Hæc fuit occafio excutiendi jugi. Si hinc deducas annos 520. principium imperii per fuperiorem Afiam & Nini erit circà annum 2710. Semiramis circa Troica tempora vixit, tefte Porphyrio. Medi fortiter bellarunt cum Affyriis, ad jugum reducere conantibus, & prævaluerunt.

Sardanapalus, quem fenio feu morbo naturali deceffiffe putamus, viginti annos juxta quofdam imperavit. Nos plures annos arbitramur regnaffe.

3316 Phraortes Medorum rex cum Affyriis bellum gerens periit cum maxima parte exercitus. Invenimus celeberrimi regis nomen, Afanappar Efd. IV. 10. Forte cognomentum eft Sardanapali, cui idem attribuitur v. 2. Quanquam totum intervallum temporis ab anno circiter 3235. ufque ad annum 3346. à duobus regibus Sardanapalo & Nino non potuit impleri. Unde Afanapper regis diverfi nomen effe conjicias, qui etiam partem peregrinarum gentium traduxerit in terram Ifraël. Hic Afanapper fit ille Nabuchodonofor libri Judith, qui Arphaxad regem Medorum ingenti prælio vicit. Exiftimannus Judæum fabulæ Judith concinnatorem cum audiviffet aliquem Mediæ regem fuperatum effe à rege Nini, nec fciret eorum propria nomina, celebrium regum fuppofuiffe nomina. Nabuchodonofor pro Afanapper, Arphaxad pro Phraorte. Sed hæc, ut volet, quifque accipiat & judicet.

3346 Circa hunc annum excifa Ninus eft à Medis. Medorum rex Cyaxares patris mortem egregie ultus eft. Vulgo exiftimatur Nabuchadneffarum conjunctis operis & copiis cum Cyaxare evertiffe Ninum. Sic etiam Hieronymus tradit. Si tamen fides eft adhibenda Herodoto, qui folus Græcorum hæc tempora cum veritate fcripfit, nihil auxilii Babylonii præftiterunt cum eorum fucceffus fibi metuendos effe viderent, & nimium vicinos fubacta Nino. Herodotus: *τὴν Μήδων ἰσῶσαι ἀρχὴν μεγάλην καὶ οὐκ ἀναμίξαντα ἄλλων ἀφαιρημένα ἄστεα αὐτοῖσι ἐν δὲ δὴ τὴν Νῖνον, προσφυλάξαντα μάλιστα.* Sardanapali meminit etiam Herodotus, referens fures ab ædibus fuis occultos cuniculos feciffe fub terra, usque in ædes regias, unde thefauros fubterraneos fpoliarent. Nihil de eo, nifi quod Nini rex fuerit. Ubi & notat, quod eam urbem Tigris præfluat. Si

fuiffet

fuisset rex ultimus Nini, id sine dubio Herodotus annotasset: qui notat Medis aliisque populis deficientibus per se polluisse Assyrios: καὶ Ἀσσυρίων τούτους, οἳ Νίνον εἶχον καὶ ἦρχον πρότερον πάντων· τότε δὲ ἦσαν μεμουνωμένοι μὲν συμμάχων ἅτε ἀπεστεώτων, ἄλλως μέντοι δὲ ἑωυτῶν εὖ ἥκοντες.

Res veterum Medorum.

Constat Medorum ducem, cum se in libertatem vindicarent, fuisse Arbacem. Is alias Arbactus appellatur. Est nomen in Hebræo textu ארפכשר *Arphaxad.* Ctesias defectionem Medorum conjicit fere in annum M. C. 3074. Herodotus circa annum 3230. Ubi discrimen est annorum 156. Decennio ferè post Dejoces regnum invasit astu. Miror Diodorum Siculum dicere, quod liberi egerint Medi κατὰ πολλὰς γενεάς, tanquam ex Herodoto. Id enim nusquam comparet in Herodoto. Ἐόντων δὲ αὐτονόμων πάντων ἀνὰ τὴν ἤπειρον ὧδε αὖτις ἐς τυραννίδας περιῆλθον. Cum Medorum exemplum defectionis imitatæ nationes cæteræ, ipsæ quoque se in libertatem vindicassent. Non opus fuit longo intervallo annorum.

Annos illos superfluos implet Ctesias. Arbaci liberatori regni attribuit annos 28. Huic successisse filium Mandaucem annis 50.

M. C. A. 3074 Arbaces regnat annis 28.
3102 Mandauces ann. 50.
3152 Sosarmus regnat ann. 30.
3182 Artias ann. 50.
3232 Arbianes ann. 22.
3254 Arsæus seu Artæus ann. 40. Adversus hunc Parsodes Persa Cadusiorum dux magna clade Medos affecit & in regem evectus est.
3294 Artynes ann. 22.
3316 Artibarnas ann. 40. Bellum inter Sacas Medosque. Alias Astibaras.
3356 Apandas ann. 35. Sed hos annos non habet Ctesias. Herodotus tantum quatuor reges recitat:
3240 Dejoces regnum occupat, ann. 53. Vir Sapiens, filius Phraortis, ambitu populari regiam dignitatem consecutus Ecbatana condidit. Solis Medis imperavit. Cœpit olymp. 17. ann. 2. ut notat Siculus Herodotum significare. Non enim intelligendus est ita, quasi id velit ab eo disertis verbis exprimi.
3293 Phraortes annis 22. subegit Persas, de qua subjugatione videtur dici Ezech. XXXII. v. 24. 15. Deinde aliis etiam nationibus subactis, Ninenses Assyrios oppugnans interiit.
3315 Cyaxares Phraortis filius regnat ann. 40. οὗτος λέγεται πολλὸν ἔτι γενέσθαι ἀλκιμώτερος τῶν προγόνων. Assyriis prælio victis obsidet Ninum, Sed Scytharum Nomadum ingens exercitus, ejectos insecutus Cimmerios, aberrans in persecutione, penetrat in Mediam. Hic Medi cum Scythis congressi prælioque fusi Asiæ imperium amiserunt. Cimmerii regnante Ardye Lydorum rege in Joniam penetrant, captis Sardibus præter arcem. Nomades duce Madye Protothyæ filio, percursa Asia recta in Ægyptum tendunt. Quibus jam Syriam Palæstinam ingressis Psammetichus cum muneribus precibusque occurrens effecit ut retro se receperint. Circà annum 3316. Scythæ venisse in Mediam videntur: pacem mercatur Psammetichus anno fere 3320.

Supplices recepit Cyaxares: cumque sine præda venatu domum rediissent, acerbo increpitos dimisit. Id ægre passi puerum epulandum regi proposuerunt eoque facto confugiunt ad Halyatten Lydorum regem. Quo eos ad supplicium tradere recusante inter Lydos Medosque bellum quinquennale gestum est varia fortuna. Anno sexto ob eclipsin, à Thalete Milesio prædictam, pax cojit. Autoribus conventionis Syennesi Cilice, & Nabyneto Babylonio, Hanc eclipsin conjicit Sethus Calvisius in annum M. C. 3343. diem 30. Julii fer. 4. horam unam & minut. 53. 24. post meridiem in Mesopotamia. Nabynetus ille sive Labynetus non potest alius esse, quam Nabopollassar sive filius ejus Nabuchadnessar. Nam Herodotus erravit in vicinitate barbarorum nominum. Pace facta inter Lydos Medosque & constituto termino imperiorum Haly flumine, per fraudem Scythas oppressit & ejecit Cyaxares. Sic manibus liberis denuò obsidet Ninum & expugnat. De Scytharum clade videtur Ezechiel loqui cap. 32. v. 26. 27. de Assyria v. 22. 23. Continuæ clades magnæ & horribiles Assyriorum, Elamitarum, Scytharum, quibus illæ gentes conciderunt, Ezechieli pro exemplis inserviunt adversus Ægyptios, quibus minatur à Babyloniis.

3355 Astyages defuncto parente imperium obtinuit, de quo suo loco.

Res Chaldaicæ ante captivitatem Babylonicam.

Babyloniis seu Chaldæis primus imperavit Nimrod Gen. X, 10. Amraphel rex Sennaar commemoratur tempore Abrahami Gen. XIV. Qui videtur cliens fuisse regis Elamitarum. Duæ dynastiæ Arabum Babyloniis imperantium notantur ab Africano. Belum Assyrium inde subjugasse Babylona volunt. Mihi autem Belus non videtur fuisse Assyrius, sed Babylonius. *Si hujus* filius fuit Ninus, qui Nini imperavit, fuit Ninus ea tempestate sub Babyloniis. בל nescio an fuerit inter Assyriorum, fuit inter Babyloniorum deos. Babylone ejus templum celebratissimum.

Babyloniorum reges posteriores conservavit canon astronomicus apud Ptolemæum. Cujus partem pertinentem ab Babylonios (qui Ptolemæo vocantur Assyrii) in sequenti videbis tabula:

3203 *Nabonassar* quatuordecim ann. imperat. Hic imperium tenuit ante defectionem Medorum, ut patet è collatione. Non defecit igitur à Medis, ut putavit Scaliger. Ratio autem, quare epocham Chaldæi condiderint ab imperio illius, potuit esse, quod præ superioribus regibus aliquo opere inclaruerit. Quid sit illud, non commemoratur: quia regum nomina non res gestæ in canone habentur.

3217 Nadius biennio, incepit Nabonassari 15.

3219 Chinzirus & Porus quinquennio. Salmanassar expugnat Samariam.

3224 Jugæus (al. Dilulæus) itidem quinquennio.

3229 Mardocenpadus. Merodach Baladan in sacris. Senacherib in Judæa cladem passus, domi à suis interficitur. Hic regnavit annis 12. Amicus Ezeciæ, inimicus Assyriorum. Baladam appellat Josephus & sic à Beroso appellari dicit. Memorat etiam hoc tempore imperium Assyriorum dissolutum esse à Medis.

3241 Arcianus ann. 5.

3246 Interregnum primum, ἀβασίλευτος πρῶτος, biennio.

3248 Belibus, triennio.

3251

3251 Apronadius sexennio finiit anno Nabon. 54.

3257 Rigabelus anno uno.

3258 Mesessimar dacus quadriennio.

3262 Interregnum secundum ann. 8. Hoc tempore videtur imperium tenuisse Semiramis Babylonia, de qua Herodotus: Τῆς δὲ Βαβυλῶνος ταύτης πολλοὶ μέν κου καὶ ἄλλοι ἐγένοντο βασιλῆες (τῶν ἐν τοῖσι Ἀσσυρίοισι λόγοισι μνήμην ποιήσομαι) οἳ τὰ τείχεά τε ἐπεκόσμησαν καὶ τὰ ἱρά· ἐν δὲ δὴ καὶ γυναῖκες δύο· ἡ μὲν πρότερον ἄρξασα τῆς ὕστερον γενεῇσι πέντε προτέρη γενομένη, τῇ οὔνομα ἦν Σεμίραμις· αὕτη μὲν ἀπεδέξατο χώματα ἀνὰ τὸ πεδίον ἐόντα ἀξιοθέητα· πρότερον δὲ ἐώθεε ὁ ποταμὸς ἀνὰ τὸ πεδίον πᾶν πελαγίζειν. Hanc reginam aggeribus clausisse Eufratem, qui solebat ante eam tempestatem campos inundare. Cum hæc imperaret, nondum Ninus deleta erat, sed Deioces in Media regnabat. Scaliger aliique eruditi hanc Babyloniam Semiramin confundunt cum Assyria longè superiore temporibus. Ideo Scaliger πέντε γενεῇσι mutandum esse vult in πεντήκοντα. Sed non observat de Babylonis non de Nini regibus Herodotum loqui. Interregnum vocatur, quia feminarum apud Babylonios comparatio inter reges non fuit apud astronomos, uti videtur. In toto canone nullius comparet reginæ nomen.

3270 Assaradinus ann. 13. Hunc confundere cum Asar-haddone Assyrio, seu Nini rege ἀνιστόρητον est. Ab hujus Assaradini copiis captus est Manasses, ut videtur, & in carcere dure habitus.

3283 Saosducheus ann. 20. Finiit ann. Nabon. 100. Phraortes imperii Medorum fines prolatat.

3303 Chyniladanus ann. 22. Phraortes subactis Persis, ab Assyriis cæsus interit.

3325 Nabopollassar ann. 21. finiit ann. Nabon. 143. Pomœria regni Babylonici extendit, dum Cyaxares Medus adversus Assyrios & Scythas occupatur.

3346 Nabocadnasarus ann. 43. Hic quadriennio ante mortem patris ab eo missus trans Eufratem, Pharao Neco magno prælio vicit, Jerem. 46. Inde Hierosolymam subigit & Joakim regem sibi subjicit. Ab illo anno primus Nabucadnessari in Judæa numeratur, patre adhuc superstite & Babylone regnante. Quadriennio illo posterius est ejus initium Babylonicum. Sic in Syria regnavit annis 47. Babylone 43. Jechonias deportatus est anno ejus octava vel nono id est quinto Babylonici imperii. Sedecias captus est & Hierosolyma cum templo eversa anno Syriaci regni 18. vel 19. Babylonici 14. & 15. Anno captivitatis suæ 37. id est primo vicarii regni Euilmerodach exaltatus est Jechonias. Id est anno M. C. 3386. Notandum, quod id factum vivente Nabuchadnessaro sed mentis impote. Ideò mors Nabuchadnessari & initium regni proprii Euilmerodach serius est, in anno M. 3389.

Res Græcæ ab Exodo ad captivitatem Babylonicam.

CUm in primi tomi fine comparaverim antiquitates Græciæ cum Israelis rebus ante Exodum, hic ostendere volo συντόμῳ ἱστορικῷ, res Græcas inde ad Judæorum sub Nabuchadnessaro exilium; Thucydides Græciæ veteris ante bellum Troicum habitum moresque fusè describit. Nec stabili sede primos coluisse, latrociniis vitam sustentasse. In commune nihil egisse, ne quidem nomine sociatos fuisse. Φαίνεται γὰρ ἡ νῦν Ἑλλὰς καλουμένη οὐ πάλαι βεβαίως οἰκουμένη ἀλλὰ μεταναστάσεις τε οὖσαι τὰ πρότερα καὶ ῥᾳδίως ἕκαστοι τὴν ἑαυτῶν ἀπολείποντες βιαζόμενοι ὑπό

πιῶν ἀεὶ πλειόνων. τῆς γὰρ ἐμπορείας οὐκ οὔσης, οὐδ' ἐπιμιγνύντες ἀδεῶς ἀλλήλοις, οὔτε κατὰ γῆν, οὔτε διὰ θαλάσσης, νεμόμενοί τε τὰ αὐτῶν ἕκαστοι ὅσον ἀποζῆν, καὶ περιουσίαν χρημάτων οὐκ ἔχοντες, οὐδὲ γῆν φυτεύοντες (ἄδηλον ὂν ὁπότε τις ἐπελθὼν, καὶ ἀτειχίστων ἅμα ὄντων, ἄλλος ἀφαιρήσεται) τῆς τε καθ' ἡμέραν ἀναγκαίου τροφῆς πανταχοῦ ἂν ἡγούμενοι ἐπικρατεῖν, οὐ χαλεπῶς ἀπανίσταντο. Καὶ δι' αὐτὸ, οὔτε μεγέθει πόλεων ἴσχυον, οὔτε τῇ ἄλλῃ παρασκευῇ. μάλιστα δὲ τῆς γῆς ἡ ἀρίστη ἀεὶ τὰς μεταβολὰς τῶν οἰκητόρων εἶχεν. ἥ τε νῦν θεσσαλία καλουμένη καὶ βοιωτία, πελοποννήσου τε τὰ πολλὰ, πλὴν ἀρκαδίας, τῆς τε ἄλλης ὅσα ἦν κράτιστα. διὰ γὰρ ἀρετὴν γῆς, αἵ τε δυνάμεις τισὶ μείζους ἐγγιγνόμεναι, στάσεις ἐνεποίουν, ἐξ ὧν ἐφθείροντο, καὶ ἅμα ὑπὸ ἀλλοφύλων μᾶλλον ἐπεβουλεύοντο. τὴν γοῦν ἀττικὴν ἐκ τοῦ ἐπὶ πλεῖστον διὰ τὸ λεπτόγεων ἀστασίαστον οὖσαν, ἄνθρωποι ᾤκουν οἱ αὐτοὶ ἀεί. Καὶ παράδειγμα τόδε τοῦ λόγου οὐκ ἐλάχιστόν ἐστι, διὰ τὰς μετοικίας ἐς τὰ ἄλλα μὴ ὁμοίως αὐξηθῆναι· ἐκ γὰρ τῆς ἄλλης ἑλλάδος οἱ πολέμῳ ἢ στάσει ἐκπίπτοντες, παρ' ἀθηναίους οἱ δυνατώτατοι, ὡς βέβαιον ὄν, ἀνεχώρουν· καὶ πολῖται γιγνόμενοι, εὐθὺς ἀπὸ παλαιοῦ μείζω ἔτι ἐποίησαν πλήθει ἀνθρώπων τὴν πόλιν· ὥστε καὶ ἐς ἰωνίαν ὕστερον, ὡς οὐχ ἱκανῆς οὔσης τῆς ἀττικῆς, ἀποικίας ἐξέπεμψαν. δηλοῖ δέ μοι καὶ τόδε παλαιῶν ἀσθένειαν οὐχ ἥκιστα· πρὸ γὰρ τῶν τρωϊκῶν οὐδὲν φαίνεται πρότερον κοινῇ ἐργασαμένη ἡ ἑλλάς. δοκεῖ δέ μοι, οὐδὲ τοὔνομα τοῦτο ξύμπασά πω εἶχεν, ἀλλὰ τὰ μὲν πρὸ Ἕλληνος τοῦ Δευκαλίωνος καὶ πάνυ οὐδὲ εἶναι ἡ ἐπίκλησις αὕτη, κατὰ ἔθνη δὲ ἄλλα τε καὶ τὸ πελασγικὸν ἐπὶ πλεῖστον, ἀφ' ἑαυτῶν τὴν ἐπωνυμίαν παρέχεσθαι. Ἕλληνος δὲ καὶ τῶν παίδων αὐτοῦ ἐν τῇ Φθιώτιδι ἰσχυσάντων, καὶ ἐπαγομένων αὐτοὺς ἐπ' ὠφελείᾳ ἐς τὰς ἄλλας πόλεις, καθ' ἑκάστους μὲν ἤδη τῇ ὁμιλίᾳ μᾶλλον καλεῖσθαι ἕλληνας, οὐ μέντοι πολλοῦ γε χρόνου ἠδύνατο καὶ ἅπασιν ἐκνικῆσαι. τεκμηριοῖ δὲ μάλιστα Ὅμηρος. πολλῷ γὰρ ὕστερος ἔτι καὶ τῶν τρωϊκῶν γενόμενος, οὐδαμοῦ τοὺς ξύμπαντας ὠνόμασεν, οὐδ' ἄλλους ἢ τοὺς μετ' Ἀχιλλέως ἐκ τῆς Φθιώτιδος, οἵπερ καὶ πρῶτοι ἕλληνες ἦσαν· δαναοὺς δὲ ἐν τοῖς ἔπεσι, καὶ ἀργείους, καὶ ἀχαιοὺς ἀνακαλεῖ. οὐ μὴν οὐδὲ βαρβάρους εἴρηκε, διὰ τὸ μηδὲ ἕλληνάς πω (ὡς ἐμοὶ δοκεῖ) ἀντίπαλον εἰς ἓν ὄνομα ἀποκεκρίσθαι. οἱ δ' οὖν ὡς ἕκαστοι ἕλληνες κατὰ πόλεις τε ὅσοι ἀλλήλων ξυνίεσαν, καὶ ξύμπαντες ὕστερον κληθέντες, οὐδὲν πρὸ τῶν τρωϊκῶν δι' ἀσθένειαν καὶ ἀμιξίαν ἀλλήλων ἀθρόοι ἔπραξαν, ἀλλὰ καὶ ταύτην τὴν στρατείαν, θαλάσσῃ ἤδη τὰ πλείω χρώμενοι, ξυνῆλθον. Μίνως γὰρ παλαίτατος ὧν ἀκοῇ ἴσμεν, ναυτικὸν ἐκτήσατο καὶ τῆς νῦν ἑλληνικῆς θαλάσσης ἐπὶ πλεῖστον ἐκράτησε· καὶ τῶν κυκλάδων νήσων ἦρξέ τε, καὶ οἰκιστὴς πρῶτος τῶν πλείστων ἐγένετο, κᾶρας ἐξελάσας, καὶ τοὺς ἑαυτοῦ παῖδας ἡγεμόνας ἐγκαταστήσας· τό, τε λῃστικὸν, ὡς εἰκὸς, καθῄρει ἐκ τῆς θαλάσσης ἐφ' ὅσον ἠδύνατο, τοῦ τὰς προσόδους μᾶλλον ἰέναι αὐτῷ. οἱ γὰρ ἕλληνες τὸ πάλαι, καὶ τῶν βαρβάρων οἵ τε ἐν τῇ ἠπείρῳ παραθαλάσσιοι, καὶ ὅσοι νήσους εἶχον, ἐπειδὴ ἤρξαντο μᾶλλον περαιοῦσθαι ναυσὶν ἐπ' ἀλλήλους, ἐτράποντο πρὸς λῃστείαν, ἡγουμένων ἀνδρῶν οὐ τῶν ἀδυνατωτάτων, κέρδους τοῦ σφετέρου αὐτῶν ἕνεκα, καὶ τοῖς ἀσθενέσι τροφῆς. Καὶ προσπίπτοντες πόλεσιν ἀτειχίστοις, καὶ κατὰ κώμας οἰκουμέναις, ἥρπαζον, καὶ τὸ πλεῖστον τοῦ βίου ἐντεῦθεν ἐποιοῦντο. οὐκ ἔχοντός πω αἰσχύνην τούτου τοῦ ἔργου, φέροντος δέ τι καὶ δόξης μᾶλλον. δηλοῦσι δὲ τῶν τε ἠπειρωτῶν τινὲς ἔτι καὶ νῦν, οἷς κόσμος καλῶς τοῦτο δρᾶν, καὶ οἱ παλαιοὶ τῶν ποιητῶν, τὰς πύστεις τῶν καταπλεόντων, πανταχοῦ ὁμοίως ἐρωτῶντες εἰ λῃσταί εἰσιν. ὡς οὔτε ὧν πυνθάνονται ἀπαξιούντων τὸ ἔργον, οἷς τ' ἐπιμελὲς εἴη εἰδέναι, οὐκ ὀνειδιζόντων. ἐλῄζοντο δὲ καὶ κατ' ἤπειρον ἀλλήλους. καὶ μέχρι τοῦδε πολλὰ τῆς ἑλλάδος τῷ παλαιῷ τρόπῳ νέμεται, περί τε λοκροὺς τοὺς ὀζόλας, καὶ αἰτωλοὺς, καὶ ἀκαρνᾶνας, καὶ τὴν ταύτῃ ἤπειρον. τό, τε σιδηροφορεῖσθαι τούτοις τοῖς ἠπειρώταις ἀπὸ τῆς παλαιᾶς λῃστείας ἐμμεμένηκε. πᾶσα γὰρ ἡ ἑλλὰς ἐσιδηροφόρει, διὰ τὰς ἀφάρκτους τε οἰκήσεις, καὶ οὐκ ἀσφαλεῖς παρ' ἀλλήλους ἐφόδους· καὶ ξυνήθη τὴν δίαιταν μεθ' ὅπλων ἐποιήσαντο, ὥσπερ οἱ βάρβαροι. σημεῖον δ' ἐστὶ ταῦτα τῆς ἑλλάδος ἔτι οὕτω νεμόμενα, τῶν ποτὲ καὶ ἐς πάντας ὁμοίων διαιτημάτων. ἐν τοῖς πρῶτοι δὲ ἀθηναῖοι τόν τε σίδηρον κατέθεντο, καὶ ἀνειμένῃ

τῇ

τῇ διαίτῃ ἐς τὸ τρυφερώτερον μετέστησαν. καὶ οἱ πρεσβύτεροι αὐτοῖς τῶν εὐδαιμόνων, διὰ τὸ ἁβροδίαιτον, οὐ πολὺς χρόνος ἐπειδὴ χιτῶνάς τε λινοῦς ἐπαύσαντο φοροῦντες, καὶ χρυσῶν τεττίγων ἐν ἔρσει κρωβύλον ἀναδούμενοι τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ τριχῶν. ἀφ' οὗ καὶ Ἰώνων τοὺς πρεσβυτέρους, κατὰ τὸ ξυγγενὲς ἐπὶ πολὺ αὕτη ἡ σκευὴ κατέσχε. μετρίᾳ δ' αὖ ἐσθῆτι καὶ ἐς τὸν νῦν τρόπον πρῶτοι Λακεδαιμόνιοι ἐχρήσαντο, καὶ ἐς τὰ ἄλλα πρὸς τοὺς πολλοὺς οἱ τὰ μείζω κεκτημένοι, ἰσοδίαιτοι μάλιστα κατέστησαν. ἐγυμνώθησάν τε πρῶτοι, καὶ ἐς τὸ φανερὸν ἀποδύντες, λίπα μετὰ τοῦ γυμνάζεσθαι ἠλείψαντο. Τὸ δὲ πάλαι καὶ ἐν τῷ ὀλυμπικῷ ἀγῶνι διαζώματα ἔχοντες περὶ τὰ αἰδοῖα οἱ ἀθληταὶ ἠγωνίζοντο. καὶ οὐ πολλὰ ἔτη ἐπειδὴ πέπαυται. ἔτι δὲ καὶ ἐν τοῖς βαρβάροις ἔστιν οἷς νῦν, καὶ μάλιστα τοῖς ἀσιανοῖς, πυγμῆς καὶ πάλης ἆθλα τίθεται, καὶ διεζωμένοι τοῦτο δρῶσι. πολλὰ δ' ἂν καὶ ἄλλα τις ἀποδείξειε τὸ παλαιὸν ἑλληνικὸν ὁμοιότροπα τῷ νῦν βαρβαρικῷ διαιτώμενον. τῶν δὲ πόλεων ὅσαι μὲν νεώτατα ᾠκίσθησαν, καὶ ἤδη πλωϊμωτέρων ὄντων, περιουσίας μᾶλλον ἔχουσαι χρημάτων, ἐπ' αὐτοῖς τοῖς αἰγιαλοῖς τείχεσιν ἐκτίζοντο καὶ τοὺς ἰσθμοὺς ἀπελάμβανον, ἐμπορίας τε ἕνεκα καὶ τῆς πρὸς τοὺς προσοίκους ἕκαστοι ἰσχύος. αἱ δὲ παλαιαί, διὰ τὴν λῃστείαν ἐπὶ πολὺ ἀντισχοῦσαν, ἀπὸ θαλάσσης μᾶλλον ᾠκίσθησαν, αἵ τε ἐν ταῖς νήσοις καὶ ἐν ταῖς ἠπείροις. ἔφερον γὰρ ἀλλήλους τε καὶ τῶν ἄλλων ὅσοι ὄντες οὐ θαλάσσιοι κάτω ᾤκουν. καὶ μέχρι τοῦδε ἔτι ἀνῳκισμένοι εἰσί· καὶ οὐχ ἧσσον λῃσταὶ ἦσαν οἱ νησιῶται, Κᾶρές τε ὄντες καὶ Φοίνικες. οὗτοι γὰρ δὴ τὰς πλείστας τῶν νήσων ᾤκησαν· μαρτύριον δέ· Δήλου γὰρ καθαιρομένης ὑπὸ ἀθηναίων ἐν τῷδε τῷ πολέμῳ, καὶ τῶν θηκῶν ἀναιρεθεισῶν ὅσαι ἦσαν τῶν τεθνεώτων ἐν τῇ νήσῳ, ὑπὲρ ἥμισυ Κᾶρες ἐφάνησαν, γνωσθέντες τῇ τε σκευῇ τῶν ὅπλων ξυντεθαμμένῃ, καὶ τῷ τρόπῳ ᾧ νῦν ἔτι θάπτουσι. καταστάντος δὲ τοῦ Μίνω ναυτικοῦ, πλωϊμώτερα ἐγένετο παρ' ἀλλήλους· οἱ γὰρ ἐκ τῶν νήσων κακοῦργοι ἀνέστησαν ὑπ' αὐτοῦ, ὅτε περ καὶ τὰς πολλὰς αὐτῶν κατῴκιζε. καὶ οἱ παρὰ θάλασσαν ἄνθρωποι μᾶλλον ἤδη τὴν κτῆσιν τῶν χρημάτων ποιούμενοι, βεβαιότερον ᾤκουν· καί τινες καὶ τείχη περιεβάλλοντο, ὡς πλουσιώτεροι ἑαυτῶν γιγνόμενοι. ἐφιέμενοι γὰρ τῶν κερδῶν, οἵ τε ἥσσους ὑπέμενον τὴν τῶν κρεισσόνων δουλείαν, οἵ τε δυνατώτεροι περιουσίας ἔχοντες, προσεποιοῦντο ὑπηκόους τὰς ἐλάσσους πόλεις. Καὶ ἐν τούτῳ τῷ τρόπῳ μᾶλλον ἤδη ὄντες, ὕστερον χρόνῳ ἐπὶ Τροίαν ἐστράτευσαν.
Narrat migrationibus faciles fuisse veteres Græcos; ideo leviter coluisse terram, tantum ut victui suppeteret. Cum enim urbes colerent sine mœnibus, patebant incursionibus: & cogitabant alibi se adipisci posse, quod domi deesset. Terras uberes potissimum invasionibus & mutationibus fuisse obnoxias, ut Thessaliam, Bœotiam & Peloponnesi bonam partem. Atticam & Arcadiam ob sterilitatem magis in pace fuisse. Inde, qui aliunde pulsi essent seditione aut bello, Athenas se ut stabilem sedem contulisse. Ita auctæ civibus, non sufficiente Attica colonias misere in Joniam. Veteres illos nihil in commune egisse ante bellum Trojanum. Nomen Ἕλλην ortum à Deucalionis filio, tandem post multum temporis invaluisse. Nam nec Homero notum fuit. Hellen ejusque liberi in Phthiotide rerum potiti cum colonias mitterent, propter commercium linguæ nomen populi propagasse. Mare à prædationibus liberavit primus Minos, ejectis Caribus & Phœnicibus. Aristoteles de diluvio Deucalionis: ἀλλ' ὥσπερ ὁ καλούμενος ἐπὶ Δευκαλίωνος κατακλυσμός. καὶ γὰρ οὗτος περὶ τὸν ἑλληνικὸν ἐγένετο μάλιστα τόπον· καὶ τούτου περὶ τὴν ἑλλάδα τὴν ἀρχαίαν. αὕτη δ' ἐστὶν ἡ περὶ τὴν Δωδώνην καὶ τὸν Ἀχελῷον· οὗτος γὰρ πολλαχοῦ τὸ ῥεῦμα μεταβέβληκεν. ᾤκουν γὰρ οἱ Σελλοὶ ἐνταῦθα καὶ οἱ καλούμενοι τότε Γραικοὶ νῦν δὲ Ἕλληνες. Significat Aristoteles eos, qui posteà Ἕλληνες vocati sunt, tempore diluvii Deucalionis vocatos fuisse Græcos.

Sicyoniorum & Argivorum regum anni non sunt satis noti. Post Coracem Epopeus, Lamedon, Sicyon, Polybus, Janiscus, Phæstus, Adrastus, Polyphides, Pelasgus, Zeuxippus Sicyone (secundum Scaligerum) regnarunt. Inde septem sacerdotes Carnei Apollinis annis 32.

nas filiam & regnum meruit. Acrisio oraculum significaverat è filia Danæ nasciturum puerum, qui avum interficeret. Danaen ſob id arctè clausam Iupiter mutatus in aureum imbrem, comprimit. Natum filium Persea cum matre Acrisius inclusos arcæ ligneæ in mare abjecit. Appulerunt in insulam Seriphum, ubi Persea educat Dictys. Perseus adultus ad Cephea proficiscitur Æthiopum regem, ubi Andromedam liberat.

14. Perseus Acrisii filius, cum Megapenthe filio Prœti permutat. Noluit enim Argis in patris solio sedere, quia eum casu interemerat. Posthac Perseus Mycenas condit.

15. Megapenthes.

Mycenarum reges.

1. PErseus, qui multos filios genuit: Alcæum, Sthenelon, Helam, Mestora, Electryonem, filiamque Gorgophonen. Alcæus duxit Hipponomen Menœcei filiam è qua Amphitryonem genuit. Mestor è Lysidice Pelopis filia genuit Hippothoen, quæ procreat Taphium, qui insulæ Tapho incolas dedit, quos appellavit Teleboas. Electryon ex Anaxone Alcæi filia genuit Alcmenam. Sthenelus è Nicippe Pelopis filia genuit Alcinoen & Medusam & filium Eurysthea.

2. Sthenelus Mycenarum & Tirynthis regno potitur ejecto Amphitryone & Alcmena. Amphitryon enim per errorem Electryonem interemerat. Ad Creontem Thebanorum regem se recipit & ab eo expiatur. Advenientibus ad se Pelopis filiis Atreo & Thyeste Mideam concedit.

3. Eurystheus, cui Hercules servitutem servivit. Hactenus Persidæ: inde Pelopidæ.

4. Atreus & Thyestes.

5. Agamemnon.

6. Ægisthus ann. 7.

7. Orestes ann. 70. juxta Vellejum. Scal. 28.

8. Penthilus & Tisamenus Orestis filii. Inde Heraclidæ potiuntur Peloponneso.

Arcadica.

1. PElasgus, quem primum in illa terra natum esse volunt. Invenit tuguria & vestes pelliceas: & glandium usum. Hinc nomen terra Pelasgia.

2. Lycaon Pelasgi filius, instituit ludicrum Lycæorum. Putat Pausanias Cecropem & Lycaonem eadem ætate vixisse. Infantem obtulit in ara Lycæi Jovis: unde in lupum dicunt mutatum esse. Quod vero simile videtur Pausaniæ, quia dii ea tempestate cum hominibus familiarius versabantur. Notabilis est ejus oratio: Καὶ ἐμέ γε ὁ λόγος οὗτος πείθει· λέγεται δὲ ὑπὸ Ἀρκάδων ἐκ παλαιοῦ καὶ τὸ εἰκὸς αὐτῷ πρόσεστιν. Οἱ γὰρ δὴ τότε ἄνθρωποι ξένοι καὶ ὁμοτράπεζοι θεοῖς ἦσαν ὑπὸ δικαιοσύνης καὶ εὐσεβείας· καὶ σφίσιν ἐναργῶς ἀπήντα παρὰ τῶν θεῶν τιμή τε οὖσιν ἀγαθοῖς καὶ ἀδικήσασιν ὡσαύτως ὀργή. Ἐπεί τοι καὶ θεοὶ τότε ἐγίνοντο ἐξ ἀνθρώπων, οἳ γέρα ἐς τόδε ἔτι ἔχουσιν &c. Ἐπ' ἐμοῦ δὲ (κακία γὰρ δὴ ἐπὶ πλεῖστον ηὔξετο καὶ γῆν τε ἐπενέμετο πᾶσαν καὶ πάσας πόλεις) οὔτε θεὸς ἐγίνετο οὐδεὶς ἔτι ἐξ ἀνθρώπου, πλὴν ὅσον λόγῳ καὶ κολακείᾳ πρὸς τὸ ὑπερέχον· καὶ ἀδίκοις μὲν τὸ μήνιμα τὸ ἐκ τῶν θεῶν ὀψέ τε καὶ ἀπελθοῦσιν ἐντεῦθεν ἀπόκειται. Ἐν δὲ τῷ παντὶ αἰῶνι πολλὰ μὲν πάλαι συμβάντα μηκέτι δὲ γινόμενα ἄπιστα εἶναι πεποιήκασιν ἐς τοὺς πολλοὺς, οἱ τοῖς ἀληθέσιν ἐποικοδομοῦντες ἐψευσμένα.

3. Nyctimus. Tertia generatione crevit humanum genus in urbium & hominum multitudinem. Multi filii Lycaoni fuerunt, qui urbes varias

 condide-

condiderunt. Oenotrus filiorum minimus in Italiam se confert & condit Oenotrios. Hæc prima classis è Græcia trajecit in oras alienas. Filiam Lycaon habuit Callisto.

4. Arcas filius Callistus. Hic à Triptolemo cerealem alimoniam accepit & panis confectionem docuit. Ab eo regio Arcadia dici cœpit. Filios habuit Azana, Aphidanta & Elatum. Nothum Autolaum.

5. Regnum tribus filiis distribuit Arcas, Azani Azaniam, Aphidanti Tegeam, Elato Cyllenen. Elatus concessit in Phocida, incolisque auxilio fuit in bello Phlegyarum. Azan habuit filium Clitorem, Apheidas Aleum, Elatus Æpytum, Perea, Cyllena, Ischyn, Stymphelum.

6. Clitor regulorum potentissimus. Perei filiam Neæram conjugem habuit Autolycus filius Dædalionis. Clitor prole caruit.

7. Æpytus à sepe serpente ictus occubuit.

8. Aleus Aphidantis filius. Agamedes & Gortys Stympheli filii. Tegeæ regiam habuit. Gortys urbem Gortynem condidit. Aleo filii fuerunt Lucurgus, Amphidamas, Cepheus, filia Auge. Cum hac secundum Hecatæum Tegeæ consuevit Hercules. Gravidam pater imposuit arcæ, qua devecta est ad Theuthrantem, in campo Cayci.

9. Lycurgus Alei filius. Lycurgi filius Ancæus cum Jasone navigavit in Colchos: estque postea ab apro interfectus.

10. Echemus Aeropi filius, nepos Cephei. Dorienses duce Hyllo Herculis filio ingressos in Peloponnesum, Achivi circa isthmum Corinthiorum prælio vincunt. Echemus Hyllum interficit duello. Non impetebantur eo bello Arcades sed Achæi & Jones, qui fovebant Pelopis progeniem. Echemus illis Peloponnensibus auxilio venit.

11. Agapenor Ancæi filius post Echetum seu Echemum, in Trojam dux fuit Arcadibus. Capta Troja tempestas eum cum classe sua in Cyprum depulit; Paphum & illic Paphiæ Veneris templum condidit.

12. Hippothus Cercyonis filius, nepos Agamedis nati Stymphelo, qui Trapezunte regiam habuit.

13. Æpytus Hippothu filius. Orestes in Arcadiam migrat. Æpyto ingredi auso in templum Neptuni Mantineæ inflicta est cæcitas & paulò post obit.

14. Cypselus Æpyti filius. Dorienses non per Isthmum ut ante tres generationes sed classe juxta Rhium in Peloponnesum advenit. Vellejus: *Post Orestis interitum filii ejus Penthelus & Tisamenus regnavere triennio. Tum ferè anno octogesimo post Trojam captam, centesimo & vicesimo, quam Hercules ad deos excesserat, Pelopis progenies, quæ omni hoc tempore pulsis Heraclidis Peloponnesi imperium obtinuerat, ab Herculis progenie expellitur. Duces recuperandi imperii fuere Temenus, Cresphontes, Aristodemus, quorum atavus fuerat.*

Bœotica.

De Platæensibus Pausanias: *ὅτι μὲν δὴ καὶ οὗτοι τὸ ἀρχαῖον ἐβασίλευον δῆλόν ἐστι. βασιλεῖαι γὰρ πανταχοῦ τῆς Ἑλλάδος καὶ οὐ δημοκρατίαι πάλαι καθεστήκεσαν.* Reges Platæensium fuere Cithæron & Asopus.

Terram Thebaida incoluerunt primò Ectenes, quorum rex fuit Ogygus: Hi cum pestilenti morbo interissent, successerunt in locum Hyantes & Aones. Cadmus cum Phœnicum classe superveniens pugna vincit incolas. Sequenti nocte clam aliò migrant Ectenes, Aones supplices recepti in gratiam. Cadmus

mus oppidum Cadmeam condit, quæ arx fuit Thebarum incremento urbis. Cadmus duxit filiam Martis & Veneris: filiæ illius etiam illustres fuerunt. Semele è Jove Bacchum peperit, Ino facta fuit Dea marina. Sparti magni nominis fuere, è quibus Echion filiam Cadmi ducit,

Cadmo profecto ad Encheleas in Illyrico, Polydorus Cadmi filius regnum obtinuit. Pentheus Echionis filius ob generis dignitatem & amicitiam regiam in honore erat, sed impius & contumeliosus, pœnam habuit à Baccho.

Labdacus Polydori filius. Tenerum pater moriens & regnum commisit Nycteo.

Nyctei interitus Lyco fratri tutelam regis reliquit.

Labdacus adultus tradente Lyco regnum suscipit. Immaturam Laii ætatem obiens subdidit tutelæ secundæ ejusdem Lyci. Amphion & Zethus puerum suscipiunt, regnum occupant, Thebas condunt id est Urbem inferiorem adjiciunt Cadmeæ.

Amphione & Zetho fato infelice amotis Laium Thebani in solio collocant. Oraculum fuit editum genitum è Jocaste conjuge filium mortem ei allaturum. Oedipus editus exponitur, educatur in ignoto.

Oedipus patrem per ignorantiam interimit: è matre gignit Eteoclem & Polynicen. Polynices duxit Adrasti filiam Argis, à quo adjutus Thebas oppugnat: sed amisso exercitu duo fratres monomachia intereunt.

Laodamas Eteoclis filius regnum accipit sed sub tutela Creontis filii Menœcei. Adultum & rerum potitum expellunt Argivi.

Ab iis filius Polynicis Thersander rex constituitur Thebarum, qui cum Græcis Trojam profectus interiit in campo Cayci.

Thersandri filius Tisamenus cum adhuc puer esset, principatum administravit Peneleos, qui occisus est à Telephi filio Eurypylo.

Autesion Tisameni filius oraculi monitu abiit ad Dorienses.

Damasichthon filius Opheltæ, filii Peneleo regnum accipit.

Ptolomæus.

Xanthus, interfectus, ab Andropompo. Tum regnum mutatum est in ὀλιγαρχίαν.

Regnum Atticum è Scaligero:

OGyges Atticæ & Bœotiæ rex antiquissimus. Cui quidam successisse volunt Actæum. Fuit tempore Phoronei teste Clemente.

A. M. C. 2392	1	Cecrops Diphyes ann. 50.
2442	2	Cranaus Autochthon ann. 9.
2451	3	Amphictyon Deucalionis filius ann. 10.
2461	4	Erichthonius Vulcani filius ann. 50.
2511	5	Pandion Erichthonii filius ann. 40.
2551	6	Erechtheus Pandionis filius ann. 50.
2601	7	Cecrops alter Erechthei frater ann. 40.
2641	8	Pandion alter Erechthei filius ann. 25.
2666	9	Ægeus Pandionis filius ann. 48.
2714	10	Theseus Ægei filius ann. 30.
2744	11	Menestheus Peteo filius, ann. 23.
2767	12	Demophoon Thesei filius ann. 33.
2800	13	Oxyntes Demophoontis filius ann. 12.
2812	14	Aphidas Oxyntæ filius ann. 1.

2813 15 Tymœtas Aphidantis frater ann. 8.
2821 16 Melanthus Andropompi filius ann. 37.
2858 17 Codrus Melanthi filius ann. 21. bello cum Lacedæmoniis semetipsum pro patria hostibus cædendum objecit. Oraculum enim erat: Victoriam fore gentis, cujus dux periisset.

Archontes ad totum vitæ tempus.

2879 1 MEdon Codri filius. In honorem Codri, nullum deinceps Athenæ habuerunt. Hic Medon præfuit ann. 20.
2899 2 Acastus Medontis filius, ann. 36.
2935 3 Archippus Acasti filius ann. 19.
2954 4 Thersippus Archippi filius ann. 41.
2995 5 Phorbas Thersippi filius ann. 31.
3026 6 Megacles Phorbantis filius ann. 30.
4056 7 Diogenetus Megaclis filius ann. 28.
3084 8 Pherecles Diogeneti filius ann. 19.
3103 9 Ariphron Phereclis filius ann. 20.
3123 10 Thespieus Ariphronis filius ann. 27.
3150 11 Agamestor Thespiei filius ann. 20.
3170 12 Aeschylus Agamestoris ann. 23.
3193 13 Alcmæon ann. 1.

Hinc Archontes decennales septem, annis 70.

Regnum Trojanum.

1. TEeucer.
2. Dardanus sub Sthenela rege Argivorum.
3. Erichthonius Dardani filius.
4. Tros Erichthonii fil. Trojam condidit.
5. Ilus Trois filius.
6. Laomedon Ili filius.
7. Priamus Laomedontis filius.

Omnium horum regnorum, quæ diximus, generationes per comparationem hominum, qui simul vixerunt & res gesserunt, dici possunt, anni exacte definiri non possunt.

Lydorum regnum ex Herodoto.

POpulus iste Meon appellatus prius, à Lydo Atyis filio Lydius dici cœpit. Post Atyadas successerunt Heraclidæ ex Hercule & Jardanæ ancilla geniti. Hujus enim filius fuit Alcæus, qui Belum procreat: à Belo ortus Ninus, Nino Argon.

A. M. C. 2733. Argon primus rex Sardium ex Heraclidis fuit, ultimus Candaules Myrsi filius. Regnum obtinuerunt per duas & viginti ætates, annis quingentis & quinque. Postremi quatuor noscuntur.

3158 19 Ardysus ann. 36:
3194 20 Alyattes ann. 14.

3208

3208 21 Meles ann. 12.
4220 22 Candaules ann. 18.

Mermnadæ.

3238 1 Gyges Candaule everso regnum obtinuit ann. 38. Candauli exitium fuit ex immoderato affectu erga conjugem. Eam enim, quam propter formæ pulchritudinem deperibat, prædicare omnibus solebat, non contentus voluptatum suarum tacita conscientia, nisi etiam matrimonii reticenda publicaret: prorsus quasi silentium damnum pulchritudinis esset. Gygem Dascyli filium appellat, nudæ conspectu uxoris fidem verbis adstruere volens. Cui Gyges renuens: Mulierem cum tunica exuere verecundiam regerebat: Et esse jam olim statutos hominibus honesti limites, quos non oporteret egredi: unum esse de illis: Τινὰ σκοπέειν τὰ ἑωυτοῦ. Rogare ne urgeat illicita, se credere, quod omnium feminarum speciosissima esset. Verebatur enim Gyges ne rem inhonestam fœdo exitu numen ulcisceretur. Urget Candaules & bono animo esse jubet, postremo nudam Gygi ostendit. Mulier observat Gygi egressum è cubiculo sed se vidisse dissimulat, cum ultionem meditaretur. Παρὰ γὰρ τοῖσι Λυδοῖσι, σχεδὸν δὲ καὶ παρὰ τοῖσι ἄλλοισι βαρβάροισι καὶ ἄνδρα ὀφθῆναι γυμνὸν αἰσχύνην μεγάλην φέρει. Primo mane vocato Gygi electionem offert: Occidendi domini cum præmio regni & reginæ, aut mortis propriæ. Illum enim qui illicita suasisset, interire debere, aut eum, qui paruisset. Coactus necessitate herum sopitum interemit. In regno confirmatus est oraculo Delphico, quod significavit ultionem venturam esse in quintam progeniem Gygis: Ὡς Ἡρακλείδῃσι τίσις ἥξει ἐς τὸν πέμπτον ἀπόγονον Γύγεω. Gyges Mileto & Smyrnæ bellum intulit, Colophonem vi cepit.

3276 2 Ardyes regnat annis 50. Prienenses expugnavit, Miletum invasit. Hoc regnante Cimmerii in Asiam transierunt. Sardesque præter arcem ceperunt.

3326 3 Sadyattes annis. 12.

3338 4 Alyattes. Cum Cyaxare Cimmerios Asia expulit, postquam bellum cum Medis quinquennale pace finitum esset. Bellum Milesium à patre relictum continuavit sexennio. Thrasybulus erat Milesiorum tyrannus, qui ex indicio Periandri filii Cypseli, Corinthiorum tyranni, intellecto oraculo Delphico, quod datum erat Alyatti, prudenti strategemate pacem Lydo extorsit. Regn. ann. 57.

3395 5 Cræsus ann. 15.

Regnorum veterum successiones in Græcia exposuimus. Ea tempestate inter Dorienses & Jonas veterum simultatum offensæ erant: simul Heraclidæ cum Pelopidis de Poloponnesi imperio contendebant. Heraclidæ ejectis Pelopidis obtinuerunt principatum. Regna tandem in libertatem transierunt. Apud Lacedæ monios Procles & Eurysthenes Aristodemo Heraclide geniti regnum tenuerunt in posteritate sua geminum. Sisyphidæ Corintho ab Heraclidis pulsi sunt. Aletes quintus ab Hercule primus Heraclidarum Corinthi tenuit principatum. Post XI. reges, quorum ultimus fuit Telestes Aristodemi filius, πρυτάνεις annui sunt constituti.

De principalibus Græcorum diis.

Historiam veram deorum expediit Euhemerus, quem transtulit Ennius. Fragmenta ex eo servavit Lactantius: *Initio primus in terris imperium summum Vranus habuit. Is id regnum una cum fratribus suis instituit atque paravit. Exin Saturnus uxorem duxit Opem. Titan, qui major natu erat postulat ut ipse regnaret. Ibi Vesta mater eorum & sorores Ceres atque Ops suadent Saturno, ut de regno non concedat fratri. Ibi Titan, qui facile deterior esset quam Saturnus: iccirco & quod videbat matrem atque sorores suas operam dare, ut Saturnus regnaret: concessit ei ut is regnaret. Itaque pactus est cum Saturno, uti si quid liberûm virilis sexus ei natum esset, ne educaret. Id ejus rei causa fecit, uti ad suos gnatos regnum rediret. Tum Saturno, filius qui primus natus est, eum necaverunt. Deinde posterius nati sunt gemini Iupiter atque Iuno. Tum Iunonem Saturno in conspectum dedere; atque Iovem clam abscondunt; dantque eum Vestæ educandum, celantes Saturnum* (Lact. superius: Ops autem cum Jovem peperisset, subtraxit infantem eumque nutriendum furtim misit in Cretam) *Item Neptunum clam Saturno Ops parit eumque clanculum abscondit ad eundem modum tertio partu Ops parit geminos, Plutonem & Glaucam. Pluton Latino est diespiter, alii Orcum dicunt. Ibi Glaucam filiam Saturno ostendunt; ac filium Plutonem celant atque abscondunt. Deinde Glauca parva emoritur.* Item paulo post: *Deinde Titan postquam rescivit Saturno filios procreatos atque educatos esse clam: seducit secum filios suos, qui Titani vocantur, fratremque suum Saturnum atque Opem comprehendit, eosque muro circumegit, & custodiam his apponit.* Lactantius: *Reliqua historia* sic contexitur: Jovem adultum, cum audivisset patrem atque matrem custodiis circumseptos atque in vincula conjectos, venisse cum magna Cretensium multitudine; Titanumque ac filios ejus pugnando vicisse: parentes vinculis exemisse: patri regnum reddidisse: atque in Cretam remeasse. Post hæc deinde Saturno datam sortem, ut caveret, ne filius eum regno expelleret. Illum elevandæ sortis atque effugiendi periculi gratia insidiatum Jovi, ut eum necaret. Jovem cognitis insidiis regnum sibi denuo vendicasse; ac fugasse Saturnum: qui cum jactatus esset per omnes terras, persequentibus armatis, quos ad eum comprehendendum vel necandum Jupiter miserat: vix in Italia locum, in quo lateret invenit. Iterum: *Deinde Pantum deducit in montem, qui vocatur cæli stella. Postquam eò ascendit, contemplatus est latè terras; ibique in eo monte aram creat cælo: primusque in ea ara Iupiter sacrificavit: in eo loco suspexit in cælum: quod nunc nos nominamus: idque quod supra mundum erat, de sui avi nomine Cælo nomen indidit: idque Iupiter, quod æther vocatur precans, primum cælum nominavit: eamque hostiam quàm ibi sacravit, totam adolevit.* Addit deinde Lactantius ad expositionem hujus fragmenti: *Nec hic tantum* sacrificasse Jupiter invenitur. Cæsar quoque in Arato refert, Aglaosthenem dicere Jovem cum ex insula Naxo adversus Titanas proficisceretur & sacrificium faceret in litore: aquilam ei in auspicium advolasse quam victor bono omine acceptam tutelæ suæ subjugarit. Sacra vero historia etiam ante consedisse illi aquilam in capite, atque illi regnum portendisse testatur. Cui ergo sacrificare Jupiter potuit, nisi Cælo avo? Quem dicit Euhemerus in Oceano mortuum & in oppido Aulatia sepultum. Quartum fragmentum. *Iupiter imperium Neptuno dat maris, ut insulis omnibus & quæ secundum mare loca sunt omnibus regnaret.* V. Fragm. *Ea tempestate Iupiter in monte Olympo maximam partem vitæ colebat; & eò ad eum injus veniebant, si qua res in controversia erant. Item, si quis quid novi invenerat, quod ad vitam huma-*

Semonum mile esset vo veniebat atque Iovi ostendebat. VI. Fr. *Deinde Iupiter postquam terram quinquies circuivit omnibusque amicis atque cognatis suis imperium divisit reliquitque hominibus leges; mores frumentaque paravit, multaque alia bona fecit, immortali gloria memoriaque affectus, sempiterna monimenta suis reliquit: ætate pessum acta, in Creta vitam commutavit & ad deos abiit. Eumque Curetes filii sui curaverunt, decoraveruntque eum. Et sepulchrum est in opido Gnoso: & dicitur Vesta hanc urbem creavisse. Inque sepulchro ejus inscriptum antiquis literis Græcis* ὁ ζεὺς τοῦ κρόνου, *id est latine, Iupiter Saturni.*

Lact. *At enim poëtæ ista finxerunt! Errat, quisquis hoc putat. Illi enim de hominibus loquebantur sed ut eos ornarent quorum memoriam laudibus celebrabant, deos esse dixerunt: itaque illa potius facta sint, quæ tanquam de diis, non illa, quæ tanquam de hominibus locuti sunt. Quod clarum fiet exemplo, quod inferemus: Danaem violaturus aureos nummos largiter in sinum ejus effudit. Hæc stupri merces fuit. At poëtæ, qui quasi de deo loquebantur, ne autoritatem creditæ majestatis infringerent, finxerunt ipsum in aureo imbre delapsum eadem figura, qua imbres ferreos dicunt cum multitudinem telorum sagittarumque describunt. Rapuisse dicitur in aquila Catamitum, poëticus color est. Sed aut per legionem rapuit, cujus insigne aquila, aut navis, in qua est impositus, tutelam habuit in aquila figuratam, sicut taurum, cum rapuit & transvexit Europam. Eodem modo convertisse in bovem traditur Io Inachi filiam, quæ ut iram Iunonis effugeret, ut erat jam setis obsita, jam bos tranasse dicitur mare, in Ægyptumque venisse, atque ibi recepta pristina forma, dea facta, quæ nunc Isis vocatur. Quo igitur argumento probari potest, nec Europam in tauro sedisse, nec Io factam bovem? Quod certus dies habetur in fastis, quo Isidis navigium celebratur quæ res docet non tranasse illam sed navigasse.* Patet Græcos non habere notitiam Urani majorum, quos Phænicum historia exponit. Deinde Saturnum ubi regnum tenuerit, non exponunt: constat è Phœnicum historia in Phœnicia regnum tenuisse & insulis Græci maris. Jovem igitur in Creta abdunt, qui servatum voluerunt. Nam particulares reges erant sed hi superiores habebantur, potentioresque, ideo in deorum principalium numerum venerunt.

De literis Græcorum

Secundum Eusebium Cecropis secundi anno 28. (mundi 2630. sequenti Ilion conditum est) Cadmus condidit Cadmeam. Quo tempore & Midas in Phrygia regnabat. Cum enim Jupiter in Creta rapuisset filiam Agenoris Phœnicum regis, Cadmus à patre ad quærendam filiam missus, desperata inventione, sedem illic posuit. Interdictus enim à patre reditus erat nisi reperta sorore. Hic Græcos docuit literarum usum. De qua re audiamus Herodotum: Οἱ δὲ Γεφυραῖοι, τῶν ἔσαν οἱ Φονέες Ἱππάρχου, ὡς μὲν αὐτοὶ λέγουσι, ἐγεγόνεσαν ἐξ Ἐρετρίης τὴν ἀρχήν· ὡς δὲ ἐγὼ ἀναπυνθανόμενος εὑρίσκω, ἔσαν Φοίνικες τῶν σὺν κάδμῳ ἀπικομένων Φοινίκων ἐς γῆν τὴν νῦν βοιωτίην καλεομένην. Οἴκεον δὲ τῆς χώρης ταύτης ἀπολαχόντες τὴν Ταναγρικὴν μοῖραν. Ἐντεῦθεν δὲ Καδμείων προτέρων ἐξαναστάντων ὑπ᾽ Ἀργείων, οἱ Γεφυραῖοι οὗτοι δεύτερα ὑπὸ βοιωτῶν ἐξαναστάντες ἐτράποντο ἐπ᾽ Ἀθηναίων. Ἀθηναῖοι δὲ σφεας ἐπὶ ῥητοῖσι ἐδέξαντο, σφέων αὐτῶν εἶναι πολιήτας, πολλῶν τινων καὶ οὐκ ἀξιαπηγήτων ἐπιτάξαντες ἔργεσθαι. Οἱ δὲ Φοίνικες οὗτοι οἱ σὺν Κάδμῳ ἀπικόμενοι, τῶν ἔσαν οἱ Γεφυραῖοι, ἄλλά τε πολλὰ, οἰκήσαντες ταύτην τὴν χώρην, ἐσήγαγον διδασκάλια ἐς τοὺς Ἕλληνας, καὶ δὴ καὶ γράμματα, οὐκ ἐόντα πρὶν Ἕλλησι, ὡς ἐμοὶ δοκέει. πρῶτα μὲν, τοῖσι καὶ ἅπαντες χρέωνται Φοίνικες· μετὰ δὲ, χρόνου προβαίνοντος, ἅμα τῇ φωνῇ μετέβαλον καὶ τὸν ῥυθμὸν τῶν γραμμάτων. περιοίκεον δὲ σφεας τὰ πολλὰ τῶν χώρων τοῦτον τὸν χρόνον Ἑλλήνων Ἴωνες· οἱ παραλαβόντες διδαχῇ παρὰ τῶν Φοινίκων τὰ γράμματα, μεταρρυθμίσαντές σφεων ὀλίγα, ἐχρέωντο. χρεώμενοι δὲ, ἐφάτισαν, ὥσπερ καὶ τὸ δίκαιον ἔφερε, ἐσαγαγόντων Φοινίκων ἐς τὴν Ἑλλάδα, Φοινικήια κεκλῆσθαι. καὶ τὰς βίβλους διφθέρας καλέουσι ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ

Ἴωνες,

Ἴωνες, ὅτι κοτὲ ἐν σπάνι βίβλων ἐχρέωντο διφθέρῃσι αἰγέῃσί τε καὶ οἰέῃσι. ἔτι δὲ καὶ τὸ κατ' ἐμὲ πολλοὶ τῶν βαρβάρων ἐς τοιαύτας διφθέρας γράφουσι. Ἶδον δὲ καὶ αὐτὸς καδμήϊα γράμματα ἐν τῷ ἱρῷ τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Ἰσμηνίου ἐν Θήβῃσι τῇσι Βοιωτῶν, ἐπὶ τρίποσί τισι ἐγκεκολαμμένα, τὰ πολλὰ ὅμοια ἐόντα τοῖσι Ἰωνικοῖσι· ὁ μὲν δὴ εἷς τῶν τριπόδων ἐπίγραμμα ἔχει,

Ἀμφιτρύων μ' ἀνέθηκεν, ἐὼν ἀπὸ Τηλεβοάων.

ταῦτα ἡλικίην ἂν εἴη κατὰ Λάϊον τὸν Λαβδάκου τοῦ Πολυδώρου τοῦ Κάδμου. Ἕτερος δὲ τρίπους ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ λέγει,

Σκαιὸς πυγμαχέων με ἑκηβόλῳ Ἀπόλλωνι
Νικήσας ἀνέθηκε τεῒν περικαλλὲς ἄγαλμα.

Σκαιὸς δ' ἂν εἴη ὁ Ἱπποκόωντος· εἰ δὴ οὗτός γ' ἐστὶ ὁ ἀναθεὶς, καὶ μὴ ἄλλος τὠυτὸ οὔνομα ἔχων τοῦ Ἱπποκόωντος, ἡλικίην κατὰ Οἰδίπουν τὸν Λαΐου. Τρίτος δὲ τρίπους λέγει καὶ οὗτος ἐν ἑξαμέτρῳ.

Λαοδάμας τρίποδ' αὐτὸν ἐϋσκόπῳ Ἀπόλλωνι,
Μουναρχέων ἀνέθηκε τεῒν περικαλλὲς ἄγαλμα.

ἐπὶ τούτου δὴ τοῦ Λαοδάμαντος τοῦ Ἐτεοκλέος μουναρχέοντος ἐξανιστέαται Καδμεῖοι ὑπ' Ἀργείων, καὶ τράπονται ἐς τοὺς Ἐγχελέας. οἱ δὲ Γεφυραῖοι ὑπολειφθέντες ὕστερον ὑπὸ Βοιωτῶν, ἀναχωρέουσι ἐς Ἀθήνας. Καί σφι ἱρά ἐστι ἐν Ἀθήνῃσι ἱδρυμένα, τῶν οὐδὲν μέτα τοῖσι λοιποῖσι Ἀθηναίοισι, ἄλλά τε κεχωρισμένα τῶν ἄλλων ἱρῶν, καὶ δὴ καὶ Ἀχαιίης Δήμητρος ἱρόν τε καὶ ὄργια. In hoc loco Herodotus occasione Gephyræorum de literis Græcis & Phœniciis differit. Audiamus differentem de loco hoc Herodoti Salmasium: *Herodotus vero refert Phœnices, qui cum Cadmo in Græciam venere, literas eo quoque intulisse, easque lapsu temporis aliquantulum immutatas à priore & genitiva figura Ionibus vicinis tradidisse, qui & illarum figuram paululum inflexerunt. A quibus postea ceteri Græci accepere, earumque formam nihil immutatam ab Ionico charactere retinuerunt, atque hæ sunt, quibus omnes Græciæ gentes tacito consensu conspirationeque uti instituerunt, quibusque hodierni Græci utuntur. Ionicæ igitur litteræ sunt communes istæ & vulgares, quas hodiè habemus, cum Græcè legimus aut scribimus easque parum à Phœniciis situ & figura distare tradit Herodotus, qui testatur se vidisse. Non semel tamen mutatam fuisse formam litterarum Phœniciarum idem refert. nam Phœnices, qui cum Cadmo litteras in Græciam invexere, non diu illas servavere integras, ut ex patria attulerant, sed & dialectum & litterarum characteres labente tempore penitus immutarunt Iones etiam, qui ab illis acceperunt, earum formam leviter mutarunt nec postea mutatus est litterarum modulus, sed ita reliquis Græcis, & in ea facie, quam Iones introduxerunt, receptus est. Sciendum præterea* καδμήϊα *illa* γράμματα, *quæ narrat Herodotus se vidisse insculpta Thebis in tripodibus Apollini Ismenio dicatis, & sibi visa esse non admodum dissimilia Ionicis, non ex eo fuisse genere characterum, quos primi Phœnices, qui cum Cadmo venerant, puros putos ex Phœnice attulere, sed ad eam formam, qua postea interpolati ab iisdem fuere, cum & Dialectum ipsam nativam & merè Phœnissam labente tempore, postquam diu in Græcia morati essent, mutaverunt. Vicini vero tunc temporis Iones, cum ab illis litteras mutuati essent, sane recentiorem formam imitati sunt, quam & ipsam* ὀλίγα μετερρύθμισαν, *ut scribit Herodotus. Ergo non mirum Phœnicias litteras Ionicis similes sibi visas scripsit Herodotus: non enim de iis Phœniciis intelligendum quibus in patria sua Phœnices utebantur, sed de illis, quas sibi fabricarunt, post longam temporis moram in Græcia factam, ubi & dialectum, ut diximus, & literarum modulum immutarunt. Herodotus de illis Phœnicibus, qui duce Cadmo in Bœotiam migravere:* μετὰ δὲ χρόνου προβαίνοντος, ἅμα τῇ φωνῇ μετέβαλον καὶ τὸν ῥυθμὸν τῶν γραμμάτων. *atque eo genere literarum scripta fuere illa Epigram-*

grammata, quæ ibi refert Herodotus, quæ si velis Ionicis exarare, non aliis erit utendum quam quibus hodie utimur. Cujus rei magnum argumentum est, quod longo post Cadmi adventum tempore inscriptiones illæ factæ sunt, cum jam scilicet lingua Phœnicum degeneraßet, & literæ ipsorum à primigenia figura descivissent. Græce enim scripta fuere illa Epigrammata, non Phœnicum idiomate, & illis Characteribus expressa, quos progreßu temporis in Græcia sibi formaverant, non quos primum ex Phœnice attulerant, quique usitati Phœnicibus erant. Hoc fefellit doctissimum virum, qui putavit Ionicas literas Phœniciis similes eße, & Phœniciarum nobis exemplum producit ex Samaritano Alphabeto, & abutitur Herodoti testimonio. Verum enim est Ionicas literas easdem pæne cum Cadmeis fuiße, sed eis Cadmeis, quæ tempore Amphitryonis, & Labdacidarum à Thebanis usurpabantur: multum dissimiles priscis illis & nativis Phœniciis, quas Cadmus in Bœotiam importaverat. A quibus Iones cum sumerent literarum formas, non eas veteres & primigenias, sed has recentiores & corruptas imitatione expreßerunt. Hinc Herodotus similes Ionicas Phœniciis sibi visas tradidit. in illis vetustis epigraphis ab Amphitryone, Laodamante & Seao positis. Præterea nihil magis refellit Scaligerum, quam αὐτοψία *ipsa Phœniciarum, & Ionicarum notarum ex adverso positarum & comparatarum. Quid enim tam dissimile ac diversum? Atqui scripsit Herodotus,* τὰ πολλὰ ὅμοια ἐόντα τοῖς καδμηΐοις γράμμασι τοῖς Ἰωνικοῖς. *Duplex igitur ejusdem incomparabilis viri peccatum, primum, quod literas Ionicas priscis Phœniciis similes esse existimavit. Qui enim similes possint esse, cum Cadmeæ recentiores, ex quibus profectæ sunt Ionicæ, & ipsæ aliquantulum immutatæ, adeo differrent, ac dispariles essent illis priscis Cadmeis, quas de patria sua Phœnice attulerat Cadmus? Secundus error, quod Ionicas litteras alias putavit eße à Græcis vulgaribus. Nam cum* Ἰωνικὰ γράμματα *nominavit Herodotus, ea utique intellexit, quibus ipse & reliqui tum temporis Græci utebantur, & postea semper usi sunt, postquam Alphabetum Græcum viginti quatuor elementa habere cœpit. Totidem autem jam elementis constabat Herodoti tempore, quas igitur alias literas potuit nominare Herodotus, cum docere vellet ac probare, Græcas literas Cadmeis, ex quibus sumptæ essent, similes sibi repertas in aliquot veteribus monumentis? Sanè non Doricas, non Æolicas, sed Ionicas nominavit, quia primi Iones ex Phœnicibus eas acceperant, & in reliquas Græciæ gentes propagarant: quæ tacito consensu literarum Ionicarum formam & usum recepere. Nam ante Cadmum nullæ in Græcia literæ, post Cadmi adventum sedecim tantum in usu mox Iones viginti quatuor numerum impleverunt. Attici tamen veteres diu retinuerunt eum sedecim litterarum numerum.* Hactenus Salmasius. Herodotus distinguit literas Cadmeas sive Phœniceas ab Jonicis. Jonicas esse Phœniceas illas, paulum immutatas. Alphabetum igitur Cadmeum & Jonicum differebant: Cadmeum intelligit, ut recte observatum Salmasio, non illud quale primum attulit è Phœnicia Cadmus, sed quale in usum suum lingua Græca assumpta & lapsu temporis immutaverant. Primò non scribebant Græci ut Phœnices sinistrorsum sed dextrorsum, ita literarum facies converti debuit. Secundò ipsæ formæ paulum mutabantur. Herodot. ἅμα τῇ φωνῇ μετέβαλον καὶ τὸν ῥυθμὸν, *una cum sono mutaverunt figuram.* ῥυθμὸν Valla non benè vertit *modulum:* quod tamen non castigavit H. Stephanus. Earum literarum sonus & potestas inflexa est una cum figura. Atticum & Antiquum alphabetum ab Jonico Græci discriminant. Atticum etiam Cadmeo illi apud Herodotum dispar est. In Attico sedecim fuerunt literæ quibus octo adjecerunt Jones. Jonicum Herodoti tempore tota Græcia receptum erat. Atticum Alphabetum, Α Β Γ Δ Ε Η Ι Κ Λ Μ Ν Ο Π Ρ Σ Τ Υ. ubi sunt septendecim literæ, sed H omissum est quod pro adspiratione receptum eliminato E. Ex veritate igitur septendecim literæ fuerunt prisci alphabeti.

Dixi Atticum & Cadmeum alphabetum differre & utrumque distingui ab

Jonico. Cadmeum enim ab Jonibus receptum esse scribit Herodotus: Οἱ παραλαβόντες διδαχῇ παρὰ τῶν Φοινίκων τὰ γράμματα μεταρρυθμίσαντες σφέων ὀλίγα ἐχρέωντο. *Cum suscepissent discendo à Phœnicibus literas, paucis immutatis usui habuerunt.* Primò dicit Phœnices illos usos fuisse iisdem literis, quibus omnes Phœnices utuntur: nempe illis Punicis seu Samaritanis, quas habebant in Syria.

> *Phœnices primi famæ si credimus, ausi*
> *Mansuram rudibus vocem signare figuris.*

Secundò mutasse sonum figuramque, degeneres illos, qui cum Cadmo advenerant, Pœno-græcos. Tertiò ab illis Cadmeis Jonas alphabetum accepisse, quod vocaverint Phœnicéum. Quartò aliquam in figura mutationem fecisse. Sic distinguit Cadmeum & Jonicum alphabetum, sed γράμματα καδμήϊα τὰ πολλὰ ὅμοια ἐόντα τοῖσι Ἰωνικοῖσι. Vidisse se Cadméas literas in Ismenii Apollinis templo, apud Thebas Bœotias. Notabimus in Cadméo Alphabeto fuisse plures literas, quam in Attico seu illo antiquo apud Græcos communi præter Jonas, non tamen tot quot in Jonico. Cadmeum Alphabetum fuit: Α,Β,Γ,Δ,Ε,Ζ,Η,Θ, Ι,Κ,Λ,Μ,Ν,Ο,Π,Ρ.Σ,Τ, & Sanpi. Υ videtur in fine ab illis adjectum, quia ab Atticis & Æolibus communiter receptum fuit ante Jonicarum literarum usum. Q coppa fuit, quia est in Latino seu Æolico. Nam à Cadmeis illis didicerunt & susceperunt tot literas, quot necessarias esse putarunt Attici, Jones, Æoles. Hinc alphabeta Græcorum quatuor fuisse apparet: Cadmeum, Jonicum, Atticum, Æolicum seu Latinum. Jones literas quasdam adjecerunt, nempe Φ, Χ, Ψ, Ω. Cadmeum igitur seu Phœnicéum Græciæ alphabetum non debet confundi cum Phœnicéo Syriæ. Marius Victorinus: *Scripseram autem vobis, quantum repeto & alia plura inter quæ nostros antea, sicuti & Græcos quoque XVI. literis usos ex quibus fuisse vocales apud utrosque: bis postea quasdam à Palamede & alias à Simonide adjectas implesse numerum XXIV. ex adjectis autem nostros solam X recepisse, F vero G & Q in Græcis etiam literis fuisse & nunc esse: sed Q numero servire atque nonaginta significare: F autem Æolis duntaxat idem valere, quod apud nos V, quum pro consonante scribitur, vocarique βαῦ & Digamma: Et significaveram, priusquam Græcis vocales repertæ sunt H & Ω, vicem earum tam apud illos, quam apud nos explevisse E & O: & O etiam scribi solitam pro syllaba Ου: E autem pro Ἦτα & Ἰῶτα: easdemque & o & e, quoties accepissent in finem ἰῶτα, dativum casum utroque significare. Et harum scriptionum exempla non solum ex libris veteribus, sed etiam ex peritorum &c.* Alphabetum Jonicum viginti quatuor literas habuit & fuit in usu totum, quantum scripturam attinet sermonis. Cadméum viginti duarum literarum erat Alpha, Beta, Gamma, Delta, E, βαῦ, Zeta, H, Theta, Jota, Kappa, Lambda, My, Ny, O, Pi, Qophe, Rho, Sigma, Tau, V, San-pi. In quo sunt litteræ apud Jonas tantum numerales βαῦ, κόφε, σαμπῖ Inventi recentioris sunt Xi, Phi, Chi, Psi. Ω, mega. In usu numerandi manserunt illæ tres Cadméæ, quæ additæ ad viginti quatuor Ionicas scripturarias, faciunt integrum alphabetum literarum viginti septem. Fallitur magnus Scaliger, qui putat alphabeto scripturario viginti septem literas fuisse ævo etiam Victorini. Nam & locuples testis est Iohannes Apostolus in Apocalypsi, Alpha fuisse primam literam Ω ultimam, suo tempore. Latini in notis numeralibus non admiserunt κόφε & σαμπῖ. Habent tamen κόφε in literis. Latini alphabeti ultima litera fuit X: unde fuit viginti & unius literarum, A,B,C,D,E, F,G,H,I,K, L,M,N,O,P,Q,R,S,T,V, X. His posteà adjectæ sunt Y & Z pro Græcis vocibus. Tempore Augusti nondum illæ postremæ duæ penitus receptæ erant. Suetonius in Augusto: *Quoties autem per notas scribit: b pro a, c pro b,*

ac deinceps eadem ratione sequentes literas ponit, pro x autem duplex aa. Casaubonus emendare conatus est, scribendo Z pro X; reclamantibus omnibus libris, ut ipse fatetur. Expeditio Argonautarum hanc occasionem habuit: Deucalionis nepoti in urbe Thessaliæ Iolco imperium tenenti, multa proles fuit. Filii tres præcipui nominis Athamas; Creteus, Salmoneus. Athamantis liberi defuncto parente sibi à noverca metuentes, confugiunt in Colchos, cum surrepta gaza patris. Ad Cretea pervenit regnum, quo defuncto & Æsone filio ejus, Iasonis ætas immatura, tutelam dedit Peliæ Salmonei nepoti. Hic imperii retinendi cupidus Iasonem ut amoliretur, jubet aureum vellus id est auitas opes repetere. Longinquæ expeditionis fama, fortissimos viros ex universa Græcia concitat. Navis Argo ab opifice nomen tulit, Tiphys ad clavum sedit, Orpheus in transtris. In Lemnum cum pervenissent, Hypsipele Iasonem hospitio & thalamo excipit. Hercules in Hyla quærendo in partibus Mysiæ, dum moratur, iter resumunt argonautæ. Legit igitur littus, pervenit in Phrygiam. Illic liberat Hesionem, sed pacta mercede fraudatur. Argonautæ in Bosphoro Thracio Phinea liberant ab Harpyiarum vexatione. Superatis Symplegadum & Cynearum periculis in Colchos perveniunt. Medea Æetis filia, magica scientia pollens Iasonis amore irretita, armat juvenem, qui aureum vellus abripit. Iason ope Medeæ voti compos, eadem evasit insidias Æêtæ. Miris fabulis reditus circumducitur per marium disjunctorum navigationem. Medea comitata Iasonem, ut conjugem: sed varia fortuna fuit Iasonis, Medeæ & Argus. Hercules gloria virtutis suæ Asiam complevit. Inter cætera Trojam cepit cæsoque rege Laomedonte filio ipsius Priamo regnum dedit. Eodem seculo duo filii Oedipi ex incesto nati, bellum atrox conflarunt. Lajus Thebarum rex uxorem duxerat Iocasten: è qua prolem impensè desiderans oraculum Delphicum consuluerat responsumque tulerat valde sinistrum: Si prolem ex Iocaste susciperet, eam ipsi futuram exitio. Natum igitur filium curaverat exponi & in sylvas abiici. Sed famulus cui id demandatum fuerat, clam Laio, infantem feminæ notæ alendum tradiderat.) Oedipus (id puero nomen) vir factus, cum forte Thebas iret, in via angusta obvium sibi patrem, insolentius se de via decedere jubentem interfecerat: deinde ob sphingen viciniæ illi infestam, sublatam è medio, Iocastam quam matrem suam esse similiter ignorabat, uxorem adeptus cum regno, filios ex ea) genuit Eteoclen & Polynicen tum filias Antigonen & Ismenen. Pôst cum verum de patre & matre cognovisset, è dolore, regni & lucis pertæsus oculos sibi eruit. Filii adulti ex pacto regnant aliquandiu simul. Dein Eteocles major natu excluso Polynice solus sibi regnum vindicat. Polynices in exilium profectus, conciliatis sibi nuptiis filiæ Adrasti regis Argivorum & auxiliis à socero impetratis, priusquam vim moveret, ex consilio soceri mittit Tydea Oenei filium, jus suum à fratre repetitum. Sed æqui nihil impetrari potuit: quin imò Tydeus in regressu, vix manus eorum, qui Eteoclis jussu ex insidiis se in ipsum intulerant, incolumis evasit. Quapropter, confecto non invalido exercitu, cum multis proceribus, duxit in Boeotiam exercitumque Thebis admovit. Verum priusquam ad mutuas cædes ventum, rursum studio matris compositio inter fratres colloquio congressos tentata, sed sine fructu. Tum hostilibus occœptis, pugnæ variæ ad mœnia commissæ, mœnia vi tentata & acriter defensa. In præliis multi proceres à partibus Polynicis & Adrasti ciciderunt: inter quos & Tydeus nulli virtute secundus. Mox etiam Eteocles & Polynices ipsi inter se infestis animis & armis concurrentes mutuis vulneribus sese confecere. Mater Iocasta ad pu-

gnæ locum festinans, cum jam stratos peremptosque filios reperisset dolore amens se quoque rapto ab iis ferro interemit, ac super corpora cæsorum cecidit. Tum in vindictam exardescens Adrastus, cum suis in Cadmeam impetum vertit: ortaque rursum difficilis & cruenta pugna: Cæsi iterum multi & in his præcipui proceres. Victoria urbanis cessit. Ex principibus solus Adrastus fugiens vix evasit. Creon Iocastæ frater, jam grandis natu regnum vacans per nefas rapuit: Oedipus senex, cæcus, fractus doloribus in exilium pulsus interit: filiæ quoque in illo calamitatum domus infelicis diluvio periere. Corpora cæsorum ad Thebas à Creonte vix ad sepulturam recepta. Post quæ ab Amphiarai filio Alcmæone, impulsu matris, quæ soror Adrasti erat, novus exercitus contra Thebanos eductus & prælio commisso victi Thebani, Thebæque perculso populo, suasu Tiresiæ vatis desertæ atque ab hoste vastatæ, Thersandroque Polynicis filio traditæ.

Hos motus secutum est bellum Trojanum, in quod ob raptum Helenæ, universa Græcia, conscripto ingenti exercitu & classe mille navium parata exarsit. Summus expeditionis imperator fuit Agamemnon Atrei filius, rex Mycenarum: ejusque auspicia secuti sunt reliqui Græciæ principes. Castra in littore Rhœteo ad Trojam collocata, velitationes inter obsidentes obsessosque factæ. Bellum tractum in multos annos, sæpe pugnatum ad castra Græcorum ac mœnia Trojana & campo intermedio: cæsi hinc inde multi, multa oppida Asiæ à Græcis capta & deleta. Sarpedon à Patroclo Achillis fortissimi Græcorum amico: Patroclus invicem ab Hectore, intereà dum Agamemnoni iratus Achilles prælio abstinet, interempti. Hector in ultionem Patrocli ab Achille interimitur, cadaver ejus circum mœnia Trojæ raptatum, qui casus primos Trajanorum haud parum turbat quia Hector fortissimus inter eos fuerat. Posteà Achilles ex insidiis ab imbelli Paride sagitta ictus occubuit: Paris eodem teli genere à Philoctete percussus interiit. Denique Palladio furtim ex fano Iliensi per Diomedem & Ulyssem (Græcorum vaferrimum) abrepto, per insidias nocturnas & ligneum equum, Troja à Græcis capta & excisa est. Priamus rex Trojanorum ad aram Jovis à Pyrrho Achillis filio, Polyxena filia ejus ad sepulchrum Achillis mactati: Hecuba Priami uxor in servitutem abducta. Helenus Priamo etiam genitus cum Andromache conjuge, quæ Hectoris fuerat, in Epirum devenit: Antenor & Æneas, quos cum Græcis pactos esse ferunt; in Italiam. Multi procerum Græcorum in reditu variis casibus obierunt. Agamemnon in patriam reversus dolo conjugis Clytæmnestræ & Ægisthi adulteri interiit. Ulysses post longos errores in Ithacam, Menelaus cum sua Helena maturius Mycenas redierunt.

Cum Heraclidæ Peleponnesum obtinuissent, ex ipsa divisione, causæ simultatum ortæ sunt inter Lacedæmonios & Messenios: quæ finiri non potuerunt nisi Messeniorum exitio: qui Zanclen in Sicilia condiderunt & de patriæ suæ nomine Messanam appellarunt.

De oraculis antiquis Græciæ.

Nihil, ut existimo admirabilius fuit oraculis, quæ celebrantur responsis dæmonum, illudentium humanæ cæcitati. Antiquissimum in Græcia fuit oraculum Dodonæum, de cujus origine Herodotus in Euterpe: Τὸ γὰρ δὴ μαντήιον τοῦτο νενόμισται ἀρχαιότατον τῶν ἐν Ἕλλησι χρηστηρίων εἶναι· καὶ ἦν τὸν χρόνον τοῦτον (Gum Pelasgi Samothracen incolerent & quærerent de receptione nominum peregrinorum, quæ diis à barbaris imposita) μοῦνον. Ἐπεὶ ὦν ἐχρηστηριάζοντο ἐν τῇ Δωδώνῃ οἱ Πελασγοὶ εἰ ἀνέλωνται τὰ οὐνόματα τὰ ἀπὸ τῶν βαρβάρων ἥκοντα,

ἀνεῖλε

ἀπῖλε τὸ μαντήϊον χρᾶσθαι. ἀπὸ μὲν δὴ τούτου τοῦ χρόνου ἔθυον τοῖσι οὐνόμασι τῶν θεῶν χρεώμενοι. Παρὰ δὲ Πελασγῶν Ἕλληνες ἐδέξαντο ὕστερον. Ὅθεν δὲ ἐγένετο ἕκαστος τῶν θεῶν, εἴτε ἀεὶ ἦσαν πάντες, ὁκοῖοί τέ τινες τὰ εἴδεα, οὐκ ἠπιστέατο μέχρι οὗ πρώην τε καὶ χθές. ὡς εἰπεῖν λόγῳ. Ἡσίοδον γὰρ καὶ Ὅμηρον ἡλικίην τετρακοσίοισι ἔτεσι δοκέω μευ πρεσβυτέρους γενέσθαι καὶ οὐ πλέοσι. Οὗτοι δέ εἰσι οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἕλλησι καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διελόντες καὶ εἴδεα αὐτῶν σημήναντες· οἱ δὲ πρότερον ποιηταὶ λεγόμενοι τούτων τῶν ἀνδρῶν γενέσθαι, ὕστερον, ἐμοὶ δοκέειν, ἐγένοντο τούτων. Καὶ τὰ μὲν πρῶτα αἱ Δωδωνίδες ἱρήϊαι λέγουσι· τὰ δὲ ὕστερον τὰ ἐς Ἡσίοδόν τε καὶ Ὅμηρον ἔχοντα, ἐγὼ λέγω. Χρηστηρίων δὲ πέρι τοῦ τε ἐν Ἕλλησι καὶ τοῦ ἐν Λιβύῃ τόνδε Αἰγύπτιοι λόγον λέγουσι. Ἔφασαν οἱ ἱρέες τοῦ Θηβαιέος Διὸς δύο γυναῖκας ἱρηΐας ἐκ Θηβέων ἐξαχθῆναι ὑπὸ Φοινίκων· καὶ τὴν μὲν αὐτέων πυθέσθαι ἐς Λιβύην πρηθεῖσαν, τὴν δὲ ἐς τοὺς Ἕλληνας. ταύτας δὲ τὰς γυναῖκας εἶναι τὰς ἱδρυσαμένας τὰ μαντήϊα πρώτας ἐν τοῖσι εἰρημένοισι ἔθνεσι. Εἰρομένου δέ μευ ὁκόθεν οὕτω ἀτρεκέως ἐπιστάμενοι λέγουσι ἔφασαν πρὸς ταῦτα ζήτησιν μεγάλην ἀπὸ σφέων γενέσθαι τῶν γυναικῶν τουτέων· Καὶ ἀνευρεῖν μέν σφεας οὐ δυνατοὶ γενέσθαι, πυθέσθαι δὲ ὕστερον ταῦτα περὶ αὐτέων, τά περ δὴ ἔλεγον. Ταῦτα μέν νυν τῶν ἐν Θήβῃσι ἱρέων ἤκουον, τάδε δὲ Δωδωναίων φασὶ αἱ προμάντιες, δύο πελειάδας μελαίνας ἐκ Θηβέων τῶν Αἰγυπτιέων ἀναπταμένας, τὴν μὲν αὐτέων, ἐς Λιβύην, τὴν δὲ παρὰ σφέας ἀπικέσθαι· ἱζομένην δέ μιν ἐπὶ φηγὸν, αὐδάξασθαι φωνῇ ἀνθρωπηΐῃ ὡς χρεὸν εἴη μαντήϊον αὐτόθι Διὸς γενέσθαι. καὶ αὐτοὺς ὑπολαβεῖν θεῖον εἶναι τὸ ἐπαγγελλόμενον αὐτοῖσι, καὶ σφέας ἐκ τούτου ποιῆσαι. Τὴν δὲ ἐς τοὺς Λίβυας οἰχομένην πελειάδα λέγουσι Ἄμμωνος χρηστήριον κελεῦσαι τοὺς Λίβυας ποιεῖν. ἔστι δὲ καὶ τοῦτο Διός. Δωδωναίων δὲ αἱ ἱρήϊαι (τῇ πρεσβυτάτῃ οὔνομα ἦν Προμένεια, τῇ δὲ μετ᾽ αὐτὴν Τιμαρέτη, τῇ δὲ νεωτάτῃ Νικάνδρη) ἔλεγον ταῦτα. συνωμολόγεον δέ σφι καὶ ἄλλοι Δωδωναῖοι οἱ περὶ τὸ ἱρόν. Ἐγὼ δὲ ἔχω περὶ αὐτέων γνώμην τήνδε· εἰ ἀληθέως οἱ Φοίνικες ἐξήγαγον τὰς ἱρὰς γυναῖκας, καὶ τὴν μὲν αὐτέων ἐς Λιβύην, τὴν δὲ ἐς τὴν Ἑλλάδα ἀπέδοντο, δοκέειν ἐμοὶ ἡ γυνὴ αὕτη τῆς νῦν Ἑλλάδος, πρότερον δὲ Πελασγίης καλευμένης τῆς αὐτῆς ταύτης, πρηθῆναι ἐς Θεσπρωτούς. Ἔπειτα δουλεύουσα αὐτόθι ἱδρύσασθαι ὑπὸ φηγῷ πεφυκυίῃ Διὸς ἱρόν. ὥσπερ ἦν οἰκὸς ἀμφιπολεῦσαν ἐν Θήβῃσι ἱρὸν Διὸς, ἔνθα ἀπίκετο, ἐνταῦθα μνήμην αὐτοῦ ἔχειν. ἐκ δὲ τούτου, χρηστήριον κατηγήσατο, ἐπείτε συνέλαβε τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν, φάναι δέ οἱ ἀδελφεὴν ἐν Λιβύῃ πεπρῆσθαι ὑπὸ τῶν αὐτῶν Φοινίκων, ὑπ᾽ ὧν καὶ αὐτὴ ἐπρήθη. Πελειάδες δέ μοι δοκέουσι κληθῆναι πρὸς Δωδωναίων ἐπὶ τοῦδε αἱ γυναῖκες, διότι βάρβαροι ἦσαν· ἐδόκεε δέ σφι ὁμοίως ὄρνισι φθέγγεσθαι. μετὰ δὲ χρόνον τὴν πελειάδα ἀνθρωπηΐῃ φωνῇ αὐδάξασθαι λέγουσι, ἐπείτε τὰ συνετά σφι ηὔδα ἡ γυνή· ἕως δὲ ἐβαρβάριζε ἐδόκεέ σφι ὄρνιθος τρόπον φθέγγεσθαι. ἐπεὶ τέῳ τρόπῳ ἂν πελειὰς ἀνθρωπηΐῃ φωνῇ φθέγξαιτο; μέλαιναν δὲ λέγοντες εἶναι τὴν πελειάδα σημαίνουσι ὅτι Αἰγυπτίη ἡ γυνὴ ἦν. Ἡ δὲ μαντηΐη ἥ τε ἐν Θήβῃσι τῇσι Αἰγυπτίῃσι καὶ ἐν Δωδώνῃ, παραπλήσιαι ἀλλήλῃσι τυγχάνουσι ἐοῦσαι. ἔστι δὲ καὶ τῶν ἱρῶν ἡ μαντικὴ ἀπ᾽ Αἰγύπτου ἀπιγμένη. In hoc ſermone Muſa Ionica exponit originem oraculi Dodonæi. Nempe ſacerdotes Thebanos Iovis expoſuiſſe ipſi duas mulieres ſacerdotes à Phœnicibus, qui ea tempeſtate maria & terras percurſabant, è Thebis Ægyptiis abductas eſſe, & divenditas; unam in Libya, alteram in Græcia. Has condidiſſe oracula Jovis Ammonis & Dodonæi. Dodonæas ſacerdotes (mulieres erant) narraſſe, quod duæ columbæ nigræ Thebis in Græciam & Libyam advolaverint. Concedere igitur originem è Thebis. Herodotus ſub involucro dici exiſtimat, quod columbæ fuerint. Mulierem enim apud Theſprotos venditam barbarum ſonuiſſe & ignorabilem ſermonem; eoque avi columbæ eſſe adſimilatam. Cum didiciſſet Græcum ſermonem, dictum eſſe, avem humana verba proferre. Mulieres illæ, cum Jovis ſacerdotes fuiſſent in memoriam miniſterii veteris & cultus ejusmodi fanum

mum excitasse. Illa narratio historica veritatem habet nec potest ad Noë diluvium referri: ut multis visum est. Dodonæi enim Jovis oraculum procul remotum est ab illo Noë diluvio. Peucerus: *A diluvio universali, cum sese posteri Noha disjunxissent, Epirum Dodanim Noha nepos occupavit, excoluit suoque insignivit nomine & ibidem instauravit templa & cultus divinos: à patre quasi per manus acceptos. Constat enim antiquissimis temporibus, sicut & Stephanus annotavit, Epirum Dodonam vocatam fuisse: & longè vetustior est Dodonæ appellatio, quam Epiri. Vnde irrepsit in Græciam vocabulum: si inde non est? Certe Græcam non sapit originem.* Si è vicinitate literarum originem appellationum sumere placet, quæ non permistio aut confusio gentium temporumque existeret? In Frisiis meis vocabula plurima sunt Græcis antiquissimis etiam Hebræis sono adfinia, & quilibet in sua patria observaverit, unde tamen non arcessas originem, si sanum habeas sinciput. Latus campus vanis & ludentibus ingeniis hic se aperit, quem nunquam vir gravis ingredietur. Dodanim (sive Rhodanim vel Doranim: tam diversè scribitur) Epirum insedisse atque illic scholam & templum Dei veri condidisse quis admittet? Primò illi conditores turris & gentium à cultu Dei & pietate desciverant, deinde non est ullo modo credibile illum trans mare in ultimis illis Græciæ partibus per tot vacua terrarum spatia & marium insularumque habitatum se eo contulisse aut potuisse conferre. Rhodienses & Dorii in Asia ab ipso progeniti ut & Ionis ac Æoli posteri ex Asia terras Græciæ trans mare occuparunt. Diluvium Noë multis seculis distat à Dodonæi oraculi origine. E Peucero tamen eandem sententiam hausit & illius verbis expressit Majolus in dierum canicularium opere tacito nomine Peuceri, quod episcopo erat abominabile. Columbas & quercus oracula sonuisse mera fabula est, mulieres illic ut Delphis & alibi responsa dabant. Strabo tamen vult antiquitus viros interpretes deorum fuisse, posteà de mulieribus in usum venisse. Dodonæ (quæ prius Thesprotorum deinde Molossorum fuit) χαλκεῖον erat proverbio celebratum. In Excerptis lib. 7. Strabonis: χαλκεῖον ἦν ἐν τῷ ἱερῷ, ἔχον ὑπερκείμενον ἀνδριάντα, κρατοῦντα μάστιγα χαλκῆν, ἀνάθημα Κερκυραίων· ἡ δὲ μάστιξ ἦν τριπλῆ ἁλυσιδωτὴ ἀπηρτημένους ἔχουσα ἐξ αὐτῆς ἀστραγάλους· πλήττοντες τὸ χαλκεῖον συνεχῶς, ὁπότε αἰωροῖντο ὑπὸ τῶν ἀνέμων μακροὺς ἤχους ἀπειργάζοντο· ἕως ὁ μετρῶν τὸν χρόνον ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τοῦ ἤχου μέχρι τέλους καὶ ἐπὶ Υ προελθεῖν. ὅθεν καὶ ἡ παροιμία ἐλέχθη, ἡ Κερκυραίων μάστιξ. Æneum illud vas pulsabatur talis statuæ ad motum à vento, sonis in longum productis: quomodo nolæ apud nos sonant. Id nihil ad oraculum.

Delphicum recentius sed celebrius Dodonæo fuit. Ejus originem Diodorus Siculus refert bibliothecæ lib. 16. Philomelus cum Phocensibus patrocinium templi Apollinis armis sibi vindicaverunt occupato templo. Cogit Pythiam conscenso tripode oraculum captare & edere. Diodorus ex illa occasione oraculi originem & modum exponit: Ἐπεὶ δὲ τοῦ τρίποδος ἐμνήσθην, οὐκ ἄκαιρον παραλαβεῖν ἡγοῦμαι τὴν περὶ αὐτοῦ παραδεδομένην ἱστορίαν. Λέγεται γὰρ τὸ παλαιὸν αἶγας εὑρεῖν τὸ μαντεῖον. οὗ χάριν αἰξὶ μάλιστα χρηστηριάζονται μέχρι τοῦ νῦν οἱ Δελφοί. Τὸν δὲ τρόπον τῆς εὑρέσεως γενέσθαι φασὶ τοιοῦτον· ὄντος χάσματος ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ καθ' ὃν ἐστι νῦν τοῦ ἱεροῦ τὸ καλούμενον ἄδυτον, καὶ περὶ τοῦτο νεμομένων αἰγῶν, διὰ τὸ μήπω κατῳκεῖσθαι τοὺς Δελφούς, ἀεὶ τὴν προσιοῦσαν τῷ χάσματι καὶ προσβλέψασαν αὐτῷ, σκιρτᾶν θαυμαστῶς καὶ προΐεσθαι φωνὴν διάφορον ἢ πρότερον εἰώθει φθέγγεσθαι. Τὸν δ' ἐπιστατοῦντα ταῖς αἰξὶ θαυμάσαι τὸ παράδοξον καὶ προσελθόντα τῷ χάσματι καὶ κατιδόντα, οἷόνπερ ἦν, ταὐτὸ παθεῖν ταῖς αἰξίν· ἐκείνας τε γὰρ ὅμοια ποιεῖν τοῖς ἐνθουσιάζουσι, καὶ τοῦτον προλέγειν τὰ μέλλοντα γίγνεσθαι. Μετὰ δὲ ταῦτα τῆς φήμης παρὰ τοῖς ἐγχωρίοις διαδοθείσης περὶ τοῦ πάθους τῶν προσιόν-

των

των τῷ χάσματι, πλείους ἀπαντᾶν ἐπὶ τὸν τόπον. διὰ δὲ τὸ παράδοξον πάντων ἀποπειρωμένων, τοὺς ἀεὶ πλησιάζοντας ἐνθουσιάζειν. δι᾽ ἃς αἰτίας θαυμασθῆναί τε τὸ μαντεῖον, καὶ νομισθῆναι τῆς γῆς εἶναι, τὸ χρηστήριον· καὶ χρόνον μέν τινα τοὺς βουλομένους μαντεύεσθαι, προσιόντας τῷ χάσματι, ποιεῖσθαι τὰς μαντείας ἀλλήλοις· μετὰ δὲ ταῦτα, πολλῶν καθαλλομένων εἰς τὸ χάσμα διὰ τὸν ἐνθουσιασμὸν, καὶ πάντων ἀφανιζομένων, δόξαι τοῖς κατοικοῦσι περὶ τὸν τόπον, ἵνα μηδεὶς κινδυνεύῃ, προφῆτίν τε μίαν, πᾶσι καταστῆσαι γυναῖκα, καὶ διὰ ταύτης γίνεσθαι τὴν χρησμολογίαν. Ταύτῃ δὲ κατασκευασθῆναι μηχανὴν, ἐφ᾽ ἣν ἀναβαίνουσαν, ἀσφαλῶς ἐνθουσιάζειν καὶ μαντεύεσθαι τοῖς βουλομένοις, εἶναι δὲ τὴν μηχανὴν τρεῖς ἔχουσαν βάσεις, ἀφ᾽ ὧν αὐτὴν τρίποδα κληθῆναι· σχεδὸν δὲ παντὸς τοῦ κατασκευάσματος ἀπομίμημα γίνεσθαι τοὺς ἔτι καὶ νῦν κατασκευαζομένους χαλκοῦς τρίποδας. ὃν μὲν οὖν τρόπον εὑρέθη τὸ μαντεῖον, καὶ δι᾽ ἃς αἰτίας ὁ τρίπους κατεσκευάσθη, ἱκανῶς εἰρῆσθαι νομίζω· θεσπιῳδεῖν δὲ τὸ ἀρχαῖον λέγεται παρθένους, διά τε τὸ τῆς φύσεως ἀδιάφθορον, καὶ τὸ τῆς Ἀρτέμιδος ὁμογενές. ταύτας γὰρ εὐθετεῖν πρὸς τὸ τηρεῖν τὰ ἀπόρρητα τῶν χρησμῳδουμένων· ἐν δὲ τοῖς νεωτέροις χρόνοις φασὶν Ἐχεκράτην τὸν Θετταλὸν, παραγενόμενον εἰς τὸ χρηστήριον, καὶ θεασάμενον τὴν χρησμολογοῦσαν παρθένον, ἐρασθῆναι διὰ τὸ κάλλος αὐτῆς, καὶ συναρπάσαντα βιάσασθαι. τοὺς δὲ Δελφοὺς, διὰ τὸ γεγενημένον πάθος, εἰς τὸ λοιπὸν νομοθετῆσαι μηκέτι παρθένον χρηστηριάζειν, ἀλλὰ γυναῖκα πρεσβυτέραν πεντήκοντα ἐτῶν χρησμολογεῖν· κοσμεῖσθαι δ᾽ αὐτὴν παρθενικῇ σκευῇ, καθάπερ ὑπομνήματι τῆς παλαιᾶς προφητείας. Τὰ μὲν οὖν περὶ τῆς εὑρέσεως τοῦ μαντείου μυθολογούμενα, τοιαῦτ᾽ ἐστίν.

Plutarchus in libello de oraculorum defectu putat fabulam esse, quæ de inventione oraculi per casum dicitur. *Etenim* (inquit) *Coretas ille, quem primum ajunt Delphi, cum eum in locum incidisset, facultatem loco insitam demonstraße nihil* (arbitror) *habuit, quo alios caprarios aut pastores excelleret, si tamen narratio de eo non est fabula & inane commentum. Mihi quidem nugæ videntur & quoties ratiocinor, quantorum bonorum causam Græcis hoc præbuerit oraculum, in bellis, condendis urbibus, pestilentiis, sterilitatibus indignum facinus judico, inventionem ejus atque principium, non Deo & providentiæ sed fortunæ & casui imputari.* Causas naturales oraculi fuisse putarunt quidam: nempe Apollinem esse solem, hunc terræ ingenerare temperiem, è qua vapores divinatorii exhalent. Terræ facultatum aliquando defectus, aliquando ortus, nonnunquam emigrationes in alia loca evenire: universique temporis circuitu tales conversiones revolvi. Spiritus, illos divinationi servientes æternos non esse, sed obnoxios mutationi. Verosimiliter magnis exstingui imbribus & dissipari ictu fulminum & terræ motu. Ita Orchomeni, ut fama erat, peste grassante Tiresiæ oraculum desiisse. Idem de Ciliciæ oraculis factum. Narrat autem apud Plutarchum Demetrius Cilix, ante suas peregrinationes, adhuc ibi viguisse Mopsi & Amphilochi oracula. Sacrificandum erat, cum consuleretur oraculum, & cum libamen invergeretur victimæ, si hostia tota ab imis talis contremisceret & concuteretur, signum erat oraculum fore, nec aliter Pythia solebat introduci. Hostiam illam, puram corpore, anima sanam esse oportuit: quod diligenter à sacerdotibus exploratum. In cellam consultores oraculi deducebantur, quæ solebat non semper neque statis temporibus sed fortuitis interstitiis suavi odore impleri, è delubro prodeunte, qui fragrantia suavissimum quodque & pretiosissimum æquaret unguentum. Corpore aut animo male habentem Pythiam nefas erat ire ad cortinam deoque se dare. Si animo etiam malè affecta ingrederetur nullum enthusiasmum fuisse, aut incompositum, intempestivum & turbulentum. Ita tum nuper evenisse refert Plutarchus. Cum enim quidam consulturi peregre advenissent, ad primas libationes victimam immobilem mansisse, neque quicquam se movisse: tandem instantibus libando sacerdotibus velut imbre rigatam

tam ac madefactam aliquantulum contremuisse. Pythiam invitam descendisse in opertum oraculi & animo minime alacri. Statim in primis responsionibus apparuisse ex vocis asperitate eam instar navis vento impulsæ non sustinere vim Spiritus: & fuisse repletam Spiritu maligno & muto. Tandem prorsus exagitatam cum terribili clamore ad exitum contendisse, ibique se projecisse, ita ut non tantum consultores fugerint sed & Nicander vates & quotquot hosiorum aderant: Hinc Pythiam sublatam esse mente captam (ἔκφρονα omninò legendum) & paucos dies supervixisse. Ὅσιοι appellabantur vatum sodales. In illis locis Apollo confecit Pythonem serpentem, in cujus rei memoriam Pythia instituit ut habet Ovidius. Sacrum etiam in illis locis nono quoque anno celebratum, cujus ritus memorat Plutarchus. Pythius tamen ludus institutus est anno tertio olympiadis 48. Ejus enim origo repetitur à bello Crissæo. De Delphis & templo atque oraculo multa apud Pausaniam in Phocicis & Strabonem lib. 9. Oraculum etiam Homerus celebrat, qui inde Agamemnonem potisse responsum narrat,

ὥς γάρ οἱ χρείων μυθήσατο Φοῖβος Ἀπόλλων.
Πυθοῖ ἐν ἠγαθέῃ.

Pytho enim antiquum urbis nomen. Celebritatem Delphis dedit oraculum, quod maxime olim celebre fuisse ostendunt tot anathemata, Pythium certamen & multitudo vulgatorum oraculorum. Situm loci, quia media Græcia erat, aliquid contulisse frequentationi Strabo existimat. Fabula est duas aquilas ab Jove missas à diversis mundi cardinibus hic convenisse & occursum habuisse, unde umbilicum terræ appellabant. Sed & Ἀμφικτυόνων σύστημα, collegium Amphictyonum, plurium civitatum Græciæ commune hic loci præsidebat, curæ templi & publicarum rerum. Non est prætereundum, quod disseritur apud Ciceronem lib. 2. de divinat. *Sed jam inquit, ad te venio,*

O sancte Apollo, qui umbilicum terrarum certum obsides,
Unde superstitiosa primum sæva evasit vox fera.

Tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen implevit, partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione sæpissime: partim flexiloquis & obscuris, ut interpres egeat interprete & sors ipsa referenda sit ad sortes: partim ambiguis, & quæ ad dialecticum referenda sint. Nam cum sors illa edita est opulentissimo regi Asiæ,

Crœsus Halym penetrans magnam pervertet opum vim.

Hostium vim sese perversurum putavit, pervertit autem suam. Vtrum igitur eorum accidisset, verum oraculum fuisset. Cur autem hoc credam unquam editum Crœso? Aut Herodotum cur veraciorem ducam Ennio? Num minus ille potuit de Crœso, quam de Pyrrho fingere Ennius? Quis est enim qui credat Apollinis ex oraculo Pyrrho esse responsum?

Ajo te Æacida Romanos vincere posse?

Primum Latinè Apollo nunquam locutus est: deinde sors inaudita Græcis est: Præterea Pyrrhi temporibus jam Apollo versus facere desierat: postremò quanquam semper fuit, ut apud Ennium est, stolidum genus Æacidarum:

Bellipotentes sunt magi' quàm sapientipotentes:

tamen hanc amphibologiam versus intelligere potuisset, vincere Romanos, *nihilo magis in se, quam in Romanos valere. Nam illa amphibologia, quæ Crœsum decepit,* vel

vel Chrysippum potuisset fallere: hæc vero ne Epicurum quidem. Sed quod caput est, cur isto modo jam oracula Delphis non eduntur, non modò nostrâ ætate, sed jandiu, jam ut nihil possit esse contemptius? Hoc loco cum urgentur, evanuisse ajunt vetustate vim loci ejus, unde anhelitus ille terræ fieret: quo Pythia mente concitata oracula ederet. De vino aut salsamento putes loqui, quæ evanescunt vetustate. De vi loci agitur, neque solum naturali sed etiam divinæ quo tandem modo evanuit? Vetustate, inquies: quæ vetustas est quæ vim Divinam conficere possit? Quid tam divinum quam afflatus ex terra, mentem ita movens, ut eam providam rerum futurarum efficiat, ut ea non modo cernat multò ante, sed etiam numero versuque pronuntiet? Quando autem ista vis evanuit? An postquam homines minus creduli esse cœperunt? Demosthenes quidem, qui abhinc annos prope CCC fuit, jam tum φιλιππίζειν Pythiam dicebat, id est, quasi cum Philippo facere. Hoc autem eò spectabat, ut eam à Philippo corruptam diceret. Quo licet existimare in aliis quoque oraculis Delphicis aliquid non sinceri fuisse. Sed nescio, quomodo, isti philosophi superstitiosi & pene fanatici, quidvis malle videntur, quam se non ineptos. Evanuisse mavultis & exstinctum esse id, quod si unquam fuisset, certè æternum esset; quam ea, quæ non sunt credenda, non credere. Herodotus narrat Crœsum Lydorum regem missis nuntiis ad oracula, aliis alio, Delphos, Abas, Dodonam, Amphiaraum & Trophonium: item Branchidas Milesiæ: porro ad Ammonem in Africa, explorasse vaticiniorum veritatem. Jubebat enim quærere, quid eo die, cum consuleretur oraculum ipse faceret. Quo die Pythia consulebatur testudinem & agnum concisos coquebat in lebete, operculo æneo imposito. Meditabatur enim difficilia explicatu. Pythia dixit:

Οἶδα δ' ἐγὼ ψάμμου τ' ἀριθμὸν καὶ μέτρα θαλάσσης,
Καὶ κωφοῦ ξυνίημι καὶ οὐ φωνεῦντος ἀκούω.
Ὀδμή μ' ἐς φρένας ἦλθε κραταιρίνοιο χελώνης
Ἑψομένης ἐν χαλκῷ ἅμ' ἀρνείοισι κρέεσσιν,
Ἧι χαλκὸς μὲν ὑπέστρωται χαλκὸς δ' ἐπιέσται

Reversis nuntiis & resignatis oraculis Delphicum & Amphiarai verax fuisse deprehensum. Ideo ingentibus sacrificiis & donariis Apollinem veneratus est. At facilè fuit dæmoni & brevi mora resciscere quid Sardibus ageret Cræsus.

Cræsus idem ambiguo oraculo inductus ut Persis bellum inferret, victus jam captusque, permissu Cyri Delphos compedes misit cum exprobratione mendacii & ingratitudinis. Defendit Herodotus Apollinem: quod Sardium expugnationem in triennium distulerit, sed οὐκ οἷόν τε ἐγένετο παραγαγεῖν μοίρας. Ideo captum Crœsum esse triennio serius, quam fata destinarant. Tulisse ipsi opem, cum rogo esset impositus, demisso imbre. Oracula vera fuisse quamvis obscura, οὐ συλλαβὼν δὲ τὸ ῥηθὲν, οὐδ' ἐπανειρόμενος ἑωυτὸν αἴτιον ἀποφαινέτω. Hæc sufficere possunt de rebus Græciæ nostro proposito. Norandum autem antiquitates primas Græciæ, quas poëtæ fabulis involverunt ab Inacho ad generationem unam post Troica extendi. Dii & heroes vixerunt hoc intervallo. Inde incipit purior historia, Mythicum illud intervallum incipit ferme ab anno. M. 2150. supra quem in Græca historia vix ullius rei est memoria. Desinit circa ann. M. C. 2800.

F I N I S.

TOMI SECUNDI PEMPTADIS TERTIÆ liber ſeu tractatus ſecundus DE

Septuaginta annis captivitatis Babylonicæ ſeu Monarchiæ primæ quæ eſt Chaldæorum.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ *LIBRI II.*

CAPUT. I.

CAptivitatis tempora prophetarum vaticiniis atque actibus illuſtrata ſunt. Maximè itaque Danielis egregiam ad conſervandam legem perſeverantiam & in abſolutionem Suſannæ divino conſilio cæteraque ab eo geſta ordine perſequemur. Hic ſub rege Ioachim captus deductusque Babyloniam, parvus admodum puer: poſteà ob elegantiam vultus inter miniſtros regios aſſumptus, unaque cum eo Ananias, Miſael & Azarias. Sed cum eos rex delicatioribus cibis curari præcepiſſet, idque Aſphane Eunucho negotii dediſſet, Daniel paternarum traditionum memor, ne ex menſa regis gentilium cibis participaret, popoſcit ab Eunucho, ut leguminibus tantum uterentur. Cauſante Aſphane ne diſſimulatum imperium regis conſecutura macies proderet, Daniel Domino fretus pollicetur majoris decoris ſibi vultus ex leguminibus, quam ex cibis regiis. Fidesque dictis affuit, ita ut minime eorum vultus comparabiles haberentur, qui imperialibus impendiis procurabantur. Igitur à rege in honore & gratia adhibiti, prudentia & diſciplina brevi omnibus regis proximis antelati.

Drusius.

Captivitatis Tempora] Captivitates quatuor fuerunt. In secunda abductus fuit Daniel, quæ accidit anno quarto Joacim, qui fuit primus Nabuchodonosori. Sed vide sis interpretes Ebræos, Dan. 1. 1.

Prophetarum Vaticinii] Jeremiæ, Ezecielis & Danielis.

In Absolutionem Susannæ Divino Consilio] Sigonius emendat *divinum consilium*. Quod ut non damno, ita dico retineri posse vulgatam lectionem, si deleas (in) ut dicat, *& absolutionem Susannæ divino consilio*: quæ facta est divino non humano consilio.

Joachim] Joacim. Sigonius, res ipsa. Vide Dan. 1. 1.

Ananias Milael Et Azarias] Quorum mutata, ut moris tum erat, nomina in Sadrach, Misach & Abednego.

Asphanæ Eunucho] Ut Supra Ioachæ filio. Est autem obliquus ex recte Asphanes, quod Ebræi Asphanez scribunt. Dan. 1. 3.

Paternarum Traditionum] Sic loquendo significat traditiones patrum id est, majorum; quæ à Græcis dicuntur πατροπαράδοτοι ἐντολαί. Et Galat. 1. 14. Æmulator existens τῶν πατρικῶν μου παραδόσεων.

Paternarum] Malim patriarum: sed tamen nihil muto. Nam infrà sic locutus est, lib. 2. cap. 13. *Qui paternæ urbis statis esset:* & lib. 2. cap. 14. *Admonita ne paternarum traditionum immemor*. Sic apud interpretem nostrum 1. Pet. 1. 18. *Paternæ traditionis*.

Causante Asphane] Id faciebat per Malasar, quem Danieli præposuerunt, Dan. 1. 11.

Schotanus.

Sub Rege Ioacim] Danielis historiam explicat octo capitibus. In hoc capite abbreviata habentur, quæ in libri Danielis capite primo. Anno tertio regni Ioacim, Nabuchadnessar Hierosolymam obsedit. Iosia cæso & dejecto Ioachaz Nechos Ægypti rex Ioacim in solio posuerat. Eum subjugavit Chaldæus Nabuchadnessar. Scaliger ad num. Euseb. MCCCCIII. ubi: *Iosias rex Iudæorum cum Nechaone rege Ægypti congressus occiditur*, ita scribit. *Hanc pugnam commissam ad planitiem Mageddo testatur Scriptura, quem locum Maximinianopolim vocari scribit ex aliquo vetere scriptore Beda, quam Ægypti urbem esse ex notitia imperii constat. Herodotus vero scribit hoc accidisse ad urbem Magdolum, sitam in finibus Ægypti, cujus etiam mentio in Numismate Antonini Pii, Μαγδωλιτων. Occurrit enim Nechaoni rex Iosias, ut eum intercluderet aditu in Palæstinam & in Ægyptum summoveret. Itaque prælio commisso rex Iudæorum Dei observantissimus occiditur. Ægyptius non solum Palæstinam ingreditur, sed etiam ad fines Eufratis pervenit, ubi acie cum Nabuchodonosoro congressus, vincitur. Hinc attritis viribus in Ægyptum regressus est, anno secundo imperii sui, Ioakimo rege Iudæ constituto sub indictione tributi. Neque posteà pedem ponere ausus est in Palæstina.* Deinde, *Tributario Eliacim facto*] *Hæc fuit causa expeditionis Nabuchodonosori, quæ fuit annorum solidorum 13. Eliacim constitutus rex Iudæorum à Nechao non multo post per præfectos Nabuchodonosori tributo illi indicto triennium solidum regi Chaldæorum paruit. 2. Reg. 24. 1. Deinde rebellionem professum Nabuchodonosorus à patre Nabopollassaro missus in ordinem redegit*

 pecunia

pecunia mulctatum & parte sacrorum vasorum Babylonem asportata & majore procerum & nobilium abducta, in quibus Daniel fuit. Octo annos continuit se in officio: iterum rebellionis consilia renovantem Nabuchodonosorus octavum annum Tyrum oppugnans ut Berosus & annales Phœnicum testantur, missis expeditis Chaldæorum, Syrorum, Moabitarum & Ammonitarum manipulis vinculis & catenis constrictum Babylonem deportavit. Is est consensus Berosi & annalium Phœnicum cum sacra historia libris. Hactenus Scaliger, qui in eo errat, quod Ioacim ab initio Chaldæo regi subjectum fuisse putet & bis rebellem. Nam non potuit subjectus esse ante expeditionem Nabuchodonosori, quæ fuit suscepta anno quarto ineunte Ioacimi. Sed decepit eum quod Necon tantum semel putet ad Eufratem ivisse. Atqui ivit bis. Primo cum cecidisset Iosiam iterum cum victus est à Nabuchadnessaro anno. 3. Ioacim. Intervallum fuit triennii. Prima expeditio adversus Assyrios 2. Reg. 23. 29. Altera contra Babylonios Ierem. 46. 2. Nisi dicendum potius quod copiæ Neco à prima expeditione relictæ ad Eufratem, anno. 3. Ioacim à Babylonio cæsæ fuerint. Ægyptio parentem subegit obsidione aut obsidionis metu partemque vasorum domus Dei Babylona transtulit. Regem sub certis legibus in solio reliquit: aut missum Babylona dimissumque restituit. Turbat hic cum barbaris & imperitis Grotius qui tertium annum hunc vult esse undecimum regnantis Ioachimi: quia Hebræi eum pro rege non habuerint nisi post fratris Ioachazi mortem, qui avectus fuerat in Ægyptum sed rediturus sperabatur. Hoc est oppedere veritati, quam ostendit Scaliger & est apertissima in verbis S. Scripturæ. Iosephus Sedeciæ captivitatem & Danielis abductionem in unum tempus combinat, supina negligentia aut ignorantia. Vasa domus Dei intulit in thesauros Dei sui. Deus iste, ut volunt, Bel fuit. Textus dicit vasa esse deportata in terram Sennaar; non dicit, illata esse in urbem Babylonis. An igitur ædes illa Dei alio in loco fuerit disquirendum relinquo. Datum est in mandatis (לאשפנז) Asphanazo, aulicorum principi (רב סריסי) ut סריס est minister regius, eunuchus, sive sit exsectus sive integer. Vocabuli hujus ambiguitate deceptus Iosephus putavit Danielem cum sociis exsectos fuisse: *ποιήσας τινὰς αὐτῶν ἐκτομίας.* Vult enim isti Asphanazo id quoque mandatum esse, quamvis ipsi regi adscribat. *Ναβουχοδονόσορος τοὺς εὐγενεστάτους λαβὼν τῶν Ἰουδαίων παῖδας καὶ τοὺς Σεδεκίου τοῦ βασιλέως αὐτῶν συγγενεῖς, οἳ καὶ ταῖς ἀκμαῖς τῶν σωμάτων καὶ ταῖς εὐμορφίαις τῶν ὄψεων ἦσαν περίβλεπτοι παιδαγωγοῖς καὶ τῇ δι' αὐτῶν θεραπείᾳ παραδίδωσι, ποιήσας τινὰς αὐτῶν ἐκτομίας, τὸ δ' αὐτὸ καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἄλλων ἐθνῶν ἔτι κατεστρέψατο ληφθέντας ἐν ἀκμῇ τῆς ἡλικίας* &c. Mandatum est eunuchorum principi Asphanazo, ut produceret è filiis Israëlis, nempe semine regni & פרתמים. Semen regium seu regni Iosephus appellat Sedeciæ cognatos. Sed sciat Sedeciæ cognatos occisos esse in ultionem rebellionis, ut in pemptadis superioris fine dictum est. פרתמים sine dubio proceres seu nobiles significat, quorum filii & cognati pueri cum regii generis pueris delecti fuere. Abenesdras agnoscit esse dictionem peregrinam, fortè Chaldaicam aut Persicam, quia non reperitur nisi in Daniele & Esther. Hic in Daniele & Esth. 1. 3. & 6. 9. Græca Biblia hic retinuerunt *φορθομμὶν*, Esth. 1. 3. & 6. 9. *ἐνδόξους* reddunt. Latini vertunt *Tyrannos* hic & Esth. 6. 9. at Esth. 1. 3. *Inclitos*. Symmachus *πάρθους* reddit: fortè legendum *παρθίμους*, ut vocem originariam retineat. Observo distingui à præfectis provinciarum, ita ut שר המלך possit esse, qui non sit פרתם. Sunt igitur generis dignitate & eminentia illustres, Belgice reddiderim, van den hoogen Adel. Haman volebat equum regium duci ab uno de præfectis hac nobilitate insignibus. משרי המלך הפרתמים. Male igitur redditur per *Satraparum* vocem, ambiguum etiam

princi

principum majorum vocabulum. Delirant Judæi, qui à voce פרת tanquam si Eufratæos diceres, deducunt. Daniel igitur & socii si non regio saltem illustrissimo genere nati fuerunt. Illius generis pueros id est adolescentes rex eligi voluit. Ingenti cura seligebantur, nulla habita ratione gentis, qui regibus istis suo tempore famulaturi erant. Tres notæ seligendorum præter generis sublimitatem. I. ut corpore essent eleganti. II. ut indole & ingenio excellerent. III. Ut artibus liberalibus patriæ suæ egregiè instructi & instituti essent. Additur: Qui idonei essent ut ministrarent in aula regis. Hoc totum erat & finis. Præter eruditionem, quam in patria hauserant, voluit triennio curari antequam regis ministerio adhiberentur. Cura illa educationis triennalis circa victum fuit & disciplinam liberalem. Debuerunt imbui lingua & literis Chaldæorum. Statutum ut de פת"בג regis & vino potionum ejus quotidie haberent, toto illo triennio. Illud vocabulum hoc in capite occurrit v. 5. 8. 13. 16. Deinde XI. 26. In ultimo loco dicitur regi Austri se oppositurοs, qui ex illius פתבגו esitarent, Græca versio reddit τράπεζα & v. 16. δεῖπνον. cap. XI. 26. τὰ δέοντα αὐτοῦ. Ut intelligatur, quid sit, sciendum regi appositam portionem fuisse in mensa, è cujus reliquiis isti cibati fuerunt. Modum cænandi regis Persarum apud Athenæum lib. 4. Deipnosophistarum exponit Heraclides Cumanus secundo παρασκευαστικῶν sis verbis: Καὶ οἱ θεράποντες τοὺς Περσῶν βασιλεῖς δειπνοῦντας ἅπαντες λελουμένοι διακονοῦσιν, ἐσθῆτας καλὰς ἔχοντες καὶ διατρίβουσι σχεδὸν τὸ ἥμισυ τῆς ἡμέρας περὶ τὸ δεῖπνον. Τῶν δὲ τοῦ βασιλέως συνδείπνων, οἱ μὲν ἔξω δειπνοῦσιν, οὓς καὶ ὁρᾶν ἔξεστι παντὶ τῷ βουλομένῳ, οἱ δὲ εἴσω μετὰ τοῦ βασιλέως. Καὶ οὗτοι δὲ οὐ συνδειπνοῦσιν αὐτῷ, ἔστιν οἰκήματα δύο κατ' ἄντικρυς ἀλλήλων ἐν ᾧ ὁ βασιλεὺς τὸ ἄριστον ποιεῖται· καὶ ἐν ᾧ οἱ σύνδειπνοι. Καὶ ὁ βασιλεὺς ἐκείνους ὁρᾷ διὰ τοῦ παρακαλύμματος τοῦ ἐπὶ τῇ θύρᾳ, ἐκεῖνοι δ' αὐτὸν οὐχ ὁρῶσιν. Ἐνίοτε μὲν ἐπειδὰν ἡ ἑορτὴ ᾖ ἐν ἑνὶ οἰκήματι ἅπαντες δειπνοῦσιν ἐν ᾧ καὶ ὁ βασιλεὺς, ἐν τῷ μεγάλῳ οἴκῳ. Ὅταν δὲ βασιλεὺς πότον ποιῆται (ποιεῖ δὲ πολλάκις) συμπόται αὐτῷ εἰσιν ὡς μάλιστα δώδεκα· καὶ ὅταν δειπνήσωσιν, ὅτι βασιλεὺς αὐτὸς καθ' ἑαυτὸν καὶ οἱ σύνδειπνοι καλεῖ τοὺς συμπότας τούτους τις τῶν εὐνούχων καὶ ὅταν συνέλθωσι συμπίνουσι μετ' αὐτοῦ, οὐ τὸν αὐτὸν οἶνον κἀκεῖνοι. Καὶ οἱ μὲν χαμαὶ καθήμενοι, ὁ δ' ἐπὶ κλίνης χρυσόποδος κατακείμενος καὶ ὑπερμεθυσθέντες ἀπέρχονται. Τὰ δὲ πλεῖστα ὁ βασιλεὺς μόνος ἀριστᾷ καὶ δειπνεῖ· ἐνίοτε δὲ καὶ ἡ γυνὴ σὺν αὐτῷ καὶ τῶν υἱῶν ἔνιοι. Καὶ παρὰ τὸ δεῖπνον ᾄδουσί τε καὶ ψάλλουσιν αἱ παλλακαὶ αὐτῷ· καὶ μία μὲν ἐξάρχει, αἱ δὲ ἄλλαι ἀθρόως ᾄδουσι. Hactenus fragmentum primum: quod vertam: *Famuli Persarum regibus cænantibus ministrant omnes loti, induti pulchris vestibus & occupantur diei dimidio circa cænam. Convivarum regis alii foris cænant, quos volenti cuivis conspicere licet; alii intus cum rege. Et hi non conviνantur cum illo, sed sunt duo conclavia adversa inter se, in quorum altero rex prandium facit, altero conviνæ. Et rex illos conspicit per velum ad ostium, illi autem regem videre non possunt. Aliquando tamen cum festum est in uno conclavi cum rege omnes cænant, in majori æco. Cum autem rex potationem facit (facit autem sæpe) combibones ipsi sunt maximè duodecim. Cumque cænant rex ipse perse & conviνæ, vocat hos compotores aliquis eunuchorum: cumque convenerunt, bibunt cum ipso non idem vinum. Et hi quidem humi consident, ille autem decumbit in lecto aureorum pedum. Ubi autem admodum inebriati sunt, discedunt. Uplurimum rex solus prandet & cænat, aliquando autem & uxor cum ipso conviνatur & filiorum aliqui. Et ad cænam canunt & psallunt ipsi pellices; quarum una quidem præcinit, aliæ autem confertim canunt.*

Distinguuntur οἰκήματα & οἶκοι; interque οἶκος ὁ μέγας ab aliis minoribus. Distinguitur δεῖπνον & ἄριστον à πότῳ. Quæ tamen confudit interpres Dalechampius. Aliter cænabat rex communiter, aliter die festo. Cænæ regiæ modum in secundo fragmento describit: Τὸ δὲ δεῖπνον, φησὶ, τοῦ βασιλέως καλούμενον,

 ἀκούσαντι

ἀκύσαντι μὲν δόξει μεγαλοπρεπὲς εἶναι, ἐξεταζόμενον δὲ φανεῖται οἰκονομικῶς καὶ ἀκριβῶς συντεταγμένον καὶ τοῖς ἄλλοις Πέρσαις, τοῖς ἐν δυναστείᾳ ὖσι, κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον. Ἔστι μὲν γὰρ τῷ βασιλεῖ χίλια ἱερεῖα τῆς ἡμέρας κατακοπτόμενα· τούτων δ' εἰσὶ καὶ ἵπποι καὶ κάμηλοι καὶ βόες καὶ ὄνοι καὶ ἔλαφοι καὶ τὰ πλεῖστα πρόβατα· πολλοὶ δὲ καὶ ὄρνιθες ἀναλίσκονται· οἵ τε στρυθοὶ οἱ Ἀράβιοι· ἔστι δὲ τὸ ζῶον μέγα· καὶ χῆνες καὶ ἀλεκτρυόνες. Καὶ μέτρια αὐτῶν παρατίθεται ἑκάστῳ τῶν συνδείπνων τοῦ βασιλέως καὶ ἀποφέρεται ἕκαστος αὐτῶν ὅτι ἂν καταλίπηται ἐπὶ τῷ ἀρίστῳ. Τὰ δὲ πλεῖστα τούτων τῶν ἱερείων καὶ τῶν σιτίων, οὓς τρέφει βασιλεύς, τούτοις δορυφόροις καὶ τῶν πελταστῶν τούτοις ἐκφέρεται εἰς τὴν αὐλὴν, (ὃ ἰδεῖν) ἅπαντα μερίδας ποιήσαντες τῶν κρεῶν καὶ τῶν ἄρτων ἴσας διαμερῶνται. Ὥσπερ δὲ οἱ μισθοφόροι ἐν τῇ Ἑλλάδι μισθὸν ἀργύριον λαμβάνουσιν, οὕτως οὗτοι τὰ σιτία παρὰ τοῦ βασιλέως εἰς ὑπόλογον λαμβάνουσιν. Οὕτω δὲ καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις Πέρσαις, τοῖς ἐν δυναστείᾳ οὖσιν, ἀθρόα πάντα τὰ σιτία ἐπὶ τὴν τράπεζαν παρατίθεται. Ἐπειδὰν δὲ οἱ σύνδειπνοι δειπνήσωσι, τῶν ἀπὸ τῆς τραπέζης παραλειπομένων (καταλείπεται δὲ τὰ πλεῖστα κρέα καὶ ἄρτοι) ὁ τῆς τραπέζης ἐπιμελούμενος δίδωσιν ἑκάστῳ τῶν οἰκετῶν καὶ ταῦτα λαβὼν τὴν καθ' ἡμέραν ἔχει τροφήν. Παρὰ γὰρ τὸν βασιλέα φοιτῶσιν οἱ ἐντιμότατοι τῶν συνδείπνων, ἐπὶ τὸ ἄριστον μόνον, διὰ τὸ παρῃτῆσθαι, ἵνα μὴ δὶς πορεύωνται· ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τοὺς συνδείπνους ὑποδέχονται. *Cœna regis*, inquit, *videbitur audienti* (solo nomine) *magnifica esse, sed inquisita apparebit œconomice & accurate composita: aliisque Persarum proceribus in eundem modum. Regi enim cæduntur pecudum corpora, diebus singulis, mille. Horum sunt, equi, cameli, boves, asini, cervi, at plurimæ oves: consumuntur & multæ aves, passeresque Arabici (quod animal magnum est) & anseres & galli. Modica horum apponuntur cuilibet convivarum regis, eorumque quilibet secum aufert, quicquid in prandio superfuerit. At plurima horum corporum & alimentorum efferuntur in atrium hastiferis & peltatis, quos alit rex. Ubi omnia in portiones carnium & panum dividunt. Ut autem in Græcia mercenarii æs merent, sic victum à rege isti accipiunt, qui in stipendium imputatur. Sic etiam apud alios Persarum proceres, dapes conferta inferuntur in mensam. Ubi autem convivæ cœnavere residuorum à mensa (relinquuntur plurimæ carnes & panes) qui mensæ præest, dat cuivis famulorum Et hæc sumit in victum quotidianum. Ad regem enim eunt honoratissimi convivarum ad solum prandium, quia excusati sunt ut ne bis proficiscantur, sed & ipsi convivas suscipiunt:* Absque dubio apud Babylonios & Persas in his pleraque eadem. Intelligimus satis, quid sit פת־בג המלך.

Inter nobiles pueros è Iudæa abductos, erant è tribu Iudæa Daniel cum tribus sociis, Hanania, Misael & Azaria: quibus eunuchorum supremus nomina immutat. Danieli nomen facit בלטשצר. Gr. & Lat. *Baltasar* seu *Baltassar*, Hananiæ nomen ponit שדרך *Sadrach*; Mihaeli מישך *Mesach*: Azariæ אבד־נגו *Abednego.* Nominum illa mutatio à Iudaicis in Babylonia non necesse est innuere consecrationem, qua pueros idolis dedicaverint: quamvis nomina illa composita fuerint cum nominibus idolorum. Jacchiades וישם להם שמות מאלהי הארץ לכבוד ולהפארה: Theodoretus: καὶ τοῦτο δὲ παρὰ ἦσαν δεσποτείας νενόμισται δίκαιον ὠνούμενοι γὰρ οἰκέτας τοῖς προσηγορίας ἀμείβουσιν, ἵνα καὶ τῇ τῆς προσηγορίας ἐναλλαγῇ τὴν δουλείαν γνωρίζωσι. Daniel & socii pati potuerunt, ut in civilem usum ab hominibus exteris ita appellarentur, non erat illorum pati ut diis illis consecrarentur. Ipse Nabuchodonosor testatur 4. cap. 8. v. à sui Dei nomine Danielem appellatum esse. Abydenus è Megasthene Belum & Beltin Deum deamque Chaldæorum fuisse docet. Observat Scaliger illam βῆλτιν esse fœmineum nomen à בֵּל בֵּלְתָּה Potius fuerit בֵּלְתְּ à בֵּל. ם non est fœminina terminatio, ideo videtur Deus alius fuisse: cum & Dei nomen esse non deæ dicat rex. Nomina idolorum Babel memorantur in Scripturis Bel, Merodach, Nebo. Apud Megasthenem Nabuchodonosor, Belum appellat τὸν ἐμὸν πρό-

πρόγονον, quam antiquissimum regem Babylonis non Nini, è quo ipse sanguinem ducat. Sesach, urbis Babylonis nomen est, ut arbitror, à vocabulo שך. Hinc compositum vocabulum ששך ut משך. Rex Sesach Jerem. 25. 26. Ineptum est regem urbis, Dei sui regem dici. Σακέαι ἡμέραι apud Athenæum è primo Babyloniacorum Berosi, erat festum Babylone agitari solitum mense Loo, diebus quinque, simile Saturnalibus apud Romanos. Actum id in honorem Dei *Sach*. Daniel noluit contaminari cibo & potu regio. Ex hoc proposito adiit (suo & sociorum nomine) archieunuchum eumque compellat. Ejus animum flectit Deus, ut pueri petitioni cuperet annuere: sed obstare dicebat metum à rege, qui certam illis portionem de regio cibo potuque assignaverat, ut benè curarentur: quod si minus nitidi eorum vultus male curatum mandatum proderent, capite luiturum. At Daniel, ut hunc metum demeret, persuadet illi, quem Archieunuchus Danieli sociisque præposuerat, ut decem dierum experimentum caperet: quibus hi pueri leguminibus pascerentur & aquæ potu. Eis exactis compararet vultus cum eorum vultibus, quos alebat regia mensa. Si deteriores inveniret, pro arbitrio deinceps ageret. Elapsis decem diebus comparatio ostendit elegantiores & habitiores esse quos leguminum & aquæ usus aluerat. Grotius: *Est enim* פתבג *non aliud quam* ποτίβαζις, *panis genus in oriente, ut ex Dinonis tertio Persicorum nos docet Athenæus lib. XI. Causa vero cur Daniel pane vinoque regio abstinuerit, non alia est, quàm quod moris erat illis gentibus partem de pane & de vino injicere in aram, aut si ara non adesset, in focum, vice aræ, atque eo modo diis suis consecrare totum illud, quod erant comesturi. Id verò sicut stulta illorum opinione erat sanctitas ita Hebræis melius institutis & certis talia dedicata esse falsis numinibus, erat pollutio. Sic Iaechiades & Theodoretus.* Dinonis verba sunt: Ἔστι δὲ ποτίβαζις ἄρτος κρίθινος καὶ πύρινος ὀπτὸς καὶ κυπαρίσσου στέφανος καὶ οἶνος κεκραμένος ἐν ὠῷ χρυσῷ, οὗ αὐτὸς βασιλεὺς πίνει. An ποτίβαζις ista Dinonis cum פתבג Danielis conveniat alii viderint. Mihi non videtur. Indubium enim mihi est פתבג esse Hebræum aut Babylonicum non Persicum. Dinonis vocabulum Persicum sive alterius originis sive notionis deflexæ. Dan. XI, 26. de rege Syromacedonum ejusque mensa dicitur. Cibi regii vetiti erat erant Judæis. 1. Multa in usum alimentorum assumebant Chaldæi, quæ Judæis lex interdixerat: 2. solebant animalia mactanda, solebant ipsas mensas diis consecrare. 3. communio cum gentibus, quæ interior erat, Judæo omnis prohibita. De qua realias. Theodoretus: Καὶ ἐπειδὰν τοὺς βαβυλωνίους ἑώρων ταῖς μὲν τῶν εἰδώλων ἐπικλήσεσι τὰ ὄψα μολύνοντας, σπονδαῖς δὲ τὸν οἶνον μιαίνοντας &c. המלצר quidam appellativum esse volunt, ut significet promum condum, rectius ut proprium accipitur, quemadmodum eruditissimi interpretes cum Græcis & Latino: Malasar, Ἀμελσάδ. Fide magna non temere Daniel decem dierum experimento se sociosque committit: Dei enim instinctu certus erat de eventu. Ingentis aliàs præsumptionis aut vanitatis fuerit illicitam rem addicere eventui incerto.

Hammelsar, cum vidisset tam benè successisse illud decem dierum experimentum, amotis cibo potuque regio (זרעים) leguminibus & aqua pascit Danielem & socios. זרעים Gr. σπέρματα Lat. *legumina* Jachiades כל מיני קטנית In lingua Rabbinorum קטנית appellatur, quicquid in siliquis nascitur, ut fabæ, pisa, ciceres, lentes &c. Quod Latini appellant legumen. Num. 15. 19. pro לחם ponitur קטנית in Thargum Ionathæ. Quæ enim ex agris recentia carpebantur nec precum nec alia consecratione polluta, ut nec aqua è profluente.

Ut autem Deus nutritioni ita & institutioni horum juvenum insigniter benedixit. Diverse tamen dona sua distribuit: omnibus quatuor scientiam & intel-

ligen-

ligentiam in libris & ſapientia. Id eſt omnem ſcientiam literatam, quæ in libris continebatur & tradi ſolebat: Danieli autem ſigillatim intelligentiam in viſionibus & ſomniis. Senſus dicti eſt: παιδείαν illam, quæ in literis & inſtitutione conſiſtit & acquiritur, eminentiorem dedit omnibus: at illam infuſam ſeu inſpiratam, quæ cælitus tantum habetur, contribuit ſoli Danieli. Non quod Danieli habitualis poſſeſſio prophetiæ & conjecturæ ſomniorum contigerit: oportebat enim per inſpiramina, cum Deus vellet, influere actibus repetitis: ſed quod ſuam illam inſpirationem illi familiarem eſſe voluerit, præſentemque ad uſum. Multa hic diſſerunt interpretes, An Daniel inter prophetas habendus ſit, nec ſe expediunt, nequidem ipſi Judæorum magiſtri: nos docuimus prophetam fuiſſe chariſmate non munere ſeu officio: quo publicè prædicaret aut ad prædicandum mitteretur. Obſervatio hæc veriſſima eſt & poſita ante pedes.

Poſt triennalem educationem deducti ad regem, & ab ipſo rege explorati placuerunt præ cæteris omnibus hi quatuor. Adhibitos in aula & regis miniſterio, deprehendit rex in omni occurſu rerum quibus conſulebantur, decuplo excellere omnibus regni ſapientibus. Prudentiam illam ſapientiamque animadverſam eſſe textus dicit בכל רבר חכמת בינה. Hic Iachiades dirimit חכמה & בינה. Prius putat ſignificare fidelem reminiſcentiam, ſcientiamque eorum quæ didicerat, alterum ſagacem perſpicientiam, qua ex ſe percipiebant ac eliciebant unum ex alio concatenata conſequentia. Prius igitur ad theoremata illa artium alterum ad applicationem deductionemque ad ſingularia vult pertinere.

Sapientes Chaldæorum appellantur חרטמים & אשפים; magi & aſtrologi ut ſolet exponi. Hic dubium occurrit: Anne igitur magiam & aſtrologiam judiciariam quatuor iſti exercuerunt? In rebus enim ad iſtas vanitates pertinentibus ſi conſulti ſint ſeque peritiores oſtenderint ejus gentis hominibus, excelluerunt in iſtis ματαιοτεχνίαις. Hic interpretes putant eas voces vel in bonam partem accipiendas eſſe vel ſignificare ſcientiam miſcentem bonæ profeſſioni mala & devianτia, Putant igitur חרטמים ſignificare phyſicos ſed qui & dæmonum opera uterentur: אשפים ſcientiam aſtrorum ſed cui genethlialogiam miſcuerint. At exiſtimo etiam in rebus civilibus incidiſſe dubia, quæ eſſent ſolvenda: ſic ignota nobis eſt vocabulorum vis, & quas profeſſiones notent. Sine dubio profeſſio fuit rerum bonarum malarumque. Quæ igitur recta erant & bona, in quatuor iſtis Judæis Dei benedictione eminuerunt, impia & vana reliquerunt. H. Grotius putat vocem אשף eſſe è Græco σοφὸς. *Nam*, inquit, *ante Nabuchodonoſori tempora celebris erat* Thaletis & aliorum, qui σοφοὶ dicti ſunt, fama. Erat autem Thales ex Jonia Aſiatica. Syrorum eſt א vocibus præponere. Scriptura dicit Danielem fuiſſe uſque ad primum annum Cyri regis. Quorum verborum ſenſus eſt, ut arbitror, quod in Chaldaicorum regum miniſterio ſteterit, donec Cyrus Babylone potiretur. Inde non eſt reverſus in Judæam, ut Judæorum magiſtri putant, ſed fuit in miniſterio Cyri in Perſide.

Joſephus ſcribit illos quatuor è genere Sedeciæ fuiſſe, juſſiſſe Babylonium, ut aliis nominibus uterentur. Τούτους ὁ βασιλεὺς διʼ ὑπερβολὴν εὐφυΐας καὶ σπουδῆς τῆς περὶ τὴν παίδευσιν τῶν γραμμάτων καὶ σοφίας ἐν προκοπῇ γενομένους εἶχεν ἐν τιμῇ καὶ στέργων διετέλει. Dilectos fuiſſe regi ob indolem & ſtudium literarum antequam educatione peracta examinarentur, non obſervo. Viſum fuiſſe Danieli σκληραγωγεῖν & non tantum regiis eduliis abſtinere ſed & omnibus animatis: petiiſſe ὄσπρια καὶ φοίνικας εἰς διατροφήν. Illum Ἀμελσὰρ non novit Joſephus qui particulariter, his quatuor erat præpoſitus. Πρὸς γὰρ τὴν τοιαύτην δίαιταν αὐτοὺς ἐπινου-

κεκακῶσθαι, τῶν δὲ ἑτέρων περιφρονεῖν; Ruf. *Ad istos cibos dicentes se esse dicentes deditos & alios sibi valde contrarios.* ἐκκεκακῶσθαι, corruptum est. Dixit ipsum ἀχάτην (leg. ἀσφάτην) sibi sumpsisse χορηγίαν βασιλικήν. Existimat ciborum tenuitatem & simplicitatem utilem fuisse animo ad perspicacitatem, ad patientiam laborum corpori. οἱ δὲ ὡς καὶ τῶν ψυχῶν αὐτοῖς διὰ τοῦτο καθαρῶν καὶ πρὸς τὴν παιδείαν ἀκραιφνῶν γεγενημένων, καὶ τῶν σωμάτων πρὸς φιλοπονίαν εὐτονωτέρων. ἔτι γὰρ ἐκείνοις &c. Ideò Chaldæorum & Hebræorum disciplinam facile perdidicerunt. Danielem eminuisse. μάλιστα δὲ Δανιῆλος ἱκανῶς ἤδη σοφίας (καὶ) ἐμπειρίας ἔχων, περὶ κρίσεις ὀνείρων ἐσπουδάκει, καὶ τὸ θεῖον αὐτῷ φανερὸν ἐγένετο. Existimat somniorum interpretationem artem esse & præceptionibus constare. Dorotheus & Epiphanius multa fabulosa de Danielis vita commentantur: quæ prætereo.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI SECUNDI
CAPUT. II.

PEr idem tempus Susanna quædam, Ioachim nupta, spectatæ fœminæ pulchritudinis, à duobus presbyteris appetita, cum impudicis non acquievisset, falso crimine incessitur (iisdem presbyteris deferentibus) in remotis locis adolescentem cum ea deprehensum, sed illum juvenili alacritate senum manus effugisse. Ita presbyteris fides habita, judicio populi Susanna damnatur. Quæ cum secundum legem ad supplicium duceretur. Daniel tum annos natus XII. increpitis Iudæis, quod innocentem morti dedissent, reducere eam in judicium, causamque denuò audiri postulat. Enimvero multitudo Iudæorum, quæ tum aderat, non sine Domino existimans puerum contemptæ ætatulæ in hanc constantiam prorupisse, favore accommodato, in consilium revertitur. Initur denuo judicium. Danieli, ut inter majores natu resideret, delatum. Igitur separari accusatores jubet: unumque ex eis interrogat, sub cujus generis arbore adulteram deprehendisset: ex varietate responsi falsitas deprehensa, Susanna absoluta: presbyteri qui innocenti periculum creaverant, capite damnati.

DRUSIUS.

PER IDEM TEMPUS SUSANNA QUÆDAM] Mentio hujus historiæ in Johasin per hæc verba. *Sedeciæ regis ævo condita fuit Marsilia, eodemque tempore fuit Susanna filia Helciæ uxor Ioacim. Cum hac voluerunt duo senes judices concumbere. Sed cum nollet accusarunt eam adulterii. Nam testabantur se vidisse concumbentem cum juvene quodam. Forte hi senes erant Achab filius Coliæ, & Sedecias filius Maasiæ.*

JOACHIM] Et hic scribo *Ioacim*. Nam est Ἰωακεὶμ in textu Græco, & יויקים apud Salmanticensem.

A DUOBUS PRESBYTERIS APPETITA] à duobus senioribus, quos Ebræi זקנים appellant, & est nomen dignitatis. Nam sic vocabantur Magistratus, quos nunc seniores aut consules dicimus. Habebant enim in Babylonia magistratum ex Judæis. Quod mirum videri nemini debet; cum etiam Alexandriæ olim habuerint. Disertè Strabo citante Josepho Antiquit. lib. 14. cap. 12. *Per Ægyptum sanè etiam sunt coloniæ ejus gentis, absque eo quod Alexandrinæ urbis magna pars eis assignata est. Habet enim proprium magistratum, qui suæ gentis res administret, & controversias ex jure dirimat, & contractus atque pacta rata habeat, non aliter quam fit in absoluta Republica.* Rei firmandæ est Thalmud Babylonicum, quo continentur leges & jura in Babylonia usurpari solita à Judæis: infirmandæ verò est dictum illud, ubi non est sacerdos, non est judicium: & judicia non exercentur extra terram. Sed vide si vacas Mosem Gerundensem in Numeros, fol. 283. 1.

IN REMOTIS LOCIS] Est cur malim, *in occultis locis*. Intelligit autem loca horti sive pomarii. Dan. 13. 37. in editione Theodotionis, quam Ecclesia prisca recepit, καὶ ἦλθε πρὸς αὐτὴν νεανίσκος ὃς ἦν κεκρυμμένος, καὶ ἀνέπεσε μετ' αὐτῆς: venitque ad eam adolescens, qui erat absconditus, & concubuit cum ea.

SECUNDUM LEGEM] De adulterio latam, Deut. 22.

ANNOS NATUS DUODECIM] Quotum annum egerit historia non prodidit: tantum dicit fuisse παιδάριον νεώτερον puerulum juniorem. Quærendum igitur unde hæc habeat Severus.

MORTI DEDISSENT] Ad mortem damnassent, morti adjudicassent.

MAJORES NATU] Senes vel judices, quos & presbyteros appellat.

UNUMQUE EX EIS] *Unum atque alterum ex eis*, legendum conjicit Sigonius. Quid si, *unumque ex eis & post alterum interrogat?* Certè aliquid abesse videtur nisi legamus, *utrumque ex eis*. Quod mihi se valdè probat.

EX VARIETATE RESPONSI] Unus respondit ὑπὸ σχῖνον, sub lentisco: alter ὑπὸ πρῖνον sub ilice. Vide Ælium Antonium Nebrissensem, Annot. cap. X. Apud Salmanticensem, *Daniel sapientia sua liberavit eam per scrutinium quo deprehendit non concordare testimonia ipsorum.*

SCHOTANUS.

HIstoriam Susannæ inter apocrypha semper habitam esse & habendam multis docent theologi. Habita est apud Hebræos ut ἀπόκρυφος & extra canonem, Patres per ignorantiam admiserunt. Habendam esse talem extra controversiam fuerit, si sit fabula ficta non vera historia, nemo negaverit. Argumenta habemus, I. Nomen mulieris fictum est à lilio, quia à pulchritudine

dine eam voluit celebrare. II. Arg. Fingit scriptor fuisse filiam Helciæ, conjugem Joacimi, hominis opulenti. Utrumque nomen fictum etiam est. Primum enim valet tantundem ac si diceretur, *Dominus est portio mea*. alterum, *Dominus statuet*. III. Arg. Joacimi domum sive hortum dicit fuisse locum conventus, cum publicum scilicet locum haberent nullum, ubi judicia agerentur. Annuatim binos seniores elegisse, qui jus dicerent. In eum hortum cogi solitam Judæorum concionem mane & vesperi: cum medius dies vacaret litibus & judiciis. Medio igitur die, vacuum hortum ingredi solitam Susannam. Observatam esse à senioribus, qui amore capti, observato tempore, quo ancillas à se dimiserat, pudicitiam ejus expugnare tentant. Recusantem deferunt ad concionem, à qua morti adjudicata sed liberata est per Danielem. Quis credat Judæos judicia capitalia habuisse Babylone. Quis quotidie concionem ad judicia coiisse. IV. Arg. Locus producitur è versione LXX. interpretum, quem non invenio, sed multi volunt intelligi locum Jerem. 29. 21. Quasi Achab & Sedecias pseudoprophetæ fuerint hi seniores, judices iniqui. Locus ille non habet ea verba quæ hic laudantur. Salianus & Tyrinus dicunt perbelle respondere & multa congerunt, in quibus duo illi pseudoprophetæ cum his senioribus faciunt paria. Salianum prius audiamus: *Refert hoc loco ex Hebrais D. Hieronymus, hos fuisse senes illos duos, qui à Daniele falsi testimonii convicti, interfecti sunt; pro qua sententia idem cap. 13. Daniel. refert Origenem, in decimo Stromatum suorum libro, eadem sentientem. Invenitur nunc in Epistola ejus ad Africanum, historia Susanna, quem secuti sunt Rabanus. D. Thomas, Lyranus, Dionys. à Castro. Torniels Perer. lib. 16. in Daniel. Adrichom. in sua Chronologia, Capella in 29. Ieremia, quibus nos libenter subscribimus, quamvis Sanctio & Maldonato contra sentientibus. Omnia enim facile consentiunt, tempus, persona, locus, crimen, supplicium & si qua sunt alia.*

Tempus est annus primus Sedecia, & Transmigrationis, quo datur vaticinium de istorum supplicio; quod deinde anno tertio ejusdem transmigrationis contigit, cum Daniel duodecim jam esset annorum, quando judicem contra senes illos egit, ut disertè affirmat Sulpitius Severus l. 2. sacra histor. Quæ cum, *inquit*, secundum legem ad supplicium duceretur, Daniel tum annos natus 12. increpitis Judæis, quod innocentem morti dedissent, *&c: & ante eum S. Ignatius ad Magnesianos*, Daniel, *inquit*, ille sapiens, cum duodecim esset annorum Spiritu Dei afflatus erat, & senes frustra canos ferentes, calumniatores, & alienæ formæ appetentes coarguit. 70. *vocant παιδάριον νεώτερον, id est, puerulum juniorem. D. August. serm. 242. De tempore dicit Danielem tunc non fuisse pubescentis ætatis id est non attigisse 14. annum: ideoque Pererius in ea verba.* Cumque duceretur ad mortem, *ait eum in hoc Susanna judicio annorum fuisse circiter duodecim. Sed id congruere non potest cum eo quod ibidem ait, fuisse Danielem decennem ductum Babylonem. Nam sic dicendum esset id judicium contigisse anno quinto Ioakim, quia anno tertio ejus abductus est: sicque contigerit sex annis antequam Ieremias illud prophetaret futurum, quod absurdum est. At posita ejus nativitate anno primo Ioakim, hoc anno Daniel peragebat annum undecimum, cum missa est epistola, cum prædictione mortis pseudoprophetarum. Secutus est annus duodecimus, quo peracto historia Susanna contigit. Quod ad personas attinet, in nominibus nihil est difficultatis, quoniam, à Daniele prætermissa fuerunt: & apud utrumque prophetam utrique Iudæi sunt, utrique exules & transmigrati, utrique in Babylone: ætas etiam convenit. Nam Daniel eos senes appellat & seniores, & inveteratos dierum malorum; Ieremias autem eos in reliquiis seniorum transmigrationis numerat. Apud Danielem judices sunt Israelitarum in Babylone. Idem apud Ierem: Dominus significavit,*

ficavit, cum hanc ipsam historiam concludens ait: Ego sum judex & testis dicit Dominus. *Quia ipsius est justitias judicare, & sedere in synagoga deorum, & in medio deos dijudicare, eos præsertim, qui non, habent in terris à quibus judicentur. Et in hoc maximè judicio visus est judicare Dominus, cum per puerulum judicium exercuit, & vafros calumniatores reprehendit in astutia sua. Puer qui nobilissimam orationem recitat, non suam sed magistri sapientiam prodit.*

Quod ad crimen: scribit Daniel eos abuti solitos filiabus Israel, eodemque modo castissimam Susannam corrumpere voluisse. Ieremias autem ait eos fecisse stultitiam in Israel & mœchatos esse in uxoribus amicorum suorum. Apud Danielem falsi testes sunt, apud Ieremiam falsi prophetæ: alterum ad injuriam proximi, alterum ad injuriam Dei. Hebræi quoque apud D. Hieron. in 29. Ierem: illa verba Danielis: Sic faciebatis filiabus Israel, ut illæ metuentes loquebantur vobis; *respondere ajunt verbis Ieremiæ:* Et locuti sunt verbum in nomine meo mendaciter, quod non mandavi eis: *Quibus illud significari putant, quod miseras mulierculas, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ, sic deceperint, quod dicerent eis, quia de tribu erant Iuda, Christum de suo semine esse generandum; quæ illectæ cupiditate præbebant corpora sua, quasi matres futuræ Christi. Sic nequissimi illi nebulones apud Hieron: etsi interpretatio ista Rabbinica parum fidei mereri videatur. Eadem leges apud Orig: in epistola ad Africanum. Rectius fortasse fuerit dicere, mulieres illas metuentes calumniam, & infamiam ab istis Senioribus locutas fuisse, quæ illi audire cupiebant. Et eorum cupiditati consensisse.*

At supplicium differre videtur. Nam in Daniele à populo lapidantur, in Ieremia à Nabuchodonosore comburuntur. Respondent Origenes & D. Hieron: interpretantes illud, interfecerunt eos, *id est Regi Babylonis occidendos tradiderunt.* Sicut & nos dicimus, *inquit,* quod Judæi interfecerunt Salvatorem, non quod ipsi percusserint, sed quod tradiderint occidendum, & succlamantes dixerint crucifige, crucifige eum. *Ita Hieron: D. autem August. q. 9. in Iosue ait nomine ignis Scripturam solere pœnam gravissimam significare, & lapidationem ipsam combustionem appellari. Nam cum jussisset Dominus Iosue, ut quicunque in facinore anathematis fuisset deprehensus combureretur igni, cum omni substantia, mox v. 25. subditur:* Lapidavit eum omnis Israel, & cuncta quæ illius erant igni consumpta sunt. *Populus præsente Iosue interpretatus est lapidationem esse combustionem. Quanquam dici potest illum Achan semiustulatum primo, deinde etiam lapidibus obrutum fuisse. Eodemque modo istos senes jussu regis Nabuchodonosoris ambustos, & quasi assatos fuisse, & nihilominus populum, in detestationem nequitiæ, & calumniæ & perjurii eos lapidibus obruisse, & pœna adulterorum, talionis nomine, afficere voluisse.*

Hieronymus in cap. 29. Jeremiæ: *Ajunt,* inquit, *Hebræi hos esse presbyteros, qui fecerunt stultitiam in Israël & mœchati sunt uxores civium suorum: quorum uni loquitur Daniel,* Inveterate dierum malorum: *Et alteri:* Semen Canaan, non Juda, species decepit te & concupiscentia subvertit cor tuum. Sic faciebatis filiabus Israel & illæ metuentes loquebantur vobiscum: sed non filia Juda sustinuit iniquitatem vestram. *Quodque prophetia nunc loquitur,* Et locuti sunt verbum in nomine meo mendaciter, quod non mandavi eis: *illud significari putant, quod miseras mulierculas,* quæ circumferuntur omni vento doctrinæ, *sic deceperint, quo dicerent eis: quia de tribu erant Iuda, Christum de suo semine esse generandum, quæ illectæ cupidine præbebant corpora sua, quasi matres futuræ Christi. Sed illud, quod in præsentiarum dicitur,* quos frixit rex Babylonis in igne, *videtur Danielis historiæ contraire. Ille enim asserit eos ad sententiam Danielis à populo esse lapidatos: hic vero scriptum est, quod frixerit eos rex*

Baby-

Babylonis in igne. Vnde & à plerisque ac pene omnibus Hebræis, ipsa quasi fabula non recipitur vel legitur in Synagogis eorum. Qui enim, inquiunt, fieri poterat, ut captivi lapidandi principes & prophetas suos haberent potestatem? Et magis hoc esse verum affirmant, quod scribit Ieremias, convictos quidem esse presbyteros à Daniele: sed latam in eos sententiam à rege Babylonis, qui in captivos, ut victor & dominus habebat imperium.

Tyrinus: *Nec video, cur Africanus, S. Hieronymus & noster Maldonatus id fabulis jure adcenseant, cum omnia perbelle respondeant. Vtrique enim degebant Babylone, utrique tempore Nabucodonosoris & Astyagis Medi: utrique mendaces: utrique adulteri: utrique ob adulteria supplicio affecti: utrisque dictum à Deo*, Ego sum Judex & testis. *Neque repugnat prophetas deligi in judices populi, ut constat ex Nehemia, Esdra, Daniele & pluribus aliis. Multò minus repugnat judices tam enormis sceleris convictos, cum non haberent ex Iudæis superiores se, à quibus damnarentur, ad tribunal Nabuchodonosori delatos, ab ipso sententiam mortis accepisse: & jussos primò lege talionis & ut adulteros lapidibus obrui secundum legem Moysi*, Deut. 19. v. 19. *ut factum innuit hic Daniel* (Cap. 13. v. 62. edit Lat.) *& futurum insinuarat Ieremias.* (Jerem. 29. 21.) *Dein ut pseudoprophetas & falsarios, igni tradi & frigi seu assari, ut prædicit* Jeremias v. 22. *Nam ut olim Achan Iosue 7. ita hos duos Ieremias dicit, primò percussum iri nempe lapidibus, secundò frixum seu assatum iri igni.* Salianum & Tyrinum nunquam credam ex animi sententia locutos esse. Achab & Sedecias presbyteros fuisse, quis credat, si Jeremiæ verba intueatur? Pseudoprophetæ fuerunt, qui cum ad populum quasi in Dei nomine officio fungerentur, seniores esse non potuerunt. Deinde morte affecti sunt secundum legem Moysi & quidem à populo Israël. *Καὶ ἐποίησαν αὐτοῖς ὃν τρόπον ἐπονηρεύσαντο τῷ πλησίον· ποιῆσαι κατὰ τὸν νόμον Μωυσῆ· καὶ ἀπέκτειναν αὐτούς.* Si occisi lapidatione à Judæis à Nabuchodonosoro interimi & ad ignem assari non potuerunt. At, inquiunt, non potuerunt damnari à Judæis: mentitur igitur scriptor fabulæ. Nabuchodonosor non punivit ut accusatos à Judæis & adulteros, sed ut rebelles qui falsis vaticiniis populum concitabant. V. Arg. allusio in Græcis vocibus, *σχῖνος* & *σχίσει*, item *πρῖνος* & *πρίσει*. Si in Babylonia judicavit Daniel, Hebraicè seu Chaldaicè locutus sit, non Græcè. VI. Puerum Danielem judicio præfectum esse non convenit. Velim scire, jam tum ministerio regio admotus fuerit, an prius factum sit? VII. Patres & vetus Ecclesia communiter historiam hanc in canonis partem recipiebant, ut notum est, nisi, qui edocti erant apud Hebræos non haberi & ausi à communi sententia recedere. Africanus rejiciebat & Hieronymus: Theodoretus etiam non dignatus est commentario. In Hieronymi commentario in Dan. 13. legimus eum commentatum illa esse ex Origene. *Expositis*, inquit, *ut potuimus, quæ in Danielis libro juxta Hebraicum continentur, ponam breviter quid Origenes in decimo stromatum suorum libro de Susanna & Belis fabulis dixerit, cujus hæc verba sunt quam suis locis subnotabis.* Atqui in eo commentario habetur: *Quia Hebræi reprobant historiam Susannæ, dicentes eam in Danielis volumine non haberi, debemus diligenter inquirere nomina σχῖνον καὶ πρῖνον, quæ Latini ilicem & lentiscum interpretantur, si sint apud Hebræos & quam habeant etymologiam ut ἀ σχίνῳ scissio & ἀ πρίνῳ sectio seu serratio dicatur lingua eorum. Quod si non fuerit inventum, necessitate cogemur eorum acquiescere sententiæ, qui Græci tantum sermonis hanc volunt esse περικοπὴν, quæ Græcam habeat tantum etymologiam & Hebraicam non habeat. Quod si quis ostenderit duarum istarum arborum scissionis & sectionis in Hebræo stare etymologiam, tunc poterimus etiam hanc scripturam recipere.* Achab

 &

& Sedeciam Jeremiæ de his senioribus accipi posse, si interfecerunt eos, *sic interpretemur pro eo, quod est regi Babylonis occidendos tradiderunt. Sicut & nos dicimus, quod Iudai interfecerint Salvatorem: non quo ipsi percusserint, sed quo tradiderint occidendum & succlamantes dixerint*: Crucifige, crucifige eum, Origenes igitur particulam illam non defendebat, si Hebræa ejus etymologia ostendi non possit. Levis est defensio, de dicto interfecerunt eos, sic accipiendo. Susannæ meminerunt tanquam è canonica historia Clemens, Tertullianus, Autor de disciplina & bono pudicitiæ & alii.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI SECUNDI.

CAPUT III.

EO tempore Nabuchodonosor somnium vidit, mysterio futurorum mirabile. Cujus interpretationum, cum per se non posset evolvere, ascitis ad interpretandum Chaldæis, qui Magicis artibus, extisque hostiarum scire occulta & futura præcinere videbantur: mox veritus, ne more hominum non vera, sed placita regi ex somnio conjectarent, visa supprimit, poposcitque ab eis, ut si vera in his divinatio esset, somnium ipsum sibi dicerent: tum demum interpretationi eorum crediturum, si prius enunciando somnium, artis periculum fecissent. Illi verò tantam molem abnuentes, non esse id humanæ opis confitebantur. Rex motus, quod falsa divinandi professione homines erroribus illuderent, cum astricti præsenti negócio nihil scire se confiterentur: ita edicto regis in eos animadversum, palamque omnes hujus artis interficiebantur. Quod ubi Danieli compertum, regis proximum appellat: enunciationem somnii interpretationemque ejus pollicetur. Res ad regem defertur: Daniel accersitur, jam revelato sibi per Dominum mysterio, visio regis refertur solutioque.

DRUSIUS.

CHALDÆOS, QUI MAGICIS ARTIBUS] mirum ni scripsit, *quique magicis artibus*, ut magos innuat, quos à Chaldæis distinguit interpres vetus Dan.4.5. & 5.7. *magi, Chaldai & aruspices*. Græca sunt μάγοι, χαλδαῖοι καὶ γαζαρηνοί. Infra cap.7.*magos & Chaldaos advocat.*

Ex-

EXTISQUE HOSTIARUM] qui extis hostiarum futura prædicunt, vocantur à Græcis θύται καὶ ἱεροσκόποι: à Latinis haruspices & extispices. Priore vocabulo usus est Theodotio, Dan. 2. posteriore Symmachus itemque Herodianus. Loquor de Græcis, non de Latinis vocibus. Magos & haruspices Daniel clarè discriminat à Chaldæis, ut dictum est. Quid noster? Si non est mendum in hoc loco, usus est vocabulo Chaldæorum latè, ut etiam haruspices & magos comprehendat. Sanè magos Ægyptiorum superius Chaldæos appellat.

FUTURA PRÆCINERE] prædicere: aut præcinere, quia vates etiam canunt, dum versus rhythmica ratione compositos cantando pronuntiant. Similiter poëtæ canere dicuntur eadem de causa: ex quo illud *Arma virumque cano.*

SI VERA IN HIS DIVINATIO ESSET] somniis videlicet. Videtur hoc velle si vera ex somniis divinare possent: aut, si verè divini essent.

TANTAM MOLEM] tantam difficultatem, ut apud Virg. lib. 1. Æneid:

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

HUMANÆ OPIS] humanæ facultatis, aut humanarum virium.

REX MOTUS] si nihil deest debet subaudiri *fuit*: & *motus*, id est, commotus iracundiâ.

INTERFICIEBANTUR] Jam interfecti erant, & interfecti sine dubio fuissent nisi Daniel intercessisset. Quod colligitur ex participio מתקטלין quo usus est Daniel cap. 2. com. 13. Id enim licet sit præsentis temporis, tamen aliquando significat paulò post futurum tempus, ut Jon. 1. 3. *invenit navem euntem Tharsis*, id est, mox ituram.

REGIS PROXIMUM] maluissem *regis præfectum*. Nam præfectus erat rerum capitalium, quem Theodotio ἀρχιμάγειρον appellat. An proximus regis fuerit nescio. Hoc scio in fonte haberi רב טבחיא *magistrum mactatorum*, id est satellitum aut carnificum. Nomen ei Arioch, Dan. 2. 14. Forte proximum vocat, quia semper in aula prope regem erat. Sic enim certè loquendo aulicos innuere videtur supra cap. 1. *prudentia & disciplina brevi omnibus regis proximis antelati.*

MYSTERIO] arcano, secreto. Sane quod propheta Daniel רזא appellat, ejus interpres Theodotio μυστήριον vocat. Innuit autem somnium cum interpretatione. Hoc somnium, quia erat occultum & absconditum, rectè mysterium vocatur, cujus origo vocis Ebræa est, videlicet סתר: unde in tertia conjugatione præteritum הסתיר abscondit & participium generis passivi מסתר, quod legunt musthar sive mysthar. Hinc mysterium quasi res abscondita, & quæ homines vulgò latet.

C A-

CAPUT IV.

Sed res postulat, ut regis somnium & interpretationem prophetæ & consequentium fidem exponamus. Viderat rex per soporem statuam capite aureo, brachiisque argenteis, ventre & femoribus æreis, cruribus ferreis, quæ in pedes partim ferreos, partem fictiles desinebat. Sed ferrum atque testum inter confusum coire non poterat, ad extremum, statuam lapis sine manibus abscissus proterebat: redactaque omnia in pulverem, vento ablata. Igitur secundum prophetæ interpretationem statua visa figuram mundi gerit. Caput aureum Chaldæum imperium est: siquidem id primum & opulentissimum fuisse accepimus. Pectus & brachia argentea, secundum regnum annunciant. Cyrus enim, victis Chaldæis atque Medis, imperium ad Persas contulit. In ventre æreo, tertium regnum portendi pronunciatur: idque impletum videmus. Siquidem Alexander ereptum Persis imperium, Macedoniæ vindicavit. Crura ferrea, imperium quartum: idque Romanum intelligitur, omnibus ante regnis validissimum. Pedes vero partem ferrei, partim fictiles, dividendum esse Romanum Regnum, ita ut nunquam inter se coëat, præfigurant: quod æque impletum est. Siquidem jam non ab uno Imperatore, sed etiam à pluribus, semperque inter se armis aut studiis dissentientibus, res Romana administratur. Denique commisceri testum atque ferrum; commistiones humani generis futuræ, à se invicem dissidentes, significantur. Siquidem Romanum solum ab exteris gentibus aut rebellibus occupatum, aut dedentibus semper pacis speciè traditum constat: exercitibusque nostris, urbibus atque provinciis permistas barbaras nationes, & præcipuè Iudæos inter nos degere, nec tamen in mores nostros transire videamus. Atque hæc esse prostrema tempora prophetæ annunciant. In lapide verò sine manibus abscisso, qui aurum, argentum & ferrum testumque comminuit, Christi figuram esse. Is enim non conditione humana editus, (siquidem non ex voluntate viri, sed ex Deo natus est) mundum istum, in quo sunt regna terrarum in nihilum redigit, regnumque aliud incorruptum atque perpetuum id est futurum seculum, quod sanctis paratum est, confirmabit. De quo uno adhuc quorundam fides in ambiguo est, non credendum de futuris, cum de præteritis convincantur. Igitur Daniel multis à rege muneribus donatur, præfectus Babyloniæ atque omni imperio, in summis honoribus habebatur. Ejus suffragio Ananias, Azarias & Misael ad summam æquè dignitatem & potestatem provecti. Eodem fere tempore, præclara Ezechielis prophetia extitit, revelato ei futurorum & resurrectionis mysterio. Extat liber magni operis, & cum cura legendus.

DRU-

Drusius.

Statuam] prius erat, *imaginem*. Galesinius reposuit, *statuam*. Id excuderunt Parisienses & Colonienses. Nam in editione Plantiniana, *imaginem*, ut etiam in Græca Theodotionis εἰκὼν μία, id est, imago una. Quod etiam (hoc pono, non statuo) in editione τῶν ό. Nam solus Symmachus edidit *statuam*. Testis mihi Hieronymus ita scribens, *Pro statua, id est, ἀνδριάντα, quod solus interpretatus est Symmachus, ceteri imaginem transtulerunt, volentes hoc nomine similitudinem ostendere futurorum.* Scire licet Græcos Danielem, juxta Theodotionis editionem legere. Quod forte ignoravit autor hujus scholii: *Lxx. interp.* εἰκὼν μία μεγάλη. Nam potest fieri ut existimarit Danielem, qui nunc in libris Græcis, Lxx. interpretum esse. Nihil temerè adfirmandum.

Brachiisque] Plenum esset, *pectore brachiisque.*

Cruribus] Tibiis Hieron. In edit. Græca est κνήμαις Lex. vet. κνήμη, *sura, tibia.*

Testum] Alii, *testam*. Sed vulgatam lectionem tuentur consequa verba, *inter confusum coire non poterat.* Vide sis sequentia hujus capitis.

Primum et Opulentissimum Fuisse Accepimus] Sunt qui Assyriorum imperium primum fuisse tradant. Forte simul hæc legenda, *primum & opulentissimum.* Nam ante non fuit opulentius quod sciam. Aut sub Chaldæorum imperio etiam Assyriorum comprehendit. Scilicet hæc nomina inter se confundi. Nam Assyrii dicuntur, qui Chaldæi propriè loquendo, & contra Chaldæi, qui Assyrii. Quomodo excusari possit Eusebius in Chronicis Sennacheribum regem Chaldæorum appellans, qui Isidoro lib. XV. & aliis rex Assyriorum dicitur. Vicinæ adeo hæ gentes, ut nemini mirum videri hoc debeat. Sic Persæ & Medi se invicem explicant propter vicinitatem. *Medus acinaces*, & *bellum Medicum* pro Persico inueniri apud autores notius est, quam ut probari debeat.

Macedoniæ Vindicavit] Quod ideo regnum Macedonum dicitur, aut Græcorum. Nam Macedones inter Græcos. Qui autem post ipsum regnarunt in Asia, Syro-Macedones appellati sunt, eorumque ditio Javan dicta, id est, Græcia. Unde lux primo Machabæorum, cap. 1. com. 1. *regnavit pro eo primus in Græcia.* Siquidem de Alexandro loquitur, qui primus regnavit pro Dario in Græcia, hoc est, in Syro-Macedonia. Id regnum Græcorum idem historicus appellat.

Omnibus Ante Regnis Validissimum] Melius & Latinius, *omnium ante regnorum validissimum.*

Pedes Vero Partim Ferrei &c.] Aliter Hieron. *Regnum*, inquit; *quartum, quod perspicuè pertinet ad Romanos, ferrum est, quod comminuit ac domat omnia: sed pedes ejus & digiti, ex parte ferrei ex parte sunt fictiles: quod hoc tempore manifestissimè comprobatur. Sicut enim in principio nihil imperio Romano fortius & durius fuit, ita in fine rerum nihil imbecillius: quando & in bellis civilibus & adversum diversas nationes aliarum gentium barbararum indigemus auxilio.* Hucusque Hieronymus.

Semper Pacis Specie] *Se per pacis speciem* emendat Sigonius, quod mihi se valde probat.

Postrema Tempora] Extremitatem dierum vocant sacræ litteræ. Dicuntur etiam ultima, itemque novissima tempora, & extremi dies & ævum

Meſſiæ & ſeculum futurum: ex quo illud, *neque in hoc neque in futuro ſeculo*, quod proverbialiter uſurpant nunquam. Credebant enim omnia peccata in hoc ſeculo remiſſum iri.

IN MORES NOSTROS] Malim, *in ritus noſtros*. Nam mores ad vitam, ritus ad religionem ſpectant propriè.

IN LAPIDE VERO SINE MANIBUS ABSCISSO, &c.] Hieronymus in commentario ſuper Danielem, *In fine autem horum omnium regnorum, auri, argenti, æris & ferri, abſciſſus eſt lapis Dominus atque Salvator, ſine manibus, id eſt abſque coitu humano, de utero virginali, & contritis omnibus regnis, factus eſt mons magnus & implevit univerſam terram: quod Judæi & impius Porphyrius male ad populum referunt Iſrael, quem in fine ſeculorum volunt eſſet fortiſſimum & omnia regna conterere & regnare, &c.*

SIQUIDEM NON EX VOLUNTATE VIRI] Hoc de regeneratis extulit Euangeliſta Joh. 1. 13.

FUTURUM SECULUM] Poſt reſurrectionem. Nam eſt aliud poſt hanc vitam. Vocatur etiam futurum ſeculum tempus Meſſiæ, ut dictum eſt. De his Don Iſahac Abarbenel in libro qui Poſſeſſio patrum inſcribitur.

EJUS SUFFRAGIO] *rogatu* potius. Nam ſuffragium aliud eſt. Vide Dan. 2. 49.

RESURRECTIONIS MYSTERIO] Utrum reſpexit ad caput trigeſimum ſeptimum Ezecielis (ita ſcribendum, non Ezechielis) quod nonnulli de generali reſurectione intelligunt, cum potius ibi agat de reſtitutione captivitatis Babylonicæ, quæ quaſi mors quædam ciuilis eſt. Sed & moritur qui in calamitates incidit. Unde lucem faciunt Salomoni, cum ait *Iuſtitia liberat à morte*. Nam id enarrant de variis calamitatibus.

SCHOTANUS.

CApitis ſecundi in libro Danielis hiſtoriam proponit his duobus capitibus & loquitur obiter de libro Ezechielis: Somnium viderat Nabuchodonoſor. Factum anno ſecundo regni. Daniel deportatus fuit anno primo, triennio exacto in miniſterium regis adſcitus. Ab miniſterii primordiis & ipſo principio non adeo remotam fuiſſe hanc primæ exaltationis januam crediderim. Judæi interpretes ignorantiam produnt, cum in tot ſententias dividantur. Nam in rebus externis nihil ſciunt. Vide Aben-eſdram & Saadiam. Joſephus putat annum ſecundum fuiſſe poſt Ægypti populationem. Quod cur non addidiſſet? Grotius anno ſecundo regni in Judæa & partibus Ægypti: quod abſurdum. Annus primus Nabuchadneſſari in Chaldæa eſt annus Nabonaſſareus 144. M.C. 3346, Joacimi regis octavus. Sequenti igitur id ſomnium viſum & explicatum eſt, biennio ante deportationem Jechoniæ. Annus deportationis Danielis fuit quartus Joakimi, hic illius nonus: quinto igitur poſt illum fores aperuit exaltatio. Nam ſomnium ſeſe obtulit Nabuchadneſſaro, myſterio futurorum admirabile. Id cum matutino tempore excidiſſet & regem haberet ſolicitum, quatuor Sapientum genera advocat: אשפים מכשפים חרטמים כשדים. Voce כשדים notantur Chaldæi non gens, ſed ſecta ſapientiæ, quæ ſtellarum obſervatione occulta explicabat. Cum apud regem conſiſterent, rex ſe ſomniaſſe narrat & turbatum eſſe ſpiritu, avidumque ſomnii cognoſcendi. Reſpondent Chaldæi Syro ſermone: Rex vive in ſeculum, dic ſomnium ſervis tuis, ejus interpretationem indicabimus. Tum rex: Excidit mihi niſi ſomnium ejusque interpretationem indicetis, (הדמין תתעבדון) Gr. *εἰς ἀπώ-*

λειαν

λειαν ἔσεσϑε. Josephus simpliciter, θάνατον ἠπείλησεν. Existimo illud esse, quod apud Matthæum 24. 51. διχοτομήσει αὐτόν. Histor. Susannæ σχίσει σε μέσον. Domus vestræ constituentur sterquilinium, נולי; Gr. οἱ οἶκοι ὑμῶν διαρπαγήσονται. Illa dissectio videtur facta à Samuel in Agag 1. Sam. 15. In latrinas conversæ sunt ædes Baal 2. Reg. 10. 27. Pœna mutationis ædium in sterquilinium apud Persas Esdr. 6. 11. Si somnium ejusque interpretationem (σύγκρισιν) indicarent, מתנן ונבזבה (Gr. δόματα καὶ δωρεάς) & magnum honorem à se accepturos. נבזבה putatur esse annua erogatio. Cum Chaldæi secundo idem dicerent, rex intumuit: Constat mihi vos moras nectere & tergiversari, quia animadvertitis rem mihi excidisse. Quodsi somnium mihi non indicaveritis: sententia in vos eadem est. Ex compacto igitur falsum & putre verbum constituistis proferre apud me, donec tempus mutetur. Proinde insomnium dicite mihi, ut sciam vos interpretationem posse dicere. Chaldæi regerunt: Non est homo in terris, qui possit indicare, quod rex jubet. Ideò nullus rex, princeps aut præfectus (מלך/רב/שליט) imposuit, mago, astrologo aut chaldæo. Nam quod poscit rex, nimis arduum est, nec potest à quoquam exponi, nisi à diis, quorum habitatio non est cum hominibus. Inepte Grotius: *q. d. Illorum dæmonum sive deorum aëreorum, qui cum hominibus commercium habent, notitia eousque non pertingit. Hæc res diis majoribus reservata est.* Rex igitur magis commotus, præcipit ut omnes sapientes Babylone interficerentur. Verbum igitur id *exibat in* effectum, passim jugulabantur sapientes. Quærebantur etiam Daniel cum sociis suis ad necem. Sed Daniel cum fiducia accessit ad Arioch præfectum satellitum, qui regio mandato perficiendo fuerat egressus: Cur ita maturatur mandatum regium? Intellecto quid rei esset, adiit regem obtinuitque dilationem in certum diem. Reversus convocat tres socios: qui simul Deum adeunt precibus lachrymisque ut periculo eximeret. Visione noctis arcanum Danieli revelatum est. Lætus, post dictas grates, significat Ariocho, se somnium esse indicaturum, ne igitur pergat sapientes trucidare. Festinatoque introductus ad regem, admirabundum tantæ pollicitationis, præfatur, rem hanc esse supra facultatem sapientum, at Deum sibi revelasse. Enarrat occasionem somnii, solicitas regis de futuro cogitationes, somnium ipsum, ejusque significationem. Rex ejus oratione attonitus somnium recognoscit. Prolapsus igitur adorat Danielem, jubet illi libamina munus & incensum fieri: quod absque dubio Daniel prohibuit, quamvis non exprimat sacer codex. Prohibitus ab illo honoris genere, profatur: Vere Deum eorum esse Deum deorum & dominum regum, qui arcana possit revelare: cum id à Daniele sit proditum. Sublimi igitur dignitate Danielem collocat, multisque mactat muneribus: præfecit eum toti provinciæ Babylonis & summum constituit præfectum sapientum. Danielis intercessione tres illius socii Sadrach, Mesach, Abednego præfecti sunt negotiis totius provinciæ Babylonis. Nam Daniel remanebat ad portam regis.

Ezechielis prophetia] Ezechiel, ut supra dictum, cum Iechonia deportatus in Babyloniam, visionibus & vaticiniis illustris fuit, quorum tempora diligenter annotat.

Capitis primi & sequentium visiones venerunt anno quinto transmigrationis mensis quarti die quinto. Hunc annum narrat fuisse trigesimum, non addito capite, unde numerat. Scaliger putabat trigesimum esse Nabopollassari patris Nabuchodonosori. Trigesimum id est ultimum patris & primum filii. Putabat enim patrem 29. absolutis annis imperasse, cum constet è canone mathematico viginti & unum annos solummodo regnasse. Novennio igitur ante obierat.

rat. Nonus annus erat Nabuchadnessari Babylone regnantis, M. C. 3355. Quidam volunt trigesimum fuisse Jubilæi, alii ætatis Ezechielis. Rursum alii ab invento libro legis per Helciam, de quo 2. Reg. 22. 10. 11. 12. Falsum est, quod sit annus trigesimus Jubilæi, quamvis id velit pater Davidis Camii. Probare tamen vult ex eo, quod annus ille vigesimus quintus, quo vidit Ezechiel structuram templi fuerit Jobel. Si vigesimus quintus exilii fuit Jobel tum quintus fuit trigesimus præcedentis Jobel. Sed unde constat fuisse Jobel? Dicitur cap. 40. 1. In principio anni in decimo mensis. Nempe incipit Jobel in decimo mensis, non annus alius. Judaica subtilitas! Huic sententiæ adhæret etiam Calvinus. Chaldæus numerat ab inventa lege. Quæ numeratio ita procedit: Tredecim Josiæ, undecim Joacimi & quinque Sedeciæ ituro sexto. Επίχει.

Visiones Cap. VIII. IX. X. XI. sexti anni, sexti mensis die quinto.

Visiones Cap. XX. &c. anni septimi, mensis quinti, die decimo.

Visiones Cap. XXIV. &c. anni noni, mensis decimi, die decimo. Qua die obsideri cæpit urbs Hierosolymorum.

Cap. XXVI. anno undecimo, primo mensis.

Cap. XXIV. anni decimi, decimi mensis, die duodecimo. In v. 17. memoratur vigesimi septimi anni, primi mensis dies primus. Hunc esse annum Jobel existimat Scaliger. Quod non sit supputandus à captivitate Jechoniæ, videtur inde manifestum esse, quia eo usque casus Ægypti dilatus non est. Nam adversus Ægyptum vaticinatus est Ezechiel, anno decimo, decimi mensis die duodecimo (cap. 29. 1.) Anno undecimo, primi mensis die septimo (cap. 30. v. 20.) Eodem anno: tertii mensis, die primo (cap. 31. v. 1.) Anno duodecimo, mensis duodecimi die primo (cap. 32. v. 1. & anno eodem, decimo quinto mensis (cap. 32. v. 17.) Visiones de templo accepit anni vigesimi quinti, primi mensis die decimo. Hic erat decimus quartus post casum Hierosolymorum.

Ezechiel vaticinatur adversus Ammonitas, Idumæos, Moabitas, Palæstinos Cap. XXV. Quibus mala minatur, quod lætati fuissent Judæorum ruina, eamque administrassent cum omni crudelitate. Adversus Tyrum prophetat capp. XXVI. XXVII. XXVIII. Hæc gavisa fuerat sibique gratulata de excidio Hierosolymorum. Tyro excidium minatur per Nabuchadnessarum cap. XXVI. v. 7. 8. 9. &c. In rupem nudam urbem illam convertendam esse v. 14. Ægyptiis etiam minatur à Nabuchadnessaro (capp. 29. 30. 31.) & captivitatem quadraginta annorum cap. 29. v. 12. Ægyptiam calamitatem secutam esse post eversionem Tyri, patet è cap. 29. v. 18. Cum Ægyptiis casuri Æthiopes & Libyes auxiliarii cap. 30. v. 4. 5. &c.

Ægyptum esse percutiendam cecinit Jeremias cap. XLVI. v. 13. &c. Quæ prophetia facta est, cum Nabuchadnessarus cum copiis expeditionem faceret in Ægyptum. Quam puto tempore posteriorem esse, illis quæ habentur cap. 44. Sic ut cap. XLVI. pars prima longo tempore præcesserit.

Ut hæc evolvamus fragmenta veterum scriptorum de rebus Tyriorum & Phœnicum producere & explicare lubet. Primum est in libro octavo antiquitatum: Μέμνηται δὲ τούτων τῶν δύο βασιλέων καὶ Μένανδρος ὁ μεταφράσας ἀπὸ τῆς Φοινίκων διαλέκτου τὰ Τυρίων ἀρχεῖα εἰς τὴν Ἑλληνικὴν φωνὴν, λέγων οὕτως. Dicit per sequentia verba Menandrum Ephesium, qui archiva Tyriorum è Phœnicum sermone in Græcum transtulit, meminisse Hiromi & Salomonis. Τελευτήσαντος δὲ Ἀβιβάλου διεδέξατο τὴν βασιλείαν παρ' αὐτοῦ υἱὸς Εἴρωμος, ὃς βιώσας ἔτη πεντήκοντα τρία, ἐβασίλευσε τριάκοντα καὶ τέσσαρα. οὗτος ἔχωσε τὸ εὐρὺ χωρίον καὶ τόν τε χρυσοῦν κίονα, τὸν ἐν τοῖς τοῦ Διὸς ἀνέθηκεν. ἔτι τε ὕλην ξύλων ἀπελθὼν ἔκοψεν ἀπὸ

τοῦ

τοῦ ὄρους τοῦ λεγομένου Λιβάνου εἰς τὰς τῶν ἱερῶν στέγας. καθελών τε τὰ ἀρχαῖα ἱερὰ καὶ ναὸν ᾠκοδόμησε τοῦ Ἡρακλέους καὶ τῆς Ἀστάρτης. Πρῶτός τε (leg. Πρῶτόν τε τοῦ Ἡρακλέους ἔγερσιν ἐποιήσατο ἐν τῷ Περιτίῳ μηνί. Τοῖς τε Ἰυκέοις ἐπεστρατεύσατο μὴ ἀποδιδοῦσι τοὺς φόρους, καὶ ὑποτάξας πάλιν αὐτοὺς, ἀνέστρεψε. Ἐπὶ τούτου ἦν Ἀβδήμονος παῖς νεώτερος, ὃς ἀεὶ ἐνίκα τὰ προβλήματα, ἃ ἐπέτασσε Σολομὼν ὁ Ἱεροσολύμων βασιλεύς.

Idem fragmentum producit lib. 1. adversus Appionem, cum aliqua varietate lectionis. Annos vitæ confudit annis regni, defectu aliquo. Εὐρὺ χωρίον] Εὐρύχωρον ὕλην ξύλων] addit κέδρινα ξύλα. ναὸν ᾠκοδόμησε] καινοὺς ναοὺς ᾠκοδόμησε τότε τοῦ Ἡρακλέους καὶ τῆς Ἀστάρτης τέμενος ἀνιέρευσεν. καὶ τὸ μὲν τοῦ Ἡρακλέους πρῶτον ἐποιήσατο ἐν τῷ Περιτίῳ μηνὶ, εἶτα τὸ τῆς Ἀστάρτης, ὁπότε Τιτυοῖς &c.

De eodem Hiromo Dius apud Josephum lib. 8. antiq. Ἀβιβάλου τελευτήσαντος, υἱὸς αὐτοῦ Εἴρωμος ἐβασίλευσεν· οὗτος τὰ πρὸς ἀνατολὰς μέρη τῆς πόλεως προσέχωσε, καὶ μεῖζον τὸ ἄστυ ἐποίησε. Καὶ τοῦ Ὀλυμπίου Διὸς τὸ ἱερὸν καθ' ἑαυτὸ, ἐγχώσας τὸν μεταξὺ τόπον, συνῆψε τῇ πόλει, καὶ χρυσοῖς ἀναθήμασιν ἐκόσμησεν. Ἀναβὰς δὲ εἰς τὸν Λίβανον, ὑλοτόμησεν πρὸς τὴν τῶν ἱερῶν κατασκευήν. Hactenus illius verba. Subjicit Josephus: Τὸν δὲ τυραννοῦντα Ἱεροσολύμων Σολομῶνα πέμψαι φησὶ πρὸς τὸν Εἴρωμον αἰνίγματα καὶ παρ' αὐτοῦ λαβεῖν ἀξιοῦν. Τὸν δὲ μὴ δυνηθέντα λῦσαι τὰ αἰνίγματα, πολλὰ τῶν χρημάτων εἰς τὸ ἐπιζήμιον ἀναλῶσαι. Εἶτα δὲ Ἀβδήμωνά τινα Τύριον ἄνδρα τὰ προτεθέντα λῦσαι, καὶ αὐτὸν ἄλλα προβάλλειν, ἃ μὴ λύσαντα τὸν Σολομῶνα πολλὰ τῷ Εἰρώμῳ προσαποτῖσαι χρήματα.

Alterum fragmentum Menandri extat in lib. 9. Antiq. Ubi de Salmanasare Assyrio & rege Tyriorum Elulæo Καὶ Ἐλουλαῖος ὄνομα ἐβασίλευσεν ἔτη τριάκοντα ἕξ. οὗτος ἀποστάντων Κιτιαίων, ἀναπλεύσας, προσηγάγετο αὐτοὺς πάλιν. Ἐπὶ τούτους (l. τοῦτον) πέμψας ὁ τῶν Ἀσσυρίων βασιλεὺς, ἐπῆλθε Φοινίκην πολεμῶν ἅπασαν. ὅς τις σπεισάμενος εἰρήνην, μετὰ πάντων ἀνεχώρησεν ὀπίσω. Ἀπέστη τε Τυρίων Σιδὼν καὶ Ἄρκη καὶ ἡ Παλαίτυρος καὶ πολλαὶ ἄλλαι πόλεις, αἳ τῷ τῶν Ἀσσυρίων ἑαυτὰς βασιλεῖ παρέδοσαν. Διὸ Τυρίων οὐχ ὑποταγέντων, πάλιν ὁ βασιλεὺς ἐπ' αὐτοὺς ὑπέστρεψε, Φοινίκων συμπληρωσάντων αὐτῷ ναῦς ἑξήκοντα καὶ ἐπικώπους ὀκτακοσίους. αἷς ἐπιπλεύσαντες Τύριοι ναυσὶ δεκαδύο, τῶν νεῶν τῶν ἀντιπάλων διασπαρεισῶν, λαμβάνουσιν αἰχμαλώτους ἄνδρας εἰς πεντακοσίους. Ἐπετάθη δὴ πάντων ἐν Τύρῳ τιμὴ διὰ ταῦτα. Ἀναζεύξας δὲ ὁ τῶν Ἀσσυρίων βασιλεὺς κατέστησε φύλακας ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ καὶ ὑδραγωγιῶν, οἳ διακωλύσουσι Τυρίους ἀρύσασθαι· Καὶ τοῦτο ἔτεσι πέντε γενόμενον ἐκαρτέρησαν πίνοντες ἐκ φρεάτων ὀρυκτῶν. Ex eodem Menandro regum & temporum successio in hunc modum apud Josephum.

Hiromo successit filius Baleazarus, qui vixit annis ann. 44. regnavit ann. 7.

Hujus filius Abdastratus vixit ann. 29. regnavit. 9.

Eum nutricis suæ filii quatuor ex insidiis interimunt, quorum ætate major annis regnavit 12.

Astartus Delæastarti vixit ann. 54. regn. 12.

Post hunc frater ejus Aserymus vixit ann. 54. regn. 9.

Hic interiit à fratre Phelete, qui vixit ann. 50. regn. menses 8.

Cæsus enim est ab Ithobalo sacerdote Astartes, qui vixit ann. 68. regnum tenuit ann. 32.

Huic successit Badezorus, qui vixit ann. 45. regn. ann. 6.

Hujus successor fuit filius Matgenus, qui vixit ann. 32. regn. 9.

Eum excepit Phygmalion. Vixit ann. 56. regnavit ann. 47.

Anno illius septimo, soror Dido fugiens in Libya condidit urbem Carthaginem.

Tabulæ aliæ naufragii è Menandro, reponunt sub Ithobalo (nempe secundo) Nabuchodnosorum Tyrum obsedisse annis tredecim.

Post hunc regnavit Baal annis 10.

Post hunc judices constituti sunt, qui judicarunt: Ecnibalus Bassachi mensibus duobus, Chelbes Abdæi mensibus decem, Abbarus pontifex mensibus tribus, Mytgonus & Gerastratus Abdelimi judices annis sex. (ὧν μεταξὺ) post quos regnavit Balatorus annum unum.

Hoc defuncto vocarunt Merbalum Babylone, qui regnavit annis quatuor.

Eo mortuo vocarunt Hiromum fratrem Merbali, qui regnavit annis 40. Quo regnante Cyrus imperium in Perside obtinuit. Anno ejus decimo quarto regnum tenuit Cyrus, ut testatur Josephus. Anno suo septimo Nabuchodnosorus cœpit obsidere Tyrum.

Diocles in secundo libro Persicorum Nabuchodrosori etiam meminit & Philostratus in Indicis & Phœniciis. Eum tempore Ithobali tredecim annis obsedisse Tyrum.

De Tyri casu etiam vaticinatur Esaias cap. 23. & Jeremias cap. 47. Esaias Tyrum annis 70. oblivioni & vastitati fore cecinit:

Si fides Josepho, Ægyptus subversa est anno quinto post excidium Hierosolymorum & casum Sedeciæ, Nabuchodrosori vigesimo tertio. Id est anno decimo sexto post transmigrationem Jechoniæ. Josephi verba sunt: Τῷ γὰρ πέμπτῳ τῆς ἱεροσολύμων πορθήσεως ἔτει, ὅ ἐστι τρίτον καὶ εἰκοστὸν τῆς Ναβουχοδονοσόρου, στρατεύει ὁ αὐτὸς ἐπὶ τὴν κοίλην συρίαν. καὶ κατασχὼν αὐτὴν, ἐπολέμησε καὶ Ἀμμωνίτας καὶ Μωαβίτας, ποιησάμενος δὲ ὑπήκοα ταῦτα τὰ ἔθνη, ἐνέβαλεν εἰς τὴν Αἴγυπτον, καταστρεψόμενος αὐτήν. Καὶ τὸν μὲν τότε βασιλεά κτείνει, καταστήσας δὲ ἕτερον, τοὺς ἐν αὐτῇ πάλιν Ἰουδαίους αἰχμαλωτίσας ἤγαγεν εἰς Βαβυλῶνα. Respexit ad Jeremiæ cap. 52. v. 30. Quod eodem anno Cœlen Syriam, Ammonitas, Moabitas & Ægyptum subegerit parum verosimile est. Consequentia temporum ista fuit:

M. C.
3349 Nabuchodonosor cœpit obsidere Tyrum.
3350 Jechonias transportatur Babylona.
3360 Excisa Hierosolyma.
3361 Tyrus expugnata & vastata.
3362 3363 Cœle Syria, Ammonitæ, Moabitæ subversi.
3364 Ægyptus occupatur à Nabuchadnessaro.
3382 Apries Ægypti rex Babylonio subditus ab Amasi trucidatur, ex Jerem. 44. 30.
3404 Solvitur captivitas Ægyptiorum. Ezech. 29. 12.

Si Cyrus in Perside cœpit Hiromi secundi anno decimo quarto, Hiromus regnum iniit anno M. C. 3379. Nam Cyrus iniit anno 3391.

Ithobalus: Triennio ante ejus obitum obsideri cœpit Tyrus.
3357 Baal ann. 10.
3367 Judices ann. 7. & 3. m.
3373 Balatorus ann. 1.
3395 Merbalus ann. 4.
3379 Hiromus ann. 20.

Si cum fini Baal Nabuchodonosor Tyrum subvertit, septuaginta annorum captiuitas duravit ad annum 3437. Qui fuit Darii Hystaspidæ annus octavus. Tum resurgere & frequentari cœpit Tyrus. Quod scriptores dicunt sub Ithobalo Tyrum obsessam esse annis 13. id eum sensum habet, cœpisse obsidionem, quæ protracta est in annos tredecim. Sic Tyrus expugnata fuit biennio fere post casum Hierosolymorum. Josephus ex annis regum Tyri supputat 70. annos

annos captivitatis: imprudenter & malè. Scaliger annum obsidionis Tyri primum vult fuisse annum primum expeditionis Syriacæ Nabuchadnessari: qui fuit O. C. 3342. Sic Tyrus expugnata fuisset anno 3355, quinquennio ante eversam Hierosolymam. Atqui constat Tyrum adhuc stetisse, cum Sedecias & Hierosolyma essent eversa: Ideò enim illi excidium vates minatur, quia lætata fuerat Hierosolymorum ruina. Ezech. cap. 26. v. 2. Casus igitur Tyri secutus est casum Hierosolymorum. Opulenta urbs non potuit impendia & labores obsidionis spoliis suis compensare, ideò pro mittitur Nabuchadnessaro subversio Ægypti, cujus præda mercedem & compensationem daret. Ezech. 29. 18.

At Scaligerum hic audire oportet in elencho orat. Chronolog. *Sed & longè acerbiorem cladem Ægypto minatur Ieremias* XLIII. 10. 11. 12. 13. Et XLVI. 13. *Nabuchodonosor Deos Ægyptiorum Babylonem captivos abducet. Hæc omnia non magis acciderunt, quam quod minatur cap.* XLII. 15. 16. 17. & XLIV. 12. 13. 14. 26. 27. *Omnes scilicet perituros, qui ad Vaphrea Ægyptiorum regem confugerent. Atqui illi* φυγάδες *adeò multiplicati sunt, ut Artaxerxes Ochus* ἀποδασμὸν μέγαν Ἰουδαίων *inde in Caspium mare & Hyrcaniam deportaverit. Ezechielis autem* XXIX. 9. 12. *totam Ægyptum omninò desertam & ab omni cultu humano vastam fore per XL. annos spiritus Dei prædicit: ac post illud tempus ex omnibus tractibus mundi reliquias Ægyptiorum ubique disjectas collectum iri. Quod certè ut nunquam accidisse certo certius est, ita hinc inexhausta Dei misericordia elucescit; qui non semper clades immittit, aut flagella, quæ per famulos suos prophetas nationibus intentat* &c.

Quod Judæi perfugæ in Ægypto feliciter increverint, ex eo probat quia Artaxerxes Ochus inde magnam multitudinem in Hyrcaniam, Mediamque & vicina loca transportarit. Eusebius canone Chronico: Ὦχος Ἀρταξέρξης εἰς Αἴγυπτον στρατεύων ἀποδασμὸν εἷλεν Ἰουδαίων, οὓς ἐν Ὑρκανίᾳ κατῴκισε πρὸς τῇ Κασπίᾳ θαλάσσῃ. Id notat ad annum septimum Ochi & nonum Nectanebo regis Ægyptiorum. Res ita est: Ochus Judæos afflixit, qui finitimi Ægypto habitabant. Eorum partem non ex Ægypto sed Judæa in illas partes traduxit.

Apries Ægypti rex μετὰ Ψαμμήτιχον (verba sunt Herodoti) τὸ ἑαυτοῦ προπάτορα ἐγένετο εὐδαιμονέστατος τῶν πρότερον βασιλέων, ἐπ᾽ ἔτεα πέντε καὶ εἴκοσι ἄρξας. Hoc tempore copias duxit adversus Sidona & pugna navali certavit cum Tyriis. Cum autem infeliciter bellasset in Cyrenæos, rebellione suorum interiit. Ægyptus sub Amasi in summam felicitatem dicitur increvisse. Postquam (ut videtur) finem habuit illa captivitas. Non est illa mens Ezechielis universam Ægyptum fuisse incolis exhaustam sed parti illi, quæ Pathros dicitur, potissimum minatur: quamvis & maximis urbibus cladem prænunciet. Perfugæ Judæi in Ægypto non sunt multiplicati; sed partim cæsi, partim Babylona abducti. Ægyptum posthac non esse elaturam caput, ut ad Asiæ dominationem adspiraret, Ezechiel etiam prædixit cap. 29. v. 14. 15. 16. Nunquam enim ita se extulit ut illi superiores reges fecerant. Ideo Amasis horruit potentiam Persarum, cum Cambyses filiam ejus in matrimonium peteret.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI SECUNDI

Caput. V.

AT in Iudea, cui post excidium Ierosolymæ Godoliam præpositum supra memoravimus, ægre ferentes Iudæi, principem sibi ex stirpe non regia, arbitrio victoris datum: Ismael quodam duce & concitatore nefandæ conjurationis, dispositis eum in convivio insidiis peremerunt. At hi qui extra noxiam fuerant, ultum ire facinus cupientes, propere adversum Ismael arma capiunt. Sed ille quia cognovit exitium sibi imminere, relicto exercitu, quem contraxerat, non amplius quam octo comitantibus ad Ammonitas confugit. Igitur populum universum metus pervaserat, ne paucorum scelus omnium exitio rex Babylonius ultum iret: nam præter Godoliam multos ex Chaldeis cum eo interfecerant. Itaque consilium ineunt fugiendi in Ægyptum. Sed prius Jeremiam frequentes adeunt, sciscitantes divinum responsum. At ille verbis Dei universos hortari, in solo patrio manerent: si id fecissent; Dei præsidio tuendos nullumque à Babyloniis periculum fore. Sin Ægyptum peterent, omnes ibi ferro ac fame diversoque mortis genere perituros. Sed plebs assueto malo insolens parendi salubribus consiliis, & divino imperio, profecta est in Ægyptum. Quid de ea postea actum sacris litteris siletur, nobis nihil compertum.

Drusius.

ISMAEL QUODAM DUCE] Qui de semine regio erat, ac propterea ægre ferebat alium sibi prælatum à Chaldæis, Jerem. 40. & 41.

AT HI QUI EXTRA NOXIAM FUERANT] Johannes Carée filius & alii Jer. 41. 12.

AMMONITAS] Filios Ammon. Quod noto, quia Ammonitæ propriè עמונים dicuntur, à quibus diversi sunt filii Ammon, id est בני עמון. Quamvis interpretes hos populos inter se confundant. Vide Paralip. 20. 1.

QUID DE EA POSTEA ACTUM SACRIS LITERIS SILETUR] Non planè siletur. Nam pars in Ægypto periit, pars rediit in terram Juda, Jerem. 44. 27. pars Babylonem ducta fuit, Josephus Ant: lib. 10. cap. 11. *Quinto post excidium Ierosolymitanum anno, qui fuit regni Nabuchodonosoris &c. Ægyptum est ingressus, occisoque qui tunc regnabat,* (vocatur Pharao Ephree, Jerem: 44. 30.) *& alio rege constituto, repertos ibi Iudæos rursum captivos Babylonem abduxit.*

SCHO-

SCHOTANUS.

HUjus capitis argumentum eſt apud Jeremiam capp. 39. 40. 41. 42. 43. 44. Nabuzardan præfectus militiæ regis Babel in captivitatem traxit, quicquid de populo alicujus momenti erat, ſed vilem plebeculam, cui nihil erat, reliquit ad colendum agros & vineas. Peculiare autem mandatum acceperat à rege de Jeremia propheta: ut ejus curam haberet, & voluntati ſatisfaceret. Nabuzardan igitur & Nabuſasban rabſares & Nergal Sareſer-rab-mag omnesque duces Jeremiam è veſtibulo cuſtodiæ tradunt Godoliæ ut domum ſuam eum deduceret. Benignitas quoque præſtita eſt Ebedmelech Æthiopi, quemadmodum illi vates prædixerat, dum erat in veſtibulo cuſtodiæ. Ramam (cap. 40.) cum cæteris captivis vinctisque abductus erat Jeremias. Hinc eum ad ſe Nabuzardan accerſit verbisque benignis affatur: Dominus Deus tuus id malum elocutus eſt ſuper hoc loco: quod & præſtitit. Vos enim deliqueratis in Dominum voci ejus immorigeri. En liberavi te hodie vinculis, quibus manus tuæ conſtrictæ tenebantur. Si placitum fuerit, comitare me Babylona, curæ mihi eris: quod ſi id minus placeat: quo videtur, te conferas. Tota enim regio tibi patet. Quoniam ille necdum reverſurus eſt (Hæc verba cap. XL. v. 5. obſcura ſunt, alii aliter capiunt) concede ad Godoliam. filium Achicam filii Saphan, quem rex Babylonius oppidis Judææ præfecit. Habita in medio populi, aut ubi viſum fuerit. Tum viatico & honorario inſtructum dimittit. Ch. ארחה ומשאת מתנן ונבזבן. Pro viatico alii convivium ponunt & Græci quidam libri ἑστιατορίαν. Joſephus; δωρησάμενος αὐτὸν δωρεαῖς πολυτελέσι. Jeremias igitur ad Godoliam ſe confert (המצפתה) Maſpham. Illic fuit in medio populi relictorum. Cum duces Judæi, qui in agris erant, cum ſuis militibus (profugerant enim ex oppidis, quæ ſe ſervare poſſe deſperabant) audiſſent Godoliam, regioni eſſe præfectum ejusque curæ mandatos viros, ætatem ſexumque imbellem & viliſſimos de plebe, qui non fuerant, deportati, veniunt ad eum Iſmaël filius Nathaniæ; tum Johanan & Jonathan filii Carèe & Saræas filius Tanhumeth; & filii Ephal Natophathitæ & Jezanias Maachathæi filius cum ſuis. Quos recepit Godolias, fide data Jurejurando: Si in obſequo regis maneant, tutos fore. Se Maſphæ domicilium habere, ut regis Chaldæorum nomine regioni præſidentem. Eant, colligant vinum, oleum (קיץ) fructusque æſtatis, ac incolant in oppidis ſuis. Quicquid etiam Judæorum ad Moabitas, Ammonitas, Idumæos vicinasque gentes confugerat, cum intelligerent regem Babel in Judæa reliquias feciſſe, eique Godoliam præpoſuiſſe, ad eum ſe recipiunt. Collectum fuit æſtivorum fructuum multum, Dei benedictione. Johanan autem filius Carèe cum ducibus, qui in agris erant, intellecto, quid moliretur Iſmael Nathaniæ, quem emiſerat Baalis rex Ammonitarum ut percuteret Godoliam, indicant inſidias regio præſidi. Johanan etiam in occulto locutus Maſphæ cum Godolia, petit ab eo poteſtatem opprimendi Iſmaëlis, ne Judæorum reliquiæ perderentur. At Godolias fidem dictis non habuit: quod ipſi ceſſit in perniciem. Nam (cap. 41.) ſeptimo menſe (anni) Iſmaël filius Nathaniæ filii Eliſamæ, è ſemine regio. Cum illo fuerunt ורבי המלך/ Chald. רברבי מלכא. Intelliguntur magnates Sedeciæ, alii (quod tamen non placet) volunt fuiſſe magnates regis Ammonitarum. Item viri decem. Hi ſimul epulabantur cum Godolia. Tum ex inſidiis Godoliam nihil mali ſuſpicantem obtruncant decem illi viri autore Iſmaele. Trucidant etiam Judæos, qui à latere Godoliæ in Maſpha erant & Chaldæos milites. Secundo

do die post cædem Godoliæ, cum nondum res emanasset, ea parte transeunt octoginta viri è Sichem, Silo & Samaria, rasi barbas, laceratis vestibus & incisi carnem, qui gestabant munus & thus ad ædem Domini. At ædes Domini diruta erat ante duos menses? Quomodo id ignoratum in Sichem & locis vicinis? Existimat David Kimchi, intellexisse, quod Hierosolyma capta essent & populus abductus, nihil autem de eo quod domus Dei incensa esset. Cum igitur id inter eundum comperissent, ea tristitiæ & actus signa assumpserunt. In eadem sententia est Rasi, alii putant munus & thus adferre voluisse ad locum, ubi templum steterat; signis illis luctus indutos locum infelicem & afflictum voluisse visitare. Illis obviam processit Ismael egressus Maspha, fictis lachrymis dolorem luctumque adsimulans. Ingressos oppidum omnes jugulat decem è toto numero relinquens superstites, qui ferebant habere se occulta conditoria plena tritico, hordeo, oleo & melle. Cadavera abjecta sunt in puteum, quem Asa rex Judææ fecerat adversus Baasam regem Israel. Eum totum cadaveribus opplevit. Reliquias populi, quæ apud Godoliam Masphæ erant, cum filiabus regiis, quas Nabuzardan Godoliæ tradiderat, rapiens contendebat in regionem Ammonitarum. Cum id nuntiatum esset Johanan filio Carée, ducibusque, propere armant suos, assequuntur que Ismaëlem apud magnas aquas prope Gabaonem. Populus captivus visis viris Johanan, vertunt se in Ismaëlem & transeunt ad Johanan. Ismaël evasit cum viris octo, in Ammonitin. Pulso fugatoque Ismaële, universæ illa Judæorum reliquiæ Iohanan filius Carée cum ducibus copiarum & populo reliquo militum, mulierum, paruulorum, eunuchorum, reductorum Gabaone, proficiscuntur & consident apud Geruth-Chamham, Bethleemæ: ut abirent in Ægyptum. Quia Chaldæi regis iram metuebant ob cædem Godoliæ. In hac trepidatione (cap. 42.) Iohanan ducesque cum universo populo virorum adeunt Jeremiam, supplices petunt Deum consulat: seque obstringunt jurejurando ad obsequium verbi Divini. Si jubeat manendum esse mansuros in terra. Post decem dierum exspectationem verbum accepit: ad quod audiendum convocat universam consulentium multitudinem. Cum coiissent, aperit Dei verbum esse: Si maneant in Judæa, se benedictione sua conditurum ipsos ad meliorem conditionem. Ne metuant regem Babylonium: Deum enim adfore, ut restituat patriam. Quodsi nolint obsequi & pertinaciter obnitantur, Ægyptum petentes tanquam tutum latibulum, ubi nec armorum strepitus audiant nec fame ac siti premantur; gladium quem metuant se ipsis immissurum & famem pestemque, ut intereant ad unum omnes, qui eo abierint. Ut Dominus iram effuderat in urbem Ierosolymorum, ita ipsos persecuturum in Ægypto. Adeò fore exules in Ægypto, in stuporem, diras, opprobrium & contemptum. Se proposuisse & obtestatum esse: si adversus semet pergant obfirmatis animis, quo dixerat modo, interituros. Excipiebat (cap. 43.) Azarias filius Hoseiæ & Iohanan filius Carée & quicquid tumentium virorum erat, Mendacium loqueris, cum hoc verbo non misit te Dominus, sed Baruch Neriæ filius incitat te: qui id machinatur ut in Chaldæorum manus veniamus, partim interimendi, partim Babylona traducendi. Ab hoc principio universus populus concitatus in Ægyptum ire voluit. Sub ducibus igitur istis quicquid Judaicarum reliquiarum erat relictum à Nabuzardan aut è fuga & exiliis vicinarum gentium reversum, cum filiabus regis, mulieribus, parvulisque Ægyptum petit raptis secum Jeremia & Baruch. Cum Daphnis consedissent, verbum Domini ad Jeremiam fuit: Sume lapides grandes, eosque absconde (Vulg. *in crypta, quæ est sub muro lateritio in porta domus Pharaonis in Taphnis*: Gr. ἐν προθύροις,

ἐν πύλῃ

ἐν πύλῃ τῆς οἰκίας Φαραὼ ἐν Τάφνας: Heb. אבנים גדולות במלט במלבן אשר בפתח וגו' *lapides grandes, in argilla in laterario, quod ad oſtium* &c. In atrio ſive ante atrium palatii laterarium erat & juxta id argillæ cumulus, in quo jubetur abſcondere lapides ſeu ſaxa. Lateres enim non erant, ut Vulgatus habet. Jubetur ſaxa illa abſcondere ſeu immergere argillæ, cernentibus Judæis: eisque dicere Dei verbis: Adducturum ſe regem Babylonicum, ſervum ſuum, ejusque ſolium his ſaxis impoſiturum & tentorium. Venturum enim eſſe ut Ægyptum percutiat. Quem morti Deus deſtinaſſet, iturum ad mortem, quem captivitati, in captivitatem, quem gladio, ad gladium. Sed ignem accenſurum in ædibus deorum Ægypti, quos ſit combuſturus & abducturus in captivitatem. Eum Ægyptum induturum ut paſtor veſtimentum atque inde egreſſurum cum omni proſperitate. Statuas Bethſemes confracturum, combuſturumque ædes deorum Ægypti. Ad has comminationes parum motus eſt populus (cap. 44.) Nam cum ſparſi habitarent Judæi, Magdoli, Taphnis & in Noph & in terra Pathros (ſunt iſta in finibus verſus Arabiam & Judæam) diis peregrinis incenſum adoleverunt, præcipue mulieres. Jeremias igitur cum verbo Domini graviter eos increpat. Monet ſuperiorum calamitatum quas in Judæa viderant: cum deos alienos colendo & prophetarum voces ſpernendo, iram Dei advocaſſent, qua conflagraverant Hieroſolyma & oppida Judææ. Cur igitur ita delinquerent adverſus ſemet, ut omnes reliquiæ Judæorum abſumendæ ſint, vir, mulier, parvuli lactentesque? Cur diis alienis in Ægypto & exilio ſuo adolerent, ultimam perniciem advocantes? Eſſentne obliti impietatis patrum, & regum, mulierumque eorum: aut ſuæ ſuarumque mulierum, quam in vicis Hieroſolymæ patraverant? Nondum eorum animos emollitos eſſe, ut Dei mandata facerent? Proinde ita dicere Dominum, Deum Iſraël, ſe faciem ſuam ad malum poſiturum, ut totum Juda excideret. Deleturum reliquias exulantes in Ægypto, gladio, fame, peſte. Perituros omnes, exceptis paucis, qui in optatam Judæam evaſuri ſint. Contumaciter reſponſum eſt vati à viris, qui ſciebant conjuges ſuas alienis diis adolere: etiam à mulieribus magno numero adſtantibus: totoque populo, habitante in terra Pathros: Non parebimus verbo, quod locutus es in Domini nomine. Faciemus ut diximus: Adolebimus Melecheth (מלכת) cæli incenſum & libabimus illi libamina: quemadmodum fecimus, nos patresque noſtri, reges ducesque noſtri, in oppidis Judææ & vicis Jeruſalem. Tum enim pane ſaturabamur eramusque hilares nec videbamus malum. At à quo deſiimus Melecheth cæli odoramenta adolere eique fundere libamina, omnium rerum penuriam habuimus & gladio ac fame periimus. Facimus ne illum cultum (inquiebant mulieres) ſine maritorum permiſſu ac voluntate? adolemus, libamusque & facimus placentas (Gr. *χαυῶνας*) ſine maritis? Ad hoc reſponſum reddit vates: Impietatem illam, quam feciſtis & patres veſtri, de qua dicitis, reſpexit Dominus nec impune factum eſt. Porro dicebat: Hoc eſt verbum Domini: Quantum vos mulieresque veſtras attinet: ore veſtro locutæ ſunt & vos manibus veſtris impleviſtis: q. d. Os veſtrarum mulierum veſtra facta edidit & quod factum eſt, vobis debet imputari. Sic vota mulieres ſolverunt, quæ ipſi nuncupaveratis. Audiat igitur totus Juda, qui Ægyptum incolit, Deum jurare per nomen ſuum magnum, non eſſe amplius appellandum nomen ſuum ore ullius viri Judæi in Ægypto univerſa, ut per illud juret. Nam in malum eorum invigilaturum: Omnes viros Judæos, qui in Ægypto eſſent, gladio & fame abſumptum iri. Qui evaderent, paucos numero, reverſuros in Iudam. Signo fore: Deum eum locum viſitaturum: Pharaonem Aprien traditurum in manum hoſtium ſuorum, ut Sedeciam tradiderat in manum regis Babel.

 Ioſe-

Josephus narrat: Sedeciam Babylone mortuum in carcere, sed regia pompa funeris elatum esse. Vasa templi Chaldæis numinibus esse consecrata. Pontificem solutum vinculis. Godoliæ traditam esse à Nabuzardan præfecturam Judææ & pauperum ac transfugarum. Quibus imperatum, ut pro agris ad culturam acceptis tributum penderent. Jeremiam voluisse inducere, ut secum iret Babylona: si nollet eligere jussisse habitandi locum. Prophetam maluisse manere in ruderibus patriæ. A Nabuzardan impetrasse solutionem Baruchi filii Neriæ, discipuli sui, hominis illustri domo orti. Cum Nabuzardan Babylona profectus esset, ad Godoliam hominem bonum & æquum ex omnibus partibus confluxisse Judæos: Ismaëlem è regio genere, qui urbe obsessa ad regem Ammonitarum perfugerat, etiam advenisse. Godoliam benigne appellatum populum monuisse ut regionem colerent & pararent in hyemem anni proventum: è suis se missurum una, qui diruta reficerent. Hæc fama plures concivit. Amabant Judæi Godoliam, ideò admonuerunt de dolo Ismaelis. Cum persuaderi non posset, diceretque inter alia se malle opprimi, quam fidem nuper datam violare. Post dies triginta Ismaelem Masphathæ epulis & muneribus laute exceptum convivatorem noctu trucidasse: mox per noctis tenebras cum sopiti homines jacerent promiscuis cædibus grassatum esse in Judæos & Chaldæos milites. Sequenti die cum muneribus qui accesserant ignari rei gestæ, octoginta viros clauso palatio inclusos trucidasse. Servatis, qui occultata in agris se esse ostensuros promiserant. Cadaveribus implevisse puteum. Non refert quod isti octoginta ad ædem Domini contenderint. Johannem, audita clade Masphatensium & abduci populum captivum, cum suis se intulisse πρὸς τῇ πηγῇ ἐν χεβρῶνι. Error est pro, *apud aquas*, *in Gabaone*. Apud Gabaonem non Hebronem fuit. Captivi in Ismaelem se inferebant, qui cum octo comitibus ad regem Ammonitarum perfugit. Judæos igitur consedisse in loco, qui mandra appelletur: Lxx. ἐν γαβηρωχαμαάν leg. βαγηρωχαμαάν. Heb. בגרות כמוהם. Consuluisse Deum per Jeremiam, quid faciendum sit, juratos se obsequium Dei voci præstituros. Decima die Jeremiæ (φανέντα τὸν θεὸν) significasse: Si manserint, affore se & curam habiturum, servaturumque à Babyloniis: profectos in Ægyptum deserturum, eaque per iram facturum, quæ fratres ante passi essent. Hæc monenti prophetæ non paruisse, quasi gratificans Barucho, mentiretur, ut ipsos in Babyloniorum manus concluderet. Cum igitur in Ægyptum se contulissent, illic vati significasse Deum: μέλλοντα στρατεύειν ἐπὶ τοὺς Αἰγυπτίους τὸν Βαβυλωνίων βασιλέα: jussisse ut præcineret populo τήν τε ἅλωσιν τῆς Αἰγύπτου καὶ ὅτι, τοὺς μὲν αὐτῶν ἀποκτείνῃ, τοὺς δὲ αἰχμαλώτους λαβὼν, εἰς Βαβυλῶνα ἄξει Posteriora, ut vides, tenuiter persequitur. In eo etiam errat, quod Babylonium eos (qui non interficerentur) Babylona abducturum esse dicat: quia vates dixit eos evasuros in Iudæam: nisi velis, cum evasissent in Iudæam inde è Nabuzardan abductos. Falsum etiam est, quod scribit regem Ægypti à Nabuchadnessaro interemptum esse & alium illius loco positum. Apries longo post tempore ab Amasi interiit, ut legitur apud Herodotum. Hic difficultas est, quomodo igitur illius interitus signum haloseos potuerit esse, si tot annis post eam halosin Ægypti interierit? Signa quæ de certitudine rei eventuræ dantur, præcedunt. Dici posset connexa & conjuncta inter se fuisse, ut se mutuo demonstrent. In his quæ Grotius annotat, videamus:

Cap. 4. v. 10. קיץ fructus æstatis. Gr. ὀπώρας id est arborum fructus. Id probat Grotius, quia messis præterierat: Nam mense Iulio urbs erat incensa. Ch. דבלתא caricas, palatham ficuum.

V. 14.

v. 14. Baalis rex filiorum Ammon] Grot. *Græci quidam libri habent βασίλισσα βασιλέως υἱῶν Αμμών· id est regina (mater) regis Ammon, tutelam scilicet regis pueri gerens. Sicut mater regis Hebræis vocabatur* גבירה *ita Ammonitis* בעלים. *Nam* ס *pro* ת *ponere est dialectus. Pro* שלח *ergo legerunt* שלחה. *Pro illo* scito (*vulgati textus*) *in Hebræo est,* an plane scis: *id est, annon intellexisti rem tanti momenti? Ismael iste Iudæus erat, ad regiam Davidis familiam pertinens, ut mox videbimus XLI. 1. Ita Ammonitarum Augusta vetus in Hebræos odium, Ismael vero spem, quam conceperat ex ortu Davidicæ stirpis, una miscuerunt.* Sic Grotius. At Baalis rex Ammonitarum erat, nulla mentio reginæ. *βασίλισσα* corruptum.

Cap. XLI. v. 5. Ut offerrent in domo Dei] Gr. *In area, ubi templum fuerat. Locus, in quo ædes sacræ sunt ædificatæ, etiam diruto ædificio, sacer adhuc manet. Instit. de rer. divis. §. Sacræ: ex Papiniano*

17. Sederunt peregrinantes in Chamaam] Gr. *In Hebræo:* Consederunt in habitatione Chimhami. *David bello adversus Absalomum patrato, cum Berzellajum amicum suum senem secum Hierosolyma reducere non posset, filium ejus Chamaamum secum duxit, eo animo, ut patris merita in filio remuneraret: cum autem David patrimonium haberet in agro Bethleemitico, jus ibi habitandi & fructus quosdam suos faciendi dedit Chamaamo: atque inde id rus nomen accepit.*

v. 18. Timebant] *Eaque re majestatem regis Babylonii insigniter læserat. Vide 2. 1. §. 1. D. ad L. Iuliam Majestatis. Non carebat autem ratione metus ille, ne Chaldæi ex suspicione Iudæos omnes in idem crimen traherent, quasi qui principem sibi desideraßent ex stirpe Davidis.* R. Atqui opposuerant se & profligaverant percussorem.

Cap. XLII. v. 16. Gladius, quem formidatis] Gr. *Gladius Nabuchodonosoris. Factum hoc ea expeditione, qua in Africam ivit Nabuchodonosor. Cujus meminit Megasthenes productus à nobis ad lib. 3. de veritat. relig. Christ.* Megasthenes scripsit Nabuchodrosorum Hercule ipso fortiorem fuisse & expeditionem fecisse in Africam & Hispaniam, quem locum postea producemus. Sed hæret nobis dubium, quo tempore ista expeditio facta fuerit.

Cap. XLIII. v. 9. Abscondes eos in crypta] Gr. מלט *haud dubie cæmentum est. Nam ita usurpant & Chaldæi & Arabes & ab illis Itali. Idemque significat* טפל *quod hic habet Chaldæus.* מלבן *sunt lateres, ut apparet Exod. 1. 14. & 5. 16. 18. 19. & locus ubi lateres fiunt. Sensus ergo est: lapides illos magnos cæmento imponito, quod erat in officina lateraria, nempe quo rectius serventur: quia illis usurus est Nabuchodonosor ad sternendum solum, cui sedem regiam erat impositurus.*

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI SECUNDI

Caput. VI.

HOc tractu temporum Nabuchodonosor elatus rebus secundis, statuam sibi auream immensæ magnitudinis posuit adorarique eam ut sacram effigiem præcepit. Quod cum certatim ab omnibus depravatis adulatione omnium animis fieret, Ananias, Azarias & Misaël prophano officio abstinuerunt, non ignorantes honorem hunc soli Deo debitum. Igitur rei ex edicto regis constituuntur: propositaque eis conditio pœnarum ardens caminus, ut præsenti metu adorare statuam cogerentur. Verum illi devorari ignibus, quam piaculum committere maluerunt. Itaque vincti pedibus, in medias flammas conjiciuntur. Sed ministros infandi operis, dum promptius damnatos in ignem propellunt, flamma absorbuit: Hebræos (mirum dictu, & incredibile non visentibus) ignis non attigit, quum aspectantibus deambulantes in camino psalmum Deo dicere cernerentur. Visusque cum his inter ignem quartus specie angeli, quem Nabuchodonosor propius intuitus filium Dei se vidisse confessus est. Tum rex haud dubius divinam in re præsenti fuisse virtutem, missis per omne regnum suum edictis, facti miraculum promulgavit: confessus, soli Deo honorem deferendum. Nec multò post, Rex objecto sibi somnio, mox voce etiam cœlo emissa, admonitus, potestate regia abjecta, atque ab omni conversatione humana remotus, herbis tantum vitam sustinens egisse pœnitentiam traditur. Servatum ei nutu Dei imperium, donec impleto tempore, agnito demum Deo, post septem annos & regno & statui pristino restitutus est. Hic post devictum, ut supra diximus, Sedechiam, quem captivum Babylonem transtulit, regnasse traditur annos VI. & XX. quanquam id non in sacra historia scriptum invenerim. Sed forte accidit, ut dum multa evolverem, annotationem hanc jam interpolato per ætatem libello, sine autoris nomine, reperirem, in quo regum Babyloniorum tempora continebantur: quam prætereundam non putavi, siquidem & Chronicis consentirent & ita illius nobis ratio quadraret, ut per ordinem regum, quorum tempora continebat, usque in primum Cyri regis annum, Lxx. annos (tot enim per sacram historiam à captivitate usque ad Cyrum fuisse referuntur) impleret.

DRU-

DRUSIUS.

REBUS SECUNDIS] Victoriis, quas obtinuerat de Syria, Judæa & Ægypto.

IMMENSÆ MAGNITUDINIS] Altitudine cubitorum sexaginta, latitudine verò sex.

POSUIT] In campo Dura provinciæ Babylonis. Sic vulgatus interpres Dan. 3. 1. Sed moneo verba Ebræa verti etiam posse, *in campo Dura, in urbe Babylonis*. Nam Medina tam urbem quam provinciam denotat. Hieron. ad hunc locum. *Pro Dura Theodotio Deira, Symmachus Doraum.* (Dora ἴσως) LXX. *περίβολον transtulerunt, quod nos vivarium, vel conclusum locum dicere possumus.*

UT SACRAM EFFIGIEM] Hoc adjecit, quoniam adoratio quædam in oriente civilis erat, quæ sine sacrilegio, aut, ut alibi loquitur, nefariæ mentis piaculo fiebat. Hoc modo Abraham Patriarches adoravit olim populum terræ.

PIACULUM COMMITTERE] Statuam adorare. Sic alibi cultum idolorum nefariæ mentis piaculum vocat. Alio sensu dixit, *non ausi piacula profiteri.*

VINCTI PEDIBUS] Satis erat *vincti* simpliciter, i. מכפתין. Nam כפת vincio, ligo. Sed expressit participium Græcum *πεπεδημένοι*, cujus thema *πεδάω* compedio. Sic Hieronymus, *jussit ut ligatis pedibus mitterent eos.* Ego imbibi non solum pedes vinctos fuisse, sed etiam manus: fuitque aliquando tempus cum legendum putarem, *vinctis compedibus*. Quod Græcum *πεπεδημένοι* propriè significat.

PSALMUM] Hymnum, quem Azarias dixit, ut habetur in editione Græca. Dan. 2.

SPECIE ANGELI] Imo viri, qui similis erat filio Dei, quem pauló post angelum vocat, cum ait: *misit angelum suum.* Verba sunt Nabuchodonosoris vers. 95.

FILIUM DEI] Similem filio Dei. Sic enim certè Theodotio *ὅρασις τοῦ τετάρτου ὁμοία υἱῷ θεοῦ.* Prius erat in LXX. *ὁμοία ἀγγέλῳ θεοῦ*, id est similis angelo Dei. Notatum hoc in edit: Romana.

PROVULGAVIT] Promulgavit.

POTESTATE REGIA ABJECTA] Non ipse abjecit potestatem regiam, sed, cum ex hominibus depelleretur, simul amisit dignitatem illam. Hoc accidit anno regni ejus 31. ut quidem Funccius putat: octavo autem supra trigesimum, eodem teste in regnum restitutus fuit.

EGISSE POENITENTIAM TRADITUR] Dum adhuc mente valeret. Quod etiam Hieron. opinatus videtur, & *idcirco*, inquit, usque ad *mensem duodecimum in eum est dilata sententia.* Herbam autem comedit ut bos, cum furore cœcatus esset. Ita Theodoretus opinatur.

POST SEPTEM ANNOS] In Daniele, *post finem annorum*: & pauló ante, *septem tempora.* Ubi per tempora R. Saadia menses intelligit, Abenezra verò annos: alii dies, alii hebdomadas. Sed tam brevi spatio non possunt pili & ungues adeo increscere. Vide Dan. 3. 30. Tempus autem pro anno sumitur & in illo, *tempus & tempora & dimidium temporis.*

POST DEVICTUM SEDECIAM REGNASSE TRADITUR ANN: VI. & XX.] Sedecias devictus fuit anno 11. regni sui, qui fuit Nabuchodonosoris (ita quidam opinantur) 19. Regnavit ergo Nabuchodnosor

nosor ante devictum Sedeciam XIX. Quibus si addideris hos XXVI. Simul efficiunt annos XLV. quos Nabuchodonosoro tribuit Megasthenes Persa ut Sigonius observat: in quo male pro Megasthenes Metasthenes legitur. Alii Nabuchodonosoro tribuunt tantum ann: XLIII. in quem numerum veniunt anni 13. quibuscum patre Nabopollassaro regnavit. Solus enim duntaxat cum imperio fuit ann: XXX. Qua de re alias, cum plus otii habebo.

Jam Interpolato] Melius *in interpolato*.

Regum Babyloniorum Tempora] Quæ sic quidam digerunt ex Megasthene & Beroso. Nabopollassarus ann: XXIX. Nabuchodonosorus ann: XXX. post patrem Evilmeradochus ann. II. Neriglissoorus affinis Evilmeradochi annos IV. Baltasar, qui & Laborosoarchodos, Nabuchodonosori è filia nepos ann: IX.

Siquidem Et Chronicis Consentitent] Si Eusebii Chronica intelligit, non video, qui hoc verum esse possit. Nam Eusebius longè aliter supputat annos captivitatis. Vide si habes & si vacas.

Usque In Primum Cyri Regis Annum LXX. Annos] Hos annos alii dinumerant à capto Iechonia. Eusebius qui à captivitate Sedeciæ incipit, eos desinere scribit in annum secundum Darii. Funccius hoc modo eos putat. Nabuchodonosorus post captum Sedeciam regnavit annos XXVI. Evilmerodach. XXX. Regasar III. Labosardach. VI. Balsasar. IV. Ecce LXIX. Nam septuagesimo anno redierunt in terram patriam, qui fuit primus annus Cyri. Aliter Sigonius, quem te adire volo. Vide quoque Josephum.

Schotanus.

Quo anno regni statuam istam erexerit Nabuchadnessar, non commemorat sacer textus in cap. 3. Danielis quæ ejus sedes est: at non adeò longo intervallo aliquot tamen annorum factum esse post capitis secundi gesta crediderim. Elatus enim rerum gestarum amplitudine, subacta Syria, Tyro, Ægypto, Africa & (si fides Megastheni) Hispania, bellis finitis & pace ac imperii magnitudine florentissimus, suffundentibus oleum hostibus trium sociorum Danielis, cultum divinum affectavit. Nam ipsi regi positam esse statuam existimo. Colossus ille aureus altus erat sexaginta cubitos, latus sex. In campo (vel valle) Dura posuit. (Jos. *ἐν μεγάλῳ τῆς Βαβυλῶνος πεδίῳ.*) Ad dedicationem statuæ convocati primores omnium provinciarum regni. Hi appellantur: 1. אחשדרפניא quam vocem Græci reddunt *Satrapa*. Gr. *ὕπατοι* 2. סגניא Græci *στρατηγοί*, 3. פחותא Gr. *τοπάρχαι*. Constat minoris gradus & dignationis præsides provinciarum voce ultima notari. Nam præfectus Judææ, qui suberat præsidi Syriæ פחה appellatur sub regno Persico 4. אדרגזריא Gr. *ἡγούμενοι* 5. גדבריא Gr. *τύραννοι* 6. דתבריא Gr. *οἱ ἐξουσιῶν* 7. תפתיא Græcè desideratur 8. Omnes שלטוני מדינתא Gr. *ἄρχοντας τῶν χωρῶν*.

Duram putant quidam esse *δίῳρα* inter Chaltapetim & Cissiam in Susiana. Volunt enim מדינה totum regnum significare, quod non probatur nobis. Quantum ad primores putat Jachiades eandem administrationem regni Babylonici fuisse cum Turcici hodierna מה שנראה שהנהגת מלכותו אז היה כהנהגת התוגר היום. Ideò Satrapas comparat cum *Bassis*: שרים על הנהגת עניני המלכות *Præfecti negotiis regni*. Secundo loco apud Turcas dicit esse præfectos militiæ; שרים על הנהגת המלחמה hos cum dromadibus & equis inequitare, tum quadrigis vehi. Appellari autem *Beglerbejos*. Hos comparat cum סגניא. Deinde esse

eſſe præfectos peditum, qui vocentur *Aga genizarorum.* Eos comparat cum פחותא. Eſſe etiam præfectos judicibus è qualibet civitate, qui dirigunt lites ac judicia. Appellari *Cadios* & fortaſſis eſſe apud Danielem אדרגזריא. * Tum præfectos regiis reditibus, quibus aulæ adminiſtratio incumbit: item ratio expenſarum & menſæ regiæ: qui vocentur *Dephterdari.* Danielis גדבריא cum illis componit. Porrò, qui theologis præſint & occupentur in procurandis oratoriis & adoratione: qui populum dirigunt באמצעות התורה mediante lege. Quos vocent Alphakios & Saitios, fortaſſe Danielis דתבריא. Inde viros ſapientiæ, qui juris prudentibus, fatidicis, aſtrologis præſint, quos confert cum תפתיא. Denique eſſe qui provinciis præſint Turcica Sangiaci, lingua vulgari Viſirii. Hos eſſe illos apud Danielem שלטוני מדינתא. De his vide Conſtantinum Imperatorem, mihi non placet per omnia collatio. Cum conveniſſent & ante illum coloſſum adſtarent, præco alta voce proclamat: Vobis dicitur, populis, tribubus & linguis, in hora, qua audietis ſonum cornu, fiſtulæ *(משרוקיתא)* citharæ (קתרס) ſambucæ, pſalterii, ſymphoniæ & reliquorum muſicorum inſtrumentorum: procumbentes venerabimini ſtatuam auream, quam conſtituit Nabuchadneſſar rex. *ψαλτήριον* & *συμφωνία* Græcæ voces ſunt, quæ in Aſiam pervaſerant. Iſidorus origin. lib. 2. cap. 21. *Symphonia vulgo appellatur lignum* cavum ex utraque parte, pelle extenſa, quam virgulis hinc inde Muſici feriunt. Fitque in ea concordia gravis & acuti ſuaviſſimus cantus. Jachiades de ſpeciebus primis quinque: אולי כי הם הכלים שמנגנים יחד עם אנשים שונים הנקראים בלעז פיפראש Ultimam expreſſam ſpeciem dicit eſſe quæ conſtat conjunctis fiſtulis & vulgò appellatur organum. Joſephus ſolius tubæ *(σάλπιγγος)* ſignum memorat: Vocem קתרס quidam etiam Græcam origine eſſe putant. Sambuca Syrorum repertum fuit teſte Athenæo lib. IV. Fuit inſtrumentum mulierum Syrarum docentibus Porphyrione & Suida. Addit Athenæus *τετράχορδον* fuiſſe acuti ſoni. Grotius: *docent nos & Hieronymus & Auguſtinus pſalterium fuiſſe inſtrumentum cithara* non abſimile: niſi quod illum locum unde ſonum accipiunt, quod cavamen dicitur cithara in parte inferiore, pſalterium in parte ſuperiore habet; percutiturque pſalterium quidem ſurſum, cithara vero deorſum. Chryſoſtomus: *ψαλτήριον τῶν ὀργάνων μόνον, πλὴν ὄρθιον καὶ ἄνωθεν ἔχει τῶν φθόγγων τὰς ἀφορμάς.* Symphonia tibia obliqua *πλαγίαυλος*, interprete Servio ad XI. Æneidos.

Videntur cum primoribus multi adfuiſſe homines ex omni gente & populo: Si quis non adoraret, eum mox conjiciendum in fornacem ignis. Cum igitur concentus ille perſtreperet, omnes qui aderant, procubuerunt. Daniel negotiis forte diſtrictus non aderat, ſed ſocii tres, qui aderant, mandato non paruerunt. Id quod mox à Chaldæis ad regem delatum eſt.

Rex offenſus non tam contemptu edicti ſui, quam liberrimo ſermone, confitentium ſe non adoraſſe & negantium ſe adoraturos, quis Deus, inquit, vos è manu mea eripiet? Cui illi: Deum quem colerent, poſſe eripere, ſi noluerit, ſe tamen deos regis & ſtatuam non veneraturos. Incanduit rex, ut ad iram pronus erat & faſtu turgidus, juſſitque fornacem ſuccendi ſeptuplo magis, quam conſueverat. Tum præcepit robore corporis pollentibus de exercitu ſuo, ut ligatos in furnum darent. Ligati igitur ſunt בסרבליהון פטשיהון וכרבלתהון cæteriſque veſtimentis. Prima vox eſt in Græco ſaraballa, redditur Iachiadi *mantilo.* Secundam vulgo exponunt femoralia Gr. *πάρας*· tertiam Gr. *περικνημίδας.* Saraballa Latinus exponit cum *braccis ſuis.* Grot. *Erant autem Saraballæ, quæ corruptè Sarabara aut ſarabà, non tibialia, ut Hieronymus exiſtimat, ſed mantella, ut hic explicat Iachiades & Abeneſdra. Apparet ad titulis Thalmudicis de*

Synedriis & de septimanis. סרבל *Chaldais & Arabibus est obtegere.* Abenesdras & Iachiades per secundam vocem intelligunt subligaria: Grotius putat convenire ad Græcam vocem πέταςος. Imperator observat ex historia Elmacini, السر ويلات Arabum significare femoralia. Per vestimenta, quæ non exprimuntur, interiora intelligi putant nempe quæ pallio teguntur, ut scribit Iachiades. Dici barbare Sajon. Iachiades פטש confert cum *gibon*, & *calsi* in lingua vernacula.

Cum in ignem conjecti essent, flamma seu scintilla exiliens è fornace interfecit furnum succendentes adstantesque. Quæ causa fuit (inquit Grotius) cur Nabuchodonosor rem omnem cognoscendi animo ad furnum accederet. Videbat illos validissimos esse concrematos. Videbat in fornace quatuor viros inambulare, solutos liberosque, cum tres compeditos in eam demisissent. Quarti Speciem splendidiorem esse, כבר אלהין ut angeli. Animadvertebat etiam considerando nullam ab igni labem in illis esse. Exclamat igitur præ admiratione, narrans optimatibus, quid videret. Tum ad fornacem propius accedens proclamat: Sadrach, Mesach, Abdenago, servi Dei excelsi egredimini. Egressos congregati satrapæ, saganim & pachæ (והדברי) regis contemplantur. In eorum corpora pilos & saraballa nihil potestatis habuerat ignis, cujus nec odorem observare licebat. Tum rex in hæc verba erupit: Benedictus Deus Sadrach, Mesach & Abdenago, qui misso angelo suo eruit servos suos, qui in eum crediderunt. Confisi Deo nihil timuerunt vim regiam, si non servaret nunc corpora saltem animas curæ illi fore (Grotius scribit hunc gradum fuisse ad Evangelicam fiduciam, imo verò illius effectus est. Nam quis confidat Deo nisi in Christo?) qui verbum regis posthabuerunt (Gr. *Iamtandem æquum judicat Dei legem suæ anteferri*) & tradiderunt corpora sua ne servirent & adorarent ullum deum excepto Deo suo. A se igitur decretum poni, ut quicunque de aliqua gente tribu, lingua, locutus fuerit blasphemiam adversus Deum Sadrach, Mesach & Abdenago, membratim lanietur & domus ejus vastetur. Gr. *Nondum ausus deos imperii sui exauctorare, interim quod non parum est, vetat maledici Hebræorum Deo, quem tam potentem cognoverat.* Non esse alium Deum, qui ita possit salvare. Tres illos opibus & honoribus auxit in provincia. Theodotio in cap. 3. à v. 24. usque ad 91. infercit multa, quæ non habentur in Hebræo. In illis benedicit Azarias & tres pueri hymnum canunt. Gr. *Hymnus trium juvenum non est in Hebræo. Est poëma factum à posteriorum temporum Hebræo aliquo, quasi rei conveniens.* Fortassis in editionem Theodotionis intrusum est è LXX. aut aliis Hellenstis.

Miraculum hoc, quo igni sua vis & natura constabat quidem sed prohibita à juvenibus & alio versa excepit somnium regis. Nam elatum fastuque tumidum castigaturus Deus somnio præmonuit. Somnium id erat de arbore grandi & patula, quam decretum vigilum proclamante angelo jusserit exscindi, relicta radice. Hoc cum illi sapientiæ professores, qui supra memorati sunt, non possent interpretari, Daniel vocatus obstupuit hæsitque illi vox ad horam. Animatus ab ipso rege, ut libere enuntiaret quicquid esset, significat vasta arbore regem notari, qui ramos suos quaqua versum latissime panderet. Vigilis & sancti verba, jubentis arborem exscindi, non excisa radice: tum verba adjecta: de vinculis æris & ferri, ejectione in agrum sub dio ad septem temporum terminum, significare sententiam Dei: *Ejicient* te ab hominibus & cum bestiis ferisque erit habitatio tua: & fœnum ut bos comedes & rore cœli perfunderis: septem quoque tempora super te præteribunt, donec scias, quod altissimus dominetur super regna hominum & *tribuat cui velit.* Deinde mansurum illi imperium, restituendum, postquam agnovisset cæli potentiam. Monet ut pecca-

peccata sua abrumpat justitia & beneficentia: forte Deum veniam daturum. Gr. *Censent Hebræi, quos sequitur Hieronymus, Nabuchodonosorem secutum consilium Danielis, per opera misericordiæ id consecutum, ut pœna per duodecim menses suspenderetur: verum tum iterum insolescente ipsius animo, nihil ultra moræ ipsi datum sed præsto fuisse pœnam.* Imò exspectavit Deus resipiscentiam. At rex post duodecim menses, inambulans in palatio, contemplatusque immensæ opulentiæ & magnificentiæ substructiones animo elato, jactabat: Hæc est magna illa Babylon, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ & in gloria decoris mei. Nondum loqui desierat cum vox è cælo: *Abibit à te regnum tuum: ab hominibus ejicient te: erisque cum bestiis: fœnum quasi bos comedes & septem tempora* &c.

Eodem momento eventus adfuit. Nam ejectus est ex hominibus: alienata scilicet mente, in solitudinem profugit. Illic ritu boum comedit frenum, & rore cæli perfusus sub dio se tenuit. Capilli ejus procrevere in similitudinem pennarum aquilæ, ungues ut avium. Grotius: *Sensus est plurimum ei excrevisse capillos barbam & ungues: quia nemo aderat, qui resecaret, nec ipse de iis resecandis cogitabat, amans ob atram bilem ferarum similitudinem.* Jachiades: *Mens ejus humana periit atque pullo onagri assimilatus fuit: bestiarum escam appetiit, earum quoque cohabitationem: quia habitaculum suum collocare voluerat in habitaculo imperatoris altissimi & seipsum vestire ipsius vestimento celsitudinis.*

Post finem septem temporum, i.e. annorum (ut volunt interpretes magno consensu) rediit ad se & restitutus est vultus reduxq; è deformitate splendor pristinus. Quæsitus à principibus & inventus, restituitur solio. Edicto publicavit quid sibi evenisset, quod habetur Danielis cap. 4. Cum ex hominibus abiisset, filius Evilmerodach in solium vicaria potestate evectus est cum solium quatuor (si forte) annis vacasset. Hic annus fuit à Jechonia abducto 37. Cum tantum quadraginta tribus annis tenuerit imperium Nabuchodonosor, haud longo ante mortem tempore ad sanitatem rediit. Mirabilem hanc historiam Origenes in allegorias evacuat: quidam volunt corpus regium in formam pecudis esse mutatum: quod ut absurdum est, ita merito ab omnibus interpretibus exploditur. Hominem alienatis sensibus ad bestiarum vitam posse projici adeo mirandum non est. Meminit etiam profana historia, ut infra ostendemus. Josephus somnii tenuiter meminit, sensum expressit: Nempe privatum regno vitam acturum esse inter bestias & post exactum eo modo septennium, denuo restituendum esse imperio. Καὶ καθὼς οὗτος τι αὐτῷ προεῖπεν ἀπέβη. Διαβιώσας γὰρ ἐπὶ τῆς ἐρημίας τὸν προειρημένον χρόνον οὐδενὸς τολμήσαντος ἐπιθέσθαι τοῖς πράγμασι παρὰ τὴν ἑπταετίαν, δεηθεὶς τοῦ θεοῦ τὴν βασιλείαν ἀπολαβεῖν, πάλιν εἰς αὐτὴν ἐπανέρχεται. ἐγκαλέσῃ δέ μοι μηδεὶς οὕτως ἕκαστα τούτων ἀπαγγέλλοντι διὰ τῆς γραφῆς ὡς ἐν τοῖς ἀρχαίοις εὑρίσκω βιβλίοις. Καὶ γὰρ εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τῆς ἱστορίας πρὸς τοὺς ἐπιζητήσοντάς τι περὶ τῶν πραγμάτων ἢ μεμψομένους ἠσφαλισάμην μόνον τε μεταφράζειν τὰς Ἑβραίων βίβλους εἰπὼν εἰς τὴν Ἑλληνίδα γλῶτταν καὶ ταῦτα δηλώσειν μήτε προστιθεὶς τι τοῖς πράγμασιν αὐτὸς ἴδιον, μήτ' ἀφαιρεῖν ὑπεσχημένος. Quid opus tanta protestatione, quasi ipse fidem adstruere non auderet? Aben-esdras monet, non esse existimandum, quod Nabuchadnessar mutatus sit in belluam marem aut feminam: cum id non sit scriptum, sed tantum quod habitaverit cum bestiis & fœnum ederit ut illæ. Quod dicitur לבב חיוה eo sensu dici, quod recesserit (דעתו) mens, scientia ejus: quæ est scientia (נשמה) animæ rationalis. Discessu sapientiæ animæ rationalis mutatum esse cor & relictum tanquam cor bestiæ. Id ostendi quod postea dicat: *Oculos meos ad cælum sustuli & sensus meus* rediit ad me. Se vidisse unum de sociis suis hominem fide dignum (נאמן חזו) qui narraverit

fuisse in insula quadam Sardiniæ nomine, quendam (ערל) Christianum, qui fugerit à parentibus suis, cum alienatus mente esset ac fuisse cum cervis annis multis. Incessisse pedibus manibusque ut solent cervi. Regem insulæ ad venandum egressum multos cervos cepisse & illum fatuum Christianum, qui pro cervo habebatur. Parentes venisse eumque agnovisse, allocutos esse sed responsum non tulisse: apposuisse panem ut ederet & vinum ut biberet nec voluisse. Dedisse hèrbas cum cervis, quas ederit. Eum intempesta nocte profugisse ad cervos agri. Rabbi Saadia Gaon: אל תאמ' שהוא נעשה חמור או ערוד אלא נשתטה ונעשה בער כבהמה ומן הכלוך והזיעה והצואה גדלו שערותיו כנוצה של נשרים וצפורניו כצפות' וכול. Pœnitentiam.] Quomodo pœnitentiam agere potuit, qui alienatus mente erat? Evidens enim sensus verborum est, quod significet eum per illud septennium pœnituisse.

Post devictum Sedeciam narrat imperasse annis 26. Atqui Sedecias victus est anno ejus decimo nono. Regnaverat igitur annis tantum à principio Syriaco 44. De his postea.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI SECUNDI
CAPUT. VII.

Post Nabuchodonosor filius ejus regnum est adeptus, quem in Chronicis Evilmarodac fuisse vocitatum repperi. Hic duodecimo imperii anno diem functus, fratri minori, qui Baltasar dictus est, locum fecit. Is cum quarto & decimo anno publicum epulum principibus ac præfectis suis daret, sacra vasa quæ per Nabuchodonosor de templo Hierosolymæ ablata, ac in regales usus usurpata, sed recondita in thesauris habebantur, proferri imperavit. Cum his per luxum ac licentiam regalis convivii promiscuè omnis virilis ac muliebris sexus, uxores concubinæque ejus uterentur, subito rex, in pariete conspicit digitos scribentes: cernebanturque in versum ductæ literæ. Sed qui posset scripta legere non reperiebatur. Igitur rex perterritus, Magos & Chaldæos advocat. Quibus mussitantibus, nec quicquam respondentibus, regina regem admonet, esse quendam Hebræum nomine Daniel, qui olim Nabuchodonosor occulti mysterii somnium revelasset, jam tum ob illustrem sapientiam summis honoribus donatum. Itaque accitus Daniel, perlegit, interpretatusque ob delictum regis, qui sacra Deo vasa temerasset, ipsi exitium imminere, regnumque ejus Me-

dis

dis ac Persis datum: quod mox consecutum est. nam eadem nocte Balthasar interiit regnumque ejus Darius natione Medus occupavit: qui Danielem illustri opinione compertum, universo imperio præposuit, secutus superiorum regum judicium. Nam & Nabuchodonosor eum regno præfecerat, & Balthasar veste purpurea & torque aureo donatum, tertium regni principem constituerat.

DRUSIUS.

QUEM IN CHRONICIS EVILMERODAC FUISSE VOCITATUM REPPERI] Imo sic vocatur Jerem. 52. 31. & 4. Reg. 25. 27. Scribendum autem Evilmarodach sive Evilmerodach, cum c aspirato in ultima; quod Græci declinant Εὐιλμαρόδοχος Evilmarodochus.

DUODECIMO IMPERII ANNO] Dissentit à Josepho, qui scribit eum præfuisse ann. 18. Megasthenes vero & Berosus Babylonius ei tribuunt duntaxat annos 2.

FRATRI MINORI, QUI BALTHASAR DICTUS EST, LOCUM FECIT] Sic Eusebius; *Mortuo Nabuchodonosor Babyloniorum rege suscepit imperium Evilmarodach, cui successerat frater ejus Balthasar: sub quo Daniel eam scripturam, quæ in pariete apparuerat, interpretatus est, significantem imperium Chaldæorum in Medos & Persas transferendum.* Alii scribunt Balthasarem non fuisse fratrem Evilmarodochi, sed sororis filium. Sane à Beroso & Megasthene vocatur Λαβοσοροάρχοδος Ναβουχοδονοσόρου θυγατριδοῦς, id est, ex filia nepos. Is est Balthasar.

BALTHASAR] Vel potius Baltasar. Nam Dan. 5. 1. in editione Græca Βαλτάσαρ ὁ βασιλεύς. Sed legendum ex Hieronymo & codicibus Hebræis *Balsasar*. Nam Balthasar nomen est Danielis. Nabuchodonosor enim eum ita vocavit de nomine Dei sui, hoc est idoli Bel sive Bal. Male igitur faciunt meo judicio, qui nomina talia imponunt filiis suis. Nam hoc modo refricant memoriam deorum falsorum: quod sacræ literæ fieri vetant. Sane David ait: *Non usurpabo nomina eorum labiis meis.* Proinde causa nulla est cur mihi succenseat aut irascatur bipedum nequissimus Baltasar. Nam si mehercle, si medius fidius exulare debent ab ore Christianorum, cur non etiam Bel?

QUARTO ET DECIMO ANNO] Josephus autor hæc accidisse anno regni ejus decimo septimo: à quo dissentiunt non parum, qui ei tantum annos quinque assignant. Qui Laborosoarchodum eundem faciunt cum Balsasare tribuunt imperio ejus menses 9. duntaxat: quod Josephus prodidit de Labosardocho (sic eum appellat) quem diversum facit à Balsasare, *qui Babyloniis*, inquit, *Naboandel* nominatur. Alibi est Nabonidus seu Labonidus pro eodem. Sed vide sequentia.

OMNES VIRILIS AC MULIEBRIS SEXUS, UXORES] Sigonius mavult, *Omnes, virilis ac muliebris sexus, uxores.* Quod ut non improbo, ita scio veteres scripsisse *omnis* & *omneis* pro *omnes*. Sic *quis* & *queis* pro *quibus* scribebant.

IN VERSUM DUCTÆ LITERÆ] Idem suspicatur Sulpicium edidisse, in *Candelabrum versum*. Ita Cicero dixit, *In forum versus*.

REGINA] avia, Josephus.

QUI SACRA DEO VASA TEMERASSET] In uno codice deside-

 ratur,

ratur, *vasa*. Paulò ante *sacra vasa proferri imperavit*. Hæc vasa *temerabat*, id est, contaminabat, ac prophanabat: cum ipse, uxores, concubinæ cæterique convivæ promiscue iis uterentur bibendo ex eis.

MEDIS AC PERSIS DATUM] Primum Dario Medio, qui suscepit regnum oblatum sibi à Babyloniis: Deinde Cyro Persæ ejusque posteris. Vide Dan. 5. 31.

BALTHASAR INTERIIT] Occisus fuit in convivio à conjuratis, signifero conjurationis Nabonido Medo, qui & Darius Medus. Quanquam sunt qui Nabonidum eundem faciunt cum Balthasare.

REGNUMQUE EJUS DARIUS MEDUS OCCUPAVIT] Adjutus à Cyro cognato suo, Josephus. Accepit traditum à Babyloniis, Daniel, Berosus, alii: quem Cyrus post in arce Borsippena expugnavit: Scaliger.

NATIONE MEDUS] Incertum an natione Medus fuerit: Vocatur quidem Darius Medus sed ex eo non sequitur gente Medum fuisse. Forte Medus dicitur, quia patre Medo erat oriundus aut quia vixerat apud Medos. Sic Urias Hetthæus vocatur & Doëg Idumæus. Darius iste filius fuit Assueri de semine Medorum Dan. 9.1. Assuerus autem is esse creditur, qui à Græcis Cyaxares vocatur vel certe Astyages, Josephus lib. 10. cap. 13. *Darius Astyagis filius, qui Babyloniorum principatum destruxit* Scaliger scribit hunc à Beroso Nabonidum, ab Herodoto vero Labynitum dici: regnavit annis 17.

UNIVERSO IMPERIO PRÆPOSUIT] Erat unus ex tribus principibus quos Sarchin appellabant & alii præsides interpretantur, qui præerant centum viginti satrapis Dan. 6. 1. Hinc emaculandus Josephus, in quo: *Erat unus ex tribus summis satrapis, qui sub se habebant alios 360. satrapas: tot enim à Dario primum instituti sunt.*

VESTE PARPUREA ET TORQUE AUREO] Tertullianus: *Purpura & aurum cervicis ornamentum apud Ægyptios & Babylonios insignia sunt dignitatis.*

TERTIUM REGNI PRINCIPEM] Rex jussit ut tertius in regno princeps proclamaretur, Dan. 5. 29.

SCHOTANUS.

EVILMARODACH] Anno ejus primo exaltatus est Jechonias Jerem. 52. 31. Hic annus erat 37. à deportatione Jechoniæ, Igitur 26. à victo Sedecia. Constat igitur illum libellum, quem memorat Sulpicius in illo anno finire Nabuchadnessarum. Atqui regnavit Nabuchadnessar annis 44. à morte patris, 47. à principio Syriaco. Sed autor libelli Evilmerodachi apud Jeremiam principium putat esse finem Nabuchadnessari: cum triennium addi debeat. Evilmerodach tantum biennio post patrem regnavit non annis duodecim. Hunc dicit fratri minori fecisse locum, quem Baltasar vocat. Hunc quarto & decimo (iterum decennium plus justo) publicum epulum principibus & præfectis dedisse. Septuaginta annorum numerum ita implet à casu Sedeciæ ad primum annum Cyri.

Nabuchadnessar	26	ann.
Evilmarodach	12	
Baltasar	14	
Darius Medus	18	
	70	

Ita digesserat ille libelli autor, quem noster secutus est. Cyri primum annum in Perside intelligit.

Hiero-

Hieronymus: *Sciendum est hunc esse filium Nabuchodonosor ut vulgò legentes arbitrantur: sed juxta Berosum, qui Chaldæam scripsit historiam & Iosephum, qui Berosum sequitur: Post Nabuchodonosor, qui regnavit annis quadraginta tribus, successisse in regnum filium ejus qui vocabatur Evilmarodach: de quo scribit Ieremias, quod in primo anno regni sui levaverit caput Ioachin regis Iuda & eduxerit eum de domo carceris. Refert idem Iosephus, quod post mortem Evilmarodoch successerit filius ejus Neglissar, post quem rursus filius ejus Labosardach: quo mortuo Baltasar filius ejus regnum tenuerit, quem nunc scriptura commemorat. Quo interfecto à Dario rege Medorum qui Cyri regis Persarum avunculus fuit & Cyro Persa: quæ duo regna Esaias* (cap. 21. 7.) *ascensorem bigæ cameli & asini vocat, destructum esse imperium Chaldæorum. Quod quidem & Xenophon in Cyri majoris scribit infantia: & Pompejus Trogus & multi alii qui barbaras scripsere historias. Hunc Darium in Græcis voluminibus quidam Astyagen alii Astyagis filium putant & alio apud eos appellari nomine.* Hic communis error Darium Medum inter reges Babel, qui ante destructionem regni Chaldæorum fuerunt, non esse memorandum, sed à Cyro impositum regno subacto. Narrat scriptura Balsasar (vulgatus & veteres Baltasar vocant) grande convivium fecisse optimatibus suis mille. לרברבנוהי אלף. *Bibebat vinum coram mille.* Hoc exponit Iachiades (נגד האלף) quod cum illis mille bibendo certaverit. Scribit porro: *Adeo erat crassus, validus & robustus, deditus rebus corporalibus. Quin etiam moris est, inter Germanos ut acceptum vini poculum ante socium suum qui ex adverso est collocent ac invitent sua lingua ut bibat: atque evestigiò iste socius aliud vini poculum infundere tenetur, ita ambo simul bibunt quisque è poculo suo: atque hoc inter eos est amicitiæ signum. Sic Balsasar ut amicitiam ergà suos mille principes demonstraret, cum singulis congrediens singula pocula vini plena exhaurire cogebatur, quæ mille conficiebant vini pocula: quod perquam fuit difficile. Quomodo stomachus ejus* (אצטמכתו) *capax fuit tantæ quantitatis?* Hieron. *Vnumquisque autem principum secundum suam bibebat ætatem. Sive ut cæteri interpretes transtulerunt: Bibebat ipse rex vinum coram cunctis principibus quos vocaverat.* Vulg. igitur ut Hieronymi; Theodotio: καὶ κατέναντι τῶν χιλίων ὁ οἶνος καὶ πίνων. Illam cæterorum interpretum versionem prætulerim.

Cum Balsasar vinum gustasset id est cum hilaris esset procedente potu, jussit produci aurea & argentea vasa, quæ pater suus (plerique avum interpretantur) è templo Hierosolymitano abduxerat, ut inde ipse & optimates pellicesque ejus & conjuges potarent. Cum illata essent, cumque ex iis biberent, ac laudes dicerent diis aureis, argenteis, æneis, ferreis, ligneis & lapideis, eodem tempore apparuerunt digiti sive manus scribentes ad parietem. Hieron. *Tradunt Hebræi hujuscemodi fabulam: usque ad septuagesimum annum, quo Hieremias captivitatem Iudæorum dixerat esse solvendam, de quo & Zacharias in principio voluminis sui loquitur: irritam putans Dei pollicitationem Baltasar falsumque promissum, versus in gaudium fecerit grande convivium, insultans quodammodo spei Iudæorum & vasis templi Dei: sed statim ultio consecuta est.* Fabula hæc originem habet è falsa illa sententia apud Judæos & Christianos communi ante Josephi Scaligeri sagacem indagationem, quod cum Balsasari isto fine & exitio LXX. anni & excidium Babylonis connexa fuerint, adeoque principium & primus annus Cyri quo captivitas est soluta. Hieron. iterum: *Quandiu vasa fuerunt in idolio Babylonis, non est iratus Dominus. Videbantur enim rem Dei secundum pravam quidem opinionem, tamen divino cultui consecrasse, postquam autem humanis usibus Divina contaminant, statim pœna sequitur post sacrilegium.* In pariete apparuerunt digiti manus ex opposito candelabri. Compotatio enim

protra-

protracta est in noctem. Scribebat in tectorio parietis. Videbat rex (פס ידא) Gr. τὺς ἀστραγάλυς τῆς χειρὸς, Lat. *articulos manus.* Tunc facies (Splendor) regis commutata est vel *variavit*: cogitationes ejus conturbabant eum compages lumborum solvebantur & genua ad invicem collisa sunt. Theodoretus: *Εἰ δὲ δακτύλων γραφόντων θεωρία οὕτως ἐξεδειμάτωσε τὸν τὴν μεγίστην διέποντα βασιλείαν, ὡς καὶ τῶν ἄρθρων τὰς ἁρμονίας ὑπὸ τοῦ δέους διαλυθῆναι τρέμοντι καὶ κλόνον ὑπομεῖναι τὰ μέλη, τί οὐκ ἂν ὑπέμεινεν ὁ θεομισὴς, τρισήρεις ἢ κεραυνὺς θεασάμενος, ἢ ἀγγέλους βλοσυρὸν βλέποντας καὶ τῷ καινοπρεπεῖ τῶν σχημάτων δεδιττομένους. τούτων γὰρ τὴν θέαν οὐδὲ ὁ μέγας Δανιὴλ ἀδεῶς ἐνεγκεῖν ἠδυνήθη. ἀληθῶς τί ὑπερηφανεύεται γῆ καὶ σποδὸς;*

Proclamat rex, ut introducerent (אשפיא כשדיא וגזריא) Gr. *μάγυς, χαλδαίυς ἢ γαζαρηνοὺς*; Lat. *magos, Chaldæos & aruspices.* Magnum proposuit illis præmium, Qui Scripturam legeret & interpretaretur; induendum purpura; torque aureo cingendum ejus collum; tertium in regno locum habiturum. De postremo Hieron. *vel unus è tribus principibus, quos alibi τριστάτας legimus.* Sic & Jachiades. At nemo sapientum scripturam legere aut interpretari potuit: quod regem magis conturbavit. Principes etiam conturbati sunt, משתבשין. Hoc igitur sermone vulgato, regina (Jachiades, regina senior regis mater) introiit locum convivii. A quo aberat, ut vult Jachiades, quia viduitatem suam condecorabat. De hac Hieron. *Hanc Iosephus aviam Baltasaris, Origenes matrem scribunt. Vnde & novit præterita quæ rex ignorabat. Evigilet* ergò Porphyrius, qui eam Balthasaris somniat *uxorem.* Ingressa regem salutat, Rex vive in seculum. Ne te perterrefaciant tuæ cogitationes nec mutetur splendor tuus. Vir est in regno tuo, in quo Spiritus sanctorum deorum. Nam tempore patris tui in eo inventa est lux & intelligentia & sapientia, similis sapientiæ deorum. Ideo Nabuchadnessar pater tuus eum præposuit Chartumis, Asaphis, Chaldæis & Gazarenis. Si גזריא aruspices notat, quomodo arti per se detestandæ Daniel præfuit? Hinc putant quatuor vocibus notari professiones in se bonas, sed inquinatas erroribus, quos Daniel detestabatur & satagebat tollere. Quia in illo spiritus est eminens & scientia & prudentia conjectandi somnia & explicandi ænigmata & nodos. Danieli hinc rex nomen fecit Baltassar. Vocetur Daniel, explicabit. Daniel vocatus ad regem, ab illo compellatur: Tune es ille Daniel è deportatis Juda, quem rex pater meus è Juda transtulit? Intellexi in te esse Spiritum deorum, lucem & prudentiam & eximiam sapientiam. Ad me introducti sunt sapientes, asaphi, ut hanc scripturam legerent ejusque interpretationem indicarent, qui non potuerunt. De te autem intelligo te interpretari posse & nodos solvere. Si eam Scripturam possis legere & solvere, purpura vestieris, torquem auream collo gestabis & tertius eris in regno. Tum Daniel, Habe tibi donaria & honoraria tua alii: absque illis Scripturam legam regi & explicabo. Orsus à rege Nabuchadnessaro explicat ejus sublimitatem & magnitudinem: sed cum animum extolleret & fastu turgesceret, è throno dejectum & honore spoliatum & ex hominum consortio depulsum, obbrutuisse: ut cum onagris vitam agitaverit, cui datum fœnum ut bobus solet & corpus stratum sub dio & rore madefactum, ut agnosceret excelsum habere imperium in regna hominum. Tu Balsasar, inquit, quamvis illa omnia probe scires, animo tamen intumuisti adversus Dominum cæli. Vasa ædis ipsius ad te allata sunt; tu cum tuis magnatibus, uxoribus & pellicibus vinum ex iis potastis, ac laudes dedistis diis è materia factis: non dantes gloriam Deo, in cujus manu anima hominis est & omnes viæ. Ideo emissa est manus pars, & hæc scriptura exarata. Scriptura hæc est: מנא מנא תקל ופרסין *Mene, Mene; Thekel; upharsin.* Hæc est interpretatio:

Mene

Mene; Deus regnum tuum numeravit & finiit. *Thekel*, *Appensus* es (vel appensum est) & inventus es (inventum est) *deficiens*. *Pheres*, Regnum tuum divisum est & datum Medis Persisque. Divisum est id est distributione Divina ablatum à te. Quia in distributione cibus tollitur è mensa & ab illo, cui fuerat appositus, ideò dicit, divisum esse id est sublatum è mensa ad distributionem. Balsasar his auditis jussit Danielem vestiri purpura & collo imponi aureum torquem & proclamari: Hic tertius est à rege. Daniel honorem istum sic volente rege admisit; rex voluit dari, partim ut promisso staret, partim ut videretur animo imperterrito velle exspectare eventum. Hornius: *Veste ista purpureà donati δορυφόροι vocabantur Curt. 3. Ælian. I. hist. var. 22. Erat autem stola Medica, qua donari summus apud Persas honor. Idque in hodiernum diem apud Turcas, Tataros Persasque in usu est. Nemo ad regem admittitur, nisi ejusmodi honoraria veste donatus. Hoc vocant:* خلع عليه الخلعة *Praterea apud Persas ii qui benè de regno meriti honoraria apppellatione*, cognati regis *dicebantur*. 3. Esd. 3. & 4. Jos. XI. 4. *Arrianus 6. Hi non purpura tantum adorandæ jus habuerunt verum & ad oris osculum admissi sunt. Peculiaris etiam his cœna data*. Josephus aberrat plano, qui tertiam regni partem esse promissam dicit. Hoc ipsum esse præconio enuntiatum. De purpureà veste dicit, ὡς οἱ τῶν χαλδαίων βασιλεῖς. Hoc præconio concursum magorum cæterorumque ejus generis hominum adfuisse, qui certatim conarentur eruere problema, sed nequiverint. Saadias vult eum honorem tributum Danieli, ut deprecaretur istud malum; at Danielem respondisse, decretum Deo, quia septuaginta anni regni Babel jam sint impleti. Nabuchadnessarem Ninum subegisse (hic error communis Christianorum & Judæorum) primo regni sui anno, sequenti Joacimum. Hinc initium capere septuaginta annos: deceptum fuisse Balsasarem, qui supputaverit à subactione Nini. Eo præterito sibi gratulatum, maxime cum prælium secundum cum Persis Medisque habuisset. Hinc lætatum fortibus suis convivium fecisse. Eadem illa nocte oppressus est & interemptus Balsasar. Communis fuit sententia, quæ ante Scaligerum obtinuit, à Persis & Cyro occupatam esse Babylona. Ea illa nocte annum septuagesimum captivitatis finitum esse Saadias scribit. Putat autem in hunc modum:

Joacim	8
Evilmerodach incipit	37
Regnat ann.	23
Balsasar regnat	2
	70

Scribit idem, Eunuchum quendam auditis verbis Danielis, de certudine nihil dubitantem, percussisse regem & caput amputatum detulisse ad Cyrum in castra. Hinc animis sumptis Persas oppugnasse & expugnasse Babylona: ut implerentur verba Jeremiæ. 25. 12. & 29. 12.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI SECUNDI
CAPUT. VIII.

IGitur hi, qui unà cum eo rerum potentes erant, exagitati invidia, quod eis alienigena captivæ gentis fuisset æquatus, regem depravatum adulatione compellunt, ut sibi diebus proximis triginta divini honores darentur, neque cuiquam liceret Dominum, nisi regem precari. Facilè id Dario persuasum, stultitia regum omnium, qui sibi Divina vindicant. Igitur Daniel non rudis neque inscius Deo preces, non homini deferendas, reus constituitur edicto regis non paruisse. Multumque abnuente Dario, cui charus acceptusque semper fuerat, principes pervicere, ut in lacum demitteretur. Sed objecto bestiis nullum periculum fuit. Quod cum rex comperisset, accusatores deputari leonibus præcepit: qui non simili exemplo perfuncti sunt. Nam continuo devorati, ferarum famem expleverunt. Daniel clarus ante, clarior haberi cœpit. Rex antiquato edicto suo, novum proposuit: relictis erroribus ac superstitionibus, Deum Danielis colendum. Exstant etiam visiones ejus, quibus consequentium seculorum ordinem revelavit: annorum etiam numerum complexus, intra quem Christum, sicut factum est, descensurum ad terras pronunciavit, venturumque Antichristum manifeste exposuit. Quod si quis studiosior erit, rectius ibi quæsitum reperiet: nobis propositum est, rerum tantum ordinem contexere. Darius duodeviginti annos regnasse traditur.

DRUSIUS.

QUI UNA CUM EO RERUM POTENTES ERANT] Præsides, de quibus supra & satrapæ Dan. 6. 3. Mox, *principes* appellat.

EXAGITATI INVIDIA] Rectè sic emendavit olim Victor Giselinus, cum prius legeretur, *exagitati in Iudæa* sine ullo commodo sensu. *Iosephus, itaque cum tam carus & honoratus esset apud regem, qui ei tanquam divino de quovis negotio consulenti pareret, non effugit ceterorum invidiam, quemadmodum fieri solet inter eos, qui aliquem sibi præferri à rege non patiuntur æquo animo.* Ut hic *exagitati invidia*, ita superius dixit lib. 1. cap. 9. *agente invidia*, & inferius lib. 2. c. 13. *Flagrante invidia.*

DOMINUM NISI REGEM PRECARI] Petere quicquam à Deo quo-

quocunque aut ab ullo homine, nisi à rege solo. Hoc faciebat Daniel cum quotidie ter genua flecteret, Deumque precaretur in cænaculo suo. Ceterum qui aliquid petit ab alio, non propterea ei exhibet divinum honorem. Quocirca miror cur scripserit hoc loco. *Vt sibi divini honores darentur*: & *stultitia regum omnium qui sibi divina* vindicant: & rursum, *igitur Daniel non rudis neque inscius Deo preces, non homini deferendas.* Imo etiam preces hominibus deferuntur. Sed aliter, Deo, aliter hominibus deferuntur.

IN LACUM] Græci vocant τὸν λάκκον τῶν λεόντων, quod in eo leones asservarentur.

ACCUSATORES] Cum uxoribus & filiis.

DEPUTARI] Delegari, assignari: unde deputati, Gallicè deputés. Verbum minus usitatum hoc sensu Latinis autoribus, eo tamen usus fuit & supra. *Quæ turba inutilis servitio, exercendis colendisque agris, ne incultum esset solum, deputata.*

SECULORUM ORDINEM] Regnorum sive Monarchiarum seriem. Sunt autem visiones ejus in universum decem.

ANNORUM ETIAM NUMERUM COMPLEXUS, &c.] Dan. 9. 26. *post hebdomadas sexaginta duas excidetur Messias* ואין לו & non propter se, id est בעבורו culpa sua, aut ob peccata sua. Sic in primo librorum Mosis אמרי לו, quod enarrant בעבורי in meam gratiam, vel de me. Sunt qui malint, *& non erit*, ut לו redundet in Latio. Sed tum potius dixisset, meo judicio ואיננו & non ipse, ut Gen. 5. *Ambulavit Henoch cum Deo & non fuit.* Alii aliter. Nam quot interpretes, tot sententiæ. Ego meam pono tantum, nihil statuo.

VENTURUMQUE ANTICHRISTUM MANIFESTE EXPOSUIT] Dan. 7. 24. & 25. ad quem locum Hieron: *Antichristus in tantam erigetur superbiam ut leges Dei & cerimonias mutare conetur, & elevetur supra omne quod dicitur Deus, religionem cunctam sua subjiciens potestati.* Theodoretus sive Theodoritus: *Decem reges circa finem exurgent, & postremus Antichristus exorietur, regnumque obtinere contendet ac tres illos evertere. Nec contentus victoria, quam de hominibus retulerit, etiam maledicta contra Deum altissimum conjiciet & sanctos supplicio afficiet; & putabit se posse pietatem, quæ tunc vigebit, evertere & Remp. commutare.*

DUODEVIGINTI] Id est, octodecim. Alii unum duntaxat annum regnasse tradunt, alii septendecim, in queis Josephu Scaliger. Vide quæ scripsit heros ille in de temporum emendatione, pag. 280. Patrem habuit Assuerum, qui ab aliis Xerxes Medus & Axares vocatur, & pleniore vocabulo Cyaxares, addita videlicet Syllaba Cu, quæ in ea lingua dynastam aut principem denotat.

SCHOTANUS.

CApitis VI. Danielis historiam proponit & strictim tangit visiones, quæ in secunda libri parte. Darius Medus oppresso Balsasare in solium evectus est, natus annos sexaginta duos. Hic composuit regni statum, per centum viginti Satrapias. Satrapis his imposuit tres principes (סרכין תלתא) quorum primus esset Daniel. His satrapæ rationes reddere tenebantur, regni utilitati, ne quid detrimenti caperet. Daniel anteibat satrapas sarcosque (sic retinuerim vocem, quam exprimere non possum) cum in eo esset eminentior Spiritus. Unde illius dexteritas & promptitudo ita placuere regi ut toti regno eum præficere cogitaverit. Vide differentiam vocum, quibus dignitates exprimuntur

Satrapa & Sarcus. סרכין Theodotio vertit *τακτικός.* Joſ. *τῶν τριῶν γὰρ σατραπῶν ἦν, οὓς ἐπὶ τῶν ἑξήκοντα καὶ τριακοσίων σατραπειῶν κατέστησε.* Non cœpit mentem ſacri textus. Sarci & ſatrapæ exagitati invidia, quod viderent regi tam carum eſſe Danielem, in omnia ipſius acta diligenter inquirunt, ſi quid culpabile & quod in crimen traherent, poſſent invenire. Sed in rebus regni & adminiſtratione muneris fides ejus & induſtria omnem calumniæ anſam longe ſummovebant. Vertunt igitur ſe adverſus ejus religionem. Conſilium igitur cudunt Danieli, ut arbitrantur, pernicioſum. Adeunt regem, Rex vive in ſeculum: Conſilium unamine eſt ſarcorum (סגניא) Gr. *στρατηγῶν* ſed locus eſt perturbatus, ſatraparum, הדבריא deinde ופחותא ut ponatur regia conſtitutio & firmum edictum, ut quicunque ab ullo Deo aut homine intra ſpatium triginta dierum aliquid petierit, præterquam à ſolo rege, in lacum leonum mittatur. Tu igitur ô rex edictum confirmabis & ſcripturam ſubſignabis, ne poſſit mutari, ex lege Medorum & Perſarum, quæ irrevocabilis eſt. Rex igitur id edictum & ſcriptum ſubſignat. Cum Daniel hoc intelligeret, nihil motus perſtitit in ſolito more Deum venerandi. Habebat in cænaculo ædium ſuarum apertas feneſtras verſus Hieroſolymam, circa quas ter quolibet die, in genua prolapſus, orabat & confitebatur coram Deo. Ex illo more agere perſeverabat. Obſervant eum ita agentem adverſarii & deprehendunt frequentes. Eum igitur ad regem deferunt, Danielem de Judæis deportatis unum regio edicto non obſequi, ter quotidie Deo ſupplicare. Rex, qui Danielem carum habebat, hac accuſatione contriſtatus toto die reſtitit, multa moliens pro Daniele uſque ad occaſum ſolis. Tum frequentes adeunt regem, inſtant urgentque: Scito, ô rex Medorum ac Perſarum legem eſſe, conſtitutionem talem regiam non poſſe infringi. Hæc enim ipſorum aſtutia fuerat, ut rex adderet iſti edicto firmitudinem Perſicam & Medicam. Quam ut non ita notam regi, ipſi objiciunt. Cum rex obſiſtere non poſſet, præcipit Danielem in foveam demitti. Ultima verba dimittentis erant: Deus tuus, quem aſſidue colis, te eripiat. Saxum lacus oſtio opponunt quod obſignant annulo regis & magnatum, ne voluntas de Daniele mutaretur. Rex à lacu in regiam reverſus, ſine cibo & cantu gaudiali cubitum concedit: totamque noctem egit inſomnis. Summo mane, prima luce, ſurgens è lecto feſtinat ad foveam. Ad quam proclamat voce lachrymabili, Daniel ſerve viventis Dei, potuitne Deus tuus, quem aſſiduè colis, te à leonibus liberare? Daniel audita voce regis, alacer & lætus reddit: Rex vive in ſeculum: Deus meus, miſſo angelo ſuo, occluſit ora leonum, ut me nihil læſerint, quia coram eo juſtitia inventa eſt in me: ſed & coram te delictum non feci. Tunc rex admodum gaviſus præcipit Danielem educi è lacu. Eductum contemplantur nec ulla in eo læſio inventa eſt, quia confiſus fuerat Deo ſuo. Jubente autem rege adducti & præcipitati ſunt ad leones viri illi, qui Danielem accuſaverant: ipſi cum conjugibus & liberis. Antequam ad fundum pervenirent, avide eos corripiunt leones, qui & eorum oſſa comminuerunt.

Hinc rex Darius totius regni populis ſcripſit: Pax vobis multiplicetur. A me conſtitutum eſt decretum ut in univerſo imperio & regno meo tremiſcant & paveant Deum Danielis. Ipſe enim eſt Deus vivens & ſtans in ſecula: regnum ejus non diſſipabitur & poteſtas ejus eſt uſque in finem. Ipſe liberat & ſalvat, facit ſigna & mirabilia in cælo & terra: qui liberavit Danielem à leonibus.

Obſervandum primò: de ſtatu regni compoſito: Grot. *Solent ſæpe reges ut & Romani imperatores pro ſuo arbitratu mutare numerum provinciarum.* Ne quis ex eo victum & ſubactum ab eo putet imperium Chaldæorum.

II. Con-

II. Conſtituit principes tres] Grot. *Quales fuere in poſteriori imperio Romano præfecti prætorio: in Chaldæo dicuntur & hic & infra* סרכין *id eſt* ἔξαρχοι. *Eſt eadem vox de Ioſepho Gen. 45. 41. in Ionathanis verſione.* Ut hanc vocem tamen à Græca ortam eſſe putem, nemo mihi perſuaſerit.

III. Non poterant invenire crimen niſi in cauſa religionis] Jof. ζητούντων δ' ἐπ' αὐτῷ ἀφορμὴν διαβολῆς καὶ κατηγορίας τῶν ἀχθομένων ἐπ' αὐτῷ εὐδοκιμοῦντι παρὰ τῷ Δαρείῳ, παρεῖχεν αἰτίαν οὐδεμίαν. ὢν γὰρ καὶ χρημάτων ἐπάνω καὶ παντὸς λήμματος περιφρονῶν, αἴσχιστε αὐτῷ δοκῶν, κἂν ὑπὲρ ὧν δοθείη καλῶς πρὸς τὸ λαβεῖν, οὐδ' ἡντιναοῦν τοῖς ζηλοτυποῦσιν αὐτὸν ἐγκλημάτων εὕρεσιν παρεῖχεν. οἱ δ' ὡς οὐδὲν εἶχον &c. Grot. *Quærendum eſt crimen læſæ religionis, ubi majeſtatis deficit.* Hieronymus ad hunc locum: *Felix converſatio*, in qua inimici nullam reperiunt occaſionis forte *in legitimis Dei.*

IV. Edictum hoc volunt confirmari in certam perniciem. Grot. *In Chaldæo, & confirmare obligationem Græcè* ἰσχύσαι ὁρισμὸν; *id eſt facere legem ſacratam, ut Romani loquebantur, perpetuam, immutabilem:* quam ad rem certa forma requirebatur. Non erat autem is mos apud omnes gentes. Nec Perſicarum legum omnium.

V. Nolunt ab ullo aliquid peti niſi rege, intra triginta dierum ſpatium] Grot. *Speciem habebat hoc conſilium quaſi poſt id majeſtas regi conciliaretur amplior, ſi vivus jam diis æquaretur.*

VI Leonibus objici facinoroſos aliiſque feris olim receptum: oſtendunt id fabulis mixtæ hiſtoriæ de Andromeda, de Diomede Thraciæ. Et Romani cum feris committebant, id erat θηριομαχεῖν, quod & ſibi contigiſſe Epheſi narrat Apoſtolus 1. Cor. XV. 32.

VII. Medi & Perſæ habebant morem faciendi leges ne à rege quidem mutabiles. Hunc morem habuerunt Medi & Perſæ, ſicut apparet Eſth. 1. 18. Grot. *Videtur autem forma, quæ leges faciebat immutabiles hæc fuiſſe ut non regis tantum ſed & principum ſignis muniretur.* Ideo v. 18. principum ſigna referri. Joſephus putat regem conceſſiſſe, bona ſpe, quod Deus eſſet liberaturus Danielem. ἐλπίσας δὲ ὁ Δαρεῖος ὅτι ῥύσεται τὸ θεῖον αὐτὸν καὶ οὐδὲν μὴ πάθῃ δεινὸν ὑπὸ τῶν θηρίων, ἐκέλευσεν αὐτὸν εὐθύμως φέρειν τὸ συμβαῖνον. Atqui Scriptura docet coactum lege, quam firmaverat, οὐ συνιδὼν τὴν κακουργίαν αὐτῶν οὐδ' ἐπὶ Δανιήλῳ ταῦτα κατασκευασαμένους ὑπονοήσας. Obſiſtere non poterat Rex nec reſilire. Verum eſt, quod Danieli demittendo ſit precatus Dei auxilium, ſed ipſis nequaquam ea fiducia Danielem conceſſit.

VIII. Scribit Joſephus regem reluctantem accendiſſe invidiam inimicorum Danielis. De obſignatione procerum non habet quicquam. Per feneſtram inſpexiſſe foveam narrat interpres Joſephi, cum Joſephus lapide remoto & reſignato introſpexiſſe velit. Id etiam Joſephus adjicit de ſuo, quod inimicos Danielis ſcribit cauſam ſervati ejus conjeciſſe in leonum ſaturitatem. Regem verò eorum malitia offenſum, παραβληθῆναι μὲν πολλὰ κελεύει τοῖς λέουσι κρέα, κορεσθέντων δ' αὐτῶν τοὺς ἐχθροὺς τοῦ Δανιήλου προσέταξεν εἰς τὸν λάκκον ἐμβληθῆναι ὅπως εἰ διὰ κόρον αὐτοῖς οὐ προσελεύσονται οἱ λέοντες μάθοι. Iuſſiſſe ut multæ carnes objicerentur, ſaturatis autem inimici, ut animadverteret an ob ſaturitatem ipſis eſſent parſuri. Deum oſtendiſſe, ſua ope Danielem eſſe ſervatum, cum penitus lacerati fuerint à leonibus ſaturis, qui non ob famem, ſed hominum malitiam eos devoraverint. Danielem inde fuiſſe in majori honore & gloria & primum amicorum regis.

IX. Scribit etiam Danielem Ecbatatanis Mediæ turrim (βᾶριν) εὐπρεπεστάτην τι κατασκεύασμα καὶ θαυμασίως πεποιημένον. Eam ſuo adhuc tempore ſuperfuiſſe.

Visentibus videri recens structam. In ea sepultos fuisse Medorum, Persarum & Parthorum reges, usque ad id tempus. Illius custodiæ Judæum ad suam ætatem usque præfuisse. Inde Danielis prophetica percurrit. Nempe capitis octavi prophetiam, cui quædam addit ex capite XI. Sic & de Romanis scripsisse, quod ab ipsis devastabitur. In Græco hæc leguntur: Τὸν αὐτὸν δὲ χρόνον (l. τρόπον) Δανιὴλ καὶ περὶ τῆς ῥωμαίων ἡγεμονίας ἀνέγραψε, καὶ ὅτι ὑπ' αὐτῶν ἐρημωθήσεται· quæ mutila sunt & omninò desunt apud Rufinum. Tandem dicit se scripsisse, ut invenerat & dignoverat (εὗρον καὶ διέγνων) lectori concedit arbitrium dissentiendi. Id satis pium non est.

X. Horæ precum Danielis commemorantur tertia, sexta & nona. Hieronymus: *Tria autem sunt tempora, quibus Deo flectenda sunt genua; tertiam horam, sextam & nonam ecclesiastica traditio intelligit. Denique hora tertia descendit Spiritus S. super Apostolos: Sexta volens comedere, ad orationem ascendit in cœnaculum. Nona Petrus & Iohannes pergebant ad templum.* Judæos imitati sunt Christiani.

De principio annorum septuaginta captivitatis.

CUm Danielis historiam obierimus & perventum sit ad finem annorum Septuaginta, eorum principium finemque & intermedia tempora regum rerumq; discutiendum fuerit. Principium alii figunt in quarto anno Joachim, cum Daniel deportatus est, alii in Jechonia, quidam etiam in captivitate Sedeciæ. Qui ad Iojacim referunt, quidam Joacim & Jechoniæ tempora confundunt, alii discernunt. Discernentes dicunt Danielem huc respexisse, quia ipse tum deportatus est. R. Atqui non ad suam deportationem sed Jeremiæ verba respexisse certum est, Dan. 9. 2. Secundo dicunt Jeremiæ XXV. 1. 11. cum primo anno Nabuchadnessari connecti principium septuaginta annorum. R. Eo in loco non est sermo de Judæis solis sed simul de gentibus vicinis. De iis conjunctim dicit vates, quod hi populi servituri sint regi Babel LXX. annis. In omnibus autem ab eodem anno principum non est. Nec dicit vates quod ab eo anno primo ullius populorum istorum servitus incipiat. Quin determinat initium captivitatis septuaginta annorum Judaicæ figitque in deportatione Jechoniæ. Jerem. 29. 10. Tertio objiciunt nobis supputationem temporum in rebus Babyloniæ. Vir magnus, ita supputat:

Joachimus post subactam à Nabuchodonosore Judæam regnavit plus 8. minus 9. annis.

Jechonias regnavit mensibus. 3.	
Sedecias regnavit per annos 11.	
Nabuchodonosor post eversum templum & captam Hierosolymam	25
Evilmerodacus annis	2
Nirigliffarus annis	4
Laborosoarchodus regnavit	m. 9
Nabonidus annis	17

Consiunt anni 69. circiter aut certè paulo minus. R. Sic sane annos digerit, quia vult cum Cyri principio post Nabonidum captivitatem solutam esse. Cyri principium illud convenit anno Nabonassari 209. finito. Hic annus Mundi erat 3411. Si hinc tollas anno 70. pervenies ad annum M. 3342. quod est novennium ante Jechoniæ migrationem. Incidit Cyri principium à Nabonido in annum ferme septuagesimum à translato Joacimo si hanc supputationem sequamur, at defectus est annorum ferme trium aut quatuor inter combustum templum & finem Nabuchadnessari. Anni enim Nabuchadnessari finem

si numerentur à quarto Joacim usque ad combustum templum sunt 18. seu 19. cum sint 14. aut quindecim à morte Nabopollassari. Constat sane Nabopollassarum in vivis fuisse, cum Nabuchadnessar in Syriam iret. Constat è Daniele cap. 4. v. 1. & cap. 2. v. 1. aliud principium Nabuchadnessari Babylone & serius, quam regni in Syria. Qui à Sedecia ineunt, ut Josephus & multi alii, illorum argumentum est, quod terra dicatur quietura annis 70. post desolationem & quod desolationis anni 70. numerentur. Dan. IX. 2. *Ego intellexi in libris verbum Domini, quod factum est Ieremiæ prophetæ, ad implendum Lxx. annos desolationis Ierusalem.* Sic in fine Chronicorum 36. 21. *Ad implendum verbum Dei per ministerium Ieremiæ prophetæ, quandiu terra amaret sabbata sua, omnes dies desolationis Sabbata celebravit aut quievit; donec complerentur Septuaginta anni.* R. Scaliger, *Ad finem septuaginta annorum propheta respicit non ad totum Lxx. anorum intervallum. Nam tametsi quatuor duntaxat annos desolata fuisset, tamen desolatio clauderetur exitu annorum Septuaginta.* Josephus etiam septuaginta annos computat à desolatione ut noster Sulpicius. Ille, qui se unicum hodie Josephi interpretem & vindicem versionis Lxx. interpretum venditat, conatur persuadere nobis & mundo, quasi nemo oculos haberet, Josephum à Joacimi subjugatione annos septuaginta computare. ὁ δὲ τῶν Βαβυλωνίων βασιλεὺς τὰς δύο φυλὰς ἐξαγαγὼν ἔθνος ἐθνος εἰς τὴν χώραν κατῴκισε. καὶ διὰ τοῦτ' ἔρημος Ἰουδαία πᾶσα, καὶ Ἱεροσόλυμα καὶ ὁ ναὸς διέμεινεν ἔτεσιν ἑβδομήκοντα. Usque ad hanc desolationem à captivitate decem tribuum numerat annos 130. menses sex & dies decem.

Ezecias annos	23	post casum Samariæ.
Manasses annos	55	
Amon annos	2	
Josias annos	31	
Joachar menses	3	d. 10.
Joacim annis	11	
Jechonias m.	3	d. 10.
Sedecias ann.	11	

Scribendum igitur in Josepho ἔτη ρλγ´ μῆνας ἓξ ἡμέρας εἴκοσι. Hic finiri vult annos 470. à condito templo, ut supra diximus. Hinc ad primum annum Cyri cum Dario Babylona expugnantis numerat annos septuaginta, ut infra ostendemus. A Jechoniæ migratione inchoandam esse supputationem annorum septuaginta docemur primò ex cap. XXIX. Jeremiæ, qui de istis annis vaticinatus est, Deo revelante. Hic illo capite scribit ad deportatos cum Jochonia, ipsos post tot annos restituendos esse, in v. 10. Non potest quicquam expressius dici. Deinde Ezechiel etiam hanc epocham migrationis statuit, toties in suis visionibus. Sine dubio respexit ad illos Lxx. annos & Dei consolationem per Jeremiam. Alii alia argumenta addiderunt.

De fine septuaginta annorum.

Hic non tanta est controversia, cum plerique constituant in primo Cyri, veteres tamen, Clemens Alexandrinus, Eusebius, Hieronymus, Augustinus & alii in secundo Darii Hystaspis. Eorum fundamentum est in Zachar. 1. 12. ubi angelus septuaginta annos commemorat, quibus Dominus non est miseratus Hierosolymorum & urbium Judæ. Atqui non sunt captiaivatis illi anni sed inhabitationis. Hic quidam distinguunt inter 70. captivitatis & 70. desolationis. Nam 70. desolationis finiri in anno secundo Darii Hystaspidæ. Sed hæc

hæc futilis & nihili est distinctio, quasi septuaginta annis post incensum templum desolatio finierit. Ego non intelligo quomodo laxata captivitate & incolis redeuntibus terra manserit desolata. Theodoretus: Ἰστέον δὲ ὡς τῆς μὲν προτέρας αἰχμαλωσίας ὁ χρόνος συνεπληρώθη ἐν τῷ πρώτῳ ἔτει Κύρου τοῦ Περσῶν βασιλεύσαντος, τοῦ ἀγαθοῦ καὶ φιλανθρώπου δεσπότου τῇ πείρᾳ τῶν κακῶν καὶ τὸν τῆς παρρησίας συναριθμήσαντος χρόνον· καὶ τοῦτο ἀκριβέστερον ἐν τῇ τοῦ Ἰεζεκιὴλ ἀπεδείξαμεν ἑρμηνείᾳ. τῇ δὲ ἐρημίᾳ τῆς Ἱερουσαλὴμ ὁ ἑβδομηκοντούτης συνεπληρώθη χρόνος ἐν τῷ δευτέρῳ ἔτει τῆς Δαρείου βασιλείας· τούτου δὲ ἄρχεσθαι τοῦ ἀριθμοῦ ἀπὸ τοῦ ἑνδεκάτου ἔτους Σεδεκίου τοῦ βασιλέως, ἐφ' οὗ ἥλω ἡ πόλις. Εἰ γάρ τις ἐκεῖθεν ἀρξάμενος ἀριθμήσοι, εὑρήσει τοῦτον συμπληρούμενον τὸν χρόνον ἐν τῷ δευτέρῳ ἔτει τῆς Δαρείου τοῦ Ὑστάσπου βασιλείας. Theodoretus igitur captivitatis annum septuagesimum finit in anno primo Cyri. desolationis in anno secundo Darii Hystaspidæ. In cap. 1. Ezechielis fuse disserit de initio & duratione captivitatis. Scribit annos septuaginta captivitatis incipere ab anno decimo octavo Josiæ, desinere in anno primo Cyri. Sic annum trigesimum in illo loco Ezechielis, ab eodem illo anno decimo octavo numerari. Quintum captivitatis Jechoniæ esse annum trigesimum captivitatis Babylonicæ septuaginta annorum. Proinde quadraginta annos superfuisse, complendo isti numero. Cæterum annus primus Cyri, diverso modo computatur. Nam alii ab initio Persici regni & fine Astyagis id est Olympiadis 55. anno 1. alii ab initio regni Babylonici id est fine Nabonidi, Nabonassaris 209. alii à capta Babylone quod septennio serius fuerit. Haud dubiè in libro Danielis anni Cyri numerantur ab initio post Nabonidum. Sed hæc in sequentibus dilucidabuntur.

De regibus & annis intermediis inter initium & finem captivitatis Babylonicæ.

BErosum hic primò producamus ut è lib. 3. Chaldaicorum exstat apud Josephum lib. 20. antiquit. cap. XI. & lib. 1. contra Apionem: Ἀκούσας δὲ ὁ πατὴρ αὐτοῦ Ναβοπολλάσαρος, ὅτι ὁ τεταγμένος σατράπης, ἔν τε Αἰγύπτῳ καὶ τοῖς περὶ τὴν κοίλην συρίαν καὶ τὴν Φοινίκην τόποις, ἀποστάτης αὐτοῦ γέγονεν, οὐ δυνάμενος αὐτὸς ἔτι κακοπαθεῖν, συστήσας τῷ Ναβουχοδονοσόρῳ ὄντι ἔτι ἐν ἡλικίᾳ μέρη τινὰ τῆς δυνάμεως, ἔπεμψεν ἐπ' αὐτόν. Συμμίξας δὲ Ναβουχοδονόσορος τῷ ἀποστάτῃ καὶ παραταξάμενος, αὐτοῦ τε ἐκράτησε (al. ἐκυρίευσε) καὶ τὴν χώραν ἐκ ταύτης τῆς ἀρχῆς ὑπὸ τὴν αὐτοῦ βασιλείαν ἐποιήσατο. Τῷ δὲ πατρὶ τῷ Ναβοπολλασάρῳ συνέβη κατ' αὐτὸν τὸν χρόνον ἀρρωστήσαντι ἐν τῇ Βαβυλωνίων πόλει μεταλλάξαι τὸν βίον, ἔτη βασιλεύσαντι εἰκοσιέν. (al. sed malè εἰκοσιεννέα) Αἰσθόμενος δὲ μετ' οὐ πολὺν χρόνον, τὴν τοῦ πατρὸς τελευτὴν Ναβουχοδονόσορος, καὶ καταστήσας τὰ κατὰ τὴν Αἴγυπτον πράγματα καὶ τὴν λοιπὴν χώραν, καὶ τοὺς αἰχμαλώτους τῶν Ἰουδαίων τε καὶ Φοινίκων καὶ Σύρων καὶ τῶν κατὰ Αἴγυπτον ἐθνῶν συντάξας τισὶ τῶν φίλων μετὰ τῆς (βαρυτάτης) δυνάμεως καὶ τῆς λοιπῆς ὠφελείας ἀνακομίζειν εἰς τὴν Βαβυλωνίαν, αὐτὸς ὁρμήσας ὀλιγοστὸς παρεγένετο διὰ τῆς ἐρήμου εἰς Βαβυλῶνα. Καταλαβὼν δὲ τὰ πράγματα διοικούμενα ὑπὸ Χαλδαίων καὶ διατηρουμένην τὴν βασιλείαν ὑπὸ τοῦ βελτίστου αὐτῶν, κυριεύσας ἐξ ὁλοκλήρου τῆς πατρικῆς ἀρχῆς, τοῖς μὲν αἰχμαλώτοις παραγενομένοις συνέταξεν ἀποικίας ἐν τοῖς ἐπιτηδειοτάτοις τῆς Βαβυλωνίας τόποις ἀποδεῖξαι. αὐτὸς δὲ ἀπὸ τῶν ἐκ τοῦ πολέμου λαφύρων, τό τε τοῦ Βήλου ἱερὸν καὶ τὰ λοιπὰ κοσμήσας φιλοτίμως· τήν τε ὑπάρχουσαν ἐξ ἀρχῆς πόλιν καὶ ἑτέραν ἔξωθεν προσχαρισάμενος· καὶ ἀναγκάσας πρὸς τὸ μηκέτι δύνασθαι τοὺς πολιορκοῦντας, τὸν ποταμὸν ἀναστρέφοντας ἐπὶ τὴν πόλιν κατασκευάζειν, ὑπερεβάλετο τρεῖς μὲν τῆς ἔνδον πόλεως περιβόλους, τρεῖς δὲ τῆς ἔξω τούτων· τοὺς μὲν ἐξ ὀπτῆς πλίνθου καὶ ἀσφάλτου,

τοὺς

τὰς δὲ ἐξ αὐτῆς τῆς πλίνθου· καὶ τειχίσας ἀξιολόγως τὴν πόλιν καὶ τοὺς πυλῶνας κοσμήσας ἱεροπρεπῶς, προσκατεσκεύασε τοῖς πατρικοῖς βασιλείοις ἕτερα βασίλεια ἐχόμενα ἐκείνων, ὑπεραίροντα. ὧν τὸ μὲν ἀνάστημα καὶ τὴν πολλὴν πολυτέλειαν μακρὰ δ' ἴσως ἔσται τις ἐξηγοῖτο. Πλὴν ὄσον ὄντα γε ὑπερβολὴν ὡς μεγάλα καὶ ὑπερήφανα, συνετελέσθη ἡμέραις δεκαπέντε. Ἐν δὲ τοῖς βασιλείοις ἀναλήμματα λίθινα ὑψηλὰ ἀνοικοδομήσας καὶ τὴν ὄψιν ἀποδοὺς ὁμοιοτάτην τοῖς ὄρεσι καταφυτεύσας δένδρεσι παντοδαποῖς ἐξειργάσατο καὶ κατασκευάσας τὸν καλούμενον παράδεισον διὰ τὸ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ ἐπιθυμεῖν τῆς ὀρείας διαθέσεως, τεθραμμένην ἐν τοῖς κατὰ τὴν Μηδίαν τόποις. Id est: *Pater ipsius Nabopollaßarus intellecto, quod constitutus satrapa in Ægypto & locis circa cavam Syriam & Phœnicen, rebellis factus esset, cum non poßet ipse amplius vexationem sustinere, conciliatis filio suo Nabuchodonosoro, qui ætatem habebat, quibusdam copiarum partibus, misit adversus ipsum. Nabuchodonosorus autem confligens & prælium conserens cum defectore, ipsum vicit & regionem ex illius imperio subjecit suo. Contigit autem circa idem tempus, ut pater moreretur ex morbo in urbe Babyloniorum, cum regnaßet annis viginti uno. Nabuchodonosorus autem cum post breve tempus mortem patris rescivißet, compositis rebus circa Ægyptum aliasque regiones & captivos Iudæorum, Phœnicum, Syrorum gentiumque Ægypti committens, quibusdam amicorum, cum gravissima parte copiarum & reliquis opibus reducere Babyloniam, ipse profectus cum paucis per solitudinem Babylona advenit. Deprehendens autem res administrari à Chaldæis & conservatum imperium à præstantissimo ipsorum, in solidum potitus regno paterno, captivis advenientibus constituit loca inbabitanda in convenientissimis Babyloniæ locis dari: ipse autem è belli manubiis ornavit Beli fanum & cætera ambitiose. Item urbem, quæ prius exstiterat addita & alia foris. Et necessitate, ne amplius poßent hostes obsidentes flumine averso adversus urbem moliri, adjecit internæ urbis ambitus, & tres exteriores: alios è latere cocto & bitumine, alios ex ipso latere. Cumque urbem probe mænibus instruxisset & vestibula egregie adornasset, struxit ante regiam patris conjunctam aliam regiam admodum magnificam. Cujus editam molem & sumptuositatem longum esset exponere, nisi quod tantæ cum eßent superbiæ & magnificentiæ, perfecta fuerint intra dies quindecim. In regia moles lapideas editas struxit, faciemque dedit simillimam montibus, consitam arboribus omnis generis: factoque quem vocant pensili horto, in gratiam uxoris aventis habere montanam dispositionem, cum in Mediæ locis eßet educata.*

Alterum fragmentum ex lib. 1. in Appionem: Ναβουχοδονόσορος μὲν οὖν μετὰ τὸ ἄρξασθαι τοῦ προειρημένου τείχους, ἐμπεσὼν εἰς ἀρρωστίαν, μετήλλαξε τὸν βίον, βεβασιλευκὼς ἔτη μγ. τῆς δὲ βασιλείας κύριος ἐγένετο ὁ υἱὸς αὐτοῦ Ευιλμαλούρουχος (leg. Ευιλμαραδοῦχος) οὗτος προστὰς τῶν πραγμάτων ἀνόμως καὶ ἀσελγῶς, ἐπιβουλευθεὶς ὑπὸ τοῦ τὴν ἀδελφὴν ἔχοντος αὐτοῦ Νηριγλισάρου, ἀνῃρέθη, βασιλεύσας ἔτη β. μετὰ δὲ τὸ ἀναιρεθῆναι τοῦτον, διαδεξάμενος τὴν ἀρχὴν ὁ ἐπιβουλεύσας αὐτῷ Νηριγλισσάρης, ἐβασίλευσεν ἔτη δ'. τούτου υἱὸς Λαβοροσοάρχοδος, ἐκυρίευσε μὲν τῆς βασιλείας, παῖς ὤν, μῆνας ἐννέα. ἐπιβουλευθεὶς δὲ, διὰ τὸ πολλὰ ἐμφαίνειν κακοήθη, ὑπὸ τῶν φίλων ἀπετυμπανίσθη. ἀπολομένου δὲ τούτου, συνελθόντες οἱ ἐπιβουλεύσαντες αὐτῷ, κοινῇ τὴν βασιλείαν περιέθηκαν Ναβοννήδῳ τινὶ τῶν ἐκ Βαβυλῶνος ὄντι ἐκ τῆς αὐτῆς ἐπισυστάσεως. ἐπὶ τούτου, τὰ περὶ τὸν ποταμὸν τείχη τῆς Βαβυλωνίων πόλεως, ἐξ ὀπτῆς πλίνθου καὶ ἀσφάλτου κατεκοσμήθη. οὔσης δὲ τῆς βασιλείας αὐτοῦ ἐν τῷ ἑπτακαιδεκάτῳ ἔτει, προσεληλυθὼς Κῦρος ἐκ τῆς Περσίδος μετὰ δυνάμεως πολλῆς, καταστρεψάμενος τὴν λοιπὴν βασιλείαν ἅπασαν, ὥρμησεν ἐπὶ τῆς Βαβυλωνίας. αἰσθόμενος δὲ Ναβόννηδος τὴν ἔφοδον αὐτοῦ, ἀπαντήσας μετὰ τῆς δυνάμεως, καὶ παραταξάμενος, ἡττηθεὶς τῇ μάχῃ καὶ φυγὼν ὀλιγοστὸς, συνεκλείσθη εἰς τὴν Βορσιππηνῶν πόλιν. Κῦρος δὲ Βαβυλῶνα καταλαβόμενος, καὶ συντάξας τὰ ἔξω τῆς πόλεως τείχη κατασκάψαι, διὰ τὸ λίαν αὐτῷ πραγματικὴν καὶ δυσάλωτον φανῆναι τὴν πόλιν,

 ἀνέ-

ἀνέζευξεν ἐπὶ Βόρσιππον, ἐκπολιορκήσων τὸν Ναβόννιδον. τοῦ δὲ Ναβοννίδου οὐχ ὑπομείναντος τὴν πολιορκίαν, ἀλλ' ἐγχειρίσαντος αὑτὸν πρότερον, χρησάμενος Κῦρος φιλανθρώπως, καὶ δοὺς οἰκητήριον αὐτῷ Καρμανίαν, ἐξέπεμψεν ἐκ τῆς Βαβυλωνίας. Ναβόννιδος μὲν οὖν τὸν λοιπὸν τοῦ χρόνου διαγενόμενος ἐν ἐκείνῃ τῇ χώρᾳ κατέστρεψε τὸν βίον. Id est interprete Francisco Vigero: *Nabuchodonosorus*, inquit, *jam affecto, quem ante dixi, muro, cum in morbum incidisset, anno regni quadragesimo tertio, migravit è vita. Cum Evilmaluruchus ejusdem filius successisset, quod summa rerum nefariè ac petulanter abuteretur, anno altero quam regnare cœperat, insidiis Neriglisari sororis suæ conjugis occubuit. Post quem, idem ipse Neriglisarus parricida, suscepto Imperio, quatuor tantum annos regnavit. Ejus autem filius, Chabaessoarachus nomine, tametsi adhuc puer menses novem regnum tenuisset; tamen quòd jam tum existentem indolis pravitatem ostenderet, à necessariis suis clam mactatus interiit. Quo sublato, mox Nabonnido cuidam Babylonio ejusdem conjurationis socio, communi insidiatorum consilio delatum Imperium. Hoc regnante, Babylonis mœnia, quæ flumini adjacent, cocto latere ac bitumine splendidius ædificata sunt. Regni vero decimum septimum agente annum Cyrus ex Perside cum ingenti profectus exercitu, ac reliquum ejus imperium omne populatus, in Babyloniam ipsam invasit. Quam ejus impressionem Nabonnidus cum sensisset, ei cum exercitu occurrendum statuit: verum pugnâ victus, cum paucissimis fugæ comitibus se Borsippenorum inclusit oppido. Cyrus autem, Babylone obsessa, cum muros extra Vrbem longe patentes subrui jussisset, quod difficilior & arduosior ejusdem expugnatio videretur: Borsippum movit, Nabonnidum obsessurus. At is obsidione occupata, Cyro sese tradidit, qui eum perhumaniter habitum, Babylonia tantum cedere, & in Carmania deinceps versari voluit. Qua in regione donec supremum obiret diem, Nabonnidus reliquum omne vitæ tempus exegit.*

Abydeni è libro de Assyriis fragmentum è Megasthene apud Eusebium præparationis lib. 9. cap. 41. Μεγασθένης δέ φησι Ναβουκοδρόσορον Ἡρακλέους ἀλκιμώτερον γεγονότα ἐπί τε Λιβύην καὶ Ἰβηρίην στρατεῦσαι. ταύτας δὲ χειρωσάμενον, ἀπόδασμον αὐτέων εἰς τὰ δεξιὰ τοῦ πόντου κατοικίσαι. μετὰ δὲ, λέγεται πρὸς Χαλδαίων, ὡς ἀναβὰς ἐπὶ τὰ βασιλήια, κατασχεθείη θεῷ, ὅτε δὴ (leg. ὅτεῳ δὴ) φθεγξάμενος δὲ εἶπεν, οὗτος ἐγὼ Ναβουκοδρόσορος, ὦ Βαβυλώνιοι, τὴν μέλλουσαν ὑμῖν προαγγέλλω συμφορὴν, τὴν ὅ, τε Βῆλος ἐμὸς πρόγονος, ἥ, τε Βασίλεια Βῆλτις ἀποτρέψαι, Μοίρας πεῖσαι ἀσθενοῦσιν. ἥξει Πέρσης ἡμίονος, τοῖσιν ὑμετέροισι δαίμοσι χρεώμενος συμμάχοισιν· ἐπάξει δὲ δουλοσύνην, οὗ δὴ συναίτιος ἔσται Μήδης, τὸ Ἀσσύριον αὔχημα. ὡς εἴθε μιν, πρόσθεν ἢ δοῦναι τοὺς πολιήτας, χάρυβδίν τινα, ἢ θάλασσαν εἰσδεξαμένην, ἀϊστῶσαι πρόρριζον· ἢ μιν ἄλλας ὁδοὺς στραφέντα, φέρεσθαι διὰ τῆς ἐρήμου, ἵνα οὔτε ἄστεα, οὔτε πάτος ἀνθρώπων, θῆρες δὲ νομὸν ἔχουσι, καὶ ὄρνιθες πλάζονται, ἔν τε πέτρῃσι καὶ χαράδρῃσι μοῦνον ἀλώμενον· ἐμέ τε πρὶν εἰς νόον βαλέσθαι ταῦτα, τέλεος ἀμείνονος κυρῆσαι. Ὁ μὲν θεσπίσας παραχρῆμα ἠφάνιστο. ὁ δὲ οἱ παῖς Εὐιλμαλούρουχος ἐβασίλευσε. τὸν δὲ ὁ κηδεστὴς ἀποκτείνας Νηριγλισάρης, λείπει παῖδα Λαβασσοάρασκον. τούτου δὲ ἀποθανόντος βιαίῳ μόρῳ, Ναβοννίδοχον ἀποδεικνῦσι βασιλέα, προσήκοντά οἱ οὐδέν. τῷ δὲ Κῦρος, ἑλὼν Βαβυλῶνα, Καρμανίης ἡγεμονίην δωρέεται. *Megasthenes*, inquit, *auctor est, Nabucodrosorum Herculi ipsi fortitudine atque animis præstitisse, atque in Lybiam & Iberiam impetu facto, utriusque jam domitæ colonias in dexteram Ponti plagam deportasse. Quibus peractis, Chaldæi ferunt, eum conscenso Palatio divinitus repente afflatum, quod sequitur Oraculum effudisse*, Ille ego Nabucodrosorus, ô *Babylonii, imminentem vobis calamitatem prænuncio, quam Parcis uti averruncent, nec Belus generis nostri Auctor, nec Regina Beltis persuadere unquam poterunt. Persicus veniet mulus, qui Dæmonum vestrorum usus auxilio, durum cervicibus vestris jugum imponet. Atque hujus cladis auctor Medus etiam quidam erit, quo ante Aßyrii magnopere gloriabantur. O utinam ipse, priusquam*

quam cives ita meos proderet, aut Charybdi quadam, aut profundo pelago haustus atque absorptus periret, aut alias abreptus in vias per solitudines, erro vagaretur, ubi nullum neque hominis neque urbis vestigium appareat, sed feræ duntaxat libere pascantur, volucresque circumvolent, adeoque solus medios inter scopulos ac voragines jactaretur. Mihi quoque priusquam hæc ei tam nefaria mens injecta sit, feliciorem exitum sortiri liceat. Hæc effatus, hominum ex oculis repente sublatus evanuit. Atque Evilmaluruchum filium, Regni quidem habuit successorem: sed eo postmodum ab se interempto, Neriglisares sororis ejus vir filium reliquit Labassoarascum. Quo etiam violentâ nece sublato, Nabonnidochum nulla cum eo affinitate conjunctum, regem creant, cui Cyrus postea Babylone potitus, Carmaniæ principatum ultrò concessit.

Narrat etiam Abydenus Belum primum Babylona muro cinxisse, & inde è conspectu sublatum esse, Nabuchadnessarum mœnium ambitum adjecisse cum æneis portis, quæ manserint usque ad principatum Macedonum. Tum: Ναβουχοδονόσορος δὲ παραδεξάμενος τὴν ἀρχὴν, Βαβυλῶνα μὲν ἐτείχισε τριπλῷ περιβόλῳ ἐν πεντεκαίδεκα ἡμέρῃσι τόν τε Ναρμάλκην ποταμὸν ἐξήγαγεν, ἐόντα κέρας Εὐφρήτεω τόν τε Ἀκράκανον, ὑπὲρ δὲ τῆς Σιππαρηνῶν πόλεως, λάκκον ὀρυξάμενος, περίμετρον μὲν τεσσαράκοντα παρασαγγέων, βάθος δὲ ὀργυιέων εἴκοσι, πύλας ἐπέστησεν, τὰς ἀνοιγοντες ἄρδεσκον τὸ πεδίον· καλέουσι δ' αὐτὰς ἐχετογνώμονας. ἐπετείχισε δὲ καὶ τῆς ἐρυθρῆς θαλάσσης τὴν ἐπίκλυσιν, καὶ Τερηδόνα πόλιν ἔκτισεν, κατὰ τὰς Ἀράβων εἰσβολάς· τά τε βασιλήια δένδροις ἤσκησε, κρεμαστοὺς παραδείσους ὀνομάσας. *Nabuchodonosorus autem regno potitus Babylonem intra quindecim dierum spatium triplici muro cinxit atque Narmalcen fluvium derivavit, qui est cornu Eufratis & Acracanum. At supra urbem Sipparenorum lacu defosso circuitu quadraginta parasangarum, altitudine viginti ulnarum, valvas obdidit, quibus apertis campus irrigaretur: quas vocant* ἐχετογνώμονας. *Maris quoque rubri eluvionem obicibus objectis prohibuit & urbem Teredona struxit, adversus Arabum irruptiones: regiamque exornavit arboribus, quas appellavit hortos pensiles.*

Alexander Polyhistor ex Eupolemo de Jeremia propheta, rege Joachimo & Nabuchadnessaro scribit apud Eusebium præparat. 9, 39. Εἶτα Ἰωακείμ. Ἐπὶ τούτου προφητεῦσαι Ἱερεμίαν τὸν προφήτην. Τοῦτον ὑπὸ τοῦ θεοῦ ἀποσταλέντα, καταλαβεῖν τοὺς Ἰουδαίους θυσιάζοντας εἰδώλῳ χρυσῷ, ᾧ εἶναι ὄνομα Βάαλ. τοῦτον δὲ αὐτοῖς τὴν μέλλουσαν ἀτυχίαν δηλῶσαι, τὸν δὲ Ἰωακεὶμ ζῶντα αὐτὸν ἐπιβαλέσθαι κατακαῦσαι· τὸν δὲ φάναι τοῖς ξύλοις τούτοις ὀψοποιήσειν καὶ σκάψειν τὰς τοῦ Τίγριδος καὶ Εὐφράτου διώρυχας αἰχμαλωτισθέντας. Τὸν δὲ τῶν Βαβυλωνίων βασιλέα Ναβουχοδονόσορ ἀκούσαντα τὰ ὑπὸ τοῦ Ἱερεμίου προμαντευθέντα, παρακαλέσαι Ἀστιβάρην τὸν Μήδων βασιλέα συστρατεύειν αὐτῷ. Παραλαβόντα δὲ Βαβυλωνίους καὶ Μήδους καὶ συναγαγόντα πεζῶν μὲν ὀκτωκαίδεκα, ἱππέων δὲ μυριάδας δώδεκα καὶ (πεζῶν) ἅρματα μυρία πρῶτον μὲν τὴν Σαμαρεῖτιν καταστρέψασθαι καὶ Γαλιλαίαν καὶ Σκυθόπολιν καὶ τοὺς ἐν τῇ Γαλααδίτιδι οἰκοῦντας Ἰουδαίους· αὖθις δὲ τὰ Ἱεροσόλυμα παραλαβεῖν καὶ τὸν Ἰουδαίων βασιλέα Ἰωακεὶμ ζωγρῆσαι, τὸν δὲ χρυσὸν τὸν ἐν τῷ ἱερῷ καὶ ἄργυρον καὶ χαλκὸν ἐκλέξαντας, εἰς Βαβυλῶνα ἀποστεῖλαι, χωρὶς τῆς κιβωτοῦ, καὶ τῶν ἐν αὐτῇ πλακῶν. Ταύτην δὲ τὸν Ἱερεμίαν κατασχεῖν. *Tum Ioacim. Sub hoc prophetasse Ieremiam prophetam. Hunc à Deo missum, deprehendisse Iudæos sacrificantes idolo aureo, cui nomen Baal. Hunc autem futuram calamitatem indicasse. Ioacim ipsum voluisse vivum cremare, ipsum vero dixisse his lignis ipsos obsonia curaturos esse Babyloniis & fossuros in captivitate Tigridis & Eufratis rivos. Regem Babyloniorum Nabuchodonosor intellectis vaticiniis Ieremiæ, opem implorasse Astibaris regis Medorum, ut socius hujus expeditionis esse vellet. Cum suscepisset Babylonios & Medos, coactisque centum & octoginta millibus peditum, equitum centum & viginti, curruum decem, primum quidem Samaritin subvertisse & Galilæam & Scythopolim & Iudæos Galaaditin incolentes: mox cepisse*

 Hiero-

Hierosolyma & Ioacim regem Iudæum viventem in potestatem redegisse. Aurum templi & argentum & æs detractum misisse Babylona, excepta arca & tabulis in ea. Hanc tenuisse Ieremiam.

Herodotus lib. 1. de ultimis Babylonis regibus, de operibus Nitocris, de expugnatione Babylonis per Cyrum, de opibus provinciæ Babyloniæ narrat in hunc modum: Τῆς δὲ Βαβυλῶνος ταύτης πολλοὶ μέν κου καὶ ἄλλοι ἐγένοντο βασιλῆες (τῶν ἐν τοῖσι Ἀσσυρίοισι λόγοισι μνήμην ποιήσομαι) οἳ τὰ τείχεά τε ἐπεκόσμησαν καὶ τὰ ἱρά· ἐν δὲ δὴ γυναῖκες δύο· ἡ μὲν πρότερον ἄρξασα τῆς ὕστερον γενεῇσι πέντε πρότερον γενομένη, τῇ οὔνομα ἦν Σεμίραμις· αὕτη μὲν ἀπεδέξατο χώματα ἀνὰ τὸ πεδίον ἐόντα ἀξιοθέητα· πρότερον δὲ ἐώθεε ὁ ποταμὸς ἀνὰ τὸ πεδίον πελαγίζειν. Ἡ δὲ δεύτερον γενομένη ταύτης βασίλεια, τῇ οὔνομα ἦν Νίτωκρις (αὕτη δὲ συνετωτέρη γενομένη τῆς πρότερον ἀρξάσης) τοῦτο μὲν μνημόσυνα ἐλίπετο τὰ ἐγὼ ἀπηγήσομαι· τοῦτο δὲ τὴν Μήδων ὁρῶσα ἀρχὴν μεγάλην τε καὶ οὐκ ἀτρεμίζουσαν ἀλλ' ἄλλα τε ἀραιρημένα ἄστεα αὐτοῖσι, ἐν δὲ δὴ καὶ τὴν Νῖνον, προεφυλάξατο ὅσα ἐδύνατο μάλιστα· πρῶτα μὲν τὸν Εὐφρήτην ποταμὸν, ἐόντα πρότερον ἰθὺν, ὅς σφι διὰ τῆς πόλιος μέσης ῥέει; τοῦτον, ἄνωθεν διώρυχας, ὀρύξασα, οὕτω δή τι ἐποίησε σκολιὸν, ὥστε δὴ τρὶς ἐς τῶν τινα κωμέων τῶν ἐν τῇ Ἀσσυρίῃ ἀπικνέεται ῥέων. τῇ δὲ κώμῃ οὔνομά ἐστι ἐς τὴν ἀπικνέεται ὁ Εὐφρήτης, Ἀρδέρικκα. καὶ νῦν οἳ ἂν κομίζωνται ἀπὸ τῆς θαλάσσης ἐς Βαβυλῶνα, καταπλέοντες ἐς τὸν Εὐφρήτην ποταμὸν, τρίς τε ἐς τὴν αὐτὴν ταύτην κώμην παραγίνονται καὶ ἐν τρισὶ ἡμέρῃσι. τοῦτο μὲν δὴ τοιοῦτο ἐποίησε. χῶμα δὲ παρέχωσε παρ' ἑκάτερον τοῦ ποταμοῦ τὸ χεῖλος, ἄξιον θώματος, μέγαθος καὶ ὕψος ὅσον τι ἐστί. κατύπερθε δὲ πολλῷ Βαβυλῶνος ὤρυσσε ἔλυτρον λίμνης, ὀλίγον τι παρατείνουσα ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ, βάθος μὲν ἐς τὸ ὕδωρ αἰεὶ ὀρύσσουσα, εὖρος δὲ τὸ περίμετρον αὐτοῦ ποιεῦσα, εἰκοσί τε καὶ τετρακοσίων σταδίων. Τὸν δὲ ὀρυσσόμενον χοῦν ἐκ τούτου τοῦ ὀρύγματος ἀναισιμοῦ παρὰ τὰ χείλεα τοῦ ποταμοῦ παραχέουσα. ἐπεί τε δέ οἱ ὤρυκτο, λίθους ἀγομένη, κρηπῖδα κύκλῳ περὶ αὐτὴν ἤλασε· ἐποίεε δὲ ἀμφότερα ταῦτα, τόν τε ποταμὸν σκολιὸν, καὶ τὸ ὄρυγμα πᾶν, ἕλος, ὡς ὅ, τε ποταμὸς βραδύτερος εἴη, περὶ καμπὰς πολλὰς ἀγνύμενος, καὶ οἱ πλόοι ἔωσι σκολιοὶ ἐς τὴν Βαβυλῶνα. ἔκ τε τῶν πλόων ἐκδέκηται περίοδος τῆς λίμνης μακρή. κατὰ τοῦτο δὲ ἐργάζετο τῆς χώρης τῇ αἵ τε ἐσβολαὶ ἦσαν, καὶ τὰ σύντομα, τῆς ἐκ Μήδων ὁδοῦ, ἵνα μὴ ἐπιμισγόμενοι οἱ Μῆδοι ἐκμανθάνοιεν αὐτῆς τὰ πρήγματα. Ταῦτα μὲν δὴ ἐκ βάθεος περιεβάλετο. τοιήνδε ἐξ αὐτῶν παρενθήκην ἐποιήσατο. τῆς πόλιος ἐούσης δύο φαρσέων, τοῦ δὲ ποταμοῦ μέσον ἔχοντος, ἐπὶ τῶν προτέρων βασιλέων ὅκως τις ἐθέλοι ἐκ τοῦ ἑτέρου φάρσεος ἐς τοὔτερον διαβῆναι, χρῆν πλοίῳ διαβαίνειν. καὶ ἦν (ὡς ἐγὼ δοκέω) ὀχληρὸν τοῦτο. αὕτη δὲ καὶ τοῦτο προεῖδε. ἐπείτε γὰρ ὤρυσσε τὸ ἔλυτρον τῇ λίμνῃ, μνημόσυνον τόδε ἄλλο ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ ἔργου ἐλίπετο. ἐτάμνετο λίθους περιμήκεας· ὡς δέ οἱ ἦσαν οἱ λίθοι ἕτοιμοι, καὶ τὸ χωρίον ὠρώρυκτο, ἐκτρέψασα τοῦ ποταμοῦ τὸ ῥέεθρον πᾶν ἐς τὸ ὤρυσσε χωρίον, ἐν ᾧ ἐπίμπλατο τοῦτο, ἐν τούτῳ ἀπεξηρασμένου τοῦ ἀρχαίου, τοῦτο μὲν τὰ χείλεα τοῦ ποταμοῦ κατὰ τὴν πόλιν καὶ κατὰ τὰς καταβάσιας τὰς ἐκ τῶν πυλίδων ἐς τὸν ποταμὸν φερούσας, ἀνοικοδόμησε πλίνθοισι ὀπτῇσι κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον τῷ τείχεϊ· τοῦτο δὲ, κατὰ μέσην κου μάλιστα τὴν πόλιν, τοῖσι λίθοισι τοὺς ὠρύξατο, οἰκοδόμεε γέφυραν, δέουσα τοὺς λίθους σιδήρῳ τε καὶ μολίβδῳ. ἐπιτείνεσκε δὲ ἐπ' αὐτὴν ὅκως μὲν ἡμέρη γίνοιτο, ξύλα τετράγωνα, ἐπ' ὧν τὴν διάβασιν ἐποιεῦντο οἱ Βαβυλώνιοι. τὰς δὲ νύκτας τὰ ξύλα ταῦτα ἀπαιρέεσκον, τοῦδε εἵνεκα ἵνα μὴ φοιτέοντες τὰς νύκτας κλέπτοιεν παρ' ἀλλήλων. ὡς δὲ τό, τε ὀρυχθὲν λίμνη πλήρης ἐγεγόνεε ὑπὸ τοῦ ποταμοῦ, καὶ τὰ περὶ τὴν γέφυραν ἐκεκόσμητο, τὸν Εὐφρήτην ποταμὸν ἐς τὰ ἀρχαῖα ῥέεθρα ἐκ τῆς λίμνης ἐξάγαγε· καὶ οὕτω τὸ ὀρυχθὲν ἕλος γενόμενον, ἐς δέον ἐδόκεε γεγονέναι· καὶ τοῖσι πολιήτῃσι γέφυρα ἦν κατεσκευασμένη. Ἡ δὲ αὐτὴ βασίλεια καὶ ἀπάτην τοιήνδε τινὰ ἐμηχανήσατο· ὑπὲρ τῶν μάλιστα λεωφόρων πυλέων τοῦ ἄστεος τάφον ἑωυτῇ κατεσκευάσατο μετέωρον ἐπιπολῆς αὐτέων τῶν πυλέων· ἐνεκόλαψε δὲ ἐς τὸν τάφον γράμματα λέγοντα

λέγοντα τάδε, Τῶν τις ἐμεῦ ὕστερον γινομένων Βαβυλῶνος βασιλέων, ἢν σπανίσῃ χρημάτων, ἀνοίξας τὸν τάφον, λαβέτω ὁκόσα βούλεται χρήματα. μὴ μέντοι γε μὴ σπανίσας γε, ἄλλως ἀνοίξῃ. οὐ γὰρ ἄμεινον. οὗτος ὁ τάφος ἦν ἀκίνητος, μέχρι οὗ ἐς Δαρεῖον περιῆλθε ἡ βασιληΐη. Δαρείῳ δὲ καὶ δεινὸν ἐδόκεε εἶναι τῇσι πύλῃσι ταύτῃσι μηδὲν χρέεσθαι, καὶ χρημάτων ἐπικαλεομένων, μὴ οὐ λαβεῖν αὐτά. τῇσι δὲ πύλῃσι ταύτῃσι οὐδὲν ἐχρᾶτο τοῦδε εἵνεκα, ὅτι ὑπὲρ κεφαλῆς οἱ ἐγένετο ὁ νεκρὸς διεξελαύνοντι. ἀνοίξας δὲ τὸν τάφον, εὗρε χρήματα μὲν οὔ, τὸν νεκρὸν δὲ καὶ γράμματα λέγοντα τάδε, Εἰ μὴ ἄπληστός τε ἔης χρημάτων, καὶ αἰσχροκερδὴς, οὐκ ἂν νεκρῶν θήκας ἀνέῳγες. αὕτη μὲν νῦν ἡ βασίλεια, τοιαύτη τις λέγεται γενέσθαι. ὁ δὲ δὴ Κῦρος ἐπὶ ταύτης τῆς γυναικὸς τὸν παῖδα ἐστρατεύετο, ἔχοντά τε τοῦ πατρὸς τοῦ ἑωυτοῦ τοὔνομα Λαβυνήτου καὶ τὴν Ἀσσυρίων ἀρχήν. στρατεύεται δὲ βασιλεὺς ὁ μέγας καὶ σιτίοισι εὖ ἐσκευασμένοισι ἐξ οἴκου καὶ προβάτοισι· καὶ δὴ καὶ ὕδωρ ἀπὸ τοῦ Χοάσπεω ποταμοῦ ἅμα ἄγεται τοῦ παρὰ Σοῦσα ῥέοντος, τοῦ μούνου πίνει βασιλεύς, καὶ ἄλλου οὐδενὸς ποταμοῦ. τούτου δὲ τοῦ Χοάσπεω τοῦ ὕδατος ἀπεψημένου πολλαὶ κάρτα ἅμαξαι τετράκυκλοι ἡμιόνειαι κομίζουσαι ἐν ἀργυρέοισι ἀγγείοισι, ἕπονται ὅποι ἂν ἐλαύνει ἑκάστοτε. ἐπείτε δὲ ὁ Κῦρος πορευόμενος ἐπὶ τὴν Βαβυλῶνα ἐγίνετο ἐπὶ Γύνδῃ ποταμῷ, τοῦ αἱ μὲν πηγαὶ ἐν Ματιηνοῖσι ὄρεσι, ῥέει δὲ διὰ Δαρδανέων, ἐκδιδοῖ δὲ ἐς ἕτερον ποταμὸν Τίγριν, ὁ δὲ παρὰ Ὦπιν πόλιν ῥέων, ἐς τὴν Ἐρυθρὴν θάλασσαν ἐκδιδοῖ. τοῦτον δὴ τὸν Γύνδην ποταμὸν ὡς διαβαίνειν ἐπειρᾶτο ὁ Κῦρος, ἐόντα νηυσὶ περητὸν, ἐνθαῦτά οἱ τῶν τις ἱρῶν ἵππων τῶν λευκῶν ὑπὸ ὕβριος ἐσβὰς ἐς τὸν ποταμὸν, διαβαίνειν ἐπειρᾶτο. ὁ δέ μιν συμψήσας, ὑποβρύχιον οἰχώκεε φέρων· κάρτα δὲ δὴ ἐχαλέπαινε τῷ ποταμῷ ὁ Κῦρος τοῦτο ὑβρίσαντι· καί οἱ ἐπηπείλησε, οὕτω δή μιν ἀσθενέα ποιήσειν, ὥστε τοῦ λοιποῦ καὶ γυναῖκάς μιν εὐπετέως τὸ γόνυ μὴ βρεχούσας, διαβήσεσθαι. μετὰ δὲ τὴν ἀπειλὴν, μετεὶς τὴν ἐπὶ Βαβυλῶνα στράτευσιν, διαίρεε τὴν στρατιὴν δίχα. διελὼν δὲ, κατέτεινε σχοινοτενέας ὑποδέξας διώρυχας ὀγδώκοντα καὶ ἑκατὸν, παρ' ἑκάτερον τὸ χεῖλος τοῦ Γύνδεω τετραμμένας πάντα τρόπον· διατάξας δὲ τὸν στρατὸν, ὀρύσσειν ἐκέλευε. οἷα δὲ ὁμίλου πολλοῦ ἐργαζομένου, ἠνύετο μὲν τὸ ἔργον, ὅμως μέντοι τὴν θερείην πᾶσαν αὐτοῦ ταύτῃ διέτριψαν ἐργαζόμενοι. Ὡς δὲ τὸν Γύνδην ποταμὸν ἐτίσατο Κῦρος, ἐς τριηκοσίας καὶ ἑξήκοντά μιν διώρυχας διαλαβὼν, καὶ τὸ δεύτερον ἔαρ ὑπέλαμπε, οὕτω δὴ ἤλαυνε ἐπὶ τὴν Βαβυλῶνα. οἱ δὲ Βαβυλώνιοι ἐκστρατευσάμενοι, ἔμενον αὐτόν. ἐπεὶ δὲ ἐγένετο ἐλαύνων ἀγχοῦ τῆς πόλιος, συνέβαλόν τε οἱ Βαβυλώνιοι, καὶ ἑσσωθέντες τῇ μάχῃ, κατειλήφθησαν ἐς τὸ ἄστυ. οἷα δὲ ἐξεπιστάμενοι ἔτι πρότερον τὸν Κῦρον οὐκ ἀτρεμίζοντα, ἀλλ' ὁρέοντες αὐτὸν πάντι ἔθνεϊ ὁμοίως ἐπιχειρέοντα, προεσάξαντο σιτία ἐτέων κάρτα πολλῶν. ἐνθαῦτα οὗτοι μὲν λόγον εἶχον τῆς πολιορκίης οὐδένα· Κῦρος δὲ ἀπορίῃσι ἐνείχετο, ἅτε χρόνου τε ἐγγινομένου συχνοῦ, ἀνωτέρω δὲ οὐδὲν τῶν πρηγμάτων προκοπτομένων. Εἴτε δὴ ὦν ἄλλος οἱ ἀπορέοντι ὑπεθήκατο, εἴτε καὶ αὐτὸς ἔμαθε τὸ ποιητέον οἱ ἦν, ἐποίεε δὴ τοιόνδε· τάξας τὴν στρατιὴν ἅπασαν ἐξ ἐμβολῆς τοῦ ποταμοῦ, τῇ ἐς τὴν πόλιν ἐσβάλλει, καὶ ὄπισθε αὖτις τῆς πόλιος τάξας ἑτέρους, τῇ ἐξίει ἐκ τῆς πόλιος ὁ ποταμὸς, προεῖπε τῷ στρατῷ, ὅταν διαβατὸν τὸ ῥέεθρον ἴδωνται γενόμενον, ἐσιέναι ταύτῃ ἐς τὴν πόλιν. οὕτω δὴ τάξας, καὶ κατὰ ταῦτα παραινέσας, ἀπήλαυνε αὐτὸς σὺν τῷ ἀχρηΐῳ τοῦ στρατοῦ. ἀπικόμενος δὲ ἐπὶ τὴν λίμνην, τά περ ἡ τῶν Βαβυλωνίων βασίλεια ἐποίησε κατά τε τὸν ποταμὸν καὶ κατὰ τὴν λίμνην, ἐποίεε καὶ ὁ Κῦρος ἕτερα τοιαῦτα. τὸν γὰρ ποταμὸν διώρυχι ἐσαγαγὼν ἐς τὴν λίμνην ἐοῦσαν ἕλος, τὸ ἀρχαῖον ῥέεθρον διαβατὸν εἶναι ἐποίησε ὑπονοστήσαντος τοῦ ποταμοῦ. γενομένου δὲ τούτου, οἱ Πέρσαι οἵπερ ἐτετάχατο ἐπ' αὐτῷ τούτῳ κατὰ τὸ ῥέεθρον τοῦ Εὐφρήτεω ποταμοῦ ὑπονενοστηκότος ἀνδρείως ἐς μέσον μηρὸν μάλιστά κῃ, κατὰ τοῦτο ἐσήϊσαν ἐς τὴν Βαβυλῶνα. εἰ μέν νυν προεπύθοντο ἢ ἔμαθον οἱ Βαβυλώνιοι τὸ ἐκ τοῦ Κύρου ποιεύμενον, οὐδ' ἂν περιϊδόντες τοὺς Πέρσας ἐσελθεῖν ἐς τὴν πόλιν, διέφθειραν κάκιστα. κατακληΐσαντες γὰρ ἂν πάσας τὰς ἐς τὸν ποταμὸν πυλίδας ἐχούσας, καὶ αὐτοὶ ἐπὶ τὰς αἱμασιὰς ἀναβάντες τὰς παρὰ τὰ χείλεα τοῦ ποταμοῦ ἐληλαμένας, ἔλαβον ἂν σφέας ὡς ἐν κύρτῃ· νῦν δὲ ἐξ ἀπροσδοκήτου σφι παρέστησαν οἱ Πέρσαι. ὑπὸ δὲ μεγάθεος τῆς πόλιος ὡς λέγεται ὑπὸ τῶν ταύτῃ οἰκημένων, τῶν περὶ τὰ ἔσχατα τῆς πόλιος ἑαλωκότων, τοὺς τὸ μέσον οἰκέοντας τῶν Βαβυ-

λωνίων οὐ μανθάνειν ἑαλωκότας, ἀλλὰ (τυχεῖν γάρ σφι ἐοῦσαν ὁρτὴν) χορεύειν τε τοῦτον τὸν χρόνον, καὶ ἐν εὐπαθείῃσι εἶναι. ἐς ὃ δὴ καὶ τὸ κάρτα ἐπύθοντο. καὶ Βαβυλὼν μὲν οὕτω πρῶτον ἀραίρητο. Τὴν δὲ δύναμιν τῶν Βαβυλωνίων πολλοῖσι μὲν καὶ ἄλλοισι δηλώσω, ὅση τις ἐστὶ, ἐν δὲ δὴ καὶ τῷδε· βασιλέϊ τῷ μεγάλῳ ἐς τροφὴν αὐτοῦ τε καὶ τῆς στρατιῆς διαραίρηται πάρεξ τοῦ φόρου γῆ πᾶσα ὅσης ἄρχει. δυώδεκα ὦν μηνῶν ἐόντων ἐς τὸν ἐνιαυτὸν, τοὺς τέσσαρας τρέφει μὲν ἡ Βαβυλωνίη χώρη, τοὺς δὲ ὀκτὼ τῶν μηνῶν ἡ λοιπὴ πᾶσα Ἀσίη. οὕτω τριτημορίη ἡ Ἀσσυρίη χώρη τῇ δυνάμει τῆς ἄλλης Ἀσίης· καὶ ἡ ἀρχὴ τῆς χώρης ταύτης, τὴν οἱ Πέρσαι σατραπηίην καλέουσι, ἐστὶ ἁπασέων τῶν ἀρχέων πολλόν τι κρατίστη, ὅκου Τριταίχμῃ τῷ Ἀρταβάζου ἐκ βασιλέως ἔχοντι τὸν νομὸν τοῦτον, ἀργυρίου μὲν προσήϊε ἑκάστης ἡμέρης ἀρτάβη μεστή· ἡ δὲ ἀρτάβη, μέτρον ἐστὶ Περσικὸν, χωρέον μεδίμνου Ἀττικοῦ πλεῖον χοίνιξι τρισὶ Ἀττικῇσι. ἵπποι δέ οἱ αὐτοῦ ἦσαν ἴδιοι, πάρεξ τῶν πολεμιστηρίων, οἱ μὲν ἀναβαίνοντες τὰς θηλείας, ὀκτακόσιοι· αἱ δὲ βαινόμεναι, ἑξακισχίλιαι καὶ μύριαι. ἀνέβαινε γὰρ ἕκαστος τῶν ἐρσένων τούτων εἴκοσι ἵππους. κυνῶν δὲ Ἰνδικῶν τοσοῦτο δή τι πλῆθος ἐτρέφετο, ὥστε τέσσαρες τῶν ἐν τῷ πεδίῳ κῶμαι μεγάλαι, τῶν ἄλλων ἐοῦσαι ἀτελέες, τοῖσι κυσὶ προσετετάχατο σιτία παρέχειν. Τοιαῦτα μὲν τῷ ἄρχοντι τῆς Βαβυλῶνος ὑπῆρχε ἐόντα. Quæ vertit Laurentius Valla: *Hujus Babylonis multi quoque aliquando reges extitere, (quorum in exponendis rebus Aßyriis mentionem faciam) qui & muros ornaverunt & templa: & inter eos duæ fæminæ. Harum prior, quæ quinque ætatibus ante posteriorem regnavit, vocata est Semiramis. Hæc per planitiem aggeres extruxit spectaculo dignos, quum antehac flumen eam omnem restagnare solitum esset. Posterior regina Nitocris nomine, extitit superiore solertior. Cujus cum alia monumenta extiterunt, quæ ego commemorabo, tum verò hoc, quod animadvertens imperium Medorum ingens ac pacatum, subactaque ab his multa oppida, & inter hæc Ninum, præmunivit se omnibus quam potuit maximè. Ante omnia fluvium Euphratem, qui prius mediam ipsorum urbem interfluens, rectus erat, tortuosum reddidit, fossis superius depressis, adeò ut quendam Assyriæ pagum, nomine Ardericam, ter influat; & qui nunc è mari per Euphratem Babylonem versus subvehuntur, ter ad hunc eundem pagum applicent, idque triduo. Et hunc quidem talem reddidit. Aggerem verò ex utroque fluminis labro aggessit, visu mirandum: tanta est & magnitudinis & sublimitatis. Multo supra Babylonem, aliquantulum seorsum à flumine, effodit paludis eluviem, profunditate quidem ad aquam usque semper ducta: latitudine verò ejus quoquo versus trecentorum viginti stadiorum. Hac fossitia humus ad fluminis ripas aggesta est. Quem locum ubi depressit, crepidinem ambitus ejus lapidibus induxit. Hæc duo, ut flumen flexuosum & lacuna tota, fossa esset, ideo fecit ut fluvius per multos anfractus retentus, sedatior mearet, & navigationes Babylonem versus eßent tortuosæ, & ex ipsis navigationibus longus ambitus lacunæ exciperetur. Ad hæc, quæcunque erat regio ad invadendum opportuna, & compendiaria ex Medis via, hanc intersepsit, ne Medi commercio Assyriorum ipsius negotia cognoscerent. Et hæc quidem ex profundo circumjecit. Cæterum ex eis talem fecit communitionem, Quum sit urbs in duas dirempta regiones, fluvio medium tenente, quoties aliquis ex altera in alteram regionem transire volebat sub regibus superioribus, is necesse habebat navigio transire: quod erat (ut reor) molestum. Huic autem etiam rei ista prospexit: siquidem ubi effodit effluvium paludis, aliud opere eodem monumentum sui reliquit. Lapides prægrandes incidit, qui ubi parati fuerunt, & locus depressus, in locum ipsum quem depresserat, omnem fluminis cursum avertit. Qui locus effossus dum impleretur, interea pristino alveo arefacto, oras fluminis intra urbem, ac descensus, qui ex portulis ad flumen ferunt, extruxit coctis lateribus, eadem qua muros ratione. Extruxit item circa mediam ferè urbem pontem ex iis quos effoderat lapidibus, ferro eos ac plumbo devinciens. Hunc sublicis quadratis, per quas Babylonii transirent, interdiu committebat, easdem noctu tollebat: hac videlicet causa ne per noctem transeuntes mutua furta exercerent. Ubi porro lacuna repleta fuit flumine, & opus pontis exornatum, tunc fluvium*

fluvium Euphratem ex palude in pristinum alveum revocavit: atque ita palus quam effoderat visa est necessario facta, & pons in usum civium extructus. Eadem etiam regina hunc machinata est dolum: Supra portas urbis celeberrimas, loco edito atque conspicuo, sepulchrum sibi extruxit, atque his literis inscripsit: Sicui regum Babylonis post me futurorum fuerit pecuniæ penuria, aperto sepulchro sumat quantuncunque hbuerit pecuniæ: ne tamen nisi indiguerit, alioqui aperito, non enim in rem ejus fuerit. *Hoc sepulchrum tam diu fuit immotum dum regnum pervenit ad Darium. Is indignum esse ratus se neque uti quippiam his portis, (ideo autem non utebatur, quod supra caput ipsius transeuntis mortuus situs esset) neque sumere pecunias repositas, & eas quidem ipsum provocantes, reseravit monumentum: in quo non quidem pecunias invenit, sed literas ita dicentes:* Nisi pecuniæ esses inexplebilis & turpis lucri cupidus, defunctorum sepulchra non aperuisses. *Talis extitisse hæc regina memoratur. Adversus cujus filium Labynitum, patris nomen & Assyriæ imperium habentem, Cyrus exercitum duxit. Ducit autem rex magnus exercitum, probe domi comparata re frumentaria atque pecunia. Portatur etiam aqua ex flumine Choaspe, Susa præterfluente, ex quo uno ex omnibus fluminibus rex potat. Cujus Choaspis aquam decoctam & in argentea vasa diffusam, ferentes permultæ carrucæ quatuor rotarum, mulis trahentibus, assiduè comitantur quocunque ille proficiscitur. Cyrus igitur Babylonem tendens, ubi venit ad Gyndem amnem (qui in Mantienis ortus montibus, per Dardaneos in Tigrim alterum amnem fluit, qui Opin urbem præterlabens, rubro infunditur mari) conabatur hunc trajicere, quum non posset nisi navibus trajici. Interim ei quidam è sacris equis candidis petulanter ingressus fluvium, transire conabatur. Hunc fluvius verticibus conterquens, submersum abripuit. Cyrus autem perquam ægrè ferens hanc fluminis injuriam, illi comminatus est, se sic redditurum eum tenuem ut in posterum facile vel à mulieribus transiri posset, ne genua quidem tingentibus. Hæc minatus, expeditione in Babylonem intermissa, copias suas bifariam divisit. Dehinc alveos ad funiculum designavit centenos & octogenos, utrinque ad Gyndis labra omnino conversos: quos distributis copiis effodi jussit. Et opus quidem, ut quod à tanta multitudine fieret, perficiebatur: tamen in eo faciendo eam æstatem triverunt. Cyrus ergò quum Gyndem multasset in trecentos & sexaginta rivos diductum, & alterum ver illuxisset, ita porro ire Babylonem, Babyloniis eum producto exercitu præstolantibus. Qui, ubi propius urbem ille promovit, cum eo conflixerunt, prælioque fugati, in oppidum compulsi fuerunt. Ii tamen, quia Cyrum jam pridem animadverterant inquietum esse, viderantque omnes pariter gentes aggredientem, comportaverant permultorum annorum commeatus: ideoque tunc obsidionem nihili faciebant. Et Cyrus quum jam longo tempore nihil admodum res ipsius proficerent, inops consilii erat. Tandem sive alius ei anxio suggessit, sive ipsi in mentem venit quid in rem esset, sic statuit faciendum: Instructis universis copiis partim qua fluvius urbem ingreditur, partim à tergo qua egreditur, præcipit ut, quum cernerent alveum posse transiri, illac urbem invaderent. Ita instructis atque admonitis suis, cum inutiliori exercitus parte abiit ad paludem. Eo ubi pervenit, quæ Babyloniorum regina fecerat circa flumen & circa paludem, eadem & ipse fecit. Nam revocato flumine, alveum ejus pristinum vado transibilem reddidit. Quod quum ita factum esset, Persæ qui ad hoc ipsum instructi erant, per alveum unde fluvius Euphrates abscesserat, mediorum fere femorum tenus Babylonem fortiter introierunt. Quos Babylonii, si factum Cyri prius aut audissent aut sensissent, haud dubiè contempto eorum ingressu, pessimo exitio affecissent. Nam obseratis omnibus quæ ad flumen ferunt portulis, conscensisque septis, ipsi pro ripis stantes illos progressos veluti in cavea excepissent. Nunc ex inopinato eis Persæ astiterunt: & quum capti essent, qui media urbis incolebant Babylonii, propter ejus tamen magnitudinem non sentiebatur (ut fertur) ab iis qui circa extrema habitabant. Sed quod forte dies festus eis esset, exercendis choreis atque oblectationibus operam dabant, donec planè hoc resciverunt.*

runt. Atque ita primò capta est Babylon. Cujus civitatis quanta sit potentia, cum ex aliis multis declarabo, tum verò ex hoc. Quum regi magno omnis plaga cui imperat, sit distributa in ipsius atque exercitus ejus alimentum, præter tributa ex duodecim quibus annus constat mensibus, quatuor regio Babylonica, octo reliquis eum omnis Asia alit. Ita hujus regionis potentia tertiam Asiæ partem æquiparat, & ejus principatus, (quem satrapiam Persæ vocant) omnium provinciarum longè est optimus, adeò ut Tritachmæ Artabazi filio (qui pro rege tributum hoc exigebat) singulis diebus singulæ argenti plenæ artabæ penderentur. Est autem artaba mensura Persica, capacior quam Atticus medimnus, tribus Chœnicibus Atticis. Adhæc erant ei peculiares equi, præter bello destinatos, admissarii octingenti, cum equarum à quibus admittebantur, sexdecim millibus. nam singuli à vicenis admittebantur. Præterea canum Indicorum tanta alebatur multitudo, ut ad præbenda eis cibaria, quatuor in eadem planitie magni vici attributi essent, aliorum tributorum immunes. Atque hæc præsidis Babylonis peculiaria erant.

a Quamvis ista omnia Josephus sciret, aberrat tamen in supputatione & dispositione rerum regumque Babyloniæ. Sic enim digerit lib. 10. cap. 12. Μετὰ δὲ τὴν Ναβουχοδονοσόρου τελευτὴν Ἀβιλαμαρώδαχος ὁ παῖς αὐτοῦ τὴν βασιλείαν παραλαμβάνει, ὃς εὐθὺς τὸν Ἱεροσολύμων βασιλέα Ἰεχονίαν τῶν δεσμῶν ἀφεὶς, ἐν τοῖς ἀναγκαιοτάτοις φίλοις εἶχε πολλὰς αὐτῷ δωρεὰς δοὺς καὶ ποιήσας αὐτὸν ἐπὶ τῆς ἐν τῇ Βαβυλῶνι βασιλείας. ὁ γὰρ πατὴρ αὐτοῦ τὴν πίστιν οὐκ ἐφύλαξε τῷ Ἰεχονίᾳ, παραδόντι μετὰ γυναικῶν καὶ τέκνων καὶ τῆς συγγενείας ὅλης ἑκουσίως ἑαυτὸν ὑπὲρ τῆς πατρίδος, ὡς ἂν μὴ κατασκαφείη ληφθεῖσα τῇ πολιορκίᾳ, καθὼς προειρήκαμεν. τελευτήσαντος δὲ Ἀβιλαμαρωδάχου μετὰ ἔτη ὀκτωκαίδεκα τῆς βασιλείας, Νιγλίσαρος ὁ παῖς αὐτοῦ τὴν ἀρχὴν παραλαμβάνει. καὶ κατασχὼν αὐτὴν ἔτη τεσσαράκοντα, καταστρέφει τὸν βίον· μετ' αὐτὸν δὲ εἰς τὸν υἱὸν αὐτοῦ Λαβοσόρδαχον ἀφικνεῖται τῆς βασιλείας ἡ διαδοχὴ, καὶ μῆνας ποιήσασα παρ' αὐτῷ τοὺς πάντας ἐννέα, τελευτήσαντος αὐτοῦ μεταβαίνει πρὸς Βαλτάσαρον τὸν καλούμενον Ναβοάνδηλον παρὰ Βαβυλωνίοις. ἐπὶ τοῦτον στρατεύουσι Κῦρός τε ὁ Περσῶν βασιλεὺς, καὶ Δαρεῖος ὁ Μήδων· καὶ πολιορκουμένῳ αὐτῷ ἐν Βαβυλῶνι, θαυμάσιόν τι καὶ τεράστιον θέαμα συνέβη. Quod reddidit Gelenius: *Cæterum post Nabuchodonosori obitum Abilamarodachus ejus filius regnum suscepit, qui mox Hierosolymorum regem Iechoniam è vinculis dimisit, & inter necessarios amicos habuit, multis muneribus donatum, & apud Babylonem regiæ suæ præfectum. Pater enim ejus fidem non servaverat Iechoniæ, qui se ei cum uxoribus & liberis, totaque cognatione sponte tradiderat, respectu solius patriæ, quam nolebat per vim expugnatam dirui, sicut ante diximus. Abilamarodacho post decimumoctavum regni sui annum defuncto Niglisar filius successit, eumque regnasset annos quadraginta, vitam cum morte mutavit, continuata deinde successione ad Labosordachum filium regnum pervenit: apud quem cum novem tantum mensibus hæsisset, post mortem ejus transiit ad Baltasarem, qui Babyloniis Naboandel nominatur. Huic bellum intulerunt Cyrus Persarum rex & Darius Medorum, à quibus dum intra Babylonem oppugnatur, mirabilis quædam & prodigiosa visio ei contigit.*

Theodoretus arbitratur everso Chaldæorum imperio prius Medum Darium, deinde Cyrum Persam imperasse. Disputat contrà Josephum Darium & Cyrum non simul obsedisse & expugnasse Babylona, sed Darium fuisse nepotem Nabuchodonosori. Audi eum comment. in Danielem. Καὶ Δαρεῖος ὁ Μῆδος παρέλαβε τὴν βασιλείαν ὢν ἐτῶν ξβ´]. Ἡ μὲν τῶν Χαλδαίων βασιλεία τὸ τέλος ἔλαβε κατὰ τὴν θείαν πρόρρησιν, εἰς δὲ Μήδους μεταβέβηκεν ἡ τῆς οἰκουμένης ἡγεμονία· οὕτω δὲ καὶ ὁ Δανιὴλ προηγόρευσε, καὶ τὸ Φαρὲς ἑρμηνεύων· διῃρέθη γάρ φησιν ἡ βασιλεία σου, καὶ ἐδόθη Μήδοις καὶ Πέρσαις· ἀλλὰ χρόνον ὀλίγον Δαρείου τοῦ Μήδου βασιλεύσαντος, Κῦρος παραλαβὼν τὴν ἀρχὴν εἰς Πέρσας αὐτὴν μετατίθησιν. Ἰώσηπος

δὲ ἱστοριογράφος τὸν Δαρεῖον μὲν υἱὸν τοῦ Ἀστυάγους εἶναί φησι, τοῦ δὲ Κύρου θεῖον πρὸς μητρός, τοὺς δὲ τῶν Ἑλλήνων συγγραφέας ἑτέρως αὐτοῦ τὸ ὄνομα τεθεικέναι. Κυαξάρην γὰρ αὐτὸν ἐκεῖνοι προσηγορεύκασι. λέγει δὲ ὅτι κατὰ ταυτὸν ἐπιστρατεύσαντες τῇ Βαβυλῶνι Δαρεῖός τε καὶ Κῦρος ὁ τούτου ἀδελφιδοῦς, ἐκράτησαν τῆς πόλεως πολιορκίᾳ χρησάμενοι, καὶ τὸν Βαλτάσαρ ἀνεῖλον κατ' ἐκείνην τὴν νύκτα, καθ' ἣν ἐν τῷ τοίχῳ τὰς συλλαβὰς ἐκείνας γραφομένας ἐθεάσατο. ἀλλ' οὐκ ἐᾷ οὕτω πιστεύειν τὰ ὑπὸ τοῦ μακαρίου Δανιὴλ συγγεγραμμένα. διδάσκει δὲ ἡμᾶς ἐν τῷ τέλει τοῦ κατὰ τὸν Δαρεῖον διηγήματος, ὅτι κατηύθυνε Δανιὴλ ἐν τῇ βασιλείᾳ Δαρείου, καὶ ἐν τῇ βασιλείᾳ Κύρου τοῦ Πέρσου, καὶ δείκνυσιν ἑτέραν μὲν τοῦ Δαρείου βασιλείαν, ἑτέραν δὲ τοῦ Κύρου. εἰ δὲ μία αὐτοῖς κατὰ τῆς Βαβυλῶνος ἐγεγόνει στρατεία, μία ἄρα ἦν καὶ ἡ βασιλεία. νῦν δὲ ἄλλην μὲν ταύτην, ἄλλην δ' ἐκείνην εἶναί φησι. καὶ ἐν τῷ τέλει δὲ τῆς προφητείας οὕτω φησὶν ὁ Δανιήλ· καὶ βασιλεὺς Ἀστυάγης προσετέθη πρὸς τοὺς πατέρας αὐτοῦ, καὶ παρέλαβε τὴν βασιλείαν Κῦρος ὁ Πέρσης. οὐ τοίνυν Δαρεῖος καὶ Κῦρος κατὰ ταυτὸν βασιλεύσαντες τὸν Βαλτάσαρ ἀνεῖλον· ἀλλ' ὁ μὲν Δαρεῖος ὁ Ἀσσουήρου πρότερον, ὕστερον δὲ Κῦρος ἐβασίλευσεν. οὐδὲ ταῖς Ἑλληνικαῖς ἱστορίαις τὰ ὑπὸ τοῦ Ἰωσήπου εἰρημένα συμβαίνει. οὐδὲ γὰρ ἐν ἐκείναις ἐστὶν εὑρεῖν τὸν Κυαξάρην τὸν τοῦ Ἀστυάγους υἱόν, αὐτὸν εἶναι τὸν Δαρεῖον, ὃν οὗτος ἔφη σὺν τῷ Κύρῳ τὴν στρατείαν κατὰ τῆς Βαβυλῶνος ποιησάμενον· ὥστε παντάπασιν ἀπίθανον εἶναι τὸν τοῦ Ἰωσήπου λόγον. ἐγὼ δὲ τῇ θείᾳ πειθόμενος γραφῇ τοῦ Ναβουχοδονόσορ εὑρίσκω τοῦτον θυγατριδοῦν. Τῷ γὰρ Ἱερεμίᾳ παρακελευσάμενος ὁ θεὸς δεσμὰ ἑαυτῷ περιθεῖναι, καὶ ταῦτα πέμψας τοῖς πλησιοχώροις βασιλεῦσι, τῷ Ἰδουμαίων, καὶ Μωαβιτῶν, καὶ Ἀμμανιτῶν, Τυρίων τε καὶ Σιδωνίων, ταῦτα εἰπεῖν αὐτοῖς παρηγγύησεν· οὕτως εἶπε Κύριος Ἰσραὴλ, οὕτως ἐρεῖτε τοῖς κυρίοις ὑμῶν· ἐγὼ ἐποίησα τὴν γῆν ἐν τῇ ἰσχύϊ μου τῇ μεγάλῃ, καὶ τῷ βραχίονί μου τῷ ὑψηλῷ, καὶ δώσω αὐτὴν, ᾧ ἂν δόξῃ ἐν ὀφθαλμοῖς μου. ἔδωκα πᾶσαν τὴν γῆν τῷ βασιλεῖ Ναβουχοδονόσορ βασιλεῖ Βαβυλῶνος δουλεύειν αὐτῷ, καὶ δουλεύσουσιν αὐτῷ πάντα τὰ ἔθνη, καὶ τῷ υἱῷ αὐτοῦ, καὶ τῷ υἱῷ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ἕως ἂν ἔλθῃ ὁ καιρὸς τῆς γῆς αὐτῶν. τοῦ τοίνυν Βαλτάσαρ υἱοῦ προσαγορευθέντος ὑπὸ τοῦ Δανιήλ, ζητητέον τὸν ἔγγονον. εἰ δέ τις ἀντιλέγει, Μῆδον τὸν Δαρεῖον ὀνομάζεσθαι λέγων, μαθέτω ὡς οὐδὲν τοῦτο τῷ λόγῳ λυμαίνεται. Καὶ γὰρ ὁ Κῦρος θυγατριδοῦς ὢν τοῦ Ἀστυάγους, ὃς Μῆδος ἦν, καὶ Μήδων ἐβασίλευσε, Πέρσης ὀνομάζεται. ἐκ γὰρ τῆς πατρῴας συγγενείας φιλοῦσιν οἱ ἄνθρωποι τὰς ἐθνικὰς τιθέναι προσηγορίας. εἰκὸς τοίνυν καὶ τὸν Δαρεῖον εἶναι μὲν Μήδου πατρὸς Χαλδαίας δὲ μητρός, καλεῖσθαι δὲ τοῦτο ὅπερ ἦν ὁ πατήρ. εἰ δ' οὐχ οὕτως ταῦτ' ἔχει, δειξάτωσαν οἱ βουλόμενοι τοῦ Ναβουχοδονόσορ τὸν ἔγγονον τοῦ παππῴας βασιλείας κληρονομήσαντα, καὶ οὐδὲν περὶ τούτου ζυγομαχήσομεν. ὅτι γὰρ παναληθὴς τοῦ μεγάλου Ἱερεμίου ἡ πρόρρησις, πᾶς τις εὖ φρονῶν ὁμολογήσειεν. εἰ δέ τινι παρίσταται μὴ εἶναι θυγατριδοῦν τοῦ Ναβουχοδονόσορ τὸν Δαρεῖον, ἀλλ' υἱιδοῦν, διὰ τὸ τὸν προφήτην εἰρηκέναι δουλεύσουσιν αὐτῷ, καὶ τῷ υἱῷ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, μαθέτω τῆς θείας γραφῆς τὸ ἰδίωμα. ἐξ ἀρρένων γὰρ γενεαλογεῖν εἰωθυῖα, καὶ τὸν ἔγγονον εἰπεῖν ἐθελήσασα, υἱὸν τοῦ υἱοῦ προσηγόρευσεν. ἀλλ' ὅτι μὲν τοῦ υἱοῦ οὐκ ἔστιν υἱός, ὁ μακάριος Δανιὴλ μαρτυρεῖ, λέγων, Δαρεῖος ὁ Μῆδος παρέλαβε τὴν βασιλείαν. ὅτι δὲ μέχρις ἐγγόνων διαπέμψει τὴν βασιλείαν ὁ Ναβουχοδονόσορ ὁ θεῖος προεῖπεν Ἱερεμίας. ἐξ ἑκατέρας τοίνυν προφητείας εὑρεῖν δυνατὸν τὸ ἀληθές. ἐκ μὲν τῆς Ἱερεμίου, ὅτι καὶ ὁ ἔγγονος τοῦ Ναβουχοδονόσορ τῆς βασιλείας ἀνθέξεται· ἐκ δὲ τῆς τοῦ μακαρίου Δανιήλ, ὅτι Βαλτάσαρ τοῦ υἱοῦ τοῦ Ναβουχοδονόσορ τῇ θείᾳ ψήφῳ τελευτήσαντος, Δαρεῖος ὁ Μῆδος παρέλαβε τὴν βασιλείαν· ἐντεῦθεν σκοπούμενοι, καὶ τὸ ἀψευδὲς τῶν προφητῶν ἐπιστάμενοι, εὑρίσκομεν τοῦτον Μῆδον μὲν ὄντα πατρόθεν, Χαλδαῖον δὲ ὄντα μητρόθεν, καὶ τοῦ Ναβουχοδονόσορ ἔκγονον· ταῦτα μὲν οὖν ἡμεῖς ἑκατέρας προφητείας τὸ ἀληθὲς ζητοῦντες εὕρομεν· ὡς δὲ φίλον ἑκάστῳ περὶ τούτου φρονείτω. οὐδεμία γὰρ ἐκ τῆς περὶ τὸ γένος ἀμφιβολίας γενήσεται βλάβη. Φέρε τοίνυν τῆς κατὰ μέρος ἑρμηνείας ἀψώμεθα. Et Darius Medus accepit regnum sexaginta duos annos natus] *Chaldæorum regnum secundum Divinam prædictionem ad exitum pervenit, & ad Medos translatum est orbis terrarum imperium. Sic etiam Daniel*

 præ-

prædixit, & illud phares *interpretatus est.* Divisum est enim regnum tuum, *inquit,* & datum est Medis & Persis. *Sed cum breve tempus Darius Medus regnaßet, Cyrus exceptum imperium ad Persas transtulit. Iosephus autem historicus Darium Astyagis filium asserit, & Cyri avunculum: verum Græcos scriptores aliter ipsum appellasse: Cyaxarem quippe illum vocaveruut. Narratque, cum unà exercitum ad Babylonem adduxissent Darius & Cyrus, ejus sororis filius, per obsidionem urbis potitos esse, & Baltasar ab ipsis illa nocte interfectum, qua scriptas illas syllabas in pariete conspexerat. Verum non ita credendum est. Quæ enim à beato Daniele conscripta sunt, ea nos docent in postrema parte eorum quæ de Dario commemorantur, Danielem prosperè egisse in regno Darii, & in regno Cyri Persæ, ostenditque aliud Darii regnum esse, aliud Cyri. Quod si una eorum fuisset contra Babylonem cum exercitu profectio, unum omnino regnum fuisset. Nunc autem aliud hoc aliud illud esse confirmat & in fine prophetiæ ita Daniël ait:* Et rex Astyages appositus est ad patres suos & accepit Cyrus Perses regnum ejus. *Non igitur eodem tempore Darius & Cyrus, regnum obtinentes Baltasar interfecerunt, verum Darius Assueri prior, Cyrus posterior regnavit. Neque etiam quæ à Iosepho dicuntur, cum Græcis historiis consentanea sunt. Nec enim in illis facile licet invenire, Cyaxarem Astyagis filium, eundem esse Darium, quem iste narrat unà cum Cyro contra Babylonem cum exercitu profectum: ita ut omnino Iosephi oratio à fide abhorreat. Ego autem, Divina scriptura adductus, hunc ipsius Nabuchodonosor invenio, ex filia nepotem. Cum enim præcepisset Deus Hieremiæ, ut sibi vincula circumdaret, eaque mitteret finitimis regibus Idumæorum, & Moabitarum, & Amanitarum, Tyriorumque & Sidoniorum, hæc ipsis ut diceret imperavit:* Sic dixit Dominus Deus Israël, sic dicetis ad dominos vestros, Ego feci terram in fortitudine mea magna, & brachio meo excelso, & dabo eam cui placuerit in oculis meis: dedi omnem terram Nabuchodonosor regi Babylonis, ut serviat ei, & servient ipsi omnes gentes, & filio ejus, & filio filii ejus, donec veniat tempus terræ ipsorum] *Balthasar itaque à Daniele filio appellato, inquirendus est nepos. Quod siquis contradicat, Darium asserens Medum appellari, discat ille nostræ sententiæ id nihil obesse. Etenim Cyrus ex filia nepos Astyagis, qui Medus fuit, & Medorum regno potitus est, Persa nuncupatur. Ex paterna enim cognatione consuevere homines gentilia imponere cognomenta. Verisimile est itaque & Darium à Medo patre esse, & à Chaldæâ matre, & paterno cognomine vocari. Quod si hæc non ita se habent, ostendant, qui velint, Nabuchodonosoris nepotem avitum regnum hæreditate obtinuisse, & nihil de hac re repugnabimus: verissimam enim esse magni Hieromiæ prædictionem, quicumque rectè sentit confitebitur. Quod si alicui magis probetur non ex filia nepotem Nabuchodonosoris Darium, sed ex filio, propterea quod propheta dixerit*, Servient ipsi & filio ejus, & filio filii illius, *discat Divinæ scripturæ idioma, quæ cum consueverit genealogiam à maribus tradere volueritque nepotem dicere*, filium filii *appellavit: verum filii non esse filium testis est beatus Daniel, qui ita loquitur*, Darius Medus accepit regnum. *Usque ad nepotes autem transmissurum regnum fuisse Nabuchodonosor, divinitus Hieremias prædixit. Ex utraque igitur prophetia percipi rei veritas potest: ex ea Hieremiæ nepotem ipsius Nabuchodonosor regnum obtenturum, ex ea verò beati Danielis, Baltasar filio Nabuchodonosor Divina sententia mortuo, Darium Medum regnum excepisse. Hinc considerantes, & prophetas minimè mentiri pro comperto habentes, reperimus hunc paterno genere Medum, materno Chaldæum esse, & ipsius Nabuchodonosor nepotem. Hæc igitur nos ex utraque prophetia investigata rei veritate invenimus: qua de re quilibet, quod ei libet, sentiet: nihil enim ex ambiguitate generis potest afferri detrimenti. Age itaque reliqua sigillatim interpretemur.* Nunc colligamus quid rerum & regum his annis fuerit.

Nabopollassar pater Nabuchadnessari cœpit regnare anno Nabonassari 122, finiit anno 143, è canone Chronologico, quem hic non rejicit, ille qui quidvis audet rejicere & assumere. Scribit autem, *Nemo vero adeò erit stolidus,*

dus, ut & hic quoque vitium ſubeſſe ſuſpicetur & Mathematicos neſciſſe immerare exiſtimet. Annus Nabonaſſari 143. eſt olympiadicus 171. Id oſtendit Cenſorinus, qui annum Nabonazari 986. dicit eſſet milleſimum, decimum quartum ab olympiade prima. Monſtroſa Chronologia viri magni ultimum Nabonaſari conſtituit eſſe olympiadicum 132. Differentia eſt annorum 39. quos minus dicit. Sic Nabonaſſari epocha incipit ante initium olympiadum: quod omni abſurdo abſurdius eſt.

Annus Nabon.	Olymp.	M. C.	
144	173	3346,	Nabuchadneſſar incipit.

Ab hoc anno ad Chriſti paſſionis annum numera, qui fuit olympiadicus 809, Nabonaſſari 781. Ita inter principium Nabobuchadneſſari & annum paſſionis differentia annor. 636. Nabuchadneſſar igitur deſiit annis ante paſſum Chriſtum 593. Scribit Beroſus Satrapam Ægypti & Syriæ defeciſſe à Nabopollaſſaro. Nemo crediderit Nechon Ægypti regem ſubjectum fuiſſe Babylonio ante expeditionem Nabuchadneſſari. Sed res ita ſe habet: Ægyptius Necho feliciter bellum geſſerat cum rege Aſſyriorum ad Eufratem eo anno, quo periit Joſias. Tum Aſſyrio everſo inter Chaldæos & Ægyptios lis renovata eſt de dominatione Syriæ. Victus eſt Nechos à Nabuchadneſſaro, quem pater miſit adverſus eum. Dum aberat Nabuchadneſſar, moritur Nabopollaſſar. Vacuum ſolium filio defendunt Chaldæi, donec adveniret Babylona. Feſtinatis itineribus eo conceſſit. Quod ſecum traxiſſe narrat captivos Judæorum, Ægypti, aliarumque gentium accipiendum eſt de prima captivitate, quæ Joacimi anno quarto fuit. Structura illa ad poſteriora tempora pertinet. Herodotus videtur ad conjugem illius (Nitocrim) magna illa ſubſtructionum molimina referre, quæ ſane dum maritus inſania correptus erat rebus videtur præfuiſſe. Nabuchadneſſar regnum tenuit annis 43. deſiit anno Nabonaſſari 186. abſoluto. Ægyptum ſubegit ut ex Beroſo prodit Joſephus, Megaſthenes adjicit Libyam & Hiſpaniam. Beroſus verior eſt: nam Libyam & Æthiopiam penetraſſe non patet è ſacris literis ſed Ezechielis 30. diſcimus, auxiliarios iſtarum gentium in Ægypto adverſus Nabuchadneſſarum eſſe profligatos. Joſ. *κρατήσαι δὲ φησι* (Beroſus) *τὸν βαβυλώνιον Αἰγύπτου, Συρίας, Φοινίκης, Ἀραβίας, πάντας δὲ ὑπερβαλλόμενον ταῖς πράξεσι τοὺς πρὸ αὐτοῦ χαλδαίων καὶ βαβυλωνίων βεβασιλευκότας.* Eupolemus malè ſcribit, Jeremiæ verbis adductum Nabuchadneſſarum bellum feciſſe Joachimo. Confundit & aliena ſcribit. Megaſthenes aliquid inaudierat de Nabuchadneſſari inſania, qua percuſſus eſt.

Evilmaradocus, cujus nomen variè corruptum eſt, ſolo biennio regnavit, finiens in anno Nabonaſſari 188. Quia laſcive & diſſolute vivebat, occiſus eſt à Nerigliſſar, qui ſororem ejus in matrimonio habebat. Hic rebus præfuit tutorio nomine quadriennio. Huic quadriennio includitur principatus novem menſium filii Balſaſar; ut apparet è canone chronologico. Scriptura Balſaſaro adſcribit non tantum annum primum (Dan. 7.1.) ſed & tertium (Dan. 8. 1.) Nergaleſar igitur cum Balſaſaro finiit in anno Nabonaſſari 192. Olympiadico 220. Cum Nergaleſar obiiſſet ſuo nomine Balſaſar adminiſtravit imperium, qui conſpiratione Babyloniorum interiit.

Balſaſar iſte eſt, quem corrupte vocant Laboroſoarchodum & aliter Laboroſardachum &c. Nam corrigi debet id vocabulum in *βαλοσοσάρδαχος*, id eſt, בלשצרדך. Ultima ſyllaba etiam in voce נבונידך: qui cum vel ſine illa ſyllaba vocatur Nabonitus & Nabonidachus. Sic Balſaſar & Balſaſardach. Nihil eſt verius, ut malè cum Dario Medo ſeu Nabonido confundi appareat, quod tamen voluit Joſephus. Joſephus benè Nabonidum Babyloniæ regem

Bbbbbbb 2 facit,

facit, victum à Cyro, sed pessime confundit cum Balsasar. Illa regina, quæ Balsasaro significat de Daniele, neglecto ab adolescente petulanti & libidinoso, fuit uxor Nabuchadnessari. Nabonidi imperium consurgit ab anno Nabonassari 193. Hic alio nomine Darius dictus fuit, quia origine Medus erat. Darius privato nomen fuit & cum diadema suscepisset, more Babyloniis recepto, nomen mutavit: Nabonidus. Hunc non fuisse hostem Babylonium, qui urbem expugnavit: sed à conjuratis exaltatum Megasthenes & Berosus expresse dicunt. Herodotus etiam Labynetum (Nabynetum) Labyneti filium dicit fuisse, quem oppugnavit Cyrus. Filium fuisse putat, qui post nepotem interemptum successit. Nabuchadnessar erat, quem vocat Nabynetum affinitate nominis deceptus. Nabuchadnessar vocat eum Μήδην sed ἀσσύριον αὔχημα. Medus igitur fuit sed Babylone inquilinus, opulentus & potens, cui extincta familia Nabuchadnessari delatum est imperium. Cum imperium tenuisset annis septendecim, victus est à Cyro, qui Babylonem occupavit.

Cyri initium à Nabonido fuit anno Nabonassari 210. Olympiadico 238. Ante Christi æram Dionysianam annis 537. Deinde cum Asiam universam & totum regnum Babylonicum sibi subdidisset, edictum promulgat de reditu Judæorum in patriam, & restituendis urbe & templo Hierosolymorum.

Anno olympiadico 217. Nabonass. 189. M. C. 3391. Cyrus devicto & dejecto Astyage imperium in Perside obtinuit. Hic erat annus Balsasari sub tutela Niriglissari primus, Dan. 7. Quo Daniel vidit visionem quatuor animalium. Nam hinc eversis Medis surgere & caput attollere cœpit monarchia (ut appellant) Persarum.

Anno M. C. 3393. anno tertio Balsasari videt Daniel visionem cap. 8. de ariete Persico & hirco Macedonum, cum Cræsus consilia agitaret & moliretur bellum adversus Cyrum. Molimen illud aliquot annos absumpsit.

Anno M. C. 3395. primo anno Darii Medi accipit Daniel prophetiam septuaginta hebdomadum annalium, quibus Herosolyma & politia Judæorum usque ad finem à Tito Vespasiano duratura erant.

Anno M. C. 3403. Olympiad. 228. Nabon. 201. Cyrus captis Sardibus Crœsum vivum in potestatem redigit.

Cum intermedio tempore subegisset Joniam, Cariam, Lyciam movet anno M. C. 3410. in Babylonios. De casu Babyloniorum Esaias cap. 13. & 14. qui per Medos Chaldæis exitium minatur, quorum crudelitatem & ferociam describit. Babylona penitus excidendam & subvertendam esse, instar Sodomorum. Quod non ita accipiendum, quasi Cyrus delere debuerit: at hinc initium interitus exsurgere, quo tandem in solitudinem sit abitura. Jeremias exitium Babyloniis minatur cap. 50. & 51. Meminit etiam desolationis Sodomitanæ similis cap. 50. v. 40. Excitat reges Medorum, Ararat, Minni & Ascenez, populorum ad septentionem sitorum multitudinem. Medos appellat, quia tum nondum Persæ potiebantur rerum, qui Medorum imperium occuparunt. Trogus Pompejus Babylonios ante Cræsum subactos esse narrat, quod manifestè falsum est. Herodoto hic non potest derogari fides, qui causam belli à Crœso suscepti narrat, quod suspectam haberet Persarum dominationem, quam evertere & supprimere animus erat, antequam in validius augesceret. ἐνέβησε δὲ ἐς φροντίδα, εἴκως δύναιτο πρὶν μεγάλους γενέσθαι τοὺς Πέρσας καλαβαλεῖν αὐτῶν τὴν αὐξανομένην δύναμιν. Audita eversione Astyagis luctum ob filium finit, sollicitudine & cura. Soror etiam Crœsi nupta erat Astyagi. Cum enim Halyattes pacis fœdus faceret cum Cyaxare, filiam Aryenem nuptum dabat Astyagi Cyaxaris filio. Ἄνευ γὰρ ἀναγκαίης ἰσχυρῆς συμβάσιες

ἰσχυραὶ

ἰσχυροὶ οὐκ ἐθέλουσι συμμίσγειν. Perſarum res ante ſubactam Lydiam tenues erant, opibus Lydorum validiores facti, reliquam Aſiam oppugnare & ſubigere auſi ſunt. Cum continentem univerſam Cyrus ſubegiſſet Aſſyriis bellum intulit. Κῦρος δὲ, ἐπεί τε τὰ πάντα τῆς ἠπείρου ὑποχείρια ἐποιήσατο, Ἀσσυρίοισι ἐπετίθετο. Idem ſcribit Beroſus, καταστρεψάμενος τὴν λοιπὴν Ἀσίαν πᾶσαν ὥρμησεν ἐπὶ τῆς Βαβυλωνίας. Cyrum edixiſſe liberationem populi ante victum Crœſum quidam auſus eſt dicere. Idem ille Cyrum viciſſe Babylonios & Crœſum, laxaſſe captivitatem Judaïcam, cœptum templum inſtaurari ante olympiada quinquageſimam quintam, qua cœpit Cyrus regnare in Perſide. Talia portenta hodie in tanta luce literarum ſcribuntur, & perfricta fronte urgentur! Unus hodie vivit, quem in literis magnum eſſe fatemur, ſed qui ſtudio gloriæ petulanter negat ſolem medio die lucere. Cyrum Nabonido ſucceſſiſſe in imperio Babylonico conſtat è canone Chronologico, quod jam ſæpe diximus, anno M. C. 3412. Novem inde annis regnat, quos ſi detrahas de triginta, quibus regnavit in univerſum jam viginti uno annis regnaverat priuſquam Nabonido ſuccederet. Primus Cyri annus (ut appellant ſacræ literæ) quo ſeptuaginta captivitatis expirarunt, fuit annus M. C. 3419. Septennium igitur à dejecto Nabonido lapſum eſt, ad univerſi orientis ſubjugationem, cum Aſia ſub hujus imperium redacta in totum quievit à continuis bellis, in quibus Cyrus hactenus ſudaverat. Nabonidus occurrebat Cyro cum copiis (quas ex univerſa Aſia collegerat) victuſque confugit in urbem Borſippenam. Cyrus aggreſſus Babylona, cum videret opus eſſe ingens, rediit ad oppugnandam Borſipporum urbem. Nabonedus non ferens obſidionem ſe tradidit, quem Cyrus habuit benigne, donavitque præfectura Carmaniæ. Hinc Cyrus fuit rex Babyloniorum & ſucceſſor Nabonidi, nondum capta Babylone. Totum annum occupatus fuit in Gyndis amnis evacuatione per multitudinem foſſarum. Hinc Babylonii egreſſi cum ipſo confligunt. Pulſos intra urbem & inſtructos annonæ copia in multos annos diu obſedit. ἐνταῦθα οὗτοι μὲν λόγον εἶχον τῆς πολιορκίης οὐδένα. Κῦρος δὲ ἀπορίῃσι ἐνείχετο ἅτε χρόνου ἐγγινομένου συχνοῦ, ἀνωτέρω δὲ οὐδὲν τῶν πραγμάτων προκοπτομένων. Expugnata eſt urbs die feſto, cum epulis & choreis intenti agent Babylonii. Non eſt abſimule vero obſidionem protractam eſſe in ſeptennium. Cyrus igitur Babylone potitus, hinc primum annum computat, quo Judæis laxat captivitatem.

HISTORIÆ SACRÆ
TOMI SECUNDI
PEMPTADIS TERTIÆ
liber ſeu tractatus tertius
De Rebus Judaicis ſub Monarchia Perſarum.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI II.
CAPUT IX.

QUa tempeſtate Aſtyages Medis imperabat. Hunc Cyrus ex filia nepos ejus, regno expulit, Perſarum uſus armis: unde ſumma imperii ad Perſas tranſlata eſt. Babylonii quoque in poteſtatem ditionemque ejus conceſſere. Igitur initio regni, propoſitis publicè edictis, dat poteſtatem Iudæis, in ſolum patrium redeundi: ſacra etiam vaſa, quæ Nabuchodonoſor de templo Hieroſolymæ abſtulerat, reddidit. Itaque pauci tum in Iudæam regreſſi: cæteris redeundi animus an facultas defuerit parum comperimus. Erat ea tempeſtate apud Babylonios Beli antiquiſſimi regis, cujus etiam Virgilius meminit, *ex ære ſimulachrum, quod ſuperſtitione hominum conſecratum, Cyrus quoque adorare erat ſolitus, antiſtitum ejus dolo illuſus, qui veſci effigiem illam atque potare affirmabant: cum diurnam penſitationem, quæ idolo inferebatur, clam ipſi abſumerent. Igitur Cyrus cum Daniele familiariter uteretur, quærit ab eo, cur ſimulachrum non adoraret, cum manifeſtum viventis Dei eſſet indicium, abſumentis ea quæ inferebantur? Daniel ridens hominis errorem, negare id poſſe fieri, ut æs illud, id eſt, bruta materies, cibo uteretur aut potu. Accerſi ergo rex ſacerdotes jubet: nam fere ad ſeptuaginta erant: adhibitoque eos terrore increpitat, quis impenſa conſumeret? cum Daniel, vir prudentia inſignis, minime id ab*

id ab insensibili simulachro posse fieri contenderet. Tum illi confisi parato dolo, inferre & obsignari à rege templum deposcunt, uti nisi omnia postero die absumpta deprehenderentur, morte pœnas persolverent: dum eadem conditio Danieli maneret. Itaque signo regis templum obsignatur, cum prius Daniel, sacerdotibus insciis, pavimentum cinere aspersisset, ut introëuntium occultos aditus vestigia proderent. Igitur postero die rex templum ingressus, animadvertit absumpta quæ idolo apponi jusserat. Tum Daniel occultam fraudem vestigiis prodentibus reserat: sacerdotes cum uxoribus & filiis, subfosso foramine ingressos, ea, quæ idolo apposita fuerant, devorasse. Ita omnes jussu regis interfecti templum ac simulacrum Danieli in potestatem datum, atque arbitrio ejus dirutum.

DRUSIUS.

ASTIAGES] Melius, Astyages. Hic etiam Cyaxarem patrem habuit. Forte frater erat Darii Medi.

EX FILIA] Mandane, quæ Cambysi Persæ nupserat, unde Cyrus.

BABYLONII QUOQUE IN POTESTATEM DITIONEMQUE EJUS CONCESSERE] Victo Dario Medo, quem expugnatum in arce Borsippena Carmaniæ præfecit, agentem tum annum ætatis octogesimum.

DAT POTESTATEM JUDÆIS IN SOLUM PATRIUM REDEUNDI] Post exactos annos LXX. de quibus Jerem. 29. 10. & alibi.

SACRA ETIAM VASA] Quæ numerantur Ezræ. 1. 10. & deinceps.

PAUCI TUM IN JUDÆAM REGRESSI] Quadraginta duo millia trecenti sexaginta, exceptis servis eorum & ancillis, qui erant septem millia trecenti triginta septem. Ezræ 2. 64. & 65.

BELI ANTIQUISSIMI REGIS] Hieron. in comment. Hos. 12. 16. *Primum omnium Asiæ regnasse Ninum Beli filium omnes & Græcæ & Barbaræ narrant historiæ.* Lactantius lib. 1. 23. cap. *Theophylus in libro* de temporibus ad Autolycum scripto, ait in historia sua *Thalum dicere, quod Belus quem Babylonii colunt, antiquior Trojano bello fuisse invenitur CCCXXII. annis.*

BELI] Græca nominis forma ex Bel, quod scribunt בל, & est contractum ex Beel. Id Sidonii & Phœnices reliquique Syri enuntiant Baal & Bal. Vide sequentia.

QUOD SUPERSTITIONE HOMINUM CONSECRATUM] Hieron. in loco superius allegato. *Ninus in tantam pervenit gloriam ut patrem suum Belum referret in Deum, qui Ebraicè dicitur Bel, & in multis prophetis maximeque in Daniele* & juxta Theodotionem sub idolo Babylonis hoc appellatur nomine. Et post aliquanto, *didicimus exordium dæmonis, imò hominis in dæmonem conversi. Omnia enim idola ex mortuorum errore creverunt.*

CUJUS ETIAM VIRGILIUS MEMINIT] Aut glossema est ex margine, ut vult Sigonius: aut quod magis puto confundit Belum Babylonium cum Tyrio. Sic etiam Hieronymus in loco citato, Belum Sidonii & Phœnices appellant Baal: unde & Dido Sidonia regii generis, cum Æneam suscepisset hospitio, hac patera Jovi vinum delibat, *Qua Belus* & omnes à Belo soliti.

CYRUS]

CYRUS] Darius, Historia Ebraica.

ANTISTITUM EJUS] Sacerdotum ejus.

PENSITATIONEM] à pensito, id est solvo. Ita vocat id quod quotidie in Belum impendebatur. Erant autem similæ artabæ duodecim, oves quadraginta & vini metretæ sex: aut ut est apud Gorionis F. compositorem historiæ Ebraicæ, juvencus unus decem arietes, & centum columbi totidemque agni, cum septuaginta placentis panis, totidemque cadis vini.

FERE SEPTUAGINTA] Redundat fere. Nam in Daniele, *Erant autem sacerdotes Bel septuaginta.* Sic supra, *Ad triginta duo millia.* Vide notas ad illum locum. In historia Ebraica, misit qui comprehenderent septem sacerdotes Belo ministrantes שבעה pro שבעים. Forte mendum est. Nam ne septuaginta quidem potuissent eam pensitationem absumere, nisi uxores & parvulos in societatem ascivissent.

INFERRE] Cibum & potum.

SIGNO REGIS] Sigillo regis & Danielis, Gorionides.

PAVIMENTUM CINERE ASPERSISSET] *Jussitque Daniel ut clauderent fores templi Bel, & portas ejus, excepta porta per quam ingressus fuerat rex. Tunc dixit Daniel, Adferte mihi cinerem, sparseruntque cinerem illum super pavimentum templi Bel, insciis sacerdotibus. Post egressi sunt rex & Daniel per portam, quam intraverant ipsi & pueri ipsorum, quam clauserunt jussu Danielis, obsignavitque eam rex annulo suo, & annulo Danielis, &c.* Idem qui supra.

ITA OMNES JUSSU REGIS INTERFECTI, &c.] Hæc paulo aliter historia Ebraica, *Misit qui comprehenderent septem sacerdotes ministrantes Belo, quos rex adjuravit, dicendo nisi verum indicaveritis mihi, scitote vos morituros. Igitur ostenderunt ei ingressus obscuros per quos illi nocte ingrediebantur in templum, comedentes instructam mensam ejus. Ibi rex cognita versutia eorum, jussit dirui templum Bel funditus, ita ut nihil quicquam remanserit.*

DANIELI IN POTESTATEM DATUM] Dan. 14. 21. *Occidit ergo illos rex, & tradidit Bel in potestatem Danielis: qui subvertit eum & templum ejus.*

SCHOTANUS.

ASTYAGES] In hoc imperium Medorum expiravit subditumque Persis est anno M. C. 3391. quod diximus. Causam Herodotus & Justinus Trogi abbreviator narrant & fabulose exponunt. Somnio territus Cambysæ homini gentis tum obscuræ Persarum Mandanem filiam collocat. Cyrus, incitante Harpago, rebellionem parat: avum bello victum redigit in potestatem.

BABYLONII QUOQUE] Falsum est Babylonios, Astyage dejecto mox in potestatem venisse, aut primo anno regni Persici seu Medici. Nam viginti novem jam annos regnabat Cyrus, cum Babylone potitus libertatem & reditum Judæis promulgat.

PROPOSITIS PUBLICIS EDICTIS] Hoc edictum exstat 2. Chronic. 36. 23. Esd. l. v. 2. 3. 4. Excitabat enim Deus Spiritum Cyri, ut Jeremiæ verbum impleretur. Toto regno edictum promulgatum est, in scripto: Ita dicit Cyrus rex Persidis: Dominus, Deus cæli dedit mihi omnia regna terræ, & præcepit mihi, ut ipsi domum struam, Hierosolymis in Judæa. Quis est inter vos è toto populo ejus, Deus suus sit cum eo & proficiscatur Hierosolyma in Judæa & ædificet ædem Domini, Dei Israelis. Ille est Deus, qui in Je-

in Jeruſalem habitat. Omnem moraturum in aliquo loco, ubi peregrinatur, adjuvabunt homines loci ſui, argento, auro, ſubſtantia & pecore: præter ſpontaneam oblationem, pro domo Dei incolentis Hieruſalem. Quod narrat Dominum ipſi præcepiſſe, laxius accipiendum. Deum indicaſſe per prophetarum verbum non ad ipſum ſed de ipſo, eum eſſe ædem conditurum. Ideo hinc non ſequitur converſum fuiſſe ad Deum ejusque cultum recepiſſe in ſe abjecta idololatria. Multi enim Deum Iſrael muneribus & confeſſione & hoſtiis honorarunt, qui tamen manſere in paganiſmo. Eſaias ipſum appellat unctum Dei, voce laxiori, quia Divinitus ordinatus & conſtitutus eſt ut regnum obiret & Dei voluntatem exſequeretur de laxanda captivitate & populo temploque reſtituendo. Confitetur Deum ipſi regna terræ tradidiſſe, eum Hieroſolymis colere: mandat templum condi, reduces Judæos adjuvari omni ope. Igitur patriarchæ Judææ & Benjaminææ tribuum, tum ſacerdotes & Levitæ, & quorum animos movebat Deus, ivere Hieroſolymam adjuti à vicinis; aureis argenteisque vaſis, auro, ſubſtantia, jumentis, omnis generis rebus pretioſis, præter ſpontanea oblata. Vaſa etiam domus Dei, quæ Nabuchodonoſor in æde Dei ſui collocaverat, prolata ſunt juſſu Cyri miniſterio Mithridatis (הגזבר) præfecti ærario; Vulg. male, *filii Gazabar*, & LXX. γαζβαρηνοῦ. Adnumerata ſunt Sasbaſari præſidi Judææ (Heb. הנשיא) Obſerva primum præſidem Judææ à Perſis fuiſſe Sasbaſar, qui ſanè non fuit è familia Davidis. Somnium eſt Judæorum & patrum multorumque poſt captivitatem præfuiſſe ſemper aliquem è familia Davidis. Numerus vaſorum: triginta phialæ (אגרטלי) aureæ, phialæ argenteæ mille, cultri (מחלפים) viginti novem, ſcyphi (כפורי) aurei triginta, quadringenti & decem ſcyphi argentei: vaſa alia mille. Vaſa in univerſum fuerunt quinquies mille & quadringenta. Hic numerus è ſuperiori recenſione non efficitur. Hæc Sasbaſar cum remigrantibus è Babel, adducebat.

Quantum ad vaſa, אגרטלי Græci vertunt ψυκτῆρες: מחלפים παρηλλαγμένα: כפורי κεφφουρῆς.

Joſephus: Hic incipit liber ejus antiquitatum undecimus: cum anno M. C. ſecundum ipſum 3585. Septuageſimus annus ipſi ſupputatur à ſubverſione urbis: πρὶν κατασκαφῆναι τὴν πόλιν, ὡς μετὰ τὸ δουλεῦσαι &c. παρορμήσας γὰρ τὴν κύρου ψυχὴν, העיר את־רוח. Edictum hujuſmodi: Ἐπεί με ὁ θεὸς ὁ μέγιστος, τῆς οἰκουμένης ἀπέδειξε βασιλέα, πείθομαι τοῦτον εἶναι, ὃν τὸ τῶν Ἰσραηλιτῶν ἔθνος προσκυνεῖ. Καὶ γὰρ τοὐμὸν προεῖπεν ὄνομα (per Eſaiam) διὰ τῶν προφητῶν, καὶ ὅτι τὸν ναὸν αὐτοῦ οἰκοδομήσω ἐν Ἱεροσολύμοις ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ χώρᾳ. Hæc cognoviſſe Cyrum è lectione Eſaiæ, qui id prædixerit ducentis & decem annis ante ætatem Cyri, centum quadraginta annis ante vaſtatum templum.. Ταῦτ' οὖν ἀναγνόντα τὸν κῦρον καὶ θαυμάσαντα τὸ θεῖον ὁρμή τις ἔλαβε καὶ φιλοτιμία ποιῆσαι τὰ γεγραμμένα. Vocatis igitur clarioribus apud Babylonem Judæis reditum conceſſiſſe & urbis templique reſtituendi poteſtatem. Deum fore auxilio, ſe ſcripturum ducibus & ſatrapis Judææ vicinis ut conferant aurum & argentum ad templi fabricam & victimas ad ſacrificia. Sic duarum tribuum ἄρχοντας ſimulque Levitas & ſacerdotes ſe dediſſe itineri. Multos Babylone manſiſſe,. qui poſſeſſiones nollent relinquere; Πολλοὶ γὰρ κατέμειναν ἐν τῇ βαβυλῶνι τὰ κτήματα καταλιπεῖν οὐ θέλοντες. Cum perveniſſent in Judæam, omnes amicos regios ipſis fuiſſe auxilio & contuliſſe alios aurum, alios argentum, alios pecudum multitudinem cum equis ad templi fabricam: tum vota reddidiſſe Deo & victimas è lege: καὶ τὰς νομιζομένας κατὰ τὸ παλαιὸν θυσίας ἐπετέλουν; quaſi urbem denuò conderent & priſtinum patrii ritus uſum reciperent. ὥσπερ ἀνακτιζομένης αὐτοῖς τῆς πόλεως καὶ ἀναβιούσης

βιώσεις τ̃ ἀρχαίας περὶ τὴν θρησκείαν συνηθείας. Vasa templi à Mithridate (γαζοφύλακι) tradita esse Ἀβασσάρῳ (leg. Σασβασάρῳ) ut ea custodiret donec templum esset perfectum, perfecto traderet sacerdotibus & principibus multitudinis, reddenda templo. Narrat Josephus Cyrum scripsisse epistolam ad satrapas Syriæ hoc argumento: Βασιλεὺς Κῦρος Σισίνῃ καὶ Σαραβασάνῃ χαίρειν. Ἰουδαίων τοῖς ἐν τῇ ἐμῇ χώρᾳ κατοικοῦσιν ἐπέτρεψα, τοῖς βουλομένοις, εἰς τὴν ἰδίαν ἀπελθεῖν πατρίδα τήν τε πόλιν ἀνακτίζειν καὶ τὸν ναὸν οἰκοδομῆσαι τ̃ ἐν Ἱεροσολύμοις τ̃ θεοῦ ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ τόπου, ἐφ' ὃ καὶ πρότερον. Κατέπεμψα δὲ μου καὶ τ̃ γαζοφύλακα Μιθριδάτην καὶ Ζοροβάβηλον τὸν ἄρχοντα τ̃ Ἰουδαίων, ἵνα θεμελίους βάλωνται τοῦ ναοῦ καὶ οἰκοδομήσωσιν αὐτὸν, ὕψους μὲν πηχῶν ξ'. τὸ δ' αὐτὸν καὶ τὸ εὖρος. Λίθου μὲν ξεστοῦ τρεῖς ποιησάμενοι δόμους, καὶ ἕνα ξύλινον ἐγχώριον. ὁμοίως δὲ καὶ θυσιαστήριον, ἐφ' ὃ θύσωσι τῷ θεῷ. τὴν δὲ εἰς ταῦτα δαπάνην ἐκ τ̃ ἐμαυτοῦ γενέσθαι βούλομαι. καὶ τὰ σκεύη δὲ, ἃ ἐσύλησεν ἐκ τοῦ ναοῦ Ναβουχοδονόσορος ὁ βασιλεὺς, ἔπεμψα παραδοὺς Μιθριδάτῃ τῷ γαζοφύλακι καὶ Ζοροβαβήλῳ ἄρχοντι τ̃ Ἰουδαίων, ἵνα διακομίσωσιν εἰς Ἱεροσόλυμα καὶ ἀποκαταστήσωσιν εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ. Ὁ δ' ἀριθμὸς αὐτῶν ἐστι τοσοῦτος. ψυκτῆρες χρύσεοι ν' ἀργύρεοι υ' θηρίκλεια χρύσεα ν', ἀργύρεα υ', κάδδοι χρύσεοι ν', ἀργύρεοι φ'. σπονδεῖα χρύσεα λ', ἀργύρεα τ'. Φιάλαι χρύσεαι λ'. ἀργύρεαι βυ'. σκεύη τε ἄλλα μεγάλα χίλια. Συγχωρῶ δ' αὐτοῖς καὶ τὴν ἐκ τ̃ προγόνων εἰθισμένην τιμὴν κτηνῶν, καὶ οἴνου καὶ ἐλαίου δραχμὰς εἴκοσι μυριάδας πεντακισχιλίας καὶ πεντακοσίας, καὶ εἰς σεμίδαλιν πυρῶν ἀρτάβας βφ'. κελεύω δὲ τὴν τούτων χορηγίαν ἐκ τ̃ τ̃ Σαμαρείας γενέσθαι φόρων. Ἐπάξουσι δὲ τὰ ἱερεῖα ταῦτα κατὰ τοὺς Μωσέως νόμους οἱ ἱερεῖς ἐν Ἱεροσολύμοις καὶ προσφέροντες εὔξονται τῷ θεῷ περὶ σωτηρίας τε τοῦ βασιλέως καὶ τοῦ γένους αὐτοῦ, ὅπως ἡ Περσῶν βασιλεία διαμένῃ. Τοὺς δὲ παρακούσαντας τούτων καὶ ἀκυρώσαντας, ἀνασταυρωθῆναι βούλομαι καὶ τὰς οὐσίας αὐτῶν εἶναι βασιλικάς. Pars hujus epistolæ seu edicti exstat Esd. VI. 3. 4. 5. & V. 13. 14. 15. Quam vera sint alia in hac epistola non inquiro. Ipsa epistola ficta est. Nam nomina illa Σισίνης & Σαραβασάνης translata sunt sed corruptè, ex epistola Darii Esdr. 6. Thathnai & Starbosnai. Multo plura vasorum genera, majoremque numerum exprimit, quam invenimus in recensione peculiari apud Esdram. Esdras apocryphus cap. 2. v. 13.14. in hunc modum recenset: Ὁ δὲ τούτων ἀριθμὸς ἦν, σπονδεῖα χρυσᾶ χίλια, σπονδεῖα ἀργυρᾶ χίλια, θυΐσκαι ἀργυραῖ εἴκοσι ἐννέα; φιάλαι χρυσαῖ τριάκοντα, ἀργυραῖ δισχίλιαι τετρακόσιαι δέκα, καὶ ἄλλα σκεύη χίλια. Τὰ δὲ πάντα σκεύη ἐκομίσθη χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ πεντακισχίλια τετρακόσια ἑξήκοντα ἐννέα. Josephus in summam habet 5210, quam superat apocryphus Esdras. Josephus & Græci τρεῖς δόμους exprimunt, ubi in Hebræo נדבכין ordines. אבן גלל Jos. λίθος ξεστός.

ITAQUE PAUCI] Qui cum Zorobabel, Jesu, Nehemia, Saræa (al. Azaria) Reclæa (al. Raamja) Mordechæo, Balsan, Masphar, Beguai, Rehum (al. Nehum) & Baana (in Nehemiæ libro additur Nahmani) diversis temporibus, regno Persarum stante, regressi sunt, recensentur, Esdræ 2. & Nehemiæ 7. Non erit abs re utrumque locum inter se conferre & cum Esdræ Apocrypho.

1. Filii Pareos (פרעש) duo millia centum, septuaginta duo. Esdr. apoc. υἱοὶ Φόρος, Gr. Φαρές & Φόρος.

2. Filii Saphatiæ trecenti & septuaginta duo. Apoc. τετρακόσιοι.

3. Filii (ארח) Are septingenti, septuaginta quinque. Nehemiæ liber, sexcenti, quinquaginta duo. Græci ut est in Hebræo, apocr. ἑπτακόσιοι πεντήκοντα ἕξ. Nomen Ἀρές, sed in Nehemia Ἠρά.

4. Filii Pahath-Moab è filiis Jesu & Joab, duo millia, octingenti & duodecim. In Nehemia 2818. Græci utrumque exprimunt, Apocryphus primum.

5. Filii Elam (עילם) mille, ducenti, quinquaginta quatuor.

6. Filii

6. Filii Zatthu nongenti quadraginta quinque. Nehem. octingenti quadraginta quinque. Græci ſuis locis Hebræo conſonant, apocryphus 975.

7. Filii Zacchai ſeptingenti ſexaginta. Apoc. ὑοὶ χορβὲ, ἑπlακόσιοι πέντε.

8. Filii Bannui ſexcenti quadraginta duo. Neh. 648. Apocryphus vero conſonat.

9. Filii Bebai ſexcenti viginti tres. Nehem. 628. Græci ſuis locis cum Hebræo conſentiunt, apocryphus, 633.

10. Filii Azgad (עזגד) mille, ducenti viginti duo. Nehem. 2322. Græci ſuis locis Hebræo conſentiunt. Apocr. conſentit vero Eſdræ, ſed pro Ἀσγὰδ habet Ἀργαί,

11. Filii Adonicam 666. Neh. 667. Græci utrobique conſentiunt, at Apoc. 637.

12. Filii Baguai duo millia, quinquaginta ſex. Nehem. 267. Græci cum Hebræo utroque loco pariant, apoc. 266.

13. Filii Adin quadringenti, quinquaginta quatuor. Nehem. 655. Græci ſuis locis conſentiunt, Apoc. cum Eſdra vero.

14. Filii Ater Ezeciæ nonaginta octo. Apoc. 92.

15. Filii Beſai 323. Nehem. 324. Græci ſuis locis conveniunt. Apoc. cum Eſdra vero. Nomen apud eum eſt Βασσαί.

16. Filii Joræ centum & duodecim. Nehem. filii Harif. 112. Conſenſus eſt in Græcis, apoc. ὑοὶ Ἀρσιφουρὶθ ἑκατὸν δύο.

17. Filii Haſum ducenti viginti tres. Nehem. 328. Græci utroque loco 223. In Apocrypho non invenio.

18. Filii Gibbar 95. Nehem. filii Gabaon 95. Græci eodem modo utroque loco legerunt. In apocrypho non invenio. Notandum quod hinc incipiant nomina locorum, cum hactenus patriarchæ poſiti ſint.

19. Filii ſeu viri Bethlehem 123. Nehem. Bethlehem & Netopha 188. Eſdras ſeparavit Netopham, cui dat 56. Ita in Eſdra ſumma duarum civitatum 179. In Græco etiam apud Nehemiam numeri duo diſtinguuntur & pariant cum Eſdra. Eſdras apocryphus ἐκ βαιθλωμῶν, (recto βαιθλωμά) ἑκατὸν εἴκοσι τρεῖς. Ἐκ Νετωφᾶς πεντήκοντα πέντε.

20. Viri Anathoth centum viginti octo. Apoc. 158.

21. Viri Azmaveth (Nehem. Bethazmaveth) 42. In apocrypho idem numerus, ſed nomen exprimit, ἐκ βαιθασμὼν, leg. βαιθασμώθ. Sic enim Græci habent ἀζμὼθ & βαιθασμώθ.

22. Viri Cariathiarim, Caphiræ & Beroth ſeptingenti quadraginta tres. Hebræi legunt in Eſdra Cariatharim (קרית ערים) in Nehemia (קרית יערים) Cariathiarim. Græci inverſim legerunt, in Eſdra καριαθιαρὶμ, in Nehemia καριαθαρίμ. Apocryphus: οἱ ἐκ καριαθιεὶ εἰκοσιπέντε, οἱ ἐκ καφιρᾶς καὶ βηρὼθ (ſic legendum pro βηρώγ) ἑπτακόσιοι τεσσαράκοντα τρεῖς.

23. Viri Ramæ & Gabe ſexcenti viginti unus. Apocr. οἱ ἐκ κιραμᾶς καὶ γαββῆς ἑξακόσιοι εἰκοσιεῖς.

24. Viri Machmas centum viginti duo. Apoc. οἱ ἐκ μακαλὼν ἑκατὸν εἴκοσι δύο.

25. Viri Bethel & Ai ducenti viginti tres. Græci in Eſdra τετρακόσιοι εἰκοσιτρεῖς; in Nehemia ἑκατὸν εἰκοσιτρεῖς. In apocrypho οἱ ἐκ Βετολίω πεντήκοντα δύο. Confuſio.

26. Viri Nebo quinquaginta duo. Nehemias, alterius Nebo. Græci in Nehemia 152. Apoc. ὑοὶ Νιφῖς, ἑκατὸν πεντήκοντα ἕξ. Confuſio.

Filii Madbis 156. Non exprimuntur in Nehemia, nec in apocrypho.

28. Filii alterius Elam, mille, ducenti quinquaginta quatuor. Græci in Nehemia 1252. עילם אחר verterunt in Ηλαμὰρ & ἠλαμαάρ. In apocrypho non invenio.

29. Filii Harim 320. Græci malè in Nehemia ἠλάμ. In Apocrypho non invenio.

30. Filii Lod, Hadid vel Hadad & Ono, 725. In Nehemia 721. Græci Λοδαδὶ (Λοδαδίδ) καὶ Ὠνὼ, alias suis locis consentiunt cum Hebræo. In Apocrypho, υἱοὶ καλαμωλάλυ καὶ Ὠνὺς ἑπτακόσιοι εἰκοσιπέντε.

31. Filii Jericho trecentiquadraginta quinque. Apoc. 245.

32. Filii Senaa 3630. In Nehemia 3930. Apoc. 3301. Græci cum Hebræo utrobique consentiunt.

Hinc sacerdotes recensentur:

33. Filii Jedææ (Gr. Ἰωδαὲ & Ἰεδιὰ) in domum Jesu, nongenti septuaginta tres. Apoc. οἱ υἱοὶ Ἰεδδοῦ τοῦ Ἰησοῦ εἰς τοὺς υἱοὺς σανασίβ, ὀκτακόσιοι ἑβδομηκονταδύο.

34. Filii Immer, mille quinquaginta duo. Apoc. υἱοὶ ἐμμηρουθ διακόσιοι πεντήκοντα δύο.

35. Filii Pashur (פשחור) mille ducenti quadraginta septem. Apoc. υἱοὶ Φασσούρου χίλιοι τεσσαράκοντα ἑπτά· excidit vox διακόσιοι.

36. Filii Harim (חרים) mille septendecim. Græci in Esdra, υἱοὶ Ηρὶμ χίλιοι ἑπτά; in Nehemia, υἱοὶ Ηρὶμ χίλιοι δεκαεπτά. Apoc. υἱοὶ χαρμὶ, διακόσιοι δεκαεπτά. Vide confusionem & defectum.

37. Sequuntur Levitæ. Filii Jesu & Cadmiel: è filiis Hodaviæ, septuaginta quatuor. Apud Esdram הודויה, Nehemiam הודוה. Græci Ὠδουΐα, & scribunt Ἰησοῦ τοῦ καδμιήλ, in Nehemia. Apoc. υἱοὶ Ἰησοῦ καὶ καδοήλου (leg. καδμιήλου) καὶ βάννου καὶ Σουδίου ἑβδομήκοντα τέσσαρες.

38. Hinc cantores: Filii Asaph, centum viginti octo. In Nehemia centum quadraginta octo. Græci utrobique consentiunt. Apocr. cum vero Esdra, qui & pro ᾄδοντες habet ἱεροψάλται.

39. Janitores: Filii Sallum, filii Ater, filii Talmon, filii Accub, filii Hatita, filii Sebai, centum triginta novem: apud Nehemiam uno minus. Græci utrobique consentiunt. Apoc. cum vero Esdra sed in nominibus propriis corruptè Δακοὺβ, τωβίς.

40. Nathinæi: Filii Siha (צידא) filii Hasupha (חשופא) filii Tabaoth (טבעות) filii Ceros, filii Siaha (סיעהא) filii Padon, filii Lebana, filii Hagaba, filii Accub, filii Hagab, filii Sambai, filii Hanan (חנן) filii Giddel, filii Gahar (גחר) filii Giddel, filii Gahar (גחר) filii Reaia (ראיה) filii Rasin (רצין) filii Nakoda (נקודא) filii Gazam (גזם) filii Uza (עזא) filii Pasee (פסח) filii Besai (בסי) filii Asnæ (אסנה) filii Meünim (מעונים) filii Naphusim (נפוסים) filii Bacbuc, filii (חקופא) Hacuphæ, filii Harhar, filii Baslith (בצלות) filii Mahidæ (מחידא) filii Harsæ (חרשא) filii Barcos, filii Sisaræ, filii Thame (תמח) filii Nasie, Hatiphæ (חטיפא) Apud Nehemiam tres minus sunt. In Græcis varia & corrupta lectio, ut & in Apocrypho, qui appellat ἱεροδούλους.

41. Filii servorum Salomonis: Filii Sotai, filii Sophereth, (הספרת) filii Faruda, filii Jaalæ, filii Darcon, filii Giddel, filii Saphatiæ, filii Hattil, filii Pochereth Hasebaim, filii Ami. Omnes Nathinæi & filii servorum Salomonis trecenti nonaginta duo. In Græco Esdræ dirimuntur Pochereth & Hasebaim tanquam si fuissent duo. υἱοὶ Αβδησελμὰ scribunt tanquam si nomen proprium esset, quod est frivolum & puerile: in Nehemia tamen rectè υἱοὶ δούλων σαλωμών. Apoc. υἱοὶ παίδων σαλωμὼν τριακόσιοι ἑβδομήκοντα δύο. Nomina hic etiam apud Græcos & potissimum apocryphum corruptissima sunt.

42. Qui-

42. Quidam etiam Judæi ex locis quibuſdam Babyloniæ, qui nominibus ſuis appellantur, Thelmela, Thelharſa, Cherub, Addam & Immer exibant in Judæam, qui non poterant genus ſuum domoſque patrias oſtendere quod ex Iſrael eſſent. Hi erant filii Dalææ, filii Tobiæ, filii Nacodæ, numero ſexcenti, quinquaginta duo. Apud Nehemiam 642. Numerus in Græco utrobique conſentit; apocryphus cum vero Eſdra.

43. Erant etiam è filiis ſacerdotum, filii Habææ (חבוה) filii Cos (קוץ) filii Barzellai, qui acceperat è filiis Barzellai Galaaditæ uxorem & appellatus eſt nomine illorum. Quia uxorem inde acceperat illi proſapiæ eſt annumeratus. Hi igitur ex illis domibus eſſe ferebantur, ſed genealogiæ eorum reperiri non poterant. Ideo admiſſi non ſunt ad ſacerdotium, ut ſi profani eſſent. Nehemias Satrapa Judææ cum eſſet & rebus præpoſitus vetuit de ſanctiſſimo edere, donec pontifex ſurgeret cum Urim & Thummim, qui rem occultam e Dei revelatione poſſet indicare. כתבם המתישים genealogiam ſignificat. Græci in Eſdra ineptè *γραφὴν αὐτῶν οἱ μεθωεσὶμ*: In Nehemia *γραφὴν αὐτῶν τῆς συνοδίας*. Optimè Apocryphus: *ζητηθείσης τῆς γενικῆς γραφῆς ἐν τῷ καταλογισμῷ*.

Univerſus numerus Judæorum, qui in patriam redierunt, erat 42360. In hoc Hebræus codex, Græci & apocryphus conſentiunt, ſed Joſephus, qui iſtos omnes ſimul cum Zorobabel aſcendiſſe putat, numerat *χιλιάδας δ' καὶ δισχιλίους υξ β*. 42462. In Rufini editione immanis eſt aberratio, *millia ſexcenta duo & quadringenti ſexaginta duo.* Apocryphus verum numerum dicit fuiſſe *ἀπὸ δωδεκαετοῦς καὶ ἐπάνω*. A duodecennio fuiſſe numeratum. Præter eum numerum ſervi eorum ancillæque ſeptem millia trecenti triginta ſeptem. In his vel apud hos fuiſſe pſaltas & pſaltrias (*ἱεροψάλται* non erant) ducentos. Nehemias ſuperaddit triginta quinque. Græci habent in Nehemia, quadraginta quinque. Apocryphus cum Nehemia hic conſentit, ſed appellat *ψάλται καὶ ψαλτῳδοί*. Equi fuerunt ſeptingenti triginta ſex, qui in Græco Nehemiæ non habentur. Apoc. *ἑπτακισχίλιοι τριάκοντα ἕξ*. Muli ducenti quadraginta quinque. In Græco Nehemiæ *δισχίλιοι ἑπτακόσιοι*. Apocryphus rectè habet. Cameli 435. Hi non habentur in Græco Nehemia, in apocrypho iterum rectè. Aſini ſex millia ſeptingenti & viginti. Apoc. *ὑποζύγια πεντακισχίλια πεντακόσια εἰκοσιπέντε*.

In Eſdra legitur quoſdam patriarcharum, cum venirent ad ædem Domini, habitantis Hieroſolymis, ſponte obtuliſſe ædi Domini, ut collocaretur in loco ſuo fixo, pro facultatibus ſuis ad ærarium operis, ſexaginta & unum millia drachmarum auri, quinque millia minarum argenti & centum ſacerdotales tunicas. Græci habent *χρυσίον καθαρὸν μναῖ ἓξ μυριάδες καὶ χίλιαι καὶ ἀργυρίου μναῖ πεντακισχίλιαι, καὶ κοθωνοι τῶν ἱερέων ἑκατόν.* In Nehemia eſt diverſus numerus: ſed puto, quæ in Nehemia dicuntur, data eſſe cum Nehemias adveniret; quæ apud Eſdram, data in primo acceſſu cum Zorababel. Tam ſacer quam profanus populus in ſuis oppidis ſedes fixerunt. Quia exiguus iſte numerus erat, nec tantus in prima emigratione ideò opus templi tarde proceſſit.

Hinc cap. 3. Eſdræ narrat: Cum ſeptimus menſis primi anni Cyri adveniſſet, habitantibus Iſraelitis ſparſim per ſua oppida, univerſus populus, ut unus vir, Hieroſolymam conveniunt. Jeſus filius Ioſedec, ſummus pontifex cum ſacerdotibus fratribus ſuis & Zorobabel filius Salathiel, qui caput erat reducum (judiciis & gubernationi populi præfecto ſatrapa regio Judææ Sasbaſare) cum fratribus ſuis, aram Domini incipiunt ſtruere, ad holocauſta, ſecundum præſcriptum Moſis. Conſtituunt eam in ſuis baſibus, ſed cum magna trepidatione à populis circumjacentibus. In ea immolari cœpta holocauſta mane & veſperi,

ſperi, atque ita endelechiſmus inſtitui denuò cœpit. Feſtum Scenopegiæ ex ritu ſuo celebrant inque eo immolant delictum, tum juge holocauſtum & neomeniarum & omnium fixorum feſtorum Domini: item omnia ſpontanea. A primò die menſis ſeptimi cœptum immolari & adoleri, menſe ſeptembri anni M. C. 3419.

Nondum fundamenta ædis Domini jacta erant. Dati igitur nummi lapicidis & fabris: item cibus potusque & oleum Sidoniis Tyriisque ut ligna cedrina è Libano mari vectarent Ioppen, ſecundum conceſſionem Cyri. Anno ſecundo adventus ſui ad ædem Dei Zorobabel filius Salathielis & Jeſus filius Joſedec & reliqui fratrum, ſacerdotes Levitæque & quicunque è captivitate redierant cæperunt opus Domini. Poſuerunt Levitas ab anno vigeſimo, ut inſpectionem & curam haberent in opus ædis Domini. Adfuerunt Jeſus cum filiis fratribusque & Cadmiel cum filiis è filiis Juda, ut unus vir, ut inſpectioni præeſſent eorum, qui opus faciebant ad ædem Domini: cum filiis Henadad, filiis fratribusque eorum, Levitis. Cum fabri fundamenta ponerent ædis Dominicæ poſuerunt ſacerdotes, veſtitu ſuo, cum tubis (בחצוצרות) & Levitas filios Aſaph cum (במצלתים) cymbalis, ut Deum celebrarent, ſecundum inſtitutum Davidis regis Iſraël. Per vices canebant (ויענו) Dominum laudando & confitendo: *Quod bonus & in ſeculum benignitas ejus ſuper Iſrael.* Univerſus populus jubilabant magno jubilo, cum Deus laudaretur, ſuper fundatione ædis Dominicæ. At multi ſacerdotum & Levitarum & patriarcharum, ætatis provectæ, qui viderant primam domum (ſexageſimus primus annus erat ab ejus everſione) videntes hanc domum in ſuis fundamentis oculis ſuis, voce alta ejulatum edunt. Sic mixtus clamor erat ejulantium & jubilantium, nec internoſci poterat: in longum autem ferebatur.

Apocryphus Eſdræ ſcribit congregationem populi ex habitationibus ſuis coiiſſe εἰς τὸ εὐρύχωρον τοῦ πρώτου πυλῶνος τοῦ πρὸς τῇ ἀνατολῇ. Finem v. 5. & 6. malè copulat: καὶ ὅσοι ηὔξαντο εὐχὴν τῷ θεῷ ἀπὸ τῆς νεομηνίας τοῦ ἑβδόμου μηνὸς ἤρξαντο προσφέρειν &c. Oleum datum etiam fuit Sidoniis & Tyriis, hic καὶ χάῤῥα τοῖς Σιδωνίοις καὶ τυρίοις. Κατὰ τὸ πρόσταγμα τὸ γραφὲν αὐτοῖς παρὰ Κύρου. Heb. כרשיון כורש. Porrò καὶ ἐθεμελίωσαν τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ τῇ νεομηνίᾳ, τοῦ δευτέρου μηνὸς τοῦ δευτέρου ἔτους, ἐν τῷ ἐλθεῖν εἰς τὴν Ἰουδαίαν καὶ Ἱερουσαλήμ. Ipſa neomenia jacta eſſe ſcribit fundamenta templi: Sethus Calviſius ideò ſequenti die poſt neomeniam vult eſſe factum quia neomenia ſacra erat. תרועה *jubilum*, vertit σάλπιγγας: העם מריעים λαὸς σαλπίζων.

ERAT EA TEMPESTATE] Beli & Draconis fabulam exponit, quam univerſa vetuſtas retulit in tempus poſt reditum & principium Cyri in Perſide regnantis. Antiquiſſimus enim error connecti finem Darii Medi & Aſtyagis. Pererius Torniellus, Salianus in tempus Evilmerodach referunt. Stultæ enim fabulæ futilitas ex eo arguitur, quod Cyrum Babylone regnantem & Beli ſtatuam colentem faciat: cum ſolem potius ritu Perſico adoraverit & ex minarum Dei argumento, Babyloniorum deos contriverit, ut eſt apud Eſaiam & Jeremiam. Nec eſt Cyri victoris reverentia & metus apud Babylonios qui in eum audeant inſurgere. Cyrus ſane Babylone regiam non habuit: cujus vaſtitatem procuravit. Scribit fabula diurnam penſitationem fuiſſe σεμιδάλεως ἀρτάβας δώδεκα καὶ πρόβατα τεσσαράκοντα καὶ οἴνου μετρητὰς ἕξ. Daniel increpitus à rege cur non adoraret Belum, reſpondet ſe Deum viventem adorare, conditorem cæli & terræ. καὶ ἔχοντα πάσης σαρκὸς κυρείαν. Cyrum dixiſſe, Belum vivere, quia quotidie tantum abſumeret. Cui Daniel: Non poſſe abſumere, quia foris æs, intus lutum erat. Cyrum hoc dicto intumeſcentem ſacerdotibus interminatum eſſe

ni

ni oſtenderent iſta à Belo abſumi, malè perituros. Conditio ſuſcepta eſt, ut Daniel periret, ſi abſumi à Belo oſtenderent. Sacerdotes erant ſeptuaginta præter mulieres & liberos. Hi occultis aditibus noctu tollebant appoſitum. Appoſito cibo vinoque exeunt ſed illis egreſſis cinere conſpergi pavimentum Daniel juſſit. Tum accurate clauſis foribus & annulo regio obſignatis de more noctu introëunt & abſumunt cibum vinumque. Mane ſummo rex clauſas obſignataſque fores inveniens & abſumptas dapes, antequam cum Daniele loqueretur, Laudes dicit Belo. Sed à Daniele ab ingreſſu prohibitus, monituſque ut veſtigia cineri impreſſa reſpiceret, animadvertit dolum. Sacerdotes cum conjugibus & liberis letho dati, Καὶ ἔδωκε τὸν βὴλ ἔκδοτον τῷ Δανιὴλ, qui eum & templum evertit. Erat & Draco ingens ex ære, quem Daniel permiſſu regis ſine machæra & baculo, infuſa maſſa picis, pinguedinis & pilorum dirupit. Babylonii inſurgunt in regem, quem jactabant Judæum factum eſſe, minantes, ni Danielem traderet. Danielem traditum demittunt in lacum, in quo ſeptem leones erant, quorum cuilibet quotidie δύο σώματα (duo homines) & duæ oves in eſcam objici ſolebant. Sex diebus in eo lacu Daniel fuit, quibus nihil leonibus datum ut vel fame adacti Danielem devorarent. Hic ab Habacuc, qui meſſoribus paraverat, crinibus prehenſo ab angelo & delato Babylona, cibatus Daniel eſt. ἥψησεν ἕψημα καὶ ἐνέθρυψεν ἄρτους εἰς σκάφην. Prandium igitur hoc ad Daniëlem attulit. Proinde Habacuc in Judæa fuerit & agrum coluerit cum vaſta jaceret & deſerta ab omni cultu, ſi fides Saliano & ejus ſententiæ popularibus. Si credendum fabulatori vixit poſt captivitatem Babylonicam. Nobis certum eſt Habacuc vixiſſe ante captivitatem. Septimo die rex ad lacum accedit, lucturus Danielem, quem cum videret ſalvum, Deo laudato, eripi juſſit & inimicos præcipitari, qui confeſtim dilaniabantur. Grotius de fabula iſta in verba Et rex Aſtyages] ***Hoc initium eſt narratiuncula ſequentis in editione*** Sixtina: ***pro qua narratiuncula neque Origenes, neque Apollinaris neque Euſebius reſpondere unquam Porphyrio voluere. Quod de Abacuco hic dicitur, plane ignotum eſt Judæis. Et Abacucus antè Nabuchodonoſorem vixit; cum hæc ſub Cyro geſta dicantur. Tum verò Danielis in leonum ſpeluncam miſſi aliam cauſam recitat ipſe Daniel.*** Hæc Grotius: Nemo enim dixerit niſi fatuus, Danielem bis in ſpeluncam miſſum eſſe.

SUL-

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI SECUNDI

Caput. X.

INterea Iudæi, quos ex permissu Cyri in patriam regressos supra memoravimus, urbem ac templum restituere aggressi, ut pauci atque inopes parum proficiebant: donec centesimo fere anno, Artaxerxe rege Persis imperitante, per eos, qui locis præerant, ab ædificando sunt deterriti. Etiam tum Syria atque omnis Iudæa sub Persarum Imperio per magistratus ac præsides regebatur. Igitur his consilium fuit, regi Artaxerxi scribere, non oportere Iudæis restituendæ urbis suæ copiam dari, ne pro contumaci ingenio, resumptis viribus, aliis gentibus imperare soliti, non paterentur sub alieno imperio degere. Ita comprobato â rege præsidum consilio, prohibita urbis ædificatio, usque in secundum Darii regis annum dilata est. Sed hoc tractu temporum, qui reges Persis imperaverint inseremus; quo facilius annorum series in ordinem contexta prodatur. Post Darium Medum, quem duodeviginti annos regnasse significavimus, Cyrus 31. annis rerum potitus est. Scythis bellum inferens, in prælio cecidit secundo anno postquam Tarquinius Superbus Romæ regnare cœperat. Cyro Cambyses filius ejus successit, regnavitque annos novem. Hic cum Ægyptum atque Æthiopiam bello premeret & subegisset, victorque in Persas reverteretur casu seipsum vulneravit, ex eoque ictu periit. Post hujus mortem magi duo fratres, natione Medi, menses septem Persarum regnum obtinuerunt. Ad hos interficiendos septem nobilissimi Persæ conjuraverunt: quorum princeps fuit Darius Hystaspis filius, natus ex fratre patruele Cyri, omniumque consensu regnum ei delatum: regnavit annos sex & XXX. Hic ante quadriennium quam decederet, apud Marathonem pugnavit, celeberrimo Græcis Romanisque historiis prælio. Id gestum post Romam conditam anno fere ducentesimo & sexagesimo, Macherino & Augurino consulibus: abhinc annos, si tamen investigatio Romanorum consulum non fefellit, DCCC. LXXX. & VIII. Omne enim tempus in Stiliconem consulem direxi. Post Darium Xerxes fuit, isque uno & viginti annis regnasse traditur: quanquam in plerisque exemplaribus viginti & quinque annos imperii ejus fuisse repperi.

DRUSIUS.

DONEC CENTESIMO FERE ANNO] rectè. Nam ab anno primo Cyri usque Artaxerxem, cognomento Longimanum, qui μακρόχειρ Græcis, anni sunt 97. totidemque menses. Quod ex hac tabula perspicuum fiet.

Cyrus rerum potitus est ann.	31
Cambyses ejus filius ann.	9
Magi duo mensibus.	7
Darius Hystaspis F. ann.	36
Asverus sive Xerxes ann.	31
Summa ann. 97.	mens. 7.

IMPERITANTE] Codex Coloniæ impressus, *imperante*. Sed non displicet *imperitante*. Sic cap. 2. *vocitata* dixit pro vocata. Vide Ezræ 4. 7.

LOCIS] vicinis.

DARII REGIS] Darii nothi, qui medius inter duos Artaxerxes. Porro Artaxerxen Ebræi Artaxasta vocant. Horum regum alius cognominabatur μακρόχειρ, id est, Longimanus, & alius, qui posterior, μνήμων, id est, Memor sive Recordans, ut quidem Hieron: interpretatur.

QUI REGES IMPERAVERINT] Præter Severum nostrum, etiam Hieronymus, qui Persis imperaverint, 14. recenset Dan. 7. cujus verba non pigrabor asscribere. *Post Cyrum, qui regnavit, annis triginta, scimus apud Persas regnasse Cambysen filium ejus, & fratres Magos, & deinceps Darium: cujus secundo anno cœptum est ædificari templum in Ierusalem: quintum, Xerxen, filium Darii: sextum Artabanum: septimum, Artaxerxen, qui μακρόχειρ, id est, Longimanus cognominatus est: octavum, Xerxen: nonum, Sogdianum: decimum, Darium cognomento Nothum: undecimum Artaxerxen, qui appellatus est μνήμων, id est Recordans: duodecimum, alium Artaxerxen, qui & ipse cognominatus est Ochus: tertium decimum Arsen Ochi filium: quartum decimum, Darium Arsami filium, qui ab Alexandro Macedonum rege superatus est.*

CYRUS UNO ET TRIGINTA] Huic ab Eusebio, Hieronymo & Justino triginta anni, ab aliis novem tantum tribuuntur. Magis autem Josephus annum unum integrum.

SCYTHIS BELLUM INFERENS IN PRÆLIO CECIDIT] Tomyris eo tempore Scytharum regina, compositis insidiis ducenta millia Persarum una cum ipso rege trucidavit, ita ut ne nuntius quidem tantæ cladis superfuerit. Caput Cyri amputatum, in utrem humano sanguine plenum conjectum fuit, cum hac exprobratione, *Satia te sanguine, quem sitisti.*

SECUNDO ANNO POSTQUAM TARQUINIUS SUPERBUS ROMÆ REGNARE CÆPERAT] Aliter sensisse videtur Hieronymus prologo in Haggæum Prophetam, quando secundum annum Darii Hystaspis incidere ait in annum 27. hujus Tarquinii. Verba sunt, *Quo tempore apud Romanos septimus à Romulo regnabat Tarquinius Superbus, habens annum imperii vigesimum septimum: qui post octo annos expulsus est à Bruto, ac deinde remp. per annos quadringentos sexaginta quatuor usque ad Iulium Cæsarem consules administrarunt.*

ANNOS NOVEM] Sex, Josephus: septem, Funccius: octo alii: vide cap. 15.

CASU SEIPSUM VULNERAVIT] Gladio sua sponte evaginato in

femore graviter vulneratus occubuit. Justinus lib. 1.

MAGI DUO FRATRES] Cometes & Otopastes. Idem.

MENSES SEPTEM] Annum integrum Josephus.

SEPTEM NOBILISSIMI PERSÆ] Quorum nomina extant apud Herodotum lib. 3. Sunt autem Otanes, Intaphernes, Gobrias, Megabyzus, Aspathines, Hydarnes, Darius Hystaspis, cujus pater Persis præerat.

DARIUS HYSTASPIS FILIUS] Sub hoc qui extructum putant templum Jerosolymitanum, falluntur. Non enim de hoc Dario intelligendi prophetæ sed de alio, qui fuit inter duos Artaxerxes, quem Nothum appellant. Res est, non conjectura.

NATUS EX FRATRE PATRUELE CYRI] Pater Cyri erat Cambyses, Hystaspis Arsamenes. Ergo Cambyses & Arsamenes fratres erant, & horum filii fratres patrueles. Natu maximus filiorum Hystaspis Darius, occiso Pseudosmerdi, Persarum regnum è magorum manibus vindicavit, equique sui hinnitu rex declaratus est. Quod Cyro in Scythiam expeditionem facienti longè ante revelatum fuerat in somnis. Vide Herodotum lib. 1.

APUD MARATHONEM PUGNAVIT] Herodotus lib. 1. Thucydides 3. & 6. Just. 2.

SEXAGESIMO] Sexagesimo secundo. Funccius.

MACHERINO ET AUGURINO CONSULIBUS] T. Genutio Macherino & P. Minutio Augurino: qui consules fuerunt, teste Livio, anno urbis CCLIX.

DCCC. LXXX. & VIII.] Scaliger addit biennium solidum. *Nam à consulatu*, inquit; *Macerini & Augurini ad consulatum Stiliconis, anno Christi Dionysiano CCCC. indictione XIII. anni sunt præcisè DCCCXC.*

OMNE TEMPUS IN STILICONEM CONSULEM DIREXI] Fl. Stilico consul fuit anno Christi 400. mundi verò ut quidem è Sulpicio nostro Giselinus computat 5869. vel potius 5819. imperante Honorio.

XERXES] Qui Asverus vocatur Ezræ 4. 6. de sententia Scaligeri quam firmat res ipsa. Nam post eum commemoratur Artaxerxes, cui Darius successit, sub quo templum ædificatum fuit.

UNO ET VIGINTI ANNIS] Perperam in Sigonio *uno & triginta*. Chronico Eusebii *Persarum quintus Xerxes filius Darii ann. XX.* Exemplaria quæ vidi, nihil hodie variant. Videntur tamen olim variasse. Nam quæ sequuntur, *quanquam in plerisque exemplaribus viginti & quinque annos imperii ejus fuisse reperi*, de Eusebianis vulgò interpretantur. Quanquam fieri potest ut alia Chronica in mente habuerit. Ut ut sit, sunt qui Xerxi viginti octo annos imperii tribuant. Ceterum omisit successorem Xerxis Artabanum, quia menses tantum septem regnavit, qui menses in ordine annorum reputantur, ait Eusebius.

SCHOTANUS.

URBEM AC TEMPLUM] De urbis instauratione historia sacra nihil dicit. Est autem restitutio cœpta à Zorobabel perfecta per Nehemiam. Cyri edictum templum exprimit nominatim, non exprimit urbis restaurationem. Esaias quidem prædixerat cap. XLV. v. 13. *Ædificabit urbem meam & dimittet captivos meos sine pretio & munere.* Sed ut Cyro regnante urbis restitutio initium capiat, inde non conficitur. Qui causa est ut alius faciat, facere dicitur. Cyri edictum oblique innuit jussum de restauranda urbe, quia si templum instaurandum,

randum, etiam urbs sancta, quam Deus sedem templo esse voluit, instaurari debuit. Et hoc edictum Cyri fundamentum fuit edicti Darii & Artaxerxis, quæ nihil nisi edicti Cyri renovatio & confirmatio.

UT PAUCI ATQUE INOPES] Numerus erat 42360, ut supra diximus, qui cum Jesu, Nehemia, Esdra regressi, pauciores igitur prima illa migratione, à quibus cœpta templi ædificatio. Secunda causa invidia & impedimentum à vicinis gentibus. Tertia, negligentia & socordia quam ipsis objecerunt Haggæus & Zacharias prophetæ. Propria enim curabant potius quam Divina. Quarta, Inopia. Nam satrapæ præsidesque corrupti ab hostibus necessaria subtrahebant nec porrigebant manum. Paucitas illa Judæorum Dei benedictione in tantum procrevit numerum, ut colonias emiserint per Asiam, Africam & Europam & omnia ejus gentis hominibus plena fuerint ut patet è Josepho & Philone.

PARUM PROFICIEBANT] Vicinæ gentes maxime Samaritæ (quos Judæi Chuthæos appellant) ipsos impediebant. Satrapas præsidesque Syriæ & Judææ largitionibus corrumpebant & frequenti interpellatione. : Jos. οἱ δὲ ἐξ χρήμασι διαφθαρέντες ὑπ' αὐτῶν ἀπημπόλησαν τοῖς Χουθαίοις τὸ περὶ τοὺς Ἰουδαίους ἀμελὲς καὶ ῥᾴθυμον τῆς οἰκοδομίας. Cyro adhuc vivente, qui bellis occupatus, ista parum observabat, iniquitas illa cæpit. Cum enim inimici (Esdr. cap. IV.) Judæ & Benjamin intelligerent, filios captivitatis Deo Israelis, templum condere, adeunt Zorobabel & patriarchas: *Ædificemus vobiscum. Nam Deum vestrum quærimus ut vos. Immolavimus enim (Domino) à diebus Sardanapali (in apocrypho Esdræ Asbacaphas), regis Assyriorum, qui nos huc traduxit.* Zorobabel, Jesus & patriarchæ, Non convenire respondebant, ut conjunctim cum illis conderent: se solos ædificaturos, ut & edictum Cyri continebat. Repulsi non destiterunt molestiam facessere terræ incolæ, manus condentium premere & turbare. Pecunia conducebant (יועצים) consiliatores, qui regnantibus Cyro & sequentibus regibus usque ad Artaxerxen primum variis moliminibus id egerunt sed quæ inhibitionem tamen efficere non potuerunt. In aulis regum nunquam desunt, qui venalem operam habent. v. est 5. *Conducebant consiliatores adversus eos, ut eorum consilium irritum facerent: omnibus diebus Cyri regis Persiæ usque ad regnum Darii regis Persiæ.* Græci: Καὶ μισθούμενοι ἐπ' αὐτοὺς βουλευόμενοι (leg βουλευομένους) τοῦ διασκεδάσαι βουλὴν αὐτῶν πάσας τὰς ἡμέρας Κύρου βασιλέως Περσῶν καὶ ἕως βασιλείας Δαρείου βασιλέως Περσῶν. In Hebræo ellipsim esse literæ Vau, haud dubium est. Nam generalis & summaria propositio docet, quandiu apud reges Persarum succedenter laboratum sit & primò impeditum secundò inhibitum opus templi. Omnibus diebus Cyri, imò usque ad Darii regnum. Quis autem Darius intelligatur, patet è fine capitis: *Usque ad secundum annum regni Darii.* Ubi est expositio hujus versus. Darius qui primo Artaxerxi successit & secundo prior est, non potest alius esse, quam Darius Nothus.

v 6. ARTAXERXE REGE] Scribitur in principio regni Assueri molitionem validiorem adhibitam, quam hactenus fuerat, cum & querelam scripserint ad istum regem: sed & illa interdictum non elicuit. Efficax autem fuit altera epistola, data ad filium & successorem Artaxerxem. Epistolam illam scripserunt Baslam (Græci ἐν εἰρήνῃ) Mithridates, Tabeel & reliqui ejus societatis (collegii) (כנותו) Græci male, quasi ad eos scriptum fuerit. Scripserunt hi ad Artaxerxem sermone Syro. Reum (בעל־טעם) cancellarius (Græci & vulg. accipiunt pro nomine proprio) & Samsai scriba scripserunt epistolam ad regem Artaxerxem adversus Hierosolyma in hunc modum: Reum commentariensis & Samsai scriba & re-

 liqui

liqui ejus societatis: Dinæi, Apharsathachæi, Tarphalæi, Apharsæi, Archuæi, Babylonii, Susanachæi, Davæi, Elamitæ (desunt in Græco) & reliqui populi, quos magnus & clarus Asenaphar è sedibus suis traduxit in Samariam: etiam reliqui cis flumen, tali tempore. Hæc erat inscriptio & titulus. Apographum literarum erat: Servi tui, viri cis flumen, tali tempore. Notum esto regi, quod Judæi, qui emigrarunt à te, ad nos advenerint Hierosolymam: condentes rebellem & pravam civitatem, cujus mœnia instaurant & fundamenta conjungunt. Notum esto regi, si urbs condetur & mœnia instaurabuntur (מנדא בלו והלך) censum & tributum & reditum non solvent, & damnum erit ærario regis. Quia salarium è palatio accipimus & damnum regis videre nefas ducimus: ideò mittimus ut notum faciamus regi. Nam inquiratur in libro commentariorum patrum tuorum, inde cognoscetur, urbem illam semper rebellem & adversam regibus provinciisque fuisse & in ea bella conflata ab antiquo, atque hac de causa evastatam. Sciat igitur rex si urbs restaurata fuerit & mœnia redintegrata tuam dominationem cis flumen finem habere. His responsum à rege est: Accusatio, quam ad nos misistis explicate lecta est coram me. Jussu meo inquisitum inventumque urbem illam ab antiquo insurrexisse adversus reges: rebellionem & bella in ea cojisse. Etiam reges potentes præfuisse Hierosolymis, qui usque ab Eufratem dominati sunt: quibus (מדה בלו והלך) *Piscatorium vetus & vectigal*, datum est. Jam constituite consilium ad impediendum viros istos, ut non condatur urbs illa, donec à me statutum fuerit. Cavete errorem in hac re committere, ne crescat ruina in damnum regium. Alacres igitur hoc scripto, advolant Hierosolyma Judæosque impediunt armata manu. Ita cessavit opus ædis usque ad secundum annum Darii.

Hierosolymam rebellem dicunt: Grot. *Credibile id fiebat ob instituta Judæorum diversa ab aliis. Ob id teterrimam gentem dixit Tacitus, qui & hoc habet: Prævide*rant conditores ex diversitate morum crebra bella. *Item:* Empto jure muniendi struxere muros in pace, tanquam ad bellum. Idem de vocibus illis tribus tributum notantibus: *Videtur intelligi tributi nomine, quod in capita datur, vectigalis, quod in merces, redituum, quod de agris.* Ita interpretatur Vulgatum.

Josephus (cum eo Hieronymus & plerique) per Artaxerxem intelligit Cambysen: Reum appellat ῥάθυμον, Samsai Σεμέλιον. Scriptura populos Samariæ & Syriæ recenset, ille scribit pro iis & antecedentibus confuse οἱ τῆς βουλῆς τῆς ἐν Συρίᾳ καὶ Φοινίκῃ κριταί. בעלטעם interpretatur ὁ πάντα τὰ προσπίπτοντα γράφων. τείχη πύλην καὶ ἀγορὰς αὐτῆς leg. ἀγυιάς. Ita legisse Rufinus videtur, qui ineptè reddidit *fores ejus.*

Hi homines de ædificatione templi non meminerunt, sed de urbe loquuntur & mœnibus, scriptura tamen de templo solo meminit. Josephus in istis literis templum & mœnia conjungit, more suo scribens è conjectura. Isti autem homines ideò templi non meminerunt, quia de ejus disturbatione loqui non tam plasibile habebat argumentum apud regem, quam de mœnibus, quibus confisi possent rebellionem parare. Templi tamen structuræ isti populi Samariæ potissimum invidebant. Credo urbis mœnia & templum simul structa esse, sed ferventius tamen opus templi ursisse. Nam Nehemias Jerosolymæ mœnia in ruderibus jacentia invenit.

Ineptum etiam est in Josepho, quod fingat eos scribere: ἀποκέκλεισταί σοι ἡ ὁδὸς ἡ ἐπὶ κοίλην Συρίαν καὶ Φοινίκην. Nam sensus, quem supra expressimus. Hinc scribit opus dilatum esse in annos 9. usque ad secundum Darii Hystaspis. Nam sex annos tribuit Cambysi (& frustra hunc errorem Scaliger conatur excusare) unum magis, quibus adjungit duos Darii.

Vul-

Vulgatus interpres in quibusdam editionibus glossema habet in v. 6. de Assuero; *Is est Artaxerxes.* Id defendit Grotius: *Sic in Esthera libro, qui* אחשורוש *Hebræis, Græcis interpretibus & Iosepho est* Ἀρταξέρξης, *quanquam Iosephus hunc etiam Cyrum vocatum dicit. Videtur post Cyrum illum magnum nomen gentilitium fuisse Persarum regibus* Ξέρξης *&* Ἀρταξέρξης *præter nomen, quod habebant ante imperium.* Hoc probat primo: *Omnes reges post illum memoriosum dictos* Ἀρταξέρξας *ait Diodorus Siculus lib.* 15. R. Verum sed nemo solo illo cognomento unquam appellatus est, præcipue in historia, quæ discriminare personas laborat. Secundo Jachiadi etiam ad Danielem VII. 5. Darium ultimum dici Artaxerxen. R. Nihil futilius est Judæis in historia externa. Frustra grammaticatur de communi vocabulo Artaxerxes & hinc concludit: *Ex hoc ergo tam communi nomine, quis hic rex fuerit sciri non potest nisi adsint temporum argumenta, quæ quam sint obscura, ostendunt eruditissimorum, qui ætatem in iis rebus triverunt, in hanc diem certamina. Eum, de quo hic agitur Cambysen esse volunt multi, alii Smerdim magum. Esthera maritum, alii Cambysen, alii Darium Hystaspis, alii Artaxerxem memoriosum, alii Artaxerxem longimanum. Horum omnium operosis ac litigiosis disputationibus perlectis, quid est, quod dicas aliquis ex iis maxime, quibus non est multum ad ista otii, nisi illud Terentianum:* Fecistis probe: incertior sum multò quam dudum. R. 1. Quam laborat omicantem veritatem premere in gratiam Latinæ & Græcæ editionis? 2. Achasuerus ipso literarum indicio esse Xerxen fatetur, cur igitur ex eo Artaxerxen facit? 3. Confusio illa vocum non reperitur in historicis Græcis antiquis, qui accuratè suis nominibus distinguunt omnes & singulos. Etiam Hebræus textus iisdem nominibus distinctè appellat quemlibet regum. 4. Assuerus sive Xerxes, qui est ante Artaxerxen prædecessorem Darii, non potest esse alius quam Xerxes. 5. Amant illi ignari historiæ confundere nomina, quod est asylum ignorantiæ & paratum confugium perturbationis. Sic Sasbasar confunditur cum Zorobabel, qui apertissime distinguuntur: cum tradiderit rex captivos & vasa templi non æchmalotarchæ Judæorum sed suo regionis præsidi. Si appellationibus illis communibus mos sit in historia reges appellare, cur non valet idem de vocabulo Ochus, satis communi, & adjecto capiti vocis Assueri? Vir magnus alius Josephum contendit defendere sed ita ut primò Græcos scriptores antiquos, qui iisdem temporibus vixerunt, ausus sit arcessere mendacii aut stoliditatis, qui nescierint, cum quibus aut sub quibus Persarum regibus vixerint. Canonem ipsum Chronologicum, quem prius stabilierat, mox (quia quidvis audet) rejicit. Assuerum hunc vult fuisse filium Darii Medi, quod nemo dixit, sed ita ipsi placet. In suis enim commentis fundat alia commenta. Deus suæ veritati adversus tantam impudentiam & proterviam eruditione & facundia armatam consulat. Piscator & Junius optimi interpretes largiuntur, Darium hunc esse Darium nothum, quia veritati apertæ contradicere fas non est. Vide differentiam inter Josephi Chronologiam & Sulpicii.

Cyrus regnat annis 30.

Cambyses annis sex juxta Josephum, sed novem secundum Sulpicium. Hic ut putat Josephus est ille qui templi ædificationem inhibuit. Smerdes magus annum unum.

Darius Hystaspis annis 36. Hujus anno secundo prophetantibus Haggæo & Zacharia restitui cœpit templum, Xerxes uno & viginti annis.

Artaxerxes I. ann. 41. Hic juxta Sulpicium & veritatem sacram inhibuit opus templi.

Darius 1. seu Nothus. Hujus anno 2. juxta Sulpicium & veritatem condi cœpit templum.

Secundum Josephum 39. anni fuerunt à primo anno laxatæ captivitatis ad templi conditum; juxta Sulpicium centum triginta octo, nisi quadriennium in Xerxe addendum sit.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI SECUNDI

Caput. XI.

Huic successit Artaxerxes, cujus supra mentionem fecimus. Hic cum inhiberi ædificationem urbis Judaæ templique jussisset, suspensum opus usque in secundum Darii regis annum pependit. Sed ut usque ad eum temporum ordo connexus sit, Artaxerxes annos regnavit unum & quadraginta, Xerxes duobus mensibus. Postque eum Sucdianus septem mensibus fuit. Darius deinde, sub quo templum est restitutum, regnum adeptus est, cui Ochus tum nomen erat. Hic cum ex Hebræis tres adolescentes spectatæ fidei, corporis custodes haberet, unusque ex his prudentiæ documento admirationem regis in se convertisset, delato sibi optione petendi siquid animo concepisset, ingemiscens patriæ ruinis copiam restituendæ urbis poposcit meruitque à rege, ut sub regulis ac præsidibus imperaret, ut ædificationem sacræ ædis præbitis impendiis maturarent. Ita templum quadriennio consummatum sexto post anno quam Darius regnare cœperat, idque Judæis satis visum: & quia magnæ molis erat urbem restituere, diffisi viribus, opus multi laboris incipere non ausi, templo continebantur.

Drusius.

Artaxerxes] Qui & Artoxerxes, Ebraice autem Arthachsastha. Duo autem fuerunt hujus nominis, quorum prior, de quo hic sermo, μακρόχειρ, id est, Longimanus congnominabatur, posterior, qui Dario notho successit, μνήμων dictus est, id est, Memor, sive ut Hieron. interpretatur, Recordans. Vide quæ notavimus ad cap. 10.

Cum Inhiberi Ædificationem] Ezræ 4. 7.

Annos Unumet Quadraginta] In Eusebio 40. tantum.

Xerxes] Alter sive secundus.

Suc-

Sogdianus] Alibi Sogdianus, quod magis arridet. Hos duos reges plerique omittunt. Sanè Thucydides statim à morte Artaxerxis Darium regnasse scribit.

Septem Mensibus] Sic etiam Eusebius. Quanquam in exemplari, quod Henricus Stephanus excudit, *Sogdianus menses 8.* sequitur in eodem, *sic per menses his superioribus annus accrescit.*

Darius Deinde] Cognomento Nothus. Euseb.

Sub Quo Templum Est Restitutum] Anno regni ejus altero.

Cui Ochus Tum Nomen Erat] Darius Ochus, ut Artaxerxes Ochus. Vox hæc in lingua Persarum magnum significat. Quod notatum Ebræis in Ahasveros. Nam Ochos & Achas idem valent. Darius ergo Ochus, id est, magnus, Carolus magnus. Omne enim magnificum magnum dicebant ut mater magna, Dii magni, rex magnus.

Ex Ebræis Tres Adolescentes] Zorobabel ex Ebræis erat. Etiamne ceteri? mihi nusquam id lectum quod meminerim. Historia refertur 3. Ezræ. 3. & apud Josephum lib. 11. cap. 4. itemque in historia Ebraica fol. 11. col. 2.

Corporis Custodes] *σωματοφύλακες, οἱ φυλάσσοντες τὸ σῶμα τοῦ βασιλέως*: corporis custodes, qui custodiebant corpus regis 3. Ezræ 3. 3. שומרי ראש המלך *capitis regii custodes*, sive, *qui custodiebant caput regis.* Historia Ebraica.

Unusque Ex His] Zorobabel, qui eo loco erat apud hunc regem, quo Daniel fuerat apud alios: cujus elogium habetur in historia Ebraica, *An vidistis in universa terra* (verba sunt Darii ad principes suos) *similem huic Zorobabelo, virum intelligentem & sapientem, spiritu Danielis præditum*, &c. Ad hunc locum Sigonius annotat, *Videndum est autem Sulpicio, num rectè Zorobabel dici adolescens, regnante Dario secundo possit, qui centum amplius annos ipso supputante haberet.* Scire licet duos Zorobabeles fuisse. Quod observatum Galatino de arcanis catholicæ veritatis lib. 7. cap. 12. Vide, si placet. Ut ut sit, Zorobabel hic egit cum Dario secundo, & non cum primo. Liquet ex eo quod Darius, sub quo vixit, inter duos Artaxerxas ponetur. Quis autem ille nisi Darius secundus?

Prudentiæ Documento] Nam cum quæstio mota esset, Quænam res majores vires haberet, & unus dixisset vinum, alter regem: Zorobabel tertius mulierem, & supra omnia veritatem: cujus prudentiam rex admiratus, dedit ei optionem petendi quod vellet.

Copiam Restituendæ Urbis] id est, licentiam, facultatem. Inferius cap. 13. *daret sibi eundi & restituendæ ejus potestatem.*

Restituendæ Urbis] Et ædificandi templi. Nam utrumque rex voverat 3. Ezræ. 4. 43. & 44.

Quadriennio] Nam anno secundo Darii cœptum, sexto demum consummatum fuit, 3. Ezræ. 6. 2. & 7. 5.

Schotanus.

In secundum Darii regis annum] Cum Judæi ab opere templi cessarent & per oppida dispersi secularibus & victus negotiis agerent intenti, iratus Deus negligi suum opus, sterilitate puniit populum. Ita septuaginta annis afflicti sunt. Haggæus (2. anno Darii sexti mensis die primo) primo capite

V. 4.

v. 4. 5. 6. &c, redarguit, quod dicerent, nondum tempus venisse, ut ædificarent domum Dei, cum ipsi laqueatis ædibus habitarent. Monet ut intueantur maledictionem, qua opera agri eorumque negotia fuerant maledicta. Si incumbant operi, benedictionem secuturam. Zorobabel filius Salathiel & Jesus filius Josedec cum universo populo reliquiarum audierunt & timuerunt sibi à Domino. Secundo anno Darii mense sexto Zorobabel & Jesus accingunt parantque se operi. Mense septimo die vigesima prima monuit Haggæus (Hagg. 2. 2.) Zorobabel, Jesum, populumque, aspicerent, si qui forte primæ ædis amplitudinem vidissent & hujus præ illa vilitatem & parvitatem dolerent, hujus ædis gloriam superaturam esse primæ illius majestatem, idque ob adventum Messiæ, quem vocat desiderium gentium: Deumque pacem daturam loco illi. Vigesimo quarto die noni mensis monet impurum esse quicquid agerent sed ab hoc tempore, quo struere incipiebant Dei benedictionem affuturam. Zorobabeli Dei nomine benedicit. Zacharias etiam cap. 1. v. 1. secundi anni Darii mense octavo; Et cap. 1. v. 2. die 24. mensis XI. ejusdem anni prospera promit, ut elapsis jam tristibus annis septuaginta: Jesum filium Josedec & Zorobabel extollit: visiones habet propheticas varias. Celebrat Chelem, Tobiam, Idæam, Chen filium Sophoniæ. Hortatur ad vitæ emendationem. Proinde Haggæus, Zacharias, aliique vates excitarunt ad ædificandum templum. Videntur etiam, quamvis leviter manum admovisse mœnibus reficiendis.

Fama (cap. VI. Esdræ) de resumpto opere excivit Thatanai, satrapam regionis cis Euphratensis, Starboznai cum societate sua: qui redarguunt audaciam cœpti, manus tamen non inferunt Deo rem moderante. Illi igitur cum Apharsachæis literas ad Darium mittunt. Salutem Dario: Profecti sumus in Judæam ad ædem Dei magni quæ conditur magnis saxis & ligna parietibus imponuntur. Festinatur opus & feliciter procedit. Seniores interrogavimus, quis eis templi & mœnium reparandorum dedisset mandatum: quæsivimus etiam de nominibus capitum ut ad te scriberemus. Responsum tulimus: Nos sumus servi Dei cæli & terræ & condimus ædem, structam ante longum tempus à magno quodam rege in Israël: sed ob peccata majorum, traditi sunt in manum Nabuchodonosori qui ædem diruit populumque captivum abduxit. At primo anno Cyri, à quo Babylone regnavit, datum ab eo edictum est domus restaurandæ: reddita vasa templi & Sasbasari commissa. Sasbasarem (quem פחה vocant) fundamenta posuisse. Inde ædificatum nec dum consummatum. Petere ut inquiratur in ærario regis Babylonico, an ejusmodi edictum à Cyro editum fuerit. seque avere nosse, quæ regis mens esset de hoc negotio. Regio jussu quæsitum est בבית ספריא in archivis Babylonicis. Achmethæ, in turri Mediæ volumen repertum est, in quo argumentum edicti Cyri legebatur. Rex igitur Thathnæo & Starboznæo sociisque & Cuthæis mandat ut ne impedimentum darent. Ut præses Judæorum & seniores condant ædem suo loco. Velle etiam ut è regiis reditibus trans flumen (id est ad occasum) sumptus suppeditentur, ne qua in re mora sit operi. Tum quicquid opus esset, juvencos (בני תורין) arietes: agnos in holocaustum Deo cæli: triticum, sal, vinum, oleum, ex arbitratu sacerdotum, qui Hierosolymis essent, quotidie suppeditari plenissime: ut offerant oblationes bonæ fragrantiæ Deo cæli & orent pro vita regis servorumque ejus. Sancire se, quicunque huic verbo non paruerit, ex ejus ædibus lignum sumendum statuendumque ut ex eo suspendatur: domum ejus in sterquilinium redigendam: claudit diris, ut Deus, qui illic suum nomen collocaverat, dejiciat reges populosque, qui manus suas extenderint ut

aliter

aliter faciant, perdantque ædem Dei Hieroſolymis. Ego Darius mandatum dedi ut feſtinanter expediatur. Obſequuntur voluntati regiæ Thathanæus & Stharbuznæus ſocietasque eorum, quia videbant ita velle regem. Opus igitur feliciter procedebat ex Dei verbo & edicto Cyri, Darii, Artaxerxis (filii regis Darii) Hic Artaxerxes jungitur Cyro & Dario, immediate ſubjicitur Dario, v. 14. cap. VI. Eſdr. Hoc etiam argumentum eſt non fuiſſe alium Darium, quam Nothum, qui edictum renovavit: quia habuit filium Artaxerxem qui patris voluntati conſenſit. Darius Hyſtaſpis quartus regum Perſiæ longe remotus fuit ab Artaxerxe primo. Sexto anno Darii conſummatum eſt templum, at quid Artaxerxi longimano cum ſexto anno Darii Hyſtaſpidæ, quandò necdum natus erat. Artaxerxes memor apud Plutarchum regnaſſe memoratur annis 62: alii 43. dicunt imperaſſe. Si patris Darii 19. tollas, manebunt 43, quibus ſolis imperium tenuit: ita pater eum collegam regni aſſumpſit à principio regni ſui. Hoc hic approbatur. Zacharias (cap. VII.) vaticinatus etiam eſt anno quarto Darii, menſis noni, qui Chaſleu eſt, die quarto, cum miſſi eſſent (à Judæorum publico) Sareſer & Regemmelech ejusque viri, ut deprecarentur faciem Dei: cum hoc verbo ad ſacerdotes, qui erant in ædibus Domini exercituum & prophetas: Eſtne mihi flendum menſe quinto, ſeparando me, ut feci jam multis annis? Sacerdotibus à Deo per Zachariam reſponſum eſt. Cum jejunium ageretis & luctum menſe quinto & ſeptimo his annis ſeptuaginta, mihine ullo modò jejunium egiſtis? Cum ederetis & biberetis, vos eratis, qui ederetis & biberetis, Nonne eadem illa vobis Dominus per prophetas priores, cum Hieroſolyma & Judæa colerentur in pace, locutus eſt? Illos prophetarum monitis non eſſe obſecutos, ideò in vaſtitatem veniſſe. Nunc promittit (cap. 8.) proſperitatem & benedictionem, juxta verba vatum, quæ circa initium ædificationis templi locuti erant. Sionem caput ſuum in ſublime elaturam eſſe. A templi ædificatione populi iſtius tot jam annis reſtituti in patriam, ſed hactenus infeliciter & miſere agentis, ſtatus, emergere & efflorescere cæpit. Præcipua miſeria populi fuerat ſeptuaginta annis proximis, quibus cælum ſolumque negabat proventum ſuum & improſperè omnia negotia ac retrò ſublapſa ferebantur. Supplicationes quinto & ſeptimo menſe inſtituebant quotannis, ſine ullo profectu, quia negligenter templi opus curabant.

Sexto anno Darii tertio menſis Adar conſummata eſt ædificatio ædis Domini. Encænia celebrata ſunt à filiis Iſrael, ſacerdotibus Levitisque & cæteris filiis captivitatis, feſto gaudio. Immolant in dedicationem centum boves, ducentos arietes, quadringentos agnos tum duodecim hircos caprarum, in peccatum pro toto Iſrael, juxta numerum tribuum. Conſtituunt ſacerdotes in diviſionibus ſuis (בפלגתהון) & Levitas in ſuis diviſionibus (במחלקתהון) ſuper opus Domini. Eſdras apocryphus malè *κατὰ φυλὰς*, niſi ſit legendum *κατὰ φυλακάς*. Latina verſio etiam habet *per tribus*. Ita factum juxta legem Moſis, Paſcha etiam celebratum eſt ſequentis anni, menſis primi die decimo quarto. Sacerdotes & Levitas ſe purificaverant ad unum omnes, mactabant (Levitæ) paſchata pro omnibus filiis captivitatis, ſuisque fratribus ſacerdotibus & ſeipſis. Ita veſcebantur filii Iſrael reduces è captivitate, & quicquid ſe purificaverat ab impuritate gentium terræ, ut quæreret Dominum, Deum Iſraël. Gentiles hi erant, qui circumciſione Judæis ſe conjunxerant. Feſtum azymorum celebratum diebus ſeptem cum lætitia. Nam Dominus eos lætificaverat, qui ad eos cor regis Aſſur (ſic vulgò appellabant Perſas) flexerat, ut manus eorum firmaret in opere ædis Dei, Dei Iſraël.

Tres prophetæ in volumine prophetarum duodecim habentur, qui locuti sunt post reditum, Haggæus & Zacharias, ut ad opus templi populum excitarent, Malachias jam consummato templo. Hic redarguit sacrilegia, matrimonia cum externis mulieribus, perfidiam conjugalem; promittit Dominum venturum ad templum præcursore Johanne baptista.

I. Josephum & Esdram apocryphum componamus cum dictis. Conveniunt enim inter se. Josephus primò scribit Darium Hystaspis, privatus cum adhuc esset, pollicitum esse Deo, si ad regnum eveheretur, se reliqua, quæ adhuc Babylone remanserant vasa ædis Domini, missurum ad templum Hierosolymitanum. Hujus voti meminit Pseudo-Esdras cap. 4. v. 43. 44. 45. Non apparet Pseudo-esdram in eadem sententia hæsisse, in qua hæsit Josephus. Nisi quod Zorobabel appellet *νεανίσκον*: quod non potest quadrare centenario majori.

II. Fabulam de tribus satellitibus Darii de problemate contendentibus, Quodnam fortissimum esset, Apocryphus habet cap. 3. & 4.

III. versus 1. 2. cap. 3. Καὶ βασιλεὺς Δαρεῖος ἐποίησε δοχὴν μεγάλην πᾶσι τοῖς ὑπ' αὐτὸν καὶ πᾶσι τοῖς οἰκογενέσιν αὐτοῦ καὶ πᾶσι τοῖς μεγιστᾶσι τῆς Μηδίας καὶ Περσίδος καὶ πᾶσι τοῖς σατράπαις καὶ στρατηγοῖς καὶ τοπάρχαις τοῖς ὑπ' αὐτὸν ἀπὸ τῆς Ἰνδικῆς μέχρις Αἰθιοπίας ἐν ταῖς ἑκατὸν εἰκοσιεπτὰ σατραπείαις. Jos. τῷ δὲ πρώτῳ τῆς βασιλείας ἔτει Δαρεῖος ὑποδέχεται λαμπρῶς καὶ μετὰ πολλῆς παρασκευῆς τούς τε περὶ αὐτὸν καὶ τοὺς οἴκοι γεγονότας καὶ τοὺς τῶν Μήδων ἡγεμόνας καὶ σατράπας τῆς Περσίδος, καὶ τοπάρχας τῆς Ἰνδικῆς ἄχρι τῆς Αἰθιοπίας καὶ τοὺς στρατηγοὺς τῶν ρκζ' σατραπειῶν.

IV. Cum abiissent, *emigrassent* (ἀνέλυσαν, quo verbo bis utitur Apocryphas, semel etiam utitur Josephus) è convivio, dormituri, rex concessit cubitum, dormiit & evigilavit (ἔξυπνος ἐγένετο. Jos. idem verbum) Tres corporis custodes (*νεανίσκοι* Apoc.) adhibet ad colloquium.

V. Horum unus erat Zorobabel, quem Josephus dicit, circa illud tempus advenisse ad regem, Hierosolymis: ὃς τῶν αἰχμαλώτων Ἰουδαίων ἡγεμὼν ἀποδέδεικτο. Videtur velle, quod omnium Judæorum tam in Judæa, quam Babylone hærentium præfectus fuerit. Huic enim veterem cum rege amicitiam fuisse. ὁ δὴ καὶ σωματοφυλακεῖν αὐτὸν μετ' ἄλλων δύο κριθεὶς ἄξιος, ἀπέλαβεν ἧς ἤλπισε τιμῆς.

VI. Præmium ponitur, πορφύραν περιβαλέσθαι καὶ ἐν χρυσώμασι πίνειν καὶ ἐπὶ χρυσοῦ καθεύδειν, καὶ ἅρμα χρυσοχάλινον καὶ κίδαριν βυσσίνην καὶ μανιάκην περὶ τὸν τράχηλον Καὶ δεύτερος καθιεῖται Δαρείου διὰ τὴν σοφίαν αὐτοῦ, καὶ συγγενὴς Δαρείου κληθήσεται. Hæc etiam exprimit Josephus qui *μανιάκην* vertit περιαυχένιον χρυσοῦν.

VII. Apocryphus Esdras, problema obsignatum & separatim traditum, suppositum esse cervicali regio, quod cum evigilaret, publice fuerit prælectum &c. Has circumstantias non exprimit Josephus, eodem modo. Primus de vini potentia disseruit, alter (cap. 4.) de potentia regis: tertius de potentia mulierum & veritatis.

VIII. Regem scribunt à Zorobabel (Hic tertius disserebat) dici alapis se passum fuisse cædi regem ὑπὸ τῆς Ῥαβεζάκου τοῦ θαυμασίου παιδὸς Ἀπάμης. Apoc. Καὶ Ἀπάμην τὴν θυγατέρα Βαρτάκου τοῦ θαυμαστοῦ, τὴν παλλακὴν τοῦ βασιλέως.

IX. Cum omnium suffragio vicisset Zorobabel, & veritas, rex ipsi offert, ut peteret, quid vellet fieri, ipse autem regem monuit voti de templo Hierosolymorum.

X. Rex annuit petitioni Zorobabel facitque omnia, quæ necessaria esse videbantur. Pseudo-esdras & Josephus instruunt ita narrationem quasi Judæorum

deorum hæc prima fuerit emigratio è Babylone; quasi edictum Cyri nullum aut exiguum habuerit effectum; quasi hinc incipiat solutio captivitatis. Ideo Zorobabel Babylona ivisse, cum epistolis, quibus instructus erat, easque Judæis ostendisse, Καὶ ηὐλόγησαν τὸν θεὸν τῶν πατέρων αὐτῶν ὅτι ἔδωκεν αὐτοῖς ἄνεσιν καὶ ἄφεσιν, ἀναβῆναι &c. Septem diebus festam lætitiam egisse. Exiisse ἀρχηγοὺς οἴκων πατριῶν κατὰ φυλὰς &c. Equitum mille præsidio cum instrumentis Musicis, tympanis & tibiis Hierosolymam profectos esse.

XI. Cum Hierosolymam venissent septimo mense ædificasse aram: Deinde celebrasse Scenopegiam. Adeò omnia, quæ sunt in capite tertio veri Esdræ referunt ad Darii hujus annum secundum. Cum ad Cyri edictum illa pertineant. Ejus capitis v. 7. scribitur Tyrios vexisse ligna ex edicto Cyri. Id incrustat Josephus qui scribit. Τοῦτο γὰρ πρῶτον μὲν Κῦρος ἐκέλευσε τότε δὲ Δαρείου κελεύσαντος ἐγένετο. Sic & reliqua illic exsequitur Josephus, quæ sunt capitis tertii veri Esdræ.

XII. Tum etiam cap. IV. applicant consequenter huic tempori Darii. Volunt enim hos eosdem esse numero hostes & satrapas, qui in vero Esdr. cap. V. memorantur.

XIII. Deinde Judæis de Cyri edicto monentibus scripsisse satrapas & reliquos hostes Dario, ut inquireretur, an tale edictum Cyri exstaret. Apocryphus scribit hostibus obstantibus biennio interquievisse opus deinde anno secundo Darii, monitu vatum Haggæi & Zachariæ opus resumptum. Tum scripsisse Sisinnen & Sathrabazanem ad Darium, qui pro Judæis scripsit & edixit, quæ ex vero Esdra memoravimus. Josephus igitur cohærentiam rerum paulò diversam struit.

XIV. Josephus scribit septennio & anno nono Darii opus templi perfectum esse. Scribit cum apocrypho Esdra mensis Adar vigesima tertia (cum in Hebræo sit tertia) perfectum esse.

XV. Si examinare volueris Josephum & componere cum Hebræo, ad cap. V. & VI. Videbis Josephum sæpius deviare.

Sic igitur refloruit Judæa gens in patria. Jos. πολιτείᾳ χρώμενοι ἀριστοκρατικῇ μετ' ὀλιγαρχίας. οἱ γὰρ ἀρχιερεῖς προεστήκεσαν τῶν πραγμάτων ἄχρις οὗ τοὺς Ἀσαμωναίους συνέβη βασιλεύειν ἐκγόνους. At sub Persarum satrapis agebant & Macedonum præfectis, donec sub Antiocho Epiphane in libertatem se vindicant. Quod multi putant aliquem de domo David rebus præfuisse usque ad Hassamonæos, id frivolum est.

XVI. Scribit etiam Josephus Judæos à Senatu populoque Hierosolymitano misisse quatuor legatos, qui querelas de Samaritis deferrent. Legationis caput erat Zorobabel cum quatuor collegis. His regem dedisse literas ad ὑπάρχους Samaritarum & senatum. Βασιλεὺς Δαρεῖος τοῖς ἐν ... καὶ συμβούλοις ὑπάρχοις Σαμαρειτῶν; Σαδράκῃ καὶ Βοβήλωνι, καὶ τοῖς λοιποῖς συνδούλοις αὐτῶν, τοῖς ἐν Σαμαρείᾳ. Ζοροβάβελος καὶ Ἀνανίας καὶ Μαρδοχαῖος Ἰουδαίων πρεσβευταὶ, ᾐτιῶντο ὑμᾶς ὡς ἐνοχλοῦντας αὐτοῖς περὶ τὴν οἰκοδομίαν τοῦ ναοῦ καὶ μὴ χορηγοῦντας ἃ προσέταξα ὑμῖν εἰς τὰς θυσίας τελεῖν αὐτοῖς ἀναλώματα &c. Jubet ut solvant è regio ærario necessaria ad sacra. Hæc non sunt in apocrypho Esdræ, quem, ut suprà patuit, secutus est Iosephus. Causam aliam quis esse suspicetur, quam, quod in Hellenistarum bibliis olim fuerint adjecta, tempore scilicet Iosephi: qui eos amat sequi?

Quod hic Darius, sub quo templum restitutum est, quique edictum Cyri renovavit, fuerit Nothus, docemur his argumentis. I. Fuit inter duos Artaxerxas medius, ut ostendunt sacræ literæ. II. Habuit filium & collegam Artaxer-

taxerxem Esdr. 6. 14. III. Ab hoc tempore ad vastatum templum & urbem septimanæ sunt 70½, quas memorat Daniel IX. IV. Sanaballat Horonæus, qui fuit sub Artaxerxe (Nehem. 13.) sub quo & Nehemias præsidatum obiit in Judæa, in vivis erat tempore Alexandri Magni; ut testatur Iosephus. Qui duos faciunt, ut ille sub Alexandro alius fuerit, historiam & Chronologiam accuratè intueantur. V. Cum Darius Hystaspis in solium exaltaretur, recens erat memoria edicti Cyri: sed sub hoc Dario jam ex hominum memoria obliteratum erat. Ideo hostes vocant in dubium. VI. Longum tempus fuisse, quo tarde procedebat templi ædificatio, ostenditur quia Xerxes & Artaxerxes præcessere. Esdr. 4.6.7. Et Scriptura innuit inhibitionem longi temporis fuisse v. 24. *Cessabat opus, cessabat usque ad 2. ann. Darii.* VIII. Lxx. annis incoluerunt terram & supplicarunt ante 2. annum Darii. Zachar. 1. 12. & 7. 5. Qui Darium Hystaspis faciunt templi instauratorem, ii maximè his argumentis moventur. I. Consensu interpretum & antiquitate opinionis. R. Multitudo errantium & vetustas non pariunt errori patrocinium. Ipse sacer textus tuetur veritatem eique vindicat antiquitatem. II. Si Esdras missus est ab Artaxerxe Mnemone, vixit fere ducentis annis. Genitus enim est à Saræa pontifice, quem Chaldæi occiderunt. Hic regerit Scaliger, tales μακροβίους à divina benedictione & singulari dono multos fuisse, quando ita Deo visum. III. Zorobabel & Jesus, qui sub Cyro præfuerunt templi structuræ ac postmodum Dario, fuissent 130. aut 140. annorum R. I. Quid vetat, ut jam diximus? Videamus autem tabulam annorum.

A. M C. 3419. Cyrus laxat captivitatem & jubet templum urbemque restitui.

3420. Templi fundamenta jacta sunt. ἐνδελεχισμὸς instauratur.

3421. Cyrus perit bello Massagetico succedit ipsi filius Cambyses.

3426. Cambyses Ægyptum occupat: anno Nabonassaris 224. Olympiade 64.

3428. Magi imperium tenent mensibus septem. Darius Hystaspis eversis magis regnat.

3429. Hoc anno secundum Josephum (signiferum hujus sententiæ, qui Eusebium & per eum consensum interpretum traxit) restituitur templum.

3432. Babylonii Dario rebellant.

3429. Darius Scythas Europæos oppugnat.

3459. Pugna Marathonia. Incipit 70. annorum afflictio reducum in Judæa, quia templi ædificationem negligenter urgebant.

3462. Ægyptii à Persis deficiunt.

3464. Darius Hystaspis obiit Nabon. 262. Assuerus qui Xerxes Græcis appellatur succedit. Sub hoc frustrà hostes Judæorum moliuntur extorquere inhibitionem conditus templi. Hic erat maritus Esther.

347[illegible]. Xerxes Hellespontum trajicit. Pugna ad Thermopylas & insulam Salaminem.

3476. Irritæ molitiones Haman, qui suspenditur.

3477. Festum Purim instituitur.

3485. Xerxes insidiis cecidit, Artaxerxes longimanus succedit. Anno Nabon. 284. Hic inhibuit ædificationem templi urbisque. Existimat Calvisius, hostes Judæorum regi ostendisse, quantum damnum dare possent Judæi, juncti rebellibus Ægyptiis.

3490. Ægyptus, ejectis Atheniensibus, Persis iterum subjecta est.

3504.

3504. Herodotus Athenis in Panathenæis historiam suam prælegit.
3519. Bellum Peloponnense conflatur.
3520. Pestis Attica.
3525. Ineunte hyeme moritur Artaxerxes. Xerxes secundus exiguo tempore imperat.
3526. Sogdianus imperat mens. 7.
3527. Darius Nothus regnat, Belli Peloponnesiaci anno nono.
3528. Templum condi incipit, edicto Darii Nothi.

Annus Sabbaticus fere finiebat, cum Haggæus mensis sexti neomenia populum hortatur ad instaurandum templum.

Anni igitur 108. inter ædificationem sub Cyro & hanc sub Dario fluxerunt. Tanto tempore Judæis præfuerunt Zorobabel & Jesus, raro exemplo. Sed voluit Deus, ut per illos templum restitueretur. Ad hoc Divinitus erant destinati.

2. Qui ita hanc longævitatem rejiciunt, coguntur Nehemiam & Esdram longævos admodum facere. Nam si Esdras sub Longimano vixerit, ejusque anno septimo in Judæam venerit, id est, anno M. C. 3492. qui post preces suas ingressus est in cubiculum Johannis patris Jaddue (cap. 10. 6.) qui vixit circa ætatem Darii ultimi & Alexandri M. eum oportet vivendo pervenisse ad annum M. C. ferme 3600. Nehemias etiam ab Artaxerxis 20. usque ad Jjadam pervenit: quo modo in præsidatu regionis longissimo tempore stetit. IV. eorum argumentum & validissimum sumitur ex Hagg. 2. 4. Ubi vates testatur, illos, qui primitus è Jerusalem abducti fuerant, structuram templi secundi vidisse. A combusto autem priore templo ad Darium Nothum fluxere anni 179. Quis illo ævo tam longævus ut 179. annos viveret? Hic respondet Grotius: *Nemo superstes esse poterat post annos fermè CLXXX. Itaque sic vertas optimè:* Si quis ex vobis superesset, qui vidisset templum hoc loco in priore magnificentia (*qualem Salomon & reges sequentes ei dederant & descripsit Ezechiel*) certe ea, quam nos videmus (*id est cujus fundamenta adspicimus sub Cyro jacta, multò minora veteribus* (1. Esdr. 3. 4.) videretur judicio nostro res esse nihili. *Fuit enim* ἐνδεέστερος ὁ ναὸς τοῦ πάλαι *ob tenues populi opes & festinationem, ut ex Iosepho notavimus ad Ezech. XL.* Ex his verbis putares Grotium existimare quod sub Dario Notho templum instauratum sit, cum tamen è Josepho velit Darium Hystaspis fuisse. Ita sui oblitus veritati patrocinium præstat. Rasi: *Scio ego, quod ille qui viderit primum, nihil hoc sit in oculis ejus nisi nihil.* Non igitur asserit aliquem vidisse, sed si quis vidisset, eum pro nihilo ducturum. Tenuem igitur paratum vult Dei promissione extollere. *Quis inter vos reliquus qui vidit domum hanc in gloria sua prima & id quod vos videtis nunc? Nonne tanquam nihilum in oculis vestris?* Secundo anno Cyri multi supererant, qui viderant Esdr. 3. 12. unde ingens ille ejulatus. Hic dubitat vates an aliquis supersit. Unde oportet illos multos jam omnes obiisse. Danielem in Perside obiisse anno 3. Cyri (sive à Nabonido sive à capta Babylone) dubitandum non videtur ex argumento cap. 12. 13. ubi jubetur ire ad quietem & resurrectionem exspectare. Quærunt interpretes, Cur ipse laxata captivitate in patriam non sit regressus? Alii alias comminiscuntur causas, facilis tamen responsio: Hominem ætate prægravem, qui centum circiter annorum erat, molestias & jactationes itineris longinqui non potuisse ferre, deinde cum in munere esset apud regem & summæ dignitatis, non potuisse stationem deserere, in qua eum Deus collocaverat. In qua publico regni & suæ gentis plurimum poterat prodesse.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI SECUNDI

Caput XII.

Per idem tempus Esdras scriba legis post viginti fere annos quam templum fuerat consummatum, defuncto jam Dario, qui unum de viginti annis rerum fuerat potitus, permissu Artaxerxis secundi, non illius, qui inter duos Xerxes fuit: sed hujus qui Dario Ocho successerat, Babylonia profectus: multique eum sequuti Hierosolymam pervenere. Vasa quoque diversi operis, & dona quæ rex templo Dei miserat, cum duodecim Levitis. Vix enim hic numerus ex illa tribu repertus traditur. Is cum reprehendisset Iudæos gentilium connubiis permistos, multis increpitos, renunciare istiusmodi matrimoniis, ac filios ex his susceptos extrudi jubet omnesque dicto paruere. Purgatus populus veteris legis ritum habebat.

Drusius.

Esdras] Qui Ebræis Ezra, Ezra Ezras, ut Juda Judas. Hoc primum, deinde Z. in sd. mutavit more Dorico. Dores enim certè συρίσδω dicunt pro συρίζω.

Scriba Legis] Legisperitus, etiam sacerdos erat.

Post Viginti Fere Annos] Redundat ferè, ut sæpe in hoc libro. Nam anno sexto Darii consummatum fuit templum. Ab eo tempore Darius vixit annos 13. Septimo autem Artaxerxis Mnemonis Ezras Babylonia profectus est. Ecce viginti anni solidi. Nam 13. & 7. faciunt 20, Esdras iste à Judæis fuisse perhibetur admodum sanctus & mansuetus: unde ob morum similitudinem Hellel vocatur discipulus ipsius Ezræ: sunt etiam qui Malachiam prophetam eundem faciunt cum Ezra: de quo alias.

Unum De Viginti Annis] Sic etiam Eusebius & alii.

Artaxerxis Secundi] qui Mnemon sive Memor cognominatur. Hæc acciderunt anno regni ejus septimo Ezræ 7. 7.

Multique Eum Secuti] Vulgò *multisque eum secutis*: quæ lectio si recipitur scribendum cum Galesinio, *Hierosolymam pervenit*.

Cum Duodecim Levitis] Ezræ 8. 24.

Gentilium] Gentium terræ Chanaan: item Ammonitarum, Moabitarum, & Ægyptiorum, 1. Ezræ 9. 1.

Veteris Legis Ritum Habebat] Lex quæ vetat ducere uxores alienigenas, habetur. Exod. 34. 16.

S C H O T A N U S.

Poſt Darium nothum ſucceſſit Artaxerxes cognomento Mnemon, quo regnante Eſdras & Nehemias e Babylonia & regionibus orientis in Judæam & Hieroſolyma cum magno comitatu Judæorum remigrantium advenerunt. Joſephus iſta refert ad Xerxem, quia aliter non poterat, cum è Dario notho feciſſet Darium Hyſtaſpis. Artaxerxem ſcriptura expreſſit, ita & Græci Latinique & Apocryphus Eſdras. Qui Joſephum defendunt, urgent Artaxerxis vocabulum commune fuiſſe regibus Perſidis: id quod gratis dicitur: & repugnat Græcis ſcriptoribus & ſacri textus conſtanti ſcripturæ. Eſdras erat (Eſdr. VII.) ſacerdos. Joſ. *κατ' ἐκεῖνον δὲ τὸν καιρὸν ἀρχιερεὺς ἦν Ἰησοῦ παῖς, Ἰωάκειμος ὄνομα, ὑπῆρχε δὲ ἐν Βαβυλῶνι, δίκαιος ἀνὴρ καὶ δόξης ἀπολαύων ἀγαθῆς παρὰ τῷ πλήθει πρῶτος ἱερεὺς τοῦ λαοῦ, καλούμενος Ἔσδρας.* Genus ipſius Eſdræ ſeptimo recenſetur: Filius Saræ, filii Azariæ, filii Helciæ, filii Sallum, filii Sadoc, filii Achitob, filii Amariæ, filii Azariæ, filii Merajoth, filii Zarachiæ, filii Ozi, filii Bucci, filii Abiſue, filii Phinees, qui Eleazaro filio Aaronis natus eſt. Erat igitur generis Pontificii. Difficultatem habet quomodo Saræa ſit natus, qui pontificium obiit ante Joſedec: quo pontificatum tenente Hieroſolyma ceciderunt? Jozedec videtur vivente patre in captivitatem emigraſſe ex 1. Chronic. 6. 15. Si circa captivitatis initium natus eſt, minor natu, quam Jozedec frater, ſub Artaxerxe hoc habuit annos 200. A. M. C. 3360. everſa ſunt Hieroſolyma. 3552. Eſdras è Babylonia proficiſcitur Hieroſolymam. R. Longitudo ævi extra ordinem, in homine cujus opera Deus ad magna uti voluit. Septimo anno Artaxerxis Hieroſolymam advenit Babylone, inſtructus indulto regio ſecundum omnia quæ petierat, Deo animum regium flectente ad poſtulata Eſdræ. Nam peritiſſimus & ſtudioſiſſimus legis erat, ingenti ardore inſtituendi populum in inſtitutis & legibus Dei. Hæc eſt copia literarum regis ad illum: Artaxerxes, rex regum, Eſdræ ſacerdoti & ſcribæ legis Dei cæli conſummatam pacem & tali tempore. A me datur decretum, ut cuicunque placuerit in regno meo, è populo Iſraël, ejuſque ſacerdotibus & Levitis, ire Hieroſolymam, te comitetur. Quia igitur à rege ejuſque ſeptem conſiliariis miſſus es, ut inquiras in Judæa & Jeruſalem ſecundum legem Dei tui, quæ eſt in manu tua. Et ut deferas argentum & aurum, quod rex & ejus conſiliarii ſponte obtulerunt Deo Iſrael, cujus habitatio eſt Hieroſolymis. Prætereà omne argentum aurumque quod invenies in tota regione Babyloniæ, cum ſpontanea oblatione populi & ſacerdotum ad ædem Dei Hieroſolymis. Ut ſtudioſe emas hac pecunia, vitulos (ſic vulg. Chald. תורין) arietes, agnos cum ſuis minchis & libaminibus ſuper altari ædis Dei veſtri, Hieroſolymis. Inde, quod viſum fuerit tibi & fratribus tuis reſiduo auro argentoque facere, facietis ex placito Dei veſtri. Et vaſa quæ data ſunt in miniſterium ædis Dei tui, reſtitue Deo Hieroſolymorum. Reſiduum, quo opus erit ædi Dei veſtri, quantumcumque neceſſe eſt ut expendas, dabis ex ærario regis. A me, Artaxerxe rege, mandatur omnibus (גזבריא) theſaurariis trans flumen, ut quicquid Eſdras ſacerdos & ſcriba legis Dei cæli à vobis petierit, abſque mora detur: uſque ad centum talenta argenti & centum coros tritici & centum bathos vini & centum bathos olei, ſal vero ſine menſura. Quicquid ſit ad placitum Dei cæli, ut diligenter fiat pro æde Dei cæli. Nam cur eſſet ira magna ſuper regno regis & filiorum ejus? Vobis quoque notum facimus de univerſis ſacerdotibus, Levitis, cantoribus, janitoribus, Nathinæis

næis & servis ædis hujus Dei ut (מנדה בלו והלך) non liceat imponere. Et tu Esdra secundum sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, pone (שופטין ודינין) LXX. *γραμματεῖς καὶ κριτάς*; Vulg. *judices & præsides*, qui judicent omnem populum, qui est trans flumen; omnes, qui sciant leges Dei vestri: & qui nesciunt, eos ea docebis. Quicunque non fecerit legem Dei tui & legem regis, de eo festinanter judicium fiet: sive ad mortem sive ad exilium, sive ad mulctam bonorum, sive ad vincula. Esdras Deo gratiis actis, cùm id indultum easque literas accepisset, capita populi convocat, ut secum iter ingrederentur, Hi autem (sequitur Esdræ cap. VIII) patriarchæ cum suis genealogiis cum Esdra è Babylonia emigrarunt regnante Artaxerxe.

E filiis Phinees Gerson: è filiis Ithamar Daniel: è filiis Davidis Hattus: è filiis Sechaniæ, è filiis Pharos Zacharias. Cum ipso recensebantur mares centum quinquaginta.

E filiis Fahath-moab, Eliehoënai, filius Zarahiæ: & cum ipso ducenti mares.

E filiis Sechaniæ, filius Jahazielis, cumque eo trecenti mares.

E filiis Adin, Ebed filius Ionathanis & cum eo quinquaginta mares:

E filiis Elam Esaias filius Athaliæ cumque eo septuaginta mares.

E filiis Saphatiæ Zabadias filius Michaelis, cumque eo octoginta mares.

E filiis Joab Obadias filius Jajelis; cum eo ducenti octodecim mares.

E filiis Selomith, filius Josiphiæ & cum eo centum sexaginta mares.

E filiis Bebai Zacharias filius Bebai, cumque eo viginti octo mares.

E filiis Azgad Johanan filius Catan cumque eo centum & decem mares.

Ex ultimis filiis Adonicam, qui erant Elipheleth, Jaiel & Samæas. Cumque eo sexaginta mares.

E filiis Beguai, Uthai & Zabbud: & cum eo 70 mares.

Hos Esdras coëgit ad flumen procedens versus Ahavam. Triduo illic castra habuerunt. Esdras autem populo & sacerdotibus lustratis nullum deprehendit è filiis Levi. Misit igitur ad Ariel, Samæam, Elnathan, Jarib, Elnathan Nathanem, Zachariam, Mesollam, principes (ראשים capita): & ad Jojarib & Elnathan doctores (מבינים) Gr. *συνιέντας*. Deditque eis mandatum ad Iddo principem in loco Casiphia: instruens quæ dicturi essent ad Eddo, fratrem suum & Nathinæos in loco Casiphia, ut ipsis adducerent ministros pro æde Dei sui. Adducebant pro bona Dei manu, virum (שכל) intelligentem, è filiis Machli filii Levi, filii Israel. Hic erat Serebias cum filiis & fratribus octodecim. Et Hasabiam, cumque eo Jesaiam è filiis Merari: cum fratribus & filiis numero viginiti. Eque Nathinæis quos David & principes (השרים) *Levitis* in ministerium dederant; ducentos & viginti Nathinæos. qui nominibus expressi sunt omnes (נקבו בשמות) Proclamavit jejunium ad flumen *Ahavam*, ut affligerentur coram Deo suo, quærentes uiam rectam pro se, filiisque suis & tota substantia. Pudebat enim Esdram à rege manum militarem & equites poscere, qui præsidio essent adversus hostes, proficiscentibus. Dixerant enim ad regem: Manus Dei nostri in bonum adest omnibus, qui eum quærunt: illius vis & ira in omnes, qui eum deserunt. Audiit Deus. Porrò Esdras separabat duodecim è ducibus sacerdotum (משרב) Serebiam & Hasabiam cum fratribus eorum decem. Quibus appendit argentum, aurum & vasa: oblationem ædis Domini, quam dederant rex, ejus consiliarii, principes & totus Israel, quantum reperiri posset. Ipsis appendebantur sexcenta & quinquaginta talenta (ככרים) & centum argentea vasa in talenta: auri centum talenta: viginti crateres (כפורי): aurei drachmarum (לאדרכנים) mille. Duo vasa splendentis boni

æris, auro comparati. Gr. σκεύη χαλκοῦ στίλβοντος ἀγαθοῦ, διάφορα ἐπιθυμητὰ ἐν χρυσίῳ. Fortassis fuit χαλκολίβανος, de quo Apoc. 1. 15. Locutus ad ipsos est Esdras: Vos Domino sacri estis & hæc vasa sacra: etiam hoc argentum & hoc aurum, spontanea oblatio, Domino, Deo patrum vestrorum. Diligenter ea custodite, donec appendetis coram principibus (שרי) sacerdotum & Levitarum & principibus (שרי) patrum Israël, Hierosolymis: הלשכות בית יהוה in conclavibus ædis Domini. Græci vertunt σκηνάς. Susceperunt sacerdotes & Levitæ totam summam in pondere auri argentique & vasorum: ut portarent Hierosolyma ad ædem Dei.

In principio mensis primi (in anno septimo Artaxerxis) inibant iter, duodecimo die mensis primi à flumine Ahava progrediuntur versus Jerusalem. Manus Dei iter facientibus feliciter affuit eosque tutata est ab hostium & inimicorum vi & insidiis. Primo die quinti mensis Hierosolyma advenerunt. Post triduum quieti datum, appensum est aurum, argentum & vasa in æde Dei, ad manum Meremoth filii Uriæ sacerdotis: cum eo erant Eleazar filius Phinees, Item Jozabad filius Jesue & Neadia filius Bennui, Levitæ. Pondus annotatum est. Reduces ex exilio offerebant Deo Israel holocausta, duodecim juvencos pro toto Israel: nonaginta sex arietes, septuaginta septem agnos, duodecim hircos pro peccato. Hoc totum holocautoma fuit Domino.

Videamus quomodo istam profectionem & adventum ad urbem Hierosolyma Josephus exponat. Ob amicitiam regis petiisse Esdram ab eo epistolam ad Satrapas Syriæ. Epistolam regis inscribit: βασιλεὺς βασιλέων Ξέρξης Ἔσδρᾳ ἱερεῖ καὶ ἀναγνώστῃ τοῦ θείου νόμου, χαίρειν: Epistolæ argumentum libere παραφράζει.

1. v. 16. (cap. VII.) ὅσον ἂν εὑρεθῇ ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Βαβυλωνίων ὀνομασμένον τῷ θεῷ. Nuncupatum Deo. Spontaneam oblationem Græci vocant ἑκουσιασμόν.

2. v. 17. Græci ridiculè ex voce אספרנא procuderunt βιβλίον quod non habet Josephus.

3. v. 21. Ἔγραψα δὲ καὶ τοῖς γαζοφύλαξι τῆς Συρίας καὶ τῆς Φοινίκης &c. Græci ridiculè, ἔδωκα γνώμην πάσαις ταῖς γάζαις, Apocryphus ut Josephus. Apparet Josephum ex hoc apocrypho hausisse.

4. v. 22. Tantum tritici meminit: apocryphus plenius, qui βάτους reddit μετρητάς.

5. v. 24. Ἱεροψάλταις καὶ θυρωροῖς καὶ ἱεροδούλοις καὶ γραμματεῦσι τοῦ ἱεροῦ. Gr. ᾄδουσι, πυλωροῖς, Ναθινὶμ, καὶ λειτουργοῖς οἴκου θεοῦ. Apoc. ἱεροψάλταις καὶ θυρωροῖς καὶ ἱεροδούλοις καὶ πραγματικοῖς τοῦ ἱεροῦ. Fortassis Josephus pro πραγματικοῖς habet γραμματεῦσι. Chaldaica veritas, ופלחי בית אלהא דנא. Hebræas voces tributi expressit Josephus: μήτε φόρος ἐπιτάξητε μήτε ἄλλο μηδὲν ἐπίβουλον ἢ φορτικὸν εἰς αὐτοὺς γίνηται. Gr. φόρος μὴ ἔστω σοι, οὐκ ἐξουσιάσεις καταδουλοῦσθαι αὐτούς. Apoc. μηδεμία φορολογία μηδὲ ἄλλη ἐπιβουλὴ γίνηται καὶ μηδένα ἔχειν ἐξουσίαν ἐπιβαλεῖν τι τούτοις.

6. v. 25. שפטין ודינין. Jos. κριτάς. Apoc. κριτὰς καὶ δικαστάς.

7. v. 26. Recte transgressionis legis Dei pœnam constringit ad Esdræ ἐμφάσεις. Pœnæ genera 1. mors: 2. לשרשו: 3. לענש נכסין: 4. לאסורין. Ios. κολασθήσονται δὲ ἢ θανάτῳ, ἢ ζημίᾳ χρηματικῇ. Gr. ἐάντε εἰς θάνατον, ἐάντε εἰς παιδείαν, ἐάντε εἰς ζημίαν τοῦ βίου, ἐάντε εἰς παράδοσιν. Apoc. ἐάντε καὶ θανάτῳ ἐάντε καὶ τιμωρίᾳ ἢ ἀργυρικῇ ζημίᾳ, ἢ ἀπαγωγῇ.

8. Scribit Iosephus Esdram retinuisse regiam epistolam apud se, antigraphum autem misisse suis gentilibus in Media. Quam retinebat epistolam prælegisse Judæis, qui Babylone erant. Israëlitas decem tribuum gavisos esse lectis literis, multos etiam cum bonis suis advenisse Babylona, desiderio eundi Hierosoly-

 rosoly-

rosolymam, at populum mansisse suis locis. ὁ δὲ πᾶς λαὸς τῶν Ισραηλιτῶν κατὰ χώραν ἔμεινε. Hinc factum ut duæ tribus fuerint in Asia & Europa, Romanis parentes: at decem tribus, usque ad id tempus esse ultra Eufratem, μυριάδες ἄπειροι καὶ ἀριθμῷ γνωσθῆναι μὴ δυνάμεναι.

9. Εἰς τὸ πέραν τοῦ Εὐφράτου. Nomen fluvii Ahavæ non exprimit. Græci cap. 8. v. 5. πρὸς τὸν ποταμὸν τὸν ἐρχόμενον πρὸς τὸν Εὐί. Apoc. ἐπὶ τὸν λεγόμενον Θέραν ποταμόν. Vulg. qui decurrit ad Ahava. v. 31. Gr. τοῦ ποταμοῦ τοῦ Ἀουέ. Illic Apocryphus retinet nomen Θέρα. Nomina familiarum descendentium non exprimit Iosephus: apud Græcos sunt mendosissima.

10. Argentum aurumque factum & infectum scriptura recenset.

1. Sexcenta quinquaginta talenta argenti:
2. Centum argentea vasa in talentis:
3. Auri talenta centum:
4. Viginti aurei scyphi, 1000. drachmarum:
5. Duo vasa æris splendentis.

Græci Ἀργυρίου τάλαντα ἑξακόσια πεντήκοντα,
Σκεύη ἀργυρᾶ ἑκατόν,
Τάλαντα χρυσίου ἑκατόν,
Καφουρὴ χρυσοῖ εἴκοσι εἰς τὴν ὁδὸν χίλιοι. לאדרכנים reddit εἰς τὴν ὁδὸν. Apoc. χρυσώματα εἴκοσι.
Σκεύη χαλκοῦ στίλβοντος &c. Apoc. σκεύη χάλκεα ἀπὸ χρηστοῦ χαλκοῦ στίλβοντα χρυσοειδῆ σκεύη δώδεκα. Josephus ἀργυρίου τάλαντα χν', σκεύη ἀργυρᾶ ταλάντων ρ', χρυσᾶ σκεύη ταλάντων κ', χαλκᾶ σκεύη χρυσοῦ κρείττονα, σταθμοῦ ταλάντων ιβ'. Omisit centum talenta auri: in numero æneorum vasorum consentit Apocrypho.

11. Sacrificiorum in enumeratione arietes & agnos confundit in unum, facitque numero 72. quem apocryphus dat solis agnis. Multa observare licet, in quibus expressit Apocryphum. Adeo iste antiquus est & ab Hellenistis Iudæis præter illam versionem Esdræ, quam vulgò Græci vocabant primum librum Esdræ procusus cum additionibus illis fabulosis de Zorobabele sociisque apud Darium dissertantibus: item repetito principio à Paschate Iosiæ.

Cum celebrassent sacra, literas & edicta regis tradunt satrapis & pachis cis flumen. (Ios. τοῖς ἐπάρχοις τῆς κοίλης Συρίας καὶ Φοινίκης) Ita populo & ædi Dei provisum est. Post id accedunt Esdram principes (שרים) dicendo: populus Israël & sacerdotes & Levitæ non sunt separati à populis harum regionum, secundum eorum abominationes: nempe Cananæorum, Hethæorum, Pherezæorum, Iebusæorum, Ammonitarum, Moabitarum, Ægyptiorum, Amorrhæorum. Ios. ὅτι τινὲς τοῦ πλήθους καὶ τῶν ἱερέων καὶ Λευιτῶν παραβεβήκασι τὴν πολιτείαν καὶ λελύκασι τοὺς πατρίους νόμους ἀλλοεθνεῖς ἀγαγόμενοι γυναῖκας. Nam de filiabus eorum sumpserant sibi filiisque suis, misto semine sacro cum populis terrarum. Imo manus principum & præsidum (השרים והסגנים) prima fuit in hac transgressione. Semen sacrum sine dubio de tota gente accipiendum, Iosephus de solis sacerdotibus accepit, τὸ ἱερατικὸν γένος συγκέχυται.

Principes metuebant iram Dei, judice Iosepho; μὴ κοινῇ ἐπὶ πάντας ὀργὴν λαβὼν πάλιν αὐτοὺς εἰς συμφορὰς ἐμβάλῃ. Alii etiam causas inquirunt, quibus moti peregrina matrimonia inierint; qui dicunt cum Lyrano filios Israël, cum de Babylone venissent cum Zorobabel & Iosue, videntes, quod uxores suæ de populo Israël essent deformatæ labore itineris aliisque molestiis & miseriis, quas in via sustinuerant, contemptis spretisque iis exteras duxisse contra le-

gem

gem Deuteron. VII. Malim cohabitationem cum externis & lautiorem gentilium fortunam (nam afflicta fuit Iudæa Divinitus ob neglectum Dei templum) illexiſſe.

Eſdras intelligens iſtam prævaricationem in magnum mœrorem conjectus eſt; lacerat veſtem & pallium (מעיל) vellitque capillos & barbam, conſidetque turbatus (משומם) Coeunt ad eum quicunque ad verbum Dei Iſrael trepidabant, de prævaricatione deportatorum. At Eſdras in illa confuſione ſedebat uſque ad ſacrificium veſpertinum. Tum conſurgit laceris veſtibus, concidit in genua, paſſis ad Deum manibus de hac tranſgreſſione pleniſſimam edit confeſſionem, cum lachrymis & proſtratus ante ædem Domini. Illam confeſſionem admodum breviter conſtringit Ioſephus, eamque transformat in deprecationem nudam.

Ad Eſdram ita lamentantem jacentemque coit ex Iſrael magnus cætus virorum, mulierum, parvulorum, ejulantum alta voce & ingenti gemitu. Sechanias (Ioſephus vocat Ἀχάνιον) filius Iejelis de filiis Elam, Ioſ. πρῶτος τῶν ἱεροσολυμιτῶν, ad Eſdram dicit: Transgreſſi ſumus adverſus Deum noſtrum, ſumptis exterorum conjugiis: at ſpes eſt Iſraëli. Faciamus fœdus cum Deo, dimiſſuros nos eſſe peregrinas uxores & quicquid ex illis natum eſt, ex conſilio Domini & eorum quibus religio eſt præcepti Divini: fiat ex lege. Surge: tuum eſt; noſque erimus tecum: fortis eſto & effice.

Eſdras hoc ſermone excitatus adjurabat (in juramentum adigebat) principes (שרי) ſacerdotum, levitas & totum Iſrael ſe ita facturos. Accepto jurejurando abiit in conclave Iohanan filii Eliaſib. Ibi pane & aqua abſtinet, mœrens ob tranſgreſſionem deportatorum.

Præconum voce per Iudam & Ieruſalem proclamatum eſt, omnibus filiis deportationis, ut Hieroſolymam coirent. Si quis non adeſſet intra triduum ex conſilio principum & ſeniorum, omnem ejus ſubſtantiam anathemati ſubjacere, ipſumque ſeparandum ab eccleſia (הגולה) (captivitatis) deportatorum. הגולה μετοικεσία, *tranſmigratio* ſeu *deportatio* dicebatur ea adhuc tempeſtate populus reducum, Coëunt igitur omnes viri Judæ & Benjamin intra triduum Hieroſolymam, noni menſis die vigeſimo: univerſus populus conſiſtebat in platea (ברחוב) ædis Dei tremens ob peccatum & imbrem. Eſdras ſurgens ad illos dixit, Prævaricati eſtis, ſumptis peregrinis uxoribus, ut Iſraelis augeretis crimen. Facite igitur confeſſionem Domino Deo patrum, & ex illius placito, ſeparamini à populis terræ & peregrinis matrimoniis. Univerſus cætus reddit elata voce: Ut dixiſti; & ita nos decet facere. At populi multum eſt & tempeſtas imbris, ut ſub dio hic conſiſtere nequeamus. Nec eſt opus unius diei aut bidui: quia multi noſtrum rei ſunt. Conſiſtant principes noſtri univerſi cætus, (ſcilicet qui immunes erant ab hac contaminatione) ut ſtatutis temporibus veniant omnes qui in oppidis ſunt peregrinis matrimoniis impliciti cumque ipſis ſeniores cujuslibet oppidi & oppidorum judices, ut amoliamur iram Dei ob hanc cauſam. Placuit illud Eſdræ. Sic igitur conventum die viceſima menſis noni, quem Hebræi Tebeth, Macedones Apellæum appellant, ut eſt apud Joſephum. Tantum Jonathan filius Azahel & Ahazia filius Thevai præerant negotio, adjutantibus Moſollam & Sabbethai Levita. Factum eſt modo, quo convenerat. Eſdras ſacerdos cum patriarchis omneſque dicti, ſeparant ſe conſidentque à prima die decimi menſis, ut inquirerent annotarentque hoc crimine implicitos. Abſolvunt deſcriptionem principio anni ſequentis. Ita eos bimeſtre ſpatium occupaverat. Data dextera promiſerunt divortium. Magnus numerus contaminatorum erat, quorum

indicem facer textus texuit: E filiis Jesu filii Jozedec ejusque fratribus Maasia, Eliezer, Jarib, Godolia: qui data dextera dimissionis, pro delicto obtulerunt arietem è grege. E filiis Immer, Hanani & Zabadia. E filiis Harim, Maasia, Elia, Samæa, Jehiel & Ozia. E filiis Pashur, Elioenai, Maasia, Ismael, Nathanael, Josabad & Elasa. Hi è sacerdotibus innexi erant, è Levitis sequentes, Jozabad, Semei, Celaia (alias Celita) Fathahias, Judas & Eliezer. E cantoribus Eliasib: è janitoribus Sallum, Telem & Uri. Præter sacros ordines ex Israel numerus magnus: E filiis Faros Ramia, Jezia, Melchia, Miamin, Eleazar, Melchia, Banæas. E filiis Elam, Mathanias, Zacharias, Jehiel, Abdi, Jeremoth, Zabad, Aziza. E filiis Bebai Johanan, Hanania, Sabbai, Athlai. E filiis Bani, Mosollam, Malluch, Adaia, Jasub, Saal, Jeramoth. E filiis Pahath-Moab, Adna, Chalal, Banæa, Maasia, Mathania, Beseleel, Bennui, Manasse. E filiis Harim, Eliezer, Jesia, Melchia, Samæa, Simeon, Benjamin, Malluch, Samaria. E filiis Hasum, Mathnai, Mathatha, Zabad, Eliphelet, Jeremai, Manasse, Simei. E filiis Bani fuere viginti septem: Maadai, Amram, Uri, Banæas, Bedaias, Cheluhu, Vania, Meremoth, Eliasib, Matthania, Mathnai & Jaasi, Bani, Bennui, Simei, Selemia, Nathan, Adæa, Machanadbai, Sasai, Sarai, Azareel, Selemia, Samaria, Sellum, Amaria, Joseph. E filiis Nebo, Jehiel, Matthathias, Zabad, Zabina, Jeddai, Joel, Banæa. Hi omnes externis cohabitabant mulieribus & quidam etiam liberos susceperant. Conjuges cum liberis dimisere. Nam conjugium nullum erat cum externa è lege Mosis forensi & cerimoniali. Cum enim gentes pollutæ essent & alienæ à fœdere, cum iis conjugia misceri & coalescere non poterant. Alia sub novo testamento ratio est, ubi quidem non bene nec pro decoro cum infidelibus jugum idem subit homo fidelis, sed initum tamen matrimonium dissolvi nequit. Dissimilis ratio est nec aliunde debet peti, in temporis disparitate. Pollutionem cerimonialem nullam hodie novimus, morales sunt, quæ inire dissuadent, initum non solvunt conjugium.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI SECUNDI.
CAPUT XIII.

Ceterum Esdram nihil super reficienda urbe egisse comperio, credo potiorem curam ratus plebem corruptis moribus reformare. Erat ea tempestate apud Babyloniam Neëmias, minister regis gente Iudæus, Artaxerxi merito obsequiorum charissimus. Is Iudæos percontatus, quis paternæ urbis status esset, ubi comperit in iisdem ruinis jacere patriam, totis sensibus conturbatus, cum gemitu multisque lachrymis orasse ad Deum traditur, delicta gentis suæ reputans,

tans, miſericordiamque Divinam efflagitans. Igitur cum rex inter epulas mœſtum extra ſolitum animadvertiſſet, popoſcit ab eo cauſam dolorum, ut exponeret. Tum ille adverſa gentis ſuæ, & ruinam civitatis deflere, quæ jam per annos ferè ducentos & quinquaginta ſolo ſtrata, malorum teſtimonium, ſpectaculum inimicis præberet: daret ſibi eundi, & reſtituendæ ejus poteſtatem. Paruit rex piis precibus: ſtatimque eum cum præſidio equitum, quo tutius iter ageret, dimiſit: datis ad prætores epiſtolis, ut neceſſaria præberent. Is quum Hieroſolymam perveniſſet viritim populo opus urbis diſtribuit, & certatim juſſa omnes curabant: jamque ad medium machinæ proceſſerant, quum flagrante invidia gentium vicinæ urbis conſpirant opera interrumpere, Iudæos ab ædificando deterrere. Sed Neëmias diſpoſitis adverſum incurſantes præſidiis, nihil territus, cœpta explicuit: conſummatoque & valvis portarum perfectis, per familias conſtruendis interius domibus urbem dimenſus eſt. Cenſuitque populum minimè urbi parem. Neque enim amplius quam ad quinquaginta millia promiſcui ſexus atque ordinis reperta. Tantum ex illo quondam immani numero frequentibus bellis abſumptum, aut captivitate detentum. Nam olim hæ duæ tribus, quarum hoc reſiduum fuit, quum ab his decem tribus ſeparatæ ſunt CCC. & XX. millia virorum armaverant. Adeo ob peccatum internecioni & captivitati datæ, ad hanc uſque paucitatem devenerant. Sed hæc, ut dixi, plebs duarum tribuum fuit: decem verò prius ductæ per Parthos, Medos, Indos, atque Æthiopas diſperſæ, nunquam in ſolum patrium ſunt regreſſæ, hodieque barbararum gentium imperiis continentur. Sed conſummatio reſtitutæ urbis, XXX. & II. Imperii Artaxerxis anno refertur. A quo tempore uſque ad Chriſti crucem, id eſt, Fuſium Geminum & Rubellium conſules, anni CCCXC. & VIII. Ceterum à reſtitutione templi uſque in everſionem, quæ ſub Veſpaſiano, conſule Auguſto, per Titum Cæſarem conſummata eſt, anni CCCC. LXXX. & III. Prædictum id olim eſt à Daniele, qui ab inſtauratione templi uſque in everſionem LX. & IX. hebdomadas futuras pronunciaverat. A die autem captivitatis Iudæorum, uſque in tempus reſtitutæ civitatis, fuerunt anni CCLX.

DRUSIUS.

CETERUM ESDRAM NIHIL SUPER REFICIENDA URBE EGISSE COMPERIO] Nam ea cura Nehemiæ fuit. Unde dictitant, Zorobabel templum extruxit: Ezras diſciplinam reformavit: Nehemias urbem reſtituit.

ERAT EA TEMPESTATE] Anno vigeſimo Artaxerxis ſecundi.

NEEMIAS] Inſerenda aſpiratio ut ſit Nehemias. Huic pater erat Achalias, & cognomentum Hatharſatha.

MINISTER REGIS] Miniſter vinarius, Chronicon Euſebii. משקה למלך pincerna ſive pocillator regis. Nehem. 1. 11.

APUD BABYLONIAM] Imo apud Susas. Nam diserte Nehem. 1. 1: *ego eram in Susan Habbira*: quod reddi potest, Susis in arce vel castro. Quanquam sunt qui malunt, *in metropoli*.

JUDÆOS] ἄνδρες Ἰέδα, id est Judæos. Sic Græci LXX. Sed & pleraque Latina exemplaria habent *viri Iuda*. licet in aliis sit ut etiam in fonte Ebræo, *ex Iuda*. Quæ lectio ambiguitatem habet. Nam potest sensus *esse viri ex Iuda*, id est, Iudæi: vel *venit Hanani & viri (alii cum eo) ex Iuda*, id est Iudæa.

PATERNÆ URBIS] Id est patriæ. Aut *paterna*, quoniam à patribus habitata, hoc est à majoribus ejus. Sic traditio paterna, quæ à majoribus tradita. Nam hos patres Ebræi vocant.

PATRIAM] Ierosolymam.

INTER EPULAS] Cum ei vinum funderet.

EXTRA SOLITUM] Præter solitum. Sic Terent: *extra unam ancillulam*.

PER ANNOS FERE DUCENTOS ET QUINQUAGINTA] Sigonius emendat, & *sexaginta*. Nam anni erant, *inquit*, præcise, *ducenti & quinquaginta octo*. Ideo adjectum *fere*. Mendum, ut credibile est è notis numerorum.

POTESTATEM] Copiam lib. 2. cap. 11. Alius diceret licentiam, facultatem.

CUM PRÆSIDIO EQUITUM] Nehem. 2. 9.

QUO TUTIUS ITER AGERET] Agere iter phrasis est minus usitata: Sulpicius tamen utitur dialog. 2. segm. 4. *iter cum eo, dum diœceses visitat, agebamus*. Nec Ovid. de art. lib. 2. eam abhorruit.

AD PRÆTORES] Subreguli & præsides vocantur cap. XI.

GENTIUM] Arabum, Amonitarum, Samaritanornm & Azotiorum.

CONSPIRANT OPERA INTERRUMPERE] Sic lib. 1. *In bellum conspirant Ebræos armis depellere*. Et alibi, Vide Giselinum.

COEPTA EXPLICUIT] Ut lib. 1. *opus vigesimo anno explicuit*, id est, absolvit. Vide quæ scripsimus ad illum locum.

CONSUMMATOQUE] Excidit vox, quam Sigonius supplet, *consummatoque muro*, historia id mirabiliter comprobante.

AD QUINQUAGINGA MILLIA] Numerus civium erat 42360. Servorum & ancillarum 7337. Cantorum & Cantatricum 245. Summa 49937. Eorum autem, qui Nehemiæ septimo expresse numerati sunt, summa est 34389.

IMMANI NUMERO] Id est magno, ingenti. Sic Varro in 3. de re rustica, *Immanis numerus annorum*.

HÆ DUÆ TRIBUS] Iuda & Benjamin. Adde his tribum Levi, quæ hoc residuo etiam continetur. Nam una cum duabus abducta, cum iisdem postliminio rediit in terram patriam.

CCC. & XX] Sigonius è libris regum contraxit hunc numerum ad CLXX. verone an falso alias examinabimus. Nunc ad alia properamus.

PER PARTHOS, MEDOS, INDOS ATQUE ÆTHIOPAS] Omisit Assyrios. Indorum atque Æthiopum nulla mentio in sacris literis. Vide 4. Reg. 17. 6. & 18. 10. Item 1. Paralip. 5. 26. In his mentio Colchorum & Iberiæ fluviique Gozan & urbium Mediæ. Parthos autem videtur Persas dicere. Iosephus orig. lib. 9. cap. 14. *Salmanasar populum traduxit in Mediam & Persidem*. Sanè Persas Hesychius Parthos appellat, propter horum populorum vicinitatem. Sic bellum Persicum, in quo Iulianus occubuit, Ammianus procinctum Parthicum vocat. Pauloque post scribit Iulianum tradidisse Procopio propinquo suo paludamentum purpureum mandasseque arripere fidentius prin-

principatum si se interiisse didicisset apud Parthos, cum tamen de Persis proprius loquatur.

XXX ET II.] Legendum XXXII. deleta copulante. Hic numerus exstat Nehem. 5. 14. qui est in libris nostris secundus Esræ. Unde medicinam facies Eusebio, in quo *Nehemiam, qui muros Ierusalem construxerat, consummasse opus tricesimo anno Artaxerxis regis Esdras memorat.* Nam & in alia editione *trigesimo primo.* Et tollit omnem omnino dubitationem ipse Eusebius in eodem loco, cum ait, *Nehemias Hebræus, minister vinarius Artaxerxis regis Persarum vicesimo ejus anno venit de Babylone in Iudæam & tricesimo secundo anno muros urbemque restituit.*

FUSIUM ET RUBELLIUM CONS.] C. Fusius Geminus & C. Rubellius Geminus consulatum gesserunt anno urbis 781. ut Funccius aut 782. ut Sigonius; Christus autem passus est anno 784. teste eodem Funccio. Sed Chronologi hac in re variant. Vide Sigonium.

CCCXVIII] Hic annus incidit in annum urbis CCCLXXVIII. Vide, si placet, Sigonium.

A RESTITUTIONE TEMPLI] Quæ fuit anno Darii sexto, ut diximus. Quamvis Josephus eam factam scribat anno xerxis vigesimo octavo, mense nono, Orig. Judaic. lib. XI. cap. 5.

CONSULE AUGUSTO] Fl. Vespasiano Augusto. Hic erat annus imperii ejus secundus.

LX ET IX. HEBDOMADAS] Quæ faciunt annos prædictos: quibus si septem addideris, erunt Hebdomadæ LXX. Eusebius in Nehemia: *Si quis autem ab hoc tempore* (quo videlicet Jerusalem constructa fuit) *LXX. hebdomadas à Daniele scriptas numeret, quæ faciunt annos CCCXC. reperiet eas in regno Herodis expletas, sub quo obsideri Ierusalem cœpta secundo postea Vespasiani anno capitur.* Et in Herode: *Ab instauratione templi sub Dario usque ad Hyrcanum & centesimam octogesimam sextam Olympiadis annos 483. in medio transactis, quos Daniel quoque significat dicens*, Et scies & intelliges ab initio sermonis restaurandi & ædificandi Jerusalem, usque ad Christi principatum hebdomades septem & hebdomades sexaginta duæ: *quæ hebdomades 69. faciunt annos 483.* Vide sequentia.

A DIE AUTEM CAPTIVITATIS &c.] Ab anno undecimo Sedeciæ regis Juda usque ad annum 32. Artaxerxis memoris. Scire licet Sulpicium ab anno illo undecimo Sedeciæ numerare annos 70. quibus Judæi fuerunt in captivitate illa Babylonica usque ad annum primum Cyri regis Persarum. Alii aliter numerant annos illos.

SCHOTANUS.

NEhemiæ gesta sequuntur. Cap. I. Mense Chasleu, anni vigesimi Artaxerxis memoris (Josephus vult esse xerxen) Nehemias filius Hechaliæ erat Susis in palatio. Ad quem venit Hanani de fratribus ipsius cum quibusdam viris Juda. Ab eis quærit de statu reducum & Hierosolymorum. Responsum, eos in afflictis rebus esse & contemptos mœnia urbis lacera, portasque in ruderibus combustionis. Quibus verbis Nehemias percussus humi considet cum lachrymis & mærore, ad aliquot dies, cum Jejunio & precibus ad Deum cæli. Erat autem Nehemias regi à poculis. Cap. II. Mense Nisan anni vigesimi regis Artaxerxis, cum vinum administraret regi, animadvertit rex vultum ejus mœstum (quod nunquam ante id tempus in ipso fuerat observatum) Cur, inquit, te mœstum video. Cordis dolor in vultu apparet, non ex morbo,

Ipse

Ipse trepidus, Rex, inquit, vivat in seculum: Nonne vultum meum mœstum esse oportet, cum urbs, locus sepulturæ patrum meorum, in ruderibus cubet & portæ in ruinis. Rex reddidit, Quid petis? Ille igitur animo supplex ad Deum cæli, respondet: Si videatur regi & servus tuus inveniat gratiam, mittas me ad urbem sepulturæ patrum meorum, ut eam ædificem. Rex igitur, ac cubante regina: Quam diuturnum iter erit, quando redibis? Cum certum tempus edidisset, placuit regi eum mittere. Nehemias autem petiit à rege literas ad satrapas (פחות) trans flumen, ut eum deducerent in Judæam: tum & ad Asaph custodem, (הפרדס) Paradisi vel saltus regii, ut ligna daret quis tegere (לקרות) posset (seu contabulare) portas (הבירה) palatii ad domum, & ad murum civitatis & domum, ad quam venturus esset. Quæ rex concessit. Venit igitur ad regionis transfluvialis præsides, quibus dedit literas. Miserat rex cum ipso duces militum & equites. Cum rumor detulisset ad Sanaballatum Horonitam & Tobiam servum Ammonitam advenisse hominem, qui bonum quæreret filiis Israel, admodum doluerunt. Ubi advenerat Hierosolymam & ibi triduum egerat, noctu se comitibus paucis itineri dedit, nulli indicato, quid de Hierosolymis animo agitaret: nec animal ullum aderat, præter jumentum, cui insidebat. Noctu speculari voluit mœnium habitum, ne diligens illa contemplatio observata animi proderet propositum. Egressus igitur porta vallis & ex opposito fontis draconis (עין תנין) versus portam sterquilinii (שער האשפות) arcte ad murum contemplandi causa meabat: murum disjectum & portas combustas. Hinc procedit ad portam fontis & regis piscinam. Via non erat jumento qua pergeret. Tum in tenebris noctis torrentem transit, acceditque propius mœnibus ingrediturque per portam vallis. Præsides (הסגנים) ignorabant hanc Nehemiæ profectionem. Hactenus enim Judæis, sacerdotibus, nobilibus & præsidibus aliisque qui opus faciebant, nihil indicaverat. Ædificabantur mœnia sed tardo & ignavo progressu & molimine, paucis operantibus & per intervalla. Ideo Nehemias cognoscere voluit, quid factum esset, quidve fieret. Circuitus ille apud Nehemiam descriptus indicat portam vallis fuisse inter occasum & septentrionem progressumque latere ad occasum, meridiem, ortum, donec ad eandem portam regrederetur. Vallis igitur est alia à valle, qua fluit Cedron.

Nehemias contemplatus opus, coacto populo, dicit, Videtis ærumnas, in quibus sumus: Hierosolymam desolatam esse, ejusque portas igni combustas, agite mœnia instauremus, ne amplius simus contemptui. Tum narrabat regis verba & Dei gratiam. Læti & alacres excipiunt dicta seque operi accingunt. Inimici accolæ, Saneballatus Horonita & Tobias servus Ammonita & Gesam Arabs audito cœpto Judæorum, contemptu & ludibrio id excipiunt: Quid paratis? Est ne vobis animus adversus regem rebellare? Ad hoc Nehemias: Deus cæli dabit successum, nos ejus servi ædificabimus: vobis autem nec pars nec jus nec memoria est in Jerusalem.

Cap. 3. Distributum opus est per familias mensurasque. Septem portarum urbis & intermediarum distributionum meminit textus.

1. Porta ovium (προβατική). Hanc condebat Eliasibus pontifex maximus, cum sacerdotibus fratribus suis. Sanctificabant eam & statuebant valvas. Sanctificabant eam usque turrim Mea & turrim Hananeel. Ad manum ejus operabantur viri Hierichuntis: Deinde Zachur filius Imri.

2. Porta piscium (ἰχθυηρά). Hanc struebant filii Sanaa: contabulabant, statuebant valvas cum seris & vectibus. Ad manum eorum reficiebat Meremoth filius Uriæ, filii Cos: & ad manum eorum reficiebat Mosollam filius Barachiæ,

hiæ, filii Meſezabeel: & ad manum reficiebat Sadoc filius Baana. Item ad manum eorum reficiebant Thecoitæ: quorum optimates (אדיריהם) non ſuppoſuerunt colla ſua ad opus Domini.

3. Porta vetus. Hanc emendabant Jojada filius Phaſea & Moſollam filius Beſodia: contabulabant, ſtatuebant valvas, ſeras, vectes. Ad manum eorum reficiebat Malatias Gabaonita & Jadon Meronothæus, viri Gabaon & Maſpha: uſque ad ſolium pachi, cis flumen. Præſes regionis cis flumen cum Hieroſolymam adveniret, illic jus dixiſſe videtur. Ad manum ejus reficiebat Oziel Harhoiæ, unus de aurifabris (צורפים LXX. πυρωτῶν) ad manum ejus reficiebat Hananiæ filius unius de pigmentariis. LXX. vocem Hebræam retinuerunt ſuo more. Hinc dimiſerant Jeruſalem uſque ad murum latum (τοῖχος πλατύ) Senſus eſt, ut puto, quod hac parte mœnia integra invenerint, non disjecta à Chaldæis. Ad manum eorum emendabat Raphaia filius Hur, princeps dimidiæ partis Jeruſalem (שר חצי פלך ירושלם) Porro ad manum emendabat Jedaia filius Haromaf & ante ædes ſuas. Ad manum ejus Hattus filius Haſabniæ. Menſuram ſecundam emendabat Malchia filius Harim & Haſab filius Pahathmoab: etiam turrim furnorum. Ad manum ejus emendabat Sellum filius Lohes, princeps alterius dimidiæ Jeruſalem: ipſe cum filiabus ſuis. Viri apud Thecoë detrectabant, feminæ Hieroſolymis operi incubuerunt.

4. Porta vallis, ἡ πύλη τῆς φάραγγος. Eam emendabat Hanun & incolæ Zanoe: qui eam condebant, ſtatuebant valvas, ſeras & vectes: & præterea viginti cubitos in muro aduſque portam ſtercoris.

5. Porta Sterquilinii, ἡ πύλη τῆς κοπρίας. Hanc emendabat Melchia filius Rechab, princeps partis Beth-cherem. Condebat, ſtatuebat valvas cum ſeris & vectibus.

6. Porta fontis, ἡ πύλη τῆς πηγῆς. Hanc emendabat Sellum filius Cholzoza, princeps partis Maſphæ. Eam ædificabat, contegebat, ſtatuebat valvas cum ſeris & vectibus. Præterea murum piſcinæ Siloe (שלח) apud hortum regium & uſque gradus qui deſcendunt de civitate David. Poſt illum reficiebat Nehemias filius Azboc, princeps dimidiæ partis Bethſur, ante Davidis monumenta & uſque ad conſtructam piſcinam (העשויה Vulg. quæ grandi opere conſtructa eſt) & uſque domum heroum. Poſt eum reficiebant Levitæ, Rehum filius Bani. Ad manum ejus emendabat Haſabias princeps dimidiæ partis Ceilæ, ad partem ſuam. Poſt eum emendabant fratres eorum; Bavai filius Henadad princeps alterius dimidiæ Ceilæ. Ad manum ejus emendabat Ezer filius Jeſu, princeps (שר) Maſphæ aliam menſuram: ante aſcenſum armamentarii ad angulum. Heb. הנשק המקצע: Vulg. *firmiſſimi anguli*: Gr. τῆς συναπτούσης τῆς γωνίας. Poſt eum emendabat ardentiſſime (Heb. החרה Vulg. in monte) Baruch filius Zabbai (Vulg. Zachai) aliam menſuram: ab angulo uſque ad portam ædium Eliaſibi, pontificis maximi, Poſt eum emendabat Meremoth filius Uriæ, filii Cos, ſecundam menſuram: à porta domus Eliaſibi uſque ad finem ædium. Poſt eum reficiebant ſacerdotes, qui in campeſtribus habitabant. Poſt id Benjamin & Haſub ante domos ſuas. Poſt eum emendabat Azarias filius Maaſiæ, filii Hananiæ, apud ædes ſuas. Inde Bennui filius Henadad ſecundum menſuram: ab ædibus Azariæ uſque ad flexuram & angulum, מקצע ופנה. Nam פנה ſignificat anguli extremitatem. Notabis tribus modis dici בוי / בזי & בנוי; Bavai, Bazai, Bennui; ſine dubio mendum eſt in duabus primis ſcriptionibus. Antiquiſſimæ iſtæ mendæ ſunt & parvi momenti. Phalel filius Ozai ante flexuram & turrim promimentem à domo regia ſuperiori, quæ eſt apud atrium (המטרה) carceris. Poſt illum Phadaia filius Pharos.

Porta aquarum ad templum erat: Nathinæi incolæ Ophel, usque è regione portæ aquarum ad ortum & turrim prominentem. Inde emendabant Thecoitæ secundam mensuram: è regione magnæ turris prominentis & usque ad murum Ophel.

7. Porta equorum: desuper eam reficiebant sacerdotes, quisque ante domum suam. Inde reficiebat Sadoc filius Immer, ante suam domum. Post eam Samæas filius Sechaniæ, custos portæ orientalis.

Porta orientalis templi fuit: de qua diximus. Post Samæam reficiebat Hanania filius Selemiæ & Hanun filius Salaf sextus mensuram aliam. Post eum Mosollam filius Barachiæ, contra לִשְׁכָּתוֹ, conclave suum: Vulg. gazophylacium suum.

Porta Mephcad etiam templi fuit. Post Mosollam Melchias, filius aurificis emendabat usque ad domum aurificum & pigmentariorum, è regione portæ Mephcad & usque cænaculum anguli. Et inter cænaculum anguli ac portam ovium emendabant aurifices & pigmentarii. Gr. χαλκεῖς καὶ ῥωποπῶλαι. Vulg. *aurifices & negotiatores*.

Josephus: In Græco legitur semel ἀρταξέρξη, pro ξέρξη, lapsus librarii è Græca bibliorum versione reformantis. Scribit Nehemiam cum esset Susis, forte, (ἐπακούσας) audivisse quosdam Hebraice confabulantes: accessisse, rogasse unde essent & advenirent. Sciscitatum porrò de statu Judææ. Redditum esse quod in miseriis agerent, Hierosolymæ mœnibus laceris, populo excursionibus hostium & direptionibus obnoxio, vias quotidie cadaveribus oppleri. Nehemiam lachrymantem ad portam trahentemque moras monitum esse, quod rex cubitum pararet ire. Ita illotum properasse ad ministerium. Regem à cæna hilarem vidisse vultu tristi, κατεσκυθρωπακότα, Nehemiam. Quæsisse causam, quam reddit Nehemias & gratiam invenit ut est in textu. τὸ κατηφὲς τοῦ προσώπου καὶ συγκεχυμένον ἀπεκάθηρε τῇ τῶν ἐπηγγελμένων ἡδονῇ. Literas regem dedisse ad Sadæum præsidem (ὕπαρχον) Syriæ, Phænices & Samariæ. Nehemiam cum literis Babylona ivisse & perrexisse Hierosolymam comitantibus eum multis popularium. Ostendisse Deo literas Hierosolymis, reddidisse Sadæo καὶ τοῖς ἄλλοις ἱππάρχαις (fort. ἐπάρχοις Rufinus tamen præfectis equitum) Convocatum populum oratione allocutum esse, qua hortabatur instaurare mœnia urbis & amoliri gentium contemptum. Principes dimensos esse murum καὶ διανέμει τὴν ἐργασίαν αὐτοῦ τῷ λαῷ κατὰ κώμας καὶ πόλεις, κατὰ τὸ ἑκάστοις δυνατόν. Judæorum & Judææ appellationem cœpisse a reditu è Babylonia, quia Judæ tribus prima in illa loca advenerat. Imò à separatione decem tribuum Judæi in opposito ad Israël dici cæperunt, quotquot Judææ tribui & Hierosolymis adhærescerent. Scribit Nehemiam advenisse in urbem anno xerxis vigesimo quinto. Particulari illa distributione operarum habitus mœnium aliquo modo perspici potest, maxime comparatis iis, quæ habentur huc pertinentia in capite secundo & duodecimo. In cap. duodecimi expositione quantum cognoscere possum, ostendam.

Cap. IV. Sanaballatus audito, murum Hierosolymorum ædificari, efferbuit & maledicta sannasque in Judæos evomuit. Aderant fratres ejus & copiæ Samariæ. Quid faciunt, inquit, Judæi (האמללים) Vulg. *imbecilles*, debiles? Sinimusne eos? Unone die (brevi tempore) consummabunt? Significat longi temporis opus esse nec sufficere Judæos. Anne facient reviviscere lapides è combustionis ruderibus? Tobias Ammonita, qui & ipse aderat, Si, inquit, ædificaverint, vel vulpes illum murum lapideum disjecerit. Has sannas accepit Nehemias dolens gemensque & diras reposuit. Populus autem alacriter incum-

cumbebat operi, unde cito muri media pars refecta eſt. Hoſtes igitur, Sanaballatus, Tobias, Arabes, Ammonitæ, Azotii, cum intelligerent opus fervide procedere, occultè conſpirant ad arma, ut opus turbarent. Per inſidias aggredi & ex inopinato operantes cædere propoſitum erat. Sed crebris nuntiis (decies) Judæi, qui in illis locis colebant, afferunt, quid ageretur. Populus igitur ad Deum & preces ſe vertit, quoſdam etiam deſperatio cœpit. Hi Juda appellantur v. 10. Vires bajulorum exhauſtæ ſunt, multum autem ruderum eſt: non poterimus ædificare. Cum enim loca prius eruderanda eſſent & purganda, & vaſtæ moles acervique ruderum accumulata, difficilis labor erat. Nehemias autem vir impiger & laborum patiens, excubias ſtatuit in humilibus locis poſt mœnia & in editis: populum ordinat ſecundum familias, cum gladiis, haſtis & arcubus. Hortatur nobiles, præfectos, reliquumque populum: Nolite timere: ante oculos ponite magnum & terribilem illum Dominum: fortiter rem gerite pro fratribus, filiis, filiabus, conjugibus & domibus. Cum hoſtes animadverterent Judæos accinctos ſtare & conſilia ſua emanaſſe, retro abeunt. Judæi etiam ad opus redeunt. Ab illo tempore miniſtrorum Nehemiæ pars dimidia in opere erat, pars altera tenebat haſtas, ſcuta, arcus, thoraces, parata bello. *Et principes erant poſt omnem domum Iuda.* Sic habetur in fine v. 16. Gr. καὶ οἱ ἄρχοντες ὀπίσω παντὸς οἴκου Ἰούδα. Vulg. *Et principes poſt eos in omni Iuda.* Senſus eſt, quod principes ſuæ quiſque parti populi adſtiterint, ut inſpicerent & animos adderent. Operantes, ſive ædificarent, ſive onus ferrent aut imponerent, unam manum operi alteram armis admoverant. Ædificantes omnes gladiis accincti erant, inter ædificandum: buccinator adſtabat Nehemiæ. Qui præceptum dat nobilibus, præfectis & cæteris omnibus: quia opus ſparſum erat & diſſipatum intervallis, ut intenti eſſent ad buccinæ clangorem eoque citi accurrerent, fortiter pugnaturi ſub Dei auxilio. Ita Nehemias cum dimidia parte operabatur, altera dimidia ſtabat in procinctu ab ortu auroræ uſque ad ortum ſtellarum. Præcepit etiam Nehemias ut quiſque cum ſervulo pernoctaret Hieroſolymis: ita interdiu in opere, noctu in excubiis agerent. Nehemias, cum fratribus & miniſtris & excubitoribus, qui ipſi aderant, toto illo tempore non exuebant veſtes: quiſque habebat arma ſua & aquam.

Cap. V. Interim & alia difficultas Nehemiam apprehendit à fœneratoribus. Nam querelæ oppreſſorum conjugumque ingentes erant. Quidam clamabant, abundamus prole, ideo frumentum accepimus ut eſſet unde viveremus. Alii addebant: ſe dediſſe pignori agros, vineas, domos, ut in illa annonæ caritate frumentum haberent. Pars argentum mutuo ſumſiſſe in agros vineasque, ut vectigal regium ſolverent. v. 5. *Caro noſtra eſt ut caro fratrum noſtrorum & liberi noſtri ut eorum:* id eſt æque homines æque Iſraelitæ ſumus & liberi noſtri nobis æque cari ac illis ſui. En ſubjicimus filios filiasque in ſervos: quædam filiarum noſtrarum ſubjectæ ſunt, quas non eſt in poteſtate noſtra ut redimamus. Alii poſſident agros vineaſque noſtras. Lege Moſis licuit liberos vendere Exod. XXI. 2. Deut. 15, 12. Hi ob egeſtatem vendiderant liberos, & ſua pignori dederant. Nehemias avaritia nobilium magiſtratuumque & miſeria oppreſſorum graviter commotus, oppreſſores objurgat: Onus exigitis à fratribus? Inde coacta concione eos in hunc modum increpat: Nos fratres noſtros Judæos, gentibus venditos, redemimus pro facultatibus noſtris: vos autem fratres veſtros vendere aut illos vobis vendi oportet? Videntur quidam nobilium & opulentorum mancipia Hebræa vendidiſſe. Nehemias, ut erat vir optimus, quoſcunque poterat, è gentibus redimebat. Diſſipatio enim illa & captivitas gentis mancipia ſparſerat per populos circumjacentes. Ad verba Nehemiæ

silentium tenuerunt. Tum ipse: Non est bonum quod facitis. Nonne decet nos ambulare in timore Dei nostri, ob ignominiam gentium, hostium nostrorum? Ego mei fratres, & ministri anno ab ipsis exigimus pecuniam & frumentum? omittamus hoc onus. Reddite quæso agros, vineas, oliveta, domos & centesimam pecuniæ, frumenti, musti, olei, quam exegistis. Usuram enim adversus legem exegerant, centesimam in singulos menses, ut arbitror. Respondent se ita facturos. Nehemias igitur vocatis sacerdotibus, in jusjurandum ipsos adigit, se ita facturos. Tum excusso gremio, Ita excutiat, inquit, Deus omnem virum, qui vestrum id non stabiliverit, è domo & labore suo, ut sit excussus & vacuus. Hoc verbum populus excipiebat, acclamatione, Amen, laudabatque Dominum. Promisso steterunt & juramento. Similem Nehemiæ satrapam regio Judææ non viderat. Duodecim annis in eo munere stetit ab anno vigesimo Artaxerxis usque ad trigesimum secundum. His annis cum fratribus (collegis) nunquam edit panem satraparum. Præcedentes eum satrapæ (non fuit igitur inter eos Zorobabel) presserant populum, sumpserant ab illis panem & vinum, deinde quadraginta argenteos (siclos argenti) eorum etiam ministri dominabantur populo. Nihil tale factum est à Nehemia, quia Dominum timebat. Murum refecit, nullum agrum emit: ministri ejus omnes coacti & occupati fuerunt in opere. Quamvis mensa sua Judæorum magistratuumque centum quinquaginta & venientes à gentibus exciperet, & quilibet dies bovem & sex lectas oves absumeret, præterea aves pararentur & multum vinum intra decimum quemque diem, abstinuit tamen pane satraparum, quia servitute populum gravari videbat. Hæc ipse refert & petit apud Deum esse in recordatione.

Cap. VI. Cum Sanaballatus, Tobias, Gesem Arabs ceterique hostium audissent, murum reparatum esse. Nondum valvæ portarum constitutæ erant. Nam muro in universum refecto absolutoque id factum est. Fabricatæ erant ab ædificantibus, antequam statuerentur. Sanaballatus & Gesem miserunt ad Nehemiam, ut convenire vellet cum ipsis in vicis, in valle Ono. Colloquium de rebus necessariis præferentibus respondebat Nehemias, se grande opus facere; nec posse descendere & opus intermittere. Quintò Sanaballatus puerum mittit cum literis patentibus in manu: Argumentum literarum erat: Auditum est in populis & dicit Gasmu Te & Judæos rebellionem meditari, ideo te murum condere. Regem te ipsis fore, ubi res tulerit. Prophetas etiam constituisse, qui proclament de te Hierosolymis: Rex est in Juda. Illa absque dubio ad regem perferentur, veni igitur ut una deliberemus. Nehemias misso nuntio respondet, Nihil eorum esse verum, sed ab illo omnia ficta. Propositum enim erat, Nehemiam perterrefacere, ut opus cessaret. Insidiæ etiam ipsi structæ sunt intra urbem. Cum enim fortè ingressus esset in ædes Samææ filii Metabeel, simulabat ille se metu hostium publico abstinere & in occultis ædium, monebatque sibi consultum videri ut simul in ædem Dei & medium templum (quo solis sacerdotibus penetrare fas erat) ingressi fores clauderent, quia sciret venturos, & noctu, submissos in Nehemiam percussores. Hæc tanquam vaticinans loquebatur. At Nehemias dolum subolfaciens (conduxerant eum Tobias & Sanaballatus) respondet Personam suam non decere, ut vitæ amore latebras quæreret. Consilium enim hostium erat, in infamiam Nehemiam illicere. Non tantum Samæas sed & alii prophetæ, interque eos una femina, cui nomen Noadja, linguam suam vendiderant hostibus ut Nehemiam perterrefacerent. Murus consummatus est vigesimo quinto die Elul, diebus quinquaginta duobus. Cæptum igitur opus mensis Ab die quarto. Fama rei perfectæ perculit

vicinas

vicinas gentes, quia animadvertebant à Deo eſſe. Ea etiam tempeſtate mutuæ literæ commeabant inter Tobiam & quoſdam Judææ nobilium. Nam multi in Juda arcano fœdere cum illo colligati erant. Erat enim gener Sechaniæ, filii Are: & filius ejus Jonathan duxerat filiam Moſollam, filii Barachiæ. Hi coram Nehemia celebrabant facta dictaque Tobiæ, verba autem Nehemiæ deferebant ad Tobiam. Hac occaſione Tobias per ſimulationem amicitiæ literas ſcribebat ad Nehemiam terrendum.

Cap. VII. Muro conſummato, valvas ſtatuit pachus: janitores, cantores & Levitæ conſtituti. Hanani fratri (collegæ) ſuo & Hananiæ præfecto arcis (LXX. ἄρχοντι τῆς βιρὰ) homini fido & Dei ſupra multos reverenti, dat mandatum, portas Hieroſolymorum non aperiri ante calorem ſolis. Deinde ut claudentibus portas adſtaret ac poſtquam clauſiſſent, attrectando exploraret, an benè eſſent clauſæ. Porro ut incolis Hieroſolymorum cuſtodiæ & vigiliæ diſtribuerentur, cuilibet è regione ſuarum ædium. Cum ita cuſtodiæ proviſum eſſet, cogitare cœpit de condenda inhabitatione. Spatioſa enim civitas, rari incolæ, domus dirutæ. Deus igitur fecit animum ſubire, ut nobilibus, magiſtratibus & populo congregatis genealogias digereret. Invenit catalogum eorum, qui antehac è Babylonia in Judæam immigraverant. Sequentia capitis continuant hiſtoriam, ut in vulgata editione diſerte & ſeparate annotatum eſt. Nam Nehemias Hatthirſatha & patriarchæ ad opus templi contribuerunt. Hathirſatha in ærarium contulit, mille drachmas auri, quinquaginta phialas, quingentas & triginta tunicas ſacerdotales: patriarchæ ad ærarium operis auri drachmas vicies mille, argenti duo millia & ducentas minas. Reliquus populus auri drachmas vicies mille, argenti duo millia minarum & tunicas ſacerdotales ſexaginta ſeptem. Sacerdotes, Levitæ, janitores, cantores quidam de populo & Nathinæi: imò totus Iſrael habitabant in oppidis ſuis.

Cap. VIII. Iſraelitæ ad ſeptimi menſis primum diem ex oppidis ſuis Hieroſolyma omnes confluxerunt. Convenerunt in platea ante portam aquarum. Gr. εἰς τὸ πλάτος τὸ ἔμπροσθεν τῆς πύλης τοῦ ὕδατος. Joſ. εἰς τὸ ἀνειμένον τοῦ ναοῦ πρὸς τὴν πύλην τὴν ἐπὶ τὴν ἀνατολὴν ἀποβλέπουσαν. Petierant ab Eſdra ſcriba ut produceret Moyſi legem. Eſdras legem produxit coram concione, virorum mulierumque & omnium qui poterant intelligere, prima die ſeptimi menſis, qua erat feſtum tubarum. Legebat in ea, ante plateam, quæ ante portam aquarum, à primo lucis exortu uſque ad meridiem, coram viris mulieribusque & intelligentibus. Intelligentes non diſcriminantur à cæteris ſed auditorum communem expoſitionem ea voce oportet accipere, nempe, quorum mentes ſapientia id eſt reverentia numinis tetigerat. Alii ſe fatue ſeparabant à concione & auditione verbi, LXX. καὶ αὐτοὶ συνιέντες: quaſi id vellet Scriptura, hos qui aderant potuiſſe capere & intelligere. Univerſorum aures erant arrectæ ad librum legis. Stabat Eſdras in tribunali (Vulg. *in gradu*) ligneo ſublimis, quod huic fini ſtruxerant. Juxta eum adſtabant ad dexteram Matthathias, Same, Anaias, Urias, Helcias & Maaſias: ad ſiniſtram Phadæas, Miſael, Melchias, Haſom, Hasbedana, Zacharias & Moſollam. Aperiebat Eſdras legem toto inſpectante populo, quia ſublimis eminebat. Cum aperiret conſurgebat univerſus populus ut pedibus inſiſtens & erecto corpore audiret. Laudes dicit Eſdras Domino, Deo magno, quod populus excipiebat acclamatione Amen, Amen, elatis manibus inclinantes ſe & adorantes Dominum, vultibus ad terram. Jeſus, Bani, Serebias, Jamin, Accub, Sabbethai, Hodia, Maaſia (à ſuperiori diverſus) Calitha, Azarias, Jozabad, Hanan, Phalæas. Hi decem cum Levitis (per vices ut puto) docebant populum in lege. Græci tantum tres priores

exprimunt nec meminerunt Levitarum: ἦσαν, inquiunt, *συνετίζοντες τὸν λαὸν εἰς τὸν νόμον.* Stabat populus, בעמדם / Gr. *ἐν τῇ στάσει αὐτοῦ*; Lat. in gradu ſuo. Modus informationis erat: Primò, legebant in libro, in lege Dei, מפורש / Lat. *diſtinctè.* Deinde ושום שכל ponendo intelligentiam, efficiebant ut populus intelligeret in ſcriptura (במקרא) Hunc v. 8. Græci omnino perverterunt: *Καὶ ἀνέγνωσαν ἐν βιβλίῳ νόμου θεοῦ καὶ ἐδίδασκεν Ἔσδρας καὶ διέστελλεν ἐν ἐπιστήμῃ κυρίου καὶ συνῆκεν ὁ λαὸς ἐν τῇ ἀναγνώσει.* Populus audita lege in ejulatum, lachrymas planctumque effundebatur. Tum Nehemias & Eſdras (ſcriba ac ſacerdos) & Levitæ, informantes populum, admonent: Hunc eſſe diem Domino Deo ſuo ſacrum, non convenire luctum & lachrymas. Levitæ compeſcebant ne flerent, neve mœrerent, quia dies ſacer eſſet. Nehemias (de illo enim capio v. 10.) ad populum: Abite, edite pinguia, bibite dulcia (Gr. *φάγετε λιπάσματα καὶ πίετε γλυκάσματα*) mittite (מנות) dona, *μερίδας*, quibus nihil paratum eſt. Nam dies hic Domino ſacer. Nolite igitur triſtes eſſe. Nam hæc eſt Domini lætitia, qui veſtrum robur eſt. Diſcedit igitur populus, ut diem feſtum ageret. Agunt edendo, bibendo, dona mittendo & lætitiam. Bene enim perceperant verba, quæ erant edocti. Sic dies ille exactus eſt. Notari debet legem non tantum lectam ſed & expoſitam eſſe. Doctorum enim officium duabus partibus conſtat. Multi vocem מפורש / ita accipiunt, linguam Chaldæam in populi uſu fuiſſe, ideo Hebræum Moſis textum Chaldaïce interpretatum ab illis doctoribus. Non video quomodo id confici poſſit è textu & illa voce. Cæterum linguam & literas Chaldæorum in uſu populi communi fuiſſe certum eſt. Non omnes ſacrum textum potuerunt legere in literis, quas habuit uſus vulgatus ante captivitatem.

Die ſequenti coëunt patriarchæ totius populi, ſacerdotes, & Levitæ ad Eſdram ſcribam, ut in lege inſtruerentur. Inveniunt ſcriptum in lege de ſcenopegiæ feſto agendo in menſe ſeptimo. Id proclamandum per oppida & Hieroſolymis. Proclamatum igitur: Exite in montes, afferte ramos olearum pinguiumq; arborum aliarum, myrtorum, palmarum aliarumque denſarum arborum, ut tabernacula faciatis. Exiit populus, attulit ramos, fecit tabernacula, quiſque in tecto ſuo, in atriis ſuis & atriis ædis Dei, in platea portæ aquarum & platea portæ Ephraim. Ante duas illas portas templi amplum ſpatium erat in monte templi. Univerſus igitur populus reducum faciebant tabernacula & agitabant in tabernaculis. Ita factum non erat à diebus Joſue filii Nun, uſque in illum diem. Ingens gaudium erat. Legebatur in libro legis quotidie à primo die ad ultimum. Feſtum actum eſt ſeptem diebus, octavo, עצרת / *ἐξόδιον, collecta, interdictum,* verbodtsdach / juxta inſtitutum. Die decimo quinto incepit feſtum ſcenopegiæ, celebratum illo & ſequentibus: vigeſimus ſecundus fuit interdicti. Sed dubium habet, quomodo hoc Scenopegiæ feſtum comparetur cum Joſue tempore. Conſtat enim intermedio tempore ſub judicibus & regibus acta fuiſſe plurima & magna admodum cum feſtivitate: ut veroſimile non ſit hoc eminuiſſe. Hic Judæi in Seder olam Rabba cap. 3. *Dici poteſt, quod comparet ingreſſum Iſraëlitarum in terram diebus Eſdræ, cum eorundem in eandem ingreſſu diebus Joſue. Quemadmodum diebus Joſue obligati ſunt ad decimas, annos Semitæ ſive remiſſionis & Iubilæos & ſanctificarunt muratas urbes: ſic in ſuo ingreſſu Eſdræ tempore adſtricti fuerunt legibus de decimis, de annis Semitæ, de Iubilæis, ſanctificarunt urbes mœnibus cinctas & vehementer lætati ſunt coram Domino.* Ante munimentorum urbis refectionem ſanctificatio munitarum civitatum non potuit fieri. Hinc incepit ſemitarum & Jobelæorum obſervatio, item compoſitio & ſtabilitio cultus Divini.

Cap.

Cap. IX. Vigefimo quarto die feptimi menfis coierunt filii Ifrael, cum jejunio, in faccis, pulvere capitibus infperfo. Separant fe Ifraelis femen ab omnibus extraneis. Stantes fatebantur de peccatis fuis & patrum iniquitatibus: Nam in loco illo ftationis cum furrexiffent, legebatur in libro legis Domini, quadrante diei, altero quadrante confitebantur & adorabant Dominum. Jefus, Bani, Cadmiel, Sebania, Bunni (al בנוי) Serebia, Bani, Chanani, ftabant in edito fuggefto Levitarum, clamantes alta voce ad Dominum, Deum eorum. Et Levitæ Jefus, Cadmiel, Bani, Hafabnia, Serebia, Hodia, Sebania, Fathachia, laudes Domino dicebant, quæ fufe defcribuntur. In fine fœdus promittunt, fcribendum obfignandumque à principibus העם Levitis & facerdotibus. Qui hic שרים, cap. X. 14. vocantur ראשי πατριάρχαι.

Cap. X. Ad obfignandum deputati funt & populi nomine obfignarunt: primò, præfectus regius Nehemias, Hatthirfatha, filius Hechiliæ: deinde facerdotes primores, Sedecias, Saræas, Azarias, Jeremias, Pashur, Amarias, Melchias, Hattus, Sebanias, Malluch, Harim, Meremoth, Obadias, Daniel, Ginnethon, Baruch, Mofollam, Abias, Miamin, Maazia, Bilgai, Samæas: tum è Levitis, Jefus, filius Azaniæ; Bennui; è filiis Henadad, Cadmiel; tum eorum fratres Sebania, Hodia, Calita, Phalæa, Hanan, Micha, Rechob, Hafabia, Zachur, Serebia, Sebania, Hodia, Bani, Beninu. Vides hic nomina eadem repeti, fed hominum funt diverforum. Capita populi ultimo loco: Pharos, Phahathmoab, Elam, Zatthu, Bani, Bunni, Azgad, Bebai, Adonia, Beguai, Adin, Ater, Ezecias, Azur, Hodia, Hafum, Bezai, Harif, Anathoth, Nebai, Magpias, Mofollam, Hezir, Mefezabeel, Sadoc, Jaddue, Phalatia, Hanan, Anaja, Hofee, Hanania, Hafub, Hallohes, Pelha, Sobec, Rehum, Hafabna, Maafia, Ahia, Hanan, Anan, Malluch, Harim, Baana. Reliquus populus, cæterique facerdotes, Levitæ, janitores, cantores, Nathinæi, & quicquid fe à populo terrarum feparaverat ad Dei legem, eorum conjuges, filii filiæque, quicunque fcientiam & intelligentiam habebant, adhærebant fratribus fuis אדיריהם, fuis magnificis, veniebantque in facramentum & exfecrationem fe ambulaturos in lege Dei, data minifterio Mofis: feque facturos omnia præcepta Domini, ejusque jura & ftatuta. Se filias fuas non daturos populis terræ, nec eorum filias fuis filiis fumpturos. Tum ubi gentiles Sabbatho merces fuas frumentumque attulerint, Sabbatho alioque fefto die nihil empturos fumpturosque. Se annum feptimum dimiffuros atque omne onus. Statuebant etiam fibi præcepta, ut darent tertiam partem ficli quotannis ad minifterium ædis Dei: nempe ad panes propofitionis, jugem Mincham, juge holocauftum, tum Sabbathorum, neomeniarum, feftorum ftatorum: ad facras res, ad victimas pro peccato, ut expiatio fieret fuper Ifraël. Atque ad omne opus ædis Dei. Etiam fortes jactæ, inter facerdotes, Levitas & populum, fuper oblatione lignorum, fecundum domos patrum, fuis temporibus, annuatim: ut urerentur in ara Domini, ut in lege fcriptum. Etiam fe allaturos primitiua terræ & omnium fructuum, annuatim, ad ædem Domini. Item primogenita filiorum & pecudum ut in lege præcipitur. Primogenita boum oviumque fe allaturos ad ædem Dei, ad facerdotes in æde Dei miniftrantes. Se primitias frugum (ראשית עריסותינו) & thrumas & fructus arborum omnium, muftum, oleumque allaturos in conclavia (לשכות) (γαζοφυλάκια) ædis Dei: & decimas terræ ad Levitas. Levitis dandas effe decimas in omnibus oppidis agricolationis fuæ. Gr. ἐν πάσαις πόλεσι δουλείας ἡμῶν. Forte

facer-

ſacerdotum è filiis Aaron, apud Levitas, cum Levitæ decimas acciperent. Levitas decimas decimarum allaturos ad ædem Dei in conclavia domus theſaurorum. Nam filii Iſrael & Levitæ tenebantur thrumas frumenti, muſti, olei in conclavia afferre, quia illic vaſa ſanctuarii erant & ſacerdotes, qui miniſtrant & janitores & cantores. Se igitur domum Dei non eſſe deſerturos.

Cap. XI. Firmato Dei cultu urbi proſpiciendum de incolis erat. Principes populi Hieroſolymis degebant. Reliquus populus ſortes jecit ut decimus quiſque in urbe habitaret, novem partes in oppidis. Quidam ultrò recipiebant ſe habitaturos in urbe: quibus populus læta acclamatione benedixit.

In oppidis Judææ quiſque in ſua poſſeſſione habitabant, Iſraël, ſacerdotes, Levitæ, Nathinæi & filii ſervorum Salomonis.

Hæc erant capita regionis (המדינה) degentia Hieroſolymis. Nam illic habitabant quidam de filiis Juda & Benjamin.

Judæi: Athaja filius Uziæ, filii Zachariæ, filii Amariæ, filii Saphatiæ, filii Malaleel, filii Phares. Maaſia filius Baruch filii Cholhozà, filii Hazææ, filii Adææ, filii Joarib, filii Zachariæ, filii Siloni.

Omnes filii Phares, qui Hieroſolymis habitabant erant numero quadringenti, ſexaginta octo, viri fortes.

Filii Benjamin: Sellu filius Moſollam, filii Joël, filii Phadææ, filii *Colææ*, filii Maaſiæ, filii Ithiel, filii Eſaiæ. Poſt eum Gabbai, Sallai. Numero erant nongenti viginti octo. Joel filius Zechri (פקיד) præfectus (*ἐπίσκοπος*) eorum nempe Benjamitarum: Juda filius Senua ſecundus erat ſuper urbem. Quis univerſorum civium præſes fuerit, non memorat.

Sacerdotes: Jadæa filius Jojarib, Jachin, Saræa filius Helciæ filii Moſollam, filii Sadoc, filii Merajoth, filii Achitob, erat (נגיד) præſes domus Dei Gr. *ἀπέναντι οἴκου τοῦ κυρίου.* Eorum fratres, qui operabantur in domo erant octingenti, viginti duo. Et Adæa filius Jeroham, filii Phalaliæ, *filii* Amſi, filii Zachariæ, filii Pashur, filii Melchiæ: ejuſque fratres (*ἄρχοντες πατριῶν*) patriarchæ erant ducenti quadraginta duo. Amaſai filius Eſdriel filii Achzai, filii Meſillemoth, filii Emmer; ejuſque fratres (גבורי חיל) Gr. *δυνατοὶ παρατάξεως*; Lat. *potentes nimis fortes bello.* centum viginti octo. Epiſcopus eorum erat Zabdiel filius Gedolim. Gr. *Βαδιὴλ υἱὸς τῶν μεγάλων.* Levitæ: Samæas filius Haſſub, filii Eſdricam, filii Haſabnæ, filii Buni, & Sabbathai & Jozabad ſuper opus extrinſecum domus Dei, è (capitibus) Patriarchis Levitarum. Mathania filius Micha, filii Zabdi, filii Aſaph, caput erat ad laudes incipiendum in precibus (ראש התחלה יהודה לתפלה) Græci verſum 16. non expreſſerunt. Lat. *Princeps ad laudandum.* Bacbucia ſecundus erat fratrum. Abda filius Sammua, filii Galar, filii Iduthun. Omnes Levitæ in ſacra urbe ducenti octoginta quatuor.

Janitores; Accub, Talmon cum fratribus ſuis, qui excubias agebant in portis centum ſeptuaginta duo.

Reliqui de Iſrael, ſacerdotibus & Levitis erant in omnibus oppidis Juda, quiſque in ſua poſſeſſione. Nathinæi habitabant in Ophel: Siaha & Gaſpha præfecti erant Nathinæis. Levitarum (פקיד) epiſcopus Hieroſolymis erat Ozi filius Bani, filii Haſabiæ filii Matthaniæ, filii Micha. Matthanias in vivis erat, cujus pronepos adoleverat eratque in miniſterio non tantum ſed & epiſcopus. Jam igitur in ſecundo vitæ ſuæ ſeculo aliquammultos annos tranſegerat. E filiis Aſaf erant cantores è regione operis Dei. Quia præceptum regium de eis erat: nempe diurna penſitatio pro cantoribus. His enim putatur certa ſumma diurna ex ærario regni fuiſſe aſſignata, ad cultus divini impendia. Ideo

opera-

operationi sacræ præsentes aderant : ואמנת על המשוררים דבר יום ביומו. Phachahia filius Mesezabeelis è filiis Zare filii Juda ad manum regis in omne negotium populi. Hujus officium erat curare regis nomine, quæ ad populum pertinebant : aut curare populi res apud regem. Ego prius malim, Nam Procurator iste regius ad populum erat, quia putatur exegisse tributa.

Hierosolyma igitur habitari cœpit ab illa paucitate, quæ supra commemorata est. Fuerunt 3044.

Filii Phares	468
Filii Benjamin	928
Sacerdotes	822
Alii sacerdotes	242
Rursum alii	128
Levitæ	284
Janitores	172
Summa	3044.

Hæc paucitas benedictione crevit in immensum numerum. In lib. 1. Chronic. Cap. IX. 3. scribitur, quod etiam filii Efraim & Manasse Hierosolymam inhabitaverint. Hi enim non habebant hæreditatem in agris. In villis in prædiis suis colebant quidam filiorum Juda, in Cariatharbe ejusque filiabus, in Dibon & Jecabzeel earumque viculis: In Jesua, Moleda, Bethphalet, Hasersual, Bersabee & filiabus ejus : In Siceleg, Mochona & filiabus ejus : In Enremmo, Sora, Jarmuth, Zanoa, Odollam & villis ejus : In Lachis & ejus agris, Azeca & filiabus ejus. Posuerunt se à Bersabee usque vallem Hennom.

Filii Benjamin è Gabæ, Michmas, Aja, Bethel ejusque filiabus : Anathoth, Nob, Anania, Hasor, Rama, Gethaim, Hadid, Seboim, Neballat, Lod & Ono, in valle artificum. Levitarum quidam habitarunt in portionibus Judæ & Benjamin. Eum in modum Judæi patriæ restituti sibique coalescere cœperunt.

Cap. XII. Prima illius pars in versibus 26. adjecta est ab alio, ut videtur, scripto Nehemiæ. Sacerdotum Levitarumque indiculum habet. Sacerdotes & Levitæ, qui cum Zorobabel filio Salathiel & Jesu ascendere hi sunt : Saræas, Jeremias, Esdras (non est magnus ille & celebratissimus scriba, morum & legis fundator quia hic inter patriarchas non fuit.) Amarias, Malluch. Hattus, Sechania, Rehum, Meremoth, Oddo, Ginnethoi, Abia, Miamin, Maadia, Belgæ, Samæa, Jojarib, Jedaja, Sallu, Amoc, Helcia, Jedaia. Hi erant capita sacerdotum & fratres eorum in diebus Jesu. Levitæ erant, Jesu, Bennui, Cadmiel, Serebia, Juda, Matthania. Ipse & illius fratres ab hymnis erant. Rursum longævitas illus Matthaniæ ostenditur, qui cum Zorobabel ascendit anno septuagesimo captivitatis, eratque superstes anno vigesimo Artaxerxis Memoris. Bacbucia & Uni eorum fratres è regione in excubiis erant.

Summorum pontificum hæc erat successio: Jesus gignit Jojacim, Ioacim creat Eliasibum. Eliasibus Jojadam, Jojada Jonathanem, Jonathan Jaddue. Hic Jaddue Alexandri magni tempore præ erat. Esdra adveniente pontificium obibat Joacimus at cum Nehemias in Judæam adveniret, satrapa à rege missus, jam successerat Eliasibus. Joacimo igitur sacerdotio summo fungente, alii patriarchæ sacerdotum erant, nati illis, qui sub Jesu è captivitate venerant. E Saræa erat Meraia, è Jeremia Hanania. ex Esdra Mosollam, ex Amaria Johanan, è Melichu (Malluch) Jonathan, è Sebania (superius Sechania) Joseph, ex Harim Adna, è Merajoth (supra Meremoth) Helcia, ex Iddo Zacharia, è Ginnethon Mosollam, ex Abia Zechri, è Miniamin (deest) è Moadja Peltai, è Belga Sam-

mua, è Samæa Jonathan, è Jojarib Matthenai, ex Idaja Ozi, è Sallai (illic Sallu) Callai, ex Amoc Heber, ex Helcia Hasabia, ex Idæa altero Nathanael. Superius recensentur familiæ seu patriarchæ viginti duo, hic tantum viginti una seu unus. Nam Hattus omittitur, pro Rehum transpositis literis legitur Harim: ordo plane idem in recensione tenetur.

Inde annotatur v. 22. diebus pontificum Eliasibi, Jojadæ, Johanan & Jaddue patriarchas Levitarum etiam esse annotatos, similiter & sacerdotum usque ad regnum Darii ultimi scilicet Persarum regis. Hinc v. 23. annotatur Levitarum patriarchas in libro Chronicorum usque ad tempora Johanan filii Eliasibi scriptos esse. Nonum caput primi Chronicorum à principio usque ad comma 18. huc pertinet, ubi scribitur quinam post reditum agrum urbemque incoluerint. Hos scriptos esse circa principium Johanan filii Eliasibi. Discimus hinc Chronicorum librum (apud Græcos in duos libros divisus est) scriptum esse post captivitatem. Absque dubio Esdras cum viris Synagogæ magnæ eum composuit.

Comm. 24. 25. 26. recitat patriarchas Levitarum, qui fuere temporibus Joacimi pontificis, item Nehemiæ satrapæ & Esdræ sacerdotis & scribæ. Hasabia, Serebia, Jesua filius Cadmielis eorumque fratres è regione (Lat. *per vices*) ad laudes & hymnos juxta institutum Davidis, custodia contra custodiam. Mathania, Bacbucia, Obadia, Mosollam, Telmon, Accub erant janitores custodiam observantes apud gazophylacia portarum.

Post ista narrata redit ad historiam conditæ urbis. Ad encænia mœnium urbis conquisiti Levitæ ex omnibus suis locis, ut dedicarent murum cum lætitia, gratiarum actionibus, cantu, cymbalis, nabliis & cinyris. Congregabantur igitur filii cantorum è campis circum Ierusalem & villis Netophati. E domo Galgal, è campis Geba & Azmaveth. Nam cantores sibi villas struxerant circum Ierusalem. Sacerdotes & Levitæ purificabant se, inde purificant populum, portas & murum. Purificatione peracta Nehemias principes (שרי) Iudæ faciebat ascendere murum. Constituit duos ingentes choros laudantium (שתי תודת גדולות) nempe duos ordines procedentium (חלכות) Qui adversa regione circumeuntes occurrerent & conjungerentur in opposita urbis parte. Dexter chorus & ordo in mœnibus faciem obverterat versus portam stercoris. Eos sequebatur Hosaia & dimidia pars principum Iudæ. Tum Azarias, Esdras, Mosollam, Iuda, Benjamin, Samæa & Ieremia. E filiis sacerdotum cum tubis Zacharias filius Ionathan filii Samææ, filii Matthaniæ, filii Michææ, filii Zacchur, filii Asaph: fratresque ipsius Samæa, Azareel, (Esdriel) Milalai, Gilalai, Maai, Nathanael, Iuda, Hanani, cum instrumentis cantici Davidis viri Dei. Esdras scriba præcedebat eos. Ibant versus portam sterquilinii, hinc versus portam fontis: tum è regione ascendunt gradus civitatis Davidis per ascensum muri: Supra Davidis domum usque portam aquarum ad ortum. In oppositum sinister chorus processit, sequente Nehemia cum dimidia populi parte super muro: transibat turrim furnorum usque ad murum latum, tum super portam Efraim, portam veterem, portam piscium, turrim Hananeel & turrim Mea usque ad portam ovium: deinde consistunt in porta carceris. Porro uterque chorus progressus est usque in ædem Dei. Illic constiterunt: Nehemias etiam & dimidia pars magistratuum (הסגנים) cum ipso. Tum sacerdotes Eliacim, Maasia, Miniamin, Michæa, Elioenai, Zacharias, Hananias cum tubis. Item Maasia, Samæa, Eleazar, Ozi, Iohanan, Melchia, Elam, Ezer. Cantores etiam se audiri faciebant cum Isdraia episcopo. Eo die immolarunt victimas magnas & lætati sunt. Etiam mulieres & pueri lætitiæ signa ediderunt. Gaudium ingens erat, quia Deus eos lætificaverat, quod longè latèque audiebatur. Eo-

dem

dem quoque die præfecti sunt conclavibus, thesauris pro thrumis, primitiis, decimis: ut eò colligerentur ex agris oppidorum (מנאות) portiones legis pro sacerdotibus & Levitis. Iuda enim gaudium animis conceperat super sacerdotibus & Levitis, qui stabant observantes observationem Dei sui & observationem purificationis: etiam super cantoribus & janitoribus ministrantibus juxta institutum Davidis & Salomonis. Id institutum renovarunt Zorobabel & Nehemias. In diebus Davidis & Asaf & porrò ab antiquo erant capita cantorum & laudis & hymnorum ad Deum. Ideo totus Israel dabat diebus Zorobabel & diebus Nehemiæ, portiones cantorum & janitorum in pensitationem diurnam. Sanctificabant pro Levitis, Levitæ sanctificabant (separabant) pro filiis Aaron. Sic igitur Hierosolyma, sic resp. & Ecclesia restituta sunt. Ex occasione annotaverim habitum positumque Hierosolymorum, quem Nehemias tam diligenter & accurate proposuit.

1. Porta vallis: Per hanc Nehemias egrediebatur ad explorationem cap. 2. circa hanc inceperunt murum obire chori. Hinc procedamus versus meridiem. Quantum intervallum fuerit inter hanc & proximam stercoris, dicere non possumus, sed in isto intervallo emendatio facta fuit mille cubitorum. Fons draconis hoc intervallo extra mœnia Nehem. 2. 13.

2. Porta stercoris.

3. Porta fontis. Hanc sequebatur murus piscinæ Siloë, circà quam hortus regius. Hinc gradus civitatis Davidis. Piscina illa erat in valle, quæ inter Acram & montem Sion dividebat. In civitate Davidis versus mœnia ordine obveniebant ædificantibus, monumenta Davidis, piscina facta. domus heroum. Hinc ad angulum domus armorum. Domus Davidis memoratur in cap. 12. domus regia in cap. 3. Fuit in montis Sionis parte orientali, qua respicit Moriam.

4. Porta aquarum erat porta templi. Inter domum armorum & portam aquarum erat domus Eliasibi, tum ædes Benjamin, Hasub, Azariæ, hinc extremitas anguli. Intus angulus & turris alta prominens ab æde regia circa atrium carceris. Iam sumus in orientali urbis parte. Hinc turres prominentes minor & magna, post portam aquarum. Sequebatur murus Ophlæ.

5. Porta equorum. Hinc domus sacerdotum, domus Samææ, conclave Mosollam, domus Nethinim & unguentariorum, porta Mephcad: hæc circa templum. Rursum erat extremitas anguli, inde sequebatur

6. Porta carceris.

7. Porta ovium. Hinc turris Mea, turris Hananeel.

8. Porta piscium.

9. Porta vetus. Tribunal satrapæ cis flumen, murus latus domus Idææ.

10. Porta Efraim. Turris furnorum, inter portam Efraim & vallis ad septentrionem ut arbitror.

Cap. XIII. Narrata hujus capitis remota sunt post annum trigesimum secundum Artaxerxis secundi, cum rediisset Nehemias à rege in Judæam. Quodam tempore in libro legis legebatur in auribus populi. Inventumque quod scribitur Deut. XXIII. 3. 4. 5. 6. Ammonitas & Moabitas non venturos in cætum Dei, in seculum, quia filiis Israel non erant egressi obviam cum pane & aqua: sed & Balaam conduxerant ad diras, quamvis Deus eas diras in benedictionem converterit. Cum igitur hanc audirent legem, omne alienum (כל ערב) separaverunt ab Israël. Eliasibus autem sacerdos, qui erat super conclave ædis Dei, antehac Tobiæ affinitate fuerat conjunctus propinquiore. Cui fecerat conclave magnum. Id conclave anteà hunc habebat usum: ut

in eo reponerent mincham, thus, vasa, decimas frumenti, musti, olei commissa (מצות) Levitis, cantoribus & janitoribus: deinde thrumam sacerdotum. Cum hæc fierent, Nehemias aberat apud regem: quo abierat anno ejus trigesimo secundo, at post aliquod tempus cum venia regis reversus est, intellexitque malum, quod Eliasibus in gratiam Tobiæ fecerat: faciens illi conclave in atriis ædis Domini. Id graviter & molestè ferens ejecit foras omnia vasa domus Tobiæ. Jussitque conclavia purificari & vasa domus Dei cum mincha & thure suo loco restitui. Ante Nehemiæ reditum Eliasibus decesserat, succedente in pontificatum filio ejus Jojada. Non tantum hæc ruina erat sed & Levitarum portiones non datæ. Ideo Levitæ & cantores, qui in opere debebant esse, ad agros suos diffluxerant. Cum magistratibus rixatus est Nehemias: Cur domus Dei deserta est? Congregavit eos & restituit in sua statione. Tum totus Israel inferebat in thesauros decimas frumenti, musti & olei. Præfecit thesauris Selemiam sacerdotem, Sadoc scribam, Phadæam è Levitis: & ad manum eorum Hanan filium Zacchur filii Matthaniæ, homines notæ fidei: quibus injunctum ut fratribus suis distribuerent. Aliam etiam pravitatem correxit: Videbat enim in Judæa, qui sabbato calcarent torcularia, manipulos asinis impositos vectarent, tum vinum, uvas, ficus atque omnis generis onus, quæ inferebant Hierosolymis Sabbato. Et contestatus est die venditionis commeatus, adversus ipsos. Vulg. *Et contestatus sum ut in die, qua vendere liceret, venderent.* Etiam Tyrii in urbe morabantur, qui importabant pisces atque omnis generis merces: quæ vendebant Sabbato filiis Judæ & Hierosolymis. Hi peragrabant Judæam ut venderent in urbe & agris quæ venum portare & proponere ipsis Judæis fas non erat. Nehemias igitur expostulat cum nobilibus Judæ: Quid malum facitis profanando Sabbatum. Cum portæ Jerusalem umbram darent, ante Sabbatum, portarum fores claudebantur, jussu Nehemiæ, nec aperiebantur usque post Sabbatum. Apposuit ministros suos custodes ne quid oneris importaretur Sabbato. Coacti igitur negotiatores & venditores mercium, pernoctare extra urbem: quod semel atque iterum fecerunt. Tum eis denuntiat Nehemias: Si iterum faciatis, manus inferam. Posthac non advenerunt Sabbato. Porrò imponit Levitis ut purificati portas custodirent ad sanctificationem Sabbati.

Iisdem diebus Nehemias observabat Judæos, qui duxerant Azotias, Ammonitidas, Moabitidas; quorum liberi loquebantur semi-Azotice nec poterant Judaice fari: loquebantur secundum linguam populi, è quo matres erant. Quos objurgavit, execratus est & percussit quosdam, vulsitque crines: fecit etiam jurare, per Deum, non daturos se filias suas eorum filiis, nec suis filiis eorum filias sumpturos. Salomonem enim regem tantum à mulieribus esse seductum. Non parendum igitur illis, qui in hoc adversus Deum delinquerent. Unus etiam de filiis Jojadæ summi pontificis duxerat filiam Sanaballati Horonitæ. Hunc Sanaballatum ab illo, quem superius memoravimus, facere diversum, *ἀνιςόρητον* est. Eum expulit zelus Nehemiæ: qui purificato Israel ab alienigenis, ministeria Sacerdotum & Levitarum in sua opera constituit. Etiam oblationem lignorum suis temporibus & primitias. Æternam laudem meritus est Nehemias tantis beneficiis & meritis in populum, qui precatur Deum sui meminisse in bonum, non ex merito operum sed confirmatione fidei è tali operum modo.

Videamus quid Josephus à quarto capite Nehemiæ usque ad finem scribat historiæ: scribit sequentia: Ammonitas, Moabitas, Samaritas & Syriæ cæles incolas insidias & conatus omne genus opposuisse cœpto instaurandorum mœnium.

Multos

Multos Judæorum interemisse, ipsi Nehemiæ insidiatos conductis alienigenis, ut eum interimerent. Hos immisisse ad terrorem & conturbationem & sparsisse famam tanquam magni exercitus advenientis; *ὡς πολλῶν ἐπιστρατεύειν αὐτοῖς μελλόντων ἐθνῶν.* His turbatos, exiguo tempore cessasse ab ædificatione. Nehemiam horum nullo motum ut de studio & diligentia sua quicquam remitteret, sed assumpta stipatorum caterva, sustinuisse, quasi nihil sentiret: *ἀλλὰ τῆς εἰς τὸ ἔργον ἐπιθυμίας ἀναισθήτως εἶχε τῆς ταλαιπωρίας.* Nihil timuisse, provide egisse & *ἀσφαλιζόμενος*, *intente*: non timuisse mortem sed persuasum fuisse, quod etiam se amoto (*οὐκ ἔτ' αὐτοῦ*) à civibus ædificanda essent mœnia. Jussisse deinde ut armis accincti operarentur: *Καὶ ὁ μὲν οἰκοδόμος μάχαιραν εἶχε καὶ ὁ τὴν ὕλην παρακομίζων.* Ædificantem gladio armatum fuisse & ligna adferentem (*θυρεοὺς*) scuta voluisse in propinquo jacere & *σαλπιγκτὰς* *tubicinatores* statuisse à quingentis stadiis: qui significarent populo, si apparerent hostes. Ipsum noctu obiisse urbis circuitum nec laboribus nec somno succumbentem nec cibo. Somno ciboque ad necessitatem non voluptatem usum esse. Hanc molestiam sustinuisse biennio & duobus mensibus. Tanto enim tempore murum reædificatum esse, octavo & vicesimo anno Xerxis, mense nono. Scriptura diserte dicit quinquaginta duobus diebus instaurationem peractam esse. Hinc narrat mœnibus perfectis sacra fecisse Nehemiam & multitudinem epulasque habuisse octiduo, urbem vidisse *ὀλιγανθρωποῦσαν*, adhortatum igitur sacerdotes & Levitas, ut circumvicinis locis relictis, in urbem migrarent: his domos struxisse suis sumptibus. Jussisse ut populus agris operans decimas fructuum Hierosolyma afferret, ut haberent jugiter unde alerentur sacerdotes & Levitæ neque cogerentur deserere cultum Dei. Sic urbem hominibus, cultum observatione indutum. Multa & alia pulchra & laude digna opera fecisse Nehemiam, objisse in senio, æterno monumento relicto Hierosolymorum muro. Absque dubio obiit Iojada (Iosephus Judam appellat) pontifice. Capitis octavi in libro Nehemiæ gesta refert ad tempus Esdræ, quem defunctum vult esse antequam Nehemias adveniret. Nobis aliter constat ex historia Encæniorum urbis aliisque. Esdras quidem quatuordecim annis ante Nehemiam in Judæam advenit cum Nehemia tamen longo tempore in Judæa vixit. Quod de capite octavo refert, exiguum est & sine dubio pertinet ad Nehemiæ satrapiam. Malè igitur arbitratur Esdram ante Joacimum Jesu filium obiisse.

De literis & scripturis Hebræorum, quæ ante & post captivitatem Babylonicam habuerunt.

CElleberrima quæstio est & in utramque partem vexata à viris eruditissimis, habuerintne Hebræi in usu communi easdem literas, quas hodie usurpamus, quibusque sacrum canonem veteris Testamenti conscriptum legimus. Quidam enim volunt Mosen scripsisse legem his literis, quas nunc Hebræas dicimus, alii illis, quas nunc Samaritanas appellamus. Quidam dicunt legem deperditam ab Esdra Spiritus S. afflatu Israëli redditam esse, eumque invenisse novas literarum formas, quas inde sacer textus habet. Scripturam in captivitate perditam restituisse volunt patres: Basilius in ep. ad Chilonem, commendans vitam in solitudine: *ἐνταῦθα πεδίον ἐν ᾧ ἀναχωρήσας ὁ Ἔσδρας ὁ πάσας τὰς θεοπνεύστους βίβλους προστάγματι θεοῦ ἐξηρεύξατο.* Irenæus lib. 3. adv. hæreses cap. 25. *Καὶ οὐδέν γε θαυμαστὸν τὸν θεὸν τοῦτο ἐνηργηκέναι ὅς γε καὶ ἐν τῇ ἐπὶ Ναβουχοδονόσορ αἰχμαλωσίᾳ τοῦ λαοῦ, διαφθαρεισῶν τῶν γραφῶν καὶ μετὰ ἑβδομήκοντα ἔτη τῶν Ἰουδαίων ἀνελθόντων εἰς τὴν χώραν αὐτῶν, ἔπειτα ἐν τοῖς χρόνοις Ἀρταξέρξου τοῦ Περσῶν βασιλέως,*

ἐνέπνευσεν Ἔσδρᾳ τῷ ἱερεῖ ἐκ τῆς φυλῆς Λευὶ τοὺς τῶν προγεγονότων προφητῶν πάντας ἀνατάξασθαι λόγους καὶ ἀποκαταστῆσαι τῷ λαῷ τὴν διὰ Μωσέως νομοθεσίαν. Tertullianus de habitu muliebri: *Hoc si non tam expedite haberet, illud quoque assertionem scripturæ illius tueretur: proinde potuit abolefactam eam violentia cataclysmi in spiritu rursus reformare: quemadmodum & Hierosolymis Babylonia expugnatione deletis, omne instrumentum Iudaicæ literaturæ per Esdram constat restauratum.* Clemens lib. 1. Stromatum de Esdra: δι' ὃν γίνεται ἡ ἀπολύτρωσις τοῦ λαοῦ καὶ ὁ τῶν θεοπνεύστων ἀναγνωρισμὸς καὶ ἀνακαινισμὸς λογίων. Iterum: Ἐπεὶ κἀν τῇ Ναβουχοδονόσορ αἰχμαλωσίᾳ, διαφθαρεισῶν τῶν γραφῶν, κατὰ τοὺς Ἀρταξέρξου τοῦ Περσῶν βασιλέως, ἐπίπνους Ἔσδρας ὁ Λευίτης ὁ ἱερεὺς γενόμενος πάσας τὰς παλαιὰς αὖθις ἀνανεούμενος προεφήτευσε γραφάς. Hieronymus adv. Helvidium: *Certe hodiernus dies illius temporis existimandus est, quo historia contexta est: Sive Moysen dicere volueris autorem Pentateuchi, sive Esdram ejusdem instauratorem operis, non recuso.* Alios non addo: sed magno consensu antiquissimi scriptores hanc sententiam suis calculis probarunt, ut bene observat Feuardentius, quamvis neget Bellarminus illos aperte id docere: quod falsum. *Videtur* suum etiam apposuit loco Basilii, quo & locis Tertulliani, Clementis, Irenæi nihil potest esse apertius. Qui hanc sententiam sequuntur, pro se afferunt lib. 4. Esd. cap. 14. Esdram totis quadraginta diebus divino spiritu afflatum (in campo) dictasse quinque viris, qui summa celeritate, dicta ejus excipiebant, atque eo modo volunt universam scripturam esse reparatam. Sine dubio ista in mente habuit Basilius. Merito rejicitur ille liber, qui suo indicio perit. Nehem. 8. 2. narratur Esdræ scribæ dictum esse ut afferret librum legis. Non dictum est ut perditum Spiritu redderet, sed ut librum, qui erat, produceret. Esdr. 8. 8. etiam non probatur ne quidem ex versione Græca quamvis ita velit Leo Castrius. Non potuerunt periisse libri legis & sacræ scripturæ, cum templi concrematione, cum multi habuerint exemplaria. Habuit exemplar Daniel, in quo legerat post LXX. annos populum rediturum in patriam. Coluerunt Deum secundum præscriptum legis cerimonias & jura observando. Librum Esaiæ Babylone fuisse supponit Iosephus, cum ex eo edoctum esse dicit Cyrum, quid de se Sp. S. prædixisset. Theodoretus etiam Danielem ostendisse dicit Cyro, quid de ipso apud Esaiam haberetur. Neque Jeremias deplorat calamitatem & cladem perditæ scripturæ, nec credi par est Deum canoni dato non adfuisse ad custodiam. Publice non tantum sed & privatim libros sacros haberi solitos patefacit historia Antiochi Epiphanis, ubi conquisitos esse narratur & eos apud quos invenirentur, trucidatos. Sancti homines Daniel, Ezechiel, Jeremias, Baruch & tot millia fidelium atque piorum exemplaribus Scripturæ noluerunt carere.

Melior igitur eorum sententia est, qui dicunt Esdram collegisse scripturam, emendasse & redegisse in ordinem unius corporis. Athanasius in Synopsi: ἱστορεῖται δὲ καὶ τοῦτο περὶ τοῦ Ἔσδρα ὅτι ἀπολομένων τῶν βιβλίων ἐξ ἀμελείας λαοῦ, καὶ διὰ τὴν πολυχρόνιον αἰχμαλωσίαν, αὐτὸς Ἔσδρας, φιλόκαλος ὢν καὶ εὐφυὴς καὶ ἀναγνώστης, ἐφύλαξε πάντα τὰ καθ' ἑαυτὸν καὶ λοιπὸν προήνεγκε καὶ πᾶσιν ἐκδέδωκε καὶ οὕτως διέσωσε τὰ βιβλία. Theodoretus sane est prioris sententiæ præfat. in psalmos: Πρὸ πεντήκοντα δὲ καὶ ἑκατὸν τῆς ἑρμηνείας ἐνιαυτῶν, θείας ἀναπλησθεὶς χάριτος ὁ θαυμάσιος Ἔσδρας τὰς ἱερὰς ἀνέγραψε βίβλους, ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων ἀμελείας καὶ τῆς τῶν Βαβυλωνίων δυσσεβείας πάλαι διαφθαρείσας. Εἰ δὲ κἀκεῖνος ὑπὸ τοῦ παναγίου πνεύματος τὴν τούτων ἀνενεώσατο μνήμην. Theodoretum esse primæ sententiæ patet ut frustra à Saliano aliisque eruditissimis Jesuitis alio trahatur. Psalmos digessisse Esdram dicit Hilarius: *Esdras enim, ut antiqua traditiones ferunt, incompositos eos & pro autorum ac temporum diversitate in volumen unum collegit & retulit.* Quod ipse cum

viris

viris Synagogæ magnæ (quibus ineptè Danielem annumerant & Eſdram ſcribam fuiſſe volunt) libros ſacros digeſſerit, haud ambigam: quamvis non ita id extenderim, ut illis placet. Nam Ezeciæ regis tempore digeſti libri Moſis, digeſti pſalmi, aliique libri. Ordinem librorum conſtituiſſe crediderim & ſi forte digeſſiſſe pentateuchum in quinquaginta tres paraſas, quas inde in ſynagogis legi receptum eſt. Judæi etiam ſomniant de Cabbalæ compoſitione id eſt legis ore per manus traditæ relatione in literas. Voluntque eundem eſſe Malachiam vatem. Hæc refutatione non indigent. Literarum inventorem fuiſſe dicunt. Hieronymus in prologo galeato: *Viginti & duas literas eſſe apud Hebraos, Syrorum quoque lingua & Chaldaorum teſtatur, qua Hebraa magna ex parte confinis eſt. Nam & ipſi viginti duo elementa habent, eodem ſono, ſed diverſis Characteribus. Samaritani etiam pentateuchum Moyſi totidem literis ſcriptitant, figuris tantum & apicibus diſcrepantes. Certumque eſt Eſdram ſcribam, legiſque doctorem, poſt captam Hieroſolymam & inſtaurationem templi ſub Zorobabel, alias literas reperiſſe, quibus nunc utimur: cum ad illud uſque tempus iidem Samaritanorum & Hebraorum characteres fuerint. In libro quoque numerorum hæc eadem ſupputatio, ſub Levitarum ac ſacerdotum cenſu myſticè oſtenditur. Et nomen Domini tetragrammaton, in quibuſdam Gracis voluminibus uſque hodie, antiquis expreſſum literis invenimus. Sic & pſalmi triceſimus ſextus & centeſimus decimus & centeſimus undecimus & centeſimus decimus octavus & centeſimus quadrageſimus quartus, quanquam diverſo ſcribantur metro, tamen ejuſdem numeri texuntur alphabeto. Et Ieremia Lamentationes & oratio ejus: Salomonis quoque in fine proverbia, ab eo loco, in quo ait: Mulierem fortem quis inveniet? iiſdem alphabetis vel inciſionibus ſupputantur &c.* Axiomata iſta elicimus ex oratione Hieronymi.

I. Eſdras invenit novas literas.

II. Numero, ordine & ſono pares Chaldæis & Samaritanis.

III. Differentes à Samaritanis figura.

IV. Antiquitus Hebræos & Samaritanos iiſdem Characteribus uſos eſſe.

Efflatorum primum manifeſte falſum eſt. I. Non opus erat novas figuras invenire, ubi aliæ habebantur in uſu. Inveniuntur enim literæ ex neceſſitate. II. Communis ſententia inter Judæos eſt, ſcripturam Bibliorum eſſe אשורית Aſſyriam. Cum illis literis ſine dubio in captivitate aſſueverint & ſint admodum antiquæ. Plinius ſcribit Aſſyrias literas ſemper fuiſſe. Verum quidem quod κατ' ἐξοχὴν ſcripturam Aſſyriam Judæi vocitent, quæ eſt literis quadratis, ut in ſacris ſcripturis, Sed illa exigua deflexio aliorum characterum non mutat genus. Deinde nunquam illi Aſſyriam figuram faterentur, niſi veritatis & communis à patribus traditæ opinionis coacti robore: quamvis & hanc appellationem conentur ad aliam originem detorquere. In ſecundo effato id verum, quod Hebrææ literæ ſint ſono numeroque pares Samaritanis, at deviat dicere Chaldæis eſſe pares cum ſint figura eædem. Verum eſt de Syris non de Chaldæis ſeu Aſſyriis, quod figuris differant ſeu characteribus.


Tertium conſideratu dignum. Hebrææ enim literæ Samaritanis pares ſunt, cum ſolo charactere diſcrepent: ſic etiam ſe res habet in Syris. Sive aliquid concipias Syris ſive Hebræis ſive Samariticis literis, eandem ubique habebis poteſtatem, eundem etiam numerum literarum. Poſſunt enim transfundi ſcripta Hebræi ſermonis in tria Characterum genera ſine ullo textus detrimento aut minima mutatione. בראשית / ܒܪܫܝܬ ࠁࠓࠀࠔࠉࠕ. Hinc notandum, quod in convenientia literarum, quoad poteſtatem, differentia poſſit eſſe quoad

uſum,

usum. Nam Syrus in dicta voce non respicit talem usum literæ Alef, ideo scribit Hebræis literis ברשית. Hic alienus usus Characterum idem valentium ostendit aliam linguam & scripturam.

Quartum effatum, quod antiquitus nempe ante captivitatem Babylonicam Hebræi Samaritanis characteribus usi fuerint à quibusdam eruditis vocatur in dubium. Hieronymus asserit pro certo. *Certum est alias literas reperisse*, id hoc sensu verum est, quod aliarum literarum usum dederit. Ostendit tribus argumentis. I. Pentateuchum Samaritani scriptitant iisdem literis. Constat Samaritas Pentateuchum cum suis literis antiquis accepisse ab Israel. Israelitæ igitur Samaritanis literis usi fuerunt. Quomodo aliis forent usi, qui in Cananæam seu Phœniciam immigrarunt ejusque linguam & literas. Phœnicum literas & Samaritanorum fuisse easdem docet Alphabetum Græcum quod inde natum est. II. In quibusdam libris Græcè versis ex Hebræo tetragrammaton illis antiquis Samaritarum literis exaratum. In quo fuit antiquitatis quædam æmulatio. III. Sic pariant Samaritarum & Hebræorum literæ, quoad numerum, & potestatem, ut antiquitas veterum literarum alphabeti in Hebræo alphabeto, plane repræsentetur: si inspiciamus psalmos & carmina alphabeto veteri notata olim, nunc novo. Quidam & aliud argumentum addunt, nempe: Nummos veterum regum Israel & Juda, item Siclos literis Samaritanorum inscribi. Ego non disputaverim de germana istorum in nummis characterum antiquitate. Fallax hominum genus est, quod obtrudit spuria pro veris. Nolim negare tamen, quod tanto consensu est traditum & tam speciosis nititur rationibus præsertim cum ea opinio nihil afferat absurdi. Objiciunt primò: Hoc modo concedi, quod canonicæ scripturæ perierint. Resp. Absit. Eisdem literis habemus libros illos ante captivitatem scriptos datosque, quamvis characteres diversi sint. Litera enim constat materiali id est figura, & formali, hoc est sua potestate. Quamvis figuræ diversæ sint, si eadem potestate & eodem numero recognoscantur, idem sermo, idem liber, idemque scriptum erit. Testamenti tabulæ in eadem lingua, sed speciosiore aut rudiore figura literarum scriptæ, eædem sunt ubi fideliter easdem voces eadem elementa repræsentant. Si Scripturam habeam accuratam, sive Samaritico sive Assyrio charactere expressam, in re nihil discriminis est. Assyrium accuratum præstat Samaritico minus curate scripto & vicissim Samaritanum curate scriptum Assyrio non benè curato. Secundo objiciunt puncta illa vocalium & accentuum non convenire Samariticæ scripturæ, ideò novitatem & incertitudinem lectionis argui. R. Cum Canon sit transfusus in characterem Assyrium tempore illo, quo propheticus Spiritus nondum spirare desierat, qui trans-fuderunt partim ex traditione, partim è Sp. eruditione veram lectionem habuerunt. Si etiam Samaritica scriptura sua adminicula lectionis habuit in codicibus publice asservari solitis, illa annotare potuerunt & cum literis trans-fundere. Sine adminiculis omnibus fuisse lectionis custodiam non dixerim. Quæ adminicula Massoretæ habent debent originem tempori, quo Judæi in Chaldæorum sermonem concesserant, ut docent eorum appellationes. Cum multa affingat Esdræ scribentium vanitas & illud fictum esse arbitror, quod ipsum dicunt primum Biblia in scripturam Assyriam transtulisse. Recte dicunt quidam scripturam Assyriam exiisse cum ipsis è Babel, alii quod Esdras mutaverit legem in Assyriam scripturam. Utrumque verum esse potest sed non est credi par, quod ab Esdra usus illius scripturæ cœperit. Credendum, quod multi suo usui jam olim, ante reditum istam scripturam mutaverint in usum suum & puerilis institutionis. In Megilla Babylonica scribitur differentiam esse inter libros sacros & inter thephil-

phillim & mezuzoth. Nam libri scribi possunt in lingua qualibet cum hæc tantum scribi possint אשורית Assyriace. Glossa interpretatur אשורית per לשון הקדש. Qui error est Iarchii, nam non vult hoc, quod sola lingua sancta scribi possint thephillim & Mezuzoth, sed quod in nullam linguam nisi Assyriam sive Chaldæam verti possint nec ulla alia haberi. Rabban Simeon filius Gamalielis libros sacros sciscebat verti non posse nisi in Græcam linguam. Sed Assyria semper excipitur. אשורית cum de scriptura dicitur, recte de vulgata & communi exponitur ut in Glossa כתב אשורית הוא כתב שלנו. De mutatione scripturæ veteris in Assyriam multa in secundo capite Sanhedrin. הניחו להדיוטות כתב עברית *Reliquerunt Idiotis*, id est Samaritanis, *scripturam Hebræam*, id est veterem illam.

כתב עברית Scriptura Hebræa i. Samaritica	
וכתב אשורית Scriptura Assyria id est Hebræa.	א ב ג ד ה ו ז ח ט י כ ל מ נ ס ע פ צ ק ר ש ת

Fingunt illam scripturam Assyriam datam esse ab angelo, qui digitis manus fatum scribebat Balsasari. Ideo autem Hebræam veterem relictam esse Samaritis, quia eam polluissent in templo primo.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI SECUNDI
CAPUT XIV.

HOc tractu temporum Hesther atque Iudith fuisse arbitramur. Quarum quidem actus, quibus potissimum regibus connectam non facile perspexerim. Nam cum Hester sub Artaxerxe rege referatur, porro duos hujus nominis Persarum reges fuisse reperi, multa cunctatio est, cujus hæc temporibus applicetur. Mihi tamen visum est huic Artaxerxi, sub quo Hierosolyma est restituta, Hester historiam connectere, quæ ante fuit verisimilis: ut si sub priore Artaxerxe fuisset, cujus tempora complexus est, nullam tamen illustris fœminæ mentionem retulisset, maxime cum ab illo Artaxerxe inhibitam templi ædificationem, sicut supra memoravimus, constet: neque Hester passura fuerit tum, si in illius matrimonio tum fuisset. Nunc gesta edisseram. Erat ea tempestate regi in matrimonio Vasti quadam, miræ fœmina pulchritu-

dinis. Cujus cum formam omnibus prædicaret, die quodam, cum publicum convivium dabat, adesse reginam demonstrandæ pulchritudinis gratia jubet. Illa verò stulto rege consultior, pudens virorum oculis spectaculum corporis præbere, jussa abnuit. Qua contumelia barbarus animus permotus, uxorem matrimonio ac regia depellit. Igitur cum in locum ejus puella regis conjugio quæreretur, reperta est Hester cæteras specie vincere. Hæc Iudæa, ex tribu Benjamin, utroque parente orba, à Mardochæo patruele fratre educta, quum ad regales nuptias duceretur, mandante educatore, genus ac patriam occultavit: admonita ne paternarum traditionum immemor, etsi in matrimonium alienigenæ captiva succederet, gentilium cibis participaret. Igitur juncta regi, brevi (ut fit) vi pulchritudinis totum ejus animum facile cœpit: adeo ut eam æquatam imperio, insigni regio, veste purpurea donaret. Qua tempestate Mardochæus inter proximos regis erat, pro virili portione negotiorum familiarium curator. Is compositas à duobus spadonibus regi insidias prodiderat: atque ex eo charior, summisque honoribus donatus. Erat ea tempestate regi Haman quidam perfamiliaris, quem æquatum sibi adorari more regum præceperat. Id Mardochæus unus ex omnibus facere fastidiens, odia Persæ in se graviter accenderat. Igitur Haman ad perniciem Hebræi animum intendens, regem adiit: affirmatque esse in regno ejus hominum genus pravis superstitionibus, Deo hominibusque invisum, externis legibus vivens, dignum exitio. Rectum esse omnes hujus generis internecioni dare: exque eorum bonis immensas opes pollicetur. Facile id barbaro persuasum. Edictum emittitur Iudæos necandos. Missique continuò qui per omne regnum ab India usque Æthiopiam edictum promulgarent. Id ubi Mardochæo compertum, conscissis vestibus sacco obvolvitur conspersusque cinere pergit ad reginam, ibique ejulatu multo cuncta questibus replet: Facinus indignum immeritam gentem perire, neque ullam pereundi causam dari. Hester lamentantis voce excita, rem, ut erat, cognoscit. Tum vero anceps consilii, quia adeundi regem potestas non erat (etenim more Persarum reginæ introire ad regem, nisi accersitæ, non licet: nec tamen, quum fuerit regi libitum, sed statuto tempore admittitur) & forte tum ita evenerat, ut diebus triginta proximis separata à conspectu regis Hester haberetur. Igitur audendum aliquid pro civibus rata, etsi certa pestis adesset, pulchro in negotio occumbere parat: invocato prius Domino, aulam regis ingreditur. At barbarus re insolita perculsus, paulatim blandimento muliebri delinitus: postremò ad cœnam reginæ perducitur: unaque cum illo Haman ille regi charus, & Iudææ gentis infestus. Igitur quum jam post epulas multis poculis convivium calere cœpisset, Hester genibus regis advolvitur, gentis suæ perniciem deprecatur. Rex vero nihil se petenti, si quid ultra peteret, negaturum pollicetur. Tum Hester arrepto tempore, Hamanis mortem flagitat, in ultionem gentis quam perditam cupierat.

fierat. Sed rex amici memor, pauliſper cunctatur: deliberandique gratia modicum ſeceſſit. Deinde regreſſus, vidit Haman reginæ genua complexum: ſuccenſus ira, & appetitam reginam clamitans, morte eum affici jubet. Et tum regi compertum erat, pœnam crucis per Haman Mardochæo paratam. Ita Haman eidem cruci affigitur. Omniaque bona ejus Mardochæo data, Iudæique ſunt abſoluti.

DRUSIUS.

HOC TEMPORUM TRACTU ESTER ATQUE IUDITH FUISSE ARBITRAMUR] Falleris. Nam Eſther fuit ſub Aſvero. Quis autem Aſverus niſi Xerxes? Cujus uxor Ameſtris vocatur in hiſtoria Herodoti. Utraque vox Perſica eſt. Nam Ebraicum nomen erat Hadaſſa, quo vocabatur antequam in aulam regis aſſumpta eſſet. Ameſtris quaſi אמתר אש. De Iudith major dubitatio eſt. Sunt qui eam vixiſſe putant ſub principatu Manaſſe: quod mihi non fit veriſimile. Nam tempore hujus regis Iudæi Babyloniis ſatis noti erant: tempore Iudith non item. Colligo ex eis verbis quæ habentur Iud. 5. 20. Adhæc ſub Iudith templum deſtructum fuiſſe doceo ex 5. 20. ſecundum editionem Complutenſem. Ait enim ibi Achior, ὁ ναὸς τοῦ θεοῦ αὐτῶν ἐγενήθη εἰς ἔδαφος. Iudithæ honorificam mentionem facit Clemens Stromat. lib. 4. Ejus hiſtoriam confictam eſſe arbitratur Beroaldus Chronologiæ ſuæ lib. 3. cap. 3. Dubitatum de ea olim fuiſſe paret ex verbis Hier. Hag. 1. *Sicut & in Iudith* (ſiquis tamen vult librum recipere mulieris) *& parvuli ſiti perierunt*. Vide ſis Auguſtinum de Civ. Dei 18. 26.

HESTHER] Scribendum leniter Eſther. Nam eſt aleph in ſcriptura Ebraica, cujus litteræ vim exprimit ſpiritus lenis apud Græcos. Similiter peccatum ab antiquis in Habraam, Helias & ſimilibus.

IUDITH] Nomen mulieris, Gen. 26. 34. & eſt contractum pro Iehudith. Significat etiam in genere Iudæam fœminam, à maſculino יהודי Iudæus. Nota ut alias.

QUARUM QUIDEM ACTUS] Supra lib. 1. procem. *Apoſtolorumque actus*. Nunc acta potius dicimus, id eſt πράξεις.

SUB ARTAXERXE] Sic Græci Aſverum appellant. Nec aliter Ioſephus. Alii melius Aſverum Xerxem eſſe conjiciunt.

DUOS HUJUS NOMINIS PERSARUM REGES FUISSE REPERI] Prior μακρόχειρ dictus eſt, quod manum dexteram haberet altera longiorem: poſterior Mnemon, id eſt, Memor, ut antemonuimus. Hic prius Arſicas nominabatur, cujus vitam deſcripſit Plutarchus. Præter hos Ochus etiam appellatus fuit Artaxerxes. Vide ſis Ælianum, itemque Diodorum in extremo libri decimiquinti.

QUÆ ANTE FUIT VERISIMILIS] Hunc locum perſpicuè corruptum ita reſtituit doctiſſimus Sigonius, *quia haut fuit veriſimile, ſi ſub priore Artaxerxe fuiſſet, qui ejus tempora complexus eſt, nullam tam illuſtris fæminæ mentionem retuliſſe*. Giſelinus accedit propius ad vulgatam lectionem, *quia haut fuit veriſimile, ut ſi ſub priore Artaxerxe fuiſſet, qui hujus tempora complexus eſt, nullam tam illuſtris fæminæ mentionem retuliſſet.*

QUI EJUS TEMPORA COMPLEXUS EST] Ezram intelligit.

VASTIS QUÆDAM] Vaſti, Vaſtis, ut Fobi, Fobis: Levi, Levis,

id est, Ἀστί. Sed melius hoc nomen scribitur Vasthis, cum aspirato. Ebraicè enim est וַשְׁתִּי, Vasthi.

Die Quodam] Anno tertio imperii sui.

Publicum Convivium] Hoc convivium dabat cum appararet expeditionem in Græciam eoque proceres suos excipit, Esther. 1.

Pudens Virorum Oculis, &c.] Aliam causam allegat Josephus cum ait hoc vetare leges Persarum.

Patrueli Fratre] Errat Sigonius Mardochæum existimans fuisse patruum Estheræ, cum fuerit filia patrui ejus, id est θυγατὴρ ἀδελφοῦ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. Unde suspicio mihi legendum in editione nostra Latina, *filiam fratris patrui sui*: ubi vulgò *filiam fratris sui*, Esth. 1. 7. Cæterum patruelem fratrem imitatione Ciceronis, qui sic locutus est in quinto de finibus, *frater noster cognatione patruelis, amore germanus.*

Regales Nuptias] Sic cap. 7. *regales usus*, &, *regale convivium*, id est, rege dignum. Prætulerim tamen *regias nuptias*.

Paternarum Traditionum] Quas à patribus id est majoribus acceperat. Græci eas vocant πατροπαραδότους ἐντολάς. Vide quæ scripsimus ad cap. 1.

Gentilium Cibis Participaret] Quære unde habeat. Gentiles autem dicit gentes, ut antea notatum. Sic in vita Martini, segm. X. *gentilium turba*: & segm. XVI. *Profani ac gentilis domum adire posse*: *& alibi parentibus secundum seculi dignitatem non infimis, gentilibus tamen.* Hinc gentilitas, gentium religio. Ibidem seg. 3. *Matrem gentilitatis absolvit errore*: & paullò ante, *parentesque quos adhuc gentilitas detinebat*: & segm. XVI. Nam Tetradius eodem tempore adhuc gentilitatis errore implicitus tenebatur. Alius paganismum diceret.

Juncta Regi] Connubio scilicet.

Veste Purpurea] Diademate Esther. 2. 17. ubi τὸ διάδημα τὸ γυναικεῖον appellatur. Josephus quoque διάδημα vocat Ant: lib. 1. cap. 6. & Esther, in sua precatione σημεῖον τῆς ὑπερηφανίας μου, ὅ ἐστιν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς μου. Vide Brissonium de regno Persarum, pag. 76.

Inter Proximos Regis Erat] Inter amicos regis necessarios, Josephus. Neutrum habetur in historia Ebraica. Quærendum ergò unde hauserint.

Pro Virili Portione Negotiorum Familiarium Curator] Expressit verbum Græcum ἐθεράπευεν Esther. 2. 21. quod inter alia curare significat. Interpres Latinus editionis Romanæ vertit, *serviebat*. Usurpatur de liberali obsequio quo quis alium demeretur. Sed eo loco veritas Ebraica habet *sedebat in porta regis*, id est, morabatur, manebat. Nam Persarum optimates & proceres regum limina tenebant & quotidiè in porta versabantur, quam nunc aulam vocant. Unde aulici omnes generali τῶν ἐπὶ θύραις βασιλέως nomine nuncupantur. Quod à Cyro constitutum olim fuisse annotat vir sanè peraccuratus Barnabas Brissonius de regno Persarum lib. 1. pag. 20. Vide, si tibi otium.

A Duobus Spadonibus] Bagathan & Thares Eunuchis, custodibus liminis, vel, ut alii, supellectilis. Quanquam in editione græca ἀρχισωματοφύλακες, id est, principes eorum qui corpus regis custodiebant. Vetus interpres, quem vulgatum indigitant, *Qui janitores erant & in primo palatii limine præsidebant.*

Insidias Prodiderat] Quas Barnobazus Judæus alterius eunuchi servus domesticus ei patefecerat, Josephus.

Sum-

SUMMISQUE HONORIBUS DONATUS] Falsum. Nam Esther. 6. 3. *Quid factum est honoris Mardochæo? & dixerunt pueri ejus ministri ejus. Non est factum ei quicquam.* Vide quæ notavimus olim ad locum.

HAMAN QUIDEM] Hamadathi filius, Agagæus.

ADORARI] Quod Græci προσκυνεῖν Latini etiam venerari dicunt. Id qui faciebat, corpus totum in terram posternebat, sicut mento quandoque solum contingeret.

MORE REGUM] Persarum. Justinus lib. 6. *Conon à regis conspectu & colloquio prohibitus est, quod eum more Persarum adorare nollet*, Lampridius in Alexandro Severo, *Adorari se vetuit more regum Persarum.*

ODIA PERSÆ] Persam vocat, quem additiones Apocryphæ Macedonem: alii Amalecitam fuisse tradunt, ut qui genus duxerit ab Agag, quondam Amalecitarum rege. Sic fere Ebræi. Sed & Josephus lib. 11. cap. 6.

AD PERNICIEM HEBRÆI] Mardochæi, atque adeo Ebræorum omnium. Nam parum esse ratus uni manum adferre, conatus est omnes Ebræos, quotquot erant in toto Assveri regno, perdere. Id evincunt consequta verba.

HOMINUM GENUS] Judæos intelligit quos Mardochæi populares esse didicerat.

EXTERNIS LEGIBUS UTENS] Imò propriis, quæ tamen externa Persis aliisque gentibus erant.

PER OMNE REGNUM] Per centum viginti septem provincias, quæ illo tempore Persæ parebant.

REGINÆ INTROIRE AD REGEM NISI ACCERSITÆ, NON LICET] Imò ulli viro aut fœminæ. Puellæ autem vigines admittebantur per vices. Quod autem in Sulpitio, *nec tamen cum fuerit regi libitum, sed statuto tempore admittitur*, additum videtur ex ingenio ejus. Dubito etiam an cum fide Historiæ conveniat.

SEPARATA à CONSPECTU REGIS HABERETUR] Non vocata à rege esset, Esth. 4. 11.

AULAM REGIS] Atrium interius, quod in aula, quæ in hac historia non semel porta vocatur. Sic Imperatores Turcarum hodieque suam aulam appellant.

BARBARUS REX INSOLITA PERCULSUS] Quanquam nihil horum in textu Ebræo, tamen ex Græca editione colligimus ipsam reginam perculsam fuisse, quod rex eam irato vultu primum intueretur.

BLANDIMENTO MULIEBRI DELINITUS] Protendit ei sceptrum aureum, quod qui tangebat, ἀκίνδυνος ἦν, ut est apud Josephum.

JUDÆÆ GENTIS INFESTUS] Plus est quam inimicus. Sed Galesinius legendum suspicatur potius, *Judææ genti infestus.*

QUUM JAM POST EPULAS MULTIS POCULIS CONVIVIUM CALERE COEPISSET] Circuitione usus est, ut significaret id quod Ebræi dicunt in convivio vini. Vide notas meas in Estheram, quas Patius edidit, anno 1586.

ULTRA] Præterea vel amplius.

ARREPTO TEMPORE] Captata occasione.

HAMANIS MORTEM FLAGITAT IN ULTIONEM GENTIS QUAM PERDITAM CUPIERAT] Totum hoc à Sulpicio confictum videtur. Vide Esther. 7. 6.

MODICUM SECESSIT] In Hortum arboribus consitum.

APPETITAM] Ad stuprum.

TUM REGI COMPERTUM ERAT] Ex indicio Harbonæ, qui unus erat

ex eunuchis coram rege, id est regis, Esth. 7. 9. Geminum in Latio, *sacerdos in æde* pro sacerdos ædis

Crucis] Crucem appellat, quam Ebræi עץ id est, Lignum, sive arborem, Græci ξύλον & ξύλον δίδυμον, Latini *arborem infelicem.* Dicitur etiam patibulum & lignum suspendii.

Cruci Affigitur] Græcè σαυρῶναι, vel, si magis ἐσαυρώθη: quod verbum usurpant hoc loco interpretes Græci σαυρωθήτω ἐπ' αὐτῷ: *crucifigatur in eo.* Sic editio Latina, quam Roma dedit. Nam in Latina Hieronymi, appendite eum in eo. Sic etiam Ebræi.

Omniaque Bona Ejus Mardochæo Data] Non Mardochæo, sed Estheræ reginæ, quæ postea Mardochæum eis præfecit. Esth. 8. 1. & 2. Vide, si placet.

Schotanus.

Assuerum illum Græci reddunt Artaxerxen, nullo discrimine observato inter duo distinctissima vocabula, quæ Scriptura disertè voluit distinguere, ut diversorum regum. Josephus passus est se seduci à Græcis interpretibus, qui promiserat se ex Hebræo scripturum. Patres ignari linguæ Hebrææ, eam versionem non sequi non potuerunt. Si est Artaxerxes, cum duo fuerint ejus nominis, uter est? Priorem eligit Josephus, posteriorem Sulpicius. Si Josephus secutus fuisset Hebræum textum, sub nomine primi Arthachsasta accipiendo non Cambysen sed Artaxerxen longimanum, sententiam suam repudiasset, quia Longimanus hostis Judæorum fuit, & opus templi inhibuit. Id videns Sulpicius ad posteriorem flectit, qui Judæorum amicus fuit. Hebræi in Seder olam Cambysen fuisse censent, quos sequuntur Vatablus & Genebrardus. Cajetanus, Bellarminus, Salianus sequuntur Josephum. Serarius & Gordonus Artaxerxen Ochum: qui Judæis inimicus fuit ut postea dicetur. Rasi, Aben-esdras & Lyranus aliique Darium Hystaspis, quia uxorem habuit Atossam nomine. Josephus Scaliger veritatem in publico positam primus vidit. Fuit enim Xerxes ipso vocabuli indicio. אחשורש / *Axuares, Xers, xerxes.* Ipsa res est. Deinde Mardochæus propius aberat à captivitate Iechoniæ, ut infra patebat, quam ut ad Artaxerxen (saltem posteriorem possit referri. Observant etiam quod conjux fueret Xerxi Amestris nomine, quod nomen affine est nomini Esther. Atossæ vocabulum alludit ad Hadassam: sed privatæ nomen fuit, nec notum vulgo Persis, cum ad regis thorum veniret, Esther appellata est. Illa servatrix fuit suæ gentis & xerxe regnante non potuerunt hostes Iudæorum obtinere à rege inhibitionem operis templi. Sed nec, inquias, admodum promovit? Alia impedimento fuerunt, ut regem de hac re non potuerit compellare. Herodotus ejus res gestas fusissime describit. Ægyptios sc. & Athenienses voluisse punire. Athenienses gravissima clade Persas apud Marathona vicerant, Ægyptii defecerant secundo anno ante mortem Darii Hystaspis. Ægyptios domuit secundo anno regni sui xerxes, hinc quadriennio apparat adversus Græciam, anno quinto apparatus, regni sui septimo movit cum ingentibus & fidem superantibus copiis. Cæterum objiciunt nobis mores & facta Amistris, quæ libidinem maximam & crudelitatem sapiunt non tribuenda Estheræ. R. Facta ista ad invidiam detorqueri potuerunt, ab eis, à quibus Herodotus & Ctesias acceperunt. Deinde ut Esther sola uxoris dignitatem habuerit non est verosimile: nec puto eam cum Amistri eandem quam Ctesias Onophæ filiam esse testatur. Hoc enim non potuit latere. Lxx historiæ huic præmittunt fabulosum somnium Mordechæi de duobus draconibus & parvo fonte in vastum flumen exundante,

dante. Quod habuerit anno secundo regis primo die mensi: Nisan.

Cum Xerxes tertium annum regnaret, Ægypto subacta, dominans ab India usque Æthiopiam centum viginti septem provinciis, fecit epulum sumptuosissimum. Sedebat in solio regni in urbe (בירה) Susorum. Convivium videri possit inchoatum esse die natali, ut mos erat. Nam (ut scribit Herodotus cœnam ejusmodi appellabant τυκτά, quod Græce redditur τέλειον. Τότε ἦ τὴν κεφαλὴν σμῆται μοῦνον βασιλεὺς καὶ Πέρσας δωρέεται. Preces ea cæna abnuere fas haud erat. Ita scribit Amestrin obtinuisse ut Masistis uxore donaretur à marito, quod ægre concedebat. Ἐκείνης τε λιπαρεούσης καὶ ὑπὸ τοῦ νόμου ἐξεργόμενος (ὅτι ἀτυχῆσαι τὸν χρηΐζοντα οὔ σφι δυνατόν ἐστι βασιληΐου δείπνου προκειμένου) κάρτα δὴ ἀέκων κατανεύει. Ad epulum istud adhibuerat omnes principes suos (שריו) & servos. Parthemi (cognatos regis Drusius esse putat) Persiæ & Mediæ & satrapæ apud ipsum erant. Ostendebat enim opes gloriæ regni sui & magnificentiam splendoris regni sui: diebus centum & octoginta. Observabis eum dominatum tum fuisse centum viginti satrapiis ab India usque Æthiopiam, quod de Longimano dici nequit: quia Ægyptus defecerat. Nam etiam Ægyptus huic Assuero parebat anno ipsius duodecimo, cap. VIII. v. 9. At finitis istis diebus faciebat epulum universo populo, qui erat in arce Susorum à maximo ad minimum, septem diebus, in atrio horti palatii regis (ביתן המלך) Sumptuosissimus erat apparatus: Pendebant aulæa, candida, coloris carbasini atque hyacinthini sustentata funibus byssinis & purpureis in circulis argenteis & è marmore (שש) columnis. Lecti aurei & argentei, in pavimento. Pavimentum id describitur à generibus lapidum quatuor: בהט ושש ודר וסחרת. Totum versum 6. ita expresserunt Græci: Κεκοσμημένη βυσσίνοις καὶ καρπασίνοις τεταμένοις ἐπὶ σχοινίοις βυσσίνοις καὶ πορφυροῖς, ἐπὶ κύβοις χρυσοῖς καὶ ἀργυροῖς, ἐπὶ στύλοις παρίνοις καὶ λιθίνοις. κλίναι χρυσαῖ καὶ ἀργυραῖ ἐπὶ λιθοστρώτου σμαραγδίτου λίθου καὶ πιννίνου καὶ παρίνου λίθου καὶ στρωμναὶ διαφανεῖς ποικίλως διηνθισμέναι, κύκλῳ ῥόδα πεπασμένα.

Iosephus hunc regem Cyrum à suis à Græcis vero Artaxerxen dici. Dicit fœminam duxisse Iudæam, τοῦ γένους ὄντων τοῦ βασιλέως. Constituisse centum viginti septem præsides totidem satrapiarum. Tertio regni anno epulo excepisse amicos & Persarum gentes earumque præsides diebus 180. Deinde gentes, & earum legatos Susis diebus 7. Vide quam confuse. Convivii apparatum in v. 6. ita describit: σκήνωμα πηξάμενος ἐκ χρυσέων καὶ ἀργυρέων κιόνων, ὕφη λίνεα καὶ πορφύρεα κατ' αὐτῶν διαπετάσας, ὥστε πολλὰς μυριάδας κατακλίνεσθαι. Iterum non exprimit mentem.

v. 7. Potatio subministrabatur è poculis aureis: quorum tanta diversitas, ut nullum unum alteri simile esset. Multum vinum regium, pro regia magnificentia ביד המלך Lxx: Ποτήρια χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ καὶ ἀνθράκινον κυλίκιον προκείμενον ἀπὸ ταλάντων τρισμυρίων, οἶνος πολὺς καὶ ἡδὺς, ὃν αὐτὸς ὁ βασιλεὺς ἔπινεν. Jos. Διακονοῦντο δὲ ἐκπώμασι χρυσέοις καὶ τοῖς διὰ λίθου πολυτελοῦς εἰς τέρψιν ἅμα καὶ θέαν πεποιημένοις.

v. 8. Bibebatur secundum legem, qua nemo poterat cogi. Sic enim rex constituerat omni magistro domus suæ, ut facerent è cujusque placito. In Græco ὁ δὲ πότος οὐ κατὰ προκείμενον νόμον ἐγένετο, ποιῆσαι τὸ θέλημα αὐτοῦ καὶ τῶν ἀνθρώπων. Heb. לעשות כרצון איש ואיש. Mos enim Persarum erat, ut notat Josephus cogere ad bibendum. Deinde & edixisse per regionem ἀνεῖσθαι τῶν ἔργων ἀφειμένους καὶ ἑορτάζειν ὑπὲρ τῆς βασιλείας αὐτοῦ πολλαῖς ἡμέραις. Hæc nec in Hebræo nec Græco. Vasthi regina fecit etiam convivium mulierum. Die autem septimo, cum hilaris vino rex esset, præcipit septem eunuchis, ministrantibus coram rege, (eorum nomina Mehuman, Bazetha, Charbona, Bagtha, Abagtha, Zethar, Char-

Charchas) ut adducerent reginam in præſentiam regis cum cidari regia (בכתר מלכות) ut populis & principibus pulchritudinem ejus oſtenderet. Pucherrima enim ſpecie erat. At Vaſthi (id reginæ nomen) recuſat venire ad juſſum regis, quod attulerant eunuchi. Joſ ἡ δὲ φυλακῇ τῶν παρὰ Πέρσαις νόμων, οἳ τοῖς ἀλλοτρίοις βλέπεσθαι τὰς γυναῖκας ἀπηγορεύκασιν &c. Noluiſſe advenire in cœtum virorum, quia Perſicæ leges prohibent mulieres ab alienis aſpici. Barbari regis animus impotens ſuccenſuit illi, quod debuiſſet amare niſi contumacia & arrogantia incuſari poſſint. Debuiſſet enim modeſte deprecari. Rex igitur de more convocatis ſapientibus ſcientibus tempora; quorum proximi à rege erant Charſena, Sethar, Admatha, Tharſis, Metes, Marſena, Memuchan, ſeptem principes Perſidis & Mediæ: videntes faciem regis, qui ſedebant primi in regno. Mos erat cauſam à rege proponi coram omnibus ſcientibus legem & judicium. Scientes tempora explicare ipſe textus videtur ſcientes legem & judicium. Joſephus ſcribit non ſemel eunuchos miſſos eſſe ad reginam, quæ repetitæ vocationi non paruit, atque ideo regis animum accendit. Hac obſtinatione offenſum dimiſſo convivio, convocaſſe ſeptem Perſas, οἳ τὴν τῶν νόμων ἐξήγησιν ἔχουσι παρ' αὐτοῖς. Textus ſacer docet non illos ſeptem ſolos vocatos eſſe ſed omnes juriſconſultos ſeu prudentes rerum, inter quos eminebant iſti ſeptem regii conſiliarii. Quid de iſto contumaci facto videretur (Joſ. δηλοῦν τίνα κατ' αὐτῆς νόμον ὁρίζουσι) Memuchan coram rege & principibus in hanc ſententiam locutus eſt: Regina Vaſthi non regi ſoli injuriam fecit ſed & omnibus principibus omnibusque populis ſubditorum regis. Hoc enim exemplo periculum creatum eſt omnibus Perſis, ne contempti deinceps parum obſequentibus matrimoniis ludibrio ſimus alienis & domi in rixis & jurgiis. Si igitur videatur regi edictum promulgetur referaturque inter leges Perſarum Medorumque irrevocabiles, Vaſti non amplius venturam coram rege Aſſuero, regnumque ejus dandum illa meliori. Hoc univerſo regno Aſſueri, quod ingens eſt, emanaturum. Unde id conſecuturi ſint boni, ut obſequioſas habeant uxores Perſæ, magni minoresque. Placuit ea ſententia regi & principibus. Miſſæ igitur epiſtolæ per omnes regni provincias populosque quemvis ſuo ſermone & literis: ut maritus dominus ſit in domo ſua & vivat more patrio.

Hæc in primo capite libri Eſther. Quædam addenda fuerint ſuperioribus. I. Amplitudinem imperii Perſici ab Æthiopia ad Indos ita apud Herodotum ſub xerxe (quo regnante maximè patuit) deſcribunt ipſi Perſæ: Δεινὸν μὲν ἂν εἴη πρῆγμα, εἰ Σάκας μὲν καὶ Ἰνδοὺς καὶ Αἰθίοπας καὶ Ἀσσυρίους, ἄλλα τε ἔθνεα πολλὰ καὶ μεγάλα ἀδικήσαντα Πέρσας οὐδὲν, ἀλλὰ δύναμιν προσκτᾶσθαι βουλόμενοι καταστρεψάμενοι δούλους ἔχομεν· Ἕλληνας δὲ ὑπάρξαντας ἀδικίης οὐ τιμωρησόμεθα. Nemo regum Perſiæ opulentior fuit ut oſtenditur Danielis XI. 2. II. Amplitudinem regni oſtendunt 127. provinciæ. Cum Darius Medus centum viginti habuerit, Darius Hyſtaſpis, cum obtinuiſſet regnum, conſtituit viginti ἀρχὰς, τὰς αὐτοὶ καλέουσι σατραπηΐας Xerxes dicitur centum viginti ſeptem conſtituiſſe. Sed res alia eſt.

III. Lapidum genera quatuor quæ ſint ſciri, non poteſt, Iudæi conjectant & ſuo more ad fabulas delabuntur.

IV. Druſius è Xenophontis Cyropædiæ lib. 8, profert lege cautum fuiſſe apud veteres Perſas, ne amphoræ (προχοΐδας) ad convivia importarentur quod exiſtimarent minus tum corpora tum mentes debilitari, ſi quis non nimium hauriat. *Nunc vero,* inquit, *has non importari reſtat id quidem, tantum vero bibunt, ut non importent ſed ipſi exportentur, quando nimirum recto corpore non amplius exire poſſunt.* Νῦν δὲ τὸ μὲν μὴ εἰσφέρεσθαι ἔτι διαμένει, τοσοῦτον δὲ πίνουσιν ὥστε ἀντὶ τοῦ εἰσφέρειν αὐτοὶ ἐκφέρονται, ἐπειδὰν μηκέτι δύνωνται ὀρθούμενοι ἐξιέναι. Ab illa veteri

con-

consuetudine sobrietatis defecerant jam Xerxe regnante, ut videtur: qui ideò vetuit urgeri propinationes. Josephus mentem textus bene cepit, quam in contrarium Græca versio ducit.

V. Observant etiam interpretes Persas uxores suas habere non debito modo: Plutarchus in Themistocle, *τοῦ βαρβαρικοῦ γένους τὸ πολὺ καὶ μάλιστα τὸ περσικὸν εἰς ζηλοτυπίαν τὴν περὶ τὰς γυναῖκας ἄγριον φύσει καὶ χαλεπόν ἐστι.* Athenæus lib. 13. *ὡς δεσπότης ἄρχει τῆς γαμετῆς ὁ βασιλεύς.* Herodotus: *γαμέουσι δὲ ἕκαστος αὐτῶν πολλὰς μὲν κουριδίας γυναῖκας, πολλῷ δ' ἔτι πλεῦνας παλλακὰς κτῶνται.*

Cap. 2. Post aliquod tempus, cum ira regis resedisset recordabatur reginæ, quid factum ab ea & de ea. Jos. *Διακείμενος δὲ ὁ βασιλεὺς πρὸς αὐτὴν ἐρωτικῶς καὶ μὴ φέρων τὴν διάζευξιν, καταλλαγῆναι μὲν αὐτῇ διὰ τὸν νόμον οὐκ ἐδύνατο, λυπούμενος δὲ ὡς ἐπ' ἀδυνάτοις ὧν ἤθελε διετέλει.* Voluisse in gratiam redire & reassumere, doluisse, quod lege prohiberetur. Amici igitur ut Jos. famuli (נערים) ut sacer textus: ut affectui & ægritudini remedium quærerent: monent ut amorem deponeret: quæri autem præciperet per homines ad id constitutos פקדים per omnes regni provincias, virgines speciosissimas & adduci Susa, in domum mulierum sub manu Hege, eunuchi regii, custodis mulierum. Quibus dentur sua curatoria, תמרוקיהן Gr. *δοθήτω σμῆγμα καὶ ἡ λοιπὴ ἐπιμέλεια.* Vulg. *Et accipiant mundum muliebrem & catera ad usus necessaria.* Quæ placuerit regi veniat in locum Vasthi. Id consilium regi cum arrideret, factum ita est. Judæus erat in arce Susorum cui nomen Mordechæus, filius Jair, filii Simei, filii Cis, Benjaminæus: Josephus virum istum in hunc modum describit. I. Fuisse Babylone, ubi apud eum Esther educabatur. Id pugnat cum textu. II. Fuisse *θεῖον*, *patruum*, Estheræ: cum patruelis fuerit. III. Unum fuisse è primatibus Judæorum. Verba versus. 6. describunt virum abductum in captivitatem cum Jechonia. Hoc non est capiendum de Mardochæo, ut quidam volunt sed de proximo Cis, qui proavus fuit Mordechæi. Educabat Mordechæus Hadassam, patrui sui filiam, orbam utroque parente. Insigni pulchritudine excellebat. Mortuis parentibus Mordechæus eam assumpserat loco filiæ. Cum igitur virgines quærerentur, & ipsa ducta est in gynæcona ad manum Hegai custodis mulierum. Illius benevolentiam experta est, qua ejus curatoria maturavit: dedit partes מנות & septem ancillas spectatas (הראיות) è domo regia. Jos. *πάσης ἐτύγχανε προνοίας ἀρωμάτων ἀφθονίᾳ καὶ πολυτελείᾳ τῶν ἀλειμμάτων, ὧν χρῄζει τὰ σώματα, καταρδομένη.* Dedit ei puellisque ejus *meliorem partem gynacei:* alii: *conditionem optimam in gynaceo.* In Hebræo enim est: *Mutavit eam in bonum domus mulierum.* Non indicaverat genus & populum suum. Judæum enim genus in contemptu apud gentes erat. Ideo Mordechæus vetuerat indicare. Toto tempore curationis, omnibus diebus, Mordechæus inambulabat in atrio gynæconis, ut sciret, quid de Esther fieret. Curatio admodum operosa fuit. Peragebatur enim duodecim mensibus id est integro anno. Sex mensibus cum oleo myrrheo, sex sequentibus cum aromatibus & purificatoriis. Sic quælibet curata introducebatur ad Regem. In fine curationis quicquid posceret, ipsi dabatur ut cum eo iret e gynæceo ad domum regiam. Vesperi intrabat, mane à rege egrediebatur in alterum gynæcona, sub manu Sahasgaz, eunuchi regii custodis concubinarum. Non ingrediebatur amplius ad regem nisi nominatim vocaretur. Josephus curationem totam sex mensium fuisse putabat, Scribit virgines fuisse quadringentas numero, quæ ita sint curatæ: quod non est in textu. Harum satis curatam *καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἔπεμπε τῷ βασιλεῖ συνεσομένην, ὁ δὲ πλησιάζων εὐθὺς ἀπέπεμπε πρὸς τὸν εὐνοῦχον.* Non eundem, ô bone, sed alterum pellicum custodem. Eò enim mittebatur, ut

 esset

esset inter pellices regias, non remittebatur ad virgines. Athenæus lib. 13. Παρὰ Πέρσαις ἀνέχεται ἡ βασίλεια τὸ πλῆθος τῶν παλλακίδων, διὰ τὸ ὡς δεσπότην ἄρχειν τῆς γαμετῆς τὸν βασιλέα· ἔτι δὲ καὶ τὴν βασιλίδα, ὥς φησι Δίνων ἐν τοῖς Περσικοῖς, ἀνέχεσθαι τὸ τῶν παλλακίδων γεγονέναι πλῆθος. Προσκυνοῦσι γοῦν αὐτήν.

Cum venissent vices Estheræ filiæ Abichail, patrui Mordechæi, ut ad regem iret, nihil poposcit, nisi quod diceret custos virginum. Scilicet contenta fuit eo ornatu, quem eunuchus ille ipsi convenire judicabat. Omnium, qui videbant, gratiam Estheræ pulchritudo conciliabat. Jos. πᾶσιν δὲ τὴν ἐσθῆτα συνέβαινε· τοῦτο γὰρ ἦν τὸ σῶμα αὐτῇ τῷ κάλλει διαφέρειν καὶ τὴν χάριν τῆς προσόψεως τὰς ὄψεις τῶν θεωμένων μᾶλλον ἐπάγεσθαι. Perducta est ad regem mense decimo (qui est Thebeth) anni septimi Assueri. Rex ejus consuetudine delectatus & amore correptus, quo ipsam præ cunctis mulieribus complectebatur, imponit capiti ejus cidarim regni fecitque reginam loco Vasthi. Jos. νομίμως αὐτὴν ἄγεται γυναῖκα. Idem secutus Græcos pro decimo mense Tebeth duodecimum mensem Ader ponit. Nuptiale epulum instituit rex sumptuosum omnibus suis principibus & servis. Omnibus provinciis requiem dedit, dona largitus est secundum potentiam regiam. Jos. διέπεμψε δὲ τοὺς ἀγγάρους λεγομένους εἰς πᾶν ἔθνος ἑορτάζειν αὐτοῖς τοὺς γάμους προστέλλων. Scribit Persas & Medos primatesque gentium toto mense esse epulatos apud regem. Quod dicitur rex requiem fecisse provinciis significat remissionem tributi, ut benè observavit Drusius.

Cum virgines secundo congregarentur Mordechai sedebat in porta regis. Secundam hanc congregationem non possumus ita capere, quasi prius domum remissæ fuerint. Nam cognita à rege à nullo alio cognosci licebat. Debuit igitur inter pellices ali, nulli nisi regiæ libidini accessura. Unde operiri oportuit, donec à rege nomine suo vocaretur. Regressæ igitur regis thalamo virgines colligebantur in secundum gynæcona. Cum hæc congregatio fieret, observabat limen regium Mordechai, ut cognosceret de Esther. Esthera ad regem assumpta non indicavit genus suum, obsequebatur autem verbis Mordechai, ut cum apud ipsam educaretur. In porta sedebat continuò: interim cognovit duos eunuchos regios Bagathan & Theres in regem conspirasse ut eum è medio tollerent. Indicium fecit Estheræ, quæ rem defert ad regem nomine Mordechai. Inquisitione facta & veritate deprehensa, suspendio puniuntur. Et res relata est in annales regios. Josephus videns Mordechæum Susis egisse è rerum argumento, scribit Babylone migrasse Susa, ut propius esset Estheræ, quam diligebat loco filiæ. Narrat etiam Bagathoum & Theodesten insidiatos esse regi, quod proditum sit Mordechæo per Barnabazum Judæum alterius servum. Græca versio scribit Mardochæum præcepisse Estheræ ut Deum timeret, ejusque faceret mandata: id autem ab illa diligenter factum esse. Eunuchos illos scribit fuisse τοῦ βασιλέως ἀρχισωματοφύλακας. Deinde id tantum datum esse Mordechæo remunerationis loco, ut annotata sit res in annalibus, & jussus versari ipse in regia, ut regis amicus necessarius: προσμένειν τοῖς βασιλείοις ὄντα φίλον ἀναγκαιότατον τῷ βασιλεῖ.

Cap. 3. Posthæc rex extulit in sublime Hamanen filium Hammedathæ Agagæum (Jos. τὸ γένος Ἀμαληκίτην) Solium ejus posuit supra omnes principes, qui cum eo erant. Græci interpretes corruptè βουγαῖον vocant. Existimat Drusius quod respexerint historiam Herodoti lib. 7. ubi narrat βόγην enunchum ex Eione Macedoniæ regi fuisse gratissimum & in flagrantissima ejus gratia ideo etiam cap. 9. appellare Μακεδόνα. Jussu regio adorationis honor ipsi tribui debuit: quem & dederunt quotquot servi essent in porta regia: solus Mordechæus non præstitit. Moris erat venerabundos adorare non tantum regem sed

&

& alios viros honoratos, ut notiſſimum eſt, quare igitur noluit Mordechæus id honoris deferre purpurato, maxime cum id rex præcepiſſet? Judæi volunt apud illum fuiſſe ſtatuam, quam adorandam propoſuerit. Hanc ſtatuam noluit venerari Mordechai, nec ipſum Hamanem quia ipſi fuerat mancipium, quod emerat fruſto panis. Sic habetur in Thargum. At dras eſt ſecundum Aben-eſdram, quod fuerit in veſtibus ejus, imago ſtatuæ, adeòque periculum idololatriæ. Quæritur etiam cur non potius diſceſſerit Mordechæus à porta regis, quam ut ſe & gentem ſuam in tantum conjiceret diſcrimen? Reſpondent non licuiſſe ei recedere, nec potuiſſe eum removeri ab Eſther, ſine regis mandato. Rex adorabatur cultu religioſo & in eo ſibi æquari Hamanem voluit. In additionibus ad librum Eſther, Mordechæus ita precatur: *Tu ſcis Domine, non me contumelia, neque ſuperbia neque gloriæ cupiditate feciſſe, ut ſuperbum Hamanem non colerem. Etenim libenter vel ejus pedum veſtigia pro Iſraëlitarum ſalute deoſcularer. Sed id feci ne hominis gloriam Dei gloriæ præponerem nec quem præter te Dominum meum adorarem.* Quod Eſther etiam venerata ſit regem id in regina (ut puto, pro civili honore habitum. Aliam cauſam Grotius aſſignat, nempe quia è devota Divinitus gente Amalecitarum erat, cum qua gente Deus & ſibi & Hebræis bellum voluerat eſſe internecinnm. Quotidie tranſibat Haman, quotidie monebatur Mordechæus ab illis, qui aderant, ut voluntati regiæ daret obſequium. Tandem ſignificatum eſt Hamani ab illis, ut viderent, an in ſententia eſſet perſeveraturus & religione ſua. Indicaverat enim ſe Judæum eſſe & religione prohiberi. Haman, cùm intelligeret (etiam videret fortè) ſe non adorari à Mordechæo, non tantum illum ſed & univerſam gentem propoſuit ſibi exitio involvere. Dixit enim regi in regno ejus eſſe populum omnibus regionibus diſperſum, cujus leges contrariæ eſſent legibus reliquarum gentium. Ideo non expedire regi, ut ſuperſit. Joſ. ſcribit natura Judæis infeſtum fuiſſe, quia gens Amalecitarum, è qua ipſe, à Judæis exſtincta fuerat. Ad regem dixiſſe ἔθνος εἶναί τι πονηρὸν, διεσπάρθαι δὲ τοῦτο, κατὰ τὴν ὑπ' αὐτοῦ βασιλευομένης οἰκουμένης, ἄμικτον, ἀσύμφυλον, οὔτε θρησκείαν τὴν αὐτὴν τοῖς ἄλλοις ἔχον, οὔτε νόμοις χρώμενον ὁμοίοις, ἐχθρὸν δὲ καὶ τοῖς ἔθνεσι καὶ τοῖς ἐπιτηδεύμασι τῷ σῷ λαῷ καὶ ἅπασιν ἀνθρώποις. Sic in edicto: δυσμενὲς ἔθνος καὶ τοῖς ἄλλοις ἀλλόκοτον. Tacitus de Judæis: *Separati epulis, diſcreti cubilibus.* Item: *Judæorum mos abſurdus ſordidusque:* Cicero pro Flacco: *Stantibus Hieroſolymis, pacatisque Judæis tamen iſtorum religio ſacrorum, à ſplendore hujus imperii, gravitate nominis noſtri, majorum inſtitutis abhorrebat.* Juvenalis de eisdem *Judæis*:

Romanas autem ſoliti contemnere leges,
Judaicum ediſcunt & ſervant & metuunt jus.

Hanc gentem, bono regis & populorum, perdi, ſi patiatur rex. Joſ. κελεύσεις πρόρριζον ἀπολέσαι μηδέ τι αὐτοῦ λείψανον καταλιπεῖν, μηδ' εἰς δουλείαν τινῶν φυλαχθέντων, μήτε εἰς αἰχμαλωσίαν. Se decies mille talenta argenti appenſurum ad manus facientium opus: Vulg. *arcariis gazæ tuæ.* Qui opus regis faciebant, hi quæſtores ſive theſaurarii quique procurabant negotia regis. Gr. διαγράψαι εἰς τὸ γαζοφυλάκιον τοῦ βασιλέως. Nempe, ut Joſephus obſervat, ne damnum paterentur reditus regis, ἵνα μὴ ζημιωθῇ τοὺς φόρους τοὺς παρ' αὐτῶν γινομένους. Rex conceſſit Hamani: detractum annulum digito Hamani tradidit: dixitque argentum tibi donatum eſto & populus, ut facias pro libitu tuo. Sors jacta eſt à menſe Niſan anni duodecimi regni Aſſueri coram Haman uſque ad menſem duodecimum, de die in diem, de menſe in menſem. Grot. *Mos erat Perſarum & vicinarum gentium ſortibus certo modo jactis explorare dies rei propoſitæ pro-*

ſperos aut adverſos. Id in hac re ſæpe fecit Haman: Tandemque invenit diem, quam ſortes proſperum promittebant: at Deus exemplum dedit ingens, quam iſta ſint inania. Scribæ regii vocati primi menſis die decima tertia, ſcriptum, ut jubebat Haman ad ſatrapas regios & pachos, qui ſuper quamque provinciam, & ad principes (שרי) populi populi cujusque & provinciæ. Obſerva iterum ſatrapas eſſe majores pachis & pachos provinciis ſingulis deputari. Unde Darii illam diſtributionem in viginti ἀρχὰς apud Herodotum velim accipere de Satrapiis, at 127. Aſſueri de pachorum provinciis. Principes (שרי) illi ſunt quos populi ſibi ipſis impoſuerant ordinis & diſciplinæ cauſa: quod regiæ dominationi nihil oberat. Secundum ſcripturam & linguam cujusque populi ſcriptum eſt. Literarum argumentum exprimit Joſephus & additionum ad Eſtheræ librum autor cap. 13. Joſephus expreſſit ex illis additionibus, ut conferenti fiet manifeſtum. Conferatur enim Joſephi narratio cum cap. 13. verſibus ſeptem. Scriptum eſt nomine regis ejusque annulo obſignatum. Miſſæ literæ per tabellarios ad omnes provincias: eſſe delendos, occidendos perdendosque omnes Judæos, omnis ætatis & ſexus uno & eodem die: ſcilicet decimo tertio duodecimi menſis: eorumque bona prædæ ceſſura. Continebant literæ edictum per omnes provincias eſſe promulgandum, ut parati eſſent in dictum diem. Edicto igitur promulgato Suſis delatoque per omnes regni partes, feſtinantibus tabellariis è regio mandato, omnes ad perdendum Judæos ſe expediebant. Rex & Haman (πρὸς εὐωχίαις καὶ πότοις ἦσαν) lætabantur epulis & compotationibus, at urbs Suſorum (נבוכה) Joſ. ἐν ταραχῇ δ' ἦν ἡ πόλις. Græci: ὁ δὲ βασιλεὺς καὶ Ἀμὰν ἐκωθωνίζοντο, ἐταράσσετο δ' ἡ πόλις.

Cap. 4. Mordechæus laceratis veſtibus, indutus ſacco & cinere, per urbem ferebatur, clamitans alta & triſti voce nihil meritam gentem exſcindi. Hoc modo uſque ad portam regis pervenit, induto enim ita ingredi portam non licebat. Joſ. οὐ γὰρ ἐξῆν εἰσελθεῖν αὐτῷ (βασίλεια) τοῦτο περικειμένῳ σχῆμα. Omnibus provinciis & locis ubi edictum regium editum erat, planctus & mœror, jejunium & ploratus. Strati jacebant multi in ſacco & cinere. Puellæ & eunuchi Eſtheræ nuntiant Mardochæi habitum geſtusque. Quod regina obſtupuit, miſitque veſtem, quam non recepit. Hatach igitur, unum de eunuchis regis, quem ipſi dederat, jubet ſciſcitari, quid rei eſſet. Hic progreditur in plateam ad Mordechæum ante portam regis. Mordechæus illi totam rem aperit: quomodo edictum regium Haman expreſſiſſet & de oblatione argenti. Tradidit etiam apographum edicti quod reginæ oſtenderet eamque juberet apud regem deprecari pro populo ſuo. Reſponſum ad Mordechæum relatum eſt per eundem eunuchum. Sciunt omnes ſervi regii & populus provinciarum, ſi quis ad regem adeat, non vocatus, in atrium interius, ſive vir ſive mulier fuerit, eum judicio mortis teneri, niſi rex illi aureum ſceptrum porrigat, quod ſignum eſt donatæ vitæ. De hac lege ita Joſephus: ἔθηκε δὲ καὶ νόμον ὁ βασιλεὺς, ὥστε μηδένα τῶν ἰδίων αὐτῷ προσιέναι μὴ κληθέντα, ὁπηνίκα ἐπὶ τοῦ θρόνου καθέζοιτο. Περιειστήκεσαν δὲ τὸν θρόνον αὐτοῦ πελέκεις ἔχοντες ἄνθρωποι πρὸς τὸ κολάζειν τοὺς προσιόντας ἀκλήτους τῷ θρόνῳ, καθῆστο μέντοι λύγον χρυσέαν ἔχων αὐτὸς ὁ βασιλεὺς, ἣν ὅτε τινὰ σώζειν ἤθελε τῶν ἀκλήτως προσιόντων, ἐξέτεινε πρὸς αὐτὸν, ὁ δὲ ἁψάμενος αὐτῆς ἀκίνδυνος ἦν. Se triginta his diebus non eſſe vocatam ad regem. Juber reddi reginæ Mordechæus. Ne tibi imagineris, te incolumem eſſe evaſuram in domo regia. Si tacueris hoc tempore, aliunde Judæis ſalus exiſtet, tu autem cum domo patria es periturus. Forte ob hoc ipſum ad regnum perveniſti. Hoc audito animos ſumit, curat autem nuntiari Mordechæo, ut coactis Judæis, quotquot Suſis eſſent, tribus diebus & noctibus jejunium agerent: ſe cum

ſuis

fuis puellis etiam jejunaturam. Deinde ingreffuram ad regem contra legem Deo eventu commendato. Mordechæus curat, quod regina fieri voluerat.

Cap. V. Cum tertius dies advenisset, Esther, induta vestitu regio stetit in atrio interiori, exhibens se regi. Supra diximus tribus diebus & tribus noctibus jejunatum esse: id sic intelligendum ut tertius dies non includatur multo minus tertia nox. Duas noctes jejunarunt unum diem plenum & duos non plenos. Eadem locutione dicitur Jonas tribus diebus & tribus noctibus fuisse in corde terræ. Stabat in domo regia contra domum regiam. Domus regia appellatur conclave, in qua thronus, cui rex insidebat. Insidebat rex solio contra ostium illius domus. De solio Persici regis Athenæus: ὁ δὲ θρόνος χρυσοῦς ἦν, ὃν περιειστήκεσαν τέτταρες κιονίσκοι λιθοκόλλητοι χρυσοῖ, ἐφ' ὧν διετέτατο ἱμάτιον ποικίλον πορφυροῦν. *Solium aureum erat, quatuor columellis cinctum, quæ aureæ erant gemmis conglutinatæ: super quibus vestis expansa varia purpurea.* Rex visa conjuge protendit sceptrum, cujus summitatem progressa Esthera tetigit. Josephus jejunantium Mordechæi, populi & Estheræ preces exhibet: deinde delineat rem fusius, quam in textu: Scribit Estheram in cultu regio cum duabus pedissequis processisse, addit animi affectum, deinde regis amore moti amplexum: Κοσμησαμένη δ' ὡς ἐχρῆν τὴν βασίλισσαν σὺν δυσὶ θεραπαίναις, ὧν ἡ μὲν ἐπερειδομένην αὐτὴν κούφως ἔφερεν, ἡ δὲ ἑπομένη, τὸ βάθος τοῦ ἐνδύματος καὶ μέχρι τῆς γῆς κεχυμένον ἄκροις ἐπῄρε τοῖς δακτύλοις, ἧκε πρὸς τὸν βασιλέα, μεστὴ μὲν τὸ πρόσωπον ἐρυθήματος, προσηνὲς δὲ καὶ σεμνὸν ἐπικειμένη τὸ κάλλος. Εἰσῄει δὲ πρὸς αὐτὸν μετὰ δέους· ὡς δὲ κατὰ πρόσωπον αὐτοῦ καθεζομένου ἐπὶ τοῦ θρόνου γίνεται τοῦ βασιλικὸν περικειμένου κόσμον· ὃς ἦν ἐκ ποικίλης μὲν ἐσθῆτος, χρυσοῦ δὲ καὶ λίθων πολυτελῶν· φοβερώτερον καὶ διὰ ταῦτα μᾶλλον θεασαμένη καί τι καὶ χαλεπὸν προσιδόντος αὐτὴν ἀπηνέστερον, καὶ διακεχαραγμένῳ ὑπὸ τῆς ὀργῆς τῷ προσώπῳ, πάρεσις εὐθὺς αὐτὴν ὑπὸ δέους λαμβάνει καὶ τοῖς παρὰ πλευρὰν οὖσιν ἀχανὴς ἐπέπεσεν. ὁ δὲ βασιλεὺς κατὰ βούλησιν οἶμαι τοῦ θεοῦ τὴν διάνοιαν μετέβαλε, καὶ δείσας περὶ τῆς γυναικὸς μὴ καὶ πάθῃ τι τῶν χειρόνων ὑπὸ τοῦ φόβου, ἀνεπήδησεν ἀπὸ τοῦ θρόνου καὶ ταῖς ἀγκάλαις αὐτὴν ὑπολαβὼν ἀνεκτᾶτο, κατασπαζόμενός τε καὶ προσομιλῶν ἡδέως καὶ θαρρεῖν παρακαλῶν καὶ μηδὲν ὑποπτεύειν σκυθρωπὸν ὅτι πρὸς αὐτὸν ἄκλητος ἔλθοι, τὸν γὰρ νόμον τοῦτον πρὸς τοὺς ὑπηκόους κεῖσθαι, τὴν δὲ ὁμοίως αὐτῷ βασιλεύουσαν πᾶσαν ἔχειν ἄδειαν. Ταῦτα λέγων τὸ σκῆπτρον αὐτῆς ἐνετίθει τῇ χειρὶ καὶ τὴν ῥάβδον ἐξέτεινεν ἐπὶ τὸν αὐχένα αὐτῆς διὰ τὸν νόμον εὐλαβείας αὐτὴν ἀπολύων. ἡ δ' ὑπὸ τούτων ἀναζωπυρήσασα, δέσποτα εἶπεν, οὐκ ἔχω σοι τὸ αἰφνίδιον τοῦ συμβεβηκότος μοι ῥᾳδίως εἰπεῖν· ὡς γὰρ εἶδόν σε μέγαν καὶ καλὸν καὶ φοβερόν, εὐθὺς ὑπεχώρει μου τὸ πνεῦμα καὶ καταλελειπόμην ὑπὸ τῆς ψυχῆς. Μόλις δ' αὐτῆς καὶ ταῦτα φθεγγομένης καὶ μετ' ἀσθενείας, αὐτόν τ' ἀγωνία καὶ ταραχὴ κατελάμβανε καὶ τὴν Ἐσθῆρα εὐψυχεῖν καὶ τὰ κρείττω προσδοκᾶν παρεθάρρυνεν, ὡς αὐτῇ καὶ τὸ ἥμισυ τῆς βασιλείας, εἰ δέοιτο τούτου, παραχωρήσοντος αὐτῇ. *Ornata autem, ut decebat reginam, cum duabus famulis, quarum hac innitentem leviter ferebat, illa pone sequens profundum vestis & fusum in terram extremis attollebat digitis, accedit ad regem, vultum plena ruboris, suavi ac decenti cincta* (lego περικειμένη) *pulchritudine. Ingrediebatur ad eum cum metu. Cum autem subiret vultum sedentis in solio regio circumfuso ornatu, qui erat variæ vestis, auri & gemmæ pretiosæ, videns & ob id ipsum magis metuendum, eamque ipse eam torvius intueretur & accensò per iram vultu, è metu mox eam resolutio cepit, illisque quæ ad latus erant, attonita incubuit. Rex autem, voluntate ut arbitror Dei animum mutat: metuensque de conjuge ne & ipsa aliquid pejus pateretur à metu, prosilit solio ipsamque ulnis suscipiens refocillabat, amplexus & suaviter alloquens jubensque bono animo esse nec aliquid triste metuere, quod non vocata advenisset. Legem enim positam esse subditis; ipsi autem conregnanti licere omni modo. Hæc dicens sceptrum imponebat manui & virgam protendebat in*

 collum

collum ipsius ob legem, ut eam omni metu solveret. Illa hoc pacto refocillata, Here, inquit, *eloqui non possum, quid mihi repente acciderit. Ut enim te videbam magnum & pulchrum & verendum, continuò abscedebat spiritus & relinquebar ab anima. Cum & illa vix loqueretur & cum debilitate, ipsum etiam solicitudo & conturbatio prehendit, Estheram bono animo esse & meliora exspectare jubet consolando, cum & dimidium regni, si peteret, concessurus esset.* Decimum quintum caput additionum expressit, sicuti in antecedentibus respexit ad caput antecedens. Rex rogat reginam, quid esset, quidve peteret: Fore ipsi & ad dimidium regni. Ipsa petiit ut rex cum Haman ad cænam quam parasset, veniret. Annuit rex & jubet Haman maturare. Cum in cœna essent, rex jubet reginam effari, quidquid peteret, eventurum etiam ad regni dimidium. Symposium illud erat ut videtur, non perfectum convivium. Respondet Esthera, Si inveni gratiam & regi placitum sit mihi tribuere meam petitionem, veniat rex cum Hamane ad convivium quod parabo, crastino die ex voluntate regis aperiam, quod peto. Egreditur igitur Haman lætus & alacer, sed conspecto Mordechæo in porta regis, qui nec assurgeret nec loco se moveret, exarsit. Continuit tamen se & domum venit. Vocatisque amicis & uxore Zares jactat magnificentiam opum suarum & multitudinem filiorum & omnia, quibus eum rex exaltaverat: qui eum evexerat supra principes & servos regios. Deinde, Reginam Estheram neminem præter se cum rege invitasse ad convivium, quod paraverat. Sed hæc non posse animum ipsius quietum reddere, donec videret Mordechæum sedentem in porta regia. Hic ad eum uxor & amici: Erigatur patibulum altum ulnis quinquaginta: petasque à rege, crastino die, ut in illo suspendatur Mordechæus, ut hac confecta re possis hilari animo epulari. Id placuit Hamani qui crucem figi jussit.

Cap. 6. Ostendit Deus, quam vanæ sint hominum cogitationes, quem premere cogitabat, sua manu & voce debuit honorare. Eadem enim nocte rex insomnis, ut tempus falleret, jussit Chronica (sui regni) afferri & legi. Occurrit locus, in quo annotatum Mordechæum aperuisse conspirationem duorum Eunuchorum. Quærit rex quid honoris ipsi ob id præstitum esset, cui respondent juvenes, servi regii, nihil præstitum esse. Josephus scribit lecta fuisse (legentem appellat γραμματέα) commentaria rerum hujus & antecedentium regum majorum ejus. Audisse regem hunc ob rem egregie gestam regione donatum esse, cujus & nomen adscriptum erat, alium ob fidem egregiam muneribus affectum, inde occurrebat locus de Mordechæo. Hic rex lectore jusso subsistere quærit quid muneris accepisset, cumque nihil datum esse lector responderet (quasi lector responderit) quærit ab illis qui in id constituti erant, quæ hora noctis esset, cum redditum matutinum esse tempus, mandat inquiri & indicari quis amicorum inveniretur foris ante regiam (πρὸ τῆς αὐλῆς) Haman inventus est, qui summo mane in regiam se contulerat ut Mordechæo suspendium procuraret in arbore, quam statuerat. Scriptura dicit in atrio esse repertum. Vocatum intro interrrogat rex, quid faciendum esset viro, in cujus honore complacitum esset regi. Jos. συμβουλεύσαιμι παρακαλῶ πῶς ἂν τιμήσαιμι τινὰ στεργόμενον ὑπ' ἐμοῦ σφόδρα, τῆς ἐμαυτοῦ μεγαλοφροσύνης ἀξίως; Haman secum animo reputans, quam sententiam diceret, pro se ipso dicturum esse: se enim solum à rege diligi, respondet virum illum induendum veste, quam ipse rex gestaret & imponendum equo, cui rex solitus esset insidere: deinde cidarim regni capiti imponendam. Cidarim Josephus appellat (περιαυχένιον χρυσοῦν) LXX. omittunt, & vestem appellant στολὴν βυσσίνην. Vestem & cidarim induenda ab aliquo parthimorum, equumque ab eodem ducendum. Sic vehendum esse eum per urbem,

bem, cum præconio. Ita fiet viro, quem rex vult decorari. Rex lætus dicto, Feſtinanter, inquit, ſume equum & veſtem, atque ita, ut dixiſti, fac Mordechæo Judæo, qui ſedet ad portam regis. Nihil omittatur eorum, quæ locutus es. Joſephus arbitratur præconium ab eodem proclamari regio juſſu debuiſſe. Haman hoc verbo admodum perculſus, cum non poſſet obſequium negare, veſtem induit & coronam equoque imponit Mordechæum eumque ducit cum illo præconio per vicos urbis. Cum Haman cum purpura (ita Joſephus) accederet & equo, derideri ſe Mordechæus putans, perſuaderi ægre potuit, rem ſerio geri. Re peracta Mordechæus rediit ad portam regis, at Haman confuſus domum ſe recipit, mœſtus & capite obvoluto. Cum mœrore & lachrymis ut credi par eſt, narrat uxori & amicis; quid factum eſſet. Reſpondent ſapientes & uxor: Si Mordechæus, coram quo cæpiſti cadere, ſit de ſemine Judæorum, nihil adverſus eum valebis, ſed ab eo proſterneris. Mens dictis, hominem, qui in tanta apud regem gratia eſſet non poſſe à b eo ſubverti, ſed molimen ruinæ ſuæ finiturum Joſ. οἱ δ' εἰπόντ' ἀμυνάσθαι τὸν μαρδοχαῖον ἔλεγον δυνήσεσθαι, τὸν γὰρ θεὸν εἶναι σὺν αὐτῷ. Hæc illis adhuc loquentibus venerunt eunuchi regii, qui urgebant Hamanem ad convivium Estheræ. LXX. ἐπισπεύδοντες τὸν Ἀμὰν ἐπὶ τὸν πότον ὃν ἡτοίμασεν Ἐσθήρ.

Cap. 7. Cum rex & Haman veniſſent, ut potarent cum regina Eſthera (Joſ. εὐωχηθεὶς) LXX. συμπιεῖν. Rex iterum in ſecunda compotatione vini, quid petis Regina Eſther, Dabitur tibi & ad dimidium regni. Tum Regina, Si, inquit, gratiam inveni in oculis tuis & regi videatur, donetur mihi vita mea & populus meus, ob petitionem meam. Nam venditi ſumus, ego & populus meus, ut deleamur, trucidemur & perdamur. Si venditi eſſemus in ſervos & ancillas, ſiluiſſem: quamvis oppreſſor damnum regium compenſare non poſſet. Hic rex: Quis ille? ubi eſt, qui ſit auſus ita facere? Eſther autem: oppreſſor & hoſtis eſt iſte nequam Haman. Haman ob hanc voce tremuit horruitque à facie regis & reginæ. Rex ſurgens in ira, recepit ſe in hortum palatii. Haman paratum ſibi jam infortunium eſſe intelligens, cœpit apud reginam delictum fateri & precari veniam: ſimulque in lectum ejus procubuit. Interim ſuperveniens rex & hoc magis etiam commotus, etiam ne, inquit, in ædibus meis uxori meæ vim inferre parat? Ad id regis verbum faciem Hamanis obnubunt. Tum Charbona. unus eunuchorum coram rege miniſtrantium, Crux, inquit, quam Mordechæo, qui bonum regi loquutus eſt, paraverat, fixa eſt prope ejus ædes, quinquaginta cubitorum altitudine. Joſephus eunuchum illum Sabuchadam appellat, narratque eum miſſum ut vocaret Hamanem ad ſympoſium ſciſcitando à famulo Hamanis cognoviſſe ad quid crux illa ſtatuta eſſet. Quo audito rex in illa cruce Hamanem ſuſpendi jubet. Quia iſte Eunnchus Mordechæo favere & infeſtior Hamani fuiſſe videtur, ideo Joſephus eunuchum Eſtheræ eſſe putavit, cum tamen ſcriptura dicat eum coram rege ſtetiſſe. Haman igitur ſuſpenditur in cruce alteri parata. Immodice amicitia regis uſus & in arrogantiam populo Dei infeſtam delapſus documentum dedit juſtitiæ Dei & mutabilis gratiæ regum.

Quantum attinet illam obtectionem, quam fecerunt miniſtri, ſcribit Abenesdras, morem fuiſſe Perſicum, ut faciem ejus, in quem rex iraſceretur, abſconderent & id notum eſſe in libris Perſeus, בספרי פרס.

Notat Grotius in lectulis cænaſſe ut Romani & Græci. Deinde, quia nomen Eunuchi tam diverſum eſt apud Joſephum, in nominibus propriis multum variaſſe codices. Sed obſervare debuit Grotius, Joſephum ſecutum eſſe Græcos codices id eſt Græcorum codicum apocrypha additamenta, è quibus de Hebræis

κοίμημα οὐ νὺξ ἔργει μὴ οὐ κατανύσαι τὸν προκείμενον ἑωυτῷ δρόμον τὴν ταχίστην. ὁ μὲν δὴ πρῶτος δραμὼν παραδιδοῖ τὰ ἐντεταλμένα τῷ δευτέρῳ ὁ δὲ δεύτερος τῷ τρίτῳ τὸ δ' ἐντεῦθεν ἤδη κατ' ἄλλον διεξέρχεται παραδιδόμενα, κατάπερ Ἕλλησι ἡ λαμπαδηφορίη, τὴν τῷ Ἡφαίστῳ ἐπιτελέουσι. Τοῦτο τὸ δράμημα τῶν ἵππων καλέουσι Πέρσαι ἀγγαρήϊον. Scribunt lexicographi ejuſmodi curſores Ἀστάνδας & ἀγγάρους appellari. Cæterum אחשתרנים confundere cum illis Aſtandis & angaris non eſt interpretis periti & accurati. Hi enim אחשתרנים nihil aliud ſunt quam muli, ut indicat periphraſis ſequens, filii רמכים: רמך equa eſt non mulus. Abenesdræ interpretationem negligenter inſpectam à Grotio proponamus: רמבי הרכש] מרכוש המלך שאין במותם. *E facultatibus regiis, quod illis ſimiles non eſſent.* Non ſignificat ſumptum à rege præbitum ſed jumenta regia, quod præſtarent. Alii mulum vel equum celerem & velocem explicant, qui tam ad curſum inſidentium ut hodie ſunt Poſtæ, quam ad vecturam celeriorem. Vox exſtat: Mich. 1. 13. & 1. Reg. 4. 28. Ego puto jumentum intelligi feſtinationi & accelerationi, ſive equus ſive mulus ſive camelus fuerit: Poſt-beeſten. ſeu vectationem in illis jumentis. האחשתרנים] פרדים א״ל. Quidam dicunt mulos fuiſſe. הרמכים] הן חסוסיות וכן בלשון ישמעאל שרוב מתכונתה כדרך לשון הקדש ובני הסוסיות חזקים מבני האתונות: *Sunt equæ & ſic in lingua Iſmael, quæ plurimum eſt ſecundum modum linguæ ſanctæ: & filii equarum robuſtiores filiis aſinarum.* Verto: *in manu curſorum in equis & vectorum accelerata vectura mulorum equinorum.* Regem Judæis permittere, oppidatim, ut coëant, vitam ſuam defendant, exſcindant, perdant omnem (חיל) exercitum populi ac provinciæ oppugnantium eos, omnis ætatis ac ſexus: & ut eorum ſpolia diriperent, idque uno die in omnibus provinciis Aſſueri nempe decimo tertio menſis duodecimi, quem appellant Adar. Tabellarii iter maturarunt urgente verbo regio. Lex etiam iſta data eſt in arce Suſorum. Mordechæus egreſſus eſt à rege in veſtimento regni תכלת וחור hyacinthino & candido; cum corona (עטרת) aurea ingenti. Tertium ornamentum appellatur תכריך byſſi & purpuræ. De תכריך Abenesdras ואת הלשון ידועה בדברי קדמונינו ז״ל והטעם כאדרת שיעולף בה *Hæc vox nota in verbis antiquorum b. m. & ſenſus ut* אדרת *pallium, quia eo obtegebatur.* Fuit igitur indumentum ſuperius. Arx Suſiana agebat feſtam lætitiam ob multitudinem Judæorum illic commorantium. Erat enim apud Judæos lux & lætitia & gaudium & honor, Suſis & omnibus provinciis, quo regiæ literæ deferebantur. Epulas & feſtos dies agebant. Multi gentilium Judaiſmo ſe dabant ob metum. Grotius: *Græci interpretes hic: περιετέμοντο καὶ ἰουδάϊζον. Sed & hi & Ioſephus à multis extraneis ajunt ſuſceptam circumciſionem, ut ſibi ſecuritatem hoc modo pararent, metuentes & libertatem edicto datam & potentiam Mardochai: quod & quæ in textu ſequuntur verba videntur innuere & quæ legimus infrà IX.* 2. 3. 4. Edicti continentia jus defenſionis & ultionis tribuit.

Cap. 9. Dies ille mutatus eſt: quo inimici ſperaverant ſe in Judæos graſſaturos, Judæi illos mulctavere. Ultimum caput additamentorum ad librum Eſtheræ continet epiſtolam regis, quam & expreſſit Joſephus. Coacti ſunt illo die Judæi in urbibus ſuis omnibusque provinciis Aſſueri, ut ſe inferrent hoſtibus. Nec potuerunt reſiſtere inimici, quia terror ab eis omnes populos occupaverat. Omnes principes provinciarum, ſatrapæ & pachi, quique opus regium faciebant (Vulg. *omnisque dignitas, qui ſingulis locis ac operibus præerant*) Græci confuſe: οἱ ἄρχοντες τῶν σατραπῶν καὶ οἱ τύραννοι καὶ οἱ βασιλικοὶ γραμματεῖς ἐτίμων τοὺς Ἰουδαίους. Joſephus id ſecutus eſt ſed paulò aliter expreſſum: ἄρχοντες τῶν σατραπῶν καὶ οἱ τύραννοι καὶ οἱ βασιλεῖς καὶ γραμματεῖς εἶχον ἐν τιμῇ τοὺς Ἰουδαίους. Hi colebant Judæos. Grotius: *Temporum erant homines, ut ſunt ejus*

generis plerique. Timor enim Mordechæi in eos ceciderat. Hic magnus erat in domo regis & fama ejus cito in omnes provincias pervasit. Grotius: *Non miror. Nihil enim citius cognoscitur, quam quis in aula plurimum valeat. Adeò ad id omnium arrectæ sunt aures.* Potentia Mordechæi incrementis suis altius indies assurgebat. Judæi cum adventu diei dictæ iræ indulgent, nulli inimicorum parcunt, cædunt, trucidant. In arce Susiana cæsi quingenti viri, præterque decem filii Haman, qui nominibus suis exprimuntur: Pharsandatha, Dalphon, Aspatha, Phoratha, Adalia, Aridatha, Pharmastha, Arisai, Aribai, Vaizatha, Manus tamen à spoliis abstinuerunt. Cum hæc res regi innotuisset narrat eam Estheræ: Quingentos Susis in arce occidere cum filiis Hamanis, quantum cæsorum putas esse in universo regno? Quid ultra petis? Quodcunque petieris fiet. Hic Esther: Si placitum regi crastino etiam Judæis Susianis grassari liceat; ut factum hodie: & suspendantur filii Haman in patibulo.

Hoc etiam rex illi annuit: Editum est edictum Susis: suspenduntur filii Hamanis: Judæi Susiani coëunt etiam decimo quarto die Adar, trucidant viros trecentos: sed prædæ manus non injiciunt. Ita Susis actum est: similiter Judæi provinciales coacti ut vitæ suæ quærerent quietem, occiderunt septuaginta quinque millia inimicorum. Hic etiam à præda abstinuerunt. Dies ultionis erat decimus tertius mensis Adar, sequentem feriati sunt & fecerunt diem epularum & gaudii. At Judæi arcis Susianæ die decima tertia & quarta laborarunt in ultione, decimum quintum feriati sunt in epulis & gaudio. Hinc Judæi הפרוזים / in lectione הפרזים in urbibus הפרזים incolentes. Vulgatus οἱ διεσπαρμένοι ἐν πάσῃ χώρᾳ τῇ ἔξω. Vulg. *Hi vero Iudæi, qui in oppidis non muratis ac villis morabantur.* Sic Rasi: שאינה ישבים בערי חומה. Chald. בן יהודאן פצחאי דיתבן בקרוי פצחיא עבדין ית יום זל. *Ita Iudæi pagani, qui habitabant in oppidis pagorum faciunt diem.* Ego intelligo de illis, qui extra metropolim in Susiana habitabant, hos decimum quartum diem festum egisse, epulis, gaudio, missitationibus partium, cum Susiani decimum quintum agerent. Mordechæus composuit historiam harum rerum. Putatur author libri Esther esse, quem scripsit stylo usitato sermonis & locutionis inter gentiles, abstinens consulto Dei expressa mentione. In eo ipsum Dei spiritus gubernavit & liber ad canonem pertinet. Misit etiam ad Judæos literas per omnes provincias Assueri, in proximo & remoto habitantibus, ut annua lætitia memoria celebraretur hujus liberationis biduo, die decimo quarto & decimo quinto mensis Adar. Id ex illius voluntate receptum est ut ad posteros transmitteretur, per familias demosque provincias & oppida. Esther etiam literas scripsit & Mordechæus secunda vice. Estheræ igitur mandato etiam festum illud stabilitum est in perpetuam rei memoriam: quod etiam in acta relatum. Dies isti Purim (פורים) appellantur, quia Persarum sermone sors eo vocabulo dicitur. Haman enim perdendis Judæis sortes jecerat: illud festum in omnem posteritatem valere voluerunt.

Cap. X. Post id tempus Assuerus tributum imponit continenti & insulis. Omnia opera potentiæ illius & virium & explicatio dignitatis Mordechæi, quem rex in sublime extulit, scripta contineri dicit autor libri Esther in Chronicis Mediæ & Persidis. Erat enim Mordechæus secundus à rege & magnus apud Judæos, charus multitudini fratrum suorum: qui populi sui bonum quærebat & loquebatur pro salute & pace sui seminis universi. De isto Mordechæo nihil invenimus in Græcis scriptoribus, qui Xerxis posteriora, consecuta bellum cum Græcis, negligentius & confusius conscripsere.

Exert-

Excerpta è Thargum Esther.

1. CHaldæus ille scribit in diebus Assueri impeditum fuisse templi opus, ex consilio impiæ Vasthis, filiæ Evilmerodach filii Nabuchodonosor. Propter hoc consilium decretum esse ut interimeretur nuda (ערטילתא) at Assueri dies esse abbreviatos, divisum esse regnum, ut non omnes populi ei essent subjecti. Cum autem coram Domino esset certum, fore ut Vasthi interficeretur & rex Estheram duceret, quæ erat de filiabus Saræ (vixerat Sara, 127. annis) vita illi prorogata est & imperium datum centum viginti septem provinciarum.

2. Thosiphtha nugatur de vocibus initialibus ויהי בימי. Nugatur de solio, cui insedisse memoratur Assuerus: illud fuisse bienno fabricatum, anno tertio regem insedisse & fecisse convivium magnum. Nugatur de solio Salomonis, quod sublatum à Sisac, à Senacheribo ex Ægypto in Assyriam deportatum, relatum ab Ezecia Hierosolymam: inde per Pharaonem claudum rursum in Ægyptum, ex Ægypto in Babel per Nabuchodonosorum, è Babel in Elam per Cyrum translatum: Cum illi insidere non posset Assuerus per artifices ex Alexandria aliud factum esse.

3. Rebellione sedata & victoria potitum Assuerum fecisse hoc convivium. Opulentiam ostendisse, quia opes relictæ à Dario Medo: item quia invenerat Cyrus, Babylonem exscindens, in ripa Eufratis sexcentas & octoginta arcas plenas auro & gemmis: de arboribus horti ad atrium nugatur fuisse feraces fructuum & aromatum & obductas auro & argento &c.

4. Preces & jejunium Mordechæi septiduanum penetrasse ad Deum, qui immiserit spiritum conturbationis &c. Piget taderque nugarum.

5. A rege præceptum ut Vasthi adduceretur nuda, quia coëgerat filias Israel servire nudas & excutere lanam & linum in sabbatho. At cum corona, quia Nabuchadnessar Danielem purpura induerat.

6. Cognoscentes tempora interpretatur de filiis Issachar & nugatur suo more.

7. Simei illum, è quo Mordechai & Esther, putat illum fuisse, qui olim maledixit Davidi. Et illi parsum donec generare poterat quia Mordechai & Esther ex eo prodituri. Mordechæum cum Jechonia abductum Babylona, cum Cyro postquam Babylonem ceperat, Susa abiisse. Esther septuaginta quinque annis se abscondisse ne à viro conspiceretur. Septem ancillarum ministrantium in gynæcone nomina & officia describit. Nihil enim fabulantibus ignotum.

8. Eunuchos, qui regi insidiabatur, timuisse ut Mordechæus, se abdicatis, suo loco constitueretur: Ideò cædem regis cogitasse. Mordechæum eorum consilium intellexisse, quia septuaginta linguas calleret.

9. Hamanem Amalecitam de Susan Hierosolyma descendisse, ut opus templi impediret. Ideò exaltatum ut gravius rueret. Statuam (אנדרטא) in veste ejus adorasse servos regios. Argentum quod regi promisit, fuisse minarum sexaginta myriadas, quanto numero Israëlitæ ex Ægypto exierant.

10. Mordechæum per Eliam cognovisse, quæ in cælo decreta de perdendis Judæis, quod voluptatem cepissent in convivio Assueri: & Dei nomine suggessisse ut oraret pro populo.

11. Hathac, qui inter Esther & Mordechæum commeabat, ab Haman esse occisum, sed Gabrielem & Michaelem angelos verba Mordechæi ultima detulisse,

12. Meritum patrum semper crepat.

13. Tertio die Paschatis Esther ad regem introjisse, orasse in atrio. Preces fingit nugacissimas.

14. Regem dimidium regni obtulisse tantummodo non largiturum se ut domus Dei instauretur, quia id non fore promisisset juramento Gosem Arabi & Sanaballato Horonitæ & Tobiæ Ammonitæ.

15. Hamanem vidisse Mordechæum & pueros ejus operam dantes legi in Sanhedrin quod fecerat eis Esther in porta regis. Hic Mordechæus non tremuit ab eo neque assurrexit statuæ sed ostendit syngrapham emptionis, qua venditus fuerat illi frusto panis, inscriptam laminæ, quæ illi erat è regione genu. Zeres uxorem Hamanis fuisse filiam Thathnæi ducis transfluvialis. Hamanem habuisse filios ducentos & octo præter decem, belli duces qui erant, & præter Sammosæum, regi ab epistolis.

16. Deliberatio de insidiis in Mordechæum frivola & nugax, qua ambigunt, quo genere mortis tollendus esset.

17. De Insomnia regis nugatur, fuisse illam noctem, qua Sara assumpta est in domum Abimelech; qua interfecta sunt omnia primogenita Ægyptiorum; qua revelatæ visiones & prophetiæ; qua Israëlitæ planxerunt &c.

18. Mordechæi habitum & incessum in cap. IX. describit: Mordechæus exiit è conspectu regis in veste regia] *Gaudens & pulchre se habens præ honore amplo & dignitate eximia, amictus vestitu regio, melotino* (מילא) *carbasino & hyacinthino: cum catena ex auro optimo ophir, cui insiti erant uniones & lapides pretiosi, intra Chlamydem indutus monili ex thalassio maris occidentalis: cui subjecta vestis erat tunica purpurea depictas habens omnis generis alites & volucres cæli: quæ quidem tunica constitit quadringentis & viginti talentis auri: baltheo etiam præcinctus erat lumbos, cui per longitudinem inserti erant, lapides berylli* (אבני בורלא) *soccis Persicis indutus pedes* (מוקי פרתיאין) *indutus Macedonico auro* (במוקרונין דדהבא) *& fibulatis Smaragdis: & acinace* (ספסרא מדאה) *Medo pendente à latere ejus appenso* (בחולת חולית דדהבא) *ex catena vertebrarum auri cui insculpta erat civitas Ierusalem, in capulo vero acinacis depicta erat fortuna urbis* (גרא דמחווא) *galea Medica imposita capiti illius variis picta coloribus, supra quam facta erat corona magna auri Macedonici & supra coronam phylacteria infixa auro; ut scirent omnes populi, gentes ac linguæ; ipsum Mordechai esse Iudæum, ad implendum scripturam illam, ubi scribitur:* Videbuntque omnes terrarum populi, quod nomen Domini invocatum sit super te. *Cumque prodiret Mordechai de porta regia, plateæ myrto strata fuerunt atrium vero purpura extensa ad umbram funibus byssi; pueris redimitis capita coronis & sacerdotibus tenentibus manibus suis tubas & præconio dicentibus:* Quisquis non venerit ad pacem faciendam, cum Mordechai & Judæis, in frusta discerpetur, & domus ejus in sterquilinium redigetur. *Etiam decem filii Haman elatis manibus iverunt & locuti sunt ante Mordechai justum dicentes: Qui dat præmium Iudæis, reddit etiam mercedem impiorum in capita sua & iste Haman pater noster stultus erat, qui fiduciam haberet in divitiis & honore suo, Mordechai humilis fregit eum jejunio & precibus. Et Esther justa prospexit ex fenestra, cum non liceret reginæ incedere inter homines in plateis. Vertitque Mordechai oculos suos & visa illa dixit:* Benedictus Dominus, qui non dedit me prædam dentibus eorum. *Respondit Esther ac dixit ei:* Auxilium meum est à Domino, qui fecit cælum & terram.

19. Gentiles illos, quo Judæi Susis & per provincias occiderunt, vult fuisse de prosapia Amalec.

20. Ordinem & modum suspendii Haman & filiorum curiose pingit.

21. Scribit ſanctum eſſe ut diebus illis feſtis legerent volumen juxta ſcripturam characteris Hebræorum, ית מגלתא חשם עבראי כבית כנשתהון. Exiſtimo id velle, quod litera Samaritana in ſynagogis volumen Eſther lectum fuerit.

22. Cap. VIII. 9. אחשדרפנים והפחות ושרי המדינות reddidit, אסטרטילוסין והפרכין ורברבים quaſi copiarum duces notentur duabus primis vocibus.

Apocrypha alia.

IOſephus non benè intellexit mentem cap. IX. v. 15. 16. 17. 18. 19. Confundit einm primam feriationem cum poſteritatis feſto. Feſti apud poſteros fuere dies illi, in quibus ultio patrata eſt, ſed prima celebratio ſequentes feriatos habuit: ſic Joſephus biduum tribuit feſto: hodie adhuc decimus quartus & decimus quintus Adar celebrantur. Thargum quatuor dies id eſt & ultionis & feriationis dies vult dicatos eſſe feſto. Ita ipſi Judæi variant.

Seder olam Zuta ita digerit annos:

Joakim anno tertio regni Nabuchodonoſor, tranſlatus Babylona, obiit in carcere.

Jojachin tribus menſibus & decem diebus. Pontifex Saræas, propheta Jeremias.

Zedecias annos Undecim.

Anno quinto regni ejus venit exercitus Babel: Hieroſolyma in obſidione uſque ad annum undecimum.

Tum Jechonias fuit ſolus ſuper hos de domo David. Hic genuit Salathiel, Malchiram, Phadæam, Gamariam.

Nabuchodonoſor regnavit ann. 37. poſt captivitatem Iechoniæ.

Succedit Evilmerodach, qui ſublimat Jechoniam. Salathiel filius Jojachin, tertio anno Balſaſari mortuus eſt.

Stetit poſt eum Zorobabel filius ejus anno 52. deſolationis templi qui eſt 70. regni Babylonici. Regnavit Darius Medus & exſtinctum eſt regnum Chaldæorum.

Stetit Aſſuerus & impedivit opus ſanctuarii & conatus eſt exſtirpare Iſrael, ſed Dominus ſanctus & benedictus exſtirpavit eum & Haman impium illum de ſeculo.

Anno decimo octavo Medorum, qui eſt annus ſeptuageſimus devaſtationis templi: aſcendit Eſdras ſcriba in Jeruſalem, & alia captivitas cum eo: ædificavitque murum Jeruſalem & inſtaurata domo ſanctuarii rediit Zorobabel in Babel: mortuusque eſt ibi.

Et ſtetit pro eo Moſollam filius ejus. In illius diebus floruit regnum Græciæ anno ſcilicet quinquageſimo ſecundo regni Medorum & Perſarum. Et mortui ſunt, Haggæus, Zacharias & Malachias. Eo tempore ceſſavit prophetia ab Iſraël. Ipſe eſt annus Mundi ter milleſimus quadringenteſimus quartus. Hinc & ultra arrige aurem tuam & audi verba ſapientum.

Mirare ἀνιστορησίαν & profundam temporum ignorantiam. Quam oportet errare, qui hos ſequuntur ductores!

Judæorum communis ſententia eſt Cyrum regnaſſe triennio, quia tertium annum in Daniele inveniunt: tum Aſſuerum eſſe illum Artaxerxen, qui impediit opus templi. Aſſuerum eſſe Artaxerxen ſecundum putat Joſephus.

Apocrypha additamenta ad librum Eſther à Judæis Græcienſibus multa profecta ſunt: quæ Bibliis Alexandrinis cum progreſſu temporis adjecta. Ita cap. XI. Ἔτους τετάρτου βασιλεύοντος Πτολεμαίου καὶ Κλεοπάτρας, εἰσήνεγκε Δοσίθεος, ὃς ἔφη εἶναι ἱερεὺς καὶ Λευίτης, καὶ Πτολεμαῖος, ὁ υἱὸς αὐτοῦ, τὴν προκειμένην ἐπιστολὴν τῶν Φρουραὶ

(leg.

(leg. Φρουραί) ἣν ἔφασαν εἶναι καὶ ἡρμηνευκέναι Λυσίμαχον Πτολεμαίου τὸν ἐν Ἱερουσαλήμ. Dositheus & filius ejus Ptolemæus epistolam illam attulerunt regnantibus Ptolemæo & Cleopatra. Somnium illud & preces Estheræ ac Mordechæi, item epistola Artaxerxis, tam ab Haman, (cap. 3.) quam à Mordechæo (cap. 8.) non habentur in Hebræo, agnoscuntur à Josepho. Somnium acceptum est à Dositheo & Ptolemæo, nisi versus ille primus per se stet & potius suo loco mota sit epigraphe pertinens ad secundam epistolam Artaxerxis quæ est in capite octavo. Nam in quibusdam editionibus habentur illa verba in fine capitis ultimi, ut in Origenica, quam publicavit Cl. Usserius. Sane cum ultimo loco ponatur epistola, epigraphe ista adjectitia, ejus vel capiti præponi vel fini adjici debet. Non est à Lxx. interpretibus seu prima editione bibliorum Græcorum. Publicatio igitur istius epistolæ facta sub Ptolemæo Lathuro vel ultimo. Nam uterque cum Cleopatra regnavit, prior cum matre, posterior cum sorore. Ego malim de posteriori accipere: quia invenio Dositheum apud Josephum lib. 15. antiq. qui cum amicus esset Hyrcani eum & Alexandram prodidit Herodi. Sic alius alia adjecit Græcis illis bibliis, quæ vulgò habebantur.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI SECUNDI

Caput XV.

ARtaxerxes regnavit annos duos & sexaginta eidemque Ochus successit. Huic rerum ordini rectè Iudith actus conferam. Traditur enim, post captivitatem fuisse: sed quis eo tempore Persis regnaverit, historia divina non edidit, regem tamen, sub quo illa gesta sint, Nabuchodonosor nuncupat, non utique eum qui Hierosolymam ceperit. Sed nullum hoc nomine post captivitatem apud Persas regnasse reperio, nisi si ob impatientiam & pariles conatus quicum ille rex Nabuchodonosor à Iudæis vocitatus est. Plerique tamen Cambysen, Cyri regis filium, putant esse: quod victor Ægyptum atque Æthiopiam penetraverit. Sed huic opinioni sacra historia repugnat: nam duodecimo regis illius anno Iudith fuisse signatur. Porro, Cambyses non ultra novem annos rerum potitus est. Unde si in historia opinari licet, sub Ocho rege qui post Artaxerxen secundum fuit, hæc gesta crediderim: idque vel ex hoc conjicio, quod idem Ochus (ut in secularibus quibusdam scriptis legi) natura immitis, cupidusque bellorum traditur. Nam & arma finitimis intulit, & Ægyptum,

que

quæ ante multos annos deſciverat, bello recuperavit. Quo tempore etiam ſacra eorum & Apim in Deum receptum, irriſiſſe traditur: quod poſtea Baguas, ſpado ejus, natione Ægyptius indignatus, contumeliam gentis morte regis ultus eſt. Meminit autem hujus Baguæ hiſtoria divina. Nam cum Holofernes juſſu regis adverſus Iudæos duxerat exercitum, Baguam in iiſdem caſtris fuiſſe memoravit. Unde non immerito in argumentum noſtræ opinionis adduxerim, ut rex ille Nabuchodonoſor nuncupatus, Ochus fuerit, ſub quo Baguam fuiſſe mundiales hiſtorici prodiderunt. Ceterum illud nemini mirum eſſe oportebit, quod ſcriptores ſecularium literarum, nihil ex his quæ ſacris voluminibus ſcripta ſunt, attigerunt: Dei Spiritu prævalente, ut intaminata ab ore corrupto, & falſis vera miſcente, intra ſua tantum myſteria contineretur hiſtoria, quæ ſeparata à mundi negociis, & ſacris tantum vocibus proferenda, permiſceri cum aliis velut æquali ſorte non debuit. Etenim erat indigniſſimum, ut alia agentibus, aut alia quærentibus, hæc quoque cum reliquis miſcerentur. Sed pergam ad cætera, ac per Iudith geſta, ut potero, paucis abſolvam. Igitur reverſis, ut ſupra memoravimus, in ſolum patrium Iudæis, necdum compoſito rerum aut urbis ſtatu, rex Perſarum Medis bellum infert, atque adverſus regem eorum Arphaxat nomine, acie confligit, ſecundo eventu. Perempto rege gentem imperio adjungit. Idem reliquis nationibus facit, præmiſſo Holoferne, quem principem militiæ delegerat, cum millibus peditum centum & viginti, equitum duodecim. Is Cilicia & Arabia bello vaſtatis, multas urbes aut vi capit, aut metu in deditionem compellit. Iamque Damaſcum admotis exercitus, magno Iudæos terrore perculerat. Sed impares ad reſiſtendum, neque ad deditionem acquieſcentibus animis, expertis quippe uſque ante captivitatis mala, ad templum frequentes concurrunt. Ibi communi gemitu permiſtoque ululatu, divinum auxilium implorant: ſatis ſe Domino ob peccata vel crimina dediſſe pœnarum: reliquis ſaltem ſervitio nuper exemptis, parceret. Interea Holofernes Moabitis in deditionem acceptis, atque adverſum Iudæos in ſocietatem belli aſſumptis, quum ab eorum principibus inquireret, quibusnam viribus freti Hebræi, deditioni animos non dediſſent, Accitor quidam comperta ediſſerit, Iudæos Dei cultores, pio à patribus ritu inſtitutos, olim in Ægypto pependiſſe ſervitium: inde divino munere eductos, ac ſiccatum mare pedibus emenſos: poſtremò, omnibus gentibus devictis, habitatas majoribus terras recepiſſe. Exin, vario rerum ſtatu floruiſſe, aut concidiſſe, atque iterum malis emerſiſſe: ſecundum merita, iratum ac placatum Deum viciſſitudine expertos, dum peccantes incurſionibus hoſtium aut captivitatibus coërcentur, propitio numine ſemper invicti. Ceterum, ſi præſenti tempore abſque peccato ſint, nullo modo eos poſſe ſuperari: ſin aliter ſe habeant, facile vincendos. Ad hæc Holofernes ferox multis victoriis, nihil ſibi invictum ratus, ira accenſus, cur ex peccato potiſſi-

potissimum Judæorum pendere illius victoria putaretur, propelli Accitor in castra Judæorum jubet, ut cum his periret, quos vinci non posse affirmaverat. At tum Judæi montes petierant. Ita quibus id negocii datum, ima montium succedere, ibique vinctum Accitor reliquerunt. Quod ubi Iudæi animadverterunt, exemptum vinculis in collem perduxerunt. Causas rei quærentibus, gesta exponit, receptusque parem exitum operiebatur. Is post victoriam circumcisus Iudæus factus est. Igitur Holofernes difficultate locorum comperta, quia adiri præcelsa non poterant, montes militibus circundat, & summa cura Hebreos aquationibus probibet: eoque maturius obsidionem sensere. Itaque victi penuria aquæ, ad Oziam principem concurrunt, proni omnes ad deditionem. Ille verò operiendum paulisper, & divinum auxilium exspectandum, respondens, quintodecimo die deditionis tempus constituit. Quod ubi Iudith compertum, quæ viro vidua, prædives opibus, insignis specie, sed moribus quam vultu illustrior, tum in castris erat, arctis suorum rebus, etiam certo sibi exitio audendum aliquid & tentandum rata, caput comit, vultu expolitur, comite ancilla castra hostium ingreditur. Statimque ad Holofernem deducta, perditas res suorum memorat, se transfugio vitæ consuluisse. Deinde à duce poscit liberum extra castra nocturno tempore egressum, orandi gratia, mandatum id vigilibus, portarumque custodibus. Sed ubi per triduum egrediendi ac redeundi consuetudinem sibi, barbaris fidem fecit, Holofernem cupido incessit, dediticiæ corpore abuti. Etenim forma excellenti, Persam facile permoverat. Ita ad ducis tentorium per Baguam eunuchum deducunt, initioque convivii, barbarus multo se vino obruit. Tum remotis ministris priusquam vim mulieri inferret, somno captus est. Iudith tempore arrepto, caput hostis desecat secumque aufert. Et cum secundum consuetudinem castris egredi crederetur, incolumis ad suos regressa est. Postero die Hebræi caput Holofernis de superioribus ostentantes, eruptione facta, ad castra hostium pergunt. Tum verò barbari signum pugnæ poscentes, tabernaculum ducis frequentes assistunt. Ubi truncum corpus repertum fœda formidine in fugam versi terga hostibus præbuerunt. Judæi fugientes persecuti, cæsisque multis millibus, castris ac præda potiti. Judith summis laudibus celebrata centum & quinque annos vixisse traditur. Hæc Ocho rege, ut opinamur, gesta sunt, anno imperii ejus duodecimo. A tempore Hierosolymæ restitutæ, usque in id bellum fuerunt anni duo & viginti. Ceterum Ochus viginti & tres annos regnavit. Fuit autem ultra omnes cruentus, & plusquam barbaro animo. Hunc Bagua spado ægrotantem venenis sustulit. Post eum Arxes, filius ejus triennio imperium tenuit. Darius annos quatuor.

DRUSIUS.

ANNOS DUOS ET SEXAGINTA] In hunc numerum consentit Plutarchus Artoxerxe. Eusebius ei tribuit annos quadraginta tantum, unde suspicatur Sigonius Sulpicium edidisse *duos & quadraginta*, errore ut sit ex numeris orto XLII. & LXII. sed falli eum ac decipi opinione liquet ex cap. 13. Vide quæ notavimus ad illud caput.

OGHUS] Qui & Artaxerxes: Eusebius in Chronicis, Ælianus de varia historia lib. 6. cap. 8. Hic plurimos Judæorum in Hyrcaniam ad mare Caspium deportavit, ubi etiamnum habitare creduntur: atque inde aliquando erupturas opinio est. Orosius lib. 3. cap. 7.

JUDITH ACTUS CONFERAM] Legendum *conseram*. cap. 18. *ut temporum ordo consertus sit.* Idem Epistola secunda, *ut est consertus, Apostolis & Prophetis*, & Dialog. 1. segm. 1. *Neque gravabor quamlibet conserte vobiscum, ut poscitis, fabulari.*

TRADITUR ENIM POST CAPTIVITATEM FUISSE] Judith. 5. 23. *Nuper autem reversi in Dominum Deum suum, ex dispersione, qua dispersi fuerant, adunati sunt.* &c. Paullò ante in editione Græca fit mentio templi destructi, his verbis, *καὶ ὁ ναὸς τοῦ θεοῦ αὐτῶν ἐγενήθη εἰς ἔδαφος.* Unde convinci erroris possunt, qui sentiunt hanc historiam accidisse sub Manasse rege Juda, cum Diocles, qui Ecbatana ædificavit, Mediæ imperaret. Vide Bellarminum de verbo Dei, l. 1. cap. 12.

NISI OB IMPATIENTIAM ET PARILES CONATUS QUICUM ILLE REX] Autore Sigonio legendum, *nisi si ob impotentiam & pares conatus, quicunque ille rex fuerit, Nabuchodonosor &c.* Sed vide sodes, Victorem Giselinum.

PARILES CONATUS] Id est, similes. Usus est hac voce Dialogo tertio seg. 10. *Visam, certum est, parilem quodammodo columnam ruere de cœlo.* Frustra igitur Sigonius reponit *pares* licet hoc magis usitatum sit.

PLERIQUE TAMEN CAMBYSEM, CYRI REGIS FILIUM, PUTANT ESSE] In queis Eusebius. Vide Chronicon ejus. Sed & venerabilis Beda de temporibus, ita scribit, *Cambyses Cyri majoris Filius ab Ebræis secundus Nebuchodonosor vocatur, & sub eo continentur quæ de Judith narrantur.* Nec longè abit ab hac sententia B. Augustinus de civit. Dei, lib. 18. c. 29.

SUB OCHO REGE] Hanc opinionem refellit Bellarminus de verbo Dei l. 1. cap. 2. quem locum supra meminimus. Vide, si vacas & si habes. Nam mihi Bellarminus jam non est ad manum.

UT IN SECULARIBUS QUIBUSDAM SCRIPTIS LEGI] Id est, profanis, non sacris. Sic literæ seculares & sacræ opponuntur. Mox ait, *Quod scriptores secularium literarum nihil ex his quæ sacris voluminibus scripta sunt attigerunt*, id est profanarum. *Secularis gloria*, prologo in vitam S. Martini est gloria hujus seculi.

NATURA IMMITIS] Infra, *fuit autem* (Ochus) *ultra omnes cruentus & pluquam barbaro animo.* Nam, ut alia omittam, sororem Ocham, eandemque & socrum, vivam capite defodit: patruum cum centum liberis ac nepotibus telis imperavit transfigi, quod in his maximam apud Persas laudem consistere videret. Ælianus de varia historia lib. 2. c. 17. *Οἱ ἐν πέρσαις μάγοι προεῖπον τὴν τοῦ Ὤχου περὶ τοὺς ὑπηκόους ἀγριότητα καὶ τὸ φονικὸν αὐτοῦ*, &c.

FINITIMIS] Phœnicibus & Judæis.

ÆGYPTUM BELLO RECUPERAVIT] Eusebius in Chronico, *Ochus anno XIV. Ægyptum tenuit, Nectenabo in Æthiopiam pulso, in quo Ægyptiorum regnum destructum est: & mox, anno XVII. Sidonem subvertit, atque Ægyptum suo adjunxit imperio.* Et bene recuperavit. Nam à Persis defecerat, proprio rege ascito.

ET APIM IN DEUM RECEPTUM] Non solum irrisit Apim, sed etiam asino immolavit, cum ipsum Ægyptii pro Ocho Onon id est Asinum appellassent. Ælianus de varia histor. lib. 4. cap. 8.

APIM] Nomen regis quem sub vivi bovis imagine colebant Ægyptii; qui corpore niger, candida fronte, in tergore alba nota insignis, duplicibus pilis in cauda, & lingua canthraro notatus erat. De hoc Deo videndi sunt Herodotus & alii.

BAGOAS SPADO EJUS NATIONE ÆGYPTIUS] Βαγώας ὁ ἐυνοῦχος αὐτοῦ, ἦν Αἰγύπτιος. Ælianus de varia histo. lib. 4. c. 8.

MORTE REGIS ULTUS EST] Infra c. 16. *Hunc Bagao ægrotantem veneno sustulit.* Ælianus loco citato, nisi fallor, *Bagoa non satis fuit occidisse Ochum, sed ex ejus femoribus gladiorum manubria fecit, ut ipsius animum ad cædes propensum demonstraret.* Idem lib. 6. c. 8. *Odio eum habuit, quod Apim in Ægypto trucidarat.*

HISTORIA DIVINA] Sic vocat historiam Judith Apocrypham, sive quod eam pro canonica haberet, sive quod libri apocryphi etiam Divini nuncupantur. Sic enim eos à libris profanis distinguunt. Nam sacrum sive quod idem, Divinum & profanum opponuntur.

HOLOFERNES] Alibi Olofernes. Sic edit. Rom. Legitur & Orofernes, ut κλίβανος & κρίβανος. Nam λ & ρ alternant.

SUB QUO BAGUAM FUISSE] Plures fuerunt hoc nomine. Nam & Alexander quendam Bagoam turpiter adamavit. Sunt qui scribunt in lingua Persicâ spadonem Bagoa dici.

MUNDIALES HISTORICI] Justinus, Ælianus, Plutarchus in Artaxerxe. Cæterum vocabulo *mundialis*, ab ecclesiasticis scriptoribus mutuato, usus est præter alios Prudentius. Latini dicerent profani historici. Nam (seculares) vocabulum etiam Ecclesiasticum est, hoc quidem sensu. Nota mundum aliquando ita dici ut ab Ecclesia separetur: ex quo illud *totus mundus in maligno est*: & *mundus vos odit*: aliquando ipsam Ecclesiam includit, ut cum Christus mortuus esse legitur pro peccatis totius mundi. Priore significatu sumitur paulò post in his verbis, *quæ separata à mundi negotiis & sacris tantum vocibus proferenda*: nam est periphrasis historiæ sacræ. Mundiales ergò historici, qui tractant mundi negotia & non Ecclesiæ.

ILLUD NEMINI MIRUM ESSE OPORTEBIT,] Ptolemæus Philadelphus de Demetrio Phalereo quærens cur nemo historicus aut poëta sacræ legis mentionem fecisset, respondit neminem ausum eam attingere quam constaret divinam esse & omni veneratione dignissimam: & punitos esse quosdam à cœlesti numine, qui eam temere attrectare non essent veriti. Theopompum enim volentem inde quædam suis scriptis inserere, mente motum fuisse diebus triginta, & per intervalla insaniæ precibus Deum placasse, facile conjicientem quæ morbi causa fuerit, atque etiam in somnis admonitum hæc ideo ipsum pati, quod fuisset circa res Divinas curiosior, eaque voluisset proferre profanis hominibus. Quare cum à cœpto destitisset, sanam mentem ei fuisse redditam. Theodectæ etiam poëtæ, cum in quadam Tragœdia vellet aliquid è sacris literis admiscere, oculos glaucomate suffusos caligasse, &, cum erratum agno-

visset,

visset, exorato Deo redditam aciem. Habentur hæc apud Josephum Antiquit. Judaic. lib. 12. cap. 2. circa finem. Quæ Gelenii verbis nunc exhibuimus, cum non vacaret Græcum inspicere textum.

Ac Per Judith Gesta] Sigonius corrigit, *Ac Judith gesta:* vel certè *Atque Judith gesta.* Fateor hoc Latinius & elegantius dici: sed tamen Sulpicii ævo ita loquebantur. Orosius lib. 1. cap. 8. *Hæc idem Moyses plenius veriusque per se suisque gesta, conscripsit.* Idem cap. 12. *quæ per Mosen strenue acta sunt:* & mox, *sicut quæ per eum gesta.*

Rex Persarum Medis Bellum Infert] Quia sub Ocho hæc gesta putavit, ideo eum appellat regem Persarum, qui Judith 1. 5. rex Assyriorum vocatur. Quam multa hanc debilitant opinionem Sulpicii! Primum enim Ochi tempore nullum regnum Assyrium, nullus erat rex Assyriorum. Deinde ut demus Persarum regem ibi regem Assyriorum dici, tamen is non regnabat Ninivæ, quæ regia esse tum diu ante desierat. Postremo bellum eo tempore nullum Medis illatum, cum Persæ & Medi unum regnum haberent. Unde Arphaxad rex Medorum esse non potuit, nisi fortasse regem appellat, qui satrapa duntaxat erat, quem Latini autores regulum vocant. Quod si conceditur, tunc illud mirum belli hujus Medici nullam mentionem fieri apud autores.

Arfaxat] Nomen hoc Ebraicum est scribique debet Arphaxad, cum d. in fine. Sic enim certè scribitur Gen. 10. 22. Nec variat editio nostra vulgata Judith. 1. 1. Græca quoque habet Ἀρφαξὰδ, ut dubitare de verâ scriptura nemo jam debeat.

Acie Confligit Secundo Eventu, Perempto Rege, &c.] Ita distinximus: cum prius legeretur in exemplari, quod secutus sum: *acie confligit: secundo eventu, perempto rege, gentem imperio adjungit.*

Et Arabia] Vide num sit legendum, & *Mesopotamia:* quam bello vastatam narrat historia Judith, 2. 14? Quamvis in eodem capite, καὶ ἦλθεν ἐπὶ ὅρια Ἰάφεθ, τὰ πρὸς νότον, κατὰ πρόσωπον τῆς Ἀραβίας, καὶ ἐκύκλωσε πάντας υἱοὺς Μαδιάμ, &c.

Ad Templum Frequentes Concurrunt] Judith. 4. 2. περὶ Ἱερουσαλὴμ καὶ τοῦ ναοῦ κυρίου θεοῦ αὐτῶν ἐταράχθησαν: & vers. 9. *infantes prostràverunt contrà faciem templi Domini.* Quæ perspicuè convellunt eorum sententiam qui hæc accidisse scribunt sub Cambyse. Nam templum consummatum fuit primum anno sexto Darii Nothi, ut supra demonstratum est.

Jamque Damascum Admotus Exercitus] Judith. 2. 17. *Et post hæc descendit in campos Damasci in diebus messis & succendit omnia sata omnesque arbores & vineas fecit incidi: & cecidit timor illius supra omnes inhabitantes terram.* Verba sunt ex edit: Hieron. Græcè habetur καὶ κατέβη εἰς πεδίον Δαμασκοῦ, &c.

Servitio Nuper Exemptis] Captivitatem Babylonicam intelligit, è qua non ita pridem reversi erant. Paulo ante, *expertis quippe* usque captivitatis mala.

Moabitis] Desideratur, & *Ammonitis*, vel si mavis, *filiisque Ammon.* Nam Achior, de quo mox, dux erat filiorum Ammon.

Accitor Quidam] Achior vocatur Judith. 5. 5. etiam in Græca editione Ἀχιὼρ, ut mirum sit cur ipse Accitor scripserit. An mendum est librariorum?

Dei Cultores] Dei, non Deorum: & Dei veri, quem Deum patrum suorum vocabant, qui sunt Abraham, Isahac & Jacob. Alio sensu Achior dicit, *deserentes itaque cæremonias patrum suorum, quæ in multitudine Deorum erant:* qui se

Mmmmmmm 2 ipsi

ipse explicat cum ait, *populus iste ex progenie Chaldæorum est.* Hic primum in Mesopotamia habitavit, quoniam noluerunt sequi Deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldæorum.

PEPENDISSE SERVITIUM] lib. 1. cap. 41. *captivitatem pependerunt:* & cap. 62. de Jeroboamo servo Salomonis, *aliquamdiu Salomoni servitutem pependerat.*

OMNIBUS GENTIBUS DEVICTIS] Terræ Chanaan, quæ septem erant: unde terra septem gentium. In his præcipui erant Chananæi & Amorræi.

MAJORIBUS] Abrahamo, Isahaco & Jacobo; quos supra patres appellavit.

VARIO RERUM STATU FLORUISSE] sub Judicibus.

SECUNDUM MERITA] id est, facta eorum bona vel mala.

IN CASTRA HEBRÆORUM] Si castra erant, ea erant Bethuliæ in ipsa urbe. Bethuliam autem putarim esse, quæ in libris canonicis Bethel dicitur. Quod tamen dubitans pono, non adfirmo.

VINCTUM] Ad Arborem.

IN COLLEM PERDUCUNT] Bethuliam, quæ in colle vel potius in monte sita. Nam collis humilior & depressior est, quam mons.

PAREM EXITUM OPPERIEBATUR] Exspectabat parem exitum cum Judæis Bethuliensibus.

JUDÆUS FACTUS EST] Proselytus factus est. Tales etiam Iudæos vocabant unde verbum מתיהדים Iudaizabant, id est sacra Iudæorum suscipiebant. Interdum qui proselytus evaserat, dicebatur proselytus justitiæ. Nam proselyti nomen in lingua Græca quemlibet advenam denotat. Sic etiam גר in lingua Mosis.

MONTES MILITIBUS CIRCUMDAT] Quibus cincta erat Bethulia. Sic de Ierosolyma legimus, *montes circum eam.* Nam pars Iudææ montosa erat: quæ ideo montana sive montes Iudææ vocatur. In hac Bethulia erat.

AQUATIONIBUS PROHIBET] Nam incidi curavit aquæductum eorum: tum etiam custodes posuit fontium, ne haurirent aquam ex eis.

AD OZIAM] Michæ filium ex tribu Simeonis. Iudith 7. 12.

QUINTODECIMO DIE] Quærendum unde hoc habeat. Nam Iudith 7. 24. quinto die. Etiam in Græco πέντε legitur. Forte initio scripserat, *Quinto demum die.*

VIRO VIDUA] Virum habuerat nomine Manassem, qui genus suum referebat ad Simeonem patriarcham. Vidua vero manserat domi suæ tres annos & quatuor menses, vel sequendo Hieronymum, sex menses, Iudith 8. 3.

TUM IN CASTRIS ERAT] Bethuliæ ubi erant castra Ebræorum. Supra, *propelli Accitor in castra Ebræorum jubet.*

COMITE ANOFELA] Judith 10. 2. *vocavit abram suam,* id est, ancillam, famulam. Propriè ita vocantur ancillæ honestiores. Legitur hæc vox ἄβρα sive ἅβρα (nam anceps scriptura) Gen. 24. in editione τ̃ ἑβδομήκοντα: item Exod. 2. *αἱ ἅβραι αὐτῆς*, id est, ancillæ ipsius.

ABUTI] Malim, *abutendi.*

PERSAM FACILE PERMOVERAT] Id est, Holofernum, quem Persam appellat eo modo quo supra Nabuchodonosorum Persarum regem esse dixit.

PER BAGUAM EUNUCHUM DEDUCUNT] Est cur malim, *deducitur.* Baguam autem interpres noster vulgatus Vagao nominat. Hujus meminit

minit vir doctus per hæc verba: *Fuit litteris* proditum reges Persarum, qui spadones in regnum asciti fuere, Bagoas nuncupare.

MULTO SE VINO OBRUIT] Tantum vini hausit, quantum nunquam per totam vitam uno die hauserat.

CAPUT HOSTIS DESECAT] Pugione sive acinace ipsius Holofernis, qui ad columellam lecti pendebat.

DE SUPERIORIBUS] De pinnis murorum.

TABERNACULUM DUCIS FREQUENTES ASSISTUNT] Nemo audebat cubiculum pulsare, aut introeundi excitandive causa fores aperire. Tandem accedens Bagoas, tabernaculi atrium pulsat, suspicatus eum cum Iuditha dormire. Sed cum nullum jacentis motum auribus perciperet, ingressus cubiculum propius ad lectum accedit, subductaque cortina deprehendit eum in lecto jacentem truncum sine capite.

CASTRIS AC PRÆDA POTITI] Subint. *sunt*. Quod verbum in hac historia quandoque desideratur. Post hæc poni velim non comma, sed punctum.

CENTUM ET QUINQUE ANNOS VIXISSE TRADITUR] Judith 16. 28.

ANNO IMPERII EJUS DUODECIMO] Decimo tertio Judith, 2. 1.

A TEMPORE HIEROSOLYMÆ RESTITUTÆ USQUE IN ID BELLUM FUERUNT ANNI DUO ET VIGINTI] Imò duo & quadraginta. Nam Jerosolyma restituta anno Artaxerxis XXXII. lib. II. cap. 13. qui regnavit annos LXII. lib. II. cap. 15. Adde duodecim Ochi faciunt XLII. Sciendum ubi vulgo LXII. Sigonium legere XLII. Si recte tum nihil mutandum. Nam X. Artaxerxis & XII. Ochi simul efficiunt XXII. Nihil verius.

VIGINTI ET TRES] Et sex Eusebius. Funccius.

FUIT AUTEM ULTRA OMNES CRUENTUS] Plutarchus in Artoxerxe, *Ochus sævitia & crudelitate omnes superavit*. Justinus lib. 10. *hæreditas* regni Ocho tradita, qui timens parem conjurationem, regnum cognatorum cæde & strage principum replet, nulla non sanguinis, non sexus, non ætatis misericordia permotus.

ULTRA OMNES] supra omnes.

ARXES) Arses Ochi F. Eusebio.

TRIENNIO) Quadriennio. Eusebius, alii.

DARIUS) Ultimus, Arsami F. qui Codomannus. Est autem Arsami obliquum à recto Arsames. Sic Ulyssi dicimus à recto Ulysses. Quidam Arsanes scribunt per N. Ceterum *Arsami* F. obvium in Eusebio, ut Codomannus vel magis Codomanus in Justino historico. Sic nominabatur antequam regnum adeptus esset. Vide Justinum lib. 10. Ex privata enim fortunâ (fuerat enim ἀγγάνδης sive ἀσκάνδης, id est, ἡμεροδρόμος, ut interpretatur Hesychius) ad regnum pervenit, Darii nomine, nequid regiæ majestati deesset, honoratus. Siquidem in more positum erat olim, ut ad imperium accedentes reges nomina mutarent. Regnum autem consecutus fuit beneficio Bagoæ eunuchi. Quod sign. Alexander apud Curtium per hæc verba: *Ne Darius quidem Persarum accepit imperium, sed in sedem Cyri beneficio Bagoæ castrati hominis admissus.*

ANNO QUATUOR) Sex Eusebius & alii. Cum Sulpicio facit Iustinus, qui scribit Alexandrum Asiæ imperium rapuisse quinto post acceptum regnum anno. Quintus autem Alexandri incidit in quartum Darii Codomanni.

SCHOTANUS.

HIstoriam Iudith canonicæ scripturæ partem non esse probamus. I. Ignota fuit veteri Ecclesiæ, ideò in canonis partem non est concredita. Nemo pro ea habuit. II. Continet pugnantia cum analogia fidei & indubitato canone. Nam laudatur factum filiorum Iacob, qui Sichemienses occiderunt; & nominatim Mendacium laudatur & fraus &c. III. Ἀναχρονισμὸς est summa & pugna cum veritate historiæ. IV. Ipse autor profiteri videtur se fabulam in laudem Iudaicæ gentis & fortitudinus fœmineæ scribere, cum illam suam gloriosam fœminam appellat יהודית Iudæam: ut qui proposuisset mulieris vere Iudææ & Iudaico nomine dignæ exemplar depingere.

Ignotam fuisse veteri Iudæorum ecclesiæ inde etiam patet, quod Iosephus, qui apocrypha quoque secutus fuit, hanc tamen historiam non inseruerit suæ compositioni. Si fuisset inserta tempore Iosephi bibliis Græcis, ejus sine dubio meminisset.

Ἀναχρονισμὸν & pugnam cum vera historia ostendit. I. quod Arphaxad (hic Arbaces est apud seculares scriptores) victum esse dicat à Nabuchadnessaro: & eo cæso imperium Medicum esse destructum. Nam Arphaxad Assyriorum victor domitorque regnum Medorum fundavit. II. Nabuchodonosor nullus fuit Assyriorum rex. Notum est Babylone regnasse illum potentissimum Monarchen. III. Nabuchadnessarus nullus fuit post reditum Judæorum è Babylonica captivitate. IV. Non succubuit ullus Nabuchodonosor à Judæis, quia verus ille (qui unicus) eorum gloriosissimus fuit ultor. V. Persæ dominati sunt Judæis, sub quorum jugo vixerunt à Cyro usque ad casum Darii Codomanni. Hic nobis liberam pingit remp. nulli externo subjectam. Ut hujus historiæ veritatem Patres & Pontificii tueantur, in omnes se vertunt formas. Sulpicius ad Ochum refert Persarum regem. Sed quis ille Ochus est, qui Arbacem vicit: aut quod fuit, Ocho regnante, imperium Medorum. Deinde Judith libri autor, describit nobis regem Nini, non Persidis. Ad Cambysen refert Eusebius, quem Augustinus, Beda, Harm. Contractus & alii sequuntur. Alii ad alium Persarum regem confugiunt. Multi etiam retrò pedem referunt ad tempus ante captivitatem. De quibus Salianus: *Posteriorum* (alterius sententiæ) *classem constituunt: Genebrardus, qui ad Sedeciam Iudithum pertinere putat propter Nabuchodonosorem. Iohannes Benedictus, Sebastianus Verronius Codomanus & Zieglerus ad Iosiam. Canus & Carion ante captivitatem quidem floruisse dicunt sed tempus distinctius nullum ponunt. At qui hanc quæstionem accuratius expenderunt, Iudithæ & Holofernis historiam ad Manassis regnum retulerunt. In his Robertus Bellarminus lib. 1. de verbo Dei, cap. 12. & in ejusdem loci defensione Gretserus. Pererius lib. 2. in Danielem, Serarius in cap. 1. Iudith. Turcellinus in sua chronologia qu. ult. Sicut & Gordonus. Alphonsus Salmeron in ep. 2. ad Cardin. Hosium. Idem sentiunt è sectariis (nam plerique tacere maluerunt) Iunius & Tremellius, in notis in hunc locum. Vitacherus contra Bellarminum hanc sententiam cæteris probabiliorem putat.* Hi vident non posse Assyrium aut Babylonium imperium probabiliter fingi nisi ante captivitatem: sed ipse autor libri & hujus fabulæ huic probabilitati obstat. Nam expresse dicit evenisse post reditum è captivitate cap. V. v. 21. 22. Ioacimum pontificem toti populo præfuisse scribit sine ullo rege proprio aut regio satrapa. Ioacimus ille fuit post Iesum filium Iosedec circa primos annos Artaxerxis Memoris. Qui igitur historiam Iudith condemnare ausi non fuerunt ob sententiam, quæ vulgata erat per

Eccle-

Ecclesiam, illi maluerunt tacere de definitione temporis, cum nullum probabile posset determinari. Iunii notæ in hunc modum se habent: *Historiam hanc quam varie interpretentur, quicunque eam attigerunt, nihil attinet dicere, tantum tres sententias in hunc locum afferre statuimus paucis & quid magis probemus ostendere. Ac veterum quidem sententia fuit teste Augustino, lib. 18. de civit. Dei, cap. 26. hoc ad historiam Cambysis, filii Cyri, Persarum regis pertinere: Arphaxadum verò esse Arbactum quendam quo autore (quum Cyri apud Massagetas clades audita est) Medi in regem Persarum rebellaverint: quam sententiam ex Hebræorum testimoniis confirmare volebat Beza, eò quod Cambysen Hebræi Nebucadnesarem alterum vocaverint: sed neque tam diu regnavit Cambyses, ut hic dicitur* (v. 1.) & *infra* (v. 21.) *neque rex Assyriorum diceretur. Altera sententia* est eorum, qui Philonem (Annianum) sequuti, Dario Hystaspis filio ista tribuerunt: sed ne hæc quidem probatur nobis, quia illud historiæ sacræ planè repugnat & præterea Ninevem longo antea tempore ab Astyage eversam fuisse confitentur historici. Quamobrem nos sententiam aliam magis amplectimur, nempe, cum Nebucadnesar commune sit regum Babyloniorum nomen, *Nebucadnesarem hic eum appellari, quem scriptura vocat Merodach-Baladanem, avum Nebuchadnesaris illius, qui fuit magni Nebucadnesaris pater, per quem Manasses rex Judææ captus in Babyloniam deportatus, ut postremò vinculis solutus est. Is enim rex Babyloniæ primum, postea verò toto Assyriæ quoque effectus est, succedens in regnum Esarhaddoni magno, quum fratres illius parricidæ regno indigni haberentur: unde tota Asia eidem bellis exarsit ditissima.* Si vir summus Ptolemæi canonem, si Herodoti historiam, si fragmenta Berosi & aliorum veterum consuluisset, non admisisset istam sententiam. Deinde non convenit cum ipso argumento historiæ Iudith. Duæ sententiæ, quarum altera anticipat captivitatem, alia à tergo relinquit, se invicem evertunt, alterius altera argumentis irrefutabilibus cadit. ἀνεπίγραφος, ἀχρονολόγητος nugator est, cujus nugas siquis cum veritate velit componere & conciliare, cum ratione insaniat. Nos omissa fabula sequamur ductum veræ historiæ, quam Josephus habet post Artaxerxen secundum. Eliasibo successit Jojadas (Judas) in pontificatu. Judæ successit Johannes (Jonathan) Hic sub Artaxerxe (Ocho) sceleribus suis Bagoam ducem copiarum Persicarum irritavit. Ochus ille (ut rem paulo altius repetamus) crudelitate sua magnos defectionum motus excitavit. Artabazus Ocho rebellis, suis & Charetis Atheniensis copiis regis satrapas magna clade vicit. Iterum adjutus à Thebanis eos superavit. Phœnices posteà defecere seque sociarunt Nectanebo regi Ægypti. Cyprii hoc exemplum sequuntur. Ochus coacto exercitu, qui constabat peditum trecentis millibus & triginta millibus equitum adversus Phœnicas profectus, Sidonem proditione cepit. Sidonii quum mœnibus occupatis urbem in potestate hostium esse viderent se cum liberis conjugibusque intra ædes conclusis admotis flammis combussere. Aliæ urbes territæ dedunt se. Hinc Hierichuntem expugnat. Ad expeditionem Ægyptiacam multos secum Judæos abducit, de quibus Aristæus in historia Lxx. interpretum. Ægyptum subegit olymp. 107. anno 3. in qua urbium nobilium mœnia disjecit, fana spoliavit, Apin asino immolavit. In reditu magnam Judæorum multitudinem in Hyrcaniam transportasse tradit è Julio Africano Georgius Syncellus. Hecatæus à Persis in Babyloniam traducta esse dicit multa Judæorum millia, apud Josephum lib. 1. in Appionem: sed illic sub Persarum voce antiquos illos Chaldæos notari dubium non est. Ochi copiarum dux Bagoas (apud Josephum malè legitur Βαγώσης) templum polluit & tributum imposuit sacro. πρὶν τὰς καθημερινὰς ἐπιφέρειν θυσίας ὑπὲρ ἀρνὸς ἑκάστου τελεῖν αὐτοὺς δημόσια δραχμὰς πεντήκοντα.

χμῶν. Ut pro jugi sacrificio, in singulos agnos penderent quinquaginta drachmas. Hactenus sacrificium non tantum immune fuerat sed & regiis impensis instruebatur. Causa fuit, quam Josephus exponit: Johanni erat frater Jesus, amicus Bagois: cui Bagoes pontificatum promiserat. Hac fiducia liberius cum fratre altercantem in templo pontifex trucidat. Impium facinus, quale nec apud Græcos nec barbaros fuisse auditum. Bagoes igitur, audito, quod pontifex fratrem in templo obtruncasset, superveniens, ita Judæos affatus est: Ausi estis in proprio fano cædem perpetrare, conatusque est templum intrare. Prohibentibus autem, Sumne inquit, pollutior cadavere ἢ τοῦ ϛοῦ ἐγὼ καθαρώτερος εἰμι τοῦ ἀνῃρημένου ἐν τῷ ναῷ; Cum dicto irrumpit in ædem. Deinde Judæos septem annis ob hanc cædem afflixit.

Johanni defuncto successit filius ejus Jaddus, *ἰαδδοῦς*. Hujus frater Manasse uxorem duxit filiam Sanabelletæ, satrapæ Samaritani sub Dario Codomanno. Sine dubio est idem ille, qui Nehemiæ fuit adversatus. Ios. *ὁ πεμφθεὶς εἰς Σαμάρειαν ὑπὸ Δαρείου τοῦ τελευταίου βασιλέως σατράπης χουθαῖος τὸ γένος, ἐξ ὧν καὶ οἱ Σαμαρεῖς εἰσιν*. Missus est à Dario satrapa, non primò constitutus ab ipso sed post intermissionem aliquam redditus suæ præfecturæ, ut solebant illi reges, satrapas mutare. Hierosolymam insignem urbem esse & antiquitus claram absque dubio noverat quia è Samaritanis ortus erat, aut apud illos diu vixerat. Filiæ nomen Nicaso erat, cujus marito ambitio Sanaballetæ aliud sacerdotium & templum posteà struxit.

BIBLIO-

BIBLIOTHECÆ Historiæ Sacrę

TOMI SECUNDI

Pemptadis tertiæ lib. 4.

DE *Rebus Judaicis sub dominatione Macedonum.*

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI II.

CAPUT XVI.

ADversum hunc Alexander Macedo acie conflixit. Eo victo Persis imperium ademptum: quod ab initio Cyri steterat annos ducentos quinquaginta. Alexander victor ferè omnium gentium, adiisse Hierosolymæ templum dicitur ac dona intulisse: edixitque per omne imperium quod sui juris effecerat, ut Iudæis ibidem degentibus liberum esset in patriam reverti. Exacto duodecimo imperii anno, septimo postquam Darium devicerat, apud Babyloniam defunctus est. Regnum amici ejus, qui simul cum illo maxima bella gesserant partiti sunt. Inde aliquanto tempore sine usurpatione regali susceptas partes procuraverunt, Arrideo quodam Philippo. Alexandri fratre regnante: cui perimbecillo verbo datum imperium videbatur: res autem penes eos erat, qui sibi exercitum & provincias distribuerant. Nec vero hic rerum status diu mansit omnesque se reges appellari maluerunt. Primus in Syria post Alexandrum Seleucus rex fiat, subjecta eidem Perside ac Babylone.

DRUSIUS.

ALEXANDER ACIE CONFLIXIT] Bis cum eo conflixit. Semel ad Issum in Cilicia iterum deinde in Arbellis apud Gaugamela.

ANNOS DUCENTOS ET QUINQUAGINTA] Ut hic numerus constet debet legi lib. 2. cap. 15. annos LXII. Alioqui tantum essent anni CCXXI. Quod ex subjecta tabula clarè perspicies.

Cyrus regnavit ann.	31.
Cambyses ann.	9.
Magi fratres menses.	7.
Darius Hystaspis ann.	36.
Xerxes ann.	21.
Artaxerxes μακρόχειρ ann.	41.
Xerxes alter menses	2.
Sogdianus menses	7.
Darius Ochus ann.	19.
Artaxerxes Mnemon ann.	62.
Ochus ann.	23.
Arxes sive Arses ann.	3.
Darius ultimus ann.	4.
Summa ann. 450. mens. 4.	

Ita Sulpicius: alii aliter. Nam sunt qui tantum CC. annos hoc imperium stetisse volunt. Sunt enim qui CCXXX. & alii CCXXV. annos ei assignant. Vide Brisson. de regno Persarum pag. 2.

ADIISSE HIEROSOLYMÆ TEMPLUM DICITUR] Pontifice Jaddua, qui Ebræis Simeon Justus, si modo iidem sunt, & non alius hic ab Jaddua pontifex. In historia Ebraica Hananel nominatur. Salmanticensis, *Simeon Iustus pontifex fecit duas vaccas, & ipse è viris magnæ synagogæ, vocaturque Iaddua* (Iddo est in Ebræo) *è semine Iesue filii Iosedec summi sacerdotis*, & mox, *Eum honoravit Alexander Macedo adoravitque.*

UT JUDÆIS IBIDEM DEGENTIBUS LIBERUM ESSET IN PATRIAM REVERTI] Hoc Persarum reges liberum fecerant. Quid igitur? Judæis petentibus, ut patriis legibus sibi vivere liceret, utque septimo quoque anno concederetur tributorum immunitas, concessit omnia. Josephus Orig. lib. 11. cap. 8.

Dubitatum an Darius Arsami fuerit Filius.

DArium ultimum, quem Alexander devicit supra ex Eusebio Arsami filium diximus. Eusebii sententiam firmat vir magnus, ita scribens, *Videtur* hoc fatale Dario fuisse, ut eodem anno & ipse & eversor imperii ejus Alexander, imperium simul avitum inirent. Nam, eodem attestante, Darius inivit imperium eodem anno quo Philippus Macedo fuit interfectus, Olympiade CXI. paulò ante Philippi ipsius mortem. De his omnibus dubitare nos facit testimonium Alexandri, quod supra ex Curtio produximus, tum etiam locus Justini è libro X. ibidem allegati, ubi scribit post mortem Ochi Codomanum (ita nominabatur cum adhuc privatus esset) in memoriam pristinæ virtutis regem

gem à populo conſtitutum, Darii nomine, ne quid regiæ majeſtati deeſſet, honoratum. Hæc Anteà mihi obſervata, quibus nunc addo aliud teſtimonium Alexandri Macedonis ex Arriani lib. III. ubi Dario per epiſtolam exprobrat. quod occiſo Arſe, Bagoæ opera, imperium occupaſſet, οὐ δικαίως, οὐδὲ κατὰ τὸν Περσῶν νόμον. Similiter Strabo lib. XV. ejus ſpadonis opera Darium οὐκ ὄντα τοῦ γένους τῶν βασιλέων, regem factum ſcribit. Sed & Diodorus Siculus lib. XXVII. ait poſt Ochi & Arſi ejus filii cædem ἐρήμου ὄντος τοῦ βασιλέως οἴκου, καὶ μηδενὸς ὄντος τοῦ κατὰ γένος διαδεξομένου τὴν ἀρχήν: cum nemo ex Ochi liberis, ad quem regnum lege rediret, ſupereſſet, Darium regnum Bagoæ eunuchi beneficio adeptum eſſe. Pergamus nunc ad alia.

Duodecimo Imperii Anno] Machab. 1. 8. *regnavit Alexander annis 12. & mortuus eſt.* Euſebius in Chronicis addit menſes ſex. Alii ſcribunt anno 13. vita functum eſſe. Rurſum Euſebius, *Alexander regnum Aſiæ anno regni ſui ſeptimo occupat & tenet omnia annis duodecim.* At Sulpicius, *ſeptimo poſteaquam* Darium devicerat, apud Babyloniam, defunctus eſt. Quomodo hoc verum eſſe potuit, ſi tenuit omnia annis duodecim? Expende erudite lector: nam mihi nunc non vacat.

Defunctus Est] Anno ætatis ſuæ XXXII. Euſebius, alii.

Regnum Amici Ejus] Alibi eſt, *ſervi ejus*, id eſt, aulici & alii, *ſtipatores ejus.* Significat autem principes & duces exercitus Macedonici, qui ejus venerationis ac virtutis erant, ut ſingulos reges eſſe putares, ait Juſtinus lib. XIII. Fumus in oculis meis, quod 1. Machab. 1. 7. *Et vocavit pueros ſuos illuſtres, qui unà ſecum nutriti fuerant à juventute, & diviſit illis regnum ſuum, dum adhuc viveret.* Quid aut quem ſecutus eſt autor ille, alioqui non malus, cum hæc ſcriberet? An in mente habuit locum Danielis, *dum ipſe adhuc ſtaret confractum fuit regnum ejus, & diviſum fuit in quatuor ventos cœli?* Nam de Alexandro loquitur, & *ſtaret* interpretantur *viveret.* Sed vide notas meas ad illum locum.

Partiti Sunt] Appianus in Syriacis, *Amici Alexandri gentes ſubactas diviſerunt in ſatrapias, Perdicca diviſore, ex autoritate Philippi, nec multò poſt mortuis regibus regnarunt ipſi ſatrapæ. Oroſius* lib. 3. cap. 21. *Alexander per duodecim annos trementem ſub ſe orbem ferro preſſit. Principes vero ejus* XIV. annis dilaniaverunt, & veluti opimam prædam è magno leone proſtratam avidi diſcerpſere catuli, ſeque ipſos in rixam invicem irritatos prædæ æmulatione *fregerunt.*

Sine Usurpatione Regali] Alius dixiſſet *ſine uſurpatione regiâ.* Nemo enim ſe regem appellabat, aut regis nomen uſurpabat, quandiu aliquis ex ſtirpe Philippi Alexandrive in vivis erat.

Arridæo Quodam Philippo] Proprium ei nomen Arridæus ſive Aridæus, id poſt mutatum in Philippus, amore, ut creditur, Philippi, cujus ſtirpem Macedones unice amabant. Juſtinus, *cum equites quoque idem feciſſent, pedites indignati, nullas ſibi conſiliorum partes relictas, Aridæum Alexandri fratrem regem appellant, ſatelliteſque illi ex tribu ſua legunt, & nomine Philippi patris vocari jubent.*

Arridæo] Malim Arridæo. Juſtinus hoc nomen ſcribit Aridæo unica R. & Appianus Aridæo duplici D.

Cui Perimbecillo Verbo Datum Imperium Videbatur] Nomen regium penes illum erat, autoritas penes alios. Vide Juſtinum lib. XIII. Sic dico, nihil præter nomen habebat, quod Sulpicius appellat imbecille verbum, cum mentis non ſatis compos eſſe crederetur. Appianus, *Aridæus amore ſtirpis Philippi electus fuit, quamvis mentis, ut putabatur, non ſatis compos eſſet, cum adhuc Alexandri filii eſſent ſub educatoribus. Nam & mater prægnans obſervabatur.*

Omnesque Se Reges Appellari Maluerunt] 1. Machab. 1. 9. *Alexandro mortuo servi ejus occupato suo quisque loco omnes sibi diadema imposuerunt, nec non eorum posteri per multos annos.* Primus in Asia Antigonus, victo Ptolemaeo ab exercitu rex appellatus fuit, extinctis tum regibus Aridaeo Philippo atque Hercule Alexandri filiis. Mox etiam Ptolemaeum regem suum appellavit exercitus, ne ob cladem videretur victori cedere.

Primus In Syria Post Alexandrum Seleucus Rex Fuit] Hoc verum non videtur: nam initio Syria paruit Ptolomaeis regibus Ægypti. Respondeo Asiae & Syriae satrapam primum fuisse Antigonum. Eum bello vicerunt Seleucus & Ptolomaeus: unde contentio inter hos duos de regno Syriae, *Qua de re videndus lib. 5.* Polybius, ubi inter alia Antiochus queritur de injuria quam sibi fecerat Ptolomaeus in occupandis Syriae locis. Antigonum enim monoculum & Seleucum, qui primi ea loca occupaverant, verissimos ac justissimos dominos fuisse ajebat. Ideoque ad se, non ad Ptolomaeum Syriae regnum, quasi haereditario jure pertinere, quippe Ptolomaeum adversus Antigonum pugnasse, non sibi, sed Seleuco eorum locorum imperium quaerentem. Praeterea communem omnium regum concessionem in medium adferebat. Nam quo tempore, superato Antigono, dividere inter regna Cassander & Lysimachus & Seleucus voluerunt, Seleuci esse omnem Syriam judicavere. Haec ibi: Quae fortasse moverunt Eusebium (nam hunc Sulpicius sequitur) ut scripserit Seleucum primum regnasse annis 32. Vide Sigonium.

Seleucus] Cognomento Nicanor, Eusebius: Nicator, alii. Quae putatur esse vera Macedonica Dialectus. Appellatio à victoriis quas habuit. Alii dictum ita putant à Nicatore quodam caeso.

Subjecta Eidem Perside Ac Babylone] Cum esset rex Syriae subjecit ei (* videlicet) Persidem ac Babylonem: Primum fuit satrapa Babyloniorum: postea factus est *rex Babyloniae Mediaque*, Appianus: *Babyloniae & superiorum locorum*, Eusebius. Idem aliter. Nam superiora loca vocantur Media ac Persia. 1. Machab. 6. 1. *Rex Antiochus perambulans superiores regiones audivit esse civitatem Elymaidam in Perside nobilissimam.*

Schotanus.

Adversum Hunc] Post cladem Xerxis & feliciter propulsatum Persarum bellum Graeci toto orbe celebres & timendi esse coeperunt. At victo apud Plataeas fugatoque Mardonio, quem Xerxes fugiens in Graecia reliquerat, castra referta regalis opulentiae capta. *Vnde primum Graecos, diviso inter se auro Persico divitiarum luxuria cepit*, ut Justinus loquitur. Eodem forte die, quo Mardonii copiae terrestres deletae sunt, etiam navali praelio in Asia sub monte Mycale adversus Persas dimicatum est. Cum pugna ad Mycalen & oppugnatione Sesti opus suum finit Herodotus, anno M. C. 3471. Confecto bello, cum de praemiis civitatum ageretur omnium judicio Atheniensium virtus caeteris praelata. Inter duces quoque Themistocles, princeps civitatum testimonio judicatus gloriam patriae suae auxit. Post id praelium anno secundo Spartani, Pausaniam cum classe communi in Cyprum atque Hellespontum miserunt ut ex his regionibus barbarorum praesidia depelleret. Pari felicitate in ea usus Pausanias elatius se gerere coepit majoresque appetere res. Igitur pro ducatu regnum Graeciae affectans, proditionis praemium cum Xerxe nuptias filiae ejus paciscitur. Sed dux Atheniensium Aristides, belli socius collegae cona-

conatibus obviam eundo, similiter & in rem sapienter consulendo, proditionis consilia discussit. Xerxes igitur dolo publicato, ex integro bellum instituit. Græci quoque ducem instituunt Cimonem, Miltiadis filium, quo duce apud Marathonem pugnatum erat. Hic non inferior virtutibus patris regem Persarum terrestri navalique prælio superatum, pacem petere coëgit. Græci autem, inter se collidi cæpere. Nam Spartanos terræ motu afflictos, Messenii & Hilotæ, veteri odio oppugnant. Hoc bellum mutuis cladibus decennio gestum est. Tum etiam Argivi occasione usi Mycenas exscindunt. Athenienses subactis Thasiis Cimonem Spartanis misere auxilio; quæ auxilia cum Spartani non admitterent, Athenienses offensi soluto fœdere bellum suscipiunt. Hoc tempore Xerxes ab Artabano occiditur, regnum obtinuit Artaxerxes. Messenii à Spartanis victi ejectique Peloponneso, ab Atheniensibus Naupactum habitandam accepere. Sed inde posteà à Spartanis expulsi in Siciliam & Italiam abiere. Artaxerxes victoriis Cimonis territus pacem cum Atheniensibus facit. Convenit ut Persæ omnes Græcorum civitates liberas esse & suis legibus uti permitterent. Hac ipsa tempestate decedit Cimon. Annus erat M. C. 3500. Archonte apud Athenienses Euthydemo. Quadriennio post pax coiit inter Spartanos & Athenienses in annos triginta, quæ tamen post annos quatuordecim dissoluta est. Interim Athenienses immiscent se bello inter Milesios & Samios, item alteri inter Corinthios & Corcyræos. Bellum è bello seritur: de Atheniensibus querelæ Spartanos concitant, qui rupto fœdere Atticos fines populantur. Athenienses consilio Periclis populationis injuriam differunt in tempus ultionis. Deinde interjectis diebus naves conscendunt & nihil sentientibus Lacedæmoniis totam Spartam deprædantur, multoque plura auferunt, quam amiserant. Posthæc navali prælio dimicatum est, victi Lacedæmonii fugerunt. Sic bellum Peloponnense, celebre in posteritatem, cujus initio gravissima pestis Athenas depopulatur, inchoatum, cum Atheniensium ruina finem habuit. Pertinaciter gestum est. Nam pax in annos quinquaginta facta citò evanuit & Persarum opem imploravere in perniciem Græciæ. Lysander auctus viribus Persarum Alcibiadem Asiam populantem inopinatò oppressit: tantaque clades palantium fuit, ut plus vulneris eo prælio Athenienses acciperent, quam superioribus dederant. Conon Alcibiadi suffectus, classem maxima industria exornat, sed navibus exercitus deerat, fortissimis quibusque in Asiæ populatione amissis. Armantur tamen senes aut impuberes pueri & numerus militum sine exercitus robore expletur. Facile igitur vincuntur apud Ægos potamon: qua victoria vires Atheniensium exstinctæ sunt. Urbem prope perditam fame & obsidione in potestaredigunt Lacædamonii. Insignis hic annus expugnatione Athenarum & morte Darii regis Persarum & exilio Dionysii Siciliæ tyranni. Annus M. erat 3546. Archonte Athenis Pythodoro.

Lacedæmonii more ingenii humani, quo plura habent, eò ampliora cupientes, non contenti accessione Atheniensium vires sibi duplicatas, totius Asiæ imperium affectare cæperunt: sed major pars sub regno Persarum erat. Itaque Hercillides dux in hanc militiam electus duorum Artaxerxis præfectorum alterum sibi conciliat. Hic erat Tissafernes. Hanc rem Pharnabazus apud communem regem criminatur: regemque hortatur ut in locum Tissafernis, navalis belli ducem eligat Conona Atheniensem qui amissa bello patria Cypri exulabat. His cognitis Lacedæmonii ab Ægypti rege auxilia navalis belli petunt: imperatorem præficiunt suo sociorumque exercitui Agesilaum. Magnus amborum ducum apparatus belli, magnæ res gestæ fuere. Sed Cono-

nem seditio militum invadit, quos præfecti regii fraudare stipendio soliti erant. Itaque Conon, diu rege per epistolas frustra fatigato ad postremum ipse ad eum pergit. Dato stipendio ad classem remittitur: nec moram agendis rebus facit. Agros hostiles vastat, urbes expugnat; & quasi tempestas quædam cuncta prosternit. Quibus rebus territi Lacedæmonii, ad patriæ subsidium, ab Asia Agesilaum revocant. Interim Pisandrus ab Agesilao proficiscente dux patriæ relictus, classe summis viribus instructa cum Conone decernit. Victi Lacedæmonii fugam capesserunt; præsidia hostium Athenis deducuntur: populo restituta dignitate conditio servilis eripitur. Hoc initium Atheniensibus resumendæ potentiæ & Lacedæmoniis habendæ finis fuit. Namque velut cum imperio virtutem perdidissent, contemni à finitimis cœpere. Primi Thebani, Atheniensibus auxiliantibus, bellum his intulere. Terrestri prælio victi sunt, Lysander in eo bello interficitur. At cum Thebani Lacedæmona impeterent, virtute Agesilai succubuerunt. Athenienses ne opibus Lacedæmoniorum resurgentibus, in pristinam fortunam servitutis redigerentur, Bœotiis auxilia mittunt duce Iphicrate. Conon quoque audito reditu Agesilai & ipse ex Asia ad depopulandos Lacedæmoniorum agros revertitur: inde Athenas pergit, quæ incensa fuerant, prædarum sumptu & exercitu Persarum restituit: quæ diruta reficit. Dum hæc gererentur, Artaxerxis legati in Græciam veniunt, per quos jubet omnes ab armis discedere: ne occupato sibi Ægyptio bello, exercitus sui in Græcia detinerentur. Fessi igitur tot bellis Græci cupide paruere. Mox Lacedæmonii Arcades oppugnant: qui adjuti à Thebanis sunt. Thebani duce Epaminonda, taciti Lacedæmona proficiscunrur, occupandæ urbis spe. Repulsi ab oppugnatione in prælium venere. Victoria ab eorum parte stetit at Epaminondas graviter vulneratus paucos post dies decedit. In hoc virtus Thebanorum cecidit; & Athenienses tanquam amisso æmulo in segnitiem torporemque resoluti: non ut olim in *classem* & exercitus, sed in dies festos apparatusque ludorum reditus publicos effundunt. Inter otia Græcorum obscurum anteà Macedonum nomen emersit: cum Philippus obses triennio Thebis habitus, Epaminondæ & Pelopidæ virtutibus eruditus, regnum Macedoniæ, Græciæ & Asiæ cervicibus, velut jugum servitutis imponeret.

ALEXANDER] Origo Alexandri & regum Macedoniæ ista fuit: Caranus Heraclidarum undecimus, sed septimus à Temene, Macedoniæ regnum occupat. Nam (sedes in Macedonia oraculo jussus quærere) cum magna multitudine Græcorum, in Æmathiam venit: ibique urbem Ædessam, non sentientibus oppidanis, propter imbrium & nebulæ magnitudinem, gregem caprarum secutus, occupavit & regni sedem statuit. *Pulso* deinde Mida (suam is quoque portionem Macedoniæ tenuit) aliisque regibus, in locum omnium solus successit; primusque adunatis gentibus variorum populorum, velut unum corpus Macedoniæ fecit; crescentique regno valida incrementorum fundamenta constituit. Justin. Cum in Macedoniam adveniret annus M. C. erat 3137. Regnavit annis 28. Calvisium in hac annorum tabella exprimimus, ut Justinum & Diodorum comparemus.

Anno M. C. 3165. regnat Cænus ann. 12.

Anno M. C. 3177. regnat Thurimas, ann. 38.

Anno M. C. 3217. regnat Perdiccas, qui præfuit annis 51. Hujus & vita illustris & mortis prostrema, velut ex oraculo, præcepta memorabilia fuere: siquidem senex moriens Argeo filio monstravit locum, quo condi vellet: ibique

que non ſua tantum ſed & ſuccedentium ſibi regum oſſa poni juſſit, præfatus, quoad ibi conditæ poſterorum reliquiæ forent, regnum in familia manſurum. Creduntque hac ſuperſtitione exſtinctam in Alexandro ſtirpem, quia locum ſepulturæ mutaverit. Juſtin.

Anno M. C. 3266. Argeus regnat ann. 38. Moderate & cum amore popularium adminiſtravit regnum.

Anno M. C. 3304. Philippus ann. 38. Juſtinus immatura morte raptum eſſe ſcribit.

Anno M. C. 3342. Æropas regnat annis 26. Hujus infantiam Illyrii contemnentes bellum inferunt. Macedones prælio fuſi rege ſuo in cunis prælato & pone aciem poſito acrius certamen repetivere. Conſerto prælio Illyrios fudere. regn. ann. 26.

Anno M. C. 3368. Alcetas ann. 29. omittitur à Juſtino.

Anno M. C. 3397. Amyntas ann. 50. Ad hunc venere legati Darii regis Perſarum, qui benignè epulis excepti, cum ſe immodeſtius gererent, Alexandri Amyntæ filii dolo occiduntur. Bubares miſſus à Megabyzo præfecto Perſico, cum parte copiarum tanquam ad bellum facile & mediocre, capitur amore filiæ Amyntæ, omiſſoque bello nuptias facit.

Anno M. C. 3447. Alexander regn. ann. 43. Huic cognatio Bubaris non Darii tantum temporibus pacem præſtitit verum etiam Xerxem adeo conciliavit, ut cum Græciam veluti tempeſtas quædam occupaſſet, inter Olympum Hæmumque montes totius regionis eum imperio donaverit.

Anno M. C. 3480. Perdiccas regn. ann. 44. ut vult Calviſius.

Ann. M. C. 3534. Archelaus ann. 16.

Ann. M. C. 3550. Oreſtes puer ſuccedit Archelao patri, ſed à tutore ſuo Æropo necatur, qui regnum ſex annis obtinet.

Ann. M. C. 3556. Pauſanias anno uno.

Ann. M. C. 3557. Amyntas cæſo Pauſania, ann. 24.

Ann. M. C. 3580. Alexander regnat, anno uno.

Ann. M. C. 3581. Ptolemæus Alexandrum interimit, cujus loco regnat triennio.

Ann. M. C. 3585, Ptolemæo interfecto Perdiccas regnat quinquennio.

Ann. M. C. 3590. Philippus ſuccedit.

Juſtinus ſucceſſionem ita nectit: *Per ordinem deinde ſucceſſionis regnum* (ab Amyntæ filio Alexandro) *ad Amyntam fratris ejus Menelai filium pervenit. Hic quoque inſignis induſtria & omnibus imperatoriis virtutibus inſtructus fuit: Qui ex Eurydice tres filios ſuſtulit, Alexandrum, Perdiccam & Philippum, Alexandri Magni Macedonis patrem & filiam Euryonen: Ex Cygnea Archelaum, Archideum, Menelaum. Cum Illyriis deinde & Olynthiis gravia bella geſſit. Inſidiis autem Eurydices uxoris, quæ nuptias generi pacta occidendum virum regnumque adultero tradendum ſuſceperat, occupatus fuiſſet, ni filia pellicatum matris & ſceleris conſilia prodidiſſet. Functus itaque tot periculis ſenex deceſſit, regno maximo ex filiis Alexandro tradito. Igitur Alexander inter prima initia regni, bellum ab Illyriis pacta mercede & Philippo fratre dato obſide, redemit, Interjecto quoque tempore per eundem obſidem cum Thebanis gratiam pacis reconciliat. Nec multò poſt inſidiis Eurydices matris appetitus occumbit: cui Amyntas in ſcelere deprehenſæ, propter communes liberos, ignarus eiſdem quandoque exitioſam fore, pepercerat, Frater quoque ejus Perdicca pari inſidiarum fraude decipitur. Indignum prorſus libidinis cauſa liberos à matre vita privatos, quam ſcelerum ſuorum ſuppliciis liberorum contemplatio vindicaverat. Perdiccæ hoc indignior cædes videbatur, quod ei apud matrem*

trem misericordiam nec parvulus quidem filius conciliaverat. Itaque Philippus diu non regem sed tutorem pupilli egit. At ubi graviora bella imminebant serumque auxilium in exspectatione infantis erat, compulsus à populo regnum suscepit. Diodorus sequenti modo: Amynta defuncto Alexander in regno successit. Eo per dolum interempto regnum arripuit Ptolemæus Alorites. Hunc simili fraude Perdiccas vita simul & regno privavit. Ille ingenti prælio ab Illyriis superatus in ipso necessitatis momento cecidit. Tum regnum malè affectum Philippus è custodia Thebarum elapsus suscipit. Res gestas Philippi Diodorus Siculus lib. 16. conposuit. Constrinxit universa his verbis: Οὗτος γὰρ εἴκοσι μὲν καὶ τέσσαρα ἔτη τῶν Μακεδόνων ἐβασίλευσεν· ἐλαχίσταις ἀφορμαῖς χρησάμενος μεγίστην τῶν κατὰ τὴν Εὐρώπην δυναστειῶν κατεσκεύασε τὴν ἰδίαν βασιλείαν· καὶ παραλαβὼν τὴν Μακεδονίαν δουλεύουσαν Ἰλλυριοῖς πολλῶν καὶ μεγάλων ἐθνῶν καὶ πόλεων κυρίαν ἐποίησε. διὰ δὲ τὴν ἰδίαν ἀρετὴν, τῆς μὲν Ἑλλάδος ἁπάσης παρέλαβε τὴν ἡγεμονίαν ἑκουσίως τῶν πόλεων ὑποταττομένων. τοὺς δὲ τὸ ἐν Δελφοῖς ἱερὸν συλήσαντας καταπολεμήσας καὶ τῷ μαντείῳ βοηθήσας μετέσχε τοῦ συνεδρίου τῶν Ἀμφικτυόνων· καὶ διὰ τὴν εἰς τοὺς θεοὺς εὐσέβειαν, ἔπαθλον ἔλαβε τὰς ψήφους κρατηθέντων Φωκέων. Ἰλλυριοὺς δὲ καὶ Παίονας καὶ Θρᾶκας καὶ Σκύθας καὶ πάντα τὰ πλησιόχωρα τούτοις ἔθνη καταπολεμήσας τὴν Περσῶν βασιλείαν ἐπεβάλετο καταλῦσαι· καὶ δυνάμεις μὲν εἰς τὴν Ἀσίαν διαβιβάσας, τὰς Ἑλληνίδας πόλεις ἠλευθέρου· μεσολαβηθεὶς δὲ ὑπὸ τῆς πεπρωμένης, τηλικαύτας δυνάμεις ἀπέλιπεν, ὥστε τὸν υἱὸν Ἀλέξανδρον μὴ προσδεηθῆναι συμμάχων εἰς τὴν κατάλυσιν τῆς Περσῶν ἡγεμονίας. Καὶ ταῦτ᾽ ἔπραξεν, οὐ διὰ τύχην ἀλλὰ διὰ τὴν ἰδίαν ἀρετήν. Γέγονε γὰρ ὁ βασιλεὺς οὗτος ἀγχινοίᾳ στρατηγικῇ καὶ ἀνδρείᾳ καὶ λαμπρότητι ψυχῆς διαφέρων.

Alexander Magnus.

JOsephum deinceps sequemur, cum hic nos deserant literæ sacræ. In hoc lib. XI. cap. 8. de Alexandro M. loquitur. Philippus Macedonum rex cecidit in apparatu & conatu medio Persici belli. Ochus Perintho à Philippo obsessa auxilia tulerat paulo ante casum suum. Perintho relicta, ob Græcorum concursum, cum Græcis victoria ad Chæroneam territis pacem facit. Corinthi in conventu totius Græciæ Imperator in Persicum bellum constituitur. Initio veris sequentis (anno M. 3615) Attalum & Parmenionem cum parte copiarum præmittit in Asiam, Græcas urbes à Persarum dominatu vindicaturos. Consulit oraculum Delphicum, unde responsum tulit:

Ἔστεπται μὲν ὁ ταῦρος, ἔχει τέλος, ἔστιν ὁ θύσων.

AMbiguum dictum pro se interpretatur, quasi Persas victimæ instar jugulaturo: sed eventus fuit longè alius: Nam ἐν πανηγύρει καὶ θεῶν θυσίαις τὸν Φίλιππον ὥσπερ τὸν ταῦρον ἐστεμμένον σφαγιασθῆναι contigit. Sacrum & nuptias Cleopatræ filiæ simul dum celebrat à Pausania Cerastæ filio custode corporis (ut dicit Josephus) theatrum ingressurus confoditur. Pausanias Macedo erat, ἐκ τῆς Ὀρεστίδος καταγόμενος ut loquitur Diodorus. Jos. ἐκ δὲ τοῦ τῶν Ὀρεστῶν γένους. Oppidum, in quo cædes contigit, Diodoro dicitur ἐν Αἰγέαις τῆς Μακεδονίας. Apud Jos. corrigendum igitur Αἰγέαις pro Αἰγαίαις. Eodem anno Bagoas Arse Persarum rege interempto Darium in solio collocat: sed cum & Darium appeteret, insidiis patefactis duorum regum parricidii pœnas luit.

Alexander igitur juvenis viginti annorum, anno sequenti, in patris locum, à Græcis dux & imperator in Persas substituitur. Antequam in Asiam trajiceret, Triballos & Illyrios domuit, Græcos etiam deficientes, excidio Thebarum

rum tenet. Secundo Imperator contra Persas electus, ineunte vere, (anno M. 3616) trajicit in Asiam: apud Granicum amnem Phrygiæ, duces Darii vincit. Refectis inde copiis, Lydiam, Joniam, Cariam, & Pamphyliam, subigit aut deditione recipit. Hac tempestate res Judaicæ in hunc modum se habebant: Hierosolymorum seniores (πρεσβύτεροι) ægre ferentes, Jaddu pontificis fratrem, de quo diximus, externo matrimonio teneri simulque pontificii dignitatem obtinere, ut fratrem summi pontificis, insurgunt (ἐστασίαζον) Hujus enim nuptias exemplum prævaricationis esse & hinc alios ad ejusmodi conjugia provolaturos. Ejusmodi tamen è matrimoniis malos olim mores ortos esse & principium labis ac malorum & causam superioris captivitatis. Jubent ab uxore disjungi aut non accedere ad altare. Cum Jaddus populo accederet fratremque ab ara arceret, abiit ad socerum. In Græco Josephi est, ἀγανακτοῦντος τῷ λαῷ, id est ἅμα τῷ λαῷ. Ad socerum Manasse, se amare conjugem, dicit, sed ob eam nolle arceri sacerdotali honore, qui in sua gente longe maximus esset & gentilitius sibi: Jos. καὶ τῷ γένει παραμενούσης. Sanaballetes pollicetur non tantum ipsi permansurum sacerdotium sed & summi pontificatus præstiturum se dignitatem & vim, simulque ducatum locorum, quos ipse obtinebat: si filiam in matrimonio retineret. Structurum se ædem Hierosolymitanæ similem, in monte Garizin, qui Samariæ imminet, aliis montibus celsior. Hæc se facturum voluntate regis Darii. Hac spe inescatus mansit in conjugio & apud socerum: qui jam consenuerat. Vigesimo anno Artaxerxis Nehemiæ adversatus fuerat, à quo tempore usque ad quartum annum Alexandri, anni fluxerant 53. Cum multi sacerdotum & Israelitarum ejusmodi conjugiis innexi essent, conturbatio haud parva Hierosolymitas apprehendit. Jungebant enim se Manassi, Sanaballete tribuente agros & pecuniam, omnique modo generum fovente. Cum Darius intelligeret Alexandri transitum in Asiam & cladem suarum copiarum ad Granicum, coactis equestribus & terrestribus copiis occurrere propositum habuit, antequam universam Asiam subverteret. Trajecto igitur Eufrate, superatoque Tauro, monte Ciliciæ, intrà Ciliciam, ut illic pugnaturus, hostem operiebatur. Hic opportunum tempus advenisse ratus Sanaballetes, generum spe implet, tanquam aditurus Darium post victum Alexandrum. Ille enim non tantum sed & omnes in Asia, Macedonas ne quidem adventum Persarum exspectaturos esse putabant, ob immensam hostium multitudinem. At præter opinionem res cecidit. Darius enim victus cum ingenti clade, captis etiam matre, uxore & liberis, fugit in Persidem. Alexander progressus in Syriam capit Damascum, occupataque Sidone, Tyrum obsidebat. Missis literis ad pontificem Judæorum petebat auxilium & forum rerum venalium, quæque Dario hactenus dona dederant, sibi dare. Respondente Pontifice sacramento se obstrictum Dario, arma non portaturum in ipsum, quod transgredi nollet Dario vivente, iratus Alexander statuit Tyri obsidionem non relinquere, sed (παραγγειλάμενος δὲ ταύτην) ea capta se ulturum superbiam Judæorum. Quare non parcens labori Tyrum capit. Et compositis illic rebus Gazam ejusque præfectum Babemesen obsidet. Hic Sanaballetes commodam occasionem se nactum esse arbitratus, Dario valere jusso, cum octo millibus subjectorum, transiit ad Alexandrum, qui obsidionem Tyri tum moliebatur. Se suaque loca Alexandro dedit. Exceptus libenti animo, significat se generum habere Manasse, Jaddu Judæorum pontificis fratrem: qui multis popularibus accinctus in sua regione cupiat fanum condere. Hoc conducere regi, ut Judæorum potentia dividatur, ne gens concors, si rebellare contingeret, gravis sit regibus, ut retro fuerat Assyriis. Alexandro annuente,

ad sua reversus, & omni ope adnisus, ædem struxit, cui generum consti- tuit pontificem amplissimum honorem natis è filia fore existimans. Tyri oppugnatio septem, Gazæ duos menses absumpsit, quo tempore Sanaballetes fato concessit. Alexander autem expugnata Gaza, petit Hierosolyma, animo infesto: quod cum intelligeret Jaddus, solicitus hærebat. Ergo indictis populo supplicationibus & cum eo immolans, Deum rogat, ut genti auxilium ferret. Post sacrum dormientem Deus bono animo esse jussit & coronata urbe portas aperire, aliosque albis vestibus, ipsum cum sacerdotibus legitimo vestitu in occursum ire sine ullo mali metu, Deo curam gerente. Cum evigilasset, quid vidisset, aperit omnibus; factum, ut jussus erat. Cum intelligeret Alexandrum esse prope urbem, egreditur cum sacerdotibus & civium multitudine, sacris convenientem & diversum ab aliis gentibus faciens occursum, in loco, qui σαφὰ Sapha dicebatur. Id nomen Josephus interpretatur σκοπιὰν צפה Hebraicè. Nominis causa, quod inde Hierosolyma & templum visui paterent. Phœnicibus & Chuthæis (In Josepho pro χαλδαίων legendum χυθαίων) exspectantibus, qualia regis iram jussuram esse consentaneum erat, ut permitteret ipsis urbem diripere & pontificem cum contumelia, interimere, aliter cecidit. Alexander enim ut vidit è longinquo, candidatum populum & sacerdotes ante agmen in byssinis suis, pontificem autem in hyacinthina & auro distincta stola, cui in capite cidaris ejusque aurea lamina (ἔλασμα) inscriptum habens Dei nomen, solus ad eum accedens adoravit nomen & pontificem salutavit primus. Judæis autem omnibus uno simul ore Alexandrum salutantibus cingentibusque, Syriæ reges reliquique attoniti harebant, regemque alienata esse mente suspicabantur. Parmenio solus eum adit, quæritque cum omnes ipsum adorarent, cur pontificem Judæorum ipse adoraret? Cui rex: Hunc ego, inquit, non adoro, sed Deum, cujus pontificio eminet. Nam & hunc vidi per quietem in isto habitu, cum essem apud Dium Macedoniæ & mecum deliberarem quomodo Asiam possem subigere, hortabatur me ne cunctarer sed fidenti animo trajicerem. Se enim ducem expeditionis fore & Persarum traditurum imperium. Cum igitur neminem alium ejusmodi amictu viderim, hunc autem nunc conspiciam, visionis & hortaminis nocturni recordatus, arbitror me Dei ductu (θείᾳ πομπῇ) expeditionem suscepisse: Darium superaturum, Persarum imperium eversurum & omnia ex voto successura. Hæc locutus & dextera data pontifici (δεξιωσάμενος) juxta euntibus sacerdotibus in urbem intrat, ingressusque in templum immolat Deo ex pontificis monitu. Ipsum etiam pontificem magnifice honoravit. Cum ipsi ostensus esset liber Danielis, in quo quendam è Græcis Persarum imperium esse eversurum indicabat, se illum esse arbitratus, tunc hilaris dimisit multitudinem: postera autem die convocatos jussit petere, quo vellent donari. Pontifice igitur petente ut patriis legibus vivere liceret & septimo anno immunibus esse tributi, concessit omnia. Rogantibus ut Judæis Babylone & in Media etiam permitteret suis moribus & legibus uti, prompte promisit se facturum. Dicente autem ad multitudinem, si aliqui militare ipsi cuperent, patriis moribus salvis se lubenti animo ducturum (ἑτοίμως ἔχειν ἐπάγεσθαι) multi dederunt nomina. His constitutis Alexander progressus est ad proximas urbes ab omnibus, quascunque adiret, honorificè susceptus. At Samaritæ quorum metropolis tum Sicima erat, ad Garizin montem, habitata ab transfugis Judæorum, videntes, quod Alexander tantum honorem haberet Judæis, statuerunt se profiteri Judæos esse. Tales enim esse scribit Samaritas: cum in calamitatibus sunt Judæi negant cognatos se esse, quod verum est: si videant fortunam Judæis arridere, mox se esse ferunt cognatos, ut qui orti sint è filiis

Jacob Ephraim & Manasse. Cum pompa igitur & magnam ostentantes alacritatem, occurrunt regi haud procul Hierosolymis. Laudati ab Alexandro accedunt, assumptis militibus, quos Sanaballetes miserat Alexandro ad Tyrum sedenti rogantique ut urbem suam adeat & templum honoret. Ille pollicitus est hoc in reditu se facturum: petentes in septimum annum remissionem tributi quia & ipsi eo anno non sererent, rogat, quinam essent. Responsum ab illis est se Hebræos esse sed Sidonios in Sicimis vulgò appellari. Græcus textus habet ἑβραῖοι μὲν εἶναι χρηματίζειν δ' οἱ ἐν Σικίμοις Σιδώνιοι. Verti debet ut diximus: quod nec Rufinus nec Gelenius ceperunt. Sidonii Sicimenses igitur vulgo audiebant. Rursum quærit Alexander an Iudæi essent, negantibusque regerit, se Judæis ista concessisse. redeuntem tamen & melius edoctum, facturum esse, quod videretur. Sanaballetis milites jussit sequi se in Ægyptum, pollicens se illic ipsis agros divisurum esse. Id quod paulò post fecit in Thebaide jussis illi regioni præsidere. Defuncto Alexandro imperium inter successores divisum est, sed templum in Garizin mansit. Si quis autem apud Hierosolymitas incurreret peccatum illiciti cibi sumpti (κοινοφαγίας) aut violati sabbati, aut alius illegitimi facti, ad Sicemitas solebat confugere, professus se calumnia gravari (ἀδίκως ἐγκεκλῆσθαι sic emendo pro ἐσκευκλῆσθαι) Eodem fere tempore & Jaddus obiit, sacerdotio devoluto ad filium Oniam. Alexandri expeditionis in Judæam meminit Plinius lib. 12. cap. 25. *Alexandro M. res ibi gerente, toto die æstivo unam concham impleri justum.* Nempe opobalsamum guttatim ex arbore stillans excipiebatur in cornua. Hic desinit Josephi liber XI. à Cyri anno primo usque ad mortem Alexandri M. Hos Persarum reges memorat Cyrum, Cambysen, Darium Hystaspis, Xerxem, Artaxerxem longimanum. Hinc magno hiatu inter cap. 6. & 7. ad Ochum delabitur, Dario Notho & Artaxerxe memore omissis. Non annotat, ut solet annos à Cyro ad Alexandrum, quia turbatus erat, quod malè res Judaicas regibus Persarum adnexuerat. Sub Artaxerxe longimano spiritum propheticum desiisse putat. Hecatæus apud Josephum lib. 1. in Appionem commemorat cum Alexander Babylone esset, voluisse repurgare templum Beli τὸ τοῦ βήλου πεπτωκὸς ἱερὸν ἀνακαθᾶραι. Jussum igitur omnibus militibus ut rudera (χοῦν) exportarent, quod soli Iudæi abnuerunt. Multis plagis & damnis cogi non potuisse, donec rex veniam daret. Fana & aras quas alii in ipsorum regione struerent, semper demolitos esse: & talia faciendo, aliquando incurrisse pœnas, alias obtinuisse veniam.

Ptolemeus Lagi & Seleucus Nicator Iof. lib. antiq. XII.

CAp. 1. Alexandro mortuo imperium inter duces divisum est. Antigonus Asiam obtinuit, Seleucus Babylona cum vicinis gentibus, Lysimachus Hellespontum, Macedoniam Cassander, Ptolemæus Lagi Ægyptum. Laomedonti Syria cum Phœnice obtigerat, Ea divisio diu stare non potuit, ambitione in difficilia & varia bella duces propellente, quibus inter se colliduntur. Ptolemæus mox à morte Alexandri & prima divisione Ægyptum tenuit annis 40. Alexander excesserat anno M. C. 3627. Dæsii die octavo & decimo. Ptolemæus animadvertens Phœniciam & Syriam cavam commodam esse, ut tueri Ægyptum & Cyprum invadere posset, Laomedontem Mitylenæum, quem Perdiccas & Antipater illis regionibus imposuerant, oblato ingenti auri pondere, conatur inducere, ut eas sibi traderet, regiones. Quod cum non impetrasset Nicanorem cum justis copiis illuc misit. Is Laomedontem cepit, qui corruptis custodibus ad Alcetam profugit in Cariam. Universa igitur regio

concessit in ditionem Ptolemæi. Hæc Josephus non evolvit sed habentur apud Diodorum & Appianum in Syriacis & Pausaniam in Atticis. Factum anno M. C. 3630. Hierosolymorum occupationem Josephus exposuit. Hierosolymam dolo Ptolemæus occupavit, ingressus urbem, ὡς θύσων, ut immolaturus & sabbato. Judæi non tuebantur urbem, quod nihil mali suspicarentur & diem in otio agerent. Agatharchidis Gnidii testimonium producit è libro de successoribus Alexandri: ἔστιν ἔθνος Ἰουδαίων λεγόμενον, οἳ πόλιν ὀχυρὰν καὶ μεγάλην ἔχοντες Ἱεροσόλυμα, ταύτην ὑπερεῖδον ὑπὸ Πτολεμαίῳ γενομένην, ὅπλα λαβεῖν οὐ θελήσαντες, ἀλλὰ διὰ τὴν ἄκαιρον δεισιδαιμονίαν χαλεπὸν ὑπέμειναν ἔχειν δεσπότην. Libro primo in Appionem ita laudat: οἱ καλούμενοι Ἰουδαῖοι, πόλιν οἰκοῦντες ὀχυρωτάτην πασῶν ἣν καλεῖν Ἱεροσόλυμα συμβαίνει τοὺς ἐγχωρίους, ἀργεῖν εἰθισμένοι δι' ἑβδόμης ἡμέρας, καὶ μηδὲ τὰ ὅπλα βαστάζειν ἐν τοῖς εἰρημένοις χρόνοις, μήτε γεωργίας ἅπτεσθαι μήτε ἄλλης ἐπιμελεῖσθαι λειτουργίας μηδεμιᾶς ἀλλ' ἐν τοῖς ἱεροῖς ἐκτετακότες τὰς χεῖρας εὔχεσθαι μέχρι τῆς ἑσπέρας, εἰσιόντος εἰς τὴν πόλιν Πτολεμαίου τοῦ Λάγου μετὰ τῆς δυνάμεως καὶ (διὰ) τῶν ἀνθρώπων αὐτὴν φυλάττειν τὴν πόλιν διατηρούντων τὴν ἄνοιαν, ἡ μὲν πατρὶς εἰλήφει δεσπότην πικρὸν, ὁ δὲ νόμος ἐξηλέγχθη φαῦλον ἔχων ἐθισμὸν, τὸ δὲ συμβὰν, πλὴν ἐκείνων τοὺς ἄλλους πάντας δεδίδαχε τηνικαῦτα φυγεῖν εἰς ἐνύπνια καὶ τὴν περὶ τοῦ νόμου παραδεδομένην ὑπόνοιαν, ἡνίκα ἂν τοῖς ἀνθρωπίνοις λογισμοῖς περὶ τῶν διαπορουμένων ἐξασθενήσωσι. Superstitionem Judaicam ridet. Ptolemæus acerbe dominatum exercuit. Nam secundum Appianum Hierosolymorum mœnia diruit. Aristeas autor est ad centum milia hominum ex Judæa in Ægyptum traduxisse. E quibus ad triginta millia selectos, ætate & robore qui pollerent, in armis esse sibi voluit & in præsidiis collocavit. Reliquam turbam militibus concessit in servitutem. Josephus scribit è montano Judææ tractu & Hierosolymorum vicinia, Samariaque & Garizin monte transtulisse incolas in Ægyptum. Cum autem è responso quod Alexandro dederant post Darii cladem, cognovisset Hierosolymitas constantissime servare fidem juramenti, multa ex eis præsidia disposuit per castella & cum Macedonibus pari jure cives Alexandriæ esse fecit sumpto sacramento, servaturos fidem posteris suis. Non pauci prætereà reliquorum Judæorum sponte in Ægyptum migraverunt partim ubertate terræ allecti, partim Ptolemaei ergà suam gentem liberalitate. Libro secundo in Appionem scribit Josephus Alexandrum etiam Judæos posuisse in nova urbe Alexandriæ. Ob fidem egregiam tribuisse ipsis ut Samariam regionem colerent ἀφορολόγητον sine tributo. Forte id de Samaritis accipiendum. Jos. ὁμοίως δὲ Ἀλεξάνδρῳ καὶ Πτολεμαῖος Λάγου ἐπὶ τῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ κατοικούντων ἐφρόνησεν. Καὶ γὰρ τὰ κατὰ τὴν Αἴγυπτον αὐτοῖς ἐνεχείρισε φρούρια, πιστῶς ἅμα καὶ γενναίως φυλάξειν ὑπολαμβάνων. Καὶ Κυρήνης ἐγκρατῶς ἄρχειν βουλόμενος καὶ τῶν ἄλλων ἐν τῇ Λιβύῃ πόλεων, εἰς αὐτὰς μέρος Ἰουδαίων ἔπεμψε κατοικήσον. Emigratio facta est potissimum post prælium Ptolemæi cum Demetrio apud Gazam. Hoc quomodo factum sit paulò altius repetendum: Seleucus Antigoni Asiæ domini iram fugiens venit ad Ptolemæum in Ægyptum, eum concitat in Antigonum. Fœdus initum est inter Ptolemæum, Seleucum, Lysimachum & Cassandrum. Ademit Ptolemæo Syriam Antigonus. Filium Demetrium in Syria cum mandatis relinquit, Ptolemæo oppositum. Cyrenæi deficiunt & domiti reducuntur in ditionem. Hinc cum Demetrio apud Gazam prælio decertat. Qua victoria aditum rursum in Syriam apertum habuit. Phæniciæ urbes in potestatem redegit; Sidonem etiam cepit. Hæc facta anno M. C. 3638. anno undecimo post mortem Alexandri. Josephus id annotat & laudat è Castore Chronographo de centesima & decima septima olympiade: ἐπὶ ταύτης Πτολεμαῖος ὁ Λάγου ἐνίκα κατὰ Γάζαν μάχῃ Δημήτριον τὸν Ἀντιγόνου, τὸν ἐπικληθέντα Πολιορκητήν. Consensu uno omnes dicere,

quod Alexander mortuus sit olympiade centesima decima quarta. Hecatæus Abderita vir philosophus & circa actiones industrius (ἐπὶ τὰς πράξεις ἱκανώτατος) Alexandro regi coævus (συνακμάσας) & conversatus cum Ptolomæo Lagi, de Judæis integrum conscripsit librum. Hic scribit, quod Ptolomæus post prælium ad Gazam, locorum Syriæ dominus factus sit. Multi hominum Ptolemæi intellecta humanitate voluerunt cum eo in Ægyptum abire & rebus communicare. Ὧν εἷς ἦν, inquit, Ἐζεκίας ὁ ἀρχιερεὺς τῶν Ἰουδαίων τὴν μὲν ἡλικίαν ὡς ἑξήκοντα ἓξ ἐτῶν, τῷ δ' ἀξιώματι, τῷ παρὰ τοῖς ὁμοέθνεσι μέγας καὶ τὴν ψυχὴν οὐκ ἀνόητος, ἔτι δὲ καὶ λέγειν δυνατὸς καὶ τοῖς ἐπὶ τῶν πραγμάτων εἴπερ τις ἄλλος ἔμπειρος. Scribit Hecatæus sacerdotes fuisse, qui decimas caperent & administrarent τὰ κοινὰ, temp. fermè mille & quingentos. Hunc Ezeciam sibi familiarem fuisse, à quo omnem civilem rationem cognoverit, quam ille scripto prælegerit. Narrat etiam de Mosollamo Judæo, sagittandi peritissimo, qui avem, cujus augurium superstitiosi captabant, inter volandum sagitta confixerit, irrisa arte augurandi, cum misera avis infortunii sui præscia non fuerit. Hierosolymorum ambitum ad quinquaginta stadia fuisse scribit. Cæterum Judæi & Samaritæ, quos partim deportatio, partim voluntaria emigratio in Ægypto collocaverat, seditionibus inter se continuis in consequens tempus egere, ob institutorum retinendorum pervicaciam. Pugnabant enim inter se jugiter, dum Hierosolymitani suum templum sacrosanctum esse dicebant & illuc sacrificia mitti oportere, Samaritæ autem pro Garizin monte pertendebant.

Cæterum Ptolemæus audito adventu Antigoni, jungentis se cum copiis Demetrii, excessit Syria, destructis præcipuis urbibus, quas occupaverat, Ace, Joppe, Samaria, Gaza. Ab anno M. C. 3638. Sept. die 6 feria V. incipiunt anni Alexandrei, quorum usus est apud Josephum & in primitiva Ecclesia, apud astronomos & Arabas. Sequenti anno pax coiit Cassandri, Ptolemæi & Lysimachi cum Antigono. In qua convenit, ut Ptolemæus Ægypto & conterminis in Arabia ac Libya urbibus imperaret, Antigonus toti Asiæ præesset. Haud longo post tempore bellum recruduit, Antigonus ingenti victoria potitus apud Cyprum insulam, regium nomen assumpsit, quod illius exemplum, Seleucus, qui superiores provincias recens subegerat, item Lysimachus & Cassander imitantur. Antigonum in Ægyptum ingressum cum ingentibus copiis feliciter sustinuit Ptolemæus, qui & ipse regis titulum jam sumpserat. Hic annus (M. C. 3644.) erat a morte Alexandri 19. Periodi Julianæ 4409. à quo regnum Ptolemæi Lagi in canone regum Ptolemæus astronomus inchoat. Nam Alexandro Magno tribuit annos octo, qui terminantur cum anno Nabonassari 424. Philippo Aridæo annos 7. Alexandro Ægo annos 12. quos finit annus Nabonassari 443. Cum enim Alexandri posteritas defuncta esset, regium nomen duces usurpare cœperunt. Anno M. C. 3648. secundò adversus Antigonum fœdus ineunt Cassander, Lysimachus, Seleucus, Ptolemæus, ut junctis viribus illi resisterent, à quo se sigillatim carpi viderent. Dum Antigonus sociis regibus aliis incumbit, Ptolemæus iterum urbes Syriæ cavæ subigit, at dum Sidoni assidet, falsis rumoribus sociorum cladis & adventus Antigoni territus, obsidionem solvit; munitisque præsidio, quas ceperat urbibus, in Ægyptum recedit. Sed anno proximo (3649.) conjunctis exercitibus socii reges Antigonum & Demetrium prælio superant: quo prælio cecidit Antigonus, Demetrius cum aliquot millibus equitum peditumque abiit Ephesum atque inde in Cyprum. Tum socii profligato hostili bello, denuo in semetipsos arma verterunt: & cum de præda non convenirent, iterum in duas factiones deducuntur. Seleucus Demetrio, Ptolemæus Lysimacho jun-

 guntur.

guntur. Ea tempestate post Oniam, Simon filius ejus, cognomento Justus, pontificium accepit. Hujus in libro Ecclesiastici (cap. 50.) legitur elogium: *Simon Oniæ filius, sacerdos magnus*, qui in vita sua resarcivit ædem & in diebus suis corroboravit templum. Sub ipso structa est altitudo (seu lorica) duplex, celsum munimentum templi in ambitu. Ipsius temporibus cavatum est ex ære conceptaculum aquarum, tripla magnitudine ad mare. Qui curam populi sui gessit contra casum, qui firmavit *urbem valloque cinxit*. Constat Seleucum retinuisse Judæam & Syriam. Ille in conditas à se per Asiam & inferiorem Syriam urbes atque in ipsam metropolim Antiochiam Judæos transtulit, jus eis civium & municipalem ordinem cum Macedonibus ac Græcis æquali honore concedens. Demetrius inquieti ingenii homo, ingentibus copiis comparatis Asiam subigere statuit. In eum coëunt Seleucus, Lysimachus, Cassander. Regno igitur Macedoniæ quod tenebat exutus & in Asiam transgressus à fortuna deseritur. Inclusus Chersoneso à genero Seleuco, cum se dederet ignaviæ & poculis, morbo contracto decedit. Seleucus annuum stipendium, trecenta talenta à Judæis habuit: qui tamen non per externos magistratus sed per sacerdotes suos regebantur, patrioque ritu vivebant. Anno M. C. 3665. Philadelphus à patre in regni consortium assumitur. Unde illius anni numerantur. Seleucus paulo post vita privatus est, cum regnum Macedoniæ occupasset ereptum Lysimacho. Ultimus hic fuit commilitonum & ducum Alexandri, qui in mutuis bellis & certaminibus ætatem omnes transegere. Vitam finiit anno ab excessu Alexandri 43. æræ Græcorum sive Seleucidarum trigesimo secundo. Notat Polybius, Ptolemæum, Lysimachum, Seleucum circa olympiada centesimam vigesimam quartam omnes in vivis esse desiisse.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI SECUNDI
Caput XVII.

Qua tempestate Iudæi annuum stipendium trecenta argenti talenta regi dabant: nec tamen per ternos magistratus, sed per sacerdotes suos regebantur, patrioque ritu vivebant. Donec plerique eorum longâ rursum pace corrupti, miscere omnia seditionibus & turbare cœperunt, affectantes summum sacerdotium libidine, avaritia & dominandi cupidine. Namque primum sub rege Seleuco, Antiochi magni filio, Oniam sacerdotem, virum sanctum atque integrum, Simon quidam falsis apud regem criminibus insimulatum, exquirere nequiverat. Interjecto deinde tempo-

tempore, Iason frater Oniæ, Antiochum regem, qui Seleuco fratri successerat, adiit, augmentum stipendii pollicens, si sibi summum sacerdotium traderetur. Et quanquam insolitum, neque ante permissum cuiquam erat perpetuo sacerdotio perfungi: solicitus tamen regis animus atque æger avaritia, facile superatus est. Ita depulsa Onia Iasoni sacerdotium est mandatum. Is fœdè admodum cives patriamque laceravit. Dein quum per Menelaum quendam, Simonis illius fratrem, promissam regi pecuniam misisset, patefacta semel ambitioni via, iisdem artibus, quibus Iason prius, Menelaus quoque sacerdotium obtinuerat. Nec multò post quum is promissum argenti modum non reddidisset, loco pellitur, Lysimachus substituitur. Inde inter Iasonem & Menelaum fœda fuere certamina, donec Iason profugus patria excessit.

DRUSIUS.

TRECENTA ARGENTI TALENTA] Annuum vectigal sive tributum, quod Judæi Seleuco dabant, erant trecenta talenta, non auri, sed argenti, aut eo plus. Infra lib. 2. cap. 20. *Nam deficientibus Iudæis ab eo, qui ei ultra trecenta argenti talenta annua pensitaverant.*

PER TERNOS MAGISTRATUS] Non displicet conjectura Sigonii legentis, *externos* pro *ternos*. Nam vulgata scriprura nullum commodum sensum habet, nisi per ternos magistratus intelligas ternos judicum consessus, qui civibus jus reddebant. Erant autem in autoritate summa & res graviores tantum tractabant judices Sanhedrin, numero LXX. quibus rex aut princeps, quem נשיא *nasi* vocabant, præerat. Proximi ab his Judices viginti tres, qui consessus medius erat inter consessum majorem & minorem, qui ex tribus judicibus constabat, resque leviores absolvebat.

PER SACERDOTES SUOS] Id est, pontifices. Justinus lib. XXXVI. *Semper exinde hic mos apud Iudæos fuit ut eosdem reges & sacerdotes haberent: quorum justitia religione permixta incredibile quantum coaluere.* Non tantum apud Judæos hic mos obtinuit, sed etiam, si Servio credendum, apud alias gentes. Qua de re sic ille ad hunc Virgilii locum:

Rex Anius, rex idem hominum Phœbique sacerdos,

Majorum, inquit, *hac erat consuetudo, ut rex esset etiam sacerdos vel pontifex: unde hodieque imperatores pontifices dicimus.* Cæterum quando primum cœperit hic mos in Judæa, incertum. Darii quidem Nothi ævo suos adhuc duces habebant: sed post ratio regiminis mutata fuit, cum Alexandri tempore sacerdotis Jadduæ imperio subessent. Nullius certè principis aut ducis tum mentio usurpatur apud autores. Post Machabæi sacerdotes dicti sunt ethnarchæ. Primus Aristobulus diadema sumpsit. Quamvis in historia Ebraica Judas & fratres ejus reges nominantur.

SUB REGE SELEUCO] Seleucus iste fuit septimus rex Syriæ, cognomento Philopator sive Philopater: cui Epiphanes successit anno CXXXVII. regni Græcorum, quod à Seleuco Nicatore initium ducit.

Series regum Syriæ usque ad Antiochum Epiphanem.

1.	Seleucus Nicator ann.	32.
2.	Antiochus Soter ann.	19.
3.	Antiochus Theus ann.	15.
4.	Seleucus Callinicus ann.	20.
5.	Seleucus Callinici F. ann.	3.
6.	Antiochus frater Callinici, cognomine Magnus ann.	36.
7.	Seleucus Philopator, quem Jaso Cyrenæus regem Asiæ vocat ann.	12
	Summa	137.

Diſſidet aliquantum Sulpicius noſter. Nam Callinico tribuit annos viginti duos, & Antiocho Callinici fratri triginta ſeptem. Qui reliquis additi efficiunt 139.

Oniam Sacerdotem] Oniam tertium, Simonis ſecundi F. ad quem Areus ſive Arius rex Lacedæmoniorum legatos miſit. Ita Euſebius & Joſephus. A quibus diſſentit doctiſſimus Scaliger, qui ab Ario legatos miſſos ait ad Oniam Jadduæ F. ſub Sæleuco Nicanore, quo tempore Arius quoque ille erat in vivis, poſt quem nullus alius Arius in familia regia fuit.

Series pontificum ab Alexandro usque ad Antiochum Epiphanem.

1. Jaddus ſive Jaddua.
2. Onias Jadduæ F.
3. Simon Oniæ F. cognomento Juſtus.
4. Eleazarus, Oniæ item F. frater Simonis.
5. Onias Simeonis Juſti filius.
6. Simon Oniæ F. cujus meminit Sirachides.
7. Onias Simeonis F.

De Simeone Juſto, quem cum Jaddua confundunt, ſcribit Salmanticenſis. *Chronica Chriſtianorum dicunt Iuſtum cognominatum eſſe propterea, quod erat clemens erga populum, non ſicut priores.* Quæ verba illuſtrabis ex Chronico Euſebii, ubi mentio hujus Simeonis per hæc verba; *Iudæorum pontifex maximus Simon Oniæ F. clarus habetur: cui cognomentum Iuſto fuit propter ſolicitam in Deum religionem & cives ſuos pronam clementiam.*

Virum Sanctum Et Integrum] איש חסיד ותמים id eſt, ὅσιον καὶ ἄμωμον ἢ τέλειον. Ἄμωμος, id eſt immaculatum, ſine macula. Hujus meminit Breviarium Jaſonis cap. 3. τῆς ἁγίας τοίνυν πόλεως καὶ τῶν νόμων ἔτι κάλλιστα συντηρουμένων διὰ τὴν Ὀνίου ἀρχιερέως εὐσέβειάν τε καὶ μισοπονηρίαν συνέβαινε καὶ αὐτοὺς τοὺς βασιλεῖς τιμᾶν τὸν τόπον. Vide ſequentia.

Simon Quidam] Idem liber, Σίμων δέ τις βενιαμὶν φυλῆς προστάτης τοῦ ἱεροῦ καθεσταμένος. Hinc diſcimus primum Benjamitam fuiſſe: deinde præpoſitum templi. Vide 2. Machab. 4. 1.

Exquirere Nequiverat] *Extinguere* legendum conjicit Sigonius. An hoc egerit Simon, neſcio: ſcio 2. Machab. 3. 4. καὶ νικῆσαι τὸν Ὀνίαν μὴ δυνάμενος. Proinde legendum putarim hoc loco, *vincere nequiverat*. Sed tamen amplius deliberandum cenſeo. Nam quæ initio valdè placent, aliquando poſt admodum diſplicent.

Jason Frater Oniæ] Qui ſic vocari maluit quam Jeſus: quod eſt

est nomen Ebraicum, ut illud Græcum sive Hellenisticum, unde scripserim libentius Jaso, Ἰάσων, Jaso. πλάτων, Plato. Sic Zeno. Similiter scribi posset Simo, ex Græco Σίμων. Nam Ebraicum non abjicit N. Moris erat illo tempore ut nomina Ebraica cum Græcis permutarent. Sic ex Iesus factum Ἰάσων. Similiter frater ejus Onias dictus est Menelaus. Nihil dico, si non Tarphon ex ea consuetudine mutavit in Τρύφων, qui Latine Trypho diceretur. Sic hodieque quidam Ianus dicunt pro Iohannes: quam recte viderint. Mihi talis novitas nunquam arrisit.

Antiochum Regem] Cognomento Ἐπιφανῆ, id est, Illustrem, qui post Ἐπιμανὴς dictus est, id est Insanus. Hæc acciderunt post excessum Seleuci, anno regni Græcorum, id est, Syro-Macedonum, 137.

Augmentum Stipendii Pollicens] Talenta tria millia sexcenta sexaginta: Iosephus περὶ τ̃ αὐτοκράτορος. trecenta quinquaginta, & ex reditibus aliis talenta LXXX. Epitoma Iasonis. Hic denuo stipendium dixit pro tributo aut vectigali.

Perpetuo Sacerdotio Perfungi] Lege, *perpetuo sacerdotio non fungi:* aut cum Sigonio, *non perpetuo sacerdotio perfungi.* Nam usque ad hæc tempora pontificatus fuerat perpetuus. Sequentia quoque corrupta esse judicat Sigonius, atque ita corrigit, *tamen rex avaritia prævalente Oniam depulit, & Iasoni pontificatum concessit.*

Sacerdotium Est Mandatum] Et una principatus. Nam ea ætate penes pontifices etiam principatus erat. Id colligo ex 2. Machab. 4. 10. ubi summum sacerdotium disertè principatus appellatur, porro sacerdotium hic est ἱερωσύνη, & idem valet atque ἀρχιερωσύνη. Sic ἱερεὺς usurpatur pro ἀρχιερεὺς, ut Act. 5. 24. Sed & 1. Machab. 15. 1. Σίμων ἱερεῖ, mox se explicat cum ait, ἱερεῖ μεγάλῳ.

Introduxit Et Admodum Cives Patriamque Laceravit] Initio ritus Græcanicos introduxit & gymnasium Hierosolymæ instituit: post, cum Menelaus ei esset suffectus, urbem cædibus implevit. Vide 2. Machab. 5. 6.

Simonis Illius Fratrem] Sic Jaso Cyrenæus. Aliter Josephus Orig. lib. 12. cap. 6. & Eusebius in Chronico. Scribunt enim hunc fuisse fratrem Jasonis alio nomine Jesus dictum.

Iisdem Artibus] emit pontificatum, ut antea Jaso fecerat, trecentis argenti talentis eum supergressus, 2. Machab. 4. 24.

Obtinuerat] Obtinuit, Sigonius. Probo vehementer.

Lysimachus Substituitur] Fugit ad Ammanitas sive Ammonitas, 2. Mach. 4. 26. *profugus in Ammanitidem expulsus est regionem.* Ubi notabis Ammanitidem dici, quæ vulgo Ammonitis. Sic Ammanitæ qui & Ammonitæ. Crebrum hoc in editione τῶν ἑβδομήκοντα.

Schotanus.

Ptolemæus Philadelphus & de Græca versione septuaginta interpretum. Ios. lib. 12. cap. 2.

Ptolemæus Philadelphus post Soterem regnavit annis 39. Ille est, ad quem refertur celeberrima illa veteris testamenti Græca versio: cujus historiam ex Aristæo fuse exposuit Josephus. Duo ejus in Judæos Ægyptum incolentes referunt beneficia fuisse admodum memoranda & insignia, Hierosolymitarum

in Ægypto servientium vindicatio in libertatem & legis translatio in sermonem Græcum: qua Judæi in Ægypto quos Alexandrina civitate donaverat, utebantur. Erat autem idiotismus illorum temporum, multum à puritate Græci sermonis deflexus, quo Græci illi, qui erant sub imperio Macedonum in Syria & Ægypto usi: quem rident elegantiores καὶ ἡλληνισμένοι. Utrumque beneficium ex eodem fonte profluxit. Nam Demetrius Phalerensis, præfectus regiæ Bibliothecæ, cum omnes toto orbe colligeret & coëmeret libros, quicquid ubique magnificum esset, studebat convehere, ut regi rem librariam diligenti, gratam operam præstaret. Rogatus à rege aliquando, quam multa codicum millia jam comparasset, ducenta esse respondet, sed brevi habiturum quingenta millia. Comperisse autem se multos esse apud Judæos libros, qui leges eorum continerent, dignos hoc studio & regia Bibliotheca qui sint scripti eorum sermone & characteribus, molestiam & laborem facturi interpretationi in sermonem Græcum. Videri quidem, quod eorum character proprietati Syrarum literarum sit affinis & sermo sermoni, esse tamen sui modi. Nihil vetare, quin & ista, Græcè versa, (suppetere enim facultates) habeantur in Bibliotheca. Regi placuit studium Demetrii, scribit igitur Judæorum pontifici, ut ista fierent. Aristæus autem aliquis, præcipuus amicorum regis, eique carus ob moderationem, sæpe quidem & ante decreverat regem compellare, ut liberos dimitteret Judæos, qui in illius regno erant; nunc autem oportunam occasionem nactum se esse arbitratus petitionis suæ significandæ primos de hac re compellat præfectos custodum regis Sosibium Tarentinum & Andream, ut sibi opem ferrent, in illis, ob quæ regem erat aditurus. Cum illi annuerent, accedit ad regem cum hac oratione: Non decet nos rex verum negligere sed prosequi. Cum enim Judæorum leges non trans-scribere tantum sed & interpretari, sit ex voluntate tua: qua ratione illud fecerimus, multis Judæis in regno tuo servientibus? Quos certè non alienum fuerit à tua benignitate & magnanimitate, liberare à miseria. Is enim, qui tuum gubernat imperium, harum legum autor Deus est, ut ego inquirendo didici. Qui enim universum statuit, & illi & nos colimus, appellantes Zena, quia omnibus ingenerat vitam. Quare in honorem Dei, illis, qui eum eximia religione colunt, redde patriam & vitam, quam in ea acceperunt. Scito, rex, me nihil eos contingere genere nec tribu, qui pro illis hæc rogo. Cum autem homines universi sint opificium Dei & sciam ipsum delectari bene facientibus, ob hoc te etiam rogo. Hæc locutum rex intuitus hilari ac læto vultu, quot, inquit, liberandorum putas esse myriadas. Tum Andreas, qui adstabat, respondebat plures esse undecim myriadibus (centum & decem millibus) An igitur, rex inquit, exiguum est Aristaee, quod petis? Sosibio autem cæterisque qui aderant dicentibus, oportere eum magnanimitati suæ conveniens, Deo, qui regnum dederat, gratitudinis munus præstare, victus (ἡττηθεὶς) jussit quando militibus darent stipendium etiam pro quolibet captivorum numerare centum viginti drachmas. Et promisit, de quibus rogabat Aristæus, se divulgaturum (προθεῖναι) literas, quæ id magnifice continerent, confirmarentque Aristeæ voluntatem & præ ea voluntatem Dei: secundum quam se dimittere dicebat, non tantum abductos à patre ejusque expeditione, sed & eos qui ante id tempus in regno fuissent & si qui posteà introducti essent. Cum autem dicerent; redemptionem plusquam quadringentis talentis constituram & illa concessit. Subjicit Josephus edicti exemplar; in quo centum viginti drachmas in capita singulorum dimittendorum dabat, militibus erogandas cum stipendio, cæteris è mensa regia. Æquum illud & justum esse, & arbitrari,

quod

quod præter patris sui voluntatem militum licentia abducti fuerint. βούλομαι δὲ τὰς προσγραφὰς, ἀφ' ἧς ἐξετέθη πρόσταγμα, ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας ποιεῖσθαι πρὸς τοὺς ὑπ' αὐτῶν ὑπάρχοντας ἀνδραποδισμένους αὐτῶν καὶ τὰ σώματα. Sensus, profiteri debere heros intra triduum servos, qui sub illis essent. Immorigerum cuivis deferre licuit, mulctandum facultatibus, cessuris fisco regio. Hoc edictum allatum est regi & videbatur aliquid deesse. Μόνου δὲ λείποντος τοῦ περὶ τῶν πρότερον καὶ τῶν αὖθις εἰσηγμένων Ἰουδαίων μὴ διεσάλθαι. Non satis expressum esse de ante & post introductis. Hoc etiam rex adjecit. Vectigalia jussit dari (ὑπηρέταις τῶν ταγμάτων) ministris legionum & regiis mensariis. Ita intra septem dies effecta sunt, quæ rex voluerat. Talenta in redemptionem impensa sunt quadringenta & sexaginta, quia heri etiam pro infantibus exigebant centum & viginti drachmas, quasi & de his rex præcepisset, dicendo, quod tantum accepturi essent in singula corpora. Id fuit primum regis beneficium. Hoc facto jussit etiam Demetrium edere decretum de adscribendis (ἀναγραφῆς) Judæorum codicibus. Nihil enim à regibus temerè fiebat sed cum magna cura ideò etiam suggestionis (εἰσδόσεως) & epistolarum antigraphum digestum est certo ordine & multitudo missorum donariorum & quod sub unoquoque paratum, ut artificis operam accuratissimam videntibus, &, propter operum excellentiam, unius-cujusque opisex, mox esset manifestus. Suggestionis exemplar, qua Demetrius scribit regi, hanc habebat summam: Summam diligentiam, qua ex regis mandato ejus Bibliothecam augebat, se adhibuisse: desiderari inter alia codices legis Judæorum; eos non capi ob characteres & linguam. Hactenus negligentius habitos fuisse quia nondum eis regia providentia contigisset. Divina esse & ideò intacta à poëtis & scriptoribus, teste Hecatæo Abderita: sacrosancta quod sint nec profano ore tractanda. Petere ut rex scribat pontifici Judæorum, ut mittat senos è quavis tribu doctissimos, qui interpretentur. Ad hanc suggestionem jubet rex scribi, simulque indicari de tot millibus Judæorum per Ægyptum libertati restitutis. Præterea misit quinquaginta auri talenta & gemmarum copiosam multitudinem ad faciendos crateras, phialas ac libatoria. Jussit autem custodes arcarum, in quibus gemmæ servabantur, electionem artificibus, è quo vellent genere, permittere. Præterea argenti aurique signati ad sacrificia aliosque usus pontifici dari centum talenta.

Pontifex erat Eleazarus Simonis justi frater. Nam Simon moriens unicum filium parvulum reliquit, ideo frater ejus Eleazarus pontificatum susceperat. In epistola ad eum narrat rex: Patrem suum Judæos, quos Persæ in Ægyptum abduxerant, in precio habuisse, aliorum opera in militia usum sub amplis stipendiis, aliorum in præsidia castellorum. Se benigne habuisse Judæos potissimum, quorum supra centum millia libertati reddiderit solutis de suo pretiis. Ex his per ætatem idoneos allegisse in militiam, alios aulicis addidisse ut Deo gratus esset pro regni donatione. Velle se omnibus Judæis rem gratam facere, ideò constituisse, ut eorum lex in Græcam linguam versa in sua collocaretur Bibliotheca. Bene igitur facturum, si bonos viros sex è quavis tribu jam seniores mitteret: οἳ καὶ διὰ τὸν χρόνον ἐμπείρους ἔχουσι τῶν νόμων καὶ δυνήσονται τὴν ἑρμηνείαν αὐτῶν ἀκριβῆ ποιήσασθαι. Hoc enim factum, arbitrari se maximam gloriam secuturam esse. Misisse Andream & Aristæum, ut cum ipso de ea re colloquerentur &c. Pontifex rescribit epistolam, in qua salutatis rege & Arsinoe regina, cum liberis, collaudataque egregia illius voluntate, narrat, se advocata concione literas regias legisse; ostendisse etiam, quas misisset phialas aureas viginti & argenteas triginta, crateras quinque & mensam reponendam, centumque illa talenta, in victimas aliosque usus. His beneficiis pro-

vocatum se continuo pro ipso & illius sorore & liberis amicisque immolasse: populum fecisse vota pro felici rerum illius successu & pacato regni statu, utque ista legis versio, tam felix esset ipsi, quam cuperet maxime. Mittere se cum lege senos in tribum seniores: illius pietati & justitiæ committi, transcriptam legem tutò cum portantibus remittere. Nomina interpretum omisit Josephus ex Aristæo describere. Inter eos ultimo loco ponitur Ezecielus, quem Usserius putat esse illum, qui eductionem populi Græco carmine conscripsit. Donaria enumerat: mensam quintuplo majorem illa, quæ erat Hierosolymis, voluisse facere, ni religio prohiberet: auri igitur ponderi quod decederet, varietate ornatus & operis pulchritudine compensare. Ipsum præscripsisse artificibus formam, ad quam facerent. Mensæ formam modumque fuse depingit, quæ hujus loci non est ut examinemus. Deinde crateras aureas duas cæteras argenteas, miro artificio: triginta phialas ultimo loco. Regem, dum ista parabantur, relictis seriis negotiis sæpe adiisse officinas & artificum invisere solitum opera, ut eorum diligentiam accenderet. Legati igitur ab Eleazaro honorifice excepti & cum muneribus ad regem remissi.

Rex cognito reditu legatorum & septuaginta seniorum adventu, accitis Andrea & Aristæo, accepit literas Pontificis, quæque verbis suis ore eorum nuntiari voluerat. Cum valde cuperet congredi cum illis senioribus, alios, qui negotiorum causa aderant, jussit discedere, præter morem. Nam qui ob tales causas accesserant, quinto die admitti solebant, legati post mensem. Tunc igitur illis abire jussis, missos ab Eleazaro admittit. Cum senes advenissent cum donis & membranis, quibus lex continebatur inscripta aureis literis, interrogavit eos de libris: ut vero ex involucris deprompros obtulerunt, multum diuque miratus membranæ subtilitatem & latentes commissuras, quæ visu discerni non poterant, gratias se dixit habere ipsis qui advenerant, mittenti & Deo. Cumque seniores & qui aderant, uno ore bene precarentur regi, prorupit præ gaudio in lachrymas. Inde jusso ut libri darentur (τοῖς ἐπὶ τῆς τάξεως) illis, quorum id officium erat, tum demum viros salutavit: confessus diem adventus eorum tam sibi gratum esse, ut quoad viveret per singulos annos redeuntem ejus memoriam colere velit. Sic enim evenerat, ut idem esset dies, quo olim Antigonum navali prælio vicerat. Voluit ut convivæ sibi essent pulcherrimaque hospitia prope arcem ipsis jussit dari. Nicanor, cujus officium erat, suscipere hospites, vocato Dorotheo, cujus id curæ erat, præcepit ipsis curari, quæ ad victum pertinerent. Voluerat rex ut exciperentur more ipsis patrio & consueto. Dorotheus qui ista callebat, duplicem stravit accubitum (διπλῆν τὴν κλισίαν ἐποίησεν) & præcepto regis, τοὺς μὲν γὰρ ἡμίσεις ἐκέλευσεν ἀνὰ χεῖρα κατακλιθῆναι, τοὺς δὲ λοιπούς, μετὰ τὴν αὐτοῦ κλισίαν. Dimidiam partem jussit ad manum decumbere, reliquos post ipsius accubitum. Cum autem discubuissent, remotis ἱεροκήρυξι καὶ θύταις, καὶ τοῖς ἄλλοις οἳ τὰς κατευχὰς ἐποιοῦντο: Elissæus sacerdos preces dixit; stans in medio fausta precabatur regi & subditis: quas preces sequebatur plausus ab omnibus, cum gaudio & clamore. Hinc ad epulationem vertuntur. At rex interposito tempore, quod ipsi visum est sufficere, cœpit philosophari & ordine quemlibet eorum exercere sermonibus physices. Apposite responsum est: Aristæus (sive Aristeas) omnia observatus est. Rex & Menedemus philosophus sapientiam admirantur. Delectatus eorum consuetudine rex duodecim diebus instauravit convivium. Dehinc dimissis in hospitium, singulis tria talenta jussit dari. Post tertium diem Demetrius eos assumit, transitoque aggere septem stadiorum & ponte, cum venisset in insulæ partem borealem, consessum statuit in domo ad littus structa, ad contempla-

tionem rerum ob solitudinem idonea. Huc inductos hortatur, quia omnia necessaria adessent, ut sine impedimento opus perficerent. Mane salutato rege in eundem redibant locum, manibusque lotis in mari ac purificatione peracta interpretationi incubuerunt usque ad horam diei nonam, qua ad corpus curandum se dabant. Dorotheus enim præter illa, quæ aderant, afferebat quotidie de cibo regio. Intra dies septuaginta duos tota legis interpretatione ab illis absoluta Demetrius coactis Judæis in locum, ubi versæ leges erant, legit eas. Multitudo probavit seniores, qui legem erant interpretati, & collaudavit Demetrium, qui tanti boni inventor fuisset. Rogavit etiam ut legendi copia fieret præsidibus. Deinde censuerunt omnes, sacerdos & interpretum seniores & magistratus populi (οἱ τοῦ πολιτεύματος προεστηκότες) quandoquidem feliciter confecta esset interpretatio, ut permanerent illa, ut se habebant, neque loco moverentur. Cum omnibus hæc sententia placeret, jubent, si quis aut superfluum aliquid adscriptum videret legi aut deficiens, ut iterum considerans & faciens manifestum corrigeret. Id prudenter factum esse scriptor dicit ut quod semel judicatum esset, habere se bene, semper maneret. Rex lætus, quod suæ voluntati esset satis factum, eaque in usum cessisset, obstupuit lectis legibus de legis latoris mente & sapientia cœpitque fari cum Demetrio, cum illa lex tam esset mirabilis, cur nullus poëtarum aut historicorum ejus meminisset? Demetrius respondebat ob divinitatem neminem ausum attingere, ne malum sibi quærerent, quemadmodum quibusdam evenisset. Theopompum enim, cum vellet aliquid de istis rebus narrare, incidisse in insaniam & per quietem indicatum, qua id causa evenisset: ita cum abstineret, recepisse sanitatem. Et de Theodecte poëta tragico dici, quod, cum vellet in quodam dramate, meminisse rerum, in sacro libro scriptarum, punitus fuerit glaucomate, cognitaque causa & placato Deo, restitutus. Rex his auditis adorat, præcipitque diligenti cura haberi. Rogat autem interpretes ut frequenter ad ipsum Hierosolymis adventarent: id enim ipsis utilitati fore. Unumquemque donatum tribus stolis optimis & auri duobus talentis & caliculo talenti, (καὶ τὴν τῆς συμποσίας στρωμνήν) & vestibus discubitoriis ad symposium, dimisit. Pontifici mittit decem lectos cum argenteis pedibus cum convenienti apparatu: & calicem talentorum triginta: præterea stolas decem purpureas & coronam insignem & lintei byssini telas centum: tum phialas & trullas & libatoria & crateras argenteas duas, quæ dedicarentur. Rogavit autem in literis, ut si quis ex his viris ad eum vellet reverti, permitteret, quandoquidem plurimi faceret cum doctis consuetudinem. Hoc Josephus ex Aristea: quem librum supposititium esse eruditi meritò suspicantur. Nam imperitè miscet & confundit tempora, ut in sequentibus dicemus. Aristobulus Peripateticus (Nam Judæi in Ægypto Græcorum libros & doctrinam meditari cœperunt) antiquissimus est eorum, qui hujus versionis meminerunt. Hic apud Eusebium Præparat. 13. 12. Φανερὸν ὅτι κατηκολούθησεν ὁ Πλάτων τῇ καθ' ἡμᾶς νομοθεσίᾳ, καὶ φανερός ἐστι περιειργασμένος ἕκαστα τῶν ἐν αὐτῇ. Διηρμήνευται γὰρ πρὸ Δημητρίου τοῦ Φαληρέως, δι' ἑτέρων πρὸ τῆς Ἀλεξάνδρου καὶ Περσῶν ἐπικρατήσεως, τά τε κατὰ τὴν ἐξαγωγὴν τὴν ἐξ Αἰγύπτου τῶν Ἑβραίων, ἡμετέρων δὲ πολιτῶν, καὶ ἡ τῶν γεγονότων ἁπάντων αὐτοῖς ἐπιφάνεια &c. Philo lib. 2. de vita Mosis ita hanc versionem extollit: Τὸ παλαιὸν ἐγράφησαν οἱ νόμοι γλώσσῃ χαλδαϊκῇ καὶ μέχρι πολλοῦ διέμειναν ἐν ὁμοίᾳ τῇ διαλέκτῳ οὐ μεταβάλλοντες, ἕως μήπω τὸ κάλλος εἰς τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους ἀνέφηναν αὐτῶν· ἐπεὶ δὲ ἐκ τῆς καθ' ἑκάστην ἡμέραν συνεχοῦς μελέτης καὶ ἀσκήσεως τῶν χρωμένων ἔννοια ἐγένετο καὶ ἑτέροις, καὶ τὸ κλέος ἐφοίτα πανταχόσε· τὰ γὰρ καλὰ κἂν φθόνῳ πρὸς ὀλίγον ἐπισκιασθῇ χρόνον, ἐπὶ καιροῦ αὖθις ἀνα-

λάμπει φύσεως εὐμοιρία. δεινὸν ἡγησάμενοί τινες, εἰ οἱ νόμοι παρὰ τῷ ἡμίσει τμήματι τοῦ ἀνθρώπων γένους ἐξετασθήσονται μόνῳ τῷ βαρβαρικῷ, τὸ δὲ ἑλληνικὸν εἰς ἅπαν ἀμοιρήσει, πρὸς ἑρμηνείαν τὴν τούτων ἐτράποντο. τὸ δ' ἔργον ἐπεὶ καὶ μέγα ἦν καὶ κοινωφελές, οὐκ ἰδιώταις, οὐδ' ἄρχουσιν, ὧν οὐ πολὺς ἀριθμὸς ἀλλὰ βασιλεῦσι, καὶ βασιλέων ἀνετέθη τῷ δοκιμωτάτῳ. Πτολεμαῖος ὁ Φιλάδελφος ἐπικληθείς, τρίτος μὲν ἦν τῶν ἀπ' Ἀλεξάνδρου τὴν Αἴγυπτον παραλαβόντων, ἀρεταῖς δὲ ταῖς ἐν ἡγεμονίᾳ πάντων, οὐχὶ τῶν καθ' αὑτὸν μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν πάλαι πώποτε γεγενημένων ἄριστος, οὗ καὶ μέχρι νῦν τοσαύταις ὕστερον γενεαῖς ᾄδεται τὸ κλέος, πολλὰ δείγματα καὶ μνημεῖα τῆς μεγαλοφροσύνης κατὰ πόλεις καὶ χώρας ἀπολιπόντος, ὡς ἤδη καὶ ἐν παροιμίας εἴδει τὰς ὑπερόγκους φιλοτιμίας καὶ μεγάλας κατασκευάς, Φιλαδελφείους ἀπ' ἐκείνου καλεῖσθαι. συνόλως μὲν οὖν ἡ τῶν Πτολεμαίων οἰκία διαφερόντως παρὰ τὰς ἄλλας βασιλείας ἤκμαζεν, ἐν δὲ τοῖς Πτολεμαίοις ὁ Φιλάδελφος. ὅσα γὰρ εἷς ἔδρασεν οὗτος ἐπαινετά, μόλις ἐκεῖνοι πάντες ἀθρόοι διεπράξαντο, γενόμενος καθάπερ ἐν ζῴῳ τὸ ἡγεμονεῦον, κεφαλὴ τρόπον τινὰ τῶν βασιλέων. ὁ δὲ τοιοῦτος ζῆλον καὶ πόθον λαβὼν τῆς νομοθεσίας ἡμῶν, εἰς ἑλλάδα γλῶτταν τὴν χαλδαϊκὴν μεθαρμόζεσθαι διενοεῖτο. καὶ πρέσβεις εὐθὺς ἐξέπεμπε πρὸς τὸν τῆς ἰουδαίας ἀρχιερέα καὶ βασιλέα· ὁ γὰρ αὐτὸς ἦν· τό τε βούλημα δηλῶν, καὶ προτρέπων ἀριστίνδην ἑλέσθαι τοὺς τὸν νόμον διερμηνεύσοντας. ὁ δ' οἷα εἰκός, ἡσθείς, καὶ νομίσας οὐκ ἄνευ θείας ἐπιφροσύνης περὶ τὸ τοιοῦτον ἔργον ἐσπουδακέναι τὸν βασιλέα, σκεψάμενος τοὺς παρ' αὐτῷ δοκιμωτάτους ἑβραίων, οἳ πρὸς τῇ πατρίῳ καὶ τὴν ἑλληνικὴν ἐπεπαίδευντο παιδείαν, ἄσμενος ἀποστέλλει. ὡς δ' ἧκον ἐπὶ ξενίαν κληθέντες λόγοις ἀστείοις καὶ σπουδαίοις τὸν ἑστιάτορα εὐώχουν ἀντεστιῶντες· ὁ μὲν γὰρ ἀπεπειρᾶτο τῆς ἑκάστου σοφίας, καινάς, ἀλλ' οὐ τὰς ἐν ἔθει ζητήσεις προτείνων. οἱ δ', εὐστόχως καὶ εὐθυβόλως οὐκ ἐπιτρέποντος μακρηγορεῖν τοῦ καιροῦ, καθάπερ ἀποφθεγγόμενοι, τὰ προτεθέντα διελύοντο· δοκιμασθέντες δ' εὐθὺς ἤρχοντο τὰ τῆς καλῆς πρεσβείας ἐπιτελεῖν, καὶ λογισάμενοι παρ' αὐτοῖς ὅσον εἴη τὸ πρᾶγμα θεσπισθέντας νόμους χρησμοῖς διερμηνεύειν, μήτ' ἀφελεῖν τι μήτε προσθεῖναι, μήτε μεταθεῖναι δυναμένους, ἀλλὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς ἰδέαν καὶ τὸν τύπον αὐτῶν διαφυλάττοντας, ἐσκόπουν τὸ καθαρώτατον περὶ τὸν τόπον χωρίον, ἔξω πόλεως. τὰ γὰρ ἐντὸς τείχους, ἅτε παντοδαπῶν πληρωθέντα ζῴων, διὰ νόσους καὶ τελευτάς, καὶ τὰς ὑγιαινόντων οὐκ εὐαγεῖς πράξεις ἦν ὕποπτα. νῆσος ἡ Φάρος πρόκειται τῆς Ἀλεξανδρείας, ἧς αὐχὴν ὑποταινίος τέταται πρὸς τὴν πόλιν περικλυζόμενος οὐκ ἀγχιβαθεῖ, τὰ δὲ πολλὰ τεναγώδει θαλάττῃ, ὡς καὶ τῆς τῶν κυμάτων φορᾶς τὸν πολὺν ἦχον καὶ πάταγον ἐκ πάνυ μακροῦ διαστήματος προεκλύεσθαι. τοῦτον ἐξ ἁπάντων τῶν ἐν κύκλῳ κρίναντες ἐπιτηδειότατον εἶναι τὸν τόπον ἐνησυχάσαι καὶ ἐνηρεμῆσαι, καὶ μόνῃ τῇ ψυχῇ πρὸς μόνους ὁμιλῆσαι τοὺς νόμους, ἐνταυθοῖ κατέμειναν, καὶ τὰς ἱερὰς βίβλους λαβόντες, ἀνατείνουσιν ἅμ' αὐταῖς καὶ τὰς χεῖρας εἰς οὐρανόν, αἰτούμενοι τὸν θεὸν μὴ διαμαρτεῖν τῆς προθέσεως. ὁ δ' ἐπινεύει ταῖς εὐχαῖς, ἵνα τὸ πλεῖστον ἢ καὶ τὸ σύμπαν γένος τῶν ἀνθρώπων ὠφεληθῇ χρησόμενον εἰς ἐπανόρθωσιν βίου φιλοσόφοις, καὶ παγκάλοις διατάγμασι. καθίσαντες δ' ἐν ἀποκρύφῳ, καὶ μηδενὸς παρόντος, ὅτι μὴ τῶν τῆς φύσεως μερῶν, γῆς, ὕδατος, ἀέρος, οὐρανοῦ, περὶ ὧν πρῶτον τῆς γενέσεως ἔμελλον ἱεροφαντήσειν· κοσμοποιία γὰρ ἡ τῶν νόμων ἐστὶν ἀρχή· καθάπερ ἐνθουσιῶντες προεφήτευον οὐκ ἄλλα ἄλλοι, τὰ δ' αὐτὰ πάντες ὀνόματα καὶ ῥήματα, ὥσπερ ὑποβολέως ἑκάστοις ἀοράτως ἐνηχοῦντος. καίτοι τίς οὐκ οἶδεν ὅτι πᾶσα μὲν διάλεκτος, ἡ δ' ἑλληνικὴ διαφερόντως πλουτεῖ, καὶ ταὐτὸν ἐνθύμημα οἷόν τε μεταφράζοντα καὶ παραφράζοντα σχηματίσαι πολλαχῶς, ἄλλοτε ἀλλοίας ἐφαρμόζοντα λέξεις· ὅπερ ἐπὶ ταύτης τῆς νομοθεσίας, ὅ φασι συμβῆναι, συνενεχθῆναι δ' εἰς ταὐτό, κύρια κυρίοις ὀνόμασι τὰ ἑλληνικὰ τοῖς χαλδαϊκοῖς, ἐναρμοσθέντα εὖ μάλα τοῖς δηλουμένοις πράγμασιν. ὃν γὰρ τρόπον οἶμαι γεωμετρίας καὶ διαλεκτικῆς τὰ σημαινόμενα, ποικιλίαν ἑρμηνείας οὐκ ἀνέχεται, μένει δ' ἀμετάβλητος ἡ ἐξ ἀρχῆς τεθεῖσα, τὸν αὐτὸν ὡς ἔοικε τρόπον καὶ οὗτοι συντρέχοντα τοῖς πράγμασιν ὀνόματα ἐξεῦρον ἅπερ δὴ μόνα μάλιστα τρανώσειν ἔμελλεν ἐμφαντικῶς τὰ δηλούμενα. σαφεστάτη δὲ τούτου πίστις, ἐάν τε χαλ-

δαῖοι

δαῖοι τὴν ἑλληνικὴν γλῶτταν, ἐάν τε Ἕλληνες τὴν χαλδαίων ἀναδιδαχθῶσι, καὶ ἀμφοτέραις ταῖς γραφαῖς ἐντύχωσι, τῇ τε χαλδαϊκῇ καὶ τῇ ἑρμηνευθείσῃ, καθάπερ ἀδελφὰς, μᾶλλον δὲ ὡς μίαν καὶ τὴν αὐτὴν ἔν τε τοῖς πράγμασι καὶ τοῖς ὀνόμασι τεθήπασι καὶ προσκυνοῦσιν οὐχ ἑρμηνέας ἐκείνους, ἀλλ' ἱεροφάντας καὶ προφήτας προσαγορεύοντες οἷς ἐξεγένετο συνδραμεῖν λογισμοῖς εἰλικρινέσι τῷ Μωσέως καθαρωτάτῳ πνεύματι. διὸ καὶ μέχρι νῦν ἀνὰ πᾶν ἔτος, ἑορτὴ καὶ πανήγυρις ἄγεται κατὰ τὴν Φάρον νῆσον, εἰς ἣν οὐκ Ἰουδαῖοι μόνον, ἀλλὰ καὶ παμπληθεῖς ἕτεροι διαπλέουσι, τό, τε χωρίον σεμνυνοῦντες, ἐν ᾧ πρῶτον τὸ τῆς ἑρμηνείας ἐξέλαμψε, καὶ παλαιᾶς ἕνεκα εὐεργεσίας ἀεὶ νεαζούσης εὐχαριστήσοντες τῷ θεῷ. μετὰ δὲ τὰς εὐχὰς καὶ τὰς εὐχαριστίας οἱ μὲν πηξάμενοι σκηνὰς ἐπὶ τῶν αἰγιαλῶν, οἱ δ' ἐπὶ τῆς αἰγιαλίτιδος ψάμμου κατακλινέντες ἐν ὑπαίθρῳ, μεθ' οἰκείων καὶ φίλων ἑστιῶνται, πολυτελεστέραν τῆς ἐν βασιλείοις κατασκευῆς τότε τὴν ἀκτὴν νομίζοντες. Philo ex Aristea quædam, sed adjicit separatim singulos laborasse, atque in ista separata solitudine prophetasse easdem voces reddentes, quamvis linguæ præsertim Græcæ vocum multitudine abundent. Deinde tam germanas fuisse Græcas voces Chaldæis (Hebræas intelligit) ut una & eadem versio fuerit cum originali & rebus & vocibus. Ideò ab omnibus adorari cum stupore nec interpretes sed hierophantas & prophetas appellari. Memoriam istius rei quotannis in littore agi, à Judæis non tantum sed & aliis eò confluentibus, qui in tentoriis & sub dio festa agitent convivia. Justinus in Apologia secunda pro Christianis dicit Ptolemæum Ægypti regem misisse ad Herodem de propheticis libris mittendis & vertendis: Ὅ τε δὲ Πτολεμαῖος ὁ Αἰγυπτίων βασιλεὺς βιβλιοθήκην κατασκευάζε καὶ τὰ πάντων ἀνθρώπων συγγράμματα συνάγειν ἐπειράθη, πυθόμενος καὶ περὶ τῶν προφητῶν τούτων, προσέπεμψε τῷ τῶν Ἰουδαίων τότε βασιλεύοντι Ἡρώδῃ, ἀξιῶν διαπεμφθῆναι αὐτῷ τὰς βίβλους τῶν προφητειῶν. Καὶ ὁ μὲν βασιλεὺς Ἡρώδης τῇ προειρημένῃ ἑβραΐδι αὐτῶν φωνῇ γεγραμμένας διεπέμψατο. Ἐπειδὰν δ' οὐκ ἦν γνώριμα τὰ ἐν αὐταῖς γεγραμμένα τοῖς Αἰγυπτίοις, πάλιν αὐτὸν ἠξίωσε πέμψας τοὺς μεταβαλοῦντας αὐτὰς εἰς τὴν ἑλλάδα φωνὴν ἀνθρώπους ἀποστεῖλαι. Καὶ τούτου γενομένου ἔμειναν αἱ βίβλοι καὶ παρ' Αἰγυπτίοις μέχρι τοῦ δεῦρο καὶ πανταχοῦ παρὰ πᾶσιν εἰσὶν Ἰουδαίοις. Ignorantia & securitas magna! In dialogo cum Tryphone hujus etiam versionis meminit: at neutro loco discernit sub quo Ptolemæo facta fuerit. Irenæus refert ad Ptolemæum Lagi. Et separatim cum versioni incubuissent, divino spiritu suggerente iisdem verbis reddidisse: τῶν πάντων τὰ αὐτὰ ταῖς αὐταῖς λέξεσι καὶ τοῖς αὐτοῖς ὀνόμασιν ἀναγορευσάντων. Irenæi locum producit Eusebius lib. 5. histor. cap. 8. E Philone si sumpsisset Irenæus, Philadelphum pro Lagi filio agnovisset: sed minus attentus fuit cum scriberet. Clemens Alexandrinus Strom. lib. 1. ostendit alios ad Ptolemæum Lagi, alios ad Philadelphum retulisse. Ἑρμηνευθῆναι δὲ τὰς γραφὰς τάς τε τοῦ νόμου καὶ τὰς προφητικὰς ἐκ τῆς τῶν ἑβραίων διαλέκτου εἰς τὴν ἑλλάδα γλῶτταν φασὶν ἐπὶ βασιλέως Πτολεμαίου τοῦ Λάγου, ἢ ὥς τινες ἐπὶ τοῦ Φιλαδέλφου ἐπικληθέντος, τὴν μεγίστην φιλοτιμίαν εἰς τοῦτο προσενεγκαμένου Δημητρίου τοῦ Φαληρέως, καὶ τὰ περὶ τὴν ἑρμηνείαν ἀκριβῶς πραγματευσαμένου. Ἔτι γὰρ Μακεδόνων τὴν Ἀσίαν κατεχόντων φιλοτιμούμενος ὁ βασιλεὺς τὴν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ πρὸς αὐτοῦ γενομένην βιβλιοθήκην πάσαις καλλωπίσαι γραφαῖς, ἠξίωσε (δὲ) καὶ τοὺς Ἱεροσολυμίτας τὰς παρ' αὐτοῖς προφητείας εἰς τὴν ἑλλάδα διάλεκτον ἑρμηνεῦσαι, οἱ δὲ ἅτε ἔτι ὑπακούοντες Μακεδόσι, τῶν παρὰ σφίσι δοκιμωτάτων, περὶ τὰς γραφὰς ἐμπείρους καὶ τῆς ἑλληνικῆς διαλέκτου εἰδήμονας, ἑβδομήκοντα πρεσβυτέρους ἐκλεξάμενοι, ἀπέστειλαν αὐτῷ μετὰ καὶ τῶν θείων βίβλων. ἑκάστου δ' ἐν μέρει καθ' ἰδίαν ἑκάστην ἑρμηνεύσαντος προφητείαν, συνῄνεσαν αἱ πᾶσαι ἑρμηνεῖαι συναντιβληθεῖσαι καὶ τὰς διανοίας καὶ τὰς λέξεις. θεοῦ γὰρ ἦν βούλημα μεμελετημένον εἰς ἑλληνικὰς ἀκοάς. οὐ δὴ ξένον ἐπιπνοίᾳ θεοῦ, τοῦ τὴν προφητείαν δεδωκότος, καὶ τὴν ἑρμηνείαν οἱονεὶ ἑλληνικὴν προφητείαν, ἐνεργεῖσθαι. Multi-

tem-

tempore Clementis ad Ptolemæum Lagi versionem referebant, pauciores ad Philadelphum, ὡς τινές. Qui ad Philadelphum, illi sequebantur Aristæum & Josephum: quamvis quædam mutata & addita. Confer cum narratione Josephi & Aristæi, quæ habet Epiphanius in libro de mensuris & ponderibus, multam invenies discrepantiam.

1. Volumina ducenta millia Aristæus, Epiphanius quinquaginta quatuor, cum octingentis.

2. Ptolemæi literæ inscribuntur ad Hierosolymitas non ad pontificem.

3. Veteris testamenti libros 22. & apocryphos 72. miserunt, Aristæus de sola lege.

4. Semel scripsit Ptolemæus, hic iterum ad Hierosolymorum magistros: quia primò missi libri sine interpretibus: cum Aristæus & Josephus velint missam legem cum interpretibus.

5. Aristæus cum Andrea mittitur, hic nulla ejus mentio, sed nudæ literæ.

6. Alia multa videbis differre si conferas & utranque toto, quod *ajunt*, cælo discriminari historiam. Subjicit Epiphanius libros translatos à septuaginta interpretibus, collocatos esse in priore bibliotheca, quæ fuit in Bruchio: aliam posteà bibliothecam longe minorem constitutam esse, quæ in Serapio fuerit & superioris filia dicta. In hanc Aquilæ, Symmachi, Theodotionis & aliorum editiones esse congestas post annos 250. A septimo anno Ptolemæi Philadelphi, quo biblia sint translata ad Cleopatram annos esse 306. Rursum ab eo tempore, quo septuaginta interpretes exstiterunt usque ad duodecimum annum Augusti esse annos 430. & menses quatuor. Notabit lector omnes omnino patres voluisse quod septuaginta illi interpretes seorsim verterint, sive totidem distincti cellulis, (bini apud Epiphanium) & Spiritu prophetico acti iisdem dictionibus & verbis reddiderint. Illa convenientia, quam omnes prædicant & cui Hieronymus non consentiens multa *passus est*, etiam urgebatur à multis Judæorum Græciensium. Aristæus & Iosephus dilaudant sed collatis operis incubuisse versioni & quidem solius legis, quam septuaginta duobus diebus absolvere poterant junctim. Deinde lectam esse in Iudæorum concione & conquisitis sententiis probatam. Adeò divinæ *inspirationis*, quæ suam id est divinam & propheticam canonicamque versionem fecerit, illis in mentem non venit. Hinc etiam cum Christiani ex ista posteà interpretatione adversus Judæos disputarent, cumque animadverterent peritiores deviatum esse ab Hebræo, in locis nonnullis interpolarunt & immutarunt, ut patet è Justino adversus Tryphonem. Christiani totum V. T. sub illo Ptolemæo versum esse sentiebant, Judæi non tantum Aristæum secuti sed & *Philo* legem solam. Hinc Philo: *οἷς ἐξεγένετο συνδεχμέν λογισμοῖς εἰλικρινέσι τῷ Μωσέως καθαρωτάτῳ πνεύματι.* Judæi etiam in Thalmud. Josephus Gorionides dicit Ptolemæum primum transtulisse legem non bona mente sed ut ex ea aucuparetur causam, qua eos à religione dimoveret. Legem esse scriptam à septuaginta senibus, quos seorsim collocaverant והסכימה דעת כל אחד להם / concurrebant sententia omnes, quamvis tredecim loca mutaverint. Loca, quæ recenset, in illa versione pleraque non ita habentur. In codice Megilla cap. 1. *Dicit R. Juda: Etiam cum permiserunt magistri nostri Græce, non permiserunt nisi in libro legis.* Id permissum esse propter opus Ptolemæi, quem dicunt congregasse septuaginta duos senes eosque constituisse in septuaginta duabus cellulis ולא גלה להם על מה כינסן ונכנס אצל כל אחד ואחד ואמר להם כתבו לי תורת משה רבכם נתן הקדוש ברוך הוא בלב כל אחד ואחד עצה והסכימו כולן לדעת אחת וכתבו וכו׳ Cellulas septuaginta duas Judæi struunt, deinde mutata loca subjiciunt. Sed

id

id hic nota septuaginta duos senes non esse missos ad petitionem Ptolemæi ab Eleazaro nec accersitos Hierosolymis. Nam si ita, notum illis ob quam rem rex eos vocasset, ut late & fuse scribunt Josephus & Aristæus, sed magistri dicunt inclusos esse in cellulas nec scivisse, quid acturi essent, antequam inclusis sigillatim præciperet rex ut legem Mosi scriberent. E memoria igitur, & suggestione Divina scripserunt illam versionem. Hæ sunt, inquies, Judaicæ fabulæ sed & illæ fabulæ sunt Judæorum; quas suppositititius ille Αριςαῖος sive Αριςέας edidit & persuasit Josepho. Suppositititius ille Josepho antiquior est, quem & nos hodie habemus, est tamen ψευδεπίγραφος. Non est id à more & ingenio Alexandrinorum Judæorum alienum & Josephus, quam facilis fuerit ad credendum intelleximus in expositione rerum Esdræ, Nehemiæ & Esther. Ibi apocrypha sæpè secutus est, quomodo hic Aristean. Ego hic malim assensum suspendere, quam decipi. Nemo mihi patrum consensum objecerit, cum testentur non visa sed audita & longe remota à suorum temporum articulo. Crediderunt illis scriptoribus, quibus nos fidem nolimus adhibere & quidem dissentientibus inter se. Decepti sunt & se decipi passi sunt quia suis oculis videre non poterant. Nos scimus errorem non cadere in Spiritum S. ideò videntes eos interpretes tantum aberrasse ab originario, inspirationis fabulam rejicimus. Cellulas & adspirationem propheticam qui mentiti sunt, ut res ipsa mendacium aperit, quomodo in cæteris fidem merebuntur? Modestius scripserunt Aristeas & Josephus, sed Josepho non possumus credere, nisi è veritate testis quem producit. Aristeas igitur ille examini subjiciendus fuerit & illius narratio. Quia ad Ptolemæum Philadelphum, Demetrium Phalerensem & Menedemum Philosophum, provocant, illos eorumque vitam, & facta consulamus. Philadelphus cum patre regnavit biennio & post eum annis 38. Ptolemæus Soter uxorem habuit Berenicen, sororem suam, quam prudentiæ nomine celebrat Theocritus. His natus est Phiĺadelphus. Theocr.

σὲ δ' αἰχμητὰ Πτολεμαῖε
Αἰχμητᾷ Πτολεμαίῳ ἀρίζηλος Βερενίκα.
Καί σε Κόως ἀτίταλλε βρέφος νεογνὸν ἐόντα,
Δεξαμένα παρὰ ματρὸς, ὅτε πρώταν ἴδες ἀῶ.

Ptolemæus Lagi & Berenice nati Antigone Cassandri filia. Cassander frater fuit Antipatri: quæ exsequitur Theocritus. Obtinuisse Philadelphum partem Phœniciæ, Arabiæ, Syriæ, Libyæ & Æthiopum: imperasse item toti Pamphyliæ, Ciliciæ, Lyciæ, Cariæ & insulis Cycladibus. Opibus abundasse, liberalem fuisse etiam in poëtas. Scholiastes scribit Philadelphum primò habuisse in conjugio Arsinoen Lysimachi filiam, è qua genuit Ptolemæum, Lysimachum, Berenicen: cum autem deprehenderet insidiatam sibi & cum ea Amyntam & Chrysippum Rhodium medicum, hos quidem occidit, illam autem relegavit Coptum aut in locum Thebaidis. Ducit autem sororem suam Arsinoen à qua adoptari voluit liberos è priore Arsinoe natas, quia è sorore nullam prolem genuit.

Ptolemæus Lagi ex Euridice habuit liberos, inter quos erat Ptolemæus Ceraunus: è Berenice filium Ptolemæum Philadelphum. Cum igitur Philadelphus regnum obtinuisset adversarium habuit Ceraunum. Lysimachus in matrimonio habebat Arsinoen Cerauni sororem: victus & occisus est à Seleuco. At post menses admodum septem Ceraunus Seleucum per insidias circumventum interficit: regnumque Macedoniæ quod ille Lysimacho eripuerat, obtinuit. Igitur Ptolemæus (Ceraunus) cum & in gratiam memoriæ magni Ptolemæi

patris, & in favorem ultionis Lysimachi ambitiosus apud populares esset, primò Lysimachi filios conciliare sibi statuit: nupciasque Arsinoes sororis suæ matris eorum petit, puerorum adoptione promissa; ut cum in locum patris eorum successisset, nihil moliri vel verecundia matris vel appellatione patris auderent. Fratris quoque regis Ægypti concordiam per epistolas deprecatur: professus deponere se offensam erepti paterni regni neque ampliùs à fratre quæsiturum, quod honestius à paterno hoste perceperit. Justin.

Bibliothecam magno studio & sumptuum profusione instruxit Philadelphus. Vitruvius lib. 7 architect. *Reges Attalici magnis philologiæ dulcedinibus inducti cum egregiam bibliothecam Pergami ad communem delectationem instituissent, tunc item Ptolemæus infinito zelo cupiditatisque incitatus studio non minoribus industriis ad eundem modum contenderat Alexandriæ comparare. Cum autem summa diligentia perfecisset, non putavit id satis esse, nisi propagationibus in seminando procuraret augendam. Itaque Musis & Apollini ludos dedicavit* &c. In ludis judices literatos legit, quibus addidit quendam Aristophanem. Primo poëtarum ordine ad certationem inducto, cum recitarentur scripta, Aristophanes judicium à cæteris judicibus diversum tulit: addiditque judicii sui rationem, ostendendo, unde, qui placuerant, furati essent. *Itaque rex* (inquit Vitruvius) *jussit eum bis agi furti condemnatosque cum ignominia dimisit, Aristophanem vero amplissimis muneribus ornavit & supra bibliothecam constituit.*

Hermippus apud Laertium de Demetrio Phalerensi: Φησὶ δ' αὐτὸν Ἕρμιππος μετὰ τὸν Κασσάνδρου θάνατον φοβηθέντα Ἀντίγονον παρὰ Πτολεμαῖον ἐλθεῖν τὸν Σωτῆρα, κἀκεῖ χρόνον ἱκανὸν διατρίβοντα συμβουλεύειν τῷ Πτολεμαίῳ πρὸς τοῖς ἄλλοις καὶ τὴν βασιλείαν τοῖς ἐξ Εὐρυδίκης περιθεῖναι παισί. Τοῦ δὲ οὐ πεισθέντος, ἀλλὰ παραδόντος τὸ διάδημα τῷ ἐκ Βερενίκης, μετὰ τὴν ἐκείνου τελευτὴν ἀξιωθῆναι πρὸς τούτου παραφυλάττεσθαι ἐν τῇ χώρᾳ, μέχρι τι δόξει περὶ αὐτοῦ. Ἐνταῦθα ἀθυμότερον διῆγε, καί πως ὑπνώττων ὑπ' ἀσπίδος τὴν χεῖρα δηχθεὶς τὸν βίον μετήλλαξε, καὶ τέθαπται, ἐν τῷ Βουσιρίτῃ νομῷ πλησίον Διοσπόλεως. Eadem apud Suidam. Cicero pro Rabirio Postumo: *Video Demetrium & ex rep. Atheniensium, quam optime digesserat & ex doctrina nobilem & clarum, qui Phalereus vocitatus est, in eodem isto Ægypti regno, aspide ad corpus admota, vita esse privatum.* Decem annis reip. Atheniensium præfuit: quam cæpit administrare, eo tempore, quo Harpalus Alexandrum fugiens Athenas venit ut Demetrius Magnes scripsit in homonymis.

Menedemus philosophus missus ab Eretriensibus in Megara, concessit ad Platonem deserta militia. Eretriensium nomine ad Ptolomæum & Lysimachum & Demetrium legatione functus est. Accusatus, quod Ptolemæo civitatem traderet, per epistolam sese Demetrio purgavit. Ad Demetrium etiam pro Oropo, ut Euphantus testatur, legationem obiit. Erat ejus inprimis studiosus Antigonus, qui se ejus discipulum esse prædicabat: quumque barbaros fudisset circa Lysimachiam scripsit ei decretum. Ideò, insimulante Aristodemo, abiit Oropum: unde communi Bœotorum decreto emigrare jussus ad Antigonum abiit, ibique vitam finiit.

Anno M. C. 3602. Archonte apud Athenas Theophilo Olymp. 108. Plato philosophus mortem obiit.

Anno M. C. 3607. Theopompi Chii historia de Dionysio majore & minore desinit.

Anno M. C, 3609. Epicurus nascitur. Ephorus desinit in obsidione Perinthi, continuat Diyllus usque ad Philippi obitum.

Anno M. C. 3611. Speusippus Platonis successor moritur. succedente Xenocrate: qui tandem venditus fuit ab Atheniensibus sed redemptus à Demetrio Phalerensi.

Anno

Anno M. C. 3612. victoria ad Chæroneam. Isocrates inedia quatridui vitam finiit.

Anno M. C. 3614. Darius Codomannus in Perside regnat. Eodem anno Alexander magnus Philippo patri succedit in regno Macedoniæ.

Anno M. C. 3615. Aristoteles mortuo Philippo rediens Athenas solidis annis duodecim in Lyceo docet.

Anno M. C. 3616. Alexander in Asiam trajicit. Persas vincit ad amnem Granicum.

Anno M. C. 3619. secunda victoria Alexandri de Persis in Cilicia.

Anno M. C. 3618. Gazam occupat, Hierosolymam intrat.

Anno M. C. 3619. Clade ad Arbela finita est monarchia Persarum.

Anno M. C. 3620. Babylona, Susa capit: Persepolin incendio evertit. Darius à Besso interficitur.

Anno M. C. 3621. Alexander Epiri rex ex insidiis interficitur ad Acherontem amnem.

Anno M. C. 3622. Alexander M. Scythas prælio vincit. Crates Thebanus floret.

Anno M. C. 2624. Harpalus cum talentorum quinque millibus fugit Athenas.

Anno M. C. 3625. Fugientem eum persequitur Antipater. Demosthenes in exilium pellitur. Demetrius Phalerensis ad remp. adhibetur, ut vult Magnes Demetrius.

Annos M. C. 3627. Alexander Babylone, Diogenes Cynicus Corinthi eodem die moriuntur. Athenienses sociis Ætolis & Thessalis, quos Demosthenes conciliaverat, vincunt Antipatrum & obsident Lamiam.

Anno M. C. 3628. Craterus auxilio venit Antipatro & cum Græcis apud Cranonem congressi victoriam obtinent. Præsidium Athenienses in Munychiam admittunt, Demosthenes hausto veneno exspirat.

Anno M. C. 3629. Aristoteles moritur. Bellum adversus Perdiccam suscipiunt duces.

Anno M. C. 3630. Perdiccas Ptolemæum Soterem oppugnat, & interit.

3631 Antipater moritur.

3632. Polyspercon sibi metuens ab Antigono & Ptolemæo, quos Cassander Antipatri filius de auxiliis solicitabat, ut Græcos sibi conciliaret, promulgat decreta de urbibus Græciæ restituendis in libertatem. At Athenarum arcem Munychiam Nicanor præfectus præsidii noluit tradere. Eam non tantum Cassandro tradit sed & Piræea occupat. Populus exacerbatus, abrogata oligarchia, suspectos quosdam capite mulctat, alios publicatione bonorum. Phocion sibi metuens profugit ad Polysperchontem: ubi pota cicuta vitam finiit. Eumenes pro regibus & Polysperchonte tutore dux electus est. Polyspercon cladem patitur à Cassandro & Antigono.

3633. Athenienses cum Cassandro pacem faciunt his conditionibus, ut præsidium in arce maneat, donec cum regibus (ducibus) sit debellatum, ut curator reip. & urbis constitueretur Demetrius Phalerensis: qui hinc per decennium in tranquilla pace, cum laude, urbi præfuit. Male igitur Demetrius Magnes apud Laertium decennium hoc inchoat ab Harpali fuga, cum adhuc viveret Demosthenes. Πολλὰ δὲ καὶ κάλλιστα τῇ πατρίδι ἐπολιτεύσατο, καὶ γὰρ προσόδοις καὶ κατασκευαῖς ηὔξησε τὴν πόλιν, καίτοι οὐκ εὐγενὴς ὤν. ἦν γὰρ ἐκ τῆς Κόνωνος οἰκίας.
Olympias Alexandri mater Aridæum & Eurydicen interimit.

3634. Eumenes à suis Antigono traditur. Cassander Macedoniam occupat.

3635. Cassander occupata Pydna Olympiadem occidit. Thessalonicen filiam ejus, Alexandri M. sororem ducit. Xenocrates philosophus moritur succedit ipsi Polemo. Ptolemæus, Lysimachus & Cassander tertia jam scissione ducum Antigono bellum indicunt, qui Græcorum benevolentiam sibi conciliaturus edictum proponit de libertate & promittit se præsidia ejecturum. Idem promulgat Ptolemæus, sed Græci ab utraque parte promissis allecti utrinque bello atteruntur. Demetrius Phalerensis, archonte apud Athenas Nicostrato, cum Dionysio præfecto præsidii in Munychia viginti naves in Lemnum mittunt nauarcho Aristotele.

3637. Telesphorus dux Alexandri Peloponnesum occupat, excepta Corintho & Sicyone: dux Cassandri Epirotas & Ætolos vincit. Cassander cum Antigono pacem facit, ea conditione, ut Macedoniæ esset præfectus & Græci in libertate essent; cum non possent convenire, ad bellum rediit.

3638. Antigoni duces in Græcia & Peloponneso plurimas urbes occupant. Athenienses etiam ad Antigonum de libertate mittunt.

3637. Pax inita inter quatuor duces, qui de Alexandri cohorte supererant: Cassander summus Europæ præfectus (στρατηγὸς τῆς εὐρώπης) μέχρις ἂν Ἀλέξανδρος ὁ ἐκ Ῥωξάνης εἰς ἡλικίαν ἔλθῃ. Ut Lysimachus Thraciæ imperium teneret, Ptolemæus Ægypti & conterminarum regionum: Antigonus toti Asiæ præesset: ut Græci suis legibus viverent. Sed illud fœdus mox ruptum est, cum Cassander Roxanen cum filio obtruncasset.

3640. Hieromnemon Archon Athenis: Polysperchon ostentat Herculem Alexandri M. è Barsine filium.

3642. Hercules ab ipso Polysperchonte occiditur, persuaso à Cassandro. Hoc annp Demetrius Phalerensis archon apud Athenas erat.

3632. Charinus Archon Athenis. Theodorus Atheus judicio ereptus à Demetrio Phalerensi transfugit ad Ptolemæum Soterem. Pax coit inter Cassandrum & Ptolemæum.

3643. Archon Anaxicrates. Demetrius Antigonicum classe solvit Epheso, ut omnes per Græciam urbes, primamque Athenarum Cassandri præsidiis liberaret. Piræea appellit & mox primo adventu post edicti proclamationem, oppugnationem aggreditur. Dionysius præsidii Munychiæ præfectus & Demetrius curator urbis, hostem propulsant. Sed irrumpunt Antigoni milites, Dionysius in Munychiam refugit, Demetrius in urbem. Postridie legatus à populo ad Demetrium missus est ipse Phalerensis cum aliis obtinuitque αὐτονομίαν urbis & propriam dimissionem. Profugit Thebas & inde ad Ptolemæum Lagi: postquam decennio Athenis præfuisset. Munychia etiam in potestatem Demetrii pervenit & ab eo eversa est populo reddita libertate, quam ante 15. annos bello Lamiaco amiserant. Communi decreto Antigono & Demetrio statuæ ex auro in curru erectæ sunt & ara, dicta σωτήρων. Non profugit igitur Demetrius Phalerensis ad Ptolemæum post Cassandri mortem, ut Hermippus lapsu calami scripsit sed post ejectum ejus ex urbe Athenarum præsidium. Hic annus erat Ptolemæo decimus septimus. Fuit in Ægypto usque ad initium Philadelphi, annis fermè 23.

3644. Demetrius navali prælio vincit Ptolemæum apud Cyprum. Epicurus Colophone redit Athenas. Antigonus Ptolemæum classe infeliciter oppugnat, circà initium Aprilis.

3646. Demetrius obsidet Rhodum: Cassandri obsidione liberat Athenas, eumque Græcia expellit.

3647. Sicyoniorum urbem liberat à præsidio Ptolemæi Ægypti regis, totamque Achajam reddit libertati. 3648.

3648. Cassander ab Antigono pacem petit sed repulsus societatem init cum Seleuco & Ptolemæo, consilio Lysimachi. Igitur Antigono simul bellum faciunt.

3649. Demetrius victus & profugus ab Atheniensibus intra urbem non admittitur. Quam malam gratiam suo liberatori rependunt.

3650. Lacharis auxilio Cassandri tyrannidem Athenis occupat. Demetrius eo cum classe profectus tempestate repellitur.

3651. Demetrius classe Ptolemæi rejecta Athenas occupat: & præsidia imponit Piræo & Munychiæ.

3653. Cassander moritur, succedit ei filius Philippus annuo fere spatio.

3654. Philippo Cassandri filio in regno Macedoniæ succedunt Antipater & Alexander.

3656. Alexander Cassandri filius, ultus parricidium matris in fratre Antipatro, auxiliante Pyrrho Epirotarum rege: adversus Pyrrhum iniquam mercedem postulantem evocat Demetrium.

3657. Demetrius cum exercitu auxilio venit Alexandro: sed cum Alexander ejus potentiam veritus, insidias illi strueret, id ille cognoscens, Alexandrum præoccupatum occidit efficitque ut ipse rex Macedoniæ appellaretur.

3658. Demetrius subigit Thebas.

3659. Thebani, cum Demetrius in Lysimachum movisset, deficiunt. Circa hoc tempus, cum Bœotia à Demetrio premeretur & ambigui animi essent, alii ad Demetrium, alii ad Ptolemæum viderentur spectare, suspectus suis fuit Menedemus philosophus: qui abiit ad Antigonum in Asiam, ubi vitam finiit senex. Ex his (quæ fusè deduximus) patet nec Menedenum nec Demetrium Phalerensem potuisse Philadelpho adesse cum monumenta sacra Hebræorum versuri interpretes adessent. Menedemus obiit annum agens septuagesimum tertium. Si Platonem audivit, cum fermè esset viginti annorum, non potuit vivendo ultra annum M. C. 3654. aut circiter pervenisse. Demetrius quidam historicus, qui de rebus Judæorum scripsit, apud Josephum & Eusebium est in crebra mentione sed hic alius est à Demetrio illo Athenarum curatore, quia apud Clementem Alexandrinum meminit Ptolemaei quarti. Hunc tamen Josephus Phalerensem appellat. Porrò Aristophanes fuit Bibliothecæ præfectus apud Philadelphum, Ante illum Zenodotus Ephesius, Philetæ discipulus, Bibliothecis Alexandrinis præfuit. Suidas: ἐπὶ Πτολεμαίου γεγονὼς τοῦ πρώτου, ὃς καὶ πρῶτος τῶν Ὁμήρου διορθωτὴς ἐγένετο καὶ τῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ βιβλιοθηκῶν προὔστη καὶ τοὺς παῖδας Πτολεμαίου ἐπαίδευσεν. Bibliothecæ igitur fuerunt ante Philadelphum, Præfuisse etiam legimus Apollonium & Aristonymum. Suidas in Aristonymo: βασιλεύοντος Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου, καὶ τοῦ μετ' αὐτὸν Φιλοπάτορος καὶ προέστη τῆς τοῦ βασιλέως βιβλιοθήκης μετὰ Ἀπολλώνιον, ἔτος ἄγων ξβ. διασκευασθεὶς δὲ ὡς βουλόμενος πρὸς Εὐμενῆ φυγεῖν, ἐφυλάχθη ἐν εἱρκτῇ χρόνον τινὰ, ἠφείθη δὲ καὶ ὑπὸ στραγγουρίας τελευτᾷ. Apollonius ille fuit Alexandrinus, sub Ptolemæo Evergete successit Eratostheni in præfectura Bibliothecæ. Successio igitur in ista præfectura fuit: Zenodotus, Aristophanes, Eratosthenes, Apollonius, Aristonymus. Ita diligenter Suidas enumerat præfectos Bibliothecæ Alexandrinæ, nulla mentione illius præfecturæ in Demetrio.

Qui conciliare volunt sententias duas, quarum altera sub patre, altera sub filio versionem esse institutam dicit, confugiunt ad consortium regni, quo una cum patre Philadelphus imperavit: quod vellem non fecisse viros tantæ eruditionis. Nam tota historia Aristeæ excludit regnum & vitam Soteris. Nulla mentio in edictis, epistolis totoque rei ambitu, patris, solius est Philadelphi.

Etsi filius cum patre regnavit, non tamen imperium & dominationem patris omnino exterminavit. Quin & diserte distinguit quæ fecerat pater, quæque ipse nunc facit. Existimat sine voluntate patris militari licentia abstractos esse in servitutem Judæos, si in vivis fuisset pater, id rogatus potuisset testari.

Aristeas ille suppositius voluit claram facere historiam memoria duorum hominum, quorum alter apud Antigonum, alter apud Ptolemæum in magna gratia & celeberrimi fuere.

Alia etiam istam historiam Aristeæ faciunt suspectam. Nam Ptolemæum Philadelphum, facit sibi arrogare victoriam navalem adversus Antigonum: quod est ἀντιφηγορίας Judaicæ. Eodem die advenisse interpretes & istam victoriam contigisse. Atqui Judæi exsecrantur memoriam versionis in mensis Thebet die 8, cum mense Aprili classis Antigoni disjecta fuerit. Senos è singulis tribubus delectos esse, quos miserit Eleazarus: quasi remp. ostenderet qualis fuit ante mortem Salomonis. Verum est, quod decem tribuum reliquiæ fuerint inter duas, sed ut resp. & regimen distributum ita fuerit? nugæ. Vivebant inter Judæos non constituebant separatas tribus, quæ suum magistratum, suum de publico bono haberent concilium. Cum aliquid in commune faciendum erat suos ipsæ non dabant deputatos, quales hi videntur fuisse seniores ad istam versionem. Quia non habitabant locis separatis sed inter duas & fere Hierosolymis, ut ex constitutione Nehemiæ apparet, non potuerunt separatas coitiones habere nec potuit cum illis separatim tractari: ut ab illis peteret istos senes Eleazarus.

Tota narratio conficta quidem non est, sed mirifice interpolata. Nam quod Ptolemæus Philadelphus sumptus suppeditaverit ad versionem, admittimus: quod missi sint legati à Judæis, qui ab Hierosolymitis id est eorum doctoribus peterent veniam vertendæ legis: quod Demetrius aliquis, quem Phalerensem fabulatoribus appellare placuit, operam suam in conciliando rege, quia curiosus erat rerum Judaicarum, contulerit: quod res cum aliqua solenni pompa acta fuerit. Versioni legis accessit paulò post versio cæterorum librorum etiam additio apocryphorum. Præcipue gratum erat Alexandrinis & ambabus amplexabantur ulnis, quod Hierosolymis tanquam versum ab aliquo sacerdote & legis doctore afferebatur. Sicut de Dositheo & filio ejus Ptolemæo in additionibus ad Esther. Judæi, qui Hebraice in synagogis scripturam legebant, odio habebant Hellenistas: unde etiam fabulantur (nam & hi æque ac Alexandrini fabulis dediti) ex illa Alexandrinorum audacia, qua Dei legem in profanum sermonem transtulerunt, tridui tenebras orbi incubuisse. Non opus ut pluribus agamus, res manifesta est modestis & veri amantibus ingeniis. Ejusdem judicii aut malignitatis est, Hebræam veritatem impugnare & Aristeam propugnare.

Iosephi antiquit. lib. XII. cap. 3.

JUdæos etiam apud Asiæ reges in honore fuisse docet, ob navatam operam in militia. Seleucus Nicator in urbibus à se conditis in Asia, Syria inferiore & regia urbe Antiochia, jus civitatis illis donavit, æquo jure cum Macedonibus & Græcis, quod adhuc integrum erat, cum ista scriberet. Indicio esse, quod judæis externo oleo nolentibus uti, gymnasiarchæ definitam pecuniam debeant erogare in olei pretium. Cum illud populus Antiochenus abrogare bello illo Romanorum ultimo cum Judæis vellet, Mucianus Syriæ præses non permisit. Deinde cum Vespasianus & Titus orbem obtinuissent. Ale-

Alexandrini & Antiocheni rogantes jus civitatis adimi Judæis, non obtinuerunt. Quam moderationem & magnanimitatem, ut merebatur, prædicat. M. Agrippam etiam prædicat. Nam rogantibus Joniæ civitatibus per seditionem, ut jus quod ipsis Seleuci nepos, Antiochus cognomento θεὸς, concesserat, soli haberent: deinde si Judæi ipsis cognati essent, ut ipsorum colerent deos: judicio constituto, obtinuisse Judæos, ut suis moribus viverent, patrocinante Nicolao Damasceno. Quæ apud Nicolaum legi possint lib. 123. & 124.

Hinc delabitur ad Antiochum Magnum, quo bellum gerente cum Ptolemæo Philopatore & Epiphane, Cœle Syria, inter adversa & prospera belli jactata est. Victo tamen Ptolemæo Judæam suæ ditioni subjicit. Defuncto Ptolemæo Philopatore filius ejus ingenti cum exercitu misit Scopam in Syriam cœlen: qui multas ejus urbes & gentem Judæorum, bello subegit. Sed non multò post Antiochus Scopam prælio vincit ad fontes Jordanis cum magna clade. Cum deinde Antiochus urbes Syriæ cavæ quas Scopas obtinuerat, recepisset & Samariam, ultro deditionem fecerunt Judæi, receptisque intra urbem, omnibus ejus copiis & elephantibus, liberaliter commeatum præstiterunt: & oppugnantibus Scopæ præsidium in arce impigre auxilium tulerunt. Polybius Megalopolita historiarum lib. 16. de Scopa ita: Ὁ δὲ τοῦ Πτολεμαίου στρατηγὸς Σκόπας, ὁρμήσας εἰς τοὺς ἄνω τόπους κατεστρέψατο ἐν τῷ χειμῶνι τὸ τῶν Ἰουδαίων ἔθνος. Eodem libro narrat quomodo Antiochus victa Scopa, Batanæam, Samariam, Abila & Gadara receperit & Judæi, qui Hierosolyma tenent & celebre ejus loci templum, ad eum defecerint. Antiochus ut Judæis referret gratiam, scripsit ad amicos ducesque literas testes beneficiorum. Scripsit literas ad Ptolemæum ducem suum, in quibus testatur, quod obviam venerint cum senatu, militibus & elephantibus largo annonam præbuerint & auxilium tulerint in præsidio oppugnando, velle se gratiam reponere urbemque variis calamitatibus affectam in pristinam restituere frequentiam, revocatis, qui dispersi erant habitatoribus. Primò igitur ad cultum Dei præbere, τὴν εἰς τὰς θυσίας σύνταξιν, constitutum in sacrificia, pecudum sacrificiis idonearum, vini, olei, in pretio pecuniæ viginti millia: similæ secundum legem patriam artabas, tritici medimnos mille, quadringentos sexaginta, salis trecentos septuaginta quinque. Deinde ut absolvatur quod templo deest, porticusque & siquid aliud adstrui oporteret. Materiam autem comportari è Judæa ipsa aut aliis gentibus & Libano sine vectigali. Quam eandem immunitatem & aliis concedit rebus ad apparatum atque ornatum templi pertinentibus. Post hæc permittit ut vivant legibus patriis: Senatum, sacerdotes, scribas templi & sanctos cantores, capitationis & coronarii auri & si quod aliud tributum est, liberos esse jubet. Ut autem urbs citius frequentetur habitatoribus, qui nunc eam incolunt & immigrabunt ante mensem Hyperberetæum immunitatem tributorum in triennium, & in consequens tempus tertiam tributorum partem, in compensationem damnorum præteritorum. Quotquot etiam ex urbe abrepti serviant, liberos esse & bona sua eis restitui. Hac epistola non contentus programma etiam in honorem templi per universum regnum ejusmodi proposuit:

I. Nemini alienigenæ licitum sit ingredi intra septum templi: τῶν ἀπηγορευμένων τοῖς Ἰουδαίοις εἰ μὴ οἷς ἂν ἁγνισθεῖσιν ἐστιν ἔθιμον κατὰ τὸν πάτριον νόμον. Mendum subest, sed mens est: Nequidem in illam partem templi licere intrare Judæis, quæ ipsis interdicta esset, nisi tantum quibus id mos patrius dabat, debito modo purificatis.

II. Interdictorum Judæis animalium carnes intra urbem non importari: nominatim exprimit, equinam, mulorum, asinorum silvestrium & domesticorum,

pardaleon, vulpium & leporum. Ne quidem pelles inferre, aut tale animal nutrire in urbe. Solis etiam (προγονικοῖς θύμασιν) more majorum solitis mactationibus quibus Deo litare oportet, licere uti.

III. Qui horum aliquid ausus sit transgredi, sacerdotibus luat ter mille drachmas argenti (pecuniæ). Fidei ac pietatis illustre testimonium eis perhibuit cum Phrygiæ ac Lydiæ in obsequio continendis scripsit Zeuxidi, quem appellat patrem, è consilio amicorum, ut familias bis mille Judæorum è Babylonia ac Mesopotamia in ea loca cum tota supellectili traduceret, ut essent præsidio. Esse enim fideles majorum exprimento & Deum pie colere. Ut id illis sine damno esset, libertatem vivendi patriis legibus, areas struendis ædibus, agros arvis & vineis jubet donari: tum immunitatem tributorum in decennium, & donec agri fruges protulerint demensum frumentum in servorum alimoniam & regi operam navantibus quod sufficiat. Neve aliquis molestiam exhibeat, provideri.

Posteà amicitiam & fœdus cum Ptolemæo facit, data illi in conjugium filia Cleopatra: concessaque loco dotis Cœle Syria, Samaria, Judæa, Phœnice: divisisque inter utrumque regem vectigalibus optimates suæ quisque patriæ exactionem eorum redimebant & imperatam summam conferebant in regium ærarium.

Per ea tempora (laxe illud accipe) Samaritæ rebus secundis elati, Judæos infestabant vastatione agrorum & hominum abreptione in captivitatem. Onias tum obibat pontificium. Nam Manasses patruus ejus successor Eleazari morte sua illi locum fecerat.

Hic Onias exiguæ prudentiæ & avarus erat: Βραχὺς τὴν διάνοιαν καὶ χρημάτων ἥττων. Ideo tributum, quod majores ejus è suo pro populo solebant regi pendere, talenta argenti viginti non solvendo iram commovit Ptolemæi Euergetæ. Hic misso legato minatur, ni propere solveret, regionem ejus militibus suis se divisurum. Quo audito, Judæi perterriti sunt sed Onias ob avaritiam nihil movebatur.

Joseph. lib. 12. cap. 4.

ONia illo Judæis sacerdotium summum & regimen administrante, Josephus quidam erat, ætate juvenis, sed honestatis prudentiæ & justitiæ laude eminens apud Hierosolymitas, Tobia & sorore pontificis natus. Huic cum mater legati adventum indicasset (forte enim Phicolæ vico natali aberat) xeniens in urbem, redarguit Oniam, quod non curaret securitatem civium, conjecturus gentem in pericula, ob pecuniæ tardam solutionem: ob quam tamen eum præfecturam populi & dignitatem pontificatus dicebat accepisse. Si ita amaret pecuniam, ut ejus causa sustineret videre patriam periclitantem & quidvis patientes cives, consulit profectum ad regem, petere ab eo, ut totam pecuniam aut partem concedat. Onia autem respondente neque imperare se velle, & pontificatum, si posset, paratum deponere, neque abiturum ad regem, neque hæc curare, quærit an permittat pro gente legatione fungi ad regem. Quo annuente in templum ascendit, convocatamque multitudinem in concionem, hortatur non turbari neque timere ob Oniæ avunculi sui negligentiam sed misso metu sequioris eventus (ἐν ἀδείᾳ τὴν ἀπὸ τῆς σκυθρωποτέρας ἐλπίδος διάνοιαν ἔχειν) læta sperare: se enim legationem suscipere ad regem & persuasurum, quod nihil deliquissent. Quibus auditis multitudo juveni gratias agit. E templo domum digressus hospitio excipit legatum & donatum pretiosis muneribus lauteque per aliquot dies acceptum, præmittit ad regem dicens se quoque

quæ secuturum. Legatus enim captus liberalibus & honestis juvenis moribus, hortatus erat ut in Ægyptum veniret, ut è voto res succederet, se effecturum (τὸ γὰρ ἐλευθέριον καὶ τὸ σεμνὸν τοῦ ἤθους λίαν ἠγάπησε.) Legatus apud regem, indicata Oniæ dementia (ἀγνωμοσύνη) prædicat Josephi bonitatem, eumque adventurum, ut populum purgaret: cujus patronus esset, (προστάτης) Tam prolixe juvenem celebrabat, ut & rex & regina Cleopatra bene dispositi essent antequam advenisset. Josephus autem sumpta mutuò pecunia ab amicis Samariæ, paratisque quæ opus erant ad profectionem, vestibus, poculis, jumentis: impensa fermè viginti millium drachmarum, Alexandriam proficiscitur. Eadem tempestate fortè omnes primates principesque Syriæ urbium & Phœnices ascendebant ad redimenda vectigalia. Quotannis enim ea rex vendebat potentioribus cujusque urbis. Hi cum in via viderent Josephum, deridebant ejus tenuitatem & inopiam. Cum Alexandriæ intelligeret regem Memphi esse, abiit in occursum. Sedente autem rege in curru una cum regina & Athenione amico (Hic erat legatus, quem Josephus hospitio exceperat) Athenio indicat hunc esse, quem apud regem prædicaverat. Rex igitur primus eum salutat & jubet in currum ascendere. Considente cœpit Oniam accusare. At Josephus, dandam esse senectuti veniam, quia pueri & senes eodem modo affecti sint: à se juvenibus regi satisfaciendum. Ex ista urbanitate & gratia, magis eum amare rex cœpit: jubet eum diversari in regia & quotidie mensæ suæ adhiberi. Cum Alexandriam intraret rex, videntes Syriæ primates Josephum sedere apud regem, graviter ferebant. Die auctionis licitabantur optimates in patriam quisque suam. Octo millia talentorum vectigalia Syriæ cœles, Phœnices & Judææ cum Samaria in summam efficiebant. Tum accedens Josephus culpabat licitatores tanquam ex composito tam parvum regi pretium promitterent, se duplum promittere & delinquentium in domum regis, facultates missurum, quæ solebant una cum vectigalibus vendi. Rege vero libenter hæc audiente & ut amplificatori redituum suorum addicente (κατακυροῦν τὴν ὠνὴν αὐτῷ τῶν πλείω ἐποίει Φιλ(αδελφ)ος) rogante tamen ecquos fidejussores haberet, festivè respondet, daturum se homines probos & honestos quibus non gravatè crederent. Quos ut ederet, postulatus, Te, inquit, rex tuamque conjugem do, ut alter alteri fidejubeat pro me. Tunc rex arridens permisit eum sine fidejussoribus (ὁμολογουμένων) habere vectigalia. Dolor pudorque urbium optimates in patriam regredientes habuit. Josephus acceptis à rege duobus millibus peditum, vim in contumaces adhibiturus, ac mutuò ab amicis regiis sumens quingenta talenta in Syriam concedit. Ascalonitæ tributa negant, & insuper contumeliam addunt. Horum quasi viginti comprehensos mortis supplicio afficit: eorumque facultates ad mille talenta, collectas mittit ad regem una indicans quid egerit. Rex laudata ejus prudentia permisit ei quod vellet facere. Syri territi exemplo Ascalonitarum Josephum patentibus portis accipiunt & solvunt tributa. At etiam Scythopolitæ probra ingerunt & detrectant tributa solvere: horum quoque necatis primatibus, facultates eorum misit regi. Ditatus autem lucro, regi & reginæ eorumque amicis & omnibus in aula potentibus, liberaliter dona misit, quo factum est, ut conciliata eorum benevolentia, hanc prosperitatem tenuerit annis 22. Liberos septem ex una conjuge procreavit: genuit etiam filium Hyrcanum è fratris Solymii filia: quam ex hac causa duxit. Cum fratre forte Alexandriæ erat, qui secum duxerat nubilem filiam, ut eam (si fortè) collocaret Judæo alicui Alexandrino nobili. Cœnans apud regem, incidit in amorem saltatriculæ decoræ specie, quæ in convivium erat ingressa. Indicat fratri affectum precaturque quoniam lege vetitum erat Judæo ingre-

 di ad

di ad extraneam, operam commodare & crimen celare. Frater promissa opera, ornatam filiam noctu ad eum inducit & in lecto collocat. Ille per errorem ebrietatis cum fratris filia congreditur. Cumque id sæpius factum esset, amavit vehementius. Aperit autem fratri se de vita periclitari, ob saltatriculæ amorem, quam forte rex nollet concedere. Tum Solymius jubet bono eum animo esse, licere enim ut amata frueretur tanquam conjuge. Aperit, quid fecisset, cum mallet filiæ injuriam fieri, quam fratrem tale dedecus in se admittere. Josephus collaudata ejus fraterna benevolentia, filiam uxorem duxit, è qua procreavit Hyrcanum, ut diximus. Hic cum tredecim esset annorum adolescens, quia eminentiorem indolem & virtutem videretur ostendere in fratrum erat odio. Missi ad disciplinarum professores illi indocti domum reversi sunt ob segnitiem & laborum impatientiam, junior ille egregie profecerat. Posteà minimum natu mittit pater cum trecentis boum jugis itinere bidui in solitudinem, seminaturum terram: sed prius subtractis clam loris, quibus boves jungi solent (ζευκτῆρας ἱμάντας) Quo postquam perventum est & quid deesset, animadversum, contempto bubsequarum consilio, suadentium ut ad patrem mitteret, ne tempus cunctando periret, tale quid commentus est: (ἐπινόησε τι στρατηγικὸν καὶ τῆς ἡλικίας πρεσβύτερον) mactatis decem jugis, carnes in operarios distribuit, sectis autem tergoribus in lora, juga bobus aptavit (ἐνέδυσε τούτοις τὰ ζυγεῖα) Sementi facta rediit ad patrem, qui ingenium & audentiam admiratus, majori eum amore amplectebatur, quod fratres ægrius afficit. Interea intelligit regi Ptolemæo natum filium, omnesque Syriæ & subjectæ terræ primates natalem diem agentes festum, cum magno apparatu contendebant Alexandriam. Senio gravatus pertentavit filiorum animos, num quis illorum vellet eam profectionem suscipere, recusantibus majoribus, & ad ejusmodi congressus ineptos se esse profitentibus rejicientibusque in Hyrcanum, libenter id audit. Hic advocatus prompte profectionem suscipit & modica pecunia sibi opus fore dicit: quod vellet frugaliter vivere, decem drachmarum millia sufficere. Quam filii prudentiam pater dilaudat: at puer, cum aliquandiu siluisset, suadet patri, ut dona non mitteret regi, sed epistolam daret ad procuratorem suum Alexandrinum, ut pecuniam præberet ipsi ad emendum regi, id quod inveniret pulcherrimum & pretiosissimum. Ille vero ratus decem fortasse talenta impensurum in munera, comprobatoque filii consilio, scripsit procuratori Arioni, qui omnem ipsius pecuniam tractabat, non minorem ter mille talentis. Solebat enim Josephus pecunias è Syria Alexandriam mittere, & tempore præstituto, quo numerare regi tributum oportebat, adveniente, scribere Arioni, ut id faceret. Profecto ad Arionem scribunt fratres omnibus amicis regis ut eum perderent. Cum Arioni tradidisset epistolam, roganti quot talenta vellet accipere, respondet mille. Quod illi præter opinionem accidit, quia putabat decem aut paulo plus petiturum. Ideo iratus adolescentem increpat negatque se daturum plus decem, eaque in dona regi. Adolescens offensus, Arionem in vincula compingit, Id uxor Arionis conquestum ivit reginæ, quæ regi indicat, cui carus erat Arion. Ptolemæus igitur aliquo misso ad Hyrcanum se mirari, dicebat, quod ablegatus ad ipsum à patre in conspectum non venisset & insuper vinxisset œconomum, veniret igitur & causam diceret. Adolescentem respondisse ferunt legem Judæis esse, nequis gustaret de sacrificio, priusquam adito templo sacrificet Deo. Sic Gelenius, Græca habent: τὸν γεννηθέντα γεύσασθαι θυσίας πρὶν εἰς τὸ ἱερὸν ἐλθεῖν καὶ θύσαι τῷ θεῷ. Rufinus, *quæ prohibet, communes epulas prius attingere, quam in templo Deo immolare*. Locus corruptus. Significabat se sine donis regem nolle accedere. Servum autem se jure punisse, qui mandata ejus

ejus contemneret. Regem esse majorem dominum, quem non posse dignitatem tueri, nisi contumaces dent pœnas. Eandem minoris domini esse rationem. His auditis risit Ptolemæus, miratus tantum in adolescente animum. Arion se negligi videns, dabat quantum poscebatur. Elapso triduo Hyrcanus salutat reges: à quibus humaniter exceptus & mensæ adhibitus est in parentis gratiam: moxque clam aditis negotiatoribus, emit centum pueros literis eruditos & in vigore (ἀκμαιοτάτους) talento singulos & centum virgines eodem pretio. Vocatus ad epulas apud regem cum primatibus regionis infimo loco locatur, propter ætatem posthabitus, ab illis, quorum officium erat loca pro dignitate distribuere. Una accumbentibus omnium portionum ossa (quibus carnes ademerant) congerentibus ante Hyrcanum adeo ut mensam ipsi appositam replerent, Tryphon, deliciæ regis, quique adhibebatur ad scommata & risum in compotationibus, incitantibus eum, qui accumbebant, adsistens regi, Vides, inquit, here, apposita Hyrcano ossa? Ex his conjecturam fac, quod etiam illius pater omnem Syriam spoliaverit, quemadmodum hic ista carnibus nudavit. Rege vero ad hoc dictum arridente & rogante Hyrcanum, unde tanta ossium congeries? Nihil mirum, inquit, here: canes enim ossa comedere solent, ut hi (accumbentes intuebatur) quod nullum os ante eos jaceat: homines autem carnes comedunt, ossa projiciunt quod & ego nunc feci. Rex delectatus responsi urbanitate & acumine, jussit omnes applaudere. Die crastino sigillatim regis amicis & in aula potentibus salutatis, à famulis expiscatur, quidnam oblaturi essent regi in die natali filii. Illis referentibus hunc daturum talenta duodecim, alium rursus aliud pro suis quemque opibus, simulavit se dolere quod non haberet, unde tantundem elargiri valeat, nec ultra talenta quinque numero: idque mox famuli renuntiavêre dominis. Illis autem gaudentibus quasi Josephus offensurus esset regem exilitate muneris, ubi dies statutus adfuit, qui maximum largiti esse videbantur, non ultra talenta viginti, Hyrcanus autem, quos emerat pueros regi, virgines reginæ obtulit. Omnes admirati sunt præstantiam, reges etiam. Præterea multa donavit regis amicis, ut facile periculum ab illis declinaverit, quod fratres se putabant conciliasse. Rex delectatus juvenis magnanimitate, jubet eum donum quodcunque vellet petere. Ille vero nihil aliud petiit, quam ut se patri & fratribus commendaret per literas. Itaque honorifice tractatum & donatum magnifice scriptis quoque ad patrem & fratrem & omnes suos præsides & procuratores, literis dimisit. Fratres audito, quæ illi obtigissent à rege & redire cum ingenti honore, exeunt obviam & interempturi ipso patre dissimulante. Iratus enim ob profusionem pecuniæ in munera, parum curabat ejus salutem: metu tamen regis iram premebat. Sed cum fratribus in itinere congressus & alios sociorum multos, & duos quoque fratres occidit, reliqui fuga evaserunt ad patrem Hierosolyma. Adveniens in urbem, cum à nemine susciperetur ob metum secessit trans Jordanem: ubi egit tributa colligens (à barbaris Ruf. *ab Arabibus* & recte, ut patet infra.) In Asia ea tempestate regnum tenebat Seleucus cognomento Soter magni Antiochi filius. Dein vita Josephus Hyrcani pater excedit. Obit etiam avunculus ejus Onias, filio Simoni relinquens Pontificium. Hoc etiam defuncto filius ipsius Onias in dignitate illa succedit: ad quem Arius Lacedæmoniorum rex legationem & literas misit, quarum exemplar exhibet Josephus.

Ios. Antiquit. lib. 12. cap. 5.

REx Lacedæmoniorum Arius, Oniæ S. Scribit incidisse se in quoddam antiquum scriptum, in quo haberetur quod ex eodem genus traherent Judæi & Lacedæmonii, ex cognatione ad Abraham. Æquum igitur esse, ut, quum fratres Judæi essent, peterent (per epistolam) à Lacedæmoniis, quæ vellent. Facturos se idem & eorum quæ essent sua existimaturos esse, & etiam sua communia cum ipsis habituros: τὰ αὐτῶν (leg. ὑμῶν) κοινὰ πρὸς ὑμᾶς ἕξομεν. Demoteles, portans literas, transmittit epistolas. Scripta esse dicit τετράγωνα, *quadrangula*: Sigillum, aquila draconem prehensum tenens. Post mortem Josephi, de quo dictum, populus seditionibus agitatus est propter filios ipsius. Cum enim natu majores Hyrcanum bello impeterent, plerique illis favebant & Simon pontifex ob cognationem. Hyrcanus quidem Hierosolyma reverti noluit, sed præfectus habitantibus trans Jordanem, continenter bellabat cum Arabibus, quorum multos occidebat & capiebat. Condidit autem castellum (βάριν) firmum è lapide albo totum usque ad tectum, insculptis animalium grandium imaginibus: idque ædificium fossa magna & profunda circumdedit oppositique montis prominentem rupem perforans, speluncas multorum stadiorum in longitudinem construxit. Deinde in illa œcos quosdam ad symposia, alios ad somnum capiendum & victum. Induxit aquarum salientium copiam, ad oblectationem & ornatum aulæ. Ora angusta speluncarum, ut unus solus posset ingredi. Id autem studio ne obsessus à fratribus facile caperetur. Condidit etiam atria magnæ amplitudinis, eaque hortis spatiosis ornavit. Hunc locum appellavit Tyrum, qui est inter Arabiam & Judæam trans Jordanem, non procul Hesebonitide. Præfuit illis partibus toto septennio, toto tempore, quo Seleucus in Syria regnavit. Hoc enim mortuo Antiochus, cognomento Epiphanes, regnum obtinuit. Mortuus etiam est Ptolemæus Ægypti rex, ejusdem cognominis, relictis duobus filiis parvulis: quorum majori Philometor, juniori Physcon vocabulum erat. Hyrcanus videns præpotentem Antiochum, & veritus ne in potestatem ejus redactus pœnas daret eorum, quæ in Arabas ausus erat, ipse sibi manus intulit: possessionem verò universam occupavit Antiochus. Hic finis fuit hominis ex incestu nati, quique in latrociniis & raptu ætatem egerat. Mirum autem incestum publice toleratum non tantum sed & prælatum matrimonio cum peregrina.

Ios. Antiq. lib. 12. cap. 6.

EOdem tempore functo Onia, Antiochus Epiphanes fratri ipsius *Jesu* pontificatum dedit. Filius enim ille, quem Onias reliquerat, parvulus erat. De hoc puerulo suo loco dicturum se. Hinc autem Jesu ademptum sacerdotium est per iram regis & datum fratrum minimo. Simoni enim hi tres filii fuerunt, quibus per ordinem obvenit pontificatus. Cæterum Jesus græcissans Jasonem se vocari maluit, ut alter frater pro Onia Menelaum. Concitata autem seditione per Jasonem in fratrem Menelaum & plebe inter utrumque scissa, Tobiæ filii steterunt à partibus Menelai: major autem populi pars factionem Jasonis sequebatur. Quorum vim non sustinentes Menelaus & Tobiæ filii secesserunt ad Antiochum, dicentes se velle relictis legibus patriis eorum vivendi modo (ἕπεσθαι τοῖς βασιλικοῖς) regis instituta sequi & græcanicum vivendi modum assumere. Rogare igitur eum, ut permitteret ipsis Hierosolymis condere gymnasium.

nasium. Quo impetrato adduxerunt sibi præputia, ut etiam nudi essent gentiles: τὴν τῶν αἰδοίων περιτομὴν ἐπεκάλυψαν, ὡς ἂν εἶεν καὶ τὰ περὶ τὴν ἀπόδυσιν Ἕλληνες: & contemptis omnibus patriis ritibus, imitabantur mores exterarum gentium. Antiochus autem domi usus fortuna prospera (τῆς βασιλείας αὐτῷ χωρούσης κατὰ τρόπον) decrevit Ægyptum armis aggredi, invitatus puerili ætate regum, qua rebus gerendis nondum habiles erant. Profectus igitur cum magno exercitu Pelusium & Philometore astu circumvento, Ægyptum occupat; Memphim deinde subigit: petitque Alexandriam, obsidione eam subjugaturus & regem in potestatem redacturus. Excidit autem spe Alexandriæ non tantum sed & tota Ægypto, Romanis jubentibus ut regione abstineret. Ita Josephus breviter à Philadelpho usque ad motus intestinos & Antiochi Epiphanis furorem exsecutus est suæ gentis historiam, quam in annos digeremus & quædam fusius dicemus in proximo capite.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI SECUNDI
CAPUT XVIII.

His initiis corruptis moribus, eo usque processum ut plerique popularium ab Antiocho poscerent, permitti sibi more gentilium vivere. Quod quum rex petentibus annuisset, certatim pessimus quisque delubra extruere, idolis supplicare, legem profanare occeperat. Interea Antiochus, rediens ab Alexandria (namque tum bellum regi Ægyptio intulerat, quod jussu senatus & populi Romani deposuit, Paulo & Crasso consulibus) Hierosolymam adiit: cum discordantem superstitionibus susceptis populum reperisset, legem Dei destruens & his favens, qui impia sequebantur, omnia templi ornamenta detraxit, ac multa cæde vastavit. Id gestum ab excessu Alexandri anno 151. Paulo (ut diximus) Crassoque consulibus, post quinquennium ferè quam Antiochus regnare cœperat. Sed ut temporum ordo consertus sit, ac liqueat evidentius, quis hic fuerit Antiochus, regum qui post Alexandrum in Syria fuerunt, & nomina & tempora enumerabimus. Defuncto, ut supra retulimus, rege Alexandro, ab amicis ejus regnum omne divisum, ac regio nomine aliquamdiu administratum est. Seleucus post novem annos in Syria rex est appellatus, regnavitque annos duos & triginta. Post eum Antiochus filius

 ejus,

ejus, annos unum de viginti. Inde Antiochus Antiochi filius, qui & Theus cognominatus est, annos 15. post hunc Seleucus filius, cognomine Callinicus, annos unum & viginti. Item Seleucus filius Callinici, annos tres. Hoc defuncto, Antiochus frater Callinici Asiam & Syriam tenuit, annos 37. Hic est Antiochus adversus quem Scipio Africani frater bellavit: quo bello victus, & imperii parte multatus est. Hic duos filios habuit, Seleucum & Antiochum, quem obsidem Romanis dederat. Ita Antiocho magno mortuo, Seleucus ejus filius natu minor regnum adeptus est: sub quo Oniam sacerdotem à Simone insimulatum diximus. Tum Antiochus à Romanis dimissus, datusque in locum ejus obses Demetrius Seleuci regis, qui eo tempore regnabat, filius. Seleuco mortuo, anno imperii duodecimo, regnum frater Antiochus, qui Romæ obses fuerat, occupavit. Is post quinquennium quam regnare cœperat, ut supra docuimus, Hierosolymam depopulatus est. Etenim grave Romanis stipendium pensitans, ipse immensis sumptibus pene necessario cogebatur pecunias rapto quærere, neque ullam prædandi occasionem omittere.

DRUSIUS.

PLERIQUE POPULARIUM] In queis Tobiæ filii, qui à Menelai partibus stabans. Josephus Ant. lib. 12. cap. 6.

MORE GENTILIUM] Ritu Græcanico. Josephus, major populi pars factionem *Iasonis sequebatur; quorum vim non sustinentes Menelaus & Tobiæ filii secesserunt ad Antiochum, dicentes se velle relictis patriis institutis ac legibus religionem regis & Græcanicos ritus assumere.* Vide sequentia lib. 12. cap. 6.

LEGEM PROFANARE] Introductis externis ritibus. Nam & præputia sibi adducebant, ut nudi quoque non essent Græcis dissimiles. Josephus in loco citato.

REGI ÆGYPTIO] Ptolemæo Philometori.

QUOD JUSSU SENATUS ET P. R. DEPOSUIT] Res ita se habet: Cum Ptolemæi fratres à senatu auxilia petiissent, missus est legatus Popilius ad Antiochum, qui abstinere illum Ægypto, aut si jam incessisset, excedere juberet. Quum in Ægypto eum invenisset, osculumque ei rex obtulisset (nam coluerat inter ceteros Popilium Antiochus, cum Romæ obses esset) tunc Popilius facessere interim privatam amicitiam jubet, cum mandata patriæ intercedant: prolatoque senatus decreto & tradito, cum cunctari eum videret, consultationemque ad amicos referre, ibi Popilius virga, quam in manu gerebat, amplo circulo inclusum ut & amicos caperet, consulere jubet, nec prius inde exire quam responsum senatui daret aut pacem aut bellum cum Romanis habiturum. Adeoque hæc austeritas animum regis fregit, ut pariturum se senatui responderet. Hæc Justinus lib. XXXIV.

PAULO ET CRASSO CONSULIBUS] L. Æmylio Paulo & C. Licinio Crasso.

OMNIA TEMPLI ORNAMENTA DETRAXIT] Templum spoliavit, ablatis inde vasis sacri ministerii, & inter cætera candelabris aureis, altari aureo, mensaque propositionis, quam vocant, ac ne aulæis quidem relictis, quæ cocco

cocco & bysso constabant, Josephus. Nec Thesauris etiam pepercit: nam abstulit è templo mille octingenta talenta, Breviarium Jesonis.

Ac Multa Cæde Vastavit] Historia poscit ut legamus, *& multa cæde urbem vastavit.* Tanta enim virorum mulierumque occisio, tanta virginum ac puerorum facta cædes est, ut tribus non amplius diebus, octoginta hominum millia perierint. Jaso Cyrenæus: *direptaque tota urbe, habitatores partim necavit, partim captivos unà cum liberis & uxoribus abduxit, usque ad decem millium numerum.* Josephus lib. 12. cap. 7.

Ab Excessu Alexandri Anno Centesimo, Uno Et Quinquagesimo] Qui est annus Seleucidarum CXLII. Quod si novem addideris, de quibus mox, *Seleucus post novem annos in Syria rex appellatus est*, sunt anni CLI. Josephus Antiochum urbem ingressum scribit anno 143. ex quo primum ad Seleuci familiam Syriæ regnum devenerat, & biennio post urbem captam accepisse hanc cladem, regni ejus familiæ CXLV. vigesima quinta mensis Chasleu, Olympiade CLIII.

Post Quinquennium Fere Quam Antiochus Regnare Coeperat] Superfluit dictio *fere*, ut sæpe alias. Nam Antiochus regnare cœpit anno Græcorum CXXXVII, à quo quintus est annus CXLII. Consule priorem Machabæorum.

Defuncto Rege Alexandro] Autor prioris Machabæorum scribit vivo adhuc Alexandro id factum esse. Qua de re diximus antea. Nam videtur Danielem secutus. Cæteri tamen cum Sulpicio consentiunt, etiam Josephus.

Seleucus] Ab hoc regnum Seleucidarum appellatum, quod & regnum Græcorum. Hujus Seleuci & supra meminimus. Urbes aliquot in Syria condidit, Josephus lib. 12. cap. 3.

Annos Duos Et Triginta] Sic etiam Eusebius.

Antiochus Filius Ejus] Cognomento Soter, qui novercam adamavit, & postea Gallos in Asiam irrumpentes repulit.

Qui Et Theus Cognominatus Est] Id est Deus. Hunc pater ex noverca genuit, quem post uxor ejus veneno sustulit. Theum autem primi cognominavere Milesii, quia Timarchum eorum tyrannum occiderat. Appianus.

Callinicus] Gallinicus est apud Eusebium & Funccium. Hunc pater Antiochus è Laodice genuit.

Seleucus Filius Callinici] Cognomine Ceraunus. Imperio præfuit annos tres, nec à valetudine firmus, nec ab opibus. Quocirca exercitum continere in officio non potuit. Appianus autor eum sublatum fuisse veneno purpuratorum perfidia post exactum annum regni alterum.

Antiochus Frater Callinici] Hic est Antiochus Magnus, quem Lucius Scipio parte Asiæ, quæ cis Taurum, multavit; unde Asiatici cognomen accepit.

Imperii Parte Multatus Est] Pacis leges Antiocho ita datæ fuerunt, ut Europa omni abstineret Asiaque omni, quæ cis Taurum montem est, decederet: pro impensis autem in bellum factis XVM. talentorum Euboicorum daret, mille talenta per XII. annos penderet. In Chronico Eusebii, *Post prælium quo in Thermopylis est victus Antiochus, hoc inter Romanos & eum convenit, ut mille talenta per annos singulos vectigalis nomine eis solveret.*

Et Antiochum] Epiphanem, quem Polybius Epimanem appellat, id est furibundum & mente captum.

Seleu-

SELEUCUS] Philopator sive Philopater.

FILIUS NATU MINOR] Propter absentiam natu majoris, qui Romæ obses erat, ut dictum est.

INSINUATUM DIXIMUS] Lib. 2. cap. 17.

POST QUINQUENNIUM QUAM REGNARE COEPERAT] Cum ex Ægypto, quam subito invaserat, Senatus mandato recessisset. Id gestum est anno regni Græcorum CXLII. ut habetur I. Machab. I. 21. unde videtur potius leg. *post sexennium.* Ita Funccius.

GRAVE ROMANIS STIPENDIUM PENSITANS] Gravi tributo pacis à Romanis victus oneratusque, Justinus. Vide quæ notavimus ad illud, *imperii parte mulctatus est.*

SCHOLIANUS.

Danielis Prophetia de regibus Alexandri successoribus usque ad Epiphanem.

PRiusquam Antiochi Epiphanis impie & scelerate facta in Judæos (hæc enim sequuntur) exsequamur, historiam totam à Daniele prophetice propositam & expositam ab Hieronymo, quæ inde à Xerxe & Alexandro M. huc usque pertinet, proponamus. Hæc in cap. XI. à v. 2. ad 21.

ET ECCE TRES ADHUC REGES STABUNT] *Quatuor reges post Cyrum dicit in Perside resurrecturos, Cambysem filium Cyri & Smerdem magum, qui Pantapten filiam Cambysis duxit uxorem. Qui cum à septem magis fuisset occisus & in locum ejus Darius suscepisset imperium, eadem Pantapte nupsit Dario & ex eo Xersen genuit filium qui potentissimus rex & ditissimus, adversum Græciam innumerabilem duxit exercitum, & ea gessit, quæ Græcorum narrant historiæ. Succendit enim Athenas sub principe Callia, bellumque eo tempore gestum est in Thermopylis & apud Salaminem navale certamen, quando Sophocles & Euripides clari habebantur: & Themistocles in Persas fugiens, hausto tauri sanguine periit. Frustra igitur Darium quidam regem quartum, qui ab Alexandro superatus est scribit: qui non quartus, sed quartus decimus post Cyrum Persarum rex fuit: quem septimo imperii sui anno & superavit & occidit Alexander. Et notandum quod quatuor post Cyrum regibus enumeratis, novem præterierit ad Alexandrum. Non enim curæ fuit spiritui prophetali historiæ ordinem sequi, sed præclara quæque perstringere.*

SURGET VERO REX FORTIS, &c.] *Perspicue de Magno Alexandro rege Macedonum loquitur, qui Philippi filius fuit: hic enim Illyricis Thracibusque superatis, victa Græcia, Thebisque subversis transivit in Asiam, & fugatis Darii ducibus, urbem Sardis cepit: posteaque capta India & urbe Alexandria condita, cum triginta & duos ætatis haberet annos, & duodecimum imperii annum, in Babylone veneno periit.*

ET DIVIDETUR, &c.] *Post Alexandrum in quatuor ventos cæli, Orientem videlicet, Occidentem, Meridiem & Septentrionem regnum illius divisum est. In Ægypto enim primus regnavit Ptolemæus Lagi filius id est ad Meridiem: in Macedonia Philippus, qui Aridæus, frater Alexandri, id est ad Occidentem: Syria & Babylonis & superiorum locorum, Seleucus Nicanor, id est ad Orientem Asiæ & Ponti cæterarumque in ipsa provinciarum Antigonus, id est, ad Septentrionem. Hæc, secundum totius orbis plagas dicimus. Cæterum qui in Judæa est, ad Aquilonem Syriam, & ad Meridiem Ægyptum habet. Quod autem ait: sed non in posteros ejus: hoc significat, quod liberos non habuerit: sed regnum ipsius in alienos laceratum sit: excepto fratre Philippo qui Macedones tenuit. Neque secundum potentiam*

ciam illius qua dominatus est, Divisum enim in quatuor partes regnum imbecillius fuit: dum adversum se dimicant, & intestino furore bacchabantur.

LACERABITUR ENIM, &c.] *Præter regna quatuor Macedoniæ, Asiæ, Syriæ Ægypti: etiam in alios obscuriores & minores reges Macedonum regnum laceratum est. Significat autem Perdicam & Crateron & Lysimachum. Nam Cappadacia, & Bithynia & Heraclia, Bosphorusque & aliæ provinciæ de potestate Macedonum recedentes, diversos sibi reges constituerunt.*

ET CONFORTABITUR REX AUSTRI.] *Ptolemæum indicat filium Lagi, qui primus regnavit in Ægypto: & vir prudentissimus fortissimusque ac ditissimus fuit & tantæ potentiæ, ut Pyrrhum regem Epirotarum expulsum restitueret in regnum, Cyprumque obtinuerit & Phœnicen: & victo Demetrio filio Antigoni, Seleuco regni sui partem, quæ ab Antigono fuerit ablata restituerit. Cariam quoque obtineret, & multas insulas urbesque & regiones: de quibus non est hujus temporis scribere. Idcirco autem regna cætera dimittens, Macedoniæ videlicet & Asiæ: tantum de Ægypti & Syriæ narrat regibus: quia in medio Iudæa posita, nunc ab illis, nunc ab istis regibus tenebatur. Et scripturæ sanctæ propositum est, non externam absque Iudæis historiam texere, sed eam quæ Israëlis populo copulata est.*

ET DE PRINCIPIBUS EJUS PRÆVALEBIT, &c.] *Iste est Ptolemæus Philadelphus, secundus rex Ægypti, filius Ptolemæi superioris: sub quo LXX. interpretes Alexandriæ scripturam sanctam in græcum dicuntur vertisse sermonem: qui & Eleazaro pontifici multa Hierosolymam, & in templi donaria vasa transmisit: cujus biblothecæ præfuit Demetrius Phalereus, idem apud Græcos orator & philosophus: tantæque potentiæ fuisse narratur, ut Ptolemæum patrem vinceret. Narrant enim historiæ eum habuisse peditum ducenta millia, equitum viginti millia, curruum vero duo millia, elephantos quos primus eduxit ex Æthiopia, quadringentos. Naves longas, quas nunc liburnas vocant, mille quingentas: alias ad cibaria militum deportanda mille: auri quoque & argenti grande pondus, ita ut de Ægypto per singulos annos quatuordecim millia, & octingenta talenta argenti acceperit, & frumenti artabas, quæ mensura tres modios, & tertiam modii partem habet, quinquies & decies centena millia.*

ET POST FINEM ANNORUM, &c.] *Primum Syriæ regnavit (ut diximus) Seleucus cognomento Nicanor. Secundus Antiochus qui appellatus est Soter. Tertius & ipse Antiochus, qui vocabatur* θεὸς *id est Deus. Iste adversus Ptolemæum, qui secundus imperabat Ægyptiis, gessit bella quamplurima: & totis Babylonis atque Orientis viribus dimicavit. Volens itaque Ptolemæus Philadelphus post multos annos molestum finire certamen, filiam suam nomine Beronicen, Antiocho uxorem dedit: qui de priore uxore Laodice nomine, habebat duos filios; Seleucum, qui cognominatus est Callicicus, & alterum Antiochum. Deduxitque eam usque Pelusium & infinita auri & argenti milia dotis nomine dedit. Vnde* Φερνηφόρος, *id est, dotalis appellatus est. Antiochus autem Berenicen consortem regni habere se dicens: & Laodicen in concubinæ locum, post multum temporis amore superatus, Laodicen cum liberis suis reduxit in regiam. Quæ metuens ambigui viri animum ne Berenicen reduceret, virum per ministros veneno interfecit: Berenicen autem cum filio qui ex Antiocho natus erat, Icadioni & Geneo Antiochiæ principibus occidendam tradidit: filiumque suum majorem Seleucum Callinicum in patris locum regem constituit. Et hoc est quod nunc dicitur: Post multos annos Ptolemæus Philadelphus & Antiochus* θεὸς *faciunt amicitias: & filia Austri regis, hoc est Ptolemæi veniet ad regem Aquilonis, id est ad Antiochum, ut inter patrem ac virum jungat amicitias. Et non poterit, inquit, obtinere, nec semen illius stare in regno Syriæ: sed & ipsa Berenice, & qui eam adduxerunt interficientur: Rex quoque Antiochus qui confortabat eam, hoc est per quam poterat prævalere, veneno uxoris occisus est.*

ET STABIT DE GERMINE, &c.] *Occisa Berenice & mortuo Ptolemæo Phi-*

Philadelpho patre ejus in Ægypto, frater illius & ipse Ptolemæus cognomento Euergetes successit in regnum, de plantatione & de germine radicis ejus, eo quod esset germanus: & venit cum exercitu magno, & ingressus est provinciam regis Aquilonis, id est Seleuci cognomento Callinici, qui cum matre Laodice regnabat in Syria: & abusus est eis & obtinuit: in tantum ut Syriam caperet & Ciliciam, superioresque partes trans Euphraten & propemodum universam Asiam. Cumque audisset in Ægypto seditionem moveri, diripiens regnum Seleuci, quadraginta millia talentorum argenti tulit, & vasa pretiosa simulachraque deorum; duo milia quingenta in quibus erant & illa quæ Cambyses capta Ægypto in Persas portaverat. Denique gens Ægyptiorum idololatriæ dedita, quia post multos annos deos eorum retulerat, Evergeten eum appellavit, & Syriam quidem ipse obtinuit, Ciliciam autem amico suo Antiocho guberandam tradidit, & Xanthippo alteri duci provincias trans Euphraten:

FILII AUTEM EJUS, &c.] *Post fugam & mortem Seleuci Callinici, duo filii ejus cognomento Ceraunus, & Antiochus, qui appellatus est Magnus, provocati spe victoriæ & ultione parentis, exercitu congregato adversus Ptolemæum Philopatrem arma corripiunt. Cumque Seleucus major frater, tertio anno imperii esset occisus in Phrygia per dolum Nicanoris & Apaturii: exercitus qui erat in Syria Antiochum fratrem ejus cognomento Magnum de Babylone vocavit ad regnum. Et propterea nunc infert, quod duo quidem filii provocati sunt: & congregaverunt multitudinem exercituum plurimorum: sed quod unus Antiochus Magnus venerit de Babylone in Syriam quæ eo tempore tenebatur à Ptolemao Philopatore filio Euergetis: qui quartus regnavit in Ægypto Cumque pugnasset adversum duces ejus, imo proditione Theodoti obtinuisset Syriam, quæ per successionem jam à regibus Ægypti tenebatur, in tantam venit audaciam contempta luxuria Philopatoris & magicis artibus quibus inservire dicebatur: ut ultro Ægyptiis bellum conaretur inferre.*

ET PROVOCATUS REX, &c.] *Ptolemæus enim cognomento Philopator amissa Syria proditione Theodoti, congregavit plurimam multitudinem: & ingressus est adversus Antiochum Magnum, quem nunc regem Aquilonis vocat: juxta situm Ægypti & Iudææ provinciæ: idem enim locus pro qualitate regionis, alteri ad Austrum, alteri ad Aquilonem situs est. Verbi gratia, si de Iudæa dicamus, Ægyptiis ad Aquilonem, Syriis ad Austrum est. Inito ergo certamine juxta opidum Raphiæ, quod in foribus Ægypti est, omnem Antiochus amisit exercitum: & per deserta fugiens, pene captus est. Cumque cepisset Syriam, ad extremum fœdere & quibusdam conditionibus pugna finita est. Et hoc est quod scriptura nunc dicit:* Dejiciet milia *multa Ptolemæus Philopator, sed non prævalebit. Adversarium enim suum capere non potuit. Quodque sequitur,*

ET CONVERTETUR REX, &c.] *Antiochum magnum significat qui contempta Ptolemæi Philopatoris ignavia, eo quod deperiret Agathocleam psaltriam: fratremque ejus & ipsum Agathoclem haberet concubinum, quem postea Ægypti aucem constituit, incredibilem de superioribus locis Babylonis exercitum congregavit. Et Ptolemæo Philopatore mortuo, adversum filium ejus, qui tunc quatuor annorum erat, & vocabatur Ptolemæus Ἐπιφανὴς, rupto fœdere movit exercitum. Tantæ enim dissolutionis & superbiæ Agathocles fuit, ut subditæ prius provinciæ Ægypti rebellarent: ipsaque Ægyptus seditionibus vexaretur, Philippus quoque rex Macedonum & Magnus Antiochus pace facta, adversum Agathoclem & Ptolemæum Epiphanem dimicarent: sub hac conditione, ut proximas civitates regno suo singuli de regno Ptolemæi jungerent. Et hoc est quod nunc dicit multos consurgere adversus regem Austri, id est Ptolemæum Epiphanem, qui erat ætate puerili.*

FILII QUOQUE PRÆVARICATORUM POPULI, &c.] *Pugnantibus contra se Magno Antiocho & ducibus Ptolemæi in medio Iudæa posita in contraria studia scindebatur: aliis Antiocho, aliis Ptolemæo faventibus. Denique Onias sacerdos assumptis*

assumptis Iudæorum plurimis fugit in Ægyptum, & à Ptolemæo honorificè susceptus, accepit eam regionem quæ Heliopoleos vocabatur: & concedente rege templum extruxit in Ægypto simile templi Iudæorum: quod permansit usque ad imperium Vespasiani, annis ducentis quinquaginta. Ipsa autem urbs quæ vocabatur Oniæ, dimicantibus postea adversus Romanos Iudæis, ad solum usque deleta est, & neque urbis neque templi ullum restat vestigium. Sub occasione igitur Oniæ pontificis, infinita examina Iudæorum Ægyptum confugerunt. Eo tempore & Cyrenæorum multitudine repleta est. Asserebat enim Onias se Esaiæ implere vaticinium scribentis: Erit altare Domini *in Ægypto, & titulus Domini in terminis ejus. Et hoc est quod dicit:* Filii prævaricatorum *populi tui, quod dereliquerunt legem Domini, volentes in alio loco præter quem jussum erat Deo victimas immolare, extollentur in superbiam & visionem: hoc est, Domini præceptum se implere jactabunt. Sed corruent, quia & templum & urbs postea destruentur. Cumque Antiochus teneret Iudæam, missus Scopas Ætolus, dux Ptolemæi partium, adversus Antiochum fortiter dimicavit: cepitque Iudæam, & optimates Ptolemæi partium secum abducens, in Ægyptum reversus est.*

ET VENIET REX AQUILONIS, &c,] *Antiochus enim volens Iudæam recuperare & Syriæ urbes plurimas, Scopam ducem Ptolemæi juxta fontes Iordanis, ubi nunc Paneas condita est, inito certamine fugavit, & cum decem millibus armatorum obsedit clausum in Sidone. Ob quem liberandum misit Ptolemæus duces inclytos Eropem, & Menoclem & Damoxenum. Sed obsidionem solvere non potuit: donec fame superatus Scopas, manus dedit, & nudus cum sociis dimissus est. Quodque ait: Comportabit aggerem: illud significat, quod præsidium Scopæ in arce Hierosolymorum adnitentibus Iudæis multo tempore oppugnarit, & ceperit alias urbes, quæ prius à Ptolemæi partibus tenebantur, Syriæ, Ciliciæ & Lyciæ. Eo enim tempore capta sunt Aphrodisias & Solæ & Zephyrion & Mallos & Anemurium & Solemus & Coracesium & Coricus & Andriaca & Limyra & Patera & Xanthus, & ad extremum Ephesus, de quibus universis & Romana & Græca narrat historia. Quodque intulit:* Et stabit *in terra inclyta & consumetur sive perficietur in manu ejus. Terram inclytam, sive ut LXX. interpretati sunt, voluntatis, hoc est quæ complaceat Deo, Iudæam significat & propriè Hierusalem, in qua honorificè susceptos eos qui partium Scopæ erant, persecutus est. Pro terra inclyta, quod interpretatus est Aquila, quem nos in hoc loco secuti sumus: Theodotio ipsum Hebraicum verbum posuit σαβιν, pro quo Symmachus vertit terram fortitudinis.*

ET PONET FACIEM SUAM, &c.] *Hoc est Ptolemæum, sive illum hoc est regnum ejus. Volens Antiochus non solum Syriam & Ciliciam & Lyciam & alias provincias quæ Ptolemæi fuerant partium possidere: sed in Ægyptum quoque regnum suum extendere, filiam suam Cleopatram per Euclem Rhodium septimo anno regni adolescentis spondet Ptolemæo, & tertio decimo anno tradidit: data ei dotis nomine omni Cœlesyria & Iudæa. Filiam autem fœminarum per περίφρασιν vocat, ut est illud poëticum:* Sic ore locuta est: Vocemque his auribus hausi.

ET NON STABIT, &c.] *Neque enim obtinere potuit Ægyptum, quia Ptolemæus Epiphanes, & duces ejus sentientes dolum, cautius se gesserunt & Cleopatra magis viri partes quam parentis fovit. Vnde vertit se ad Asiam, & navali certamine adversum plurimas insulas dimicans, cepit Rhodum & Samum & Colophonem & Phoceam & alias multas insulas. Sed occurrit ei L. Scipio Nasica cum fratre suo P. Scipione Africano, qui Hannibalem vicerat. Cum enim consul Nasica (imo Asiaticus) frater Africani hebetioris esset ingenii & contra regem potentissimum senatus ei bellum nollet credere, spontaneam legationem obtulit Africanus pro fratris injuria. Victus ergo Antiochus, intra Taurum regnare jussus est, & inde fugit ad Apamiam ac Susam & ultimas regni sui penetravit urbes. Cumque adversum Eli-*

maos pugnaret, (Imo apud templum Didymæi Jovis) *cum omni est deletus exercitu. Et hoc est quod nunc scriptura dicit: quod multas insulas ceperit & vincente Romano Asiam perdiderit, & opprobrium ejus conversum sit in caput ejus, & ad extremum de Asia refugiens reversus sit ad imperium terræ suæ, & impegerit atque corruerit, & locus ejus non sit inventus.*

ET STABIT IN LOCO EJUS VILISSIMUS ET INDIGNUS, &c.] *Seleucum dicit cognomento Philopatorem, filium magni Antiochi, qui nihil dignum Syriæ & patris gessit imperio, & absque ullis prœliis inglorius periit. Porro Porphyrius non vult hunc esse Seleucum, sed Ptolemæum Epiphanem, qui Seleuco sit molitus insidias, & adversum eum exercitum præpararit & idcirco veneno sit interfectus, à ducibus suis. Quod cum unus ab illo quæreret, tantas res moliens, ubi haberet pecuniam, respondit, sibi amicos esse divitias. Quod cum divulgatum esset in populis, timuerunt duces ne auferret eorum substantiam, & idcirco eum maleficis artibus occiderunt. Sed quomodo potest in loco magni Antiochi stare Ptolemæus, qui hoc omnino non fecit: maxime cum Septuaginta interpretati sint,* Et *stabit de radice ejus plantatio: id est de germine ejus & semine, percutiens dignitatem imperii: & in paucis diebus conteretur absque ira & prœlio. Hebræi vilissimum & indignum decore regio, Tryphonem intelligi volunt, qui tutor pueri arripuit tyrannidem.*

Hactenus Hieronymus, qui uberrimè historiam regum Syriæ & Ægypti, qua attingit Judæos, explicavit. Nunc nobilissimos eventus & regum initia suis annis deputabimus: item prætenta à Josepho exsequemur. Alexander condit Parætonium. Alexandria eo anno etiam condita, nempe Olymp. CXII. Amon regio Ægypti maritima, in qua sita fuit Alexandria, prope illum locum ubi olim fuerat urbs amplissima & antiquissima No; quam Nahum III. 8. *No amon* appellavit. Scaliger nomen illud ut omnia nomina propria ab Masoritis esse male formatum putat per imperitiam Græcarum literarum. Id imprudenter excidit viro summo. Nam Masoritæ indices vocalium addidere genio Hebræi sermonis convenientissimos, quemadmodum è peregrinis linguis solemus vocabula ad analogiam nostræ formare. Et cur imperitiam exprobrat Masoritis, nisi, quia Grammaticos illos Hebræorum putat fuisse temporum tantum posteriorum, quibus Deus ab illa gente recesserat? Annus M. C. erat 3616. quo Darium vicit Alexander prælio ad Arbela.

A. M. C. 3630. (biennio anticipat Scaliger) Multa millia Judæorum deportata in Ægyptum. Ptolemæus enim Lagi sive per se sive misso Nicanore (ut Diodorus) Hierosolyma Sabbato occupavit; Judæam & Phæniciam subegit. Scal. *Numerosæ* illæ synagogæ ἑλληνιστῶν sub regibus Ptolemæis & innumerabilis multitudo Judæorum Ægyptiensium hodiernorum, item Samaritæ, qui adhuc in urbe Caïro morantur non aliunde, quam ex hac deportatione propagati sunt.

A. M. C. 3638. Polemone Athenis Archonte cæpit æra Alexandri Antiochena, quæ epocham Christi Dionysianam præcedit annis 312. Adde tot annos, anno, in quo nunc sumus, 1663. habebis Alexandreum 1975. Macchabæorum historia hanc æram vocat annos Græcorum. Erat annus 13. à morte Alexandri, primus olymp. 117. Judæi (ut & Maccabæorum historia) inchoant à mense Nisan, Antiocheni à Kal. Octob. Chaldæi anno solido post Judæos. Judæi enim anticipant sua reductione.

Anno M. C. 3665. anno Græcorum Judaico 28. Ptolemæus Philadelphus, rex opulentissimus, magnificorum operum conditor, literarum & literatorum, fautor summus, succedit Patri.

Anno M. C. 3669. Seleuco Nicatori succedit Antiochus Soter.

Anno

Anno M. C. 3672. Græcorum 35. Lex sive V. T. Alexandriæ vertitur in Græcam linguam à LXX. interpretibus.

Ann M. C. 3675. Philadelphus amicitiam Romanorum impetrat, postquam Pyrrhum italia exegerant.

Anno M. C. 3689. Antiochus Θεὸς succedit Antiocho Soteri.

Anno M. C. 3703. anno Græcorum 66. Ptolemæo Philadelpho succedit Ptolemæus Evergetes.

Anno M. C. 3704. Antiocho Θεῷ succedit Seleucus. Videtur iste Evergetes in matrimonio habuisse filiam Agæ regis Cyrenarum patrui sui, defuncti ante Philadelphum fratrem suum. *Hic Agas* (narratio est Justini lib. 26.) *ante infirmitatem, Beronicen, unicam filiam, ad finienda cum Ptolemæo fratre certamina, filio ejus desponderat. Sed post mortem regis, mater virginis Arsinoe, ut invita se contractum matrimonium solveretur, misit, qui ad nuptias virginis regnumque Cyrenarum, Demetrium fratrem regis Antigoni à Macedonia arcesserent, qui & ipse ex filia Ptolemæi procreatus erat. Sed nec Demetrius moram fecit. Itaque cum secundante vento celeriter advolasset statim à principio superbus* (atque ob id regiæ familiæ & militibus invisus) *erat; studiumque placendi à virgine in matrem contulerat. Itaque versis omnium animis in Ptolemæi filium,* (per insidias in lecto apud Arsinoen interfectus est, Berenice Ptolemæo cessit). At Seleucus Syriæ rex (Justinus iterum audiatur lib. 27.) *hortante matre Laudice, quæ prohibere debuerat, auspicia regni à parricidio capit. Quippe Beronicen novercam suam, sororem Ptolemæi (Evergetæ) regis Ægypti cum parvulo fratre ex eo suscepto interficit. Quo facinore perpetrato & infamiæ maculam subiit, & Ptolemæi bello se implicuit. Porro Beronice, cum ad se interficiendam missos didicisset, Daphne se claudit. Ubi cum obsideri eam cum parvulo filio nuntiatum Asiæ civitatibus esset, recordatione paternæ majorumque ejus dignitatis, casum tam indignæ fortunæ miserantes, auxilia ei omnes misere. Frater quoque Ptolemæus periculo sororis exterritus, relicto regno cum omnibus viribus advolat. Sed Beronice ante adventum auxiliorum, cum vi expugnari non posset, dolo circumventa trucidatur. Indigna res omnibus visa. Itaque cum universæ civitates, quæ defecerant, ingentem classem comparassent, repente exemplo crudelitatis exterritæ, simul & in ultionem ejus quam defensuri erant, Ptolemæo se tradunt: qui nisi in Ægyptum domestica seditione revocatus esset, totum regnum Seleuci occupasset: tantum vel illi odium parricidiale scelus vel huic favorem indigne peremptæ mors sororis, attulerat. Post discessum Ptolemæi, Seleucus cum adversus civitates, quæ defecerant, ingentem classem comparasset, repente veluti diis ipsis parricidium vindicantibus, orta tempestate classem naufragio amittit: nec quicquam illi ex tanto apparatu præter nudum corpus & spiritum & paucos naufragii comites residuos fortuna fecit. Misera quidem res sed optanda Seleuco fuit: siquidem civitates, quæ odio ejus ad Ptolemæum transierant, velut diis arbitris satisfactum sibi esset, repentina animorum mutatione in naufragii misericordiam versæ imperio se ejus restituunt. Lætus igitur malis suis & damnis ditior redditus, veluti par viribus bellum Ptolemæo infert: sed quasi ad ludibrium tantum fortunæ natus esset nec propter aliud opes regni recepisset, quam ut amitteret, victus prælio non multò quam post naufragium comitatior, trepidus Antiochiam confugit. Inde ad Antiochum fratrem literas facit: quibus auxilium ejus implorat oblata ei Asia inter fines Tauri montis, in præmium latæ opis. Antiochus autem cum esset annos 14. natus, supra ætatem regni avidus, occasionem non tam pio animo, quam offerebatur, arripuit. Sed latronis more, totum fratri eripere cupiens, sceleratam virilemque sumit audaciam: unde Hierax est cognominatus, quia non hominis sed accipitris (ritu) in alienis eripiendis vitam sectaretur. Intereà Ptolemæus cum Antiochum in auxilium Seleuco venire cognovisset, ne cum duobus uno tempore dimicaret, in annos decem cum Seleuco pacem facit: sed pax*

ab hoste data interpellaturò fratre, qui conducto Gallorum mercenario exercitu, pro auxilio bellum pro fratre hostem, imploratus exhibuit &c. In eo prælio victor fuit Gallorum virtute, sed Galli arbitrantes Seleucum cecidisse, in Antiochum arma vertunt: quod ubi sensit Antiochus auro se redimit, societatemque cum mercenariis suis jungit. Intereà Bithyniæ rex Eumenes, quasi vacantem inter discordiam fratrum Asiam invasurus Antiochum victorem Gallosque aggreditur & facile superat. Ptolemæus etiam rex Ægypti sub specie sororiæ ultionis Asiæ inhiabat. Victo Antiocho cum Eumenes majorem Asiæ partem occupasset & Galli cætera depopularentur, ne tunc quidem fratres perdito belli præmio, concordare potuerunt, sed omisso externo hoste in mutuum exitium bellum reparant. In eo Antiochus denuo victus ad Artamenem regem cappadociæ, socerum suum, evasit. *A quo cum* (verba iterum Justini) *primum benigne esset acceptus, interjectis diebus, cognito, quod insidiæ sibi pararentur, salutem fuga quæsivit. Igitur cum profugo nusquam tutus locus esset, ad hostem Ptolemæum, cujus fidem tutiorem, quam fratris existimabat, decurrit: memor, vel quæ facturus fratri esset, vel quæ meruisset à fratre. Sed Ptolemæus non amici debito, quam hostis factus, servari eum artissima custodia jubet. Hinc quoque Antiochus opera cujusdam meretricis adjutus, quam familiarius noverat, deceptis custodibus elabitur; fugiensque à latronibus interficitur. Seleucus quoque iisdem ferme diebus, amisso regno, equo præcipitatus, finitur. Sic fratres, quasi & germanis casibus, exules ambo, post regna, scelerum suorum pœnas luerunt.*

Seleucus iste Callinicus vitam finiit anno M. C. 3725. Succedit ipsi filius Seleucus Ceraunus.

Sub Ptolemæo Euergete Jesus Syrach in Ægyptum venit: Anno dicit 38. sub Ptolemæo Euergete. Si intelligat annum Jobel, venit anno M. C. 3713. qui fuit Evergetis decimus.

Anno M. C. 3729. anno contractuum seu Græcorum 92. Ptolemæo Euergetæ succedit Ptolemæus Philopator. Eodem anno, Seleucus Ceraunus dolo Gallorum occiditur, succedit frater Antiochus, cui res gestæ cognomentum Magni pepererint.

Ptolemæi Philopatoris res gestæ ita describuntur à Justino lib. 30. *Philippo in Macedonia magnis rebus intento, in Ægypto Ptolemæi diversi mores erant. Quippe regno parricidio parto & ad necem utriusque parentis* (alii matris solius) *cæde etiam fratris adjuncta, velut rebus feliciter gestis, luxuriæ se tradiderat, regisque mores omnis secuta regia erat. Itaque non amici tantum præfectique, verum etiam omnis exercitus depositis militiæ studiis, otio ac desidia corrupti marcebant. Quibus rebus cognitis Antiochus* (Magnus) *rex Syriæ veteri inter se regnorum odio stimulante, repentino bello multas urbes ejus oppressit, ipsamque Ægyptum aggreditur. Trepidare igitur Ptolemæus, legationibus missis, quoad vires pararet, morari Antiochum. Magno deinde in Græcia exercitu conducto, secundum prælium facit, spoliassetque regno Antiochum, si fortunam virtute juvisset. Sed contentus recuperatione urbium quas amiserat, facta pace, avide materiam quietis arripuit, revolutusque in luxuriam, occisa Eurydice uxore, eademque sorore sua, Agathocliæ meretricis illecebris capitur. Atque ita omnem magnitudinem nominis ac majestatis oblitus, noctes in stupris, dies in conviviis consumit. Adduntur instrumenta luxuriæ, tympana & crepundia; nec jam spectator rex sed magister nequitiæ, nervorum oblectamenta modulatur. Hæc primò laborantis regiæ tacitæ pestes & occultæ fuere: deinde crescente licentia, jam nec parietibus regiæ domus contineri meretricis audacia potest: quam proterviorem, sociata cum Agathocle fratre, ambitiosæ pulchritudinis scorto, quotidiana regis stupra faciebant. Accedebat & mater*

Oenan-

Oenanthe, quæ gemina sobolis illecebris devinctum regem tenebat. Itaque non contentæ rege, jam etiam regnum possident, jam in publico visuntur, jam salutantur, jam comitantur. Agathocles regis lateri junctus civitatem regebat, tribunatus, præfecturas & ducatus mulieres ordinabant: nec quisquam in suo regno minus quam rex poterat: cum interim relicto quinquenni ex Eurydice sorore filio moritur.

Anno M. C. 3731. Antiochum vere primo in Syriam impetum facere conantem retinet Apollophantes: qui vult primum Seleuciam, quæ præsidiis Ægyptiorum tenebatur, recipi. Seleucia igitur recepta Ptolemaida & Tyrum occupat: quibus Ptolemæus territus, legationibus de pace distinet Antiochum: qui Duram frustra oppugnat.

3732. Antiochus Nicolaum Ptolemæi ducem dejicit ex angustiis Libani Syriamque usque ad Samariam ingreditur.

3733. M. C. Antiochus & Ptolemæus reges ingentibus copiis confligunt (Nam Ptolemæus septuaginta quinque millia militum, elephantos septuaginta tres, Antiochus 78000. & 102. elephantes habuisse dicitur) pugna acri commissa victoria tandem stetit à Ptolemæo. Unde Syriam totam recipit & Antiocho petenti pacem concedit.

Hac victoria ferox cum Deo εὐχαριστήρια καὶ νικητήρια Hierosolymis immolaret, aditu templi à Pontifice maximo prohibitus, inexpiabili odio in Judæos exarsit. Itaque in Ægyptum reversus, Ægyptienses Judæos elephantis proterere propositum habuit. Huc igitur pertinet historia lib. 3. Macchabæorum.

Liber tertius Macchabæorum.

CAp. I. Cum Ptolemæus intellexisset locorum, quæ sub ipso fuerant, ademptionem ab Antiocho, cum copiis equestribus & pedestribus, & sorore Arsinoe, usque Raphiam profectus est, ubi Antiochi castra erant. Theodotus quidam, cui arma regis concredita erant, noctu in tabernaculum ingreditur Ptolemæum interempturus, quem Dositheus Drimyli filius, Judæus apostata, subductum, alio ignobili supposito eripuit. Cum prælium consereretur, fortuna inclinabat in partes Antiochi: Arsinoe igitur progressa in aciem, crinibus passis, lachrymis & ploratu obtestatur milites & fortiter vincentibus in capita promittit duo auri talenta: quæ causa fuit victoriæ. Ptolemæus igitur aditis urbibus & rebus compositis, postquam cum Senatu & senioribus gratulantes & munera afferentes Judæos liberaliter accepisset, Hierosolyma adeundi cupidine accensus urbem introiit. Sacris rite peractis, & in sanctum per imprudentiam adstantium admissus cum artem & pulchritudinem admiraretur, & compositum ministerii ordinem, adyta templi intrare decrevit: non potuit à proposito deduci, multa obtestantibus Judæis & legis interdictum prælegentibus. Hic ingens tumultus exortus est, qui à sacerdotibus operantibus & Dei opem implorantibus sumpto initio, in populum & urbem totam celerrime diffunditur. Sexus etiam muliebris, sui oblitus, effusus est ædibus in modum sibi inconvenientem. Quidam civium irrumpere & vim facere regi parati, ægre cohibentur à sacerdotibus. Tum sacerdotibus ad preces & lamenta reversis, Simon pontifex facie obversa ad sanctum (cap. 2.) Deum precatur. Precibus vix dum finitis, immissa manu sua Deus, concussit regem sicut arundo à vento agitari solet. Hinc prostratum & animo delinquentem amici & satellites abripiunt. Ad se reversus ira & indignatione plenus in Ægyptum abit. Illic in omne genus impuritatis simulque in blasphemias in populum profusus, in

turri

turri quadam apud aulam columnam erigit, cui inscriptum: Neminem non immolantium in templa ingressurum, πάντας δὲ Ἰουδαίους εἰς λαογραφίαν καὶ οἰκετικὴν διάθεσιν ἀχθῆναι, τοὺς δὲ ἀντιλέγοντας βίᾳ φερομένους τοῦ ζῆν μεταστῆσαι, τούς τε ἀπογραφομένους χαράσσεσθαι καὶ διὰ πυρὸς εἰς τὸ σῶμα παρασήμῳ Διονύσου κισσοφύλλῳ, οὓς καὶ καταχωρίσαι εἰς τὴν προσυνεσταλμένην αὐθεντίαν. Non capio satis: Vult Judæos insigni Bacchi inuri hoc est transferri ad gentilitatem, opponentes vita privari. Multi defecere sed plerique perstiterunt. Constantes excludebant eos à sua conversatione. Cap. 3. Cum rex id intelligeret accensus à defectoribus, qui Judæorum mores traducebant mendacio (contemptus & contumeliæ miserabantur etiam quidam gentilium) edicto præcipit, quicquid uspiam in Ægypto erat Judæorum ad supplicium trahi. Occultanti minitatur mortem cum gravissimis tormentis. In illis literis scribit se reversum in Ægyptum, oblitum contumeliæ, Judæos voluisse assumere in communionem æterni sacerdotii & civitatis Alexandrinæ: quod admittere noluerunt. Cap. 4. Ubicunque illud edictum editum est gentes in epulas & gaudia ut & ipse rex solvebantur. Primò, ut videtur, conquisiti tantum fuere, qui extra urbem Alexandriam habitabant, comportatique navibus & aliter in hippodromum urbi propinquum. Cum autem Alexandrini fratres suos consolarentur, etiam eos rex eodem supplicio voluit teneri. Descriptio magna molestia, totis diebus quadraginta, non potuit peragi. Nam & charta (χαρτηρίων) & scriptorii calami deficiebant: & sparsi domatim & per loca Ægypti ad unum omnes nequibant haberi. (Cap. 5.) Jussus est Hermon elephantorum magister in sequentem diem elephantes multo mero & thure (λιβανωτοῦ λιβάνου) inebriare, ut miseros protererent. Erant elephanti quingenti. Jussu dato rex cum amicis epulas init. Per noctem Judæis ligabantur manus, parabantur extremæ horæ, quæ indicata etiam est. Hinc in lachrymas & preces, tanquam ultimo exitio imminente, & amplexus mutuos ruentes Deus consolatus est, dilatione. Nam rex post epulas in somnum solito profundiorem lapsus, cum mane adesset Hermon ad jussum officium, permitti sibi debuit & media decima, cum amici ad convivium adessent, vix potuit excitari. Nec incidit regi recordatio hesterni mandati & parati Judæis exitii antequam epulis provectis mero incaluisset. Tum vero accito Hermone & duriter increpito, vix credit amicis affirmantibus quod factum erat. Iterato igitur jussu in mane diei sequentis simili modo efferantur belluæ: quas armatas magister in magno peristylo movebat. Multitudo effundebatur in spectaculum, quia nuntiatum erat surrexisse regem. At rex (Dei manu) oblitus totius rei, miratur tumultum, indicatoque ab Hermone & amicis quid præcepisset, gravi ira & fulmine verborum minisque invectus benè meritis mala parari dicit. At cum ad epulas redisset, mente sibi restituta, Hermonem increpat negligentiæ. Admirantibus amicis & mirificam illam instabilitatem urbem turbare dicentibus, jurat sine mora perdendos. Deinde hoc effecto in Judæam iturum & templum vastaturum igni. Tertio igitur mane prodeunt elephanti, confluit multitudo, Judæi viso pulvere vociferantur. (Cap. 6.) Sed ad preces Eleazari, sacerdotis è regione, angeli duo terribili facie visi regi & gentilibus (Judæi enim non videre) trepidatione universos implevere. Hinc mutato regis animo in commiserationem & benevolentiam, solvi vinculis & omni solamine refectos dimitti jubet. A vigesimo quinto mensis Pachon usque ad quartum mensis Epiph, descriptio facta est, quinto sexto, septimo ejus mensis exitium destinabatur. (Cap. 7.) Edictum & literas rex in eorum gratiam scribit, quibus prohibet ab eis omnem vim & injuriam. Deinde permisit defectores occidere: quos interemerunt ad trecentos. Ptolemai-

de

de Rhodophoro septem dierum festum gaudium egerunt. Hanc historiam non habet Josephus simile tamen est quod evenisse memorat sub Ptolemæo Physccone, lib. 2. in Appionem.

Anno M. C. 3746. anno Græcorum 106. Ptolemæus Philopator locum facit Ptolemæo Epiphani.

Hic per Scopam, ducem suum, Judæam & vicina subigit. Anno 3752. Antiochus Scopam vincit: annitentibus Judæis præsidium Ptolemæi ex arce Sionis expellit. Ideo Judæis est beneficus.

De Ptolemæi Epiphanis initio ita Justinus: *Sed mors ejus* (Philopatoris) *dum pecuniam regiam mulieres rapiunt & imperium inita cum perditissimis societate occupare conantur, diu occultata fuit. Re tamen cognita, concursu multitudinis & Agathocles occiditur & mulieres in ultionem Eurydicis patibulis suffiguntur. Morte regis, supplicio meretricum velut expiata regni infamia, legatos Alexandrini ad Romanos misere, orantes ut tutelam pupilli susciperent; tuerenturque regnum Ægypti, quod jam Philippum & Antiochum, facta inter se pactione, divisisse dicebant. Grata legatio Romanis fuit, causam belli adversus Philippum quærentibus, qui insidiatus eis temporibus belli Punici fuerat. Huc accedebat, quod Pœnis & Annibale superato, nullius magis arma timebant, reputantibus quantum motum Pyrrhus parva manu Macedonum in Italia fecisset, quantasque res Macedones in oriente gessissent. Mittuntur itaque legati, qui Antiocho & Philippo denuntient, ut à regno Ægypti abstineant. Mittitur & M. Lepidus in Ægyptum, qui tutorio nomine regnum pupilli administret.* Rursum initio lib. 31. *Mortuo Ptolemæo Philopatore rege Ægypti, contemptaque parvuli filii ejus ætate, qui in spem regni relictus, præda etiam domesticis erat, Antiochus rex Syriæ occupare Ægyptum statuit. Itaque Phœnicen ceterasque Syriæ quidem sed juris Ægypti civitates quum invasisset, legatos ad eum Senatus mittit, qui denuntiarent ei, abstineret regno pupilli, postremis patris precibus fidei suæ traditi. Quibus spretis, interjecto tempore, alia legatio supervenit, quæ omissa pupilli persona, civitates jure belli factas populi Romani in integrum restitui jubebat. Abnuenti, bellum denuntiatum: quod ille facile susceptum infeliciter gessit.*

Anno M. C. 3758. Antiochus cum bellum Romanum meditaretur Cleopatra filia Epiphani regi Ægypti in matrimonium tradita, addita dotis loco tota Cælesyria & Judæa: inde cum classe trajicit in Græciam.

Anno M. C. 3764. Idem Antiochus Magnus (Justin. lib. 32.) *cum gravi tributo pacis à Romanis victus oneratusque esset, seu inopia pecuniæ compulsus seu avaritia solicitatus, qua sperabat, se sub specie tributariæ necessitatis, excusatius sacrilegia commissurum, adhibito exercitu, nocte, templum Didymæi Iovis aggreditur. Qua re prodita concursu insularum, cum omni militia, interficitur.* Hieronymus lapsu memoriæ Antiochi Magni interitum, cum interitu Antiochi Epiphanis confudit. Succedit ipsi Seleucus Philopator. Aurelius Victor scribit Antiochum à convivis, quos temulentus pulsaverat, occisum.

Anno M. C. 3770. Ptolemæus Philometor Epiphani succedit.

Anno M. C. 3774. Seleucus Philapator moritur succedit frater Antiochus Epiphanes, qui Romæ obses fuerat. De hoc Justinus. lib. 34. *Rex Syriæ Antiochus Ptolemæo, majoris sororis suæ filio, regi Ægypti bellum infert segni admodum & quotidiana luxuria ita marcenti, ut non solum regiæ majestatis officia intermitteret verum etiam sensu hominis nimia sagina careret. Pulsus igitur regno ad fratrem minorem Alexandriam confugit: participatoque cum eo regno, legatos Romam ad Senatum mittunt, auxilia petunt, fidem societatis implorant. Movere senatum preces fratrum. Mittitur itaque legatus Popilius ad Antiochum: qui ab-*

stinere illum Ægypto, aut si jam incessisset, excedere juberet. Cum in Ægypto eum invenisset: osculumque ei rex obtulisset (Nam coluerat inter cæteros Popilium Antiochus, cum Romæ obses esset) Tunc Popilius facessere interim privatam amicitiam jubet, cum mandata patriæ intercedant; prolatoque senatus decreto & tradito, cum cunctari eum videret consultationemque ad amicos referre; ibi Popilius virga, quam in manu gerebat, amplo circulo inclusum, ut & amicos caperet *consulere jubet,* nec prius inde exire, quam responsum senatui daret aut pacem aut bellum cum Romanis habiturum. Adeoque hæc austeritas animum regis fregit, ut pariturum se senatui responderet. *Reversus in regnum Antiochus decedit &c.*

Pontificium successio.

I. ONias cognomento *priscus*, Jaddue filius.

II. Simon Oniæ filius *justus*: de hoc Jesus filius Syrach, cap. 50. 1. 2. 3. 4. 5. *Simon Oniæ filius sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum & in diebus suis corroboravit templum. Templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex ædificatio & excelsi parietes templi. In diebus ipsius emanaverunt putei aquarum & quasi mare adimpleti sunt supra modum. Qui curavit gentem suam & liberavit eam à perditione. Qui prævaluit amplificare civitatem* &c. In sepher Juchasin: *Simeon Iustus pontifex binas fecit vaccas* (Num. cap. 19.) *atque erat è reliquiis Synagogæ magnæ. Nominabatur etiam Iddo. Ex posteris fuit Iosue filii Iosedec Pontificis. Nam sub initia templi secundi fuit Iosue pontifex, ut Iosedec pater ejus sub finem templi primi. Post mortem vero Iosue, filius ejus & nepotes recta linea pontificatum gessere, ut est in libro Esdræ* (Nehemiæ) *usque dum perveniret pontificatus ad Simeonem justum, qui sacro illo ministerio functus est ann. 40.*

III. Eleazarus Oniæ filius succedit Simoni, quia Onias Simonis filius parvulus erat, circa initia Ptolemæi Philadelphi. Sub hoc Biblia versa. Thalmudici ostendunt aliquod templum Alexandriæ conditum esse ab Onia Simonis justi filio.

IV. Manasses Jaddue filius.

V. Onias II. Simonis justi filius. Hic tributa Ptolemæo Epiphani regi solvere neglexit. Josephus Tobiæ filius, natus sorore Oniæ pontificis, regis gratiam restituit.

VI. Simon II. Simonis Justi filius, sub Seleuco Antiochi M. filio.

VII. Onias III. cognomento pius Simonis II. F. Ad hunc Lacedæmoniorum rex Arius scripsit, ut vult Josephus; sed Scaliger revocat ad Oniam primum. Moritur circa principium Antiochi Epiphanis & Ptolemæi Philometoris.

Lib. 2. Machab. cap. 3. & 4. quibus explicantur Sulpiciana capita 17. & 18.

PAcem habebant Hierosolyma tempore Oniæ pontificis, ob illius pietatem & reges honorabant locum. Templum enim maximis muneribus solebant illustrare. Seleucus Antiochi magni filius sumptus sacrificiorum præstabat de reditibus regiis. At Simon quidam, præpositus templi (Josephus appellat (ut videtur) ἀρχιερέα lib. 12. cap. 5.) conabatur impium quid efficere (stabat à partibus seniorum fratrum adversum Hyrcanum) cumque non posset Oniæ obsistere, profectus ad Apollonium Tharsææ filium, præfectum Cœles Syriæ & Phœnices, defert, ærarium dives esse Hierosolymis, pecuniarum nihil ad sacra per-

pertinentium; quas rex posset ad se trahere. | Rex re cognita misit Heliodorum istas pecunias allaturum, sub specie tamen alia. Igitur cum à summo sacerdote benè esset exceptus & cujus rei gratia adesset ipse pontifici aperuisset, pontifex refert deposita esse viduarum pupillorumque solatium: quædam Hyrcani. Heliodorus respondet regio mandato, obsequium esse præstandum, seque gazophylacium aditurum. Rumore divulgato, universa urbs perturbata, omnia in tumultu & precibus erant. Deus igitur ad gazophylacium perrumpenti misit apparitionem angelorum. Eques enim apparuit armatus, quem duo juvenes comitabantur, qui Heliodorum plagis contundunt. Prolapsum igitur & caligine circumfusum eripiunt cursores & satellites in lecticam. Periclitantem de vita suis precibus sanat pontifex. Nam, ne putaretur vim humanam esse homini allatam, Deum rogavit, ut restitutus de potentia Dei testaretur. Iidem juvenes Heliodoro iterum visi, nuntiant precibus Oniæ salutem ipsi obtigisse. Sacrificiis igitur factis, ad regem redit, testatus quid evenisset.

Cap. 4. Simon male loquebatur de Onia, tanquam ipse Heliodorum instigasset ad hæc & fuisset malorum incentor. Cum inimicitiæ tantum procederent ut etiam per Oniæ necessarios homicidia fierent, Onias considerans periculum contentionis & Apollonium insanire, ad augendam malitiam Simonis, ad regem se contulit. Videbat enim sine regali providentia impossibile esse pacem rebus dari. Sed post Seleuci excessum, Antiochus suscepit regnum: cui Jason promittit argenti talenta sexaginta & ex reditibus aliis octoginta: si summum posset obtinere sacerdotium. Contexam reliqua verbis abbreviatoris, ut sunt in Latinâ versione ut appareat ejus pretium.

Annus hic M. C. 3774. & 3775. Jason.

v. 9. *Super hoc promittebat & alia centum quinquaginta, si potestati ejus concederetur gymnasium & ephebiam sibi constituere & eos, qui in Hierosolymis erant, Antiochenos scribere. Quod cum rex annuisset & annuisset principatum statim ad gentilem ritum contribules suos transferre cæpit: & amotis his, quæ humanitatis causa à regibus fuerant constituta & per Iohannem patrem Eupolemi (qui apud Romanos de amicitia & societate functus est legatione legitima) civium jura destituens, prava instituta sanciebat. Etenim ausus est sub ipsa arce gymnasium constituere & optimos quosque in lupanaribus ponere. Erat autem hoc non initium sed incrementum quoddam & profectus gentilis & alienigenæ conversationis, propter impii & non sacerdotis Iasonis nefarium & inauditum scelus: ita ut sacerdotes jam non circa altaris officia dediti essent, sed contempto templo & sacrificiis neglectis festinarent participes fieri palæstræ & præbitionis ejus injustæ & in exercitiis disci. Et patrios honores nihili habentes Græcas glorias optimas arbitrabantur: quarum gratia periculosa eos contentio habebat & eorum instituta æmulabantur, ac per omnia his consimiles esse cupiebant, quos hostes & peremptores habuerant. In leges enim divinas* &c.

Anno M. C. 3776.

v. 18. *Cum autem quinquennalis agon Tyri celebraretur & rex præsens esset, misit Iason facinorosus ab Hierosolymis viros peccatores, portantes argenti drachmas trecentas.* (In bibliothecæ Arundellianæ M. S. Codice habetur τετρακισχιλίας τετρακοσίας) *in sacrificium Herculis: quas qui asportaverunt, hi postulaverunt ne in sacrificiis erogarentur, quia non oporteret sed in alios sumptus eas deputari &c.* Data igitur in fabricam triremium.

Anno M. C. 3777. Regni Græcorum 140.

v. 21. *Misso autem in Ægyptum Apollonio Mnesthei filio* διὰ τὰ πρωτοκλίσια *Ptolemæi Philometoris regis cum cognovisset Antiochus alienum se à negotiis regni effectum, propriis utilitatibus consulens, profectus inde venit Ioppen & inde Hierosolymam. Et magnifice à Iasone & civitate susceptus, cum facularum luminibus & laudibus ingressus est: & in Phœnicen exercitum convertit.*

Mortua Ptolemæi Philometoris matre Cleopatra Antiochi magni filia, cui pater Cælen Syriam (vel saltem magnam ejus partem) dotis nomine tradiderat Eulajus & Lenæus, præsides Ægypti, Cælen Syriam ab Antiocho, ut fraude occupatam repetebant. Pro Philometoris jure in repetenda Cæle, allatum est Antiochum M. Ptolemæo patri Philometoris, in pupillari ætate constituto, contra jus & fas Cælen primum ademisse, eamque postea cum filia sua Cleopatra dotis nomine restituisse. Antiocho Epiphane contra asserente, à tempore, quo pater suus patrem Philometoris ad Parium devicit Syriæ regibus Cælen semper paruisse: eamque Cleopatræ pro dote à patre concessam fuisse pernegante. Polyb. legat. 72. 78.

Menelaus pontifex Anno M. C. 3778. Ann. Græc. 141.

v. 23. *Et post triennii tempus misit Iason Menelaum supradicti Simonis fratrem, portantem pecunias regi & de negotiis necessariis responsa perlaturum. At ille commendatus regi, cum magnificasset faciem potestatis ejus, in semetipsum retorsit summum sacerdotium, superponens Iasoni* (supergressus) (ὑπερβαλὼν τὸν Ἰάσωνα) *talenta argenti trecenta. Acceptisque à rege mandatis venit, nihil quidem dignum habens sacerdotio: animos vero crudelis tyranni & feræ belluæ iram gerens. Et Iason quidem, qui proprium fratrem captivaverat ipse deceptus* (Gr. καὶ ὁ μὲν Ἰάσων ὁ τὸν ἴδιον ἀδελφὸν ὑπονοθεύσας ὑπονοθευθεὶς ὑφ' ἑτέρου) *profugus in Ammanitin expulsus est regionem. Menelaus autem, qui principatum quidem obtinuit, de pecuniis vero regi promissis nihil agebat; cum exactionem (ab illo) faceret Sostratus qui arci erat præfectus. Nam ad hunc exactio vitigalium pertinebat. Quam obrem utrique ad regem sunt evocati. Et Menelaus amotus est à sacerdotio succedente Lysimacho fratre suo: Sostratus autem prælatus est Cypriis.* (Græce, Σώστρατος δὲ κράτητα τὸν τῶν κυπρίων, *accepit successorem Crateta, Cypriorum præfectum.*

Lysimachus pontifex: Anno M. C. 3779.

v. 30. *Et cum hæc agerentur, contigit Tarsenses & Mallotas seditionem movere eo quod Antiochi regis concubinæ dono essent dati. Festinanter itaque rex venit sedare illos, relicto suffecto uno ex comitibus* (Gr. ἐν ἀξιώματι) *Andronico. Ratus autem Menelaus accepisse se tempus oportunum, aurea quædam vasa è templo furatus donavit Andronico: & alia vendiderat Tyri & pervicinas civitates. Quod cum certissimè cognovisset Onias, arguebat ipsum, ipse in tuto loco se continens Antiochiæ secus Daphnen. Vnde Menelaus accedens ad Andronicum* (λαβὼν ἰδίᾳ τὸν Ἀνδρον.) *rogabat ut Oniam interficeret* (Gr. χειρώσασθαι) *Qui cum venisset ad Oniam & datis dextris cum jurejurando (quamvis esset ei suspectus) suasisset de asylo procedere, statim eum peremit* (παρέκλεισεν) *non veritus justitiam. Ob quam causam non solum Iudæi sed etiam quoque nationes indignabantur & moleste ferebant de nece viri injusta. Regressum regem de Cilicia locis adierunt Iudæi apud Antiochiam simul & Græci, conquerentes de iniqua nece Oniæ. Contristatus itaque est animo* (ψυχικῶς) *Antiochus propter Oniam & flexus in misericordiam, lachrymas fudit, recordatus defuncti sobrietatem & modestiam: accensusque animis Andronicum*

nicum purpura exutum καὶ τοὺς χιτῶνας περιῤῥήξας *per totam civitatem jubet circumduci & in eodem loco in quo in Oniam impietatem commiserat, sacrilegum vita privari* (μιαιφόνον ἀπεκόσμησε) *Domino illi condignam retribuente pœnam. Multis autem sacrilegiis commissis* (κατὰ τὴν πόλιν) *in templo à Lysimacho, Menelai consilio & divulgata fama, congregata est multitudo adversus Lysimachum, multo jam auro exportato* (πολλῶν ἤδη χρυσωμάτων διενηνεγμένων) *Turbis autem insurgentibus &* (animis) *ira repletis, Lysimachus armatis fere tribus millibus, iniquis manibus uti cœpit* (κατήρξατο χειρῶν ἀδίκων, primus cœpit injuriam) *duce quodam Tyranno, ætate pariter & dementia provecto. Sed ut intellexerunt conatum Lysimachi, alii lapides, alii fustes validos* (ξύλων πάχη) *arripuere, quidam vero cinerem in Lysimachum jecere* (τινὲς δὲ ἐκ τῆς παρακειμένης σποδοῦ δρασσόμενοι φύρδην, ἐνετίνασσον εἰς τοὺς περὶ τὸν Λυσίμαχον.) *Et multi quidem vulnerati, quidam autem & prostrati, omnes vero in fugam conversi sunt, ipsum etiam sacrilegum secus ærarium interfecerunt* (ἐχειρώσαντο)

Anno M. C. 3780. Anno Judaico regni Græcorum 143: quo primam Epiphanes expeditionem in Ægyptum fecit.

NArrat porrò autor secundi Machabæorum judicium de tumultu Hierosolymitano actum esse Tyri apud regem: quo missi erant tres legati è senatu Hierosolymitano. Menelaus Ptolemæum pollicitatione pecuniæ persuasum à suis partibus habuit: qui regem in aliam sententiam, quam prius animo conceperat, induxit. Absolvitur Menelaus: innocentes supplicio affecti. Tyrii quoque indignati in sepulturam eorum liberalissimi exstiterunt. Sic mansit in potestate Menelaus ex avaritia & favore potentium μέγας τῶν πολιτῶν ἐπίβουλος καθεστώς. Autor primi Machabæorum bis afflictam esse Hierosolymam testatur. Primum anno Judaico 143. quo Antiochus reversus ex Ægypto, quam afflixerat, gravi cum multitudine Hierosolymam advenit. Ingressus est sanctum: rapuit altare aureum, candelabrum, & omnia vasa. Mensam propositionis, libatoria, phialas, θυΐσκας aureas, velum, coronas & ornatum aureum coram æde (τὸν κατὰ τὸ πρόσωπον τοῦ ναοῦ) quem avulsit. Aurum, argentum, vasa, thesauros. Cædem etiam perpetravit. Ita abiit in Syriam cum Judæam luctu & mœrore replevisset. Hæc de prima afflictione narrantur, 1. Machabæorum 1. 20--29. de secunda afflictione narrat consequenter.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI SECUNDI
Caput XIX.

Post biennium deinde, pari rursum clade affectis Iudæis, ne forte frequentibus malis compulsi bellum sumerent, præsidium arci imposuit. Inde sacram legem evertere aggressus, mittit edictum, ut omnes relictis majorum suorum traditionibus gentilium ritu viverent. Nec desuere, qui profano imperio volentes parerent. Tum verò fœdum spectaculum, per universam urbem palam in plateis diis litabatur, sacra etiam legis & prophetarum volumina igni cremata. Ea tempestate Matathias, Iohannis filius sacerdos erat. Hic quum à regiis cogeretur edicto parere, egregia constantia prophana contemnens, Hebræum publicè profanantem in ore omnium jugulavit. Tum demum reperto duce facta secessio est. Matathias oppido egressus, multis ad eum confluentibus, speciem justi exercitus effecerat: queis omnibus destinatum erat adversus profanum imperium se armis tueri, & in bello potius occumbere, quam impias cerimonias exercere. Interea Antiochus per Græcas quoque urbes, quæ in illius imperio erant, repertos Iudæos sacrificare cogebat, inauditisque cruciatibus reluctantes afficiebat. Qua tempestate illustris illa passio septem fratrum matrisque fuit: qui omnes cum legem Dei & instituta violare suppliciis cogerentur, mori maluerunt. Ad extremum pœnas mortemque eorum comitata mater est.

Drusius.

Post Biennium Deinceps] Anno CXLV. regni Græcorum; 1. Machab. 1. 57. & 5. 14. & 2. Machab. 5. 11.

Præsidium Arci Imposuit] Quam extruxerat in superiore urbe, quæ à Davide nominata. Vocatur enim *Civitas David*, 1. Machab. 1. 35. Demolitus mœnia in inferiore urbe arcem condidit: erat enim editiore loco sita, ipsi templo imminens. Quapropter bene prius firmatæ mœnibus ac turribus Macedonicum præsidium imposuit. Admixti tamen erant ex impiis Judæis, scelestissimi, à quibus plurimum vexata fuit civitas. Josephus Antiquit. lib. 12. cap. 7. Arx hæc acra dicitur, id est, חקרא/ & ἀκρόπολις. Probatum alias.

Mittit Edictum] 1. Machab. 1. 43.

Sacra Etiam Legis Et Prophetarum Volumina Igne Cremata

MATA] Legis vocabulo intelligit quinque libros Mosis, & prophetarum etiam Hagiographos; qui latiore significatione prophetæ fuerunt. Autor More (is est Moses Ægyptius) de his, *Omnes scripti erant θεοπνεύστως, & omnes vocantur propheta.* Ita sumes in illo, *Habetis legem & prophetas.*

MATATHIAS JOHANNIS F. SACERDOS ERAT] Mathathias patrem habuit Johannem, avum Simonem. Neuter horum pontifex fuit. Quocirca non est credibile Mathathiam pontificem fuisse. Quod tamen Ebræi temerè nimis adfirmant. Nam ea tempestate summum sacerdotium venale erat, quod pessimi quique consequebantur. Cognomen ei erat Hasamonæus. Unde *Hasamonaus & filii ejus: & fœdus quod inter Romanos & Iudam filium Hasamonai*, id est, Mathathiæ. Hinc origo nominis Hasamonæorum, quo posteri ejus omnes appellantur, quos nos Machabæos vocamus. Disertè R. David ad vocem Hasmannim, quæ habetur Psal. 68. 32. *Mathathias filius Iohannis vocatur Hasamonaus, & similiter filii ejus omnes vocantur Hasamonai.* Minus bene Josepho, Mathathias filius Johannis, qui fuit Simeonis ex Hassamonæo geniti. Nec melius, author Chronici Eusebius, *Matthathias* quidam ex sacerdotibus *filius Hasamonai.*

MATATHIAS] Græcè est ματταθίας, prætulerim ματθαθίας, idem Matthathias, vel certè Mathathias. Nam in historia Ebraica מתתיה. Legitur & מתיה/ unde ματθίας id est Matthias: quod in codice Aldino & apud Josephnm. Addam pro Corollario: In Johasin fol. 14. pag. 2. *Anno mundi 3621. rebellavit Mathathias filius Iohannis sacerdotis magni: & ipse est qui cognominatur Hasamonaus.* Alibi est in eodem libro, Mathathias *qui vocatur Hasmonaus: & qui est principium Hasmonaorum.*

SACERDOS] Sacerdos erat ex vice Joarib, sive Jojarib 1. Machab. 2. 1. Etiamne pontifex? non videtur. Nam in catalogo pontificum nulla ejus memoria usurpatur. Quanquam in historia Ebraica, *Mathathias filius Iohannis summus sacerdos.* Quæ tamen verba ambigua sunt in Ebræo. Nam verti possunt, *filius Iohannis sacerdotis summi.* Sed tollit omnem omnino dubitationem locus alter. *Ipse est Mathathias summus sacerdos, qui sustulit manum suam primus contra regnum Gracorum, ut qui pracepit ut Iudai sabbatho pugnarent.* Eadem habentur in Salmanticensi & apud alios Judæos, quæ ex eodem fonte hausta, ab uno tantum authoritatem accipiunt, nempe à Josepho Gorionis F. quem constat in multis multifariè hallucinatum, ac proinde cum judicio legendum esse.

CUM À REGIIS COGERETUR EDICTO PARERE] Quorum dux erat Philippus quidam, Historia Ebraica. Chronicon templi secundi: Appelles, quem una cum Judæo profanante Mathathias occidit, Josephus.

PROFANANTEM] Profana sacra facientem. Historia Ebraica refert eum porcum immolasse. Quod si verum, dupliciter peccabat. Primo quod diis gentium sacrificabat, deinde quod suem immolabat, animal luto amicum immundumque.

OPIDO EGRESSUS] Opidum vocat, quod Josephus κώμην, id est, vicum appellat, historia Machabæorum πόλιν, & Ebraica montem. Quomodo & interpres noster 1. Machab. 2. 1. *consedit in monte Modin.* Hoc nomen alii Modein scribunt, hoc est, μωδεΐν, alii Modeim μωδεΐμ. In Chronico templi secundi, & in historia Ebraica reperio מודעית Modeith, id est μωδεΐθ. In comment. super Aboth. cap. 3. *R. Eliezer Hammodei, id est ex monte Hammodei, qui est prope Ierosolymam, quemadmodum dixerunt doctores nostri felicis memoria.* Eusebius de locis, *Modim, vicus juxta Diospolin,*

lin, unde fuerunt Machabæi, quorum hodieque ibidem sepulchra monstrantur. Modim id est *μωδεὶμ*, quomodo scriptum hoc nomen in Josepho. 12. 8. Quanquam in Rufino Modin id est, *μωδεΐν*. Sed rectum puto *μωδεΐν* ut Nun addita sit à librariis, sicut in *σαβὶν*, *λευὶν* & similibus. Ceterum egressus est opido in montes vicinos, ad quem confluebant quicunque pietatis ac recti studio ducebantur, tanto numero ut justi exercitus speciem efficerent.

Per Græcas Urbes] Finitimas. Id faciebant suggerentibus Ptolemæis. Vide 2. Machab. 6. 8.

Inauditisque Cruciatibus Afficiebat] Ac tandem etiam occidebat. Sint pro exemplo duæ mulieres quæ infantes suos circumciderant, quos suspensis dè mammis infantibus, publicè per urbem circumductas de muro præcipitarunt. Historia refertur 2. Machab. 6. 10.

Septem Fratrum] Horum historiam Josephus peculiari libello complexus est, cui titulus, *περὶ τοῦ αὐτοκράτορος λογισμοῦ*, quod animus sit, qui in nobis imperium habet. Vocatur etiam *τὸ μακκαβαϊκὸν*, teste Eusebio Eccles. hist. lib. 3. cap. 10. Nam hi fratres peculiariter Machabæi nuncupantur, ut & omnes alii, qui ea tempestate propter ritus patrios sævitiam Antiochi & ducum ejus experti sunt.

Matrisque] Hannam vocat compositor historiæ Ebraicæ, quæ post filios ultima interiit, quam historiam invenies & 2. Machab. 7. 1. usque ad finem capitis.

S C H O T A N U S.

Josephus lib. 12. cap. 7. breviter attingit superiorem illam direptionem & cladem Hierosolymorum, quæ evenit anno Græcorum regni 143. M. C. 3780. quam fecisse reversum ex Ægypto, metu Romanorum: admissum portis ab illis, qui partibus ejus studebant: inque ea occidisse multos alterius factionis & abripuisse multam pecuniam. Qualem primi Machabæorum autor eam cladem faciat supra ostendimus: nempe longè aliam, quam hic Josephus. Nulla enim apud Josephum spoliatio templi, nullus ingressus in sanctum, cujus omninò non meminit. Sulpicius in illa prima vult templum etiam spoliatum & inductos per vim mores & ritus gentilium.

Secundam cladem Josephus in hunc modum describit: Anno Seleucidarum 145. M. C. 3782.) mense Chasleu, qui Macedonibus Apellæus, olymp. 153. rursum rex ascendit Hierosolyma & simulata pace, dolo potitus est urbe. Tum nec suscipientibus pepercisse: sed actum avaritia cum videret multum in templo aurum esse & pretiosissimum ornatum donariorum, violasse *fœdus*. Ingtessus igitur in templum abstulit Dei vasa aurea, candelabra, auream aram, mensam & *θυσιαστήρια altaria*, ne quidem abstinuit velis, quæ *facta* erant cocco & bysso, raptis etiam occultis thesauris, nihil fecisse dicit *reliqui*. Unde in magnum luctum conjecisse Judæos. Nam & juge sacrificium prohibuisse, direptaque tota urbe alios occidisse, alios cum liberis & conjugibus abduxisse in captivitatem. Captivorum fuisse fermè decem millia. Incendisse pulcherrima urbis, dejecisse mœnia, arcem in inferiori civitate condidisse. Celsa enim etat & superimminens templo. Ideò altis mœnibus & turribus firmasse & imposuisse præsidium Macedonicum. Mansisse in arce etiam de multitudine impios & nequam moribus, à quibus cives multa passi. Condidisse etiam ad altare aram inque ea sues mactavisse, quod sacrum à Judæis legibus & religione omnino abhorrebat. Cogebat autem Judæos relicto Dei sui cultu, ipsius

ipsius deos venerari : in eorumque fanis & aris structis suillas carnes offerre. Comminatus quoque gravem pœnam est, si quis liberos circumcideret. Positis etiam inspectoribus, qui cogerent imperata facere. Multi Judæorum alii sponte, pars metu pœnæ propositæ, paruerunt: at probatissimi & generosi, spreto rege, patriæ consuetudinis potius rationem habuerunt, quam supplicii. Ideo quotidie, injuriis affecti & gravibus tormentis interibant. Flagris cæsi & corpora lacerati, vivi spirantesque suffigebantur crucibus. Uxores autem & circumcisos liberos strangulabant, suspensos à crucifixorum parentum cervicibus. Ubicunque sacrum volumen aut lex inveniretur, abolebatur & malè perdebantur, apud quos inventa. Cum Samaritæ viderent, ea pati Judæos, non amplius ferebant se esse eorum cognatos, neque templum in Garizin maximi Dei, consuetudini suæ (τῇ φύσει) facientes consentanea, dicentesque se esse Medorum & Persarum colonos: ut erant. Missis etiam legatis & epistola ad Antiochum significant ὑπομνήματι: Se appellari Sidonios in Sicimis. Majores suos ob pestes regionis frequentes secutos (παρακολουθήσαντες) antiquam quandam superstitionem assumpsisse à Judæis cultum diei sabbatorum. Conditoque templo in monte Garizin anonymo immolasse convenientia sacrificia. Cum autem rex Judæos tractaret digne sua impietate, regios ministros existimasse, quod eadem cum Iudæis tenerentur culpa & origine. E publicis tabulis (πολιτικῶν ἀναγραφῶν) nosci posse, quod origine Sidonii essent: rogare igitur ut præcipiat Apollonio præsidi regionis (μεριδάρχῃ) & Nicanori abstinere: utque templum ἀνώνυμον, Iovis Xenii jubeat appellari (Malè vulgò legitur διὸς ἑλληνίου) Si ita à vexatione liberentur, majores à se esse reditus venturos. Rex epistola ad Nicanorem missa & alia ad Apollonium, mandat ex consilio amicorum, ut ex eorum petitione templum haberet cognomen & sine molestia essent.

Hæc lib. I. Machab. cap. I. à v. 30. ad finem. Nihil memorat iste autori de spoliis templi, ne quidem regem ipsum advenisse Hierosolymam. Ejus ducem dicit dolo occupasse civitatem. Civitatem Davidis esse conditam in arcem & præsidio immunitam. Antiochum universo regno unam religionem cultumque & deos promulgasse. Die 15. Casleu abominandum idolum super altare Dei ædificasse. Per totam Judæam apud aras, aut januas ædium incensum fecisse. Die vigesima quinta super aram, quæ erat juxta altare. Malim credere Josepho de condita in arcem inferiori civitate, quam Maccabaïcorum scriptori, in Sione: sed puto eum vocabulo civitatis Davidis intellexisse inferiorem civitatem. Secundi libri autor (cap. 5.) scribit, cum rex secundo in Ægyptum se conferret, prodigia visa esse in aere quadraginta diebus: equitum turmas inter se concurrentes aliaque belli τρέχοντας ἱππεῖς διαχρύσους στολὰς ἔχοντας καὶ λόγχας σπειρηδὸν ἐξωπλισμένους, καὶ ἴλας ἵππων διατεταγμένας, καὶ προσβολὰς γινομένας καὶ καταδρομὰς ἑκατέρων καὶ ἀσπίδων κινήσεις, καὶ χαρακων πλήθη καὶ μαχαιρῶν σπασμοὺς καὶ βελῶν βολὰς, καὶ χρυσῶν κόσμων ἐκλάμψεις, καὶ παντοίους θωρακισμούς. Falso autem rumore divulgato, de morte Antiochi, Iason cum mille viris invasit urbem, pulsisque in arcem propugnatoribus urbis potitus, cædes multas facit: at mox pulsus in Ammanitim abiit. Illinc, ab Areta Arabum Tyranno ejectus, in Ægyptum fugit: inde Lacedæmona abiit, ubi vitam finiit. Rex auditis, quæ evenerant, cum arbitraretur Iudæam rebellaturam, regressus ex Ægypto & animo irato, urbem vi cepit (δοριάλωτον) Tum multa cæde perpetrata, omnis ætatis & sexus, octoginta millia periisse triduo. Porro ausum esse ingredi in sanctuarium, duce Menelao, rapuisse vasa & donaria. Superbiisse, quod non

affligeretur, ut ante Heliodorus. Mille octingenta talenta secum Antiochiam transtulit è templo. Reliquit præfectos (ἐπιστάτας) Hierosolymis Philippum Phryga, in Garizin Andronicum: præterque hos Menelaum omnium crudelissimum. Misit etiam rex (μυσάρχην) Apollonium cum exercitu viginti duorum millium, jussum adultiores occidere, mulieres & juniores vendere. Hic cum Hierosolyma advenisset, pacate se continuit, donec advenisset sabbatum, quo armatos immisit in feriantum turbam. Tum Iudas Maccabæus cum decem suis in solitudine se continuit & montibus, herbis se sustentantes.

Cap. 6. lib. 2. Machab. Post breve tempus misit rex senem Athenæum, qui Iudæos à lege patria abduceret: profanaret templum Hierosolymis, & traduceret in nomen Iovis Olympii & templum in Garizin, Iovis Xenii. Hic templum replebatur luxurià & comessationibus à gentibus quæ lasciviebant cum scortis & in sacris septis cum mulieribus miscebantur: quæque nefanda importabant. Ara replebatur profanis victimis (τοῖς ἀποδιεσταλμένοις ἀπὸ τῶν νόμων ἀθεμίτοις) Non licebat sabbatum agere neque patria festa, neque omninò Iudæum se esse confiteri. Cogebantur quolibet mense regis natalem diem, ἐπὶ σπλαγχνισμὸν (Lat. ad sacrificia) & Liberalibus cum hederis pompam agere Baccho. Ptolemæis suggerentibus ψήφισμα (decretum) in vicinas Græcorum urbes exiit eundem modum vivendi adversus Iudæos agere & σπλαγχνίζειν. Qui à patriis ritibus & cultu discedere nolebant, necabantur. Duas mulieres, quæ infantulos circumciderant, comprehensas, & infantulis è mammis suspensis, circumductas per urbem, è muro præcipites dedêre. Alios, qui in speluncas coierant, ut agerent sabbatum, indicatos, combuissit Philippus, quia sabbati quies prohibebat succursum. Eleazarus quidam primariorum scribarum, ætate provectus & venerabili specie, maluit mori quam carnem suillam edere. Præpositi visceratione (σπλαγχνισμῷ) quia viri familiarem semper notitiam habuerant, insusurrantes hortantur carnes alias datas à se ederet, simulatione & professione suillæ: quod renuit, negans ætati suæ decorum esse ut simularet & juvenes exempli sui specie, jam nonagenarius induceret in errorem (ἀλλοφυλισμοῦ) Confectus igitur plagis interiit.

Cap. 7. lib, 2. Machab. Evenit septem fratres unà cum matre comprehensos cogi à rege, suilla vesci, flagellis & nervis (Lat. taureis) Unus eorum advocatus, mascule dixit se paratos esse mori potius quam leges transgredi. Hinc rex exarsit, jussitque sartagines & ollas æneas succendi: quo facto linguam amputari & (Gr. περισκυθίσαντας Lat. cute capitis abstracta) summas quoque manus & pedes præscindi (ἀκρωτηριάζειν) cumque esset factus inutilis rogo admoveri spirantem & torreri in sartagine. Interim cæteri unà cum matre se invicem hortabantur. Simili modo cæteri confecti sunt & mortem tulere. Cute capitis detracta interrogabantur, regis mandato essent ne obsecuturi: negantes post amputata linguam & extrema manuum pedumque torrebantur. Promptissime se dabant, exprobrabant tyrannidem, confitebantur se Deo debere omnia & resurrectionem exspectare. Ultimum & ætate minimum rex ingentibus promissis conabatur abducere à religione & ipsam matrem jussit filio suadere: quæ simulans id se facere, patrio sermone animabat ad constantiam. Adolescens igitur provocat tyrannum, jubetque mortem festinare. Ultima omnium mater, quæ viderat tormenta & excarnificationes filiorum, eosque ad fortiter ferendum roboraverat subiit ærumnabilem mortem. Hæc ille autor περὶ σπλαγχνισμῶν & de tormentis Maccabæorum, Josephus peculiarem conscripsit libellum, qui inscribitur Maccabaïcus aut περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ, de imperio rationis. In quo ostendit rationem dominam esse affectuum, idque latè

&

& theatricè explicata historia Eleazari & septem fratrum cum matre instituit. Narrat autem Seleuco regnante Simonem quendam (hic non vocat ἀρχιερέα) Oniæ adversarium, illius, qui ultimus fuit legitimorum pontificum sub Macedonibus, Apollonio indicium fecisse opum in templo. Ipsum Apollonium, profectum esse Hierosolyma, & ausum ingredi sanctum à duobus angelis equitum specie percussum esse: deinde precibus Oniæ restitutum. Cum nunciaturus ea ad regem proficisceretur, rege mortuo successisse Antiochum Epiphanem. Hic Jasoni fratri Oniæ dedit pontificatum, pollicito annua talenta tria millia sexcenta & sexaginta. Jason gentem iniquam esse compulit (ἐξεπολίτευσεν ἐπὶ πᾶσαν παρανομίαν) In arce (vel acra) gymnasium construxit & curam templi dissolvit. Deum his iratum ipsum excitasse Antiochum. Nam cum in Ægypto bellum gereret, intellexit, fama mortis suæ divulgata, maximè omnium gavisos esse Hierosolymitas. Reversus igitur ex Ægypto Hierosolyma malè mulctavit, prohibuitque legum Judaicarum usum: sub gravibus minis & suppliciis. Ea contemni videbat & mulieres etiam, cum scirent id fore, cum infantibus, quos circumciderant, præcipitium non horruisse. Consedisse igitur Antiochum cum consessu (μετὰ τῶν συνέδρων) in loco edito, circumassistente manu armatorum militum: jussisse ad se adduci sigillatim Iudæos, ut suilla & idolothytis vescerentur. Ni faciant, τροχισθέντας ἀναιρεθῆναι, rortos interfici debere. In turba correptorum fuisse Eleazarum, qui τὸ γένος ἱερεὺς, τὴν ἐπιστήμην νομικός. Hunc multis persuadere conantur, ut regio pareret edicto, sed (ἀντιρρητορεύσαντα) cum dictis dicta opposuisset, satellites rapuerunt. Exutum (περιαγκωνίσαντες ἑκατέρωθεν) brachiis religatis, flagris cædunt: Clamante præcone, obsequere regio mandato. Laceratus flagris senex, non ferens dolores, concidit in terram, oculis & mente in cælum elevatis. Et unus satellitum calcibus ilia percussum, jussit surgere. Perferebat constantissime. Regii ministri miserati senium & ob consuetudinem accedunt, hortantur suilla gustata expedire se è cruciatu. Se carnes apposituros alias, simularet se sumere suillam. At qui tormenta tacitus tulerat, non ferebat eam suggestionem, à se acriter, istud amoliens prævaricationis tantæ exemplum. Adducunt igitur ad regem: diris instrumentis urentes & infusis in nares fœtidis liquoribus cruciant: ἔνθα διὰ κακοτέχνων ὀργάνων καταφλέγοντες αὐτὸν ὑπέρριπτον καὶ δυσώδεις χύλους εἰς τοὺς μυκτῆρας αὐτοῦ κατέχεον. Ille ad ossa perustus & animo deficiente, precibus se Deo commendans & populum exspirat. Scribit autor dixisse: τοιγαροῦν ἵλεως γίνου τῷ ἔθνει σου ἀρκεσθεὶς τῇ ἡμετέρᾳ ὑπὲρ αὐτῶν δίκῃ. καθάρσιον αὐτῶν ποίησαι τὸ ἡμῶν αἷμα καὶ ἀντὶ ψυχῶν λάβε τὴν ἐμὴν ψυχήν. Si hæc sunt istius Eleazari verba, non Iosephi ipsi attribuentis, inscitiam suam est professus. Cum Eleazari animum vincere non potuisset, alios præcipit produci. Septem fratres cum matre ætatis provectæ ducuntur. Antiochus miratus juvenum speciem hortatur sibi parcere & regi obsequi ostenditque ad terrendum instrumenta torturæ: τροχούς τε καὶ ἀρθρέμβολα στρεβλωτήριά τε καὶ τροχαντῆρας καὶ καταπέλτας καὶ λέβητας τήγανά τε καὶ δακτυλήθρας καὶ χεῖρας σιδηρᾶς, σφῆνας καὶ τὰ ζώπυρα τοῦ πυρός. Neque minis neque promissis nec aspectu torturæ instrumentorum nec subdola oratione moveri potuerunt. Satellites igitur primum ruptis vestibus ligatisque manibus & brachiis diverse: cumque flagris non possent dimovere à sententia, imposuerunt rotæ (ἀνέβαλον αὐτὸν περὶ τὸν τροχόν) Circa quam extensus, articulis & membris luxatis tyranno maledicit. Tum ignem substernunt & in diversa rotam intendunt. Inquinabatur ab omni parte rota sanguine & cumulus prunarum exstinguebatur ichorum destillationibus atque circa axes instrumenti diffluebant carnes: at jam soluto pegmate ossium fortissimus juvenis, ad imitatio-

nem sui & constantiam fratres hortabatur. Post eum alter ferreis manibus per acutas ungulas aptatis catapultæ alligatur. Interrogatum an mutaret, negantemque ferreis manibus lacerant à cervicibus usque mentum detracta carne & avulsa cute capitis. Ille quoque mortem fortiter pertulit. Tertio neganti se defecturum eadem admoventur supplicia: διὰ σιδηρεμβόλοις ὀργάνοις τὰς χεῖρας αὐτοῦ καὶ τοὺς πόδας ἐξήρθρουν καὶ ἐξ ἁρμῶν ἀναμοχλεύσαντες ἐξεμέλιζον. καὶ τοὺς δακτύλους, βραχίονας καὶ σκέλη καὶ ἀγκῶνας περιέκλων καὶ κατὰ μηδένα τρόπον ἰσχύοντες αὐτὸν ἄγξαι περισύραντες τὸ δέρμα σὺν ἄκραις τῶν δακτύλων κορυφαῖς ἀπεσκύθιζον (leg. ἀπεσκύπισαν) καὶ εὐθέως ἦγον ἐπὶ τὸν τροχόν, περὶ ὃν ἐκ σφονδύλων ἐκμελιζόμενος ἑώρα τὰς ἑαυτοῦ σάρκας περιλακιζομένας καὶ κατὰ σπλάγχνων σταγόνας αἵματος ἀπορρεούσας &c. Quarto, cum confidenter locutus sibi bona, tyranno perniciem imminere dixisset, jussu regis excisa est lingua. Quintum magnifice loquentem satellites ad catapultam trahunt: ἐφ' ὃν δήσαντες αὐτὸν ἐπὶ τὰ γόνατα καὶ ταῦτα ποδάγραις σιδηραῖς ἐφαρμόσαντες τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ περὶ τροχαῖον σφῆνα κατέκαμψαν. περὶ ὃν ὅλος περὶ τὸν τροχὸν σκορπίου τρόπον ἀνακλώμενος ἐξεμελίζετο. Sextum similiter abnuentem obsequi regi, pari modo excruciatum enecant: παρῆγον αὐτὸν ἐπὶ τὸν τροχὸν ὑφ' οὗ κατατεινόμενος ἐκμελῶς καὶ ἐκσφονδυλιζόμενος ὑπεκαίετο καὶ ὀβελίσκους δὲ ὀξεῖς πυρώσαντες τοῖς νώτοις προσέφερον καὶ τὰ πλευρὰ διαπείραντες αὐτοῦ καὶ τὰ σπλάγχνα διέκαιον. Ubi in sartaginem conjectus vitam ille finierat, vinctum ultimum adducunt, quem rex molitur pellicere, jussa etiam matre illi persuadere. Animatus à matre, cum videretur spem dare mutationis animi solvitur: accurrens igitur regem acerbissime increpat: atque ista elocutus sibimet præcipitans se in sartagines vitam claudit. Ad extremium mater, quæ in septem filiis septies passa erat mortem & torminibus omnium æquata, cum apprehendenda esset à satellitibus, semet ante illorum attactum conjecit in rogum. Autor ille celebrat eorum omnium constantiam tragica exaggeratione. καὶ οὗτοι inquit inter alia, ἁγιασθέντες διὰ θεὸν τετίμηνται καὶ διὰ τοῦ αἵματος τῶν εὐσεβῶν ἐκείνων καὶ τοῦ ἱλαστηρίου θανάτου αὐτῶν, ἡ θεία πρόνοια τὸν Ἰσραὴλ προκακωθέντα διέσωσε. Rufinus in versione sua è castello suo Sosandro, Antiochiam ad regem adductos esse scribit. Matrem Selomonam esse appellatam, filios Maccabæum, Aber, Machir, Iudam, Achas, Areth, Iacob, matrem Hebræi appellant Hannam.

Josephus lib. 12. cap. 8.

EA tempestate habitabat in Modin (Μωδεΐμ) vico Iudææ, quidam vir, cui nomen Matthias, filius Iohannis, filii Symeonis, filii Assamonæi (*ita scribit* Iosephus) sacerdos è classe Ioarib, Hierosolymita. Huic quinque filii; Iohannes, qui dicebatur Gaddis; Simon, qui Matthes; Iudas cognomento *Maccabæus*; Eleazarus, qui Auran congnominabatur; Ionathan, qui ἀπφοῦς. Hic cum filiis deflebat miserum rerum statum, direptionem urbis, deprædationem templi & multitudinis calamitates. Dicebatque melius esse pro patriis legibus mori, quam inglorios ita vivere. Cumque venissent in eum vicum, qui regio mandato Iudæos obsequi cogerent; ob gloriam viri, ex aliis & felici liberorum proventu, rogarunt eum ut præiret immolando, secuturos enim cives & id ipsi honori fore apud regem. Respondet ille nec si aliæ gentes omnes Antiochi mandatis sive ob metum, sine placendi studio obsequerentur, non obsecuturum se cum filiis nec patrium cultum relicturum. Vix ea finierat, cum videt Iudæum progressum in medium immolare; accensus igitur, cum filiis gladios habentibus irruit & hominem obtruncat; simulque Apellen, præfectum regium,

qui

qui adigebat & paucos milites. Tum ara eversa proclamat, si quis patriarum legum æmulator & Dei cultus, adjungat se mihi. Hæc prolocutus cum filiis in eremum secessit, relicta omni in vico possessione. Idem alii fecere: cum uxoribus & filiis fugiunt in desertum, & in speluncis degunt. Regii præfecti eo audito, cum militibus, qui in arce Hierosolymorum erant, persecuti eos & assecuti, primò conantur persuadere, ut redirent ad saniorem mentem nec cogerent belli lege agere. Cum rejicerent, aggressi sunt eos die sabbati & ut erant, in speluncis combussere, non defendentes se neque obstruentes aditus. Ita mille ferme interiere. Multi evasere ad Matthiam, quem ducem sibi constituunt. Hic eos docuit etiam sabbatis pugnandum esse, ne id omittentes sibi ipsis hostes essent: Id eis persuasum in consuetudinem deinceps valuit. Cum igitur non contemnendam apud se multitudinem & vim hominum haberet Matthias, evertit aras, defectores occidit, quoscunque poterat deprehendere. Multi enim ad gentes in circuitu dispersi fuere. Infantulos non circumcisos jubet circumcidi, ejectis, qui ad prohibitionem præerant. Cum annum præfuisset suis, prolapsus in morbum, advocatis filiis, admonet se viam communem fati ingredi, ipsisque commendare mentem suam & hortari ut diligentissimi ejus sint custodes: ad custodiam patriorum institutorum. Ne accedant illis, qui voluntate aut necessitate patriam prodiderant, sed ut digni se filii eam remp. resuscitent: vim & necessitatem superaturos si animo parati sint mori pro legibus, ubi res ferret. Ita existimandum esse Deum talibus non defuturum sed redditurum libertatem vivendi suis moribus. Corpora mortalia esse operum memoria immortalitatem parari. Ante omnia monere ut concordes sint & alter alteri cedat, in quo natura meliorem fecerit, quemque sua virtute uti. Simonem prudentia superiorem, suspiciant ut patrem ejusque consiliis aurem præbeant, Maccabæum præfectum habeant ob robur & virtutem. Hunc enim gentem defensurum & hostibus repositurum ultionem. προσίεσθαι δὲ καὶ δικαίους καὶ θεοσεβεῖς καὶ τὴν δύναμιν αὐτῶν αὔξειν. Eadem ista habentur in cap. 2. lib. 1. Machab.

BIBLIOTHECÆ Historiæ Sacrę

TOMI SECUNDI PEMPTADIS TERTIÆ liber quintus

DE

Principatu Hassamonæorum seu Maccabæorum.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI II.

Caput XX.

I*Ntereà Mathathias moritur: vicarium exercitui quem paraverat, ducem Iudam filium substituit. Hujus ductu adversus regios frequentibus præliis prospere pugnatum. Nam primum Apollonium ducem hostium qui magnis copiis in conflictum descenderat, cum omni exercitu delevit. Quod cum Seron quidam qui tum Syriæ præerat, comperisset, multiplicatis legionibus Iudam aggressus, ferox, quia numero præstabat, ubi in certamen descensum fusus ac fugatus octingentis fermè amissis, in Syriam regressus est. Id ubi compertum est Antiocho, ira & dolore succensus (quippe angebatur duces suos cum magnis exercitibus devictos) auxilium per omne regnum contrahit, donativum militibus exhaustis penitus thesauris largitur. Etenim tum præcipue graviter pecuniæ inopia affectus erat. Nam deficientibus Iudæis ab eo, qui ei ultra trecenta argenti talenta*

talenta annua pensitaverant, praterea Græcis urbibus multisque regionibus persecutionis malo turbatis (ne gentilibus quidem pepercerat: quos deserere inveteratas superstitiones, & ad unum ritum deducere tentaverat) illis quidem, ubi nihil sancti erat facile relinquentibus: sed tamen omnibus metu ac clade affectis, vectigalia cessaverant. Quibus rebus æstuans (etenim ipse olim omnibus regibus opulentior suomet scelere inopiam persenserat) copias cum Lysia partitur, eique Syriam & bellum adversus Iudæos committit, ipse in Persas ad cogenda vectigalia profectus. Igitur Lysias duces belli delegit, Ptolemaum, Gorgiam, Doronem, & Nicanorem: bis quadraginta millia peditum septem equitum data. Ac primo impetu magnum Iudæis terrorem intulerunt. Tum Iudas cunctis desperantibus suos adhortatus, forti animo descenderent in prælium: Deo fretis, nihil invictum fore. Sæpe antea à paucioribus adversus plures benè pugnatum. Iejunio indicto, celebratoque sacrificio, in aciem descensum, fusæ hostium copiæ: Iudas castris potitus, multumque ibi auri & Tyriarum opum repertum. Namque ex Syria negotiatores nihil de victoria dubitantes, regium exercitum sequuti, spe captivos mercandi, prædæ fuere. Hæc ubi Lysiæ ex nunciis comperta, majore cura copias parat, annoque post immani exercitu Iudæos aggreditur: victus denuo Antiochiam se recepit. Iudas pulsis hostibus Hierosolymam regressus, purgare templum & restituere animum intendit: quod eversum ab Antiocho prophanatumque à gentibus, fœdam sui speciem præbebat. Sed Syris arcem tenentibus, quæ continua templo, & loci natura superior, atque inexpugnabilis erat, adiri subjecta non poterant, crebris eruptionibus prohibentibus. Adversum hos Iudas validissimam suorum aciem objecit. Ita opus sacræ ædis curatum, templumque muro circundatum, constitutique qui perpetuum præsidium armati agitarent.

DRUSIUS.

DUCEM JUDAM] Qui Machabæus cognominabatur. Quod epitheton Christiani commune fecerunt cum Juda reliquis Hassamonæis; sed quam rectè, viderint. Nam Ebræi soli Judæ id tribuunt.

APOLLONIUM] *Κοίλης συρίας καὶ Φοινίκης στρατηγὸν*, Jaso Cyrenæus *præfectum Samariæ*, Josephus: *τῆς συρίας καὶ Φοινίκης στρατηγὸν*, Idem in Maccabaico. Huic Judas ensem ademit, quo semper postea in bellis usus est.

QUI TUM SYRIA PRÆERAT] *ὁ ἄρχων τῆς δυνάμεως συρίας*, dux exercitus Syriæ, 1. Machab. 3. 13. *Cœlosyriæ præfectus*. Josephus 12. 10. Dux exercitus Macedonici, Compositor historiæ Ebræicæ. Hæc fuit secunda expeditio Judæ.

MULTIPLICATIS LEGIONIBUS] Hoc vocabulum mutuo sumpsit à militia Romana. Siquidem nullæ erant legiones in exercitu Syromacedonum. Quid igitur? Phalanges erant, quas appellat legiones. Sic interpres noster, quem vulgatum dicimus, legionem posuit pro phalange, 1. Machab. 9. 12. Nam in Græco ἡ φάλαγξ.

OCTIN-

Octingentis Ferme Amissis] *Εἰς ἄνδρας ὀκτακοσίους* 1. Machab. 3. 24. cæteri fugerunt in terram Philisthæorum.

Exhaustis Penitus Thesauris] Condita deficiente pecunia. 1. Machab. 3. 39. Vide quoque 1. Machab. 1. 43. & Josephum Ant. hist lib. 12. cap. 11.

Qui Ei Ultra Trecenta Argenti Talenta Annua Pensitaverant] Supra lib. 2. cap. 17. Qua tempestate Judæi annuum stipendium trecenta argenti talenta regi dabant.

Ne Gentilibus Quidem] Hæc includenda Parenthesi usque ad, *illis quidem*, ut rectè monuit Sigonius. Quare autem Christiani veteres maluerint dicere gentiles quam gentes & ethnicos quam *ἔθνη* viderint quorum interest hæc scire. Ego scio gentes dici antiquissimis Ebræis, quos posterior ætas *ἕλληνας* id est, Græcos appellavit: Christiani etiam paganos vocitarunt.

Inveteratas Superstitiones] Supra lib. 2. cap. 18. *cum discordantem superstitionibus susceptis populum reperisset.* Innuit autem religiones gentilium quas superstitiones appellat, quia religio propriè veri Dei est. Qui religiosus est Deum veretur, qui superstitiosus timet. Quod tamen discrimen interpretes Bibliorum non observant.

Illis Quidem] Judæi, inquit, relinquebant Antiochum, apud quem nihil sancti erat.

Omnibus] Tam Gentibus quam Judæis.

Ipse Olim Omnibus Regibus Opulentior] *Ἐπερίσσευσεν ὑπὲρ τοὺς βασιλεῖς τοὺς ἔμπροσθεν.* 1. Machab. 3. 30. Quæ verba sic interpretatur Sebastianus Castalio, *reges omnes superiores largitione superaverat*: Sed aliter interpres vulgatus.

Copias Cum Lysia Partitur] Homine nobili & regio genere orto. 1. Machab. 3. 31. Ex historia Ebraica colligimus fuisse filium fratris Antiochi. Nam Compositor illius historiæ Gorionides appellat eum filium patrui sive patruelem Eupatoris. Erant ergo Lysias & Eupator duorum fratrum filii, hoc est *ἀδελφιδοί*. Quod Appianus scribit de Demetrio & Eupatore.

Eique Syriam, &c.] Constituit eum super negotia regia à flumine Euphrate usque ad flumen Ægypti: tum etiam filium nutriendum ei reliquit.

Ipse In Persas Profectus] Anno Græcorum centesimo quadragesimo septimo.

Doronem] Delendum videtur: nisi Sulpitius edidit *Ptolemæum Dorymenis, Georgium & Nicanorem.* Quæ conjectura Sigonii robur accipit à Josepho Ant. lib. 12. cap. 11. Sed magis ex 1. Machab. 3. 36.

Tum Judas] Tertia expeditio Judæ.

Bene Pugnatum] Id est, feliciter.

Fusæ Hostium Copiæ] Excisæ sunt ad tria millia. Hæc in *Maspha* acciderunt. Vide 1. Machab. 4. 23.

Tyriarum Opum] Purpuræ marinæ.

Ex Nunciis] Ex eis qui evaserant.

Immani Exercitu] In quo erant LX. millia peditum & XM. equitum. Hæc est quarta expeditio Judæ.

Jerosolimam Regressus] Anno regni Syriæ sive Græcorum CXLVIII.

Quod Eversum Ab Antiocho] Triennio ante. Eversum autem templum dicitur propter abolitam ibi deletamque religionem. Eam Judas restituere animum intendit purgareque templum quod prophanatum fuerat superstitione gentilium. Hoc prædictum à Daniele volunt Dan. 8. 14. & 12. 12.

Quæ Continua Templo] Quæ templo superstabat Josephus 12. 14.

Sed

Sed vide num potius legendum sit, *quæ contigua templo* Arcem autem dicit, quam superius acram & acropolim vocari diximus. Unde in libro jejunii *filii Atræ* vocantur, qui illic in præsidio sedebant.

Et Loci Natura Superior] Non ergo in urbe inferiore sita erat, sed in superiore, hoc est, in civitate David. Nam templum subjectum habebat, quod in clivo montis Sion, Moria dicto.

Subjecta Loca circa templum.

Crebrs Eruptionibus] Eorum qui in arce erant.

Schotanus.

Judas Maccabæus.

Matthias sive Mathathias mortuus in Modin sepelitur. Justis solutis Judam administrationi rerum præficiunt. Hic annus erat regni Græcorum 146. (M. C. 3783.) Hic multis præliis cum hoste consertis, sibi gloriam, populo libertatem, cultui Dei locum & modum restituit. Hic enim animosius, cum juvenili robore vigeret, ingressus principatum, subit in locum, advocat cognatos & quotquot in Judaismo perstiterant: quomodo increvit in numerum sex millium. Deo invocato animati fretique brevi gentibus terrorem incussere. Nam urbes vicosque ex improviso adorti incendunt; fugant hostes. Noctis tenebris ad repentinas invasiones utebatur Judas. Josephus in cap. X. duas victorias exponit, primam adversus Apollonium, alteram, adversus Seronem. Apollonius Samariæ præfectus auditis Judæ invasionibus, in eum ducit exercitum: qui obviam progressus & conserto prælio, victoriam obtinet: multis cæsis cum ipso duce cujus ensem accepit: pluribus sauciis. Direptis hostium castris, ingenti præda potitur. Tum Seron Syriæ Cæles præses, audito, quod confluente multitudine, justi exercitus modum haberet, contractis copiis, adjunctisque Judæis exsulibus ad Bethora castra ponit. Judas occurrit, cumque videret suos ab paucitatem & jejunium parum alacres, hortatur forti animo pugnam inire. Non enim in multitudine, sed in Deo & fide atque innocentia robur ad victoriam inesse: ut majorum exempla posteritatem docuerant. Collatis signis & cæso hostium duce, in fugam se conjiciunt Syri: quos persecutus campum usque octingentos cædit: reliqui evaserunt in regionem maritimam.

Eadem eodem modo narrat autor lib. 1. Machab. cap. 3. Qui & scribit Apollonii gladium à Juda deinceps semper usurpatum fuisse: quod & Josephus videtur innuere, quamvis non exprimat. Cum impasti certaverint adversus Seronem, Josephus causam videtur assignare religiosum jejunium, quod non indicat autor Machabæorum. Hic autor scribit Seronem cum suis advenisse *ἕως ἀναβάσεως Βαιθωρὼν* ubi prælium commissum est. Fusos & fugatos Judam persecutum esse *ἐν τῇ καταβάσει Βαιθωρὼν ἕως τοῦ πεδίου*: reliquos evasisse *εἰς γῆν Φυλιστιίμ*. Hæc igitur est illa maritima terra in quam evaserunt.

Autor lib. 2. Maccab. cap. 8. à v. 8. narrat Philippum, qui Judææ præerat, videntem progressus Judæ, quibus cresceret, scripsisse ad Ptolemæum præsidem Syriæ cæles & Phœnices: qui misit Nicanorem è primariis amicis cum copiis non minoribus viginti millium numero. Appellat *παμφύλων ἔθνη*, quo vocabulo indicat è variis gentibus fuisse collectas. Missas esse ut Judæam gentem delerent (*ἐξᾶραι*) Adjunctum fuisse Gorgiam virum militaris rei peritissimum. Nicanor iste promiserat (*διεστήσατο*) regi, tributum, quod Romanis pendebat bis mille talentorum se confecturum è captivitate Judæorum: miseratque ad urbes maritimas, advocans ad emenda corpora Judaica: nona-

ginta corpora talenti pretio venditurum se. Qui Judam sequebantur, pars metu abiere, pars sua divendebant ne in manus venirent hostium, quamvis & Dei opem implorarent per fœdus cum patribus & sui nominis in ipsis appellationem. Judas convocatos hortatur ad audaciam: Ne timerent multitudinem. Proponerent animo illos esse, qui sanctum locum dedecoraverant, urbi tot tormentorum generibus illuserant & veterem majorum politiam dissolverant. Illos armis fidere, se Deo omnipotente, qui nutu uno possit hostes evertere. Exempla jubet intueri auxilii sæpius majoribus præstiti: ut Senacheribi centum & octoginta quinque millia deleta: deinde prælium in Babylonia adversus Gallos. Nam cum octies mille Judæi Macedonibus venissent in auxilium, Macedonibus diffidentibus, illos octies mille solos centum viginti millia Gallorum delevisse. Hac oratione eos cohortatus copias quadripartitò divisit: fratribus tribus agmen mille quingentorum subjecit. Fratres fuere Simon, Josephus, Jonathas. Ipse primæ cohorti præerat. Eleazarum etiam agmini præfecit. Παραγνοὺς τὴν ἱερὰν βίβλον καὶ δοὺς σύνθημα θεοῦ βοηθείας: id est *Lecto sacro* libro & dato signo adjutorii Dei, congreditur cum Nicanore. In transitu moneo Φιλάλληλον de significatione vocis παραγνοὺς quam reddo *quum legisset*. Eam illius vocis significationem non observaverat diligentissimus Stephanus, ut profitetur in thesauro suo loco. Quid autem vult Latinus interpres, qui reddidit: *Ad hoc etiam ob Esdra lecto illis sancto libro?* Cæsa hostium millia novem & ultra, sauciata pars maxima exercitus, qui in fugam pulsus est. Pecunias eorum, qui ad mercandum venerant rapuere: persecutione ulteriore prohibebat imminens sabbatum. Cum spoliationem fecissent, sabbatum aderat. Sabbato otiati, sequenti die, eis, qui corpore passi erant in persecutione, viduabus & orphanis partibus datis, reliqua ipsi eorumque liberi divisere. Hinc in supplicatione Deum precati ut porro misereatur, Timothei & Bacchidis militum, supra viginti millia occiderunt & munitionum sublimium potiti sunt. Spolia opima adepti in divisione æquarunt sibi debilitatos, viduas, pupillos, seniores. Arma adempta hostibus locis oportunis intulere, reliqua Hierosolymam. Occiderunt Phylarchen è copiis Timothei, hominem sceleratissimum, qui Judæis multa mala fecerat. Cumque triumphum agerent in patria Gallisthenum & quosdam alios qui sacra vestibula incenderant, cum in domunculam confugissent, subjecto igne combusserunt. Nicanor, qui mille mercatores ad venditionem Iudæorum coëgerat, mutato habitu fugiens Antiochiam evasit. Videamus, quomodo eadem exposuerit Josephus in cap. XI. Nam ad illud ea pertinent, quia autor secundi Machabæorum pugnas cum Apollonio & Serone præterit intractas. Josephus de victoriis adversus Nicanorem, Timotheum & Bacchidem ita scribit: Antiochus auditis his (quæ Judas gesserat adversus Apollonium & Seronem) admodum exarsit & contractis copiis suis, multisque assumptis ex insulis, parabat se ut primo vere Judæam irrumperet. Stipendio numerato videbat thesauros deficere & penuriam pecuniarum esse (Tributa enim omnia, dissolvebantur ob gentium (*κινήσεις* leg. *στάσεις*) motus & liberalis erat) ideo decrevit in Persidem proficisci & regionis tributa exigere. Reliquit igitur Lysiam, præfectum administrationi rerum & Syriæ toti à finibus Ægypti ad Eufratem: commisitque illi partem copiarum & elephantum: jusso educare filium suum, donec ipse reverteretur: item subigere Iudæam, ejusque incolas vendere: Hierosolyma delere & gentem. His Lysiæ datis mandatis abiit in Persidem anno 147. Lysias autem delectis, ad hoc negotium Ptolemæo Dorymenis & Nicanori & Gorgiæ attribuit peditum quadraginta millia, equitum septem millia. Cum his copiis profecti in Iudæam apud Em-

Emmaus, in campo, caſtra ponunt. Quo ad eos convenerunt auxilia Syrorum & ex aliis vicinis gentibus & multi perfugæ Judæi. Præterea quidam mercatorum ut empturi captivos, inſtructi compedibus, quibus Judæos vincirent numerato auro & argento. Judas conſiderata hoſtium multitudine, indixit ſuis Jejunium, quod more patrio in ſacco & cinere egerunt. Diſtributos deinde ſuos more antiquo gentis in tribunos ac centuriones & ablegatis novis maritis quive poſſeſſiones ſibi recens comparaverant hujuſmodi oratione alloquitur: Nullum, o ſocii, tempus dati poteſt, quod hortetur æque ad fortitudinem & periculorum contemptum. Nam fortiter pugnantibus libertas præmium erit quam omnibus gratam, nobis deſiderabiliorem facit religio: quæ ſine ea haberi non poteſt. Adeò decernetur, eamne recepturi ſimus & felicem vitam, juxta patrios ritus, an turpiſſima paſſuri & cum ſtirpe interituri. Exiſtimate igitur, mortem paratam eſſe, ſive pugnemus ſive pugnam defugiamus: ſed vincentibus præmium fore, præter libertatem, patriam, leges, pietatem, æternam gloriam. In hoc igitur parate animos, cras, exorto die cum hoſtibus manus conſerturi. Ita ſuos cohortatus comperit hoſtes miſiſſe Gorgiam cum quinquies mille peditibus & mille equitibus, ut noctu Iudam invaderet, ducibus perfugis Iudæis. Statuit igitur ipſe caſtra hoſtium adoriri, eadem nocte, idque maxime quod bona pars exercitus eſſet abfutura. Cænatus exit relictis multis per caſtra ignibus: tota nocte iter facit. Gorgias non inventis hoſtibus, ſuſpicatusque metu ſeceſſiſſe in montes ſeque abdidiſſe, decrevit eos quærere. Circa diluculum Iudas cum tribus millibus ob inopiam malè armatis, ad hoſtium caſtra pervenit: videnſque hoſtem optime obſeptum & caſtra ex arte diſpoſita, hortatus primum ſuos ut vel nudis corporibus, ſi ita opus ſit, in pugnam ruere non dubitarent, Deo confiſi, ſigna juſſit canere (ἐκέλευσε σημῆναι ταῖς σάλπιγξι) Ex improviſo deinde adortus nihil minus exſpectantes, ita terruit ut cæſis, quotquot auſi eſſent reſiſtere, reliquos perſecutus ſit uſque Gadara & campos Idumææ, Azoti & Iamniæ. Ad tria millia ceciderunt. Iudas ſuos continuit à deprædatione, Gorgiam adhuc ſupereſſe oſtendens: quo profligato per otium prædaturos. Adhuc eo loquente Gorgiani apparent è monte quodam qui viſo exercitum in fugam compulſum & caſtra incenſa (Nam fumus indicabat) & Iudam inſtructa acie ſe exſpectantem, non auſi manus conſerere, in fugam ſe conjiciunt. Iudas ſine certamine victor tum demum ſuos permiſit ad prædam diſcurrere: ditatiſque ſuis reperto plurimo auro, argento, purpura, hyacintho, reducit exercitum, lætus laudanſque Deum. Hæc 1. lib. Maccab. autor exponit in cap. 3. à v. 27. ad finem: deinde & cap. 4. uſque ad v. 28. Hic ſcribit Lyſiam fuiſſe, ἔνδοξον καὶ ἀπὸ γένους τῆς βασιλείας. Cum parte dimidia copiarum Antiochum Eufratem tranſiiſſe. Emanaſſe ad Iudam ejuſque ſocios, verba regis de populo excidendo: τοὺς λόγους τοῦ βασιλέως, οὓς ἐνετείλατο ποιῆσαι τῷ λαῷ εἰς ἀπώλειαν καὶ συντέλειαν. Illachrymaſſe gentis & urbis triſti caſui & ſupplicationem inſtituiſſe in Maſſepha: κατέναντι Ἱερουσαλήμ, ὅτι τόπος τῆς προσευχῆς εἰς Μασσηφὰ τὸ πρότερον τῷ Ἰσραήλ. Illic Jejunaſſe eo die, indutos ſacco & cineribus inſperſis in capita ruptiſque veſtibus. Expandiſſe librum legis de illis rebus, de quibus ſolebant gentes ſciſcitari ſimulachra idolorum ſuorum. Attulerunt veſtimenta ſacerdotii & primitias & decimas: & excitarunt Naziræos, qui impleverunt dies: & clamarunt in cælum &c. Veniam dediſſe abeundi Iudam τοῖς οἰκοδομοῦσιν οἰκίας καὶ μνηστευομένοις γυναῖκας καὶ φυτεύουσιν ἀμπελῶνας καὶ δειλοῖς. Caſtra poſuiſſe κατὰ Νότον Ἐμμαούμ. Gorgiæ duces fuiſſe Iudæos, qui erant υἱοὶ τῆς ἄκρας. Cum Iudas adveniſſet ad caſtra hoſtium cum tribus millibus, πλὴν καλύμματα καὶ μαχαίρας, οὐκ εἶχον καθὼς ἐβούλοντο. Vidiſſe

παρεμβολὴν ἰθνῶν ὀχυρὰν, πεφραγμένην καὶ ἵπποις κυκλοῦσαν αὐτὴν καὶ ἔτι διδακτοὶ πολέμου. Purpuram, quam ceperunt in castris, appellat πορφύραν θαλασσίαν. Pleraque in hoc libro ita affinia sunt Josephi narrationi, ut nullus dubitem Josephum sua ex illo libro descripsisse.

Annus Judaic. regni Grec. 148. M. C. 3785.

JOsephus eod. cap. Lysias sequenti anno, ad abolendam infamiam novum exercitum paravit contractisque lectissimorum militum sexaginta millibus & adjunctis quinque millibus equitum, in Judæam ingressus, ascendit in montana; ad vicum Bethsura castra ponit. Judas illi occurrit cum decem millibus: invocatoque Deo, primam aciem τοὺς προδρόμους tanto impetu aggreditur, ut quinque millia sterneret & reliquis esset terrori. Lysias considerans animum hostium paratum ad moriendum, nisi liberi viverent, hac desperatione evitata, copias Antiochiam reducit: ubi mercenarios conducens & majores colligens vires, parabat se ut data occasione iterum in Judæam irrueret. Autor lib. 1. Maccabæorum Bæthsura scribit esse in Idumæa. Conveniunt illius omnia, quæ habentur in cap. 4. à v. 28. usque ad 36.

Judas autem tot victoriis animatus suis excitatis Hierosolyma ascendit, templum & cultum Dei instauraturus. Cum advenissent viderentque, templum desertum, portas combustas & herbas in templo progerminasse ob solitudinem, lamentari cœpere. Posita copiarum parte ad arcis obsidionem, dum templum purgaretur, hoc sedulo effectum est. Purgato templo intulit vasa nova, candelabrum, mensam, incensorum altare, omnia ex auro: addidit & vela foribus oppandi solita & fores ipsas apposuit. Diruto etiam altari novum (ἐκ λίθων συμμίκτων οὐ λελατομημένων ἐκ σιδήρου) (1. Machab. 4. 47. λίθους ὁλοκλήρους κατὰ τὸν νόμον) construit. E lapidibus integris, quos ferrum non attigerat, ara debuit construi. Vigesima autem quinta mensis Chasleu, qui Macedonibus Apellæus, accenderunt lumina in candelabro & suffitum fecerunt super altari & panes imposuerunt mensæ & holocaustum obtulerunt in novo altari. Sic cultus eodem die, quo cessaverat, post triennium, restitutus est. Quam (ἐρήμωσιν) desolationem Daniel prædixerat, annis ante 408: futuram esse à Macedonibus vaticinatus. Celebravit Judas cum Judæis suis encænia octiduo. Nulla lætitiæ species aberat, sed sumptuosis & splendidis sacrificiis factis, epulis se mutuò excipebant: hymmis & psalmis Deum honorantes, seque oblectantes. Legem etiam posuerunt posteris, festam celebrare memoriam recuperationis rerum ad templum pertinentium, diebus octo. Jos. καὶ ἐξ ἐκείνου μέχρι δεῦρο, τὴν ἑορτὴν ἄγομεν καλοῦντες αὐτὴν Φῶτα, ἐκ τοῦ παρ' ἐλπίδας, οἶμαι, ταύτην ἡμῖν φανῆναι τὴν ἐξουσίαν, τὴν προσηγορίαν θέμενοι τῇ ἑορτῇ. Circumdatis deinde urbi mœnibus & adversus incursus hostium extructis celsis turribus, excubitores in iis Judas constituit. Et oppidum Bethsuram muniit, ut eo tanquam arce uti posset contra hostium conatus. Primi Maccabæorum scriptor eadem narrat à v. 36. ad fin: Copias in montem Sion ascendisse: cumque viderent sanctuarium desolatum, aram profanatam, porras combustas, & in atriis stirpes procrevisse, ut in saltu aut monte: & pastophoria diruta, lacerarunt vestimenta καὶ ἐκόψαντο κοπετὸν μέγαν & imposuerunt cinerem capiti: & ceciderunt in faciem καὶ ἐσάλπισαν ταῖς σάλπιγξι τῶν σημασιῶν & clamarunt ad cælum. Sacerdotes elegisse Judam ἀμώμους, θελητὰς νόμου. ἦραν τοὺς λίθους τοῦ μιασμοῦ εἰς τόπον ἀκάθαρτον. Consilio inito altare holocausti (τῆς ὁλοκαυτώσεως) profanatum evertere, ne ipsis esset in opprobrium; lapides deposuerunt in monte domus ἐν τόπῳ ἐπιτηδείῳ ἄχρι

τοῦ πα-

τοῦ προσαγγελθῆναι προφήτην τοῦ ἀποκριθῆναι περὶ αὐτῶν. Struxerunt ſancta καὶ τὰ ἐντὸς τοῦ οἴκου καὶ τὰς αὐλὰς ἡγίασαν. Summo mane viceſimi quinti diei menſis Chaſleu obtulerunt ſacrificium ſecundum legem ſuper novo altari. Ἐνεκαινίσθη ἐν ᾠδαῖς καὶ κιθάραις καὶ κινύραις καὶ ἐν κυμβάλοις. Ceciderunt in faciem, adorarunt, benedixerunt (manibus protenſis) in cælum τὸν εὐοδώσαντα αὐτοῖς. Fecerunt ἐγκαινισμὸν aræ diebus octo, obtulerunt holocautomata cum lætitia & immolarunt ſacrificium σωτηρίου καὶ αἰνέσεως. Καὶ κατεκόσμησαν τὸ κατὰ πρόσωπον τοῦ ναοῦ στεφάνοις χρυσοῖς καὶ ἀσπιδίσκαις & renovarunt portas & paſtophoria & foribus munierunt (ἐθύρωσαν) ea. Eodem tempore ædificarunt montem Sion in circuitu, celſis muris & firmis turribus, ne à gentibus iterum conculcarentur. Impoſuit præſidium in Sion. Nam Sion, occupata ab hoſtibus acra, ſola erat, quam Judæi tenebant præter templum ſed puto eum voce Sionis montem templi notare. Bethſuram munierunt adverſus Idumæam.

Joſephus ſcribit Danielem prædixiſſe ἐρήμωσιν templi & cultus annis ante 408, Atqui ἐρήμωσις illa facta eſt anno regni Græcorum ſive Seleucidarum 145. id eſt olymp. 153. anno 1. Anno Iphiteo 609. Igitur Iphiteo 201. Daniel prophetavit. Prophetavit autem Daniel Cyri initio id eſt anno ejus tertio, & tertio poſt ſolutam captivitatem. Danielis hæc prophetia,& initium imperii Perſarum concurrunt. Si 401. anni tranſierunt ab initio imperii Perſici, cum hinc detrahendi ſint anni 145. ut finem habeamus ejus imperii: præterea & anni duodecim, quibus mors Alexandri præceſſit regnum Seleucidarum, anni remanent 244. quibus duravit regnum Perſarum à Cyri initio ad mortem Alexandri. Biennium addendum fuerit, quia anno tertio Cyri Daniel eam prophetiam accepit.

SULPICII SEVERI

HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI SECUNDI

Caput XXI.

At Lyſias multiplicato exercitu in Judæam regreſſus rurſum vincitur, magna clade exercitus & auxiliorum, quæ ex civitatibus miſſa in bellum conſpiraverant. Interea Antiochus, quem in Perſidem profectum memoravimus, opidum Elymum regionis illius opulentiſſimum, fanumque ibi ſitum, multo auro refertum, diripere conatus confluente undique ad defenſionem loci multitudine, fugatus inſuper nuncium accipit res à Lyſia improſperè geſtas. Ita ex mœrore animi corporis morbo incubuit. Sed cum internis doloribus angeretur, reminiſcens malorum, quibus populum Dei vexaverat, merito ſibi illa accidiſſe confitebatur. Deinde

post paucos dies moritur, cum regnasset annos 11. Antiocho filio regnum reliquit cui Eupator nomen erat. Ea tempestate Iudas Syros in arce positos obsidebat. Qui cum fame atque inopia afficerentur, missis ad regem nuntiis præsidium implorant. Ita Eupator cum centum millibus & equitum viginti millibus suis subsidio venit: preeuntibus aciem cum ingenti terrore elephantis. Tum Iudas laxata obsidione, regi obviam tendit, primoque prælio Syros fundit. Rex petit pacem, quia infido ingenio male usus, perfidiam consecuta ultio. Nam Demetrius Seleuci filius, quem Romanis obsidem datum supra memoravimus, ut audivit Antiochum discessisse, petivit ut se in regnum remitterent. Quod cum ei negatum fuisset, clam Româ profugit: in Syriam venit, regnumque occupavit, Antiocho filio, qui annum unum & menses sex regnaverat, interfecto. Hoc regnante primum Iudæi à populo Romano amicitiam fœdusque petiêre: benigneque excepta legatio decreto Senatus socii atque amici appellati. Interim Demetrius adversus Iudam per duces suos bellum gerebat. Ac primum per Bacchidem quendam & Alchimum Iudæum ductus exercitus: Post Nicanor bello præpositus in prelio occubuit. Tum Bacchides & Alchimus resumptis viribus auctisque copiis adversus Iudam confligunt. In ea pugna victores Syri cruentè admodum victoria sunt usi. Hebræi in locum Iudæ Ionatham fratrem ejus deligunt.

DRUSIUS.

AT LYSIAS MULTIPLICATO EXERCITU] Quinta expeditio, de qua nihil mihi adhuc lectum, nec apud Josephum nec apud alios. Quærendum ergò unde habeat. Sigonius adhuc locum annotat, Lysias, postquam semel victus recessit Antiochiam, elegit quidem milites, ut multiplicatis eis rursus veniret in Judæam: verum venisse non dicitur neque ab autore libri Machabæorum, neque à Josepho, sed multa prælia secunda cum finitimis gentibus fecisse, quæ deinceps quinto capite explicantur.

OPIDUM ELYMUM] Elymaidem, 1. Machab. 6. 1. Elymaida Josephus 12. 13. Persepolim 2. Machab. 9. 2. Cæterum Elymais esse videtur, quæ in libris Canonicis Elam vocatur.

FANUMQUE IBI SITUM] Fanum Veneris, Appianus: Dianæ, Josephus 12. 13. verba Apiani sunt τὸ τῆς Ἐλυμαΐδος Ἀφροδίτης ἱερὸν ἐσύλησε καὶ φθίνων ἐτελεύτησε παιδίον ἐνναέτες ἀπολιπὼν Ἀντίοχον εὐπάτορα. Hieronymus comment: in Danielem ex Polybio & Diodoro refert Antiochum, cum templum Dianæ in Elymaide spoliari conaretur oppressum à custodibus templi, & vicinis gentibus quibusdam phantasiis in amentiam versum, morbo interiisse, in Tabes opido Persidis Just. lib. 32. Interea in Syria rex Antiochus cum gravi tributo pacis à Romanis victus overatusque esset seu inopia pecuniæ compulsus, seu avaritia solicitatus, qua sperabat se sub specie tributariæ necessitatis excusatius sacrilegia commissurum, adhibito exercitu noctu templum Didymæi Jovis aggreditur. Qua re prodita concursu incolarum cum omni militia interficitur. Quæ conciliabis, si hos loqui dixeris de Antiocho magno aut Sidete & illos de Antiocho Epiphane. Magnus enim & Sedetes perierunt in Perside. Epiphanes fugatus ex mœrore animi corporis morbo incubuit. Quadere dicam, aliàs, si Deus voluerit.

VEL À LYSIMACHO] Quis iste Lysimachus? An qui Menelao successit in pontificatu, cujus mentio lib. 2. cap. 17. Sigonius legit res à Lysia improsperè gestas. Reliqua superare arbitratur à glossemate.

POST PAUCOS DIES MORITUR] Obiit Babylone anno Græcorum CXLIX. 1. Machab. 6. 6. Sed vide sis Josephum lib. 12. 12. & 2. Machab. 9. vide quoque historiam Ebraicam, quam nunc latinam facere per otium non licet: propero enim ad alia.

CUI EUPATOR NOMEN ERAT] Sic appellatus fuit à Syris propter patris virtutem: Appianus: à Lysia educatore 1. Mach. 6. 17. Eupator autem potius erat cognomen, quam nomen proprium. Aut mutatum ei fuit nomen in regno more apud veteres tralatitio. Hunc juniorem Antiochum appellat Eusebius.

EA TEMPESTATE] Anno post obitum Antiochi Epiphanis, qui Græcorum erat CL.

CUM CENTUM MILLIBUS] Videtur legendum cum peditum centum millibus.

ELEPHANTIS] Triginta duobus 1. Machab. 6. 30. Josephus 12. 4. octingentis Historia Ebraica.

QUIA INFIDO INGENIO] Leg. opinor *quâ* pro *quia*, ut pax subintelligatur. Qua pace inquit, infido ingenio male usus est, perfidiam consecuta ultio. Constat enim verbum substantivum in hac historia sæpius desiderari. Qui hoc nescit, nihil scit.

DEMETRIUS SELEUCI FILIUS] Appianus in Syriacis hunc Demetrium fuisse ait σελεύκου μὲν ὑὸν ἀντιόχου δὲ ἐπιφανοῦς ἀδελφιδοῦν ὑιωνὸν δὲ τοῦ μεγάλου ἀντιόχου ἀνεψιὸν ὄντα τῷδε τῷ παιδίῳ. Non ergo patruus erat Antiochi Eupatoris, ut Just. lib. 34. scriptum reliquit: sed patruelis ut rectè Appianus eum appellat. Erant enim duorum fratrum filii. Adito sis ad locum illum Appiani & ad Epitomen Livii.

SELEUCI FILIUS] Non Antiochi magni, ut existimasse videtur Iustinus. Nam Antiochum Epiphanem appellat fratrem Demetrii, cum fuerit fratris filius. Seleucus enim & Antiochus ille germani fratres erant. Horum filii Eupator & Demetrius. Nihil certius.

UT AUDIVIT ANTIOCHUM DECESSISSE] Audita morte Antiochi, cujus loco Romæ obses fuerat, petivit primo ut se in regnum reducerent, secundo ut saltem obses esse desineret, quandoquidem permutatus esset patrueli, qui tum defunctus erat, quum ne hoc quidem impetraret, aufugit navigio. Appianus.

QUOD CUM EI NEGATUM FUISSET] Nam Romani conducibilius sibi esse ducebant si Syria ab Antiocho tum puero adhuc regeretur, quam à Demetrio, eo tempore annum ingresso tertium & vigesimum.

CLAM ROMA PROFUGIT] Specie venandi ab urbe profectus Hostiæ navem conscendit.

IN SYRIAM VENIT] Ubi exceptus fuit à Syris magna gratulatione, regnumque adeptus est, Lysia primum occiso, deinde puero & Timarcho, qui Babylonis præfecturam male administraverat. Quamobrem Sôter appellatus est, orto à Babyloniis initio. Appianus.

ANTIOCHO FILIO] Puero, malim, nisi scripsit, *Antiocho Antiochi F.* Similis defectus lib. 2. cap. 22. *Igitur Demetrius filius.* Nam leg. *Demetrius Demetrii filius.* Puer autem erat, cum interficeretur decennis, postquam novennis, id est *ἐναετὴς*, ut est in Appiano, ad regnum pervenisset. Unum ergò duntaxat annum

annum regnavit. Quibus noster adjicit sex menses, quamvis in Eusebio, ann. 2.

Hoc regnante primum Iudæi à populo Romano amicitiam fœdusque petiére. 1. Machab. 8. Iosephus Ant. hist. lib. 12. cap. 17. Gorionides lib. 4. c. 23.

ET ALCHIMUM IUDÆUM] Scribo Alcimum. Nam Græce Ἄλκιμος, & in hist: Ebraica אלקימוס. Alio nomine Iacimus dicebatur teste Iosepho. Utrumque nomen extat in sacris. Nam Alcimus est Eliakim, & Iacimus, Ioacim, qui Ebræis Iehojacim sive Iojacim. Alcimus iste, ut est in historia Ebraica, tempore Antiochi, mutata lege, carnes suillas comederat. Sunt qui scribant ipsum ex familia Aharonis fuisse: sunt rursum, qui negant. Ut ut sit, constitutus fuit sacerdos à Demetrio 1. Machab. 7.9. Videatur Iosephus lib. 13. cap. 15. cui dissidium cum priore Machabæorum. In quo, inquies? In eo quod scribit post excessum Alcimi populum communibus suffragiis pontificatum Judæ tradidisse, qui eum per triennium administravit. Nam Alcimus diu post Judam vixit. Successit enim Lysimacho an Menelao: quem Menelaum rex suasu Lysiæ missum in Berœam occidi curaverat. Qua re offensus Onias Menelai filius in Ægyptum concessit, ibique impetrato à Ptolemæo rege loco in præfectura Heliopolitana, templum simile Jerosolymitano extruxit.

POST NICAMOR IN BELLO OCCUBUIT] Historia habet apud Josephum lib. 12. cap. 17. Gorionidem lib. 4. cap. 24. Vide quoque 1. Machab. 7. 26. 2. Machab. 14.

ADVERSUM JUDAM CONFLIGUNT] Hæc gesta sunt anno Græcorum CLII. & in hac pugnâ Judas occubuit, 1. Machab. 9. Iosephus 12. 18.

SCHOTANUS.

JOs. lib. 12. cap. XI. Cum hæc fierent, vicinæ gentes indignatæ Iudæorum vires coalescere (τὴν ἀναζωπύρησιν) per insidias insurgentes multos intercepere. Cum quibus Iudas bella continua gerendo conabatur earum vexationes compescere. Esaui filios, Idumæos, Acrabatenam invadendo cædit & populatur: inclusos etiam Baani filios, qui Iudæis insidiabantur, obsidebat: turres eorum incendebat, viros interficiebat. Hinc in Ammanitas arma transtulit, quorum magnam & numerosam manum ductabat Timotheus. Quibus devictis (χειρωσάμενος) Iazorum urbem (alias Ἰαζὴρ) per vim expugnavit (ἐξεῖλε) mulieres ac liberos captivos ducens, urbe incensa, in Iudæam redit. Accolæ populi cum eum abiisse intellexissent, coeunt in Galaaditin adversus finitimos Iudæos. At illi refugientes in castrum Dathema, missis nuntiis Iudæ significant, Timotheum festinare, ut locum, in quem confugerant, interciperet. His epistolis lectis venerunt etiam à Galilæa nuntii, indicantes è Ptolemaide & Tyro & Sidone (καὶ τῶν ἀλλογενῶν τῆς γαλιλαίας) & gentilium Galilæa populos coactos esse.

Hæc in lib. 1. Machab. cap. 5. à principio ad v. 16. Gentes in circuitu graviter & moleste tulisse aram esse ædificatam & sanctuarium renovatum. Consilium igitur iniisse tollendi generis Iacob eos, qui inter ipsos erant: cæpisse occidere in populo & tollere è medio. Iudam adversus Idumæos bellum iniisse in Acrabatena (Ἀκραβαττίνη Ios. Ἀκραβεττηνῇ) ὅτι περιεκάθηντο τὸν Ισραήλ) Recordatum fuisse malitiæ filiorum Βαιὰν, qui populo fuerant εἰς παγίδα καὶ εἰς σκάνδαλον, ἐν τῷ ἐνεδρεύειν αὐτοὺς ἐν ταῖς ὁδοῖς. Eos ἀνεθεμάτισεν. ἐνεπύρισε τοὺς πύργους αὐτῆς σὺν πᾶσι τοῖς ἐνοῦσι. Cum Ammanitis ut videtur multa prælia conseruit: συνῆψε πρὸς αὐτοὺς πολέμους πολλούς. Προκατελάβετο τὴν Ιαζὴρ καὶ τὰς θυγατέρας αὐτῆς. Id est occupavit Iazer & villas ejus, Iosephus & videtur

tur parum intellexisse, quia de mulierum & liberorum abreptione in captivitatem scribit. Αναθεματισμὸς & hic videtur exercitus esse, id est universorum excidium. De Galaaditis (v. 11.) ἑτοιμάζονται ἐλθεῖν καὶ προκαταλαβέσθαι τὸ ὀχύρωμα, εἰς ὃ κατεφύγομεν. Id ἑτοιμάζονται Iosephus reddidit per ἐσπεύδασιν. Referunt etiam cecidisse ex ipsis multitudinem: καὶ πάντες οἱ ἀδελφοὶ ἡμῶν οἱ ὄντες ἐν τοῖς Τουβίν τεθανάτωνται καὶ ᾐχμαλωτίκασι τὰς γυναῖκας αὐτῶν καὶ τὰ τέκνα αὐτῶν καὶ τὴν ἀποσκευὴν καὶ ἀπώλεσαν ἐκεῖ ὡς μίαν χιλιαρχίαν ἀνδρῶν. Dicit Γαλιλαίαν Ἀλλοφύλων Jos. τῶν ἀλλογενῶν τῆς Γαλιλαίας. Debuisset potius dicere τῆς τῶν ἀλλογενῶν Γαλιλαίας.

Iosephus lib. XII. cap. XII. Ann. M. C. 3786. Iudas utrorumque necessitatibus subventurus, Simonem fratrem cum tribus selectorum millibus mittit auxilio Iudæis habitantibus Galilæam, ipse, assumpto Ionatha, fratre altero cum octo militum millibus, in Galaaditin proficiscitur. Quod supererat virium Iudææ præsidio reliquit sub Iosepho Zachariæ filio & Azaria: quibus mandavit ut abstinerent bello tantisper dum ipse ad eos reverteretur. Simon cum in Galilæam pervenisset, consertoque prælio, hostes in fugam compulsos, persecutus usque ad portas Ptolemaidis, ad tria millia occidit. Spolia interfectorum & receptos è captivitate Iudæos cum eorum supellectile ducens, revertitur. Iudas & Ionathas, trajecto Iordane, trium dierum iter emensi à Nabatæis pacatè occurrentibus, discunt multos Iudæorum affligi, ἀπειλημμένους (vel συνειλημμένους) comprehensos in castellis & urbibus Galaaditidis: monentibus ut festinarent in alienigenas, liberationi gentilium suorum, convertit se Judas in eremum. Primam expugnavit (Βοσόρραν) in qua quicquid militaris ætatis erat, perdidit & urbem incendit. Cumque interim nox appeteret, nihilominus iter continuavit usque castellum, in quo Judæi obsidebantur, circumsidente Timotheo cum exercitu. Quo cum mane pervenisset, offendit hostes imminentes (προσβεβληκότας) mœnibus & alios scalas, alios machinas admovere: jussoque signum dare tibicine & cohortatus suos, ut fortiter pericula subirent pro fratribus & cognatis, divisis trifariam copiis hostes à tergo adoritur. Timothei vero milites cognito Maccabæum adesse, in fugam vertuntur. Ex quibus ad octo millia cecidere, Juda cum suis copiis eos insequentibus. Inde ad Mallen, alienigenarum urbem, flexo itinere, eaque expugnata, mares omnes neci tradidit, oppidum incendit. Hinc Chasphona & Bosor & multas alias Galaaditidis urbes subvertit. Aliquanto post Timotheus, magno exercitu comparato, & inter cæteros auxiliares, conductis etiam Arabibus, trans torrentem castra posuit contra Raphos oppidum. Cohortatur milites, si contingeret manus conserere cum Judæis, fortiter certare, & prohibere transitu torrentis. Si enim trajicerent se cladem prædicere. Judas audito, quod Timotheus ad prælium paratus esset, assumptis copiis suis festinato in eum ducit: trajectoque torrente hostem adoritur. Resistere ausos prostravit, cæteros abjectis armis fugere coëgit. Horum nonnulli evasere, alii in fanum, oppidi Carnain confugere. Judas occupato & illo oppido, ipsos occidit & fanum incendit: forma varia usus perdendorum hostium. His rebus confectis, contractos Iudæos per Galaaditin cum conjugibus & liberis, totaque supellectile in Iudæam reducere parat. Ubi autem ventum ad oppidum, Emphron nomine, in via situm, per quod necessario transeundum erat, nisi retrò redire vellet, missis legatis transitum petit. Portas enim lapidibus obstruxerant & viam interruperant. Transitu negato, cohortatus suos, cinctam urbem obsidet. Nocte & die obsessam vi cepit: omnes mares occidit & totum oppidum incendit. Per combustam ducit exercitum. Tantus autem erat occisorum numerus, ut in

transeundo calcanda essent cadavera. Trajecto deinde Iordane in magnum campum veniunt, ad quem sita est Bethsana, quam Græci appellant Scythopolim. Inde in Iudæam veniunt, cum psalmis, hymnodiis & consuetis lusibus. Gharisteria immolarunt pro successu & salute exercitus. Nemo enim Iudæorum in his bellis ceciderat. Iosephus autem & Azarias, præsidio relicti in Iudæa, cum Simon in Galilæa, Iudas cum Ionatha in Galaaditide bellarent, ipsi etiam fortitudinis bellicæ gloriam captantes, sumptis copiis suis ad Iamniam venerunt. Ubi armis excepti à Gorgia ejus loci præside amiserunt ad duo millia militum: persecutis hostibus usque ad Iudææ terminos. Hæc clades illis accidit ob contemprum Iudæ mandatum, qui interdixerat, ne se absente congrederentur cum hoste. Præter illius expeditiones, admirari licet etiam cladem Iosephi & Zachariæ, quam intellexit eventuram si adversus ejus mandata aliquid moverent. Iudas autem & fratres non cessarunt bellare adversus Idumæos: urgentes eos undique ceperunt Chebronem: munitionibus ejus dejectis & turribus combustis vastarunt regionem Allophylorum & Marissam urbem. Inde Azotum delati, ea quoque expugnata & direpta, spoliis & præda onusti in Judæam redeunt.

Hæc autor primi Machabæorum cap. 5. v. 16. usque ad finem. Iudam coacta magna ecclesia deliberasse quid faciendum. Simonem Judæos è Galilæa cum conjugibus & liberis & supellectile secum abduxisse in Judæam. Galaaditidis Judæos comprehensos in Bassora, Bosor, Alemis, Chasphor, Maced & Carnain, quæ fuerint urbes munitæ & in cæteris urbibus. Id indicasse Nabathæos, quodque in crastinum castellum oppugnare & uno die omnes simul cum comprenhensis è medio tollere cogitarent. Has urbes cepisse Judam. Pro Malle oppido, habet Maspha, quod rectum. Timothei castra ad torrentem explorasse: qui exploratores nuntiaverint, è quibus populis exercitus constaret. Deinde Timotheum suos principes monuisse, si Judas prior transiret torrentem, non posse eum sustineri, sin autem timens trajicere ab altera parte torrentis castra posuerit, trajiciendnm ipsis esse tanquam ad certam victoriam. In Carnain fano absumptos flammis esse, qui in id confugerant. καὶ ἐνεπρήσθη ἡ χαρνάιν.

Venisse in montem Sion cum lætitia &c. Rationem reddit infelicis prælii Josephi & Azariæ: (v. 62.) Αὐτοὶ δὲ οὐκ ἦσαν ἐκ τοῦ σπέρματος τῶν ἀνδρῶν ἐκείνων, οἷς ἐδόθη σωτηρία Ἰσραὴλ διὰ χειρὸς αὐτῶν. Judam deinde & fratres bellasse adversus filios Esau in terram ad austrum. Percussisse Hebronem & filias ejus. Transiisse Samariam ad terram Allophylorum, Jos. Marissam appellat. Et quid ibi Samaria? Scribit etiam sacerdotes dedisse, βουλόμενοι ἀνδραγαθῆσαι, ἐν τῷ αὐτοὺς ἐξελθεῖν εἰς τὸν πόλεμον ἀβουλεύτως. Azoti Iudam evertisse Allophylorum aras, sculptilia igni combussisse.

Josephus lib. 12. cap. 13. Eodem tempore Antiochus rex superiorem regionem obeundo, audivit in Perside esse urbem prædivitem, cui nomen Elymaïs, inque ea opulentum fanum Dianæ & refertum omne genus donariis. Arma etiam & thoraces esse, quæ intelligebat Alexandrum Magnum reliquisse. Obsidet igitur Elymaida. Sed incolis fortiter resistentibus spe sua excidit. Nam repulsum persecuti multis desideratis, Babylonem se recipere compulerunt. Hac re dolentem novus contristat nuntius cladium in Judæa & crescentis Judæorum potentiæ. Hoc igitur dolore superiorem gravante incidit in morbum. Quo in longum durante & affectibus crescentibus, intelligens adesse fatale tempus, convocatis amicis, significat morbi discrimen seque id pati, quod afflixisset gentem Judæorum, templumque spoliasset & Deum contempsisset.

pſiſſet. Hæc dicens exſpirat. Se igitur dicit demirari Polybium, qui obiiſſe referat Antiochum, quod vellet Dianæ fanum ſpoliare. Nam voluiſſe tantum non perfeciſſe opus, non eſſe ſupplicio dignum. Si autem Polybio videatur ob id finiiſſe vitam, multò veriſimilius, deceſſiſſe ob ſacrilegium templi Hieroſolymitani. Ego obiter notari velim à ſummis gentium ſcriptoribus & veri amantiſſimis, cum loquuntur de Eccleſiæ rebus & Eccleſiam attingentibus ac Deum, tum à ſuperſtitione & odio occupatis veritatem perverti. Quid Polybio & Tacito præſtantius in univerſo ſcriptorum numero? at cum Judæorum res tradunt, inſtar cæcorum greſſus figunt incertos & erroneos. Tacitus lib. 5. hiſtor. *Rex Antiochus demere ſuperſtitionem & mores Græcorum dare adnixus, quo minus teterrimam gentem in melius mutaret, Parthorum bello prohibitus eſt.* Hæc Joſephi habentur 1. Maccab. VI. 1.—13. Propoſitum fuiſſe πορνεύσαι Elymaida ſed emanaſſe. Inter alia annuntiata Antiocho è Iudæa, καθεῖλον τὸ βδέλυγμα ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον. Nuſquam illius abominationis apud Ioſephum haberi memoriam, quia timeret gentes offendere, argutatur Salianus. Munimenta feciſſe duo, ſanctuarium altis mænibus cinxiſſe & Bethſuram.

Lib. 2. Maccab. cap. 9. ſcribit Antiochum ingreſſum Perſepolin, voluiſſe ſacrilegium committere & urbem (συνέχειν) premere. Plebe congregata & ad arma ruente fugatum habitu fugæ ſimili evaſiſſe (ἀσχήμονα τὴν ἀναζυγὴν ποιήσασθαι) Cum Ecbatanis eſſet intellexiſſe quæ eveniſſent circa Nicanorem & Timotheum. Elatus animo, cum putaret etiam eos qui ipſum pepulerant Iudæorum exemplo intumuiſſe juſſit aurigam urgere iter. Dicebat autem, πολυάνδριον Ἰουδαίων Ἱεροσόλυμα ποιήσω παραγενόμενος ἐκεῖ. *Cœmiterium Iudæorum Hieroſolyma faciam, ubi illuc venero.* Nondum abſolverat ſermonem cum eum comprehendit inſanabilis inteſtinorum dolor & amari cruciatus. Nondum tamen remittebat de animi tumore, jubens maturare profectionem. Συνέβη δὲ καὶ πεσεῖν αὐτὸν ἀπὸ τοῦ ἅρματος φερομένου ῥοίζῳ καὶ δυσχερεῖ πτώματι περιπίπτοντα, πάντα τὰ μέλη τοῦ σώματος ἀποστρεβλοῦσθαι. Lapſu illo confractis membris Dei manum ſenſit: ſed magis cum vermes efferveſcerent & viventis corpus doloribus conciderent & ab odore fœtido univerſa caſtra replerentur. Sic ſpiritu contuſo ſe & Deum agnoſcere cœpit, Profatur igitur: Juſtum eſſe ſubjici Deo & mortalem non ſapere Deo æqualia (ἰσόθεα φρονεῖν ὑπερηφάνως) Precatum igitur eſſe Deum, qui non amplius erat miſeraturus. Vota feciſſe ſe Judæos æquaturum eſſe Athenienſibus: pulcherrimis donariis ſanctum templum ornaturum: ſacra vaſa (πολυπλάσια) omnia redditurum: τὰς δὲ ἐπιβαλλούσας πρὸς τὰς θυσίας συντάξεις ἐκ τῶν ἰδίων προσόδων χορηγήσειν, *ſumptus ſacrificiorum è ſuis reditibus præbiturum.* Cum nondum remitterent dolores ſcripſit ad Judæos epiſtolam. In ea Judæis humaniſſimè & multum oſtendens benevolentiæ ſignificat ſe filium ſibi ſucceſſorem deſignaſſe, quem rogat ab ipſis ſuſcipi &c. Hanc epiſtolam fictam eſſe nullus dubito.

De templi & cultus inſtauratione ſic narrat in cap. 10. Quia Deus Judam & ſocios promoverat (προάγοντος) templum & urbem reſtituunt (ἐκομίσαντο) Aras idolorum à gentibus ſtructas & fana (τεμένη) diruunt. Purificato templo, aliud altare faciunt (καὶ πυρώσαντες λίθους καὶ πῦρ ἐκ τούτων λαβόντες) *Ignitis lapidibus, ſumptoque ex eis igne immolarunt.* Ignem igitur perpetuum non è foco ſed ignitis lapidibus excitarunt. Μετὰ διετῆ χρόνον, ſcribi debet τριετῆ. Deinde ἠξίωσαν τὸν κύριον πεσόντες ἐπὶ κοιλίαν. Geſtus orantium in terram procidere. Supplicant Domino, ne iterum illis malis implicarentur: ſed ut Deus clementer erudiret, nec traderet blaſphemis & barbaris gentibus. v. 6. 7. Καὶ μετ' εὐφροσύνης ἦγον ἡμέρας ὀκτὼ σκηνωμάτων τρόπον μνημονεύοντες ὡς πρὸ μικροῦ χρόνου τὴν τῶν

σκηνῶν ἑορτὴν ἐν τοῖς ὄρεσι καὶ ἐν τοῖς σπηλαίοις θηρίων τρόπον ἦσαν νεμόμενοι. Διὸ θύρσους καὶ κλάδους ὡραίους ἔτι δὲ φοίνικας ἔχοντες, ὕμνους ἀνέφερον τῷ εὐοδώσαντι καθαρισθῆναι τὸν ἑαυτοῦ τόπον. In tabernacnlis dicit egisse & thyrsos ramosque in manibus habentes Deo cecinisse hymnos: recordatos quod paulo ante in montibus & speluncis festum tabernaculorum egissent.

Antiochus Eupator.

JOS. lib. 12. cap. 14. Antiochus ante mortem vocato Philippo, uno sodalium, regni procurationem contribuit. Datumque Diadema & stolam & annulum Antiocho filio jubet tradere, rogans ut curam educationis haberet & illi servaret regnum. Mortuus est Antiochus anno 149. Lysias autem morte illius significata multitudini, filium Antiochum (ipsi enim cura erat mandata) facit regem, indito cognomine Eupatoris. Hoc tempore præsidiarii & perfugæ Judæi in Acra, admodum affligebant excursibus immolantes. Acra enim templo imminebat. Judas igitur præsidium exigere constituit, populoque universo coacto acriter oppugnat Acram. Annus erat 150. (M. C. 3787.) Sabbaticus annus inierat autumno præcedenti. Constructis machinis & aggeribus excitatis urgebat obsidionem. Multi autem perfugarum noctu elapsi, coactis quibusdam similibus sui & impiis veniunt ad regem, rogantes auxilium, quia à contribulibus mala paterentur, ob id potissimum, quod patris ejus legi obsecuti religionem patriam reliquissent. Laborare præsidium à rege impositum & arcem nisi subveniat. His auditis puer Antiochus irascetur, vocatosque duces & amicos jubet mercenariorum & è regno militarem ætatem habentium delectus agere. Contrahuntur copiæ, peditum centum millia, equitum viginti millia, elephantes triginta duo. Assumpto hoc exercitu, & Lysia, quem ducem summum istarum copiarum constituit, venit in Idumæam. Obsidet Bethsuram, oppidum munitum. Acriter resistentibns Bethsuræis & machinas immisso igne concremantibus in longum protracta est obsidio. At Judas cognito regis adventu, soluta obsidione Acræ, regi obviam egressus castra posuit circa fauces loci dicti Bethzacaria, qui septuaginta stadiis ab hoste distabat. Rex relicta Bethsura copias ducit ad fauces & Judæ castra. Quam primum dies illuxit ad pugnam componit exercitum. Elephantes constituit ut alter alterum sequeretur ob angustiam loci, cum non possent in latum explicari. Attribuit singulis mille pedites & equites quingentos. Portabant celsas turres cum sagittariis. Reliquas copias jubet utrinque ascendere montes, quibus amicos præfecerat. Tum sublato clamore aggreditur hostem, nudatis aureis & æreis clypeis, radiantibus insigni splendore. A voce montes resonabant. Iudas hostem fortiter excipiens, sexcentos ex eis occidit, qui primi ad manus venerunt (προδρόμων) Eleazarus autem, frater Judæ, conspicatus celsissimum elephantum, instructum regiis thoracibus & regem in eo esse arbitratus, vasto animo in eum impetum facit, multisque occisis, aliis submotis, succedens sub ventrem feriensque occidit elephantem: qui incumbens Eleazaro, virum pondere opprimit. Cæterum Iudas animadversis viribus hostium regressus Hierosolyma accingit se iterum obsidioni. Antiochus autem partem exercitus mittit Bethsuram, reliquum ducit Hierosolyma, in quo ipse aderat. Bethsuritæ territi multitudine (ἰσχὺν) & commeatu deficiente, dedunt se regi: pacti se nihil mali passuros. Antiochus urbe potitus, nihil aliud ipsis fecit, quam quod nudos ejecerit. Tum præsidium suum imposuit. Longo autem tempore obsidioni templi assidebat, Judæis fortiter defendentibus. Machinamentis enim regiis

regiis eadem arte & opera occurrebant. Alimentum autem deficere incipiebat, frugibus, quæ erant, absumptis, terra non culta eo anno, ob septimi anni quietem. Ideò multis obsessorum ob inopiam se subducentibus apud paucos tutela remanserat. Cæterum rex & Lysias, cognito, quod Philippus inhiaret regno adventans è Perside, decreverunt soluta obsidione illi occurrere. Hæc tamen milites ducesque studiose celabant. Præcipit rex, ut Lysias ducibus & militibus loqueretur, nulla injecta mentione Philippi (*μηδὲν τῆς περὶ Φιλίππου ἐμφανίζοντα*) sed oppugnationem eam longi temporis esse ob firmitudinem loci & commeatus jam deficere: & multa in regno agenda esse. Itaque præstare fœdus & amicitiam cum hac gente facere, permissa vivere patriis legibus, quibus ademptis (*ἐξεπολεμώθησαν*) in bellum eruperant. Hæc sententia omnibus placuit.

Autor primi Machabæorum hæc habet in cap. 6. à v. 14. usque ad v. 60. Anno 150. obsideri cœpisse Acram. *Καὶ ἐποίησαν ἐπ' αὐτῆς βελοστάσεις καὶ μηχανάς.* Observo illum autorem *τὸ ἁγίασμα* & montem Sion accipere pro eodem loco. Confer v. 26. 48. 51. 62. Qui error est nisi Sionem velis aut ejus partem, cum templo iisdem munitionibus comprehensam fuisse quod non videtur. Inter eos, quos rex jussit exercitum cogere, recenset *τοὺς ἐπὶ τῶν ἡνιῶν*; Latinus, *qui equites erant.* v. 34. *Καὶ τοῖς ἐλέφασιν ἔδειξαν αἷμα σταφυλῆς καὶ μόρων τοῦ παραστῆσαι αὐτοὺς εἰς τὸν πόλεμον.* Divisisse belluas per phalanges. Fuisse mille viros unicuique elephanti, *τεθωρακισμένους ἐν ἁλυσιδωτοῖς* & galeæ æneas in capitibus v. 37. *Καὶ πύργοι ξύλινοι ἐπ' αὐτοὺς ὀχυροὶ σκεπαζόμενοι ἐφ' ἑκάστου θηρίου, ἐζωσμένοι ἐπ' αὐτοῦ μηχαναῖς· καὶ ἐφ' ἑκάστου ἄνδρες δυνάμεως δύο καὶ τριάκοντα, οἱ πολεμοῦντες ἐπ' αὐτοῖς, καὶ ὁ Ἰνδὸς αὐτοῦ.* Describit instructos elephantes, turritos, qualibet turri capiente triginta duos armatos. Præterea Indus rector belluæ in ea vehebatur. Reliquas copias ab utraque parte phalangas id est aciem mediam tutatas esse; *κατασείοντας καὶ καταφρασσομένους ἐν ταῖς φάραγξι.* Sole splendente scuta fulgorem dedisse: *ὡς δὲ ἔστιλβεν ὁ ἥλιος ἐπὶ τὰς χρυσᾶς καὶ χαλκᾶς ἀσπίδας, ἔστιλβε τὰ ὄρη ἀπ' αὐτῶν καὶ κατηύγαζεν ὡς λαμπάδες πυρός.* Extensam etiam fuisse partem aciei regiæ super altos montes, quosdam per humilia. Vocem multitudinis & complosionem armorum audientibus fecisse terrorem. Eleazarum cognominat Σαυαράν.

Iudam se recepisse ob *ἰσχὺν τῆς βασιλείας καὶ τὸ ὅρμημα τῆς δυνάμεως*: quos regii exercitus pars secuta esse videtur.

In oppugnatione templi regem statuisse *βελοστάσεις μηχανὰς καὶ πυρόβολα καὶ λιθόβολα καὶ σκορπίδια εἰς τὸ βάλλειν βέλη καὶ σφενδόνας.* Consumptam fuisse annonam ab illis, qui è gentibus in Iudam traducti fuerant: *Καὶ οἱ ἀνασωζόμενοι εἰς τὴν Ἰουδαίαν ἀπὸ τῶν ἐθνῶν κατέφαγον τὸ ὑπόλειμμα τῆς παραθέσεως.* Cum Philippo erant copiæ, quas rex in Persidem duxerat de eo auditum regi & Lysiæ *ὅτι ζητεῖ παραλαβεῖν τὰ πράγματα.* Videtur significare, quod Lysias id audiverit v. 57. *κατέσπευδε τοῦ ἀπελθεῖν καὶ εἰπεῖν πρὸς τὸν βασιλέα καὶ τοὺς* &c. Sciebat igitur ipse non rex, cui etiam æque ac ducibus & militibus conatur persuadere abitum, obtentu rerum aliarum. Regem ingressum in montem Sion, visa loci munitione, spreta religione jurisjurandi (*ἠθέτησε τὸν ὁρκισμὸν ὃν ὤμοσε*) murum in ambitu dejecisse.

Iosephus lib. 12. cap. 15. Cum Antiochus Iudæis pacem offerret & patriæ legis usum, læti suscepere. Pax igitur juramento confirmata est. At rex ingressus videbat munitionis firmitatem, jussit igitur ab exercitu murum dejici. Hoc facto abiit Antiochiam, ducens secum Oniam pontificem qui alio nomine Menelaus appellabatur. Lysias enim illi autor erat, ut Menelaum turbarum

Iudææ autorem interficeret. Hunc enim patri ejus persuasisse, ut Judæos ab institutis patriis discedere cogeret. Missum eum Berrhœam Syriæ interfici mandavit. Hic Menelaus decennio pontificiam dignitatem tenuerat, subverso Iasone. Ut principatum teneret, populum coëgit à lege deficere. Pontificatum obtinuit Alcimus, qui se ita dici volebat, cum nomen esset Iacimus. Antiochus Philippum occupata jam tyrannide rebellem vincit & captum interimit. Filius autem Pontificis Onias, qui patre orbatus fuerat parvulus, videns regem, necato patruo suo, dedisse pontificatum Alcimo, qui non erat de cognatione Pontificia, Lysia suadente, ut eam dignitatem in aliam transferret familiam, fugit ad Ptolemæum regem Ægypti. Apud quem & uxorem ejus Cleopatram in pretio habitus, impetravit ab eis locum in nomo Heliopolite. In quo etiam simile Hierosolymitano templum struxit. Autor primi Machabæorum scribit Antiochum offendisse Philippum jam Antiochiæ potitum: eumque vrbe capta in potestatem Antiochi venisse.

Hæc gesta sunt sub Antiocho Eupatore, narrantibus Iosepho & autore *primi* Macchabæorum. Videamus nunc narrata ab autore secundi Machabæorum, qui abbreviavit Iasonem. Narrat fuse à cap. X. v. 9. usque ad cap. XIV. Ptolemæum Macronem Iudæis studentem, calumniis oppressum, veneno sumpto obiisse, ὑπ' ἀθυμίας φαρμακεύσας ἑαυτὸν ἐξέλιπε τὸν βίον. Philometor ipsi commiserat Cyprum, eo relicto ad Epiphanem confugerat. Gorgias & Idumæi bellum fovebant adversus Judæos. Hos Judas aggressus loca munita cepit: viginti millia cæsa sunt. Non pauciores novem millibus in duas munitas turres confugere. Harum oppugnationi Simon, Josephus & Zachæus relicti, Juda abeunte ad alia loca. Simoniani septuaginta drachmarum millibus acceptis, quosdam elabi permisere: qui morte mulctati ut proditores, turres captæ. In quibus interierunt plures viginti millibus. Timotheus deinde magnis copiis peditum & equitum coactis Judæam subigere cogitabat. Judas post supplicationem ad ipsos proficiscitur. Acris pugna commissa est, in qua hostes videre, viros quinque in equis aureis habenis: duo protegebant Judam & præibant Judæis. Sagittas & fulmina in hostes jaciebant. Territi igitur & conturbati ἀορασίᾳ cecidere viginti millia & quingenti, equites sexcenti. Timotheus Gazara confugit, cui præerat Chæreas frater ipsius. Obsessi confisi firmitudine loci blasphemabant supra modum καὶ λόγους ἀθεμίτους προΐεντο. Quinto die exorto viginti juvenes, accensi blasphemia, ad murum procedunt animo generoso obvium quemque obtruncantes. Hos sequuntur alii. Ita incensis turribus & rogis accensis blasphemos viventes concremavere. Alii portis occupatis admisere reliquam manum. Timotheus in cisterna latens occiditur, cum Chærea & Apollophane. Hæc habentur apud Josephum in fine *cap.* XI. Ἰάζωρον vocat Josephus urbem, quæ hic appellatur Gazara.

Cap. XI. Lysias tutor regius & cognatus coactis octoginta peditum millibus & equitatu omni voluit urbem Græcis domicilium facere: τὸ δὲ ἱερὸν ἀργυρολόγητον ὡς τὰ λοιπὰ τῶν ἐθνῶν τεμένη, πρατὴν δὲ τὴν ἀρχιερωσύνην. Accessit ad Bethsuram, quæ quinque stadiis Hierosolymis distabat, firmissimum castellum. Maccabæus igitur audiens munitiones obsideri post supplicationes progreditur. Cum haud procul Hierosolymis essent, ἐφάνη προηγούμενος αὐτῶν ἔφιππος ἐν λευκῇ ἐσθῆτι πανοπλίαν χρυσῆν κραδαίνων. Secuti igitur alacres & magnis animis cælestem ductorem in hostem feruntur. Sternunt undecim millia peditum, equites mille & sexcentos, reliqui in fugam abiere. Lysias invictos esse Judæos Deo opem ferente animadvertens, fœdus obtulit & regem se persuasurum de amicitia. Missi igitur Johannes & Abessalom: qui postulata Judæ & Judæorum in scripto ad

Ly-

Lysiam detulerunt. Exemplar literarum Lysiæ ad multitudinem Judæorum & regis ad Lysiam & regis ad senatum & alios Judæos proposuit. Literæ Lysiæ datæ anno 148. Dioscorinthii vigesima quarta: Regis ad populum eodem anno Xanthici decima quinta. Hic scriptor utitur æra Chaldaica Seleucidarum, qui anno uno Judaicam sequitur. Mensis ille dioscorinthius in Latina versione appellatur Dioscorus. Syrus interpres secundi Machabæorum (ut testatur Usserius) appellat Tisrin posteriorem. Eodem die scribunt legati Romanorum, ad populum Judæorum, concessa à Lysia & rege confirmantes.

XII. Pace facta præsides locorum, Timotheus, Apollonius, Hieronymus, Demophon & Nicanor (ὁ κυπριάρχης) Judæos turbant. Ioppenses ausi indignum facinus; Pellectos enim Judæos, qui apud se habitabant, in scaphas cum uxoribus & liberis descendere, provectosque in altum demergunt. Judas cum expeditis profectus portum noctu incendit & naves concremavit. Idem fecit Jamniensibus, eadem machinatis. Fulgor visus est Hierosolymis per stadia ducenta & quadraginta. Cum illinc novem vix stadiis progressus esset, contendens adversus Timotheum, Arabes eum adoriuntur non pauciores quinque millibus, cum equitibus quingentis. Pugna acri inferiores (Nomades erant) petunt veniam obtinentque, pecore tradito. His permissis abire dextris utrinque datis) cepit etiam urbem munitam, cui nomen Caspin (al. Chasphona): tanta civium strage edita, ut adjacens lacus stadiorum duorum latitudinis, sanguine rubuerit. Inde profecti stadia 750. Characem pervenerunt, ad Judæos in terra Tubi. A quibus locis Timotheus re infecta tum discesserat, præsidio valde firmo ibi relicto. Quod Judæ duces Dositheus & Sosipater evertere, perditis supra decies mille viris. Maccabæus copiis in agmina dispositis, eos cohortibus præposuit. Ita vadit adversus Timotheum, instructum centum viginti millibus peditum, equitibus mille quingentis. Timotheus intellecto adventu Judæ, ablegatis mulieribus & liberis & supellectile in Carnium: locum inaccessum ob angustias: obviam it. Judæ primo agmine apparente, metu divinitus immisso (ἐκ τῆς τοῦ πάντα ἐφορῶντος ἐπιφανείας) tam effuse fugiunt, ut alius alium læderet & mucronibus ensium transfoderentur. Inter fugiendum triginta fermè millia perierunt. Ipse Timotheus incidens in agmen Dosithei & Sosipatri, rogavit (μετὰ πολλῆς γοητείας) multa arte veteratoria ut se dimitterent: eo quod multorum & parentes & fratres haberet, quorum nulla ratio habenda esset, si occumberet. Fide igitur accepta, se eos illæsos restituturum, dimittitur. Judas inde progressus Carnium & fanum Atargatium viginti quinque millia occidit. Inde ad oppidum Ephron, in quo Lysias morabatur & gentes variarum nationum. Hoc propugnabant duo validi juvenes. Sed expugnata urbe Judas viginti etiam & quinque millia mactavit. Scythopolim inde veniunt de cujus civium amicitia & benevolentia incolæ Judæi testabantur. Gratiis actis hinc (sexcentis stadiis ab Hierosolymis distabat) ad templum pergunt. Παραγενόμενοι εἰς Ἱεροσόλυμα τῆς τῶν ἑβδομάδων ἑορτῆς οὔσης ἐγγύς. Post Pentecosten cum tribus millibus peditum & equitibus quadringentis proficiscitur adversus Gorgiam. In prælio pauci Judæorum cecidere. Dositheus quidam eques ex agmine Bacenoris, cum teneret Gorgiam & arreptum chlamyde, fortissime abduceret, delatus in eum Thrax eques, amputato brachio Gorgiam liberavit: qui evasit in Marisam. Cum autem milites Esdri (agminis ductor erat) admodum fatigarentur, Judas incipiens sermone patrio clamorem hymnis conjunctum, illatusque ex improviso in Gorgiæ milites eos in fugam vertit. Hinc collecto exercitu ducit in urbem Odollam: ubi purificati sabbatum egere. Sequenti die, quum Judæ milites corpora cæsorum ad sepulturam

ram colligerent ad sepulturam invenerunt sub tunicis cujusque eorum (*ἱερώματα τῶν ἀπὸ Ἰαμνείας εἰδώλων*) donaria Jamnitarum idolis dicata, quæ Judæis lex (Deut. VII. 25. 26.) prohibuerat: adeò ut omnibus fieret manifestum eos ob illam causam cecidisse. Ad supplicationes igitur versi, *ἀξιώσαντες τὸ γεγονὸς ἁμάρτημα τελείως ἐξαλειφθῆναι* vel (ut codex Arundellianus, teste Usserio, & Aldina editio habent) *ἠξίωσαν μὴ διὰ τὸ γεγονὸς ἁμάρτημα τελείως ἐξαλειφθῆναι*. Deinde collatitia pecunia (*ποιησάμενός τε κατ' ἀνδρολογίαν κατασκευάσματα εἰς ἀργυρίου δραχμὰς δισχιλίας*) Hierosolymam missa sacrificium pro peccato offerendum curabant. Addit autor, *πάνυ καλῶς καὶ ἀστείως πράττων, ὑπὲρ ἀναστάσεως διαλογιζόμενος. Εἰ γὰρ μὴ* &c. Ostendit credidisse resurrectionem, quia pro mortuis propitiatorium obtulit. Hic exultat Grotius: *Sperabant veniam posse obtineri iis, qui legem semper secuti, in hac re peccaverant, pœnitentiam forte acturi, si vixissent diutius. Mos est Hebrais precandi:* Sit mors illius pro expiatione peccatorum. *Satis pœnarum fuerit morte violenta, aut immatura aut plena cruciatuum. Capere autem Iudæi orare pro mortuis in exilio Babylonico: quod & formulæ sermonem illorum locorum ac temporum redolentes ostendunt. Nimirum ab Ezechiele & Daniele instituti, certius aliquid quam ante de judicio post hanc vitam perceperant. Deinde: Tale sacrificium lege imperatum non erat: neque judicia post hanc vitam in lege fuerunt revelata: quibus cognitis prophetarum indicio ex paritate quadam rationis credidere Iudæi rectè fieri posse pro mortuis, quæ pro vivis fieri solebant* Levit. 5. 6. 16. *Pari fermè ratiocinatione inductus baptismus pro mortuis apud Christianos & oblationes pro mortuis, de quibus alias.*

Verba putrida, in quibus Papismum & Sossinismum miscet: & Theologiæ veræ monstrosam profitetur perversionem.

1. Formula ista est degeneris ævi, ubi in superstitionem & crassas tenebras ignorantiæ populus labi cæpit.

2. Æque illustria testimonia in superioribus libris & in lege de resurrectione mortuorum habentur. Quam spem Apostolus ad Hebræos longo fidelium catalogo, tanquam nube testium, ostendit: nemine istorum inscitiæ temporum nominato: sed abusque mundi exordio repetendo.

3. Iudicium post hanc vitam Salomo juvenibus ostentat.

4. Mirificus autem ille, qui sacrificium legitimum esse putat, quod non est è legis præscripto.

5. Sacrificiis expiari peccata, id est, conscientiam mundari & animam, est contra Apostolum, Heb. X. 1. 4. Hic Judaismus est. Ut & sequens cum Papismo colludit.

6. Satisfacere nos, cruciatibus & morte pro peccatis easque abolere.

7. Quod dicit de baptismo pro mortuis, quod hæreticorum est, deputat recto sensui. De oblationibus veterum alia mens fuit: quod suo loco videndum.

Cæterum, quæ in hoc XII. capite sunt, habentur etiam aliter narrata in XII. capite lib. 12. Iosephi. Autor secundi Maccabaici refert ad Antiochi Eupatoris tempus illa omnia, quia regnum deducit ab illo tempore, quo Epiphanes in Persiam & Mediam discedebat.

Cap. XIII. Anno æræ Chaldaicæ 149. Iudaicæ 150. Antiochus Eupator & Lysias in Iudæa adversus Iudam erant: quilibet cum exercitu Græcanico centum & decem millium, equitibus quinquies mille & trecentis, elephantis duobus & curribus falcatis trecentis. Cum eis erat Menelaus, qui (*μετὰ πολλῆς εἰρωνείας*) multa simulatione pro salute patriæ, quærebat principatum. Deus in eum excitavit iram regis & Lysiæ: *προσέταξεν, ὡς ἔθος ἐστὶν ἐν τῷ τόπῳ προσαπολέσαι, ἀγαγόντας αὐτὸν εἰς βέροιαν.* Modus supplicii fuit: Erat in illo loco

loco turris quinquaginta cubitorum cinere plena: hæc habebat instrumentum rotundum, undique præceps in cinerem. Ita præceps datus vitam finiit. At rex adveniebat spirans pessima mala. Triduana supplicatione Deum Judas invocavit. Ea finita cum juvenibus optimis irruit in regiam aulam: sternitque quater mille viros & præstantissimum elephantorum (τὸν πρωτεύοντα τῶν ἐλεφάντων) repletisque castris terrore & turba, prospere evalere. Bethsuram oppugnavit rex, cum damno. Quidam Rhodocus enunciare secreta solitus, in vincula conjicitur. Rex Bethsuram cepit sub certis legibus. δεξιὰς ἔδωκεν, ἔλαβεν, ἀπορίᾳ coactus. Improspere oppugnat templum. Rumore de Philippo fœdus fecit cum Judæis: συνεχύθη, τοὺς Ἰουδαίους προσκαλέσας, ὑπείξῃ, καὶ ὤμοσεν ἐᾶν πᾶσι τοῖς δικαίοις, συνελύθη καὶ θυσίαν προσήγαγεν, ἐτίμησε τὸν ναὸν καὶ τὸν τόπον ἐφιλανθρώπησε. Maccabæum suscepit. Reliquit præfectum à Ptolemaide usque Gerrhenos Hegemoniden. Ptolemaida venit rex: Ptolemaidenses (πτολεμαεῖς) commotos quod ægre ferrent fœdus cum Judæis, Lysias ascenso tribunali pacavit.

Ios. lib. 12. cap. 17. Demetrius.

EO tempore Demetrius Seleuci filius, Roma profugus, Tripoli occupata, sumit Diadema & contractis quotquot potuit militibus mercenariis regionem invadit. Omnibus autem eum promptè suscipientibus seque tradentibus, comprehensos etiam Antiochum & Lysiam ad ipsum adduci contigit. Qui ipsius mandato mox necati, Antiocho alterum annum regnante. Ad novum regem confluxerunt multi Judæorum impii & exules: interque eos Alcimus pontifex: qui graviter accusato Juda & tota gente, quod amicis suis omnibus & fautoribus regis interemptis, se quoque ejecissent è patria, petunt, ut misso amico cognosceret de facinoribus Judæ. At Demetrius iratus mittit Bacchiden, amicum Antiochi Epiphanis, virum bonum, cui tum Mesopotamia tota concredita. Datis illi copiis & commendato pontifice præcepit interficere Judam ejusque sequaces. Bacchides cum copiis in Iudæam ingressus misit ad Judam fratresque de amicitia & pace. Volebat eum dolo circumvenire, sed ille fidem ipsi non adhibuit. Videbat enim advenisse cum tanto exercitu; quo ad bellum non pacem itur. Quidam tamen è populo creduli illis, quæ per præconem Bacchides denuntiaverat & nihil mali passuros se ab Alcimo populari suo, ad eos concedunt: & accepta ab utroque fide, nihil injuriæ inferendum nec ipsis nec ejus factionis aliis, eorum fidei se commisere. Bacchides autem non servata fide sexaginta interfectis ex eo numero, cæteros qui transire meditabantur deterruit. Cum autem Hierosolymis digressus, in vico esset Bethzetho comprehendit multos perfugas & quosdam è populo. omnibusque illis interemptis, jussit omnibus per totam regionem parere Alcimo. Relictaque ad tutelam ejus parte exercitus rediit ad regem. Alcimus ut principatum firmaret benevolentia, comiter ac blande appellabat omnes: & loquendo singulis ad gratiam, brevi numerosam manum comparavit. Horum plerique erant impii & exules, quibus ministris & militibus utendo regionem obibat, occidens eos, qui Judæ partium erant: & Judas animadvertens, gliscete potentiam Alcimi, & interfectos plurimos bonorum & piorum hominum, ipse quoque regionem peragrabat, perdens studiosos Alcimi. Qui videns se imparem viribus ad regis Demetrii auxilium confugit. Profectus Antiochiam, regem incitat in Judam, tanquam multas injurias ab illo passus & plures passurus, nisi præoccupetur & pœnam det, misso valido exercitu. Hæc in lib. 1.

 Maccab.

Maccab, cap. 7. à v. 1. ad 25. Scribit Demetrium cum paucis viris advenisse in urbem maritimam. Ibi regnare occepisse. Alcimum cum impiis adiisse regem. Rex illi misso cum Lysia ἔστησεν τὴν ἀρχιερωσύνην, stabiliit summum sacerdotium. Deinde & præcepit ut ultionem faceret in filiis Israël. Ad Alcimum & Bacchidem coïerunt (συναγωγὴ γραμματέων) coitio scribarum id est interpretum legis, ut quærerent jus: ἐκζητῆσαι δίκαια. Hasidæi primi erant inter filios Israël, qui ab ipsis quærebant pacem. Nam sic cogitabant: Sacerdos est è semine Aaron non faciet injuriam. Sexaginta ex illis violata fide miserè trucidat. Ibi impletum esse dicit, quod in Ps. 79. dicitur: *Carnes sanctorum* & sanguinem eorum effuderunt circum Jerusalem, nec erat sepeliens. Quod noto propter illos, qui tum temporis, quum prophetia desiisset, illum psalmum compositum esse putant. Notatur impletum esse, quod Davidis tempore scriptum erat per spiritum propheticum. Multos Bacchides occidit eorum qui ab ipso aufugerant. Et quosdam de populo quos ἔθυσεν εἰς τὸ φρέαρ τὸ μέγα: Bezeth appellat locum. Alcimus discedente Bacchide relictus ἠγωνίσατο περὶ τῆς ἀρχιερωσύνης.

2. Maccab. 14. scribitur post triennium Judæ ejusque sociis advenisse rumorem, quod Demetrius postquam per portum apud Tripolin appulisset cum magna multitudine & classe occupasse regionem ἐπανελόμενον Ἀντίοχον καὶ τὸν τούτου ἐπίτροπον Λυσίαν. Alcimum, qui ante fuerat pontifex, voluntariò autem inquinatus, ἐν τοῖς τῆς ἐπιμιξίας χρόνοις, cum sciret se non posse salvari nec habere aditum ad aram, venisse ad Demetrium regem anno 151. adducentem ipsi auream coronam καὶ φοίνικα, πρὸς δὲ τούτοις τῶν νομιζομένων θαλλῶν τοῦ ἱεροῦ. Hic eo die se continuit sed observata occasione, qua à rege advocabatur εἰς συνέδριον consessum & rogabatur in qua dispositione & consilio essent Iudæi, respondit Hasidæos, quibus præerat & dux erat Iudas bellum fovere & seditiosos esse, pacem (εὐσταθεῖν) regni prohibentes. Hinc adempta dignitate à majoribus derivata (προγονικὴν δόξαν) nempe sacerdotio summo eò se contulisse. Quia regis partibus addictus esset & civium saluti consuleret, καὶ τὸ ἴδιον πολιτῶν στοχαζόμενος, expulsum esse. Illorum enim amentia (ἀλογιστίᾳ) universam gentem (ἀκληρεῖν) *vexari* reddit Vulgatus: sonat, *sortis suæ extortem esse.* Non posse genti bene esse donec superesset Iudas. Hunc illius sermonem inimici Iudæ excipientes inflammaverunt regem. De isto Demetrio rege ita Iustinus lib. 34. *Reversus in regnum Antiochus* (Epiphanes) *decedit, relicto parvulo admodum filio: cui cum tutores dati à populo essent, patruus ejus Demetrius, qui obses Romæ erat, cognita morte Antiochi fratris, senatum adiit, obsidemque se vivo fratre venisse, quo mortuo cujus obses sit se ignorare. Dimitti igitur se ad regnum petendum æquum esse, quod sicuti jure gentium majori fratri cesserit, ita nunc sibi, qui pupillum ætate antecedat deberi. Cum se non dimitti animadverteret à senatu, tacito judicio tutius apud pupillum quam apud eum regnum futurum arbitrante, specie venandi ab urbe profectus, Hostiæ tacitus, cum fugæ comitibus, navem conscendit. Delatus in Syriam secundo favore omnium excipitur: regnum ei occiso pupillo, à tutoribus traditur.* Tres errores committit, 1. Pupilli tutor non datus populo sed ipso patre 2. Non decessit Antiochus ex Ægypto reversus sed in reditu è Perside. 3. A tutoribus non est traditum regnum, sed tutor superstes cum rege pupillo à populo traditi Demetrio, quo jubente occisi sunt.

Iosephus lib. 12. cap. 17. Demetrius nequidem rebus suis tutum esse arbitratus, Iudam invalescere, Nicanorem mittit, amicorum charissimum simul & fidissimum: qui etiam Roma fugienti comes fuerat: attributoque exercitu, quantum satis esse putabat contra Iudam, jussit nemini de gente parcere. Nica-

Nicanor Hierosolyma ingressus dissimulato primum bello, dolo Iudam capere decrevit: offerendo pacem & fidem juramenti. Venisse enim ut genti regis benevolentiam indicaret. Iudas & fratres fide verbis adhibita nec quicquam mali suspicati, data acceptaque fide Nicanorem suscipiunt cum exercitu. Hic salutato Iuda, inter colloquendum dat signum, ut eum comprehenderent. At Iudas intellectis insidiis, evitatisque ad suos refugit. dolo igitur patefacto bello se parat Nicanor congressusque prælio apud vicum Caphersalama, victum Iudam conpellit fugere in arcem Hierosolymorum. Nicanori ex acra descendenti in templum occurrunt quidam sacerdotum & seniorum & salutato ostendunt hostias, quas se Deo pro rege immolare dicebant. Ille blasphemans minabatur, nisi Iudam traderet populus, eversurum se templum esse, ubi rediisset. Sacerdotes in lachrymas & supplicia effusi, venerantur Deum, ut se liberaret ab hostium manibus. Nicanor egressus Hierosolymis, apud vicum Bethoron castra metatur, auctus exercitu è Syria adveniente. Judas in alio vico, qui triginta stadiis à Bethoron distitus erat, cui nomen Adaso, habens circa se non plus mille militum. Eos cohortatus ne hostium multitudinem sed causæ æquitatem, pro qua bellarent, intueantur & præmia victoriæ, ducit in hostem, quem acri certamine vincit: multis cæsis cadit & Nicanor, strenuè pugnans. Cæso duce hostes in fugam se conjiciunt, abjectis armis. Quos persequens cædebat, excitis etiam proximis vicis tubarum cantu. Coacti undique hostes ad unum omnes occidunt: qui novem millia in universum fuerunt. Hæc victoria evenit decima tertia mensis Adar, qui Macedonibus Dystrus appellatur. Diem illum in memoriam rei gestæ festum ad posteros esse voluerunt Iudæi. Ab hac victoria pace aliquandiu fruebantur. Alcimum pontificem parantem destruere murum sanctuarii veterem & à prophetis structum, subita plaga oppressit; qua mutus repentè in terram concidit cruciatusque multis diebus decessit, quadriennium functus pontificatu. Populus Iudæ pontificatum dedit: qui Romana potentia considerata, qua Galliam & Hispaniam & Carthaginem Africæ: prætereà Græciam subjecissent & Persea, Philippum ac magnum Antiochum, decrevit cum ipsis facere amicitiam. Missis igitur Romam amicis suis, Eupolemo Iohannis & Iasone Eleazari filiis, rogabat fœderatos esse & amicos ac scribere Demetrio ne bellaret cum Iudæis. Senatus eos benigne suscipit & dedit fœdus. Senatus consultum ea de re factum æneisque tabulis inscriptum suspensum est in Capitolio. Exemplar missum ad Iudæos, ita habuit: *Ne quis* Romanæ ditionis cum Iudæis bellum gerito, neque bellum gerentibus frumentum, naves aut pecuniam subministrato. Si quis Iudæos invadat, Romani opem ferunto pro viribus. Vicissim, si quis Romanos invadat Iudæi auxilium ferunto. Si Iudæorum gens aliquid huic fœderi addi aut demi velit, id fiat de communi populi Romani sententia: quodque adjectum fuerit. ratum esto. Scriptum est senatusconsultum per Eupolemum Johannis filium & Jasonem Eleazari, summo pontifice Juda & duce Simone fratre ipsius. Hoc primum inter Romanos & Judæos fœdus fuit.

In lib. 1. Maccab. cap. 7. à v. 26. Innuit Judam aliquoties cum Nicanore locutum cognovisse deinde insidias sibi structas esse. Apud Chaphar-Salamam cecidisse à parte Nicanoris quinquies mille viros. Judam in Adasæ conflictu habuisse ter mille viros. Fugientes hostes diei itinere persecutum esse usque Gazara. Amputatum caput & dexteram Nicanoris abstulisse. Quievisse inde terram Judæ paucis diebus. Octavo capite narrat de fœdere cum Romanis, latius celebrans Romonorum fortitudinem & potentiam & statum reip. Adjiciens: Καὶ ἐν πᾶσι τούτοις οὐκ ἐπέθετο οὐδεὶς αὐτῶν διάδημα καὶ οὐ περιε-

βάλοντο πορφύραν ὥστε ἁδρυνθῆναι ἐν αὐτῇ. Miratur in tanta potentia neminem purpuram aut diadema sumpsisse. Hinc apparet eum autorem scripsisse libera adhuc rep. ante Cæsaris dominationem. In epistola Romanorum ad Judæos scribunt se jam dedisse literas ad Demetrium, ne Judæos fœderatos suos gravaret.

2. Machab. c. 14. à v. 12. Alcimi querelas posteriores cum prioribus miscet in principio capitis, ut suprà significavimus, deinde scribit Nicanorem *ἐλεφαντάρχην* fuisse. Hunc missum ut Alcimum constitueret pontificem maximi templi. Ad eum catervatim confluxisse gentes à Juda pulsas è Judæa. Adventu eorum cognito Judæi, *καταπασάμενοι τὴν γῆν ἐλιτάνευον τὸν ἄχρι αἰῶνος συστήσαντα τὸν ἑαυτοῦ λαὸν ἀεὶ δὲ μετ' ἐπιφανείας ἀντιλαμβανόμενον τῆς ἑαυτοῦ μερίδος.* Juda præcipiente inde mox (*ἀνέζευξαν*) profecti sunt & conserunt manus cum hoste ad vicum Dessau. Simon frater Iudæ cum Nicanore congressus cito ob repentinum hostium (*ἀφασίαν*) adventum conterritus est. Nicanor tamen virtutem Iudæ & illius sociorum metuens sanguini judicium noluit committere. *Misit igitur* Posidonium, Theodotum & Mattathiam, dexteras dare & accipere. Protracta deliberatione & Iuda rem communicante cum populo, consensum est in fœdus. Constituta die conveniunt, positis sellis utrique. Iudas etiam armatos disposuerat locis opportunis ne forte ab hostibus repente aliquid mali oriretur: collocuti sunt, *τὴν ἁρμόζουσαν ἐποιήσαντο κοινολογίαν.* Agebat Nicanor Hierosolymis & nihil faciebat iniqui: dimittit turbas gregatim coactas. Iudam amare cœpit, hortatus etiam conjugium inire & liberis operam dare. Conjugium init, quiete agit, comiterque vivebant. Alcimus videns amicitiam & fœderis vigorem, adito rege, queritur Nicanorem rebus alienis studere, Iudamque insidiatorem regni successorem sibi (in pontificatum) designasse. Rex incitatus scripsit Nicanori, jubens Maccabæum vinctum Antiochiam mittere. *Qua re* turbatus Nicanor, quod conuenta (*διεσταλμένα*) aboliturus esset in virum, qui nihil deliquerat. At parendum erat: observabat igitur (*στρατηγήματι*) dolo id effectum dare. Maccabæus videns non ita comiter conversari Nicanorem, adjunctis sibi non paucis sociis occultavit se à Nicanore. Nicanor ergò videns se præventum præcipit sacerdotibus tradere virum. Cum jurejurando affirmantibus se ignorare ubi esset, jurat protensa manu versus templum, *nisi* Iudam vinctum traderent se hoc templum (*σηκὸν*) solo æquaturum, altare subversurum & templum illic illustre Baccho structurum. Hoc dicens abit: sacerdotes autem in supplicationes protensis ad cœlum manibus Deum rogant opem. Rasis quidam seniorum Hierosolymæ, vir civium amans & bonæ famæ, quique ob benevolentiam, Pater Judæorum appellaretur, indicatur Nicanori. Nam prioribus temporibus *τῆς ἀμιξίας* (Vulg. *continentiæ* ineptè) Judaismi *delatus* fuerat & corpus animamque exposuerat cum perseverantia omni. Nicanor manifestum volens facere odium suum in Judæos, milites supra quingentos misit eum comprehensuros. Militibus turrim capere molientibus & vim facientibus januæ ad atrium (*αὐλαίαν θύραν*) jubentibusque ignem afferre & fores ascendere; cum se deprehensum esse videret, supposuit sibi gladium: quia mallet generose mori, quam in manus venire profanorum hominum & indignas nobilitati suæ contumelias pati sed cum per festinationem non certo ictu plagam dedisset & turbæ intra ostia essent, recurrens in murum se præcipitem dedit in turbas, quibus se diducentibus venit per medium spatium, *κατὰ μέσον κενεῶνα.* Spirans adhuc & inflammatus animis, surgens, ubertim manante sanguine & vulneribus gravissimis, curriculò turbas pertransiit. Insistens rupi præruptæ & jam exsanguis, prompta viscera & utraque manu comprehensa quatiens, Deo se reddere profatus, vitam profudit.

Cap.

Cap. 15. Nicanor, ut comperit, Judam cum suis esse in locis Samariæ, cogitavit eos die sabbathi cum omni certitudine aggredi. Judæis, qui inviti eum sequebantur, dicentibus, gloriam dandam esse diei, quam Deus honorasset, rogat, Essetne in cælo dominus, qui præcepisset eum diem feriari; cumque respondissent, esse: at ego, inquit, dominus in terris, jubeo arma ferre pro rege. Judas suos consolatus è lege & prophetis, jussosque meminisse præteritarum victoriarum & intueri hostium impietatem & perfidiam, animavit etiam somnii narratione: Oniam sibi visum protensis manibus orare pro populo Judæorum. Posthac vidisse & alium virum canis & gloria conspicuum. Respondentem verò Oniam dixisse. Hunc qui oraret pro populo & sancta urbe esse Jeremiam Dei prophetam. Jeremiam autem Judæ dedisse aureum gladium cum his verbis, cape sanctum gladium (ῥομφαίαν) donum à Deo, quo hostes conteres. Hac narratione animati decreverunt non ponere castra sed ferri in hostem, & pugnare magis pro templo, quam pro uxoribus, liberis & cognatis. In urbe qui erant, non vulgaris solicitudo habebat τῆς ἐν ὑπαίθρῳ προσβολῆς, sub dio futuri conflictus. Cum jam hostes in procinctu essent, exercitu ordinato & belluis oportuno loco compositis & equitatu ad cornua, Maccabæus multitudine hostium & armorum apparatu & belluarum feritate considerata, protensis in cælum manibus Dei auxilium invocat. Nicanoriani cum tubis & pæavibus accedunt, Judæi cum invocatione & precibus miscentur hostibus. Manibus pugnantes & cordibus ad Deum orantes, stravere triginta quinque hostium millia. Cumque cessassent (γενόμενοι δὲ ἀπὸ τῆς χρείας) & cum gaudio redirent, agnoverunt Nicanorem inter cæsorum cadavera. Cum clamore igitur & tumultu Deum celebrant. Judæ præcepto Nicanoris caput amputatum & præcisam cum humero manum Hierosolymis intulere. Judas cum in urbem advenisset, convocatis popularibus & sacerdotibus ante altare constitutis, advocat præsidiarios ex acra, ostensoque capite & manu Nicanoris, quam extenderat adversus ædem Dei, dixit, se excisâ lingua Nicanoris particulatim eum daturum avibus, (τὰ δ' ἐπίχειρα) manus autem seu instrumenta amentiæ è regione suspensurum. Caput Nicanoris ex acra suspensum est, in signum Divini auxilii. Diem festum in memoriam sacrarunt diem decimum tertium Ader mensis, qui ita Syriaca lingua appellatur, uno die ante diem Mordechaicam. Hic desinit lib. 2. Maccabæorum. Notat doctiss. Usserius finem hujus capitis Josephi fuisse assutum ab aliquo, qui putaverit falsò vivente Juda Machabæo rediisse legatos Roma cum tabulis fœderis, etiam inscite adnexuisse quod Juda pontifice & Simone duce factum fuerit. Cum Iudas per totam vitam dux fuerit. Si non fuisset, Ionatham potius quam Simonem ducatum debuisse obire. Errasse etiam Iosephum, qui putaverit Alcimo in pontificatu successisse Iudam, quum errore posteà agnito in lib. 20. cap. ult. testetur Alcimo triennium functo neminem succcessisse toto septennio: quo vacavit pontificatus. Et 1. Machab. 9. 54. 55. 56. post Iudæ excessum vita excessisse Alcimum ostendatur.

Jos. lib. 12. cap. 18. Demetrius accepto nuntio cladis Nicanoris rursum Bacchidem misit cum aliis copiis. Qui castra posuit Arbelis & obsessis ac expugnatis speluncis, in quas multi confugerant, Hierosolyma properavit. Cognitoque Iudæ castra esse in vico Bethzetho in eum ducit cum peditum viginti equitum duobus millibus. Iudas tantum mille milites habebat. Horum ducenti visa multitudine copiarum Bacchidis territi, desertis castris, diffugiunt. Iudas imminente hoste cum delectus habendi spatium non esset, paratus erat cum octingentis hostem aggredi. His autem dicentibus, recedendum

potius esse, ut recollectis viribus in hostem eant, negavit se commissurum ut dici possit terga hostibus obvertisse: cumque suos hortatus esset, parat se pugnæ.

(Cap. 19.) Bacchides è castris eductas copias ordinat: equites in utroque cornu collocans, in fronte levem armaturam ac sagittarios. Ipse erat in dextero cornu. Ita progressus jussit signa canere & copias cum clamore aggredi, Judas similiter invadit. Acri pugna certatum ést usque ad occasum solis. Judas autem animadvertens Bacchidem cum robore militum in dextero cornu, cum audacissimis in eam partem irruit, perruptaque phalange in mediam aciem penetravit; quos in fugam compulsos dum persequitur usque ad montem Aza appellatum, conspicati id qui sinistrum cornu tenebant, Judam circumveniunt. Hic in medio conclusus, nullumque videns effugium, in vestigio cum suis constitit & cæsis hostium plurimis, vulneribus confectus & ipse cecidit, ad extremum victor. Cum eum cecidisse sui viderent, fugiunt. Simon autem & Jonathas fratres, induciis factis receptum Judæ cadaver delatumque in vicum Modin intulerunt monumento patrio: luctum agente multitudine multis diebus & honorante communiter, consueto more. Hic finis fuit viri fortissimi, qui patriam & Dei cultum restituit virtute, sanguine, sudore & periculis fidem superantibus. Triennium obiisse pontificatum narrat Josephus, quod tamen postea revocat.

Autor primi Maccabæorum cap. 9. scribit Bacchidem & Alcimum profectos esse viam in Galgala & castra metatos ad Mæsaleth in Arbelis, quam ceperint multis interfectis. Mense primo anni 152. castra posuisse ad Jerusalem. Inde profectos esse Beream cum viginti millibus virorum & bis mille equitibus. Judas castra habebat in Eleasa cum selectis tribus millibus. Metu dilapsos esse omnes, solis octingentis relictis. Montem, ad quem cedebant hostes dexteri cornu, vocat Azotum. Reliqua sermonum Judæ non superesse dicit.

Justinus de Judæis lib. 36. *Primum Xerxes rex Persarum Judæos domuit: postea cum Persis in ditionem Alexandri Magni venere, diuque in potestate Macedonici imperii subjecti Syriæ regno fuere. A Demetrio cum descivissent, amicitia Romanorum petita, primi omnium ex orientalibus libertatem receperunt, facile tunc Romanis de alieno largientibus.*

Josephus lib. 13. cap. 1. Post obitum Judæ, quicquid impiorum & transgressorum erat, undique insurgens affligebat Judæos. Ex horum malitia etiam fames terram premit. Utroque malo, penuria rerum ad victum pertinentium & pressura inimicorum multi ad Macedonas transfugiunt. Bacchides desertoribus & vitam profanam sectantibus convocatis regionis curam committit. Qui Judæ amicos & illius partibus studentes comprehensos Bacchidi tradunt, quos tortos & cruciatos morti ille dabat. Tanta Judæos calamitas afflixit, quantam non senserant post reditum è Babylone. Qui igitur reliqui erant è Judæ sociis, adeunt Ionatham, rogantes ut fratris æmulus non sineret gentem sine præside fluctuare & hærere in discrimine. Tum Ionathan respondet mori se paratum esse pro ipsis. Præfecturam igitur illi deferunt, quia fratris quoque virtutibus inferior non esse habebatur.

Autor 1. Maccab. cap. 9 v. 27. *Καὶ ἐγένετο θλίψις μεγάλη ἐν τῷ Ἰσραήλ, ἥτις οὐκ ἐγένετο, ἀφ' ἧς ἡμέρας οὐκ ὤφθη προφήτης ἐν αὐτοῖς.* Ionathanem adeunt amici Iudæ, dicunt se ipsum elegisse: *ἡρετισάμεθα σήμερον σὲ εἶναι ἀντ' αὐτοῦ ἡμῖν εἰς ἄρχοντα καὶ ἡγούμενον, τοῦ πολεμῆσαι τὸν πόλεμον ἡμῶν.*

De

De morte spontanea & hoc facto Razii. Aug. ep. 61. ad Dulcitium.

DE mortibus furiosissimis, quas quidam eorum ipsi sibi inferunt, de quibus solent detestabiles & abominabiles esse multis, etiam suis, quorum mentes dementia non tanta possedit, eis secundum scripturas rationemque Christianorum sæpe respondimus, quoniam scriptum est: Qui sibi nequam cui bonus? *Aut certè in eisdem positum tentationibus, mori volentem occidat & proximum, qui sibi expedire & licere putat occidere seipsum; quoniam scriptura dicit;* Diliges proximum tuum tanquam te ipsum. *Nullis autem jubentibus legibus, vel legitimis potestatibus, non licere alterum occidere, etiam volentem & petentem, & vivere jam non valentem, satis indicat scriptura Regnorum: ubi rex David regis Saulis interfectorem jussit occidi, cum ille dixisset ab eo jam saucio atque semivivo petitum se fuisse ut hoc faceret, & animam corporis nexibus obluctantem solvique cupientem, uno ictu vulneris ab illis cruciatibus liberaret. Proinde quia omnis qui sine ulla legitima potestatis authoritate hominem occidit, homicida est, quisquis se ipsum occidit, non fit homicida, si non homo est. Hæc omnia multimodis in aliis plurimis nostris sermonibus & literis diximus. Verum tamen, quod fatendum, de isto Razio seniore, quem summa exemplorum inopia coartati se in Macchabæorum libris, quasi ad autoritatem sceleris quo seipsos perdunt. perscrutatis omnibus ecclesiasticis autoritatibus, vix aliquando invenisse gloriantur; adhuc eis nunquam respondisse me recolo: sed quod tuæ charitati & prudentibus quibusque sufficiat ad istos redarguendos. si ad vitam Christianorum de Iudæa gente, atque illis literis parati sunt omnium sanctorum exempla transferre, tunc & hoc transferant. Si autem illic sunt plurima eorum quoque hominum, qui literarum illarum veritate laudati sunt, vel huic jam tempori non convenientia, vel etiam illo tempore non rectè facta, tale etiam hoc est quod in seipsum Razius iste commisit: qui quum esset & apud suos nobilis, & multum in Iudaismo profecisset, quæ sibi in comparatione justitiæ Christianæ, damna & stercora fuisse dicit fuisse Apostolus: & propter hoc idem Razius, Iudæorum pater appellatur: quid mirum est, si tanquam homini elatio superba subrepsit, ut mallet manu propria perimi, quam post illam in suorum aspectibus celsitudinem, sustinere indignam in hostium manibus servitutem? Solent in libris Gentilium ista laudari. In his autem Maccabæorum libris, quamvis homo fuerit ipse laudatus, factum tamen ejus narratum est non laudatum, & judicandum potius quam imitandum, quasi ante oculos constitutum non sanè nostro judicio judicandum, quod nos quoque ut homines habere possemus, sed judicio doctrinæ sobriæ quæ in ipsis quoque libris veteribus data est. Longè quippe fuit iste Razius à verbis illis, ubi legitur:* Omne quod tibi applicitum fuerit accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe. *Non ergo fuit iste vir eligendæ mortis sapiens, sed ferendæ humilitatis impatiens. Scriptum est, quod voluerit nobiliter & viriliter mori, sed nunquid ideo sapienter? Nobiliter scilicet, ne libertatem sui generis captivus amitteret. Viriliter autem, quod tantas vires animi haberet, quibus idoneus esset, ut se ipse perimeret; quod gladio cum implere non posset, de muro se præcipitem dedit, & sic adhuc vivus abruptam cucurrit ad petram, atque ibi exsanguis intestina sua produxit, quæ utraque manu dissipata spargebat in populum, ac deinde postea defessus occubuit. Magna hæc sunt, nec tamen bona. Non enim bonum est, omne quod magnum est, quoniam sunt magna etiam mala. Deus dixit:* Innocentem & justum ne occidas. *Si ergo iste, innocens & justus non fuit, cur proponitur imitandus? Si autem innocens & justus fuit, quare interfector innocentis & justi, id est ipsius Razii, insuper putatur esse laudandus.*

Hic locus Augustini, quemadmodum & alter ad Gaudentium, evidenter damnat Razium. Angitur Salianus, quia autor 2. Maccab. manifestè laudat. Si ille liber est Scripturæ canonicæ pars, Augustinus Sp. S. contradicit. Augu-

stinus

stinus tamen (mirum) pro divino scriptore illum autorem habuit. Factum etiam Razu, id est αὐτοφονία, ejusmodi est ut laudari non possit nisi mandatum Dei habeat, qui est arbiter vitæ necisque humanæ. Ideò ab instinctu Sp. profectum fuisse jactat. Hoc prætextu scelus & flagitium omne excusari posset. Injurius es, Saliane in sanctissimum Deum, de quo non poteris ullo exemplo probare, quod aliquem voluerit aut instinctu suo egerit ire in præcipitia & necem manus propriæ. Samsonis exemplum dispar est magna intercapedine. Non enim sibi intulit manus sed è vocationis modo & Divino instinctu ruebat in manifestam mortem, ut hosti daret cladem. Hic homo ut hostium manus evaderet & contumelias nobilitati generis sui indecores & probrosas, sibi ipsi manus intulit. Aliud igitur est bono publico & hostium exitio vitam impendere, aliud superba elatione, ne victus esse videare, neve in manus hostium venias, profundere.

De Somnio Judæ Maccabæi.

Hugo Grotius, ut omnia arripit, quæ speciem habent pro Papismo, ita etiam somnium Iudæ Maccabæi de Ieremiæ intercessione pro populo. 2. Maccab. 15. 12. ita commentatur: *Erat enim hæc Iudæorum si non omnium, certe plerorumque opinio, animas exutas corporibus non omnem perdere eorum, quos hic reliquere memoriam curamque, quin & preces eos ad Deum fundere pro populo & iis quos caros habuere. Abrahamus apud Iosephum, Isaacum, ut jamjam moriturum sic alloquitur:* μετ' εὐχῶν δὲ καὶ ἱερουργίας ἐκείνης (τοῦ θεοῦ, *quod præcesserat*) ψυχὴν τὴν σὴν προσδεξομένου, καὶ παρ' αὐτῷ καθίζοντος, ἔσῃ τέ μοι εἰς κηδεμόνα καὶ γηροκόμον, διὸ καὶ μάλιστά σε ἀνεθρεψάμην, τὸν θεὸν ἀντὶ σαυτοῦ παρεχόμενος. Et v. 14. *Credidere ergò Iudæi animas prophetarum etiam rerum evenientium post se mortali vita exemptos, aliqua notitia à Deo perfundi, quasi & ibi in prophetico munere perseverantes. Vide 2. Paralip. XXI. 12. & ibi dicta: Olim vetitus est pro Iudæis orare Ieremias cap. XV. Nunc finitur orare: mutata enim erant tempora.* Ad locum Paralipomenon de epistola Ieremiæ suo loco diximus. Sed cur adeò laborat Grotius mortuis asserere curam & memoriam rerum Ecclesiæ & eorum, quos caros in vita habuerunt? Quod si curam habere concedamus, & memoriam: quid tum? Quod si etiam vota precesque concipere pro suis & pro ecclesia? Putas ne Deum eos perfundere notitia rerum, quæ post mortem eveniunt? Grotius vult prophetas adhuc prophetare. Ego existimavi id munus gestasse in ecclesia militante, quæ colligitur & struitur, non in triumphante, quæ consummata est. Putasne esse advocatos à Deo constitutos & intercessores: ut id sit muneris definiti? Communio sanctorum exigit, ut laborem & coner pro Ecclesia, possumne ideò advocatus dici ecclesiæ? Deinde quid te juvat Iudæos quosdam illius temporis & Iosephum ita sensisse: qui erant cæci cæcorum duces.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI SECUNDI

Caput XXII.

Interea Alchimus cum fœde Hierosolymam vastasset, moritur. Bacchides socio destitutus, ad regem redit. Dein post biennium rursus Bacchides bellum Iudæis intulit, victus pacem petit. Quæ propositis conditionibus data, si perfugas captivosque & omnia bello capta redderet. Dum hæc intra Iudæam geruntur, adolescens quidam Rhodi educatus, nomine Alexander, Antiochi se esse filium dictitans, (quod falsum erat) adjutus opibus Ptolemæi regis Alexandrini in Syriam cum exertitu venit: Demetrium bello superatum occidit cum regnasset annos XII. Hic Alexander, priusquam adversus Demetrium confligeret, fœdus cum Ionatha fecerat, eumque veste purpurea & insignibus regiis donaverat, ob quod eum Ionathas auxiliis juverat: victoque Demetrio, primus omnium congratulatum occurrerat. Neque postea Alexander datam fidem violavit. Ita quinquennio, quo rerum potitus est, res Iudæorum tranquillæ fuerunt. Igitur Demetrii filius. qui post mortem patris Cretam confugerat, hortante Lasthene Cretensium duce, regnum patrium bello repetens, impar viribus, Ptolemæum Philometorem regem Ægypti, Alexandri socerum, jam tum genero infestum, ut sibi sit auxilio, implorat. Ille verò non tam supplicis precibus, quam spe Syriæ occupandæ illectus, copias cum eo jungit: ac filiam Alexandro nuptam, dat Demetrio. Adversus hos Alexander acie confligit: eo prælio vincitur Ptolemæus, cadit Alexander. Vincitur Ptolemæus & paulò post interficitur, cum regnasset annos V. vel ut in plerisque authoribus reperi, novem. Demetrius regnum adeptus, Ionathan benignè habuit, fœdus cum eo fecit, Iudæos legibus suis reddidit. Interea Tryphon, qui partium Alexandri fuerat, præfectus Syriæ regno, eum bello prohibiturus, contra Ionathan in prælium descendit, terribilis XL. millium exercitu. Tryphon, ubi se imparem cernit, pacem simulat, receptumque in amicitiam, invitatumque Ptolemaidam, interfecit.

Drusius.

Interea Alchimus, Cum Foede Jerosolymam Vastasset, Moritur] 1. Machab. 9. 55. Josephus 12. 17. Hunc Alcimum à genere sacerdotali alienum fuisse scribit Eusebius quod dextrè capiendum. Nam γένος ἱερατικὸν posuit pro ἀρχιερατικὸν, id est pontificale. Sic ἱερεὺς pro ἀρχιερεὺς, & ἱερωσύνη pro ἀρχιερωσύνη. Notavi alias non semel.

In Locum Judæ Jonathan Fratrem Ejus Deligunt] Non statim à cæde Judæ, sed aliquammulto tempore post, cum se tota ferè regio Bacchidi tradidisset.

Quæ Propositis Conditionibus Data] Inter conditiones erat, neutrum arma moturum in alterum.

Perfugas Captivosque] Captivi utrinque redditi fuerunt. De transfugis reddendis nulla mentio, nec apud Josephum, nec in libris Macchabæorum.

Adolescens Quidam] Hoc accidit anno Græcorum, sive Seleucidarum, CLX.

Nomine Alexander] Alexander Balas sive Bales. Josepho dicitur Ballas, aliis ὁ Βαλᾶ, id est filius Balæ: quibusdam. De hoc Appianus in Syriacis, Adversus Demetrium exortus est quidam Alexander falso in Seleucidarum gentem sese inserens: quem Ptolemæus Ægypti rex fovebat odio Demetrii, atque ita conniventibus Ægyptiis Alexander Demetrium regno expulit. Qui postquam in exilio defunctus est, filius paterno nomine Demetrius regnum recepit, & quia vicit alienum à sua familia, Nicatorem Syri cognominaverunt, ut secundum post Seleucum à quo descenderunt reges Syriæ. Et Justinus lib. XXXV. *Antiochenses* adjuvantibus Ptolemæo rege Ægypti, & Attalo rege Asiæ, & Ariarathe Cappadociæ, bello à Demetrio lacessiti, subornant propalam quendam sortis extremæ juvenem, qui Syriæ regnum velut paternum armis repeteret, & nequid contumeliæ deesset, nomen ei Alexandro inditur, genitusque ab Antiocho rege dicitur. Tantum odium apud omnes Demetrii erat, ut æmulo ejus non vires regiæ tantum, verum etiam generis nobilitas consensu *omnium tribueretur.*

Antiochi] Epiphanis. Historia Machabæorum vocat filium Antiochi, quia videlicet habebatur pro filio ejus. Sic in Euangelio Ioseph appellatur pater Iesu. Sic etiam idola Dii nuncupantur.

Anno XII.] XI. habet Josephus. Vide antiquitates ejus 13. 5. in *fine.*

Foedus Cum Jonatha Fecerat] Cui etiam pontificatum detulit, anno quarto postquam occisus est Judas. Josephus loco citato, δεξάμενος δὲ τὴν ἐπιστολὴν ὁ Ἰωνάθης ἐνδύεται μὲν τὴν ἀρχιερατικὴν στολὴν, τῆς σκηνοπηγίας ἐνστάσης, μετ' ἔτη τέσσαρα ἢ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Ἰούδαν ἀποθανεῖν. Vide 1. Machab 10. 18. & deinceps.

Veste Purpurea] Quæ amicis regum dari solebat, unde purpuratorum nomen. In Josepho est στολὴν πορφυρᾶν.

Insignibus Regiis] In eodem, καὶ στέφανον χρύσεον: & coronam auream.

Ita Quinquennio Rerum Potitus Est] Alexander videlicet. Mox ait, *cum regnasset annos quinque.* Vide quæ scripsimus ad illum locum.

Rex

RES JUDÆORUM TRANQUILLÆ FUERUNT] 1. Machab. 9. 73. *& ceſſavit gladius ab Iſrael.* Quod pro eo habendum ac ſi dixiſſet; res eorum tranquillæ fuerunt, ſive quies eis fuit à bello.

IGITUR DEMETRII FILIUS] Hiſtoria poſcit ut legamus, *Demetrius filius.* Hic à Syris Nicanor ſive Nicator cognominabatur. Cauſam ſupra ex Appiano produximus.

HORTANTE LASTHENE] Sumpſit ex Joſepho. Vide illum Orig. Jud. lib. 13. cap. 8. Sed & Juſtinum lib. 34. Hujus Laſthenis, ſi me non fallit augurium, meminit prior Machabæorum cap. 11. verſu 31.

JAM TUM GENERO INFESTUM] Propter inſidias, quas ei ſtruxerat per Ammonium quendam. Ioſephus.

QUAM SPE SYRIÆ OCCUPANDÆ] 1. Machab. 11. 1. *querebat obtinere regnum Alexandri dolo, & addere illud regno ſuo.*

FILIAM] Cleopatram.

VINCITUR PTOLEMÆUS, CADIT ALEXANDER, &c.] Locum hunc ita interpolat ad hiſtoriæ fidem Sigonius, *vincitur Alexander, cadit Ptolemæus. Vincitur Alexander & paulò poſt interficitur.* Cui firmando conſequa verba, *cum regnaſſet annos quinque.* Quæ de Ptolemæo accipi nullo modo poſſunt.

CADIT PTOLEMÆUS] Non in prælio cecidit: ſed aliquot diebus poſt ex vulneribus in caput jacentis inflictis, cum equus, quo vehebatur barritu elephantis conſternatus, eum excuſſiſſet, extinctus eſt. Livius lib. 52. *Ptolemæus* in caput graviter vulneratus, inter curationem, dum oſſa medici terebrare contendunt, expiravit.

ET PAULO POST INTERFICITUR] à Zabelo Arabum dynaſta: ad quem fugerat: qui caput ejus miſit ad Ptolemæum, quod is ante mortem cum voluptate ſpectaſſe traditur.

ANNOS QUINQUE] Conſentit Ioſephus, non item Euſebius, qui annos decem ei tribuit, cum ſeptem menſibus.

REGNUM ADEPTUS] *Indeptus* eſt in Lutetiæ impreſſis: ceteri habent *adeptus.*

IUDÆOS LEGIBUS SUIS REDDIDIT] Non legibus, ſed immunitate donavit. Nam prius cum religione leges recuperaverant: tributa & vectigalia adhuc regibus Syriæ perſolvebant. Ea remiſit in gratiam Ionathæ Demetrius. Ioſephus lib. 13. cap. 8. & 1. Machab. 11. 28. Vide ſequentia.

TRYPHON, QUI PARTIUM ALEXANDRI FUERAT] Diodotus cognomento Trypho genere Apamenus Ioſephus lib. 13. 9. Diodotum etiam vocat Appianus, lib. 10. & Strabo lib. 14. Verba Appiani ſunt, *Nicator in expeditione Parthica captus vixit in Phraatæ regia, regis ſorore Rodogina ducta in matrimonium. Ceterum Syriæ regiam tum vacuam occupavit ſervus regum Diodotus, inducto Alexandro puero Alexandri Nothi ex Ptolemæi nata filio: quo mox ſublato ipſe regnare auſus eſt, aſcito ſibi novo Tryphonis nomine.* In Oroſio lib. 5. cap. 2. perperam Diodorus legitur pro Diodotus, Alexandrum filium autem dicit, quem Appianus Alexandrum puerum appellat. Nam duo erant, pater & filius. Quocirca nihil mutandum in his verbis, *Demetrio capto Diodotus quidam cum Alexandro filio regnum ejus & regium nomen uſurpavit: qui poſtea ipſum Alexandrum filium, quem participem periculi in pervadendo habuerat, ne in obtinendo conſortem haberet, occidit.*

TRYPHON] Vel Trypho, quod ita ſcribitur à Latinis ut Plato, Zeno, quæ Græcè τρύφων, πλάτων & Ζήνων ſcribuntur cum N. in fine. Ita talibus Latina conſuetudo locum habet potius, quam Græca.

Præfectus Syriæ Regno] Post hæc verba punctum esse ponendum admonuit nos Carolus Sigonius. Subintelligitur autem *erat*, aut aliquid tale. Quod fugit, non effugit. Supra ex Appiano Alexandri filium Alexandrum appellavimus. Id refellit prior Machabæorum. Nam in eo Antiochus nominatur, 1. Machab. 11. 54. Si rectè, tum legendum in Orosio, *Alexandri filio* & *Alexandri filium.*

Contra] Vicissim: adverbium est, non præpositio.

Terribilis xl. Millium Exercitus] 1. Machab. 12. 41. *Et exivit Ionathas obviam illi cum quadraginta millibus virorum electorum in prælium.*

Ptolemaidam] Potius Ptolemaidem, à recto Ptolemais. Dicitur & Tholemais: unde & Tholemaidenses. Quod historiam attinet, primum comprehendit eum, postea occidit Bascamæ una cum duobus filiis 1. Machab. 13. 23.

Schotanus.

JOs. lib. 13. cap. 1. Bacchides, intellecto, quod Hasidæi Jonathæ detulissent ducatum, per insidias eum tollere statuit. Sed id non latuit Jonathan & Simonem fratrem ejus: quamobrem in desertum urbi vicinum celeriter refugiunt, consederunt apud aquam lacus Asphar appellati. Bacchides, cognito, quod desperarent (ἀπεγνωκότας) & illo in loco essent, duxit in eos cum omnibus copiis & ultra Jordanem castris positis militem recipiebat. Jonathas, intelligens in se duci, fratrem Johannem Gaddin mittit ad Nabatæos Arabas, ut apud eos impedimenta deponeret, donec armis cum Bacchide decerneret. Erant enim amici. Euntem ex insidiis interceperunt Amaræi filii è Medaba, direptisque quæ ferebant, Johannem cum omnibus suis trucidant. Jonathanem in paludibus Jordanis castra habentem, observato sabbati die, tanquam non repugnaturum adoritur Bacchides. Sed Jonathan suos cohortatus, ostensoque discrimine, cum à fronte hostem, à tergo flumen esset, Deum etiam veneratus conserit manum. Multis hostium prostratis, videt Bacchiden in se ruere, in quem intentat manum: sed ictum declinat Bachides. Tum Ionathan cum suis desiliunt in flumen enatantque in adversam ripam. Nam Bacchides illis omissis revertitur in Acram Hierosolymorum, desideratis duobus milibus militum. Hinc multa Judææ oppida, eversa communiit; Hierichunta, Emmaun, Bethellam, Thamnatha, Pharatho, Tahoam, Gazara, turribus firmat, mœnibus cingit firmis & sublimibus: præsidia disponit: ut inde Judæos infestaret. Maxime munit arcem Hierosolymorum. Primorum etiam filios obsides, inclusos atci, tenuit. Ea tempestate nuntiatum est Ionathæ Amaræi filios, celebrare nuptias & adducere sponsam ab oppido Gabatha, filiam illustris cujusdam viri inter Arabas. Eamque puellam traducendam cum pompa, sumptuosa & splendida. Ionathan & Simon tempus & occasionem ultionis adesse rati, ad Medabam in insidiis se occulunt in monte, qua transeundum erat. Cum viderent ducentes sponsam & sponsum & amicorum, ut solet, turbam, coorti omnes interimunt, rapto mundo & reliqua præda. Ultio illa satis magna erat. Nam omnes cum uxoribus & liberis interfecerunt, non pauciores quadringentis. Hac re perfecta in paludes redeunt. Bacchides autem tota regione dispositis præsidiis ad regem suum rediit. Sic regio pacem habuit ferme biennio, quam prævaricatores turbarunt. Cum enim viderent Ionathanem cum suis secure in Iudæa versari, mittunt ad Demetrium rogantes Bacchidem remitti ad capiendum Ionathanem. Facilem enim rem

rem esse & una nocte omnes ex improviso posse opprimi. Remissus Bacchides scripsit omnibus amicis & fœderatis Judæis ut comprehenderent Ionathanem. Evasit omnes insidias omnium. Bacchides ideò iratus, quinquaginta exulum principes comprehensos tradit morti, ut qui se & regem decepissent. Ionathas cum fratre sociisque Bethalagam vicum in deserto discedit, quam turribus mœnibusque firmatam, curatissima custodia habuit. Bacchides hoc audito, sumpto exercitu suo & auxiliaribus Judæorum, ivit oppugnatum. Acri oppugnationi multorum dierum fortiter restitit Ionathan. Tum Simonem in urbe relinquit, ipse clam egressus in regionem, coacta magna manu suæ factionis hominum, noctu castra Bacchidis adoritur. Multisque interfectis invasio ejus cognita est Simoni: qui exit in hostem, incendit machinas, stragem facit. Bacchides videns se in medio interceptum, animo consternatus, re inopina, indignationem avertit in exules, ut qui fefellissent: unum cogitans, quo pacto ex dignitate obsidioni imposito fine, ad sua redire posset.

Autor 1. Maccab. cap. 9. v. 33. desertum, in quod refugit Ionathan cum suis, appellat desertum θεκωὲ, *Thecoë*. v. 35. filios Jambri vocat. v. 37. oppidum, è quo sponsa Nadabath, θυγατέρα ἑνὸς τῶν μεγιστάνων μεγάλων τῶν χαναάν. v. 38. occultant se ὑπὸ τὴν σκέπην τοῦ ὄρους. v. 39. Sponsus exiit cum tumultu & apparatu magno & amici ejus & fratres ejus in occursum eorum (Ionathæ & suorum) cum tympanis & musicis & armis multis. v. 40. Multi saucii cecidere, reliqui diffugiunt in montes. v. 43. Bacchides castra ponit circà Ionathanianos ἕως κρηπίδων τοῦ ἰορδάνου. v. 43. Ionathan excitans suos: ἰδοὺ γὰρ ὁ πόλεμος ἐξ ἐναντίας ἡμῶν καὶ ἐξόπισθεν ἡμῶν τὸ ὕδωρ τοῦ ἰορδάνου, ἔνθεν καὶ ἔνθεν καὶ ἕλος καὶ δρυμὸς, οὐκ ἔστι τόπος τοῦ ἐκκλῖναι. v. 49. E Bacchidis exercitu cecidisse ad viros mille. v. 50. urbes, quas munit Bacchides, τὸ ὀχύρωμα ἐν ἱεριχῷ, καὶ τὴν ἀμμαοὺμ καὶ τὴν βαιθωρὼν, καὶ τὴν βαιθὴλ, καὶ τὴν θαμναθὰ φαραθωνὶ καὶ τὴν τεφὼν ἐν τείχεσιν ὑψηλοῖς καὶ πύλαις καὶ μοχλοῖς. v. 52. Munit etiam Bæthsuram, (πόλιν ἐν βαιθσούρᾳ) Gazara & acram.

v. 54. 55. 56. Anno 153. (Anno M. 3790.) mense secundo jussit Alcimus dejici murum atrii sanctorum prophetarum interioris, dejecit opera prophetarum; incipiebat dejicere. Plaga affectus, obstructa voce è paralysi obiit. v. 57. Alcimo defuncto abiit Bacchides ad regem. Ita terra quievit biennio. v. 60. Bacchides à prævaricatoribus reductus, ut Ionathanem secure agentem per insidias opprimeret, clam misit epistolas, &c. 62. oppidum in deserto, quod munit Ionathan, appellat βαιθβασί. v. 66. Ionathan oppido obsesso egressus clam percussit Odoarren & fratres ipsius, καὶ τοὺς υἱοὺς φασιρὼν ἐν τῷ σκηνώματι αὐτῶν. v. 69. Bacchidem in obsidione pressum multos eorum, qui consilium dederant reditus in Judæam interfecisse.

Ios. lib. 13. cap. 2. Ionathas cognita Bacchidis voluntate misit ad eum legatos de amicitia & fœdere, utrimque reddendis captivis. Bacchides cupide arrepta occasione, pangit amicitiam (σπένδεται πρὸς τὸν ἰωνάθην φιλίαν) jure jurando interposito neutrum arma moturum in alterum: redditisque & receptis captivis, rediit Antiochiam ad regem: nec unquam posthac Iudæam repetiit. Ionathan verò hanc securitatem nactus & degens in Machmas, illic turbis jus dicebat (δικάζειν τὰ πράγματα 1. Maccab. 9. 73. κρίνειν τὸν λαόν) & nequam impiisque punitis, repurgabat gentem.

Alexander rex Syriæ.

JOſ. lib. 13. cap. 3. Anno 160. (M. C. 3797.) Alexander Antiochi Epiphanis filius, veniens in Syriam, occupat Ptolemaida, proditione præſidii. Oderant enim Demetrium ob ſuperbiam & moroſitatem (τὸ δυσέντευκτον) Incluſus enim regia quatuor turrium, quam conſtruxerat, haud procul Antiochia, neminem admittebat. omiſſa etiam reip. cura ſegnis & in otio. Hinc in omnium odio & comtemptu erat. Cum audiret de Alexandro, cum omnibus copiis in eum profectus eſt. 1. Maccabæorum ſcriptor Alexandrum appellat cognomine ἐπιφανῆ:

Joſephus lib, 13. Antiq. cap. 4. Miſit etiam Demetrius legatos ad Ionathanem de ſocietate & amicitia, prævenire Alexandrum cupiens, quia offenſas priores metuebat. Concedit ipſi cogere copias & parare arma & recipere obſides, quos Bachides arci Hieroſolymorum incluſerat. Cum hæc ad eum à Demetrio delata eſſent; Ionathas veniens Hieroſolyma, audientibus populo & præſidiariis arcis legit epiſtolam regis. Qua lecta impii & transfugæ, qui in arce erant, vehementer territi ſunt, quod rex Ionathæ permitteret exercitum colligere & obſides recipere. Sic reſtitutis obſidibus, Hieroſolymis ſedem fixit, multa in urbe renovans & ſuo arbitratu unum quodque conſtruens. Nam & mœnia juſſit exſtrui ſaxo quadrato, quo firmiora eſſent contra aſſultus hoſtium. Id cum animadverterent, qui caſtellis per Judæam præſidebant, relictis illis receperunt ſe Antiochiam, exceptis ſolis qui Bethſuram tenebant & arcam. Hi enim maxima parte, conſtabant impiis Judæis & transfugis. Ideo præſidia non reliquere. Autor primi Maccabæorum cap. 10. v. 11. Ionathan ædificat muros καὶ τὸ ὄρος Σιὼν κυκλόθεν ἐκ λίθων τετραγώνων εἰς ὀχύρωσιν. v. 12. ἀλλογενεῖς alienigenas ſcribit effugiſſe è caſtellis. 14. Πλὴν ἐν Βαιθσούρᾳ ὑπελείφθησάν τινες τῶν καταλιπόντων τὸν νόμον καὶ τὰ προστάγματα. ἦν γὰρ αὐτοῖς φυγαδευτήριον.

Joſ. lib. 13. cap. 5. Alexander audito, quæ Demetrius Ionathæ promiſerat, ſciensque fortitudinem viri & quæ adverſus Macedonas feciſſet quæque viciſſim paſſus eſſet à Demetrio ejusque præfecto Bacchide, dicebat amicis, meliorem ſe ſocium hoc tempore nullum poſſe habere: qui & fortis eſſet & infenſus Demetrio. Cum igitur ita viſum eſſet ipſi & amicis ſcribit hanc Epiſtolam: Rex Alexander Ionathæ fratri ſalutem. Quia jamdudum audivimus de fide tua & fortitudine, mittimus ad te de amicitia & ſocietate. Conſtituimus (χειροτονοῦμεν) te nunc pontificem Judæorum & amicum meum appellari. Miſi autem tibi dona, ſtolam purpuream & coronam auream & rogo honoratum te à nobis ſimilem nobis præſtare benevolentiam. Ionathas accepta epiſtola induit pontificalem ſtolam, in feſto Scenopegiæ, poſt quadriennium exactum à fratris obitu: quo tempore pontificatus vacaverat. Sic Joſephus, *ſed* autor primi Machabæorum, ut ſupra notavimus Alcimum vult obiiſſe *poſt* Judam, ad minimum, biennio. Ionathan pontifex cogit exercitum magnum & armorum æneorum multitudinem facit conflari. Demetrius doluit ſe non præveniſſe Alexandrum, cui ſpatium fecerat benignitatis & illecebrarum. Scribit tamen epiſtolam in hunc ſenſum: Rex Demetrius Ionathæ & genti Judæorum ſalutem. Quod ſervaſtis amicitiam ergâ nos, neque auſcultaſtis tentantibus vos hoſtibus noſtris, fidem veſtram laudo, & rogo ut ſitis conſtantes, dignam percepturi à nobis gratiam. I. Remittam enim vobis maximam tributorum φόρων καὶ συντάξεων) partem quæ ſolvebatis antehac mihi & regibus ante me. Et nunc vobis remitto tributa, quæ ſemper ſolebatis præſtare. Inſuperque ſalis

salis pretium & coronarum, quas solebatis afferre: & pro tertia fructuum & dimidia arborei fructus parte, quæ mihi debetur, vobis remitto, ab hoc die. Simulque quod in singula capita pendebatur, ab his, qui Judæam incolunt & tres Judææ adjacentes toparchias, Samariæ, Galilææ & Peræa (sine dubio vitiosum est), vobis concedo in perpetuum. II. Et urbem Hierosolymitanam sacram esse volo (ἱερὰν καὶ ἄσυλον) & liberam usque terminos à decima & vectigalibus. III. Arcem etiam permitto pontifici Ionathæ, ut quos sibi fidos & amicos existimaverit; in præsidio ejus constituat. IV. Eos quoque Judæos qui capti sunt & serviunt in nostra ditione liberos dimitto. Jubeo autem nec ad angarias adigi Judæorum jumenta. V. Sabbata & omnia festa & tres dies ante festum, immunitatem habeant. VI. Eodem modo & Judæos in mea ditione habitantes liberos & sine vexatione esse dimitto & volentibus mecum militare permitto, quod concessum sit usque ad numerum millium triginta. Eorundem autem, quocunque abierunt, participes erunt, quorum participant mei milites. Habebo autem eos, partim in præsidiis, partim in satellitio: & constituam principes in aula mea. VII. Permitto etiam eos patriis legibus vivere easque servare: καὶ τοῖς περὶ τῆς τετραμμένοις ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ νόμοις ὑποτάσσεσθαι βούλομαι. Gelenius: *utantur patriis legibus & ipsi & tres præfectura.* Rufinus: *Præcipio vero meis, vestris uti legibus easque custodire & tribubus propositis in Iudæa legibus obedire.* In Rufino legendum *tribus.* Locus corruptus sed significat tres præfecturas subiici Judæis, ut eodem jure regantur. Καὶ τοὺς τρεῖς νομοὺς τοὺς προσ. ἐν τῇ Ἰουδ. ν. ὑ. β. Superius etiam locus de tribus illis præfecturis corruptus est. VIII. Deinde jubet curæ esse Pontifici, ne quis Judæus aliud templum adeat præter Hierosolymitanum venerationis causa. IX. Do autem ex meis in sumptum sacrificiorum, quotannis centum quinquaginta millia. Superflua pecuniarum vestra esse volo. Illa autem decem millia drachmarum, quæ reges è templo capiebaut, vobis remitto, propterea quod sint sacerdotum ministrantium in templo. X. Et quicunque confugerint in templum Hierosolymis, quæque ad id pertinent, τὰ ὑπ' αὐτῷ χρηματίζοντα, sive debeant pecunias regias, aut aliam ob causam, dimittantur illi & quæ eorum sunt salva sint. XI. Permitto etiam ut reparetur templum, sumptibus de meo. XII. Et muros urbis concedo ædificari & celsas turres, idque de meo. XIII. Si quod etiam castellum sit, quod Judæorum regioni expediat munitum esse, id meis sumptibus construatur. Hæ literæ fuerunt & pollicitationes Demetrii. Cæterum Alexander contractis magnis copiis mercenariorum & eorum militum, qui e Syria affluxerant, in Demetrium ducit. Collatisque signis sinistrum cornu Demetrii hostes in fugam pellit & persequitur diu, occidit multos & castra diripit. Dexterum autem, in quo Demetrius erat succumbit. Reliquis effuse fugientibus, Demetrius fortiter pugnans. alios occidit, alios persequitur: ita equum impellit in cœnum profundum & transitu difficile; ubi prolapso equo, omni effugio destitutus, occiditur. Circumdatum enim corona, confixerunt jaculis, donec vulneribus confectus succubuit: anno regni undecimo.

Autor primi Maccabæorum cap. 10. v. 15. Alexander, auditis promissionibus, quas miserat Jonathæ Demetrius: cum narratum esset ipsi quæ bella quæque opera fortitudinis fecissent, quosque sustinuissent labores ipse & ejus fratres. Hæc causa impulsiva. v. 21. Induit Jonathan sacram stolam septimo mense anni 160. v. 28. Demetrii prima promissio: Ἀφήσομεν ὑμῖν ἀφέματα πολλὰ καὶ δώσομεν ὑμῖν δόματα. v. 30. Καὶ ἀντὶ τοῦ τρίτου τῆς σπορᾶς καὶ ἀντὶ τοῦ ἡμίσεος τοῦ καρποῦ τοῦ ξυλίνου τοῦ ἐπιβάλλοντός μοι λαβεῖν. Capitationem non expressit, sed expressit loca, quæ dimittebantur: καὶ ἀπὸ τῶν τριῶν νομῶν τῶν προστιθεμένων

αὐτῇ

αὐτῇ ἀπὸ τῆς Σαμαρείτιδος καὶ Γαλιλαίας. Josephus addit Περαίας. Significat tres toparchias hoc est nomos Samariæ & Galilææ adjectos fuisse Judææ v. 33. etiam pecorum tributa remissa omnibus, hoc Josephus exponit de angariis V. v. 24. Omnia festa sabbàta neomeniæ καὶ ἡμέραι ἀποδεδειγμέναι sine tributo & vexatione, triduum antecedens & subsequens. v. 36. Militantibus danda Xenia, ut reliquis militibus regis. v. 38. Tres nomi adjecti Judææ à Samaria, ut subessent pontifici nullique alii potestati v. 39. τὴν Πτολεμαΐδα καὶ τὴν προσχυροῦσαν αὐτῇ δέδωκα δόμα τοῖς ἁγίοις τοῖς ἐν Ἱερουσαλὴμ εἰς τὴν προσήκουσαν δαπάνην τοῖς ἁγίοις. v. 40. Annuatim quindecim millia siclorum argenti è rationibus regis. v. 41. Καὶ τὸ πλεονάζον ὃ οὐκ ἀπεδίδοσαν οἱ ἀπὸ τῶν χρειῶν. ὡς ἐν τοῖς πρώτοις ἔτεσιν ἀπὸ τοῦ νῦν δώσουσιν εἰς τὰ ἔργα τοῦ οἴκου. v. 41. Quinque millia siclorum argenti, quæ à templi usibus olim annuatim accepta remittit &c. Iudæi non auscultarunt Demetrio, ut memores malorum, quæ fecerat; Alexandro se adjunxerunt, quia ἀρχηγός fuerat sermonum pacificorum, illum adjuverunt toto tempore quo in regno fuit.

Demetrius regno excidit; quia & vicinis regibus & subditis erat invisus. Defecerunt ab eo Antiochenses, qui inita cum Oroferne pactione pellere eum regno nitebantur; Orofernem Demetrius re cognita, comprehensum Seleuciæ custodiri jubet. *Nec Antiochenses indicio territi à defectione destiterunt. Itaque adjuvantibus & Ptolemæo rege Ægypti & Attalo rege Asiæ & Ariarathe Cappadociæ, bello à Demetrio lacessiti, subornant propalam quendam, sortis extremæ juvenem, qui Syriæ regnum velut paternum armis repeteret: & ne quid contumeliæ deesset nomen ei Alexandri inditur, genitusque ab Antiocho rege dicitur. Tantum odii Demetrii apud omnes erat, ut æmulo ejus, non vires regiæ tantum, verum etiam generis nobilitas consensu omnium tribueretur. Igitur Alexander admirabili rerum varietate, pristinarum sordium oblitus, totius fermè orientis viribus succinctus, bellum Demetrio infert victumque vita pariter ac regno spoliat: quanquam nec Demetrio animus in propulsando bello defuit. Nam & primo prælio hostem fugavit & regibus bellum restituentibus, multa millia in acie cecidit. Ad postremum tamen invicto animo inter confertissimos fortissimè dimicans cecidit.* Hæc Justinus. Alexander iste cognomine Balas dictus est. Fuisse obscuræ originis nec Σελευκείου γένους consentiunt cum Justino Liviana epitome & Appianus; quamvis Josephus & 1. Maccabæorum autor Antiochi filium fuisse referant. Maccabæorum tamen autor appellat ἐπιφανῆ.

De templo Oniæ.

JOS. lib. 13. cap. 6. Onias Oniæ pontificis filius, qui profugus Alexandriæ degebat apud Ptolemæum Philometorem, præcisa omni spe aviti honoris recuperandi, quia Alcimus, pontificium obtinuerat translatum à sua familia, alia via dignitatem generis tueri statuit. Josephus dicit æternam sui memoriam posteris relinquere voluisse. Cum igitur videret Judæam à Macedonibus vastatam, petiit à Ptolemæo & regina Cleopatra per literas, ut sibi liceret instar Hierosolymitani templum ædificare in Ægypto, inque eo Levitas & sacerdotes instituere. Hoc consilium cepisse fretum loco Esaiæ, qui ante sexcentos amplius annos vaticinatus fuerat, fore omnino, ut in Ægypto conderetur templum Deo maximo ab homine Judæo. Locus Esaiæ est cap. XIX. v. 18. 19. 20. *Eo die quinque urbes in Ægypto erunt loquentes lingua Canaan & jurantes Dominum exercituum: Una appellabitur urbs desolationis. Eò die Dominus aram habebit in medio Ægypti: & signum erectum ad ejus terminum pro Domino. Et erit in signum & testimonium Domino in Ægypto* &c. Urbs desolationis in Hebræo עיר ההרס. Chaldæus interpre-

pretatur. Urbs Solis קרתא בית שמש, *Civitas Domus solis, quæ erit in desolatione.* Interpretatus est quasi per ה & ח simul legeretur. Imò potius templum Oniæ respexit, quod fuit in nomo Heliopolite, & fuit vastatum ante ævum ejus. Rasi notat quosdam magistrorum in tractatu Menahoth hanc aram explicare (דרשוהו) de ara domus Oniæ (בית חניו) filii Simeonis justi in Ægypto. Bene eam expositionem de eo genere esse scribit, quod vocant Dras. Miror Josephum dicere Esaiam de hoc templo vaticinatum esse in eo loco cum prævaricatio & perfidia fuerit, ipso Iosepho fatente, Esaias autem loquatur de facto laudabili. Deinde quod addit Esaiam prophetasse id faciendum per hominem Judæum, assumentum illius est, quod non est in Esaia. Quia Esaias prophetat quod ipsi Ægyptii facturi erant. Notandum, quod in versione τῶν ό, pro עיר ההרס posuerint Ἀσεδὲκ, quasi scriptum fuisset עיר הצדק. Sic data opera Alexandrini flectunt, ad scopum suum. Hieronymus & Symmachus etiam legerunt חרש. Scribit se cum in bello operam regibus navaret fuisse in Syria & Phœnice, venisse Leontopolin nomi Heliopolitæ cum Judæis & in alia loca gentis, & invenisse illic multos, qui templa haberent παρὰ τὸ καθῆκον, *præter decorum*, & ob id inter se essent animis alienis. Idem evenisse in Ægypto ob multitudinem templorum & discordiam cultus (Καὶ τὸ περὶ τὰς θρησκείας οὐχ ὁμόδοξον. Invenisse se locum in castro, quod appellaretur ἀγρίας Βουβάστεως, agrestis Dianæ, scatentem varia materia & plenum sacrorum animalium. Petere, ut sibi concedant purificare (ἱερὸν) templum (ἀδέσποτον) nulli sacratum numini & collapsum condere in (ναὸν) ædem Deo maximo, ad similitudinem Hierosolymitanæ eisdem mensuris, pro rege & regina & liberis (ὑπέρ τε σοῦ καὶ τῆς βασιλίσσης καὶ τῶν τέκνων) ut possint Ægyptum habitantes Judæi, convenientes in unum locum, secundum mutuam concordiam, regiis usibus inservere. Esaiam enim prophetam prædixisse, Ἔσται θυσιαστήριον κυρίῳ τῷ θεῷ. Et multa alia ejusmodi prophetasse παρὰ τὸν τόπον, in illum locum. Rex & regina, conjux & soror regis, per literas respondent: Se legisse literas, quibus permitti sibi postulet templum in Leontopoli præfecturæ Heliopolitanæ collapsum, appellatum agrestis Dianæ purgare. Ideo se mirari an possit Deo gratum esse templum condendum in impuro loco (ἀσελγεῖ) & pleno sacrorum animalium. Quia autem dicat id prædictum esse ab Esaia se concedere, si futurum sit secundum legem, ne ipsi videantur in Deum deliquisse. In his literis patentem pietatem regum meritò prædicat Josephus. Onias accepta potestate condidit Deo templum & altare, simile Hierosolymitano sed minus & pauperius. Josephus hic meminit se in libro septimo Haloseos de mensuris & vasis ejus scripsisse. Sane in eo libro scribit conditum id templum esse ab Onia Simonis filio, Antiocho rege bellum gerente cum Judæis, qui etiam hostis Ptolemæi erat. Oniam jactasse Judæos se Ptolemæo conciliaturum alienatos ab Antiocho, qui Hierosolymitanum vastaverat templum, cum Ptolemæus conderet. Vult igitur Antiocho Epiphane regnante structum esse: atqui supradictum Oniam Alcimo ad pontificatum evecto post Menelaum transfugisse in Ægyptum. Deinde non mox ædificasse cum veniret ad Ptolemæum sed postquam regibus aliquandiu navasset operam in bellis Syriacis & Ægyptiacis. Proinde rectè refertur ad annos regni Alexandri Balæ. Jam enim penitus decollaverat spes recipiendæ dignitatis avitæ, cum & Jonathas pontificatum obtinuisset. In libro septimo belli scribit Oniam apud regem ostendisse spem conciliandæ gentis Iudaicæ, quam abalienaverat Epiphanes destructo templo Hierosolymitano. Reges enim illi Ptolemæus Philometor & Antiochus Epiphanes inter se bellabant. Deinde scribit Iosephus: ὁ μὲν Ὀνίας ἐξ ὑγιοῦς γνώμης

 ταῦτα

ταῦτα ἔπραξεν, ἀλλ' ἦν αὐτῷ φιλονεικία πρὸς τοὺς ἐν Ἱεροσολύμοις Ἰουδαίους, ὀργὴν τῆς φυγῆς ἀπομνημονεύοντι. καίτοι τὸ ἱερὸν ἐνόμισε κατασκευάσας εἰς αὐτὸ περισπάσειν ἀπ' ἐκείνων τὸ πλῆθος. Locus ille erat centum & octoginta stadiis dissitus à Memphi: ubi in tractu Heliopolitano castellum Onion conditum est ab Onia & in eo templum: quod οὐχ ὅμοιον τῷ ἐν Ἱεροσολύμοις ἀλλὰ πύργῳ παραπλήσιον. Templum fuit sexaginta cubitorum altitudine, aræ structura imitabatur Hierosolymitanam, ornata similibus donariis: non fecit candelabrum. Αὐτὸν δὲ χαλκευσάμενος τὸν λύχνον χρυσοῦν ἐπιφαίνοντα σέλας, χρυσῆς ἁλύσεως ἐξεκρέμασε. Rufinus: *sed informatum aureum Lychnum tanquam jubaris luce radiantem, de aurea catena suspendit:* Quis hæc intelligat? τὸ δὲ τέμενος πᾶν, *spatium circa ædem cocto latere circumdatum est habente lapideas portas.* Concessit etiam rex multum agri modum, ad pecuniarum reditum ut sacerdotibus esset copia & Deo multa quæ ad cultum pertinent. Invenit Onias Iudæos quosdam sui similes & Levitas ac sacerdotes. Iudæorum magistri in tractatu Menahoth, eos rectè comparant cum sacerdotibus excelsorum.

Ios. lib. 13. cap. 6. Iudæi & Samaritæ Alexandrini, seditione colliduntur de templis suis sub isto Ptolemæo. Iudæis dicentibus templum Hierosolymitanum esse conditum juxta Mosis legem, Samaritis Garizitanum. Provocarunt ad regem, qui cum consessu amicorum de his audirent & victos causidicos morti adjudicarent. Patrocinabatur Samaritis Sabbæus cum Theodosio, Iudæis Andronicus Messalami. Iurant per Deum & regem, se probationes allaturum è lege, rogantque regem, ut quem transgredi deprehenderet, mulctaret morte. Rex igitur multis amicorum in consilium assumptis consedit, auditurus dicentes. Iudæi Alexandrini admodum soliciti erant pro viris qui laborabant pro templo Hierosolymorum, οἷς ἀγανακτεῖν συνέβαινε. ἀγανακτεῖν hic significat *laborare.* Ægre ferentes si illud templum antiquum & illustrissimum quidam destructuri essent: id est ejus autoritatem convulsuri: καταλύσουσι. Cum Sabbæus & Theodosius concessissent Andronico ut prior diceret, orsus à lege & successionibus pontificum, quorum filius à patre dignitatem susceperat, deinde docuit omnes Asiæ reges id coluisse anathematis & insignibus donis. Templi in Garizin, ut quod nondum esset, neminem habuisse rationem. His & similibus multis argumentis persuasit regi, ut judicaret, templum Hierosolymitanum conditum esse juxta legem Mosis, & Sabbæum Theodosiumque morti.

Josephus lib. 13. cap. 7. Cæso in pugna Demetrio occupatoque Syriæ regno Alexander scribit Philometori, deposcens filiam ejus sibi nuptui dari. Nam paternum regnum receptum & Demetrium victum ostendebat, quo non indignus affinitate videretur. Ptolemæus postulato admisso rescribit veniret Ptolemaida, quo filiam adducere pater ipse vellet & tradere in manum. Subsecutus deinde literas venit ad constitutum locum cum Cleopatra filia repertoque illic Alexandro eam conjunxit: addita in dotem auri & argenti summa, quanta tam potentem regem decuit. Ad nuptias Alexander vocat Jonathanem per literas Ptolemaida. Qui cum venisset ad reges & amplis utrumque muneribus donasset, ab utroque in magno honore habitus est. Nam Alexander mutare eum vestem coëgit & purpuratum assidere sibi pro tribunali: mandavitque suis ducibus ut in medium urbis cum eo progressi, præconis voce edicerent, Nemini licere accusationem contra eum instituere aut in ulla re illi exhibere negotium. Quo facto, cum manifestum esset, quanti eum rex faceret, adversarii qui ad accusandum parati & inimici erant, subduxerunt se, ne & aliquid mali eveniret. Tanta autem benevolentia rex Alexander usus est erga Ionathanem, ut eum adscriberet primum amicorum.

Autor

Autor 1. Maccab. cap. 10. ſcribit iſta eveniſſe anno 162. (3799.) In literis Alexandri ad Ptolemæum addit, *καὶ ἐπιγαμβρεύσω σοι καὶ δώσω σοὶ δόματα καὶ αὐτῇ ἄξιά σου.* Illud ἐπιγαμβρεύω ſignificat *generum fieri & ſocerum: affinitatem jungere.* v. 60. Ionathanem dediſſe aurum & argentum & dona multa regibus & amicis eorum. v. 61. Viros nefarios ex Iſraël adverſus Ionathanem adiiſſe regem, qui non dederit aures calumniis ſed id quod narrat Ioſephus fecerit proclamari.

Ioſephus lib. 13. cap. 8. Anno 165. (M. C. 3802.) Demetrius Demetrii filius, accepta magna manu mercenariorum à Laſthene Cretenſi, è Creta navigat in Ciliciam. Cujus rei nuntio Alexander vehementer turbatur: & mox è Phœnice properavit Antiochiam, ut illic res ante Demetrii adventum in tuto conſtitueret: interim Cæle Syriæ præpoſito Apollonio Davo. Is profectus Iamniam cum magnis copiis, miſit ad Jonathanem ſummum pontificem: rem indignam dicens, Eum ſolum (ἐπ' ἀδείας) ſecurum agere & cum poteſtate, non ſubjectum regis imperio: & ſibi apud omnes dedecori, quod eum non ſubjeciſſet regi. Ne igitur ſe ſedens in montibus decipiat, quaſi alicujus roboris eſſet. Si ſuis viribus confideret, deſcendere in campum jubet, & decernere cum copiis, ut exitus oſtenderet fortiorem. Sciat tamen fortiſſimos cujusque urbis ſecum militare: qui ejus majores ſemper vicerint. Provocare autem ſe eum ad certamen in loco, ubi armis non ſaxis pugnandum ſit & in quo nullum victis refugium. His verbis irritatus Jonathan, delectis decem millibus militum, exit Hieroſolymis cum fratre Simone: & cum perveniſſet Ioppen extra urbem caſtra ponit, excluſus ab oppidanis, quia præſidium Apollonii intus habebant. Ionathane autem obſidionem parante, veriti oppidani ne per vim expugnarentur portas ei aperiunt. Apollonius audiens Ioppen occupatam à Ionathane, aſſumptis tribus equitum, octo peditum millibus Azotum venit, & inde profectus lento gradu iter faciebat. Progreſſusque Ioppen, retrocedendo trahit Jonathanem in campum, fretus equitatu (τῇ ἵππῳ καταφρονῶν) inque eo victoriæ ſpem collocans. Prodiens Ionathan perſequebatur Apollonium, Azotum verſus. Ille autem ubi hoſtis in campum proceſſerat, convertens ſe in pugnam miſcetur. Cumque mille equites in inſidiis poſiti fuiſſent in quodam torrente, ut ſe Judæis à tergo objicerent, Ionathan id ſentiens non eſt territus: ſed inſtructa in laterculi formam acie, hortatur ſuos ut utrinque pugnarent in hoſtem à fronte & à tergo adorientibus oppoſiti. Cumque prælium uſque veſperam protraheretur data parte exercitus Simoni fratri, juſſit hunc cum hoſtium phalange confligere: ipſe vero mandavit ſuis, ut objectis ſcutis ſe munientes ſagittas equitum exciperent. Quo facto hoſtium equites, immiſſis ſagittis donec exhaurirentur, nihil eos læſere. Jactæ enim non penetrabant ad corpora ſed in ſepimentum junctis ſcutis à denſitate, repulſæ, in irritum cadebant (*ἐκαρτερεῖτο καὶ ἀπράκτως ἐφέρετο*) ubi vero defatigati erant à manè ad ſeram veſperam jaculati, Simon feſſos eſſe intelligens, phalangem aggreditur & militibus ſuis promptiſſimè pugnantibus hoſtem coëgit fugere. Quo viſo equites nec ipſi locum ſuum tenuerunt ſed feſſi diutina jaculatione & everſa ſpe peditum nullo ordine & confuſe fugiunt, diſſipati per totam planitiem. Perſequens eos Ionathan uſq; Azotum, multisque interfectis, reliquos deſperata ſalute coëgit fugere in templum Dagonis, quod Azoti erat, qua eodem impetu capta, ipſam & circumvicinos vicos incendit. Ne quidem Dagonis templo abſtinuit, ſed & hoc incendit & qui in id confugerant, igni abſumpſit. Totus autem numerus cæſorum in prælio & combuſtorum fuit octo millia hoſtium. Victis igitur hiſce copiis Azoto profectus Aſcalonem venit: & cum extra urbem caſtra poſuiſſet, accedunt

Ascalonitæ cum muneribus (ξενίοις) & honoris delatione. ὁ δὲ ἀποδεξάμενος αὐτοὺς τὴν προαίρεσιν, Is autem collaudata eorum voluntate, multam prædam trahens rediit Hierosolyma. Cæterum Alexander audita clade Apollonii simulabat se lætari, quia amicum & fœderatum præter suam voluntatem bello petisset: Dat ei testimonium laudis & præmia & honores, auream fibulam quæ cognatis regis dari solebat. Tum Accaronem & ejus toparcham possidendam ei in perpetuum concedit. Lib. 1. Machab. cap. 10. v. 72. ὅτι δὶς ἐτροπώθησαν οἱ πατέρες σου ἐν τῇ γῇ αὐτῶν, pro quo Josephus: Καὶ γὰρ δὴ τοὺς σοὺς προγόνους ἀεὶ νικῶντές εἰσιν ἔτι. v. 77. Apollonium venisse εἰς Ἄζωτον ὡς διοδεύοντα &c. Locus obscurus sed Josephus mentem explicat. 80. τὰς σχίζας, quod Iosephus τὰ βέλη. v. 89. εἰς κληροδοσίαν Jos. εἰς κληρουχίαν.

Josephus lib. 13. cap. 8. Per idem tempus rex Ptolemæus Philometor venit in Syriam cum navalibus & terrestribus copiis opem laturus Alexandro genero: quem Alexandri jussu civitates alacriter exceptum deducunt usque Azotum: ubi omnium clamoribus obtunditur de cremato templo Dagonis. Accusabant Ionathanem, qui id exterminasset (ἀφανίσαντος) regionem flammis vastasset (τὴν χώραν πυρπολήσαντος) multosque occidisset. Ptolemæus ad ista nihil fecit. Ionathan autem ad Ioppen regi occurrit exceptus muneribus splendidis & omni honore. Hinc deducto eo usque ad flumen Eleutherum rediit Hierosolyma. At Ptolemæus Ptolemaide præter omnem opinionem pene interiit Alexandri insidiis per Ammonium amicum ejus appetitus. Insidiis detectis scribit Ptolemæus Alexandro, deposcens Ammonium ad supplicium: qui cum non dederetur, intellexit ipsum Alexandrum insidiarum fuisse autorem: & cœpit eum magno odio prosequi. Antiochenses autem jam antea propter Ammonium infensos habebat, à quo plurimis affecti fuerant incommodis. Dignum supplicium tamen tulit Ammonius, cæsus ut mulier, dum in amictu fœmineo latebras quærit. Ptolemæus igitur affinitatem & amicitiam cum Alexandro dissolvit. Nam abstracta filia mittit ad Demetrium de amicitiæ & societate, his conditionibus ut data ipsi in matrimonium filia in paternum regnum eum restitueret: quod ille cupide amplectitur. Unus autem labor Ptolemæo reliquus erat Antiochensibus persuadere ut Demetrium reciperent, infensis & alienatis ob patris injurias. Perfecit tamen. Nam Alexandrum exosum urbe ejiciunt recepto Ptolemæo: quem & cives & exercitus regem consalutant, coguntque duo sibi diademata imponere, unum Asiæ, alterum Ægypti. At Ptolemæus mitis natura & justus veritus etiam invidiam Romanorum, vocata concione, persuadet Antiochensibus recipere Demetrium, quem non esse recordaturum, injuriarum patris, his beneficiis delinitum se quoque magistro & inspectore spondet: Se enim contentum esse Ægypti regno. Alexander elapsus Antiochia venerat in Ciliciam ubi valido exercitu comparato in Syriam ingressus; Antiochenum agrum populationibus & incendiis vastat. Ptolemæus cum genero Demetrio, factis jam nuptiis occurentes prælio vincunt. Alexander profugit in Arabiam: Ptolemæus graviter sauciatus fuit. Nam in prælio equus illius barritu elephanti territus Ptolemæum forte excusserat, quem hostes circumsistentes cædunt: abripiunt autem satellites sui, sed è capitis vulneribus lethalibus toto quatriduo nec loqui potuit nec mentis compos erat. Zabdielus Arabum dynasta amputatum caput Alexandri Ptolemæo misit: qui quinto die respirans è vulneribus & reddita mente jucondissimo rumore & spectaculo mortem simul & caput Alexandri audiit & spectavit. Καὶ μετ᾽ οὐ πολὺ πλησθεὶς τῆς ἐπ᾽ Ἀλεξάνδρῳ τεθνηκότι χαρᾶς καὶ αὐτὸς κατέστρεψε τὸν βίον. Vindictæ igitur cupido & ira in Alexandrum hæsit illi usque ad extremum vitæ halitum.

Autor

Autor primi Maccabæorum cap. XI. longè aliter narrat hiſtoriam hujus belli. Ptolemæum enim coactis copiis numeroſis (ὡς τὴν ἄμμον τὴν περὶ τὸ χεῖλος τῆς θαλάσσης) quæſiviſſe Alexandri regnum occupare dolo & ſuo adjungere. Receptum eſſe amice & honorifice ab urbibus, quia ſic Alexander præceperat. In urbibus poſuiſſe præſidia & urbium omnium potitum eſſe uſque ad Seleuciam maritimam. Pravas molitiones machinatum eſſe adverſus Alexandrum, καὶ διελογίζετο λογισμοὺς πονηρούς. Miſiſſe ad Demetrium, dicentem, quod Alexander ipſum quæſiverit interficere. Καὶ ἐψόγισεν αὐτὸν χάριν τοῦ ἐπιθυμῆσαι αὐτὸν τῆς βασιλείας αὐτοῦ. Alexandrum abſentem fuiſſe in Cilicia defectionibus reſtituendis, cum Ptolemæus Antiochiam venit, & diadema ſumpſit. Id cum audiſſet Alexander, bello in eum veniſſe. v. 18. Καὶ ὁ βασιλεὺς Πτολεμαῖος ἀπέθανεν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ (poſt prælium vel miſſum caput Alexandri) καὶ οἱ ὄντες ἐν τοῖς ὀχυρώμασιν ἀπώλοντο ὑπὸ τῶν ἐν τοῖς ὀχυρώμασι.

Alexander regnavit quinquennio. Anno enim centeſimo ſexageſimo ſeptimo (M. C. 3804.) ſublato Alexandro Demetrius junior cæpit regnare. De Alexandri Valæ (Βάλλαν vocat Ioſephus) interitu Juſtinus in hunc modum: *Initio belli Demetrius duos filios apud Gnidium hoſpitem ſuum, cum magno auri pondere commendaverat, ut belli periculis eximerentur & ſi ita fors tuliſſet, paternæ ultioni ſervarentur. Ex his major Demetrius annos pubertatis egreſſus audita Alexandri luxuria, quem inſperatæ opes & alienæ felicitatis ornamenta, velut captum, inter ſcortorum greges, deſidem in regia tenebant, auxiliaribus Cretenſibus ſecurum ac nihil hoſtile metuentem aggreditur. Antiochenſes quoque veterem patris offenſam novis meritis correcturi ſe ei tradunt: ſed & milites paterno favore juvenis accenſi, prioris ſacramenti religionem novi regis ſuperbiæ præferentes, ſigna ad Demetrium transferunt: atque ita Alexander non minori impetu fortunæ deſtructus, quam elatus, primo prælio victus interficitur: deditque pœnas & Demetrio, quem occiderat & Antiocho, cujus mentitus originem fuerat.*

Ioſephus lib. 13. cap. 8. Demetrius oblitus beneficii & affinitatis, cæpit affligere Ptolemæi milites (τὸ στρατιωτικὸν) qui fugientes ejus improbitatem abierunt Alexandriam elephantis in ejus poteſtate relictis. Interim Ionathan coactis è tota Judæa copiis obſidet acram, in qua Macedonicum præſidium & quidam deſertorum. Hi primum conatus Ionathæ contemnebant, confiſi loco, deinde quidam per noctem elapſi Demetrio rem aperiunt. Is, aſſumpto exercitu ibat Antiochia in Ionathanem uſque Ptolemaida. Huc eum per literas evocat. Ionathan obſidionem non ſolvit ſed cum ſenioribus populi & ſacerdotibus deferens aurum, argentum, veſtes & multitudinem donorum venit ad Demetrium: quem ita donis demulcet, ut ab illo honoratus ſit firmato ſummo ſacerdotio, ſic ut à regibus ante eum poſſederat. Accuſatoribus ejus transfugis non habuit fidem. Petiit etiam Ionathan ut Judæam (ἀφορολόγητον) immunem à tributis faceret cum tribus toparchiis, pro quo ſe daturum eſſe pollicetur talenta trecenta. Maccabæorum primi libri autor τρεῖς τοπαρχίας καὶ τὴν Σαμαρεῖτιν, Ioſephus ut pro Judæa omni & tribus toparchiis, Samariæ, Ioppes & Galilææ vectigal ſolvat trecentorum talentorum. *Regia literæ ad Ionathanem:*

Ioſephus aliquantum immutavit:

Βασιλεὺς Δημήτριος Ἰωνάθαν (Ioſ. Γωνάθῃ) τῷ ἀδελφῷ χαίρειν καὶ ἔθνει Ἰουδαίων. Τὸ ἀντίγραφον τῆς ἐπιστολῆς, ἧς ἐγράψαμεν (Ioſ. ἔγραψα) Λασθένει τῷ συγγενεῖ ἡμῶν περὶ ὑμῶν (Hæc non ſunt in Ioſepho) γεγράφαμεν καὶ πρὸς ὑμᾶς ὅπως εἰδῆτε (Ioſ. ἀπεστάλκαμεν (f. ἐπ.) ὑμῖν ἵν' εἰδῆτε) Βασιλεὺς Δημήτριος Λασθένει τῷ πατρὶ χαίρειν.

χαίρειν. τῷ ἔθνει τῶν Ἰουδαίων φίλοις ἡμῶν (Ios. φίλῳ ὄντι) καὶ συντηροῦσι τὰ πρὸς ἡμᾶς δίκαια (Ios. τὰ δίκαια πρὸς ἡμᾶς φυλάττοντι) ἐκρίναμεν ἀγαθοποιῆσαι χάριν τῆς ἐξ αὐτῶν εὐνοίας πρὸς ἡμᾶς (Ios. τῆς εὐνοίας ἔκρινα χάριν παρέχειν) Ἐστάκαμεν οὖν αὐτοῖς τά τε ὅρια τῆς Ἰουδαίας καὶ τοὺς τρεῖς νομοὺς, Ἀφαίρεμα καὶ Λύδδαν καὶ Ραμαθέμ, ἅτινες προσετέθησαν τῇ Ἰουδαίᾳ ἀπὸ τῆς Σαμαρείτιδος, καὶ πάντα τὰ συγκυροῦντα αὐτοῖς, πᾶσι τοῖς θυσιάζουσιν εἰς Ἱεροσόλυμα, ἀντὶ τῶν βασιλικῶν ὧν ἐλάμβανεν ὁ βασιλεὺς παρ' αὐτῶν τὸ πρότερον καθ' ἐνιαυτὸν ἀπὸ τῶν γεννημάτων τῆς γῆς καὶ ἀπὸ τῶν ἀκροδρύων. Ios. * * καὶ τοὺς τρεῖς νομοὺς Ἀφερειμὰ καὶ Λύδδα καὶ Ῥαμαθα, οἱ τῇ Ἰουδαίᾳ προσετέθησαν ἀπὸ τῆς Σαμαρείτιδος καὶ τὰ προσκυροῦντα τούτοις, ἔτι τε ὅσα παρὰ τῶν θυόντων ἐν Ἱεροσολύμοις ἐλάμβανον οἱ πρὸ ἐμοῦ βασιλεῖς καὶ ὅσα ἀπὸ τῶν καρπῶν τῆς γῆς καὶ τῶν φυτῶν.

v. 35 Καὶ τὰ ἄλλα τὰ ἀνήκοντα ἡμῖν ἀπὸ τοῦ νῦν τῶν δεκατῶν καὶ τῶν τελῶν τῶν ἀνηκόντων ἡμῖν καὶ τὰς τοῦ ἁλὸς λίμνας καὶ τοὺς ἀνήκοντας ἡμῖν στεφάνους, πάντα ἐπαρκῶς παρίεμεν αὐτοῖς. Ios. Καὶ τἆλλα τὰ προσήκοντα ὑμῖν καὶ τὰς λίμνας τῶν ἁλῶν καὶ τοὺς κομιζομένους ὑμῖν (ἡμῖν) στεφάνους ἀφίημι αὐτοῖς.

v. 36. Καὶ οὐκ ἀθετηθήσεται οὐδὲ ἓν τούτων ἀπὸ τοῦ νῦν καὶ εἰς ἅπαντα χρόνον. Ios. Καὶ οὐδὲν παραβιασθήσεται τούτων ἀπὸ τοῦ νῦν, οὐδ' εἰς τὸν ἐπιόντα χρόνον.

v. 37. Νῦν οὖν ἐπιμέλεσθε τοῦ ποιῆσαι τούτων ἀντίγραφον καὶ δοθήτω Ἰωνάθαν καὶ τεθήτω ἐν τῷ ὄρει τῷ ἁγίῳ ἐν τόπῳ ἐπισήμῳ. Ios. Φρόντισον οὖν ἵνα τούτων ἀντίγραφα γένηται καὶ δοθῇ Ἰωνάθῃ, καὶ ἐν ἐπισήμῳ τόπῳ τοῦ ἁγίου ἱεροῦ τεθῇ.

Ex his apparet, ut Iosephus purioris Græcitatis studiosus fuerit.

Demetrius videns omnia esse in alta pace sine metu & periculo belli, dissolvit exercitum (στρατιὰν non στρατείαν) minuitque stipendia. Solis exteris solvebat mercedem (ξενολογηθέντων) quos è Creta aliisque insulis adduxerat. Id illi odium creat apud milites, quibus ille nihil præbebat cum superiores reges in pace similiter præbuissent, ut alacriores haberent, & in subeundis certaminibus, ubi opus esset, promptos.

Josephus lib. 13. cap. 9. Cum alienationem illam militum à Demetrio Alexandri dux Diodotus (qui & Tryphon) Apamenus intelligeret, advolat ad Malchum Arabem, qui filium Alexandri educabat. Huic nomen erat Antiochus. Quem poscit ab eo, ut constituturus regem, occasione odii militum in Demetrium. Arabs per diffidentiam longo tempore reluctatus tandem se persuaderi patitur. Intereà Jonathas pontifex, præsidiarios & transfugas ex Acra & omnibus Judææ castellis tollere cupiens missis legatis & muneribus ad Demetrium id rogabat. Ille non hoc tantum sed & majora se facturum pollicetur, belli quod imminebat levatus negotiis. Petebat autem ut ipse pro jure amicitiæ mitteret auxilia, quia milites sui defecerant. Misit Jonathan tria millia selectorum militum. Antiochenses infensi Demetrio, ob illius & patris injurias, oportunum insurgendi tempus operiebantur, cumque viderent adesse auxilia à Jonathane & plura contrahi arbitrati, nisi præoccupetur, raptis armis circumsidentes regiam, obsessisque aditibus, conabantur regem in potestatem suam redigere. Qui videns populum armatum hostiliter se impetere, assumpto mercenario milite & Judæis auxiliaribus conflixit cum Antiochensibus & superatus est numero (πολλαὶ γὰρ μυριάδες ἦσαν) Judæi animadvertentes, quod Antiocheni essent superiores, ascenso tecto regiæ, inde feriebant: quod cum tutò facerent propter loci altitudinem, facile repulerunt populum à propinquis ædibus: quibus mox injecto igne, flamma totam pervagata urbem, ut frequentem tectis, quæ è ligno erant, universam depascitur. Antiochenses vero cum non possent succurrere nec ignem vincere vertuntur in fugam. Tum Judæis transsilientibus è tecto in tectum & hoc modo persequentibus, mirabilis

bilis fuit insectatio. Rex autem animadvertens Antiochenses intermisso prælio, servandis liberis & conjugibus occupari, per alios angiportus in eos irruit: multisque cæsis coëgit abjicere arma & tradere se regi. Concessa igitur audaciæ venia, seditionem compescuit: donatosque Judæos spoliis & gratiis actis, ut salutis & victoriæ autoribus, remisit ad Jonathanem, cum testimonio auxilii egregie præstiti.

Autor primi Maccab. cap. XI. v. 39. ἰμαλκουαὶ τὸν Ἄραβα. v. 45. scribit Antiochensium in ista seditione coiisse δώδεκα μυριάδας, centum viginti millia. v. 46. Fugit rex in aulam. v. 47. Judæos advocatos in auxilium, pervagatos urbem esse & interemisse centum millia eo die. v. 48. Incensa urbe ingentem pr.xdam rapuisse. Tandem clamasse ad regem abjectis armis: Δὸς ἡμῖν δεξιὰς καὶ παυσάσθωσαν οἱ ἰουδαῖοι πολεμοῦντες ἡμᾶς καὶ τὴν πόλιν.

Josephus lib. 13. cap. 9. Hujus beneficii & pollicitorum Demetrius immemor, minatur Ionathani bellum, nisi redderet tributa omnia, quæ Judæorum gens solita erat prioribus regibus pendere. Hanc molitionem interrupit Tryphon Apamenus, qui reversus ex Arabia in Syriam cum Antiocho adolescente, imponit ei diadema & deficiente ad eum toto exercitu, bellum infert Demetrio: quem prælio victum captisque elephantis & Antiochia, compulit in Ciliciam recedere. Antiochus mox (tantum momentum erat in accessione Judæorum) missis literis ad Ionathanem legatisque, solita offert, pontificatum sancit, quatuor præfecturas, attributas Judææ, concedit: deinde aurea vasa, poculaque & purpuream vestem, ut illis utendi potestatem haberet: donat etiam auream fibulam, utque inter primos amicos haberetur. Fratrem ejus Simonem præsidem constituit militum, inter Tyrum & Ægyptum. Ionathan his lætus, missis legatis ad Antiochum & Tryphonem, addicit amicitiam & societatem, seque cum ipso arma juncturum adversus Demetrium, qui ipsi pro beneficiis indignam gratiam præstitisset. Concedente igitur Antiocho ut copias colligeret è Syria & Phœnice mox urbes adit. Syriæ urbes eum pronis animis excipiunt, sed exercitum non dedere. Hinc ad se profectis cum donis & honorifice occurrunt Ascalonitæ. Hos & unamquamque urbium Syriæ Cæles hortabatur, relicto Demetrio ad Antiochum, deficere, & junctis armis à Demetrio commissorum in se pœnas exigere: cujus rei multas habeant causas. Quibus persuasis ut auxilia pollicerentur Gazam accedit. Gazenses portas clausere: quia Demetrio relicto, accedere Antiocho nollent. At obsidione & agrorum populatione coacti, cum nullum à Demetrio veniret auxilium, legatis missis amicitiam & societatem armorum pollicentur. Acceptis obsidibus & Hierosolyma missis totam regionem Damascum usque peragrat. Demetrius Cedasam, oppidum in Tyri & Galilææ finibus adoritur, quo Ionathanem è Syria abstraheret. Nam Galilæi sub Ionathane erant. Ionathan relicto in Judæa Simone obviam it Demetrio. Interim Simon copiis, quantas poterat, coactis Bethsuram obsidet, præsidio Demetrii infestam: quam aggeribus excitatis & machinis adhibitis & opera, quæ solet, fide data abeundi præsidiariis, in potestatem redigit, suoque præsidio munit. Ionathan primis castris ad aquam Gennesara consedit, inde contendit ad campum Asor, ignorans illic hostes esse. Qui cum ante unum diem præsensissent adventum Ionathanis, insidiis in monte dispositis, cum toto exercitu in campum occurrunt. Ionathan conspicatus paratos ad præsidium & ipse aciem ordinat: sed cum à tergo insidiatores apparerent veriti ne in medio interciperentur, in fugam se dederunt. Alii omnes Ionathanem reliquere, paucis sustinentibus, numero fere quinquaginta cum Matthia Absalomi & Juda Chapsæi, totius exercitus, ducto-

ductoribus: qui audacter & cum desperatione illati in hostes, audentia percutere & manibus vertere in fugam. Tum militum Ionathanis, qui retrocesserant, videntes inclinatam hostium aciem, collecti è fuga, incubuere in persecutionem usque Cedasa, ubi castra hostium erant. Ionathan victoria potitus & cæsis duobus hostium millibus redit Hierosolyma. Primi Maccabæorum scriptor (Cap. XI.) narrat omnes copias, quas dispersérat Demetrius, coiisse ad Antiochum. Tryphonem accepisse belluas & occupasse Antiochiam. Antiochi literæ ad Ionathanem: ἵστημί σοι τὴν ἀρχιερωσύνην καὶ καθίστημί σε ἐπὶ τῶν τεσσάρων νομῶν, καὶ εἶναί σε τῶν φίλων τοῦ βασιλέως. Misisse ipsi χρυσώματα καὶ διακονίαν: dedisse ipsi potestatem bibendi ex aureis vasis & vestiri purpura & habere auream fibulam. Ad Ionathanem congregatas esse omnes copias Syriæ εἰς συμμαχίαν. Gaza exclusus obsedit eam, καὶ ἐνεπύρισε τὰ περίχωρα &c. Dedit ipsis dexteras quod ubique fidei symbolum. Audivit duces Demetrii in Cades esse βουλόμενοι μεταστῆσαι αὐτὸν τῆς χρείας. v. 67. παρενέβαλον ἐπὶ τὸ ὕδωρ γεννησὰρ καὶ ὤρθρισαν τοπρωΐ εἰς τὸ πεδίον Νασώρ. Neminem substitisse in illa fuga apud Ionathanem, nisi Mattathiam Abessalomi & Judam Chalphi: Ionathanem lacerasse vestem, imposuisse terram capiti & precatum esse. Ter mille viros hostium eo die cecidisse.

Josephus lib. 13. cap. 9. Ionathan videns omnia, benignitate Dei, ex voto sibi fluere, Romam legatos mittit, de renovanda amicitia, quibus in mandatis datum ut in revertendo obiter inviserent Lacedæmonios, eosque cognationis admonerent atque fœderis, Qui postquam Romam venerunt, ingressi in senatum expositis mandatisque, quæ à Ionathane summo pontifice habebant, ut missi essent ad confirmandum societatem, obtinuerunt ut Senatus ratum haberet, quod prius erat decretum de Judæorum amicitia & literas daret ad omnes Asiæ & Europæ reges & civitatum magistratus deferendas, ut tutò pervenirent. In reditu Spartam adeuntes literas Ionathanis tradunt. Autor primi Maccabæorum (Cap. XII.) dicit ad Romanos & Spartiatas non tantum sed & alia loca similiter scriptum esse à Ionathane. Deinde non commemorat quod Senatus Romanus scripserit ad reges & magistratus Asiæ & Europæ, nisi ut deducerent legatos. Ionathanis epistola ad Spartiatas, in qua inserit epistolam olim ab Ario rege Lacedæmoniorum missam, habetur apud istum autorem à v. 6. ad 24. Inscriptio epistolæ apud Josephum est, Ἀρχιερεὺς Ἰωνάθης τοῦ ἔθνους τῶν Ἰουδαίων καὶ ἡ γερουσία καὶ τὸ κοινὸν τῶν Ἰουδαίων Λακεδαιμονίων ἐφόροις καὶ γερουσίᾳ καὶ δήμῳ τοῖς ἀδελφοῖς χαίρειν: apud Maccabaici autorem Ἰωνάθαν ἀρχιερεὺς καὶ ἡ γερουσία τοῦ ἔθνους καὶ ὁ λοιπὸς δῆμος τῶν Ἰουδαίων Σπαρτιάταις τοῖς ἀδελφοῖς χαίρειν. Quædam alia in Iosephi scriptura & illius autoris diversa sunt. Lacedæmonii, ut refert Josephus & legatos comiter acceperunt & (ψήφισμα) decretum de societate & amicitia miserunt Hierosolymam. Hoc tempore enatæ jam erant tres sectæ Judæorum celebratissimæ Pharisæorum, Sadducæorum & Essenorum. Notatur originem primam divisionis in factiones circà Deum & divina ac cultum Dei cœpisse sub Eleazari pontificatu, cum Antigoni Sochæi discipuli Sadoc & Baithes secessissent ad templum Garizitanum. Nam Esdræ doctrinam retinuere Hasidæi, alii commenta hominum sunt secuti.

Josephus lib. 13. cap. 9. Demetrii duces superiorem cladem correcturi majoribus copiis in Ionathanem eunt. Quibus in Amathitin occurrit, præventurus invasionem Judææ. Cumque ad quinquaginta stadia prope hostem castra posuisset exploratores captivis quibusdam adductis nuntiant oppugnationem improvisam hostes parare. Omnibus igitur dispositis, excubias vocat extra castra & in armis per noctem retinens exercitum adventum hostium operitur.

At duces Demetrii, ut ſenſere Ionathanem præmonitum, hærebant quod viderent inſidias evanuiſſe & aperto marte pares eſſe deſperarent. Decreverunt igitur fugere, relictisque multis per caſtra ignibus, ad fallendum, noctu abierunt. At Ionathas mane caſtra adortus, cum inania eſſe deprehenderet, fugientes ſerò perſequitur; qui transgreſſi fluvium Eleutherum in loca tuta ſe receperant. Flexo igitur itinere in Arabiam, à Nabatæis multis abegit prædam & captivos, quæ vendidit Damaſci. Hoc tempore etiam Simon obita Judæa omni & Palæſtina Aſcalonem uſque caſtellis loca oportuna, caſtella ſtructuris & præſidiis firmavit: Ioppen etiam occupatam præſidio magno retinet: intellexerat enim inclinare ad duces Demetrii. His perfectis ambo fratres Hieroſolyma veniunt. Tum Ionathan populo univerſo convocato in templum ſuadet Hieroſolymorum mœnia ſtruere & reparare ſeptum templi, quod collapſum erat ac celſis turribus munire. Præterea ut medium urbis arcisque alium murum ædificarent, excludendis præſidiariis & impediendo commeatui caſtella etiam quæ tota regione eſſent, firmiora facere. Qua ſententia comprobata populi ſuffragiis, ipſe aſſumpta ſibi urbis muniendæ cura, fratrem miſit regionem firmaturum. Cæterum Demetrius trajecto flumine pervenit in Meſopotamiam, volens hanc & Babyloniam occupare, ut potitus ſuperioribus ſatrapiis, inde in univerſum regnum ſeſe inferret. Vocabatur enim per crebras legationes ab eorum locorum Græcis atque Macedonibus, pollicentibus deditionem, ſi veniret & auxilia duceret adverſus Arſacen Parthorum regem. Hac ſpe accenſus properavit ad illos, ſi Parthos vinceret auctum ſe opibus bellaturum cum Tryphone, ejecturumque Syria. Suſceptus magna alacritate ab illis hominibus, collectisque copiis, bellum facit Arſaci: ſed amiſſo toto exercitu, vivus ipſe in hoſtium poteſtatem venit.

Autor primi Maccabæorum non dicit Ionathanem adortum eſſe hoſtium caſtra; quæ tamen videtur mens eſſe Ioſephi, ἕωθεν προσμίξας αὐτῶν τῇ στρατοπέδῳ. Arabas vocat Ζαβεδαίους, quod videtur rectius. Nam Nabatæi hactenus amici non memorantur ſuſcepiſſe odium. Scribit etiam ἐπάταξεν; quo ſignificare videtur, quod conflixerit. De Ioppenſibus ſcribit, βούλονται παραδοῦναι τοῖς παρὰ Δημητρίου, Joſephus τοῖς Δημητρίου στρατηγοῖς. Ionathanem tantum deliberaſſe cum ſenioribus populi. Deinde coacto populo ad ſtructuram v. 37. Καὶ συνήχθησαν τοῦ οἰκοδομεῖν τὴν πόλιν καὶ ἤγγισε τοῦ τείχους τοῦ χειμάῤῥου τοῦ ἐξ ἀπηλιώτου καὶ ἐπεσκεύασαν τὸ καλούμενον Χαφεναθά. Simonem ſcribit ædificaſſe Adida in Sephela & firmaſſe vectes & januas.

Joſephus lib. 13. cap. 10. Tryphon audito caſu Demetrii, non amplius fidus (βέβαιος) erat Antiocho ſed cogitabat quonam pacto eo ſublato regnum ipſe poſſit occupare. Cui molimini obſtabat metus à Ionathane amico Antiochi. Itaque decrevit eum prius è medio tollere, atque ita demum Antiochum aggredi. Scythopolin igitur advenit: in quam occurrit Ionathan cum quadraginta millibus ſelectorum militum, quia ad bellum adveniſſe ſuſpicabatur. Videns igitur hominem non imparatum certamini, aggreditur (ὑπέρχεται) eum donis & comitate (φιλοφρονήσει) mandatque ducibus ſuis ut imperata Ionathanis facerent quo magis fidem benevolentiæ adſtrueret, omnemque eximeret ſuſpicionem, ut incautum opprimeret facilius (εἰς τὸ καταφρονήσαντα λαβεῖν ἀφύλακτον ἤδη προορώμενον) Suaſit ut dimitteret exercitum ceſſante bello & pacatis rebus omnibus: retenta tamen modica manu, comitari ſe Ptolemaida rogabat. Traditurum ſe urbem, & omnia caſtella regionis illi ſubjecturum: in hoc enim veniſſe. Ionathan nihil mali ſuſpicatus, credensque animo ſincero locutum, exercitum dimittit: deque tribus millibus retentis, duo millia in Galilæa re-

linquit, ipse mille secum duxit Ptolemaida. Oppidanis autem portas confestim claudentibus (ut præceptum erat) Ionathanem vivum capit, militibus ejus ad unum trucidatis. Misit etiam qui relictos in Galilæa bis mille opprimerent: sed hi fama facti in Ionathanem excitati, arreptis armis (φραξάμενοι τοῖς ὅπλοις) ante adventum copiarum Tryphonis è regione excesserunt. Missi à Tryphone, cum paratos esse ad certamen animadvertissent, nihil molestiæ ipsis intulere. Autor primi Machab. cap. XII. v. 39. ad 52. v. 44. ἵνα τί ἐσκύλατε πάντα τὸν λαὸν τοῦτον; In Galilæa & magno campo erant illa duo millia. πορεύονται συνεστραμμένοι ἕτοιμοι εἰς πόλεμον.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBRI SECUNDI
CAPUT XXIII.

POst Ionathan summa rerum ad Simonem fratrem defertur. Is funus fratris magnificè curavit: septemque illas pyramidas nobilissimi operis extruxit, in quibus & fratrum & patris ossa condidit. Tum Demetrius, refecto cum Iudeis fœdere, contemplatione cladis à Tryphone illatæ (nam post Ionathæ necem urbes eorum atque agros bello vastaverat) annua eis vectigalia in perpetuum remittit. Etenim usque ad id tempus regibus Syriæ, nisi cum armis resisterent, stipendium pensitaverant. Id gestum Demetrii regis anno secundo: quod ideo signavimus, quia usque in hunc annum per tempora Asianorum regum cucurrimus, ut ratio temporum digesta, luceret. Nunc autem per tempora eorum, qui Iudeis vel pontifices vel reges fuerunt, usque ad Christi nativitatem rerum ordinem digeremus.

DRUSIUS.

AD SIMONEM] Qui Thasi cognominabatur. Jonathan autem Judæis præfuit, si Josephum sequimur, annos duodeviginti, interfectus anno pontificatus sui decimo quarto.

IS FUNUS FRATRIS MAGNIFICE CURAVIT] Collegit ossa ejus & sepelivit ea in Modin, urbe patrum ejus 2. Machab. 13. 25. Hinc discimus Modin fuisse patriam Hasamonæi Matthathiæ. Nam qui eum Jerosolymæ natum fuisse tradunt, ex hoc loco convincuntur erroris.

SE-

Septemque Illas Pyramidas] De quibus 1. Machab. 13. 28. Morem hunc ex Ægypto profectum notavit Diodorus. Vide Sigonium.

Annua Ejus] Judææ videlicet. Sed placet conjectura Giselini nostri legentis *eis* pro *ejus*.

In Perpetuum Remittit] Anno primo Simonis, quem Josephus vocat ἔτος τῆς ἐλευθερίας, καὶ τῆς ἀνακτήσεως τῶν Ἰουδαίων, qui in annum Græcorum CLXX. incidit. Hoc anno primum Judæi plenam immunitatem consecuti sunt, cum prius tributa semper & vectigalia regibus vicinis pependissent.

Id Gestum Demetrii Regis Anno Secundo] Qui fuit primus Simonis Ethnarchæ, & CLXX. regni Syriæ, ut diximus. Unde 1. Machab. 13. 4. *Anno centesimo septuagesimo ablatum est jugum gentium ab Israël.* Vide Josephum Ant. lib. 13. cap. 11.

Asianorum Regum] Intelligit reges Syriæ, quorum imperium in Asia.

Qui Judæis Vel Pontifices Vel Reges Fuerunt] Malim, *vel principes vel reges fuerunt.* Nam qui reges etiam pontifices erant. Sic Simon & qui eum secuti sunt usque ad Aristobulum cum pontificatu principatum administrarunt. Primus Aristobulus diadema sibi sumpsit: à quo deinde reges & pontifices.

Schotanus.

Simon Ethnarcha.

Josephus lib. 13. cap. XI. Hierosolymis autem postquam auditum est de Jonathanis captivitate & comitum interitu, apud omnes ingens viri desiderium erat & metus malorum, quia Jonathanis fortitudine & prudentia destituti erant. Nam vicinæ gentes simul cooriturae metuebantur: quod & factum est. Tryphon etiam contracto exercitu, ascendit in Judæam. Simon igitur, videns Hierosolymitas in metu & volens eis contra Tryphonem addere animum, convocato in templum populo, sic ad eos locutus est: Non ignoratis contribules, quod pro libertate nostra, cum patre, ego & fratres mei, pericula mortis promptè subierimus ὡς ἐτολμήσαμεν ἀσμένως ἀποθανεῖν. Cum talibus exemplis abundem, etiam ex eo, quod decretum sit nostræ domui mori pro lege & religione, nullus tantus erit metus, qui hanc sententiam è nostra anima ejiciat, ejusque loco inducat vivendi cupidinem & gloriæ contemptum. Quapropter cum non desit vobis dux paratus quidvis pro vobis facere & pati, sequimini alacriter quocunque duxero. Nam ego melior fratribus meis non sum ut vitæ meæ parcere debeam neque deprecor, ut quod pulcherrimum ipsis visum est mori pro legibus & cultu Dei vestro, ipse subterfugiam & detrectem: quibus autem me rebus decet germanum eorum apparere fratrem, illis me esse ostendam. Confido enim, quod pœnas sumere ab hostibus dabitur vosque una cum uxoribus & liberis ab eorum injuriis liberare & templum à vastatione cum Deo conservare. Video enim gentes, contemptu nostrum tanquam duce destitutorum in bellum ruere. His Simonis verbis multitudo recreata, spes meliores posita formidine ausa est concipere: ita ut uno ore (ἀθρόως) acclamando, Simoni ducatum detulerit: nunquam enim se detrectaturos illius imperium. Collectis igitur omnibus, quotquot ex suis ad militiam essent idonei, festinavit muros struere. Firmata urbe celsis & validis turribus, misit quendam Jonathanem filium Absalomi, amicum, cum exercitu Joppen, jussum habitatores ejicere (Verebatur

enim ne urbem Tryphoni traderent) ipſe Hieroſolymis manſit ad urbis cuſtodiam. Tryphon autem Ptolemaide profectus cum magno exercitu venit in Judæam ducens ſecum vinctum Jonathanem. Occurrit illi Simon cum copiis ſuis ad oppidum Adidà, ſitum in monte, cui Judæorum campi ſubjecti ſunt. Tryphon cognito, Simonem à Judæis ducem conſtitutum eſſe, eum etiam decepturus, miſit, qui juberent talenta centum mittere & Jonathanis filios duos (obſides futuros quod dimiſſus Judæam non eſſet alienaturus à rege) ſi vellet dimitti fratrem. Nunc enim eum ob pecuniam regi debitam, in vinculis teneri. Simonem dolus non latuit, ſed intelligens quod & pecuniam perditurus eſſet nec liberaturus fratrem, quin & filios ejus inſuper hoſti dediturus, timens tamen criminationem apud multitudinem ne negatis pecuniis & filiis videretur fuiſſe fratri cauſa interitus, advocato in concionem exercitu, poſtulata Tryphonis ad eos retulit, admonitis prius inſidias & dolum à ſe reputari, præſtabilius tamen ducere, pecunias & filios mitti, quam contemptis Tryphonis conditionibus ſuſpicionem incurrere, quaſi fratrem ſervare noluerit. Simon igitur pecunias & filios miſit: quibus acceptis Tryphon non ſervavit fidem ner dimiſit Jonathanem ſed cum exercitu peragrabat regionem, volens per Idumæam aſcendere Hieroſolyma, pervenitque uſque Dora (Macc. ἄδωρα) Idumææ oppidum. At Simon eum perpetuo conſectabatur caſtra caſtris illius opponens. Illis, qui in arce erant, mittentibus ad Tryphonem, ut feſtinaret mitteretque commeatum, paravit equitatum, quaſi eadem nocte venturus Hieroſolyma: ſed quia per eam noctem multa nix delapſa viam opertam & difficilem equis maxime ob profunditatem reddiderat, Hieroſolyma proficiſci non potuit. Ideò illinc in Syriam Cælen abit: feſtinanterque in Galaditin impreſſione facta, ac Jonathane illic interfecto & ſepeliri juſſo ipſe Antiochiam venit. Simon oſſibus fratris è Baſca oppido tranſlatis in Modin, curat funus, quod publico luctu populus honoravit. (Macc. ἐκόψαντο αὐτὸν πᾶς Ἰσραὴλ κοπετὸν μέγαν καὶ ἐπένθησαν ἡμέρας πολλάς.) Ubi ampliſſimum monumentum Simon patri & fratribus extruxit ex albo & polito lapide, magna & conſpicua altitudine, cinctum porticibus & columnis è ſolido lapide, opus admiratione dignum. Præterea ſeptem pyramidas parentibus & fratribus, ſingulis ſuam condidit ſtupendæ magnitudinis & pulchritudinis, quæ ad hoc uſque tempus ſuperſunt. Defunctus eſt Jonathan, pontifex & præſidatu functus quadriennio. Simon pontifex factus à multitudine, primo anno pontificatus populum à ſervitute Macedonum liberavit, immunemque fecit à tributis, quæ hactenus Macedonibus ſoliti erant pendere. Libertas illa & immunitas Judæis evenit anno Seleucidarum 170. (M. C. 3807) Tanto autem in honore apud populum fuit Simon ut tam in privatis inſtrumentis quam publicis literis adjicerent, Actum eſſe anno primo Simonis benefactoris Judæorum & Etnarchæ. Sub illo enim feliciſſimi & hoſtibus vicinis ſuperiores evaſere. Subegit enim Simon oppidum Gazaram & Joppen & Jamniam, expugnatamque acram Hieroſolymorum ſolo æquavit, ne poſthac eſſet receptaculum, unde incommodarent urbi, ut nunc factum. Hoc facto viſum etiam eſt montem, in quo arx fuerat conplanare, ut templum emineret: perſuaſitque illud plebi facere commemoratis pro concione malis, quæ à præſidiariis & præſidiis in eum diem paſſi erant Judæi, quæque etiam in poſterum ferre cogerentur, ſi externus aliquis regnum obtineat, præſidio impoſito. Perſuaſa plebs illud effecit. Nam per triennium non intermiſſo opere neque die neque nocte, tandem ad planitiem eum locum redegere, εἰς ἔδαφος καὶ πεδινὴν λειότητα. In poſterum eminuit totum templum arce & monte, in quo fuerat, everſis.

Autor

Autor primi Maccab. cap. XIII. De Pyramidibus in monumento, Καὶ ταύταις ἐποίησε μηχανήματα, περιθεὶς στύλους μεγάλους καὶ ἐποίησεν ἐπὶ τοῖς στύλοις πανοπλίας εἰς ὄνομα αἰώνιον καὶ παρὰ ταῖς πανοπλίαις πλοῖα ἐπιγεγλυμμένα, εἰς τὸ θεωρεῖσθαι ὑπὸ πάντων τῶν πλεόντων τὴν θάλασσαν. Simon condidit caſtella Judææ quæ circumdedit celſis turribus & magnis muris & portis & vectibus; quibus intulit commeatum. Hic autor in eo diſſentit à Joſepho; putat Tryphonem occidiſſe Antiochum Alexandri Balæ filium antequam captus eſſet Demetrius à Parthis. Ideoque Simonem miſiſſe legatos ad Demetrium (in Cilicia forte conſiſtentem) petentes veniam, quia Tryphonis actiones impiæ eſſent (ἁρπαγαὶ) Demetrium literas ſcripſiſſe, Βασιλεὺς, Δημήτριος Σίμωνι ἀρχιερεῖ καὶ φίλῳ βασιλέων καὶ πρεσβυτέροις καὶ ἔθνει Ἰουδαίων χαίρειν. Hæc inſcriptio erat. Narrat ſe accepiſſe auream coronam & τὴν βαΐνην (vulg. *bahem*) Patet in Græco βαΐν ſcribendum, aut βαΐνη idem quod βαῒς metaplaſmo; quæ vox notat ramum palmæ. Nempe ex auro factum ramum miſerat. Pacem concedit & dicit ſe ſcripturum τοῖς ἐπὶ τῶν χειρῶν τοῦ ἀφίεναι ὑμῖν ἀφέματα, id eſt, *indulta non exigere*. Ut firma eſſent quæ ſtabiliverat prius: ut caſtella cõdita jure ſint & poſſideantur. Dimittere ſe offenſas: coronam & quæ alia pendere ſolerent in Jeruſalem, μηκέτι τελωνείσθω, remiſſa eſſe. Si qui idonei eſſent conſcribi inter ſuos adſcribi & pacem eſſe inter illos. Hinc igitur cœpit libertas populi à primo anno Simonis, quo ſui juris eſſe cœperunt, jugo Macedonum excuſſo. Id factum anno 170. Ἔτους ἑβδομηκοστοῦ καὶ ἑκατοστοῦ ἤρθη ὁ ζυγὸς τῶν ἐθνῶν ἀπὸ τοῦ Ἰσραήλ. Poſt id Simon Gazam obſedit: helepoles fecit, quas admovit urbi. Turrim unam perculit cepitque. Qui in helepoli erant, exſiliunt in urbem, in qua tumultus ingens exſtitit. Incolæ igitur cum conjugibus & liberis, laceratis veſtimentis procurrunt in mœnia & clamore magno, rogant Simonem, δεξιὰς αὐτοῖς δοῦναι, pacem dare & veniam. Simon veniam conceſſit, ſed incolis ejectis & urbe ædificiiſque purificatis ab idolis, induxit habitatores Judæos. Firmat munimentis & condit in manſionem. Gaza intra fines terræ promiſſæ erat, jam tamen non eſt factum à Simone ſecundum leges primæ occupationis, quæ ceſſabant. Sed & aliis urbibus habitatores Judæi inducti ſunt; extra Cananææ fines. Arx etiam dedita eſt propter penuriam commeatus, quam ingreſſus eſt Simon anno 171. (M. C. 3808) qui erat ſecundus ſui principatus. Ingreſſus eſt die vigeſima tertia menſis ſecundi cum laudatione & ramis palmarum, cum cinyris, cymbalis & nabliis; cum hymnis & cantibus. Hunc diem quotannis feſtum eſſe voluerunt in memoriam. Muniit Simon montem templi ad acram ſeu arcem, inque eo habitationem fecit. Cum jam Johannes filius ejus adoleviſſet eum præfecit copiis, qui habitavit Gazaris.

Cap. 14. Anno 172. tertio Simonis Ethnarchæ (M. C. 3809.) Demetrius in Mediam progreſſus cum exercitu, victus eſt & vivens pervenit in poteſtatem Arſacis (ita Parthorum illum regem & Joſephus & hic autor appellant quià à primo ita vulgò, quaſi honorifico cognomine & in memoriam imperii conditoris, cognominabantur) Judæa omnibus diebus Simonis in pace & proſperitate egit, ipſo optimè conſulente ſubditis & patriæ, atque ob eam cauſam omnibus caro. Præter cæteros ſucceſſus Joppen portum fecit: in quem appellerent naves ex inſulis maris. Pomæria gentis ampliavit: defendit terminos, cepit ingentem de hoſtibus captivorum numerum, Gazara, Bethſuram, arcem cepit, purgavit, in pace fuit. In ſumma pace floruit Judæa paciſque bonis feliciter utebatur. Reditibus agri abundabant, juvenes & ſenes ſtudiis ſuis incubuere: ſub ficu & vite quiſque ſua ſine metu agebat. Ius viguit; defenſis bonis,

Ccccccc 3 preſſis

pressis malis. Sanctuarium vasis & ornatu debito instructum erat. Jonathanis mors & successio Simonis audita Romæ & Lacedæmone. Lucedæmona missi legati à Simone renovaturi fœdus. Spartiatæ in æneis tabulis fœdus amicitiæ & societatis cum Judæis de novo scriptum misere Jerusalem, cum literis quæ lectæ in concione ingentem dedere lætitiam. Narrant se à legatis Judæorum dicta in senatu in acta retulisse secundum hoc decretum: Numenius Antiochi & Antipater Jasonis legati Judæorum, venerunt ad nos, renovaturi amicitiam: & placuit populo suscipere viros honorificè & reponere exemplar sermonum eorum in libris populi (ἐν τοῖς ἀποδεδειγμένοις τῷ δήμῳ βιβλίοις) in perpetuam rei memoriam exemplar scripsimus. Posthac misit Romam Numenium, portantem scutum aureum pondere mille minarum, ut societatem stabiliret. Romani in acta retulerunt narrata à Numenio à v. 25. usque ad finem capitis. Quam gratiam reddemus Simoni & filiis ejus? Stabilivit enim &c. Referunt (à v. 27) quid Judæi de Simone in tabulas æneas retulerint, quas suspendere in columnis in monte Sion (intelligunt pro more loquendi illorum temporum, montem templi) Decretum quod Judæi fecerunt, decimo octavo Elul, anno 162. anno tertio Simonis, in Saramel (eruditi conjiciunt חצר מלוא) in magna concione sacerdotum & populi & principum & seniorum regionum ἐγνώρισεν ἡμῖν, Latinus melius, *Nota sunto hæc.* Fuit enim inscriptionis caput & titulus. Latè exponuntur Assamonæorum & Simonis maximè beneficia in regionem & populum, quæque de illo statuerit & in illum contulerit tum populus cum rex Demetrius. Quæque inter populum & Simonem convenerint. Deinde quod placuerit hoc scriptum poni in tabulis æneis & statuere in septo sanctorum in loco notabili. Exemplaria poni in gazaphylacio, quo in promptu essent & custodirentur Simoni & filiis ejus.

Josephus lib. 13. cap. 12. Tryphon anno quarto post susceptam tutelam, pupillum suum interfecit. Nempe (ut Josephus vult & alii dicunt) cum intelligeret Demetrium captum esse à Parthis. Sparsit rumorem eum obiisse (χειριζόμενον) cum opera medici illi adhiberetur, misit autem amicos & maximè necessarios ad milites solicitandos magnis pecuniarum pollicitationibus si ipsi regnum deferrent: significans Demetrium à Parthis captum esse, si frater regnum acciperet, multa illis mala illaturum ad ultionem defectionis. Hoc modo rerum potitus, pravum ingenium aperuit. Privatus quum adhuc esset, coluit populum & moderatissima simulabat, inescans eum ad illa, quæ affectabat. Adeptus regnum exuta simulatione verus Tryphon erat: quod hostibus profuit ut evaderent superiores. Milites enim odio ipsius defecere ad Cleopatram Demetrii uxorem, Seleuciæ tunc cum liberis inclusam. Cum autem oberraret Antiochus Demetrii frater, qui cognomen Soteris habuit, à nulla receptus urbium metu Tryphonis, mittit ad eum Cleopatra conjugium suum & regnum ei offerens. Id fecit partim amicorum suasu, partim quod timeret, ne quidam Seleuciensium urbem Tryphoni traderent. Quo postquam venit Antiochus, adfluente ad eum quotidie multitudine & crescentibus viribus, exiit bellaturus cum Tryphone. Quem victum prælio ejecit è superiori Syria, & usque Phœnicen persequutus compulsumque in castellum munitissimum Doram obsedit. Misit etiam ad Simonem, Judæorum pontificem legatos de societate & amicitia: qui postulata ejus admisit, & large submisit ad Antiochum, militibus Doram obsidentibus: ut brevi inter amicos ejus maximè necessarios judicaretur esse. Tryphon enim cum è Dora profugisset Apamiam. expugnatus vitam cum regno amisit, quod triennium tenuerat.

Autor primi Maccabæorum cap. XV. Antiochus Demetrii regis filius ex insulis

sulis maris (Seleuciam Pieriam Grotius interpretatur) epistolas misit ad Simonem. Nempe prima hæc illi curarum, cum à Cleopatra vocatus esset. Confirmat omnia ἀφαιρέματα (leg. ἀφέματα) regum superiorum. Donat ipsi jus cudendæ monetæ: Καὶ ἐπέτρεψά σοι ποιῆσαί σοι κόμμα ἴδιον νόμισμα τῇ χώρᾳ σου. Ut Jerusalem & sancta sint libera. Ut arma quæ paraverat & castella condita ipse retineat. Omne debitum regium καὶ τὰ ὀφειλόμενα βασιλικά, inde in omne tempus remittit. Ubi regnum in potestatem redegisset seipsum & gentem & templum esse glorificaturum magna gloria, quæ sit in omnes terras celebranda.

Anno Seleucidarum 174. (M. C. 3811. Antiochus prodiit in terram majorum suorum: convenerunt autem ad eum omnes militum copiæ paucis apud Tryphonem relictis. Fugiens Tryphon pervenit in Dora (Δωρᾶ) ad mare situm (Idumææ) oppidum. Non apparet, prælium fuisse consertum inter eum & Antiochum: sed videtur transfugiis militum nudatum profugisse. Antiochus & mari & terra obsedit Dora cum centum viginti millibus peditum, octo millibus equitum. In Græco additum est ἐν τῇ δευτέρᾳ quod Latinus vertit secundo. Hac tempestate venit Numenius cum sociis legationis Roma, habens literas regibus & regionibus scriptas. Scribit Senatus, legatos Judæorum, amicorum & sociorum suorum, missos ab Simone pontifice & populo Judæorum renovatum antiquam amicitiam & societatem. Attulisse clypeum aureum ponderis mille minarum. Visum igitur ipsis scribere regibus & regionibus, ne quærerent eorum mala neve bellum inferant, ipsis aut urbibus eorum aut regionine auxilia mittant hostibus eorum. Visum ipsis ut reciperent aureum clypeum ab illis. Si homines nequam ad eos profugiant è regione eorum ut tradant eos Simoni pontifici, puniendos è lege eorum. Eadem scripsit Demetrio regi, Attalo, Ariarathi & Arsaci. Nomina regionum & urbium populorumque subjiciuntur, quibus præterea scripsit. Sampsamæ, (Lat. Lampsaco) Spartiatis, in Delum, Myndum, Sicyona; in Cariam, Samon, Pamphyliam, Lyciam, Halicarnassum, Rhodum, Phaselida, Con, Siden, Aradum, Gortynam, Cnidum, Cyprum, Cyrenen. Exemplar misere Simoni. In capite hujus senatusconsulti: L. Consul Romanorum Ptolemæo regi salutem. Nam quod ad Ptolemæum scriptum exemplar ut maximi momenti, pro exemplo exhibitum Simoni. Senatus consultum hoc ab homine Judæo luxatum est: cum initium debuerit esse, *L. Furius Cos, verba fecit*: Grotius. Cum Antiochus arcte obsideret oppugnatione & machinis Tryphonem, misit ipsi Simon bis mille delectos milites in auxilium & aurum argentumque, & vasa multa. Hæc noluit recipere Antiochus, jam alienus à Simone.

Josephus lib. 13. cap. 13. Cæterum Antiochus ob avaritiam & pravam indolem (φαυλότροπος) officiorum & beneficiorum immemor, copiis militaribus Cendebæo amico traditis jubet Judæam vastare & Simonem redigere in potestatem. Simon audita Antiochi iniquitate, quamvis jam senior, tamen ex indignatione, ultra ætatis vires molimen aggrediens (τῆς ἡλικίας φρόνημα κρεῖττον λαβὼν) juveniliter præest bello. Filiis cum pugnacissimis militibus præmissis ipse diverso itinere cum copiis prodiit: multisque in convallibus horum montium positis insidiis, nusquam non rem gessit ex sententia (διαμαρτὼν μὲν οὐδαμοῦ τῶν ἐπιχειρήσεων) sed ubique superior, in pace reliquum tempus exegit, facta & ipse cum Romanis societate.

Josephus lib. 13. cap. 14. Octo annos præfuit Judæis, postremo cæsus in convivio per insidias generi sui Ptolemæi, qui uxore simul ejus & duobus filiis comprehensis ac conjectis in vincula, misit etiam ad opprimendum tertium Johannem, cui cognomen Hyrcanus. Adolescens autem hoc præsentiens periculum-

riculumque effugiens in urbem se proripuit, fretus favore multitudinis conciliato per paterna beneficia, simulque odio ejus in Ptolemæum. Volentem Ptolemæum ingredi per aliam portam populus rejecit, eo quod Hyrcanum jam receperat.

Autor primi Maccab. cap. XV. v. 28. Antiochus misit Athenobium, unum amicorum, qui loqueretur cum Simone, expostulaturus de Ioppe, Gazaris & arce Hierosolymorum, quæ ad regnum pertinebant. Vastitates fecisse & clades & se dominos imposuisse locis multis regni: traderent igitur urbes quas ceperant & tributa locorum extra fines Judææ. Aut pro his quingenta talenta argenti, proque deperditione totidem alia. Athenobius cum Hierosolyma advenisset miratur splendorem Simonis (καὶ κυλικεῖον μετὰ χρυσωμάτων καὶ ἀργυρωμάτων καὶ παράστασιν ἱκανήν apparatum ministerii mensæ) Responsum dedit Simon se aliena non occupasse sed hæreditatem majorum obveniente occasione asseruisse ab injusta hostium invasione. Ioppen & Gazara, quæ clades multas fecere redempturum se centum talentis. Ad hæc silentium tenens, rediit ad regem, gloriam Simonis & responsum referens. Interim Tryphon è Dora elapsus in navigium pervenit Orthosiada. Cendebæum præfectum maritimæ regionis rex misit cum pedestribus & équestribus copiis, ut ad Judæam castris positis ædificaret Cedron (Lat. Gedor) muniretque, ipse persequitur Tryphonem. Ptolemæus ingressus Iamniam cœpit affligere populum & invasiones in in Judæam facere, captivos abducere, cædibus grassari. Cedron (sive Gedor) muniit, imposuitque equitum & peditum præsidium, ut Judæam infestarent.

Cap. 16. Johannes è Gazaris ascendit ad patrem indicans illi, quid fecisset Cendebæus. Simon advocatis duobus filiis majoribus Juda & Johanne, Ego, inquit, & fratres mei & domus patris mei bellavimus adversus hostes *Israel* à juventute usque in hanc diem, prosperis successibus sæpe liberavimus Israel *manibus* nostris. Nunc consenui, vos autem estis ætate militari. Succedite igitur in locum meum & fratris mei: egressi pugnate pro gente nostra. Auxilium è cælo vobis adsit. Elegit è regione viginti millia bellatorum & equitatum, profecti adversus Cendebæum, somnum ceperunt in Modin. Mane sequentis diei progrediuntur in campum: ubi occurrit ingens hostium exercitus pedester & equester. Inter utrumque exercitum medius erat torrens. Castra posuit ex opposito hostium. Cum videret populum metuentem trajicere torrentem, primus ipse transiit: quem pudore correpti cæteri sequuntur. Hæc putes dici de Simone, qui supra ætatem, ut Iosephus testatur belli opera peregit. Trajectas copias peditum divisit in duas acies, quarum medio equitatum collocat. Hostis equitatu præpollebat. Cum sacris tubis caneretur in fugam *versus* est Cendebæus, cum exercitu suo. Multi cæsi sunt; qui effugere, *evaserunt* in castellum. Judas etiam graviter saucius fugientes persequi non potuit. Johannes eos persecutus est donec veniret usque Cedron. Fugam etiam fecerunt usque ad turres in agros Azoti: quas igni incendit. Ita perierunt duo hostium millia. Johannes exercitum incolumem reduxit in Judæam.

At Ptolemæus Abubi filius, constitutus præfectus campi Jericho, dives auro & argento erat. Habebat in matrimonio filiam summi pontificis. Hic animo concepit regionis imperium, ideò per insidias tollere Simonem & filios voluit. Simon obibat urbes & prospiciebat de necessariis. Ita venit Jericho cum Mattathia & Juda filiis suis, anno 277. (M. C. 3814.) mense undecimo, cui nomen Sabat. Quos suscepit Abubi filius, in castellum, cui nomen Doc, quod condiderat. Fecit ipsis magnum convivium, insidiis dispositis virorum,

qui

qui ad manum adeſſent. Cum igitur Simon & filii vino hilares eſſent, Ptolemæus & viri illi armis ſumptis irruentes in ſympoſium Simonem interficiunt cum duobus filiis & quibuſdam ſervulorum. Hoc facinore perpetrato ſcripſit miſitque ad regem, ut auxilia mitteret, ſeſe Judæorum regionem & oppida redacturum eſſe in ejus poteſtatem. Præterea alios Gazara miſit, qui Johannem de medio tollerent, & tribunis per literas ſignificavit ut ad ſe venirent, ut eos auro argentoque & muneribus donaret: itemque alios miſit, qui Jeruſalem & montem templi occuparent. Sed antecurrit quidam, qui Iohannem de nece patris & fratrum deque percuſſoribus in eum miſſis certiorem fecit. Quo ille nuntio vehementer attonitus, homines comprehendit, qui ad ſe periмendum venerant: eoſque poſtquam cognovit ſibi necem molitos eſſe interfecit. Hic deſinit Autor libri Maccabæorum & finem habet hiſtoria Apocrypha libris V. T. teſtamenti adjungi ſolita.

Salianus Joſephum hic exagitat: *Nonne videtur Ioſephus de induſtria à Scriptura* (Libri Maccabæorum) *narratione diſcedere voluiſſe? & quaſi in Scholaſtico pulvere, in argumento declamatorio verſaretur propoſitum aliquod factum diverſimode narrare, cum quadam probabilitate ſtatuiſſe, mutando, addendo, detrahendo pro arbitrio? Falſum eſt Simonem huic prælio interfuiſſe, nec ulla eſt in tota expeditione de ipſo mentio, ſed de filiis ejus duntaxat. Falſum eſt Iudaicum exercitum iſſe obviam Cendebæo. Nam è contrario Scriptura veniſſe ait in Campum exercitum Iſraelitarum, quibus obviam venit copioſus exercitus Cendebæi. Falſum eſt diviſum fuiſſe exercitum, ut diverſis itineribus contra hoſtem iretur, cum Scriptura dicat tantum in inſtruenda acie ſeparatos hinc & inde pedites & in medio equites fuiſſe collocatos. Falſum eſt poſitas pluribus locis inſidias, cum nullum verbum aut inſidiarum, aut anguſtorum locorum extet in hiſtoria. Falſum eſt pluribus congreſſionibus, variiſve locis rem ex ſententia geſtam eſſe, cum unius tantum campi ſit mentio, in quo ſignis collatis certatum ſit, ubi fuſo fugatoque exercitu hoſtium, unus ducum palantes perſecutus eſt.*

Sed vide quam non contentus hiſtoriæ violare veritatem, ejus etiam integritatem multis partibus detruncavit. Nihil iſte habet de tranſlata in filios militia, nihil de ætatis excuſatione, de exhortatione & benedictione paterna, nihil de copiarum numero, nihil de certaminis loco, nulla torrentis, nulla transgreſſi generosè fluminis, nulla ſacrarum tubarum, nulla alterius ducum vulnerati mentio. Fuſum fugatumque exercitum, compulſum in munitiones & caſtella, eademque igni ſuccenſa, cæſam hoſtium multitudinem miſſam fecit. Ex quibus intelligi poteſt, qua fide cætera deinceps narraturus ſit, in quibus non poterit erroris ex ſcriptura convinci.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBRI SECUNDI

Caput XXIV.

Igitur post Ionathan, Simon frater ejus ut supra dictum est, Hebræis præfuit jure Pontificis. Id enim ei tum à suis, tum & à populo Romano honoris delatum. Hic cum secundo Demetrii regis anno civibus præesse cœpisset, post octo annos insidiis Ptolemæi circumventus occubuit. Huic Iohannes filius successit, qui cum adversum Hyrcanos, gentem validissimam, egregiè pugnasset, Hyrcani cognomen accepit. Mortuus est, annos sex & XX. rerum potitus. Post hunc Aristobulus pontifex substitutus, primus omnium post captivitatem regium nomen assumpsit, capitique diadema imposuit. Exacto anno diem functus est. Alexander deinde, filius ejus, rex pariter & pontifex fuit: regnavit annos VII. & XX. in cujus actibus nihil, præter crudelitatem, memoria dignum reperi. Hic, cum Aristobulum & Hyrcanum parvos filios reliquisset, Solina sive Alexandra uxor ejus, regnum per novem annos tenuit. Post hujus obitum, fœda inter fratres de regno certamina. Ac primum Hyrcanus imperium obtinebat: mox ab Aristobulo fratre pulsus confugit ad Pompejum: qui tum Mithridatico bello confecto, pacataque Armenia & Ponto, victor omnium gentium, quas adierat, ultrorsum pergere, & vicina quæque Romano imperio adjungere cupiens, causas belli & materiam incendii quærebat. Igitur Hyrcanum libens excepit, ductuque ejus Iudæos aggreditur urbe capta atque arce, templo pepercit. Aristobulum victum Romam mittit, Hyrcano jus pontificatus restituit: impositoque Iudæis stipendio, procuratorem eis Antipatrum quendam Ascaloniten præposuit. Hyrcanus quatuor & triginta annis rerum potitus, dum adversum Parthos bella gerit, capitur. Tum Herodes alienigena, Antipatri Ascalonitæ filius, regnum Iudææ à Senatu & populo Romano petiit accepitque. Hunc primum Iudæi externum regem cœperunt habere. Etenim jam adventante Christo necesse erat, secundum vaticinia prophetarum, suis eos ducibus privari, ne quid ultra Christum exspectarent.

DRUSIUS.

IURE PONTIFICIS] Et principis, vel ſi eum ducem aut Ethnarcham libet appellare, quæ in idem recidunt. Sic vocatur 1. Machab. 15. 1. Σίμων ἱερεῖ καὶ ἐθνάρχῃ τῶν ἰουδαίων: quæ vetus interpres convertit, *Simoni ſacerdoti & principi gentis Iudaeorum.* Nam ἐθνάρχης, *princeps gentis.*

TUM À SUIS, TUM À POPULO ROMANO] 1. Mach. 14. 25. ubi Latina editio, *populus Romanus,* Græca habet ὁ δῆμος ſimpliciter. Quod rectius intelligitur de populo Judæo, quam de populo Romano. Sanè hiſtoriæ veritas poſtulat, ut hic legamus potius, *tum à ſuis, tum à regibus.* Nam honos iſte, delatus ei fuit à regibus Alexandro & Demetrio 1. Mach. 11. 27. & 14. 38.

POST OCTO ANNOS] Si cœpit præeſſe anno CLXX. ut apparet ex 1. Mach. 13. 41. præfuit duntaxat ſeptem annis. Nam anno CLXXVII. occiſus fuit, inſidiis generi ſui circumventus, 1. Mach. 16. 14.

INSIDIIS PTOLEMÆI CIRCUMVENTUS] Generi ſui, qui vocatur Ptolemæus Abobi F. quem Chronicon templi ſecundi perperam regem Ægypti facit. Hiſtoria extat 2. Machab. 16. 11.

HUIC JOHANNES FILIUS SUCCESSIT] Secundus natu. Nam Judas & Mathathias una cum patre fuerunt interfecti 1. Machab. 16. 14. Hunc Iohannem Euſebius non ſemel Ionathan appellat: in qua memoria lapſus mihi videtur.

QUI CUM ADVERSUM HYRCANOS, GENTEM VALIDISSIMAM, PUGNASSET, HYRCANI COGNOMEN ACCEPIT] Secutus videtur Euſebium ita ſcribentem in Chronico ſuo, *Simoni ſucceſſit filius Iohannes, qui victis Hyrcanis, Hyrcanus cognomen accepit. Et, Iohannes dux Iudaeorum & pontifex adverſum* Hyrcanos (ita legendum: vulgò perperam, *adverſus Hyrcanum*) *bellum gerens Hyrcani nomen accepit, & à Romanis jus amicitiæ poſtulans decreto ſenatus inter amicos relatus eſt.* Hinc apparet membrum illud, *gentem validiſſimam*, à Sulpicio ex ingenio additum eſſe. Ex ingenio, imò ex opinione. Nam opinatus eſt Euſebium loqui de gente Hyrcanorum, quæ procul aberat à Iudæa, ut non ſit veriſimile, Hyrcanum adverſus eam gentem bella geſſiſſe. Quid igitur? Aut loquitur de Hyrcania, vico Palæſtinæ juxta Judæam, Stephano memorata: aut fallit nos ipſe imbutus falſa opinione de hoc nomine. Quod eo libentius credo, quia ſcio alios hoc nomine vocatos, in queis Hyrcanus filius R. Eliezer filii Hyrcani, & R. Ioſua filius Hyrcani. Abben Gorion autor maximum natu filiorum Simonis Hyrcanum appellatum fuiſſe, eoque interempto, idem nomen Iohanni attributum à ſenioribus Iſraël. Scribit hoc, ſi bene memini, lib. 4. cap. 27.

ANNOS VI. ET XX. RERUM POTITUS] Sic Euſebius: ſed Ioſephus ei tribuit ann: XXX. Hunc Funccius ſequitur.

ARISTOBULUS PONTIFEX] Hic Græcos unicè diligebat, unde φιλέλλην dictus eſt.

REGIUM NOMEN ASSUMPSIT] Ioſephus lib. XIII. Ant. cap. XIX. *Defuncto patre Hyrcano natu maximus Ariſtobulus volens principatum in regni formam vertere, diadema ſibi primus impoſuit, poſt CCCCLXXXI. annos & menſes tres, ex quo de captivitate Babylonica liberatus populus ad priſtinas ſedes poſtliminio reverſus eſt.*

DIADEMA] Faſcia erat tenuis candidaque circumdans caput: quam à

Libero patre inventam Plinius notavit. Valerius lib. 6. cap. 12. *Cui candida fascia crus colligatum habenti Favonius*, *Non refert*, inquit, *qua in parte corporis sit diadema*.

ALEXANDER] Qui Ebræis יאנאי / id est Iannæus. Sic etiam Iosephus eum vocat, *Post Aristobuli obitum*, inquit, *Salome ejus uxor, quam Græci Alexandram nominant, solutis ejis fratribus, quos ipse, ut diximus vinxerat, Iannæum, qui & Alexander est, regem constituit, ætate cæteros præcedentem atque modestia.* Vide sequentia. Habentur autem lib. 13. cap. 20. Vide quoque historiam Ebraicam, cap. XXX. & Chronicon templi secundi, fol. 39. col. 9.

FILIUS EJUS. Imò frater. Nam Hyrcanus tres filios habuit, Aristobulum, Antigonum Alexandrum. Aristobulus exacto anno diem functus est. Quod in historia Ebraica, *regnavit annum unum solidum.* Unde corriges Chronicon templi secundi, in quo, *regnavit biennio dierum*, pro *anno dierum.* Antigonus periit ante mortem Aristobuli. Historia nota est. Alexander, licet in magno fratris odio fuisset, tamen ei successit in regno. Unde in Chronico illo, *Alexander frater ejus regnavit pro eo.* Eadem invenies in historia Ebraica. Vide quinetiam Iosephum lib. 13. cap. 20.

REGNAVIT ANNIS VII. ET VIGINTI] Sic etiam Iosephus & alii.

PRÆTER CRUDELITATEM] Unde interroganti, Quidnam faciendo animos sibi plebis conciliaret, responsum est, Si moreretur. Ob hanc crudelitatem Iudæi eum Θρακίδας cognominarunt: pro quo in editione Rufini *Crucifixor.* Nam octingentos Pharisæos uno tempore cruci affixit. Vide Iosephum 13. 22. Obiit in obsidione Ragabæ castelli, quod in Gerasenorum finibus, ultra Iordanem.

SOLINA] Cum hoc nomen habeat ab Eusebio, videtur legendum Salina. Nam in eo Σαλίνα, consentientibus libris. Hieronymus quoque Dan. 11. Alexandra, quæ est Salina vocabatur. Nec aliter Epiphanius. Josephus tamen Salomen eam appellat, id est Σαλώμην: quod rectum esse puto. Consule Antiquitates ejus lib. 13. cap. 20.

FOEDA INTER FRATRES DE REGNO CERTAMINA] In textu Sigonii, *certamina orta.* Hic rursum desideratur verbum substantivum *fuerunt.*

AC PRIMUS HYRCANUS IMPERIUM OBTINEBAT] *Vivente* adhuc Alexandra pontificatus ei obvenit, ea mortua imperium obtinuit: erat enim natu major. Quocirca mater moriens testamento ei regnum reliquit. Id menses tenuit tres duntaxat. Erat autem tertius hujus nominis, ut notatum in historia Ebraica. Tertius, inquam, pontificum, vel certè Hasamonæorum. Nam alii fuerunt hoc nomine præterea, in queis Josephus ἀρχεπελάγε filius, qui primus sacerdotum Hyrcanus nominatus fuit; autor Josephus. Unde colligimus nomen hoc apud Judæos vulgatissimum fuisse.

MOX AB ARISTOBULO FRATRE PULSUS]. Accidit hoc, Josepho teste, anno tertio, septimæ ac septuagesimæ, supra centesimam, Olympiadis, Q. Hortensio & Q. Metello Cretico consulibus.

CONFUGIT AD POMPEJUM] Primum ad Aretam regum Arabum, deinde ad Pompejum Magnum, qui tum Syriam occupaverat. Hæc contentio fratrum de regno Judæam quoque Romanis tributariam fecit, ut non temere dictum sit; *Concordia res parvæ crescunt: discordia magnæ dilabuntur.*

QUI TUM MITHRIDATICO BELLO CONFECTO] Consule Sigonium hoc loco. Scribendum autem Mithridatico cum aspiratione potius, quam Mitridatico. Nam dicimus Mithridates. Quidam præferunt Mithradates, quia videlicet Græci dicunt μιθριδάτης. Probarem, nisi scirem à Latinis

nis quandoque A. in I. mutari. Sane Massilia Græcis est μασσαλία, & Catina, κατάνη & Agrigentum ἀκραγάς.

INCENDII] In uno codice *incendi*: quod scribendum incendI cum I. majusculo. Nam ita veteres quandoque scribebant I. duplex sive geminatum.

IGITUR HYRCANUM LIBENS EXCEPIT] Historia prolixa est, quam noster in pauca contraxit. Invenies autem eam apud Josephum, si non pigebit ejus Antiquitates consulere.

URBE CAPTA] Non tantum cepit urbem, sed etiam mœnia ejus diruit, sicut & Ptolemæus primus Ægypti rex quondam fecerat. Autor Appianus, qui eam dicit fuisse urbem maximam & sanctissimam in ea regione ut Plinius clarissimam totius Orientis. Ceterum capta fuit Hierosolyma Olympiade CLXXIX, anno primo, ut Josephus: aut, ut alii censent, anno secundo.

TEMPLO PEPERCIT] Vult dicere, non spoliavit illud. Josephus 14. 8. *Cum in sacræ pecuniæ thesauris essent circiter talentorum duo millia, nihil horum præ pietate attigit.* Cicero: *Cn. Pompejus captis Ierosolymis, victor ex illo fano nihil attigit. Imprimis hoc, ut multa alia, sapienter; in tam superstitiosa & malefica civitate locum sermoni obtrectatorum non reliquit. Non enim credo religionem Iudæorum & hostium impedimento præstantissimo Imperatori, sed pudorem fuisse. Sua cuique civitati religio, Læli, est; nostra nobis.* Eusebius in Chronico, *reserato templo usque ad sancta sanctorum accessit.* Quæ verba docent ipsum ulterius non progressum esse. Non ergo vidit arcam fœderis, ut quidam volunt. Nam arca, in qua tabulæ fœderis & super eas Cherubim, in sancto sanctorum erat, non in sancto· quod tantum ingressus videtur Pompejus.

ARISTOBULUM VICTUM ROMAM MITTIT] Imo secum adduxit victum. Sic Eusebius. Sed legendum utrobique vinctum, id est, δεδεμένον Josephus diserte *abduxitque secum vinctum Aristobulum cum duabus filiabus & totidem filiis 14. 8.*

IMPOSITOQUE JUDÆIS STIPENDIO] Id est, tributo: censum vocant. Erat autem didrachmus in singula capita. Male igitur Hieron. in comment: Matth· 17. 25. *Post Augustum Iudæa facta est tributaria, & omnes censi capite ferebantur.* Nam ante Augustum erat vectigalis, vel, si mavis, tributaria. Næ sub Augusto censum fuisse populum certius est, quam ut probari debeat. Quomodo ergo post Augustum omnes censi capite & tunc primum Judæa facta tributaria? non persuadet. Qui patres unquam errasse negat, negat solem lucere in meridie.

PROCURATOREM] Judææ, Sigonius: Palæstinæ, Eusebius. Ab hoc tempore Judæa semper habuit procuratores, qui prætoribus aut subconsulibus Syriæ suberant. Talis Christi ævo erat Pontius Pilatus.

ANTIPATRUM] Qui & Antipas, eodem quo pater ipsius nomine vocabatur, Iosephus: à quo dissentit Eusebius, Africanum secutus, qui hujus Antipatri patrem Herodem nominat, quem ait fuisse Ascalone ἱερόδουλον, hoc est sacerdotem in templo Apollinis. Iosephus autem scribit eum ab Alexandro ejusque uxore constitutum ducem totius Idumææ; amicitias Arabum, Gazæorum & Ascalonitarum coluisse, multisque illos sibi conciliasse muneribus. Ab utroque diversus abit Nicolaus Damascenus Antipatri genus deducens à primatibus Iudæorum, qui postliminio in Iudæam reversi sunt è Babylonia.

ASCALONITEN] Quomodo Ascalonita, si erat Idumæus? An patria ei Ascalon, & parentes ex Idumæa? Scire licet Ascalonem fuisse urbem superioris Idumææ. Quod affirmat idem, quem supra nominavi, Iosephus lib. 5.

 cap. 3.

cap. 3. Aut patria erat Idumæa & Ascalon locus commorationis parentum ipsius.

QUATUOR ET TRIGINTA ANNOS] Secutus est Eusebium, qui hos annos putat ab eo temppre, quo primum Hyrcanus pontificatum adeptus est, vivente adhuc matre Alexandra. Sic autor Glossæ ordinariæ prioris Machabæorum: *Hyrcanus*, inquit, *animo deses, adjuvante Antipatro procuratore, tenuit pontificatum ann. XXXIV.* Sigonius detrahit huic summæ decem, legendumque putat XXIV. pro XXXIV. quia videlicet horum annorum aliud initium ponit. Nam eos numerat à restitutione Hyrcani, quæ per Pompejum facta. Hoc docent consequa ipsius verba, *Tot enim sunt à consulatu M. Tullii Ciceronis, usque ad consulatum C. Asinii Pollionis.* Quo tempore Herodes rex à senatu appellatus est. Josephus hæc paulo aliter lib. 15. cap. 9. *Hyrcanus vivente adhuc matre Alexandra pontifex Iudæorum creatus, per novem annos eum honorem obtinuit: cui defuncta cum in regnum successisset, elapsis tribus mensibus, ab Aristobulo fratre pulsus est, ac deinde PompeI ope restitutus receptisque omnibus honoribus quadraginta annos in eis exegit.*

HERODES] Secundus filiorum Antipatri ex uxore, quam Josephus Cypron vocat, quæ illustri inter Arabas genere nata erat. Unde Arabissam appellat Eusebius.

ALIENIGENA] Quomodo alienigena, si erat Judæus? An quia patrem habuit Ascalonitam? Nam tales peculiaritur alienigenæ vocabantur. Res notior est, quam ut probari debeat. Alienigena, id est ἀλλόφυλος. Sic eum appellat Eusebius. Sed & alii multi. Vocatur etiam proselytus. Quod pariter culpant. Nam qui Judæus erat, nec proselytus dicebatur nec alienigena. Sed majores ejus proselyti fuerant, imo alienigenæ. Nam Idumæi, priusquam sacra Judæorum suscepissent, alienigenæ dicebantur. Hoc verum est. Non tamen à Judæis ideo vocatur alienigena, sed servus Hasmonæorum. Ego sic sentio, Idumæos, licet Judæi essent religione, gente tamen Idumæos fuisse à Judæis distinctos. Tales etiam proselyti vocantur. Chronicon templi secundi, *Antipater erat vir prudens, &c. sed radix ejus non erat ex filiis Israel, verum ex Idumæis, qui servi ceciderunt in manum Israël: & ipsi sunt proselyti tantum, & non filii nobilium.* Sic forte R. Aquiba vocatur proselytus justitiæ, qui erat ex filiis filiorum Sisaræ. Idumæi ergo proselyti. Si proselyti, cur non etiam alienigenæ. Nam antequam proselyti essent, alienigenæ fuerant. Hic originem spectamus, id est, ut Ebræi loquuntur, radicem generis. Duæ fuerunt opiniones de Antipatro Herodis patre. Una Josephi, qui eum Idumæum fuisse scribit: Altera Nicolai Damasceni, qui genus ejus deducit à primatibus Judæorum, qui postliminio in Judæam reversi sunt è Babylonia. Hanc probare videtur autor historiæ Ebraicæ ita scribens; *Antipater accepit uxorem è semine regio Idumeam. Ideo dixerunt scriptores antiqui eum fuisse Idumæum. Sed Nicolaus scriptor fidelis ait eum fuisse Iudæum, id verum est. Fuit enim ex ingenuis Iuda, ex iis Iudæis, qui redierunt è Babylonia Hierosolymam, in diebus Nehemiæ filii Hachaliæ & Ezræ sacerdotis.*

EXTERNUM REGEM] Non Judæum, sed Idumæum. Aut externum sive alienum à regno. Non enim erat è stirpe Davidis, nec ex genere sacerdotali. Eusebius in Chronico, *Siquidem Herodes post eum* (Antigonum) *à Romanis constitutus est princeps alienigena, & nihil omninò pertinens ad Iudæam.* Quod intelligentiam habet ex superioribus. Alioqui durum esset illud, *nihil omnino pertinens ad Iudæam.*

SECUNDUM VATICINIA PROPHETARUM] Nam Jacob patriarcha

triarcha propheres erat, cujus illud πολυθρύλλητον, *Non recedet sceptrum de Iuda, &c.* Quod induxit nonnullos ut crederent Herodem Messiam esse. Hos Herodianos appellant, Quanquam Herodiani potius videntur fuisse milites Herodis, ita dicti, ut Herculanos dicimus & Jovianos & Theodosianos. Priorem sententiam tuetur Hieron: adversus Luciferianos, cap. 8. his verbis, *Herodiani Herodem regem suscepere pro Christo.* Alibi eam castigat Latinorum commentum esse dictitans. Huc refer vaticinium Haggæi prophetæ, *Adhuc unum modicum illud est,* quod interpretantur de regno Hasmonæorum, quod non adeo diu duravit. Quo deleto venit desiderium omnium gentium, hoc est Christus. Lege locum illum.

SCHOTANUS.

PRiusquam hujus capitis continentiam exsequar, quia jam populo libertas parta erat sub Simone ejecto Hierosolymis præsidio, quod inde ab Antiochi Epiphanis ætate insederat, regum Syriæ seriem ab Epiphane ad Antiochum Sideten subjiciam repetitam è superiori historia & suparatam. Hi reges sunt, cum quibus Matathiæ quinque filii luctando vitam patriæ impenderunt. Johannes Hyrcanus ultimam luctam habuit, qui penè cum patria est oppressus, sed felicius emersit.

Anno Seleucidarum 145. M. C. 3782. Epiphanes destruit cultum Dei, arcem & præsidium Hierosolymis imponit.

A. S. 149. M. C. 3786. Antiochus Eupator patri Epiphani succedit.

A. S. 151. M. C. 3788. Demetrius Seleuci filius regnum Syriæ occupat. Hic Soter appellatus est. De eo Epitome Liviana 46. *Motus Syriæ mortuo Antiocho (Epiphane) qui filium Antiochum puerum admodum reliquerat continet. Hunc Antiochum puerum cum Lysia tutore ejus Demetrius Seleuci filius, qui Romam obses missus fuerat, clam, quia minime dimittebatur à Romanis, interemit & ipse in regnum receptus.* Nescio an ea ita Livius tradiderit, discrepantia ab aliorum narratione.

A. S. 160. M. C. 3798. Alexander Balas. De hoc Epitome Liviana 50. *In Syria, quæ eo tempore ex stirpe generis Persei regis Macedonum inertia socordiaque similem Prusiæ regem habebat, jacente eo in ganeo & lustris, Ammonius regnabat, per quem & amici omnes regis & Laodice regina & Antigonus Demetrii filius occisi.*

A. S. 166. M. C. 3804. Demetrius (junior) Demetrii filius. De hoc epitome Liviana 52. *Alexander homo ignotus & incertæ stirpis occiso (sicut ante dictum est) Demetrio rege, in Syria regnabat. Hunc Demetrius Demetrii filius, qui à patre quondam ob incertos belli casus, ablegatus Gnidum fuerat, contempta socordia inertiaque ejus, adjuvante Ptolemæo Ægypti rege, cujus filiam Cleopatram acceperat in matrimonium, bello interemit. Ptolemæus in caput graviter vulneratus, inter curationem, dum ossa medici terebrare contendunt, exspiravit: atque in locum ejus frater minor Ptolemæus, qui Cyrenis regnabat, successit.*

A. S. 169. M. C. 3806. Antiochus Balæ filius à Tryphone reducitur in regnum. Epitome Liviana 52. *Demetrius ob crudelitatem, quam per tormenta in suos exercebat, à Diodoto quodam, uno ex subjectis, qui Alexandri filio bimulo admodum regnum asserebat, bello superatus, Seleuciam confugit.*

A. S. 172. M. C. 3809. Tryphon regnum occupat occiso Antiocho puero. Justinus lib. 36. *Recuperato paterno regno Demetrius & ipse rerum successu corruptus, vitiis adolescentiæ in segnitiam labitur; tantumque contemptum apud omnes inter-*

inertiæ; quantum odium ex superbia pater habuerat. Itaque cum ab imperio ejus passim civitates deficerent, ad abolendam segnitiæ maculam bellum Parthis inferre statuit. Cujus adventum non inviti orientis populi videre: & propter Arsacidæ regis Parthorum crudelitatem & quod veteri Macedonum imperio assueti novi populi superbiam indigne ferebant. Itaque cum & Persarum & Elimæorum Bactrianorumque auxiliis adjuvaretur, multis præliis Parthos fudit. Ad postremum tamen pacis simulatione deceptus capitur; traductusque per ora civitatum, populis, qui defecerant, in ludibrium favoris ostenditur. Missus deinde in Hyrcaniam, benigne & juxta cultum pristinæ fortunæ habetur.

*Dum hæc aguntur interim in Syria Trypho, qui se tutorem Antiocho Demetrii privigno (*filio Alexandri Balæ*) substitui à populo laboraverat, occiso pupillo, regnum Syriæ invadit.* De hoc in Epitome Liviana. 55. *Alexandri filius rex Syriæ, decem annos admodum habens à Diodoto, qui Tryphon cognominabatur, tutore suo, per fraudem occisus est: corruptis medicis, qui ipsum calculi dolore consumi, ad populum mentiti, dum secant, occiderunt.*

A. S. 174. M. C. 3811. Antiochus Sidetes everso Tryphone regnat. Justinus; *Quo diu potitus* (Trypho regno Syriæ) *tandem exsolescente favore recentis imperii, ab Antiocho puero admodum, Demetrii fratre, qui in Asia educabatur, bello vincitur, rursusque regnum Syriæ ad sobolem Demetrii revertitur. Igitur Antiochus memor quod & pater propter superbiam invisus & frater propter segnitiam contemptus fuisset, ne in eadem vitia incideret, recepta in matrimonium Cleopatra, uxore fratris, civitates, quæ initio fraterni imperii defecerant, summa industria persequitur, domitasque rursum regni terminis adjicit: Iudæosque qui in Macedonico imperio, sub Demetrio patre armis se in libertatem vindicaverant, subigit. Quorum vires tantæ fuere, ut post hunc nullum Macedonum regem tulerint, domesticisque imperiis usi, Syriam magnis bellis infestaverint.*

A. S. 171. M. C. 3808. Arce capta præsidium Hierosolymis ejicitur. Arx solo æquatur. Id jugum in eorum cervicibus fuerat annis 26. Hinc, quia libri Macchabæorum nos destituunt, Iosephum solum proponimus & explicamus usque ad finem Hassamonæi principatus.

Iohannes Hyrcanus.

JOsephus lib. 13. cap. 15. *Igitur Ptolemæus sese in arcem quandam recepit, supra Hiericuntem positam, nomine Dagon. At Hyrcanus, (qui & Iohannes dicitur) patrium pontificatum adeptus, cum primis sacrificiis Deum invocasset (litasset vertunt alii, Gr. τὸν θεὸν πρώταις θυσίαις παραστησάμενος) fecit adversus Ptolemæum expeditionem, locum oppugnavit, & aliis quidem rebus superior erat: tantum misericordia erga matrem & fratres vincebatur. Eos enim Ptolemæus in murum subductos, in conspicuo loco cruciabat: & præcipitaturum minabatur, nisi ille ab obsidione desisteret, quæ res illum remissiorem ad oppugnandum faciebat. Quanquam mater protensis manibus eum orabat, ne sua causa remollesceret: quin eo acrius oppugnationem urgeret, hostemque in potestatem suam redigeret & sibi amicissimos ulcisceretur. Sibi enim suave esse cruciatibus necari, dummodò pœnas daret hostis. Hac dicente matre Hyrcanus ad capiendam munitionem animabatur: sed dum eam verberari lacerarique videbat remollescebat vincente misericordia. Ita durante diutius obsidione, venit annus septimus, in quo Iudæis otiari mos est: & Ptolemæus hac de causa levatus bello, Hyrcani fratres & matrem interfecit: eoque facto ad Zenonem se recepit, cognomine Cotylam, Philadelphensium urbis tyrannum.* Sic ad verbum Josephus, quæ parum consonant narrationi, quam de interitu

teritu Simonis habet autor primi Maccabæorum. Deinde quod refert de anno Sabbatico, nihil ad rem facere notat Salianus. Nam anni sabbatici non prohibebant bellum & oppugnationes urbium aut castellorum. Notat etiam Usserius Sabbaticum illum cæpisse quatuor mensibus ante Simonis cædem, anno contractuum Alexandreo 177. Castellum appellat Dagon, quod est Doc apud autorem primi Maccabæorum. Multis Salianus hanc narrationem impugnat. Similiter tamen narrat omnia in libro primo halofeos.

Jos. lib. 13. cap. 16. Antiochus (Sidetes) memor incommodorum, quæ dederat Simon, in Judæam irrupit, quarto anno regni sui, primo principatus Hyrcani, olympiade centesima sexagesima secunda. Vastato agro Hyrcanum intra urbem compulit: quam septenis castris cinctam cum urgeret, primò nihil proficiebat ob mænium firmitudinem & obsessorum virtutem, accedente etiam aquarum penuria, cui tandem sub occasum Pleiadis imber delapsus fuit remedio: verum ad septentrionalem muri partem, qua plana erant, excitatis centum turribus, quæ surgebant usque in tertiam contignationem, impositisque *(ἀνεβίβασεν)* cohortibus *(στρατιωτικὰ τάγματα)* quotidie tentabat mœnia: deinde & fossa lata & profunda, ac duplici præclusit exitum *(ἀπετύχισε* leg. *ἀπετείχισε)* Hi multis excursionibus, ubi imparatos inveniunt hostes, damnum dant ingens ac varium, ubi sentiebant, expedito recursu. Hyrcanus animadvertens noxiam sibi esse multitudinem, cum citius absumeretur commeatus, nec multarum manuum opera opus haberet, inutilem turbam expulit, solis retentis, qui ob ætatis vigorem ad pugnam erant idonei. Antiochus exclusos vetabat prodire, ita in pœmæriis *(ἐν τοῖς μεταξὺ τείχεσι)* oberrantes, fame solvebantur. Cum jam instaret festum Scenopegiæ, miserati eorum, qui intus erant, recepere. Hyrcanus missis ad Antiochum legatis petiit septem dierum inducias, quibus ageretur festum, quod ille non tantum concessit sed & tauros auratis cornibus & varii generis aromatum pocula, aurea & argentea, ad magnificum sacrificium misit. Sacrum munus susceptum, qui ad portas erant, à ferentibus, adducunt in templum. Interim dum agebatur festum Antiochus epulo excipiebet exercitum, multum dissimilis Antiocho Epiphani, qui urbe capta sues immolabat in ara, & jure carnium earum ædem aspergebat, violatis *(συγχέας)* Judæorum legibus & cultu patrio: ob quæ gens in bellum tracta est & inreconciliabili odio exarsit. Hunc autem Antiochum propter eximiam religionem Pium omnes appellarunt. Hac causa motus Hyrcanus, admiratusque viri religionem petiit per legatos, ut liceat sibi patriis legibus vivere *(τὴν πάτριον πολιτείαν)* Tum rex repulsis qui suadebant delendam gentem insociabilem, leges dixit, sub quibus suis moribus uterentur, si obsessi arma traderent, & vectigalia Ioppes *(δασμὸν)* & cæterorum oppidorum extra Judæam: insuperque præsidium reciperent. Omnia admissa sunt præter præsidium, *διὰ τὴν ἀμιξίαν οὐκ ἐπιμιγνύμενοι πρὸς ἀλλήλους: quia consuetudinem non possent admittere.* Loco præsidii dederunt obsides & quingenta talenta: quorum trecentis & obsidibus (inter eos etiam Hyrcani frater erat) mox receptis rex abiit. Prius tamen loricam *(στεφάνην)* urbis dejicit. Cæterum Hyrcanus aperto Davidis monumento, qui divitiis reges omnes anteibat, tria millia talentorum extulit. Hinc primus Judæorum *(ξενοτροφεῖν ἤρξατο)* cæpit externum militem alere. Societas & amicitia ei obvenit à rege, quem & urbe recepit ac liberaliter & magnifice exercitum tractavit. Expeditionem facientem in Parthos secutus est. Quod testatur Nicolaus Damascenus per hæc verba: *τρόπαιον δὲ στήσας Ἀντίοχος ἐπὶ τῷ Λύκῳ ποταμῷ, νικήσας Ἰνδάτην τὸν Πάρθων στρατηγόν, αὐτόθι ἔμεινεν ἡμέρας δύο, δεηθέντος Ὑρκανοῦ τοῦ Ἰουδαίου διά τινα ἑορτὴν πάτριον, ἐν ᾗ τοῖς Ἰουδαίοις οὐκ ἦν νόμιμον ἐξοδεύειν.*

Josephus addit Nicolaum ista non mentiri: fuisse enim Pentecosten post Sabbatum. Iudæis autem non licere iter facere neque sabbato neque in festo. Congressus autem Antiochus cum Arsace Partho, amissa magna parte exercitus & ipse periit. Syrorum regnum suscipit ipsius frater Demetrius, dimissus ab Arsace, quo tempore Parthorum regionem invaserat Antiochus. Hæc evenerunt anno M. C. 3815. inituro 3816. De divitiis monumenti Davidis, quod & aliis locis Iosephus commemorat, putat Salianus fabulam esse Rabbinorum celebrantium Solomonis & Davidis opulentiam.

Hic Syriæ rex Antiochus misit Scipioni Numantiam obsidenti munera, ut refertur Epitome Liviana 57. *Scipio amplissima munera sibi ab Antiocho rege Syriæ missa, cum celare aliis imperatoribus Regum munera mos esset, pro tribunali acceptarum se esse dixit eaque omnia referre quæstorem in publicas tabulas jussit: ex iis viris fortibus munera se daturum.*

Causam belli in Parthos & bellum Justinus è Trogo lib. 38. *Demetrius, ut supra dictum est, cum bellum Parthis intulisset & multis congressionibus victor fuisset repente insidiis circumventus, amisso exercitu capitur. Cui Arsacides (Parthorum rex magno & regio animo) misso in Hyrcaniam non cultum tantum regium præstitit sed & filiam in matrimonium dedit, regnumque Syriæ, quod per absentiam ejus Trypho occupaverat, restituturum promittit. Post hujus mortem desperato reditu, non ferens captivitatem Demetrius, privatam etsi opulentam vitam pertæsus, tacitus in regnum fugam meditatur. Hortator illi & comes Callimander amicus erat: qui post captivitatem ejus è Syria per Arabia deserta, ducibus pecunia comparatis, Parthico habitu Babylonem pervenerat. Sed fugientem Phrahates, qui Arsacidæ successerat, equitum celeritate per compendiosos tramites occupatum retrahit. Ut est deductus ad regem Callimandro non tantum venia verum etiam præmium fidei datum. Demetrium autem & graviter castigatum ad conjugem in Hyrcaniam remittit artioribusque custodiis observari jubet. Interjecto deinde tempore, cum fidem illi etiam suscepti liberi facerent, eodem amico comite repetita fuga est: sed pari infelicitate prope fines regni sui deprehenditur ac denuo perductus ad regem, ut invisus à conspectu summovetur. Tunc quoque uxori & liberis donatus, in pœnalem sibi civitatem remittitur talisque aureis ad exprobrationem puerilis levitatis donatur. Sed hanc Parthorum tam mitem in Demetrium clementiam non misericordia gentis faciebat, nec respectus cognationis sed quod Syriæ regnum affectabant, usuri Demetrio adversus Antiochum fratrem prout res vel tempus vel foruna belli, exegisset.*

Hinc igitur Antiochum occupare bellum Parthicum voluisse. *Exercitum, quem multis finitimorum bellis induraverat, adversus Parthos ducit. Sed luxuriæ non minor apparatus, quam militiæ fuit: quippe 80. millia armatorum secuta sunt 300. millia lixarum; ex quibus coquorum, pistorum scenicorumque major numerus fuit. Argenti certe aurique tantum ut etiam gregarii milites caligas auro figerent proculcarentque materiam cujus amore populi ferro dimicant. Culinarum quoque argentea instrumenta fuere, prorsus quasi ad epulas non ad bella pergerent. Advenienti Antiocho multi Orientis reges occurrere, tradentes se regnaque sua cum execratione superbiæ Parthicæ. Nec mora congressioni fuit. Antiochus tribus præliis victor, cum Babyloniam occupasset, magnus haberi cœpit. Itaque omnibus ad eum populis deficientibus, nihil Parthis reliqui præter patrios fines fecit. Tunc Phrahates Demetrium in Syriam ad occupandum regnum cum Parthico præsidio mittit, ut eo pacto Antiochus ad sua tuenda è Parthia revocaretur. Interim, quoniam viribus non poterat, insidiis Antiochum ubique tentabat. Propter multitudinem hominum exercitum suum Antiochus per civitates in hyberna diviserat, quæ res exitii causa fuit. Nam cum gravari se copiarum præbitione & injuriis militum civitates viderent, ad Parthos deficiunt & die statuta omnes apud se divisum exercitum, per insidias, ne invicem ferre auxilia possent, aggrediuntur. Quæ cum nuntiata*

tiata Antiocho eßent auxilium proximis laturus, cum ea manu, quæ secum hyemabat, progreditur. In itinere obvium regem Parthorum habuit, adversus quem fortius, quam exercitus ejus dimicavit. Ad postremum tamen cum virtute hostes vincerent, metu suorum desertus occiditur: cui Phrahates exsequias regio more fecit, filiamque Demetrii, quam secum Antiochus adduxerat, captus amore virginis uxorem duxit. Pœnitere deinde dimissi Demetrii cepit &c. Demetrius festinatione usus turmas ad retrahendum *missas prævenit.* Clades Antiochi contigit anno Judaico regni Græcorum 182. M. C. 3820.

Josephus lib. 13. cap. 17. Hyrcanus (reversus ex expeditione Parthica ante mortem Antiochi) audita morte, confestim in urbes Syriæ ducit exercitum, ratus eas inventurum se (quod & erat) vacuas propugnatoribus. Medabam non sine labore sexto mense cepit. Hinc Sanegam & vicina. Prætereà Sicima & Garizin cum gente Chuthæorum, quæ tenebat (ὤκει) templum adinstar Hierosolymitani, quod Alexander M. concesserat Sanaballetæ ut conderetur. Destructum igitur est post annum ducentesimum.

Cepit etiam Idumææ urbes, Adora & Marissam. Idumæis subjugatis circumcisionem & Judaismum imposuit. ὥστε εἶναι πολιτῶν ἰουδαίους. Hæc referuntur ad annum M. C. 3820. & 3821.

Misit etiam legatos Romam renovaturos amicitiam & societatem & petituros restitutionem Joppes & portus, Gazaræ & fontium atque urbium reliquarum, quæ ablatæ erant per Antiochum. Legati fuerunt Simon Dosithei, Apollonius Alexandri, Diodorus Jasonis. Fanius Marci Filius indixit senatum, ἐν κομιτίῳ, octavo iduum Februarii, præsente Lucio Manio L. F. Mentina & C. Sempronio C. F. Falerna. Senatus consultum factum est de restituendo & ut id curent legati à Senatu missi. Literæ datæ legatis ut tutius possent reverti & datum viaticum à Fanio prætore. Rex Demetrius reversus in regnum, quasi re bene gesta, cum Parthico bello ipse captus, frater occisus esset, exultans, non invenit, quo occurreret Hyrcano, libere grassanti. Nam propter mores improbos Syris & militibus invisus erat. Hinc miserunt ad Ptolemæum Physconem, rogantes, ut aliquem ex Seleuci genere eis daret, quem possent regem sibi constituere. Cumque is misisset Alexandrum Zebinam, commisso prælio Demetrius vincitur: & refugiens è pugna ad Cleopatram uxorem in Ptolemaida, exclusus est ab ea: profectusque inde Tyrum capitur, ac post multas illusiones inimicorum occumbit. Hæc aliter longè narrantur apud Justinum: *Quasi Parthica bella prosperè gessißet, ita Ægypto bellum inferre statuit: regnum Ægypti Cleopatra socru, pretium auxilii adversus fratrem suum pollicente. Sed dum aliena affectat, ut aßolet fieri, propria per defectionem Syriæ amisit. Siquidem Antiochenses primi, duce Tryphone exsecrantes superbiam regis, quæ conversatione Parthicæ crudelitatis intolerabilis facta erat, mox Apameni cæteraque civitates exemplum secutæ, per absentiam regis à Demetrio defecere. Ptolemæus quoque rex Ægypti, bello ab eodem petitus, cum cognovisset Cleopatram sororem suam opibus Ægypti navibus impositis, ad filium & Demetrium generum in Syriam profugiße immittit juvenem quendam Ægyptium, Protarchi negotiatoris filium, qui regnum Syriæ armis peteret. Et composita fabula quasi per adoptionem Antiochi regis receptus in familiam regiam esset, nec Syriis quemlibet regem aspernantibus, ne Demetrii paterentur superbiam; nomen juveni Alexandri imponitur, auxiliaque ab Ægypto ingentia mittuntur. Intereà corpus Antiochi interfecti à rege Parthorum in loculo argenteo ad sepulturam in Syriam remissum pervenit: quod cum ingenti studio civitatum & regis Alexandri ad firmandam fabulæ fidem excipitur: quæ res illi magnum favorem popularium conciliavit, omnibus non fictas in eo sed veras lachrymas existimantibus. Demetrius autem victus ab Alexandro,*

cum undique circumſtantibus malis premeretur, ad poſtremum etiam ab uxore filiisque deſeritur. Relictus igitur cum paucis ſervulis, cum Tyrum religione templi ſe defenſurus petiſſet navi egrediens, præfecti juſſu interficitur. Alter ex filiis Seleucus quoniam ſine matris auctoritate diadema ſumpſiſſet, ab eadem interficitur; alter cui propter naſi magnitudinem cognomen Grypo fuit, rex à matre hactenus conſtituitur, ut nomen regis penes filium, jus autem omnis imperii penes matrem eſſet. Anno Seleuc. 184. Cleopatra Demetrium Syriæ regem evocat in Ægyptum.

A. S. 185. Zebinas Demetrium vincit & opprimit. M. C. 3823. Alexander Zebinas regnum adeptus fœdus fecit cum Hyrcano pontifice, deinde in prælio cæſus occubuit, vincente Grypo. Juſtinus iterum: *Alexander occupato Syriæ regno, tumens ſucceſſu rerum, ſpernere jam etiam ipſum Ptolemæum, à quo fuerat ſubornatus in regnum, ſuperba inſolentia cœpit. Itaque Ptolemæus reconciliata ſororis gratia, deſtruere Alexandri regnum, quod odio Demetrii viribus ſuis acquiſierat ſummis opibus conſtituit. Mittit igitur ingentia Grypo auxilia, & filiam Tryphenam Grypo nupturam, ut populos in auxilium nepotis, non ſocietate tantum belli, verum & affinitate ſua ſolicitaret. Nec res fruſtra fuit: nam cum omnes Grypum inſtructum Ægypti viribus viderent, paulatim ab Alexandro deficere cœpere. Fit deinde inter reges prælium, quo victus Alexander Antiochiam profugit: ibi inops pecuniæ, cum ſtipendia militibus deeſſent, templo Iovis ſolidum ex auro ſignum tolli jubet, facetis jocis ſacrilegium circumſcribens: Nam victoriam commodatam ſibi ab Iove eſſe dicebat. Interjectis deinde diebus cum ipſius Iovis aureum ſimulachrum infiniti ponderis tacitè evelli juſſiſſet, deprehenſusque in ſacrilegio, concurſu multitudinis eſſet in fugam verſus, magna vi tempeſtatis oppreſſus ac deſertus à ſuis à latronibus capitur; perductusque ad Grypum interficitur.* Interiit iſte Alexander A. S. 188. M. C. 3826.

Grypus recuperato patrio regno, externisque periculis liberatus inſidiis matris appetitur. Quæ cum cupiditate dominationis prodito marito Demetrio & altero filio (Seleuco) *interfecto, hujus quoque victoria inferiorem dignitatem ſuam factam doleret venienti ab exercitatione poculum veneni obtulit. Sed Grypus prædictis jam ante inſidiis veluti pietate cum matre certaret bibere ipſam jubet, abnuenti inſtat. Poſtremum prolato indice coacta, ſcelere ſuo in ſe verſo, extinguitur.* Parta ſecuritate, Grypus, *octo annis, quietem & ipſe habuit & regno præſtitit.* Sic Iuſtinus, ſed Ioſephus videtur ſignificare, quod mox ab initio fratrem timuerit, Antiochum Cyzicenum: quia audiens eum in ſe bellum parare & copias apud Cyzicum colligere, in qua urbe educatus fuerat, non fuerit auſus Hyrcano bellum inferre. Hic erat genitus Antiocho Sotere (ſeu Pio) eadem matre è qua ipſe. Nam Cleopatra duobus fratribus alteri poſt alterum nupſerat. Hyrcani opes crevere, dum Syria mutuis fratrum odiis colliſa ad ipſum reſpicere non potuit. Poſt Antiochi Pii cædem defecerat à Macedonibus, nulli deinceps ſubditus nec amicus: ſed magnis admodum ſucceſſibus res ejus auctæ ſunt, majoribus etiam cum duo Antiochi regnarent. Cum enim nulla ab Ægypto ſubſidia venirent, utrumque facile deſpexit. Juſtinus narrat, cum Grypus Cyzicenum veneno tollere voluiſſet, ut maturius armis cum eo de regno contenderet, excitaſſe.

Joſephus lib. 13. cap. 18. Hyrcanus iratus Samarienſibus, quia læſerant Mariſſenſes colonos & ſocios Judæorum, ſubditi Syriæ regibus, cum foſſam & duplicem murum circumduxiſſet urbi, in diſtantia octoginta ſtadiorum, obſidionem mandat filiis Antigono & Ariſtobulo: quibus urgentibus, coacti fame alimentis uſi ſunt inuſitatis & opem Cyziceni implorarunt. Antiochum fortiter repulere Ariſtobuli milites, qui perſequentes uſque Scythopolim Antiochum pene ceperunt & Samaritas intra mœnia compulerunt. Iterum imploratus, ac-

citis

citis à Lathuro circiter ſex armatorum millibus, quos ille invita matre & tantum non imperio per eam deturbatus miſerat, primò vagabatur per ditionem Hyrcani latrocinabandus cum Ægyptiis, non auſus quidem aperto Marte decernere (μάχεσθαι κατὰ πρόσωπον) quod eſſet impar viribus, exiſtimans tamen ſe vaſtandis agris effecturum, ut Hyrcanus obſidionem ſolveret. Sed poſtquam multos è ſuis amiſit exceptos hoſtium inſidiis, profectus eſt Tripolin Callimandro & Epicrati demandato bello Judaico. Ex his Callimander, audentius cum hoſte congreſſus, & in fugam actus cecidit. Epicrates autem auri cupidine Scythopolin & alia circa illam loca aperte Judæis prodidit, Samariam liberare ab obſidione non potuit. Atque ita Hyrcanus poſt annuam obſidionem captam urbem, delevit totam, & torrentibus inundabilem fecit. Effoſſa humo ne quidem urbis veſtigia ſuperfuerunt. Hæc fuit Hyrcani proſperitas, cui & illud ſubjicit, quod oraculum ei obtigerit. Ea enim ipſa die, qua filii manus conſeruerunt cum Cyziceno, incenſum adolens in æde, cum ſolus eſſet, audivit vocem nuntiantem recentem de Antiocho filiorum victoriam. Progreſſus ex æde narrat rem, quam deprehenſum eſt ita ſe habuiſſe. Poſt Artaxerxis ſecundi tempora Spiritus prophetiæ ſiluerat, ideò etiam in iſtiuſmodi vocibus, quæ particulares eventus indicabant, admiratio hominum fuit.

Obiter deinde meminit autor de Judæorum Ægypti proſperitate, qua occaſione Ægypti & Judæorum potiſſimum in Ægypto res repetendæ fuerint inde à Philometoris morte, in qua eas ſuperius reliquimus. Philometore è vulneribus mortuo, cujus filia ab Alexandro Bala abducta tranſiit ad Demetrium juniorem, poſteà etiam ad Antiochum Sideten, ut ſupra dictum eſt. Mortuo, inquam, Philometore (anno M. C. 3804.) voluit ſibi vidua Cleopatra regnum aſſerere ſed eſt occupata cum regno à Ptolemæo Phyſcone, mariti defuncti fratre, qui Cyrenis regnabat. De Phyſconis initio circa quod Apion Grammaticus Judæos calumniatus erat, Joſephus diſputat, Judæorum ſtatum & defenſionem proponens lib. 2. in Apionem. Dicit Apionem ignoraſſe, quod pene omnes in ordine Philadelphi ſucceſſores (ἀπογόνων legendum pro προγόνων) Macedonum reges familiariſſime affecti fuerint erga Judæos. Tertium enim Ptolemæum, cognomento Euergeten, tota per vim occupata Syria, non immolaſſe diis Ægypti χαριστήρια τῆς νίκης ſed cum Hieroſolymam adveniſſet, Deo Judæorum hoſtias ſecundum legem Moſis. Multa etiam dedicaſſe donaria, anno M. C. 3705. Philometorem autem Ptolemæum & uxorem ejus Cleopatram totum regnum Judæis concredidiſſe, duces ſummos omnium copiarum fuiſſe Oniam & Doſitheum Judæos. Eorum nomina rideri ab Apione, cum oporteret facta admirari, non traducere, ſed gratiam habere, quod ſervaverint Alexandriam, cujus, ut civis, Apion ſtudioſus erat. Nam cum illi (cives Alexandrini) adverſus Cleopatram inſurgerent bello & in periculo interitus eſſent, hic Onias & Doſitheus (συμβάσεις ἐποίησαν) concordiam fecerunt & liberarunt ab inteſtinis malis. Senſus eſt, ut videtur, quod cum populus in Phyſconem inclinaret, regina ſibi vindicante regnum, feciſſe hos Judæos, ut concordia initetur. Ita Ptolemæus Phyſcon regnum & viduam accepit, inteſtino bello ſopito. Objicere autem poſt id Apionem, quod Onias, exiguum exercitum ad urbem duxerit, cum illic eſſet Thermus legatus Romanorum. Illud rectè feciſſe reſpondet Ioſephus: Nam Phyſconem mortuo Philometore, Cyrenis exiiſſe ut Cleopatram regno ejiceret & filios ejus: ut ſibi injuſte regnum applicaret. Hic defectus eſt in Græco Ioſephi, quem Rufinus habet, cujus verba apponemus. Deinde inquit, *Onias adverſus eum bellum pro Cleopatra ſuſcepit: & fidem, quam habuit circa reges, nunquam in neceſſitate deſeruit. Teſtis*

 autem

autem Deus justitia ejus manifestus apparuit. Nam Physcon Ptolemæus cum adversus exercitum quidem Oniæ pugnare præsumeret omnes verò Iudæos in civitate (Alexandrina) *positos cum filiis & uxoribus captos, nudos atque vinctos elephantis subjecisset, ut ab eis conculcati deficerent, & ad hoc etiam bestias ipsas inebriasset, in contrarium quæ præparaverat, evenere. Elephanti enim relinquentes sibi appositos Iudæos, multos ex ipsis interemere. Et post hæc Ptolemæus quidem aspectum terribilem contemplatus est, prohibentem se ut illis noceret hominibus. Concubina verò sua carissima: quam alii quidem Ithacam, alii vero Hirenen denominant: supplicante ne tantam impietatem perageret, & concessit & ex his, quæ egerat vel acturus erat, pænitentiam egit. Vnde rectè hanc diem Iudæi Alexandriæ constituti, eo quod apertè à Deo salutem promeruere, celebrare noscuntur, Apion autem omnium calumniator etiam propter bellum adversus Physconem gestum, Iudæos accusare præsumpsit, cum eos laudare debuerit.*

Physconis hujus ingressum & dominationem ita describit Iustinus lib. 38. *At in Ægypto mortuo rege Ptolemæo, ei, qui Cyrenis regnabat Ptolemæo per legatos regnum & uxor Cleopatra regina, soror ipsius, defertur. Lætus igitur hoc solo Ptolemæus, quod sine certamine fraternum regnum recepisset, in quod subornari & à matre Cleopatra & favore principum* (inter hos illi Iudæi duces) *fratris filium cognoverat. Ceterum infestus omnibus, statim ubi Alexandriam ingressus est, fautores pueri trucidari jussit. Ipsum quoque die nuptiarum, quibus matrem ejus in matrimonium recipiebat, inter apparatus epularum & solennia religionum, in complexu matris interficit atque ita thorum sororis cæde filii ejus cruentus, ascendit.* Hic ejus ingressus: ubi velim eruditos componere & digerere in ordinem, quod Iosephus narrat, de Physconis conatibus, quibus reginam voluit expellere cum filiis, quibusque exercitu admoto adversatus est Onias. Pergit Iustinus *Post quod non mitior in populares, qui eum in regnum vocaverant, fuit: Siquidem peregrinis militibus licentia cædis data, omnia sanguine quotidie manabant: ipsam quoque sororem, filia ejus, per vim stuprata & in matrimonium adscita, repudiat. Quibus rebus territus populus, in diversa labitur, patriamque metu mortis exul relinquit. Solus igitur in tanta urbe cum suis relictus Ptolemæus, cum regem se non hominum sed vacuarum ædium videret edicto peregrinos solicitat. Quibus confluentibus obvius legatis Romanorum Scipioni Africano & Spurio Mummio & L. Metello, qui ad inspicienda sociorum regna veniebant, procedit, sed quam cruentus civibus tam ridiculus Romanis fuit. Erat enim & vultu deformis & statura brevis & sagina ventris non homini sed belluæ similis. Quam fœditatem nimia subtilitas perlucidæ vestis augebat, prorsus quasi astu inspicienda præberentur, quæ omni studio occultanda pudibundo viro erant. Post discessum deinde legatorum* (quorum Africanus dum inspicit urbem, spectaculo Alexandrinis fuit) *jam etiam populo peregrino invisus, cum filio, quem ex sorore susceperat & cum uxore matris pellice, metu insidiarum tacitus in exilium proficiscitur, contractoque mercenario exercitu, bellum sorori pariter ac patriæ infert. Arcessitum maximum deinde à Cyrenis filium, ne eum Alexandrini contra se regem crearent, interficit. Tunc populus statuas & imagines ejus detrahit. Quod factum studio sororis existimans, filium quem ex ea susceperat, interficit, corpusque in membra divisum & in cista compositum, matri die natalis ejus inter epulas offerri curat. Quæ res non reginæ tantum, verum etiam universæ civitati acerba & luctuosa fuit: tantumque mærorem festivissimo convivio intulit ut regia omnis repentino luctu incenderetur. Verso igitur studio principum ab epulis in exsequias, membra lacera populo ostendunt & quid sperare de rege suo debeant, filii cæde demonstrant. Finito luctu orbitatis, Cleopatra cum urgeri se fraterno bello videret, auxilium à Demetrio regè Syriæ, per legatos petit &c.* Epitome Liviana 59. *Ptolemæus Euergetes* (11. alias Physcon) *cognominatus, ob nimiam crudelitatem suis invisus, incensa à populo regia, clam in Cyprum profugit. Et quum sorori ejus Cleopatræ (quam filia ejus virgine per vim compressa atque in matrimonium*

monium ducta) repudiaverat, regnum à populo datum esset, infensus, filium, quem ex illa habebat, Cypri occidit, caputque ejus & manus & pedes matri misit. Id factum circa annum M. C. 3821. Mortuus est anno M. C. 3834. succedente sorore & ejus filio Ptolemæo Lathuro.

In lib. 2. Maccabæorum capitibus primis duobus continentur loco præfationis sequentia. Judæi Hierosolymitæ & terræ Judææ scribebant Judæis Ægypti (anno 269. id est 170. anno M. C. 3813. regnante Demetrio, quem premebat Trypho) de diebus Scenopegiæ in mense Chaseleu. Quemadmodum & postea scripserunt. Epistola illa posterior recitatur in principio cap. 1. à v. 1. ad 10. Anno centesimo octuagesimo octavo (id est anno Judæorum 189.) M. C. 3826. etiam scribunt Hierosolymitæ & qui per regionem, senatus & Judas (fortasse legendum Iohannes) Aristobulo doctori Ptolemæi regis è genere unctorum sacerdotum & Judæis in Ægypto. Scribunt se liberatos è magnis periculis. Deum enim ejecusse illos, qui bellum gesserant cum sancta urbe. Dux enim cum pervenisset in Persida, illic cum copiis cæsum esse. Nam cum Antiochus & amici pervenissent ad templum, (tanquam esset Antiochus conjugium initurus cum Nanæa) rapturi pecunias loco dotis, cumque eas proposuissent sacerdotes, atque ipse cum paucis accessisset intra septum fani, clauso templo postquam introiisset rex, apertaque occulta janua (φατνώματος) cellæ, jactu lapidum (συνεκεραύνωσαν) obruerunt ducem: quem membratim dissectum, capite desecto foras projecerunt. Igitur acturi in mense Chaseleu, die 25. purificationem templi, necessarium duxerunt indicare, ut simul festum agerent Scenopegiæ & ignis. Scenopegia iterata fuit in festo encæniorum. Deinde conjunxerunt, postquam fabulæ invaluerunt, festum ignis inventi. Fabulantur enim ignem illum perpetuum primi templi inventum esse à Nehemia cum structo templo & ara, immolavit. De igni isto fabulantur illi Judæi; cum in terram Persicam (id est Babylonicam) majores sui abducebantur, pios sacerdotes, clam surreptum de igni altaris, abdidisse in fossam, quæ habebat faciem putei sicci; in qua occuluere, ut omnibus esset ignorabilis locus. Post lapsum annorum multorum, cum Deo volente, missus Neemias à rege Persidis, nepotes sacerdotum, qui abdiderant, misit, reversi retulere non invenisse se ignem sed crassam aquam. Jussit Nehemias haustam aquam aspergi lignis & impositis. Tum post aliquantum temporis, sole è nubibus resplendente, accensum esse ingentem rogum. Dum absumebatur sacrificium sacerdotes omnesque incipiente Ionathane (Hic igitur fuit summus eo tempore pontifex, scilicet) succinentibus reliquis, & Nehemia, orationem faciebant, quam exprimit. Inde sacerdotes hymnos subjecisse. Absumptis victimis jussit Nehemias reliquam aquam magnis lapidibus premi (κατασχεῖν) Inde flamma erupit: igne autem altaris è regione lucente consumpta est. Hanc rem ad regem emanasse, qui locum ubi ignis fuerat inventus, jussit septo circumdari & sacrum esse, postquam etiam rem experimento probasset. Locum illum vocatum esse à Nehemia & iis cum ipso erant, Nephthar, quod significet καθαρισμός. A multis appellari Nephthai. Cap. 2. continuat eas literas Judæorum terræ Israel ad Judæos Ægyptios, ubi multa fabulantur de Jeremia. Habere se scripta (ἀπογραφαῖς) in quibus narretur, quæ præcepta dederit posteris. Scriptum etiam, quomodo jusserit ex oraculo sequi se tabernaculum & arcam thymiamatis, quæ antro incluserit. Eum locum esse ignorabilem donec Deus universi populi congregationem fecerit, ἕως ἂν συναγάγῃ ὁ θεὸς ἐπισυναγωγὴν τοῦ λαοῦ Tum nubem & gloriam apparituram ut sub Mose. Tandem subjicit autor, quod ipse è Iasone Cyrenæo Judæ Maccabæi & fratrum res gestas sit redacturus

dacturus in epitamen. Sic epistolæ Judæorum extenduntur usque ad v. 19. cap. 2.

Nunc redeamus ad Iosephum, qui in sequentibus dicti libri & capitis narrat prospera Judæorum Ægypti sub Ptolemæi Lathuri matre Cleopatra. Cleopatra enim dissidens à filio Ptolemæo, copiis suis præposuerat Chelciam & Ananiam filium Oniæ illius, qui in nomo Heliopolite templum struxerat. Ex horum sententia regina omnia faciebat. Strabonem ita laudat: οἱ γὰρ πλείους ἤδη συνελθόντες ἡμῖν καὶ οἱ ὕστερον ἐπιπεμπόμενοι παρὰ τῆς Κλεοπάτρας εἰς Κύπρον, μετεβάλλοντο παραχρῆμα πρὸς τὸν Πτολεμαῖον, μόνοι δὲ οἱ ἐκ τῆς Ὀνίου λεγόμενοι συνέμενον Ἰουδαῖοι διὰ τὸ τοὺς πολίτας αὐτῶν εὐδοκιμεῖν μάλιστα παρὰ τῇ βασιλίσσῃ Χελκίαν τε καὶ Ἀνανίαν. Prosperitas invidiam faciebat Iohanni Hyrcano. Pharisæi potissimum illi infensi erant. Hi plurimum pollebant autoritate apud plebem, quæ etiam habebat fidem loquentibus adversus regem aut pontificem. Horum discipulus fuerat Hyrcanus, admodum carus. Cum aliquando eos vocasset ad convivium & habuisset comiter, postquam animadvertit eos exhilaratos admodum, cœpit dicere, nosse eos, quod cuperet esse justus & omnia facere, quæ placerent Deo: rogare igitur si videant exorbitantem à via ut corrigerent. Pharisæi sapientiæ studio incumbebant (καὶ αὐτοὶ δὲ φαρισαῖοι φιλοσοφοῦσιν) Illi testimonium dabant omnis virtutis: quo ille elogio gaudebat. Tum unus accumbentium, Eleazarus nomen erat, vir malignus & seditionis amans, quoniam, inquit, potuisti nosse verum, si vis esse justus, depone pontificium & sufficiat tibi habere populi ducatum. Cum causam quæreret, ob quam deponere oporteret, quia à senioribus, respondet, accepimus matrem tuam fuisse captivam regnante Antiocho Epiphane. Falsum hoc erat & Hyrcanus excanduit, omnes autem Pharisæi valde indignabantur. Cæterum unus Sadducæorum, sectæ Pharisæis contrariæ, ex amicissimis Hyrcani, dicebat Eleazarum communi Pharisæorum sententia maledictum dixisse: idque manifestum fore, si eos percontetur, qua pœna ob id dictum dignus videretur. Id cum à Pharisæis sciscitaretur Hyrcanus, Se enim cogniturum, eum non esse locutum ex eorum mente, si illum hominem pœnæ convenienti modo addicerent: respondent, plagis & vinculis. Judicabant enim ob convitium mortis supplicio affici non oportere. Nam & natura moderatiores erant ad punitionem. Id Hyrcanum admodum turbavit ac in eam traxit opinionem, quod ex eorum sententia esset locutus. Maxime eum inflammabat Ionathan, traduxitque in sectam Sadducæorum, Pharisaica abdicata ejusque institutis apud populum abolitis: unde & eos qui illa observarent, pœnis affecit. Hinc in ipsum & filios odium plebis. Hic notat Iosephus, quod Pharisæi multa statuta (νόμιμα) tradiderint populo, ex successione patrum (ἐκ πατέρων διαδοχῆς) quæ non habeantur in legibus Mosis atque ideò à Sadducæis rejecta fuere dicentibus, ea tantum quæ scripta sunt, legum vim habere, nec esse servanda, quæ nata sunt è traditione patrum. Hinc illi inter se digladiabantur; ditioribus solis Sadducæorum sectæ addictis, plebe favente Pharisæis. Hyrcanus post sopitam seditionem prospere egit. Cum uno & triginta annis functus esset principatu, decedit relictis filiis quinque. Eum polluisse scribit principatu, pontificatu & prophetia. Deum enim ipsi (συνῆν γὰρ αὐτῷ τὸ θεῖον) eatenus se præbuisse, ut futura sciret & prædiceret. Unde & de duobus filiis majoribus natu, prædixit, paterni principatus diu non fore compotes, ὅτι μὴ μενοῦσι τῶν πραγμάτων κύριοι. Ignoravit Iosephus quid propheta esset, qui ejusmodi leves impetus prophetam facere putavit. Obiit Hyrcanus anno M. C. 3845. labente ad finem.

Aristo-

Aristobulus rex primus Judæorum.

JOsephus lib. 13. c. 19. Aristobulus natu maximus filiorum Hyrcani, principatum in regnum mutat, assumpto diademate. Id factum est 481. annis & mensibus tribus post reditum è Babylone. Annus iste Græcorum erat 238, ineunte 209. Post mortem Alexandri 220. Si hos tollas, imperium Persarum ab initio Cyri ad mortem Alexandri duravit annis 261. Fratres minores tres in vinculis habuit: secundum Antigonum, quem amabat, assumpsit in regni societatem. Matrem etiam contendentem de dominatu, quia Hyrcanus eam dominam rerum reliquerat (τῶν ὅλων κυρίαν καταλελοίπει) conjecit in carcerem, atque eo processit crudelitatis ut fame in vinculis eam enecaret. Interfecit etiam fratrem, quem amplectebatur (ὃν στέργειν ἐδόκει) & regni consortem fecerat, falsis delationibus inductus. Calumniis primò non habuit fidem, quia amabat & ab invidia dictari putabat. Sed cum Antigonus ab expeditione aliquando magnifice reverteretur quo tempore solenne scenopegiæ festum celebratur, accidit ut Aristobulus incideret in morbum, frater autem celebraturus sacrum splendidissime ornatus in templum ascenderet cum armatorum comitatu, potissimum ut pro fratris salute vota faceret. Hinc homines nequam & laborantes dirimere fratrum concordiam occasionem nacti è pompa, quam adornaverat & rebus prospere gestis, adeunt regem, maligne omnia in majus extollunt; non fuisse pro modo privati hominis unumquodque istorum sed ostendere regni affectationem. Deinde ipsum venturum cum valida armatorum manu ad occidendum regem, quod stultum existimet, cum regnare posset, communicato honore contentum esse, τιμῆς μεταλαμβάνοντος δοκεῖν μεγάλων τυγχάνειν. Aristobulus his non admodum credens & quod non esset suspicax, fratri providens, simulque consulens suæ securitati, collocavit satellites in quodam loco subterraneo & obscuro. Decumbebat in turri, quæ postea appellata est Antonia. Præcepit autem ut inermem non attingerent, sed si armatus adventaret trucidarent. Præmisit tamen ad Antigonum rogatum, ut inermis veniat. At regina & socii insidiarum, persuaserunt nuntio, ut contraria diceret: Audisse fratrem quod comparasset sibi eximiam armaturam (ὅπλα καὶ κόσμον πολέμου) rogare ut ita armatus accederet ad se, ut illam intueretur. Antigonus vero nihil mali suspicatus & fretus fratris benevolentia, ita ut erat, cum tota armatura venit ad fratrem, ostensurus arma. Cum autem esset apud Stratonis appellatam ita turrim, ubi valde obscurus erat transitus, à satellibus trucidatur: Narrat hunc interitum Antigoni prædictum fuisse à Juda quodam, Esseno, quem in ejusmodi prædictionibus nunquam falli contingeret. Hic videns Antigonum accedentem (παριόντα) ad templum exclamavit inter sodales & familiares, qui ob disciplinam prædicendi eum affectabantur (διδασκαλίας ἕνεκα τοῦ προλέγειν τὰ μέλλοντα, quasi disciplina fuerit, cum fuerit χάρισμα) optabile esse ut occumbat, quia de Antigono falsum dixisset. Prædixisse enim eo illum die moriturum apud turrim Stratonis, videre autem superstitem & à Stratonis turri, abesse sexcentis stadiis, quo loco eum trucidandum esse prædixerat. Jam diei plurimam partem transiisse, atque ita periculum esse ne mentiatur suum vaticinium. Hæc dicenti & solicito nuntiatur mortuum esse Antigonum in subterraneo, cui nomen turris Stratonis, ejusdem scilicet nominis cum Cæsarea, urbe maritima. Id conturbavit vatem (prophetam nunquam μάντιν) appellat sed Aristobulum mox cepit pœnitentia fratricidii & cum ea morbus, mente læsa ab odio facti, ut & intestinis male affectis ab immoderato dolore, sanguinem eje-

ctaret : eum quidam de ministris efferens (τῶν διακονουμένων τις παίδων) Divina, ut reor, providentia (κατὰ δαιμονίου οἶμαι πρόνοιαν) lapsus effudit in eundem locum, ubi occisi Antigoni maculæ sanguinis adhuc erant. Orto autem clamore à videntibus, tanquam puer de industria illic effudisset, audiens Aristobulus causam sciscitabatur. Cum non dicerent, acrius urgebat discere. Cum igitur minitanti & cogenti, edidissent verum, percusso mentem consciam erumpunt ubertim lachrymæ: & gemitum imo pectore ducens, ergo, inquit, non latent Deum tam impia & scelerata facinora, sed me apprehendit acceleratum supplicium parricidii (συγγενικοῦ φόνου) Et quousque, ô impudens corpus detinebis animam debitam fratrum & matris manibus (δαίμοσι) cur eam non reddis semel (ἀθρόαν) partiliter autem libo sanguinem meum cæde nefaria occisis? Hæc verba sonant paganam superstitionem, quam malim tribuere Josephi aut illius qui puriore Græcismo Josephi orationem induit, errori, quam Aristobulo. Aristobulus cum dicto animam efflavit, cum anno uno regnasset, quo patriam multis affecit beneficiis, bello occupata Ituræa, magnaque ejus parte Judææ attributa, cujus habitatores comminatione exilii coëgit circumcisionem & Judaismum admittere. Natura æquus erat & moderatus (αἰδοῦς κρείττων) ut testatur Strabo nomine Timagenis: Ἐπιεικής τε ἐγένετο οὗτος ὁ ἀνὴρ καὶ πολλὰ τοῖς Ἰουδαίοις χρήσιμος. χώραν τε γὰρ αὐτοῖς προσεκτήσατο καὶ τὸ μέρος [illegible] τῶν Ἰτουραίων ἔθνους ᾠκειώσατο, δεσμῷ συνάψας τῇ τῶν αἰδοίων περιτομῇ.

Alexander.

JOs. lib. 13. cap. 20. Post obitum Aristobuli Alexander principatum accepit. Hic alias Jannæus dictus, erat maximus natu fratrum eorum, quos Aristobulus in vinculis habuerat. Salome, quam Græci Alexandram vocant, marito defuncto eum regem constituit. Exosus fuerat patri Johanni Hyrcano, inde ab infantia & primo ortu suo. Cujus odii hanc causam esse ferebant: Hyrcanus diligens præ aliis filios majores natu Aristobulum & Antigonum, Deum in somnis apparentem consuluit de successore. Cum igitur Deus hujus effigiem (χαρακτῆρας) ostendisset, contristatus, quod is in omnes fortunas esset successurus, in Galilæa eum voluit educari. Nactus regnum ut Deus monuerat, alterum fratrum insidiantem sibi interfecit, alterum contentum vita privata & otiosa (ἀπράγμονα ζῆν προαιρούμενον) in honore habuit. Composito deinde regni statu copias ducit adversus Ptolemaida: pugnaque superior oppidanos mœnibus inclusos obsidet. Solæ enim de maritimis Gaza & Ptolemais expugnandæ (χειρωθῆναι) supererant & præter has Zoïlus tyrannus tenens Stratonis turrim & Dora. Antiochis duobus Grypo (qui & Philometor) & Cyziceno (qui & Aspendius appellatur) mutuò se atterentibus, nullam inde spem *auxilii* habebant: sed laborantibus Zoïlus, qui tyrannidem inter regum *certamina* affectabat, opem levem afferebat. Supererat una spes à Ptolemæo Lathuro Ægypti rege qui à matre ejectus in Cyprum se contulerat: ad quem legati missi, ostentabant Gazenses & Zoïlum & Sidonios multosque alios cum illis in ejus partibus fore. Interim dum se parat Ptolemæus, Demænetus qui plurimum Ptolemaide apud cives suos poterat, persuasit illis, ut mutarent sententiam, conducibilius dicens incertam cum Judæis experiri compositionem, quam certam subire servitutem, & prætereà non tantum præsens habere bellum, sed & multò majus ab Ægypto. Cleopatram enim non permissuram ut vires sibi Ptolemæus pararet è vicinia sed adversus eum venturam cum valido exercitu. Dare enim operam ut illum etiam è Cypro ejiciat. Necessarium fore Ptolemæo,

mæo, si hac spe excidat, refugere in Cyprum, ipsis autem extremum subire periculum. Ptolemæus cognita in itinere Ptolemaidensium mutatione, nihilominus profectionem continuat, cumque appulisset ad locum, qui dicebatur Sycaminus, illic copias exponit, quæ constabant circiter triginta millibus equitum simul & peditum. His adductis ad Ptolemaida & castis positis, cum neque legati ejus neque verba admitterentur, conjectus est in solicitudinem. Postquam vero Zoilus ad eum & Gazæi venerunt, petentes auxilium contra Judæos & Alexandrum agros eorum vastantem, obsidio Gazæ metu Ptolemæi soluta est ab Alexandro, qui reducto in suam regionem exercitu, astu agebat (ἐστρατήγει) de cætero, clam vocans Cleopatram contra Ptolemæum, aperte autem amicitiam & societatem simulans cum eo. Etiam quadringenta argenti talenta se ei daturum promisit, si amoto Zoilo, regionem illam Judæis attribueret. Id libenter & prompte fecisset Ptolemæus inita jam societate cum Alexandro & redacto in potestatem Zoilo. At cum intelligeret Alexandrum misisse ad matrem, soluto fœdere, obsidebat Ptolemaida, quæ eum non receperat. Relictis ad Ptolemaida ducibus cum parte exercitus, cum reliquis copiis Judæam invadit. Alexander hoc rescifcens, collegit etiam indigenarum fermè quinquaginta millia: quidam scribunt octoginta. Quibus obviam proficiscitur Ptolemæo. Ptolemæus vero ex improviso adortus Sabbato Asochim Galilææ oppidum vi capit & circiter decem millia captivorum (σώματα) ac magnam prædam accipit.

Josephus lib. 13. cap. 21. Tentata etiam Semphori, quæ haud procul ab Asochi eversa distabat, multisque amissis, abiit conflicturus cum Alexandro. Occurrit ipsi Alexander ad Jordanem fluvium, ad locum quendam dictum Asophon proximum flumini & castra ponit prope hostes. Habebat autem in prima acie octies mille, quos hecatontamachos appellabat, gestantes æratos clypeos. Ptolemæi etiam propugnatoribus erant ærati clypei. In aliis inferiores Ptolemæi milites, timidius ibant in periculum (συνῆψαν) fiduciam verò non exiguam ipsis faciebat Philostephanus (τακτικὸς) aciei struendæ artifex, jussis transire flumen, (ὃ μεταξὺ) ad quod castra habebant. Alexander transitum noluit prohibere, ratus si hostis à tergo haberet flumen facilius se eum (αἱρήσειν) capturum quod è pugna non posset refugere. Primò acriter pugnatum est & magna utrinque cæde: at cum Alexandri milites superiores fieri inciperent, Philostephanus, divisis copiis, dextera acie cedentibus opem tulit cumque inclinatæ parti Judæorum nemo ferret suppetias, fugam ineunt proximis non succurrentibus, sed tractis in exemplum. Ptolemæi milites instando occidunt Judæos & tandem omnes in fugam versos persequebantur cædentes, donec hebescente ferro & manus lassarentur. Ferunt triginta millia cecidisse, Timagenes scribit quinquaginta millia. Reliquos captos esse aut fuga elapsos in patriam. Ptolemæus autem post victoriam percursa regione (προσκαταδραμὼν τὴν χώραν) cum serum esset in quibusdam Judææ vicis substitit: quos cum videret mulierum & puerorum plenos, mandat militibus, ut mactatos & in membra sectos in lebetes ferventes membratim conjicerent (σπῶντας τὰ μέλη ἀπάρχεσθαι) Id mandavit ut qui è prælio evaserant & eò accesserant, putarent hostes carnibus humanis vesci, eosque magis horrescerent quos ita facere viderent. Ita egisse & Strabo & Nicolaus testes sunt. Ptolemaida etiam vi ceperunt ut se Josephus alio in loco scribit exposuisse. Cleopatra autem videns filium crescere, Judæam vastare impune & Gazam subjecisse, non permittendum duxit, ut cresceret in Ægypti portis & ejus imperio inhians, sed confestim cum navalibus & pedestribus copiis in eum exiit, ducibus constitutis universarum

copiarum Chelcia & Anania Judæis. Pleraque opum & nepotes ac testamentum (διαθήκας) apud Coos deposuit. Jussoque Alexandro filio cum magna classe navigare in Phœnicen: cum ea defecisset ad ipsam (μεταστάσης) venit ad Ptolemaida. Non admissa obsidet urbem. Ptolemæus Lathurus è Syria raptim in Ægyptum contendit, vacuam milite, ut putabat, occupaturus, sed spe sua frustratus est. Ea tempestate Chelcias obiit; dum Ptolemæum in Syria Cæle persequitur. Cleopatra audiens molimen filii & propositum de Ægypto non successisse, missa parte exercitus eum regione ejecit. Hinc ille reversus hyemat Gazæ. Interim Cleopatra Ptolemaidem simul cum præsidiariis expugnat. Quo cum venisset Alexander cum muneribus & ita exceptus tractaretur, ut dignum erat hominem malè affectum à Ptolemæo, nec aliud habentem refugium: quidam amicorum suaserunt & hæc recipere & regionem occupare, nec permittere ut sub uno viro tantum virorum fortium *(ἀγαθῶν bonorum)* esset, Ananias suadebat contraria: dicens injuste facturam, si virum socium suis facultatibus privaret, præsertim suum cognatum. Illatam enim huic *injuriam*, omnes Judæos alienaturam. Cleopatra igitur persuasa societatem cum eo facit Scythopoli, Cæles Syriæ urbe. Ille liberatus metu Ptolemæi, expeditionem suscipit in Cælen, Gadaram decem mensium obsidione cepit. Capit etiam Amathunta, maximum castrum eorum, quæ ad Jordanem: ubi Theodorus Zenonis pulcherrima & appetenda *σπουδῆς ἄξια* habebat. Qui ex inopinato Judæos aggressus, interfectis eorum decem millibus impedimenta Alexandri diripuit. Alexander tamen ducit in partes maritimas, Raphiam ac Anthedonem (hanc Herodes postea Agrippiadem appellavit) quam & per vim expugnavit. Videns autem Ptolemæum Gaza relicta abiisse in Cyprum & matrem ejus Cleopatram in Ægyptum infensusque Gazæis, quod Ptolemæum in auxilium advocassent, urbem obsidet, agros populatur. Apollodoto duce Gazensium cum duobus millibus peregrinorum & mille suis *(οἰκετῶν)* famulis noctu aggresso Judæorum castra, quandiu nox erat, superiores erant Gazenses; præbentes speciem hostibus, quasi ipsis Ptolemæus supervenisset. Orto die & opinione refutata, Judæi conglomerati & illati in hostes, eorum ad mille interimunt. Gazensibus autem neque inopia neque multitudine cæsorum cedentibus (quidvis enim pati malebant quam sub hoste esse) animum etiam addebat Aretas Arabum rex, qui putabatur venturus in auxilium, ut promiserat (ἐπίδοξος ἦν ἥξειν αὐτοῖς σύμμαχος ἐπαγγειλάμενος) sed antè (πρῶτον) Apollodotum Lysimachus frater interimit, gloriæ illius apud cives invidens. Is fratre interfecto & collectis militibus (συγκροτήσας τὸ στρατιωτικὸν) Alexandro urbem tradit. Alexander silentio urbem ingressus, deinde copias Gazensibus puniendis immittit. Judæi alii aliò versi Gazenses trucidabant nec tamen illi *animis* ignavi *(τὰς ψυχὰς ἀγεννεῖς)* erant, sed ab irruentibus se defensantes, *non* pauciores Judæos occidunt. Quidam, cum soli essent, ædes incend*ebant*, ne hostis præda potiri posset: alii etiam suis manibus uxores liberosque conficiebant, ut liberos præstarent ab servitute. Senatores *(βουλευτῶν)* omnes numero quingenti confugiunt in templum Apollinis. Forte enim senatus habebatur cum invasio fieret *(συνεδρευόντων γὰρ τὴν ἐπίθεσιν συνέβη γενέσθαι.* Alexander his jugulatis & urbe eversa) *τὴν πόλιν αὐτοῖς ἐπικατασκάψας* rediit Hierosolyma, cum toto anno urbem eam obsedisset. Eodem anno Antiochus, cognomine Grypus occisus est insidiis Heracleonis, anno ætatis suæ 45. regni 29. Succedens ipsi filius Seleucus bellum hæreditarium suscepit cum patruo Antiocho Cyziceno, quem prælio captum interemit. Nec multò post Antiochus Cyziceni filius & Antiochus cognomento pius, profecti Aradum, assumptisque

que diadematis bellum inferunt Seleuco victumque tota Syria ejiciunt: Tum ille fuga delatus in Ciliciam, cum esset Mopsuestiæ (ἐν τῇ Μόψυ ἑστίᾳ) atque à civibus pecunias exigeret populus indignatus una cum regia & ipsum & amicos concremavit. Regnantem vero apud Syros Antiochum Cyziceni filium Antiochus Seleuci frater bello aggreditur, victusque perit cum exercitu. Post eum frater ejus Philippus, imposito diademate in parte Syriæ regnat. Interim Ptolemæus Lathurus quartum ejus fratrem, accitum è Cnido Damasci regem constituit. His duobus fratribus strenuè resistens Antiochus brevi decessit. Laodiceæ enim veniens in auxilium Galadenorum reginæ, bellum gerenti cum Parthis, fortiter pugnans occubuit. Quo pacto Syriæ regnum remansit apud duos fratres Philippum & Demetrium. Porro in Alexandrum domi seditio exorta est. Nam gens in eum consurrexit: cum festum ageretur & adsisteret apud aram, sacrificaturus, citria in eum conjecta sunt. Festo enim Scenopegiæ, mos erat Judæis, unumquemque gestare ramos palmarum & citrorum. Quin & conviciis impetebant tanquam, qui fuisset captivus, eoque honoris illius & immolandi indignus. Iratus ille, occidit eorum ad sex millia, ligneo autem septo circa aram & ædem pertinente usque ad loricam (seu maceriam) intra quam solis sacerdotibus intrare fas erat, plebis ingressum arcebat. Sed & peregrinos milites alebat Pisidas & Cilicas. Cum enim Syris hostis esset, eorum opera non utebatur. Subactis Arabibus, Moabitas & Galaaditas subegit, ad tributorum impositionem, diruit etiam Amathunta, non audente Theodoro manus conserere. Congressus etiam cum Arabum rege Obeda & lapsus in insidias in locis asperis & inaccessis, à multitudine camelorum in profundam vallem protruditur, juxta Gadara vicum Galaaditidis, unde ægre ipse evasit. E fuga abiit Hierosolymam: ubi præter acceptam cladem à populo impetitus, sex annis cum populo bellum gessit, quibus non minus, quam quinquaginta millia Judæorum occidit. Cumque rogaret ut desinerent infensi animi, magis accensi sunt ob ea, quæ facta erant. Rogante, quid se oporteret facere, omnes clamant mori oportere. Miserunt etiam ad Demetrium Eucærum, petentes ab ipso auxilia.

Jos. lib. 13. cap. 22. Demetrius veniens cum exercitu, assumptisque qui eum acciverant, castra ponit ad Sicima. Alexander cum sexies mille & ducentis mercenariis & Judæorum à partibus suis stantium viginti millibus, Demetrio occurrit. Habebat hic equitum tria millia, peditum quadraginta: itaque multa utrimque tentata sunt. Hoc abducere mercenarios, qui Græci essent, conante, illo autem Judæos, qui cum Demetrio erant. Neutro aliquid efficiente, cum in pugnam ventum esset vincit Demetrius, ceciderunt Alexandri milites mercenarii omnes fidei & virtutis edito insigni documento: multi etiam de Demetrii militibus ceciderunt. Cæterum cum Alexander profugisset ad montes, miserati ejus fortunam confluunt ad eum Judæi sex millia. Tunc metu secessit Demetrius. Post hæc Judæi bellabant cum Alexandro, victique, multi diversis præliis occubuere. Tandem potentissimos eorum in oppido Bethoma obsidet. Capta urbe redactos in potestatem abduxit Hierosolyma, ubi facinus commisit longè immanissimum. Epulans enim cum pellicibus in loco excelsiore unde prospectus patebat, in crucem agi jussit eorum quasi octingentos: filios autem eorum & conjuges adhuc viventium sub eorum oculis mactabat. Propter hanc crudelitatem Thracidæ cognomen apud Judæos meruit. Quamvis gravibus vexationibus irritatus fuerit ab inimicis, sæpe afflictus & in extremum vitæ ac regni discrimen adductus: oppugnatus externis auxiliis inque eam compulsus necessitatem ut loca in Moabitide & Galaditide subacta restituere cum Arabibus oportuerit, ne & bellum cum ipsis habere cogeretur.

geretur: alia passus innumera incommoda & contumelias: iniqua tamen fuit talis animadversio. Cæterum adversariorum exercitus ad octo millium numerum, noctu effugiunt: qui toto tempore Alexandri fuerunt in exilio. Illis igitur amotis quiete egit. At Demetrius è Iudæa cum decem millibus peditum & mille equitibus abiit Berrhoeam, in qua fratrem Philippum oppugnat. Straton vero Berrhæensium tyrannus & Philippi socius advocat Zizum Arabum Phylarchum & Mithridatem Sinacen præfectum (ὕπαρχον) Parthorum: qui cum magnis copiis Demetrii castris oppugnatis & tam siti quam missilium multitudine deditione extorta; abductaque magna ex agris præda Demetrium captivum in Parthos avexere, Antiochiensibus, quotquot in castris invenirentur, gratis dimissis. Mithridates Parthorum rex Demetrium in omni honore habuit, donec morbo obiit, Philippus vero recta Antiochiam contendit, qua potitus regnum Syriæ tenuit.

Josephus lib. 13. cap. 23. Philippum non sivit regno quietè frui Antiochus Dionysus frater ipsius, qui Damasci rex factus est. At cum adversus Arabas bello absens esset, Philippus opera Milesii præfecti arcis Damascum occupat. Brevis fuit illa lætitia: quia ingratus in Milesium videri volebat armis urbem non proditione cepisse. Progressum igitur in circum Milesius exclusit, urbe servata Antiocho. Antiochus rumoribus de Philippo acceptis festinus revertitur: moxque ducit in Judæam cum octo millibus peditum, equitibus octingentis. Alexander invasionem Antiochi metuens fossam profundam duxit, à Caphar-zaba (quæ posteà appellata est Antipatris) usque ad mare apud Ioppen: qua solum patebat accessus. Muroque ducto, structisque turribus ligneis & interstitiis turrium ad stadia centum quinquaginta operiebatur Antiochum. Ille his omnibus incensis traduxit hac exercitum in Arabiam. Arabi primò cedenti, inde cum decies mille equitibus repente comparenti occurrit Antiochus. Acriter pugnans & victoriâ in ipsum inclinante cecidit, opem ferens parti laboranti. Antiocho cæso exercitus fugit in vicum Cana, ubi maxima ejus pars fame absumpta est. Post eum Syriæ Cœles regnum tenuit Aretas, vocatus à Damascenis ob odium in Ptolemæum Mennæum. Inde expeditione suscepta in Judæam & circa Adida pugna victo Alexandro certis conditionibus recessit. Alexander autem ad Dian oppidum admoto milite, eam cepit. Hinc Essam, ubi pretiosissima Zenonis erant, tribus muris circumvallat: eaque vi expugnata, Gaulanam & Seleuciam duxit: & his quoque subactis redegit in suam potestatem vallem, quæ Antiochi dicitur, & Gamala. Dominum eorum locorum, Demetrium, multis objectis criminibus dominio exuit tertioque expeditionis expleto anno domum revertitur, studio ingenti exceptus à Judæis ob res benè gestas.

Hac tempestate tenebant Judæi Syrorum, Idumæorum & Phœnicum urbes: Ad mare turrim Stratonis, Apolloniam, Ioppen, Jamniam, Azotum, Gazam, Anthedona, Raphiam, Rhinocoruram. In mediterraneis Idumææ, Adora, Marissam: tum & Samariam & montes Carmelum ac Itabyrium, Scythopolin, Gadara, Gaulanitin, Seleuciam, Gamala: Moabitidas Essebon, Medaba, Lemba, Oronas, Telithona, Zara, Cilicium Aulona, Pellam, Hanc subverterunt, quod incolæ recusarent Judaicos ritus recipere. Possidebant & alia Syriæ non obscura (ἐπισήμους) oppida quæ subversa erant. Post hæc Alexander è vinolentia contracto morbo, & triennio afflictus quartana, cum non desisteret à laboribus expeditionum, confectus obiit in terminis Gerasenorum, obsidens Rhagaba castellum trans Jordanem. Eum videns regina, jam morti vicinum, cum fletu planctibusque queritur se liberosque deseri, ab

infenso

insenso populo dilaniandos. Tum ille monitis suis obsecutam posse efficere dicebat, ut ipse sepultura honorificentiore potiatur & illa secure dominetur. Primum celandam esse suam mortem, donec castellum capiat. Deinde ubi reversa esset Hierosolyma Pharisæos conciliandos esse, sectam vulgi favore validam, cujus offensa ipse in tantum odium populi devenisset. Convocatis igitur primoribus suum corpus ostendendum & dicendum verbis, quam proximè veritatem simulatis, dolere se de mariti in illam sectam injuriis, atque ut ipsis satisfaciat permittere se corpus eorum arbitrio, sive velint insepultum abjici, sive contumelia affici: se omnia ex arbitrio eorum in regni administratione facturam. Obiit Alexander anno regni sui XXVII. vitæ 49. A. M. C. 3872.

Alexandra.

JOsephus lib. 13. cap. 24. Alexandra capto castello Hierosolyma reversa, vocatisque Pharisæis & cadaver & regnum arbitrii eorum faciens, ita eos ex infensis benevolos reddidit ut progressi in concionem, Alexandri res vitamque maximis laudibus celebraverint: populum tanto affectu & mæstitia induerint ut nullus regum ante eum funeratus sit sumptuosius. Alexander duos filios reliquit Hyrcanum & Aristobulum; uxori testamento legavit administrationem regni: quæ Hyrcano pontificatum dedit: non tam propter ætatis prærogativam quam ob segnitiem. Aristobulus magis industrius erat & audentior: *δραστήριος τε ἦν καὶ θαρσαλέος.* In amore populi regina erat, quod videretur dolere de iis, quæ maritus præter officium fecerat: deinde Pharisæorum omnia ad nutum temperabat, jussa plebe iis obsequi: & si quid constitutionum (*νομίμων*) Hyrcanus socer abrogaverat, inductarum à Pharisæis juxta traditiones majorum, id restituit. Nomen igitur erat penes reginam, vis regni apud Pharisæos. Nam illi exules reducere, vinctos solvere & per omnia se dominos gerere. Mulier tamen illa & regno consuluit: mercenariorum magnum numerum alebat, ostendebatque vires suas in tantum ut terrori esset vicinis tyrannis atque ab eis obsides acciperet. Quietum cætera regnum turbabant Pharisæi, incitata regina ut tolleret, qui Alexandro fuerant autores cædis octingentorum, mox unum de his jugulant Diogenem, porro alios post alios, donec potentiores convenientes in regiam & cum his Aristobulus (qui videbatur ægre ferre quæ fierent & apparebat, si occasio daretur, non permissurum esse matri) commemorabant, quantis periculis, fidem suam domino probassent, ob quæ habiti fuissent in pretio. Petere ne spes in contrarium sinat verti. Qui enim evaserant ab hostibus periculum, domi ab inimicis more pecudum impunè mactari. Si inimici contenti essent cæde peracta ob fidem erga dominos (*διὰ τὴν πρὸς τοὺς δεσπότας γνώμην*) patienter se laturos, quæ evenerant. Si iterum sævituri essent, rogare discedendi veniam. Neque enim sine illa quæsituros se esse incolumitatem, sed prompte morituros in ipsa regia, uti ne conscii fiant (*ὡς μὴ συγγνῶσι*) Turpe esse sibi & reginæ, si ab illa neglecti ab hostibus mariti susciperentur. Maximi enim facturum & Aretam Arabem & Monarchas si ejusmodi abdicaret (*ἀπεξενωμένων*) homines quorum forte nomen anteà terrori fuerat. Si id nollet concedere hoc jam superesse si præferre Pharisæos decretum ipsi, quem libet eorum distribuere (*κατατάξαι*) per castella. Si enim dæmon aliquis persequatur domum, se contentos esse (*ἀγαπήσειν*) etiam in humili statu vitam agere. Multa ipsis dicentibus & ad commiserationem functorum ac periclitantium manes (*δαίμονας*) Alexandri invocantibus, omnibus circumstantibus obortæ sunt lachrymæ. Aristobulus maximè indicabat animi

animi affectum, multa mala dicens (κακίζων) matri: (Existimo verba Aristobuli esse) Enim vero ipsos sibi ipsis calamitatum esse autores, qui feminæ per imperii cupidinem insanienti commiserant regni habenas (γυναῖκ' ἕνεκα μὴ ὄντι) quasi verò deessent posteri. Alexandra non habens quod cum decoro faceret, custodiam locorum ipsis commisit, præter Hyrcaniam, Alexandrium & Machærunta, in quibus res sibi carissimas recondiderat. Nec multò post filium Aristobulum misit cum copiis versus Damascum, contra Ptolemæum Mennæum, qui gravis erat urbi vicinus: Sed ille nulla re memorabili gesta domum rediit. Per idem tempus nuntiatum est Tigranem Armeniorum regem cum quingentis militum millibus invasisse Syriam, & brevi in Judæam esse venturum. Quod non immerito totam gentem cum regina conterruit. Regina enim Selene, quæ & Cleopatra, imperium capessebat in Syria & incolis ejus autor erat excludendi Tigranis. Tunc obsidenti Ptolemaidem Alexandri legati cum magnificis donis adfuere rogantes ut bene de regina & gente sentiret (συγγινώσκειν) ille vero collaudatos, quod è longinquo venissent ad exhibendum sibi officium, jussit omnia bona sperare. At capta Ptolemaide nuntiatur Tigrani, Lucullum dum Mithridatem persequitur, illum quidem non assecutum, qui jam in Iberiam evaserat, sed Armeniam bello urgere (πορθήσαντα πολιορκεῖν) Adversus eum proficiscitur Tigranes. Post hæc regina in gravem morbum lapsa visum est Aristobulo capessere imperium. Noctu egressus uno comitante famulo, contulit se ad castella, in quæ dispositi erant paterni amici. Dolens enim ob matris facta, multo magis timuit ne ea mortua tota gens subjiceretur Pharisæis. Videbat enim imbecillitatem (τὸ ἀδύνατον) regnaturi fratris. Uxor sola facti conscia erat, quam reliquit illic cum liberis. Primum venit Agaba, ubi Galæstes erat unus de potentibus, qui eum suscepit. Cum dies esset, regina sensit Aristobuli abitum. Nec statim suspicata est illum ad res novandas esse profectum. Verum postea quam venerunt nuntii alii super alios, occupatum esse locum primum, secundum & omnia (mox enim uno subdito omnia voluntati se ejus permittebant) in magna consternatione regina & gens fuit. Sciebant enim regnum pene subjecisse Aristobulum & metuebant pænas eorum, quæ in domum ipsius deliquerant. Igitur uxorem & liberos (γυναῖκ ut sæpe) in castellum sub templo deponunt. Ad Aristobulum autem tantus erat confluxus, ut *jam circa* ipsum esset regius modus (κόσμος) Nam in diebus fermè quindecim, loca ceperat viginti duo. Hinc exercitum colligebat è Libano, Trachone & Monarchis. Solent enim homines plurium sequi impetum: & sperabant fructum è dignitate illius, quem ipsi evexerant (ὡς αὐτοὶ τῦ κρατῆσαι πρόφασις γενόμενοι) At seniores Judæorum & Hyrcanus, ingressi petunt à regina consilium de statu rerum præsentium. Aristobulum enim illorum locorum dominum regnum pene in manibus habere: inconveniens autem esse etsi Resp. laboret (τὰ κοινὰ aut *simile* quid sub intelligendum μάλιστα κάμνει) illa superstite, ut ipsi per se *consilium* capiant. Periculum autem in proximo circumstare. Regina *jussit* facere, quod optimum esse putarent, superesse enim gentem validam, copias & pecunias in gazophylaciis: sibi verò non admodum curæ esse summam rerum, deficiente jam corpore. Nec multo post diem obiit, post annum regni nonum, vitæ septuagesimum tertium: mulier ambitiosa & sexu suo superior. In pace quidem gubernationem peregit sed cum non statuisset successorem & talem gubernationis modum tenuisset, semina jecit calamitatum, quæ Hassamonæos dominatione exuere.

Aristo-

Aristobulus secundus.

Josephus lib. 14. cap. 1. Anno M. C. 3881. Coss. Q. Hortensio & Q. Cæcilio Metello Cretico: Olymp. 177. ann. 3. Aristobulus Hyrcano fratri bellum infert. Commisso ad Hierichuntem prælio multi de militibus Hyrcani ad Aristobulum transfugiunt, Hyrcanus fuga se recepit in arcem, in quam Aristobuli conjux & filii ab Alexandra erant inclusi. Factionis Hyrcani populares, qui in septum templi confugerant, brevi coacti sunt deditionem facere. Mox his conditionibus conventum est, ut Aristobulus regnaret, sed Hyrcanus in otio suis rebus frueretur. Hoc fœdus ictum est in ipso templo firmatumque jurejurando & junctis dextris: & post mutuos complexus in conspectu multitudinis factos digressi sunt alter in regiam, Hyrcanus autem ut privatus in ædes Aristobuli.

Josephus lib. 14. cap. 2. Hyrcanus se in otio continuisset, nisi Antipatri Idumæi, assiduo hortamine quietem rupisset. Hic Antipater erat filius Antipæ, quem ab Alexandro & ejus conjuge constitutum ducem totius Idumææ ferunt amicitiam Arabum & Gazæorum & Ascalonitarum coluisse, multisque eos sibi conciliasse muneribus. Filius eodem fuit nomine, quod mutavit in nomen Antipatri. Vir erat pecuniosus, industrius & factiosus, infenso animo ergà Aristobulum, quod faveret Hyrcano. Aristobuli etiam potentiam mutuebat, cui invisus erat ob studium adversæ factionis. Clandestinis obtrectationibus potentiores Judæorum concitat: iniquum esse dictitans, sinere Aristobulum incubare insurpato per injuriam regno ex quo fratrem cujus erat ob ætatis prærogativam, dejecisset. Eisdem verbis Hyrcanum assiduè obtundebat, addens ne vitam quidem esse illi in tuto nisi fuga saluti suæ prospiceret: Amicos enim, non desistere ullo tempore suadere illi, ut Hyrcanum è medio tolleret, ut tum demum habituro firmum imperium. Hyrcanus ob lenitatem & moderationem animi calumniis non adhibebat fidem: Ἐποίει δ' αὐτὸν τὸ ἀπράγμον καὶ τὸ πεπαυμένον τῆς διανοίας τοῖς ὁρῶσιν ἀγεννῆ καὶ ἄνανδρον δοκεῖν. Ob illam remissionem videbatur ignavus. Frater erat gnavus & erecto animo (διηγερμένος τὸ φρόνημα) Antipater videns eum monitis non moveri, non destitit quotidie fictis falsisque sermonibus instare, tanquam Aristobulus neci ejus immineret. Tandem urgendo ægre obtinuit ut consilium admitteret fugiendi ad Aretam Arabum regem, suum quoque pollicitus auxilium. Arabia Judææ confinis est. Præmittitur itaque Antipater ad regem accepturus ab eo fidem, quod inimicis supplicem non esset dediturus. Accepta fide revertitur Hierosolyma: nec multo post assumpto Hyrcano, noctu urbe egressus & magno confecto itinere pervenit Petram, regiam Aretæ. Quia regi amicus erat, rogat eum, ut Hyrcanum in Judæam deduceret. Id sine intermissione & quotidie urgens, additis quoque muneribus perpulit. Hyrcanus etiam promittebat, si ejus ope reductus regnum reciperet redditurum se ei regionem cum duodecim oppidis, quæ Alexander ademerat. Erant autem Medaba, Naballo, Livias, Tharabasa, Agalla, Athone, Zoara, Oronæ, Marissa, Rhydda, Lussa, Oroba. Hæc facta sunt anno M. C. 3884. Antipater jam ante liberos suos apud Aretam deposuerat.

Josephus lib. 14. cap. 3. Aretas cum quinquaginta millibus equitum & peditum profectus Aristobulum prælio vincit. Post eam victoriam multis ad Hyrcanum transfugientibus, desertus fugit Hierosolyma. Universis copiis eum secutus Aretas oppugnat templum, adjuvante Hyrcanum populo, cum

ſoli ſacerdotes eſſent apud Ariſtobulum. Aretas diſpoſitis caſtris Arabum & Judæorum acriter oppugnationi inſtabat. Judæorum præcipui, relicta Judæa, confugiebant in Ægyptum: at Onias vir juſtus, qui aliquando per ſiccitatem à Deo pluviam ſuis precibus impetraverat, abdiderat ſe ob motus illos inteſtinos. Hunc protractum jubent diras dicere Ariſtobulo & ſequacibus: quod ille multis deprecatus cum non poſſet evadere, conſiſtens in medio, profatur: O Deus rex univerſi, quoniam qui apud me ſtant, populus tuus ſunt & qui obſidentur ſacerdotes tui, obſecro te, ut neque adverſus hos illis aurem præbeas, neque illa, quæ hi precantur perficias. Hæc precatum ſcelerati Judæorum lapidibus obruunt, quod illis impune non fuit. Nam dum obſidentur Hyrcanus & ſacerdotes, feſtum, quod Phaſca appellant, advenit. Καθ' ἣν ἔθος ἐστὶν ἡμῖν πολλὰ θύειν τῷ θεῷ. Cum autem, qui in templo erant, victimis deſtituerentur, rogant ſuos contribules, ut accepta, quantam poſtularent, pecunia, victimarum copiam ſibi facerent: illis verò pactis mille drachmas præſentes in ſingula capita, promptè Ariſtobulus & ſacerdotes repræſentaſſent, demiſſas fune è mœnibus, illi non ſervata fide hominibus & in Deum impii fuerunt. Sacerdotes deluſi contra pactum (παρασπονδηθέντες) Deum vindictam poſcunt: qui non diſtulit. Nam vento vehementi & magno immiſſo tota regione fruges corrupit ita ut tritici modius drachmis undecim veniret.

Joſephus lib. 14. cap. 4.

Hoc tempore Pompejus in Armenia bellum gerebat cum Tigrane. Imò Mihridatico bello occupabatur, confecto Tigrane, Sal. Niſi forte, inquit Uſſerius, cum Appiano Tigranis deditionem expeditione Albana poſteriorem fecerit. Scaurus ab illo præmiſſus in Syriam venit Damaſcum, quam Lollius & Metellus recens occupaverant. Hinc in Judæam tendenti ac progreſſo obviam fiunt legati fratrum, utrique petentes auxilium ſub quadringentorum talentorum promiſſo. Ariſtobulum prætulit Scaurus: pecuniis abundantem & faciliora petentem. Hyrcanus pauper erat & tenax & de majoribus non credendam offerebat pollicitationem. Nam difficilius erat expugnare urbem munitiſſimam & validiſſimam, quam profugos ejicere & Nabatæorum multitudinem, ad bellum non ſatis idoneam. Acceptis igitur pecuniis obſidionem ſolvit, denuntians Aretæ ni recederet, declarandum eſſe hoſtem populi Romani. Aretas abiit Philadelphiam, Scaurus Damaſcum redit: at Ariſtobulus cum magno exercitu adverſus Aretam & Hyrcanum profectus & congreſſus apud locum, cui nomen Papyron, prælio vicit, cæſis ſeptem millibus hoſtium, inter quos fuit Cephalio frater Antipatri. Joſephus in lib. 1. belli quadringentis talentis Ariſtobuli juſtitiam eſſe poſthabitam ſcribit, nulla mentione promiſſionis Hyrcani: γίνεται δ' ἐπικρατέστερα τῆς δικαίας τὰ παρ' Ἀριστοβούλου τετρακόσια τάλαντα. Salianus à verſione deceptus trecenta ponit. Octo millia cecidiſſe illic ſcribit, ſex millia habet Latina editio. fratrem Antipatri appellat Φαλλίωνα, Latino eſt Cephalon.

Joſephus lib. 14. cap. 5. Non multò poſt Pompejo venienti Damaſcum & Cælen Syriam obeunti adfuerunt legati ex univerſa Syria, Ægypto & Judæa. Ariſtobulus ipſi mittit ingens donum, vitem auream quingentorum talentorum. Ex Strabonis Cappadocis libris hiſtoriarum laudat locum: Ἦλθε δὲ καὶ ἐξ Αἰγύπτου πρεσβεία καὶ στέφανος ἐκ χρυσῶν τετρακισχιλίων· καὶ ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας εἴτε ἄμπελος εἴτε κῆπος, τερπωλὴν ὠνόμαζε τὸ δημιούργημα. Τοῦτο μέντοι τὸ δῶρον ἱστορήκαμεν καὶ ἡμεῖς ἀνακείμενον ἐν Ῥώμῃ ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Διὸς τοῦ Καπετωλίνου, ἐπιγραφὴν ἔχον Ἀλεξάνδρου τοῦ τῶν Ἰουδαίων βασιλέως. ἐτιμήθη δὲ εἶναι πεντακοσίων ταλάντων. Ἀριστόβουλον μὲν οὖν τοῦτο λέγεται πέμψαι τὸν Ἰουδαίων δυνάστην. Id donarium ab Alexandro Jannæo in templo repoſitum & à filio ejus Ariſtobulo ad Pompejum

pejum inde tranſmiſſum fuit. Plinius (lib. 37. cap. 2.) ex Pompeii triumphorum actis refert fuiſſe inter alia *Montem aureum quadratum, cum cervis & leonibus & pomis omnis generis, circumdata vite aurea*

Non multo poſt iterum venerunt legati ad Pompejum, Antipater pro Hyrcano, Nicodemus pro Ariſtobulo. Antipater etiam accuſabat eos, qui acceperant pecuniam, Gabinium quidem prius, deinde & Scaurum, quorum ille trecenta hic quadringenta acceperat, præter alios, hos quoque exoſos illi (Pompejo) faciens. Juſſo venire diſceptaturos, ineunte vere (Anno M. 3887.) copiis ex hybernis evocatis in Damaſcenum agrum profectus eſt: obiterque diruit arcem Apameæ, quam Cyzicenus Antiochus munierat (ἐπείχει mendum) Etiam Ptolemæi Mennæi conſideravit ditionem viri nefarii, non minus, quam fuerat Dionyſius Tripolitanus, qui ſecuri erat percuſſus & affinitate etiam ei conjunctus. Hic tamen mille talentis vitam redemit, quæ Pompejus militibus erogavit. Excidit etiam caſtellum (χωρίον) Lyſiada, cujus tyrannus erat Silas Judæus. Tranſiens deinde oppida Heliopolin & Chalcida & montem, qui Syriam Cælen diſterminabat, Pella Damaſcum venit. Illic Judæos audivit & eorum principes Hyrcanum & Ariſtobulum: hi inter ſe diſſidebant ſicut gens ipſa ab utroque. Gens nolebat regnari, quod patrium inſtitutum haberent, Dei ſui obſequi ſacerdotibus: hos quidem nepotes ſacerdotum eſſe ſed velle gentem in aliam formam principatus traducere, qua & ſervi fierent. Hyrcanus querebatur ſibi natu majori ætatis privilegium adimi, minimamque regionis portionem relictam eſſe, reliquam ab Ariſtobulo per vim occupatam. Deinde hunc in finitimos excurſiones & piraticam in mari facere: nec defecturam fuiſſe gentem niſi eſſet violentus & turbulentus. Atteſtabantur illi iſta dicenti plures quam mille Judæi præcipui Judæorum, conciliante Antipatro. Alter Hyrcanum excidiſſe imperio dicebat, quod rebus gerendis eſſet ineptus & ideò contemptus: ſe autem ne in alienos imperium devolveretur, neceſſariò ſubiiſſe. Appellatione autem uti, qua & Alexander uſus ſit. In teſtimonium vocabat juvenes & faſtuoſiſſimos, quorum oderant (ἐβδελύττοντο) purpureas veſtes & comas & faleras & cætera ornamenta, quæ geſtabant, quaſi ad pompam non judicium veniſſent. Ipſe etiam Ariſtobulus cultu regio, quantum poterat: ὡς οἷόν τε ἦν βασιλικῶς κεκοσμημένος. Pompejus his auditis & damnata violentia Ariſtobuli, in præſens comiter collocutus dimiſit eos, dicens ſe ubi in eorum regionem veniſſet, viſitatis prius Nabatæis, omnia ordinaturum, intereà ut quietè agerent: ſimul benigne habens Ariſtobulum, ne regionem averteret & intercluderet tranſitu. At Ariſtobulus non ferens obſequium (ἀδοξήσας δὲ πρὸς τὰς θεραπείας) quod metuebat Pompejus, effecit. Nam non exſpectatis, quæ dixerat, abiit in oppidum Delium, atque illinc in Judæam. In libro de bello, ἀπὸ Διοσπόλεως χωρίζεται.

Joſephus lib. 14. cap. 6. Hinc offenſus Pompejus, aſſumpto exercitu, quem in Nabatæos paraverat & excitis Damaſco reliquaque Syria auxiliis cum aliis Romanis quas habebat legionibus, ducit adverſus Ariſtobulum: ubi autem prætervectus Pellam & Scythopolin, pervenit Coreas, ubi principium agri Judaici, mediterranea tranſeunti: illic erat munimentum pulcherrimum, in vertice montis ſitum, Alexandrium. In hoc confugerat Ariſtobulus, quem ad ſe vocat. Ille vero multis monentibus ne bellum cum Romanis iniret, deſcendit cumque de imperio adverſus fratrem diſceptaſſet. (δικαιολογησάμενος) rurſum in arcem aſcendit permiſſu Pompeii: quod iterum atque tertio fecit: ſpe regni Pompejo blandiens ſimulanſque ſe omnibus ejus imperatis obſequi, & recedens in caſtellum (ὑπὲρ τοῦ μὴ καταλύειν αὐτὸν lego ἔξω αὐτοῦ) *ne diverteret extra illud:* ap-

paransque ad bellum, metu ne imperium in Hyrcanum transferret. Cum juberet Pompejus tradere caſtella & ſcribere ſua manu præfectis (*παραδέχεσθαι δ' ἄλλως ἀφείρετο*) (recipere aliter interdixerat) paret quidem ſed ægre terens receſſit Hieroſolyma, ſeque dedit parando bello. Cumque Pompejus non longe poſt exercitum in eum duceret, in itinere è Ponto quidam nuntiant Mithridatem à filio ſuo Pharnace occubuiſſe.

Joſephus lib. 14. cap. 7. Caſtris poſitis ad Hierichuntem, (urbem palmarum) ſequenti mane movet verſus Hieroſolyma. Tum pœnitudine ductus Ariſtobulus, advenit ad Pompejum & datis (imò oblatis) pecuniis, etiam intra Hieroſolyma eum recipiens, rogabat ut omiſſo bello, quicquid vellet pacate ageret. Pompejus verò data petenti venia mittit Gabinium cum militibus ad accipiendum pecuniam & urbem: qui tamen re infecta rediit, excluſus urbe & vacuis manibus, militibus Ariſtobuli pacta fieri non permittentibus. Ira Pompejum ob id prehendit, eoque Ariſtobulo in vincula conjecto, ipſe ad urbem accedit, cætera quidem probe munitam, ſola parte boreali male habentem (*φαύλως ἔχουσαν*) Ambibat enim ea parte vallis lata & profunda, intus templum diſcludens, ligneo muro validiſſimo obſeptum.

Joſephus lib. 14. cap. 8. Intus autem erat diſſidium, non conſentientibus de rerum præſentium habitu, ſed aliis videbatur urbem Pompejo tradi oportere, Ariſtobuli vero factio excludi eum & bellum geri adhortabantur, quod Ariſtobulum in vinculis teneret. Hi prævenientes templum occupant & præciſo ponte, qui in urbem ferebat, bello ſe parabant. Cæteri recepto exercitu tradunt Pompejo urbem & regiam. Ille Piſone legato, miſſo cum copiis, urbem & regiam præſidiis munivit & ædes juxta templum, quæque alia extus erant, circa templum firmavit. Primò conditiones pacis offert & non auſcultantibus, ambitum muro includit, Hyrcano ad omnia alacriter ſubminiſtrante. Pompejus autem intus caſtra ponit, ad ſeptentrionalem templi partem, qua oppugnari poterat. Erant hac quoque parte turres magnæ, & foſſa depreſſa erat, & profunda valle cingebatur. Nam etiam verſus urbem abrupta erant omnia, ſublato ponte, qua parte Pompejus agebat. Agger indies magno labore inſtando ſurgebat, cædentibus materiam in ambitu Romanis: cumque eſſet perfectum opus, ægre completa foſſa ob immenſam altitudinem, admotis machinis & inſtrumentis Tyro advectis, quatiebat templum ſaxis miſſilibus (*πετροβόλοις*) At niſi Judæis patrium fuiſſet inſtitutum otium agere ſeptimis diebus, impediri potuiſſet opus. Prohibere enim cœptantes pugnam & verberantes hoſtes licuit, non autem aliud aliquid facientes. *ἄρχοντας γὰρ μάχης καὶ τύπτοντας ἀμύνασθαι δίδωσιν ὁ νόμος, ἄλλο δέ τι δρῶντας τοὺς πολεμίους οὐκ ἐᾷ.* In primo belli: *ὑπὲρ μόνου γὰρ τοῦ σώματος ἀμύνονται καὶ τοῖς σάββασιν.* Hanc ſcribæ & Phariſæi definitionem fecerunt, poſt tempora Macchabæi Mattathiæ. Ante enim id tempus ne quidem illud conceſſum fuiſſe patet. Romani cum id obſervarent aut aliter didiciſſent, ſabbatis non inceſſebant telis neque manus conſerebant tantum aggerentes & turres ædificantes & machinamenta admoventes, ut ipſis in diem ſequentem eſſent parata uſui (*ἕτοιμα*) Id etiam religionem docet, Toto tempore oppugnationis jugis cultus peragebatur, ſacrificio matutino & veſpertino (*πρωΐ τε καὶ περὶ ἐνάτην*) ſine ulla interruptione: nihil terror oppugnationis impediit operantes: tanquam in alta pace quin & cum caperetur templum tertio menſe, die jejunii, operabantur ſacris neque metu mortis neque cæſorum multitudine perterriti: paſſuri quicquid iratis victoribus liberet potius, quam deſerturi altaria aut aliquid omiſſuri è legibus patriis. Hanc rem non eſſe fabulam atteſtari omnes Joſephus dicit qui res à Pompejo geſtas deſcripſerunt,

runt, interque eos Strabonem, Nicolaum & Livium. Hanc rem summopere admiratus est Pompejus. Turrium enim maxima, admoto machinamento concussa, ruina sua locum aperuit, quo hostes infusi fuere. Primus omnium Cornelius Faustus Syllæ filius, cum militibus suis murum ascendit. Post ipsum Furius Centurio, cum eis, qui ipsum sequebantur ab altera parte: & inter utrumque Fabius & ipse centurio cum valida manu suorum. Omnia plena cædibus erant. Judæorum quidam à Romanis, alii à se mutuò jugulabantur: nonnulli per abrupta semetipsos jactabant aut incensis ædibus cremabantur, non sustinentes videre, quæ fierent. Cecidere Judæorum duodecim millia, Romanorum admodum pauci. Captus etiam est Absalomus avunculus simul & socer Aristobuli. Læsa etiam est non mediocriter templi religio, inaccessi prius & pedibus & oculis. Ingressus enim est Pompejus in partem interiorem (εἰς τὸ ἐντός) & una cum eo non pauci alii & viderunt, quæ fas non erat videre aliis hominibus sed solis summis pontificibus. Adytum igitur ingressi etiam sunt id est sanctum sanctorum. Cum autem intus essent mensa aurea, & sacrum candelabrum & libatoria & multitudo aromatum, præterque hæc in thesauris, sacræ pecuniæ ad duo talentorum millia, nihil horum præ pietate attigit nihilque commisit indignum cæteris suis virtutibus. Sequenti die jussis purgare templum æditius (ναοπόλοις) & legitima offerre Deo, pontificatum reddidit Hyrcano, ob alia obsequia & quod Judæos per agrum bellum sociare cum Aristobulo prohibuit. Belli concitatores securi percussit: Fausto aliisque, qui primi murum conscenderant, digna præmia persolvit.

Annus quo captum templum, fuit mundi 3887. urbis conditæ 690. Cicerone & Antonio Coss. Olymp. 179. anno primo finito aut finiente. Mensis tertius ab oppugnatione ut diserte scribit primo de bello, τρίτῳ γὰρ μηνὶ τῆς πολιορκίας Jejunium illud ponit Calvisius in decimo septimo die mensis Thamus. Usserius in vigesimo octavo Chasleu. Qui dicit hoc Jejunium forte esse quod in usum inductum in memoriam captæ urbis ab Nabuchodonosoro. Sic idem fuerit dies quo Nabuchodonosor Pompejus & Sosius urbem ceperunt. Sabbato expugnatum esse templum à Pompejo indicat Dio. Dio Cassius lib. 3. de Pompejana hac expugnatione in hunc modum: Κἀντεῦθεν ἐπὶ τὴν Συρίαν τὴν Παλαιστίνην, ὡς καὶ Φοινίκην κακώσαντας, ὥρμησεν. ἦρχον δὲ αὐτῶν Ὑρκανός τε καὶ Ἀριστόβουλος ἀδελφοί, καὶ ἐτύγχανον ὑπὲρ τῆς τοῦ σφετέρου θεοῦ ὅστις ποτὲ οὗτός ἐστιν ἱερωσύνης (οὕτω γὰρ τὴν βασιλείαν σφῶν ὠνόμαζον) αὐτοί τε διαφερόμενοι καὶ τὰς πόλεις στασιάζοντες. ὁ οὖν Πομπήϊος Ὑρκανὸν μὲν οὐδεμίαν ἀξιόχρεων ἰσχὺν ἔχοντα, ἀμαχεὶ εὐθὺς προσέθετο. Ἀριστόβουλον δὲ εἰς χωρίον τι κατακλείσας, ὁμολογῆσαί οἱ ἠνάγκασε. Καὶ ἐπειδὴ μήτε τὰ χρήματα μήτε τὸ φρούριον παρεδίδου, ἔδησεν αὐτόν. κἀκ τούτου τοὺς μὲν ἄλλους ῥᾷον προσεποιήσατο· τὰ δὲ ἱεροσόλυμα πολιορκῶν πράγματα ἔσχε. Τὴν μὲν γὰρ ἄλλην πόλιν ἐσδεξαμένων αὐτὸν τῶν τὰ Ὑρκανοῦ φρονούντων, ἀπραγμόνως ἔλαβεν· αὐτὸ δὲ τὸ ἱερὸν προκαταλαβόντων τῶν ἑτέρων, οὐκ ἀπόνως εἷλεν. ἐπί τε γὰρ μετεώρου ἦν καὶ περιβόλῳ ἰδίῳ ὠχύρωτο. Καὶ εἴγε ἐν πάσαις ταῖς ἡμέραις ὁμοίως ἠμύνοντο, οὐκ ἂν αὐτὸ ἐχειρώσαντο· νῦν δὲ τὰς τοῦ Κρόνου ὠνομασμένας ἡμέρας διαλείποντες καὶ οὐδὲν τὸ παράπαν ἐν αὐταῖς δρῶντες παρέδωκαν τοῖς Ῥωμαίοις καιρὸν ἐν τῷ διακένῳ τούτῳ τὸ τεῖχος διασεῖσαι. μαθόντες γὰρ τὴν ἐμπόνησιν αὐτῶν ταύτην, τὸν μὲν ἄλλον χρόνον οὐδὲν σπουδῇ ἔπραττον, ταῖς δὲ δὴ ἡμέραις ἐκείναις ὁπότε ἐκ τῆς περιτροπῆς ἐπέλθοιεν ἐντονώτατά οἱ προσέβαλλον. καὶ οὕτως ἑάλωσάν τε ἐν τῇ τοῦ Κρόνου ἡμέρᾳ μηδ᾽ ἀμυνόμενοι καὶ πάντα τὰ χρήματα διηρπάσθη. ἥ τε βασιλεία τῷ Ὑρκανῷ ἐδόθη καὶ ὁ Ἀριστόβουλος ἀπηνέχθη. Non ita accuratus est ut Josephus, fallitur etiam in circumstantiis & minutioribus: ut componenti liquebit. An ipso die Sabbati expugnatum fuerit templum, possit dubitari, quia nihil tale indicat

Jose-

Josephus. Usserium verò, virum diligentissimum errare docet narratio de Sosii oppugnatione, quæ fuit per æstatem. Cum autem dies expugnationis idem fuerit utrobique, Thamuz non Chasleu accipiendus est pro mense tertio obsidionis.

Hyrcanus secundus.

Hierosolyma fecit Pompejus (ὑποτελῆ φόρε) stipendiaria Romanis: ademit urbes Cæles Syriæ, quas subegerant, easque Romano jussit subesse præsidi (στρατηγῷ) totamque gentem, ante sublimem suis terminis inclusit (συνέστειλεν) Gadarorum urbem, paulo ante eversam, instauravit in gratiam Demetrii Gadarensis liberti sui: reliquas Hippon, Scythopolin, Pellam, Dion, Samariam, Marissam, Azotum, Jamniam & Arethusam reddidit suis habitatoribus. Et has quidem in mediteraneis, præter eversas: littorales Joppen, Dora, Stratonis turrim: liberas esse jussit omnes & provinciæ attribuit. Hujus cladis Judææ causam dederunt dissensione sua Hyrcanus & Aristobulus. Urbes exterorum subditæ imperio Judææ ademptæ sunt, adempta est libertas, subjecti Romanis sunt: plusquam decem millia talentorum brevi spatio temporis Romani exegére: regnum à genere pontificio ad plebeii generis homines (δημοτικῶν ἀνδρῶν) transiit. Plebeiis opponit sacardotale genus, quod ea tempestate solum pro nobili habebatur. Cæterum Pompejus Cœlesytia inter Eufratem fluuium & Ægyptum Scauro tradita cum duabus legionibus, ipse in Ciliciam abiit, properans Romam, trahens vinctum Aristobulum cum liberis (γενεᾶς). Duo enim illi filii erant & duæ filiæ. Filiorum unus Alexander evasit, Antigonus cum sororibus Romam ducebatur. Diruta etiam à Pompejo sunt mœnia Hierosolymorum ut dicit Tacitus & sequente capite Josephus. In Provinciæ pene speciem Judæam redegit, attributam Syriæ & Scauro.

Josephus lib. 14. cap. 9. Scaurus igitur, primus Syriæ præses, profectus ad Arabiæ Petram cum exercitu & ob difficilem aditum, vicina undique populans, cnm milites fame laborarent, præbente Hyrcano per Antipatrum, frumentum & alia necessaria habuit. Idem Antipater à Scauro missus ad Aretam, cum quo hospitii jus habebat, persuadet ut vastationem agri redimat dato argento. Ipse sponsor est factus pro trecentis talentis. Hoc modo bellum finitum est non minus è Scauri quam Aretæ voluntate.

Josephus lib. 14. cap. 10. (Lentulo Spinthere & Metello Nepote Coss.) Anno urbis conditæ 696. M. C. 3893. Gabinius Syriæ præses factus est. Ante ejus adventum, Alexander Aristobuli filius Judæam incursionibus vastabat. Interim advenit in provinciam Gabinius, qui præter alia memoratu digna quæ gessit duxit in Alexandrum, Hyrcano jam non valente ei resistere (ἀντέχειν) Tum & de reparandis Hierosolymorum mœnibus cogitantem inhibuerunt Romani, qui illic erant. At pervagando regionem multos Judæos armavit: collectisque properè decem armatorum millibus & mille quingentis equitibus Alexandrium muniit, castellum apud Coreas & Machærunta in finibus Arabum. Adversus eum venit Gabinius, præmisso cum aliis ducibus M. Antonio: hi armatis Romanis, qui comitabantur, præterque Judæis obsequentibus, quibus erat præfectus Pitholaus & Malichus, assumptis etiam Antipatri auxiliis (τὸ Ἀντιπάτρε ἐπικερικὸν) obviam eunt Alexandro, sequente Gabinio cum phalange. Alexander recepit se propius Hierosolyma; ubi conserto prælio victor Romanus cædit hostium circiter tria nullia nec pauciores capit. Tum Gabinius veniens ad Alexandrium, inclusis pacem obtulit & veniam præteritorum: quod illi aspernati sunt. Cnm autem multi hostium castra haberent ante castellum,

ſtellum, in quos Romani ſe intulere, Marcus Antonius egregie pugnans, multis occiſis, viſus eſt palmam obtinuiſſe. Gabinius parte exercitus ad oppugnationem relicta, ipſe reliquam Judæam obit & quotquot inveniebat dirutas jubet inſtaurari urbes. Ita reſtauratæ ſunt Samaria, Azotus, Scythopolis, Anthedon, Raphia, Dora, Mariſſa, Gaza, aliæque non paucæ. Cum obedirent Gabinii juſſis, tuto habitari & certò contigit, urbes, quæ longo tempore in ruinis jacuerant. His peractis per regionem, revertitur ad Alexandrium: cumque oppugnationem urgeret per legatos veniam petit Alexander, traditque primò Hyrcaniam & Machærunta, deinde & Alexandrium; quæ Gabinius diruit. Nam Alexandri mater ad Gabinium venerat, quæ Romanis favebat, ſolicita de viro & liberis aliis Romæ in cuſtodia habitis, quæ impetravit ab eo, quicquid petiit. Moxque diſpoſitis ejus rebus Gabinius Hyrcanum deducit Hieroſolyma, habiturum curam templi: quinque juridicis conventibus (συνέδρια & συνόδους vocat) conſtitutis, in totidem æquales partes totam gentem diſtribuit. Hi civilem adminiſtrationem habebant (ἐπολιτεύοντο) Hieroſolymis, alii Gadaris, alii Amathunte, quarti Hierichunte: quintum tribunal erat Samphoris Galilææ. Sic diſſoluta dynaſtia agebant ſub gubernatione optimatum. In primo de bello: καὶ τὴν τοῦ ἱεροῦ παραδοὺς κηδεμονίαν αὐτῷ καθίστησι τὴν ἄλλην πολιτείαν, ἐπὶ προστασίᾳ τῶν ἀρίστων. Deinde: ἀσμένως δὲ τῆς ἐξ ἑνὸς ἐπικρατείας ἐλευθερωθέντες, τὸ λοιπὸν ἀριστοκρατίᾳ διῳκοῦντο.

Joſephus lib. 14. cap. XI. Ariſtobulus Roma profugus in Judæam, cæperat Alexandrium recens dirutum denuò munire. Mittit igitur Gabinius adverſus ipſum milites cum ducibus Siſenna, Antonio & Servilio, loci occupationem prohibituros eumque comprehenſuros. Multi ad Ariſtobulum confluebant ob antiquum decus & rerum novarum cupidine. Pitholaus etiam legatus (ὑποστρατηγὸς) qui Hieroſolymis erat, cum mille hominibus ad eum transfugit: multi ad eum transfugientium erant inermes. Inermes, tanquam ſibi inutiles dimiſit aſſumptisque octo armatorum millibus, Machærunta contendit: quos aſſecuti Romani, fortiter pugnando vincunt. Quinque millia cæſa ſunt, reliqui diſſipati, ut potuerunt, ſalutem quæſivere; duo millia in tumulum confugere. Ariſtobulus plus mille (cum quibus perrupta acie Romanorum evaſerat) ſecum trahens perfugit Machærunta: quod caſtellum muniit & quamvis rebus afflictis, bene ſperare non deſtitit. Sed non ultra biduum ſuſtinere potuit oppugnationem, multis acceptis vulneribus: captivus cum Antigono filio, fugæ comite ad Gabinium ducitur. Iterum igitur Romam miſſus eſt & in vinculus habitus. Liberos tamen ejus dimiſit ſenatus, cum ex Gabinii literis cognoviſſet promiſſum hoc eorum matri cum caſtella traderet. At Gabinio paranti expeditionem in Parthos, trajecto jam Euphrate, mutata ſententia viſum eſt Ptolemæum in Ægyptum reducere. Hyrcanus & Antipater illis frumentum, arma & pecunias ſubminiſtrant & auxilia. Judæos etiam ſupra Peluſium in partes illius traduxerunt. Joſ. de bello: καὶ τοὺς ταύτῃ Ἰουδαίους φρουροῦντας τὰς κατὰ τὸ Πηλούσιον ἐμβολὰς, πείσας Γαβίνιον ἔπεισε. Hic, quod & συμμάχους fecerit, φύλακας ὄντας τῶν εἰς τὴν Αἴγυπτον ἐμβολῶν. Gabinius ex illa expeditione reverſus, invenit Syriam laborantem ſeditione & turbis. In Judæa Alexander Ariſtobuli filius, denuo invaſo per vim principatu, multos Judæorum ad defectionem impulit: collectoque magno exercitu regionem obeundo interficiebat Romanos, quotquot adipiſci potuit: quique in montem Garizim confugerant, urgebat obſidione. Gabinius præmittit Antipatrum, ad tumultuantes, ſi poſſet eos forte ad ſaniorem mentem reducere. Multos ille reduxit ad officium, Alexandro potiri non potuit. Hic enim cum triginta millibus Judæorum occurrere auſus

Gabi-

Gabinio & confligere apud montem Itabyrium, decem millia amisit. Tum Gabinius constitutis rebus Hierosolymorum ex Antipatri sententia, adversus Nabatæos profectus, eos prælio vincit. Parthorum perfugas Mithridatem & Orsanem, præmisit (vel deduxit) sparso rumore, quod aufugissent. Magnis & claris operibus editis Romam Gabinius rediit, Crasso provincia tradita. De expeditione Pompeii & Gabinii in Judæos Nicolaus Damascenus & Strabo Cappadox scripserunt, *οὐδὲν ἑτέρου καινότερον*, *consimiliter.*

Josephus lib. 14. cap. 12. Crassus (tertius Syriæ præses) expeditionem in Parthos parans, venit in Judæam, abstulitque pecuniam in templo, quam Pompejus reliquerat. Erant duo millia talentorum. *οἷός τε ἦν* paratus erat tollere omne aurum, quod erat octo millium talentorum. Tollebat trabem *ὁλοσφυρήλατον*, auream (ex solido auro) factam è minis trecentis. Mina autem, ut scribit Josephus, apud Judæos valebat duas libras cum dimidia. Hanc trabem ei tradidit sacerdos custos thesaurorum, nomine Eleazarus, non per malitiam (bonus enim, & justus erat) sed cum concreditam haberet velorum templi custodiam, quæ erant admiranda pulchritudine & sumptuosa paratura & ex hac trabe suspensa, quia Crassum videbat totum esse in colligendo auro, metuens de omni ornatu ædis, auream illi trabem redemptionem pro omnibus dedit, cum prius eum jurejurando obstrinxisset, nihil aliud moturum ex æde, contentum se fore, eo, quod daturus esset, æstimatum pluribus aureorum millibus, *πολλῶν ὄντα μυριάδων ἀξίων*. Trabs illa inserta erat trabi cavæ ligneæ, quod ignotum cæteris omnibus, solus sciebat Eleazarus. Crassus hanc accepit, ut nihil attrectatutus aliud sed violato sacramento, omne aurum extulit. Neminem mirari debere dicit Josephus quod tantæ divitiæ in templo Hierosolymitano fuerint. Erant enim præter illam trabem decem talentorum auri millia. Nempe omnes in orbe Judæi & religiosi (*σεβόμενοι τὸν θεὸν*) prætereà ex Asia & Europa comportaverant à longo tempore. His divitiis etiam testimonium dare alios scriptores. Strabonem ita dicere: *Πέμψας δὲ Μιθριδάτης εἰς Κῶ, ἔλαβε τὰ χρήματα, ἅπερ ἔθετο ἐκεῖ Κλεοπάτρα ἡ βασίλισσα καὶ τὰ τῶν Ἰουδαίων ω' τάλαντα.* Nobis, inquit Josephus, publicæ pecuniæ non sunt nisi tantum Dei, & patet quod istas pecunias transtulerint in Co, Judæi Asiæ, metu Mithridatis. Non enim esse verosimile, quod illi, qui in Judæa urbem firmam habebant & ædem, in Co pecunias miserint: nec verosimile esse de Judæis Alexandriam habitantibus qui Mithridatem non metuebant. Eundem Strabonem testari alibi, quo tempore Sylla trajecit in Græciam gesturus bellum contra Mithridatem & Lucullum, misisse adversus seditionem in Cyrene gentis nostræ, qua orbis plenus esset. Ejus verba sunt: *τέτταρες δ' ἦσαν ἐν τῇ πόλει τῶν Κυρηναίων, ἥτε τῶν πολιτῶν, καὶ ἡ τῶν γεωργῶν, τρίτη δ' ἡ τῶν μετοίκων, καὶ τετάρτη ἡ τῶν Ἰουδαίων. αὕτη δ' εἰς πᾶσαν πόλιν παρεληλύθει καὶ τόπον οὐκ ἔστι ῥᾳδίως εὑρεῖν τῆς οἰκουμένης, ὃς οὐ παραδέδεκται τοῦτο τὸ φῦλον, μηδ' ἐπικρατεῖται ὑπ' αὐτοῦ. Τήν τε Αἴγυπτον καὶ Κυρηναίαν ἅτε τῶν αὐτῶν ἡγεμόνων τυχοῦσαν, τῶν τε ἄλλων συχνὰ, ζηλῶσαι συνέβη, καὶ δὴ τὰ συντάγματα τῶν Ἰουδαίων θρέψαι διαφερόντως καὶ συναυξῆσαι χρώμενα τοῖς πατρίοις τῶν Ἰουδαίων νόμοις. Ἐν γοῦν Αἰγύπτῳ κατοικία τῶν Ἰουδαίων ἐστὶν ἀποδεδειγμένη, χωρὶς καὶ τῆς τῶν Ἀλεξανδρέων πόλεως, ἀφώρισται μέγα μέρος τῷ ἔθνει τούτῳ· καθίσταται δὲ καὶ ἐθνάρχης αὐτῶν, ὃς διοικεῖτε τὸ ἔθνος καὶ διαιτᾷ κρίσεις καὶ συμβολαίων ἐπιμελεῖται καὶ προσταγμάτων, ὡσὰν πολιτείας ἄρχων αὐτοτελοῦς. Ἐν Αἰγύπτῳ μὲν οὖν ἴσχυσε τὸ ἔθνος, διὰ τὸ Αἰγυπτίους εἶναι ἐξ ἀρχῆς Ἰουδαίους, καὶ διὰ τὸ πλησίον ἑστάθαι τὴν κατοικίαν, τοὺς ἀπελθόντας ἐκεῖθεν, εἰς δὲ τὴν Κυρηναίαν μετέβη, διὰ τὸ καὶ ταύτην ὅμορον εἶναι τῇ τῶν Αἰγυπτίων ἀρχῇ καθάπερ τὴν Ἰουδαίαν, μᾶλλον δὲ τῆς ἀρχῆς ἐκείνης πρότερον.* Hoc Strabonis testimonium de Judæorum diffusione per Ægy-

Ægyptum, Cyrenæam, Asiam aliasque orbis partes verissimum est & comprobatur Act. 2. Sed falsus est, cum viciniam Ægypti fuisse causam putat, quod illuc tanto numero sint effusi Judæi, Ptolemæus Lagi, (ut supra ostensum est) eos deportavit. Cæterum Crassus, dispositis omnibus, pro arbitrio, profectus adversus Parthos, Carrhas sua clade nobilitavit. Factum id anno M. 3897. Cassius è clade cum paucis in Syriam evasit: ubi exercitum reparat, excursantes Parthos reprimit. Cum venisset Tyrum, ascendit etiam in Iudæam. Tarichæas primo impetu capit: vicies mille homines ferme venundedit (ἀνδραποδίζει) Pitholaum, qui partes Aristobuli fovebat, trucidat hortante Antipatro, qui plurimum apud eum poterat & apud Idumæos. Uxorem duxerat ex illustribus ex Arabia, Cypron nomine. Ex illa quatuor illi filii nati sunt, Phasaëlus, Herodes, Josephus, Pheroras; & filia Salome. Hic Antipater etiam alios dynastas amicitia & hospitio sibi conjunxit & Arabem, apud quem etiam deposuerat liberos, cum bellum gereret adversus Aristobulum. At Cassius expeditione repetita versus Eufratem proficiscitur, occursurus Parthis: de quo alii. Bibulus Proconsul Syriæ factus est anno 3899. Cujus non meminit Josephus.

Josephus lib. 14. cap. 13. Post hæc Cæsar, fugato Pompejo & senatu ultrà mare Jonium Romam occupat. Tum (A. M. C. 3901.) solutum Aristobulum in Syriam mittit, additis ei duabus legionibus ut eam in ordinem redigeret. Sed eum interceperunt Pompejani, dato veneno, Cæsariani funerant. Cadaver ejus melle curatum diu jacuit donec Antonius fecit reponi in regiis monumentis. Scipio jussu Pompeii Alexandrum Aristobuli filium Antiochiæ securi percussit pro tribunali ob ea, quæ ante in Romanos deliquerat. Fratres ejus Ptolemæus Mennæi, Chalcidis in Libano monte dynasta recepit: qui Philippionem filium ad eos Ascalonem misit, atque ille abstractum à matre Antigonum ejusque sorores abducit ad patrem. Captusque amore juniorem ducit, ob eamque posteà causam à patre occiditur. Ptolemæus enim ipse Alexandram ducit perempto filio, atque ob hoc matrimonium fratres ejus propensiore cura tuebatur.

Josephus lib. 14. cap. 14. Cæsari post victoriam & obitum Pumpeii, bellum gerenti in Ægypto, fidelem operam navavit Antipater, Judææ curator (τῶν Ἰουδαίων ἐπιμελητὴς) ex præcepto Hyrcani (A. M. C. 3902.) Mithridati enim Pergameno adducenti auxilia nec valenti transire Pelusium, hærentique circa Ascalonem Antipater se adjunxit cum armatis Judæorum tribus millibus, egitque cum Arabum primatibus, ut & ipsi auxilio venirent: & ob ipsum omnes qui per Syriam, opem ferebant ne promptitudine in Cæsarem viderentur superari: Jamblichusque dynasta & Ptolemæus ejus filius & Tholemæus Sohemi, colens Libanum montem & urbes fere omnes. Mithridates vero castris è Syria motis pervenit Pelusium & non receptus oppidum oppugnavit. Illic primas tenuit Antipater, primusque dejecta quadam muri parte, viam aliis irrumpendi aperuit. Pelusio capto Antipatrum & Mithridaten transitu prohibuere Judæi Ægyptii, tenentes regionem, quæ Oniæ dicebatur. Hos Antipater, in partes suas traduxit. Literæ Pontificis hortabantur, ut amici Cæsaris essent & xenia ac necessaria præberent copiis. Cum viderent Antipatrum & Hyrcanum consentire, obsequuntur: quod ubi audiverunt, qui Memphim colebant & ipsi se tradunt.

Josephus lib. 14. cap. 15. Cum jam Delta pertransiisset, conflixit cum hoste circà locum, qui appellatur castra Iudæorum. Curabat autem dexterum cornu Mithridates, sinistrum Antipater. In eo prælio inclinatum est cornu

 Mithri-

Mithridatis videbaturque cladem accepturum nisi maturè præter fluminis ripam occurrens cum suis Antipater, victis hostibus, Mithridatem liberasset & Ægyptios jam vincentes coëgisset terga vertere: qui adeò fugientibus institit, ut castra quoque hostium caperet, advocato etiam Mithridate, qui longè à tergo relictus erat. Hostium occubuere circiter octingenti, ab Antipatri parte quinquaginta. Mithridates verò de his Cæsarem per literas certiorem reddit, victoriæ simul & salutis Antipatrum causam esse: ita ut Cæsar & tunc eum collaudaverit & toto bello ad maxima pericula usus sit: in quibus etiam vulnera accepit. Cum postea bellum finiisset, & transnavigasset in Syriam Hyrcano firmat pontificatum, Antipatrum admodum honorat: eum enim donat civitate Romana & immunitate tributorum in omni loco. Multi dicunt Hyrcanum ipsum huic expeditioni interfuisse & venisse in Ægyptum. Ut Strabo Cappadax ex autoritate Asinii: *Μετὰ δὲ τὸν Μιθριδάτην εἰσβάλλειν εἰς τὴν Αἴγυπτον καὶ Ὑρκανὸν τὸν τῶν Ἰουδαίων ἀρχιερέα.* Idem alio loco ex autoritate Hypsicratis: *τὸν μὲν Μιθριδάτην ἐξελθεῖν μόνον, κληθέντα δ᾽ εἰς Ἀσκάλωνα Ἀντίπατρον ὑπ᾽ αὐτοῦ, τὸν τῆς Ἰουδαίας ἐπιμελητὴν τρισχιλίους αὐτῷ στρατιώτας συμπαρασκευάσαι καὶ τοὺς ἄλλους δυνάστας προτρέψαι, κοινωνῆσαι δὲ στρατείας τὸν Ὑρκανὸν τὸν ἀρχιερέα.* Sequentia latius in primo de bello. Antigonus Aristobuli filius eodem tempore, cum ad Cæsarem venisset præter sententiam auxit Antipatri promotionem. Nam qui de patris morte queri debebat propter inimicitias veneno, quantum putabatur, perempti & crudelitatis in fratrem accusare Scipionem, nec cum miseratione miscere invidiam, ultra hæc Hyrcanum & Antipatrum criminabatur, ut qui solo patrio eum cum fratribus iniquissime pellerent, multisque gentem (*διὰ κόρον*) ob proterviam è saturitate afficerent injuriis: quodque in Ægyptum Cæsari auxilia non benevolentia miserint sed timore veteris discordiæ & ut amicitiam Pompeii dispungerent. Ad hæc Antipater, projecta veste, multitudinem vulnerum demonstrabat: & de fide (*εὐνοίας*) in Cæsarem non esse opus verbis dixit: nam corpus etiam se tacente clamare. Antigoni autem mirari se audaciam quod hostis & fugitivi Romanorum filius & id paternum habens, quod esset rerum novator & seditiosus, apud Romanorum principem alios accusare aggressus sit, tentetque boni aliquid obtinere, quem hoc solo oporteret contentum esse quod viveret. Nam & nunc eum desiderare facultates (*πράγματα*) non tam ob inopiam, quam ut Judæos concitet & occasionibus utatur adversus eos, qui dederint. In lib. 14. Antiq. additur: Fratrem ejus convictum latrocinii debitas pœnas Scipioni dedisse, non oppressum esse per inimicitiam. Cæsar his auditis pronuntiavit Hyrcanum digniorem esse pontificatu, Antipatro electionem dedit potestatis (*δυναστείας*) Qui permisso dignitatis modo ipsi, qui daret, Judææ procurator (*ἐπίτροπος*) declaratur.

Josephus lib. 14. cap. 16. Antipatro etiam & Hyrcano permittit patriæ mœnia restituere, quæ jacebant à quo Pompejus ea diruerat, *ἔῤῥιπτο δὲ ὑπὸ Πομπηΐου καταβαλόντος.* Et scribit consulibus Romam, ut de societate gentis Judæorum scriberetur in Capitolio. Factum de eo Senatus consultum ita habet: *Valerius L. F. Pr. Idibus Decembribus, in æde Concordiæ de scribendo Senatus consulto. Præsentes erant L. Coponius L. F. & Papirius Quirinus: De quibus Alexander Iasonis, Numenius Antiochi & Alexander Dorothei, legati Iudæorum, viri boni & socii, renovantes veterem ergà Romanos benevolentiam: qui & phialam & Clypeum aureum attulerunt, signum societatis, æstimationis aureorum L. Millium: & literas petierunt ad liberas civitates & reges ut regionem eorum & portus securè possint adire. Placuit cum iis componere amicitiam (καὶ χάριτας) quæque petierunt ipsis concedere & collatum clypeum accipere. Hæc acta sunt Hyrcani*

pontifi-

pontificis & ethnarchæ anno nono, mense Panemo. Atheniensium psephisma de honoribus Hyrcano decretis sequitur in Josepho, quod scriptum factumque Archonte Agathocle. Decernunt illi coronam auream, & statuam in templo demi & charitum. Id hic non repræsentamus. Cæsar ordinatis Syriæ rebus & Sexto Cæsare præposito legionibus & Syriæ, exitu anni (3803.) navigat è Syria: eò deducto Antipater reversus in Judæam confestim Hierosolymorum mœnia per Pompejum disjecta restituit: obeundoque provinciam suasu aut minis ut pacate viverent, hortatur. Si Hyrcano parerent, in otio rebus suis fruituros si novarum rerum studio, obedientiam exuerent, se pro procuratore (προστάτου. κηδεμόνος) dominum, Hyrcanum pro rege tyrannum, Romanos & Cæsarem pro amicis & rectoribus (ἡγεμόνων) hostes esse habituros. Hæ monitiones sine effectu non fuere.

Josephus lib. 14. cap. 17. Cum videret Hyrcanum segnem esse tardumque Phasaëlum seniorem è filiis præsidem constituit Hierosolymorum & regionis circumvicinæ, Herodi secundo Galilæam commisit, adolescenti quindecim annorum. Ætas tamen huic nihil obfuit, quo minus ostendendæ virtuti inveniret occasionem. Comprehensum enim Ezeciam, latronum principem, cum magno globo infestantem vicina Syriæ incursionibus, cum multis latronibus supplicio afficit: quod opus uberem apud Syros peperit gloriam & gratiam. Unde in urbibus ac vicis canentium voces eum celebrabant, ut qui pacem & securam possessionum fruitionem dedisset. Ob id ipsum innotuit Sexto Cæsari, Syriæ præsidi. Phasaëlus æmulatione fraternæ laudis accensus, omni modo gratiam ambibat apud populum Hierosolymitanum dextere res obeundo & sine cujusquam contumelia aut injuria. Unde factum est ut Antipater, haud secus, quam si rex esset, à tota gente coleretur. Ipse tamen nihil de benevolentia ergà Hyrcanum ac fide mutavit. At primores Judæorum videntes Antipatrum & filios crescere benevolentia gentis & reditibus Judææ & Hyrcani pecuniarum, invidia movebantur ergà illum, κακοήθως εἶχον πρὸς αὐτόν. Nam Antipater amicitiam imperatorum comparabat: cum persuasisset Hyrcano mittere dona, ipse sibi separabat donationem, mittens tanquam suam non ut ab Hyrcano. Hyrcanus illa audiens, non revocabat ad animum sed & magnopere lætabatur. In metu autem erant primates Judæorum, animadvertentes Herodis ingenium, violentum, audax & dominandi cupidum. Adeuntesque Hyrcanum aperte jam accusabant Antipatrum: Quousque tandem inquiunt de illis, quæ fiunt, quiesces? Nonne vides Antipatrum & filios succinctos principatu, tibi nihil superesse nisi inane regni nomen? Sed ne te lateat, neque arbitrare te absque discrimine esse, tui ipsius & regni tui juxta negligentem. Non enim amplius procuratores tui sunt Antipater & filii, ne fallaris ita arbitratus, sed manifeste dominos se esse profitentur (ἀνωμολόγηνται) Etenim Herodes, filius ipsius Ezeciam cum suis sociis occidit transgressus legem nostram, quæ non sinit hominem quantumvis noxium affici supplicio, nisi prius damnatum à consessu judicum (συνεδρίου) Non accepta à te potestate id ausus est. His auditis movebatur Hyrcanus, quem inflammarunt etiam matres occisorum ab Herode. Illæ enim quotidie in templo rogabant regem & populum, ut coram consessu Herodes judicium subire cogeretur. Non deerant aulicorum quotidianæ criminationes. Proinde Herodem evocat, rationes redditurum de iis quorum accusabatur. Ille præsto fuit, sed monitus à patre erat ut non tanquam privatus sed cum comitatu ad se tuendum & satellitio accederet. Ordinatis igitur Galilææ rebus, cum caterva sufficiente ad iter, ne metuendus esset Hyrcano, majori si instructus agmine advenisset, neque nudus & incustoditus venit ad judi-

judicium. Sextus etiam Cæsar Syriæ præses scribit Hyrcanum monens, ut Herodem absolveret in judicio, additis etiam minis aliter facienti. Hæ literæ fecerunt ,ut Herodes absolveretur. Nam ipsum rex instar filii amabat. Stans in synedrio Herodes cum suo agmine, omnes perculit, nec quisquam eorum, qui absentem accusaverant ausus est hiscere, sed silentium erat & inopia consilii. Tum unus, cui nomen Sameas, vir justus, atque ideo metu superior, surgens dixit: Equidem judices (ἄνδρες σύνεδροι) & rex. Nec ipse quenquam vidi, qui ad causam apud nos dicendam vocatus ad hunc modum comparuerit, nec vos puto posse proferre hujusmodi quenquam sed quisquis hactenus venit ad hunc consessum judicandus, humilis adstabat & habitu metuentis ac captantis misericordiam, promisso capillitio & atratus. At bonus iste Herodes, (φόνου δίκην φεύγων) cædis judicium fugiens & vocatus ob tale crimen adstat purpuratus & crine bellè composito cum armatis stipatoribus, ut si eum condemnemus juxta legem nobis occisis, ipse evadat vi facta judicio. Verum Herodi non succenseo, quod majorem incolumitatis suæ, quam legum rationem habeat, sed vobis magis & regi, qui hanc illi concessistis licentiam (ἄδειαν) Scitote tamen magnum esse Deum, & hunc quem nunc Hyrcani gratia vultis dimittere, vos olim & ipsum regem esse puniturum. Non fefellit eventus. Nam Herodes regnum adeptus, omnes, qui in consessu erant, & regem quoque sustulit excepto uno Samea: quem diligebat ob justitiam & quia post obsessa urbe ab Herode & Sosio, autor fuit admittendi Herodem negans propter peccata illos posse dominationem illius effugere. Porrò Hyrcanus animadvertens judices propensiores (ὡρμημένους) ad condemnandum Herodem, judicium in sequentem diem distulit: & clam admonuit Herodem, ut urbe fugeret ad evitandum periculum. Damascum recessit, tanquam fugiens regem. Cumque venisset ad Sextum Cæsarem, seque munivisset, ita animatus (ita comparatus, οὕτως ἔχων) erat ut si secundò vocaretur, non fuerit venturus. Indignabantur illi, qui in consessu & conabantur regem docere, quod in ipsum (κατ' αὐτοῦ) hæc omnia tenderent: qui id non ignorabat, sed nihil expedire poterat per ignaviam & amentiam. Cæterum cum Sextus Cæsar accepta pecunia Herodem præfecisset Cæle Syriæ, Hyrcanus timuit ne ille contra se duceret. Nec morabatur diu post hunc metum (οὐ πολὺ δὲ ταύτης τῆς δόξης ἐβράδυνεν) sed veniebat Herodes ducens in ipsum exercitum, iratus ob judicium & quod ad rationes in consessu reddendum, vocari eum passus esset. Pater fraterque obviam euntes, impediunt Hierosolyma aggredi: impetum ejus sedantes rogantesque, ut opus nullum ederet contentus minis & terrore: neve ulterius iret adversus autorem hujus dignitatis. Ostendebat, eum, qui irasceretur vocanti ad judicium, non debere esse immemorem dimissionis. Reputandum, quia Deus pro arbitratu suo momenta belli dispensat, incertam esse ejus aleam λογίζεσθαι δὲ ὡς εἰ καὶ πολέμου ῥοπὰς βραβεύει τὸ θεῖον, πλέον ἐστὶ τῆς στρατείας τὸ ἄδηλον. Adversus benè meritum movere ipsum, qui nulla sit affectus injuria, cum & id: quod incusat umbramque habeat malignitatis non ipsi sed malis consultoribus debeat imputari. Paret Herodes, contentus ostendisse potentiam. Interim, Cæsar Romam reversus stabat in procinctu, navigaturus in Africam, adversus Scipionem & Catonem. Tum Hyrcanus per legatos eum rogavit ut amicitiam & societatem secum firmaret. Hoc loco Josephus decreta sive edicta Romanorum pro Judæis uno loco conspicienda exhibuit: quibus contradici non poterat, quia publicè dedicata sunt in urbibus & adhuc in Capitolio & columnis æneis legebantur.

I. Cæsar Julius facta columna ærea, declaravit quod cives essent Alexanrini.

II. Se-

II. Secundo loco ponit decreta Senatus & Julii Cæsaris, pertinentia ad Hyrcanum & gentem Judæorum. Cæsar jubet Hyrcanum & filios esse ethnarchas Judæorum & pontificatum perpetuum habere more avito. Jura quoque omnia pontificia ex lege patria habere: controversias de Judaica disciplina (περὶ τῆς Ἰουδαίων ἀγωγῆς) judicare. Cæsar quintum Cos. decrevit muniri urbem Hierosolymorum. Ut septimo anno liberi sint à tributo. Ut præses, dux, legatus non possit colligere, aut pecunias exigere, in hybernationem aut alia causa: ἀλλ᾽ εἶναι πανταχόθεν ἀνεπηρεάστους. Joppen, vicos magni campi aliaque loca plurima concedit. Concedit senatus jus Hyrcano ejusque filiis & legatis ab eo missis ludos & gladiatores spectandi inter senatores (μετὰ τῶν συγκλητικῶν) sedentibus: utque quotiescunque postulaverint à dictatore aut magistro equitum introducantur &c. Parianis magistratibus scribit sibi non placere, quod Iudæos socios atque amicos suis decretis vetent uti patriis sacris & ritibus, πατρίοις ἔθεσι καὶ ἱεροῖς: cogantque conferre pecunias εἰς σύνδειπνα καὶ ἱερά. Antonio & Dolabella coss. amicitia Senatus consulto est renovata. Dolabella Ephesiorum magistratui scribit, sibi significatum ab Hyrcani legato, τοὺς πολίτας αὐτοῦ μὴ δύνασθαι στρατεύεσθαι διὰ τὸ μήτε ὅπλα βαστάζειν δύνασθαι μήτε ὁδοιπορεῖν αὐλὰς ἐν ταῖς ἡμέραις τῶν σαββάτων, μήτε τροφῶν τῶν πατρίων καὶ συνήθων κατ᾽ αὐτὰς εὐπορεῖν, ideo ipsis concedere se ἀστρατείαν, immunitatem à militia. Concedit etiam χρῆσθαι τοῖς πατρίοις ἔθεσι, ἱερῶν ἕνεκα καὶ ἁγίων συναγομένοις καθὼς αὐτοῖς νόμιμον καὶ τῶν πρὸς τὰς θυσίας ἀφαιρεμάτων. Deinde & Lentuli decretum de immunitate militiæ. Hæc alio loco latius deducentur.

Iisdem temporibus Syria turbata fuit. Nam Cæcilius Bassus Pompejanorum unus per insidias interfecto Sexto Cæsare (A. M. C. 3906.) occupavit provinciam cum legionibus. Hinc magnum bellum circà Apamiam conflatum est, Cæsarianis ducibus adversus eum venientibus cum equistribus ac pedestribus copiis. His Antipater etiam auxilia misit cum filiis memor beneficiorum Sexti Cæsaris & repeti pœnas ab ejus interfectore justum arbitratus. Id bellum dum trahitur, Marcus venit Sexti successor. Interim Cæsar à Bruto & Cassio in curia interficitur, cum imperium tenuisset triennio & sex mensibus. Idibus Martiis ejus anni interiit.

Josephus lib. 14. cap. 18. Bello civili coorto post necem Cæsaris & primatibus (τῶν ἐν τέλει) omnibus ad parandos exercitus aliis alio dispersis, advenit Cassius in Syriam, occupaturus exercitum (στρατόπεδον) qui circa Apamiam: solutaque obsidione ambos in suas partes pertraxit, Bassum & Marcum: obeundoque civitates, arma & milites colligebat, tributa etiam exigendo gravia. Maximè autem Judæam afflixit, septingenta talenta argenti imperans. Antipater verò videns, omnia in metu & tumultu, distribuit pecuniarum exactionem, partem duobus filiis, partem Malicho, partem aliis. Primus Herodes exactis, quæ erant imperata (Clatenta) carus admodum fuit Cassio. Ἐπιπεράσκοντο δὲ αὐτανδροι ὅσοι τῶν ἄλλων πόλεων ἐπιμεληταί. Vendebantur autem ipsi cum suis rebus aliarum urbium curatores. Quasdam civitates venundedit Cassius: quarum potentissimæ Gophna & Emmaus, prætereà Lydda & Thamna. Adeò autem exacerbatus erat, ut etiam interfecturus (ὥρμη καὶ ἀνελεῖν) Malichum fuerit, (ferebatur enim in illum) nisi Hyrcanus per Antipatrum, centum talentis de suo missis furorem ejus lenisset. Cum autem Cassius abiisset è Judæa admodum insidiatus est Antipatro, per hujus mortem securitatem posse Hyrcano parari existimans. Hujus consilia Antipatrum non latuerunt. Ideò profectus ultrà Jordanem, collectoque exercitu Arabico simul & ex indigenis se munire parat. Tum Malichus vir (δεινὸς) callidus insidias infitiatur, defendens se jurejurando

 apud

apud Antipatrum & filios & quod Phasaëlo Hierosolymis præsidente, Herode custodiam armorum habente ne quidem in mentem sibi tale aliquid venerit. Videns difficultatem perficiendi propositi (ἀπορίαν) reconciliatur Antipatro, Herodis & Phasaeli opera ut est in opere de bello. Marco Syriam obtinente in concordiam rediere (συνέβησαν, quam vocem neglexit Gelenius) Marcus Malichum interempturus fuerat, quia intellexerat eum res novas moliri, sed Antipatri precibus servatus est.

Josephus lib. 14. cap. 19. Nefarius animus beneficiis non potuit reduci ad sanitatem, accensus etiam est novis inimici incrementis. Nam Cæsare adolescente (Octavio) & Antonio cum Bruto & Cassio bellum gerentibus, Marcus & Cassius exercitu è Syria collecto, quod magno usui fuisset Herodes, ipsum totius Syriæ procuratorem (ἐπιμελητὴν) constituunt, datis copiis equestribus, pedestribus (in opere de antiquitatibus additur, de navalibus) Promisit etiam Cassius daturum se illi Judææ regnum, finito bello. Malichus igitur hoc incremento infensior Antipatro, pocillatori cuidam regio pecunia corrupto (apud Hyrcanum enim simul epulabantur) venenum illi dare persuadet, quo ille sumpto post symposium exspiravit. Καὶ ὁ μὲν ἀξίωμα τῆς Μαλίχου παρανομίας γενόμενος &c. Vir meliore exitu dignus; strenuus in administratione rerum, qui Hyrcano regnum restituerat & conservaverat. Malichus, infensum propter suspicionem veneni populum negando placabat: simulque armatorum sibi præsidium comparat, & urbis statum componit. Nec enim Herodem cessaturum arbitrabatur: qui & confestim aderat ducens exercitum ad ultionem necis paternæ: sed Phasaeli fratris consilio, hominem aperte persequi non oportere, ne multitudo in seditionem traheretur, tunc admittit purgantem se Malichum & suspicione se absolvere profitetur: splendidaque pompa paternas celebrat exsequias. Tum veniens in Samariam, eamque inveniens afflictam, recreat & dissidia sopit. Non multò post, imminente festo, advenit cum militibus in urbem: quod factum metuens Malichus Hyrcano suadet, ne eum intrare permitteret. Obnuntiat Hyrcanus, τὸ μὴ δεῖν ὄχλον ἀλλοδαπὸν ἁγνεύοντος εἰσάγεσθαι τοῦ πλήθους. At Herodes spreta obnuntiatione noctu urbem ingressus est. Malichus territus nihil tamen remisit de simulatione: palam ut amicus deflebat & inclamabat Antipatrum, clam verò satellitium sibi parabat. Visum Herodi etiam est simulationem hanc non coarguere, sed ad vitandam suspicionem vicissim comiter tractare Malichum.

Josephus lib. 14. cap. 20. Cassio tamen scribit Herodes de morte patris, qui (cum & nosset mores Malichi) rescripsit, ut ulcisceretur, clam etiam mittit tribunis apud Tyrum agentibus, mandans ut adessent justa molienti Herodi. Cum capta à Cassio Laodicea, una (ipse, Malichus & Hyrcanus) ad eum iter facerent, afferentes coronas & pecuniam, (undique optimates confluebant ad eum finem) Herodes exspectabat Malichum illic pœnas daturum esse, sic enim destinaverat. At ille id suspicatus alia animo destinaverat. Judæam scilicet, dum abest Cassius adversus Antonium, concitare ad rebellionem sibique principatum acquirere. Ideò cum Tyrum pervenissent, urbem ingredi cogitabat, ut filium obsidem clam abduceret. Cæterum Herodes (δεινὸς ὢν) callidus cum esset, id propositum perspexerat, ideò misso famulo, tanquam apparaturo ad epulas ad quas invitaverat omnes, re ipsa ad tribunos ut Malichum interficerent, egrediuntur tribuni obviam Malicho & Hyrcano euntibus ad cœnam, quos in litore deprehensos cingunt, omissoque Hyrcano Malichum multis vulneribus conficiunt. Hyrcanus autem concidit attonitus: tandemque ægre refocillatus, percontabatur Herodem, quid hoc rei esset: intellecto-

lectoque è responso tribuni qui aderat, factum esse Cassii jussu, laudavit facinus. Cassium enim bene consuluisse sibi & patriæ. Dignum quidem exitum habuit Malichus, sed Cassio è Syria profecto, tumultus apud Judæam exoritur. Elix (*Felicem* interpretatur cum Rufino Gelenius, *Elicbum* vocat Pseudohegesippus) relictus Hierosolymis cum exercitu, vadit in Phasaëlum & populus in armis erat. Herodes tum forte Damascum ierat ad Fabium illic præsidem, cupientemque fratri succurrere morbus impediit, donec Phasaelus per se, superatum Elicem & in turri clausum, pacto intercedente dimisit. Sed permittente Hyrcano multa castella occupat & inter cætera longe munitissimum Massadam. Ob id meritò redarguit Hyrcanum Phasaëlus, quod post tot accepta ab ipsis beneficia, favorem inimicis impenderet. Cæterum Herodes, recepta sanitate, omnia recuperat, ipsum Elicem de munitione Massadæ, sub pacto dimisit incolumem.

Josephus lib. 14. cap. 21. Alius etiam hostis ex improviso accessit. Nam Antigonus Aristobuli filius, adoptatus à Ptolemæo Mennæi: conciliat sibi pecuniis Fabium. Adminiculatur etiam ipsi Marion: quem Tyri tyrannum fecerat Cassius (Nam Cassius Syriam occupatam principatibus muniverat. Sic reddendum, quod non intellexit Gelenius) Hic ob inimicitias cum Herode, favebat Antigono, ob Fabium Ptolemæo se adjungebat. Ptolemæus affinis cuncta Antigono liberaliter subministrabat. Marion primus in Galilæam finitimam profectus tria castella occupat & præsidiis munit. Huic occurrens Herodes castella recepit & Tyrios præsidiarios comiter dimisit, largitus etiam dona, propter benevolentiam animi erga urbem Tyrum. His peractis educit in Antigonum eumque prælio superat & vix extremos Judææ fines ingressum expellit. Quamobrem advenientem Hierosolyma coronis revinciebat Hyrcanus & populus. Jam enim gener per sponsionem adscitus erat in Hyrcani familiam, eoque magis ipsum tuebatur, ducturum Alexandri Aristobulo geniti filiam, natam filia Hyrcani. Duxerat ante uxorem è suis popularibus Dorin (Pseudohegesippus Dosin vocat) ex qua suscepit Antipatrum filiorum maximum natu.

Josephus lib. 14. cap. 22. Cassio apud Philippos ab Antonio & Octavio Cæsare devicto (χειρῶσαι) Factum id prælium anno M. C. 4908. adulta æstate) Octavius in Gallias, Antonius in Asiam proficiscitur. Huic in Bithynia, occurrunt ab omni parte legationes. Aderant etiam Judæorum primores accusaturi Herodem & Phasaëlum: quasi in speciem tantum regnaret Hyrcanus, hi autem vim imperii tenerent. Antonius Herodem qui ad defensionem accesserat, in magno habebat honore, unde ne quidem ad colloquium adversarios ejus admisit. Id pecuniis Herodes apud Antonium effecerat. Progresso Ephesum præsto fuit legatio ab Hyrcano & publico nomine gentis, afferens coronam auream, petensque ut quos Judæos Cassius captivos fecerat præter jus belli, scriptis per provincias literis libertati & agrum ab eodem ademptum, Judææ redderet. Legati Judæorum erant Lysimachus Pausaniæ, Josephus Mennæi & Alexander Theodori. Hi prius Romæ, nunc Ephesi Antonium compellarunt. Concessit Antonius, scriptis literis ad Hyrcanum & gentem Judæorum. In quibus justitiam causæ & successus Cæsarianorum jactat, narratque fortunam prælii Philippensis. Restituit libertatem omnibus à Cassio in servitutem datis &c. Scribit Tyriorum magistratibus, ut restituerent agrum, quem Judæis ademerant, temporibus Cassianis. Mandat edictum de restitutione in publicis tabulis loco patentissimo proponi. Idem scripsit Sidoniis Antiochensibus & Aradiis.

Josephus lib. 14. cap. 23. Posthæc proficiscentem in Syriam Antonium Cleo-

Cleopatra, quæ illi in Cilicia occurrebat, amoribus suis implicuit (*δι' ἔρωτος αὐτῆς ἐκεχείρωτο*). Adeunt autem eum rursum centum è Judæorum gente potentissimi ad accusandum Herodem cum suis electo disertissimo quoque è suo numero, qui verba faceret. Juvenum autem causam defendendam susceperat Messala, præsente & Hyrcano. Antonius verò audita utraque parte apud Daphnen, sciscitatur ex Hyrcano, utra pars melius administraret remp. *πότεροι τοῦ ἔθνους ἄμεινον προΐστανται*. Cum respondisset, Herodem præstare & qui ejus, Antonius jam & olim benè affectus ergà eos, ob jus hospitii, quod contraxerat, cum eo, quo tempore erat apud Gabinium, hos ambos tetrarchas constituit & Judæorum eis committit administrationem. Literas etiam scribit & quindecim adversæ factionis (*ἀντιστασιαστῶν*) conjecit in vincula: occisurus etiam nisi intercessisset Herodes. Ne sic quidem quiescere potuit adversa factio, quæ & Hierosolymis tumultum concitavit. Rursum mille venerunt Tyrum, præstolaturi Antonium. Antonius verò multis jam corruptus pecuniis ab Herode & fratre ipsius, imperavit ejus loci magistratui (*τῷ κατὰ τόπον ἄρχοντι*) ut animadverteret in Judæorum legatos, tanquam nova molientes, essetque Herodi adjutor ad principatum. Herodes festinato (diversabatur enim in littore ante urbem) cum Hyrcano ipsis obviam progressus, multis eos admonet ne & sibi interitus & patriæ belli causa fierent, dum inconsideratè contendunt. Illis autem tanto magis intumescentibus, erumpentes interim Judæi cum indigenis, quosdam trucidant, plures vulnerant, reliqui fuga evaserunt. At Hyrcanus saucios cura, occisos sepultura dignatus est. Hi qui effugerant, quiescebant quidem, sed populus clamoribus Antonium irritavit ut etiam, quos in vinculis habebat interficeret. Sequenti anno (M. C. 3909.) Syriam occupaverunt Pacorus regis filius & Barsapharnes Parthorum satrapa: moritur autem Ptolemæus Mennæi, cujus successor filius Lysanias amicitiam facit cum Antigono Aristobuli filio, assumens ad id sibi utilem satrapam, qui multum apud filium regis poterat. Pseudohegesippus scribit Lysaniam potestate exutum solicitasse Pacorum, ut Antigono regnum daret.

Josephus lib. 14. cap. 24. Antigonus (aut pro illo Lysanias) promittit Pacoro se daturum mille talenta & quingentas mulieres, si ab Hyrcano in Antigonum transferrent regnum & Herodem una cum suis interficerent. Parthi igitur ducunt versus Judæam exercitum, Pacorus per maritima, satrapa per mediterranea. Pacorum excluserunt Tyrii, Sidonii & Ptolemaidenses intromiserunt. Ille detentus Syriæ rebellionibus, ut notat ille Hegesippus turmam equitum speculatum in Judæam præmisit, jussum etiam adjutare Antigonum. Eos ductabat pincerna regius & ipse Pacorus nomine. His Carmelum montem & vicina populantibus, multi inde Judæi confluunt ultro ad Antigonum, ad expeditionem & invadendam Judæam parati. Ille autem ad locum, qui *Δρυμοὶ* dicebatur, occupandum eos præmittit: ubi commissa pugna, pulsisque & fugatis hostibus, Hierosolyma cursu contendunt, auctique inter eundum numero usque ad regiam processerunt: eamque obsidere cœperunt. Sed obsessis opem ferebant Phasaelus & Hyrcanus. Quorum forti opera prælio conserto vincuntur & compelluntur intrà templum. Victores mittunt manum militum sexaginta in proximas ædes, eas custodituram. Hos auxilio destitutos una cum ædibus populus igne immisso concremavit. Paulò post Herodes id facinus puniit, in conflictu cum adversæ factionis hominibus multos occidens. Cum autem quotidianæ velitationes fierent, hostes exspectabant conventuras è tota regione turbas ad festum imminentis pentecostes. Ad id festum multa hominum millia circa templum coëunt, tam armatorum, quam

iner-

inermium. Qui aderant templum & urbem præter regiam tenebant. Regiam cum paucis militibus custodiebat Herodes, murum Phasaëlus. Herodes cum manipulo invectus in hostes in suburbio, forti pugna multa millia (πολλὰς μυριάδας) in fugam pellit, aliis in urbem, aliis in templum refugientibus, quibusdam etiam in extra situm propugnaculum, quod illic erat. Opem ipsi aliquam ferebat Phasaëlus. Pacorus dux Parthorum cum paucis equitibus rogatu Antigoni in urbem intrat, prætextu quidem seditionis compescendæ, reipsa ad conciliandum illi regnum: quin postquam à Phasaëlo obviam eunte exceptus est hospitio, persuadet barbara astutia & perfidia, ut legatus iret ad ipsum Barzapharnem: quam legationem suscepit obnitente Herode & jubente ut potius Pacorum & alios ad se venientes aggrederetur. Credulitas sua Phasaëlum perdidit. Itaque profecti in eam legationem Hyrcanus & Phasaëlus, sed Pacorus relictis apud Herodem ducentis equitibus ac decem liberis, quos vocant, legatos deduxit. Ut ventum in Galilæam est, armati illis occurrunt, qui illis oppidis præerant. Barzapharnes etiam insidias tegebat specie benignitatis. Denique munera dabat & quemadmodum circumvenirentur dispositionibus constituebat. Prosequebantur eos custodiæ magis causa, quam socii periculorum. Diverterant in locum quendam maritimum, cui nomen Ecdippon, cum nuntii detulerunt: Antigonum mille talenta & quingentas mulieres Parthis pollicitum esse & jam captos fuisse, nisi mora fuisset Herodes, quem prius capere proposuerant, ne rumor de fratre eum cautum faceret. In noctem insidias parari, ut ex improviso caperentur. Hæc jam non verba erant amplius: nam & custodes adesse videbant qui se hactenus in propinquo & abdito tenuerint. Non defuerunt qui hortarentur Phasaëlum, ut nihil amplius exspectans conscenso equo se inde proriperet: præcipue Ofilius sive Ofellus: qui id secretum cognoverat è Saramalla Syrorum ea tempestate opulentissimo & naves ad fugam offerebat. At ille Hyrcanum & fratrem Herodem nolebat in periculo relinquere: adit igitur Barzapharnem, dicens eum non recte facere, qui ejusmodi agitaret consilia. Si enim pecuniis opus habeat, plures accepturum à se quam ab Antigono & alioquin turpe esse legatos suam fidem secutos, nulla culpa interveniente occidere. Barbarus hæc audiens dejerabat non esse vera & inanibus eum suspicionibus turbari: moxque ad Pacorum abiit.

Josephus lib. 14. cap. 25. Profecto illo, Parthorum quidam quibus id negotii, datum, vincula injecerunt Hyrcano & Phasaëlo, multum detestanti (κακίζοντα) Parthorum perfidiam. Nec minus eunuchus (οἰνοχόος) missus ad Herodem mandatum exsequi moliebatur, ut prolectum extra munitiones comprehenderet: sed illum jamdudum suspectantem insidias barbarorum gravis ad cavendum cura intra munitiones tenebat. Phasaëlus mox à sua comprehensione nuntios misit ad monendum fratrem, quos quoniam hostes interceperant, Herodes re cognita Pacorum adiit & Persarum potentissimos, quasi aliorum dominos, expostulans de nuntiis à fratre missis & literis quas afferrent. Hi dolo prætento, cum omnia scirent, dissimulabant, ajebantque, ipsum secum egressum ante mœnia occurrere oportere latoribus literarum: ne ab adversariis comprehendantur: adventare enim indicaturos quam bene Phasaelo res successerint. Herodes fidem eis non habebat, maximè, quia nondum certus rumor attulerat de fratre in vincula conjecto. Cautiorem fecit Hyrcani filia, cujus filia ipsi desponsa erat: cum alii ejus dicta contemnerent, ipse tamen prudentis feminæ monitis aures accommodabat. Interim dum Parthi quid faciendum sit consulunt & rem in sequentem diem differunt, Herodes in tanta trepidatione, magisque iis quæ de fratre capto & Parthorum

insidiis dicebantur quam allatis in contrarium accedens, appetente vespera ad fugam uti decrevit, nec moram facere in discrimine. Assumptis igitur armatis, quos habebat & impositis in jumenta mulieribus, matre & sorore & sponsa, filia Alexandri Aristobulo nati, matreque sponsæ, filia Hyrcani, minimoque fratre & famulitio, aliaque turba comitum, properabat versus Idumæam insciis hostibus. Præcedere jussa turba imbelli, ipse cum famulis sequebatur ut hostem insequentem exciperet. In facie ista rerum & profectione ipsis etiam hostibus miserabili Herodes animum obfirmaverat, hortabatur etiam & animos erigebat, sigillatim obeundo: mœrorem mitterent timoremque: id enim fugæ officere, in qua sola spes salutis posita sit, At interim dum properant everso vehiculo (ζεύγυς) mater de vita periclitata est. Hic casus cum adeò terruit & metus ne inter hæc hostis superveniret, ut gladio pectori admoto semet conficere voluerit: sed id prohibebant, qui aderant, multitudine prævalentes & obtestantes, ne suos inimicorum injuriis relinqueret. Non enim viri fortis esse, se uno in libertatem asserto (audi insaniam) *amicos discrimini exponere*. Matre refocillata & curata, quantum permittebat tempus, pergebat institutum cursum, contentiore profectione versus castellum Massadam. Crebros Parthorum insequentium (resciverant enim fugam) assultus pugna ubique superior repulit. Judæi etiam fugientem incursant cum quibus prælio decertat sexagesimo ab urbe stadio: his in fugam versis victisque quasi non ex necessitate, sed multò ante præparatus & rebus necessariis instructus conflixisset: in eo loco, ubi Judæos vicit, posteà regiam & urbem condidit nomine Herodion. Cum pervenisset ad locum Idumææ, cui nomen Ressa (al. Tressa) occurrit frater Josephus: tum consultatum de summa rerum: quid faciendum esset, tanta multitudine, cujus capax non esset Massada & destitutos se esse mercenario milite. Majorem igitur partem (supra novem millia) dimisit, instructos viatico, jussosque alios aliò per Idumæam saluti suæ consulere. Expeditioribus quibusque & intimis necessitudinibus assumptis castellum ingreditur: depositisque ibi militibus & comitatu (quasi octingenti numero erant) in loco abundante frumenti aquarum aliorumque necessariorum, ipse properavit Petram Arabiæ. Cæterum Hierosolymis ubi die illucescente fuga cognita est, missi, qui insequerentur Herodem, ut diximus: reliqui infudere se Hierosolymis, irruentesque in fugientium domos, omnia in rapinas vertere, una cum ipsa regia, solam Hyrcani pecuniam intactam relinquentes, quæ trecenta talenta superabat: aliorum vero pecuniæ spe minores inveniebantur: quoniam Herodes jampridem barbarorum perfidiam suspicans, præstantissima cimeliorum, in Idumæam ante deportaverat & factionem ejus tenentium qui libet. Parthi autem non satiati præda urbis, universam regionem implacabili bello replevere, Marissa etiam eversa.

Antigonus Rex ultimus de stirpe Hassamonæorum, A. M. C. 3909.

QUamvis Antigonus non potuerit Parthis quingentas præstare mulieres, quas promiserat ex Herodis factione (de genere optimatium) tradendas, eum tamen regem constituunt: insuper traditis Hyrcano & Phasaëlo, tractandis pro libitu. Ille autem tenere sese diutius nequivit sed continuo in Hyrcanum facto impetu, aures ejus dentibus suis abscidit, ne quando illa rerum conversione recursus ei pateret ad summum sacerdotium, (δεῖ γὰρ ὁλοκλήρους ἀρχιερᾶσθαι) Phasaëlus adscitæ mortis celeritate contumeliam prævertit: illiso capite saxis (quæ forte aderant) (Jos. φθάσαντος πέτρᾳ προσαράξαι τὴν κεφαλήν) dedigna-

dignatus servari ad ludibrium, vel jussu alieno mori, qui posset vinctus licet manibus & ferro negato exitum vitæ invenire. Josephus celebrat ejus generositatem. Alius tamen sermo habuit, ex illo vulnere mortem non invenisse, sed Antigonum saucio adhibuisse medicum, à quo venenum vulneri loco medicamenti affunderetur. Addunt cognito (per quandam muliericulam) Herodem effugisse insidias dixisse, cum alacritate sese obire, quia superstitem injuriarum ultorem relinqueret. At Herodes urgebat profectionem in Arabiam, sperans se à Malicho, veteri patris & suo amico ac hospite pecuniam vel muneri vel fœnori accepturum, ad redimendum fratrem. Qua de causa etiam Phasaëli filium septennem, secum trahabat, obsidem daturus. Occurrentibus à Malicho (seu Malcho) legatis, qui denuntiabant, ut finibus excederet, sic enim Parthos jubere, respondet se non venisse ut molestiam ipsis faceret, sed collocuturum cum rege de rebus necessariis. Prætexebat Malchus Parthorum metum, ne debitam pecuniam redderet & optimatibus id suadentibus ut deposita in prædam cederent, Mox Herodi consultius visum est recedere, abiitque versus Ægyptum in summa modestia. Diversatus est ad vesperam in quodam fano ut multos de suis relictos illic reciperet. Sequenti die cum venisset Rhinocoruram illic cognovit, quid fratri evenisset. Arabum regem sero pœnituit rejecti Herodis: qui enim missi erant revocatum non invenere eum: quia jam procul aberat versus Pelusium profectus. Quo postquam pervenit, non recipientibus eum nautis, magistratus adiit; qui honorifice & reverenter Alexandriam deduxerunt. Illic eum detinuit Cleopatra sed persuadere non potuit, ut apud se maneret, dux ad ea, quæ agebantur. Festinabat enim Romam, quamvis hyems esset & Italia in motibus bellorum. Solvens igitur inde versus Pamphyliam & cum gravi tempestate conflictatus, ægre in Rhodum evasit, jactura etiam sarcinarum facta. Illic duos amicos invenit Sappinam & Ptolemæum. Rhodiorum civitatem bello adversus Cassium afflictam, in sua tanta inopia, supra vires tefovebat. Hinc cum amicis profectus Brundulium appulit. Inde Romam, cum venisset, ante omnes Antonio, quæ circà Judæam & fratrem Hyrcanumque evenissent, exposuit: quæque ipse pericula subjisset, tum in Judæa, tum in itinere versus Romam, quod suscepisset ob spem auxilii ab ipso.

Josephus lib. 14. cap. 26. Antonius commiseratione amici, & memoria hospitii apud Antipatrum, magis tamen promissione pecuniæ & odio Antigoni motus, Herodem ad regnum Judææ promovere adnixus est. Octavius Cæsar ut gratificaretur Antonio & ob operam Antipatri, ac amicitiam cum Julio Cæsare in Ægypto, favebat proposito. Messala igitur & Atratinus convocato senatu, commendant Herodem in medium productum, commemoratis ipsius parentisque sui meritis, Antigoni simul hostiliter facta & quod à Parthis regnum obtinuisset. Senatum his dictis exacerbatum Antonius etiam docuit Herodis operam bello Parthico utilissimam esse posse. Omnibus suffragiis rex declaratur, hostis autem Antigonus. Insigne studium Antonii ex eo etiam arbitrere, quod præter morem Romanorum fuerit, externo generis regii regnum dare: ideo etiam cum Romam proficisceretur petere regnum proposuerat, conjugis suæ fratri Alexandro nepoti ex patre Aristobuli, ex matre Hyrcani. Intra septiduum Antonius ea felicitate procurata Herodem dimisit. Dimisso senatu Antonius & Cæsar medium habentes Herodem egrediuntur, præeuntibus magistratibus aliis & consulibus, sacra facturi & senatus consulta (δόγματα) deposituri in Capitolio. Novus rex primo die apud Antonium epulatur. Ita Herodes regnum obtinuit 184. olympiade, Consulibus C. Domitio Calvino iterum & C.

Asinio Pollione A. M. C. 3910. Toto tempore, quo absens erat Herodes, Antigonus Massadam obsidebat: abundantem aliis laborantem aquæ penuria. Ob quod etiam Josephus frater Herodis cum ducentis familiaribus ad Arabum regem decreverat confugere: quem audierat malefactorum in Herodem pœnitere. Sed illa nocte largus imber cisternas implevit. Hac re tanquam Dei faventis indicio animati consilio mutato, in hostem etiam excurrunt, quorum multos & aperto marte & ex insidiis confecerunt. Ventidius dux Romanus, missus ut è Syria Parthos expelleret, post illos in Judæam venit, prætextu auxilii Josepho ferendi, re ipsa ut pecunias ab Antigono extorqueret. Castris positis prope Hierosolyma satis magnam pecuniæ vim exegit ab Antigono, ἀποχρώντως ἠργυρίσατο τὸν ἀντίγονον. Quo facto ipse quidem cum majore exercitus parte recedit, sed in speciem Silonem, cum quibusdam militum reliquit, quem & ipsum placandum habuit Antigonus, dum Parthi, ut ipse sperabat, reverterentur.

Josephus lib. 14. cap. 27. Herodes interim ex Italia appulit Ptolemaidem, coactoque non exiguo exercitu peregrinorum & popularium per Galilæam ducit in Antigonum. Ad Silonem & Ventidium Gellius ab Antonio missus fuerat cum mandatis, ut Herodem deducerent. Ventidus tum distinebatur componendis tumultibus, quæ in urbibus erant è Parthorum nupera incursatione. Silo in Judæa erat, sed corruptus, Antigoni muneribus. Herodi tamen procedenti indies augebatur exercitus: tota Galilæa, paucis exceptis, illius partibus accesserat. Prima illi cura Massadæ obsidionem solvere, in qua cognati clausi. Ioppe à tergo erat eunti Hierosolyma & hostilis. Hanc igitur prius expugnare debuit: quam etiam occasionem discedendi ab Hierosolymis libenter arripuit Silo. At abeuntis tergo hæsere Judæi: quibus occurrens Herodes cum exigua manu, Silonem fugatis hostibus eximit periculo Ioppe capta festinabat liberaturus suos. Inter eundum accedebat ingens multitudo indigenarum, quidam ob paternam amicitiam, alii ob viri gloriam: pars gratitudine ob utriusque beneficentiam, plures ob spem, quam conceperant de regis stabiliti imperio. Antigonus locis opportunis struxerat insidias quibus nihil aut parum hostem læsit. Herodes receptis suis è Massada & Rhessa castello, ducit Hierosolyma, una cum militibus Silonis & multis ex urbe vim ejus suspicientibus. Castris positis ad occasum ea parte dispositi custodes sagittis & missilibus (ἐτόξευον καὶ ἠκόντιζον) ipsum impetebant: quibusdam etiam catervatim excursantibus & venientibus in manus primo loco consistentium, jussit prius proclamari ad murum se venisse bono civium & saluti urbis, neque manifestis hostibus recordaturum mali. Antigonus respondebat verso sermone ad Silonem & Romanos milites: quod præter suam æquitatem Herodi daturi essent regnum, privato & Idumæo, id est, Semi-Judæo, cum oporteret ex more suo dare generi. Si enim in se irati essent, & statuissent regnum adimere, quod à Parthis acceperat: superesse multos de genere, accepturos regnum: qui nullo in Romanos commisso & sacerdotes per iniquitatem excludantur. His ea colloquentibus & ad convitia procedentibus, Antigonus permisit suis ut hostem impeterent. Sic turbato præconio & alloquiis ad populum Herodes, interturbantes jussit à turribus, fugari; quod facili negotio effectum est. Facilimè urbs capi potuisset, nisi Silo corruptionem manifesto indicio prodidisset. Submisit enim de familiaribus, qui inordinate clamarent de inopia necessariorum & poscerent pecunias ad alimenta, ducique in hyberna locis oportunis, cum omnia circa urbem desolata essent, ab Antigoni militibus: movebat etiam castra & conabatur abire. Rogabat Heredes duces & milites Silonis ne se desererent, missum ab

Antonio,

Antonio, Cæsare & Senatu, facturum ut copiam habeant: post quas preces in agrum profectus nullam Siloni conquerendi relinquebat causam. Copiam enim necessariorum, quam nec aliquis speraret, attulit: scripsitque familiaribus apud Samariam frumentum, vinum, oleum, pecora, atque omnia ejus generis alia Hierichunta comportare, ut & posteà militibus nil deesset. Ea res non fefellit Antigonum, sed continuo misit per agros qui arcerent & insidiis exciperent frumentatores. Hi magna multitudine armatorum ad Hierichuntem coacta, insessisque montibus, pabulatores observabant. Nec Herodes interim segnis erat: sed assumptis decem cohortibus, quarum quinque è Romanis, totidem è Judæis, & mixti generis mercenario milite & modico equitatu, Hierichuntem petit: urbem desertam invenit & quingentos habitatorum ad montium vertices confugisse cum uxoribus & liberis. Hos captos dimisit sed Romani urbem diripuerunt repertis intra ædes omne genus rebus pretiosissimis. Rex igitur relicto in ea præsidio redit; dimittit Romanorum exercitum, in hyberna regionum, quæ partibus suis accesserant, Idumæam, Galilæam, Samariam, Antigonus quoque Silonis corruptione meruit, ut partem exercitus Lyddis susciperet *θεραπεύων Ἀντώνιον*. Fateor me hunc locum non capere nec in Antiquitatum opere, nec de excidio. Romani per hyemem in otio & abundantia fuere, non potuit otiari Herodes. Misit fratrem Josephum in Idumæam cum mille armatis & quadringentis equitibus, ipse in Samariam profectus atque illic deposita matre & cognatis aliis eductis jam è Massada, ibat in Galilæam, occupaturus loca quædam Antigoni infessa præsidiis. Cumque Semphorim, ningente cælo pervenisset, Antigoni præsidio clam elapso, magnam nactus est rerum necessariarum copiam. Inde in latrones quosdam, incolentes in speluncis emittit turmam equitum & armatorum tres cohortes (*ὁπλιτικοῦ τρία τέλη*) Latrones enim non minore quam bellica incursione incolas atterebant. Apud vicum Arbela speluncæ erant. Quadragesimo post die ipse adfuit cum toto exercitu. Nec tamen exercitus specie territi latrones sed cum armis occurrendum rati præferebant disciplinam bellicam & latronum audaciam: conflictu habito cessit Herodis cornu sinistrum, sed cito id reparavit Herodes & adhibitis adjumentis (*μετὰ ξίφους*) suos statuit, insequentes percussit atque infregit impetum eorum: declinantesque usque ad Jordanem persecutus est. Totam Galilæam suarum partium fecit, præter eos qui in speluncis colebant. Suos igitur viritim donatos centum quinquaginta drachmis argenti, (ducibus multiplicata dedit) in hyberna dimisit. Interea ad eum venit Silo cum ducibus eorum, qui in hybernis fuerant, nolente Antigono ultra mensem dare commeatum. Miserat etiam ad eos qui in circumvicinis locis erant, jubens quæ in agris erant, tollere & fugere in montes ut Romani fame premerentur. Herodes hanc curam demandavit Pheroræ fratri minimo, jusso etiam ut instauraret Alexandrium. Pheroras citò præstitit abundantiam commeatuum militibus & desolatum Alexandrium refecit. Eodem tempore (Anno M. C. 3911. ineunte) Antonius morabatur Athenis. In Syria vero Ventidius Silonem accersens adversus Parthos jussit, ut prius Herodi navaret operam deinde ad suum bellum vocaret socios. Herodes Silonem libenter misit Ventidio, ipse adversus latrones bellum continuat. Antra Latronum erant in montibus præruptis (*πάνυ ἐξερρωγόσι*) & circa medium, præcipites habentia accessus, & rupibus acutis cincta. In opere de bello antra describit: *τὰ δὲ σπήλαια τούτων πρὸς ἀποκρήμνοις ὄρεσιν ἱδρυμένα πάντοθεν, πλαγίας δὲ ἀνόδους μόνον ἔχοντα σκολιάς. ἡ δὲ κατὰ μέτωπον αὐτῶν πέτρα κατέτεινεν εἰς βαθυτάτας φάραγγας, ὄρθιος ἀπερρωγυῖα τοῦ χαράδρου.* Pseudohegesippus in hunc modum: *Erant autem in prærupto mon-*

tium, concavis saxorum lateribus, inhorrentes specus, inter scrupeas rupes, invio undique & impossibili, nisi locorum incolis, accessu. Qui transversariis semitis & angustis callibus, quibus solis adiri solerent, periculi usu, ut adversus periculum deprehendendi tutiores forent. Cæci intus antrorum recessus, quorum in fronte petra, usque ad profundas congregationes aquarum, velut quodam continenti jugo prominens, spem adeundi excluderet lubrico undique situ, de supercilio montis cadentibus aquis & amnium cursu fragoso ut præcipitium fluentorum ruina & saxum imminens charraris plus terroris daret. Hæsit Herodes aliquandiu in ambiguo, ob loci difficultatem, quid ageret: postremò hujusmodi commento usus est ut in modum arcarum structo munimine, validissimos quosque includeret. In ipsa speluncarum ora hastis falcatis armatos retinaculis quibusdam deposuit. Hæc demissio periculosa erat propter immensam altitudinem: & non deerant in speluncis victui necessaria. Falcatarum hastarum, usus erat ad attrahendos repugnantes & deturbandos per præceps. Demissis arcis, cum nemo auderet progredi præ metu, quidam (ὁπλοφόρων) accinctus gladio, manu apprehensa utraque catena, qua arca sustinebatur demisit se intra fauces moræ impatiens: illis exire cunctantibus, ad quandam cavernam accedens, primum jaculis multos confecit: deinde resistere conatos falcata hasta attractos dabat in præceps: denique penitius reconditos invadens jugulavit multos, ac tum demum in arcam se recepit: cæteros verò ejulatum audientes, pavor corripuit & salutis desperatio. At eos conatus nox interveniens impedivit. Sequenti die idem oppugnationis genus resumitur. Demissi igitur milites, in eos, qui deditionem non fecerant. Hi inermes cædere cum liberis, at si qui resistere auderent eos injecto igni exurere cœperunt. Cumque aliquos Herodes vellet eripere & præconis voce ad se evocare. avertit magis. ita ut nullus voluntarius Herodi accederet: sed & quos vis coëgerat multi mortem captivitati prætulerunt. Ad postremum unus de senioribus cui septem filii uxorque adessent, quorum saluti consulere posset, omnes tali occidit modo: Singulos quosque progredi jubens, ipse in ingressu stetit & procedentem de filiis interficiebat. Despiciens Herodes tam triste facinus ac miserabile, protendebat dexteram & verbis rogabat, ut parceret liberis impunitatem pollicens: at ille haudquaquam ullis inflexus vocibus atque insuper regi convitiatus, suprà filios etiam uxorem peremit, præcipitatisque ex alto cadaveribus suorum, ad ultimum semet in profundum præcipitem dedit. Speluncæ igitur omnes hoc modo expugnatæ sunt. Rex autem Ptolemæo præposito illi regioni, in Samariam contendit cum sexcentis equitibus & tribus millibus peditum, ut decertaturus cum Antigono. Cæterum Ptolemæo parum prosperè cessit præfectura. Nam his, qui & ante Galilæam turbaverant, irruentibus interiit. Hoc facto confugiunt, in paludes & loca inaccessa, totum eum tractum rapinis & incursationibus infestantes. *Hos* Herodes punit, quibusdam rebellium occisis alios refugientes in loca munita expugnatosque interimit & munitiones evertit. Ita rebellione coërcita, civitates mulctat centum talentis. Intereà cæso Pacoro & profligatis Parthis, Ventidius (ἐπισπεύδοντος Ἀντωνίου) mittit Machæram auxiliaturum Herodi cum duabus legionibus & mille equitibus. Machæras, vocante Antigono, ad eum contrà voluntatem Herodis abiit, tanquam res ipsius exploraturus. Nam pecunia corruptus erat. Antigonus vero, cum suspectum haberet eum, non admisit sed per funditores arcuit. Herodem igitur bene monuisse, seque peccavisse agnoscens, non obsequendo, concessit in oppidum Emmaun: Judæos, quoscunque offenderet, interimens, sine discrimine amicos hostesque, iratus, ob ea, quæ evenerant. Quo facto rex exacerbatus petebat Samariam: certus

tus ire ad Antonium. Non enim se egere istis auxiliatoribus, qui sibi potius quam hosti damno essent; sufficere autem per se ad opprimendum Antigonum. Comitatus eum Machæras, rogabat ut maneret: aut si certum esset pergere, saltem Josephum fratrem sibi attribueret, gerenti bellum adversus Antigonum. Itaque reconciliatus Machæræ multum roganti, relicto ibi Josepho cum exercitu præcepit, ne rem totam daret in discrimen neve contenderet cum Machæra, pergit ipse ad Antonium obsidentem Samosata ad Eufratem, cum equitibus & peditibus suis auxilium laturus. Cum pervenisset Antiochiam; repertisque illic multis qui transire ad Antonium cupientes non audebant se committere itineri propter obsidentes vias barbaros & sævientes cædibus, his ducem se præbuit. Statione altera à Samosatis insidebat barbarorum turma, infesta commeantibus ad Antonium. Sylvæ interseptiebant exitus in campos ubi collocaverant non paucos equitum, quieturos donec transeuntes in equitabilem regionem pervenirent. Cum primi pertransiissent, Herodes, qui in postremo agmine curabat, invaditur repentè à quingentis fermè equitibus: qui cum primos sibi occurrentes vertissent in fugam rex cum sua turma confestim cædendo hostem repulit. Excitatisque suorum animis, revertentibus, qui paulo, ante fugerant, cædebantur hostes. Rex autem sævire ferro non destitit nec nisi receptis jumentis & mancipiis cœptum iter prosecutus est. Et cum se plures inferrent, ex iis, qui in saltibus ad exitum in campos erant, etiam hos Herodes cum valida catervà illatus in fugam agit, multisque cæsis, tutum sequentibus iter paravit, Illi verò servatorem eum & protectorem suum vocabant. Postquam autem prope Samosata ventum est, mittit obviam Antonius exercitum instructum ornatumque honoris & auxilii causa. Nam barbarorum incursum intellexerat: multumque gavisus est ejus adventu: intellectisque quæ in via facta erant, ipse eum complexus est Antonius: honoremque dedit ac si nunc regem declarasset. Cæterum Antiocho non multo post munimentum dedente, eoque finito bello, Sosio Antonius tradit provinciam & copias, jusso Herodi opem ferre, ipse in Ægyptum proficiscitur. Sosius duas legiones in Judæam præmittit, ipse cum majori exercitu sequitur. Jam in Judæa obierat Josephus in hunc modum: Oblitus eorum quæ præceperat abiens ad Antonium Herodes, castra posuerat in montibus (quinque cohortes Machæras dederat, cum quibus ibat Hierichunta ad demetendas eorum fruges) cum Romanus miles tyro esset & rudis belli (magna enim pars erat collecta è Syria) incurrentibus hostibus, interceptus loci difficultatibus, ipse fortiter pugnans cadit, & totum exercitum amittit. Sex enim cohortes desideratæ sunt. Antigonus potitus cadaveribus, Josepho caput præcidit, redemptumque est à Pherora quinquaginta talentis. Hoc facto Galilæi illos è primatibus, qui factionem Herodis tenebant in lacum demersos necant: & multæ partes Judææ res novabant. Machæras firmabat Gittam. Harum rerum nuntii ad regem veniunt, apud Daphnen Antiochiæ. Ipse id exspectabat ob quasdam somniorum visiones, quæ non obscurè de fratris morte prædicebant. Accelerato igitur itinere, cum ad Libanum montem pervenit, assumptis illinc octingentis, & habens Romanam legionem advenit Ptolemaida: unde noctu profectus cum exercitu, per Galilæam progrediebatur. Cui hostes occurrentes victi sunt compulsique in castellum, unde pridie exiverant, quod mane oppugnare adortus vi tempestatis coactus est infecta re exercitum in proximos vicos abducere. Cum autem venisset ab Antonio legio altera, qui castellum tenebant id per noctem deseruerunt. Rex festinabat Hierichunta, volens ulcisci fratris interitum. Quo postquam venit, honoratissimum quemque adhibuit, ad convivium, sed post cænam

nam

nam (μετὰ τὴν συνουσίαν) dimissis convivis recepit se in cubiculum (δωμάτιον) Tum triclinium, in quo cœnatum fuerat, concidit, sine noxa. Unde opinio incessit omnibus Herodem Deo carum esse. Sequenti die sex millia hostium à verticibus montium demissa in pugnam terruerunt Romanos (non ausi admodum manum conserere): eorumque velites (γυμνῆται) procursando jaculis (πελτοῖς) & lapidibus feriebant regios, qui præibant (primum agmen): adeò ut ipsi quoque regi quidam vulnus in latus jaculo inflixerit. Porrò Antigonus in Samariam misit ducem, cui nomen Pappus, cum copiis quibusdam, volens videri hostibus, quód abundaret ad bellum, βουλόμενος παρασχεῖν τοῖς πολεμίοις δόξαν πολεμοῦντος ἐκ περιουσίας. Hic assidebat Machæræ castris oppositis, at Herodes quoque oppidis receptis relictos in illis ad duo millia occidit, oppidisque incensis, rediit in Galilæam adversus Pappum castra habentem ad vicum, dictum Isana. & confluentibus ad ipsum multis ex Hierichunte & Judæa, cum prope hostem esset, occurrentem audacter, pugna superat: ultionemque faciens fratri, fugientibus in vicum cædendo instat. Domibus armatorum repletis, multisque in tecta refugientibus, superat hostem facile, qui foris erat. Καὶ τῶν ὀρόφων τοὺς οἴκους ἀνασκάπτων id in de bello τὰς οἰκήσεις συνέρρηττον: perfossis tectis, videt plena omnia esse, militibus confertim receptis (ἀθρόων ἀπειλημμένων) Hos igitur saxis desuper ferientes, acervatim occidebant. Spectaculum nullum toto hoc bello miserabilius fuit, cadaverum immensam multitudinem intra parietes videre confertim congestorum. Hoc factum animos hostium potissimum fregit, eventum timentium. Qui enim convenerant agminatim circa vicum, tunc diffugiebant. Et nisi hyems sustinuisset, venisset exercitus regius ad Hierosolyma, victoria ferox: totamque rem confecisset. Antigonus enim de fuga dispiciebat & abitu ex urbe. Tum rex (serum enim erat) jussit milites cænam parare. Ipse etiam, quia fessus erat, ingressus est in balneum (δωμάτιον) lavandi causa. Hic in maximum periculum incidit. Cum enim inermis esset comite uno puero ubi lavabatur: in interiori mansiuncula (οἰκήματι) quidam hostium armati cum confugissent eò ob metum, latebant. Inter lavandum primus se proripit gladio evaginato per fores & post secundus ac tertius similiter armati, adeo attoniti ut illæso rege contenti essent sibi ipsis fuga salutem quærere. Sequenti die Pappi præcisi caput (interemptus enim erat) Pheroræ mittit, in ultionem fratris. Is enim eum interfecerat sua manu. Ubi hyems desæviit, moto inde exercitu prope Hierosolyma castra ponit, anno tertio, à quo Romæ erat declaratus rex (A. M. C. 3913.) Mox castris propius admotis ad murum, qua maximè erat oppugnabilis, ante templum, oppugnare illic statuit, ut olim Pompejus: tribus aggeribus ei loco circumdatis turres condit, operarum multitudine usus ad opus & cæsa circumquaque materia: præpositisque huic operi viris idoneis (ἱδρυμένους ἐπὶ τῆς στρατιᾶς) ut etiam obsidione cœpta (ut habet Hegesippus) ipse ad nuptias iverit in Samariam ducturus Alexandri Aristobulo nati filiam: quam ei desponsatam fuisse jam ante diximus.

Josephus lib. 14. cap. 28. Post nuptias venit per Phœnicen Sosius, præmissisque per mediterranea copiis adfuit & ipse, cum multitudine equitum & peditum. Affuit & rex è Samaritide, ad veterem exercitum non mediocrem accessionem ducens. Erant enim ad tricies mille. Omnes congregabantur ad Hierosolymorum murum & assidebant septentrionali urbis lateri, undecim (τέλη ὁπλιτικῶν) legiones peditum, sex millia equitum; præter auxilia alia è Syria. Duo duces præerant Sosius missus auxiliaris ab Antonio, Herodes pro se, ut Antigono, qui Romæ declaratus erat hostis, adempto imperio,

rio, ipse pro illo regnaret secundum Senatus consultum. Magna alacritate & contentione, & universa gente congregata, Judæi adversus Herodianos pugnabant, inclusi mœnibus (πολλά τε ἐπεφήμιζον, περὶ τὸ ἱερὸν καὶ πολλὰ ἐπ' εὐφημίᾳ τῶ δήμω, ὡς ῥυσομένου τῶν κινδύνων αὐτοὺς τῶ θεῶ) Multa sibi ominabantur de templo & populo Dei. Abstulerant quæ extra urbem erant, ut nec alimentum relinqueretur hominibus aut jumentis: clancularíis etiam latrociniis, inopiam faciebant. Cui rei Herodes ita prospexit, ut contra latrocinantes opportuna loca præoccuparet insidiis. Ad necessaria missis turmis armatorum (ὁπλιτικὰ πύλη) è locis dissitis, adduceret commeatum: unde brevi copia fuit. Multitudo operarum citò tres aggeres in altum erigebat. Æstas enim erat & nihil ad structuram impedimenti neque ab aëre neque ab operantibus. Adductis deinde machinis, quatiebant murum & nihil intentatum relinquebant. At obsessi intrepide repugnabant, struentes varia & ipsi adversus ea, quæ ab obsessoribus fiebant. Incursantes partim semiperfecta incendebant, partim perfecta: & miscentes pugnam, audentia Romanis non erant inferiores, quamvis rei militaris peritia cederent. Adversus machinas muniebant dirutis prioribus ædificiis, & sub terra occurrentes cuniculis pugnabant. Desperatione etiam potius quam aliacritate ad extremum perdurabant, idque obsessi à tam numeroso exercitu, ipsi fame simul laborantes & inopia. Nam annus sabbaticus erat. Tandem evadunt in mœnia primo lecti milites viginti deinde centurio Sosii. Captus enim est primus murus die quadragesima, secundus quintadecima: & quædam porticus circa templum combustæ sunt: quas criminabatur Herodes exustas esse ab Antigono, odium ei apud Judæos parans. Capta verò exteriori templi parte & inferiori urbe, in interius templum & urbem superiorem Judæi refugiunt: metu deinde ne Romani quotidiana sacrificia Deo facere prohiberent, per legatos petunt ut concederetur victimas introduci. Rex verò, tanquam obstinatione remissa cessuri essent, annuit. Cum autem videret nihil fieri quod suspicabatur, sed pertinacius obniti pro regno Antigoni, totis viribus adortus urbem expugnavit: ubi omnia repleta sunt cædibus, Romanis longa oppugnatione exacerbatis, Herodianisque Judæis, nemini inimico parcentibus: eratque continua cædes in angiportis & ædibus constipatorum & confugientium ad ædem. Nec ætati nec sexui parsum est: quamvis rex præcepisset & rogaret parci, nemo continuit dexteram, sed veluti furore perciti sæviebant nullo ætatis discrimine. Hic Antigonus neque præteritæ neque præsentis fortunæ memor, descendit è palatio (βάρεως) & advolvitur pedibus Sosii. Qui nihil miseratus mutatam ejus fortunam (ἐπεγέλασέ τε ἀκρατῶς) insultavit impotenter homini, Antigonam appellans: non tamen ut fœminam liberam dimisit. Vincto addidit custodiam. Curandum autem fuit regi, qui hostes vicerat, ut vinceret etiam alienigenas auxiliares. Ruebat enim multido peregrina ad visendam ædem & sanctum ædis. Rex precibus, minis, armis etiam retrahebat, existimans victoriam clade acerbiorem esse, si quid non visendorum oculis usurparetur. Prohibuit etiam direptiones urbis (contendens cum Sosio, διατεινόμενος πρὸς τὸν Σόσσιον) An Romani, opibus & viris viduatâ urbe, solitudinis eum essent relicturi regem: & quod tanta cæde civium viliorem esse existimaret orbis dominationem. Cum ille pro oppugnatione direptionem juste se militi permittere diceret, promisit se de suo mercedem numeraturum singulis. Sic cætera civitatis redemit & pretium promissum persolvit. Splendide quemvis militem, convenienter duces, regaliter Sosium remuneratus est. Ita abiere omnes pecuniis referti. Hæc clades Hierosolymorum contigit Coss. M. Agrippa & Canidio Gallo: olymp. 185. mense tertio, festo jejunii. Eodem

die poſt annum vigeſimum ſeptimum, quo Soſius urbem ceperat. Soſius autem dedicata Deo aurea corona, profectus eſt Hieroſolymis, Antigonum vinctum ad ducens Antonio. Herodes autem veritus ne aſſervatus Antigonus & Romam perductus ab Antonio, jure contenderet apud ſenatum, oſtendens ſe è regibus, Herodem privatum: quodque conveniens eſſet filios ſuos regnare, ob generis originem etſi ipſe in Romanos deliquiſſet. Hæc metuens Herodes multis pecuniis inducit Antonium, ut Antigonum interimeret. Quo facto metu ſolutus eſt Herodes & regnum Aſſamonæorum finem habuit, poſt annos 126. Illuſtris illa familia inteſtinis ſeditionibus agitata amiſit imperium: quod tranſiit in Antipatri filium εἰκὸς ὄντι δημοτικῆς γένους ἰδιωτικοῦ καὶ ὑπηκόοντος τοῖς βασιλεῦσι

Ægyptiaca & Syriaca poſt mortem Phyſconis digeſta per annos.

A.M. C. 3834. Ptolemæus Phyſcon moriens Cleopatram ſororem & conjugem ſibi jubet ſuccedere, cum altero ex filiis, quem illa legiſſet. Id improvide factum cum mater altero ex filiis electo alterum hoſtem eſſet habitura. Igitur cum pronior in minorem filium eſſet, à populo compellitur majorem eligere. Id facit ſed ea conditione ut repudiaret prius Cleopatram ſororem, & minorem ſororem Selenen duceret. Non materno inter filias judicio cum alteri maritum eriperet, alteri daret.

A. M. C. 3835. Cleopatra repudiata nubit Cyziceno, eique ne indotata in conjugium veniret, exercitum Ptolemæi in Cypro ſolicitatum velut dotalem addit.

A. M. C. 3836. Antiochus Cyzicenus cum exercitu uxoris Grypum oppugnans vincitur. A victore Grypo capta Antiochia (Juſt) *Tryphana uxor Grypi nihil antiquius quam ſororem Cleopatram requiri juſſit: non ut captivæ opem ferret ſed ne effugere captivitatis mala poſſet, quæ ſui æmulatione in hoc potiſſimum regnum invaſerit, hoſtique ſororis nubendo, hoſtem ſe ejus effecerit. Tum peregrinos exercitus in certamina fratrum adductos, tum repudiatam à fratre, contra matris voluntatem, extra Ægyptum nuptam accuſat. Contra Grypus orare, ne tam fœdum facinus facere cogatur: à nullo unquam majorum ſuorum inter tot domeſtica, tot externa bella. poſt victoriam in fœminas ſævitum, quas ſexus ipſe & periculis bellorum & ſævitiæ victorum eximat. In hac vero præter commune bellantium fas, accedere neceſſitudinem ſanguinis: quippe ipſius, quæ tam cruente ſæviat, ſororem equidem germanam eſſe, ſuam vero conſobrinam; liberorum deinde communium materteram. His tot neceſſitudinibus adjicit ſuperſtitionem templi, quo abdita profugerit; tantoque religioſius colendos ſibi deos, quo magis his propitiis ac faventibus viciſſet: tum neque occiſa illa, ſe virum quenquam Cyziceno demptur um nec ſervaturum reddita. Sed quanto Grypus abnuit, tantò ſoror muliebri pertinacia accenditur, rata non miſericordiæ hæc verba ſed amoris eſſe. Itaque vocatis ipſa militibus, mittit, qui ſororem confoderent. Qui ut in templum intraverunt, cum evellere eam non poſſent, manus amplexantis deæ ſimulachrum amputarunt. Tunc Cleopatra execratione parricidarum, mandata violatis numinibus ultione ſui, decedit.*

A. M. C. 3838. Juſt. *Nec multo poſt repetita prælii congreſſione, victor Cyzicenus uxorem Grypi Tryphanam, quæ paulo ante ſororem interfecerat, capit; ejuſque ſupplicio uxoris manibus parentavit.*

A. M. C. 3851. Juſt. *At in Ægypto Cleopatra, cum gravaretur ſocio regni, filio Ptolemæo* (Lathuro) *populum in eum incitat; abductaque ei Selene uxore, eo indignius,*

indignius, quod ex Selene jam duos filios habebat, exulare cogit, arcessito minore filio Alexandro & rege in locum fratris constituto. Nec filiam regno expulisse contenta, bello Cypri exsulantem persequitur. Vnde pulso, interfecit ducem exercitus sui, quod vivum eum è manibus demisisset: quanquam Ptolemaus verecundia materni belli, non viribus minor ab insula recessisset.

Anno M. C. 3852. Just. *Igitur Alexander territus, hac matris crudelitate & ipse eam reliquit, periculoso regno securam ac tutam vitam anteponens.*

Anno M. C. 3854. Just. *Cleopatra verò timens, ne major filius Ptolemaus ab Cyziceno ad recuperandam Ægyptum auxiliis juvaretur, ingentia Grypo auxilia & Selenen uxorem nupturam hosti prioris mariti mittit; Alexandrumque filium per legatos in regnum revocat.*

A. M. C. 3860. Just. *Cui cum occultis insidiis exitum machinaretur, occupata ab eodem interficitur spiritumque non fato sed parricidio dedit: digna prorsus hac mortis infamia, quæ etiam matrem thoro expulit & duas filias viduas, alterno fratrum matrimonio fecit: & filio alteri in exilium acto, bellum intulit, alteri erepto regno exilium per insidias machinata est.*

A. M. C. 3861. Just. *Sed nec Alexandro cædes tam nefanda inulta fuit. Nam ubi primum compertum est scelere filii matrem interfectam concursu populi in exilium agitur, revocatoque Ptolemao* (Lathuro) *regnum redditur: qui neque cum matre bellum gerere voluisset nec à fratre armis repetere, quod prior possedisset.*

Circa hoc tempus Cyrenarum rex frater Ptolemæi Lathuri (Physconis filius) è pellice susceptus, hærede populo Romano instituto decedit. Ptolemæus nothus hic appellabatur à quo distinctum esse putamus Ptolemæum Apionem, ipso paulò posteriorem.

Just. *Quo facto & Syria & Ægypti regna, Romana vicinitate artata qua incrementa de finitimis bellis, quærere solebant, adempto vagandi arbitrio, vires suas in perniciem mutuam converterunt, adeò ut assiduis praliis consumpti, in contemptum finitimorum venerint, prædaque Arabum genti, imbelli (imbecilli) anteà fuerint. Quorum rex Eurotimus* (Aretas apud Josephum) *fiducia septingentorum filiorum, quos ex pellicibus susceperat, divisis exercitibus, nunc Ægyptum nunc Syriam infestabat, magnumque nomen Arabum, viribus finitimorum exsanguibus, fecerat.*

A. M. C. 3869. Ptolemæo Lathuro succedit Ptolemæus Dionysus, qui & Auletes, regnat ann. 29.

A. C. M. 3866. Justin. lib. 40. *Mutuis fratrum odiis & mox filiis inimicitiis parentum succedentibus, cum inexpiabili bello & reges & regnum Syria consumptum esset, ad externa populus auxilia concurrit, peregrinosque sibi reges circumspicere capit. Itaque cum pars Mithridatem Ponticum, pars Ptolemaum ab Ægypto arcessendum censeret: occurreretque quod Mithridates implicitus Romano bello esset, Ptolemæus quoque semper hostis fuisset Syria, omnes in Tigranem regem Armenia consensere, instructum præter domesticas vires & Parthica societate & Mithridatis affinitate. Igitur accitus in regnum Syriæ* (id Seleucidæ possederant 228. annis) *per* 18. *annos tranquillissimo regno potitus est: neque bello alium lacessere neque lacessitus inferre alii bellum necesse habuit.*

Sed sicuti ab hostibus tuta Syria fuit, ita terræ motu vastata est, quo centum septuaginta millia hominum & multæ urbes perierunt. Quod prodigium mutationem rerum portendere aruspices responderunt.

A. M. C. 3885. *Igitur Tigrane à Lucullo victo, rex Syria Antiochi Cyziceni filius ab eodem Lucullo appellatur. Sed quod Lucullus dederat, postea ademit Pompejus: qui poscenti regnum respondit, ne volenti quidem Syriæ, nedum recusanti daturum*

turum se regem, qui 18. annos, quibus Tigranes Syriam tenuit, in angulo Ciliciæ latuerit: victo autem eodem Tigrane à Romanis, alieni operis præmia postulet. Igitur ut habenti regnum non ademerit, ita quo cesserit Tigrani, non daturum, quod tueri nesciat ne rursus Syriam Judæorum & Arabum latrociniis infestam reddat. Atque ita Syriam in provinciæ formam redegit &c.

Olymp. 170. anno 4. 3814. Antiochus Grypus occiditur Heracleonis insidiis.

Anno M. C. 3856. Seleucus Antiochi Grypi filius Antiocho Cyziceno patruo bellum infert: quo victus Cyzicenus sibi ipsi manus intulit. Iosephus Cyzicenum captum à Seleuco & neci datum esse refert. Seleucus regno illius potitur.

3858. Antiochus Eusebes Cyziceni filius, cum patruelis Seleuci evasisset insidias, Aradi sumpto diademate bellum illi infert, eumque tota Syria expellit. Seleucum Mopsuestiani, cum eò confugisset, incensa regia concremaverunt.

Fratres Seleuci Antiochus & Philippus Mopsuestiam in ultionem patris per vim captam diruerunt. Antiochus Eusebes Cyziceni filius illis superveniens cladem dedit, qua interiit Antiochus. Philippus in parte Syriæ regnum occupavit. Et Demetrius Eucærus Damasci regnavit. Duo fratres Antiochum pium oppugnabant.

Anno M. C. 3864. Interit Antiochus in bello contra Aretam, qui totum Cælessyriæ regnum occupavit.

Illum Antiochum, quem Pompejus noluit imponere Syriæ, non fuisse Cyziceni filium sed nepotem Asiaticum dictum, observat Usserius. Hic illud ante quadriennium vel permissu vel dono Luculli acceperat.

Successio doctorum post Prophetas, è Cabbala R. Abraham F. David.

NUgantur Judæi legem oralem seu Cabbalam à Mose traditam esse Josue filio Nun & senioribus. Seniores isti temporibus Judicum fuere. A senioribus traditam esse prophetis: qui hinc continuata serie in populo fuere usque ad restauratum templum. Ultimi prophetæ, qui vixerunt, cum templum restitueretur, simul cum aliis viris magnis ejus ævi constituebant כנשת הגדולה Synagogam magnam. In quam compingunt admodum divisos muneribus, locis & annis: Danielem, Esdram, Nehemiam, cum prophetis Haggæo, Zacharia, Malachia aliisque usque ad adventum Alexandri Magni, quo Macedonum imperio cessere gens Judæa & Hierosolyma. Porro Simeonem Justum confundunt cum Iaddue. Alexandrum M. anno trigesimo templi restituti Hierosolymam venisse.

Simeon Justus filius Josue filii Josedec, secundum ipsos fuit. Proinde pertinet ad secundam ætatem דור השני / Ingentem istam ἀνισοχρονίαν alii emendant.

Tertia ætas. Antigonus איש סוכו / Sochæus, qui accepit legem oralem à Simeone. Hujus dictum fuit. *Ne sitis instar servorum ministrantium domino ea conditione ut capiant præmium* אל תהו כעבדים המשמשים לרב' ע'ם לקבל פרס Plenius in Aboth. cap. 1. Duo illius discipuli Sadoc & Baithos, rogarunt eum de dicti sensu: quibus respondebat non esse in hoc sed sequenti seculo expectandam mercedem. Illi hoc dicto accepto in occasionem dicebant, Nunquam auditum esse de seculo futuro. Abierunt ad sanctuarium montis Garizim. Hinc divisio & origo Sadducæorum.

Quarta ætas: Josue ben Ioezer, Saridæus, & Jose ben Johanan, Hierosolymita, cum sua caterva (זוגם ומיעתם.)

Quinta ætas, Juda ben Tabai & Nathai Arbelita cum sua caterva.

Sexta

Sexta ætas, Josue filius Pherachiæ & Simeon filius Setach (שטח) cum sua caterva. Fuerunt tempore Alexandri Jannæi.

Septima ætas, Samæas (שמעיה) & Abtalion cum sua caterva.

Octava Hillel & Samæi. Pollio & Sameas apud Josephum.

Nonam etiam Hillel fecit ob longitudinem ævi sui. Vixit enim annis 120. Præstantissimus discipulorum fuit Ionathan ben-Uziel, minimus Johanan ben Zachai.

Ita πατροπαράδοτοι traditiones descenderunt usque ad tempora Domini. Decem ætates doctorum recensentur usque ad excidium à Tito. Nam ultimam fecit R. Iohanan filius Zachai. Dicuntur πρεσβυτέρων tradita, quia in seniorum consessu conservabantur, exponebantur, augebantur. Sadducæi scriptura contenti traditiones repudiabant, Pharisæi tenacissimi earum fuere.

Isti doctores fuere senatus principes. Fuit autem duumviratus primus, in Josue ben Ioëzer & Josue ben Iohanan. Ante illos unus pro synedrii & doctrinæ capite ut Jesus, Simeon, Antigonus. Duumviratus ille stetit usque ad Hillel & Sammai, quinque ætatibus, ut est apud Davidem Ganz è Iohasin והם תחלת הזוגות תמשכו בתי הזוגות חמשה דורות עד הלל הזקן. Eorum unus appellabatur נשיא / *princeps*; alter אב בית דין / *Pater domus judicii*, sive ראש הישיבה *caput consessus*. Quod נשיא sive princeps semper fuerit è domo Davidis, sub regno Hassamonæorum & Herodiadarum falsum est, quamvis ita sciscat David Ganz: המוציא והמביא במלחמה ועל דברי המלכות אבל כל דברי תורה חוקים ומשפטים על פי הכנ׳ והנשיא היו נעשים. Verum quod rex belli curam & regni administraverit, legis negotium, judicia & statuta steterint penes synagogam magnam, at falsum est quod principes illi senatus omnes fuerint è domo David. Notatur enim peculiariter & ut peculiare in Hellel, quod fuerit è domo David.

Eutychii Alexandrini fabulæ.

Nisi molestum sit, accipe breviarium fabularum illius patriarchæ. Anno ante templum dirutum statuam illam erectam esse, quam cum venerari nollent socii Danielis in fornacem conjecti fuere. Anno quarto excidii Nabucadnesarum vidisse somnium colossi. Anno quinto Ezecielem prophetasse. Confundit enim excidii & migrationis Iechoniæ annos. Babylone dicit prophetasse Ezecielem, Baruch, Saram, Danielem, Mordechai, Hacai, Zachariam, Malachiam, Esdram & Nahum, in Ægypto Habacuc & Jeremiam. Anno 25. regni id est sexto post excidium Jerosolymæ Ægyptum subegisse. Viginti sex annis imperasse post casum urbis. Successisse Evilmerodach ann. 23. Hoc imperante in Ægypto lapidatione interisse Jeremiam, cujus corpus Alexander M. Alexandriam transtulerit. Triennio post Evilmerodach regnat Balthasar.

Darius Medus è Madanensium stirpe regnat anno uno. Quia Danielem universis copiis Medicis præfecerat, invidia procerum coactus est Danielem in lacum leonum mittere. Dario Successit Cyrus, sub quo Bel & Draconis historia. Cyrus regnat triennio, cui succedit Assuerus ann. 12. Hujus filius Cyrus cognomine Darius ann. 39. Ejus anno primo obiit Daniel; anno secundo Israelitis reditum in patriam concedit. Duxerat enim Malehat, sororem Zorobabel. Cyri œconomum fuisse Nehemiam, quem Nagthaniam vocat: qui templi struendi curam suscepit.

Cyro illi successit Camysus (Cambyses) ann. 9.

Smerdis M. ann. 1.

Darius I. ann. 20.

Artax. Longim. ann. 24. Sub hoc Hippocrates Medicus.

Artax. Magnus ann. 31.
Sogdianus ann. 3.
Darius 2. ann. 17.
Artaxerxes tertius ann. 22.
Artaxerxes Ochus ann. 20.
Arses ann. XI.
Darius ann. VII.

Hinc Alexander M. sequitur, de quo multa fabulatur: A captivitate Babylonica ad regnum Alexandri annos numerat 263. à regno Davidis 740. ab Exodo 1346. ab Abrahamo 1853. à Phaleg 2394. à diluvio 2925. ab Adam 5181.

In Ægypto post Alexandrum imperasse Aridæum ipsius fratrem 7. ann. (aliud exemplar ann. 40.) deinde Ptolemæum Alexandrum ann. 21. vel 27. Qui anno regni 20. procuravit versionem LXX. interpretum. Simeonem justum inter istos interpretes fuisse: qui vaticiniis de Christo non adhibens fidem, ideò divinitus vitam protraxit ad ann. 350. ut Dominum natum *in ulnas susciperet*, atque ita crederet.

Alexandro successisse Ptolemæum Lagi ann. 29,
Philadelphus deinde regnat ann. 26.
Evergetes ann. 25.
Philopator ann. 17.
Epiphanes ann. 24.
Philometor ann. 20.
Soter ann. 20.
Soter 2. ann. 15.
Alexander ann 10. vel. 12.
Phosas (Physcon) ann. 8. vel 18.
Ptolemæus Dionysus ann. 29.
Cleopatra ann. 22.

Ejus anno quarto Romæ cæpisse regnare C. Cæsarem, anno undecimo Augustum. Hunc orbis regna subigentem inhiasse regno Cleopatræ: oppugnasse misso Pæto Hierosolymam. Hierosolymis neminem inde à captivitate regnasse, qui fuerit è stirpe Davidis. Hinc verba ejus interprete Pococko, *Neque enim in hunc usque diem præficiunt sibi Iudæi regem nisi è stirpe Davidis.* Non cohærent cum antecedentibus, nisi sustuleris vocem ئ *nisi.* Davidis stirpem supplevisse putat sacerdotem maximum è familia Davidis, qui regnum tenuit. Ex horum numero fuisse Aristobulum: qui captus victusque à Pæto (Pompejum intelligit) abducitur Romam: succedente fratre Arcan (Hyrcano. Cui amicus fuit Antipater Herodis pater. Arcanum Algauri incolæ abducunt in captivitatem. Herodes blanditur Romanis & Augusto, qui vicit Antonium & Cleopatram. Augustus ipsi diadema imposuit. Subactis igitur rebellibus & obnitentibus Judæis, dirutisque templo & propugnaculo libros genealogicos combussit. En confusionem, ignorantiam, tenebras & noctem!

Chronicon Alexandrinum tres recenset sententias de 70. annis captivitatis. Primam à tertio anno regni Joacim usque ad 19. Cyri. Secundam ab exordio prophetiæ Jeremiæ ad 36. annum Astyagis: tertiam ab eversione templi (id est 19. Nabuchodonosori) usque ad 2. Darii Hystaspis: quam ipse probat. Sequitur autem Clementem Alexandrinum. Cæterum nos ea hoc loco omittimus, daturi (Deo volente) defensionem & expositionem ulteriorem in Paralipomenis.

FINIS.

INDEX

INDEX
Pemptadis tertiæ tomi secundi.

Jose-

INDEX.

FINIS.